IOANNIS

LORINI

SOCIETATIS IESV,

COMMENTARII
IN DEVTERONOMIVM.

In quibus præter exactam sensus litteralis explanationem, variarum tum editionum, tum lectionum collationem cum vulgata, quæ defenditur, phrasiũ etiam Scripturæ, atque vocabulorum disquisitionem, mystici omnis generis sensus ex Patribus, præcipuè Græcis Latinisque traduntur.

NVNC PRIMVM PRODEVNT.

Cum Indicibus, locorum sacræ Scripturæ, vocum Hebraicarum Græcarúmque, rerum item & verborum notabilium.

LVGDVNI,

Sumpt. Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTR.MO DOMINO D.

STEPHANO D'HALIGRE

GALLIÆ CANCELLARIO,

IACOBVS CARDON & PETRVS CAVELLAT *fœlicit. P. P.*

QVOD de aliis permultis dubium esse potuit, plúsne virtuti suæ, an fortunæ deberent; de te nemo quisquam est (VIR ILLVSTRISSIME) qui putet ambigendum. Fecisti siquidem, vel approbante inuidia, vt & Cudonis Honorarij dignitas, & exedræ supremæ authoritas, & ipsa Maiestas purpuræ, quæ in aliis fortunæ blandientis sunt munera, in te virtutis vnius præmia censeantur. Quòd si minus est iudicio sapientum honores consequi, quàm mereri: nihil verebor (integro Regiæ Maiestatis honore) dicere, plus etiam te tuæ sapientiæ debere, quàm vel ipsius beneficentiæ; quando per illam potuisti mereri, quod per istam consequi debuisti. Gratias habet immortales omnis Gallia sapientissimi Regis beneficæ prouidentiæ, quod te vnum è multis dignissimum ad supremum rei forensis ac tabulariæ Tribunal cum approbatione bonorum euexerit: sed non potest illud beneficium, quod suum interpretatur, recolere; quin tuis æquè meritis gratuletur,

quibus effectum est, vt in conferenda tibi præfecturâ tam graui Rex Opt. errare nullo modo potuerit. Magnum est profectò, quòd te vt Herculem alterum Athlas noster tanto parem oneri iudicauit: sed est multo etiam maius, quòd honori tanto probauit te non imparem administratio nobilissimi magistratûs. Culmen vtrumque tenes. placet enim cum Poëta Panegyrico exclamare; nihil quippe tua felicitas & sapientia reliquerunt,

Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.

Itaque Oceanus quidam videri tua gloria potest, ad quam si vel omnes boni sua omnia conferant, nihil tamen accedit, quo altiùs possit assurgere. Verùm nec fluuios ideo mare respuit, quòd eorum nihil intumescat accessu: vt hoc pignus obsequij nostri licèt exile æquo te animo excepturum sperare audeamus. Quanquam enim parum est, vel ad tuæ celebritatem famæ, vel ad nostræ studium voluntatis, quòd hunc laborem nostrnm tuo nomini voluimus consecratum, si tamen operis rationem attendis, vix opportunius quicquam accidere potuit. Quem enim alium lucubrationibus diligentissimi legum diuinarum interpretis Patronum optemus, quàm Curiæ Prætorianæ Caput, iudiciorum Principem, summum æquitatis vindicem, & Gallicani iuris arbitrum ac supremum interpretem? Permagna est humani iuris cum diuino consensio, necessitudo maxima, illud quippe riuus est ab hoc fonte, radius ab hoc sole. quid est enim lex aliud (inquit Iurisconsultorum eloquentissimus) nisi recta & à nemine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. quòd si iam Galliæ nostræ consulamus instituta sanctissima, si æquissimas leges, si consuetudines vsu firmatas, si Regum mandata, hoc est, oracula, si edicta multiplicis Curiæ, hoc est, veritatis ipsius, & iustitiæ voces; cùm te horum omnium viuam esse spirantémque bibliothecam sciamus, num diuini pariter iuris consultissimum debemus agnoscere? Agnoscimus profectò, nec aliud voluimus profiteri, cùm amplissimum tuum nomen eruditissimis hisce in Deuteronomium Commentationibus præfiximus, vt nobilem tesseram. Sed erit fortè qui præterea notet, non ineptè magno Galliæ Cancellario explicatum dedicari postremum

mum opus magni Mosis, quem Dei Cancellarium meritò dicas, quando hunc legum suarum & voluntatis Interpretem esse voluit; eique virgam potentem miraculorum, quæ certa sunt authoritatis diuinæ sigilla, commisit. Illius certè vt in te mores, & elogia cernimus, dilectus quippe Deo & hominibus Moyses, quem Deus idem glorificauit in conspectu Regum: ita illius tibi annos & gloriam votis omnibus adprecamur.

Audite Superi.

Annue Deus.

***

DEVTE

DEVTERIO, AC DEVTEROTÆ CHRISTIANIS,

IOANNES LORINVS.

POSTREMA *Pentateuchi pars, cui titulus Deuteronomium, secundave lex, legis typus secundæ, seu Euangelicæ, vobis, Deuteri, ac Deuterota, Christianis, proprio iure defertur: qui & δεύτερον sectamini νόμον, secundam non adumbratam, sed expressam Christi legem: & amplectimini non humanas obsoletas, ac plerumque confictas illas δευτερώσεις, sed traditiones diuinas, Apostolicas, Ecclesiasticas, veras prorsus certásque. Nulla quidem libris sacris contenta scriptura, voluntate humana allata est aliquando; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, scripserúntve: ideóque nulla inspirantis Dei sapientissimi δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι; quemadmodum nec in rebus condendis vllam admittit omnipotens idem Deus accessionem, aut imminutionem, si per se, & in se tum potentia ipsius, tum sapientia spectetur. Attamen splendescit quadam magis in doctrina diuinitus tradita, quàm in alia, diuinæ lux sapientiæ; vt & in vno potius, quàm in opere alio efficacitas enitescit potentiæ. Feretis hoc, mihi credite, de præsenti libro iudicium, si sequentem præfationem perlegentes illum contuleritis cum prioribus; & me vinum bonum, instar illius Architriclini, vsque adhuc seruasse facile concedetis, σὺν θεῷ ὑμῖν δευτέρῳ, siue propitio. Vtinam isto voluptatis torrente potemur, immo inebriemur, donec ad cælestem vinariam cellam introducamur.* VALETE.

Mutius

Mutius Vitellescus, Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVM Primum tomum Commentariorum in Deuteronomium, P. Ioannis Lorini, Societatis nostræ, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 23. Iunij 1623.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunnesi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis *Henrico III.* 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico *XIII.* nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunensibus Bibliopolis, vt librum hunc inscriptum, *Ioannis Lorini, Societatis IESV, Commentarij in Deuteronomium*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 12. Nouembris 1624.

I. FORERIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOS infrascripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos librum qui inscribitur, *Ioannis Lorini, Societatis IESV, Commentarij in Deuteronomium*, perlegisse, in quo nihil fidei orthodoxæ Catholicæ, atque Apostolicæ contrarium animaduersum. Lugduni 14. Nouembr. 1624.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.

DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Ioannis Lorini, Societatis IESV, Commentarij in Deuteronomium*, à Theologis approbatum vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 20. Nouembr. 1624.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Ioannis Lorini, Societatis IESV, Commentarij in Deuteronomium*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 11. Decembris 1624.

Demandato Regis,

Signatum

RENOVARD.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, posterior columnam; litteræ a, b, c, d, e eiusdem columnæ partem designant.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

Exodi.

Leuitici.

Numerorum.

Deuteronomij.

INDEX HEBRAICARVM VOCVM.

א

ב

ג

ד

ה

ו

ז

ח

ט

י

כ

ל

מ

נ

ס

ע

פ

צ

ק

ר

FINIS.

INDEX

INDEX
GRÆCARVM VOCVM.

Πεί

IN DEVTERONOMIVM

PRÆFATIO.

CAPVT PRIMVM.

Sitne liber Canonicus.

LIBRIS duobus prioribus, in quos iam edita sunt satis prolixa commentaria nostra, iam multa præfati sumus communia toti Pentateucho, qui cum illis, & Genesi, comprehendit quoque hunc nostrum, vt ferè vix supersit quid modò afferatur. Ne tamen qui in huius lectionem incurret, hæreat in ipso limine, aliorum fortasse copia destitutus, propria quædam, quantum fieri poterit methodo simili tradetmus. Auctoritas itaque canonica, & sacra libri istius, Ecclesiæ probatur definitione, conscribentis talium librorum catalogum: & communi consensu, præsertim Patrum, eo loco illum habentium: tum verò, quòd in authenticis libris Testamenti noui testimonia proferantur cum approbatione. Nam quod attinet ad vltimum argumentum, ipso vtitur contra Petrobrusianos Petrus [a] Cluniacensis; quia Christus diabolo tentanti respondit [b]; *Non [c] in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* ac deinde, *Dominum [d] Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sed fefellit Petrum memoria; cùm ex eodem libro nostro citatum illud [refer]t à Christo [e]; *Domus mea domus orationis vocabitur.* sunt enim verba Esaiæ [f], seu Dei apud illum. Tanti fuit hoc argumentum apud hæreticos, qui se appellari faciebant *Bonos homines*, vocabantque *Tolosates*, & *Albienses*; vt cùm priùs non reciperent legem Moysi, neque Prophetas, neque Psalmos, neque vetus Testamentum, neque Doctores noui Testamenti, nisi solummodo Euangel[ia], & epistolas Pauli, & septem Canoni[cas epis]tolas, & actus Apostolorum, & Apocalyp[sim]; tandem fassi fuerint, quia Christus, & cæteri [A]postoli ex vetere Testamento loca nonnulla [citau]erant, ea se admittere, non item alia. S[ic in] Concilio, quod refert ex Rogerio, illius [temporis] auctore, in annalibus Angliæ, Baro[nius, ...] arguebat Gilebertus Lugdunensis Episcopos, quòd si instrumentum, vel scriptum testimonium in aliqua parte sui creditur, debet totum credi, vel in nulla parte sui recipi. Præter illa, quæ Petrus Cluniacensis posuit, hæc alia sunt, quæ Christus ipse vsurpauit [a]. *Audi Israel, Dominus Deus tuus* (noster,) *Deus* (Dominus) *vnus est.* &c; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua* (ex tota fortitudine tua.) *Non [b] tentabis Dominum Deum tuum. In [c] ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Oculum [d] pro oculo, & dentem pro dente.* Christo proposita est à Sadducæis Moysi lex, vt si quis mortuus fuerit, non habens filium, ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo [e]. quam legem ipse non improbauit, sed obiicientibus respondit. In scriptis Apostolicis extant quædam ex allatis, & hæc præterea; *Deus [f] noster ignis consumens est* (Dominus Deus tuus, &c.) [g] *Deus personam hominis non accipit.* quod etiam in Christo suimet aduersarij probabant [h]. *Prophetam [i] suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me,* &c. *Maledictus [k] omnis, qui pendet in ligno. Maledictus [l] omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Non [m] alligabis os boui trituranti. Qui [n] in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt. Quis [o] ascendet in cælum, aut quis descendet in abyssum? Prope [p] est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Ego [q] ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. Mihi [r] vindicta, ego retribuam.* Georgius [s] Ederus, ex Antonio Fonseca [t] Caietani interprete, eam huius libri maiestatem ait esse, vt in nouo Testamento quinquagies, & eo amplius adferatur. In margine loca præcipua indicantur à nobis. Sed & in aliis Testamenti veteris libris nonnunquam quædam recitantur ex eodem isto libro depromp-

pta

Libri auctoritas.

[a] ... cō... b Matt. 4. 4. Luc. 4. 4. c Deut. 8. 3. d c. 6. 13. Matth. 4. 10. Lucæ 4. 8. Hæretici Boni homines, Tolosates & Albienses dicti. a Matth. 21. 13. Marc. 11. 17. Lucæ 19. 46. f c. 56. 7. ... tempore 12. ... 1176.

a Matt. 22. 37. Luc. 10. 27. Mar. 12. 29. 30. Deuter. 6. 4. 5. b Matt. 4. 7. Lucæ 4. 12. Deut. 6. 16. c Matt. 18. 16. Io. 8. 17. 2. Cor. 13. 1. Heb. 10. 28. Deut. 17. 6. c. 19. 15. d Mat. 5. 38. Deut. 19. 21. e Matt. 22. 24. Mar. 12. 19. Luc. 20. 28. Deu. 25. 5. 6. f Hebr. 12. 29. Deut. 4. 24. g Actu. 10. 34. Rom. 2. 11. Galat. 2. 6. Ephes. 6. 9. Coloss. 3. 25. Iac. 2. 1. 1. Petr. 1. 17. Deut. 1. 17. h Matt. 22. 16. Luc. 20. 21. i Act. 3. 22. 23. Deut. 18. 15. k Galat. 3. 13. Deu. 21. 26. l Gal. 3. 10. Deuter. 27. 26. m 1. Cor. 9. 9. 1. Tim. 5. 18. Deut. 25. 4.

n 1. Cor. 9. 13. Deut. 18. 1. o Rom. 10. 6. 7. 8. Deut. 30. 12. 14. p Rom. 10. 8. Deut. 30. 14. q Rom. 10. 19. Deut. 32. 21. r Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30. Deut. 32. 35. s Œcon. bibli. lib. 4. tab. 59. t Præfat. in Penta. ad Caiet. commen.

pta [a] sub nomine legis, aut legis Moysi, aut libri legis Moysi, aut voluminis, vt videre est in locis annotatis ad marginem, & aliquando exprimendo nomen cantici, seu protestationé cantici Moysi [b], quod canticum extat in c. 32. quæ vltima ratio vim habet apud illos, quibus dictorum aliorum auctoritas canonica, & sacra est.

a Iosue 8. 3. 4. ex Deut. 11. 24. ex c. 31. 4. 23. Iosue 8. 31. ex Deut 27. 4. Iosue 11. 15. ex Deut. 7. 1. & seq. Ruth 4. 7. ex Deut. 25. 7. 3. Reg. 8. 29. ex Deut. 12. 11. 3. Reg. 9. 9. ex Deut. 29. 24. 4. Reg. 14. 6. 2. Paral. 25. 4. ex Deut. 24. 16. 1. Esdr. 9. 11. ex Deut 7. 2. 3. 2. Esdr. 13. 1. ex Deut. 23. 3. Ierem. 22. 8. ex Deut. 29. 24. Ierem. 34. 13. 14. ex Deut. 15. 12. Baruch 3. 2. 3. ex Deut. 28. 53. Baruch 2. 36. ex Deut. 26. 15. Baruch 2. 25. 29. ex Deut. 28. 15. Dan. 9. 11. & seqq. ex Deut. 27. 14. & seq. 3. Mach. 3. 56. ex Deut. 20. 5. 6. 2. Mach. 2. 4. ex Deut 34. 1. 2. Mach. 2. 17. 18. ex Deut 30 3. 2. Mach. 7. 6. ex Deutero 32. 36. 3. Mach 11. 40. ex Deut. 7. 25.

b 2. Mach. 7. 6.

CAPVT II.

De Auctore.

REIICIT meritò, quem paulo antè nominaui, Georgius Ederus [c] post Comestorem, Hugonem, Lyranum, Abulensem, Rickelium, duas hac de re sententias; quòd Moyses librum istum non scripserit, sed dictauerit tantùm, & verba eius postea Iosue, aut alij ex memoria repetita, in vnum volumen collegerint: quia in principio nullius scripti, sed verborum dumtaxat Moysi, & in fine mortis Ipsius fiat mentio: vel quòd Esdras & principium scripserit, & finem, reliqua Moyses. Sentit verò cum cæteris omnibus, excepta narratione de morte Moysi sub finem libri, omnium, quæ libro hoc continentur, Moysem auctorem ac scriptorem fuisse. Profert ex c. 31. [d] *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Leui*, &c. item [e], *Scripsit ergo Moyses canticum*, &c. præterea [f], *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit tibi contra te in testimonium.* Adnce, quòd in Iosue [g] quiddam citatur, vt scriptum in volumine legis Moysi, quod etsi extet etiam in Exodo [h], habetur etiam in libro nostro [i], qui comparatione aliorum librorum Pentateuchi, vocari solet lex Moysi, vt postea dicetur. In 4. Regum [k], & 2. Paralipomenon [*] exprimitur liber legis Moysi, qui est præsens [l]: in quo præceptum sit, vt non morerentur patres pro filiis, viceque versa. In 2. Esdræ [m] nominatur volumen Moysi, in quo scriptum habeatur, nempe in isto [n], quòd non debeant introire Ammonites, & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum. Baruch [o] comminationes diuinas memorat ex lege Moysi, hoc est, ex c. 28. [p] libri nostri, vt manducaret homo carnes filij sui, & filiæ suæ, & alias: item Daniel [q] ex libro Moysi [r]. Mentio quoque nominatim fit in 2. Machabæorum [s] de Cantico Moysi, prolato versu vno, ex c. 32. [t] Tandem sub nomine seruorum Dei Prophetarum in 1. Esdræ [u] citatur locus ex c. 7. [x] Iubetur in c. 17. [y] Rex describere sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus tribus Leuiticæ; atque in libro Iosue [z] illi præcipitur, vt non recedat volumen id ab ore ipsius: & quòd ipse scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israël [a]. Obiectionibus occurrunt citati auctores. Primùm loqui de seipso Moysem in tertia persona, vt & in aliis præcedentibus libris Exodi, Leuitici, Numerorum, quod ipsimet annotauimus; ad eum modum, quo Ioannem [b] Apostolum, & Iob [c]. *Sic enim*, ait Glossa, *vitatur arrogantia; & demonstratur vitanda.* Deinde narrationem de morte Moysi in fine capitis, aut ab eodemmet scriptam spiritu prophetico; vt velle videtur Philo [d], Iosephúsque [e], aut potiùs adiectam à Iosue, alióve aliquo, vt ab Esdra. Illa certè verba vltimi capitis [f], *& non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem: & non surrexit vltrà Propheta in Israel, sicut Moyses.* indicant maiorem quamdam temporis distantiam, quàm fuerit inter ipsum, & immediatum eiusdem successorem. Qua de re suo loco. Postremò nihil referre respondent, quòd non scripsisse dicatur, sed locutus: quoniam eadem formula de multis, quæ in Exodo, Leuitico, Numeris traduntur, habetur, quæ à Mose scripta nullus dubitat. Tribuit Hieronymo Magister historiæ Scholasticæ, Petrus Comestor, saltémque scribit, quòd videatur velle magnam huius libri partem à Iosue scriptam esse. Id equidem reperire apud illum nequeo, nec in epistola 103. vbi de libris sacris ordine agit, nec in 104 quæ de Pentateucho est, nec in 127. cùm disserit de mansionibus, in quarum postrema mentionem facit Deuteronomij.

c sup. lab. 56. d ver. 9. e ver. 22. f ver. 26. g c. 8. 31. h c. 20. 25. i c. 27. 4. k c. 14. 6. * c. 25. 4. l c. 24. 16. m c. 13. 1. n 23. 3. o c. 2. 2. 3. 78. p vers. 15. ac seqq. & 53. q c. 9. 11. r Deut. 27. 14. s c. 7. 6. t vers. 36. u c. 9. 11. x vers. 3. y vers. 18. z c. 1. 7. a c. 8. 32. b Io. 13. 23. c. 18. 15. c. 19. 26 27. c. 20. 2 3. 4. 8. c. 21. 7 20. 24. 1. epist. 1. 1. c c. 1. 1. d 1. de vita Moysi. e 4. antiq. c. vlt. f vers. 6. 10.

CAPVT III.

Quis titulus.

PRÆTER titulum à primis libri vocibus Hebræis, more aliorum librorum sumptum, id est, אלה הדברים *elleh hadebarim*, cómune, ac tritum est *Deuteronomij*: quod ex Græcis constat nominibus δεύτερος, & νόμος, quasi dicas *secundam legem*, siue, vt exponit Athanasius [a], Augustinus [b], Hieronymus [c], *secundam legem*, legisve iterationem, quod alij postea secuti sunt, vt Beda, Comestor, Rupertus, Hugo, &c. necnon auctor de mirabilibus [d] Scripturæ apud Augustinum [e], & Isidorus [f]. Ratio nominis redditur; non quia sit in hoc noua lex, & propria Mosis, diuersa ab illa, quæ continetur libris prioribus, & Dei lex vocetur: eadem enim, ac vnica lex in Pentateucho est, qui etiam totus appellatur ab Hebræis תורה *thorah*, idest, *lex*, vt Comestor monet: sed quia est lex iterata, & priùs traditæ legis repetitio; *sic ea habens, quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia*, inquit Hieronymus, *de veteribus tamquam euangelicæ legis præfiguratio, & meditatorium Euangelij.* in quibus vltimis verbis insinuatur altera dictæ appellationis causa. Tertia verò, quia iussu Dei, vt ait Athanasius, de nouo Moyses. quæ hic extant, locutus est in terra Moab: quod probat ex his, quæ habentur c. 29. [g] *Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filiis Israel in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.* Idem attingit Procopius; simul quoniam à lege hic liber nomen habet, duodecim circiter legis tradens vel definitiones, vel descriptiones, lectu sanè dignas. Auctor incertus in catena Græca M S. quartam reddit, alias veluti reiiciens: quia alteri, ac nouæ generationi tradita est lex, cùm videlicet prior extincta esset in deserto, ἀνέμνησεν δευτερονόμιον οὐκ ἐπειδὴ μόνοις δευτεροῦται τὰ τοῦ θεοῦ, εἰ καὶ δευτεροῖ, ἀλλ' ἐπειδὴ τῇ δευτέρᾳ γενεᾷ τῇ μετὰ τοὺς ἀπολομένους ἰσραηλίτας εἴρηκας, τούτου χάριν δευτερονόμιον λέγεται. Quintá insinuat Theodoretus, ex occasione noui Principis, ac successoris Iosue: vt eo præsente, audienteque intelligeret nouus populus, quæ seruari oporteret. Sexta ex Iosepho [h] colligi potest, sed modestiæ Mosis repugnans; vt ex ea repetitione sempiterna apud Hebræos memoria dignus haberetur, perpetuúmque pietatis erga illos suæ relinqueret monumẽtum. Idem valet posteriorum Hebræorum Hebræum nomen משנה תורה *misneh thorah*, *iteratio legis, repetitiove, ac secunda lex.* Siquidem in c. 17. [i] libri

Deuteronomy etymon. a in Synopsi. b q. 49. in Deut. c epist. 103. & 127. mãsio. vlt. & 2. cont. Pelag. *Nominis ratio.* *Prima.* d lib. 1. c. 35. e tomo 3. f proœm. in lib. vet. test. & in comment. Deut. *Secunda.* *Tertia.* g vers. 1. *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* h 4. antiq. c. 6. vel 8. i vers. 18.

libri nostri, cùm præcipitur vt Rex describat sibi Deuteronomium legis in volumine, Græcè est vn cum nomen *δευτερονόμιον*, sed Hebraicè משנה התורה *misneh hathorah*, Chaldaice פתשגן אוריתא *pash gan oraitha*, *exemplum legis*, vulgò, *vna copia*, Gallicè, *vn double*, quod exprimit magis vim Hebrææ vocis משנה *misneh*. Præterea in libro Iosue [a], quòd is scripsisse dicitur super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel, iisdem vocabulis appellatur Hebraicè, atque Chaldaicè, sed Græcè in codicibus Complotensibus, ac Regiis τὸ δευτερονόμιον νόμον, *deuteronomium legem* appositiuè, quæ appositio parum apposita est, omittique potuit. Scriptos autem in illis lapidibus volunt aut libros quinque Moysi, aut librum nostrum integrum, aut Decalogum solùm, aut præcepta, quæ sunt in c. 6. eiusdem libri præsentis de Dei vnitate, amoréque; aut compendium legum Mosaicarum, quod constare aiunt præceptis 613. quorum affirmatiua sint 248. negatiua 365. aut benedictiones duntaxat, cum maledictionibus: aut cum vtrisque Decalogum. Placet Serario nostro [b] secunda opinio; & lapides duodecim satis grandes extitisse, ac in vnoquoque forsitan scriptos versus 87. in vno latere 43, ac dimidiatú, in altero totidem, qui versus omnes essent 1055. Sequitur Magalianus [c] item noster vltimam. Salianus [d] quintam, etsi solùm nominet summam quandam totius legis Moysi. Verùm hoc omisso, & nomine præterea משנה *misneh*, pro contextu Thalmudico: simile est nomini *δευτερονόμιον* nomen *δευτέρωσις*, quod adeò sæpe pro quasi secundaria lege, ac humana traditione Hieronymus [e] interpretatur, vt & *δευτερῶσαι*, traditionem eiusmodi docere, atque *δευτερωτὴν*, talis traditionis Doctorem. Quas voces cùm à Iudæis deriuatas dicat, vel illos intelligit Græcè loquentes; vel ob dictam illam Hebræam משנה *misneh* sicut & Doctores vocantur Syriacè תנאים *thannaim* ab eadem radice, sed mutato, vt fit, in ea lingua ש *scin* in ת *thau*. Mihi porrò probabile fit, scriptionem Deuteronomij, de qua duobus citatis locis mentio est, solùm de exemplari significari, quidquid tandem illud esset, quod scriberetur: quod sanè quo breuius, eo melius; ita vt non totus Pentateuchus fuisse intelligatur, ac ne integer quidem liber noster; sed quæ ab omnibus communiter, ac nominatim à Principe sciri conueniebat; cuiusmodi profectò non sunt adeò multa. Alia ratio de verbis legis, quæ in c. 31. [f] nostri libri narratur Moyses præter Canticum scripsisse in volumine, præcepisséque Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, vt librum illum ponerent in latere ipsius, vt esset ibi contra populum in testimonium. Nam quidquid fit de loco in area, de quo nonnihil aliàs dictum est, dicendúmque tempore suo erit adhuc commodiùs, non agitur ibi præcisè de solo Deuteronomij libro: quamsi aliis aliter videatur, vt Athanasio [g]: quemadmodum nec videtur certum quod asserit Chrysostomus [h], & idem Athanasius [i], & alij, librum qui repertus narratur à Saphan scriba sub Iosia in templo [k], fuisse Deuteronomium, quod idem Chrysostomus infossum refert, in sterquilinio. Hebræi cognominant זכרון הראשונים שלשלת הספרים *Zachron harischonim schelescheleth hassepharim*, memoriam rerum priorum, quæ in aliis scribuntur libris. Præterea ספר תוכחות *sepher thochachoth* librum reprehensionum, quia in eo populus duris obiurgatur verbis: licèt aliquanto iam mitior factus, verbóque Domini obedientior: cùm de-

functi essent omnes rebelles illi, qui ex Ægypto egressi fuerant ab annis viginti & suprà, nec vllis potuerant verbis, beneficiis, miraculis, plagis in officio contineri. Tandem Augustinus [a] libro isto Deuteronomij iuxta etymon Græci vocabuli, repetitionem iam traditæ legis contineri scribit magis, quàm aliquid aliud, pauca enim esse in isto libro, quæ non sint in aliis. Beda multis modis comparat librum nostrum cum Euangelio, quæ iam attigimus. Comparando autem cum præcedente libro ait, quòd ille prædicat doctrinam corporis, id est, immolationem victimarum, & de litera, & de præsenti bono, hic de anima, déque spirituali immolatione, ac futuro bono.

CAPVT IV.

Argumentum libri.

TITVLI præcedens declaratio quid in eo agatur, ostendit, vt nimirum priorum hic trium librorum Exodi, Leuitici, Numerorum quædam quasi repetitio contineatur, cũ maiore declaratione: præterea prolixius Moysi canticum: promulgatæ benedictiones, ac maledictiones per designatas tribus: benedictiones, quas Moyses pronunciauit sub mortem tribubus: inauguratio successoris Iosue: mors Moysi. Causam verò cur eadem repeti oportuerit iam etiam diximus, in primis fuisse, quoniam multi iuuenes, ac pueri erant eo tẽpore, quo ex Ægypto egressi sunt, ideóque non satis intellexerant præcepta initio tradita: nonnulli necdum etiam nati erant. Quia verò Leuiticæ tribus homines non comprehendebantur sententia illa, qua ingressus in promissam terram fuerat negatus iis, qui ab ætatis anno vigesimo, & suprà, egressi erant de Ægypto [b]: præterea, quia Leuitis lex peculiariter commendabatur, & ab iisdem intelligebatur, atque aliis declarabatur; illa verò pars legis, quæ ipsos attingebat propriè, saltem quantum ad aliqua, exercebatur ab iisdem: idcirco prætermittũtur ferè in hoc libro quæ ad ceremonias spectant; docentúrque populo communia, & necessaria. *Itaque si proprie*, inquit Caietani Scholiastes Antonius [c] Fonseca, *ad nostrum vsum librum hunc velis appellare, rectè appellaueris explanationem Decalogi, copiosissimam, & elegantissimam, ac Enchiridion, & compendium totius philosophiæ cælestis.* Nonnihil tamen ceremonialium, & iudicialium præceptorum inseritur. hócque libro Moses, vt scribit Athanasius, *δευτεροῖ καὶ διασαφεῖ, repetit, & declarat*, quæ in Exodo, Leuitico, Numeris extant *νόμιμά τε, καὶ δικαιώματα, καὶ προστάγματα*. Quamuis autem in eo sit repetitio præcedentium quatuor librorum; tamen in se multa propria continet, inquit Beda. Licèt etiam videantur hic aliqua prædictis inesse contraria in superficie verborum, in intellectu tamen, vt ait Comestor, nulla est. Iuuat repetitio, ac iteratio ceremoniarum, aliorúmque præceptorum, vt idem Comestor, Hugóque admonent, ad commendationem memoriæ, prædictorúmque confirmationem beneficiorum Dei, ad roborandam dilectionem in ipsum; flagellorum, quæ populus sustinuerat ob murmurationem, ad incutiendum timorem. Addit Hugo, distinguens quasi octo partes libri, multa breuiter hic recolligi, & suppleri quædam: hoc autem pacto Euangelium præfigurari, quòd imperfecta legis

[a] c. 8. 32. (Iosue)
[b] ibid. q. 20.
[c] ibid. annot.
[d] tom. 2. anal. anno Iosue 120. num. 192.
[e] in Esa. 8. 10. 59. Ezec. 36. Osee 3. Abac. 1. Matth. 22. Epist. ad Algasiam, catalo. script. in Papia, & epist. ad Damas. 143.
[f] ver. 24. & seqq.
[g] in Synopsi.
[h] hom. 9. in Matth. & hom. 7. in 1. Corint.
[i] epist. ad Marcellin. de interp. Psal.
[k] 4. Reg. 22. 8.

[a] q. 49. in Deut.
[b] Num. 14. 29.
[c] introd. ad pentat.
Euangelij præfiguratio.

legis suppleret; quod vtile est, dignum esse vt repetatur, quemadmodum Paulus [a] monuit, dicendo, eadem scribere, sibi quidem non pigrum, aliis autem necessarium. per hoc etiam duritiam Iudæorum condemnari, qui toties dicta non intellexerunt. Rupertus ait omnes veluti accusari, adhibito trium testimonio, atque quodammodo iam tertiò conueniri, vt idem met Apostolus [b] loquitur, dum post legem scriptam scripsit Moyses Deuteronomium, ac deinde Deuteronomij canticum, ita vt non habeant excusationem de peccato suo. Petrus [c] Aureolus anumerans libris præcedentibus, vocansque omnes quinque, partem Scripturæ politicam, & legislatiuam, ita, vt in Genesi tractetur de qualitate Dei legem iniungentis, describendo eius omnipotentiam in creando, salutem tempore diluuij (quidni etiam iustitiam?) beneuolentiam erga Patriarchas præstitam: in Exodo de qualitate famuli legem proponentis, id est, Mosis: in Leuitico, & priùs in Exodo à c. 19. de qualitate cumuli legem continentis, hoc est, de multitudine præceptorum: in Numeris de qualitate populi legem admittentis, recensendo numeros diuersos pugnatorum, rerum oblatarum, ministrorum sacrorum, exploratorum, peccatorum, cum Core, &c. atque fornicatorum, genitorum de nouo in deserto, mansionum, ciuitatum refugij: post illa, inquam, de quatuor libris aliis, docet in hoc nostro agi de breuitate epilogi legem continentis, ponendo epilogum laboris, & itineris, præceptorum iudicialium, & moralium: multitudinis promissorum pro legem obseruantibus, afflictionum verò pro transgredientibus; prædictionum de rebus futuris. Tunc addit videri arguere hunc librum, quòd nullus possit excusari ab obseruantia legis clarè expositæ, & breuiter declaratæ, post suam diffusionem in prioribus libris. Hinc intelligitur, cur in Pentateucho locum quintum deberi Deuteronomio. Ordinem istum attendit Beda [d] in illa Psalmi 18. sententia [e]: *lex Domini immaculata*, &c. vt Genesi conueniat esse legem immaculatam conuertentem animas; quoniã enunciat omnia Verbo Dei esse creata, quæ ideirco lex est, & in illa conuersio animarum intelligitur à vita ad mortem in Adam, à morte ad vitam in Noë: Exodus sapientiam præstare paruulis dicatur, adimplendo quod Abraham, Isaac, & Iacob de terra repromissionis Deus promisit; omnes enim Dei comparatione paruuli sunt: Leuiticus præceptum lucidum, illuminans, discernendo inter munda, & immunda: Numerorum liber iudicia Dei vera sint, maximè in prophetia Balaam, & in benedictionibus, maledictionibusque: Deuteronomium verò, quia nomen lex interpretatur, sit Euangelium totum. Glossa in prothemate comparat hunc librum eum fasciculo myrrhæ [f]: quia terminata lege, quæ peccatorum corruptioni medetur, in quatuor voluminibus prioribus, ramusculorum in eo est quædam collectio, & quasi complementum Euangelij: vt propterea etiam dilectus dicatur Christo, veluti gestatus ab ipso, qui erat simul verbum abbreuiatum, seu abbreuians & consummans, aut cõsummatio, abbreuiat [g] quæ quemadmodum à Rege, seu Principe gestari Deuteronomij liber debebat [h]; idemque Christus legem impleuit [i], & suppleuit. Recitaui præfatione libri [k] Numerorum carmen Theodulphi Aurelianensis Episcopi de argumento Pentateuchi, quod ipse Bibliis præfixisse fertur. Ex eo ad nostrum hi versus pertinent:

Post repetit (Moses) legem, populo benedicit, & alma
Iura dat, ac dicto carmine victor abit.

CAPVT V.

Quo tempore, ac loco quæ scribuntur hoc libro dicta sint.

PERTINET hic liber totus, vt etiam docet Hieronymus [a], ad annum quadragesimum, siue vltimum egressionis ex Ægypto, immò ad vltimos duos menses eius, & ad ipsammet postremam mansionem, licèt res, quas narrat, contigerint locis, ac temporibus diuersis. Hoc apertè præferunt prima eiusdemmet libri verba, in quibus assignatur locus, solitudo campestris citra Iordanem è regione maris rubri inter Pharan, Thophel, Laban, Haseroth: & quadragesimus annus, mensisque vndecimi prima dies, cùm iam occisi essent Reges Amorrhæorum Sehon, & Og, ipsorúmque terræ occupatæ. In Hebræo Chronico est, apudque Genebrardum in suo, à primo die Sabath, vsque ad sextũ mensis sequentis Adar, siue Februarij, per sex & triginta dies, explanatam à Moyse legem vniuersam. Qua in se à vero discrepat Iosephus [b], eúmque sectans Adrichomius [c], totam hanc legis expositionem factam affirmantes, quando triginta solùm dies superessent de anno quadragesimo migrationis, diéque primo Februarij (quod ait Adrichomius) incepisse: qui mensis tamen, vtplurimum apud Hebræos erat duodecimus, non vndecimus. Absurdiùs loquuntur, qui diebus vndecim id factum dicunt à Moyse, inter eundem ab Horeb in Cadesbarne. Nondum natus erat nouus populus, qui doceri posset: locúsque in quadragesima secunda, seu vltima mansione fuit, vt postrema præcedentis libri verba significant, videlicet in campestribus Moab, quæ in istius c. 4. [d] dicitur vallis contra fanum Phogor in terra Sehon, & à Iosepho [e], vbi suo tempore visebatur oppidum Abila, habens agrum palmitibus consitum. Quare nomina locorum, quæ paulo antè retuli in initio libri nostri, non conueniunt particularibus vel vrbibus, vel montibus in campestribus illis Moab, in quibus campestribus postrema mansio fuit, & dicta legis explanatio; etiamsi ita existiment Lyranus, Rickelius, Caietanus, & alij: quia mare rubrum longiùs distabat, & Haseroth fuerat locus mansionis decimæ quartæ. Erant potiùs eadem illa nomina mansionum aliarum, partimque aliorum locorum, per quæ populus transierat, & in quibus Moyses aliqua dixerat, quæ populo nouo hic tradit. Quocirca sensus, ac mens Moysi est in recensione dictorum locorum, vt repetat, quæ variis iis in locis vel euenerant, vel dicta fuerant, tam iuxta mare rubrum, quàm in solitudine Pharã: quæ solitudo diuiditur in alias partiales, vt Haseroth, Thophel, Laban, Dizahab, (pro quo Interpres *aurum multum* transtulit) & erant forsitan vocabula diuersarum mansionum, præter illa, quibus expressa sunt in libro priore; vbi de hac pluralitate nominum eidem loco tributorum admonuimus. Quia verò Moyses expositionem suam orsurus erat à digressu montis Horeb versùs Cadesbarne, obiter notat viam illam esse vndecim dierum, quamuis multo plures Hebræi posuerint in eo itinere, vt liquet ex mansionibus decima tertia, & decima quarta. Hæc omnia

Margin notes:
[a] Philip. 3. 1.
[b] 1. Cor. 13. 1.
Omnes libri Mosis, pars Scripturæ politica, & legislatiua.
[c] in comp. com. Script. diuision. primæ part. Script.
[d] in Leuit. initio.
[e] vers. 8.
Deuteronomium fasciculo myrrha comparatũ.
[f] Cant. 1. 13.
[g] Esai. 10. 22. 23. Rom. 9. 28.
[h] Deut. 17. 18. Iosue 8. 31.
[i] Matt. 5. 17.
[k] c. 7.
[a] epist. 127. mansio. vlt.
[b] 4. antiq. c. 6.
[c] in thea.
[d] vers. 46.
[e] 4. antiq. c. 6. vel 8.

omnia Salianus [a] noster post Abulensem, cum Rabbinis citatis ab Abulense, póstque Zieglerum, quem profert, ac sequitur Fonseca Scholiastes Caietani, & Tornellum [b] tradit: quibus addendus Oleaster, mihique placent. Quæ præterea comprobantur à Chaldæo Paraphraste ad initium libri: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses cum omni Israel trans Iordanem. Corripuit eos, eò quòd peccauerunt in deserto, & quia irritauerunt Deum in campestribus, contra mare rubrum, & in Pharan, vbi murmurauerunt aduersus manna, & in Haseroth, vbi irritauerunt Deum super carnes, & in eo quòd fecerunt vitulum aureum.* Repetuntur videlicet hîc à Moyse illa omnia, quæ in iis locis contigerunt. Cæterùm si agatur de scriptione legis, quam in hoc libro [c] narratur dedisse sacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israël, Iosephus [d], Vatablus, Sà, & alij, per tempus plusquamperfectum. Sed Genebardus [e] ex Misna Hebræorum refert Mosem paulo ante mortem exarauisse in membranis tredecim Pentateuchum à primo vsque ad vltimum legis elementum: & vnum cuius duodecim tribuum seruandum dedisse, Leuitis decimum tertium; quod vltimum deinde tabernaculo inclusum fuerit, postea Salomonico templo: tempore autem Iosiæ Regis inuentum inter templi ruinas. Atqui vt id accipiatur, Deuteronomij vox, quemadmodum nuper dixi, Pentateucho toti conuenit, ac totus hic appellari potest secunda lex per comparationem ad tabulas lapideas, continentes Decalogum, cuius in quinque libris Mosis expositio continetur; sed præcipuè in libro, cui Deuteronomij nomen attributum est. Siue autem reipsa paulo ante mortem duntaxat, siue aliquamdiu antè, scripti sint libri omnes quinque, aut liber Deuteronomij peculiariter, ad rem nostrã tantùm facit ipsa contentorum in libro præsenti pronunciatio; quam iam priùs diximus factam à Mose non multo ante mortem: quamuis etiam non desint qui de scriptione solius Cantici eiusdem prolixioris, velint intelligi, in quibus est noster Mariana [f]: quod suo tempore disquiretur.

[a] in annal. anno Mosis 120. num. 151. & seqq.
[b] in annal. 3. egressionis.
[c] c. 31. v. 25. 26.
[d] 4. ant. c. 8. & lib. 3. c. 9.
[e] in chron.
Deuteronomij vocem toti Pentateucho conuenire.
[f] in Deut. 31. 24.

CAPVT VI.

Vnde sumi debeat libri principium.

QVÆSTIONI occasionem præbet Oleaster, negans initium libri huius inde sumendum, vnde nunc sumitur, sed ab illis verbis versus 3. *Quadragesimo anno, vndecimo mense, &c. quoniam populus*, inquit, *expletis quadraginta annis incepit possidere terram: priorum autem duorum versuum verba præcedentibus alterius libri Numerorum cohærent, & ad ea, quæ ibi dicta sunt, pertinere videntur.* Non est tam liberè promendum, aut etiam concipiendum de rebus eiusmodi iudicium. Nam licèt, vt noster ostendit Serarius [g], post nostrum item Salmeronem [h], Genebrardum [i], Sixtum Senen. [k] Pamelium [l], nósque ipsi loco aliquo docuimus, diuinæ Scripturæ tam in Testamento nouo, quàm in vetere distinctio per capita, & versiculos multo magis, olim nulla fuerit, immo lex tota vnico *pasuk* contenta, teste Aria Montano [m], & Elia Leuite [n], quod Caiet. etiam hoc loco notat: nec paulo vetustiores Patres citant, quando quid afferunt ex sacris literis caput vllum cum certo numero (de Psalmis est alia ratio, qui etiam citantur in Testamento nouo [o], indicando numerum,) sed commoditatis causa sectio facta sit in titulos, capitula, versiculos, quisquis auctor primus extiterit, siue Hugo Cardinalis, siue alius: præterea quamuis omnis hæc diuisio auctoritatem Canonicam non habeat, quia nec à Canonicis facta scriptoribus, & vt modò est, haud adeò magnam habeat antiquitatem: nihilominus quam nunc omnes recipiunt, nemo immutare debet. Illud adiungi potest cum Salmerone, quem sequitur Serarius, posse nos interdum, si ratio, & auctoritas patrocinentur, præcedentia superioris capitis verba cum prioribus sequentis connectere, sique meliorem, ac solidiorem sensum præ se ferant, explicare, & vel priori, vel sequenti capiti eiusmodi verba tribuere, atque applicare. Porrò cùm prioris libri vltimus versus talis sit: *Hæc sunt mandata, atque iudicia, quæ mandauit Dominus per manum Moysi ad filios Israel in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.* non ita verisimile est, ad idem spectare contenta initio libri nostri, *hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses*, &c. vsque ad versum tertium: sed ne inutiliter videatur idem repeti, sunt præfationis cuiusdam loco ad sequentem totius legis repetitionem, à qua libro titulum inditum Deuteronomij antea dictum est. Idem affirmare quis posset, non minore forsan iure, de Leuitici, & Numerorum libris: illius exordium reuocandum ad Exodi finẽ, alterius ad Leuitici, quàm quod Oleaster asseruit de hoc nostro, quia incoat Leuiticus: *Vocauit autem Moysem, & locutus est ei Dominus.* liber Numerorum: *Locutúsque est Dominus ad Moysem*, &c. vbi vtroque in libro extãt particulæ connectẽtes.

[g] Proleg. bibl. c. 26. q. 9. & seqq.
[h] tom. 1. proleg. can. 22.
[i] in Chron. anno 1243.
[k] 3. Bibl. de patrr.
[l] in Tertul. lib. cont. Gnost. c. 2. n. 20.
[m] in Esa. 34.
[n] Præfat. in Masoreth.
[o] Act. 13. 33.

CAPVT VII.

De differentia istius libri à præcedentibus tribus quantum ad personam, quæ loquitur.

DE hoc admonet Caietan. & valet ad cõfirmandum id quod proximè antè definiuimus aduersus Oleastrum, libri nostri exordium rectè constitutum esse: nec primos versus duos reiiciendos ad librum præcedentẽ. Cùm immediatè antè scripsisset Moyses, ait Caiet. hoc est, in fine prioris libri: *Hæc mandata, atque iudicia locutus est Deus*, siue *Dominus, in manu*, siue *per manum Mosis, ad filios Israel, in campestribus Moab supra Iordanem, contra Iericho*, ad differentiam illorũ, subiungit hîc ista verba quę locutus est Moses. Ac si apertiùs dixisset, prædicta mandata, atque iudicia locutus est Deus in manu Moysi, quemadmodum, & reliqua hactenus scripta mandata à Deo, quæ autem subiunguntur, sunt ea quæ Moses instruendo populum locutus est. Itaque significatur primùm disparitas loquẽtis. Nam hactenus Deus locutus est, & Moses tanquam Dei interpres fuit: in subiunctis verò, quę apud nos quintò libro cõtinentur, Moses tãquam Doctor loquitur. Et propterea significãtiùs in prima demõstratione dicitur; *hæc quæ præcepit* יהוה *Iehouah in manu Mosis.* in hac autem secunda demonstratione dicitur, *hæc verba, quæ locutus est Moses.* Rursus in prima demõstratione dictum est, *mandata, & iudicia* hîc verò dicitur, *verba*, quoniã Doctoris non est præcipere, sed declarare. Hæc omnia ex Caietano, possétque quod vltimo ait loco probari verbis primi capitis [a]. *Cœpítque Moyses explanare legem, & dicere.* Hęc ita quidem se habent; verùm cauendus, quem Comestor non dubitat errorem appellare, aliíque

[a] vers. 5.

post ipsum, ne propterea duplex distinguatur lex, vna, quam dederit Deus, & in præcedentibus libris contineatur; altera data a Moyse, quæ in hoc libro. Pentateuchus vna lex est, inquit Comestor, & ab Apostolis, atque aliis vocatur *lex Moysi* sæpius, quàm *lex Dei*. Hebræus etiam nominat hos quinque libros תורה *thorah*, id est, *legem*, nec ad aliud dicitur hic liber *lex secunda* (quod valet vox *Deuteronomy*) nisi, quia prædicta (videlicet in aliis præcedentibus libris, maximè Exodi, Leuitici, Numerorum) hîc iterantur, quasi lex iterata. In vetere Testamento nunc appellatur *lex Dei*, siue [a] *Domini*, aut *Altissimi*, *& Excelsi*, nunc *Moysi* [b]: in nouo aliquando priore modo [c], nonnumquam posteriore [d], & quidem plerumque cùm indicantur loca ex aliis etiam libris, quàm ex Deuteronomio, in quo tamen simul nominatur *lex Domini*, cognominaturque *ignea* [e]: cùm alioquin in eodem magis frequenter dicatur Moses explanator legis [f], propositor [g], scriptor [h], præceptor [i]; quemadmodum & aliis in locis, scriptor [k], traditor [l], dispositor [m], digestor [n]. Item alibi scribitur legem ipsi Moysi à Deo præceptam [o], ab ipso Mose mandatam [p], datam per ipsum [q], &c. De eadem re Græcus Auctor innominatus in Catena M S. notat: ne quis putet Deuteronomium vocari, quia Moyses in hoc loquitur, quæ Dei sunt: εἰ γὰρ τοῦτο ἦν αἴτιον ἱκανὸν, καὶ τὰ ἄλλα βιβλία ταύτην ἔχειν τὴν ἐπιγραφὴν: δεῖ γὰρ ἀποκάλυψιν μικροῦ πάντα μωσαϊκά. *Si enim hoc esset, nihil prohibebat, & alios libros hanc habere inscriptionem, quia Dei reuelationem parum abest quin contineant omnia Mosaica.*

a Leu. 4. 22. 27. c. 5. 17. Numer. 30. 17. Ios. 22. 4. 5. c. 24. 25. 4. Reg. 20. 31. c. 22. 11. 1. Paral. 16. 40. c. 22. 12. 2. 5. 10. c. 12. 1. c. 17. 9. c. 31. 4. c. 34. 14. c. 35. 26. 1. Esd. 7. 10. 12. 21. 25. 26. c. 10. 3. 2. 2. 1. 8. c. 10. 28. 29. Tobiæ 1. 8. Psal. 1. 2. ps. 18. 8. ps. 36. 31. ps. 118. 1. & seqq. Eccl. 19. 21. c. 23. 33. c. 38. 39. c. 39. 11. c. 42. 2. c. 44. 10. c. 46. 17. Esa. 1. 10. c. 30. 9. Ier. 8. 8. Baruc. 4. 12. Osee 4. 6. Amos 2. 4. 1. Mach. 1. 53. 68. c. 2. 15. c. 4. 42. 2. 2. 4. 2. 17. c. 6. 1. 23. c. 7. 2. 11.
b Ios. 8. 31. 32. c. 23. 6. c. 24. 25. 3. Reg. 2. 3. 4. 14. 6. c. 23. 25. 2. Par. 23. 18. c. 25. 4. c. 30. 16. c. 31. 3. 1. Esd. 3. 2. c. 7. 6. 2. 2. 8. 1. c. 10. 34. 36. Tob. 7. 14. Eccl. 24. 33. Baruc. 2. 2. Dan. 9. 13. c. 13. 62. Malac. 4. 4.
c Luc. 2. 23. 24. 27. 39. Rom. 7. 22. 25. c. 8. 7. 1. Cor. 9. 21.
d Luc. 2. 22. Mat. 12. 28. Io. 7. 23. Act. 13. 38. c. 15. 5. c. 28. 23. 1. Cor. 9. 9. Hebr. 10. 28.
e Deu. 33. 2.
f c. 1. 5.
g c. 4. 8. 44.
h c. 31. 9. 24.
i c. 33. 4.
k Exo. 24. 4. 12. c. 34. 28. Deut. 31. 9. Ioan. 1. 45. c. 5. 46.
l Iosu. 22. 4.
m 2. Par. 33. 8.
n Ios. 8. 32.
o Ios. 1. 7.
p Ec. 24. 33.
q Ioa. 1. 17. r ps. 1. 2. s Prou. 7. 2. t vers. 3. u vers. 9. & c. 3. 3. x Prou. 7. 3. y c. 6. 4. z Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. 33. Luc. 10. 27. a Prou. 6. 20. & seqq.

CAPVT VIII.

De libri dignitate.

LIBRI præsentis dignitas, & vtilitas ex his, quæ hactenus dicta sunt, facilè perspici potest; quòd nimirum sit velut abbreuiatum verbum, præfiguratio nouæ legis, epilogus, ac summa, & quidem distinctior legis scriptæ, quæ prolixiùs, confusiùs, obscuriùs in prioribus libris tradita est; cúmque fasciculo myrrhæ à glossa comparatus, qui inter vbera nostra iugiter commorari debeat, meditando die, ac nocte in illo [r], seruando quasi pupillam oculi [s], ligando in digitis [t], in tabulis cordis [u] scribendo, vt cum Sapiente [x] monet Rickelius hoc loco. Quod ipsum in hoc eodemmet libro iustro [y], potissimùm quantum ad præceptum de Dei amore tam libenter à Christo citatũ, & laudatum [z] tantopere, támque exaggeranter commendatur. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedẽs in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebũtur inter oculos tuos, & scribes ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Quam sententiam idem Sapiens [a], huc profectò alludens, repetit ad hunc modum. *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimiseris legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum; cùm dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cũ eis*, &c. Vbi insinuantur bullæ indices nobilitatis, & amuleta gestari solita è collo, cura recentis memoriæ, more illorum, qui digitis quippiam illigant, vel artificio quodam terunt, quas recordari volunt; imagines in iis collocant, vel ipsis eorum, quos amant, impressas similitudines habentes, annulos inserunt, vt omittantur superstitiosa ineptaque Hebræorum phylacteria, seu membranæ, in quibus Decalogum describebant, digitísque circumplicabant. Lege de illis aliis rationibus Ferdinãdi Salazar nostri commentarium in indicata Prouerbiorum testimonia. Circa myrrhæ verò fasciculum priùs dictum obseruat Glossa, quinque tãtùm cubitis plantam illam excrescere, amarã esse, quoniam lex vetus nemini parcit, vt per Marah designatur: corruptionem autem cadauerum, vermiúmque, id est, peccatorum arcet. Ad idem facit, quod in prothemate apponit eadem glossa, quoniam manibus Regis legi ac gestari videbatur [a], tamquam fasciculus (myrrhæ [b] nimirum, vt antea dictum est) dilectus Christo, non tantum pro se, quantum, quia ostendit rotam in medio rotæ [c], id est, conuenientiam cum prioribus libris, & typum quemdam Euangelij. Præterea, quia hic ipse liber putatur poni ex eodẽ Dei præcepto debuisse in latere arcæ fœderis Domini [d], & in solemnitate tabernaculorum anno remissionis, post septem annos coram omni Israël recitari [e]. Attamen iam antea notatum est, videri nomen etiã ipsum Deuteronomij aliquando complecti plures alios libros, ac sic tantùm nominari, ad distinctionem Decalogi tabulis insculpti: perinde ac volumen legis, quod Moyses tantopere commendauit Iosue [f]: & quòd hic idem sub nomine Deuteronomij legis Moysi, quod ille digessisset coram filiis Israël, scripsisse narratur super lapides. [g] Sed & per singula sabbata legebatur in Synagogis aliquid ex lege, aliísve scripturis [h]. Alia laus est, quòd in hac explanatione breui, & lucida, quæque penè cunctorum, quæ sparsim dicta vel gesta sunt, recollectio est, magnam, multam, sollicitam, vt Rupertus [i] loquitur, vir mitissimus super omnes homines, qui morabátur in terra [k], dilectionem vbique spirat: scilicet ad hoc tendens, vt auditorum suorum ad Dominum erigat beneuolentiam, & tanta tamque diligenti per omnia suauitatis arte vtens, vt hoc maximè volumen de illis esse areolis non dubites, de qualibus in laude sponsi dictum est, *Genæ [l] illius sicut areolæ aromatum, quæ consitæ sunt à pigmentariis.* Totam quippe scripturæ huius areolam pigmentarius eruditus conserens, in eo est, vt lectorem visu, & odore trahendo delectet: vt pulchritudine beneficiorum Dei ad dilectionẽ ipsius cunctorum cõscientias inuitet. Pertinet & eodem inuẽtio, atque recuperatio, de qua [m] nuper Chrysostomum [n], atque Athanasium [o] retulimus, diuinitus esse factam affirmare; si de hoc solo libro intelligeretur, quem illi vocant Deuteronomium. Adhuc faceret ad commendationem libri huius non mediocriter, si quæ sub suam mortem optimus legislator in eo contenta pronunciauit, licèt non vno, aut altero solùm die, cùm sint tam multa, diuino planè miraculo populus omnis exaudiuit: quod admittunt Abulensis, Rickelius, Cornelius noster. De fœdere autem cum toto populo, quod sanciuisse scribitur, de nostris etiam Salianus [p], cum eodem Abulensi, quemadmodum contigisse narratur Antonio de Padua, Vincentio Ferrerio, nostro Xauerio, & aliis Apostolicis viris. Id nõ tam facilè concesserim; cùm nihil magnopere suadeat, nullaque ad hoc necessitas appareat, sed quod locutus hîc, aut alibi Moses scribitur ad omnem Israël, cõmodè posse intelligi aliàs annotauerimus, quod Caietan. quoque nunc admonet, vt id fecerit non immediatè per seipsum, sed per viros primarios, capitaque tribuum: vel vt ad omnes

Myrrha planta.

a Deut. 17. 18. 19.
b Cant. 1. 13.
c Ezech. 1. 16.
d Deut. 31. 25.
e vers. 10. & seqq.
f Ios. 1. 7.
g c. 8. 32.
h Luc. 4. 16. Act. 13. 27. c. 15. 21.
i lib. 1. in Deut. c. 3.
k Num. 12. 3.
l Cant. 5. 13.
m c. 3.
n Hom. 9. in Matth. & hom. 7. in 1. Cor.
o epist. ad Marcel. de interp. Ps.
p tom. 2. annal. anno Mosis 120. num. 156.

nes direxerit sermonem, quotquot interesse, ac exaudire potuerunt. Exemplum familiare, ac quotidianum est in edictis Principum, quæ per subordinatos magistratus cæteris innotescũt. In cap. quidem vigesimiseptimi primis verbis extat, quòd *præcepit Moyses, & seniores Israel populo*: & postea [a] quòd *Moyses, & Sacerdotes Leuitici generis dixerunt ad omnem Israel.* Quæ demũ de quinarij laudibus à Petro Bongo in opere de mysteriis numerorum afferuntur, & ab aliis, huc referri quodammodo possent: etiamsi toti Pentateucho, seu quinque libris Moysi cõueniant, quorũ noster ordine quintus est: quibus quinque simul libris aptãtur quinque panes hordeacei [b]: vt quemadmodum crescit hordeum ante triticum, & brutorum potiùs cibus est, sic se scripta lex habere videatur, cõparatione nouæ, & asperitatem, & duritiam habeat in litera, sed dulcedinem intus in mysterio spiritualẽ: item quinque lapides, quos de torrente sumpsit Dauid, sed eorum vno gigantem strauit [c], idest, vno præcepto caritatis, quo perficitur lex, & prauus amor interimitur: quinque etiam verba, quibus se Paulus [d] in Ecclesia loqui gloriabatur. Quod Apostoli tamen dictum applicant alij ad quinque sẽsus corporis; quidã, vt doctor in Ecclesia doceat credenda, agenda, vitanda, speranda, timenda: nõnulli volunt esse, quæ apud eundem recensentur postea; nempe psalmum, doctrinam, apocalypsim, linguam, interpretationem. Aliis placent quinque vulnera Christi; vel, vt oratio perfecta constet subiecto, prædicato, copula verbali, determinatione subiecti, determinatione prædicati. Quæ omnia, & his alia similia, vt iuxta sensum accommodatitiũ ferantur, literalis est de quàm paucissimis, breuissimis, maximè perspicuis, & vtilibus verbis, quæ opponũtur ab eodem Paulo decem millibus verbis, & longæ, obscuræ, inani orationi, quæ non intelligatur. Quamquam considerando circa quinarium sensus externos quinque, glossa hoc loco, & Hugo Card. eum assignant, vt minùs perfectũ, legi veteri, cui promissa, & data sunt terrena, quæ dictis sensibus subsunt, quaternarium Euãgelicæ, cui liber noster deseruiat, in nomine scilicet Deuteronomij, hoc est, secundæ legis in explanationis serie, quatenus multa breuiter colligit, & supplet quædam tamquam verbum breuiatum, quod fecit Dominus super terram [e], veniens legem non soluere, sed adimplere [f] in sui dignitate, quæ hactenus declarata est; vt proinde refectio quinque millium hominum in Euangelio [g] ad patres veteris Testamenti spectet, quatuor millium ad patres [h] noui. Rabanus post Bedam, & Isidorum, ait hoc libro contineri innumerabilia Sacramenta. Petrus Cellensis tractãs de panibus, ac seorsim in c. 11. de quinque hordeaceis, quos assignat vilioribus officiis stercorarij, lignarij, focarij, coqui, ancillæ pannorum lauatricis: Mosémque faciens lignarium, ait in Deuteronomio (alios enim panes aptat libris aliis Pentateuchi, hisque officia illa vil[i]a alia) tãquam de infinita beneficiorũ Domini sylua, collegisse ligna & enumerasse omnia opera Domini, & sua, & populi Israël: ad minus verò 155. distinctionibus capitulorum velut tignis & laquearibus omnia præcedentia populi ab exitu Ægypti recapitulare, & vnum librum tanquã domum vnam componere, vel etiam panem pro tali opere reposcere, id est, possessionem Chanaan tanquam panem triticeum in fine libri. Rupertus in c. 4. Matthæi attendit, quòd huius libri solius testimoniis Christus confutauerit diabolicas tentationes: quoniam sicut Deuteronomium secundam legẽ significat, id est, Euangelium; ita Christus erat veluti secundus Israël: & hic liber ferè nihil de ceremoniis cõtinet; sed de iustitia & caritate; cunctaque ferè ad personam numeri singularis familiariter dicuntur; quia Christus verè futurus erat vnus homo, verúsque Israël directus cum Deo; qui fideliter & perfectè cuncta persolueret quæcumque Deo debebat homo: & easdem tentationes, in quibus ille prior Israël pro parte reproborum inuentus est infidelis, & pro parte electorum repertus est vix parumper fidelis, ille sustinẽs inueniendus erat fidelis: ac in illo cõplenda fides conuentionis, *vt custodias quæ ego hodie præcipio, vt bene sit tibi.* Idem de citato Deuteronomio à Christo, notauit prior Hieronymus.

a vers. 9.

b Ioan. 6. 9. 13.

c 1. Reg. 17. 49. 50.

d 1. Cor. 14. 19. Raba. hic in præfat. Hieron. in præfat. ad bibl.

e Esa. 10. 22. Rom. 9. 28.

f Matt. 5. 17.

g c. 14. 21. c. 16. 9.

h c. 15. 32. c. 16. 10.

CAPVT IX.

De libri Enarratoribus.

IDem propemodum hîc dici potest de libri nostri istius enarratoribus, quod in præfatione ad Leuiticum, Numerósque dixi, præsertim ad posteriorem librum. Fabianus Iustinianus in commentario de sacra Scriptura [a], & in Indice vniuersali recenset, præter eos, qui scripserunt in totam Scripturam, vel in Pentateuchum, & satis noti sunt, quibus adiungendus Ioãnes Mariana noster, qui haud ita pridem prodiit, Petrus Vincentius de Marzilla, & Leonardus Marius, nonnullos, quorum habere copiam non potui, vt Brunum Ligurem, Gregorij Nysseni enarrationem, Cyrilli Alexandrini sermones, Gulielmum Herbet, Gulielmum Staphilart, Iacobum Lausanensem, Ioannem Viterbiensem, Ioannem Ferum, Osbertum Claudianum, Thomã Deckingam, Tryphonem de Vacca Ruffa. Idem tamen scribit, nullũ, quod ipse quidem sciat, exactè scripsisse adhuc in istum librum, sicut nec in priorẽ, id est, Numerorum, præter Patres, & Commentatores, qui in totã Scripturam scripserunt. Brunus Ligur idẽ dicitur à Posseuino [b] nostro, qui Episcopus Signinus, cuius non nisi manuscriptus extet cõmentarius in Deuteronomium, vt & in Leuiticum, & Numeros. Ex aliis non nominat Posseuinus Ioannem Viterbiensem. Trypbon autem, cui Fabianus cognomen tribuere videtur Vacca Ruffa, iudicio eiusdẽ Posseuini [c], non ita cognominabatur, sed auditor Origenis erat, opusculúmque inter alia composuit de Vacca Ruffa in Deuteronomio, & de dichotomematibus, quæ cum columba, & turture Abraham ponũtur in Genesi. Irrepsit error in Posseuinũ, & Fabianum, vt scriberent, *in Deuteronomio*, cùm Hieronymus, cuius sunt illa, quæ ipsi referunt, vocans eundẽ in Scripturis eruditissimum, & ad quem nonnullæ Origenis extent epistolæ, scribat, *in Numeris*, in quo libro traditur de Vacca Ruffa, non autem in Deuteronomio. Inter Gregorij Nysseni opera, quæ tomis duobus Græcè, & Latinè nuper euulgata sunt, enarratio in Deuteronomium non extat, nec Posseuinus, aut Bellarminus, aut alius, qui Scriptorum catalogum composuit, id ei opus tribuit. Cyrilli Alexandrini sermones propriè in librum Deuteronomij adhuc non reperi, sed in glaphyris, seu commentariis in Pentateuchum editis nuper vtraque lingua & Græca, & Latina ab Andrea Scotto nostro, nonnulla ad Deuteronomium pertinentia, in quo opere toto quæ in vetere Testamento figuratè dicta sunt, ad Christum, & Eccle-

a libro 3.

b in apparatu sacro, verbo Brunus.

c verbo Trypbon.

siam nostrã refert, vt Nicephorus [a] testatur. Scribit porrò Rabanus in hunc librum, se cuiuspiam explanationẽ propriè non inuenisse, idcirco necesse habuisse, vt perfectis anterioribus librorum expositionibus, inde ad huius libri enodandas quæstiones assumeret facultatẽ, atque hoc ipsum operosa indigere solutione, scilicet quòd secunda lex dicatur, & Euangelicæ legis præfiguratio. Sic habena ea, quæ priora sunt, vt Hieron. loquitur, vt tamen noua sint omnia, & ita historialiter ordinanda sint vetera, vt spiritaliter omnia demonstrentur noua, & legis per figuram patefiat litera, quæ sacer Euangelij textus in se continet Sacramenta. Ad quod perficiendum summa quadam animi submissione implorat Freculfi Luxouiensis Episcopi preces, cuius hortatu istum, vt & præcedentium librorum commentarium scribebat. Huius auctoris commentarium facilè cæteris prætulerim, maximè propter sensus mysticos, quos accuratiùs persequitur, eruens ex vetustioribus Doctoribus, vt ipsemet in aliis commẽtariis profitetur [b], idque non latenter, ne fortè, inquit, (hoc in mea etiam ad librum præcedentem præfatione extremo loco recitaui) pro fraude furti arguerer, sed manifestè, sicut & in aliis opusculis nomina ipsorum appingendo: vt sciret lector, qua securitate Patrum dicta legere posset, quantáque cautela, quæ ipsius erant, rimari deberet. Laudabilis profectò, imitandaque tanti viri modestia, quam pluribus adhuc verbis ex animo, synceréque præ se fert: quem virum Baronius [c] fulgentissimum Ecclesiæ sidus appellat: cuius quæ extant scripta, tamquam lucis radij excellentiam demonstrant auctoris: verticem sui temporis Theologorum, quem glorietur Germania suum haud adeò impares magnis habuisse Doctorem: Sixtus [d] Senensis omnium disciplinarum cognitione absolutissimum, cui nullum parem eo seculo Germania habuerit: Bellarminus [e] æquè doctum, se plura: Trithemius [f] in omni eruditione tam secularium, quàm diuinarum Scripturarum longè doctissimum, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ linguæ peritum: cui similem suo tempore non habuerit nec Italia, nec Germania, nec Ecclesia.

a lib. 14. c. 24.

b præfat. in lib. Num.

c tom. 9. & 10.

d 4 biblio-thec.

e de Scriptor. Ecclesiast.

f catal. illustr. virorum, & lib. de script. Eccl.

CAPVT X.

Scopus Commentarij.

CVm iam peracta sit, Dei beneficio, librorum Leuitici, ac Numerorum explanatio, & eam suscepisse nos admonuerimus, quoniam breuiores videbantur aliorum cõmentarij, (quamquam necdum prodierant in Pentateuchũ nostri Cornelij, & alij Petri Vincentij Marsillæ, Leonardique Marij, quos antea nominaui) accuratiùs autem iam scripserat noster Pererius in Genesim totam, & in Exodi nonnullam partem, visum tãdem est ad interpretationẽ Deuteronomij animum adijcere, vel eam ob caussam, quam impulsum Rabanum retulimus. Nam nec post illum, tot elapsis seculis, legere mihi contigit paulo exactiorem illius libri commentarium, cum potius ob repetitionem in eo illorum, quæ aliis prioribus continentur, Enarratores ferè breuitatem prætendant, & lectorem reiiciant ad annotata in eosdem. Quæ à Moyse quidem in hoc præsenti libro repetuntur, ait Procopius, præcedentibus enarrationibus mandauimus. Quod si verò aliquid peculiarem interpretationem fortè requirat, silentio à nobis non prætermittetur. Et nunc quidem, quamuis multa sint, inquit Rupertus [a], quæ ea istis vtiliter dicantur, & multò plura, siue altiora, quàm comprehendere, vel attingere queamus: tamen quoniam suis locis singula tetigimus, nunc capitalia de hoc libro pauca, cæteris omissis, percurramus; videlicet, in quibus Christi Filij Dei promissio est, vel aduentus eius. Sanè recapitulationem Moysi prosequentes, ait Petrus [b] Comestor historiæ auctor Scholasticæ, quæ suprà dicta sunt omittemus; superaddita dicemus, quædam quæ videntur contraria, memorabimus determinando. Idem nobis consilium, qui semper etiam studuimus, ne, quod tamen difficile est, multa scribentibus, eadem rescribendo, non tam quæ de nouo lectores discant curare, quàm superuacaneo aut labore, aut sumptu onerare videamur. Plurimorum tum consilio, tum precibus inuitabar, ac impellebar historicos Regum libros (nimis enim breues Serarij nostri notæ posthumæ) vel Ecclesiastici (quem Iansenius, Paulúsque de Palsatio nõdum satis plenè censebantur pertractasse) enarrare: nec deerant qui exigerent importuniùs populares sermones siue conciones. Primi operis partem prælo iam commissam à Mendoza nostro accepi, totumque penes Gaspatem Sanctium, cuius tot alia cum approbatione prodierunt, confectum extare. Secũdum versat, affectúmque præ manibus haber alius ea eodem ordine nostro, qui hanc sibi partem permitti commentationem. Vltimum scriptionis genus, cuius non exigua nobis supellex suppeteret, paulo nunc certè ab instituto alienior censetur: plusque nos arbitramur Ecclesiæ, ac nominatim, ipsismet Ecclesiastis, qui aliquo iudicio, doctrináque prædíti sint, profuturos; si in eodem commentandi cursu tenoréque persistamus, quàm si thesauros concionum, epitomes ad conciones, summas prædicantium, promptuaria, conceptus, mensas ciborum spiritualium, apparatus concionatorum, locósve communes, sermones paratos, dormi securè, veni mecum, compendia moralia, conciones, orationes, homilias, catenas, harmonias, concordiásve, & si quo alio vocabulo opera talia (quæ sua laude fructúque non carent) nominentur, conscriberemus. Suppeditat diligẽs, & accurata libri cuiuspiam sacri interpretatio, complectens, quæ non minus ad mysticos pertineant sensus, quàm ad literalem, vberem ingenioso, ac perito concionatori materiam; indéque haber quæ ad institutum suum, cum delectu aptè decerpat (quod in hoc dicendi genere præstantes mihi se viri expertos, retulerunt,) ac pro suis met proferat, absque nota, vel suspicione plagij, quam vix effugiunt, qui sola eorum, quos indicaui, tractatuum contenti lectione, concionantur. De methodo nostra non moneo, quæ cùm non discrepet ab ea, quæ in aliis vsitur scriptis nostris, ignota non est iis, qui aliquid ipsorum lectione vsurpauerint, & quam qui nihil dum legerint, nullo negotio deprehendent, si legerint, reperturi tum quæ ad sententiam auctoris, & dictionem percipiendam faciunt, tum quæ intelligentiæ spirituali, tum institutioni morum, & refellendis erroribus conducunt.

a lib. 1. in Deut. c. 3.

b in lib. Deut. c. 4.

LIBER

LIBER DEVTERONOMII.

ARGVMENTVM CAPITIS PRIMI.

COMMVNE isti cum sequentibus capitibus duobus videtur argumentum; videlicet repetitio quædam itineris, casuum, ac gestorum intra spatium annorum 40. quibus Hebræi vagati sunt per desertum. In primo autem isto capite memorantur gesta in Sina, tum etiam in Cadesbarne, vbi propter exploratorum promissæ terræ murmur, omnes damnati sunt ad annorum 40. peregrinationem, & ad mortem hi, qui in ætate à 20. annis, & supra, egressi fuerant ex Ægypto.

CAPVT PRIMVM.

1. HÆc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Iordanem in solitudine campestri, contra Mare rubrum, inter Pharan & Thophel & Laban & Haseroth, vbi auri est plurimum:

2. Vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vsque ad Cadesbarne.

3. Quadragesimo anno, vndecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia quæ præceperat illi Dominus, vt diceret eis:

4. Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai,

5. Trans Iordanem in Terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, & dicere:

6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis:

7. Reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cetera quæ ei proxima sunt campestria atque montana & humiliora loca contra Meridiem, & iuxta littus maris, Terram Chananæorum, & Libani vsque ad flumen magnum Euphratem.

8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & possidete eam, super qua iurauit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorum post eos.

9. Dixique vobis illo in tempore:

10. Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi.

(11. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.)

12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia.

13. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes.

14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere.

15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.

16. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod iustum est iudicate: siue ciuis sit ille, siue peregrinus.

17. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquã personam, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.

18. Præcepique omnia quæ facere deberetis.

19. Profecti autem de Horeb, transiuimus per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis.

bis. Cúmque veniſſemus in Cadesbarne, A

20. Dixi vobis: Veniſtis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.

21. Vide Terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: aſcende & poſſide eam, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter patribus tuis: noli timere, nec quidquam paueas.

22. Et acceſſiſtis ad me omnes, atque dixiſtis: Mittamus viros qui conſiderent Terram: & renuncient per quod iter debeamus aſcendere, & ad quas pergere ciuitates.

23. Cúmque mihi ſermo placuiſſet, miſi ex vobis duodecim viros, ſingulos de tribubus ſuis. B

24. Qui cùm perrexiſſent, & aſcendiſſent in montana, venerunt vſque ad vallem botri: & conſiderata terra,

25. Sumentes de fructibus eius, vt oſtẽderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona eſt terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.

26. Et noluiſtis aſcendere, ſed increduli ad ſermonem Domini Dei noſtri

27. Murmuraſtis in tabernaculis veſtris, atque dixiſtis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de Terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. C

28. Quò aſcendemus? nuncij terruerunt cor noſtrum, dicentes: Maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura procerior: vrbes magnæ, & ad cælum vſque munitæ: filios Enacim vidimus ibi.

29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

30. Dominus Deus, qui doctor eſt veſter, pro vobis ipſe pugnabit, ſicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.

31. Et in ſolitudine (ipſe vidiſti) portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum filium ſuum, in omni via per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum. D

32. Et nec ſic quidem crediſtis Domino Deo veſtro.

33. Qui præceſſit vos in via, & metatus eſt locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte oſtendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis.

34. Cúmque audiſſet Dominus vocem ſermonum veſtrorum, iratus iurauit & ait:

35. Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimę Terram bonam, quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus veſtris: E

36. Præter Caleb filium Iephone. ipſe enim videbit eam, & ipſi dabo Terram, quã calcauit, & filiis eius, quia ſecutus eſt Dominum.

37. Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

38. Sed Ioſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. hunc exhortare & robora: & ipſe ſorte Terram diuidet Iſraeli.

39. Paruuli veſtri, de quibus dixiſtis, quòd captiui ducerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam, ipſi ingredientur: & ipſis dabo Terram, & poſſidebunt eam.

40. Vos autem reuertimini & abite in ſolitudinem per viam Maris rubri.

41. Et reſpondiſtis mihi: Peccauimus Domino: aſcendemus & pugnabimus, ſicut præcepit Dominus Deus noſter. Cúmque inſtructi armis pergeretis in montem,

42. Ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite aſcendere, neque pugnetis, non enim ſum vobiſcum: ne cadatis coram inimicis veſtris.

43. Locutus ſum, & non audiſtis: ſed aduerſantes imperio Domini, & tumentes ſuperbia, aſcendiſtis in montem.

44. Itaque egreſſus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens, perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi: & cecidit de Seir vſque Horma.

45. Cúmque reuerſi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci veſtræ voluit acquieſcere.

46. Sediſtis ergo in Cadesbarne multo tempore.

Verſ. 1.] Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Iordanem in ſolitudine campeſtri, contra Mare rubrum, inter Pharan & Thophel & Laban & Haſeroth, vbi auri eſt plurimum.

DESCRIBVNTVR hîc, & poſtea, variæ circunſtantiæ loquentis, eorum, ad quos habitus eſt ſermo, loci in quo vtrique tũc erãt, & quòd nominatim auri ferax fuiſſe dicitur locus ille idem. Procemium, & locum breuiter exponit, inquit Theodoretus [a], vbi cum populo Moyſes hæc egerit, & tempus aſſignat. Quod ipſum in catena Græca M.S. ex Origene recitatur. Rabanus, quo vtitur Gloſſa, titulum hunc videri ait totius operis, quia perſonam indicat auctoris, & quid fecerit, & locum, & tempus. Sed continent ſingulæ textus particulæ peculiares difficultates. *Paraphr.* *a quæſt. 2.*

Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes.] Verba nimirum, non præcedentia, vt Oleaſter vult, ſed quæ ſequuntur per totum librum, inquit Hugo, & alij; quęque Moyſes locutus eſt docendo, ac explanando, (id eſt, prædicta, ſeu iam priùs dicta libris prioribus Exodi, Leuitici, Numerorum, non *Explanatio.*

item Genesis, in qua nihil de Mose nondum nato; ita vt quod Rabanus, & Glossa repetitionem hic esse dicunt quatuor librorum legis, magis propriè dixissent, trium, quia vnus de quatuor est (ipse enim liber noster Deuteronomij) & ad maiorem memoriam habendam, repetendo. Nec refert, ait idem Hugo, quòd videatur nominari tertia, seu alia persona. Videns enim in spiritu populum statim transiturum Iordanem, & secum librum istum delaturum, iuxta mandatum suum, quasi in persona recitantium verba eius, dixit: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses trans Iordanem*; quoniam legentes librum post transitum Iordanem falsò dicerent citra Iordanem. Faciliùs respondetur cum Rickelio, & aliis, post Rabanum, quem Glossa transcribit, quod alibi quoque non semel admonuimus, nec mirum, nec rarum esse, quòd Moses in tertia persona loquatur de seipso, quasi de alio, & alibi frequenter ita locutus sit, sicut dum dixit [a], *Erat Moses vir mitissimus*. Sic enim vitat arrogantiam, inquit Rabanus, & Glossa; & demonstrat vitandam. Afferunt exempla Iob de se dicentis [b], *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*, &c. atque Ioannis, quamuis non exprimentis nomen proprium [c], *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his*. item [d], *Discipulus, quem diligebat IESVS*. Addi posset ex eodem, cùm narrat de Andrea, & alio secutis initio Christum [e], *si ille alius, erat idemmet Ioannes*. ex Luca, *si socius Cleophæ* [f], ex Samuele, si auctor est librorum duorum priorum, qui non modò à Regibus titulum habent, verùm etiam Samuelis dicuntur; quamuis in secundo nihil de illo extet, qui iam etiam mortuus erat, immo, & iam inde à cap. 25. [g] primi; ita vt non verè asseratur vel integri illius auctor, quod tamen Gregorius [h] de duobus affirmat. Probari autem illud idem potest similibus exemplis aliis, vt Iosephi historici, Iulij Cæsaris, &c. qui de suis rebus expresso nomine suo scribunt. Obseruatur à Dionysio Rickelio Carthusiano præterea hoc loco dictum: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses*, & non, *quæ scripsit*. Quia verba sequentia primò pronunciauit ad populum exhortando, ac instruendo, deinde conscripsit, quemadmodum infrà habetur [i], *Scripsit itaque Moses legem hanc*; itémque [k]; *postquam scripsit Moses verba legis huius, atque compleuit*. Caietan. notat dici *verba*, quæ prioribus libris vocabantur *mandata*, & *iudicia*; quoniam Doctoris non est præcipere, sed declarare; & hactenus Deus locutus est per Mosem interpretem; nunc hic tamquam Doctor loquitur. Ex Origene in catena Græca MS. habetur, dici verba Moysi tamquam instrumenti à Deo moti, & Prophetæ lingua vtente, seu etiam videlicet manu, & calamo. Beda aliis videri monet, quòd aptius voces essent hic dictæ, quàm verba; ita vt verba conueniant Euangelio: tamen rectè quoque dici verba, quia quæ hic habentur, euangelica eloquia præfigurant. Vel eo quòd verba postea non fuissent mutanda, quæ locutus est Moses, in hoc, inquit, dignitatem personæ ostendit.

Moses in tertia persona de seipso, quasi de alio non raro locutum esse.

a Num. 12. 3.
b Iob 1. 1.
c Ioan. 21. 24.
d c. 13. 23. c. 19. 26. c. 21. 7. 20.
e c. 1. 35. & seqq.
f Luc. 24. 13. & seqq.
g vers. 1.
h Prol. in lib. Regum, & l. 1. c. 1.
i c. 31. 22.
k vers. 24.

Verba cur hic dicerentur, quæ mandata alibi, & iudicia.

Hæc, eloquia euangelica præfigurant.

Ad omnem Israel.] Perinde est loqui ad omnem Israël, aut vt extat Græcè, omni Israëli: *παντὶ ἰσραὴλ*, aut, cum omni Israël, vt habetur in editione Chaldea עִם כָּל יִשְׂרָאֵל *him chol Israël*. Theodoretus [l] appellat innumeram multitudinem, cui tunc Moses doctrinam proposuerit. Erant eo tempore mortui quotquot ex Ægypto discesserant, ab ætatis vigesimo anno, & supra, excepto Iosue, & Caleb, atque Leuiticæ tribus hominibus, vt priore [m] libro vidimus; & infrà hoc ipso capite [a]. Circa dictionem *omnem*, Beda obseruat innui turbam; totius nomen de vtroque numero dici siue singulariter, siue pluraliter. Circa nomen *Israël*, quòd habeatur sermo ad omnem animam Deum videntem, nempe iuxta tritum etymon illius nominis. Cæterùm non video, quid admodum suadeat fateri, quòd Abulensem [b], atque Rickelium secutus existimat Cornelius noster, miraculo factum vt Mosis vox à toto Israële, id est, à duobus, vel tribus hominum millionibus audiretur, quemadmodum S. Antonij de Padua, S. Vincentij Ferrerij, & aliorum præconum Apostolicorum ad plures leucas, inquit Cornelius, non solùm audita, sed & intellecta fuit à gentibus exteris vox, illorum etiam linguæ imperitis. Nam etiamsi alia maiora fecerat Deus pro Mose ad vtilitatem Israël, scilicet per dies 80. [c] non comedere, faciem radiis cornutam habere [d], &c. vt argumentatur Abulensis, ad istud tamen admittendum miraculum nihil cogit; cùm non semel dicatur simili phrasi habitus ad vniuersum populum, populíve cœtum sermo, quamuis immediatè dumtaxat ad seniores [e]: aut licèt hi non nominentur, probabile non sit, miraculum id toties contigisse, quoties (quod sæpe fit) dictus ille loquendi modus vsurpatur. Quod dicitur *ad omnem Israël*, intellige, inquit Caiet. Petrúsque Vincentius de Marzilla, non per seipsum, sed quia Moses publicè locutus est capitibus omnium, & tribuum, & familiarum, vt per illos ad notitiam omnium deducerentur quæ dicebat. Fortassis nec adeò multis locutus est, id est, capitibus etiam omnium familiarum, quæ sine dubio erãt quamplurima. Nec refert quòd c. 29. [f] scribantur vocati ad paciscendum fœdus Domini, stetisseque coram illo cuncti Principes tribus, maiores natu, Doctores, omnis populus Israël, liberi, & vxores, aduena, qui morabatur cum ipsis in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his, qui comportabant aquas. Nam, etsi cum Abulense adhuc inde argumentetur Cornelius, potest intelligi eiusmodi pactum initum ab illis omnibus, ita, vt non idcirco sequatur, ab iisdem singulis exauditum simul Mosem semel loquentem. In eadem sententia nostra est Salianus [g] noster, licèt concedat de illo alio tempore initi fœderis dictum miraculum. Sed neque hoc necessarium, aut valdè probabile duco, quod tamen etiam tuetur ibidem Abulensis. Sentit nobiscum Lyranus, locutum asserens Mosem capitaneis, & principalibus populi, in quibus quodammodo, inquit, tota multitudo populi continebatur. Quocirca meritò refutat R. Salomonem, affirmantem, quòd ad hoc Moses vocauit totum populum, vt quilibet haberet locum loquendi, si vellet in aliquo obiicere verbis Moysi, atque postea nullus haberet locum contradicendi. Addit scripsisse Moysem generaliter ad omnem Israël, quia non solùm illi, qui erant tunc præsentes, sed etiam absentes, & futuri de populo illo, obligabantur ad ea, quæ fuerunt scripta in hoc libro: & ideo fuit repositus in latere arcæ [h], vt legeretur quolibet anno septimo. Quod vltimum tamen in præfatione docui non præcisè accipiendũ de solo isto nostro libro Deuteronomij. Adhibet Salianus exemplum Episcopi, qui totius diœcesis pastor, ac doctor cùm sit, per intermedios Curiones, & Parochos, omnes sibi subditos docet, ita verò de Moyse dicendum, in cuius manu erant Sacerdotes omnes, & Leuitæ, & septuaginta illi Seniores, quibus Dominus de spiritu Moysi distribuerat [i].

l q. 1.
m c. 14. 29. 30. c. 26. 13.
a vers. 35. 36.

Omnis, dictio pro turba.

Israël pro omni anima Deum vidente.

b q. 2.
c infra c. 9.
d Exod. 34.
e Exod. 19. 3. 21. c. 16. 9. 10. Leu. 17. 2.
f vers. 2. 10. 11.
g tom 2. annal. anno Mosis 120. num. 156.
h Iosue c. 31. 26.
i Num. 11. 25.

Trans

Trans Iordanem.] Hebraicè, & Chaldaicè בעבר *bebbauer*, & בעברא *bebbura, in transitu*, id est, quando transituri erant Iordanem, prope Iordanem, priusquam transirent illum in citeriore parte terræ, respectu promissæ terræ Chanaan, inter quas terras medius erat Iordanis, antéque transitum istius à Moyse prolata sunt verba hîc recitata, cùm is Iordanem non transierit. Denique trans Iordanem intelligitur, si in terra sancta fuerit, inquit Vatablus, absolutè autem rectiùs verteretur *cis*, cum eodem auctore. Sed sic auctor scripsit, quia futuris temporibus appellanda erat transiordanana regio illa, quam Hebræi transiissent immediatè ingrediendo in Chanaan. Magister [a] historiæ Scholasticæ, Lyranus, Abulensis, & alij notant has præpositiones *trans*, seu *vltra*, & *citra*, vel *cis*, dicere respectum situs, atque sic respectu eorum, qui morabantur in terra Chanaan, terram in qua manebant duæ tribus Ruben, & Gad, dimidiaque Manasse, & in qua locutus fuit Moyses, dictam esse trans, vel vltra Iordanem: respectu autem eorum, qui morabantur in ciuitatibus duarum tribuum, & dimidiæ, scilicet in terra Basan, aut Galaad, vocari terram citra Iordanem. Hoc autem modicum est, ait Abulensis, & facit magnum errorem, nisi attendatur situs loci. Errorem inde ortum dixi circa libri huius auctorem, ne non videretur Moses, quia trans Iordanem nec locutus est, nec fuit, sumendo nempe *trans*, per comparationem, & respectum ad terram Chanaan, ad quam ille non transiuit. In c. 22. [b] libri Numerorum, cùm Iericho trans Iordanem sita scribitur, *trans* propriè accipitur, vbi etiam est Chaldaicè cum præpositione alia מעברא *mebbura*, Hebraicè cum eadem, quæ hîc extat, sed pluraliter בעברות *benbbaurth*, Græcè autem παρὰ τὸν Ἰορδάνην, *apud Iordanem*. In c. 32. [c] & 34. [d] cùm agitur de assignata possessione tribubus duabus, & dimidiæ, sunt eædem particulæ Hebræa, & Chaldæa, atque Græca πέραν, quæ hoc loco etiam habetur. Consule locis illis annotata. Idem iudicium de c. 4. [e] libri nostri, vbi nominatur locus trans Iordanem in valle contra phanum Phogor in terra Schon Regis Amorrhæi. Suspicatur Cornelius Mosem scripsisse *cis Iordanem*, sed Iosue, aliúmve, qui hæc Mosis diaria digessit, iam consistens in Chanaan, pro eo substituisse *trans Iordanem*. Eadem ratio de citatis aliis locis, de quibus nescio an idem tam facilè liceat suspicari. Ambros. aliúsve apud eum Auctor, tractatu de 42. mansionibus [f], explicans quomodo dicatur mons Abarim trans Arnon, Græcè ἐν τῷ πέραν Ἀρνῶν, licèt Latinè, *contra Arnon* [g], nimirum non ad transitum Hebræorum, sed ad situm terræ sanctæ; docet morem hunc esse Moysi in tali descriptione, confirmátque præsentis loci testimonio, quia Moyses Iordanem nullatenus, inquit, transiuit, sed erat citra ad Hebræorum viam locus iste; trans verò ad terræ sanctæ situm. Hieron. Eusebiúsve tractatu de locis Hebraicis *Disme Moab* scribés, è Græco videlicet δυσμῶν μωάβ, exponit locum ad Occidentem Moab, iuxta Iordanem contra Iericho, vbi Balac Rex Moab, & maiores natu Madian, Israëlem insidiis deceperunt, & in quo loco Moyses Deuteronomium scripsit.

In solitudine campestri.] Hebraicè במדבר בערבה *bemidbar baharanah, in solitudine*, siue *deserto*, & *in planitie campestri*, vbi nec montes, nec nemora; qui locus frequenter appellatur in libro Numerorum [h] nomine *campestrium Moab*: & in quo vltima mansio fuisse memoratur [i]; atque in editione nostra vocantur etiam *planiora loca Moab* [a] in Hebræa vbique simili vocabulo ei, quod hîc est, sed pluraliter ערבות *bharboth*, & in Græca plerumque δυσμῶν, quo significatur plaga occidentalis: interdum, retento Hebræo ἀραβώθ, cùm Chaldæum semper idem retineator מישריא *meserain*. Adi eiusdem libri commentarium nostrum. Quod hîc Græcè legitur ἐπὶ δυσμῶν, *ad Occidentem*, in Scholio Græco citatur ex Aquila, & Symmacho, ἐν τῷ ὁμαλῷ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *in planicie maris rubri*. Quo pactó vocantur campi, qui interiacent inter montes Arabiæ, & Chanaan. Addit præterea in catena, quam Latinam fecit Franciscus Zephyrus, nemini dubium esse, quin omnia hæc ad populum dixerit Moyses in agro Moabitarum. Aduersatur Oleastri expositio cæteris, vt nempe sermo sit de solitudine, siue deserto vasto, in quo, & in cuius confinibus (quæ sumit loco sequentium vocabulorum, *contra mare rubrum*) dicta significentur ea, quæ sunt in præcedentibus libris: confinia verò sint regnorum, per quæ transierunt Hebræi, cúmque ipsi essent è regione maris Suph, id est, *terminato*, quod ab Interprete *rubrum* vocatur: denique vt nomine deserti loca omnia intelligantur ante Iordanem; quoniam deserto coniuncta erant: vbi etiam esset *Suph*, id est, appellatiuè id nomen accipiendo, terminus diuersorum regnorum. Est quidem verum, mare rubrum arcuari, vt Abulensis loquitur, Hebræósque vagando, ac gyrando per desertum, sæpius ad illud accedere potuisse, quod etiam insinuat hoc loco translatio Græca πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *prope rubrum mare*. Sed quoniam campestria Moab, quæ hîc exprimuntur, longissimè distant à mari robro, præstat, *contra mare rubrum*, seu *è regione maris rubri*, exponere de loco etiam dissito, sed aliter opposito, cuiusmodi erat mare rubrum consistentibus in campestribus Moab obuersum. Gregorius [b] explanans illa verba Iob [c], *quadam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*, ac notans in exordiis narrationum, qualitates à sacris eloquiis exprimi, terminósque causarum, vt à positione loci, vel corporis, vel à qualitate aëris, vel temporis: & de primo modo docens iuxta illum exprimi subsequentium merita, finésque causarum, affert in exemplum præsentis loci sententiam, per quam de Israël dicatur, quia verba Dei in monte audire non potuit (inde namque cùm lex daretur, prohibitus [d] est) sed præcepta in campestribus accepit: sic verò subsequentem populi infirmitatem mendicatam, qui ascendere ad summa non valuit: sed semetipsum in infimis viuendo neglectè, laxauit. Simile videri potest, quod obseruat Ambrosius [e], descendente IESV de monte, & stante in loco campestri, turbam discipulorum eius, & multitudinem copiosam plebis venisse vt audirent [f] eum, &c. quoniam turba nisi in humili Christum videre non poterat, non sequi ad excelsa, non ascendere ad sublimia. Idem omnino à Hieronymo [g] notatum est circa descensum eiusdem IESV de monte, post quem Matthæus [h] narrat secutas tum turbas, quia ad altiora, inquit, ascendere non valuerunt.

Contra mare rubrum.] Hebraicè מול סוף *mol suph, contra*, vel *in fronte*, vel *è regione Suph*, Græcè πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *prope rubrum mare*, de quo mari, quamuis *maris* vocabulum non ponatur hîc Hebraicè, declarant Vatablus, Clarius, apostata Munsterus, Gebennensia Biblia idiomate Gallico ab hæreticis edita. Sed Caietanus

docens

Marginal notes (left column): [a] in Deut. 1. — [b] vers. 3. — [c] vers. 19. 32. — [d] vers. 15. — [e] vers. 46. — [f] to. 4. mansio 41. — [g] Num. 21. 13. — [h] c. 22. 1. c. 26. 3. 63. c. 31. 12. c. 33. 48. c. 35. 1. c. 36. 13. — [i] c. 33. 48.

Marginal notes (right column): [a] ibid. v. 49. — Suph, pro fine, seu termino. — [b] l. 2. Moral. c. 2. — [c] c. 1. 6. — [d] Exod. 19. 12. — [e] lib. 5. in Luc. — [f] Luc. 6. — [g] in Matt. 8. — [h] c. 8. 1.

docens prioribus verbis, & præsentibus, proximéque seqoentibus eumdem locum, qui dicebat . . . planities Moab super Iordaoem, Iericho, . . . nomiṅari qoatuor nominibus, videlicet in transitu Iordanis, in deserto, in planicie in fronte Suph, vt intelligatur commoditas aquæ, indemnitas aliorum, situs, opportunitas, magnitodo planiciei, extensæ vsque ad paludem cannis plenam, qoia *Suph* cannas sonat, [*Suph, pro cannis.*] vnde mare rubrom appellatum sit mare Suph, hoc est, cannæ, qnia canneto adiacet, vel cannas parit: item describi sequenti membro planiciem eamdem inter quinque montes: tantam verò in ista descriptione adhiberi diligentiam, quoniam ardous sermo, ac prolixus futurus erat: hæc, inquam, omnia dum docet Caietan. ostendit per frontem Soph, vt ipse loquitur, [*Frons Suph, quid.*] denotari locum è regione canneti. Oleaster, vt etiam non ita pridem retoli, vertens *è regione Suph* exponit de mari, quod cognominetur *Suph*, id est, terminum, aliterque mare rubrum: refert item opinionem de sinu aliqoo dicti maris qui veniret versus illam partem, seu locum determinatum, qui hîc describitur: ipse autem mauult *Suph* sumi appellatioè pro fine, seu termino, *ac transferri, è regione terminum*, scilicet terræ. *quia* locus ille, inqoit, erat termi*nus diuersorum* regnorum, sequentia verò no*mina* montium aut locorum, inter quæ erat locus, in quo manebat Israël. Ab hoc dicendi modo parum differunt, qui סוּף *Suph terminum* interpretantes mare Suph, id est, termini, de lacu Asphaltite, aut de mari mortuo explicant: quod terram sanctam terminat ab Oriente, & cui vicina, oppositaque sunt campestria Moab. Dixi præterea placere Abolensi (quod ante ipsum Lyranus indicauit, & Hugo, & Rickelius, ac post istos Marsilla,) ad mare rubrom Hebræos vagantes, gyrauésque per desertum sæpios venisse, ac nominatim quidem nunc eo io loco, qui describitur. Sed quia iuxta tabulas topographicas abest hic ipse locus certus ac limitatus à mari rubro, quod mare rubrum in propria significatione accipi hic etiam debet, vt & alibi passim reddi solet, vbi est mare סוּף *Suph*, qood ab Arabia distermioat Ægyptum; licèt nonnunquam per mare Mediterraneum exponi posse aliqoi contendant, vt docet Pineda noster [a] [a c. 14. de rebus Salom. c. 9.]: dici quoqoe docoi *contra mare rubrum*, seu *è regione illius*, locum istum, quia ei oppositum, ac obuersum est, quamuis satis distaus, dissitum, remotum. Mentio porrò maris rubri reuocat in memoriam eximium, & admirabilem transituro populi per illud; vt eo libentiùs, ac diligentiùs diuina mandata obseruet, qoæ hîc repetuntur, aut de nooo ponuntor: præterea . . . ns peregrinationis eiusdem populi mare rubrum fuerat initium, terminus verò campestria Moab, quæ hoc quoque loco nominantur. Circa nomen maris rubri, cuius nomiois causas aliàs declarauimus, consentit Chaldæus Paraphrastes, exprimens יַם סוּף *iam suph*. Verùm longè aliter declarat omnem hanc descriptionem localem, de qua est sequens quoque membrum. *Hæc sunt*, ait, *verba, quæ locutus est Moyses cum omni Israel trans Iordanem. Corripuit eos, eò quòd peccauerunt in deserto, & quia irritauerunt Deum, in campestribus contra mare rubrum: & in Pharan* (pertinent ista ad ea quæ seqoontur) *vbi murmurati sunt aduersùs manna, & in Asseroth, vbi irritauerunt Deum super carnes: & in eo, quòd fecerunt vitulum aureum.* Sectatus est Rab. Salomon translationem istam, recitatámque Munsteros apostata, & Isidorus Clarios, qui sæpius auctorem illum transcribit, non reiiciunt: ita vt præpositio בְּ *be* præfixa nominibus מִדְבָּר *midbar*, id est, *deserti*, & עֵבֶר *hheuer*, *transitus*, & עֲרָבָה *hharauah*, *planicies*, non retineat ordinariam significationem, quæ est *in*, sed sumatur causaliter pro בִּשְׁבִיל *bisbil*, hoc est, *propter*. Quare sensum esse contendunt; propterea quòd irritauerunt Deom in deserto, dicentes; [a] *Vtinam mortui essemus:* [a Num. 14. 2.] & propter peccatum, quod commiserunt in planicie quando initiati sunt in Baal Peor, siue Beelphegor [b], [b Num. 25. 5. Psal. 105. 28.] & propter peccatum è regione maris rubri commissum, quando dixerunt [c]; [c Exod. 14. 11.] *Numquid sepulchra non fuerunt in Ægypto?* seu, *forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* Eodem pacto nomina, quæ mox hic subiiciuntur, idem Rab. Salomon citans alium Rab. nomine Iochannam, qui negat extare in sacra Scriptura, quam vocant מִקְרָא *mikra*, per *Thophel* significari vult murmurationem, quam fecerunt super Laban, id est, *manna* [d] *album*: [d Exod. 16. 31. 2. & seq.] in deserto aotem Pharan detraxisse terræ promissæ, cùm exploratores rediissent, & omnes terruissent [e]: [e Num. 13. & 14.] in Haseroth schisma, factum per Core [f], [f c. 16. 1. & seqq.] cum quo multi perierunt: per דִּי זָהָב *dizahab*, quod est *sufficientia auri*, iotelligi vitulum, quem ex aoro superfluo conflaoerunt [g]. [g Exod. 32.] Rupertus [h] [h lib. 1. in Num. c. 2.] proferens contenta versu primo, & secundo, declarat ad hunc modum, qoi parum differt à præcedente. *Hæc sunt verba, quibus corripuit Moyses filios Israel pro decem tentationibus, quibus Dominum tentauerunt. Vnde Dominus in libro Numerorum* [i] *dicit:* [i c. 14. 22.] Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, qoæ feci io Ægypto, & in solitudine; & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. *Quas tentationes hic breuiter, & obscurè Moyses enumerat, dicens:* In solitudine in qoa demonstrat eos pro aquæ penuria duabus vicibus tentasse Dominum. *Sanè quod ait*, in solitudine campestri contra mare rubrum, inter Pharan & Thophel, & Laban, & Azeroth (*Haseroth*) & ibi auri est plurimom, *sic intelligendum est: In campestri contra mare rubrum murmurasse dicuntur filij Israel contra Dominum, quia Moysi dicenti sibi, de verbo Domini peremptos fuisse Ægyptios, non crediderunt, sed potiùs eos se subsequi timuerunt. Unde dicitur in Psalmo* [k]: [k Ps. 105. 7.] Patres nostri in Ægypto non iotellexerunt mirabilia tua, non fueruot memores multitudinis misericordiæ tuæ, & irritauerunt ascendentes in mare rubrum. *Porrò Pharan interpretatur* Onager, *Thophel* stultitia, *Laban* album. *Quod sic intelligitur; quia similes onagro facti filij Israel, stultè egerunt, tentantes Dominum duabus vicibus super albo, idest, super manna. Manna verò album dicitur, sicut & illud in Exodo* [l], [l c. 16. 31.] appellauitque illud domus Israël nomen eius man, qood erat quasi semen coriandri album. Abulensis [m] [m q. 3.] explicat primùm dicta hæc omnia secundùm recitatam Chaldæam translationem, & R. Salomonem, de verbis duris, reprehensoriis, siue de redargutionibus Mosis, cùm se iam videret morti propinquum; sicut fecerant Iacob [n], [n Gen. 49. 3. & seqq.] & Samuel [o] [o 1. Reg. 12. 1. & seqq.] (adde Christum, cùm esset ascensurus in cœlum [p],) [p Marc. 16. 14.] vt nempe is retulerit Israëlitis mala, quæ fecerant in solitudine campestri, circa mare rubrum apud desertum Pharan, Thophel, Laban, atque in solitudine quidém campestri

Moab, redargutio spectet ad fornicationem cum puellis Moabitarum, & Madianitarum [a], contra mare rubrum, quòd murmurauerint, quando viderunt exercitum Pharaonis prope se dicentes [b], *Nunquid*, siue, *forsitan non erant sepulchra in Ægypto, vt moreremur in hac vasta solitudine*: inter Pharan desertum magnum, cùm excitatum est murmur aduersùs promissam terram post reditum exploratorum [c], & deinde in Cades ad aquas contradictionis, & inditum est loco nomen *Sepulchra concupiscentiæ* [d]: in Thophel, quod valet *murmurationem*, & Laban, quod *album*, quando extitit murmur contra manna coloris bdellij [e], qui est albus: in Aseroth, cùm Aaron, & Maria contra Mosem murmurauerunt: [f] vbi auri est plurimum, quando reprehensi sunt de fabricatione, adorationéque vituli aurei [g], quo auro, argentóque tunc abondabant. Placuit eadem opinio Michaëli Aitsingero in topographica descriptione terræ sanctæ [h]. Sed hæc expositio, inquit idem Abulensis (quem hac in parte recipio) multum est distorta, quia tota ista litera est vna clausula: quæ hîc habentur denotant locum, in quo Moyses verba aliqua dixerit; dicta expositio confusè res diuersas inuoluit, & absque ordine narrationis: non rectè sumitur particula *in*, denotans habitudinem loci, in quo aliquid fit, vt idem significet ac *propter*, siue habitudinem eius, de quo aliquid enunciatur: aliæ præterea particulæ, *contra inter, vbi*, designant situm, locum, distantiam localem, & similia: nisi per ista omnia designatus locus intelligatur, Ægyptum ipsam poterit quis intelligere per illas dictiones *trans*, seu *citra Iordanem*, atque spatium integrum totius deserti, & mansiones omnes: denique verba, quæ locutus dicitur Moses in hoc textu, non de præteritis accipienda sunt, sed de illis, quæ scribuntur deinceps in hoc libro, quamuis multa ex his iam priùs dixerat.

Inter Pharan.] In libro Numerorum [i] vidimus desertum, siue solitudinem Pharan: quod etiam alibi [k] occurrit, aut nomen montis Pharan [l], aut campestrium [m]. Oppidi præterea nomen esse affirmat, siue vrbis, Adrichomius [n], non tantùm deserti, & montis vmbrosi, condensique, qui sit vicinus, & contiguus monti Sinai. Rickelius hoc loco ait esse etiam nomen prouinciæ, prouinciam nempe sumens, vt describitur ab eodem Adrichomio [o], pro amplissimo, vastissimóque deserto, inuio, & inaquoso, à monte Sinai vsque ad Cadesbarne iter vndecim dierum continente (quod hîc paulo post insinuatur) & cuius terra nec arari possit, nec seri, sed tota sit arida, sterilis, squalida, inhabitabilis hominibus, villis, casis, bestiis, auibus, arboribus, germine carens, constans verò rupibus, montibus saxosis, altissimis, asperrimis, vndique præruptis, & præcipitibus, mixti coloris, rubei & nigri, Solis ardoribus exusti, quo colore splendente videantur saxa refulgentia, quasi essent oleo inuncta, ipsóque visu horroris speciem, & mortis imaginem præ se ferant, iaceant verò ibi arenæ steriles, quas vbi Solis vapor accenderit, feruido Sole caurente vestigia, intolerabilis æstus existat: ambulans cum præalto tenacissimóque sabulo luctari cogatur, ægrè inde pedes efferre valens. Addit aliam acceptionem pro prima parte deserti Arabiæ prope montem Sinai: nec non pro vltima versùs terram promissionis, monénsque aliquando vocari desertum Sin scribendo per צ *tsade*, interdum Sinai, videlicet à monte nominis eiusdem. Tractatu de locis Hebraicis Hieron. siue Eusebius, *Faran* scribens, docet suo tempore oppidum fuisse trans Arabiam, iunctum Saracenis, qui in solitudine vagi errabant: per hoc, iter fecisse filios Israël, cùm de monte Sina castra mouissent: & contra australem plagam situm distasse ab aula contra orientem, itinere trium dierum in deserto Pharan (sic enim etiam ibidem scribit) commemorari à Scriptura habitasse Ismaëlem, vnde Ismaëlitæ, qui postea Saraceni. Idem Hieron. [a] disputans de 42. mansionibus, eumdémque secuti alij, docent immensam hanc solitudinem Pharan, longè ac latè fusam ad iter vndecim dierum. Quod inde quoque colligitur, quia statim à statione Sinai narrantur Hebræi, ducente ipsos columna nubis, & arca Domini, venisse in solitudinem Pharan; cùm tamen certum sit venisse antea in sepulchra concupiscentiæ, nec in catalogo mansionum vlla propriè appellatur nomine *Pharan*, immo *Haseroth* (cuius nomen hîc extat) vertitur in atrium, vestibulúmve, quasi vestibulum, videlicet deserti Pharan. Solet Iosephus Hebræam vocem *Pharan* in Græcam φάραγγα vertere, quod non aduertentes, qui transtulerunt Latinè, vel alia lingua Iosephum interpretati sunt non *Pharan*, vt debuerunt, sed *fauces*, quas Græca φάραγξ significat. Nec verò etiam idem Iosephus explicauit vtrùm locus ille generalis esset, aut particularis. Si attendatur notio φάραγγος, non respondet Hebræo nomini *Pharan*, quod Hieron. & alij declarant κατ' ἔτυμον, *fetum eorum*, *frugiferum*, *pulchritudinem*; *fauces* verò nullus. De hoc eodem *Pharan* egimus dicto libro Numerorum, agítque de eodem satis diligenter Antonius Gueuara in Abacuc [b].

Et Thophel.] Hebraicè repetitur præpositio *inter*, בֵּן *ben*, Chaldaicè autem nomen *Thophel* non extat, sed verbum ei simile. אִתְּפַּלּוּ *ithaphalu*, ex quo, & præcedente nomine *Pharan*, conficitur illa sententia, *& in Pharan, vbi murmurati sunt contra manna*. Sed loci nomen esse, iam prius constituimus, quod Græcè scribitur τοφὸλ, absque aspiratione primæ literæ, cùm Hebræum sit תֹּפֶל *Thophel*, cuius prima litera est aspirata. Scribunt tamen etiam multi *Tophel*, sequentes rationem scribendi Græcam. Apud Bedam verò in quæstionibus *Obet* mendosè scribitur. Refert Oleaster nonnullos arbitrari non differre à *Tophet* (*Thopheth* scribi debet, quamuis tractatu de locis Hebraicis apud Hieronymum scribatur illo alio modo) loco illo apud Israëlitas execrabili, cuius Scriptura multis locis meminit [c]. Nescio quî venire in mentem cuiquam potuerit, vt Caietani Scholiastæ Antonio Fonsecæ, cùm locus ille, auctore eodem Hieronymo [d], esset in valle filiorum Ennon, vbi populus Israël Gentium simulachra venerabatur; hic autem noster vt idem [d] docet, scribens *Thaphol*, in deserto trans Iordanem (id est, *citra*, respectu regionis Chanaan) in quo Deuteronomium scripsit Moyses contra Iericho. Interpretationem *Thophet* pro stultitia recitaui antè ex Ruperto, & fauet verbum Chaldæum, quod etiam protuli. אִתְּפַּלּוּ *ithaphalu*, *murmurati sunt*, & ab Hebræo תָּפֵל *thaphal*. quod *insulsum*, *insipidúmque* significat, aliud nomen תִּפְלָה *thiphlah*, *insulsitatem*, *ac*

fatuita

a Num. 25. 1. & seqq.
b Exod. 14. 11.
c Num. 14. & seqq.
d c. 20. 11 & seq.
e Exod. 16. 14.
f Num. 12. 7.
g c. 32. 1. & seqq.
h Exod. 32. 1. & seqq.
i pag. 40. de campestr. Moab.
Particula in, contra, inter, & vbi.
Pharã quid.
k c. 10. 12. c. 13. 1. 4. 27.
l Gen. 21. 21. 1. Reg. 25. 1.
m Deut. 33. 2. Abac. 3. 3.
n Gen. 14. 6.
o Theat. terræ sanctæ in Pharan nu. 73.
p ibid. n. 1.
a ep. 127. mansio. 15.
b in c. 3.
Thophel quid.
c 4. Reg. 23. 10. Esa. 30. 33. Ierem. 7. 31. 32. c. 19. 6. 11. 12. 13. 14.
d ibidem & alibi.
e supra.

ſarnationem valens, ſeùve irrationalem, ſiue abſque ratione.

Et Laban] Id ſonat Hebræum לָבָן *lauan*, aut *Laban*, quod rectè exponitur *album*, vt de ſimilibus nominibus ab eadem radice alias dixi, vt *Lebna* [a], & *Lebni* [b]. Paraphraſtes Chaldæus, & alij notionem arripientes de manna interpretati ſunt, contra quod Hebræi murmorauerunt, vt prætermonui. Simili quadam ratione ſacrilegus hæreſiarcha Caluinus Gallico ſuo idiomate venerabile CORPVS CHRISTI latens ſub ſpeciebus panis, quarum vna eſt color albus per irriſionem appellare ſolebat *Ioannem album*, *Deum candidatum*, Græcè ſcribitur λαβάν.

Laban quid.

a Num. 33. 20.
b c.5. 18.

Et Haſeroth.] Malè in Complutenſibus, Regiis, aliiſque codicibus *Aſeroth* leniter initio, quoniam Hebræi nomini חֲצֵרוֹת *Chatſeroth* litera prima eſt aſpirata; quod nomen Chaldæus quoque Paraphraſtes retinuit: ſed textus Græcus habet αὐλὼν, vel in minus correctis libris αὐλὴν. Idem nomen *Haſeroth* tamquam loci, extat in libro Numerorum [c] eodem modo ſcriptum Hebraicè, atque Chaldaicè, quo hîc: ſed Græcè cum leni ſpiritu ἀσηρώθ. Quare quáuis Thophel, & Laban, vt propria locorum nomina non reperiantur *alibi*, quàm hic, non poteſt idem aſſeri de Pharan, déque Haſeroth, ſicut de his omnibus quoſdam Hebræos affirmantes nuper audiuimus. Scribunt aliqui *Haſeroth*: ſed litera צ *tſade* quæ eſt in iſto nomine, exprimitur nunc per *s*, vt in Sion, & ſimilibus; nunc per *z*, vt ſæpius annotaui. Nec plura hîc addam vel de re, vel de nomine, quod atria, vel veſtibula ſignificat, cùm ex dicti libri Numerorum peti poſſint commentario noſtro. Græcum nomen αὐλὼν habet nónullam affinitatem cum Hebræo iuxta dictam ipſius notionem, quatenus inter alia, ſignificat *pratum*, & *caſum*. Attamen ponitur hîc indeclinabiliter; cùm ſi eam ſignificationem nunc haberet, deberet eſſe caſus genitiuus ἀνὰ μέσον αὐλῶνος, vel αὐλῆς ſi αὐλὴ legatur: Eugubinus legens circumflexi αὐλῶν, putat L X X. quos reprehendit, intellexiſſe *tibias*, quia חָצַר *chatſar* clangere tuba ſignificat. Ioſephus [d] tradit cùm iam de quadrageſimo migrationis anno triginta tantùm dies ſupereſſent, aduocata concione ad Iordanem, eo loco, vbi ſua ætate oppidum Abila (ex Ioſepho malè *Abidal* citat Comeſtor) viſebatur agrum habens palmetis conſitum, Lyranus, Rickelius, Caietanus, Oleaſter, Beda, Rabanus, Gloſſæ, Marsilla, & alij volunt recenſita nomina eſſe particularium vel vrbium, vel montium in campeſtribus Moab. At de mari rubro, & Haſeroth, qui eſt locus 14. manſionis, déque deſerto Pharan intelligi nequit. Melius Abulenſis quem ſequitur noſter Salianus [e], docet partim manſionum vocabula eſſe, in quibus populus fixis ſubſtitit tentoriis, partim locorum, per quæ tranſiuit, & in quibus dixerit pleraque Moyſes ex iis, quæ hoc libro repetuntur. Vnde per Pharan debent partialia alia eiuſdem deſerta ſumi Thophel, Laban, Dizahab (pro quo Interpres tranſtulit, *vbi auri eſt plurimum*) aut ſunt diuerſa manſionum ſub diuerſis nominibus, quarum manſionum vna erat Haſeroth; aut locorum, per quæ tantùm tranſitus fuit abſque fixa caſtrametatione. Nec enim repugnat in his etiam locis aliqua tradita eſſe à Moyſe, non ſolùm quando populus firmiter in caſtris manebat. Topographi conſentiunt, vt Ziegleus, & Adrichomius, atque hoc loco Caietani Scholiaſtes Fonſeca & Tornielliis [a].

c c.11.35. c.13.1.c.33. 17.18.

d 4. antiq. c. 7. vel 6.

Haſeroth quid.

e tomo 2. annal. anno Moſis 120. num. 152. 153

a apud an. anno mūdi 2583. num. 32.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

Vbi auri eſt plurimum.] Hebraicè דִי זָהָב *Di-zahab*. Et quia דַי *dai* ſignificat id quod ſatis eſt, vel etiam abundat, & זָהָב *zahab*, *aurum*: Græcè verò etiam extat nomen καταχρύσεα, quod exponunt *auri fodinas*, vt Hugo, & Lyranus *mineras*, licèt huius vocis Græcæ exemplum aliud adhuc non repererim. Pagninus, Vatablus, Caietanus, Fonſeca, Iſidorus Clarius, apoſtata Munſterus, Conradus Pellicanus hæreticus, Gebennenſia Gallica biblia hæretica, Hebraizantes cæteri retinent *Dizahab*, vt nomen loci proprium; quamuis citati Rabini, & paraphraſis Chaldæa inſinuari hîc velint reprehenſionem de vitulo aureo adorato, vt antea memini, & reieci. Non eſt inſolens Interpretibus L X X. & noſtro, illos imitanti, pro nominibus propriis, eorum exprimere notiones, ſeu etymologias, vt [b], *Factus eſt in pace locus eius*, vbi pro *Salem*, *pax* eſt. Nec Hieron. nec Beda quidquam ſcribunt de loco, qui diceretur *Dizahab*. Credendum tamen ibi aurifodinas fuiſſe, cùm dicto modo tranſtulerint L X X. Interpretes, & noſter; ibi, inquam in Haſeroth, vt plures aſſerunt, etiam ſi dubitet Rickelius an ad hunc vltimum locum id referri debeat præcisè, vel etiam ad alia; quod ſecundum Beda indicat. Addit verò prior, aurum generari inter fluuiorum arenas, & in aquilonari regione, vbi frigus circumſtans calor mineralis reprimitur, ac impellitur ad interiora viſcerum terræ, ſicque meliùs digeritur, & commiſcetur. Importat זָהָב *zahab* ſplendorem, flauorem, puritatem, hiſque de cauſis de oleo etiam nomen idem dicitur, atque de vino puriſſimo [c], & ſplendente, ſine fæce, & ſedimento, & auri metallum in ipſo ortu ſuo flaueſcit, & ſcintillat, quod non ita conuenit argēto [d]. Sed & Latinè *aurum* ab aura deriuant [e], id eſt, ab ſplendore; vnde illud

Pro nominibus propriis, eorum notiones dare quandoquidē ſolent Interpretes.

b Pſal. 73. 3.

Aurum vbi generetur.

c Iere. 51. 7.

Auri deriuatio.

d Plin. 33. c.6.

e Iſidor. 16. etym. c.17.

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

& *aura* nomen pro pulchritudine

—[f] *tua ne retardet*

Aura maritum.

Aura, pro pulchritudine.

f Virgil. 6. Æneid.

g Horat. 2. car. ode 8.

Hieronymus, Euſebiúſve tractato de locis Hebræis retinens vocem Græcam Latino charactere *Catachryſea*, exponénſque *aurea*; *Sunt*, ait, *montes auri fertiles in deſerto procul, vndecim millibus à Choreb, iuxta quos Moyſes Deuteronomium ſcripſiſſe perhibetur*; ſed & metalli æris, quod noſtro tempore corruit, montéſque venarum auri plenos olim fuiſſe vicinos, exiſtimant. Beda quatuor in locis myſticè ſumptis Pharan, Thophel, Laban, Haſeroth, inter quæ Moyſes locutus eſt, & quæ aurum multum habebant, euangelicum ſacramentum conſiderat: quod ſpirituali ſenſu pollet, locutum autem Moſem typum Chriſti ad omnem animam Dominum videntem (quod *Iſraël* valere dicitur) trans Iordanem; quoniam ante Baptiſmum prædicatum eſt Euangelium: in ſolitudine, id eſt, in Eccleſia; vt quia ſpiritualiter ab omnibus intus ſolitudo eſt: contra mare rubrum; quia quibus facta eſt prædicatio, contrarij erant Baptiſmo, legiſque veritati. inter dictos illos quatuor montes, quorum interpretatio eſt *auctus*, *inſulſa*, *dealbatio*, *atria*, quia Eccleſia in quatuor Euangeliis augetur in fide, inſulſa fit contra vitia, & diabolum; dealbata in Baptiſmo, pœnitentia, & reſurrectione; cui adhuc Eccleſiæ nomen congruit atriorum. Præterea

Solitudo, pro Eccleſia.

Quatuor illorum mōtium, Pharā, Thophel Laban & Haſeroth, interpretatio.

tetea docet significari per montea eosdem, quadriformem hominem, quatuur qualitatibus consistentem, humido, atido, frigido, calido; cui Euangelium prædicatur: duodecim diebus, quot scriptum putat diebus Deuteronomium, insinuati totidem Apostolorum electionem, ex quibus labente Iuda, vndecim remanserunt, significante simul Iudaicæ plebis lapsum, & in Euangelio per transgressionem Decalogi mandatorum. Rabanus legis veteris typum gessisse Moysem ponit: Iurdanem Baptismi: trans Iordanem docuisse, quia ante constitutionem Baptismatis, & noui Testamenti gratiam, lex priorem populum de mandatis Dei instruxit, & hoc in solitudine campestri, hoc est, in sterilitate carnalis plebis, quæ spiritualem virtutum fructum gignere nesciebat: contra mare rubrum, quia dura mens reproborum, ablutionem peccatorum in sanguine Christi fieri nullo modo credidit: inter Pharan, Thophel, Laban, Haseroth, quæ interpretantur *auctus*, *insulsitas*, *dealbatio*, *atria*: quia populus, cui lex diuina exposita est, auctus fuit iá in multitudine hominum, quàm etiam in collatione legis & Prophetarum, quæ eis diuina clementia impendit; sed insulsus fuit, quia salem spiritualis sapientiæ non amauit; dealbatus in ceremoniis legis, & vanis munditiis, quas se ex præcepto legis habere credebat; atria dici populum eumdem, quia per Scripturas diuinas ad introitum fidei paratus fuit; ita, vt plurimi eorum in Saluatoris nostri aduentu à lege docti, & ex Prophetarum oraculis instructi, eò facilius ad credulitatem eiusdem Mediatoris Dei, & hominum peruenire potuerint; quoniam eam eum ante prædictum sacris literis agnouerant iuxta id, [a] *Quem scripsit Moyses in lege, & Propheta inuenimus* IESVM, &c. ibi auri plurimum fuisse, quia multiplicia mysteria, & thesaurus spiritualis sapientiæ diuinæ inest libris legis, & Prophetarum, vt piè quærentibus, & ritè intelligentibus liquidò patet. Glossa ordinaria Bedam videtur transcripsisse, Rabanum Interlinearis. Hæc ait Iudaico populo legem datam ante Baptismum in Ecclesia, in qua non est horror spinarum, id est, vitiorum, sed Baptismus, Christique sanguis rubeus, auctam verò Ecclesiam, ac longè latéque diffusam, & dilatatam, visam insulsam, hoc est, stultam, quia despicit visibilia, cupiens inuisibilia: dealbatam in Baptismo: atriorum nomen iis congruere, de quibus ipsamet canit [b], *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*; in illa esse auri plurimum sapientiæ, atque multifaria mysteria. Porrò tropologia Rickelij est; vt exemplo Mosis præ solito tam diligenter, feruentérque sub mortem suos admonentis, & Christi, qui post vltimam cœnam, adeò prolixum sermonem habuit, animarum curam habentes sibi commissos tota sollicitudine hortentur, informent, corripiant, omnia saluti necessaria proponant, omni timore carnali, & mundano postposito; verùm ita, vt priùs interficiant Reges Amorrhæos, id est, vitia, ambitionem, fastum, carnalitatem, in semetipsis, tenebrarúmque principes conterant sub pedibus suis. Oleaster admonere voluisse Dominum, & Sanctos nomine Domini, loca in quibus populus admonitus est, tam diligenter annotare, ac describere, vt si postmodum rebellis causaretur se non admonitum, ipsamet loca in testes vocarentur, admonitósque testarentur. Si enim homines, inquit, lapidum cumulos, & statuas, quas erigunt, in testes fœderis vocant, quemadmodum legimus de Iacob, & Laban [a], qui cumulum lapidum, quem statuerant, cumulum testimonij vocauerunt, quare hoc non licebit Deo?

[a] Ioan. 1. 45.

[b] Psal. 83. 3.

[a] Gen. 31. 51. 52.

Vers. 2.] Vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vsque ad Cadesbarne.

INchoaturus Moyses expositionem suam à digressu montis Horeb versùs Cadesbarne vicinum locum Idumææ, obiter scribit viam illam esse vndecim dierum, quamuis in itinere vsque ad campestria Moab, vbi Deuteronomium promulgatum est, multo plures dies Hebræi posuerint, vt liquet ex decimatertia, decimáque quarta mansione. Ergo significatur hîc, distasse non quidem campestria Moab, vbi Moyses Deuteronomium promulgauit, sed Cadesbarne ab Horeb, siue à Sina, vndecim diebus. Iuxta mensuram topographicam Christiani Adrichomij, ab Horeb, seu à Sina, vsque ad Cadesbarne intersunt leucæ 17. vnius horæ, à Cadesbarne vsque ad eadem illa campestria Moab, 34. leucæ; proinde omnino 51. ab Horeb, siue à Sina illuc vsque, sicque quolibet die conficiendo quatuor leucas cum dimidia (quod spatium pro multitudine tanta, tótque impedimentis Hebræi populi nimium potius videri posset) vndecim diebus veniretur à dicto monte ad campestria Moab. Ratiocinatur hunc in modum cum Abulense [b] Cornelios noster, quasi esset sermo de distantia inter Horeb, & campestria Moab; cùm tamen expressè dicatur, illa esse ab Horeb, ad Cadesbarne. Torniellus [c], quem noster sequitur Salianus [d], Abulensem refellit, hac ipsa de causa, quoniam textus distantiam statuit inter Horeb, & Cadesbarne, non inter illum montem, & campestria Moab, vbi Moyses tradidit Deuteronomium. Præterea, quia Elias posuit 40. dies à Bersabee vsque ad Horeb [e]: inter quæ breuior multo via est, quam inter Horeb, & campestria Moab, vt verisimile non sit vndecim solùm dierum fuisse iter ab Horeb, vsque ad illa campestria. Quamuis autem Elias fugiens Iezabelem huc illuc vt euaderet, ac non recto itinere pergeret: quis credat adeò longè digressum esse, & aberrasse, vt ad locum minus vndecim dierum itinere distantem, peruenire nequiuerit, nisi spatio 40. dierum? Itaque volunt isti, reuera de Horeb ad Cadesbarne populum peruenisse interuallo vndecim dierum. Id quoque Caietan. & Oleaster declarantes hunc locum dicunt; nempe significari fuisse iter vndecim dierum ab Horeb vsque ad Cadesbarne prope Chanaan, à cuius Chanaan ingressu prohibiti Hebræi propter murmur, per 40. annos circumducti sint. Recitat præterea Oleaster ex Munstero, quod Fonsecæ placet, hîc non asseri vndecim diebus iter confectum, sed confici potuisse. Addit, non numerari dies, quibus populus requieuerit in eadem mansione, sed quibus iter fecit; dempto autem mense, quo mansit in sepulchris concupiscentiæ, & in Haseroth, iter illud confectum esse vndecim diebus. Meminit postremò sententiæ Hebræorum, licèt iter à monte Horeb vsque ad Cades, sit vndecim dierum,

Paraphr.

[b] q. 3.

[c] tom. 1. annal. anno 2545. num. 52.

[d] tom. 1. annal. anno Mos. 120. num. 153.

[e] 3. Reg. 19.

rum, populum tribus diebus id confecisse. Hoc nomine excellit Abulensis [a] Rab. Salomonem, quem & Lyranus videtur sequi, cùm asserunt, sicut versu præcedente, improperata significantur à Moyse alia beneficia populo, ita in hoc illud improperari, quòd iter vndecim dierum, tridui solùm interuallo confecerint. Sequeretur, ait Abulensis, quòd vna die populus decem & octo vicibus castrametatus esset: quia tot mansiones sunt inter Haseroth & Cades, vt ex Numerorum cap. 33. colligitur. Deinde, quia modus ille dicendi supponit, quæ hîc scribitur Moysem dixisse, dicta esse ab illo alibi, quam in campestribus Moab, & alio tempore quam anno quadragesimo ab egressu de Ægypto, quod repugnat his, quæ habentur in textu. Aliam opinionem Lyranus reiicit, de vndecim diebus, quos posuerit Moyses in proferendis verbis, quæ isto libro continentur: nec enim exponi potest litera, inquit, præsens ita vt aptè coniungatur sequenti, *per viam montis Seir*. Præterea quoniam non adeò commodè in ipsomet itinere, ac ambulando, proficiscendóque loqui poterat Moyses multitudini, & præcepta tradere, nec vicissim poterat illa satis attendere (licèt *certis* horis quiesceret, & Christus ambu*lando* nonnunquam docuisse videatur [b]: & Iudas Machabæus per totam viam, donec venirent in terram Iuda, exhortatus [c]: sed videtur præsens legis explanatio à c.1. vsque ad 31. recitata per partes, ac per vices interpolatas circiter spatio mensis vndecimi, sub cuius finem, iam expleta Deuteronomij prædicatione, tradidit Moyses sacerdotibus volumen quod scripserat, reponi præcipiens, & asseruari ad latus arcæ fœderis Domini; disponens verò se interim ad mortem, quam sibi sciebat imminere, animando populum ne timeret Reges Chananæos: successorem Iosue coram populo corroborando: pactum diuinum cum eodem populo sanciendo, scribendo, dictando, recitando coram Iosue, maioribus natu, Doctoribus, canticum; idque, vt omnes alij addiscerent, decantarentque deinceps per generationes suas, iubendo. A primo die Sabath vsque ad sextum mensis sequentia Adar, seu Februarij, per 36. dies, vt est in Chronico Hebræo, & in Chronol. Genebrard. apúdque Adrichomium, Moses explanauit legem. Quod Iosephus tradit factum, cùm iam de anno 40. migrationis, dies tantùm 30. superessent, Hugo refert duplicem expositionem tum de verbis, quæ Moses locutus fuerit in tali loco vndecim diebus, tum quòd tot diebus venerit populus de Horeb per viam montis Seir, vsque ad Cadesbarne; ita vt cùm secundo anno ab exitu de Ægypto venerint Hebræi in Cadesbarne, quæ fuit trigesimatertia mansio, territi ab exploratoribus murmurauerint, Dominóque vindicante, redeuntes vsque ad Horeb, diu errauerint, & 49. diebus venerint de Horeb in Cadesbarne: in vndenario autem dierum facta sit hæc recapitulatio, ac fortè singulis diebus aliquam partem Moses explicuerit: vel vno die dicta sint omnia, & vndecim scripta. Citat vtrinque diuersas Glossas. Cæterùm illa opinio de diebus, quibus Deuteronomium scriptum sit, est Bedæ, quamuis duodecim numeret, eóque numero totidem Apostolos designatos dicat, abiecto Iuda proditore à Deo electos, vel certè Iudaicæ plebis lapsum, & in Euangelio per transgressionem Decalogi mandatorum; vt sic nempe vndecim existant, quod etiam Glossa de Apostolis notat, Iuda reprobato: & Isidorus Rabanúsque posteriorem causam de lapsu Iudæorum, quem Glossa interlinearis transgressionis numerum vocat. Diximus & nos nonnihil de vndenarij numeri mysteriis, quæ plerumque malum quid sonent (de quo plura Petrus Bongus tractans de mysteriis numerorum) in Commentario Actuum Apostolorum [a]. Verùm quidquid asseratur de literali sensu, quem esse arbitramur initio à nobis positum, & passim nunc recipitur, rectè Caietan. obseruat distantiam illam, seu viam à monte Horeb (qui pars dicitur montis Sinai) vsque ad Cadesbarne à Mose supputatá; quia ibi incipiebat terra data filiis Israël, erátque iuncta terræ Chanaan, & rationi videbatur consentaneum, post descriptum locum, vbi Moses libro isto contenta locutus est, tam longæ, latæque vastitati locorum annecti distantiam tam paruam à monte illo Dei, vsque ad terram Israël, vt & hinc perpenderetur, quàm magnam iacturam fecissent, qui noluerant ex Cadesbarne progredi secundo anno. Sà noster adiicit, quia sequenti capite [b] docturus erat Moyses viam deinde breuiorem, vix potuisse à populo 38. annis confici: vnde intelligeretur quanti referat, Deum fautorem habeas, an vltorem. In qua exprobratione est aliqua voluptas, ait Olexster: docemúrque pluris æstimare oblata beneficia, statimque acceptare, ne benefactorem pœniteat, & illa impediantur. Citatus Torniellus monet morem esse Scripturæ, aliqua alibi transponere, quædam alicubi non bene expressa, vel omnino prætermissa, loco alio supplere, ac aliis rebus obiter interponere. Exemplis probat, infértque simili ratione distantiam ab Horeb ad Cadesbarne hîc obiter insertam. Certè qui aiunt vndecim diebus legem explanatam inter eundum, non attendunt, necdum tunc natum populum nouum qui doceri debebat.

Vndecim diebus de Horeb.] Chaldaicè, *iter vndecim dierum est de Horeb*, מַהֲלַךְ *mahalach*. Quæ translatio fauet sensui allato, quòd iter illud eo spatio confectum sit, non tantum quod confici posset. Eumdem sensum efficeret editio Hebræa, si post מֵחֹרֵב *mechoreb*, sequens nomen דֶּרֶךְ *derech*, eidem iungeretur, *viam* significans. Græca similiter, si ὁδὸς *via*, post ἐκ χωρὴβ, cùm in nostra *per viam* referatur ad sequentia. Idem tamen significatur, quod vndecim diebus de Horeb transeundo per viam montis Seir, non solùm perueniri potest, solétque, sed etiam peruentum sit spatio vndecim dierum ad Cadesbarne proximum locum terræ Chanaan. Obseruat verò Lyranus loquendi modum hîc, quem vocant Hebræi *decurtatum*, & *recisum*; quoniam, quiddam supplendum est, nempe quòd vndecim diebus de Horeb ibatur per viam Seir vsque ad Cadesbarne. Exemplum dat ex 2. Regum [c], vbi quod translatio nostra habet, *qui percusserit Iebusæum*, &c. non fit mentio de præmio, quod tamen subintelligi debet, & exprimitur in Paralipomenis [d]. Scribitur aliquando *Oreb* absque aspiratione, pro *Horeb* nomine montis; cùm tamen ordinariè scriptum isto modo latinis literis, & Græcè ὠρὴβ sit nomen viri proprium [e], rationémque habendo Hebrææ linguæ, asperius notandum esset, quàm hoc nomen montis, vt pote cuius litera prima sit ע *hhain*, omnium maximè aspirata. Cognominatur hic idem mons Horeb

Marginal notes: a q. 3. — b Marc. 2. 23. Luc. 13. 22. — c 1. Mac. 5. 53. — *Vndenarij numeri mysteria.* — a In c. 2. — b vers. 14. — *Explanatio.* — c c. 5. 8. — d lib. 1. 11. 6. — *Horeb, seu Oreb quid.* — e Iudic. 7. 25. c. 8. 3. Psal 82. 12. Esa. 10. 26. — *Illius epitheton quod.*

mons Dei [a], quia ibi gloria Domini reuelata est, dataque lex [b]. Sed per prolepsim ita cum cognominauit Moyses [c] (quamuis in Vaticano codice L X X. & in Chron. Alex. nominetur *mons Horeb*, absque alia adiectione) cùm illud euenerit diu [d] pòst. Quam nominis rationem Paraphrastes Chaldæus reddidit, *quamprimum* [e] *venit in montem, vbi reuelata est gloria Domini in Horeb.* [Hebrew] *vaatha letura deithgeli ihalaba ukara dachonah lechoreb*: Ob altitudinem prætereà, magnitudinémque, ac amplitudinem posset ea illi appellatio conuenire, vt cùm dicuntur cedri * Dei, propter proceritatem, vel montes, & similia, licèt Sina, vt mox dicam, à quo, vt pars dumtaxat distingui censetur, celsior sit. Communi autem opinioni de anticipato epitheto montis Dei repugnat Iosephus [f], tradens volgò iam habitum religiosum, eáque de causa reprehensam accedentis illuc Mosis audaciam [g], quod & Abulensis [h] indicat; scribens famam fuisse, Dominum in monte illo habitare. Gratis, ac temerè id asseritur, cùm de solo Moria ob Abrahæ sacrificium [i], & de Bethel, propter visionem Iacob [k], eiusmodi locorum sanctitatem diuinæ litteræ testentur. Nec reprehensus est Moses; verùm dumtaxat monitus de honore exhibendo, propter Dei peculiarem præsentiam, vt accidit etiam postea Iosue [l]. Hieron. in locis Hebraicis, *Choreb*, ait, *mons Dei in regione Madian, iuxta montem Sina supra Arabiam in deserto, cui iungitur mons, & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur, quòd duplici nomine idem mons nunc Sina, nunc Horeb vocetur.* Sic ille. Argumento autem est, quòd, vt alibi etiam notatum est, lex Dei nunc in Sina [m], nunc in Horeb data legitur [n], & in libro Ecclesiastici [o] habetur; *Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis. Sina*, seu *Sinas* iugum dicitur esse montis Horeb, ac vtrique montis Dei nomen posse communicari, ita vt pars eiusdemmet montis orientalis Sina, seu Sinai appelletur; Horeb occidentalis; quemadmodum mons *Moria* in Ierusalem est iugum montis Sion versùs Septentrionem, in quo templum erat. Sion sine ciuitas Dauid respicit Meridiem, vbi erant Regum, Pontificúmque palatia, & à Moria seiungebatur per voraginem Mello, sicut Libanus ab Antilibano per vallem interiacentem [p]. Denique inter se radicibus cohærent, sed ita, vt Sina sit altior (vocatus à Iosepho omnium in ea regione celsissimus mons) quàm Horeb, vt etiam Sion est altior, quàm Moria. Lege de nostris Villalpandum [q], Serarium [r], Peterium [f], Salianum [t]. Prætereà diligentem terræ sanctæ descriptorē Adrichomium [u]. Septem rebus celebrem admodum & memorabilem obseruat Pererius mōtem illum fuisse, apparitione illa Dei admirabili, quæ Moysi facta est [x]; percussione petræ, vnde largissime profluxit aqua [y]: debellatione Amalec, dū ibi Moyses manibus in sublime elatis oraret [z]: legis traditione, maxima cum Dei maiestate, atque magnificentia [a]: ieiunio Mosis absque vllo cibo, & potu, dum interim cum Deo maneret [b]: vituli aurei adoratione, quam vlius est Moses, idololatrarum cæde, vituli contritione [c], Eliæ quadragenario quoque ieiunio, cui successit admiranda visio Dei [d]. His adiici potest Catharinæ virginis, illic per Angelos mirabiliter collocatum corpus, vbi Calogerorum cœnobium esse fertur in mediis nationibus Turcarum. Qua de re Bellonius [e], & Maffæius [f] noster. Nos ipsi de re tota egimus alibi [g]. In eodem monte, vel potiùs quatuor inde

a Exod. 3. 1. 3. Reg. 19. 8. b Exod. 19. 3. & seq. c. 20. 1. & seq. c Exod. 3. 1. d c. 19. e c. 3. 1. * Pf. 79. 11. f 2. antiq. c. 5. g Exod. 3. 5. h ibidem. i Genes. 22. 2. k c. 28. 11. & seqq. l Iosue 5. 15. m Act. 7. 30. 38. Galat. 4. 24. 25 n Deut. 1. 6. c. 4. 10. 15. c. 5. 2. c. 9. 8. c. 18. 16. c. 29. 1. *Sina, seu Sinai quid.* o c. 48. 7. p Pina. lib. 5. c. 20. q in Ezech. p. 1. de vrbe lib. 2. c. 6. *Quid Moria.* r lib. 1. Iosue c. 4. q. 4. f in Exod. 3. disp. 2. t tom. 2. annal. anno Mosis, 80 num. 27. & seq. u theat. terræ sanctæ in Pharan. *Montis Horeb memorabilia celebritas.* x Exod. 3. 2. & seqq. y Num. 20. 8. & seqq. z Exod. 17. 8. & seqq. a c. 19. & 20. b c. 24. 18. & seqq. c c. 32. d 3. Reg. 19. 8. & seqq. e lib. 2. c. 61. & seqq. f 3. hist. ind. paulo post princ. g in Act. 7. 30. & in PC 105. 9.

milliaribus creditur petra fuisse, quæ percussa Mosis virga, aquas profudit adeò copiosè, vt ita populus minimum toto deinceps anno sit vsus, cùm decurrerent versùs castra in Raphidim, velut abyssus, & flumina [a]. Quod *miraculum permanens* [Hebrew] *pele kaiam*, & *aquas fideles* [Hebrew] *maiim neemanim* vocant Hebræi: ex quibus quidam prætereà volunt eiusmodi fontem Hebræos comitatum in deserto totis 40. annis. Id Salianus [b] noster non improbat, ac probari putat ex Paulo [c] appellante consequentem petram de qua bibeent; non quòd ipsamet petra moueretur, vel suopte nutu instar columnæ nubis, aut supra currus transuecta; sed quia existens aqua deriuaretur, ac sequeretur corporē perennitéque. Verùm hac de re aliis locis disputatum est. Etymon verò istius nominis Horeb, seu Choreb: חרב licèt scribat absque aspiratione, vt & in aliis nominibus, Hieronymus [d] tradit, vt significet ardorem, siue siccitatem, aut coruum, vel solitudinem. Eadem transcripsit Beda in suo tractatu de nominibus Hebraicis. Docet verò idem in commentario istius libri denotari iuxta mysticum sensum stabilitatem legis, eò quòd mutata esset litera ad sensum, vel quòd Euangelium, cuius figuram hic liber tenet, vitam ascensionis per fidem ad cælum denunciat: Lex à monte Sina incipitur, & in mōte Seir finitur. Seir autem *pilosus* interpretatur, quo indicatur mortalitas. Sicut enim lex litteræ de immolandis victimis, & de occisione illorum, qui proximos occiderent, præceperat, sic Euangelium de occasione peccatorum, & vitiorum est. Rabanus viam à monte Horeb per montem Seir vsque ad Cadesbarne, interpretatur veteris legis, quæ in Horeb data est, carnalem vsum, quem denotat Seir, pilosum significans, ac sordidum omnibus vitiis populum Iudæorum peruenire debuisse, nobili quadam commutatione, ad Cadesbarne, cuius etymon est *commutatus*, vel *electus*, vel *notabilis*, id est, spiritualem obseruantiam per Euangelium, quia omnia in figura contingebant eis [e], Christúsque venit legem non soluere, sed adimplere, volens nec iota, nec apicem ab ea præterire, donec omnia fiant [f].

Per viam montis Seir.] In editionibus aliis nectuntur ista cum prioribus hoc pacto, *vndecim diebus de Horeb, via*, idest, per viam montis Seir. vel *profectio vndecim diebus de Horeb via*, hoc est, per viam montis Seir. vel, *vndecim dierum ex Horeb via*, nimirum est. *super montem Seir.* Hebraicè est vnicum nomen דרך *derech*, *viam* significans, & הר *har*, *montem*, absque præpositione. Chaldaicè [Hebrew] *mahalach*, *profectio*, & [Hebrew] *orach*, *via* ponitur, atque etiam mons sine præpositione [Hebrew] *tura*: Græcè ὁδὸς *via*, & cum præpositione, mons ἐπ' ὄρος *ad montem*. Interpres noster sensum aliarum editionum expressit illis dictionibus, *per viam*, &c. Veniendo de Horeb ad Cadesbarne transibatur per viam, quæ ducebat ad montem Seir, non quòd ipsamet via esset in illo monte, vel infra, & inter eum, quoniam mons Seir, ac Idumæa, ad quam pertinet, est vltra Cadesbarne, seu Cades (quæ non distinguuntur ex quorumdam sententia) siquidem cùm essent Hebræi in Cades, in extremis finibus regis Edom, nuncios miserunt ad illum, vt faceret transeundi potestatem per suam regionē [g]. De Seir c. 24. [h] libri Numerorū actum est, tum quantum ad rem, tum, quantum ad vocē. Extat in diuina Scriptura *Seir* pro mōte, vt in hoc nostro textu, & alibi [i], ac interdum pluraliter pro mōtibus [k]. Appellatur sic etiā prouincia in montibus

a Pf. 77. 19. 20. *Mons. Hebr.* b tom. 2. anno Mosis 81. nu. 318. 319. c 1. Cor. 10. 4. *Illius etymon.* d tract. de nomin. Hebr. de Exodo. *Seir quid significet.* *Cadesbarne etymon.* e 1. Cor. 10. 6. 11. f Matth. 5. 18. g Num. 20. 14. & seqq. h vers. 18. i Gen. 14. 6. c. 36. 8. 9. Deut. 2. 1. 5. Iosue 15. 10. c. 24. 4. 1. Para. 4. 42. lib. 2. 20. 10. 22. 23. Ezech. 35. 28. Ezech. 35. 3. 7. 15. Malach. 1. 3. k Gen. 14. 6. Malach. 1. 5.

bus sita, quam olim incoluerunt Horræi, seu Chorræi gigantes, ab Esau postea pulsi, à quo & nomen accepit, quia is pilosus, hispidus, hirsutus erat, quem *Seir* significat, sicut & nomen ipsiusmet Esau eidem monti tribuitur, necnon & deserto. Eiusdem nominis vrbs, seu villa fuit: & synonymice de iisdem Edom, atque Idumæa dicitur, ab alio epitheto eiusdem Esau, videlicet rufi.

Vsque ad Cadesbarne] De Cadesbarne dixi cap. 32.[a] & 34.[b] libri præcedentis. Chaldaicè sonat aliter, videlicet רקם גיאה *rekam gheah.* Ex eo loco missi sunt exploratores promissæ terræ[c], differtque a Cades, quidquid nonnulli contradicant, vt citatis locis notatum est. Nam Cadesbarne est in extremo deserti Pharan ferè in ipso ingressu Chanaan; vt idcirco iussus fuerit murmurator aduersus hanc populus, in solitudinem reuerti, ad cuius initium iam extrema peruenerat. Cades est in deserto Sin, vt constat ex eodem libro Numerorum[d]. Iuxta Cadesbarne fuit decima quinta mansio; in Cades trigesima tertia. A Cadesbarne non est transitus per Idumæam in Chanaan, vt colligitur ex eiusdem libri c. 13.[e], & in fine 14. quia nulla illic mentio est Idumæorum inter gentes ibi memoratas. At de Cades ventum est in *Hor*, qui in finibus Edom est[f], dicuntúrque termini filiorum Esau, per quos inde transituri erant Hebræi.

a vers. 5.
b vers. 4.
c Deu. 2. 19. & seqq. c. 9. 23. Ios. 14. 6. & seqq.
Cadesbarne, & Cades differunt.
d c. 20. 1. & 33. 36.
e vers. 22. 23.
f Num. 20. 22. Deut. 2. 4.

Vers. 3.] Quadragesimo anno, vndecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia quæ præceperat illi Dominus, vt diceret eis.

Vers. 4.] Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai.

Vers. 5.] Trans Iordanem in Terra Moab, cœpitque Moyses explanare legem, & dicere.

PARAPHRA. DEscribitur tempus repetitæ legis promulgatíque Deuteronomij, cùm iam pridem prima vice Moses legem tulisset anno secondo ab exitu populi de Ægypto; cùm intercessissent anni 38. tandem in vltimo peregrinationis, qui erat quadragesimus, non ita multò pòst moriturus Moyses iussus est sermonem de lege priùs tradita habere, præcipua quæque de iudicialibus, ac moralibus præsertim, magis explanando, & nonnulla etiam tunc omissa adiiciendo, prout etiam Dominus de nouo suggerebat, & imperabat. De ceremonialibus vix aliquid attulit, quia continebantur ferè in libro Leuitici, & illorum cura Leuitis potissimum incumbebat, quos verisimile erat diligentiùs memoria retenturos, & eorumdem executioni operam daturos. Dionysius Rickelius Carthusianus audiendus non est, cum quadam Glossa, quam citat; cùm aduersùs communem receptámque sententiam affirmat peregrinationis Hebræorum in deserto tempus fuisse annorum ferè quadraginta duorum; ita vt qui dicitur nunc quadragesimus, computetur à reditu exploratorum de terra Chanaan. Repugnat id verbis capitis sequentis[g]; *Tempus, quo ambulauimus de Cadesbarne* (nimirum redeundo, postquam exploratoribus reuersis, populus murmurauit contra Chanaan) *vsque ad transitum Zared, triginta & octo annorum fuit, &c. tu transibis hodie terminos Moab, &c.* Igitur anno 40. post egressum de Ægypto, quia duo præcesserant, quo tempore facta est exploratio terræ, cum regressu populi versùs mare rubrum, vnde priùs venerant, in quo errore consumpti sunt anni 38. contigere quæ hîc narrantur. Sensu mystico Isidorus, Beda, Rabanus, Glossa, quadraginta annis, quibus laboriosè peractis, filij Israel ad repromissionis terram transierunt, totum sæculi tempus significari volunt, in quo viuit Ecclesia sub laboribus, & periculosis tentationibus, sperando, quod non videt per patientiam, quousque ad promissam æternæ felicitatis perueniat patriam: ideo & Dominum 40. diebus ieiunauisse, & tentatum esse in eremo[a]; corpus enim eius, quod est Ecclesia, necesse esse tentationes, laborésque pati in hoc sæculo, quousque veniat illud tempus, vbi post tentationes accipiat consolationes. Addût Beda, & Glossa, quòd Ecclesia denarium prædicat, nempe Decalogum, & quaternum, propter quatuor Euangelia, decies autem quatuor quadraginta sunt. Rabanus, & Glossa circa vndecimum mensem, & primam eius diem, obseruant, quòd sicut in vndecimo expressa est legis transgressio (quod iam antea notatum est, ponitque in eo numero Antichristum Beda[b], & ipsum mensem vndecimum Hieronymus[c] ad res sæculi pertinere scribit, vt omittam alia, de quibus Petrus[d] Bongus) sic in prima die peruigil ad docendum legislatoris intentio, qui ex quo inobediens populus legem transgredi non timuit, statim prædicando, & corrigendo, voluntatem Domini insinuare studuit, & eos ad meliora trahere, vel prouocare verbis, & exemplis non cessauit. Beda congruum fuisse ait primo die legem loqui, quoniam lex de primitiuia imperauit: & lex illis lux fuisset, si voluissent; vel quia datum est Euangelium in die noui Testamenti: dies prima veterem legem significat, nouam secunda. Quamquam alio modo nouæ typum in Deuteronomio fuisse antea diximus. Sed & in prima die vndecimi mensis, qui mensis iuxta computum anni sacrum, incipiendo à Nisan, siue à Martio, respondet nostro Ianuario, quem vocant Hebræi *Sebat*, deprehendunt aliqui[e] similitudinem quandam cum Kalendis nostris Ianuariis, in quibus Christi celebratur circuncisio, cum Impositione nominis IESV; quasi tunc legem nouam condere cœperit Christus, suóque sanguine sancire, voluerítque vt Christianis noui anni, ac nouæ vitæ exordium felix, ac faustum esset. Quod autem inseritur mentio interfectorum Regum Amorrhæorum, Sehon, & Og, Beda, Rabanus, Glossa insinuari asserunt, quòd remotis scandalis, & superatis vitiorum turmis, competenter doctrinæ insistitur, & fidei lumen dignè desiderantibus aperitur: debemus priùs in nobis vitia occidere, & sic mandata diuina populis tradere, dæmonem, & sensum malum, qui rex est vitiorum cum Mose, immo cum Christo, cuius is typus erat, superare, ac de medio tollere. At Rabanus adhuc perpendens etymologias nominum quæ locis propria sunt, vt *Sehon* significet germen inutile, vel tentationem oculorum; *Amorrhæi* amaricantes, *Og* conclusionem, *Basan* confusionem, *Hesebon* cogitationem, vel cingulum mœroris, *Haseroth* vestibula, vel atria, *Edrai*, inundationem malorum, docet per Sehon figurari diabolum, qui transfigurat se velut angelum lucis[f], & per hæresim, vel schisma, veritatem mentitur, vt fallat incautos: hunc habere pro

g cap. 2. 14.
Sensus mysticus.
a Matt. 4. 2. Marc. 1. 13. Luc. 4. 1.
b in Apoc. c. 17.
c in Zac. 1.
d de myst. numero vndenario.
e Com.
Etymologia nominum Sehon, Amorrhæi, Og, Basan, Hesebon, Haseroth & Edrai.
f 2. Cor. 11. 14.

Rege Amorrhæos, quia nisi quædam simulatio veritatis præcedat, non sont hæreses amaitcanies, non schismata exacerbantium in Ecclesia: occidi verò istum regem in vnoquoque homine, quando quisque damnat simulationem, & diligit veritatem: diabolum, iuxta traditam notionem Og, & Basan, id agere semper, vt concludat viam ad Dominum, opponēdo idola sua, ne credatur in Christum, quia conclusio præcedit, vt rex, confusio sequitur tamquam plebs, & quos modò conclosit diabolus, ne credant in Christum, qoando apparuerit Christus, omnes confuodentor: Sehon habitasse in Hesebon, qoia diabolus radix omnium malorom, cogitationibus se intermiscet humanis, & mentem cingit solicitudinibus superfluis, ne verba proferat veritatis, & opera exerceat pietatis: Og regem Basan mãsisse in Haseroth, & Edrai, quoniam inde certat diabolus, vt omnes, quorum ipse est rex, nunquam fidei ianuam intrent, sed foris manentes, in infidelitate, operibus semper insistant iniquis. His similia legi possunt in nostro commentario libri præcedentis.

Explanatio.

Quadragesimo anno.] Præponitur in editionibus aliis, *& factum est.* Annum verò quadragesimum paulo antè dixi contra Rickelium, computari debere non à redito exploratorum de Chanaan, sed ab egressu ex Ægypto, ita vt cunctum tempus peregrinationis in deserto, non fuerit 42. annorum, sed solùm 40. annorum autem 38. post reditum dictorum exploratorum. Erat hoc tempus, vt pridem dictum est, valde opportunum, vt pote sub mortem Mosis; & quia plures tunc erant iuuenes, qui primam legis promulgationem non audierant; & quia videntes iamiam implendam Dei promissionem de Chanaan, promptiùs, alacriùsque audituri erant; & quia faciliùs persuadendi erant, vt obedirent, cùm cernerent tam liberaliter solui à Domino, quæ pollicitus fuerat.

Vndecimo mense.] Hic est Sceneth, meliùs *Sebet*, loquit Mariana noster, qui est secundùm nos Ianuarius, si à mense Nisan, hoc est, à Martio, annus incoëtur: si à Thisri, erit שְׁבָט *ab* nostro Augusto ferè respondens. Communis opinio est de mense Ianuario; quoniam instabat finis anni 40. quo omnis generatio eorum, qui exierant de Ægypto, ab ætatis vigesimo anno, & supra, finienda erat. Cùm autem huius mensis die prima, vt hîc mox dicitur, inceperit Moses legem explanare, si vltima sequentis mensis mortuus est; bene colligit Oleaster, illud ponens duobus mensibus eam explanationem absolutam. Sed antea retuli ex Hebræorum chronico, & aliis, dies tantùm 36. quod Thalmudicos item tradere Masius [a] refert; & ex Iosepho 30. In fine illius anni 40. mortuum Mosem Caiet. & passim alij asserunt. Memini aliàs poni mortem illius in Martyrologio Septembris die 4. quod extat etiam in Menologio. Sed in Kalendario Hebræorum recitatur septimo mensis Adar, id est, Februarij, qui est duodecimus apud ipsus: quo die etiam propterea erat indictum ieiunium; vt in eodem Kalendario notauit Genebrardus. R Moses præterea in procemio Misna, idem sentit; & quidem sub meridiem: item Iosephus primam eius mensis diem assignaus. Exprimunt Abulensis, & Marzilla hoc loco Ianuarium mensem, respondentem vndecimo mensi; eo quòd Hebræi à Martio inciperent, & in Februario desinerent; sicut, inquit, etiam Romani antiquissimi, prout ille cecinit [b],

Qui sequitur Ianum veteris fuit vltimus anni.

Infert Oleaster ex hoc ipso loco nostro, iam ab initio mundi annum constitisse duodecim mensibus. In Genesi [a] quidem extat mentio mensis secundi, septimi, decimi, primi: in Exodo [b] primi, secundi, tertij: in Leuitico [c] septimi, primi: in libro Numerorum [d] primi, secundi, quinti, septimi, in aliis libris aliorum, iuxta numeros alios. Tractat hoc argumentum de mensibus Hebræorum accuratè Mariana noster in opusculo de die mortis Christi, & ex eo mutuatus Salianus [e], qui citat alios nostros, Peretium [f], Sa [g], Gordonium [h], Cornelium [i] post Paulum Forosemproniensem, Kalend. Hebr. Genebrardum, Riberam [k], Abulensem [l]; & ex cacodoxis Mercatorem [m], Iosephum Scaligerum [n], item ex aliis Torniellum [o]. Sæpius monui de duplici anno apud Hebræos, profano à mense Tisri, id est, à Septembri; & sacro à Nisan, id est, à Martio; & quòd anni, ac menses essent lunares. Post Nisan, qui priùs appellatus est Abib, hoc est, mensis nouarum frugum, secundi nomen est Iiar, olim Zio [p], tertij Siuan, quarti Tammum, quinti Ab, sexti Elul, septimi Thisri, antea Ethanim [q], octaui Marchesuan, qui & Bul [r], noni Casleu, siue Kislen, decimi Tebeth, vndecimi Sebath, duodecimi Adar, qui dicebatur Ve-Adar, & tertio ferè quoque anno geminabatur (excipiunt aliqui [f] ab embolismo, seu excrescentia, annum 12. 15. 18. volentes conuenire dumtaxat 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. efficientes ambolismarem annum dierum 383. vel 384. vel 385. sicut ordinarij constabant 353. aut 354. aut 355. Cùm autem Luna cursum suum conficiat diebus viginti nouem, horis duodecim, horæ vnius particulis 793. quæ omnes particulæ numerantur 1080. inde fit, vt ferè alternatim menses constent diebus 30. & 29. quorum illi plent vocantur, hi deficientes, seu caui: ac ex priorum numero sint primus, quintus, septimus, nonus, vndecimus; ex posteriore quartus, sextus, octauus, decimus, duodecimus. Adar autem secundus, quo anno additur, constet diebus 29 primus, hoc est, anni duodecimus diebus 30. Quod verò attinet ad menses, qui iam inde à mundi fuerint exordio, liber Genesis [t], tradens munus luminatiom, vt essent in tempora, dies, annos, non fecit de mensibus mentionem; qoia fortasse, ait August. [u] mensis annus est Lunæ; quia, Theodoreto [x] auctore, ex Lunæ cursu numerum mensium discere possumus; quæ Luna triginta diebus, sex horis minus, cursum suum conficit; & Græcè μήνη dicitur, sicut mensis μήν: quia, vt docet Bonauentora [y], iungens causam simul de omissa septimana, in hac, & in mense non tangitur noua variatio, vel terminatio; quia Moyses respiciens in consuetudinem legis, & mandata, quæ condidisset, cùm hæc scriberet, voluit menses, inquit Eugubinus, designare, cùm dixit, tempora. Lege Ascanium Martinengum [z].

Prima die mensis.] Iuxta editiones alias, *vna die*, & in Chaldæa nomen mensis à Luna dicitur יַרְחָא *sarcha*, quemadmodum in Græca μήν à μήνη. Interpres aliquando pro *primo* [a], *vnum* transtulit: cùm alioqui æqua ratione nonnumquam dicatur tam de secundo, vel tertio, sicque deinceps, quàm de primo; vt in 1. Regum [b], *Hi sunt ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino, Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum. Diem* à Deo deriuat Varro [c], seu à Cœlo Deo, quia cœlum putabant Deum quendam esse, cuius motu dies conficitur. Festus à Ioue tectore, qui Græcè ζεὺς δῖος dicitor (placet id Iulio Cæsari Scaligero [d]), quòdque sit diuinum quid, operisque diuini; siue quòd aër diurnus debilitat

Marginal notes:

a in Iosf. 1. vers. 11.

b Ouid. 1. fast.

Annu duo-decim mensibus cōstitisse ab initio mundi.

a c 7.11. & 8.4.5.13.14.

b c.12.18.c.16.1.c.19.1.c.40.17.

c c.16.29.c.23.5.24.27.32.39.41.c.25.9.

d c.1.1.c.9.11.c.19.1.c.33.38.

Annus duplex apud Hebræos.

Anni & menses lunares.

e 10.2. anno Mosis 81.n.93. & seqq. & scholio 7.

f in Exo.10. disp.1.n.5.

g ibid.

h tom.1. Chro. c.19.

i in Exo.12. & lib. de ratio. temp c.45.

k 5. de templo c.2.

l in Leu.23. q.19.

m c.1 Met. a 7. emcud. temp. de compnio Iud.

o a.n.2544.

p 3.Reg.6.1.37.

q c.8.2.

r c.6.38.

f Salia.

t c.1.14.

u de Gen. imperf. c. 13.

x q.15. in Gen.

y 2.d.14.

z Glos. magna in Gen. c.1 p.942.

Vnum, dictis.

a Gen.1.5.

c 1.21. Mar. 16.2. Lucæ 24.1. Ioan. 20.1.19.

b c.6.17.

c 5. de ling. Lat.

Dies vnde.

d exercit. 365.2.4.

hiscat in candorem : alij à dio, vt sit sub dio, siue diuo, id est, sub cœlo, & in aperto lumen. Isidorus [a] à diis; quorum nomina Romani quibusdam diebus sacrauerunt. Beda [b] à diuidendo, quoniam diuidit lucem à tenebris. Comestor [c], & Hugo [d], a *diar*, quod est *claritas*. Græco nomine ἡμέρα. Procopius [e] mansuetudinem quamdam importari dicit, quia quidquid festum, & hilare est, placidum, mansuetum Græci vocant ἥμερον: & humanitatem, mansuetudinémque ἡμερότητα, & animalia mansuefacta, cicura, pacata ἥμερα. Gulielmus [f] Hamerus cum Platone ait à vetustissimis appellatam ἱμέραν, aut ἱμέραν, quia lux ipsa, inquit Plato, è tenebris nascebatur, hominibus multum gaudentibus, & desiderantibus illam, significat verò ἱμείρειν *desiderare*. Hebræi nominis יום *iom* etymum tradit Eugubinus [g] ab המה *ham*, *fremere, strepere, consonare*; quòd in die cuncta fremant, & perstrepant, noctu sileant plena horroris, ac tenebrarum. Dicere voluit המה *hamah*. Sed adhuc originatio illa difficilis est, faciúntque lexicographi יום *iom*, primitiuam radicem. Ex Latinis notationibus, vltima non subsistit, optima penultima, reliquæ tolerabiles. Etymologiam mensis accessit [h] à μὴν, & huius à μήνη *Luna*, & vtriusque à מנה *manah*, *distribuit, numerauit, computauit, mensurauit*; quia omnis annua computatio ex Lunæ motu, mensiúmque pendet, nec tamen Sole excluso: immò & à מני *meni*, quam putat Ioannes Beck manus [i] nonnullis Lunæ etiam vocem esse: quamuis hanc alij tribuant apud Esaiam [k] Mercurio, aut insignori alicui stellæ; aut exercitui cœlitum numero stellarum; aut numeris, numeróve simpliciter, qui Pythagoricè coleretur; aut numero turmæ, nimirum quam ibidem ante גד *gad*, exponunt: sed noster Interpres fortunam, explicans מני *meni*, *super eam*, idest, super Lunam, super quam libatio fieret: Metiendi, ac mensitandi rationem spectauit Cicero [l] in mensibus cùm scribit, quòd cursus Lunæ, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. Hebræi nominant חדש *chodes*, à nouitate, seu à nouilunio, quia חדש *chadas*, siue חדש *chiddes* est *innouare*. Chaldæi ירח *iarcha* à nomine ipso Lunæ, quem vsum habet præterea Hebraicè ירח *iarach* à ירח *iareach*, quod valet *Lunam*.

[a] 5. etymol. c. 30.
[b] de ratione comput.
[c] in Gen. c. 3.
[d] in Gen. 1.
[e] in Gen. 1.
[f] ibid.
[g] ibid.
Vide Komfis.
[h] Varro 5. de ling. Lat. Iul. 5. etymol. c. 32.
[i] de Orig. ling. Latinæ.
[k] c. 65. 11.
[l] 2. de natu. deorum.

Locutus est Moyses.] Obseruat Beda non dici hic, quòd sit locutus Deus; quia Deus per Moysem loquebatur; eò quòd populus Dei conspectibus fuit indignus. Caietanus, vt pridem antè admonuimus, quòd prioribus libris inducebatur loquens Deus, Moyses tamquam illius interpres, hoc libro ipsemet Moyses, vt Doctor, non præcipiens, sed declarans. Attamen, si quis relegat libros præcedentes, reperiet de Moyse scribi, quòd sit locutus, quamuis crebrò etiam quòd ei Deus, & Dei nomine, ac iussu Moyses.

Ad filios Israel.] Chaldaicè *cum filiis*, עם *hhim*, & Græcè *ad omnes*, πρὸς πάντας. De nomine *Israel*, quod initio quoque capitis occurrit, egimus alibi, quænam sit ratio eius, an viri videntis Deum, vel potius prævalentis aduersùs eum: & quòd sæpius cunctum Hebræum populum significet; aliquando eumdem exclusa Leuitica tribu: nonnumquam regnum decem tribuum, distinctum à regno Iuda, quòd istam comprehendebat cum tribu Beniamin: & quòd filij Israel, & Israëlitæ idem significent, sicut filij hominum homines, atque similes istæ loquendi formulæ. Pertinent quæ hic subijciuntur ad vniuersum populum, vtpote ferè moralia, iudicialiáque præcepta, paucis valde exceptis

A monialibus interiectis. Ideo non ad Israël, sed ad filios Israel dicitur, inquit Beda, quòd in adoratione idolorum fuerunt diuisi, vel quòd sexcentorum millium de Ægypto egredientium, filij tantùm ad terram promissionis peruenerunt, excepto Caleph (*Caleb*) & Iosue: vel sic intelligendum est quod dicit ad filios Israel, quasi dixisset, non ad gentes. Simplicior sensus est, vt non differat dicere filios Israel, & dicere Israëlitas. Filios Israël legimus passim in præcedentibus libris, & in Exodo etiam priusquam idola coluissent, vel mortui essent ij, qui egressi de Ægypto, peruenire ad terram promissionis nequiuerant: quamuis item non loqueretur nunc Moyses ad gentes: tamen
B propterea filios Israel vsurpasse, vt id significaret probabile non est, & documenta moralia, quæ in hoc libro traduntur, gentibus quoque conueniunt. Repetit porrò Rickelius, ab vniuerso populo Moysen dum loqueretur, exauditum. Quod antea monui, non videri adeò necessarium, vel etiam probabile, quamuis possibile sit.

Omnia, quæ præceperat Dominus, vt diceret illis.] Ante *omnia*, omisit Interpres *iuxta*, quod Hebraicè, Chaldaicéque valet כ *che*, & Græcè κατὰ, & *ipsi* את *othe*, יתהון *iathoh*, αὐτῷ: addidit verò, *vt diceret*: editiones enim aliæ habent, *iuxta omnia quæ præcepit*, seu *præceperat Dominus ei ad illos*. Hoc ostenditur, ait Beda, quòd non maius, neque minus, quàm vt audiuit, ediceret illis: & Rickelius
C volens datum à Deo præceptum per Angelum, qui voces formaret, Mosis notat obedientiam; nec tamen planè omnia nunc repetita quæ prius, Deo iubente, ille dixerat; sed quæ idem Deus iussit repeti, vel omnia, id est, quædam de omnibus: & omnia in generali de triplici specie præceptorum, iudicialium, moralium, ceremonialium; simul tamen aliqua de nouo addendo. Simili phrasi Lucam [a] scripsisse annotauimus in eiusdem commentario, sermonem fecisse se de omnibus, quæ cœperat IESVS facere, & docere; & Christum ipsum dixisse [b], se quæcumque audiuisset à Patre suo, nota discipulis suis fecisse. Caietan. docet sic scribere nunc Mosem, ne putaretur, quòd subiunctus sermo eius esset noua doctrina prodiens ex
D proprio ingenio; sed quòd loqueretur conformiter ad vniuersum id quod præceperat Dominus ei mandádum filiis Israël, & tamquam Doctor consonus sibi priùs reuelatis, & non tamquam interpres nouiter reuelatorum, quemadmodum locutus fuerat in libris præcedentibus. Toto hoc libro non inducitur loquens Dominus Moysi, nisi de morte ipsius [c]: sed Moyses recitat olim sibi ab eo dicta. Negari tamen nequit, quin aliqua non adhuc dicta in hoc libro adiiciantur, & priorum nonnulla magis declarentur: quæ in iam acceptis implicitè continebantur; vel etiam potius, quæ Dominus immediatè reuelauerat per Angelum: quamuis in dictis illis aliis voluminibus præscripta non fuissent. Simile quid contigit in scri-
E ptione diuersorum Euangeliorum; quot vni vnum tradit à Christo vel dicta, vel facta, quæ alius prætermittit, atque vnam eamdémque rem cum diuersis, non contrariis tamen circumstantiis: omnia verò ex diuina reuelatione, infallibilique S. Spiritus assistentia. Ex his verbis Marzilla colligit, rationem nominis *Deuteronomy*; quia indicant secundam promulgationem legis. Quare non satis aptè Glossa interlinearis videtur primi versus participium (*locutus*) exponens (*docendo*) idemmet quod est in tertio (*prima die mensis locutus est*) explicare (*scribendo*) vtrobique loqui

[a] Act. 1. 1.
[b] Ioan. 15. 15.
[c] c. 32. 48. & seqq. c. 34. 4.

sumitur

ſumitur de vocali ſermone, quemadmodum & dicendi verbum hoc loco.

Poſtquam percuſſit Sehon Regem Amorrhæorum, &c.] Verſus totus ex dictis in libro Numerorum intelligitur de Regibus iſtis duobus Sehon, & Og, déque locis Heſebon, Baſan, Edrai, cum etymologiis horum omnium nominum propriorum, quæ reperiuntur hîc (excepto Aſtaroth, de quo alibi) in Gloſſis pro germine inutili, vel tentatione oculorum: pro amaricantibus: pro cogitatione vel cingulo mœroris: pro concluſione: pro confuſione: pro veſtibulis, vel atriis: pro inundatione malorum. De verbo denique *percutiendi*, & cæteris aliarum editionum, ibidem egimus, quo pacto ſignificet interfectionem, non ſimplicem duntaxat percuſſionem. Percuſſos iſtos Bedam dicit in corpore, & in anima. Creditu facile eſt de infidelibus. Rectè præterea monet, aptũ videri Moyſi, edicere plebi Iſraëliticæ, poſtquam illis victoriam dedit de iſtis Regibus; vt bene audirent legem. Id etiam aduertit Caietan. nacta opportunitate Moſem populum inſtruxiſſe eùm hîc, experientia teſte, videbat ſe victorem, & Deum dare illis pluſquam promiſerat.

Percutiendi verbum.

Trans Iordanem.] Eodem ſenſu particula (trans) ſumi debet, quo in primo verſu: & alibi priore libro; videlicet reſpectu iam habitantium in terra Chananæa cùm eſſet reſpectu eorum, qui nondum ad eam peruenerant: ſicut hoc tempore nondum Hebræi peruenerant citra Iordanem.

In terra Moab] *Solitudo campeſtris*, appellata eſt verſu primo, & ſæpius libro præcedenti *campeſtria Moab*, aut planiora loca illius. Declarata verò etiam alias eſt latè patens terræ ſignificatio, non ſolùm pro elemento, ſed pro parte diuerſa eiuſdem: dictum quoque de Moab, quod nomen Gloſſæ hîc de populo ex lege interpretantur, qui legem ſpiritualem non habuit.

Cœpitque Moyſes explanare legem.] Videtur Interpres, qui omiſit pronomen (*hanc*) adiecta particula (*que*) qua carent coniunctione editiones aliæ, priora verba, *trans Iordanem in terra Moab*, referre ad ea, quæ antecedunt: ſecundùm verò dictas editiones ſenſum eſſe, quòd trans Iordanem in terra Moab cœpit Moſes explanare legem. Perinde eſt, vtro modo hæc accipiantur. Beda dignitatem Moſis indicari dicit, dum illi plana fuiſſe lex ſcribitur: & quòd ipſe populo eam explanauit. Rupertus vocat legis explanationem breuem (cõparando nempe eùm prioribus aliis tribus libris) & lucidam, atque penè cunctorũ, quæ ſpaeſim dicta, vel geſta erant, recollectionẽ. Caiet. vim facit in pronomine (*hanc*) quod omiſſum dixi ab Interprete noſtro habet autem Chaldæa paraphraſis doctrinam legis huius אוּלְפַן אוֹרָיְתָא הָדָא *ulpan oraitha hada*: vt intelligatur, quòd non protulit Moſes nouam, ſeu alteram legem; ſed legem iſtam in hoc libro ſcriptam, id eſt, in toto Pentateucho, qui eſt vnus liber, & iſtam, quam vt interpres Dei promulgauerat, & iſtam denique, quam populus acceperat, cuius declarationem ipſe proprio ore inſtruendo populum notam, protulit, & ſcripſit. Cæterùm pro verbo (*cœpit*) cenſet Oleaſter vertendum (*voluit, Moſes*, aut, *placuit Moſi*) quod Mariana noſter non improbat, & in librum Iub Iacobus Bolducus [a]: atque ita tranſtulit Paguinus. Vatablus verò eadem ratione aut (*ſtatuit apud ſe*) nempe (explanare, &c.) aut (*ſedit animo*) Hebræum eſt הוֹאִיל *hoil*: quod tamen adhuc Interpres noſter alibi [b] reddit, ſicut hîc: ſed alicubi [c] meliùs eſt, vbi Græcè eſt aduerbium *ἐπιεικῶς be-*

a in c.6.9.
b Gen.18. 27. Ioſ.7.7. c.17.12. Iud.1.27. 1.Reg.17. 39. lib.2.7. 29. Iob.6.9. Oſee 5. 11. &c.
c 4 Reg 5. 23

nigne: vel *iurauit* [a], vbi Chaldaicè רְעָה *rabbua, placitum fuit*: vel *acquieuit* [b]. Sed eamdem iſtius loci notionem eadem editio Chaldæa, Græcaque ſequuntur, ponendo שָׁרִי *ſcere*, & ἤρξατο. R. quoque Salomon explicans per *hithchil*. Quapropter non debuit Oleaſter huius noſtri loci tranſlationem reiicere, atque auctoritatem Thargum, ſiue paraphraſis Chaldææ, ac R. Salomonis, negligere. Aliud verbum בֵּאֵר *bear*, pro quo *explanare* legimus, & Græcè διασαφῆσαι, & Chaldaicè פָּרֵשׁ *pares*, ſignificat clarè aliquid, ſeu verbis, ſeu characteribus, exprimere. Inde בֵּיאוּר *beur*, apud Rabinos *explanatio*, ac *declaratio*, & putei nomen בְּאֵר *bear*, qui ſcilicet effoſſus aquam viuam habet, ſcaturientem, & claram, omnibúſque patens, ac apertus eſt.

a lib.1.12. 22.
b Iud.17. 11.

Et dicere.] Abſque coniunctione, לֵאמֹר *lemor*, & לְמֵימַר *lememar, dicendo*, atque λέγων *dicens*. Hoc item verbum indicat oris proprij locutionem, non ſcriptionem, vt antea quoque notatum eſt.

Verſ.6.] Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte manſiſtis:

Verſ.7.] Reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera quæ ei proxima ſunt campeſtria atque montana, & humiliora loca contra Meridiem, & iuxta littus maris, Terram Chananæorum, & Libani vſque ad flumen magnum Euphratem.

Verſ.8.] En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & poſſidete eam, ſuper qua iurauit Dominus patribus veſtris, Abraham, Iſaac, & Iacob, vt daret illam eis, & ſemini eorum poſt eos.

PARAPHRA.

EXplanationem legis incipit Moſes à diuina iuſſione, facta populo, vt de monte Horeb, ſiue Sinai, vbi manſio duodecima fuerat, versùs Amorrhæorum montem progrederetur, & ad promiſſam terram Chanaan, quæ appellatur Reuerſio, vt denotetur quòd illè mons Horeb, ſiue Sinai, erat aliquantulum ab itinere recto ſeparatus, debebátque id iter iam à profecturis reſumi, poſtquam in dicto monte, ad quem voluerat Deus ea de cauſa illos diuertere, accepiſſent legem, inſtitutionem Sacerdotij, ceremoniarum informationem, ſtructuram tabernaculi, ornamentorúmque ipſius, tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos, denique iudices, iuxta conſilium Iethro [c], qua in re conſumptus erat ferè annus, inquit Caietanus, annus cum menſe, & viginti diebus, computando tempus, quo venerant ex Ægypto, vſque ad Sinai [d], inquit Oleaſter: annus legitimus cum quatuor diebus, vt Hieronymũ citans, aſſirmat Hugo, abſolutè, annus, vt Rickelius. Reuerſionis præceptum Lyranus interpretatur non de illis, qui tunc erant, quia non fuerant in terra promiſſionis: ſed ratione illorum, qui inde deſcenderant in Ægyptum, iuxta id, quod eſt in Geneſi [e]: *Generatione quarta reuertentur huc*; ita vt quod patribus conuenit aſcribatur filiis, & contrà: quemadmodum promiſit Abrahæ Deus daturum ſe ipſi terram Chanaan [f]: & dixit Iacob exiſtenti in via, vt intraret in Ægyptum: *Nolo*

c Exod.18. 14 18. & ſeqq.
d Num.10. 11.
e c.15.16.
f c.12. & 13.

timere

tamere descendere in Ægyptum: quia ego descendam tecum illuc, & inde educam te reuertentem [a], & tamen Abraham non accepit immediatè terram promissam, nec Iacob in propria persona reuersus est ex Ægypto: sed ibi mortuus [b]. Procopius notat, nusquam hoc præceptum manifestè esse prædictum; nisi iuxta exemplar Samariticum tantùm in Numeris [c], post duarum tabularum legem: in Iudaicis codicibus potentiâ intelligi, cùm scribitur, quòd mouerunt filij Israël, sen profecti sunt, eùm scilicet anno secundo, vigesima die mensis, eleuata est nubes de tabernaculo fœderis [d]. Existimat Hugo imperium Domini debere intelligi, non verbo, sed motione nubis, quæ esset ei quasi dictio: quia per hanc, voluntatem suam eis significabat, qua nube stare, ipsi stabant, qua procedente, ipsi procedebant. Et quidem citato libro Numerorum [e], nubis hæc motio, statúsve, appellatur imperium Domini, & verbum. At Rabanus, ex eòque Glossa, præter hoc, asserunt, manifestum esse, omnem transitum illum populi præcepto diuino dispositum esse; licèt ibi in eo libro non commemoretur, quamuis tandem in eodem demonstrari Rabanus velit, vbi scriptum est, quòd ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Ad mysticum spectat sensum, vel figuratum sermonem Bedæ expositio, quòd sufficeret in monte illo mansisse; quia indigni essent habitare in terra, vel in lege Domini, vt reuerterentur ant in peccata, (permissiuè, aut per exprobrationem id accipiendo) aut per Abraham, Isaac, & Iacob, siue per historiam, & sensum, quod venire iubeantur, idest, venisse significentus ad montem, hoc est, ad superbiam Amorthæorum, & vitiorum; aut in bonam partem accipiendo, ad montem Amorrhæorum, Idest, ad fidem peccatorum, quia de peccato ornatur Ecclesia in fide, & cætera in loca, ad cætera vitia humiliora, ad montem à lege Dei, & humiliora, idest, peccata contra meridiem, idest, prosperitatem huius mundi: & iuxta litus, idest, terræ maris, traditam prophetiam, inuitatum ad ingrediendum in Ecclesiam, vel fidem Euangelij, vel regnum cælorum, & possidendum, non quidem quasi meruissent, sed propter merita patrum suorum. Glossa, eúmque ipsa Hugo, præceptum descendendi de monte considerantes, quasi propriè factum Moysi, postquam legem accepisset, docent non debere Doctorem semper instare contemplationi, sed aliquando descendere, vt sui, & proximorum curam gerat, iuxta illud [f]; *Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.* Quamquam illius sententiæ sensus literalior videatur, tametsi priorem illum satis multi tradant, isto non prætermisso; vt Paulus de laudibus propriis loquendo, censeri quidem possit insanire, quod indicantur facere scriptorum laudatores: id tamen compulsus necessitate faciat, ad gloriam Dei; ne si cùm huius minister esset, haberetur contemptui, contemneretúrque, quoque per ipsum prædicata doctrina, & consequenter Deus ipse: de se autem loquendo humiliter, ac modestè, quod solent homines sanæ mentis, hoc faciat in gratiam aliorum, accommodando se imbecillitati eorum, ac humilitatis exempla præbendo. Procopius ait per Horeb repræsentari cultum legalem, quia illic legem acceperunt, è qua e e mouere, tamquam ex vmbra ad veritatem iussi sunt. Ri kelij tropologia est; sicut filiis Israël, mox vt legem in Sinai acceperant, Dominus ussit ire ad terram promissionis, sic Christum cum in monte Tabor legem euangelicam dedisset (qui dicitur sermo Domini in monte [a], isque mons Tabor fuisse à nonnullis creditur, aut alius excelsus in Galilæa, vbi sermo ille habitus est: non autem Oliueti, qui est in Iudæa) statim auditoribus suis præcepit, vt per diuinorum executionem præceptorum, ad cælestem properarent hæreditatem, huiúsque sæculi pertransirent desertum, nihil in hoc mundo inordinatè amando, delectionéque sæculi aspernando. Expendit Oleaster pietatem Dei, vt non patiatur bona promissa differri, aut suos in malo loco detineri: sed quamuis non petant ipsi locum motare, contentique videantur in deserto manere, ac in squallore: curet nihilominus eos inde edocere, & ad amœniora loca perducere. Deinde; quòd hæc inuitatio, vocatióque fit, postquam Hebræi promiserant legis obseruantiam; quo etiam pacto dicturus est Christus his, qui suam seruauerint [b]. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ad hæc, quòd non ob solam promissionem factam vocauit Deus, & inuitauit ad terram promissam, sed propter obseruantiam Patrum: si quidem dixisse narratur ad Isaac [c]; *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, dabóque posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legésque seruauerit.* Seraphinus Capponus subtiliter annotat, distinctè poni nomina Patriarcharum Abraham, Isaac & Iacob: atque semen eorumque cùm illi terram non possederint, sed semen ipsorum, vt intelligatur mutua quædam dependentia: & quòd quodammodo vnum quid ex vtrisque componatur, sed ita seiuncti sint vt posteri à genitoribus corpora tantùm acceperint, animas à solo Deo: præterea dici semen post eos, vt significetur, dandam fuisse terram promissam imitatoribus Patriarcharum, ita vt propterea iis, qui ex Ægypto egressi fuerant ab anno vigesimo ætatis, & supra, permissum non fuerit ingredi in terram promissam, tamquam minimè vero semini eorumdem, quia fidem, & obedientiam ipsorum non sunt imitati. Sicut & eadem de causa Iudæi hoc tempore possessione eiusdem terræ sunt priuati, hósque Christus negauit filios Abrahæ esse: quia opera eius non facerent [d]. Denique monet in diuino promisso mendacium non esse; quamois illi, quibus terram promisit, eam consecuti non fuerint; quoniam in promisso includebatur conditio, si Deo fideles essent, eique obedirent. quod similiter intelligendum de regni cælestis adipiscenda possessione, quam ex iustitia consequentur, qui mandata Dei custodierint, quia is hac lege illam se daturum etiam eum iuramento promisit. Rupertus porrò in toto hoe sermone, Mosis & reliquo, qui per totum librum sparsus est, obseruat, vt priùs monui in præfatione [e], magnam, multúmque sollicitam viri mitissimi super omnes homines [f], dilectionem: & diligentem per omnia suauitatis artem, similem areolæ, à pigmentariis consitæ [g], ad hoc tendentis vt ad Domini erigat beneuolentiam atque dilectionem.

Dominus Deus noster locutus est ad nos.] Hebraicè etiam (*ad nos* אלינו *elenu:*) Græcè (*nobis* ἡμῖν:) Chaldaicè (*nobiscum* עמנא *ghimmana.*) Nomina verò Hebræa, & Chaldæa sunt יהוה *Iehouah*, & אלהים *Elohim:* Græcè κύριος ὁ θεὸς. De illis aliis admonet Caietanus, esse solita: vbique autem in hoc libro, scribi nomen Dei tetragrammaton, quod est יהוה *Iehouah*, nisi aliud annotetur. Glossa interlinearis

[a] c. 46. 4.
[b] c. 49. 32.
[c] c. 10. 11.
[d] vers. 11.
[e] c. 9. 18. 20. 23.
Sensus mysticus.
[f] 2. Cor. 5. 13.
[a] Matt. 5. & seqq. Luc. 6. 20. & seqq.
[b] Matt. 25. 34.
[c] Gen. 25. 4. 5.
[d] Ioan. 8. 37. 39. 40.
[e] c. 8.
[f] Num. 12. 3.
[g] Cant. 5. 13.
Explanatio.

certiorariis insinuari ait, & vt Deum, quasi creatorem suum diligat populus; & quòd Moyses sibi auctoritatem acquirit, dum Deum auctorem inducit. Videtur id ex Beda sumptum, qui verbis illis (*Dominus Deus noster*) suaderi plebi dicit, & aliis (*locutus est ad nos*) dignitatem personæ ostendi. In quo secundo supponi videtur de seipso Mosem intelligere (*locutus est ad nos*) Loquebatur Deus ad Mosem, siue Angelus in eius persona immediatè; Moses autem populo. Sed non videtur vsitatum Hebræis, quod factitant Latini, vt quis de seipso loquatur auctoritatis & grauitatis causa in numero plurali dicendo (*nos*) pro (*ego*) aut vt quis aliû alloquens dicat (*vos*) pro (*tu*) & his similia. Tritum illud bonè Grammatici,

At de me solo numerus dicetur vterque.

Alij passim referunt omnia hic recitata ad populum: vt Moses credendũ Domino suadeat, absque hæsitatione; quia veritas est per essentiã, nec falli potest, nec fallere, nec seipsum negare, cùm fidelis permaneat [a]. Quo autem pacto censeatur locutus non tantùm per signum nubis motæ nutum, sed etiam per vocem, & sermonem, antea docui.

a 2. Tim. 2. 13.

In Horeb.] Hunc synonymum esse dixi nomini Sina, seu Sinai, quódque locutio hæc, ac præceptum fuerit post datam legem, & alia peracta spatio vnius anni, & amplius in eodem loco.

Dicens.] Perfrequens pleonasmus verbi duplicis loquendi, ac dicendi, secundùm omnes editiones; de quo sæpius moneo.

Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis.] Hoc idem sonat ἱκανούσθω, *sufficiat* imperatiuè, vt etiam legit Beda, Hebraicè, Chaldaicéque, *multum vobis*. רב לכם *rab lachem*, סגי לכון *saggy lechon*. Eodem pacto in sequenti [b]. Caietanus circa pronomen (*vobis*) attendit indicari, quamuis absolutè non esset mora magna, visam populo magnam: alij simpliciter sufficientem à Deo pronunciatam, quia omnia, propter quæ accesserant ad illum montem, iam completa erant, & perfecta. Mariana particulam (*quod*) notat non esse aduerbium, sed nomen, sensúmque esse, satis multo tempore hic mansistis, discedite. Dupliciter declarat Abulensis, non est opus magis morari, quia satis magno tempore hic mansistis, non est opus, vt discurratis magno tempore per solitudinem: sed ite citò, & possidete terram, cùm iam satis diu detenti fueritis in isto monte, vt per legis receptionem efficeremini populus meus.

b vers. 3.

Reuertimini, & venite.] Omittitur vnum verbum, quia tria sunt in editionibus aliis, inserto præterea pronomine (*vobis*) vel (*vos*). פנו וסעו לכם ובאו *penu, vsehu lachem vbou*. אתפנו וטולו לכון *ithpenu vetulu lechon vehhulu*: Ἐπιστράφητε, καὶ ἀπάρατε ὑμεῖς, καὶ εἰσπορεύεσθε, *vertite*, nempe, faciem, seu *respicite, & conuertite faciem* (videlicet ad redeundum, & reuertendum) *& proficiscimini vobis*, aut *vos*, *& venite*, vel *ite*.) deflexerant enim à recto itinere versùs Chanaan, & diuertebant ad montem Horeb, siue Sinai, propter causas, quas attuli; & idcirco postquam impletæ sunt, iubentur iter rectum repetere, rectáque tendere in illam terram promissam. *Proficisci vobis* phrasi Hebræa dicitur, ipso pronomine plerumque redundante, vt de similibus aliàs notaui: ità vt omitti potuerit etiam Græcum pronomen in recto casu ὑμεῖς. Sed hæc reuersio debet necessariò exponi cum Lyrano, Abulense, Rickelio, & aliis, vt antea memini; per comparationem ad maiores Hebræi populi, qui censeantur ad terram Chanaan reuerti ratione posterorum, seu huius eiusdem populi, quatenus in ea

Proficisci vobis, phrasis Hebr.

terra existenti Abraham dictum est, quòd generatione quarta posteri illius reuerterentur illuc. Cæterùm per verbum (*venite*) innui vult à Deo, quod seipsum ducem in eo itinere offerret, ac exhiberet. At æquè reddi potuit ex Hebraico verbo בואו *bou, ite*.

Ad montem Amorrhæorum.] Nihil refert, quòd singulari numero dicatur האמרי *emori*; de quo nomine dictum aliàs est: quódque nunc scribatur insecta aspiratione more Græco, quo exprimitur nomen ἀμοῤῥαίων, nunc leniter. Per montem porrò Amorrhæorum Abulensis interpretatur, iuxta vnum dicendi modum, terram promissionis: quia in ea habitabant Amorrhæi; qui erant vnus de septem principalibus populis dictæ regionis: vt proinde alicubi [a] scribatur, quòd nondum essent completæ iniquitates Amorrhæorum, idest, omnium, qui habitabant in terra, quam Deus promiserat Abrahamo: alibi verò denominatio fiat omnium ab alio populo Chananæorum, vt cùm vetuit Abraham famulo suo Eliezer, ne acciperet filio suo vxorem de filiabus Chananæorum inter quos habitabat [b], volens sine dubio, ne de cæteris populis Chanaan vxor acciperetur. Montem verò Amorrhæorum pro vniuersa Chanaan, idcirco dici ait, quia illa terra erat montuosa, & campestris, vt hic postea [c] habetur. Maluit idem tamen auctor [d], accipi montem Amorrhæorum pro speciali populo, eáque parte terræ, quæ est ante Iordanem, in qua habitabant duo illi Reges Amorrhæi Sehon, & Og, prout etiam c. 3. [e] narratur; *Tulimúsque illo tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum: & vbi est mons Galaad, quo cecidit in sortem tribus Manasse, ac tribus Gad*. Sic, inquit, retinetur proprium signatum vocabuli, & non coinciditur cum sequentibus, idest, cum montanis, campestribus humilioribus. Hanc posteriorem sententiam, quæ magis communis est, veriorem puto; nec pro præcedente alium reperio, quàm scholiastem Caietani Antonium Fonsecam, qui montem pro regione accipiens, videtur ex parte saltem, ita sentire: eodem quoque pacto existimans aliquando montem Ephraim, & montem Iuda sumi pro tota terra, seu regione in qua sunt varij montes: quin & seorsum vocari ab Esaia [f] montem sanctum Domini, pro integra prouincia: & à Daniele [g] nomen montis, & Babylonem nominari montem opulentum; cùm tamen ipsa ciuitas in plano sita esset. De monte Ephraim videtur exemplum extare in libris Iosue [h], & Iudicum [i], & Regum [k], & Paralipomenon [l], & Ieremiæ [m]. Leguntur item montana Hebron [n], & Iudææ [o], atque similia. Sed alia, quæ affert Fonseca, non ita videntur ad rem, aut etiam verè. Videtur Lyranus priori opinioni fauere, dum docet istis, ac sequentibus verbis, describi terræ promissionis magnitudinem. Rickelius etiam ait, hic inuitari populum, vt accederet ad terram promissionis, in qua essent montes, qui dicantur esse eorum, qui commorabantur ibidem; præterea posse intelligi montem eminentiorem aliis, situm circa terram præfatam. Hoc secundum verius videtur. Concedo etiam montem Amorrhæorum posse hic latiùs aliquanto accipi; non tamen pro terra tota promissionis, cùm nec propriè ad illam spectaret, vtpote citra illam, idest, Chanaan. Quos Ptolemæus [p] protensos iuxta deserta Arabiæ Melanos, idest, nigros montes vocat. Adrichomius [q] asserit intelligendos de monte Amorrhæo. Dum inuitatur populus ad montem, seu montes istos, indicatur primus locus dandus: & in quo futurum erat initium prælij:

Mons Amorrhæorũ, pro terra promissionis, siue vniuersa Chanaan.

a Gen. 15. 16.

b c. 24. 3.

c c. 11. 11.

d postq. 4. & in q. 5.

Pro speciali populo, eáque parte terræ, quæ est ante Iordanem.

e vers. 8. & seqq.

Mons Ephraim, & mons Iuda.

f c. 2. 3.

g c. 2. 35.

h c. 17. 17. c. 19. 50. c. 20. 7. c. 21. 21. c. 24. 30. 33.

i c. 2. 9. c. 3. 27. c. 4. 5. c. 7. 24. c. 10. 1. c. 17. 1. 8. c. 18. 2. 13. c. 19. 1. 16. 18.

k 1. Reg. 1. 1. c. 9. 4. c. 14. 22. l 2. Par. 13. 4.

m c. 4. 15. c. 31. 6. c. 50. 19.

n Iosue 11. 21.

o Luc. 1. 39. 65.

p lib. 5. c. 17.

q theat. ter. sanct. in Palæstina n. 16.

prælij:

præliij: & quòd quantũ erat ex parte Dei, ducturus eos erat tunc ad terrã promissionis, inquit Caiet.

Et ad cætera, quæ ei proxima sunt campestria.] Abulensis ex his, atque sequentibus, quæ cum disiunctione ponuntur, seu ea separatione à præcedente monte Amorrhæorum, colligit eum montem non poni pro tota terra Chanaan, nec ista campestria, vel montana, vel humiliora loca, esse partes montis Amorrhæorum, sumpti modo dicto pro integra regione Chanaan. Addo, quòd, vt dixi, ille mons citra Iordanem erat; nec ad Chanaan pertinebat, quæ est trans, vltráque Iordanem: campestria verò ei proxima vel intelligi de subiectis monti campestribus Moab, quæ cesserunt, seu concessa sunt tribui Rubeo, & Gad, atque dimidiæ Manasse, & erant priùs regna Sehon, & Og: vel simul cum montana, & humilioribus locis, de ipsa terra promissionis, siue Chanaan trans Iordanem. Marzilla campestria Moab intelligit; alia refert ad Chanaan transuadato Iordane: alij omnia ad istam, cuius, vt aiunt Lyranus, & Rickelius, per ista describatur magnitudo, & amplitudo. Videntur isti nomine terræ promissionis comprehendere illam terræ partem citra Iordanem, quam dixi occupatam à duabus tribubus, & dimidia. Abulensis docet, quòd *post terram Regum Amorrhæorum*, quos diximus, terra, quam Israelitæ obtinuerunt, campestris erat, & terra promissionis versùs Septentrionem, montuosa & alta, quoniam ibi est ascensus Scorpionis [a], idest, montes alti, & Libanus: Caietan. post montem Amorrhæorum, fieri mentionem dicens de locis vicinis, & de terra promissionis, indicat campestria citra Iordanem fuisse: reliqua vltra, vbi propriè tantùm incipiebat terra promissionis. Nec enim de alia terra, quàm de Chanaan, vltra Iordanem, promissio facta fuerat: licèt alia terra citra illum occupata sit, quam incolebant Reges Sehon & Og, appellati Reges Amorrhæorum, quia ex illa gente erant, & armis ceperant terram illam eamdem, quæ spectabat ad Reges Moab: Cæterùm hoc loco Hebraicè legitur וְאֶל־כָּל־שְׁכֵנָיו *veel chol scechenau* (*& ad omnes vicinos eius*, vel *habitationes, cohabitatorésve*) significat enim שָׁכַן *scachan*, *habitare*. Similis est vis vocabuli Chaldæi cum affixo item pronomine מָגִירוֹהִי *magghirohi*, Græcos autem textus est (καὶ πρὸς πάντας τοὺς περιοίκους Ἀραβὰ, *& ad omnes accolas cohabitatorésve Araba:*) quod Hebraicè dicitur (בָּעֲרָבָה *babharavah*, *in planitie*,) Chaldaicè (*in campestribus*: בְּמֵישְׁרָא *bemeiscera*.) Hieron. [b] explicans nomen loci *Araboth Moab*, ibi secundò numeratum populum tradit: Aquilam interpretari *humilia*, siue *æqualia Moab*, solereque eremum propter planitiem ὁμαλὸν, idest, *æqualem* interpretari, & *planã*. Symmachũ *campestria Moab* trãstulisse: suo tempore (siue Eusebij, quem Latinè conuertit) extitisse locũ iuxta montem Phegor, euntibus à Libidiade in Esbon, Arabiæ cõtra Iericho: qui ita appellaretur Araba: hanc, vt suprà, Aquilam transtulisse *planam*, Symmachum interdum *campestrem*, aliquando *inhabitabilem*, Theodotionem *occidentalem*. De Araba præterea meminit, quam Aquila etiam *planam*, Symmachus *campestrem* interpretetur: itẽ de alia in finibus Diocæsareæ, quę olim Saphorine diceretur, & alia tribus millibus à Scythopoli contra Occidentẽ. Addit Adrichomius [c] nomen idem, vt vnũ ex alijs, quæ conueniant mari mortuo, siue salso, siue salis, siue salinarũ. Proposito cõuenit acceptio *pro campestribus Moab*. Oleaster Hebræam vocem exponit *pro solitudine*, itémque *pro confinio*, seu loco, vbi coniunguntur, & miscentur termini à עָרַב *gharab*, quod est *miscere*, & *coniungere*.

Atque montana.] Videntur hæc, & sequentia poni, vt proxima monti Amorrhæorũ, ac deinceps consequentia, seu ad circumhabitatores eiusdem, & illorũ locorum. Nam Hebraicè Chaldaicéque dicuntur proxima monti Amorrhæorum esse in monte, &c. בָּהָר *bahar*, בְּטוּרָא *betura*. Græcè, *in monte*, & εἰς ὄρος. Terra promissionis ad Septentrionẽ montuosa, & alta est, inquit Abul. de hac intelligens quæ hîc dicũtur, quoniã in ista parte est ascensus Scorpionis [a], qui sunt mõtes alti, & Libanus.

Et humiliora loca.] Numero singulari Hebraicè, atque Chaldaicè (*& in loco demissiore, & humiliore*, qualis vallis est, quam valet שְׁפֵלָה *scephelah*, & שְׁפֵלְתָא *sepheltha*, à שָׁפַל *scaphal*, *humiliare*. Græcè est πεδίον *campus*.

Contra meridiem.] Iuxta editionem Hebræam, & Chaldæam (*in meridie* בַּנֶּגֶב *benegeb*, בְּדָרוֹמָא *bedaroma*, vel *in Austro*, seu *loco australi*. Græcè πρὸς λίβα, *ad meridiem*, quem solet designare ventus Libycus, seu Africus. Editiones aliæ præponunt cõiunctionem (*&* וְ *ve*, καὶ) quasi humiliora loca differant ab eo, quod est esse contra meridiem. Nostra verò, loca humiliora videtur contra meridiẽ posita intelligere; vt sit planior, & humilior terra promissionis circa meridiem, ad ingressum Ægypti, quàm contra alias partes mundi, ideóque de parte illa semper ascendere dicantur, quẽadmodũ notat Abulen. Vatablus *loca sterilia* interpretatur, forsitan, quia nimius calor prouentui noxius est.

Et iuxta littus maris.] Portum & sinum Oleaster חוֹף *choph* declarat, & quidem maris magni, quod tegat, seu protegat naues, quã vim habet חָפָה *chaphah*: vnaque pars terræ promissionis, quæ cessit tribui Zabulon, erat ad sinum maris magni (quod Mediterraneum est ad occidentalem plagam) iuxta illud: *Zabulon in littore maris habitabit* [b]: & quandò missi sunt exploratores, iussi sunt ascendere per meridianam plagam vsque ad Chananæum morantem iuxta mare [c]. Græca editio habet, vt epithetũ terræ Chananæorũ, quę hîc statim nominatur παραλίαν γῆν Χαναναίων, *maritima terra Chananæorũ*.

Terram Chananæorum.] Hebraicè, Chaldaicéque singulari numero (*terram Chananæi.*) Probabilis expositio est Abulensis, accipi terram Chananæorum, pro quodam populo speciali de septem, qui recensentur in latiùs sumpta eiusdem nominis notione: quoniam distincta sit hîc partium totius illius prouinciæ enumeratio, ac proximè pòst nominatur spatium à Libano, vsque ad Euphratem.

Et Libani.] Εἰς τὸν ἀντιλίβανον Græcè ἀντιλίβανος, quod miratur Eugubinus. De Libano, qui linguis aliis appellatur לְבָנוֹן *leuanon*, & λίβανος, egimus in cõmentario Psalmorũ [d]: hoc autẽ loco primùm occurrit mẽtio ipsius; nullibi autem de Antilibano Latinè sub hoc ipso nomine. Celebris est Libanus mons, cedro abũdãs varióq; aromate; cui Ieremias [e] vocat caput Galaad; seu, quia is principiũ Libani est ab Australi plaga, seu quia eiusdẽ nobilissima pars, vtpote feracissima earum rerũ, quæ ex illo cõportantur ferè in regiones omnes, quemadmodũ de mercatoribus Ismaëlitis proditum est, resinam, & stactem tulisse in Ægyptũ è Galaad [f]. Ob eximiã Libani pulchritudinem vocatur interdum Libani nomine ciuitas Ierusalem, vt apud Zachariam [g]: *Aperi Libane portas tuas*: & magis adhuc peculiariter ipsa regia Salomonis; quia tota cedrinis fulta columnis erat, nec visebatur secus scatens cedris, quàm Libani mõs; vt idcirco etiam diceretur domus saltus Libani, quasi saltui, ac nemori similis & præ

a Num. 34. 4.

b de locis Hebr.

c theatr. terræ S. in Iuda n. 186.

a Num. 34. 4.

b Gen. 49. 13.

c Num. 13. 18. 23. 30.

d in ps. 28. 5. 6. ps. 36. 35. ps. 71. 16. ps. 91. 13. ps. 103. 16.

e c. 22. 6.

Mons Libanus.

f Genes. 37. 25.

Libanus pro Ierusalem.

g c. 11. 1.

Pro regia Salomonis.

& præterea, quia montuosa erat, inque celso colle constructa. Templo item eam appellationem tributam [a] volunt ab albedine, quæ isto nomine significari dicitur, quoniam candidissimis lapidibus longè latéque quasi fulgebat [b], Iosepho teste. Duo autem cùm sint versus Septentrionem in regione Chanaan montes, qui Libani gerunt nomẽ; vnus Libanus appellatur simpliciter: alter Antilibanus magis versùs Austrum, interiacente ampla valle, quam Polybius [c] Marsyam vocat; in qua ciuitates Heliopolis, Abila, Damascus; fluuij Adonius, & Chrysorrhoas; &, ũt Plinio [d] creditur, vterque olim muro coniunctus erat. Antilibanus porrò australior videtur præsertim fuisse: qui terminos vnus terræ promissæ, asseritur hîc, & c. 3. [e]; atque 11. [f]; item in libro Iosue [g]; ac æquè ibidem ab iisdẽ LXX. ἀντιλίβανος vocatur. Libani porrò nomen à thure deducunt nonnulli [h]; quod Hebraicè dicitur לְבֹנָה *lebonah* siue *lebonah*. Græcè λίβανος, & λιβανωτὸς: in eo namque monte prouenit, (licèt non perinde præstans, ac in Sabæa regione) vbi præterea cedrorum, terebinthorum, aliarumque copia resinosarum arborum, à quibus, qui exit viscosus humor, *thus* appellari solet [i]; quod indicatur etiam verbis Ecclesiastici [k]; *Quasi libanus non incisus vaporaui habitationem meã*. Placet aliis [l]; deriuari à niuibus albis, quia לָבָן *lauan*, siue *laban*, album sonat: & iste mons tantos inter ardores regionis, opacus fidúsque niuibus est, inquit Tacitus [m]: & Ieremias [n], *Numquid*, ait, *deficiet de petra agri nix Libani?* & ea de causa nomen *Sanir* eidem tributum quoque volunt; quod niuosum valet. Hiero. [o] interpretans Græco vocabulo λευκασμοῦ; idest, *candoris*, vel *dealbationis*, vocátque [p] Phœnices montem altissimum; iungit duplicem veluti causã de thure candido, quod ibi prouenicbat; & ex eodem, seu ex radice ipsius Dan flumen labi docet [q]: & riuum Ior, hoc ex vtroque commixtum compositúmque fonte Iordanem; quibus addunt alij, præter dictos, Adonim, (qui dicitur quoque Canis) & Chrysorrhoam, etiam Eleutherum Leonem, Lycum, Fõtem hortorum. Marianus Victorius in eiusdem indice tradit cum Plinio [r], assurgere hunc mõtem à tergo Sidonis, & per 150. stadia, hoc est, milliaria 18. vsque ad CœléSyriam dilatari, (mille 500. stadia ex eodem Plinio, idest, 187. millia passuum ad Simyram, & Palmitenam regionem Adrichomius [s] numerat.) aduersùs illi interiacente tantùm valle, parem montem Antilibanum appellari, murum quemdãm ei coniunctũ; post quem introrsus Decapolitana regio sit, & Palestinæ tota laxitas, cedrũ arborem Libano familiarem, materiam habere imputrescibilem, folia pino similia, conum pinea nuce minõrem è lato in acutum tendentem, non grauem, sed leuem, nec squamis, vt pinum seriatim coniectum; sed fasciis quibusdam tenuibus altera alteri superiniecta per ordinem præclusum: resina etiam odorata à fasciolis illis alicubi emergente refertum. Citatus Adrichomius ait, ob altitudinem conspici procul tum in terra existentibus, tum in mari nauigantibus, à quadragesimo milliario; & à quibusdam nominari *montem montium*: quo vt Hieronymus [t] loquitur, nihil in terra promissionis excellentius sit, ac nemorosius, atque condensius: ibi præter arbores thuriferas, esse varias herbas aromaticas; medicásque; quarum odore procul inde virulenti serpentes, & alia venenosa animalia fugentur: item siluestribus feris, ac canoris auibus abundare: valles olim feracissimas optimi tritici, vinearum, pomariorum, hortorum, pascuorum, in quibus

Pro templo. a Zach. 11. 1. Esa. 35. 2. Ier. 22. 6. Abac. 2. 17. b 6. de bello Iudaic. c. 6. c lib. 5. d lib. 5. c. 20. e vers. 25. f vers. 24. g c. 1. 4. c. 9. 1. *Libanus vnde.* h Masius in Iosue 1. i Plin. l. 12. c. 14. l. 14. c. 6. k c. 24. 21. l Ribera in Abac. 2. m lib. 5. n c. 18. 14. o ibid. & contra Iou. lib. 1. p de locis Hebr. q lib. 5. in Ezech. c. 27. & in Matt. 16. & in Esa. 62. r supra l. 5. c. 20. s theat. terræ S. in Nephthal num. 63. t in Ose. 14. & in Zac. 11.

A pascuis idcirco pascerentur animalia quotidie Ierosolymis offerenda: teste Alexandro Aphrodisæo apud Marium Dominicum Nigrum [a] ex cœlesti rore in eum descendẽte, coagulum quoddam fieri dulcissimum, quod Sacchar accolæ vocant, proximum salis glebulis, candidum, & fragile; vnde fortassis nomen Sacchari accepcrimus. Tandem propter amœnitatem, & pulchritudinem adduci solet Libanus in rerum pulcherrimarum comparationem: vt [b], *Gloria Libani data est ei* [c]: *Species eius, vt Libanus*: &, *Moyses tenebatur desiderio videndi montem tam egregium* [d], טוֹב *tob*, ἀγαθὸν, idest, *bonum*; quem tamen non nisi procul è fastigio montis Nebo citra Iordanem, à sexagesimo milliario spectare ipsi concessum fuit [e]. B *Ero quasi ros Israël*, ait apud Oseam [f] Deus, *germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt Libani: ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius, vt Libani: viuent tritico, & germinabunt, quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani.* Ab eodem monte, ac ipsius vallibus, adiacens illi regio, Libanica cognominata est, Syriáve Libanica, in qua hoc tempore diuersarum nationum, atque religionis, habitant populi, Syri, Armeni, Græci, Iacobini, siue Iacobitæ, Georgiani, Nestoriani, Christiani: ex quibus Maronitæ, qui, vt refert, quem sæpius nominaui, Adrichomius, anno post Christum natum 1182. ad 40000. bellicosissimorum virorum abiurato errore orthodoxam, C catholicámque fidem amplexi sunt [g]: ex qua gente Romæ alumni aliquot Gregorij XIII. de vniuerso orbe optimè meriti, liberalitate, in pietate, doctrináque instituuntur. Eidem monti versùs Orientem nomen Galaad assignatur [h]: vt priùs indicaui ad Aquilonem Hermon [i], ab inhospitalitate, seu vastitate: (hunc videtur Abacuc [k] vocare iniquitatem Libani.) à Sidoniis *Sarion*, ab Amorrhæis *Sanir* [l]: & in Cantico Canticorum [m] *Amana, Sanir, & Hermon*, vt Libani iuga recenseri videntur.

Vsque ad flumen magnum Euphratem.] Græcè, *vsque ad flumen magnum flumen Euphratem* ἕως τοῦ ποταμοῦ τοῦ μεγάλου, ποταμοῦ εὐφράτου. Obseruauit Augustinus hanc loquutionem libro loquutionum. D Eodem pacto in editione Hebræa, Chaldæáque, in quibus est epithetum גָּדֹל *gadol* & רַבָּא *rabba*, vt mirum sit ab Oleastro negari in Hebræo poni *magnum*. Iste fluuius terminabat terram promissionis versùs Babylonem. In cap. 11. [n] termini huius terræ assignantur, à deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate, vsque ad mare occidentale. Item in libro Iosue [o], à deserto, & Libano, vsque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum, vsque ad mare magnum contra Solis occasum; quamuis, vt aliàs notatum est, numquam Hebræi tam amplè habitauerint, aut possederint. Idem epitherum *magni*, tribuitur Euphrati in libro Genesis [p]. Vnum è quatuor fluminibus ex E Paradiso terrestri ortis habetur [q]: vbi cum pronomine vocatur הוּא פְרָת *hu perat*, *hic Perath*: ita vt nomen sit *Perath* [r]. Verior etymologia est à פָּרָה *parah*, *crescere*, ac *fructificare*; quoniam crescens inundatione statis temporibus, terrísque superfusus, sicut Nilus, fœcunditatem, & fertilitatem inuehit non modicam [s]: quàm Iosephi [t] de dispersione vel flore appellantis *Phora*: aut Ambrosij [u], ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι *lætari*. Anastasius Sinaita [x] propiùs ad notionem traditam accessit, interpretans καρποφορίαν αὐτῶν, *fructificationem ipsorũ*. Vulgò nunc appellatur *Apherat*, vel *Frat*: olim

præterea,

a Geogr. Asiæ pag. 503. *Saccharum vnde.* b Esa. 35. 2. c Cant. 5. 15. d Deut. 3. 25. e c. 34. 1. f c. 14. 6. *Regio Libanica, seu Syria Libanica.* g Gul. Tyr. l. 22. c. 8. h Iere. 22. 6. i Iof. 10. 17. k c. 2. 17. l Deut. 3. 8. m c. 4. 8. n vers. 24. o c. 1. 4. p c. 15. 18. q Gen. 2. 14. r Pagninus seu Mercerus in thes. Eug. Lipo. Pereri. & alij Gen. 2. & Iosue 1. Moses Barcepha de paradiso c. 28. Maluenda de paradiso, c. 25. Hier. & Beda de nominib. Heb. s Herod. l. 1. Plin. l. 5. c. 26. t 1. ant. c. 1. u de Parad. c. 3. x 8. hexaem.

præterea, teste Plutarcho, nomen habebat *Medi*, & *Zarande*. Nec desunt, qui hunc ipsum asserant esse, qui *Chobar* ab Ezechiele nominatur; & Plinius [a] ab Assyriis appellatum prodit *Armalchar*, quod significat regum flumen: quod notat etiam in Iuuenalis Satyram 8. Ioannes Britannicus, & *Nahar malcha* Syrorum lingua, qua vsi sunt Orientales, id sonat, vt citat in Plinium eum Miraletio Daleccampius. Interdum [b] absolutè per nomē fluminis intelligi censetur *Euphrates*: non quia terram Israëliticam omnium præstantissimam terminabat ab Oriente; hac enim causa Iordani magis conuenit: non item, quia magnus, vt dictum est; idem namque titulus Tigri tribuitur [c]: sed potius, quòd Hebræis cognomen dederit, quos transitores licet interpretari à עבר *hheuar*, vt sæpe dixi. Abram enim primus cognominatus est Hebræus, Græcè *περάτης*, vt primùm Euphrate traiecto venit in Chanaan [d]. Regionis Euphratesiæ meminit apud Nicephorum [e] Philostorgius, & Theophilus, vterque Arianus. De ortu (quem è terrestri Paradiso cum Nilo, Geone, Tigri esse aiunt) & de aliis ad eumdem Euphratem pertinentibus, plura modò non disputabo: quòd ea citatis præstant potissimum Pererius, & Maluenda. Notabile quod affert ex Dionysio Afro [f], & Procopio [g] Lælius [h] Bisciola noster, Euphratem ad superficiem lutum, quod residere in fundo debuerat, tollere, quódque duratum tutè equites, pedites, currus iter facientes sustineat in longum stadiis quinquaginta, viginti in latum. Dionysius verò Mesopotamiam cauit appellatam regionem inter Euphratem, Tigrimque, quasi mediam inter flumina.

ὅσση δ' Εὐφρήτου καὶ Τίγριος ἐν δέ τι γαῖα,
τὴν δὲ Μεσοποταμίην πίσυρες κλείουσιν ἐνοικοι.
Quæcumque verò Euphraten, & Tigrim inter tellus est,
Hanc accolæ mediam amnium perhibent.

Aliter ex Prisciano hæc eadem conuertuntur.

Hoc tamen omne solum fluuius quod cingit vterque,
Indigenæ populi pro re dixere Medamnem,
Quod medias amnes has terras flumine cingunt.

[a] lib.6.c.26. [b] 3 Reg.4.21. ps.71.8. [c] Dan.10.4. [d] Gen.14.13. [e] l.9.c.19. [f] de situ orb. [g] de bello Persico. [h] to.2.hor. subcis.l.14. c.10.n.14.

En, inquit, tradidi vobis.] In Hebræa, & Chaldæa editione *vide, dedi*, aut *posui vobis*, seu *coram vobis terram.* ראה נתתי לפניכם את־הארץ *reeh nathatthi liphnechem eth haarets*, חזי דיהבית קדמיכון ית ארעא *chaze dehabaeith kodamechon iath arhha*: in Græca emendata iussu Sixti V. ἴδετε, παραδέδωκα ἐνώπιον ὑμῶν τὴν γῆν: *videte, tradidi coram vobis terram*, quod in Bibliis Complutensibus, Regiis, aliisque, legitur in prima persona *παραδέδωκα, tradidi.* Explicat Caiet. vim phrasis Hebrææ, quasi diceret Moyses in Dei persona; perpende popule, quòd vniuersam terram dictam dedi ad præsentiam vestram illic: nihil deest, nisi quòd conferatis vos illuc: Hoc si mentis oculis, inquit Caiet. populus vidisset, non fuisset 40. annis in deserto; sed tūc seipsos contulissent ad loca, ad quæ destinabantur à Deo. Ob hoc enim Deus præmonet (*vide quod dedi terram ad faciem vestram in illa*) Oleaster existimat, vel otiose ac redundanter poni verbum (*vide*) vel idem valere, atque considera, attende, &c. Inferiùs hic versu 21. quod legimus (*vide terram, quam Dominus Deus dabit tibi*) Hebraicè sicut hîc ראה נתן יהוה אלהיך לפניך את־הארץ *reeh nath Iehouah elohecha lephanecha eth haarets*: & Chaldaicè, Græcéque simili prorsus phrasi cum verbo nimirū Græco plurali ἴδετε. In c.2.[i] *Ecce tradidi in manu tua Sehon*, &c. Hebraicè, & Chaldaicè *vide* ראה *reeh.* חזי *chaze*: item [k], *ecce cœpi tibi tradere Sehon*, &c. dicitur eodem illo verbo, pro quo vtrobique est particula Græca ἰδού, *ecce*, quæ à verbo descendit, quod videre significat. In Genes. c.39.[a] *En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis.* ראו *reu* חזו *chazo*, ἴδετε, *videte*, &c. Nec dissimilem vsum habet in vulgaribus, vernaculisve linguis verbum (*vide*) pro interiectione demonstrante, vt de sua Lusitana Oleaster testatur.

[i] vers.24. [k] vers.31. [a] vers.14.

Ingredimini, & possidete eam.] Terræ nomen editionès aliæ ארץ *erets*, ארעא *arhha*, γῆν. Hebræum verbum ירש *iresu* valet *hæreditare*, seu *hæreditate acquirere.* Græcum κληρονομήσατε, veluti sorte possidere. Chaldæum אחסינו *achsinu* idem quod Hebræum. Quo autem pacto dici posset illius terræ possessio hæreditas, aliquoties antea notatum est; quamuis possessa priùs à maioribus Hebræi populi non fuisset: nempe, quoniam tradebatur à Deo, qui est omnium dominus absolutus, in perpetuam possessionem; & ferè perinde, ac si vt hæreditas peruenisset ad illum populum: tantáque propemodum facilitate in eius terræ possessionem introduceretur, quanta solet esse in successione hæreditaria; Deo simul contradicentes, potenti sua virtute, compescente, ac debellante; ita vt via aliud opus esset, quàm ingredi, & possessionem inire: sed ipsis tacentibus, pugnaret pro ipsis Deus.[b] Non dixit, *ite & pugnate contra gentes*, inquit Abulensis: sed *ite, & possidete*, quasi nullum haberent aduersantem, nec oporteret eos multum vexari laboribus.

[b] Exod.14.13.14.

Quam iurauit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob.] Græcè in prima persona (*quam iuraui*, ἣν ὤμοσα) omisso nomine *Domini*, cùm tamen licèt in codicibus Complutensibus & Regiis esset in præcedente membro *παραδέδωκα, tradidi*, Sixtini correcti haberent *παρέδωκε, tradidit.* Mutantur subinde personæ in Scriptura: vel intelligere possumus loqui Deum de seipso in tertia persona. Quomodo autem iurare conueniat Deo, ea alibi dictis petendum est, non hîc repetendum. Videlicet denotatur per iuramentum certitudo tanta diuini decreti, ac solet ea significari à nobis, quando iuramentum interponimus. Iurata ista promissio Dei de terra Chanaan, facta tribus patribus hîc nominatis, memoratur in libro præcedente [c], cuius commentarium nostrum consule: præterea in Genesi [d], Exodo [e], rursúmque in libro nostro [f], & Iosue [g], Iudicum [h], Paralipomenon [i]: item in Psalmis [k]: & in Baruch [l]. Inuitauit Deus hoc iuramento ad accipiendam possessionem hæreditatis promissæ patribus, inquit Caietanus, ad hoc, vt confidant, & securi progrediantur, sub fide dicti iurisiurandi diuini.

Vt daret illam eis, & semini eorum post eos.] Chaldaicè, (*& filiis eorum*, לבניהון *libnehon*) sine (*libnehon*) Familiare admodum est scripturis diuinis, vsurpare semen pro liberis, & posteris. Perrarò auctores Latini sic loquuntur: paulò sæpiùs pro genere, vel pro auctore alicuius rei accipiunt, eóque à quo quid oriatur. De prole Ouidius [m]:

...Vt huic vrbi semina magna dares.

Ratio metaphoræ aptiùs proli cōuenit: quatenus apud probos auctores rei rusticæ semen non pro grano ipso ferè accipitur; sed pro viuiradicibus, quæ trāsferūtur, aut pro surculis, malleolis, taleis, quæ auelluntur ex matre, conseruntúrque in aliam terram: nonnumquam etiam σπέρμα dicitur Græcis, non solùm quod seritur, vt fructum ferat, vel fructus, quem semen reddit, aut etiam ipsa arbor & legumen, ac simile aliud quod sumatur in cibum, verùm etiam fructus, quem par-

[c] c.11.12. c.14.16.23. [d] c.22.16. c.50.23. [e] c.13.5.c.12. c.33.1. [f] c.1.35.c.4.31.c.6.10.18.23.c.7.8.c.8.1.18.c.9.5.c.10.11.c.11.9.c.12.21.c.13.17.c.19.8.c.26.3.15.c.27.3.c.28.11.c.29.13.c.30.20.c.31.7.20.c.34.4. Semini vox. [g] c.1.6. [h] c.2.1.15. [i] l.1.16.16.17. [k] ps.104.9. [l] c.2.35. [m] 3.Fasto.

tu reddit vteros, seu humana propago, & proles *σπέρμα βροτῶν*, quod aliter vocant *ἀνθρώπων*. Affert Auctor thesauri Græci ex Plutarcho [a], atque ex Thucydide [b] exempla, quibus addi potest ex Orphei hymnis cum epithetis, *σπέρμα πολύμνηστον, καὶ πολυώνυμον*, *semen multum, memorabile, multisque nominis ac fama*. Cæterùm, quia Patriarchæ Abrahã, Isaac, & Iacob, immo & aliquot sæculis post eos, alij descendentes ex ipsis, non possederant promissam terram, exponere oportet, Deum iurauisse vt daret illis, non modò semini ipsorum post eos, ita vt illis data sit in titulum, alijs constituto deinde tempore, quo iam complerentur iniquitates Amorrhæorum [c], quartáque generatione [d] secundùm actualem possessionem. Non dedit Deus Abrahæ hæreditatem in terra Chanaan, nec passũ pedis, inquit Stephanus [e]; sed repromisit date illi eam in possessionem, & semini eius post ipsũ, cùm non haberet filium. Fuerant Abraham, Isaac & Iacob in eadem terra [f]; sed vt peregrini dumtaxat, non vt incolæ. Exponunt hoc loco (*& seminis eorum post eos*) particulam (*&*) vt idem valeat quod (*idest.*) Habet hunc vsum aliis in locis, vt [g], *Colligent de regno eius omnia scandala, &* (idest) *eos, qui faciunt iniquitatem. Videte* [h], *ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam*, nec enim aliã philosophiam damnabat Paulus quàm fallacem; item [i], *Anima, quæ peccauerit, &* (idest) *contempto Domino, negauerit proximo suo depositum* [k]: *Hæc est lex sacrificij, &* (idest) *libamentorum*, &c. ad hęc, *Pax* [l] *super illos, &* (idest) *super Israel Dei: omnibus* [m] *Sanctis, qui sunt Ephesi, &* (idest) *fidelibus in Christo* IESV, & sic de aliis.

a in præcept. Polit.
b lib. 5.
c Gen. 15. 16. Leu. 18. 24. & seqq.
d Gen. 15. 16.
e Act. 7. 5.
f Gen. 20. & 26.
Et, pro idest.
g Matt. 13. 41.
h Col. 2. 8.
i Leu. 6. 2.
k vers. 14.
l Gal. 6. 16.
m Ephes. 1. 1.

Vers. 9.] Dixique vobis in illo tempore,

Vers. 10.] Nõ possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi.

Vers. 11.] (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia; & benedicat vobis, sicut locutus est.)

Vers. 12.] Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia.

PARAPHRASIS.

Repetit his, & aliquot sequentibus versibus Moyses, diuisum regiminis populi onus fuisse ab se inter plures alios, prout ei socer Iethro consilium dederat. Narratur id in Exodo [n]: sed hoc loco, mentione omissa de soceri consilio, additur, quid ea ipsa de re tunc locutus fuerit cũ populo. Stulto labore consumi Mosem Iethro dicebat, ac populum in quotidiana, cõtinuáque disceptatione de rebus cõtrouersis, & cura particulari, etiam de victu, via, bello, ita vt esset simul dux, pater, mater, nutrix, pædagogus, inquit Abulensis: colligitúrque ex libro priore [o], illud negotium vltra vires Mosis esse, nec posse solum sustinere tãtum negotium: itaque vacandum ei in his dumtaxat, quæ pertinerent ad Deum, ceremonias, ritũ colẽdi, viam per quam ingredi populus deberet, opúsque facere; committẽdum tribunis, cẽturionibus, quinquagenariis, decanis munus iudicãdi populũ; ita tamen, vt quidquid maius foret, referrẽt ad se: sic enim leuius ei futurum, partito in alios onere. Grauitatẽ oneris ex multitudine oriri ait, quæ cũ cœli stellis comparabilis esset, vtpote plusquam sexcentorum millium, ab anno ætatis vigesimo, & supra, quibus connumerati alij tam ex eodemmet populo, quàm ex Ægyptiis, qui cũ illo ascenderãt, plures erant, inquit Abulen. quàm trigesies centũ millia. Quem ipsum tamen ipse adhuc numerum percuperet, ac precaretur augeri à Deo. Rabanus monet de hac subdiuisione potestatũ, quæ sequentibus versibus magis exprimitur, in Exodo antequam ad montem Sinai peruenirẽt Israëlitæ, scriptum esse. Videri autem quod hîc habetur, dixisse Moysem in illo tempore ad populum: *non possum solus sustinere vos*, non illud tempus exprimere, quo de Horeb proficiscebantur, sed totũ tempus, quo profecti de Ægypto, in solitudine morabantur, & Mosem non ex sua inuentione, sed cognati sui cõsilio accepto, populo persuasisse, quæ hîc asserit illis persuasisse. Procopius notat quæ hîc habentur in codicibus Samariticis adhęrere in Exodo, quẽadmodum hîc infrà illud, quod filij Israel ad Mosem de exploratoribus dixerint: cùm tamen non inuerisimile sit, eos diffidentes Deo, terræ cognitionem habere voluisse, vt proinde cùm interrogauit Moyses Deum, nõ sine indignatione, ac fremitu ex illo audiuerit, *dimitte tibi ipsi viros, qui explorent terram*, tãquàm videlicet diffideret. Narratur istud in libro priore [a]. Sed Mosem ea in re de Deo diffidisse credi non debet; vt ex commẽtario nostro in eumdem librum disces. Hugo cũ Glossa, quam citat, docens in Exodi c. 18. narrari aduentũ Iethro in Raphidim, post victum Amalec, scribit tẽpus hîc largè sumi; scilicet ab exitu de Ægypto vsque ad discessum à mõte Sinai; vt sit sensus: Ego dixi vobis in illo tempore, quo nempe veniebatis de Ægypto ad montem Sinai, vel ad terram hanc, quam modò debetis intrare. Ait præterea, quòd primò datum fuit consilium à Iethro Moysi, postea verò à Moyse promulgatum populo. Abulen. notat ex iis quæ nunc dicuntur, videri, quòd lex prius data fuerit, quàm veniret Iethro ad Moysẽ: attamen, cùm scribitur hîc (*dixi vobis in illo tẽpore*) referri posse non solùm ad illud tẽpus, quo Deus mãdauit, vt recederet populus de Horeb, sed ad id quoque, quo steterant in Horeb; videlicet etiam ante datam legem, non solùm post datam. Rickelius comprehendit tẽpus, annúmve, quo circa mõtẽ Sinai mansit populus, vel in Raphidim, & ante prolationem verborum, quæ hîc recitantur. Caietani Scholiastes Fonseca cõsilium Iethro ante legem datum scribit: ideo hunc locum narrando sequi, qui tamen reuera præcesserit priorem. Communior opinio est [b], quòd Iethro nõ venerit ante datam legem, sed sub finem primi anni ab egressu de Ægypto, cúmque populus adhuc esset in Sinai, vbi lex data est; licèt nonnulli [c] priùs id velint contigisse in Raphidim: quod non probabile est, quia mora in Raphidim breuior fuit. Ipsemet nãque Moyses testatus est socero, se totis diebus ex Dei præceptis, legibúsque populum iudicare solere, ac illa eum docere [d]: idémque traditur à Philone [e]: acceperat ergo iam leges, nec de sola Dei æterna lege intelligi id debet, vt Augustinus [f] vellet. Narrantur præterea holocausta, & hostiæ, nẽpe pacificæ, tunc oblatæ à Iethro [g], quæ distinctio sacrificiorum ante legem non erat. Tribuni, & alij magistratus, quos Moses, suggerente Iethro, instituit, instituti videntur circa tempus, quo discessum est, iussu Dei è monte Sina, quod aliquot mensibus accidit post datam legem, cùm, vt antea vidimus [h], dixit idem Deus; *sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis: reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum*. Illo autem ipso tempore dixit Moses se ferre non posse

a c. 18. 13. & seqq.
o c. 11. 11. & seqq.
a c. 13. 2. & seqq.
b in Exod. 18.
c Hieron. epist. 127. Ioseph. 3. anti. c. 3. Hugo hoc loco.
d ibid. Ex. 18.
e lib. de temulen. & li. de nominum mutat.
f q. 67. in Exod.
g Exod. 18. 14. 17. & seqq.
h vers. 6.

posse onus totius populi, addendósque alios inferiores magistratus. Tornellus [a] ponit aduentum Iethro sub discessum populi de Sina, anno secundo egressus Ægypti, secundo mense, ac die huius vigesima, mundi autem anno 2545. At bene conicit Salianus [b] noster, credibile non esse tamdiu Iethro distulisse aduentum suum, hoc est, vltra annum, præsertim cùm non ita longè distaret. Verba verò nostri istius loci (*in illo tempore*) quæ post quadragesimum ferè ab eo tempore annum, per epitomen repræsentantur, præcisè, ac ad amussim accipi non debere, sed satis esse, siue ad finem primi anni, siue ad secundi spectent exordium: probabile item videri eumdem Iethro, qui per nuncios mandauisset Moysi, se ad eum cum suis venire, misisse etiam ante, qui sciscitarentur, quo statu res essent, ne importunè turbatis rebus, aut Moyse diutius absente, (videlicet cum Deo in monte, aut alibi) veniret. Demonstrat idem Salianus [c] non venisse Iethro ante datam legem, eò quòd id angustiæ temporis non ferebant. Nam quarta die mensis ventum est in Sina ex Raphidim, quo die Moses bis ascendit in montem, qui idem fuit primus dies sanctificationis populi, seu præparationis ad legem recipiendam: secundus dies fuit mensis eiusdem quintus, ac pridie datæ legis, adhuc occupatus in sanctificando, præparandóque populo ad eiusdem legis receptionem, non in litibus populi dirimendis de mane vsque ad vesperam. Non etiam sequens dies, quo lex data est, aduentui Iethro conuenit, quoniam Moyses ascendit à prandio in montem Domini, accepitque ab eo præcepta quæ continentur Exodi c. 21. 22. 23. & proxima nocte descripsit: mane ædificauit altare, & confirmauit fœdus inter populum, Deúmque: à prandio illius diei ascendit denuò in montem cum Aarone, filiis, & 70. senioribus: postridie manè ascendit cum Iosue, & post 40. dies descendens fregit tabulas legis, vixque vno die moratus cum populo, rediit postridie in montem, vt veniam eidem populo impetraret, rursúmque post 40. dies ibidem positos, reuersus est in castra, Domino iubente, vt nouas tabulas pararet, & cùm statim manè petiisset montem, illas non accepit à Domino descriptas ante quadragesimū diem, qui dies cecidit in diem nonum septimi mensis. Ante hoc omne tempus, exprimi nequit, quando Moses occurrerit socero, & ipso præsente populi controuersias composuerit à mane vsque ad vesperam. Elicit porrò Rabanus, considerari oportere, quàm sit obseruandum, quod ait Scriptura [d], *Fili ne in multis sint actus tui:* præterea quòd nimis intentus humanis actibus animus, Deo quodammodo vacuatur; tantò verò fieri pleniorem, quantò in superna, atque æterna liberiùs extenditur. De hac tropologia dixi ad c. 11. [e] libri præcedentis, vbi Moses exponit sibi visum nimis graue pondus regiminis. Glossa doceri Doctores ait de profectu subditorum gaudere, gratias agere; semper meliora optare. Tale gaudium, & desideriū Dauidis [f], *Adiiciat Dominus super vos, super vos, & super filios vestros.* Rickelius infert, sicut Moses deprecatus est Israëliticum populum merito, numeróque augeri, sic vnumquemque fidelem, præsertim Prælatum, & Doctorem, debere toto affectu Dominum iugiter exorare, vt plebs Christiana in omni sanctitate, & iustitia, in potestate, & multitudine copiosa excrescat assidue, & inuisibilibus, ac visibilibus suæ salutis præualeat inimicis. Glossa ordinaria in parte morali argumentatur, cùm vir tantus Moses, adeóque fami-

[a] in annal. anno 2545. num. 47.
[b] annal. to. 2. anno Mosis 21. num. 723.
[c] num. 721.
[d] Eccl. 11. 10.
[e] vers. 11. & seqq.
[f] psal. 113. 22. vel 14.

A liaris Deo, pressus onere regiminis populi, constituerit adiutores sibi (non se labori subtrahendo, vt ait Interlinearis, sed adiutores quærendo) instruit Principes & Prælatos, ac etiam Curatos, qui sub imposito sibi onere, sunt valde pressi, quærere, & instituere sibi adiutores ad subleuationem oneris; Principes in regimine temporalium, Prælatos verò, & Curatos in regimine spiritualium.

Dixique vobis in illo tempore.] Additur, consueto pleonasmo, in editionibus aliis (*dicendo*) vel (*dicens*) & est Hebræum, Chaldæúmque verbum duplex idem אָמַר לֵאמֹר *amar lemor*, אמרית למימר *amreth lememar*: Græcum εἶπον cum participio diuersi verbi λέγων. Hebraicè rursus, & Græcè (*ad vos* B אֲלֵכֶם *alechem*, πρὸς ὑμᾶς.) Chaldaicè (*vobis* לְכוֹן *lechon.*) Quod autem illud tempus fuerit, quo hæc Moyses dixerit, & quo pacto priusquam diceret, consilium à socero Iethro de re eadem acceperit, iam antea docui. Glossa moraliter hic notat, quòd omnia Sancti faciunt in tempore opportuno [a], quódque sic etiam Deus, vbi venit plenitudo temporis, misit filium suum [b]. Ad rem non ita est, quod alibi notaui, cur in partibus Euangeliorum, quæ recitantur in officio diuino, dicatur initio (*in illo tempore*) in epistola Missæ, vt vocant, quando est ex libro historiali (*in diebus illis.*)

Non possum solus sustinere vos.] In aliis editionibus in futuro, *non potero*, לֹא־אוּכַל *lo-uchal*, לֵית יָכִיל *leth iachil*, οὐ δυνήσομαι: Inseritque Chaldæa C pronomen (*ego* אֲנָא *ana*) quod confert ad emphasim. Iethro generum Mosem quodammodo reprehendens, dixerat ei inter alia [c], *Cur solus sedes, non bonam rem facis, stulto labore consumeris, vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Vbi pro (*sustinere*) editiones aliæ habent (*facere.*) Alia occasione conquestus est Moyses ipse suamet sponte [d], afflictum se à Domino, imponente pondus sibi, ac super se vniuersi populi: quasi concepisset, ac genuisset multitudinem tantam, quam in sino portare deberet, sicut portare solet nutrix infantulum, & deberet deferre in terram cum iuramento patribus promissam. Ibi extat verbum Hebræum sæpiùs repetitum, cuius hic infinitiuus שְׂאֵת *seeth* extat, & ibidem pro pondere D מַשָּׂא *massa*, vtrumque à נָשָׂא *nasa*, hoc autem loco Græcum verbum φέρειν, ibi αἴρειν, & λαβεῖν.

Quia Dominus Deus vester multiplicauit vos.] Caussalem particulam apposuit editio nostra. Deum autem vestrum dixit potius, quàm nostrū, vt peculiarem erga ipsos beneuolentiam Dei, & prouidentiam significaret; quemadmodum & paulo pòst (*Dominus Deus patrum vestrorū*) loquens etiam de Deo tanquam rectore istius mundi, & seipsum iam non computans inter viuentes; quia valde breui moriturus erat, eo modo potiùs loquitur, vtque reddat populum propensiorem erga Deum ipsum.

Et estis hodie sicut stellæ cœli plurimi.] Iuxta reliquas editiones (*& ecce vos hodie,*) Græcè ἰδοὺ, *estis* E *sicut stellæ cœli ad multitudinem*, siue *multitudine*, לָרֹב *larob*, לְסֻגֵי *lisghe*, τῷ πλήθει.) Numerus recensitus est in libro Numerorum [e] à viginti annis, & supra, postquam in deserto mortui fuerant alij ex Ægypto egressi, præter Leuiticæ tribus homines, & mulieres, aliósque qui, vt ex Abulēse retuli, ad trigesies centum millia facilè perueniebāt; cōputādo quoque proselytos ex Ægyptiis. Videtur tamen Moyses propriè de solis Hebræis origine, seu natiuitate loqui, descendentibus de Patriarchis, quorum quoque mentio præcessit, móxque subiicitur, & quibus ea multiplicatio promissa

Explanatio.
[a] psal. 1. 3.
[b] Gal. 4. 4.
[c] Exo. 18. 14. 17. 18.
[d] Num. 11. 11. & seqq.
Moses cur potius Deus vester, *quàm* Deus noster *dicat.*
[e] c. 26. toto.

 fuerat

fuerat sub stellarum cœli similitudine [a], sed simul aliquando cum arenæ [b]. Vnde sequitur non esse satis certam, & solidam distinctionem in ea promissione, vt stellæ designent electos, seu bonos (quod Glossa interlinearis hîc dicit, & Hugo) malos ac reprobos arena, quod alibi [c] demóstraui, differens quoque de hac parœmiali formula, déque stellarum, & arenæ numero, quo pacto innumerabilis dici soleat, & iniri tamen possit, quamuis Deo attribuatur vt numeret multitudinem stellarum [d]: & quòd longioris opera perspicilli nouæ à paucis hinc annis deprehensæ sint; hyperbolem Rickelius agnoscit hoc loco. In cap. 23. [e] prioris libri dicebat Balaam, *Quis dinumerare potest puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis illius?* Vtrumque tamen, ait Abulensis [f], tractans libri nostri præsentem locum, numerabile est, & stirps Iacob, quia numerauit eam Moses: & stellæ quidé numerabiles sunt, sed nullus hominum numerare eas potest, propter multitudinem, & propter non apparentiam, & oculi indispositionem; qui cùm vnam partem aspicit, alteram partem perdit, nesciens vbi reliquerat: & quia orbis semper mouetur, & aliquæ occultantur, aliæ oriútur: & quia horizon noster nusquam est totaliter planus, sed aliqua altitudo terræ occupat, ne videamus aliquas stellas; & quia solùm nobis hemisphærium patet, stellas autem alterius hemisphærij numerare non possumus, nisi terram in gyro circumeamus, quod impossibile est; ita vt si quis stet in aliquo horizonte semper, non solùm omnes stellas numerare non possit, sed nec etiam videre, nisi in triginta sex millibus annorum, in quibus secundùm motum proprium redeat pars tota horizontis, siue totum oppositum hemisphærium super caput hora nocturna: nisi fortè fieret totalis eclipsis Solis, ita quòd apparerent omnia astra, & tunc si aliquis in medio noctis præcedentis vidisset hemisphærium plenum stellis, si in meridie sequenti fieret eclipsis, videret totum oppositum hemisphærium stellarum. Hoc vltimum tamen idem Doctor affirmat esse falsum, quia in quocumque hemisphærio simus, in vno anno omnes stellæ oriuntur nobis ortu heliaco, quia cùm Sol faciat stellas in hemisphærio in quo est inuisibiles, propter sui splendorem, solùm appareret hemisphærium inferius oppositum, & aliud dimidium occultatur; illud autem in medio anno Sol transit, idcóque post medium annum videntur omnes stellæ oppositæ, &c. Subdit Aratum irrisum, quòd asseruisset, se omnium stellarum numerum comprehendisse, vt referunt Eusebius, & Lucas Tudensis in Chronicis, & Augustinus in opere de Ciuitate [g] Dei, meminitque Cicero in dialogo academico ad Hortensium, qui incipit [h], *Magnum ingenium Lucij Luculli.* Adiungit Arato Augustinus Eudoxum, quos libri Genesis [i] contemnat auctoritas, negantis numerari posse. Verùm contenti dictis alibi à nobis, plura modò nó afferemus, nec ab Abulense allata expendemus; quorum nonnulla de impedimentis, ne stellæ omnes videantur, vera sunt. Astrologi quæ sunt circa polum antarcticum nobis occultum numquam videri stellas negant; alias aiunt nobis oriri, & occidere, alias perpetuæ apparitionis esse; alias perpetuæ occultationis. minimarum multitudinem esse innumerabilem, quæve obtutui sese claré, ac distinctè offerant, vt in galaxia, seu lacteo circulo: primæ magnitudinis esse 15. secundæ 45. tertiæ 208. quartæ 474. quintæ 217. sextæ 49. alias præterea quinque nebulosas, nouem obscuriores, quæ omnes sint 1022. ex eisdem verò imagines, seu constellationes 48. quæ scilicet videntur alicuius animalis, aut alterius rei reddere formam, seu effigiem. Rectè idem Augustinus [a] hæc (nempe stellarum numerare multitudinem) & homines conati sunt, viderint vtrùm implere potuerint: non tamen conarentur, nisi se impleturos esse sperarent: illis dimittamus quid potuerint, & quousque peruenerint. In Ieremia [b] præterea scribitur, dinumerari stellas cæli non posse, vt nec metiri arenam maris; sic tamen multiplicandum semen Dauid. Sed & Seneca [c] prodidit, iniri numerum stellarum non posse. Relege quæ dixi ad Psal. 146. [d] *Multiplicatur gens, sed non magnificatur lætitia* [e]: *vocantur multi, sed eliguntur pauci* [f], *secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi*, ait Dominus apud Oseam [g], quasi dicat, non posse inueniri numerum peccatorum, cùm sit similia numero innumerabili stellarum, & arenæ, cum quo comparati sunt, & per intolerandam ingratitudinem paria suæ multiplicationi ex singulari beneficio factæ, peccata commiserunt: & quo plures cœperunt esse, eò etiam plura in Deum patrare crimina cœperunt. Cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & Cain ædificare ciuitatem aggressus est [h], & exarserunt homines in concupiscentiá [i]. Non sunt ferè aliud ciuitates, vt Amphides dixit, quàm theatra infelicitate scatentia: & Stratonicus Atheniensis interroganti quid circumspiceret cùm circumspiceret Heracleæ ciuitatis mœnia, *pudet*, respondit, *si videar exire è lupanari.* Sonat malè plerumque multitudo, ac stultorum infinitus numerus est [k], virque bonus ac sapiens vix vnus millibus è multis reperiri potest. Multiplicatio quoque conceptuum in pœnam videtur indicta mulieri [l], quod exponitur vel de abortibus, vel de prolium defectibus corporis animíve: vel quia præ paupertate non potest educari, vel quia ob sinistros casus, aut vitia, probro, tormentóque sunt parentibus: vel quia pauci sunt electi ad æternam beatorum vitam. Quamquam simplicior sensus est de multiplicandis ærumnis conceptuum, quales sordes, & fluxus menstrui ante conceptum, defloratio, pudor, dolor in conceptu, post conceptum, immunditia, fœtor, retétio menstruorú, appetitus incontinens, póndus prolis per tot menses, fastidia, spasmi, alia pericula, de quibus Aristoteles [m]. *Ne iucunderis in filiis impiis*, ait Sapiens [n], *si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vita illorum, & ne respexeris in labores eorum. Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij; & vtile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. Ab vno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur.* Alioqui multa proles habita est ante Testamentum nouum, eximij beneficij loco, iuxta illud [o], *Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris*: cùm dimissa est Rebecca noua sponsa, imprecati sunt parentes, vt cresceret in mille millia [p]. Cùm etiam Isaac filium Iacob dimisit in Mesopotamiam, vt coniugem acciperet, precatus est, vt Deus omnipotens benediceret illi, & crescere illum faceret, atque multiplicaret, vt esset in turbas populorum [q].

Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia.] Hebraicè (*addet*) vel *addens*, nempe sit, *super vos*, *sicut vos* videlicet estis, *mille vicibus*, יֹסֵף עֲלֵיכֶם כָּכֶם אֶלֶף פְּעָמִים *ioseph hhalechem chachem eleph pehhamim.* Similis translatio Chaldæa, necnon Græca יוסף עליכון כותכון אלף זמנין *ioseph hhalechon chevath chevathchon eleph zimnin*, προσθείη ὑμῖν ὡς ἐστὲ χιλιοπλασίως, *addat vobis sicut*

a Gen. 15. 5. c. 22. 17. c. 26. 4. Exo. 32. 13. Deu. 10. 22. 1. Paral. 27. 23. 2. Esd. 9. 23. Dan. 3. 36.
b Gen. 22. 17. c. 32. 12. Dan. 3. 36. Oseæ 1. 10.
c in ps. 38. 18.
d ps. 146. 4.
e vers. 10.
f q. 5.
g lib. 16. c. 23. & l. 18.
h lib. 4. Acad. quæst.
i c. 15. 5.
a in ps. 146.
b c. 33. 22.
c 6. natur. quæst. c. 16. & l. 2. c. 32.
d vers. 4.
e Esa. 9. 3.
f Matth. 20. 16. & 22. 14.
g c. 4. 7.
h Gen. 4. 17.
i c. 6. 1. 2.
Ciuitates, theatra infelicitate scatentia.
k Eccl. 1. 15.
l Gen. 3, 16.
m 7. hist. animal. c. 4.
n Eccl. 16. 1. & seqq.
o ps. 126. 3.
p Gen. 24. 60.
q c. 28. 3.

vt estis multes plures. Monui priùs, quare dicat Moyses potius (*patrum vestrorum*) quàm (*patrum nostrorum.* Qui priore membro per stellas designari volunt bonos, aiunt hoc significari, quòd Moyses desiderabat multitudinem bonorum, & non malorum, vt Lyranus: qui numerus, inquit Glossa, definitus est apud Deum, quoniam cognouit qui sunt eius [a]: numeratque multitudinem stellarum [b]. Hanc Glossam, cuius tamen iste tantùm mysticus sensus est, citans Aquinas [c], quasi ex ea sequatur numerum prædestinatorum non esse certum, vtpote, cui fieri possit additio; respõdet hunc locum nostrum intelligendum de illis, qui sunt prænotati à Deo respectu præsentis iustitiæ: horúmque numerum & augeri, & minoi; non autem numerum prædestinatorum, qui etiam numerus prædestinatorum seu electorum in superna felicitate locandus, vt in quadam Collecta [d] secreta, quæ ab eodem Doctore recitator [e], profitetur Ecclesia, soli Deo est cognitus. Profectò cùm Glossa definitum numerum dicat, non potest intelligere eum augendum; sed vt numero electorum addantur multi non electi; qui per fidem, vel etiam per iustitiam aliqoam temporaneam futuri sint in Ecclesia tamquam in populo vno. Quem sensum præterea potest habere illud ex Psalmo 39. [f] *Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum*; quia sunt in Ecclesia multi non electi, ac proinde sopra nomerum electorum. Vbi adhuc reddi posset (*multiplicatio*) referríque ad opera Dei mirabilia, vel cogitationes eius, de quibus ibidem proximè mentio fuerat. Aduersùs porrò sententiam, quæ Origeni [g] tribuitur, à Methudio [h], Epiphanio [i], Theophilo Alexandrino [k], Hieronymo [l], Cyrillo item Alexandrino [m]; vt etiam Sixtus Senensis [n] refert, animas inductas esse in corpora, vt in his tamquam in laqueum, vinculum, carcerem pœnas luerent scelerum, quæ in cœlo commorantes admiserant; argumentatur inter alia vltimus ex Patribus, qooniam Deus benedicens Patriarchæ Abrahæ promisit prolem instar stellarum innumerabilem [o], & Moses in hoc loco nostro admiratus Hebræi populi multitudinem, vsus est eadem comparatione, optauítque maius adhuc incrementum. At si verum sensit Origenes, maledictio potius illa dicenda esset, quàm benedictio: neque Mosis hoc honestum votom fuisset, vt nec Annæ probandæ preces pro filio habendo; nec postulatio [p] Ezechiæ, vt sibi vitam Deos prorogaret [q]. nec suscitatio mortuorum, si iosti erant, qualis videtur fuisse Lazarus [r]. *Quæ res* (ait Cyrillus, recitans præsentem locum, de multis millibus, quæ optat addi Moses) *si anima lapsa in corpora puniuntur, non optanda, sed repellenda potius oratione intercessioneque Mosis ad Deũ fuit; non enim insanum quemdam hominem fuisse Mosem dicimus.* Lege commentarios nostros Psalmorum [s], & libri Sapientiæ [t]. Cæterùm solebant Hebræi filiis suis deprecari maximam prolis propagationem, successionémque, tum de hostibus victoriam, ac triumphum [u].

a 2. Tim. 2. 19.
b Ps. 146. 4.
c 1. p. q. 23. a. 7. ad 1.
d in Quadragesima,
e ibidem in corpore.
f vers. 6.
g in Ps. 65.
h apud Epiphanium.
i contra hæres. 64.
k 1. Paschalis.
l ad Pammac. de error. Orig.
m lib. 1. in Io. c. 9.
n 5. Biblioth. annot. 185.
o Gen. 15. 5. c. 22. 17. c. 26. 4.
p 1. Reg. 1. 11.
q Esaiæ 38. 2. & seqq.
r Ioan. 11. 1. & seqq.
s in Ps. 61. 11. in Psal. 118. 67. in Ps. 22. 17. in Ps. 44. 2.
t in c. 8. 19.

Benedictio Dei quid.

Et benedicat vobis sicut locutus est.] Addunt secundò (*vobis*) editiones aliæ. Benedicere Dei quid sit, dictum sæpius est, nempe benefacere, ac peculiariter multiplicare. Illud (*vobis*) secundum posset exponi (*de vobis*) vel *vobis in patribus vestris*. Benedictionis item promissio conditionem inuoluit, si obedientes essent diuinis præceptis, éstque non solùm de bonis temporalibus, verùm etiam de spiritualibus. *Seruietisque Domino Deo vestro,* inquit ipse Dominus [a] Deus, *vt benedicam panibus tuis, & aquis, &c.*

u Genes. 22. 16. c. 24. 60. Num. 22. 4. Deut. 7. 13.

a Exod. 23. 25.

Non valeo solus negotia vestra sustinere.] Hebraicè cum interrogatione (*quomodo feram solus grauem laborem vestrum* vel *molestiam vestram*, vel *grauamen vestrum.*) Nomen cum affixo est טָרְחֲכֶם *torchachem*, & simile Chaldæum טָרְחֲכוֹן *tarchachon*. à טָרַח *tarach*, quod Oleaster exponit *grauare, fatigare, laborare, & molestare*, allatis exemplis ex Iob [b], & Isaia [c]. Apud priorem est, *Frumentum desiderat nubes*; vbi *desiderare* iuxta vim Hebræi dicti verbi, sensus est, quòd nubes laborat, & labor, & negotiom eius est, vt irriget frumentum: & cùm id imperetor ipsi à Deo, perábulat, vt perficiat [d]; exaudiẽte sic Domino cœlos, & his exaudientibus terras: & ista triticum vinum, & oleum [e]: vel è contrario, qoòd frumẽtum fatigatur à nube dum nimius est imber, aut grando. Græcum nomen est κόπος *labor*, πῶς δυνήσομαι μόνος φέρειν τὸν κόπον ὑμῶν *quomodo potero solus portare laborem vestrum*, laborem, inquam, molestum, seo ex labore, molestiam ipsam, lassationem, fatigationem, vexatioñẽ, quam scilicet afferebant Moysi. Importare etiam potest molestiam tantam, qoæ cum quadam percussione fieri videatur, & exprimat planctum, qui fit interdum ab aliquo cum suimetipsius percussione, vel cõcisione. Hæc enim valet κόπτεσθαι, vnde κόπος, & præterea κοπετὸς, quod posterius nomẽ significat plangorem, & lamentationem qua pectus plangitur, aut mano tunditur, feritúrve: denique apud Auctores Græcos medij sæculi Copiatæ, quorũ est mortuos efferre, alitérque nominantur Laborantes, Lecticarij, Sandapilarij, Decani, Vespillones, &c. Negotij nomen vsurpat Interpres pro simili huic sententia in Exodo [f], vbi editiones aliæ habent verbum דָּבָר *dabar*, ῥῆμα, aut *res*, פִּתְגָּמָא *pithgama* [g] alibi, vbi est *lis*, seu *iudicium*, vel *controuersia*, רִיב *rib*, דִּין *din*, ἀντιλογία, & aliis so locis, vbi alia. Eugubinus ex Hebræo טֹרַח *torach* purat Græcum ταραχὴ descendere, qoem interpreratur *tumultum, strepitum, defatigationem*.

b c. 37. 11.
c c. 1. 14.

Desiderandi verbum.

d Baruch 6. 61.
e Osee 2. 22.
f c. 18. 18.
g Deut. 17. 8.

Et pondus.] Addito pronomine in aliis editionibus וּמַשַּׂאֲכֶם *vmassaachem*, *& pondus vestrum*, וְרִיבְכֶם *vehibitkechem, & negotia vestra*, vel *occupationes, tractatus*: prætere a *lites, contentiones, iurgia*, καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑμῶν, *& pondus vestrum*, vt qnidem habet versio Latina è Græca editione in Bibliis Regiis, Complutensibus, Sixtinis. Citatus porrò paulo antè Eogubinus docet, LXX. verbo obscuro, & non tam proprio explicasse, nempe per hypostasim, credírqoe ipsos voluisse intelligere τὴν ὑπομονὴν, id est, *patientiam*, siue *sustinentiam*. At ὑπόστασις inter alias notiones, accipitur etiam pro *audacia, insidiis, defectione*, seu *rebellione*, vt sit iuxta postremam notionem idem, quod ἀντίστασις *oppositio, repugnantia, resistentia*, quemadmodum Suidæ placet: quamuis in eo loco Æliani, quem ille citat, arbitretur auctor thesauri Græci legendum ἀπόστασις. Hic aotem ex Polybiò locum profert de Coelite, in qoo coniungit ὑπόστασιν, καὶ τόλμαν, quasi synonyma, quorum posterius nomen *audaciam* valet. Præterea verba Pauli [h], ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, siue ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, exponuntur ab Interprete nostro, *in hac substantia*; & iterum *in hac substantia gloriæ*. Est aotem eiusdem duplex hæc sententia. Prima, ne cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, *erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantia*, μήπως ἐὰν ἔλθωσι σὺν ἐμοὶ Μακεδόνες, καὶ εὕρωσιν ὑμᾶς ἀπαρασκευάστους, καταισχυνθῶμεν ἡμεῖς, ἵνα μὴ λέγωμεν ὑμεῖς ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ

h 2. Cor. 9. 4. c. 11. 17.

τῆς καυχήσεως. Syriacè, ne fortè veniant mecum Macedones, & inueniant vos imparatos, & nos pudore suffundamur, ne dicamus vos pudore suffusum iri in gloriatione illa, qua gloriati sumus, nimirum de vobis, de quibus tanta pollicebamur, adeóque magnificè apud illos de vobis locuti sumus. Ibi Theophylactus exponit ὑπόστασιν per subiectum, argumentum, materiã, negotium. Ambrosianus commentarius, vt non differat ab eo, quod ibidem paulò antè dicitur (*in hac parte, ἐν τῷ μέρει τούτῳ.*) Itaque sensus est, vereri, ne non subsisteret fortiùs, ac solida sit de Corinthiis gloriatio, qua gloriatus fuerat apud Macedones: sed quod paulo antè dixerat, ipse euacuaretur *in hac parte, ἐν τῷ μέρει τούτῳ*, quòd gloriatus fuerat de ipsis. Quo modo opponitur ὑπόστασις verbo κενῶσαι, *euacuari.* Altera sententia eiusdem Apostoli est; *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ, ὃ λαλῶ, οὐ λαλῶ κατὰ κύριον, ἀλλ' ὡς ἐν ἀφροσύνῃ ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως.* Syriacè in vltimis verbis (*in hoc loco gloriationis.*) Posuit noster Interpres gloriam pro gloriatione: declarant verò satis cõmuniter de subiecto, materia, negotio, argumento gloriationis, quam Apostolus de seipso cùm protulisset, fateatur non ita videri consentaneum diuino consilio, ac voluntati; sed ea se vsum oratione, quodammodo in insipientia, & veluti coactum, vt etiam apertè postea professus [a] est. Explicant alij, ὑπόστασιν καυχήσεως, *audaciam gloriationis*, præfidentem gloriationem, quasi videlicet audaciùs, ac præfidẽtiùs egisse videri potuerit, dum suasmet laudes in medium extulit. Quidquid sit de locis illis Pauli, contendimus retinendum ὑπόστασις hoc loco nomen, siue interpreteris negotium, vel materiam, subiectum, argumentum, nempe controuersum; siue defectionem, aut rebellionem; siue audaciam, & nimiam confidentiam aduersùs Principem, vel inter se. Quæ omnia pondus, & onus Mosi erant; ita vt legere non oporteat ὑπομονὴν, vt suspicabatur Eugubinus: & *pondus* Interpres aptè posuerit, quatenus ὑπόστασις ab ὑφίστημι, valet id quod subsidit, vt, iuxta Medicorum loquendi modum, in vrina crassior pars, & in alia re fæx illius, seu crassamen, & crassamentum, vt loquitur Columella, generalius.

a 2. Cor. 11. 17.

Et iurgia.]. Hebraicè וְרִיבְכֶם *verinechem, & litem vestram*, siue *contentionem.* Chaldaicè וְדִינְכוֹן *vedinechon, & iudicium*, siue *controuersiam, & litem in iudicio tractandam*, Græcè *καὶ τὰς ἀντιλογίας ὑμῶν, & contradictiones vestras*, nimirum quibus & inter vos ipsi contradicitis, atque iurgamini, & aduersùs meipsum. Iurgium vsurpauit Interpres [b] alibi, vbi est מְרִיבָה *merinah*, seu *meribah*, simile præsenti רִיב *rib*, & מַסָּה *matsutha*, & μάχη *pugna*, vel verba ipsa ex quibus ipsa illa nomina formantur: nonnumquam [c] conuiciandi verbum λοιδορεῖν, noménque λοιδορίας [d], interdum μάχεσθαι [e], & נִצָּה *natsah.* Varrò [f] ab iure dictum vult iurgare, cùm quis iure litigaret, à quo obiurgare is diceretur, qui id faceret Iniustè; & iurgium, pro lite. Isidorus [g] quasi iuris gartium; eo quòd qui causam dicunt, iure disceptent, iurgium dici docet; litem à contentione limitis, iuxta illud [h],

Limes erat positus litem vt discerneret aruis.

Quamuis malint alij, vt lis dempta litera prima, sit quasi elis, & hæc ab ἔρις, quæ idem valet. Attamen leuior res iurgium, ac inter beneuolos etiã, & propinquos dissensio, concertatióve dicitur: lis inter amicos à Cicerone [i] appellatur. Oleaster tria priùs enumerata nominans, laborem, onus, litem; obseruat eum Hebræis, officium Principis denotari, siue magistratus: vt ius dicat litigantibus: prospiciat de commeatu, victu, vitæque necessariis; curet, vt priuati sine mutuis iniuriis, & tranquillè viuant: quæ omnia molestiis, & angustiis plena sunt: Abulen. distinguit negotia spiritualia ad Deum orandũ, & quærendo responsum: pondus in temporalibus ordinandis sine lite: iurgia in litibus & forensibus causis iudicandis. Circa hæc ipsa præsertim iurgia, notat Glossa interlinearis, quòd mitissimus non sustinet discordiam, vel rixam, tamquã sibi contrariam. Hac de causa etiam Apostoli propter murmur initio exortum in temporalium rerum distributione, vt seipsos exonerarent, instituerunt Diaconos [a].

b Gen. 13. 8. c. 26. 20. c. 31. 36.
c Gen. 49. 23. Exo. 17. 2. Num. 20. 13.
d Exod. 17. 7.
Iurgo, iurgium, & lis.
e Leuit. 24. 10.
f lib. 6. de lingua Lat.
g 18. etymol. c. 15.
h Virg. 12. Æneid.
i 4. de Rep. apud Nonium.

Officium Principis.

a Actu. 6. 2. & seqq.

Vers. 13. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes.

IN Exodo [b] narratur datum consilium à Iethro Moysi, vt prouideret de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus esset veritas, & qui odissent auaritiã: Mosem verò elegisse viros strenuos, cõstituisseque Principes populi, &c. Quæ hoc loco dixisse Moses proditur, vt ipsemet populus daret viros idoneos ad gubernandum: ibi prætermissa sunt, vnà cum nonnullis, quæque præcedunt, & quæ sequuntur. Istas porrò qualitates Glossa interlinearis ita declarat: vt per nomen virorum fortes intelligantur; per sapientes, bene in diuinis versati, quique rectè intelligentes, gubernacula possidere valeant [c]: per gnaros, qui peritiam quoque temporalium habeant: per eos, quorum conuersatio sit probata, vt ex priori vita probetur futura: per tribus, in quibus ea probatio sit, vt multorum testimonio proueh antur. Glossa ordinaria in parte morali sapientiam spectat, quantum ad naturalem industriam, & sacræ Scripturæ notitiam, & hoc in regimine spirituali; ita vt in temporali sint industrij, sciántque consuetudines, & iura ciuitatum, ac terrarum, ad quas se extendit regimen earum: gnaros intelligit, quantum ad sollicitudinem debitæ prudentiæ: conuersationem probatam per experientiam bonæ famæ: hæc autem duo vltima requiri ait in vtroque regimine, scilicet spiritualium, & sæcularium. Caietanus, legens sapientes, intellectuales, scientes; tres iudicum partes qualitatésve attendit; vt sint naturaliter boni iudicij: bonæ intelligentiæ ad penetrandum, in quo consistat difficultas, vt sciant iura. Oleaster, appellans sapientes, intelligentes, peritos; in primis agnoscit prudentiam ad consilia, in secundis vim penetrandi res, ac discrimen inter eas constituendi; in vltimis experientia comparatam sciẽtiam. Lyranus viros interpretatur pollentes virtute animi; sapientes in diuinis; gnaros in agibilibus humanis; quorum conuersatio sit proba per claritatem vitæ & famæ. Rickelius viros exponit præ cæteris aptiores ad regimen aliorum, ob eruditionem excellentem in diuinis, & temporalibus, quique cõmuni omnium aut plurimorum testimonio sint bonæ vitæ, ac famæ honestæ, denique in virtutibus notabiliter exercitati, & exemplares. Monet præterea, debere à Prælatis assumi adiutores idoneos ad informandum ac dirigendũ subiectos: nec se in exterioribus superfluè occupare, ne à spiritualibus exercitiis impediantur: sed

PARAPHR.
b c. 18. 21. 25.
Viri gubernatores quales esse debeant.
c Prou. 1. 5.

cura-

circa gregem commissum intus purgãdum ac seruandum, semper intenti sint, sicque exteriorem dispositionem, quantum congruè fieri potest, suis committant officiarijs. Ad hæc, ex hoc textu infert eligendos, promouendósque ad prælaturas, atque officia, qui vita, scientia, ætate, fama reputentur magis idonei. Plura in Pastorali Gregorius, & Bernardus in opere de consideratione, & Chrysostomus libris de Sacerdotio, & alij Scriptores politicorum præceptorum. Cæterùm Hugo in eo quòd Moses dari sibi petiit viros, obseruat post Glossam, noluisse imperare, sed obedire. Itaque electionem subditis tribuit, ait Stephanus Cantuariensis [a], illud ipsum repetens; sibi retinuit potestatem, ne plebs contemneret, aut odisset, si non licuisset habere, quod volebat. Eadem (B) de re alibi egi, & quod ius plebs in electionibus sacris habuerit, docendo propriè nullum habuisse: sed, vt eius testimoniũ Prælatum redderet magis acceptum. Viros boni testimonij requirebant Apostoli in eligendis Diaconis [b]: in Episcopo Paulus [c]: quod nunc in Ordinationibus palàm edicitur ecquis contra ordinandos aliquid habeat quod olim factitatum scribit Lampridius [d], vt scilicet cùm essent ordinandi Sacerdotes, priùs *proponerentur palàm nomina eorũm, & populo suaderetur, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus.* Vbi aliquos, ait, voluisset vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, idest, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si (C) quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis, dicebátque graue esse cùm id Christiani, & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita. Nesciebat Imperator animarum curam, & salutem æternam committi magistratibus Ecclesiasticis, quibus Deo de animabus reddenda ratio est [e]. Eadem de re legantur Cyprianus [f], Augustinus [g], Chrysostomus [h], Leo [i], & refertur [k]. Origenes [l], *Cautum est Episcopi electionem fieri per plebem* [m]: & refertur [n]. quamuis olim esse permissum colligi videatur ex Theodoreto [o], recitante epistolã Concilij Nicæni contra Meletium. (D) Iubet Conc. Tridentinum [p] proponi publicè ordinandorum nomina, in eorúmque vitam inquiri. Talis de qua Dionys. Areopagita [q] proclamatio initiandorum per Episcopum. Minatur Dominus, vt ab eodem notatur Hugone, propter peccata nostra ablaturum se fortem, & validum, virum bellatorem [r], iudicem, &c. speculatores cæcos, canes mutos, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, amantes somnia, pueros, & effœminatos, &c. Regem [s] hypocritam; pastorem, qui derelictum non custodiat, & dispersa nõ quærat, idolóque similis derelinquat gregem [t]. Ioannes [u] Vitalis Cardinalis viros requiri vult, quia plerumque haud ita sunt apti adolescentes, (E) & iuuenes: sapientes in spiritualibus: gnaros in sæcularibus: sapientes potius, quàm scientes, quia scientia dicit habitum purè speculatiuum: sapiẽtia autem aliqualiter practicum, & speculatiuum. Prælati autem magis indigent practica experientia, quàm speculatiua scientia; quorum conuersatio probata sit, vtique probata, non probanda; quoniam est vsus rectæ conuersationis, vt præesse non audeat, qui subesse non didicit, nec obedientiam subiectis imperet, quam Prælatis non nouit exhibere; vel, vt sit probata, hoc est, approbata,

(A) non reprobata, vtque iuxta Glossam, ex priori vita probetur futura. Affert itẽ illud ex Prouerb. [a] alias a nobis allatum; sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem, idest, sicut lapis, inquit, in serie calculi positus, pro obelo, denario, solido, libra marca, vncia semper retinet eundem valorem; sic vir insipiens quantumcumque sublimetur honore, numquam tamen mutatur discretionis, aut morum pondere, vel valore. Mercurius præses fingebatur eloquentiæ; solida verò præditũ eloquentia magistratum decet, ac velut bases Templi Salomonici firma, esse [b] Cherubica, idest, scientia ornatos, quam Cherubim denotat, atque pascere subditos scientia, & doctrina [c], vt sint simul pastores (B) & Doctores [d]. Illud adhuc aduerti potest, cùm postulat Moyses dari ex ipsomet populo, qui regant eum, hoc munus in Republica rectè demandari, quando commodè fieri potest, indigenis: vtpote, quos verisimile sit in patriam suam pios ac beneuolos futuros, & si simul sint sapientes, vt hic requiritur, nihil nisi iure ac iustè facturos. Laudat Ezechiel [e] Tyrios, quòd sapientes Tyri facti essent gubernatores eius, cùm alia ministeria exteris gentibus detulissent. Quod ipsum de iisdem probant annales, hoc est perpetuam apud eos talium Principum successionem, ex quibus, qui ætate viuebat Salomonis Hiramus, amicitiã cum ipso contraxisse propter sapientiæ studium, & mutuas problematum dissolutiones, testis est (C) Iosephus [f]. Hoc nomine felices Plato [g] populos censebat, in quibus vel regnarent Philosophi, idest, sapientes, vel Reges philosopharentur, hoc est, sapientes essent. Artaxerses verò scribens ad Principes prouinciarum, & Amani Principis recẽsens crimina, causam nationis diuersitati ascribit [h]. *Aman*, inquit, *filius Amadathi, & genere Macedo, alienúsque a Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est, & tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus, qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno niteretur priuare nos, & spiritu.* Petiit quidẽ dari sibi Moyses à populo, quos eis præficeret idoneos, & quorum etiam iudicio (D) tales censerẽntur: propter causas paulò antè indicatas, alibique magis ex professo tractatas: ita tamen, vt diuinum in primis iudicium, & quasi suffragium expectaretur, & expeteretur; cuius tãquam Domini spirituum omnis carnis, sit homines constituere super populi multitudinem, vt possint exire ante eos, & ducere, ac introducere quò oportet [i]. Nam vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem vbi multa consilia [k]; & qui sapiens, ac intelligens est, gubernacula possidebit [l]; perito videlicet similis nauclero, vt demonstrant Dio Nyssenus [m], Philo [n], Chrysost [o], Damasc. [p] Plutarch. [q] Auctor ad Herennium [r], aliique. Ex quibus Philo ex hac similitudine colligit, ad sortes reuocari non oportere Regum electionem; sed qui optimè artem istam regen- (E) di callet, isti muneri præponendum. Consule Ferdinãdi Quirini de Salazar nostri commentarium in Prouerbia [s]. Exprobrabat Paulus Corinthiis [t], non esse inter ipsos sapientem, qui posset iudicare inter fratrem suum; vel certè cùm non deesset, qui saltem eligeretur vt arbiter. quod etiam tempore Christianorum Principum fiebat per Episcopos, vt colligitur ex Augustino [u], & ex auctore vitæ illius Possidio [x], ac ex decreto [y], & Turriano [z] nostro, ac aliis; non vereri tamen actorem causam

a apud Godefridum Tilmannũ in allega.
b Act. 6. 3.
c 1. Tim. 3. 7.
d in Alex. Seuero.
e Hebr. 13. 17.
f lib. 1. ep. 4. & 68.
g 22. cont. Faust. c. 56.
h 2. de Sacerdotio.
i epist. 87. c. 1.
k d. 63. c. nota
l hom. 6. in Leuit.
m in Conc. Laodiceno, c. 12. & 13.
n d. 63 cãõ est permittendum.
o 1. hist. c. 9.
p sess. 23. c. 5.
q Eccl. hier. c. 5.
r Esa. 3. 4. & seqq.
s Iob 34. 30.
t Zach. 11. 17.
u Special. moral. scriptor. Verbo Iuuenis.

a c. 26. 8.
b 3. Reg. 7. 27. 28.
c Ierem. 3. 15.
d Ephes. 4. 11.
e c. 28. 8.
f 1. contra Apio.
g 5. de Repub.
h Esther 16. 10. & seqq.
i Num. 27. 16.
k Prou. 11. 14.
l c. 1. 5.
m ora. 3. de regn.
n de principis creatione.
o hom. 6. ad popul. & 2. de sacerd.
p de Barlaã & Iosaphat.
q in moralib.
r lib. 4.
s in c. 1. 5.
t 1. Cor. 6. 5.
Regum electio an sorte facienda.
u de opere monacho. c. 29. & in Ps. 118. cõcio. 24.
x c. 19.
y c. Quicũque & c Volumus 11. q. 1.
z 3. pro epi. Pont. contra Centuriatores.

causam deferre ad Ethnicom, cum iactura nominis Christiani, & satius esset iudicio stare hominis Christiani, quamuis alioqui contemptibilis, quàm infidelis.

Explanatio.

Date ex vobis viros sapientes.] Secundùm reliquas editiones (*date vobis* הָבוּ לָכֶם *haбu lachem*, הָבוּ לְכוֹן *haбu lechon*, *δότε ἑαυτοῖς*. Rectè suppleta est præpositio. Vel, *date vobisipsis*, idest, in vtilitatem vestram. Viri verò אֲנָשִׁים *anaſcim*, גֻּבְרִין *gubrin*, *ἄνδρες*, sexum masculinum denotant, quia fœmininus ineptior est, subiicique ac obedire potius quàm præesse, ac imperare debet. Robur præterea tum corporis, tum præsertim animi, seu fortitudinis in hoc virtutem Glossa interlinearis, & alij considerant. Sed Hebræum nomen solùm sexum denotat, potiúsque si attendatur etymologia indicat obliuionem, infirmitatem, fragilitatem, ærumnam, miseriam. Sapientes חֲכָמִים *chachamim*, חַכִּימִין *cacchimin*, *σοφοὺς* variis modis à variis hîc accipi admonui, qui tamen omnes ad rectè gubernandi pertineant officiũ.

Sapientia vox.

Sapientię vox de increata quandoque dicitur, vel essentiali, quæ Deo cõuenit: vel notionali, idest, persona secunda Trinitatis: de diuinarum ac humanarum rerum & causarum, quibus hæ continẽtur scientia; de virtute coniuncta cum scientia, quæqua omnium sit moderatria rerum: de peculiari primarum causarum, ac Dei potissimum notitia: de particulari dono Spiritus sancti: de collectione virtutum Theologicarum; intellectualium aliarum, moraliúmque: de peritia regendi alios, quam artium artem, disciplinámque disciplinarum vocant. Greg Nazianz. [a] Greg. Papa [b], Chrysostomus [c], Aquinas [d], Auerroes [e], maximéque difficilem Plato [f], Xenophon [g], alij; siue *σοφίαν* dici velis, quasi *ζοφίαν*, quòd caligine quadam obtecta sit, siue sapientiam à sapore, & gustu spiritualis palati, gutturísve, quod חֵךְ *chech* valet, affine nomini חָכָם *chacham*, & חָכְמָה *chochmah*. Ob notionem primã, qua dicitur Deus solus sapiens, non ab Ethnicis dumtaxat, qui propterea detrectatum *σοφοῦ* nomen à Pythagora dicunt [h], pro eóque sumptam appellationem Philosophi: verùm etiam ab Apostolo [i], videlicet per se, ac *ὄντως ὢν essentialiter* intelligitur propiorem Deo quemque esse oportere, atque sapientia præcellere, quo similior eidem regendi dignitate ac munere, vt admonet Dauid [k], & libri Sapiẽtiæ [l] auctor, & nos in eorumdem commentariis & aliorum librorum. Videntur à natura ipsi ad regendum facti, regnandíque qui sunt sapientes, vt in Politicis docet Aristot. qui præterea scribit [m] sapientia præditum esse, esse regiũ, quoniam est multorum, & admirabilium operum *ἔργων* scientia: sapientem videri suaue, quia regnare suauissima res est. Diceres in republica Principem sapientem Atlanti similem, eiúsque sapientiâ fundari terram, cœlos prudentia stabiliri [n], esseque *βασιλέα βάσιν λαοῦ*. *Regem basim populi*, vt à Gregorio quoque Magno [o] annotatum est, & qui portet orbẽ [p]. Igitur sapientia hic requisita praxim inuoluit, virtutísque cum scientia actionem, vt se quilibet ipsum regere, & alium consequenter valeat. Cæterùm indicat Iosephus [q] electionem suffragiis populi factam *δημοκρατίαν ἀπὸ τοῦ λαοῦ* vocans, quod etiam innititur verbo (*date*) & in Exodo [r] ipse Moses dicitur elegisse, fortassis populi quælibet tribus binos, ternósve proposuit ad munera diuersa; è quibus Moses arbitratu suo eligeret. Recensuit cuiusuis tribus familias, ex earúmque numero intellexit quot egeret tribunis, &c. exempli causa, si essent quinque millia familiarum, debebant eligi quinque tribuni, siue Chiliarchæ, ac millenarij, quinquaginta centuriones, centum quinquagenarij, quingenti decani: electionem à primis incipiendo, vt constituerentur digniores, & maioribus negotiis aptiores.

Ars artium, disciplinaq; disciplinarum qua.

a in apolog.
b 1. p. Past. sub princ.
c in 2. Cor. hom. 15.
d 3. de regim. Princ.
e in Plato. de Rep. tractat. 2.
f epist. 7.

Philosophi vox.

g 1. Cyri Pæd.
h Laër. in proœm. & in Pythag. Cic. Tusc. 5. Val. Max. l. 8. c. 7. Amb. ep. 6. Lact. l. 3. c. 2. 10. & seqq.
i Rom. 16. 27.
k Psal. 2.
l c. 6. 10.
m 1. Rhet. c. 13.
n Prouer. 3. 19.
o 9. Moral. c. 10. vel 14.
p Iob 9. 13.
q 3. antiq. c. 3.
r c. 18. 25.

Et gnaros.] Vocantur Hebraice נְבֹנִים *nebonim*, Chaldaicè סָכְלְתָנִין *sochletanin*, Græce *συνετούς*. Primum nomen a בָּן *ban*, seu בּוּן *bun*, vel בִּין *bin* significat *intelligentes*, quique discernere queant, ac inter diuersa diiudicare, præsertim quæ ad vsum praximque spectant, & in quo consistat difficultas, inquit Caietan. & Oleaster; quorum posterior affinem particulam בֵּין *ben* obseruat, quæ valet (*inter*) quasi dicas, distinctionem, inquit Pagninus, monens ex ea particula totius radicis genuinam significationem percipi posse. Id ex experientia pendet, de qua Marzilla explicat Abulensísque. Distinguunt Hebræi בִּינָה *binah*, a חָכְמָה *chochmah*, quòd hac res certò cognoscantur, illa res prudenter diiudicentur penitiùs consideratæ, quod appellatur iudicium; vel, prima sit certa primariaque rerum scientia; secunda, cùm res ex rebus colliguntur, vnúmque deducitur ex alio. Requirebat in sacerdotibus Moses scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, pollutum, & mundum [a], & Deus quasi os suum esse affirmabat, qui separaret pretiosum à vili [b]. Postulauit sibi Salomon sapientiam ad discernendum iudicium, deditque ipsi Deus cor sapiens, & intelligens [c]. Lege quæ dixi ad Ps. 118. [d] & ad 110. [e] Chaldæum exponi potest per intelligentes, prudentes, circumspectos, consideratos, à verbo שְׂכַל *sachal*. Græcum amplioris notionis est, ac ad peritiam quoque artificialem refertur, & ad alia. Postremò gnaros, vel gnarures etiam, ac naros appellant, nauos, scientes, peritos, expertos, prudentes, astutos: & si Grammaticis credimus, prudentia naturalis est; gnaritas extrinsecus venit: imprudens per se: ignarus est per alios. Forsitan mutuati sunt Latini nomen hoc è Græco verbo *γνωρίζω*.

a Leuit. 10. 10.
b Ierem. 15. 19.
c 3. Reg. 3. 12.
d vers. 35.
e vers. 10.

Et quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris.] Loco istorum Hebraicè legitur *notos tribubus vestris*, aut, *ex tribubus vestris*, יְדֻעִים לְשִׁבְטֵיכֶם *vidubhim lesceuatechem*) vt Pagninus quoque vertit. Quod Vatablus explicat, spectatæ integritatis viros. Passiuum participum est יְדֻעִים *seduhbim*, vt proinde non ita rectè alij exponant eruditos, vel experientia præditos, vel scientes: quod tamen importat Chaldæum מַנְדְּעִין *mandehbin*, & Græcũ *συνετούς*. Notos, cognitósve intelligere oportet, idest, approbatos quemadmodum scire, ac nosse nonnunquam idem est, quod approbare; nescire idem quod reprobare. In hanc passiua significatione Interpres accepit reddens (*quorum conuersatio sit probata*) quod pertinet ad bonum testimonium aliorum de illis, de quo antea egimus, & ad experimentum, experimentalémve scientiam, quam haberent alij circa illos. Quemadmodum præcepit Deus, vt Moses de senibus Israël eligeret septuaginta viros, quos ipse nosset senes populi esse, ac magistros [f]. Immeritò negat Eugubinus dictum participium Hebræum passiuum esse, contendens non significaret eum, qui cognitus est, sed qui scit, qui cognoscit, qui peritus est. Sine dubio passiuum participium est יְדֻעִים *iedubbim*, siue scriptũ cũ ו *vau* scriptum יְדוּעִים *iedubhim*, actiuum verò esse יֹדְעִים *iodehim*. Iterũ versu 15. repetitur idem participium passiuum, vbi tamen Interpres nobiles posuit, quasi cognobiles, ac notos. Conuersationis porrò nomine nihil hic respondet

Sciendi, & nesciendi verba.

f Num. 11. 16.

ſpondet in editionibus aliis : de illo autem, quo nunc primùm vtitur Interpres, egimus in commentariis aliis [a]; & occurrit adhuc alibi [b], Græcè συναναστροφὴ : aliquando [c] ὑπηρεσία, *miniſterium*, vel βίος [d], *vita*, *viuendíve ratio*, vel ἐπιστροφὴ [e], vel ἀναστροφὴ, [f], vel ἐμβίωσις [g], *ratio* item *viuendi* ; vel ἀναστροφὴ, [h], vel κατοικία [i], *habitatio*, vel ἀναστροφὴ [k], *educatio*, vel πολιτεία [l], *politia*, politicúſve degendi modus, ratio, genus, ac inſtitutú vitæ, adminiſtratio: vel πολίτευμα [m], quod idem valet, ciuiléinque cóuerſationem, & quaſi municipatum, vt interpretantur Tertullianus [n], Caſſianúſque [o]. Quamquam & conuerſationem vſurparam in hoc ipſo ſenſu noſtro a Plinio [p], Quintiliano [q], Seneca [r] alibi [s] monui.

Vt ponam eos vobis Principes.] Hebraicè, (*Et ponam eos in capita veſtra*, id eſt, vt ſint capita veſtra, בראשיכם *beraſchechem.*) Chaldaicè, *capita ſuper vos*, רישין עליכון *reſcin ilhalechon*) Græcè (*& conſtituam eos ſuper vos duces veſtros*, καὶ κατασ τήσω αὐτοὺς ἐφ' ὑμᾶς ἡγουμένους ὑμῶν. Minores cauſæ ad hos deferebantur, vt habetur Exodi 18. [t] vbi tamen exigitur à Iethro dante conſilium de illis inſtituendis, vt eſſent viri potentes, timentes Deum, in quibus eſſet veritas, quique odiſſent auaritiam. Poſtea inſtituti ſunt ſeptuaginta, ſeu ſeptuaginta duo ſeniores, quorum generalior, & maior erat auctoritas, & quibus tradidit Deus de ſpiritu Moſis, vt ſuſtentarent onus populi, & non ſolus ipſe grauaretur, quóſque idem noſſet, quòd ſenes eſſent populi, ac magiſtri [u]. Hæc declarauimus in libro Numerorum [x]. Citato Exodi loco pro viris potentibus, vt etiam extat in editionibus aliis, quidam codices Latini habent *ſapientes.* Viri autem potentes δυνατοὶ, ſiue virtutis, Hebraicè & Chaldaicè חיל *chail*, חילא *chela*, ſunt ſtrenui, magnanimi, animo valentes, & valentes virtute irrumpere iniquitates, non extimeſcendo faciem potentis [y], conſtantes, patientes laboris, diuites etiam quantum ſufficit, ne contemnantur, nec ab æquitate patiantur ſe muneribus deduci, denique vnum timentes Deum θεοσεβεῖς, qui Iudex eſt iudicum, regum Rex, Dominus dominantium. Tales fertur cariſſimos è ſuis Fridericus III. Imperator habuiſſe, qui non magis ipſum, quàm Deum timerent. Denique ibidem Caietanus diſtinguit in iis, qui aliis præficiendi ſint, has conditiones, ingenium (quam alij [z] non rectè ab eo appellatam dicunt, magnanimitatem) timorem Dei Iudicis (quem ibi ſignificat, inquit אלהים *Elohim*, veritatem, ſeu veracitatem in dictis, & factis) vt quæ veritati rerum geſtarum, teſtium, & ſimilium rerum dent locum. quem quidam [aa] apud illum vocari volunt ſapientiam, iuſtitiam, abſtinentiam à muneribus cum odio vehementi, & continuo auaritiæ. Explicat porrò Carthuſianus illud (*ponam eos vobis Principes*) ideſt, veſtram electionem approbato, & authenticabo, vel electis à vobis dabo auctoritatem, & diſponā in quo gradu quiuis eorum debeas præſidere. Notat etiam Gloſſa, quòd Moyſes ſubditis electionem tribuit, poſitionem ſibi reſeruauit, ne plebs contemneret, aut odiſſet, ſi non licuiſſet habere, quem voluiſſet.

[a] in Sap. 8. 16. in c. 13. 21. in c. 15. 32. in Iacob. 3. 13. in 1. Pet. 1. 15. [b] 18. c. 2. 22. c. 3. 1. 2. 16. in ep. 2. 2. 7. c. 3. 11. [b] Eccl. 18. 22. 24. 25. c. 38. 14. c. 50. 5. Dan. 1. 11. 2. Mach. 4. 13. c. 6. 23. Galat. 1. 13. Epheſ. 2. 12. c. 4. 22. Philip. 3. 20. 1. Tim. 4. 12. Hebr. 13. 7. Tob. 14. 17. [c] Sapien. 13. 21. [d] c. 15. 12. [e] Eccl. 18. 22. [f] verſ. 25. [g] c. 38. 14. [h] c. 50. 5. [i] Dan. 2. 11. [k] 2. Mach. 6. 23. [l] Epheſ. 2. 12. [m] Philip. 3. 20. *Viri potentes qui.* [n] de coro. milit. c. 13. de reſur. carnis c. 47. [o] 3. cóm. Marcio. c. 24. [o] colla. 3. c. 6. & 7. [p] lib. 10. c. 33. [q] lib. 1. c. 2. [r] 3. de ira. de cóſol. ad Polyb. c. 17. de cóſol. ad Elbiā c. 15. *Aliis præficiendorum conditiones quæ, & quæ Iudicum.* [s] in 1. Petri 3. 15. in Iacobi 3. 13. [t] verſ. 21. [u] Num. 11. 16. & ſeqq. [x] ibidem. [y] Eccl. 7. 6. [z] Cornelius in Exod. 18. [aa] idem.

Verſ. 14. Tunc reſpondiſtis mihi : Bona res eſt, quam vis facere.

Verſ. 15. Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos ſingula.

Verſ. 16. Præcepique eis, dicens : Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate : ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus.

Verſ. 17. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis vt magnum : nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Quod ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.

Verſ. 18. Præcepique omnia quæ facere deberetis.

PARAPHR. Recitat Moſes approbationem populi ad propoſitionem à ſe factam de partiendo grauiore regiminis onere inter alios, prout ipſi hac de re ſocer Iethro conſilium dederat ; quemadmodū in Exodi c. 18. [a] continetur. Ibi eadem ad verbum ferè extant, tum vt ab Iethro ſuggeſta, tum vt à Moſe executioni mandata, excepta mentione populi hoc factum approbantis. Quod autem hîc vltimo verſu ſcribitur, videtur comprehendere in vniuerſum varia præceptorum aliorum genera, moralium, iudicialium, ceremonialium, vt circa particulares cauſas haberent ſubordinati magiſtratus certam normam, ac regulam docendi ſubditos, & iudicandi, nullo habito reſpectu, delectúve, ſeu acceptatione, & diſcretione perſonarum in iis, quæ ius, ac iuſtitia requireret, ita verò tamen, vt ſi quid ob difficultatem expedire ipſi per ſe non poſſent, ad illum recurrerent, qui vel pro ea, quam iam haberet ſcientiam decerneret, vel Deo conſulto, ſi opus eſſet, reſponderet, vt feciſſe legitur non ſemel [b]. Videri poteſt cōſilium, quod Iethro dedit diuinitus inſpiratum, quia perſimile eſt verbis Dei ad Moſem initio detrectantem legiſlationis, ac principatus munus, cùm iratus ei dixit de fratre Aarone [c], *Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis, ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Volebat Iethro, & parens eius conſilio Moſes, monarchicam gubernationem eſſe, vitandæque confuſionis cauſa reuocari ad vnum caput omnia, vt maiores, ac minores inter ſe magiſtratus eſſent ſubordinati, & ſubiecti ſub vnico capite, & Principe: ita vt à minoribus ad maiores certis in cauſis appellatio foret, ac demum ad ſupremum vnum Iudicem in rebus magis arduis. Nec tamen improbabile eſt multos tribunos vni Principi tribus fuiſſe ſubiectos, ſicut omnes Moyſi ſubiecti erant, & immediatè quinque decani quinquagenario, duo quinquagenarij centurioni, decem (duos quidam [d] dicunt, niſi fortè mendum ſit) centuriones tribuno, ſeu Chiliarcho, Millenarióve. Hoc pacto quicumque de populo apud quinque iudices poterat agere cauſas ſuas, apud Decanum, quinquagenarium, centurionem, tribunum, Moſem, nec licebat cauſam dicere initio apud maiorem iudicem ; ne dum apud Moſem, ſed prius apud Decanū, à quo ad ſuperiores prouocari concedebatur : vt ferè contingit in foro Eccleſiaſtico, in quo non eſt fas litigare apud Primatem, aut Archiepiſcopum illi, qui

[a] verſ. 13. & ſeqq. [b] Leu. 2. 12. 13. Num. 9. 8. & ſeqq. c. 27. 4. & ſeq. [c] Exod. 4. 14. & ſeqq. [d] Salia. 10. 2. annal. anno Moſis 81. nu. 739.

qui Episcopo subsit, priusquam res agitata fuerit apud Episcopum. Mosis erat immediatè cognoscere de grauioribus,& difficilioribus, qualia quę ad Deum sacraque pertinebant, de causis, in quibus vti oporteret τῇ ἐπιεικείᾳ, benignáque legis interpretatione, cuius ille, vt legislator interpres erat, de capitalibus item iudiciis circa vitam, vel mutilationem, de iis, quæ per appellationem à tribunis deuoluebantur ad ipsum. Horum magistratuum officium Abulensis, qui diligentiùs materiã istam totam persequitur in Exodum [a], probabiliter sentit & quotidie exerceri debuisse, quod ipsemet Moses [b] dixit omni tempore, demptis festis, & perpetuum fuisse per vitam totam, quando ad illa rectè obeunda idonei essent. Verùm in mortuorum locum filios non successisse, vt fiebat in tribu Leuitica, quantum ad munia sacra, sed nouos eligi oportuisse, quibus inessent conditiones, & dotes in prima electione, seu institutione requisitæ, quæ fortè in filiis non reperirentur. Cæterùm Iosephus [c] pro iudicum gradibus, quos Iethro proposuit, distributionem secundùm octo numerauit, *κατὰ μυρίας, κατὰ χιλίους, εἰς πεντακοσίους, εἰς ἑκατὸν, εἰς πεντήκοντα, κατὰ τριάκοντα, κατὰ εἴκοσι, κατὰ δέκα, secundùm legiones denum millium, cohortes millenarias, quingenarias, centenarias, quinquagenarias; itémque secundùm manipulos triginta,& viginti,& decem commilitonum.* Institutio autem magni illius Hebræorum Concilij, quod longè pòst appellatum est Synedrij vocabulo, non pertinet ad hoc tempus, videtúrque alio etiam valde posteriore tempore Ierosolymis successisse senioribus illis 70. vel 72. de quibus egimus in libro præcedente [d]; istis autem tribunis, cẽturionibus, &c. quorum hîc mentio fit, videntur ij, qui dicuntur in libri nostri c.16. [e] iudices, & magistri constituendi in portis per singulas tribus, vt iudicarent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinarent, successores facti.

a in c.18.q. 9.& seqq.
b Exod. 18. 22.26.
c 3. antiq. c.3.
d c. 11. 16.
e vers.18.

Explanatio.

Tunc respondistis mihi.] In cæteris editionibus omisso (*tunc*) (*& respondistis mihi, & dixistis.*) Quo significatur Mosem requisiuisse populi voluntatem,& approbationem, vtque ipsi proponerent, ac seligerent, quos ipse constitueret iudices ac magistratus iuxta consilium soceri Iethro, qui fortasse ipsomet populo audiente illud dederat, cùm vidisset populum præstolantem à mane vsque ad vesperam apud Mosem, vt controuersias, causásque suas expediret, ac dirimeret, stultóque labore consumi,& ipsummet,& populum [f].

f Exod. 18. 13.& seqq.

Bona res est, quam vis facere.] Pro (*res*) habent editiones aliæ (*verbum, sermonémue*) דָּבָר *dauar*, ῥῆμα, *pithghama*: pro (*vis*) vsurpant *locutus es* דִּבַּרְתָּ *dibbartha*, ἐλάλησας, מַלֵּלְתָּא *mallelha*: pro epitheto (*bona rei, seù verbi*) quod est Hebraicè טוֹב *tob*, & Græcè καλὸν, Chaldæum תַּקִּיף *thakkeph* significat graue, forte, robustum, ac proinde solidum, firmum, ratum, rectum, iustum. In Exodo [g] Iethro dixit Moysi (*non bonam rem facis*, לֹא טוֹב הַדָּבָר אֲשֶׁר אַתָּה עֹשֶׂה *lo tob haddauar ascer atthah bhoseh*, לָא תַקִּין פִּתְגָמָא דְּאַתְּ עָבֵיד *lo takkeph pithgama death bhaued*, Græcè, *non rectè tu facis verbũ hoc*, οὐκ ὀρθῶς σὺ ποιεῖς τὸ ῥῆμα τοῦτο. Consensum præbuit populus bono soceri Mosis consilio, siue intellexerit ab illo profectum esse, siue Moses id proponere sponte visus sit, ac velut ab se excogitatum, aut à Deo dictatum, quem etiam satis probabile est, in re adeò graui ab eodem Mose consultum, támque iustam propositionem oraculo comprobatam fuisse. Quod antea faciebat Moses, vocauit Iethro rem non bonam, ac proinde veluti malam, idest, minus bonam. Hoc pacto dixit Christus; [a] *Cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*, idest, cùm sitis minus perfecti, ac procliues ad malum, nec sine delictis saltem leuibus: & veteris legis præcepta nominauit Deus, non bona [b], hoc est, non adeò perfecta: & ille adiuuari petens incredulitatem suam, cùm tamen profiteretur se credere [c], intelligebat imperfectam fidem: & exprobrata discipulorum incredulitas [d] potest significare tarditatem in credendo. Vel res non bona idem valet, quod laboriosa, sicut apud Poetam [e], *labor improbus*, & in Euangelio [f], *dies malitia*, & in Genesi [g], *dies Iacob mali*. Stultum laborem etiam appellauit idem Iethro [h], quo Moses consumeretur, quæ Græcè dicitur φθορὰ ἀνυπομόνητος, *corruptio intolerabilis*, Chaldaicè *fatigatio*, מַלְאוּ *milah*, tam ipsius Mosis, quàm populi.

g ibid. vers. 17.
a Matth.7 11.
Res non bona, quid.
b Ezechiel. 20.25.
c Marc.9. 23.
d c.16.14.
e 1.Georg.
f c.4.7.9.
g c.47.9.
h Exod. 18. 18.

Tulíque de tribubus vestris viros sapientes.] Hebraicè, Chaldaicéque (*capita tribuum vestrarum*, רָאשֵׁי *rasce*, רֵישֵׁי *resce*) id est, præcipuos quosque, quos videlicet aut ipsæmet tribus elegerant, aut ex designatis à se Mosi proposuerant, vt vltimum delectum faceret; quemadmodum paulo antè attigi. Græcè *ex vobis*, ἐξ ὑμῶν. De conditione sapientiæ priùs quoque dixi.

Et nobiles.] Docui præterea hîc extare idem Hebræum passiuæ vocis participium, יְדֻעִים *seduhhim*, quod erat in versu 13. vbi & Chaldæum idem, nempe מַנְדְּעִין *mandehhin*, hîc מַנְדְּעָן *mandehhan*, Græcum vtrobique συνετοὺς, quódque Hebræum significet bene notos, seu cognitos, pro quibus ibi redditur, *quorum conuersatio sit probata*. Nobiles à noscendo dici, quasi noscibiles, seu gnobiles, & cognoscibiles, nobilitatémque tãquam gnobilitatem, noscibilitatémque præ cæteris notam, claram, illustrem, apertam, spectabilem, conspicuam, vulgatam, atque hominum sermone celebratam; & nobilitare, notum facere, docet post Festum, & Nonium, Tiraquellus in egregio, veréque nobili opere de nobilitate [i], allato Plauti [k] testimonio, & Ciceronis [l], Virgilij [m], Ouidij [n], Horatij [o], Martialis [p], Plinij [q], ita vt è contrario ignobiles pro ignotis, ac viceuersa ignoti accipiantur pro ignobilibus, quemadmodum & nescio quis, quidam, ἀνώνυμος, & νώνυμος, qui sine nomine est. Affertur verò etiam ab eodem hic locus noster, quamuis deprauatè scribendo ירדעים ac Latinis notis *irdahim*, cùm scribi debeat, vt dixi, יְדֻעִים *seduhhim*, confirmatúrque auctoritate Francisci Georgij [r] (apud quẽ rectè quidem imprimuntur Hebræi characteres, ידעים *seduhhim*, sed malè Latini *irduhim*) declarantis cognitos in virtute,& bonitate quæ sit vera nobilitas,& libertas, ab omni tyrannide & impietate semota, quoniam, vt cecinit Satyricus [s],

—*Nobilitas sola est, atque vnica virtus.*

Nobiles vnde.
Nobilitandi verbum.
i c. 2.
k in Pseudolo.
l in Parad.
m 7.Æneid.
n 3. amor. elegia 16.
o 2. ser. sat. 3.
p l.10.epist. 26.
q l.4. c. 12. & in pro. l. 13.
r in harmo. mundi cantico 1. tomo 4.c.7.
s Iuuen. satyr.8.

Meminit etiam tamen Tiraquellus Eugubinum, & Castellionem (hic hæreticus est) non in passiua significatione, sed in actiua accipere, pro iis scilicet, qui cognoscunt, & sciunt, & habent rerum peritiam, peritíque sunt, & hîc à LXX. dicuntur ἄνδρες σοφοὶ ἐπιστήμονες συνετοί. Hoc ipsum admonuimus versu 13, citato. De nobilitate autem in magis nunc recepta notione consulatur idem auctor, & quæ sparsim alibi attulimus: & de alia notum satis est, iuxta quam nobilis clade locus cognominatur, nobile vinum, nobilitata crudelitas, nobilis doctrina, scelus, & alia similia inanima. In quo autem vera sit nobilitas, omissis pluribus profanis, & sacris sententiis, præter etiam eas, quas diligentissimè collegit sæpe nominatus

[a in Act. 7. & 17. & in Eccl. 10.] minatus Tiraquellus, nósque ipsi variis locis [a], admodum trita, & perillustris constantissimæ Agathæ martyris est, cui similem camine describit martyris item Romani Prudentius [b]. [b peri Stepha. hymno 14. ver. 123. & seqq.]

——Absit, vt me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex Curiæ.
Generosa Christi secta nobilitat viros.
Si prima nostra quæ sit in cunabulis
Origo, textu stemmatis recenseas:
Dei parentis esse ab ore cœpimus,
Cui quisque seruit, ille verè est nobilis:
Patri rebellis, inuenitur degener.

Deinde paulo pòst accessionem nobilitatis ex tormentis pro Christo præoptans, ac veritus etiam ne concedatur,

Caue (ait) benignus esse peruersibilis,
Nec mi remissus leuiter peperceris.
Incumbe membris tortor, vt sim nobilis.
Hu amplietur si fruar successibus,
Genus patris matrisque florescere.

[Nobilitas luto lateri-que cocto comparata à veteribus.] Luto lateri que cocto πλινθῷ ὀπτῷ nobilitatem comparant veteres, vt Thespis Tragicus, qui præcipit de maiorum nobilitate, ne efferatur nemo, quia vnum omnes generis habeant principium lutum, & ij, qui byssio, & purpura luxuriant, & ij, qui in paupertatis quasi fundo versantur. Ad rem præsentem facit maximè quòd beatam terram prædicat Ecclesiastes [c], cuius Rex sit nobilis; de quo loco consule nostrum commentarium, vbi inter alia, quæ repeti non debent, protuli Aquinatem [d] docentem, vt facilè quis aliquam administret dignitatem, præter sapientiam, ne erret in gubernando, & virtutis potentiam in exequendo, generis quoque requiri prosapiam, ne contemnatur in præcipiendo. Malum vidisse se Salomon [e] scribit sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis, positum stultum in dignitate sublimi, cùm regnare per sapientiam Reges oporteat [f]: nobilem in portis versari, sedereque cum senatoribus terræ [g], nec debeat quæstere fieri iudex (addo, nec admittere) nisi valeat virtute irrumpere iniquitates [h]. Hæc tria insinuari notat idem Doctor illis Pauli verbis [i], quibus appellet Christum splendorem gloriæ, figuram substantiæ eius, portantem omnia verbo virtutis suæ. Hebræi septem virtutes desiderant in magistratu, sapientiam, humilitatem, timorem Dei, odium auaritiæ, amorem veritatis, philanthropiam, humanitatémve, bonum nomen.

[c c. 10. 17.] [d in Ep. ad Hebr. c. 1. lect. 2.] [e Eccl. 10. 5.] [f Prou. 8. 15.] [g c. vlt. 23.] [h Eccl. 7. 6.] [i Heb. 1. 3.] [Hebræos septem virtutes desiderare in magistratu.]

Et constitui eos Principes.] Videtur hoc nomen genericè accipi, & sub quo velut species, seu gradus & ordines denotentur per sequentia nomina magistratuum diuersorum, quod etiam Hebræa, Chaldææque vox Capitum ראשים rasim, & ריש resce significat. Hoc magis exprimit Græca translatio *καὶ κατέστησα αὐτοὺς ἡγεῖσθαι ἐφ' ὑμῶν, & constitui eos præesse super vos.* iuxta Hebræum, ait Caietan. habetur copulatiuè (*& præfectos tribubus vestris*) sitque copulatio ad verbum (*Principes*) ita quòd ordo literæ est, (*& constitui eos Principes super vos, & præfectos tribubus vestris, tribunos, & centuriones, &c.*) vt intelligamus annexas simul curas extraiudiciales fuisse istis iudicibus. Sed illud (*præfectos tribubus vestris*) pertinet ad vltimum membrum versus decimiquinti. Scribitur Iudas Machabæus constituisse duces populi tribunos, & centuriones, & pentaecontarchos & decuriones [k]. vbi duces dicuntur ἡγούμενοι, qui aliter in libro Iudicum, ἀρχηγούμενοι.

[k 1. Mach. 3. 55.]

Tribunos.] Appellantur in editionibus aliis *Principes mille*, scilicet hominum, seu *domini*, aut *dominantes mille hominibus*, *præfecti illis.* שרי אלפים sare alaphim, רבני אלפא rabbane alpin, χιλιάρχοι: quam vocem Latini quoque suam fecerunt, vsurpando Chiliarchos, aliter millenarios. In cap. 31. [a] prioris libri sub Principibus exercitus recensentur distincte sicut hic tribuni, & centuriones. Ibi declaraui, qui essent tribuni, & centuriones, ac reieci lectorem in alium commentarium Actuum Apostolorum [b]; reddens eo loco rationem, cur tribunorum nomine frequentius Interpres vtatur, quia olim apud Romanos erat hic magistratus valde magnus tum in plebe, tum in militia. In Paralipomenis idem Interpres nominat Principes millium, vbi sunt aliarum editionum eadem vocabula, quæ hic pro tribunis. Nostris Colonellis, aut, vt Galli loquuntur, Mareschallis videntur similes fuisse, ac in genere vocari posse ταξίαρχοι, & auctor etymologici explicat τριβοῦνοι per χιλιάρχοι, Ioannésque Meursius [c] citat Theodorû Anagnostam [d], Theophylactúmque [e], Simocattam, & pluries in libris Iuris Græcanici occurrere monet. Aliquando vbi est nomen familiæ in editione nostra, dicitur Græcè χιλιάς [f], & quod legitur in Michæa [g], *paruulus es in millibus Iuda*, ἐν χιλιάσιν, id est, inter tribus, seu turmas militares: singulis enim millibus peditum præerant Chiliarchi, teste Curtio [h], & apud Ioannem [i], tribunus χιλίαρχος, cohortis præfectus: erant enim in legione, quæ constabat sex millibus, sex tribuni, qui singuli per duos menses imperabant legioni, de qua re Vegetius [k], Budæus [l], Lipsius [m], Valerius noster [n], Gellius [o] & alij. Centurionum munus fuisse scribit Tacitus [p], vigilias circuire.

[a vers. 14.] [Tribunorum nomine frequentiùs vti Interpretem, & cur.] [b in c. 10. 1. & in c. 21. 31.] [Tribuni qui.] [c Glossar. Græcobarb. verbo τριβοῦνος.] [d Eclog. 1.] [e 7. histor. Maur. c. 1.] [f Iud. 6. 15.] [g c. 5. 2.] [Qui Chiliarchi.] [h lib. 5.] [i c. 18. 12.] [k lib. 2. c. 6.] [l] [m] [n] [o] [p]

Et centuriones, &c.] Citatis locis dixi etiam de Centurionibus, eadémque ratio de Quinquagenariis, & Decanis, quamquam, vt antea retuli, addiderit Iosephus [q], & numeri maioris μυρίων, præfectos decem millibus, & post Chiliarchos, quingentis πεντακοσίων, & minoris, nempe post quinquagenarios triginta, & viginti τριάκοντα, καὶ εἴκοσι. Pentacontarchorum nomen Interpres alicubi [r] vsurpat. Quinquagenariorum præterea mentio est in historia Regum [s]. Fortasse isti sunt, quos Liuius [t] vocat Subcenturiones, vt suspicatur Ioseph Stephanus [u], quia Centurionibus permissum erat, quos vellent sui loco optare, vnde Optiones dicti, nempe vicarij Centurionum, vel subcenturiones. Non id Centurionibus dumtaxat, verùm etiam decanis, seu decurionibus permittebatur, vt scilicet adoptarent ministrum, qui priuata eorum obiret negotia, dum ipse districtus publicis teneretur curis [x]. Immo quorumdam opinione, cuiussuis muneris administer appellabatur. At ipsamet forma nominis subcenturionum indicat eos, qui centurionum vices gerunt, dicunturque Græcè non ὑφεκατόνταρχος, sed ὑφεκατόνταρχος.

[k lib. 2. c. 6. 3. 13. 14. 16.] [Centurionum munus.] [l in Pand.] [m de mil. Ro. dial. 8.] [n de milit. Rom.] [o l. 16. c. 4.] [p 2. hist. & annal. l. 16.] [q 3. antiq. c. 3.] [r 1. Mach. 3. 55.] [s 4. c. 9.] [Subcenturiones, seu Optiones qui, & vnde dicti.] [t lib. 8.] [u in 1. Mac. 3. 55.] [x Festus. Nonius. Veget. l. 2. c. 7. Varro 1. de lin. Latina.]

Decanos.] Circumloquendo etiam dicuntur in editionibus Hebræa, & Chaldæa, *Principes decē*, seu *præfecti decem hominibus*, שרי עשרות sare hasaroth, רבני עשורייתא rabbane hhasuriatha, Græcè composito nomine δεκαδάρχοι. Decanorum quoque nomen extat in Exodo [y] in simili nostræ huic sententia: alibi [z] vox decurionis. Diuidebantur in contubernia centuriæ, auctore Vegetio [a], vt decem militibus sub vno papilione degentibus vnus præesset Decanus, qui caput contubernij nominabatur,

[Decani, seu decuriones qui.] [y c. 18. 21.] [z 1. Mach. 3. 55. Mar. 15. 43. Lucæ 23. 50.] [a lib. 2. c. 7.]

tur,cui contubernio nomen etiam erat manipuli. Apud Varronem [a] primi singularum decuriarum decuriones dicuntur, quos ij primos adiomistros sibi adoptabant, & optiones vocati postea cœpti, quos propter ambitionem Tribuni facerent. Mitto acceptiones alias decanorum pro certa specie ministerianorū, vt Iurisconsulti loquuntur: suntque iidem cum lecticariis, copiatis, vespillonibus,ac vt Epiphanius [b] scribit, τὰ σώματα κοιμηθέντων τῶν κοιμωμένων, præterea, pro dignitate Ecclesiastica [c], quæ videtur eadē cum Archipresbyteratu: item pro iis, qui præessent decem Monachis in monasteriis [d], &c. Ad rem nostram faciunt, quos Modestinus [e] docet decem militibus fuisse præpositos, seu capita contubernionum. Decurionis item notio conuenit proposito pro illo, qui præerat decem militibus, aut equitibus, quam nominabant decuriam, idest, manipulum decem militum. Quo pacto tradit Varro in singulis turmis equitum ternos fuisse decuriones, vt proinde singularum præfecti vocarentur decuriones. Inde decuriati milites,hoc est, in decurias distincti; licet de aliis idipsum dicatur, qui aliam ob causam desetibantur, numero etiam diuerso. Appellatus deinde est etiam decurio cubiculariorum, qui decem præesset cubiculariis [f], vel palatij,qui palatio [g]. Apud veteres Romanos, qui in municipio, vel colonia quasi Senator erat, eo quòd cùm deducerentur initio coloniæ,deductorum decima pars conscribi solebat. Tales, quos memorat Cicero [h] Capuæ decuriones, & alij [i] locorum aliorum, immo & ipsiusmet Romæ, in qua erant decuriones vrbani præpositi turmæ constanti ex 32. equitibus. Tandem attributum est idem nomen cuiuis Principi,siue capiti cuiosuis ordinis, sicque ordo vocatus est decuria, vt decuria Iudicum, Cubiculariorum, &c. & inde decurionatus. Reperitur in Glossa Græcolatina δεκαρία, vt synonymum nomini δεκάς, & δεκανός; sed hi pro cadauerū curatoribus,de quibus Chrysost [k]. & alij,quos citat Meursius [l],& de nomine δεκαδάρχης Polybium,& Absyrtum [m] De ipso magistratu decurionum plura noster Iul. Cæsar Bulengerus [n]. Beda per tribunos (quos sic dictos ait, quia tribui imperarent) vult significari Doctores in tribus legibus (nempe naturali, scripta, euangelica) fidem Trinitatis doceores: in centurionibus, qui super centum sint; Doctores, qui prædicant præmia cælestia in futuro, vel centuplum in præsenti: per quinquagenarios, qui super quinquaginta, Doctores pœnitentiam prædicantes, & vnumquemque ex quinque sensibus in Apostolis impleri: quoniam prædicant vniuersa supradicta: per decanos, qui decem, narrantem decem verba legis. Adhæc notat, quòd ordo crescendi est in tribunis & centurionibus,& est quoque ordo credendi:quatuor ordines, quorum principiū quatuor Euangelia in numero figurant; denotare etiam totidem virtutes principales, quas illi docuerunt,iustitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem. Tandem scribit quòd Moses Christum signauit in electione Principum, Principes, qui eliguntur,duodecim Apostolos,cum quatuor Euangeliis à Christo electos ad principatum super Ecclesiam. Glossa ordinaria in tribunis, qui sunt Chiliarchi,siue millenarij, attendit docentes de spe æterni præmij:in centurionibus, qui cælestia mandata perfectis tradunt, & quasi centum regere censentur, dum ad perfectionem perducunt: in quinquagenariis, qui opera pœnitentiæ annuntiant; in decanis, qui denarij perfectione, vineæ denarium expectantes, eiusdem denarij multos præparent participes.

Qui docerent vos singula.] Hebraicè ושטרים לשבטיכם *vescoterim lescivtechem*, *præfectos tribubus vestris*, aut, *secundum tribus vestras*, aut *in tribubus vestris*. Oleaster exponit minores,inferioresue iudices,vel præcones, eósque,qui homines capiunt, ac ducunt ad carceres, & implent ea quæ à iudicibus imperantur. Iuxta vltimam notionē deducunt aliqui à שטר *sic relatiuo*, & חטר *choter* virga, quasi שטר *scoter*, sicque ῥαβδοῦχος *bacillifer*, cui mandatı executio committitur. Alibi reddit Interpres noster שטרים *scoterim*,exactores [a], præfectos operibus [b], Græcus γραμματέας. Chaldaicus סרכין *sarchin*, vel magistros [c],Græca rursus editio, & Chaldaica eodem pacto: interdum Græcos [d] γραμματοεισαγωγεῖς (sicut hic) vbi Chaldæum tamen vocabulum est פרקבנין *purkbanim*, vel duces [e]. pro quibus extant etiam γραμματεῖς, & סרכיא *sarchaya*,vel Doctores [f] γραμματοεισαγωγεῖς סרכין *sarchin*, vel Principes [g]; qui aliis linguis γραμματεῖς dicuntur. & סרכיא *sarchaya*, vel præcones [h], vbi sunt aliæ iam dictæ voces,vel per verbum docendi [i], vt γραμματεῦσιν,vel præfectos [k],qui ministrarēt Regi iuxta turmas suas,retento nomine γραμματέων, vel singulari numero iudicem [l] κριτήν, vel præceptorem [m], סרכא *sarcha*: sed editio Græca ἐπαγωγέα, *cogentem*: denique nomen משטר *mistar* rationem [n]; idest,veluti dominatum,præceptum, præfecturam, doctrinam, descriptionem, potestatem, exactionem, quæ omnia quærit Deus ex Iob,an scilicet factum sit ipsius vel sapientia, vel potentia, vt cælorum legibus terra obediret, accipiendo ab iis doctrinam, & præceptum tamquam à præfectis exactoribúsque. Quapropter aptè transtulit hoc loco Interpres noster (*qui docerent vos singula*) ita vt non significent distinctum per se magistratum. שטרים *scoterim*, sed commune munus docendi singula, idest, singulares,& particulares causas iudicandi, ac decidendi, eo ordine,quem antè diximus, inter illos, qui ex tribubus iudices constituerentur, vel tribuni, seu chiliarchæ, vel centuriones, vel quinquagenarij, vel decani;denique vt tribuni,centuriones, quinquagenarij,decani constituerentur ex numero tribuum præfecti ad docendum iudicandúmque, prout dictum est. Hoc ipsum sibi volunt γραμματοεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς ὑμῶν, *scribas, aut magistros iudicibus vestris*, hoc est, toli de tribubus vestris, &c. qui essent magistri de iudicibus vestris, idest, tanquam iudices. Videntur autem L x x. legisse non לשבטיכם *lescivtechem*, quod significat *tribubus vestris*, sed לשפטיכם *lescipetechem*, quod significat *iudicibus vestris*, Certè solū discrimen est in literis ב & פ,quæ facilè in scribendo commutantur.Nec etiam parua similitudo שטר *scoter*, & ספר *sopher*, ex quibus secundum verti solet scriba, primum hoc loco per Græcum nomen γραμματεῖς. Græco nomine huius loci γραμματοεισαγωγεῖς, quod vix apud alios auctores repetias, significantur propriè ad literas, aut litterarum introductores. De Scribis apud Iudæos actum aliàs [o], agitque fusiùs de nostris Serarius [p]. De iisdem apud Romanos tractat noster item Iulius Cæsar Bulengerus [q]. Iosephus Stephanus [r] docet eosdē videri in Scriptura ἡγεμόνας, seu ἀρχηγέτας, vel ἡγουμένους, & γραμματέας, nimirum duces, præfectósue militiæ, scribas,& magistros iu eadem,qui vocantur aliter tesserarij, & aliis in prælio signa dabant, admonebántque alios, vel qui rei frumentariæ, vinariæ, oleariæ rationem habebant. Probat de vltimo Græco

a 1. de lin. Lat.
b lib. 3. contra hæres. c d. 90 c. 1. & 2.
d August. 1. de morib. Manichæ.
e lib. de rei mil. reg.
f Sueto. in Domitio.
g Ammia.
h orat. pro Sestio
i Idem in oratore, Plin. Iunior in Epist, Sueton. in Augusto. c. 46.& 100 Valla. 6. e- leg.c.38.
k hom. 13. 10 epist. ad Hebr
l in gloss. Græcobarba.
m hippiatric. lib. 1. c. 36.& 53.
n 7. de Imper. Rom. c.3. & seqq.

a Exod. 5. 6
b ibid. vers. 4.
c Num. 11. 16.Deut.16.
18.Iosue 23. 2.
d Deut. 16. 18.
e c.10.9. Iosue 8.33.
f Deut.29. 10.
g Iosue 1. 10.
h c.3.2.
i 1. Paralip. 16.29.
k c.17. l lib.2.26. 11.
m Prou.6. 7.
n Iob 38. 33.

Scriba qui.
o in Act. Ap.c.4.5. in c.19. 35. in c.23. 9.
p c. 2. tri- hær.c.6.
q de Imper. Rom.c.16.
r in 1. Machab.3.55.

Græco vocabulo ex Glossario veteri: & dictum nuous es Deuteronomij c. 20 [a]. vbi, quos duces exercitus nominat editio nostra, & Hebræa שטרים *sciomerim*, vocatur Græcè γραμματεῖς *Scribæ*, & quos duces absolutè [b], iisdẽ nominibus editiones aliæ, & quos in Numerorũ c. 31 [c]. Principes exercitus, nostra & Hebræa, Chaldæaque duces, &c. Græca ἐπισκόπους, *Episcopos*: Sed in commentario nostro Actuum Apost. in quo mentio fit præsentis loci nostri, similiúmque irrepsit mẽdum, vt pro שטרים *sciomerim*, scriberetur שומרים *sciomerim*, quæ vltima dictio significat custodes.

Præcepique eis, dicens.] Habent editiones aliæ (*& præcepi iudicibus vestris in tempore illo, dicens*, aut *dicendo.*) Vnde colligitur, quo pacto debeat intelligi præcedentis versus membrum vltimum, iuxta lectionem variarum editionum, vt scilicet tribuni, centuriones, quinquagenarij, essent quidam iudices, quorum esset docere, ac definire particulares quasdam politicas causas, & quæstiones. De isto autem præcepto, quod Moyses dederit in Exodo [d], mentio non ast, sed solùm quod Iethro, vt daretur, suggesserit. Hîc igitur dati ab eo consilij facta executio commemoratur.

Audite illos.] Hebraicè (*audire* vel *audiendo, nempe audite inter fratres vestros*, שָׁמֹעַ בֵּין אֲחֵיכֶם *sciamoahh ben achechem*) vel si legatur imperatiuè שְׁמַע *sciemoahh, audi*, videlicet, ô tu, & tu, & quilibet ex constitutis iudicibus. Græcus idiotismus est infinitiuum vsurpare pro imperatiuo, vt [e], *gaudere cũ gaudentibus, flere cum flentibus*, χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων. Quamuis ibi suppleant vel *oportet*, vel *dico*, vel *admoneo*, vel *debetis*, &c. Docent auctores [f] Hebrææ Grammaticæ poni *macor*, idest, infinitiuum aliquando vice imperatiui, vt [g] עשׂה *hhasoh, facere*, זָכוֹר [h] *zachor, recordari*, לָקֹחַ [i] *lakoach, accipere*, שָׁמוֹר [k] *sciamor, obseruare*, תָּמוֹךְ [l] *thamoch, sustentare*, idest, fac, recordare, accipe, obserua, sustenta. Sed in primo ex notatis in margine locis, extat in editione nostra plurale verbum (*facite.*) Hoc loco nostro Chaldaicè habetur pluraliter שמעו *sciammehhu*, & Græcè διακούετε. Eædem vero editiones istæ Hebræam imitantur (*audite inter fratres vestros.*) Ne Prælati aliis, ait Caietan. eleuentur alius, proponit subditos eis sub nomine fratrum. *Rectorem te posuerunt*, ait Auctor [m] Ecclesiastici, *noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Quod accommodatitiè, vel quasi mysticè, sub literali sensu de conuiuij magistro, siue magno & summo magistro, inodipetatore, magistro pincernarum, rege mensæ, cœnæ patre, architriclino, qui & συμποσιάρχης, τραπεζοποιός, μνάμων, ἐπιμελητής, ἐπιστάτης, οἰνόπτης, θυσιάρχης, ἀλείπτης, ἑστιάτωρ, κοίραγος, ἰσώχος: præterea patochus, conuiuator, conuiuij dominus, arbiter, dictator, strategus conuiuio [n], &c. ad rectorem cuiusuis congregationis, pastorem Ecclesiæ, moderatorem Reipublicæ tenemi intelligitur. Cæterùm quod attinet ad præceptum, vt audiant iudices causas ad se delatas, nec inauditum quemquam iudicent. Festus Præses Regi Agrippæ de reo Paulo loquens dixit accusatoribus ipsius ab se responsum, quod non esset Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusaretur, præsentes haberet accusatores, locúmque defendendi acciperet, ad abluenda crimina [o]. Paulus verò ipse conquestus est, quòd se hominem Romanum, & inde inatum, ἀκατάκριτον, flagellare vellent [p] item quod ... lam etiam, ac se cæsos publicè, & indemnatus, ἀκατακρίτους misissent in carcerem. [q] Nicodemus ... o Christo respondens, *Numquid* [r] *lex*

a vers. 9.
b vers. 5.
c vers. 14.
d c. 18.
e Rom. 12. 15.
Infinitiuus pro imperatiuo.
f Paguinus 2. instit. Hebr.
g 4. Reg. 3. 16.
h c. Exod. 20 8.
i Zac. 6. 10.
k Deut. 5. 12.
l Ps. 16. 5.
m c. 32. 1.
n Auct. de conuiual. antiq. lib. 2. c. 7. & Rhodig. l. 27. c. 25.
Inauditus ne quisquam iudicetur.
o Act. 25. 14 & sqq.
p c. 22. 25.
q ... 16 37.
r Ioã. 7. 50.

A *nostra*, inquit, *iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit, quid faciat?* Huc illum allusisse credi potest, quamuis malint alij [a] ad præceptum de testibus [b], & quidam [c], nõ vllum scriptum testimonium citare voluisse Nicodemum, sed legis consuetudinem, quæ neminem, nisi auditum damnari pateretur, nec eam tam legem scriptam fuisse, quàm naturalem, quæ apud omnes gentes seruata legitur. Sed adhuc præterea hoc idem insinuant illa verba Deuteronomij nostri [d]. *Quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur*, &c. Item, [e] *Si hoc tibi fuerit nunciatum, audiénsque inquisieris diligenter, & verum esse repereris*: postremò [f] *cúmque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem*, &c.

B Iob causam, quam nesciebat, diligentissimè inuestigabat [g], Daniel [h] fatuos appellabat, qui neque iudicantes, neque quod verum esset, cognoscentes, condemnarant filiam Israël. Sapiens [i], qui quod nouit loquitur indicem iustitiæ nominat. pro quo nonnulli minùs emendatè *iudicem* legunt. Similis in auctore [k] Ecclesiastici sententia; *Priusquam interroges*, πρὶν ἢ ἐξετάσῃς, *priusquam exquiras, ne vituperes quemquam* (μὴ μέμψῃ, *ne accuses*,) *& cùm interrogaueris, corripe iustè* (νόησον πρῶτον, καὶ τότε ἐπιτίμα) *priusquam audeas, ne respondeas verbum*, &c. Illud etiam ad rem est Senecæ [l].

Qui statuerit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licèt statuerit, haud æquus est.

C Item [m],

Si iudicas cognosce, si regnas, iube.

Consulatur Scholiastes Delrius quòd inauditus damnari nemo possit. Egi eadem de re alibi.[n] Inter alia recitaui [o]: Constantini legem [p] numquàm non repetendam, ac inculcandam. *Si quis est cuiuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque iudicum, comitum, amicorum, vel palatinorum meorũ aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atque iustè gessisse iudicatur, intrepidus, & securus accedat, interpellet me: ipse audiam omnia: ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipsemet vindicabo; dicat securus, & bene sibi conscius dicat. Si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate*

D *deceperit. Illud autem, qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus, & rebus augebo: Ita mihi summa diuinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, vt cupio felicissima & florente Republica PP. XV. Kal. Octob. Nicomediæ Paulino, & Iuliano Coss.* Dixi quoque [q] sine curribus Iouẽ pictum à veteribus, at non absque aurium foraminibus, meatibúsque, vt sic liberior potius foret ad audiendum tam qui retro, quàm qui præ oculis eius essent. Celebris porrò prouocatio Machetæ à Philippo qui damnarat eum, ad ipsummet, vt expergiscens attentiùs audiret, cùm dormitantiens priùs audiuisset [r]. Attamen verum est, quod Abulensis hoc loco notat, póstque ipsum Rickelius & alij, non debere iudicem inaudita parte procedere, nisi in

E notoriis, vbi vocatio partis non requiritur ad faciendum processum iuris: quia talis processus fit ad inquirendam veritatem, in notoriis autem veritas euidens est: sed solùm debet vocari ad audiendum sententiam. Distinguunt Iurisconsulti notorium triplex, facti, iuris, & præsumptionis. Primum est, quod se offert oculis omnium, nec potest negari propter sui euidentiam. Sed notorium facti, vel tale est, quod permaneat; vel aliquando tale, aliquando non tale, sed interpolatum, ac ex vno statu in alium transiens.

a apud Maldon. Io. 7. 51.
b Deut. 17. 6. c. 19. 15.
c Mald. in Io. 7. 51. Tolet. ibid.
d c. 13. 14.
e c. 17. 4.
f c. 19. 18.
g Iob 29. 16.
h Dan. 13. 48.
i Prou. 12. 17.
k c. 11. 7. 8.
l in Medea actu 2.
m ibidem.
n in Act. 16. 37. c. 22. 25. in Ps. 7. 12. in Ps. 100. 6. in Ps. 142. 1. in Eccl. 3. 16. in Sap. 6. 5.
o in Ps. 100. 6.
p C. Theod. lib. 9. l. 4.
q in Ps. 142. *Iupiter à veteribus pictus.*
r Plutar. in apopht.

D 2 Priori

Priori modo notorium facti non eget probatione alia, quàm superius, quia non potest legitimè negari [a], neque in eo iudicando opus est ordine iudiciali [b], excepta sententiæ causa, pro qua ordo sequendus iuris, etiam in notoriis [c]. Ob necessitatem verò audiendi cautum est vt ad munus iudicandi habeatur ineptus qui surdus est, saltem quadiu eo morbo laborat [d]. Præterea, vt dicatur audientia præberi [e], cautúmque sit, vt etiam ex alioqui notoriis, vel elogiis (idest, epistolis) sine accusatore condemnetur [f]. quoniam plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa, & cognitionis (cognitoris) subtilis diligentia adfert [g]. Inde postremò qui nominantur Auditores vel Cameræ, vel Rotæ, seu Palatij, vel Cardinalium, &c. Sed & Deus ipse, quamuis clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus esset, idest, publicè, & in omnium ore versaretur peccatum ipsorum, & fama per Angelos sparsa, peruenisset ad Deũ, idémque peccatum, quasi accusator, in cælum ascẽdisset ad illum, clamando contra eos, ac extorquendo vindictam, dixit [h], *descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Videtur autem hoc experimentum quodam modo sumpsisse, quando se per Angelos duos virorum specie obiecit, qui ab impurissimis illis ad stuprum solicitati sunt, eosdémque medius alius tanquam illustrior misit in Sodumam [i]. Tali exemplo vtuntur Conc. Lateranense [k], Tiburiẽse [l], Gregorius [m], Chrysostomus [n], Philo [o], & alij passim. Cui simile prius eiusdem Dei exemplum, descendentis, vt videret ciuitatem, & turrim, quã ædificabant filij Adam [p]. Circa quod id, quod dixi, obseruat citatus Chrysostomus, Rupertus [q]. Gulielmus [r] autem Hamerus, eruditus sanè scriptor, & elegans, affert verbis illis Dei similẽ querimoniã Iouis in Deorum cõsessu apud Ouidiũ [s]:

Contigerat nostras infamia temporis aures:
Quam cupiens falsam summo delabor Olympo.
Et Deus humana lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxæ sit vbique repertum
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.

Et quod iustum est iudicate.] Hebraicè (*& iudicabitis iustitiam,* ושפטתם צדק *vsphathem tsedek*) Chaldaicè (*integritatem, rectitudinem, veritatem;* קשטא *kusta*) Græcè (*iustè δικαίως.*) In libro Leuitici [t] affinis est sententia. *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis, &c. iustè iudica proximo tuo*, iuxta Hebræam, & Græcam editiones (*in iustitia* בצדק *betsedek. ἐν δικαιοσύνῃ*, iuxta Chaldæam, *in veritate, rectitudine, integritate,* בקשטא *bekusta.* Ibi docui cũ Philosopho [u], aliud esse iusta agere, aliud iustè agere, ad secundum requiri, vt sciens quis agat, eligens, stabili, ac immutabili affectu, *εἰδώς, προαιρούμενος, βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων.* Protuli ad idem testimonia Origenis [x], Ambrosij [y], Gregorij [z], Theodoreti [aa]: sed & similem locum in c. 16 [bb]. huius libri nostri. *Iustè quod iustũ est persequeris, δικαίως τὸ δίκαιον.* Hebraicè bis צדק צדק *tsedek tsedek.* Chaldaicè item bis קשטא קשטא *kusta kusta*, idest, quod maximè iustũ est, nihil aliud quàm iustitiã: de iustitia semper procedẽdo ad iustitiam, absque intermissione, sine lassitudine, vnã præ oculis habendo iustitiam, non emolumentum temporale, non humanam gloriam, &c. Tale Cleobuli apophthegma *τὰ δίκαια κρῖνε*, iusta, seu iustè iudica.

Siue ciuis ille sit, siue peregrinus.] In editionibus aliis, quemadmodum priùs dicebatur, *audite inter fratres vestros,* ita hîc, (*& iudicate iustum inter virũ, & fratrem eius, & inter aduenam,* seu *proselytum,* aut *aduenã eius.* Aduenæ vox, & גר *gher,* & גיורא *guera,*

a c. tua nos de cohabit. cleri. & mul. & l. 3. §. idẽ Diuus de testi. D. & c. Quando de sacris. de filiis presbyt. *Surdum ad iudicandi munus pro inepto haberi, quamdiu eo morbo laborat.*
b c. Quãdo est &c. cum sit Romana. de appellat. & c. de manumi. & c. Lotharius. 2. q. 1. & c. ad nostram. de iureiur. & l. ea quidem. C. de accus.
c c 3. de diuor. & ibi gloss.
d l. cũ prætor. 12. D. de iudiciis.
e l. nulli prorsus. C. de iudiciis.
f l Diuus Adrianus D. de custodia & exhibit. reorum. & Tertul ad Scapulã. c 4.
g l. de minore D. de quæstionib.
h Genes. 18. 20. 21.
i c. 19 5.
k c. 8.
l c 22.
m 19. moral. c. 23.
n in Genes. ho. 30.
o de confus. linguarum
p Genes. 11. 5.
q 4. in Gen. c. 41
r in Gen. 18.
s 1. Metamor.
t c. 19. 15.
u 2. Ethico. c. 3. vel 3.
x tom. 30. in Ioan.
y lib. 1. 1. in Luc. c. 1.
z 9. Moral. 19. c. 13. vel 19.
aa q. 16. in Deut.
bb versi. 20.
Aduena vox.

& *προσήλυτος* declaratæ sunt alibi, possúntque significare, vel peregrè transeuntem per Hebræorũ regionem, vel etiam qui ex gentilitate conuersus ad ritum Hebræum, manserit vt aduena inter Hebræos. Attendens Abulensis propriam notionẽ nominis *Ciuis*, monet dari istas leges posteris, quia tunc nullus ciuis erat, sicut neque ciuitas, & peregrinum accipiens pro eo, qui peregrè transit per aliam regionem, vel qui de alio loco est, & in iudicio comparet extra locũ suum, vel qui de alia terra ad aliam terram, vt ibi moretur, aduenit, vel etiã, qui amplectitur Hebræum ritum, ait de istis mentionem fieri, quoniam Hebræi crudi, seu crudeles erant, atque immisericordes, & conuersos de gentilitate tamquam seruos oppressuri præuidebantur à Deo, & abominaturi, sicque occasionẽ præstarent, vt nulli de gentilitate ad Iudæorum ritum conuerterentur. Inde autem digreditur in reprehensionem multorum Christianorum, qui conuersos de Iudaismo detestantur, vilipendunt, contristant. Sed fieri non debet, inquit, vt patet Extrà, de rescriptis. vbi dicitur de quodam, quem Episcopus in Canonicum recipere nolebat, quia conuersus erat, & Papa rescripsit, dicens, *pro eo verò, quòd Iudæus extiterit, eum dedignari non debes.* Extant hæc verba in 6. Decretalium lib. 1. c. 7. *Eam te ex Alexandro III.* Quo testimonio vtitur Henricus Mautoi in apologia in Archiepiscopum Toletanum [a], qui edicto cauerat ex Iudæis Christianos ad Ecclesiæ suæ assumi beneficia. Ibidẽ Glossa rationem addit, quoniã de Iudæis conuersis Ecclesia fundata fuit [b]. Attamen quo modo possit æquum censeri eiusmodi edictum, vel ne tales admittãtur in Ordine aliquo religioso, alibi dixi.

Nulla erit distantia personarum.] Hebraicè, *Non agnoscetis facies in iudicio,* לא תכירו פנים במשפט *lo thacchiru panim bammispat.*) Chaldaicè eodem pacto לא תשתמודעון אפין בדינא *lo thesthemodahhun appin bedina.* Græcè, *Non cognoscetis faciem in iudicio, οὐκ ἐπιγνώσεσθε πρόσωπον ἐν κρίσει.* Prohibetur acceptio personarũ multis aliis [c] locis, aut scribitur, quòd ea in Deo non sit, & Christo, qua ipsa de re, atque quo pacto, nec in Deum propriè cadere possit acceptio, seu acceptatio personarum, in aliis cõmentariis nostris egimus, ad Leuiticum, librum Sapiẽtiæ, & Actuum Apost. Epistolam Iacobi, & 1. Petri. Pro hac autem phrasi extant indicatis ad marginem locis in editione nostra, considerare personam, accipere, cognoscere personam in iudicio [d], (quæ hîc iuxta reliquas editiones habetur, nec non indicato Prouerbiorum loco iuxta easdem) subtrahere personam, & vereri magnitudinem [e], esse apud aliquem gloriam personæ, vel accipere personam in pauperem [f], faciem accipere [g]. Non cognoscere igitur, quod hîc dicitur Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, idem est, quod non approbare, seu rationem non habere, &c. vt alibi [h] docui. Iob de seipso dixit [i], *Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.* Rationem verò optimam subiungit [k], *Nescio enim quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* Dixerat pridem antè, *Numquid faciem eius accipitis* (nempe Dei) *& pro Deo iudicare nitimini* [l]? hoc est, numquid blandiri Deo, & adulari vultis, quasi non ex ratione, & æquitate, sed ex sua duntaxat potestate mecum agat, ita vt illius prouidentia stare aliter non possit iuxta opinionem vestram, quàm eiusdẽ personam accipiendo. Accipere faciem alterius, quod Hebræi verbo נשא *nasa*, solent dicere, est veluti eum sustinere auxilio, fauore, gratia, ne causa cadat in iudicio, eiusdem vultum & faciem

a lib. 2. c. 1. fol. 5.
b 2 t. d. c. in nouo. & 32. q. 4. c. recurrat.
Acceptio personarum prohibita.
Cognoscendi verbum.
c Leu. 19. 15. Deut. 10, 17. c. 16. 19. 2. Paral. 19: 7. Iob 13. 8. c. c. 34. 19. Prou. 18. 5. c. 24. 23. Sapien. 6. 8. Eccli. 20. 24 c 35. 15. & seq. c. 42. 1. Esa. 42. 2. Matt. 22. 16. Luc. 20. 24. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Galat. 2. 6. Ephes. 6. 9. Colos. 3. 25. Iacob 2. 1. 9. 1. Petr. 1. 17.
d Prou. 24. 23.
e Sap. 6. 8.
f Eccl. 35. 15. 16.
g Iob 13. 8.
Accipere faciem alterius quid.
h in Ps. 1. 6.
i c. 32. 21.
k vers. 22.
l c. 13. 8.

eiem quodammodo revereri, &, vt in Leuitico [a] vidimus, honorare, atque considerare, vt in Epistola Iacobi [b]; intendere in aliquem, vt in Epistola Iudæ [c]; vt in Ps. 81 [d]. faciem sumere; *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* ait ibi Dauid, idest, non consideratis caosam, vel iudicium, sed personam habentis causam, itaut si venerit pauper, inquit aoctor Commentarij sub Hieronymi oomine, habens negotium iustum, & diues habens neqoam, personam accipiatis, non negotium. Apod Thebanos pictus absque oculis præses, atque maoibus [e] denotabat nec fauore moueri, nec muneribus deberi. Apud Athenienses capitalem sententiam pronunciaturi intra cortinas se continentes [f], vel tenebras expectantes, vitabant aspectum rei vel Adoocati, ne quo indebito affectu contra iustitiam commouerentur. Apud Lacedæmooios reis & oculos & aures etiam denegabant iudices, eamdem ob causam [g]. Quod Esaias [h] de Christo vaticinans dixit, fore vt non secundùm visionem oculorum iudicaret, nec secundùm auditum aurium argueret; sed iodicaret in iustitia paoperes. Christus aotem vetuit iodicare secundùm faciem, præcepitque, vt rectum iudicium iudicaretur [i]. Et Deus negauit se iuxta intuitum hominis iudicare. Dauid [k] arguit iodicantes iniquitatem facies peccatorum accipiendo [l]; & Salomon [m] eum, qui accipit personam impij in iudicio, vel qui agnoscit in iodicio faciem; & auctor Ecclesiastici [n], Qui acceptione personæ perdit se: & qui hanc accipiendo delinqoit [o]. Idem sibi volt sine capite apud Ægyptios expressa iustitia, non quòd eo illam carere vellent, sed quòd abditum habere inter sydera, nec nisi ex celsiore cœlestiqoe ratione administrari [p]. Pertinet eodem è Iudicio collo suspensa ad pectus veritas subclausis oculis, circumposita librorum multitudine [q]; & in Aaronis pectorali inscripta Vrim, ac Thumim [r], siue doctrina, & veritas, de quibus aliàs. Similem oportet iudicem loci mondi esse, æquè quod in se est omoia illominanti [s], & sali [t] ignem & aquam, ex quibus constat, continenti, ita vt iniectum in priorem, resiliat, vel ab eo corrumpatur, à posteriore dissoluatur. Valet adhuc similitudo cum corde aut anima, qoæ coo-ctis corporis membris debitum partiontur iofluxum com trutina, vlna, mensuris aliis, quæ ad metiendum adhibeotur.

Ita paruum audietis, vt magnum.] Hebraicè (*si ut paruũ, sicut magnũ audietis*) est enim particula similitudinis כ *che* bis repetita. Chaldaicè, *verba*, siue *res*, siue *negotia parui sicut magni audietis.*) *verba* nãque & similia valet מִלֵּי *mille* in statu regiminis. Græcè, *secũdùm paruũ, & secundùm magnũ iudicabis.* Prima particula est κατὰ, & significatur, vt secundùm cuiusque merita feratur sentẽtia, iudiciúmque. Eamdem vim habet in Leuitico [u], *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Consule illius loci nostrum commentarium. Parui, magnique antithesis, comprehendit pauperẽ, & diuitem, oobilem, ac ignobilem, indoctum, doctúmve, & similes alias oppositas conditiones. Abulensis [x] verò nobiles, & ignobiles ait non habere eamdem legem, sed plura concedi iura nobilibus, quàm ignobilibus, & alio modo pro eodẽ delicto puniri istos, quàm illos, at io inferno non obseruari eiusmodi priuilegia, potiúsque potẽtes potenter ibi tormenta passuros, ac futurũ his qui præsunt iudicium durissimũ [y]. Rationem diuersitatis ait esse, quia Deus qui ad voluntatẽ suã potest cũcta regere, cùm sit illi idẽ velle, quod posse & facere, cõsiderat merita, vel demerita cuiuslibet io se, & secuodùm illa punitur, vel gaudet, ideóque dicitur scrutator cordium, quasi ex his, quæ in homine sunt, quemlibet iudicans, & oon curando de alio. Addit hoc verom esse post mortẽ, sed in vita aliquãdo punire aliquos, qui oihil peccaoerunt, ad castigationem aliorum, vt contigit in peccato Achan, eum quo puoiti sunt filij, ac domos eios tota, cùm ipse solus peccauisset [a]: quod etiam scribitur in genere [b] alibi de aliis; quamuis talis pœna inflicta filiis pro patribus interdum proficiat ad illorum magnum meritum, aut aliorum criminum deletiouem. In politia humana, quæ imperfecta est, & difficilis conseruari, quia subditi oon subiiciuntur totaliter rectoribus, docet non considerari semper meritum, vel demeritum alicuius, vt sic æqualiter puniatur; sed considerari pacem & bonum statum politiæ, vt quando in puniendo aliqua vitia, scandalum oritur, punitio dimittatur, quemadmodum si nobiles in pœnis comparentur cum ignobilibus; licet fortè in eodem actu plus peccauissent. Qua item de causa delicto multitudinis parcitur, quãdo timetur magnum periculum, aut scandalum, aut fractio legis repugnaote moltitudine punitioni. Tandem monet aliquando aliquos iure humano puniri etiamsi non peccauerint, propter pacem politiæ: à Deo tamen propter oullam pacis occasionem, nullum innocentem in ioferno puniri. Legendus accuratus tractatus Tiraquelli de pœnis temperandis, aut remittendis, præsertim causa 31. de delicto, qood minui censeatur propter dignitatem, natales, maiorum nobilitatem: & causa 46. de scandalo, qood faciat, vt aot remittatur pœna, aut certè minuatur, quod etiam confirmat Aqoioatis [c] testimonio, qui de multitudinis peccato agit; de quo idem ilic causa 47. item causa 49. vt remissio, vel imminutio fiat propter delinquentis, aut etiam maiorum, & proximorum ipsius merita, beneficiaque in rempublicam collata: præterea causa 50. propter insigne aliqood robur, aot artificium: 51. siquis aliàs moribos, vitæque integritate summa claruit: 52. ob prosperum eoentum, seu exitum delicti. Item causa 7. de tenella, ac florescente ætate: 8. de ingrauescente ætate: 9. de sexu moliebri: 10. de tyrone ac nouo in quopiam negotio: 11. de ignorantia, rusticitate, simplicitate: 32. de paupertate: 33. de fame, similive oecessitate, vbi citatur Plato in legibus tradẽs, pauperum peccata ob huius vitæ incommoda leuiùs apud inferos puniri, dioitum grauiùs. Attamen cauetur in Exodo [d] misereri pauperis in iudicio.

Nec accipietis cuiusquam personam.] Hebraicè, Chaldaicéque (*non timebitis à facie viri*, idest, cuiusquam, לא תגורו מפני איש *lo thagaru mippene is.* לא תדחלו מקדם גבר *lo thidchalu mikkodam gæbær.* Græcè, *Non distingues faciem hominis*, vel ioxta versionem Sixtinam (*non vereberis, &c.*) ὁ μὴ ὑποστείλῃ, (aliàs ὑποστείλῃς, hoc actiuæ vocis, illud mediæ, vtrumque personæ secundæ) πρόσωπον ἀνθρώπου. Deest hoc, inqoit Eugubinus, recitaos ex editione nostra (*nec accipietis cuiusquam personam*) quod & à LXX. est omissum. Paulo enim antè præcepit ne faciem cuiusquã in pretio haberent, ne ex vultu iodicarent, oe personarum varietatem in iudicio distinguerent. Nunc aotem præcipit (recitans Hebræum textum) nolite pauere à facie cuiusquam, quæ & vna causa est, vt iodiciom deprauetur, minas scilicet præpotẽtũ formidare. In huius sententiæ locum hanc posuerunt LXX. ὁ μὴ

a c. 19. 15. b c. 2. 11. c vers. 16. d vers. 2. *Præses depictus apud Thebanos.* e Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5. ex Plut. & Stob. Alciat. emblemat. 144. f idẽ Alex. ex Pausania. g Idem. h c. 11. 3. i Ioan. 7. 24. k 1. Reg. 17. 7. l Ps. 81. 2. m Prou. 18. 5. n c. 20. 14. o c. 42. 1. p Idẽ Alex. & Pierius. q Diodor. Siculus lib. 2. r Exod. 28. 30. s Matth. 5. t ibidem. u c. 19. 15. x q. 8. y Sap. 6. 6.

a Iosue 7. b Exod. 34. Num. 14. Deut. 7. c 2. 2. q. 108. a. 1. ad 5. d c. 23. 3.

ὑποστείλῃ πρόσωπον ἀνθρώπου, id est, *ne deprimas faciem hominis*. Quod certè paulo antè dictum est, nec fuerat repetendum. Sic ille. Atqui in Sixtina translatione de Græco extat, vt dixi, *non verebēris*) in ea, quam habent Biblia Complutensia, & Regia, *non distingues*) significat ὑποστέλλειν, & ὑποστέλλεσθαι animo demitti, & contrahi, metuere, reformidare, vereri, subtrahere se, vires remittere, non acriter, nec omni conatu agere. Redditur id verbum ab Interprete nostro alibi per subtrahere [a], & subterfugere [b], & ὑποστολῆ per subtractionem [c]. De vi Græcorum vocabulorum egi cōmentario [d] Actuum Apostolorum. Rectè Abulensis acceptionem, siue acceptationem personarum docet, quando quis distribuendo honorem, pœnam, absolutionem, quod ad iudicem pertinet, non considerat dignitatem, & merita personarum, sed solas personas, neque respicit personas cum causa, sed illas per se spectat: siue cum causis impertinentibus ad meritum rei, quæ datur [e]. Vt si Episcopus det, inquit, alicui beneficium, quia potens est, diues, consanguineus, dilectus, acceptor est personæ, non autem si conferet, quia bonæ conuersationis, scientiæ conuenientis, &c. Qua in re supponitur id quod datur non esse in absoluto dominio dantis, tunc enim locum non habet acceptatio personarum, quia cuiuis de re sua licet facere quod vult, vt dixit pater ille familiâs, nec sic fit vlli iniuria [f]. Vnde præterea efficitur in Deo non posse reperiri acceptationem personarum, vt alibi ostensum est. Ex iure Canonico colligitur, acceptionem personarum maximè prohiberi in pœnitentiæ impositione [g], in fidei prædicatione [h], in hospitū receptione [i], in eleemosynarum largitione [k], in dignitatum promotione, in iudiciorum declaratione [l]; in honoris exhibitione [m]. Lege Aquinatem [n]. Nostræ porrò sententiæ affinis illa Phocylidis, *μὴ κρίνε πρόσωπον, ne iudica faciem.*

Quia Dei iudicium est.] Iosephat iuxta vim nominis sui, quod significat dominum iudicē, quando constituit iudices, præcepit eis, *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum* [o]. Qui iudicat, locum Dei obtinet, inquit hoc loco Abulensis, dirimendo litigia: debet ergo Deum in iudiciis imitari; quantum sinit politiæ humanæ conditio. Quem aliter Aristoteles [p] cognominauit viuam legem, animatamque iustitiam, *δίκαιον ἔμψυχον*. Efficax ratio ad iustè iudicādum, quoniam Deo reddenda ratio iustitias ipsas iudicanti, & volenti amouere impedimenta, quo minus iusta sententia mandetur executioni. Sed hac de re actum alias.

Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit.] Hebraicè, Chaldaicéque (*& verbum, siue rem, quæ duruerit à vobis*) idest, vt etiā declarat Augustinus in locutionibus, præ vobis, supra vos, supra vires vestras, sciētiam, potentiā, postremò, quæ grauior, & difficilior fuerit. In Exodo, quod [q] Iethro admonens Mosem dixisse narratur, iuxta editionem nostram, vt ab eo constituti iudices, quidquid maius esset, referrent ad ipsum, vocatur Hebraicè הַדָּבָר הַגָּדֹל *haddabar haggadol*, & Chaldaicè פִּתְגָם רַב *pithgam rab*, verbum res've magna, Græcè τὸ ῥῆμα, τὸ ὑπέρογκον, *verbum graue*. Quod epithetum in textu aliarum editionū ibidem extat, vbi antea [r] legimus, vltra vires negotium, & quod solus Moses sustinere non posset, nēpe כָּבֵד מִמְּךָ הַדָּבָר *chabed mimmecha haddabar*, יַקִּיר מִנָּךְ פִּתְגָמָא *iakkir minnach pithgama*, βαρύ σοι τὸ ῥῆμα. Interpres adiecit de suo (*si visum fuerit.*) Ea opinione enim pendebat iudicum, eiusmodi res fore, quæ meritò grauis, ac difficilis censeri deberet, talísque pro cuius definitione ad Mosem recurrere oporteret. Ac opinio quidem sola sufficiebat, quamuis res ipsa, in se fortè difficultate careret.

Referte ad me.] Textus Græcus habet *feretis, seu referetis illud ad me ex vobis ἀνοίσετε αὐτὸ ἐπ' ἐμὲ ἀφ' ὑμῶν*. Quasi significetur, vt exonerarent se, ac velut in humeros Mosis imponerent. Editiones Hebræa, & Chaldæa pronomen aliter iungunt, vt priore membro vidimus, sed in singulari numero. Rickelius verò explicans, quasi diceret Moyses, ad me habete refugium, qui auctoritate, & sapiētia vos excedo, ait, arroganter hoc non dixisse, sed iustè, & caritatiuè propter bonum commune, & quia euidenter sic fuit: & quoniam inter iudices necesse est ordinem esse; vt in certis casibus inferiores iudices ad superiores recurrant. Abulen. interpretatur de causis ciuilibus, quia causæ spirituales, vel quæstiones legis ad solum Mosem referebantur, eratque iuxta Iethri consilium populo in his, quæ ad Deum pertinebant, vt referret quæ dicerentur ad eum, ostenderétque populo ceremonias, & ritum colendi, viámque per quam ingredi deberent, & opus, quod facere deberent; in cæteris causis, quas inferiores iudices immediatè tractarent, quidquid maius esset, referrent ad ipsum, & illi minora tantūmodo iudicarent [a].

Et ego audiam.] Addunt *(illud)* editiones aliæ. Auditurum verò se Moses promittit, vt diiudicaret, & responderet vel per seipsum, vel, si ignoraret, oraculum diuinum consulendo, sicut fecit circa pœnam eius, qui sabbato ligna collegerat [b], & circa causam filiarum [c] Salphaad, atque principū familiarum Galaad, filij Machir, filij Manasse occasione earumdē [d]. Refellit porrò Abulēsis R. Salomonē, affirmantem, quòd ideo Moses aliquando ignorauit responsionem aliquarum quæstionum, quia gloriatus fuerat se respondere in magnis quæstionibus, sicut & Samuel non cognouit quem Dominus elegisset de filiis Isai [e], quia dixerat, se esse videntē [f]. Addere potuit Elisæum, qui fallus est, quòd celauisset Dominus à se amaritudinem animæ Sunamitidis [g]. *Non est verisimile,* inquit Abulen. *quòd tanti viri gloriarentur in talibus nominibus, quia hoc mortale est. Sed aliquando Deus deprimit aliquem, vel ei magna non reuelat, quia non dedit laudem Deo fortè ex inaduertentia, vel, vt conuertatur ad considerationem propriæ fragilitatis ne extollatur, vt habetur de Paulo, cui propterea datus est stimulus carnis suæ* [h], *& de Ezechiele, quem postquam Dominus magnis reuelationibus exaltauerat, vocabat filium hominis* [i]: *vt se infimum esse conspiciens in his nō superbiret, ait Gregorius super Ezechielem.* Sic ille. Hoc autem vltimum traditur etiam à Gregorio sub finem Pastoralis, vbi tamen ait, quòd priùs filius hominis vocabatur, quoties ad contemplanda cœlestia ducebatur, ac si apertè admoneretur, vt ne de his, quæ videret, elatione cor subleuaret, cautè perpenderet quod erat, & vt eùm summa penetraret, esse se hominem recognosceret, quatenus dum vltra se raperetur, ad semetipsum sollicitus infirmitatis suæ freno reuocaretur. Illud de filio hominis, quod attinet ad Ezechielem, annotant Hebræi, ac Theodoretus [k], & Hieronymus [l] eidem iungit Danielem, & Zachariam (in Zacharia id non reperi) qui eodem nomine appellētur.

Sed

a Act. 20. 20. Galat. 2. 12. Heb. 10. 38.
b Act. 20. 27.
c Hebr. 10. 39.
d in c. 20. 20. 27.
e 2. 2. q. 63. [margin, partly cut] q. 9.
f Matt. 20. 15.
g c. Sacerdos. 26. q. 7.
h c. Vbinā. d. 96.
i c. Quiescamus. d. 42.
k d. 16. q. 1. c. si cupis. *Iudex & iudicium.*
l de regul. iuris in 6 & 3. q. 9. c. vlt. & 4. q. 4. c. Nullus.
m c. Vilissimus 1. q. 1.
n 2. 2. q. 63.
o 2. Paral. 19. 5. 6. 7.
p 5. Ethic. c. 4.
q c. 18. 22.
r vers. 18.
a Exod. 18. 19. & seqq.
b Num. 15. 35.
c c. 27. 4.
d c. 36. 1. & seqq.
e 1. Reg. 16. 6. & seqq.
f c. 9. 19.
g 4. Reg. 4. 27.
h 2. Cor. 12. 7.
i c. 2. 1.
k in Ezechiel.
l in Dan. 8.

Sed & Christum sibimetipsi nomen idem tribuisse asserunt humilitatis causa. De Ezechiele R. David aliam causam dat, quasi diceretur vir videns hominem, quia cùm quatuor facies vidisset in animalibus, nempe hominis, præterea leonis, bouis, aquilæ, denominatio à præcipua facta est, sicut Daniel vir desideriorum [a] appellatus est. R. Abenezra [b], quoniam Ezechiel inter Angelos versabatur, distinctionis gratia eo modo nominatur, quod Hieron. [c] etiam de Daniele affirmat, quia inter Angelos erat. Vltima causa placet Maldonato [d] nostro: prima nostris, item Prado [e], Sanches [f], Marianæ [g], Sà [h]. Quamquam posteriores adiiciant, & verè, ex vulgari vsu significari potius speciem humanam, quàm fragilitatem, atque sic vocari Christum à seipso, non, vt alij interpretantur, filium Virginis, sed hominem. Multa de hac appellatione disserui aliis in locis [i]; ac nonullas alias causas protuli. Samuel vocauit se videntem [k], quia sic vulgo vocabatur, & sub eodem nomine quærebatur [l]. Porrò quod ad rem præsentem propiùs facit de responsis ad quæstiones propositas Moysi, Abulensis [m] expendens, quo pacto Elisæus, vt antea retuli, dixerit, quòd à se Dominus celauerat [n] quiddam, statuit discrimen inter viros sanctos veteris Testamenti, & Apostolos, *quòd isti* quandocumque aliquis quæreret responsum ab eis, Deus reuelabat eis quid deberent respondere, priusquam veniret tempus respondendi, & sic non videbantur noviter addiscere id, quod dicturi erant, sed scire ante hoc: & tamen nesciebant priùs, sed tunc actualiter eis reuelabatur, vt patet Matthæi [o] 10. Marci [p] 13. Lucæ [q] 21. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*, &c. & sic, inquit, Apostoli numquam debebant consulere Dominum super aliquo, sed priusquam ipsi consulerent, Deus respondebat. Immò addit, quòd cùm ibidem præceperit Christus, ne cogitarent, peccarent mortaliter, si vellent studere, qualiter responderent, tum, quia contra hoc præceptum agerent, tum, quia incurrerent in magnam diffidentiam, eò quòd Christus promiserat eis locuturum Spiritum sanctum per eos, cùm opus esset, ipsis nihil considerantibus, cùm responderent, ac proinde si vellent studere ad respondendum, viderentur non credere diuino promisso, aut adhibendo studium, existimare, quòd illo modo responsio eorum firmior esset. Tandem docet quòd nullus Apostolorum cogitabat aliquando quid deberet prædicare, aut respondere, sed cùm esset in loco prædicandi, aut respondendi, Spiritus monebat linguam eius, & loquebatur quod oportebat: Præter Mosem verò, qui vtebatur Deo familiarissimè [r], & quo non surrexit maior Propheta in toto Israël [f], & diuinum tamen consulebat responsum [t], affert in exemplum Eliseum [u], Ieremiam [x], Danielem [y], idémque affirmat de aliis in vetere Testamento egisse, vt oraculo Dei ducerentur. Hæc Abulensis doctrina, non ita simpliciter absolutéque videtur accipienda, ac ne de Apostolis quidè solis, sed ne quicumque sistatur ante tribunalia pro fide, nimis sollicitus sit, quod μεριμνᾶν, & προμεριμνᾶν in Euangelij notatis locis valet, ac μελετᾶν, seu ne immodicam, anxiámque curam, & cogitationem suscipiat, vel totus in eo sit, vt præmeditetur, quomodo causam agat, ac perinde id solua curare ipse debeat, nihil Deo commendet, atque metuendo vt possit, animo discrucietur, & in diuersa rapiatur, destitúatque. Securitatem promittit Christus; negligentiam non permittit. Maius euangelicorum Doctorum priuilegium est, atque crebriores reuelationes, diuinique Spiritus illuminationes; ac nominatim Apostolis in respondendo de fide, moribúsque vel verbo, vel scripto, concessum est, ne vllo modo errarent. At neque hac de re testimonia citata videntur esse, neque non adhibere humanam diligentiam in edendis responsis debebant, immò, nisi id facerent, non satis prudenter agere viderentur, tantum abest, vt faciendo peccarent, licèt quæcumque demum illa diligentia esset, non fineret Deus consulens Ecclesiæ suæ, vt in errorem laberentur. Quod affirmant nonnulli de Pontifice Romano in finibus ferendia decretis, vt scilicet priùs inquirat, & consulat. Nec dubitant quidam, quibus non assentior, requirere in illo diligentem disquisitionem, quæ si desit, non sint infallibiles definitiones. Augustinus [a] disci vult priùs à viro Ecclesiastico, ad horam verò ipsius dictionis bonæ menti conuenire, ait, dictum illud monitum Christi, & quidicat non esse hominibus præcipiendum quid, vel quemadmodum doceant, si Doctores sanctus efficit Spiritus, iis posse dici nec orandum, quia Dominus ait [b], *Scit Pater vester, quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo*: aut Apostolum Paulum Timotheo, & Tito non debuisse præcipere quid, vel quemadmodum præciperent aliis. Præterea docet [c] dictis locis Euangelij à Christo vetitam meditationem, & præceptam confessionem, ablatam præsumptionem, & datam gratiam diuinam, vt in nobismetipsis timidi, & mundo essemus audaces. Tandem scribit [d] hominum officia, ipso S. Spiritu largiente in docendis etiam ipsis Doctoribus non debere cessare. Hęc est communior opinio in Matth. c. 10. quamuis ibidem idem Abulen. [e] videatur nolle admittere moderationem, quam adhibui, nominatim Lyranum refutans docentem, quòd non vetabatur Apostolia prouidere sibi responsionem, si haberent tempus, sed solùm auferebatur eis turbatio, vt si tempus non haberent, non turbarentur propter hoc, quia Deus daturus erat illis, quid responderent. Sed argumenta illius facilè soluuntur: quoniam prohibitio non cogitandi, de nimis sollicita cogitatione, vt dixi, intelligitur, & satis magnum beneficium est reddens securos, quòd non sit defuturus Deus quando respondere oporteat, præsertim tempore persecutionis, & extra illud in iis quæ spectent ad fidem, moresque.

Præcepitque omnia, quæ facere deberetis.] Breuis versus hic est, quod in aliis contingere aliàs docui, vt nimitum versuum distinctio, ac diuisio non fiat æqualiter. Habetur porrò iuxta alias editiones (*& præcepi vobis in tempore illo omnia verba, quæ facietis*,) vbi verba sumuntur pro rebus, & ab Interprete expositum est, *quæ facere deberetis*. Nec enim prædictio fuit quod facturi essent, cùm plurimi non fecerint, quæ præcipiebantur, sed quod illos facere oportebat. Caietanus annotare nos iubet, veluti clauem, quæ aperiat sensum inferiùs subiunctorum, ex eo quod hic perspicuum est Mosem in campestribus Moab anno quadragesimo alloquentem populum per pronomen (*vos*) demonstrare populum, qui fuerat in deserto Sinaï ante annos ferè quadraginta, quem allocutus fuerat, qui interim erat defunctus, secundùm omnes à viginti annis, & supra, manifestè haberi, quòd Moyses in hoc sermone vtitur pronomine (*vos*) potiùs secundùm demonstrationem simpliciter, quàm personalem; hoc est, quòd non pensus demonstrat illasmet personas, sed quæ sunt loco

Margin notes: a Dan. 9. 23. b in Dan. 8. c in Dan. 8. d in Ezech. 2. e ibid. f ibid. g ibid. h ibid. i in ps. 4. 3. in ps. 8. 5. in ps. 35. 9. in Act. Ap. 7. 56. k 1. Reg. 9. 19. l ibid. vers. 9. 11. 18. m in 4. Reg. 4. 41. n 4. Reg. 4. 27. o vers. 19. 20. p vers. 11. q vers. 14. 15. r Num. 12. 6. 7. f Deut. vlt. 10. t Num. 7. 89. c. 15. 35. c. 27. 4. c. 36. 5. u 4. Reg 4. 27. x Ierem. 42. 4. 7. 9. y c. 8. & 10. a 4. de doct. c. 15. & 16. b Matth. 6. 8. 32. c ser. 43. de Sanctis. d 4. de doctr. c. 16. e q. 57. & 58. Verba pro rebus.

loco illarum, licèt aliqoo modo demonstret easdem. Nam inter auditores, inquit, aliqui viri erant penitus iidem, saltem Iosue, Caleb, Eleazar, & alij fortè Leuiticæ tribus, quia non comprehendebantur sub nnmeratis à viginti annis, & supra. Erant quoque illimet ex diuersis tribubus Israël, qui tempore numerationis non erant viginti annorum, & tamen erant doli capaces, & audierant in deserto Sinai Mosem loquentem publicè vniuersis.

Vers. 19.] Profecti autem de Horeb, transiuimus per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cúmque venissemus in Cadesbarne,

Vers. 20.] Dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis.

Vers. 21.] Vide Terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paueas.

PARAPHRA. POst enarrata diuina beneficia erga populum, commemoratur eiusdem culpa, quòd cùm proximus esset promissæ terræ, pertransita iam vasta solitudine, & horroris plena; noluerit in eam intrare. Id contigit anno secundo ab egressu de Ægypto, cùm aliquamdiu substitisset populus in monte Horeb, siue in monte Sinai. Quapropter verba Mosis hìc recitata pertinent ad illum annum, non verò vt quidam, quos refellit Abulen.[a] arbitrantur, ad quadragesimum finémve trigesimi anni. Nam protulit ea Moyses antequam immediatè mitterentur exploratores, vt constat ex his, quæ statim infrà subiicientur. Libro præcedēte c. 13. & 14. tota rei series pertractata est: exposita verò exponere, otiosi est, non studiosi, vt monet à Glossa citatus Gilbertus, itaque attingenda dumtaxat erunt, quæ ibi non declarauerimus, vel obiter memoria eorum refricanda.

a q. 10.

Profecti autem de Horeb.] Idem mons vocatur etiam nonnumquam Sinai, & scribi debet aspiratè, quoniam aspirata est prima litera Hebræi nominis חרב *choreb*. Idem accidit aliis locis, vt diuersis nominibus appellentur, quod hìc iterum de mansionibus Abulen. admonet, nósque præcedente libro annotauimus. Post iudicum electionem, institutionémque, cuius paulo antè mentionem factam vidimus, profectio, ac discessio illa fuit, póstque alia multa in dicto monte, vbi diutius moratum est, constituta.

Transiuimus per eremum.] Omisit (*omnem*) Interpres: eremi verò vocem è Græca editione mutuatus est, quod aliquot aliis[b] locis facit, vtens alibi nominibus deserti, & solitudinis. Eo nomine scribentes probos Latinæ linguæ auctores non reperi. Sed in iure ciuili[c] erant *erema territoria*, idest, inculta, & ieiuna; apud idem ius, Iurisconsultósque[d] *eremodicium* ἐρημοδίκιον, hoc est, desertum iudicium, quod interpretatur Hesychius μονομερῶν ἀγωγὴν, iudicium ex vno litigatore constans, alij aliter, vt & ἐρήμην δίκην. Quod ad rem nostram non facit. Itali vsurpant *eremo*, & incolam *romito*; Hispani *yermo*, & *ermitaño*, Galli *ermite* pro incola, *ermitage*, pro loco, quem inhabitet eremiticæ professor vitæ, à quo instituto denominatur quoque Augustinianus Ordo fratrum in eremo, seu eremitarum. Suidas ἐρήμαια pecudes τὰ θρέμματα exponit, quæ in desertis locis vagantur & pascuntur, nec non ipsamet eiusmodi loca, sed poëticè ἐρημίαν, & ἐρημίην, *solitudinem, locum desertum, desolationem* etiam: ἐρημίτην, *eremitam, solitarium, in deserto degentem*: ἐρημαῖον, *desertum tumulum* siue *collem desertum*, ἐρήμην δίκην, *desertum vadimonium*, *litémve*, de qua nonnihil antè diximus, ἐρήμην σπήλυγγα, *desertam speluncam*. ἔρημον, quod nomen dicitur ab ἔρα, idest, *terra*, & θηρσὶν ἐρημονόμοις, *feris in deserto pastis*. Qui vocatur in Psalmo[a] pellicanus solitudinis, Græcè cognominatur ἐρημικός. Mysticè Hugo ait, quòd eremus est via ad Paradisum[b], oportuisse enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: & oportere per multas tribulationes intrare in regnum cælorum[c]. Hanc viam electos tenere, sed reprobos per amœna mūdi duci ad latibulum inferni. Plura allata sūt sensu mystico ad Euangelium de Christi tentationibus, quæ adhuc non edidimus, & sparsim in iam editis operibus. Auctor syluæ allegoriarum desertum aptat Christo, vtero virginali, Ecclesiæ ex gentibus, gentilitati, cælo, animæ, cordi humano, vel infidelium, diabolo, conscientiæ, Iudææ, carni, cōtēplationi, tranquillitati mentis, consilio spirituali, separationi à vitiis, monasterio, statuíque religioso, contemptui mūndi, difficultati fidei, literæ legis, desertioni ceremonialium, mundo, miseræ vitæ humanæ, Ægypto, obliuioni, commodis temporalibus, singularitati superborum, inferno, condemnationi malorum, erroribus hæreticorum, defectui bonorum operum, peccato, &c.

a Psal. 102. 7.

Eremi significatio mystica.

b Lucæ vlt. 26. 46.

c Actu. 14. 22.

b 1. Par. 5. 9. 1. 2. 26. 10. ps. 77. 15. Sap. 18. 20. Eccl. 6. 3. c. 13. 23. Ier. 52. 7.

c l. 4. de censibus l. 11. C. *Explanatio.*

d l. 7. in fin. D. de minoribus. & l. 13. D. de iudic. sol. & l. 11. D. de iudic. & l. 31. §. litē. D. de neg. gest. Cuiac. ad l. 13. §. 3. 4 C. de iudiciis. Briss. in lex. Alex. ab Alex. l. 4. c. 13. Alciat. li. 4. de ver. sign. Budæ. l. post. D. de origine Iuris, & alij.

Eremus. Erema territoria. Eremodicium.

Terribilem, & maximam.] Additur in codicibus Complutensibus, Regiis, Hugonis, Rickelij, (*solitudinem*) & in aliis editionibus pronomen *hanc*, ההוא *hahu*, ἐκείνην, & ordine contrario ponuntur ab iisdem ista epitheta, sed positiuè הגדול *haggadol*, והנורא *vehannora*. Erat ea eremus desertum, solitudo Pharan, quam aiunt appellari terribilem, quia erant ibi serpentes adurentes flatu, scorpiones, & similia, & nullæ aquæ, vt habetur cap. 8.[d] maximam, quia maiori tempore ambulauerunt Hebræi per eam, quàm per alias, vtpote in ea morati ab anno secundo vsque ad principium anni quadragesimi; & plures mansiones in illa fecerunt, nempe demptis primis quatuor, cæteras ex duabus supra quadraginta. Dicti capitis octaui verba sunt; *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nulla omnino aqua.* Ibi sunt eadem epitheta Hebræa quæ hoc loco, nec non Græca μεγάλης, καὶ φοβερᾶς, retinetúrque in editione nostra ordo inter illa quæ in aliis editionibus ibidem, & hîc extat. In Ieremia[e] describitur desertum tamquam terra inhabitabilis, & inuia, terra sitis, & imago mortis, terra, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo. Imago autem, siue vmbra mortis dicitur ob pericula, ea venenatis lethiferísque animalibus, nec non ex hostibus, cui occurrebant vastam illam eremum pertranseuntibus. Rursus inferiùs eodem libro nostro[f] appellatur locus horroris, & vastæ solitudinis. Habitauit quidem Israël in regione Pharan[g], quæ pertinet ad hanc eremum, desertum, solitudinem, hodiéque incolitur à Madianitis eiusdem Ismaëlis posteris; in ea quoque illius ipsius, quæ vocatur

Eremi epitheta.

d vers. 15.

e c. 2. 6.

f c. 32. 10.

g Gen. 21. 21.

Sina,

Sina, & in qua Hebræi peregrinati sunt, pauit Moses greges, ac socer ipsius Iethro habuit domicilium. Tractus ille, qui est à deserto Sin, vsque ad Cadesbarne, videtur tunc talis fuisse, qualem describit Ieremias, idest, desertus omnino, vacuusque ab habitatoribus, sterilis, inaquosus, inhabilis arationi, & seminationi. Sed postquam aquæ productæ sunt adeò largiter, instar fontium, stagnorum, torrentium, fluminum, abyssi [a], verisimile est, redditum eumdem tractum habitabilem, & alias einsdem deserti partes factas commodiores ad habitandum. Alioqui deserti vox quandoque tribuitur loco sylvestri, pascuo, campestri, in quo sparsim homines, rarique habitant, vt in Hercinia sylua, aliisque eiusmodi locis incultis. Eò autem quod ante dixi, respiciens Deus apud Esaiam [b], tanquam priora illa, antiquaque renouaturus beneficia, vel historicè in reditu de exilio, vel typicè in Ecclesia. *Ponam*, ait, *in deserto viam* (nubem dirigentem in via) *& in inuio flumina, glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas: flumina in inuio, vt darem potũ populo meo, electo meo.* Qua de re actum priore libro [c]. Legitur, inquit Rickelius, in India maior, ac terribilior eremus esse. Mira narrat Adrichomius [d] de deserto, cui cognomen arenoso, cuius nempe terra tota latissima & infrugifera sit, aquarum egens, Solis adusta ardoribus, aspectu sui horrorem visentibus incutiens, carens domibus, hominibus, bestiis, arboribus, graminibus; abundans autem collibus, & monticulis ex arena, quæ vi ventorum in vnum cumulum aggeritur: nulla item ibi certa itineris exter ratio: quia arenæ mollissimæ pergentium vestigia, teste Hieronymo [e], subtrahunt: ita vt nomen etiam maris fabulosi apud posteriores Scriptores acceperit, quòd ad instar maris arena ventorum flatu, nunc huc, nunc illuc diffluat, & subito super montes erigatur; & quia nullus ibi viarum callis apparet, perinde ac si nauigandum foret in vasto Oceano, scopus profectionis explorari debeat ad nauticam cynosuram. Refert præterea ex Ludouico [f] Romano, si quem cõtingat ibi Austro ferri, obrui sabulo. Nam, & si prosperis, ait ille, vehebamur flatibus, atro tamen turbine sabuli adeò inuoluebamur, vt adempto è conspectu interuallo decem passuum alter alterum non conspiceret. Ob id incolæ camelis vehuntur, subdit Adrichomius, caueis inclusi ligneis, inque eis vitam trahunt, ducibus tamen pilotis, qui non aliter quàm in vndabundo mari pyxide, & pagina ducuntur, & ibi siti exanimantur complures. Quamobrem intelligimus, apud Iosephũ [g] Herodis Regis beneficium, cùm Augusti Cæsaris exercitus per loca arida facturo iter, de aquarum copia, & reliquis ad vitam necessariis, abundè prospexit. Describit idem Auctor [h] desertum Pharan (, quod est hoc nostrum) amplissimum, vastissimum, inuium, inaquosum, continens à monte Sinai vsque Cadesbarne iter vndecim dierum, cuius terra nec arari possit, nec seri, sed arida tota sit, sterilis, squalida, inhabitabilis, arenis plena, æstu torrida, &c. Monet verò suum aliquando pro prima parte deserti Arabiæ, prope montem Sinai: interdum pro vltima versus terram promissionis e nonnumquam dici desertum Sin, vel Sinai ab ipso monte, &c. Atqui vocatur quoque mons Pharan [i], & ciuitas einsdem nominis videtur fuisse [k]: suspicantúrque aliqui montem eumdem esse cum monte Seir. Qua de re actum non semel priore potissimum libro, & videtur à monte Sinai pressè loquendo distasse desertum Pharan itinere minimùm trium dierum.

a Exod. 17. 6. Num. 20. 11. ps. 77. 15. 16. ps. 104. 41. ps. 106. 35. 35. ps. 113. 8. & alibi.
Vocis deserti extensio.
b c. 43. 19. 20.
Eremus in India. Desertum arenosum.
c in c. 20.
d in theat. terræ Sãctæ pag. 131. de Simeon n. 12.
e in Epitaph. Paulæ.
f 1 p. nauig. c. 14.
g 1. de bello Iudaico c. 15.
Desertum Pharan.
h in Pharan pag. 116.
i Deut. 33. 2. Abac. 3. 3.
k Gen. 14. 6. 3. Reg. 11. 18.
l Anto. Guevara in Abacu. 3.

Quam vidistis.] Non solùm viderunt, sed etiam peragrarunt. Indicatur autem ea dicendi formula, eremum illam vel solo aspectu terribilem, ac horribilem fuisse.

Per viam montis Amorrhæi.] Tendentibus ad promissam, transeundum erat per viam, quæ ducebat ad illum montem, qui propinquus illi erat. Putat verò Abulen. per montem intelligi terram montuosam totam, quam duo Reges Amorrhæi Og, & Sehon occupabant. Adrichomius [a] meminit montis Amorrhæi, qui & Melani montes à Græco dicantur, vbi habitarent Amorrhæi. Ptolemæus [b] meminit montium istorum Melanorum, idest, nigrorum, qui protendebantur à Sina iuxta Pharan, quasi ad Iudæam, gentésque sint ab occasu illorum, ad Ægyptum, & Saracene.

Sicut præceperat Dominus Deus noster nobis.] Non debuit omitti pronomen in translatione Latina ex editione Chaldæa, in qua extat, nempe יַתְנָא *iathana*. Præceperat enim, inquit Rickelius, vt sequerentur motum, ducatúmque nubis: vel etiam fortè per Mosem istud præceperat verbo. Abulen. Caietan. Marzilla expressum præceptum contineri volunt verbis præcedentibus [c]. *Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis, reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera, quæ ei proxima sunt campestria, atque montana, & humiliora loca*, &c.

Cúmque venissemus in Cadesbarne] Habent editiones aliæ (*& venimus in Cadesbarne*) & quidam codices minùs correcti (*venissetis.*) De hoc loco actum alibi, & an sit idem cum Cades, vt quibusdam placuit, quos non sumus secuti, quia in Cades fuit 33. mansio [d], iuxta Cadesbarne [e] 15. in confinio australi terræ Chanaan [f]; à qua terra longè aberat Cades, nempe in extremis Idumææ versùs Austrum. Missi verò fuerant ex Cadesbarne exploratores terræ Chanaan [g].

Dixi vobis.] Hebraice Græcéque præfixa particula (*&*) quod etiam fit in paraphrasi Chaldæa (*& dixi ad vos*, וַאֲמַר אֲלֵיכֶם *vaomar alechem*, καὶ εἶπα πρὸς ὑμᾶς. Hæc verò quæ Mosem dixisse Moses ipse hîc narrat, non adhuc prodita occurrerunt in libro præcedente, aut in alio.

Venistis ad montem Amorrhæi.] Commutata est persona, cùm paulo antè prima esset (*venissemus.*) Ex eo loco quamprimum poterant, postquam occupassent illum, Deo fauente, ingredi in terram Chanaan, cui mons, & regio illa confinis est [h]: & qui alicui loco vicinus est, iam ad eum dicitur venisse, inquit Abulensis.

Quem Dominus Deus noster daturus est nobis.] Participium Hebræum נֹתֵן *nothen*, & Chaldæum יָהֵב *iaheb*, *dans*, absque verbo substantiuo explicari potest per omnia tempora, dans est, siue dat; dans erit, siue dabit; dans fuit, siue dedit: Græcum δίδωσι præsentis temporis est, nempe *dat*. Interpres noster futuri significatione vsus est. Dederat Deus promittendo, dabat, quia statim obtineri poterat, daturus erat, quia nondum obtinebatur. In textu Græco præterea est pronomen secundæ personæ ὑμῖν, *vobis*, cùm in Hebræo, & Chaldæo sit primæ, quemadmodum in nostro, scilicet לָנוּ *lanu*, & לָנָא *lana*: Mons Amorrhæus, & tota ditio Regum duorum Amorrhæorum Sehon, & Og, non pertinent propriè ad terram, quæ cognominatur promissionis, siue promissa, hæc enim vlterius sita est, vocaturque Chanaan; sed cùm illac transeun

Mons Amorrhæus.
Qui etiam montes Melani.
a theat. terræ S. p. 117. 10.
b lib. 5. c. 17.
c vers. 6. 7.
Cadesbarne an idē quod Cades.
d Num. 33. 36.
e c. 34. 4. Iosue 15. 3.
f c. 20. 16. 10.
g Num. 13. 27.
h Supr. c. 34. 2. & seqq.

transeundum esset, & Reges illi obsisterent, cessit horum regio victoribus iure belli, Deo vires tribuente, quæ regio pertinuerat olim ad Moabitas, vt aliàs dictum est. Amorrhæorum nomine, qui Chananæorum gentibus annumerabantur, omnes interdum eorundem gentes intelliguntur: vt quando scribitur [a], necdum completas iniquitates eorum, quòd amplitudine, proceritate, robore, crudelitate, impietate notabiliores essent; atque non tantùm citra Iordanem inuasissent regna Sehon, & Og, sed vltra illum per cunctas Chanaan partes habitarent, vt circa Antilibanum [b], prope Amaleciras [c], in montanis eiusdem prouinciæ Chanaan [d]. Summè improbum natum Amorrhæo patre apud Ezechielem legimus [e], & apud Amos [f] celsitudinem Amorrhæi comparat Deus cum cedris, cum quercubus fortitudinem, atque se Amorrhæum exterminasse, & contriuisse, & ascendere fecisse Hebræos de terra Ægypti, & duxisse eos in deserto quadraginta annis, vt possiderent terram Amorrhæi.

Amorrhæorum nomine interdum eorundem gentes intelligi.

a Gen.15.16.
b sup. isto c. vers.1.7.
c Gen 14.7.
d Num.13.30.
e c.16.3.
f c.2.9.10.

Vide terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Non nectitur verbum primum in editionibus aliis cum terra, sed per se ponitur hoc pacto (*vide*, ראה *reeh*, & חזה *chaze*, vel *videte*, ἴδετε, *dedit Dominus*, seu *tradidit*, נתן *nathan*, נשבע *sabah*, παρέδωκεν, *ante faciem tuam*, seu *in conspectu tuo*, לפניך *lephanecha*, קדמך *kodamach*, aut *ante faciem vestram*, πρὸ προσώπου ὑμῶν, *terram*. In textu Græco est παρέδωκεν, & pronomen primæ personæ ἡμῖν, *nobis*. Vbi commutatio personarum, & numeri insinuat varium affectum loquentis Mosis; vt præterea, quòd toties appellat Dominum Deum, & nunc tuum, nunc nostrum, itémque quòd inuitat ad visionem, prospectum, contemplationem terræ iam iam possidendæ, nisi per ipsos staret, peccatáque illorum obsisterent. Ex illo quidem loco, ad quem peruenerant, videri poterat aliqua saltem pars terræ promissionis, ac saltem indistinctè, & confusè. Quamquam si seorsim, vt dixi, legamus (*vide*) vel (*videte*) posset accipi non de visione oculorum corporis, sed mentis, vt nimirum considerarent, ac reputarent secum aduenisse tandem tempus possidendi terram opimam, & optimam, tamdiu antè, ac toties promissam, quæque mox obtineri poterat si vellent. Vnde etiam nonnulli verba illa (*vide*, vel *videte*) explicant per (*ecce*) vt qui Latinè transtulit editionem Græcam in Bibliis Complutensibus, Regiisque. Sic priùs versu 8. vbi legimus (*en tradidi vobis*) est ראה *reeh*, חזה *chaze*, ἴδετε, sicut hîc, ibidémque alia exempla protuli. Hugo notat dici (*vide*) singulariter, quia multitudo vnus est populus, suprà pluraliter, (*venissetis*) propter multitudinem. Atqui Græcum verbum ἴδετε plurale est, vt dixi. Vera autem lectio est (*venissemus*) vt etiam notaui.

Ascende, & possidе eam.] Hebraicè, & Chaldaicè (*ascende, posside*) absque coniunctione, & pronomine. Græcè, *ascendentes possidete*, ἀναβάντες κληρονομήσατε. Quia Dominus paratus est implere promissum, inquit Lyranus, & quia noluerunt statim intrare, sed magis negotium retardare, mittendo priùs exploratores, quasi de diuina directione diffidentes; ideo suo demerito permissi sunt peccare, per quod retardatus est ingressus terræ. Nam licèt in his, quæ voluntate nostra agimus, quando nobis bona videntur, nec specialiter Deus mandauit, oporteat, vt ait Abulen. quantum via humana possumus, dirigere, tum verò cùm non satis eo modo succedit, recurrere ad Deum, ne alioqui tentare ipsum videamur; tamen quando ipse specialiter aliquid mandat, in quo modum agendi declarat, si fortè modus ille nobis non securus esse videtur, & viam humanam tutiorem inquirimus, increduli Deo sumus: & si quod mandat per magna pericula agere, magnis periculis & supra hominem agendo, nos exponamus, Deum nõ tentamus, sed fideliter obedimus. Quo autem pacto absque periculo tentandi Deum, possit quis rationem, ac modum rei cuiuspiam, quam is agendam proponat, interrogare, quod B. Virgo fecit [a], & alij, aliàs dixi. Docui etiam ascendendi verbo, significari in subiecta materia locum terræ Chanaan, tendentibus ad illam ex Ægypto desertóque altiorem fuisse; quamuis idem verbum nonnumquam vsurpetur de qualibet perfectione. Tandem notaui terram Chanaan datam ad possidendum velut hæreditatis iure, quod importent ירש *res*, ירשתן *achsin*, vtrumque numeri singularis, & κληρονομήσατε numeri pluralis.

a Luc.1.34.

Ascendendi verbum.

Sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis.] In Hebræa, & Chaldæa editione (*sicut locutus est Dominus Deus patrum tuorum tibi.*) Græcè (*quemadmodum dixit Dominus Deus patrum nostrorum vobis.*) Vtrumque verum est, & promissam terram Chanaan patribus populi Hebræi, Abraham, Isaac, Iacob, vt hîc antea dictum [b] est, & patribus immediatis eiusdem, qui fuerant egressi de Ægypto, ita vt ratione istorum posteriorum potuerit dici iuxta primas duas editiones (*sicut locutus est tibi.*) Parum refert, quòd eiusmodi personarum, vel numeri commutatio fiat. Quamquam fieri potuit, vt quia Moses imminere sibi mortem sciebat, nec permittendum ingressum sibi in Chanaan, Dominum quidem nostrũ, idest, suum etiam dixerit, de promissione autem locutus fuerit tamquam quæ in populo complenda esset. Notat Caiet. non dici (*sicut locutus est patribus nostris*) quoniam non promiserat patribus hanc portionem terræ seu montem Amorrhæorum, sed donum superadditum promissum populo in monte Sinai per Mosem.

b vers.8.

Noli timere, nec quidquam paueas.] Interpretis est particula (*quidquam.*) Græcè verò pluraliter habetur (*ne timeatis, neque formidetis*, μὴ φοβεῖσθε, μηδὲ δειλιάσητε.) Abulen. explicat, *non affligaris in corde tuo*, vt patet, inquit, in litera Hebraica. Vatablus etiam reddens, *ne timeas, neque terrearis*: hoc secundum adhuc declarat, ne consterneris animo. Caiet. explicat (*non timebis, & non te franges*) proculdubio, inquit, animo. Oleaster transfert quoque loco secundo (*& ne frangaris,*) nec approbat, vt ponatur (*paueas.*) Verba Hebræa sunt תירא *thira*, & תחת *thechath*: secundum verò à חתת *chathath*, quod Pagninus in thesauro docet significare conterere, frangere, constringere, ac referri etiam ad animam, vt sit frangi, animo consternari, terreri, pauere, percelli: itẽ ad robur corporis, quod deiiciatur & prosternatur. Plura testimonia alia profert idem auctor ex diuinis literis de eadem significatione, vt etiam nominis חת *chat*, & חתה *chittah*, & חתית *chittith*, & מחתה *mechittah*, & חתחת *chathchath*, pro terrore, seu formidine. Dictum est etiam ipsi Iosue à Deo [c], *Noli metuere, & noli timere*, אל תערץ ואל תחת *al thahharots, ve al thechath* [d], *Ne timeas, neque formides*, אל תירא ואל תחת *al thira ve al thechat*: & Iosue post insignem victoriam, cùm iussisset poni pedes super colla subiectorum Regum dixit, *nolite timere, nec paueatis* [e] אל תיראו ואל תחתו *al thireu veal thechathu*. Dauid item præcepit Salomoni iisdem verbis ne timeret, neque paueret [f]. Denique inferiùs hîc [g]. Beda

c Iosu.1.9.
d c.8.1.
e c.10.24.25.
f 1. Par.22.13. c.28.20.
g vers.29.

porrò

porrò legens (*Nolite metuere, neque paueatis*) primum at[...]buit cordi, ori secundum, ne scilicet verbis prodat internum metum.

Vers. 22.] Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent Terram: & renuncient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates.

Vers. 23.] Cúmque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.

Paraphrasis.

HIs, ac sequentibus versibus vsque ad finem capitis repetitur narratio posita in libro priore [a] de exploratoribus, & quomodo ab iis perterritos populus noluerit ascendere in terram Chanaan; proptereáque concitato ad indignationem Deo, prohibiti sint omnes eiusdem ingressu, qui viginti annorum erant, & supra, exceptis Caleb, & Iosue, qui auctores fuerant populo, vt ascenderent. Quo pacto etiam cùm nihilominus *Deo negante*, ac prohibente armati progredi conati fuissent, magnam de ipsis Amorrhæi stragem ediderint. Declarata sunt hæc fusiùs in c. 13. & 14. libri præcedentis, nec hîc repeti debent, quia, vt priùs dicebam cum Gilberto, quem citat quoque ad idem propositum Rickelius, exposita reexponere otiosi est, non studiosi. In libro etiam Numerorum, ait Rabanus, scriptum est quòd Dominus ad Moysem dixerit, vt mitteret viros, qui considerarent terram Chanaan. Sed licèt diuersa videátur inter se esse, quòd hic in Deuteronomio, & illud quod in libro Numerorum super hac re scriptum legitur; sensus tamen facilis est, vt intelligamus populum ad Moysem primùm esse locutum de exploratoribus mittendis: & sic Moyses ad Domini consilium causam referens, præceptó ab eo acceperit, quatenus mitteret viros, qui explorarent terram Chanaan. Ad eumdem modum notat Glossa, quam Hugo sequitur, in libro præcedenti scriptum Moysi Dominum dixisse vt mitteret viros, qui considerarent terram, sed hoc populum priùs Moysi suggessisse, Moysen verò ad Dominum retulisse, secundùm cuius præceptum postea exploratores miserit. Quam missionem processisse, ait Lyranus, ex importunitate populi hoc petentis, atque id insinuari hîc verbo (*accessistis*) idest, cum tumultu, & importunitate, & quidem tanta, vt Abulen. obseruat, cui Moyses repugnare non potuerit. Nam si, inquit, consensisset immediatè, sicut cæteri, peccauisset, diffidendo verbis Dei, & magis adhuc quàm cæteri, cùm ipse esset Propheta Domini, & ipse dixisset eis quòd immediate intrare poterant in terram Amorrhæorum. Sed ipse restitit, & non consentientibus Hebræis verbo eius, sed importunè petentibus mitti exploratores, ipse ad vltimum consensit toti populo, quia prohibere non poterat. Rickelius scribit, quòd populus, aliqualiter metuēs, & diffidens incitauit Mosem, vt mitteret viros: super qua re Moses consuluit Dominum, qui vel iussit, vel permisit sic fieri, & hoc iusto iudicio in pœnam populi malè timentis. Idem docent reliqui Enarratores, quòd origo mittendi exploratores, vt Caiet. loquitur, non à Deo, sed à populo profecta est: consensus verò diuinus accessit permissiuè: & populus magna ex parte diffisus est, petens mitti exploratores cùm haberet Deum ducem, qui promiserat quòd ad præsentiam eorum illic daret eis terram. Probabile videtur, permissionem istam, vt exploratores mitterentur; ita ito effectu fuisse peculiariter in pœnam propter populi contumaciam toties demonstratam aduersùs Mosem, quem alioqui mitissimum, tandem ad iracundiam prouocauerant, & quia nonnihil diffidere visus fuerat ad aquas contradictionis, in causa fuerant, vt promissæ terræ ingressu prohiberetur vnà cum Aarone fratre. Itaque iidemmet contumaces, ac rebelles meritò prohibiti sunt, ne & ipsi intrarent, atque sic per quod peccauerunt, per hoc & puniti sunt. Mysticè Hugo per duodecim exploratores significari vult Ecclesiæ doctores: per reliquos decem à Caleb, & Iosue diuersos, quique populum terruerunt, malos, qui terrent male viuendo, vel malè docendo, per alios duos, qui populum curare studuerunt, bonos. Id Glossa perstrinxit prior, & ex Isidoro, quem transcripsit Rabanus, refert figurationem Scribarum, & Pharisæorum, quorum erat per Scripturas aduentum Christi speculari, sed populo persuaserunt, ne in eum, qui iam aduenerat, crederent, neglectóque manna fidei quæreret ollas nigras peccatorum, cepas blasphemiarum, pepones vitiorum, ac libidinum, despiceret botrum portatum vecte à duobus, id est, Christum in cruce pendentem, ac inde vinum sanguinis exprimentem: sub cuius botri onere incessit retrò populus gentilis videns Christum, Iudæus ante excæcatus. Verùm de his consule dicta cap. 13. & 14. libri præcedentis.

Sensus mysticus.

Et accessistis ad me, atque dixistis.] Habetur in editionibus aliis (*omnes vos.*) Dixi ex Lyrani sententia, per verbum (*accessistis*) innui importunitatem, tumultúmque populi, vno videlicet consensu, & conspiratione, impetúque flagitantis, & extorquentis missionem exploratorum, ita vt resistere Moses nequiret. In c. 13.[a] libri prioris extat quòd locutus est Dominus ad Moysem, dicens, *Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus ex Principibus*, & quòd fecit Moyses quod Dominus imperauerat, de deserto Pharan mittens principes viros. Admitti facilè potest dicta populi peruicacia tot aliis documentis, seu exemplis ipsiusmet comprobata. Verùm in verbo accedendi non satis hîc indicata videtur.

Explanatio.

a vers. 3. 4.

Mittamus viros, qui considerent terram.] Iuxta editiones alias *mittamus viros ante nos*, vel *priores nobis*. לפנינו *lephanenu*, קדמנא *kodamana*, προτέρους ἡμῶν, & *effodiant nobis terram*, ויחפרו *vachperu*, idest, *scrutentur, & explorent*, ויאללון *veallelun*, *explorent*, ἐφοδευσάτωσαν in imperatiuo, *lustrent, inspiciant, obeant, percurrant, circumeant, recognoscant*, idem quod κατασκοπευσάτωσαν, vt post Suidam Budæus [b] docet. Vnde ἐφοδεία *lustratio*, quæ obeundo fit, munúsve obeundi vigilias, & excubias inspiciendi. In libro Numerorum [c], vbi narratur eadem historia, est verbum Græcum κατασκευάσθαι, & תור *thur*, & אללא *allala*, quæ duo vltima hîc etiam sunt.

b commen. Græ ling. pag. 758.

c c. 13. 3. 17.

Et renuncient per quod iter debeamus ascendere.] In textu editionum aliarum (*& referant nobis verbum*, aut *responsionem*, דבר פתגמא *dabar, pithgama*, ἀπόκρισιν, *viam, quam ascendamus in ea*) Quæ nimirum pars ad intrandum facilior, & magis ab hostibus tuta sit. Qua in re non satis se directioni diuinæ, siue per columnam, quam dirigere solebat Angelus,

Angelus, fidere præ se tulerunt. Dederat exploratoribus Moses in mandatis, vt considerarent terram Chanaan, ascenderent per meridianam plagam, eúmque venissent ad montes, considerarent terram qualis esset, & populum habitatorem eius, vtrùm fortis, an infirmus; si pauci numero, an plutes; ipsa terra bona, an mala; vrbes quales, muratæ, an absque muris: humus pinguis, an sterilis; nemorosa, an absque arboribus, & vt afferrent de fructibus terræ. Traduntur hæc in libro Numerorum [a], vbi fusiùs à nobis explanata sunt.

a c.13.18. & seqq.

Et ad quas pergere ciuitates.] Hoc est, quod ibi dictũ recitaui de vrbibus, vt considerarent exploratores, quales essent, muratæ, an absque muris, ac sic intelligeretur, quásnam priùs adire oporteret, veluti, quæ minus impedimenti præberent, facilísque per eas transitus esset.

Cúmque mihi sermo placuisset.] Aliter ex aliarum editionum textu (*& placuit in oculis meis*, aut *coram me verbum*, בְּעֵינָי *behhenai*, & *ἤρεσεν ἐμοὶ*) sumitúrque verbum, siue sermo pro re proposita à populo, próque petitione, vt mitterentur exploratores; sed non nisi postquam de eadem Dominum Moyses consuluisset, ac responsum approbantis, vel potiùs permittentis accepisset, in pœnam videlicet peruicaciæ, & inobedientiæ, vt antè dixi. Hîc accipitur (*placere*,) inquit Lyranus, pro (*consentire*) quia hoc Moysi simpliciter displicuit. Sed propter importunitatem populi, super hoc consuluit Dominum, qui respondit ei (*Mitte exploratores*) non præcipiendo, sed magis permittendo impleri petitionem populi ad malum suum, eò quòd malè petebant. Scribit Procopius Hebræos Deo diffidentes terræ cognitionem habere voluisse, Deum cùm interrogatus esset à Mose, non sine indignatione, ac fremitu respondisse; *dimitte tibi ipsi qui explorent terram*, tamquam videlicet ipse etiam diffideret. Idem annotatur ab aliis de diuina permissione, quæ Moysi, vt se ad eam cóformaret, placuerit: quamuis petitio illa in se displiceret tum ipsi, tum Deo. Sed Mosem ipsum nunc minus fiduciæ habuisse, neque credo, neque quispiam alius dixerit. Citato libro Numerorum solius diuini præcepti facta mentio est; hîc quod placuerit Moysi, qui scilicet Deum consuluerat, & nunc perinde loquitur, ac si sponte, libentérque petitioni consensisset, nec Deus consultus à se fuisset. Exemplum affert Caietani Scholiastes Fonseca, quod paulo antè in istomet capite [b] narrauit Moyses à se constitutos magistratus, eo quòd non posset solus gubernare, cùm tamen huius rei non ipse primus auctor extitisset, sed soceri consilium secutus fuisset: prout in Exodo [c] proditum est.

Placendi verbum.

b vers.9. & seqq.

c c.18.18. & seqq.

Misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.] Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, *& accepi*, וָאֶקַּח *vaekkach*, וּדְבַרְת *vedabberet*, *καὶ ἔλαβον*) nempe, vt mitterem: item *virum vnum tribui*, siue *per tribum*, אִישׁ אֶחָד לַשָּׁבֶט *is echad lasscauet*, גַּבְרָא חַד לְשִׁבְטָא *gaura chad lesciuta*, *ἄνδρα ἕνα κατὰ φυλήν*. Recensentur libro præcedente [d] nomina duodecim Principum ex totidem tribubus, qui missi sunt ad explorandam terram, Leuitica non computata, quoniam hæc non erat possessionem fixam habitura. Ibi reddidi rationem cur ex singulis tribubus exploratores mitti decuerit, quoniam res ista cómunis erat cunctis tribubus, hoc pacto amplior, & certior fieret fides de visis in terra Chanaan, sic etiam proprius cuiusque Princeps tribus proprium eiusdem negotium tractaret libentiùs, ac diligentiùs: tantum præcidebatur querimoniis ansa, nullam tribum prætermittendo, ex qua suus non mitteretur Princeps. Nec verò erant summi tribuum Principes, primáve capita, quorum diuersa etiam nomina erant, sed inferiores, ac forsitan ex illis, quos vidimus institutos de consilio Iethro. Eodem loco sensus mysticos protuli ex Patribus, & aliis. Nyssenus [a] quidem, vt hoc obiter etiam nunc attingam, bonos exploratores vocat rectas cogitationes de repromissa nobis beatitudine. Bona sanè valde terra illa est, absque morbo, dolore, gemitu, lacrymis, clamore, egestate, morte [b], vt pote terra viuentium [c], regio viuorum [d], fluit lacte, & melle [e] beatissimarum voluptatum, in eáque beneplacitum est Deo habitare [f] cum turba magna stolis albis amicta, palmásque gestante in manibus [g]. Speculator factus Petrus patris cuiusdam gloriæ [h], ac minorum quasi fructuum cœlestium, in hac adhuc terra constitutus, idest, gloriæ corporis, tanta raptus dulcedine, totiúsque mundi oblitus, prorupit in eas voces [i], *Domine, bonum est nos hic esse*. Lege commentarium libri Numerorum, & quæ hoc loco tradit Rabanus ac ex eodem Glossa.

d c.13.4. & seqq.

a de vita Mosis.

Bonorum exploratorũ significatio mystica.

b Ap 21.4. c ps.26.13. ps.141.6. d ps.114.9. e Exo.3.8. c.13.5.c.33. 3.Leu 20. 24.Num. 13.28. c.14. 8.c.16.13. 14. Deut.6. 3.c.8.8.c.12. 9 c.26.9. 15.c.27.3. c.31.20.Ios. 5.6. Eccl. 46.10.Ier. 11.5.c.32. 22.Baruc.1. 20. Ezech. 20.6.15. f ps.67.17. g Ap.7.9. h 2.ep.1. 16. i Matth.17. 4.

Vers. 24.] Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt vsque ad vallem botri: & considerata terra,

Vers. 25.] Sumentes de fructibus eius, vt ostenderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

Dicto libro Numerorum [k] copiosiùs hæc narrantur, quà iter exploratores fecerint, quos repererint celebriores viros, quos fructus ex Neheleseol retulerint, cui loco id nomen inditum est à botro quem inde absciderant, cum malis granatis, & ficis, quo pacto terram illam ab vbertate commendauerint, quasi lacte, & melle fluentem.

Paraphr.

k c.13.22. & seqq.

Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana.] Postquam lustrauerant terram Chanaan, ad hæc tandem montana reuersi sunt, cùm priùs ascendissent per meridianam plagam, & ex montibus considerassent terram, & venissent in Hebron [l]. Quod (*in montana*) Interpres dixit, Græcè dicitur *εἰς τὸ ὄρος, in montem*, Hebraicè modo eodem cum litera finali motum indicante ad locum, הָהָרָה *haharah*. Chaldaicè cum prima litera seruili, לְטוּרָא *letura*. Pro (*cùm perrexissent, & ascendissent*) aliarum editionum verba significant, *& reuersi sunt*, וַיִּפְנוּ *vayphnu*, וַיַּעֲלוּ *vayahhalu*, *& ascenderunt*, וְאִתְפְּנִיוּ *veithpenu*, וּסְלִיקוּ *vsliku*, *& ascenderunt*, vel *& conuersi reuersique ascenderunt*, *καὶ ἀποστραφέντες ἀνέβησαν*. Vatablus montem Amorrhæi, subaudit. Et quidem in c.13. Numerorum [m] iussit Moyses, vt exploratores cùm venissent ad montes, considerarent terram. Hoc modo intelligeremus quòd versi sunt, non autem adhuc reuersi, illúdque cum Oleastro, & Vatablo (qui, vt dixi, subaudiri vult montem Amorrhæi) fauétque apostata Munsterus, quòd verterint, se discedendo à reliquo populo, ac versùs terram Chanaan per montem Amorrhæi, qui proximos erat. Aliter sensus esse posset, quòd peragrata terra Chanaan, quantum satis erat, reuersi fuerint per terram meridianam, per quam intrauerant ad montana eiusdem terræ

Explanatio.

l sup.vers. 18. & seqq.

m vers.18. 19.

Chanaan,

Chanaan, siue ad montem illius, & inde vsque ad Vallem botri. Magis placet hic posterior sensus, quia congruentior proprietati verborum quæ reuersionem indicant, & quia mox additur peruentum ab exploratoribus ad Vallem botri, vnde fructus decerpserint, quod contigit in reditu.

Venerunt vsque ad Vallem botri.] Citato loco libri Numerorum [a] appellatur *Torrens botri*, & Hebræo vocabulo *Nehelescol*, quod scribitur vt è duobus compositum נַחַל אֶשְׁכֹּל *nachal eschol*, ratióque redditur, eò quòd botrum portassent inde filij Israel. Et vallem, & torrentem valet נַחַל *nachal*, vt proinde hîc vallis, ibi torrēs vertatur, ac vtroque constaret idem locus tum valle, tum torrente, quamuis Græcè nominetur tantùm Vallis botri φάραγξ βότρυος. Ad commentarium prioris [b] libri, vbi docuimus id nomen loco inditum postea quam botrus abscissus est, vt textus etiam ipse apertè admonet. Ibidem præterea diximus, quod nunc reperit Abulen. eum locum videri vltimum fuisse, in quo steterint exploratores reuersi post exploratam terram, versùs meridianam terram per quam intrauerant, & quoniam alioqui non potuissent comportare illum palmitem botrúmque, sed à Chananæis impediti fuissent.

[a] c. 13. 24. 25.
[b] ibid.

Et considerata terra.] Rectè terram expressit Interpres repetitam inde à versu 22. ne sermonem hic putares esse de proximè memorata Valle botri. Eamdem terram insinuat pronomen fœmininum אֹתָהּ *othah*, אֹתָהּ *iathah*, αὐτήν. De verbis autem considerandi, & κατασκοπεύειν, cui simile κατανοεῖν, & de aliis explorandi lustrandíque, & ὀπτάζειν actum est libro eodem præcedente, vbi sunt תור *thur*, & רָאָה *raah*, Chaldæa verò אַלֵּל *allal*, aut אַלִּיל *allil*, & חֲזָא *chaza*. Hoc loco est quidem etiam verbum Græcum κατεσκόπευσαν, & Chaldæum אַלִּילוּ *allilu*: sed Hebræum וַיְרַגְּלוּ *ieragghelu*, vnde etiā exploratores dicti מְרַגְּלִים *meragghelim* [c], de quo verbo dixi c. 21. Numer. exponi posse ficto verbo *pedare*, quoniam pedem רֶגֶל *reghel* significat, idest, pedibus obire, indagare, explorare. Indéne Galli nomen mutuati, quo æditui veluti fungentem munere vocant *marguiller*, quasi diligentem exploratorem?

[c] Gen. 42. 9. Iosue 6. 23.

Sumentes de fructibus eius vt ostenderent vbertatem.] Editionum aliarum textus habet dumtaxat (*& acceperunt in manu sua* בְּיָדָם *beiado*, בִּידֵיהוֹן *beiedhon*, vel *in manibus suis*, ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, *de fructu terræ*.) Vt hoc facerent, præceperat Moyses mittens exploratores [d], & allati ab iis fructus fuerunt palmes cum vua sua, malogranata [e], fici, ex quibus cognosci voluerunt terram illam reuera fluere lacte & melle [f]. Vbertas, aut aspiratè hubertas ab vbere, vel hubere, quasi ab ὕω *pluo*, vel *humeo*, sicut tuber à tumeo: vnde huber quoque, vel vber substantiuè tamen pro hubertate, siue vbertate, tum pro mamma interioréve parte illius minus eminente, & adiectiuè pro fœcundo, fertili, ferace.

[d] Num. 13. 22.
[e] vers. 24.
[f] vers. 28.
Vbertas vnde, & Vber.

Attulerunt ad nos, atque dixerunt.] Hebraicè, atque Chaldaicè (*& descendere fecerunt ad nos, & retulerunt nobis verbum, & dixerunt*) idest, attulerunt ad nos, renunciaueruntque nobis responsum, ac dixerunt. Bene transtulit Interpres (*attulerunt*) quidquid Oleaster dicat. Licèt enim וַיּוֹרִדוּ *vaiioridu* propriè significet (*& descendere fecerunt*) tamen, quia fructus delati sunt à descendentibus ex Chanaan, quæ altior erat, quàm locus in quo populus exploratores expectans in deserto castrametabatur, etiam comprehendo vallem ejusdem Chanaan, ea qua fructus collecti fuerant, propterea per afferendi verbum satis intellecta sententia est, posito, inquam, hîc priùs vtriusque terræ situ. Græcè καὶ κατήνεγκαν πρὸς ἡμᾶς, καὶ εἶπαν, quod ab Interprete totidem verbis redditum est, vtraque verò lingua breuius, quàm aliis illis duabus.

Bona est terra.] Hoc narrauerunt fusiùs exploratores, vt recitatur libro præcedente coram Mose & Aarone, & omni cœtu, multitudinéque filiorum Israël, ostendentes eis fructus, & affirmantes, vt dixi, terram illam reuera fluere lacte, & melle [a], iusseratque inquiri Moyses an esset bona, pinguis, nemorosa vel contrariis prædita conditionibus [b]. Hoc verbum dixerunt Caleb, & Iosue tantùm iudicio Lyrani, quia licèt alij exploratores commendassent terram de fertilitate, tamen dixerunt, quòd impossibile erat populo ipsam acquirere: propter quod de consilio exploratorū filij Israël desperati de ingressu terræ promissionis, voluerūt reuerti in Ægyptum; Iosue autem, & Caleb non solùm dixerunt terram esse bonam, sed etiā quòd ea adiutorio Dei absque difficultate possent obtinere eam, & vt panem deuorare. Narrantur hæc partim c. 13. & 14. citati sæpius libri Numer. partim istomet capite inferiùs. Abulen. hoc item loco ait, quòd exploratores non laudauerunt totaliter terram, sed solùm quantum ad fructuum vbertatem, vituperauerunt autem quantum ad aëris dispositionem, dicendo, quòd deuorabat habitatores suos, scilicet peste consumendo: præterea quòd adeò mutata erat, támque fortes habitatores habebat, vt impossibile foret eam acquirere.

[a] supra ver. 17. 25.
[b] ibid. ver. 20. 21.

Quam Dominus Deus noster daturus est nobis.] *Dans nobis* Hebraicè, & Chaldaicè נֹתֵן לָנוּ *nothen lanu*, יָהֵיב לָנָא *iaheb lana*, quæ participia possunt declarari per omnia tempora, dans est, fuit, erit. Vltimum secutus est Interpres noster, L X X. primum reddendo δίδωσιν. Porrò Rickelius putat, exceptis Caleb, & Iosue, qui erant duo ex exploratoribus duodecim, cæteros vel hoc non dixisse, vel solùm ironicè. Potuerunt, & hi seriò, ac ex animo dixisse; verùm, vt tantò minus haberentur suspecti dissuadendo profectionem, fidéque digniores haberentur cùm obtinendæ rei, quam tantopere commendarent, difficultates proponerent, quas non minus ipso experimento didicissent, quàm vbertatem terræ, cuius optimos fructus reportassent. Videntur ergo sic dicere voluisse, hanc quidem esse terram optimam, quam se Dominus daturum promittere visus esset, at tantis periculis septam esse, vt an absolutum illius promissum fuerit ambigi posset.

Vers. 26.] Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri,

Vers. 27.] Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de Terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.

Vers. 28.] Quò ascendemus? nuncij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: vrbes magnæ, & ad cælum vsque munitæ: filios Enacim vidimus ibi.

PARAPHR.

DEcem exploratores ita exploratam terram laudauerant, vt eius consecutionem impossibilem assererent, ob habitatorum & multitudinē, & robur, locorum verò ab arte fortissimam & inexpugnabilem munitionem. Quod sibi populus cùm facilè persuasisset, non solùm diffidit, ac desperauit, & diuinis promissis non credidit, verùm etiam eò peruenit amentiæ ac blasphemiæ, vt tamquam maleuolum accusaret, atque fraudulentum Deum, qui ex odio in ipsos callidè de Ægypto eduxerit tradendos sæuissimis hostibus Amorrhæis, atque ab eis delendos, cùm tot priùs defuncti periculis viderentur, atque dura Ægyptiaca seruitute liberati. Quod vereri se Moyses dixerat, obsecrans Deum pro populo, quam volebat delere, ne dicerent de Deo Ægyptij, *Callidè eduxit eos, vt interficeret eos in montibus, & deleret è terra* [a], *& non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos; idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine* [b], hoc, inquam, fortasse populus recordabatur dictum à Moyse, atque simpliciter, ac pro certo affirmare se posse arbitrabatur multò magis quàm Ægyptios, cùm talis assertionis captum à se iam crederent experimentum. Promiserat Deus fore, vt populum, si obediens esset, præcederet Angelus, & introduceret ad Amorrhæum, & cæteros Chananæorum populos, eósque ipsemet contereret [c], appellauerat populum suum peculiarem, electum ex cunctis populis, hæreditatium [d], filium primogenitum [e], credere tamen id noluit post reditum exploratorum, de terra illa detrahentium, sed murmurauerunt desperantes, in Ægyptum alio sibi constituto duce, reuerti volentes, lapidare Moysen, & Aaron tentantes, nocte tota flentes, atque, quod maximum omnium peccatum fuit, & maxima in Deum iniuria, ingratitudini, inobedientiæ, interpretationi diuinorum beneficiorum in partem deteriorem, adiicientes pessimam de eodem opinionem, quòd etiam odio eos prosequeretur, exque odio, ac data opera eductos redegisset in ea tanta discrimina. Atqui Deo nihil magis proprium, quàm misereri, cúmque sit potens, potentiam suam parcendo, & miserendo maximè manifestat, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam; diligens omnia quæ sunt, & nihil odiens eorum quæ fecit [f]: sed peccatum dumtaxat, & impietatem, quæ nihil est, bonique priuatio, & væ pronuncians in illos, qui dicunt bonum malum, & lucem tenebras [g]. Iacobus [h] Aluares noster cuius hoc documentum, qui mandata Domini ore prælatorum exposita incipiat explorare, rationes, & causas disquirere, difficultatem meditari, fore vt vano timore perculsus, sæpe ab opere bono sibi iniuncto dissiliat, & terrā bonā, idest, præmiū labori iniūcto promissū amittat.

a Exod. 32. 12.
b Deut. 9. 28. Nu. 14. 15. 16.
c Exod. 23. 20. & seqq. c. 34. 11.
d Deut. 4. 20. c. 7. 6.
e Exod. 4. 22.
f Sap. 11. 25.
g Esa. 5. 20.
h de extermin. mali. l. 1. p. 3. c. 11.

Explanatio. Ascendendi verbum.

Et noluistis ascendere.] Quamuis hoc verbum quandoque vsurpetur de qualibet profectione, habet hic proprium vsum suum, quia terra Chanaan altior erat, & ad illam transire oportebat per montem Amorrhæum [i] antea in isto capite nominatum.

i vers. 7.

Sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri.] Græcè, καὶ ἠπειθήσατε τῷ ῥήματι κυρίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Verbum autem ἀπειθεῖν significat non obtemperare, imperium detrectare, immorigerum esse: præterea potissimum in Ecclesiasticis scriptis fidem non habere, diffidere, incredulum esse, non credere [k] quod significantur etiam nominibus ἀπιστία, & ἀπείθεια; sunt verò hæc omnia affinia, quia non inducitur ad obediendum quis alteri, cui nō credit, cui diffidit, cuius auctoritati dictísve nō habet fidem. Sed plus quiddam valet Hebræa phrasis (*& rebelles fuistis ori, seu amaricastis, & exacerbastis os Domini Dei nostri.*) & Chaldæa (*contra verbū Domini Dei vestri*) vbi editio vltima habet pronomen secundæ personæ, sicut & Hebræa אֱלֹהֵיכֶן *elahachen*, & אֱלֹהֵיכֶם *elohechem*: & in codicibus Græcis Cōplutēsibus, ac Regiis τοῦ θεοῦ ὑμῶν. Cæterùm valet Hebræum תַּמְרוּ *thamru* transgredi rem, verbum, præceptum, rebellare, immutare, ac infringere voluntatē superioris, apostatare ab illo. Vnde Iudæi à verbo מָרָה *marah*, (cui simile מָרַר *marar*, amaritudine afficere, exacerbareque illum) desertores, & apostatas, quique à se defecerunt, appellant מַרָנִים *maranim*. A quo forsitā deriuatum nomen *maram*, aut *marrani*; licèt non ignorē aliam reddi causam, quam alibi etiam retuli, nempe ob *Maranatha*, quod Paulus vsurpat in fine prioris ad Corinthios, & explicatur à Hieronymo *, *Dominus noster venit*, iuxta Chaldaicam formam, siue Syrohebraicā מָרָנָא אֲתָה *marana athah*, vel אָתָא *atha*, & contractè *Maran-atha*, cùm מָרָא *mara* sit *Dominus*, נָא *na* pronomen affixum primæ personæ numeri pluralis אֲתָה *athah*, seu אָתָא *atha*, *venit*; ita vt denotetur aduentus Domini iam factus, quamuis alij [a] sumpto præterito loco futuri, exponant de futuro. Addi potest, peculiariter ea formula vsum Apostolum, & illa lingua Iudæis vernacula, contra Iudæos pertinaces osores IESV Christi, aduersùs quos odiis pertinacibus velle contendere, superfluum esset, cùm constaret venisse Dominum nostrum, vt loquitur Hieron. [b] Vel hanc execrationum vnam esse vsitatam apud Iudæos, vt erat anathema apud Græcè loquentes, ac perinde cōiunctam, quemadmodum alibi *Abba Pater* [c]: vel cùm olim Iudæi Messiam sibi promissum expectantes haberent passim in ore *Maran*, idest, *Dominus noster*, & qui credebant iam venisse, iis dicerent *Maran atha*, *Dominus noster venit*: ij autem negare non desisterēt cognominatos à Iudæis Christianis *Maranos*, aut *Maranitas*, quod suum *Marā* semper inculcantes non reciperent, *Maran athas* tandem à reliquis Christianis, præsertim Hispanis, eodem nomine cognominatos tum Iudæos, tum Arabas, Mauròsve, qui defecissent à fide. Vulgus tamen Hispanorum, quasi *Maranus* idem sit, quod *Marranus*, vel *Iudæus*, carnem porcinam, à qua tales abstinent, vocant *Maranam*. Lege Paulinæ ad Corinthios epistolæ c. vlt. enarratores, nominatim de nostris Salmeronem, Iustinianū, Cornelium, & de aliis Estium, præterea Marianam nostrum tum ibidem, tum in historia Hispanica [d], itē Baronium [e], Clementē Romanum [f], Athanasiū [g], & quos citat Mariana in Scholiis, qui præterea notat inde vocem *marrar*, pro *errare* Hispanis deductam videri. Num audiendi non sunt Erasmus, Beza, Bullingerus, aliíque huiusce farinæ deprauatores communi lectioni, ac sententiæ repugnātes, in commentariis ad Pauli dictum locum, & ad Malachiæ c. 4. Oecolampadius, qui eū anathematis voce asserentes eamdem istam esse, perinde vt *Abba pater*, quæ coniunguntur, contendūt legi debere מַחֲרָם מוֹתָה *macharam mothah*, quoniam חֵרֶם *cherem* valet *anathema*, *mothah mortem*. Quod autem dixi de מַרָנִים *maranim*, vt inde *marani*, seu *marrani* deriuati sint, mihi displicet adhuc minus.

k Lucæ 1. 17. Ioan. 3. 36. Act. 14. 2. c. 17. 5. c. 26. 19. Ro. 1. 10. c. 7. 8. c. 10. 21. c. 11. 30. 31. c. 15. 31. 1. Tim. 1. 2. Tit. 1. 16. c. 3. 3. Hebr. 3. 18. c. 11. 31. 1. Pet. 2. 7. 8. c. 3. 1. 20. c. 4. 17.

Marani, seu Marrani vnde dicti.

* ep. 137.
a Aug. ep. 178.
b in 1. Cor. vlt.
c Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. Marc. 14. 36.

Marana quid.

d lib. 7. c. 10. 9. ann. 775.
f 7. constit. c. 27. & Epi. 2. sub finē.
g q. 136.

Murmurastis in tabernaculis vestris.] Legitur in 14. [b] libri Numerorum vociferando fleuisse nocte integra omnem turbam, & murmuratos esse (actiuæ namque significationis *murmuror* etiam est) contra Moysem, & Aaron cunctos filios Israël, di-

b vers. 1. & seqq.

centes,

centes, *Vtinam mortui essemus in Ægypto, & in hac vasta solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, & liberi nostri ducantur captiui. Nonne melius est reuerti in Ægyptum. Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Ibi pro *murmurati sunt*, Hebraice est וילנו *illonu*. Chaldæum ואתרעמו *vthra-bhamu*, Græcum διεγόγγυζον: hic diuersum habetur Hebræum ותרגנו *theragnu*: quod soleт etiam reddi murmurare, mussitare, susurrare. Murmurare, seu murmurari dicitur, auctore Varrone [a], à similitudine sonitus, cùm quis ira leuiter loquitur quòd magis id suno facere, quàm vt intelligatur, videatur. Hinc etiam poëtæ, inquit, *murmurantia litora*. Nonius distinguit à *mussare*, quòd hoc sit hominū occultè & depressa voce loquentium, quod celatū velint, illud maioris soni proximi ad tumultum. Quintilianus [b] *ἑρμηνευτικός* In murmure agnoscit, sicut in mugitu, & sibilo, atque primatia notio creditur pro leni aquæ strepitu, tum pro alio quocumque non leni santum, sed etiam grandiore. Ex Græco διαγογγύζω simplex γογγύζω videtur quoque unomatopœicum denotans columbinam vocem gemebundam veluti, ac querulam: Satis frequenter occurrūt in Testamento [c] nouo γογγύζω, διαγογγύζω, γογγυσμὸς, γογγυστὴς, vt significat murmurare, murmur, murmuratiuncula vel murmuratorem. Lege aduersus hoc vitium quæ dixi in Actus Apost. Petri epistolam primam, & aliam Iudæ notatis hic ad marginem locis.

Murmurandi verbum.

[a] 5. de ling. Lat.

Mussandi verbum.

[b] lib. 8. c. 6.

[c] Matt. 20. 11. Luca 5. 30. Io. 6. 41. 43. 61. c. 7. 12. 32. Act. 6. 1. 1. Cor. 10. 10. Phil. 2. 14. 1. Pet. 4. 9. Iudæ vers. 16.

Atque dixistis.] Non sequentia dumtaxat, sed illa etiam, quæ recitaui modò ex libro præcedēti. Sie enim fit, vt vno in libro sacro prætermissa, in alio suppleātur, vt videre peculiariter est in Deuteronomio nostro comparato cum dicto libro, atque Leuitici, & Exodi: in Paralipomenis cum libris Regum, in Euangeliis collatis inter se.

Odit nos Dominus, & ideirco, &c.] Caussalem particulam præponunt editiones reliquæ (*ex odio Domini nos*, בשנאת יהוה אתנו *bisnath Iehouah othanu*, בדסני יי יתנא *bidsane Iehouah iathena*, idest, *propter odium Domini erga nos*, vel, *quia odit Dominus nos*, διὰ τὸ μισεῖν κύριον ἡμᾶς) Dominum nominant, non addentes, *Deum nostrum*) quoniam suum non reputabant, à quo se odio haberi putabant. Monui priùs visus istius, quod Moses timebat, ne dicerent de Deo idololatræ, nunc sibi persuasisse omnino verè esse, scilicet quòd odio Deus eos prosequeretur.

Et ideirco eduxit nos de terra Ægypti.] Non, vt lacte, & melle fluentem terram daret, quemadmodum tam prolixè pollicitus videtur, cùm tot eam sepserit obstaculis, nobisque impenetrabilem reddiderit, sed quod sequitur:

Vt traderet nos in manus Amorrhæi, atque deleret.] Libro Numerorum [d] lamentabantur hi se casuros gladio, & vxores, ac liberos ducendos captiuos, si nempe induceret illos Deus in terram illam, compelleretque in eam intrare, quod fieri nequibat, nisi transeundo per ditionem Amorrhæorum, quibus adhuc terribiliores erant, iudicio quidem ac relatione exploratorum, qui terram ipsam Chanaan incolebant. Nota, & frequens phrasis, tradere in manum alicuius, idest, in potestatem, eo quòd manus instrumentum sit instrumentorum. Sic traditi dicuntur postea Hebræi in manus Iabin Regis Chanaan [e], & in manu Regis Babylonis [f].

[d] c. 14. 3.

In manum alicuius tradere, pro, in potestate.

[e] Iudic. 4. 2.

[f] Ierem. 37. 16.

Quò ascendemus.] Secundùm editiones alias (*quò nos ascendemus*) vel (*ascendentes erimus*) vel (*ascendentes sumus*) vel (*ascendimus*.) Nam participia Hebræum, & Chaldæum עלין *holim*, & סלקין

salekin exponi possunt per omnia tempora: Græcè autem est præsentis temporis ἀναβαίνομεν. Habet emphasim (*nos*) & oratio concisa lamentationem insinuat, & desperationem, cum deliberatione, ac firmo proposito non ascendendi, seu non proficiscendi ad promissam terram, quoniam imminere mortem sibi quacumque parte iret illuc arriperent sibi persuadebant: nec effugere posse hostes, aut iratum Deum, quasi hunc promissi pœnituisset, aut etiam non seriò promisisset, sed callidè, vt morti exponeret, quemadmodum paulò antè notatum est, ex Ægypto eduxisset, ita, vt nullum suppeteret aliud remedium, quàm in Ægyptum reuerti.

Nuncij terruerunt cor nostrum.] Pro *nuncijs* habent editiones aliæ, *fratres*, quod etiam nomen habet maiorem vim ad denotandum meritò detrectari à se profectionem, quàm fuimet fratres, non quilibet alij nuncij dissuaserint, inspecta diligenter terra, etiamsi eamdem alia ex parte ad vbertatem commendauerint, digni propterea fide, vt fratres, vtque qui sincerè tum laudanda retulerint, tum vituperanda. Pro verbo (*terruerunt*) Hebræum המסו *hemasu* significat *liquefecerunt*, *dissoluerunt*, *tabefecerunt*, *consumpserunt*. In c. 20. [a] libri nostri quod legimus (*ne pauere faciat corda fratrum suorum*) & Græcè ἐκστήσῃ, quod idem valet, Chaldaicè יתבר *ithebar*, *frangat*, dicitur Hebræo verbo eodem præsentis luci nostri ימס *immas*. Similis phrasis aliquot locis extat Hebraicè, vbi transtulit Interpres, elanguescere [b] cor, instar aquæ liquefieri [c], contabescere [d], seu tabescere [e], pauore solui [f], fieri tamquam ceram liquescentem [g]. Quæ comparario ex cera liquescente verbo Hebræo non infrequens est in eadem Scriptura [h], exprimendo etiam interdum ignem aut solem. Chaldæa paraphrasis reddit hoc loco (*confregerunt*, תברו *thebaru*) Græca editio (*auerterunt*, ἀπέστησαν.) Quomodo terruerint exploratores docent sequentia, quæque recitata sunt ex libro priore [i]. Putuit hæc trepidatio, & iniectus ab exploratoribus timor, occasionem dedisse legi traditæ in cap. 20. [k] libri nostri, quam paulo antè attigi, vt homo formidulosus, & corde pauido, vadat, & reuertatur in dumum suam quando ad bellum procedendum est, ne pauere faciat corda fratrum suorum (*ne liquescere faciat*, לא ימס *lo immas*, sicut ipse timuit pertertitus est.)

[a] vers. 8.

[b] Iosue 2. 11.

[c] c. 7. 5.

[d] Esa. 19. 1.

[e] Ezech. 21. 7.

[f] 2. Reg. 17. 10.

[g] ps. 21. 15. & ps. 57. 9. ps. 67. 3. ps. 97. 5.

[h] Exod. 16. 21. c. 13. 29. & seqq.

[i]

[k] vers. 8.

Dicentes.] Hebraicè, Chaldaicèque dicendo לאמר *lemor*, למימר *lememar*, Græcè, sicut Latinè λέγοντες, *dicentes*.

Maxima multitudo est.] Hebraicè (*populus magnus*) idest, vt Vatablo placet, numerosus. Epithetum est גדול *gadol*, *magnus*, siue numero, siue qualitate. Idem iudicium de Chaldæo רב *rab*, quod etiā Hebræum est, sed magis de multitudine dici solet. Græcus textus vtriusque quantitatis posuit epitheta ἔθνος μέγα, καὶ πολύ, *gens magna, & multa*, In libro Numerorum [l] vocantur ab exploratoribus cultores terræ Chanaan fortissimi, Hebraicè העם העז *hhaz habham*, eodémque pactu Chaldaicè תקיף עמא *thakkiph hhamma*, *fortis populus*, Græcè, θρασὺ τὸ ἔθνος *audax gens*. Dominus autem cùm ferire vellet rebelles, atque consumere Hebræos nolentes, præ metu illius gētis ascendere in Chanaan, *te* [m], ait Muysi, *prò illis deprecanti faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est*. Priùs etiam in simili caussa idem promiserat, petens à fetuo suo Moyse, vt dimitteret irasci furorem suum contra illos, & delere [n]. Meminisse oportebat, & credere pollicitum Deū

[l] c. 13. 29.

[m] Num. 14. 12.

[n] Exod. 32. 10.

delere gentes Chananæorū, nec in eū eadem posse mendacium, quódque polliceatur posse præstare, nec ei difficile esse saluare vel in multis vel in paucis [a], immò vno nutu vniuersum mundum potest delere [b], cuius rei nonnullum experimentum ceperant in Ægyptiis [c], & Amalecitis [d]. Hoc argumentum non vno loco tractauimus.

Et nobis statura procerior.] Hebraicè (*& altius præ nobis*, seu *excelsior*, רָם וָרָם מִמֶּנּוּ *varam mimmenu.*) Hoc ad robur viresque corporis refertur Chaldæo nomine, תַּקִּיף *thakkiph*, & Græco δυνατώτερον. In libro Numerorum [e] dixisse narrantur exploratores: *Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Illuc forsan Interpres noster allusit hoc loco. Non repetam alibi dicta de gigantea proceritate. Quamquam poëtarum, præsertim hac in re, hyperbolicorum obuia exempla sunt, quorum collegit, ac selegit potiùs nonnulla Cerda noster [f], & præter illos etiam ex Eunapio de Proæresio, de Traiano ex Panegyrico Pliniano, &c. Dixi Psalmo 105. [g] mutuatur istud populi posse comparari cum illo, quo tumultuatus est Cæsaris exercitus ad Vesontionem inter alias causas, ob ingentia corpora Germanorum, incredibile robur, exercitationem in armis; præterea propter angustias itineris, magnitudinem syluarum interpositarum [h]. Nescio autem quàm probabile sit, exploratores istos, vt quidam [i] ratiocinantur de incolis Chanaan, coniecisse ex fructibus, ac idem colligi posse de aliorum animalium magnitudine, ac nominatim gallinarum, & ouorum earumdem. Non videmus istam analogiam in prouinciis diuersis.

Vrbes magnæ, & ad cœlum vsque munitæ] Pro *munitis* dicuntur in editione Græca *muratæ*, τετειχισμέναι Muris namque vrbes muniūtur. Valet בְּצֻרֹת *betsuroth*, *munitas*, adhibetúrque alibi [k] ad vrbes, ciuitatésque, ac nominatim in c. 13. [l] libri Numer. vbi eadem sententia recitatur, sed pro *munitis*, *muratas* (Græca editio sicut hìc, habet τετειχισμέναι) vsurpat Interpres noster, próque *magnis*, *grandes*. Est autem hyperbole, vt vsque ad cœlum munitæ dicantur, qualis, inquit Rickelius in Psalmo [m]; *Ascendūt vsque ad cœlos, & descendūt vsque ad abyssos.* Addit cùm exploratores appellassent solùm vrbes grandes, & muratas, istos peruersos exaggerasse ad colorandam suam peruersitatē; in qua simul peccauerint, vt ex dictis colligitur, & ex libris Numerorum [n], per inobedientiam, quia noluerunt ascendere; per incredulitatem, quia increduli fuerunt ad sermonem Dei; per murmurationem, ex nimia quoque malitia plorando, & murmurando, dicētes (*Vtinam peream* [o]) per ingratitudinē cùm dixerunt (*odit nos Dominus*) qui tamen tot signa dilectionis eis monstrauerat; per mendacium perniciosum, detractionem, blasphemiam in illis verbis (*eduxit nos, vt traderet*) per inordinatam, & carnalē fortitudinem ibi (*nuntij terruerunt nos*) per indurationem, & pertinaciam proprij sensus, pérque stultā audaciam, vt contra præceptū Mosis vlteriùs procederent. Sed, vt ad hyperbolicam dicendi formulam redeamus, eadem vtitur ipsemet Moyses inferiùs [p] c. 9. *Audi Israel, tu transgredieris hodie Iordanē, vt possideas nationes maximas, & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cœlū vsque muratas.* Nisi dicas Moysē data opera exaggeratum illum loquendi modum, vt se ad eos, qui priores vsurpauerant, accómodaret, vsurpare voluisse. Vel vtrosque vulgari sermone vsos, quo pertingere ad cœlū dici solet id quod est altissimū, vt cùm illi superbi facere se velle iactabāt ciuitatē, & turrim, cuius culmē pertingeret ad cœlū [a] Quod videri posset imitatus Ouidius [b].

a 1. Reg. 14. 6. 1. Mach. 3. 18. c. 4. 8. 2. Paral. 14. 11.
b 1. Mach. 3. 19.
c Exo. 14.
d c. 17.
e c. 13. 33. 34.
f in 9 Æneid. vers. 35. nota 6.
g vers. 24.
h Cæs. 6. de bello Gall.
i Villalp. in Ezech. 10. 3. p. 2. lib. 3. c. 14.
k inf. c. 3. 5. Num. 13. 29. 2. Reg. 18. 13. Ezec. 36. 35. Oseæ 8. 14.
l vers. 29.
m ps. 106. 26.
n c. 13. & 14.
o c. 14. 2.
p vers. 1.
Ad cœlum vsque, pro altissimo.

Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sydera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossa.

Gigantes enim, & vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit, inquit Ambrosius [c]. Illustrat eumdem tropum, idémve adagium Delrius noster [d] exemplis profanis alijs Maronis [e] vocātis minantes cœlo scopulos, capútque inter nubila conditum [f], Homeri [g], Callimachique [h], quos citat Muretus [i]: illud autem vltimum priores expresserūt: præterea ex Scriptura sacra de Principe Tyri in cœlum ascendere se velle venditantis, & conscendere super astra cœli [k]: de Angelo exterminatore, qui vsque in cœlum attingebat stans in terra [l], videlicet quasi tantum spatium occuparet potentia, & actiuitate: quamuis id alij de Verbo incarnato accipiant: item de Angelo, qui vno pede visus est stare super terram, & alio super mare [m]. Adde quod Ezechiel [n], vt significet nullū Regem similem esse Assyrio in potētia, diuitiísque, scribit cedros non fuisse altiores illo in Paradiso Dei. In Psalmi citati commentario, disputans de vsu hyperboles protuli Isidorum Pelusiotam [o], qui aduersùs Iudæum ridentem Ioannis [p] verba, quibus capi libros negabat posse, qui scribendi essent de Christo, testimonium ex illo Psalmi loco proferebat, & ex hoc nostro: præterea cùm lacte & melle fluens [q] terra cognominatur. Memini etiam Euthymium ibidem admonere de hyperbole, illámque cōfirmare, cùm quis dicitur super niuem dealbari [r]. Habet verò eadem figurata dictio vsum, fidem alioqui per se excedens, non ad augendum dumtaxat, sed etiam ad minuendum. Posterioris generis in iisdem diuinis literis exemplū vidimus in Leuitico [s] de iis, quos terreat sonitus folij volantis. Mentitur hyperbole, inquit Quintilianus [t], nec ita, vt mēdacio fallere velit, quare ignoscitur, quia non affirmamus, ac in vsu est, & inter eruditos, & apud rusticos, quia natura est omnibus augendi res, vel minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contētus est. Virtutem quoque nominat, cùm res ipsa, de qua loquendum est, naturalē modum excedit: cōcedi enim amplius dicere, quia quantū est, non potest, meliúsque vltra quàm citra stat oratio. In hoc etiam scribit Seneca [u], omnem hyperbolem excedere, vt aduersum mendaciū veniat, & quòd numquam tantum sperat hyperbole, quātum audet, sed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat. Infert inde quoties parū fiduciæ est in his, quibus imperas, amplius esse exigendū, quàm satis est, vt præstetur quantum satis est. Lege de hoc tropo, vt eo Scripturæ vtūtur, Augustinum [x], Origenem [y], Cyrillum Alexandrinū [z], &c.

Filios Enacim vidimus ibi.] Appellatiuè pro gigantibus interpretātur editio Græca, & Chaldæa, nempe υἱὲς γιγάντων בְּנֵי גִבָּרַיָּא *bene gibbaraija*, qui dicuntur Hebraicè בְּנֵי עֲנָקִים *bene hhanakim*. Vocabatur in libro Numerorum [a] stirps Enac יְלִידֵי הָעֲנָק *ielide habbanak*, γενεὰ ἐνάχ. Chaldaicè eodem modo, quo hìc. Ibidem [b] narratur in Hebron fuisse Achiman, & Sisai, & Tholmai filios Enac. יְלִידֵי הָעֲנָק *ielide habbanak*, γενεὰς ἐνάχ, בְּנֵי גִבָּרַיָּא *bene ghibbarija*. Rursus repetunt eodem [c] loco exploratores visa à se monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ viderentur: Vbi Græcè sunt γίγαντες, nec nominatur Enac. Mentio adhuc est filiorum Enacim, quibus nullus posset ex aduerso resistere, inferiùs

a Gen. 11. 4.
b 1. Metam.
c 3. de Fide.
d in 1. adagial. in 14.
e Æn. 1. vers. 166. 167.
f l. 4. vers. 177.
g Iliad. 4. vers. 442.
h hymno in Cere. vers. 58.
i 1. Var. lect. c. 15.
k Isa. 14. 13.
l Sap. 18. 16.
m Apoc. 10. 20.
n c. 31.
o lib. 2. epist. 99.
p c. 21. 25.
q Exod. 3. 17. & alibi.
r ps. 50. 9.
s c. 26.
t l. 8. c. 6.
u vlt. de benef. c. 23.
x 16. de Ciuit. c. 11 & 5. contra Iulia.
y in Ep. ad Rom. c. 5.
z 1. in Ioan. c. 68.
a c. 13. 29.
b vers. 23.
c vers. 34.

a Ver. 10. ver. 2. c c. 13. 22. c. 14. 12. c. 13. 14. 15. d de parad. volup. c. 37.

inferiùs c. 2. a & 9. b item in libro Iosue c. Consule dicti libri Numerorum commentarium nostrum, & qui hoc in argumento diligentiùs versatur Thomam Maluendam d. Inclinat io opinionem quòd sit nomen appellatiuum, quod etiam hoc loco sentit Abulensis, Sà, & alij, dátque Sà exemplū de filio hominis, pro homine in Scriptura, de filiis Achiuorum, pro Achiuis. Concedit nihilominus Anac esse nomen proprium gigantis. Id satis non constat ex textu Scripturæ, in quo tum pluralis, tum singularis numeri nomine Enacim & Enac præfigitur litera demonstratiua ה he, quod non fit in propriis nominibus. Ibi erat in Hebron sepultus Anac ille, seu Enac, & Patriarchæ tres, ibidémque vnctus postea secunda vice Dauid e est, vbi iacebant auctores Hebræi populi, & quartus gigas celeberrimus, vt ism æstimaret se in sepulchro positum, cogitarétque mortuum, priusquam Regē, attendens, quò tandem desineret maiestas regia. Sed iam pridem annotata noo libet repetere.

e 2. Regum 5. 3.

Verſ. 29.] Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

Verſ. 30.] Dominus Deus, qui ductor est vester, *pro vobis* ipse pugnabit, sicut fecit in *Ægypto* cunctis videntibus.

Verſ. 31.] Et in solitudine (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veneretis ad locum istum.

Paraphr.

SEntentiæ istius aperta satis verba, hisve similia non extant in libro Numerorum, vbi tamen c. 13. & 14. historia tota continetur. Sed quòd Caleb compescens murmur populi contra Moysem hortatus fuerit ad ascendendum, & possidendum terram, quoniā possent obtinere eam f, & quòd cùm Moyses, & Aaron audiissent velle populum constituto alio duce, reuerti in Ægyptum, cecidissent proni in terram coram omni multitudine filiorū Israël, Iosue, & Caleb, sciderunt vestimenta sua, laudantes terræ bonitatem, & asserentes, si propitius esset Dominus inducturum in eam, & hortātes, ne rebelles essent contra Dominum, neque timerēt populum terræ, quia sicut panem deuorare illum possent: recessisse namque ab eis omne præsidium, Dominum cum populo esse, itaque non timerent g; quamuis frustrà omnia illa fuerint. Dubitari non debet, quin quæ in isto capite nostro recitantur, prolata sint à Moyse, & fortassis tunc quando pronus cecidit in terram coram omnibus cum fratre Aarone, isto etiam eamdem sententiā vel approbante, vel simul proferente, supplices ac proni commemoratione priorum beneficiorum conabantur metum à populo abigere, atque ad fidendum Deo, iuxtáque ipsius voluntatem animase ad audacter ac fortiter iter in promissam terrā suscipiēdum. Augustinus iofert ex eo quod Moyses iubet ne populus timeat, quia, vt est in Græco textu, simul debellaret hostes eorum cum ipsis, satis ostendi ita esse adiutorem Deum, vt etiam homines agant aliquid.

f Num. 13. 31.

g c. 14. 4. & seq.

Explanatio.

Et dixi vobis] Quando dixisse videatur, modò dixi, eratque oratio ista tum parænetica, seu exhortatoria pro populo diffidēre, ac desperato, tū apologetica, & excusatoria pro Mose, ac fratre, quibus populus vehementer iratus erat, neguō & duobus

A exploratoribus, qui profectionem suadebant maiorem io modum, scilicet Iosue, & Caleb. Hebraicè, & Græcè (*dixi ad vos* אליכם *alechem*, πρὸς ὑμᾶς.

Nolite metuere.] Soler, vt sæpius monui, nolēdi verbum Interpres apponere, vbi quippiam prohibetor, & ex eo verbo solēt alij libertatem arbitrij colligere. Quæ libertas tamen ex nuda prohibitione absque dicti verbi additamento satis infertur, quia quod vitari omitti ve liberè nequit, frustrà prohibetur. Pro verbo autem metuendi Hebræum futuri temporis, (quod tempus imperatiui loco seruit) est תערצון *thabbaritsun*, quod valet *frangi*, pempe animo, vel opposita notione, indurari, ac roborari, contra Dominum videlicet; itē rigescere

Nolendi verbum.

B prę metu, cōsternari. Redditur a alibi ab Interprete per expauescere, aut formidare. Vnde עריץ *bharitz* tum fortis, tum terribilis, quia timeri solet fortior, isque aliis terrori esse, & מערץ *mabharys*, pauor b. Chaldæū תתברון *thitbaurun frangi* significat, nimirum aoimo, vt dixi. Græcum πτήξετε, *metu contrahi*, vt solent animantes, inquit Eustathius, conspecto hoste, præ metu contrahere se in loco aliquo ad latendum commodo, non ausæ prodire, vel etiam, ac quidem propriè, præ metu eodem fugere, vt Suidę placet, qui citat illud ἀλλ᾽ ἐκτοδὼν πτήξωμεν: *at hunc procul fugiamus.* Congruit proposito, quia reditum populus meditabatur, ac fugam versùs Ægyptum.

a Deut. 20. 3. c. 31. 6. Iob. 31. 34.

b Esa. 8. 13.

C *Nec timeatis eos.*] Minus quid denotant verba editionum aliarum, quàm in priore membro: ita vt significetur hic deponendum etiam leuiorem metum, seu timorē. Grammatici cum Varrone c deriuant metum à motu animi, cùm id quod malè casurum, seu cessurū putat, mens refugit: cùm verò vehementiùs in mouēdo, vt ab se abeat, foras fertur, formidinem appellari volunt: Si ex horrore venturæ rei vehementer tundatur pectus, à paoēdo, quod tundere est, pauorem: & quia in hac perturbatione frigescimus, ab horrendo horrorē, vt à tremendo tremorem. Cicero discernit Tusc. lib. 5. vt refert Nonius, metum, timorem, formidioem, pauorem. Apud eum lego in quarto metum, terrorem, timorem, pauorem, exanimationem, conturbationem, formidinem, ita vt metus sit opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur, timor, metus mali appropinquantis (inde metuere cauere nonnumquā est, ac prouidere malo adhuc remotiori, quod non ita conuenit verbo timeodi) pauor, metus mentē loco mouēs, iuxta illud Ennij,

c 5. de ling. Lat. *Metus vnde.*

D

Timor & metus differunt.

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

quod melior ac diuinior poëta dixit d, denotari omnem sapientiam. Exanimatio, metus subsequēs & quasi comes pauoris, conturbatio, metus excutiens cogitata, formido, metus permanens. Donatus e metui ait illum, qui nobis ipsis aliquid factūrus est: timeri ab illo cuius causa possumus aliquid mali pati, etiamsi ipse in nos nihil mali consulat. Idem & M. Tullius, aliique plerumque metuere seruis tribuunt, liberis vereri: quidam aiunt metui

d ps. 106. 27.

e in Terent.

E eos, qui nos amant, timeri etiam inimicos. Atqui confundi certum est cuncta ferè isthæc vocabula, ac synonymè accipi: tametsi biiuges Martis eqoos Seruius f, & alij capiant apud Maronem g, δεῖμον, καὶ φόβον, *timorem, & pauorem*; Nazianzenus h verò timorem, terrorem, tumultū comites faciat, aut ministros, nonnulli filios apud Artemidorū i, Noonus k δειμοὺς Iouis ministros, eiusdēmque comites in defendēdo cœlo, pauorē armatū fulgure, timorē fulmine. Annotauit hæc Cerda l noster. Pauebant, ac timebant Hebræi arma quasi fulgura, &

f 3. Georg. Vrsin. ibi. Gyrald. ex Calabro Syntag. 10. g 3. Georg. h orat. 2. contra Iul. i 2. Onirocr. c. 35 & 44. k 2. Dion. l 3. Georg. vers. 78. 20- 22. 30.

ra,& fulmina gigantum,& Martis Iouisque, idest, Domini à quo se odio haberi affirmabant.

Dominus Deus, qui ductor est vester.] Hebraicè (*Dominus Deus vester ambulans ante facies vestras, seu præcedens ante vos, conspectúmve vestrum*, יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם הַהֹלֵךְ לִפְנֵיכֶם *Iehouah elohechem haholech liphnechem*.) Addit paraphrasis Chaldæa (*verbum eius dimicabit pro vobis, quasi cornu feriendo*, מֵימְרֵיהּ יְגִיחַ לְכוֹן *memereh ieghiach lechon*.) Quamuis possint hæc vtrumque ad membrum sequens referri. Græcè (*κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν ὁ προπορευόμενος πρὸ προσώπου ὑμῶν. Dominus Deus vester præcedens*, vel, *qui præcedit ante faciem vestram*.) Sed in codicibus Complutensibus, & Regiis minus emendatè est pronomen primæ personæ ἡμῶν primo loco. Ductor fuit Dominus Deus per Angelum directorem columnæ ignis,& nubis. Duxisse dicitur Deus,& circumduxisse populum suum per viam deserti [a], & præcessisse ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore, ita vt hæ numquã deessent [b]: ductorem quoque adhuc vocat eundem idem Moses eodem hoc libro [c], qui non dimitteret, nec derelinqueret populum suum, ideóque admonet ne paueat, vel timeat. Idem longè pòst Debora pollicita est mittens Barac in Sisaram [d]. Idem beneficium columnaris ducatus grata oratione adhuc multo posteriore tempore Leuitæ commemorauerunt [e]. Cecinit Moyses ducem fuisse Dominum in misericordia sua populo quem redemerat [f], nec fuisse cum eo Deum alienum [g], qui scilicet dux cum eo esset: posuit id etiã in suo carmine Dauid [h], quòd fuerit Deus dux itineris in conspectu populi: eodem demum pertinet, quod præcessisse ipse dicitur, faciésque ipsius [i], vel per Angelũ [k]: exprimitur idipsum hîc paulo pòst [l], quòd præcesserit Dominus in via, & metatus locũ, in quo tentoria figere deberent nocte, ostendendo iter per ignem, & die per columnam nubis.

Pro vobis ipse pugnabit.] Chaldaicè יְגִיחַ לְכוֹן קְרָב *ieghiach lechon kerab*, *dimicabit vobis prælio*, aut *prope*, קְרָב *kerab* enim modo vtroque posset exponi. Græcè *αὐτὸς συνεκπολεμήσει αὐτοὺς μεθ᾽ ὑμῶν, ipse simul debellabit eos vobiscum*. Vbi requiri videtur concursus cooperatióque populi, & is etiam certet. Trepidantibus ad Ægyptiorum aduentum Hebræis in mari rubro animauit eos Moyses, dicens [m], *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, ipsíque met mox Ægyptij compulsi sunt dicere, subuersis iam rotis curruum, cùm ferrentur in profundum; fugiamus* [n] *Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Moses antè in victoriali cantico quasi virum pugnatorem appellauit [o], (Hebraicè *virum pugnæ*, siue *belli*) *omnipotens nomen eius.* Vbi Hebraicè est *Iehouah* ab esse,& substantia, vnde omne aliud esse, & substantia, inquit Caietan. quia הָיָה *haiah* esse significat, vel quasi conterens, velut ab הֹוָה *houah, contritio*, vt placet Oleastro, qualem se tunc Dominus præbuit, quod hactenus in hac notione non indicauerat, sed indicaturum promiserat [p]. Inferiùs iterum in istius libri c.3.[q] iubet Moses, ne Iosue timeat Reges, *Dominus enim Deus vester pugnabit*, inquit, *pro vobis*. Pugnasse quoque dicitur pro Iosue [r]: hic autem bono animo iussit esse populum, quia Dominus Deus eius pro illo ipse pugnaret, sicut pollicitus erat [s]. Aliis præterea in locis [t] idem habetur de Deo pugnante pro populo, & quidem etiam absque scuto, & gladio [u]; & quòd non impune sit *iis, qui contra Dominũ pugnare* tentauerint [x], & quòd nihil periculi vereatur is, quem Deus ponat iuxta se, cuiusuis manus pugnet contra [a] ipsum: neque si cõsistant castra, vel prælium, timeat, sed speret, cuius Deus illuminatio est, salúsque [b]. Iahazel Propheta victoriam pollicens Regi Iosaphat de Moabitis, *Non eritis*, ait, *vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos: nolite timere: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum* [c]. Quod vberiùs locis aliis tractatum est.

a Exo.13. 17.18.
b ibid. vers. 21.22.
c c.8.15.c. 31.6.8.
d Iudic.4. 14.
e 2.Esdræ 9.12
f Exod.15. 13. Deut. 32.12.
g Deut.32. 12.
h ps.79 10.
i Exod.13. 21.c.33.14. 15.Num. 14.14.
k Exod.23. 20.23.c.32. 34.
l vers.33.
m Exo. 14. 14.
n vers.25.
o c.15.3.
p Exo.6.3.
q vers.22.
r Iosu.10.14. 42.
s c.23.10.
t 2.Par.20. 29 2.Esd.4. 20.Iudith. 5.16.
u Iudith.5. 16.
x 2.Macha. 7.19.
a Iob.17.3.
b ps.26.
c 2.Paral. 20.17.

Sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.] Iuxta editiones alias duas Hebræam, & Chaldæam (*secundum omnia, quæ fecit vobiscum in Ægypto in oculis vestris*) iuxta Græcam (*κατὰ πάντα ὅσα ἐποίησεν ὑμῖν ἐν γῇ αἰγύπτῳ, secundum omnia quæcumque fecit vobis in terra Ægypto*:) Sed in Complutensibus, ac Regiis Bibliis legitur (ἡμῖν, *nobis*) & αἰγύπτῳ, *Ægypti* omittuntúrque in omnibus Græcis (*cunctis videntibus*). Intelligitur autem interfectio primogenitorum Ægyptiorũ cum aliis plagis præcedentibus [d], atque submersio Pharaonis in mari rubro cum exercitu eiusdem. Quæ interfectio censeri potest in Ægypto contigisse, quoniam non procul ab illa,& fuit gentis Ægyptiacæ: túncque prædixerat Moyses, quòd pugnaret Dominus pro Hebræis,& ipsi tacerent [e]: Ægyptij verò, id videntes, ac experientes fateri cogebantur, quòd pugnaret Dominus pro Israële contra ipsos [f]. Quasi ab ante factis, ait Glossa interlinearis, & Hugo, de faciendis confidite. Commemorat porrò Moyses res pridem gestas perinde, ac si ij, quibus loquebatur, iisdem interfuissent, cùm tamen superessent illi dũtaxat, qui cùm discessum est de Ægypto, nondum attigerant annum vigesimum, & ex aliis ipsemet solùm, & Caleb, ac Iosue, & forsitan ex Leuitis non pauci, quoniam cæteri perierant in deserto, prout Deus cõminatus fuerat, eo quòd iam propinqui terræ promissionis, in eam ascendere noluerant [g].

Et in solitudine (ipse vidisti.)] Emendati codices exprimunt cum parenthesi vltimas duas dictiones, quasi priores iungi debeant sequentibus, (*portauit te Dominus*, &c.) sicque sensus quòd ipsemet populus viderit beneficium hoc tantum, vt per diuturnam peregrinationem deserti, tamquam paruulus filius circumferretur ac gestaretur à Domino, vsque ad locum proximum promissæ terræ, in quam, si voluissent, ingredi statim potuissent. Exponit hoc modo Caietanus, Vatablus, apostata Munsterus, aliíque Hebraizantes. Lyranus tamen, Abulensis, Rickelius, Hugo declarant de auxilio aduersùs Amalecitas in Raphidim, qui erat locus in solitudine ad quam illi venerunt, vt pugnarent contra Israël, ita vt in gratiarum actionem ædificaret ibi Moyses altare, & vocaret nomen eius, *Dominus exaltatio mea, dicens, quia manus solij Domini (iurantis videlicet per solium suum) & bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem* [h], Chaldaicè, *ædificauítque Moses altare, & immolauit super eo coram Deo, qui fecit sibi mirabilia: & ait, cum iuramento dictum est hoc à facie terribilis, cuius maiestas est super solium gloria, vt committatur prælium à facie Domini contra viros domus Amalec, vt consumat eos à generationibus seculi.* Græcè *καὶ ᾠκοδόμησε μωυσῆς θυσιαστήριον τῷ κυρίῳ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ* (aliàs *αὐτῷ*) *κύριος καταφυγή μου, ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ* (legit Eugubinus *κορυφαίᾳ*) *πολεμεῖ κύριος ἐπὶ ἀμαλὴκ, ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς, & ædificauit Moyses altare Domino & cognominauit nomen eius* (aliàs *ei*) *Dominus refugium meum, quoniam in manu occulta* (aut *excelsa*) *pugnat Dominus à generationibus in generationes.* Nomen cum affixo נִסִּי *nissi*, & absoluto נֵס *nes* potest

d Exod.7. & seqq. atque c.14.
e c.14 14.
f vers.25.
g Num.14. 29.c.26.64. 65. Deut.1. 39.40.
h Exo.17. 8.& seqq.

significare exaltationem meam, seu eleuationem, & triumphum, victoriam, signum, vexillum, insigne miraculum, & refugium: quæ omnia in eam pugnam contra Amalec bellissimè congruunt. Iosephus [a] ait, Moysen, mactatis pro gratiarũ actione victimis, aram Deo victori posuisse. *θύσας δὲ χαριστήρια βωμὸν ἱδρύσατο νικαῖον ἐπονομάσας τὸν θεόν.* Meminit deinde prædictum ab eodem Moyse Amalecitas penitus delendos, quòd vltrò Hebræos aggressi essent, idque in deserto, & inopia laborantes, postremò autem victoriale epulum exercitui præbuisse. Philo [b] consentaneè ad editionem LXX. epigramma altaris vocat *καταφυγὴν θεοῦ.* Cæterum hic locus noster extat Hebraicè, Chaldaicéque *Et in deserto, quod vidisti, quia portauit te,* &c. vel *in deserto quoque vidisti quomodo portauerit te,* &c. vel (*& in deserto quod vidisti,* &c.). Vltimo modo, qui est Pagnini, fauet posteriori cõmuniori interpretationi de bello contra Amalec. Græcè, *καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ ἣν εἴδετε ὁδὸν ὄρους Ἀμορραίων, & in deserto hoc quod vidistis viam montis Amorrhæi.* Sed in aliis Bibliis post *εἴδετε* (minus rectè *ἴδετε*) desunt cætera.

Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum.] Dixi ex aliquorum opinione necti ista prioribus hoc pacto, vt significetur quòd viderit populus in deserto portari se à Domino, &c. alios, priora sumere de bello contra *Amalecitas* in deserto, ita vt hoc sit diuersum beneficium comprehendens victui necessariorum, & vestitui suppeditationem, perinde ac nutrix, nutritiúsve puerulum nutrit, & educat. Quò pertinuit manna, aqua diuinitus è silicibus extracta, coturnices concessæ, absque detrimento, vel inueteratione conseruata vestimenta, viæ dux columna nubis, ignísque, de qua paulo pòst hic mẽtio fit [c], & in c. 8 [d]. de manna, ac vestimento, simul repetendo [e] id factum, vt recogitaret populus in corde suo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus eius erudiuit eum. Hîc porrò adiecit Interpres epithetum paruuli, propter verbum portandi, quia non nisi filio paruulo conuenit portari. Cecinit Moyses [f] post euasionem maris rubri, *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctũ tuum:* & in posteriore Cantico [g], *Sicut aquila prouocãs ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Iussit verò Dominus, vt diceret nomine suo, *Vos ipsi qui vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi* [h]. Tali similitudine scribit Esaias [i] in brachio Dei congregandos agnos, quódque in sinu leuabit, & fœtas ipse portabit: ipsemet Deus apud eumdem [k] ait quòd portarentur à suo vtero, & gestarentur à sua vulua domus Iacob, & omne residuum Israël: immo vsque ad senectam ipsemet, & vsque ad canos portaret, & qui fecisset ferret, portaret, saluaret: præterea [l], quòd in dilectione & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi: adhæc quòd potiùs obliuiscatur mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui, quàm ipse popolo [m]: quo pacto auctor Ecclesiastici [n] à Deo diligi amatorem sapientiæ magis quàm à matre: tandem [o] etiam promittit, quòd ad vbera portarentur, & super genua blandirentur eis, & quomodo si cui mater blandiatur, ita & se consolaturum eos. Inducit autem Oseas [p] Dominum conquerentem quòd populus immolauerit Baalim, & simulachris sacrificauerit, cùm ipse quasi nutritius (ex Hebræo quidam reddunt, *quasi magister ambulationis*) aut (*pedes colligans*) vt facit nutrix pannis inuoluens, vel in vlnas tollens, aut ambulare faciens super pedes, paulatim deducendo) portauerit eum in brachiis suis. Eodem pertinet parabola pastoris ouem repertam humeris imponentis, & in caulam reportantis [a], quod aliàs [b] docui significari per inscripta tribuum nomina in ephod, & rationali, per pallium præcipuorum prælatorum, de quo Pelusiota [c]: quódque Tertulliano teste [d], calicibus imago illa olim inerat gestatoris ouem pastoris. Nec absimilis illa Dauidis oratio de Domino [e], *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me:* item [f] *rege eos & extolle illos.* vbi Hieron. reddit, *pasce, & subleua.* Vide vtriusque Psalmi commentarium nostrum. Cæterùm Moses, vt priore libro vidimus, querimonias suas exponens apud Deum, quòd oneri populus esset sibi, negat à se portandum videri, quia non illum genuisset: si enim genuisset, non detrectaturum, quia ius id exigeret naturæ. *Nunquid ego,* ait, *concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Paulus [g] factum se ait paruulum in medio Thessalonicensium, tamquam si nutrix foueret filios suos, & Galatas [h] veluti filiolos iterũ parturiisse, Onesimum, vt sua met viscera fuisse [i]. Istius loci phrasis Græca est, secundùm codices correctos, *ὡς τροφοφορήσει σε κύριος ὁ θεός σου, ὡς εἴ τις τροφοφορήσει ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ, quoniam gestabit te Dominus Deus tuus, sicut si quis gestat homo filium suum:* In codicibus Cõplutensibus, Regiis, & aliis in aoristo alterius verbi, *ὡς ἐτροποφόρησέ σε κύριος ὁ θεός σου, ὡς εἴ τις τροποφορήσει ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ.* Aquila verò transtulit membrum secundum, *ἀεὶ ἄρας τροφὸς τὸν υἱόν, tamquam nutrix leuet filium.* Symmachus, *βαστάσαι, portet.* Lucifer [k] legit, *quomodo fouet Dominus Deus tuus, sicut quis foueat homo filium.* Significat *τροποφορεῖν* mores, & ingenium alicuius ferre, ac indulgere, velorique morem gerere, ac se accommodare, atque tolerare. Quo pacto Paulus [l] de hoc ipso populo Hebræo loquens ait, *ὡς τεσσαρακονταετῆ χρόνον ἐτροφοφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ, per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.* Ibi docui alios reddere *nutriuit*, perinde ac si legissent *ἐτροφοφόρησεν*, & alia attuli præsenti loco vtilia. Addo *τροφοφορεῖν* non reperisse me vllibi, quod à *τρέφω, nutrio,* & *τροφὸς nutritor, nutritiúsque,* quo dixi vti hoc loco Aquilam, significaret nutritij more gestare. Procopius, facta mentione Symmachi, quem citaui, scribit hac sententia significari propriè pueros iracundos, ac irritatos versare, & vnà balbutiendo, seséque illis demittendo, sustinere, atque sic Deum infirmitatem eorum in se recipientem, paulatim eos ad altiora eduxisse. Vim istam habet *τροποφορεῖν τὸν υἱὸν* à *τρόπος,* & *τρέπω mos,* & *verto,* & potest etiam habere *τροφοφορεῖν,* à *τροφὸς* & *τρέφειν, nutritius,* & *nutrire.* Cæterùm Hugo tropologicè notat quòd Dominus affectuosè portauit nos ad pœnitentiam expectando. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis* [m], in cruce peccata nostra sustinendo, *ego feci: ego feram* [n]; ad viam reducendo sicut pastor pius ouem, quæ errauerat, reportauit in humeris suis [o]; ab hostibus liberando, quemadmodum liberans Hebræos ab Ægyptiis, portauisse se dicit super alas aquilarum [p]: in bono promouendo, quod Esaias [q] indicat: *Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo, congregabis*

[a] 3. antiq. c. 2.
[b] de vita Mosis.
[c] vers. 33.
[d] vers. 4.
[e] vers. 5.
[f] Exod. 15. 13.
[g] Deut. 32. 11.
[h] Exod. 19. 4.
[i] c. 40. 11.
[k] c. 46. 3. 4.
[l] c. 63. 9.
[m] c. 49. 15.
[n] c. 4. 11.
[o] c. 66. 12.
[p] c. 11. 1. 3.

[a] Luc. 15. 5.
[b] in Act. 20. 28.
[c] lib. 1. epi. 136.
[d] de pudic. c. 7 & 10.
[e] Ps. 26. 10.
[f] Ps. 27. 9.
[g] 1. Thess. 2. 7.
[h] Galat. 4. 19.
[i] ad Philemo. vers. 12. 20.
[k] 1. pro S. Athanasio.
[l] Act. 13. 18.
[m] Oseæ 11. 3.
[n] Esa. 46. 4.
[o] Luc. 15. 5.
[p] Exod. 19. 4.
[q] c. 40. 11.

gregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.

In omni via per quam ambulastis.] Ex quo nimirum exierant de Ægypto. Licèt enim peccaret populus, inquit Abulen [a]. & Deus ei irasceretur, tamen manna numquam abstulit, quia misericors est, pluit super bonum, & malum, & facit Solem suum oriri super iustos, & peccatores [b]: & nubem suam non abstulit, seu columnam nubis, ac etiam ignis [c]. Adde aliud beneficium vestis non inueteratæ, nec detritæ [d], vt antea quóque attigi. Ambulabant, & tamen portabantur, eo modo, quo vel iumento, vel naui vecti, aliterve portati ambulare dicuntur, & quia ambulandi suomet motu, vires, atque directionem suppeditabat Deus.

a q. 11.
b Matth. 5. 45.
c Exod. 13. 22.
d Deut. 8. 4.

Donec veniretis ad locum istum.] Locus erat is, qui descriptus est initio capitis, nempe in solitudine campestri trans Iordanem, &c. prout ibidem declarauimus.

Vers. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro.

Vers. 33. Qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignẽ, & die per columnam nobis,

PARAPHR. Reprehendit Moyses populum, quòd promissis diuinis de futuris bonis ac possidenda terra pridem promissa, fidem habere, Deóque fidere noluerit, certus iam factus satis supérque per exhibitionẽ preteritorum beneficiorum, de certisodine futurorum, & in primis, quòd quasi metatoris officio fungens Deus, atque ductoris, præmonstrauisset viam noctu ac interdiu per columnam ignis, & nubis, designans qooque ipsamet loca, in quibus fixis tentoriis consistendum esset, eúmque abeundum esset admonens, signo columnæ vel quiescentis, vel moræ. Repetit hoc loco Rickeli[*] obiter opiniones, quòd aut fuerint distinctæ duæ columnæ, aut vnica, sed officio duplex, vtpote lucens ex vna parte tamquam ignis, ex alia obumbrans veluti nubes. Hoc alibi tractatum est, prætereáque verùm adhuc esset nubes alia latior, & non columnaris: postremò, an contingeret aliquando iter nocturno tempore confici. Vltimum ex isto loco infert Rickelius, Oleaster, Marzilla. Abulen. verò tantùm docet huic itineri seruituram fuisse columnam igneam, si quãdo susciperetur, sed non legi Hebræos nocte aliquando ambulasse, nisi quando intrauerunt mare rubrum [e]. Verosimilius esse dixi, vnam dumtaxat nubem columnarem fuisse, quod etiam demonstrat post alios Salianus noster [f], addens tamen nubem diuersam protegentem ab arboribus exurentibus solitudines, quia, vt paulò antè etiam hic dicebam, figura columnaris angustior erat ad obumbranda in eum effectum castra, quæ cùm facilè trecies cẽtena hominũ millia continerent, per decem, aut etiã duodecim milliaria latè fundebantur in deserto. Rectè adhuc probat, quasi speciem ignis, non verum igneũ fuisse, vt scribitur quoque in libro Numerorum [g], hoc est, quasi rutilantem fulgorem, qualis in densioribus nubibus apparet, quando solares radij eas percutiunt. Secutus sum etiam opinionem illam de columna ignis, non habuisse vsum pro nocturno itinere, quia nullum propriè, præter paulò antè dictum,

e Exod. 14. 20.
f tom. 2. annal. anno 2544. num. 375. & seq.
g c. 9. 15.

videtur susceptum, sed si quando ab vno ad aliud tabernaculum ire quis vellet, vel inter assignatas castrorum fixorum fines cuiuspiam negotij, necessitatisve causa. Tandem columnæ motor, nubisque Angelus debuit esse [a], quamuis Dominus ipse præcessisse asseratur hoc loco, & alibi [b], quia is Dei nutibus obtemperabat. Hoc sensu promisisse intelligitur Deus Moysi, quòd facies ipsius præcederet illum, ac proinde populum, cùm is id postulasset, vtque nisi ipsemet præcederet, non educeret illos [c], nõ quòd facies accipienda sit pro Angelo primario, qui nominatur Angelus faciérum, eo quòd proximè assistat Deo; sed quia designat magis familiarẽ præsentiam per insigniora quædam opera, quæ licèt immediatè Angelus columnæ præsses, ac dux Hebræorum exercitus patraret, viderentur ab ipsomet Deo, absque media causa fieri. Petebat Moses idipsum, quod antea præstabat Deus, veritus ne ob præcedentem idololatriam vituli desineret tam beneuulè secum, & cum populo agere.

a Exod. 14. 19. c. 23. 20. 23. c. 32. 34.
b Exod. 13. 21. Num. 14. 14. 2. Esdræ 9. 12. 19. Sap. 10. 17. 18. Ps. 77. 18.
c Exod. 33. 12. & seqq.

Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro.] Editiones aliæ habent (*& in verbo hoc*, idest, hac in re, *non credidistis Domino Deo vestro*) Hebraicè (*in Domino Deo vestro*) Chaldaicè (*in verbo Domini Dei vestri.*) Sunt in illa vltima editione nomina duo verbum significantia, פִּתְגָּמָא *pithgama*, & מֵימְרָא *memera*. Notari verò potest breuitas istius versiculi, & inæqualitas in partitione, de qua sæpius monui. Videtur etiã interdum credere idem esse, quod fidere, siue fiduciam habere, fidésque sumi pro fiducia. Nec enim fortassis propriè acceptam fidem Hebræi, qui progredi noluerunt in promissam terram, amiserunt, quemadmodum nec Moyses, & Aaron, quibus dictum est à Deo, quòd non crediderunt illi, vt sanctificarent ipsum coram filiis Israël [d]. In quo sensu exigitur ab orante, vt credant [e], dicuntúrque omnia possibilia credenti [f].

Explanatio.

d Num. 20. 12.
e Matth. 15. 22. Marci 11. 23. 24.
f Luc. 9. 23.

Qui præcessit vos in via.] Sunt in Hebræa editione Chaldæáque participia הֹלֵךְ *holech*, & מְדַבַּר *medabbar*, quibus omnium temporum verbum substantiuum iungi potest, ambulans, aut ducens est, erit, fuit. Vltimum placuit Interpreti nostro: Græcis primum. *ὁ προπορευόμενος πρότερος ὑμῶν ἐν τῇ ὁδῷ*, *qui procedit*, seu *precedit prior vobis* (Hebraicè, & Chaldaicè, *coram vobis*, לִפְנֵיכֶם *liphnechem*, קֳדָמֵיכוֹן *kodamechon*) *in via*, idest, qui solet præcedere, quódque hactenus fecit, facit adhuc & facturus est, quemadmodum promisit. Qoomodo autem præcessisse intelligatur Deus, & Moses petiisse, vt ipsemet id faceret, quod faciebat tamen per Angelum, antea docui.

Et metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis.] In textu Hebræo, *ad inuestigandum*, seu *explorandum vobis locum*, *ad castrametandum vos*, *siue ad castrametari faciendũ vos*, *& vbi castrametaremini castráve figeretis, & maneretis.* לָתוּר לָכֶם מָקוֹם לַחֲנֹתְכֶם *lathur lachem makom lachanothechem*) in Chaldæo *vt præpararet vobis*, seu *possidere faceret vos locum domus mansionis*, siue *castrorum*, *in quo maneretis*, *siue castrametaremini*, לְאַתְקָנָא לְכוֹן אֲתַר בֵּית מַשְׁרֵי לְאַשְׁרָיוּתְכוֹן *leath kanaah lechon athar beth mascero leasra vthechon*. Breuiùs Græcè ἐκλέγεσθαι ὑμῖν τόπον, *ad eligendum*, siue, *vt eligat vobis locum*. Metatoris munus obiuit Deus per Angelum ipsius repræsentantẽ personam. Metatores eos Vegetius [g] ait dictos qui præcedentes locum eligebant castris, & diuersoriorum, hospitiorúmque designabant loca: deputatas domos manu sua singulis denotabant, postibus nomen ascribebant habitaturi.

Metatores qui.
g lib. 2. c. 7.

Suidas

Suidas ex Latino Græcum faciens nomen *μιδά-τωρ*, ... *τὸν προαποσταλέντα ἄγγελον πρὸ τῆς ἀρχῆς*, *præmissum nuntium ante magistratum*. Ambrosius a dispositi scribit à metatoribus itinera, egregiéque describit viandi ordinem, vt ipse loquitur, quem miles sequi soleret, cum eo comparans iter Hebræi populi, castrametationes, mansiones, statiuas, in quibus, Deo ducēte, lex illa cōmeantibus præscripta sit, cùm præiret ille per diē in columna nubis, vt refrigeraret viantibus, noctu autem in columna ignis, vt viam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret. Lex viarū, subdit ipse, columna erat, & ignis & nubis: denique in columna nubis loquebatur ad eos [b]. Vbi volebat exercitum requiescere à labore itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autē volebat exercitum mouere, prouehebatur & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. Hos eosdem metatores Mauritius [c] Latino quoque vocabulo nominat *μετατωράτορας*, *præparatores*, aut *προετάτορας*. Nec dissimiles mensores, ac mensuratores appellati à Græcis recentiorū sæculorum scriptoribus [d] *μίνσωρες*, *καὶ μινσουράτορες* melius *μινσουράτορες* per *ω*) & alio modo *μινσ άτορες*, & *μινσουράτορες*, quorum erat domos, in quibus quisque habitaret, signo notare, *Principe iter faciente* [e]: idem in castris ad podismum dimetiri loca, in quibus milites tētoria figerent. Denique dicebatur metatum ipsius hospitij, aut diuersorij onus, quod à Proconsule imponitur, quod eiusdem generis auctores Græci [f] *μιτάτον* etiam appellant (aliàs *μίταξον*, vt contra pro *πιμιάκιον*, *πιμιτάκιον*.) De his omnibus Iulius Cæsar Bulengerus [g] iam noster, & Claudius Salmasius [h] (cui opto orthodoxism) eùm de castrensibus ministris seu de castrensianis, & ministerianis Cuiacium refellens accipientem ministeriales de mensoribus, ac putantē hos sub castrensi militasse. Monet verò idem eosdē illos mēsores, metatorésve aliter vocatos hospitiorum magistros, vulgò hospiriorum marescalos, & foderatios, vel fouerrerios, seu forrieros. Legi prætetea dignum Ioannis Meursij, quamuis cacodoxi Glossarium Græcobarbarum de dictis semibarbaris Græcis vocabulis, & aliud Glossarium Rigaltij, & Lexicon Iuridicum Ioannis Caluini VVeterani, & aliud Brissonij. Item Isidorus [i], atque in Cyprianum [k] Pamelius. A metiendo deducit metatores Isidorus citans Lucanum [l],

Hesperios audax veniat metator in agros.

Meminit Optatus [m] de metatoribus, qui mitterentur ante venturos milites: Cyprianus [n] Antichristi metatorem vocat tyrannum: sublunarem hunc mundum metationem nostram Tertullianus [o] eodémque vocabulo, & metandi [p], aliquoties vtitur notione eadem per metaphoram. Sidonius [q] appellat metatoriam paginam, quæ aduenienti amico metatur hospitium, & quasi diuersorium, *καὶ καταγωγὴν* designat, quam aliter appellat Plinius [r] *πρόδρομον*, & præcursorium. Symmachus præsulem, & prænuncias literas. Sidonius iterum præuias, vt notauit noster Sirmondus [f]. Sic item vocauit Freculphus [t] metatorem imperij, quo deinde potitus est Augustus, & Ioannem Baptistam Chrysologus [u], Christi præcursorem atque metatorem Domini.

Nocte ostendens vobis iter per ignem.] Hebraicè (*in igne, seu per ignem nocte ad videre faciendum vos in via, seu viam, qua ambularetis in ea, aut viam per quam ambularetis*, בָּאֵשׁ לַיְלָה לַרְאֹתְכֶם בַּדֶּרֶךְ אֲשֶׁר תֵּלְכוּ בָהּ *baes laelah larothchē badderech ascer thelchu bah*. Chaldaice *in columna ignis in nocte, vt videre faciat vos in via, quam ambulastis in ea.*) Nomen enim columnæ exprimitur in hoc membro, videlicet *bhamuda*, Græcè *ὁδηγῶν ὑμᾶς ἐν πυρὶ νυκτὸς, δεικνύων ὑμῖν τὴν ὁδὸν καθ' ἣν πορεύεσθε ἐπ' αὐτῆς*. *deducens vos in igni nocte, ostendens vobis viam, per quam ambulatis super eam.* Ignis nomine simpliciter hoc loco intelligitur columna, quemadmodum per noctem nubis columna nubis: quæ duo nomina tum columnæ nubis, tum columnæ ignis aliquādo [a] distinctè ponuntur, vt alibi docui. Quomodo autem iter nocte fieret, nuper annuiaui, & quòd quasi species ignis inesset columnæ, non vera ignis forma.

Et die per columnam nubis.] Columnæ nomen repetit Paraphrastes Chaldæus: omittunt editiones aliæ, quemadmodum & in membro præcedente. Dictum quoque priùs præter columnam nubis, quæ non differret à columna ignis, videri probabile fuisse distinctam nubem, quæ sua amplitudine seu latitudine castra tota obumbrare posset. Mysticas rationes petas ex aliis commentariis, ex quibus illa vna est Gregorij [b], quòd omnipotens Deus, & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis, quæ designantur per nubem, ignémque.

Vers. 34. Cúmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iurauit & ait:

Vers. 35. Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimę Terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris:

Vers. 36. Præter Caleb filium Iephone, ipse enim videbit eam, & ipsi dabo Terram, quam calcauit, & filiis eius, quia secutus est Dominum.

PAulò fusiùs narrantur hæc in libro præcedente [c], quo nimirum pacto, & exploratores de duodecim decem, Caleb excepto, ac Iosue, detraxerint de terra Chanaan, quam explorauerant, & reliqua multitudo detrectauerit ad illam ascēdere, volens etiam duces suos lapidare Moysen, & Aaron: qua itē ratione Dominus minitatus fuerit, exceptis etiam illis duobus, neminem natum viginti annos, & supra, quo tempore de Ægypto egressi fuerant, ingressurum in promissam terrā. Ibidem quoque Caleb celebratur tamquam Domini seruus, quique plenus alio spiritu secutus fuerit eum, ac proinde pollicitus eidem, seminique illius Dominus ingressuro in dictam terram sit, simúlque Iosue. Vnde ibidem priùs promissio de Caleb ponitur separatim, deinde vnà cum Iosue: hoc autem loco de solo quoque Caleb, paulo autem pòst [d] seorsim de Iosue: qui peculiariter intraret pro Moyse, scilicet, vt minister, & in principatu, seu præfectura populi successor ipsius. Sed laus Caleb habetur tum hic, tum ibi singularis, quòd alio spiritu Dominum secutus fuerit. In eo libro docui Leuitas ab ea interminatione excipi debere, quoniam non sunt comprehensi in enumeratione illa, quæ de idoneis bello facta est ab anno ætatis vigesimo, & supra.

Cúmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum.] Chaldaicè (*& audita est coram Domino vox sermonum*

Marginal notes:
a l. 5. hexaem. c. ... & in Ps. 118. ser. 5. in initio.
b Ps. 98. 7.
c l. 2. Stratag. c. 2.
d Gloss. Basilic. & Constant. Porphyrog.
e c. de Mensib. l. 1. & 2. & c. de metatis. Veget. l. 4. c. 7.
f Basilic. Eclog. 6. Hermenop. l. 2. tit. 1.
g 6. de imperio Rom. c. 64.
h in Lampridiū pag. 225.
i 10. etym.
k epist. 22.
l ... 1. metatores vnde dicti.
m l. 3.
n epist. 22.
o de pallio. c. 2.
p de virg. velandis. c. vlt. cont. Marcio c. 8.
q l. 8. epist. 11.
r lib. 4. ep. 9. & 12.
f in Sido. l. 8. ep. 11.
t l. 4. Chronicon.
u serm. 127.
a Exod. 13. 21. 2 Esd. 9. 12. 19.
b hom. 12. in Euang.
Paraphr. c c. 13. & 14.
d vers. 38.
Explanatio.

sermonum vestrorum.) Emphasim habet, audisse Dominum vocem, seu auditam esse ab ipso vocem sermonum populi murmurantis contra illum, & seruos eius Mosem, & Aaronem, & detrahentium de promissa terra, à qua tam parum aberat. Extat alibi eadem [a] phrasis de voce sermonum, verborúmve, & hanc vocem audiri est simul ac profertur sermo, ac vix dum articulatè prolatus est, contigítque etiam, vt ita commoti præ impetu vocem potius frangant, quàm loquantur, quamuis formare ac promere querulum sermonem nitantur. Beda notans auditionem Domini more hominum dici, addit pluraliter poni sermones, quia non in vnitate audiuisset eos, esséque turba non vnius voluntatis: vel quòd vnus peccatorum multi vocantur, & multi iustorum vnus vocatur.

Vox sermonum, verborúmve, & auditio Domini.

a Deu. 4. 12. c. 5. 28. Iob 33. 8. Dan. 10. 9.

Iratus iurauit, & ait.] Iuramentum Domini continetur illis verbis in c. 14 [b]. prioris libri, *Viuo ego.* & in c. 32 [c]. scribitur, quòd iratus iurauit. Vtroque autem loco agitur de hac ipsa re, sicut & 2. capite [d] libri nostri, & c. 4 [e]. iratum iurauisse scribit Dominum Moyses, quòd ipse non transiret Iordanem. Denique in Psalmo 94 [f]. idemmet Dominus ait, quòd iurauit in ira sua, non introiturum populum in requiem suam. Quo pacto autem & iurare conueniat Deo, & irasci, disces ex alibi dictis. Iurat per seipsum [g], vt certos reddat: irascitur non conturbatione affectus, sed rigore effectus, non vitio iracundiæ subiectus: sed per hæc caritas Moysi erga populum manifestatur, & Dei bonitas, quæ omnem sensum superat, inquit Glossa, & Rickelius.

b vers. 21.
c vers. 10.
d vers. 14.
e vers. 21.
f vers. 11.
g Hebr. 6. 13.

Iurare & irasci Domini nostri.

Non videbit quisquam de hominibus generationis huius pessima terram bonam.] Secundùm alias editiones, (*si videbit vir*, vel *quis de hominibus istis*, vel *hominum*, seu *virorum istorum generationis mala huius terram hanc bonam.*) Opponitur malis hominibus bona terra, quasi non deceat bonam concedi malis, cùm tamen secus contingat non rarò, malique essent Chananæi ipsi, & priùs illi, qui Sodomam incoluerant, cum vniuersa Pentapoli, & bona data à Deo dant etiam mali aliis, & datot Deus oriri Solem suum facit, ac pluit, non minus super malos, iniustósque, quàm super iustos, & bonos. Sed pro hominibus generationis pessimæ (quo superlatiuo caret aliarum editionum textus) Græcè sunt (*ἄνδρες πονηροί*, *homines mali.*) Videre potuerunt ex edito loco Cadesbarne, vnde non multum distabat, promissam terram. Sed non cominus videre concessum est, ita videlicet, vt in eam pedes immitterent. Homines generationis pessimæ vocantur, inquit Abulen. homines mali, nec vocantur homines generationis pessimæ filij malorum, si boni sint, & mali, etiamsi à bonis generentur, tamen generatio pessima vocatur, & accipitur generatio pro genito. Vocat Moses in maiore Cantico suo [h] generationem peruersam, prauámque; Dauid [i], prauam & exasperantem: Christus [k] malam, adulteram, pessimam, peruersam, incredulam, infidelem, peccatricem, nequam. Petrus [l] prauam. Ioannes Apostolus [m] Satanæ synagogam. Baptista [n], genimina viperarum, eodémque pacto Christus [o], ac serpentes. Stephanus [p] dura ceruice, incircumcisis cordibus, & auribus, persecutores, & occisores Prophetarum. Paulus [q], occisores etiam Domini IESV: Deo non placentes, omnibus hominibus aduersantes: item [r] inobedientes, vaniloquos, seductores, vt omittam alia epitheta apud Esaiam, Ezechielem, & alios Prophetas. Porrò simile de illis dici notat Glossa, qui inuitati ad cœnam excusauerunt se [a], *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.*

Homines generationis pessimæ qui. Generatio pro genito.

h Deut. 32. 5. 20.
i Ps. 77. 8.
k Matt. 12. 39. 45. c. 16. 4. c. 17. 17. Marc. 8. 38. c. 9. 18. Luc. 9. 41. c. 11. 29.
l Act. 2. 40.
m Apoc. 3. 9.
n Luc. 3. 7.
o Matt. 23. 33.
p Act. 7. 51. 52.
q 1. Thess. 2. 15.
r Tit. 1. 10.
a Luc. 14. 24.

Quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris.] Græcè *patribus eorum τοῖς πατράσιν αὐτῶν.* Videtúrque hoc pronomen aptiùs cohærere, cùm sermo sit de populo ad Moysem, & Aaronem. De iuramento autem Domini isto ad patres populi, nimirum ad Abraham, Isaac, Iacob circa dandam terram Chanaan, mentio fit sæpius [b], vt aliàs quoque notauimus, tum etiam priùs hoc ipso capite [c], & postea in 4 [d]. 6 [e]. 7 [f]. 8 [g]. 10 [h]. 11 [i]. 13 [k]. 19 [l]. 26 [m]. 27 [n]. 28 [o]. 29 [p]. 30 [q]. 31 [r]. 34 [s]. & in aliis posterioribus libris [t]. de eodémque iuramento videntur Ioannis pater [u] meminisse, Paulúsque [x]: sed vltimus de iuramento loquitur, quo iurauit Dominus exclusurum se ab introitu eius contumaces illos detractores dictæ terræ, qui cùm possent ingredi, detrectauerunt, citans verba Psalmi 94 [y]. Quod iuramentum extat præterea in libro Numerorum [z], & Iosue [aa], & deinceps adhuc in libro nostro [bb], ac nominatim etiã quòd Moses non transiret Iordanem [cc]. Glossa interlinearis extendens ad alios posteriores patres, videlicet ad magis immediatos, pollicitationem factam interpretatur non malis, sed bonis, ideóque nihil Deum debere malis.

Iuramentum Domini ad patres populi.

b Gen. 22. 16. c. 50. 24. Exod. 13. 5. 11. c. 33. 1. Num. 11. 12. c. 14. 16. 23. c. 32. 10. Deut. 1. 8. & alibi infra.
c versu 8.
d vers. 31.
e vers. 10. 18. 23.
f vers. 8
g vers. 1. 18.
h vers. 11.
i vers. 21.
k vers. 17.
l vers. 8.
m vers. 3. 15.
n vers. 3.
o vers. 9. 11.
p vers. 13.
q vers. 20.
r vers. 7. 20.
s vers. 4.
t Iosue 1. 6. c. 21. 41. Iudic. 2. 1. 15. Baruc. 2. 33. Ezech. 16. 8. Mich. 7. 20.
u Luc. 1. 73.
x Heb. 3. 11. 18. c. 4. 3. c. 6. 13.
y vers. 11.
z c. 14. 21. 28. c. 32. 9. 10. 11.
aa c. 5. 6.
bb c. 2. 14. c. 4. 21.

Præter Caleb filium Iephone.] Hic pro tribu Iuda explorauerat terrã Chanaan, de quo satis actum libro priore [dd]. De Iosue tacet, ait Hugo, quia certum erat de ingressu eius, & etiam statim pòst dicit idem de ipso. Et etiam, præter Iosuè, inquit Rickelius, qui alibi exprimitur, addens, intelligi de his, qui in prima numeratione fuerant numerati, & ideo Leuitas quoque excipi. Crediderim nihilominus participes eiusdem pœnæ fuisse illos etiam ex istis, si qui eiusdem peccati socij fuerũt, quos pauciores fuisse verisimile est, vt idcirco exprimantur dumtaxat numerati à viginti annis & supra in egressu de Ægypto: qui numerandi modus Leuitis non conueniebat, vt priore libro docuimus. Fit magis hîc mentio de Caleb, & Numerorum 14. ait Abulen. quia Iosue fuit dux populi, post mortem Moysi, & introduxit eos in terram promissam, ideo dubitari non poterat quin introisset. poterat tamen de Caleb, quia non erat vir ita famosus. Beda typum pœnitentiæ appellat Caleb cum Iosue, ac indicari ait vocatos esse multos, paucos electos [ee], binos intrare in regnum cœlorum, idest, qui duas leges impleant, vel innocentes, & pœnitentes, vel corpus & animam. Gregorius [ff] autem considerat, in his duobus caput, & corpus, Christum scilicet & Ecclesiam, qui soli, inquit, ingrediuntur illam viuentium terram.

Caleb & Iosue typus pœnitentiæ.

cc c. 4. 21. c. 34. 4.
dd Num. 13. 7.
ee Matt. 20. 16. c. 22. 14.
ff in ps. 5. pœnit.

Ipse enim videbit eam.] Adiecit (*enim*) Interpres. Visio autem per actualem præsentiam, possessionémque debet intelligi, non per solum aspectum confusum, qui poterat quoque in aliis esse, quemadmodum quando Moses transiturum se dicebat, & visurum terram illam optimam trans Iordanem, negauit Dominus, præcipiens, vt ex cacumine Phasga, oculos circumferret ad eã [gg], & dixit [hh], *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.* Notat porrò in locutionibus Augustinus legi præter (*Caleb, filius, &c.*) pro (*filium.*) Sic nimirum est Græcè.

gg Deut. 3. 25. 26. 27.
hh c. 34. 4.

Et ipsi dabo terram, quam calcauit, & filiis eius.] *Calcare* dicitur Hebraicè, Chaldaicéque verbo דרך *darach.* Vnde דרך *derech, via*, quæ calcari solet. Græcum verbum ἐπέβη significat *ascendit*, quia terra illa erat altior, quàm desertum, in quo castrameta

ſtrametabantur Hebræi. Abulenſis, & Marzilla intelligunt de Hebron, quam tradidit ei Iosue in poſſeſſionem, cùm ille ab hoc poſtulaſſet montem, quem pollicitus fuerat Dominus, ipſo quoque audiente, in quo Enacim erant, & vrbes magnæ, atque munitæ, ſi forte Dominus (quem ſecutus fuerat, recitando fideliter, quæ viderat in exploratione terræ Chanaā, & animando populum ad illuc proficiſcendum) eſſet cum illo, & poſſet delere eos, ſicut pronunciarat ei. Vocabatur autem prius Cariath Arbe, & ibi Adam maximus inter Enacim ſitus erat. Quæ omnia narrantur in libro Iosue [a], & præterea quòd iurauerat Moyſes fore, vt terra, quam calcauerat pes eius, eſſet poſſeſſio illius & filiorum in æternum. Ibi addit Abulen. Caleb ſolus acceſſerat, & orauerat ſuper ſepulchra Patriarcharum Adam, Abraham, Iſaac, Iacob cum vxoribus eorum. Calebo extra ſortem debebatur locus ille, quoniā promiſſus ob priuilegium illius erga Deum fidelitatis. Quæ promiſſio videtur facta, interprete Moſe, coram Iosue, quando in Dei cauſa cōtra exploratorum calumnias, timiditatémque fortiter ſtetit: quamuis nec publicè (quod concedi tamen poſſet) nec ſacris prodita ſit monumentis, niſi quòd cùm Dominus inductum ſe illum aſſeruit in terram, quam circumierat, eiú que poſteris daturū, intelligi queat, ac debeat locutus de certa portione, non de vniuerſa, quam promiſerat populo vniuerſo. Quia verò alij exploratores, propter illos potiſſimum gigantes, quos viderant in monte Hebron, deterruerant populum, & Caleb, vt vanum metum eſſe melius perſuaderet, illum ſibi locum peculiariter ſibi depopoſcit, vt veriſimiliter Maſium [b] ſecutus noſter Salianus [c] ratiocinatur. Moſes diuino ſpiritu plenus & præſciens illum terræ tractum, in quo Hebron exiſtebat, tribui Iudæ obuenturū, interpretatus eſt propheticè, aut ex peculiari etiā reuelatio præcepto id, quod promiſerat Deus Calebo de illo determinato loco, quemadmodum & ipſi Iosue præfecturam ille idem promiſit populi totius, & gloriam introducendi populum per inſigniores victorias. Quæ duo innuit Caleb illis verbis in citato Iosue libro [d]. *Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſem hominem Dei* (Chaldaicè *Prophetam Dei*) *de me, & te,* (Hebraicè & Chaldaicè, *ſuper res meas, & ſuper res tuas*, ſiue *ſuper cauſam meam, & cauſam tuam*) *in Cadesbarne.* Forſitan autem, cùm nondum Hebron penitus expugnata eſſet à Iosue, ſed tantùm oppugnata [e], Caleb ius illius ſibi vindicandæ, integrum poſtulauit, & impetrauit, vt placet Caietano [f], & Magaliano noſtro [g], tandemque etiam omnino expugnauit [h], vel potiùs, cùm poſt Iosue victorias, & vitam denuò irrepſiſſent, ac irrupiſſent illuc Enacinorum aliqui, hos Caleb debellauit, vt ad Iosue c.14. cum Maſio ſentit Serarius noſter [i]. Porrò iidem auctores reijciunt illam aliam rationem, quam hic quoque indicari monui ab Abulen. quòd ſolus Caleb dum eſſet cum cæteris exploratoribus, auſus ſit Hebron inuiſere tum ex fortitudinis virtute, tum ex religionis, ac pietatis, vt Sanctorum veneraretur ſepulchra, atque conſtantiam in eo negotio rectè peragendo exoraret. Fauet id quidem venerationi locorum ſanctorum, ac reliquiarum, & cultui, ſuffragiiſque Sanctorum: verùm derogat nonnihil Iosue, nec habet in Scriptura fundamentum. Nam licèt in c.13. [k] libri Numerorum ſcribatur Hebraicè, (*& venit in Hebron*, ויבא *vaiauo*) tamen de ſolo Caleb non poteſt intelligi, nec de illo potius, quàm de Iosue, ſed eſt

[a] c.14. 6. & ſeqq.
[b] in Iosue 14.
[c] tomo 2. annal. anno 2549. n.16.
[d] c.14.6.
[e] c.10.
[f] in Iosue 14.
[g] ibidem.
[h] Iosue 15. 14. & ſeqq.
[i] q.7.
[k] verſ.23.

enallage numeri, qua ſublata editiones aliæ habent pluralem; in quo etiam præterea vertunt Pagninus, Vatablus, Maſius, alij hebraizantes, & in eudem ſunt alia verba eiuſdem numeri: & facile fuit, vt ex ויבאו *vauou* excideret vltima litera. Denique (*venit*) idem valet ac illorum quilibet venit, & venerunt omnes, qui etiam omnes, perinde vt Caleb, viderunt Hebron, & gigantes in ea: quamuis decem periculum ab his apud populum exaggerauerint [a]. In calcandi verbo Beda obſeruat, quòd niſi quis conſideraueiit regnum Dei per credulitatem prædicationis, non intrabit in regnum cælorum. Vſurpatur eodem ſenſu idē calcandi verbum alibi [b]. Sed aliquando importat vim, & contēptum, quæ notio ad rem præſentem non facit, vt neque verbi compoſiti conculcandi. Myſticè verò præterea calcari dicitur terra, quando vincuntur dæmones, & vitia, quando deſpiciuntur omnia terrena, catóque ſubijcitur, vt docent Hieronymus [c], Origenes [d], Rupertus [e]. *Hoc pacto, quidquid calcat pes tuus, tuum eſt.*

Quia ſecutus eſt Dominum.] Hebraicè (*eo quòd compleuit poſt Dominum*) idest, perfecit, vt iret poſt illum, & mandata ipſius, vt ſequeretur eum, perfectè & in omnibus ſecutus eſt Dominum, non ſolum priùs, verùm etiam nūc, quia exploratores alij partim laudauerant promiſſam terram, partim vituperauerunt. Caleb laudauit ſolùm. Hac eadem dicendi formula laudatum à Domino Caleb in libro præcedente vidimus [f]. *Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam.* Præterea cum Caleb etiam Iosue, *iſti impleuerunt voluntatem meam.* Idēmet Caleb exigens promiſſum: *Fratres* [h] *mei, ait, qui aſcenderant, diſſoluerūt cor populi, & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.* Moyſes quoque iurando dixiſſe narratur: *Terra* [i] *quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum, quia ſecutus es Dominum Deum meum.* Tandem tradita ei dicitur Hebrō, quia ſecutus eſt Dominū Deum Iſraël [k]. Vbique eſt Hebræum verbum מלא *mille*, & Græcum ἐπακολουθεῖν, vel προσκεῖσθαι. Chaldæa verò phraſis, perfectè ſequi timorē Domini, vel perfectum eſſe poſt timorem eius. Illuſtrari poteſt Hebraiſmus hic per ſimilem in libro Eccleſiaſtæ [l], vbi quod legitur Latinè, *Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala*, in vltimo membro habetur Hebraicè, Græcéque, *Repletum eſt cor in eis ad faciendum malum*, id eſt, inter alias expoſitiones, quas ibi attulimus, noſtérque poſt nos Pineda, ardentiſſimè, tota anima, toto corde, omnibus animi, corporiſque viribus impieratem ſectati ſunt, in eo fuit cor eorum totum. Item in Eſther [m], *Quis eſt iſte, & cuius potentia, vt videat hoc facere?* Secundùm alias editiones, *Qualis eſt iſte, quid repleuit ipſum cor eius?* Poſſunt etiam exponi priora de audacia. Hoc loco ſic ſe habent dictæ editiones. יען אשר מלא אחרי יהוה *iahhan aſcer mille achare iehouah*: διὰ τὸ προσκεῖσθαι αὐτὸν τὰ πρὸς κύριον. *quoniam adhæſit iis, quæ ad Dominū.* חלף דאשלים בתר דחלתא דיי *thalaph deaſlem bathar dechaltha daiehouah.* Sed in libro Iosue Græcè iuxta emendatos codices, dicitur, προσετέθην ἐπακολουθῆσαι κυρίῳ τῷ θεῷ μου ἡμῶν προσετέθην ἐπακολουθῆσαι ὀπίσω κυρίου τοῦ θεοῦ μου, ὅτι τὸ αὐτὸν ἐπακολουθῆσαι τῷ προστάγματι κυρίου τοῦ θεοῦ Ἰσραὴλ, *appoſitus fui obſequi Domino Deo meo: appoſuiſti obſequi poſt Dominum Deum, eo quòd ipſe obſecutus fuit præcepto Domini Dei Iſrael. Gloria magna eſt ſequi Dominum*, ait Sapiens [n]: longitudo enim dierum

Veniendi verbum.
Calcandi verbum.
[a] ibid. P.f. 29.
[b] Deut. 2. 5. c.11 24.25. c.28 23. Ioſue 13. c. 4. 18.c. 14. 9. Eſaiæ 16. 6. c.41. 5.
Calcare terram myſticè quid.
[c] in Eſa. 14. Nahum 3. Mich. 1. Zachar. 10.
[d] 1. peri arch. c. 5.
[e] in Zach. 10.
[f] c.14 24.
[g] c.32. 12.
[h] Iosue 14. 8.
[i] ibid. verſ. 9.
[k] verſ. 14.
[l] c 8. 11.
[m] c.7. 5.
[n] Eccl. 23. 38.

dierum aſſumetur ab eo, qui ſcilicet ſequitur Dominum, ita vt viuat, & hîc diu, & poſtea in æternum, vel, vt accipiatur talis à Deo, qui vitam æternam ſectatoribus largitur ſuis, & in hoc quoque mundo interdum. Nam quemadmodum viri ſanguinum non dimidiant dies ſuos, ſic præmij loco olim dabatur à Deo diutius viuere [a]. Sæpius inuitauit Chriſtus ad ſequendum ipſum [b]. Hoc eſt quod pro magno inter ſeptem Sapientum dicta, inquit Ambroſius [c], celebratur, *Sequere Deum*, facto præuenit Abraham dicta Sapientum, & ſecutus Deum exiuit de terra ſua. Sequi Deum eſt implere voluntatem ipſius, vt præ ſe fert Hebræa phraſis: perfectè illum timere, vt Chaldæa: adhærere eidem, atque obedire præcepto ipſius, vt Græca: exemplo Caleb, nullis difficultatibus impediri, aut retardari ad tendendum, quò Deus vocat. Eidem Caleb aptè congruit citata ſententia ex Sapiente, quoniam perhonorificè à Deo ipſo ſæpiùs laudatus eſt, & à Moyſe [d], ab eodémque auctore libri Eccleſiaſtici [e]. *Et in viridi ac vegeta, longáque ſenectute vitam* [f] *tranſegit*, *vt viderent*, ait idem ille auctor [g], *omnes filij Iſrael, quoniam bonum eſt obſequi ſancto Deo*, *πορεύεσθαι ὀπίσω κυρίου*, *ire poſt Dominum.* Apud eumdem [h] quod ſcribitur de Ioſue conuenit quoque Caleb. *Secutus eſt à tergo potentis*, *ἐπηκολούθησεν ὄπισθεν δυνάστου*; ita vt quod tribuitur Caleb, de Ioſue ſimul aſſeri poſſit, quoniam cùm alij exploratores ſequerentur ſpiritum timoris humani, ac diffidentiæ; alio ſpiritu ductus vterque non dubitauit iis contradicere, attendens Dei promittentis potētiam atque veracitatem; & ſic ſtans contra hoſtem, & prohibens à peccatis [i] illos contradictores detractoréſque terræ promiſſæ, nuncians quod ſibi verum videbatur [k]. Hebraicè, *ſicut erat in corde ſuo*, Græcè, *ſecundùm mentem ſuam*, *κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ*, ſincerè, conſtantérque, & prout ſemper, & vbique tum ſenſerat, tum dixerat; non aliter inter ſodales exploratores, iiſdem nimirum conſentiendo quantum ad verba, aliter coram Moſe, populóque, prout ſenſerant intra ſe, quemadmodum Rabini nugantur, & calumniantur. Præ oculis habebat vterque, & venerabatur Jehouah Elohim, diuinam maieſtatem, poteſtatémque & prouidentiam, ac iuſtitiam: & idcirco implebat iuxta vim ſæpius notatæ formulæ Hebrææ, voluntatem tanti numinis, atque, vt Ciceronianè [l] loquar, Deo quemadmodum ſolebat, in ea quoque re piè & caſtè ſatisfaciebat; atque, vt loquitur Ioannes [m], habebat opera plena coram Deo, ideſt, partes omnes officij ſui exactè implebat, idque quod in conſpectu Dei debebat, ac miniſteriū ſuum implebat [n], conſtans in veritate proferenda erat, rectáque intentione iuxta Dei voluntatem loquebatur; denique in eo nihil deſiderabatur. Peculiariter tamen ea laus tribuitur Calebo, quódque, vt Mathathias dixit [o], dum teſtificatus eſt in Eccleſia, accepit hæreditatem. Veritas Chriſtus eſt [p], venitque vt teſtimonium perhiberet veritati [q], quod ſciebat loquens, quódque viderat teſtans [r] ſicut & Apoſtoli omnes [s], atque nominatim Paulus [t], non erubeſcens Euangeliū [u]: ſed præcipiens præterea Timotheo [x], vt commoneret, & teſtificaretur coram Domino, ne ſcilicet erubeſcens, & confuſus, erubeſcat, & confundatur coram illo, & Angelis [y], vt Chriſtus comminatus eſt. Inde ortus videri poteſt ritus, vt in Sacramento Confirmationis fronti ſigno indito inungamur ad pudorem vanum, indignúmque pellendum, quando confiteri fidem oportet. Indicant id nõnulli canones [z], & Conc. Florent [a]. & Auguſt [b]. atque Conſtantinus ipſe Imperator in edicto ad Sylueſtrum, explicās quibus ceremoniis cooptatus fuerit in cœtum Chriſtianorum, item Gregorius [c], Iſidorus [d], ordo Romanus [e], Amalarius [f], Rabanus [g], Clemens Romanus [h], & alij. Lege Ioſephum Vicecomitem [i].

a Exod. 20. 12. Pſ. 20. 5. Pſ. 90. 16. Prou. 31. 5. 6. Eccli. 23. vlt.
Sequi Deum quid.
b Mat. 8. 22. c. 9. 9. c. 16. 24. c. 19. 21. Marci 2. 14. c. 8. 34. c. 10. 21. Lucæ 5. 27. c. 9. 23. 59. 61. c. 18. 22. Ioan. 1. 43. c. 8. 12. c. 12. 26. c. 21. 19.
c 1. de Abra. c. 2.
d Num. 14. 24. Deut. 1. 36. Ioſue 14. 9. 14.
e Eccl. 46. 9. & ſeqq.
f Ioſue 14. 10. 11. Eccl. 46. 11.
g Eccl. 46. 12.
h ibid. verſ. 9.
i ſupra.
k Ioſue 14. 7.
l lib. 14. ep. in 7.
m Apoc. 3. 2.
n 2. Tim. 4.
o 1. Macha. 2. 56.
p Ioan 14.
q c. 18.
r c. 3. 11. 32.
ſ 1. Ioan. 1. 2.
t Act. 20. 24.
u Rom 1. 16.
x 2. Tim. 2. 14.
y Mar. 8. 38. Luc. 9. 26.
z c. 1. de Sacramento vnctionis. & c. 1. de conſecr. ſpirit.
Sacramenti Confirmationis ritus vnde originem trahat.

a de Sacrament.
b in Pſ. 141.
c lib. 3. epi. 26.
d 2. de offic. c. 26.
e ord. ad cõſummand. chriſma benedic.
f de off. eccleſ. c. 27.
g de inſtit. Clerico. c. 30.
h 3. conſtit. c. 15.
i de ritibus cõfirm. c. 7.

Verſ. 37. Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

Verſ. 38. Sed Ioſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. hunc exhortare & robora: & ipſe ſorte Terram diuidet Iſraëli.

QVò minus mirum, vel durum populo videretur ab irato Deo tam ſeuerè in ipſum animaduerti, hoc eſt, in omnes eos, qui egreſſi fuiſſent de Ægypto annorum ætatis viginti, & ſupra, exceptis Caleb, & Ioſue, quia ſcilicet pro nihilo habuiſſent terram deſiderabilem [k], ac in Deum murmurantes, detraxiſſent de illa, atque in eamdē intrare detrectauiſſent [l]: affirmat ſibimet quoque ipſi eiuſdē terræ ingreſſum interdictum eſſe, quando indignatus eſt Deus contra ſe, & fratrem Aaronem ad aquas contradictionis, ibi occaſionē præbente populo murmurante, ne ipſe Deum, quemadmodum debebat, benediceret, vt libro priore dictum eſt [m]. Excluſo igitur ſe, prohibitóque reliquum populum in promiſſam terram introducere, & potiri tamdiu concupito bono, tótque tam diuturnæ peregrinationis, & adeò grauibus laboribus, iam veluti comparato, iámque præ oculis poſito, Moſes iniunctum ſibi addit, ſucceſſori Ioſue hoc negotium demandare, & hortari, atque omnino certum de felici eiuſdē exitu reddere, quantumuis ille diffidere, ac terreri poſſet ſuomet ipſius malo: nec enim idem ei euenturū, ſed abſque vlla dubitatione præducem populo futurum, & ipſi terram ſorte diuiſurum. Repetit c. 3 [n]. Moyſes iratum ſibi Dominum propter populum, nec exaudire voluiſſe, cùm tranſire vellet Iordanem, & prohibuiſſe ne vltrà loqueretur de hac re, & præcepiſſe, vt præciperet Ioſue, & corroboraret eum, & confortaret, quia ipſe præceſſurus eſſet populum, & diuiſurus terram, cuius aſpectus ſolus Moyſi concederetur. Habentur ſimilia in c. 31 [o]. vbi Moſes vocato Ioſue coram omni Iſraël, dixit, *Confortare, & eſto robuſtus; tu enim introduces populum iſtum in terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam ſorte diuides, & Dominus, qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, ne paueas.* Deus ipſe eumdem Ioſue huiuſcemodi verbis animauit [p], *Confortare, & eſto robuſtus valde; tu enim introduces filios Iſrael in terram, quam pollicitus ſum, & pro qua iuraui patribus tuis, vt traderem eam illis, & ego ero tecum.* Non omnino fuit ſuperuacanea monitio illa Moſis, ne fortaſſe grauaretur Ioſue, ait Philo [q], ſubire tantum oneris, vtque exemplum, atque regula proderetur cæteris, communicando bona conſilia cum ſuis ſucceſſoribus, & inſtruendo præceptis optimis; & vt proferret affectum caritatis erga populum, cui tamdiu præfuerat: & quia licèt non eſſet opus hac adhortatione, tamen non poterat ſe cõtinere Moſes,

PARAPHR.
k Pſ. 105.
l Num. 13. & 14. & 27. & 32.
m c. 20. 12. & 27. 13. 14.
n verſ. 25. & ſeqq.
o verſ. 7. & ſeqq.
p c. ibidem verſ. 23. Ioſue 1. 6. 7.
q lib. de caritate.

Moses, quin amicum admoneret officij. Rectè noster Serarius [a] ex adeò frequenti confirmatione, cohortatione & adhortatione tum à Moyse iussu, tum à Deo ipso facta Iosue viro alioqui ... constanti, generoso, vt res ab eo hactenus fortiter, præclaréque gestæ testabantur, inferi, quam sit graue, difficile, periculosum, formidandum onus gubernationis, in quo alienæ potius consulendum vtil tati, quàm suæ, summa prouidentia, fortitudine, patientia, iustitia, castimonia; reddenda verò ratio summo Principi Deo, iustitias ipsas cum acceperit tempus, iudicaturo [b]. Mosis exemplum, seu in illo editum perterrebat maximè tam mitis, prudentis, temperantis, modesti, laboriosi, religiosi, cui tamen nec pepercit populus toties in eum furens, murmurans, minans, imprecans, lapidare etiam volens, nec Deus, ob leuiorem culpam eidem irascens introitúque terræ arcens, pro qua adeò multa tolerauerat. Occurrebant animo multi ac sæui hostes debellandi, diuidenda terra inter morosos, seruanda, vt ei Moyses, Deusque inculcauerant, ad vnguem lex, dubitare poterat, ne ob aliquod peccatum suum & ipsi non liceret præstare, quod imperabatur. Recenset distinctè Serarius [c], duodecim, quæ proposuit Dominus ad firmandum Iosue animum.

a in Ios. 1. q. 11.
b ... 3.
c sup. q. 12.

De regendi autem periculis documentum edidit *Christus, fugiendo* cùm eum vellent facere Regem [d], totque alij, qui vel imponi sibi onus id passi non sunt, vel non nisi coacti admiserunt, vel deponere tentauerunt, vel tandem etiam eo se abdicarunt. Verùm hac de re aliis in locis disputatum est, nec non & cuiusmodi Mosis peccatum fuerit, atque cur à Deo tam seuerè punitum simul cum eodem peccato fratris. Gregorius [e] Augustinum Anglorum Episcopum doctrina, & miraculis cõspicuum ad modestiam humilitatémque hoc hortatur exemplo Mosis, qui post adeò multa signa, & opera, atque post tam longum tẽpus, quo peccauerat, non potuit à semel lata sententia liberari. *Qua in re considerandum nobis est*, inquit, *quàm timendum sit omnipotentis Dei iudicium, qui per illum famulum suum tot signa faciebat, cuius culpam dubitationis de educenda aqua tam longo tempore, nẽpe 38. annorum, adhuc seruabat in cogitatione. Igitur frater carissime, si & illum agnoscimus post signa pro culpa mortuum, quem omnipotenti Deo nouimus præcipuè electum: quanto nos debemus metu contremiscere, qui necdum adhuc nouimus si electi sumus?* Notat præterea [f] Sanctos exaudiri interdum pro aliis, & non pro se, sicut Moysi contigit, qui veluti facta vi, obtinuit veniam populo [g], sed pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. & quamuis sæpe hac de re affligeretur, sæpius desiderio se excitante turbaretur, dispositæ vltionis iracundiam repellere à semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, & à populo amouit. Posset aliis tum exemplis, tum testimoniis, tum rationibus demonstrari magistratus præsertim Ecclesiastici peccata etiam haud ita grauia seueriùs à Deo animaduersa, animaduertíque solita. Exaggerarunt id ab Ambrosio [h], Origene [i], Augustino [k], Gregorio [l], Chrysostomo [m], Bernardo [n], & in reuelationibus Brigidæ [o]. Verùm vt præmonui, tractatum est alibi idem argumentum, & quod spectat ad Mosem cum Aarone, de his cecinit Dauid [p], quòd quamuis inuocantes Dominus exaudire soleret, & in columna nubis loqui ad eos, & propitius esse eis, ... vltus est in omnes adinuentiones eorum. Hoc si cogitarent homines, principatus non ambirent, ait Origenes.

d Ioan. 6. 15.
e lib. 9. epi. 58.
f ... moral. c. 9 vel 12.
g Exod. 32. 31. & seqq.
h de dignit. Sacerd. c. 5.
i ... 20. in Num.
k in Ps. 98.
l homil. 17. in Euang.
m hom. 41. & 83. in Matth. ...
n de ...
o ... c. 6.
p Psal. ... 4.

Nec miranda indignatio in populum.] Apposuit hæc Interpres ad argumenti vim exprimẽdam, ex comparatione maiorum, & minorum. Vt, si Dominus ipsi, qui leuiter tãtùm peccauerat ad aquas contradictionis, non ignouisset, negans introitum in promissam terram: mirari quisquam non deberet, si populo toties aduersùs Dominum, eiúsque ministros rebellanti, ac tam contumaciter contra promissam terram loquenti, quam iamiam obtinere poterat, nec ingredi volenti, sed nouo sibi constituto duce in Ægyptum regredi deliberanti, minimè parcendum censuerit, atque ingressum in eamdem terram inhibuerit.

Explicatio ...

Cum mihi quoque iratus Dominus propter vos.] Sic etiam in c. 3 [a]. *Iratúsque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me*; & c. 4 [b]. *Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros, & iurauit, vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimã, quam daturus est vobis.* Hoc loco, ac tertio Hebræũ verbum est התאנף *hitanaph*, in secundo ויתעבר *ubhithabber*. Græcum in primo, itémque tertio ἐθυμώθη, in secundo ὑπερεῖδε, *contempsit*. Vbique Chaldaicè (*fuit ira*, &c. הוה רגז *hauah regaz*.) Quod autẽ hîc habetur (*propter vos*) & Hebraicè בגללכם *biglalchẽ*, Græcè δι' ὑμᾶς, Chaldaicè בדילכון *bedilechon*, in secundo למענכם *lemahhanchem*: in tertio Latinè (*propter sermones vestros*) quod etiam valent Hebræa על דבריכם *hhal dibrechem*, & Chaldæa על פתגמיכון *hhal pithgamechon*. Græca verò περὶ τῶν λεγομένων ὑφ' ὑμῶν, *pro his quæ dicebantur à vobis*. Ea quæ dicta fuerant à populo, quorum occasione iratus est ipsimet Mosi Dominus, pertinent ad murmur propter penuriam aquæ, vt antea dixi, non autem propter illud, quo detraxit de promissa terra vnà cum exploratoribus inde reuersis: tunc enim non legitur Moses quidquam dixisse, aut fecisse dignum illa reprehensione, sed potiùs laudabiliter, & ad placandum populum, cecidisse cum fratre in terram pronus coram illo [c], & cùm vellet ille ipsos lapidare, aduersùs Domini minas enixiùs precatus esse [d]: & Domini responsum exactè retulisse, vtque abstinerent à pugna contra Amalecitas eiusdẽ Domini iussu grauiter monuisse [e]. Quare probabilis non est Oleastri opinio (*propter vos*) hoc loco non significare, propter peccatum vestrum, sed propter regimen, & ducatum, quo vos rego, & dirigo, aut, quia consensi in missione exploratorum rogatus à vobis. Et fortè, inquit, non intrauit ipse, propter hoc, & propter propriã incredulitatem non introduxit populum. Caietã. autem perpendens בגללכם *biglalchem*, quod reddit (*in propter vos.*) si dixisset, ait, (*propter vos*) significasset, quòd vos fuistis causa iræ Dei in me: sed dicendo (*in propter vos*) significat, quòd Deus iratus est etiam in me in mea actione propter vos, in meo agere pro vobis, dum agerem causam vestrã. Deus enim, subdit ipse, non propter populi peccatum, sed propter ipsius Mosis peccatũ iratus est, agẽte Mose causam populi petentis aquã, eo quòd diffisus est, vt scriptum est Num. 20. Et scriptum est hoc, infert adhuc, vt perpendamus, quòd præfecti aliis, quamuis secundùm proprias curas rectè se habeant, secundùm tamen curam aliorum, Deum quandoque offendunt. Conueniunt reliqui in hac sententia, itaue, quod ait Hugo, murmur illud populi pro aqua, fuerit causa perturbationis, perturbatio hæsitationis, propter quam Moyses non intrauit, & cùm dicitur in Psalmo, vexatus propter illos (*propter*) dicat causam remotam, sicut & hîc. Obseruat idem præterea, sic nũc loqui Moysem ad consolationem populi, quoniã solatium est misero socios habere pœnarum.

a vers. 26.
b vers. 21.
c Num. 14. 5.
d vers. 10. & seqq.
e vers. 40. & seqq.
f Ps. 105. 32.

Præfectura malorum quam sit periculosa.

Aliud verò documentū citatus elicit Oleaster, periculosam valde rem esse præfecturam malorū, vbi omni hora in discrimine maximo sōt Prælati, quibus sæpius propter malas oues indignatur Deus, & loit bonus Prælatus malarum ouium pœnas: quod si homines ad memoriam reuocarent, non tā festini ad prælaturas currerent. At non irascitur Deus Prælatis propter peccata subditorū, nisi quatenus aliquo modo participes sunt, vel non præcauendo, corrigendóve (quod est aliena habere peccata [a]) vel inde occasionem arripiendo alia quadam ratione peccandi, vt per impatientiā, diffidentiam de Deo, &c. sicut Mosi cōtigit ad aquas contradictionis, quemadmodū iam sæpiùs notaui. Explicat Procopius, ac si diceret Moyses, ego ipse non perfidè egi, vestræ perfidiæ cùm essem impatiens, leniter de vobis statui, verbaque effutij, quæ talem contra me sententiam elicuerunt.

a Ps.18.14.

Dixerit, nec tu ingredieris illuc.] Pro primo verbo est Hebræum לֵאמֹר *lemor*, & Chaldæum לְמֵימַר *lememar, dicendo.* Græcum verò participium λέγων, *dicens*, qua vltima lingua exprimitur sententia per plures negationes, οὐδὲ σὺ οὐ μὴ εἰσέλθῃς ἐκεῖ, *neque tu non ingredieris illuc.*

Sed Iosue filius Nun.] De his omnibus aliàs actum est, atque de ratione, qua scribantur, præsertim primum, & an differat à nomine Iesu, quemadmodum Græcè hîc etiam scribitur, nempe Ἰησοῦς.

Minister tuus.] Iuxta reliquas editiones (*stās seu astās, assisténsve corā te*, vel *tibi*, הָעֹמֵד לְפָנֶיךָ *habhomed lephanecha*, דְּקָאֵם קֳדָמָךְ *dekaem kodamach*, ὁ παρεστηκώς σοι. Stare coram aliquo phrasi Hebræa idem est, quod ministrare, paratúmque esse ad ministrandū; quia solēt ministri dominis astare, seu assistere, vt præstò sint ad ministerium. Vnde quod legimus [b] Abraham cùm apposuisset tribus viris, idest, Angelis, cibos, stetisse iuxta illos sub arbore, cùm comederent, & dicitur Hebræo participio עֹמֵד *hhomed.* Græcóq; verbo παρειστήκει. Paraphrastes Chaldæus exponit per participium מְשַׁמֵּשׁ *mescammes, ministrans.* Quocirca ex hac formula quando Angelis tribuitur, vt nimirum asserantur Deo astare, seu assistere, distinctiu in assistentes, & ministrantes colligi necessariò non videtur. Immo apud Danielem [c] non minùs ministrabant decies millies cētena millia, quæ dicebantur assistere, quàm quæ ministrare millia millium. Sic verò præterea Abisag quæsita scribitur, quæ staret coram Dauide [d], cui ministrasse dicitur [e]. Tobiæ Raphaël ministrabat, vnus ex his, qui assistebant Deo [f]: prædixit Deus [g] fore, vt non deficeret vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu suo cunctis diebus, id est, ministrans. Missus est Gabriel, qui se astare dicebat ante Deum [h]. Denique Angelos omnes affirmat Apostolus [i] esse administratorios spiritus in ministerium missos, Admissa tamen distinctione, ita vt assistentes sint, qui notitiam agendorum proximè, i. verbo, hauriant, vt Seraphim, Cherubim, Dominationes, Throni ministrantes in quos illi cùm transfundant Virtutes, Potestates, Principatus, Archāgeli, Angeli: dicuntur priores adhuc administratorij, quoniam aliquando, licèt raro mittuntur: alij comparatione ipsorum magis absolutè ministrantes. Qua de re plura [k] alibi, vbi de nomine ministri, & de locis Zachariæ [l], & Apocalypsis [m], in quibus mentio est de assistentibus Angelis, aut existentibus in conspectu throni Dei. Ibidem alios auctores citaui, quibus adde de nostris in Epist. ad Hebræos, Iustinianū in primis, qui & malos spiritus notat quodammodo assistere Deo, vt etiam Scriptura testatur [a], & in Apocalypsi Alcasar. Vocatur Iosue *minister* Latinè alibi [b], Hebraicè מְשָׁרֵת *mescaretch* Chaldaicè שַׁמָּשָׁן *scummscan*, Græcè ὁ παρεστηκώς, vel ὁ θεράπων, *seruus*, vel ὁ ὑπουργός. Militiæ princeps etiam sub Mose, Iosue, atque honesto, & splendido natus loco, minister Mosis dicitur, non vili ministerio, sed quale Regibus, summisve Principibus viri nobiles, ac primarij exhibent: quemadmodum & filij, discipulique Prophetarum, horum vocabātur ministri [c], vel pueri [d], vt Elisæus Eliæ, Giezi Elisæi, Baruch Ieremiæ: & eiusmodi etiā Eliezer in domo Abraham [e], Ioseph in domo Putiphari [f], Dauid in domo Saul [g], Leuitæ erga Sacerdotes [h], Gentilium Gentiles nonnulli, de quibus Gellius [i]. Videtur præfuisse igitur Iosue domui Mosis, ac familiæ adfuisse eidem in precibus, & meditationibus, fuisse assiduum sectatorem, & maximè familiarem, consciúmque negotiorum, &c. Quod sanè totum in illius laudem singularem redundabat: tum verò, quoniā ipsemet Deus hoc loco loquens cum Mose, ministrum ipsius cognominat Iosue, & in libro Numerorum [k] vocatur electus è pluribus, Hebraicè (*pra iuuenibus ipsius*, aut *electis*) Chaldaicè (*à pueritia sua*) vt ibidem animaduertimus. Inde tantum euasisse Iosue adnotauit Ambrosius [l], qui etiam ex socio conuersationis factus fuerit successor potestatis, à quo electus fuerat, vt iuuenis pugnax, validè robustus, labores tolerare fortissimus, ad cogitandum simul & loquendum nimis idoneus, noscens decenter Deum, & Mosem colere pietate, & omni postea doctrina legum, diuinisque mysteriis, Deo etiam docente instructus. Sic de illo Iosephus [m]. Atque in hoc etiam Christum adumbrauit circumcisionis ministrum [n], quique cognominauit seipsum hoc nomine *ministri* [o], & cùm esset Dominus, & magister, discipulorum lauit pedes [p]. Lege dicta ad librum Numerorum [q].

b Gen.18.8. — c c.7.10.18. — d 3.Reg.1.2. — e vers. 4. — f Tobiæ 12.15. — g Iere. 35.19. — h Lucæ 1.19. — i Heb.1.14. — k in Ps.102.21. — l c.3.7.9.10. c.4.14. — m c.1.4. c.4.14.

Stare coram aliquo phrasi Hebr. quid.

a 3.Reg.22.19. 2.Paral.18.18. Iob 1.6. — b Exod.24.13. c.33.11. Iosue 1.1. Num.11.28. — c 1.Reg.2.11. lib.3.19.21. — d 4.Reg.4.3.11.12. & seq. c.5.20. c.16.17. c.8.4. c.9.4. c.19.6. — e Gen.24.2. — f c.39.4. — g 1.Reg.18.5. c.22.14. — h Num.3.7. — i lib.2.c.18. — k c.11.28. — l 2. de offic. c.20. — m 4. antiq. c.2. & 5. — n Rom.15.8. — o Matt.20.28. Mar.10.45. Luc.22.27. — p Ioan.13. — q c.11.28.

Ipse intrabit pro te.] Sunt Interpretis dictiones (*pro te*) nec extant in aliis editionibus. Sensus autem istius translationis est, quem tradit Abulen. quòd Iosue exerceret ea, quæ Moyses exercere deberet, populum dirigeret, quemadmodum c. 31 [r]. scribit Moyses dictum sibi, *Non transibis Iordanem istum. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidebis eas, & Iosue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.*

r vers.2.3.

Hunc exhortare, & robora.] Carent editiones aliæ priore verbo, habéntque dumtaxat (*robora*) seu (*conforta*) חַזֵּק *chazek*, תְּקִיף *thakkeph*, κατίσχυσον. Cùm exhortaretur Absalon suos ad cædem fratris Amnon [s], dixit, *roboramini, & estote viri fortes*, vbi est primo loco חִזְקוּ *chizku*, יִתְקְפוּן *ithkaphu*, ἀνδρίζεσθε. In libro Iob [t], *roborarem vos ore meo*, אַאַמִּצְכֶם *aamuschē*, אֲחַיְלִינְכוֹן *achailchon*, ἰσχύς, &c. *sit robur*, siue *vis*, &c. Item [u] *genua trementia confortasti: & vacillantes confirmauerunt sermones tui*, hoc est armare nō clypei, & hastæ munitione, sed sermonibus optimis & exhortationib [x]. qui dicuntur Græcè ἀγαθοὶ λόγοι, καὶ παράκλησις. Iterum inferiùs c.3 [y]. *præcipe Iosue, & corrobora eum.* חַזְּקֵהוּ *chazakkehu*, תַּקְּפִיהִי *thakkephehi*, κατίσχυσον αὐτὸν, καὶ παρακάλεσον αὐτὸν, *corrobora eum, & exhortare eum.* In c. 31 [z], *hoc ipsum præstitit Moses, dicens Iosue. Confortare, & esto robustus*: eademmétque verba Dominus eidem Iosue inculcauit [aa]. חֲזַק וֶאֱמָץ *chasak veematsu*, תְּקַף וְחַלִּים *thekeph vehhallem*, ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε. Exhortatio pertinet ad persuasionem, vt Iosue admittat curam regiminis; roboratio ad hoc, vt planè confidat, se difficultates omnes, Deo iuuante, superaturum, &

s 2.Reg.13.28. — t c.16.5. — u c.4.4. — x 2.Macha.15.11. — y vers.28. — z vers.2. — aa vers.23.

& quamuis Mosi tanto viro iratus esset Deus, aditúque promissæ terræ prohibuisset, nihilominus ipsum in eam sine dubio ingressurum.

Et ipse forte terram diuidet Israeli.] Prima particula causaliter sumi debet, cuius notionis est hoc loco ב *chi*, יַנְחִל *are*, *&c. forte diuidet.* significat *sanctificabit.* Hebræum, & Chaldæum verbum cū affixo pronomine fœminino denotāte יִרְשָׁהּ *erat*, postam versu 36. *hereditare facies eam*, תַּנְחִלֶנָּה *tanchilennah*, תַּחְסְנִנַּהּ *tachsinennah*. Vltimum nomen in casibus obliquis alibi [a] etiā vsurpat Interpres, licèt longè sæpius indeclinabiliter. Quo pacto autem eadem terra promissa, tum sorte, tum hæreditate acquisita diuisáve dicatur, aliis quoque locis non semel annotatum est.

a Exod. 6. 14. c. 14. 15. c. 18. 1. 9. Num. 1. 10. c. 10. 29. c. 33. 21. c. 73. 23. c. 14. 1. Iosue 7. 8 c. 8. 14. c. 9. 6. c. 13. 1. 1. Iudic. 3. 14. c. 8. 35. c. 10. 2. 3. 1. Reg. 1. 14. 22. c. 3. 21. c. 7. 14. 16. 17. c. 15. a. c. 16. 15. c. 17. 5. lib. 2. 3. 19. c. 10. 17. lib. 4. 13. 5. c. 14. 16. c. 19. 18. 1. Para. 16. 40. c. 21. 3. c. 26. 30. lib. 2. 2. c. 1. 4. lib. 2. 29. 14. 1. Esdræ 5. 1. Pf. 146. 1.

Vers. 39. Paruuli vestri, de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo Terram, & possidebunt eam.

Vers. 40. Vos autem reuertimini & abite in solitudinem per viam Maris rubri.

CVm lata esset in rebelles sententia, Mosique ipsi denuntiatum, quòd in terrā promissam non intraret, sicut nec illi, illos eosdem regredi præcipiens Deus, vnde venerant, procul ab ea terra in solitudinem, versùs mare rubrum; affirmat referuatum ingressum, atque possessionem dictæ terræ filiis eorum, quos veriti se causati fuerant, ne abducerentur in captiuitatem à Chananæis, quos si tunc progredi vellēt intro vsque in Chanaan, experturi essent hostes victoréque. Præcedente libro [b] fusiùs hæc narrantur, quo pacto vociferata omnis turba, flénsque nocte tota, & murmurantes contra Moysem, & Aaron cuncti filij Israël mortem imprecati fuerint sibimetipsis, gladio casuros se asseruerint, vxores verò ae liberos captiuos ducendos: constituto alio duce reuerti in Ægyptum deliberauerint, supplicatione Moysi & Aaron, atque acri oratione Iosue & Caleb persuaderi nequiuerint, sed cùm clamantes adhuc, lapidare etiam Principes suos voluissent, exoratúsque Mosis obsecratione Dominus, interim dilata eorum interfectione, intaoerit, præter Caleb, & & Iosue, nemiuem io Chanaan ingressurum ea rebellibus egressis ab ætatis anno vigesimo, & supra de Ægypto: sed filios postquam pro numero dierum quadraginta in exploratione Chanaan positorum, totidem annis durasset peregrinatio in deserto. Nec tamen intelligi debet omnes dictæ minoris ætatis infra vigesimum annum, qui tunc viocbāt, cùm hæc dicerentur, hoc est, anno secundo ab egressu de Ægypto ingressuros Chanaā omnino fuisse, nisi per ipsos staret ob aliud nouū peccatū diuersū in peccato isto detractioois de Chanaan, & inobedientiæ circa imperatū ingressum in eam. Nā inter interfectos murmuratores propter manna, & alios initiatos Beelphegor, & alios in seditione Rubenitarū cum Leuitis [c], facilè credi potest, non paucos extitisse ex iis, qui cùm egressi sunt de Ægypto, infra viginti annos erant. Alioqui ex isto loco infert Hugo argumentum, quòd paruuli non consentientes malo, pro peccatis parentum non sunt puniendi. Exceptio est, quando in iusto bello victoria obtineri aliter nequeat, nec satis tuti victores reddi possint, ne superstites damnum inferant aliquando Reipublicæ. Oleaster no-

b c. 14. 5. & seqq.

c Num. 16. & 20. & 21. & 25.

tat bonam semper fuisse apud Deum paruulorum conditionem, & quemadmodum soli paruuli promissam ingrediuntur terram, ita qui non conuertuntur effecti sicut paruuli, nō intrare in regnum cælorum [a], & qui malitia paruuli non sunt [b]: denique quid valeat non esse crimina patrisipem. *Quia puer Israel, & dilexi eum*; id est, propterea, inquit apud Oseam [c] Deus, & commendatur Saul, cùm regnare incipiens filius vnius anni esset [d], idest, vt vnius anni puer innocens, vt exponit Paraphrastes: & sponsus attendens innocentiā sponsæ, appellat sororem paruam absque vberibus [e]. Caueadum diligentissimè, ne cor obduremus, vocem audientes [f] inuitantis ad promissiones cælestes, terrámque desiderabilem pro nihilo habeamus [g], sed adhortemur nosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduremur ea fallacia (*ἀπάτη* dicitur, id est, *error*, seu *deceptio*) peccati [h]; & fallentis nos diaboli, mundi, carnis, iúsque nostrum primogenitorum tam parui faciamus, tam paruo vendamus [i], sed festinemus ingredi in illam requiem, vt ne incidamus in idipsum incredulitatis exemplum [k]. Imperata rebellibus reuersio index fuit nihil aliud peccatū esse, quàm vagationem, ac errorem mentis, ac voluntatis, quamdámque velut apostasiam, & retrogradum gressum. Opus est omni volenti cælum possidere, ait Ambrosiani nomiuis in Epist. ad Hebræos [l] commentarius, fidem operibus bonis ornare. Si enim illi tertaio iotrare non metuerunt, quia murmurauerunt cōtra Deum, quomodo nos cælum merebimur intrare, indifferenter viuentes, sicut gentes? Deliciis dissolutus vagatur [m], ipsaque vagatio, ac error pœna est illi, qui veras delicias præ metu nonnullius laboris refutat. Incedens quondam data opera Diogenes gressu retrogrado in Stoicorum gymnasio, irridentibus dixit, *non vos pudet vitæ spatio retrorsum gradu conuerso, & mihi tantùm idem deambulando facienti vitio vertere?*

a Matth. 18. 3.
b 1. Cor. 14. 20.
c 11. 1.
d 1. Reg. 13. 1.
e Cant. 8. 8.
f Pf. 94. 8. Hebr. 3. 8.
g Pf. 105. 24.
h Hebr. 3. 13.
i Gen. 25.
k Heb. 4. 11.
l ibidem.
m Iere. 31. 22.

Paruuli vestri.] Numero singulari Hebraicè, & Chaldaicè טַפְּכֶם *tappechem*, טַפְלְכוֹן *taph lechon*. Græcè pluraliter *τὰ παιδία ὑμῶν*. Extant eædem voces, declaratæque sunt libro præcedente [a] in eadem sententia. Significari vult Abulen. pueros infra viginti annos; qui tamen rationis vsum haberent. Suadet id quod sequitur de ignorantibus boni, & mali distantiam.

a c. 14. 31.

De quibus dixistis.] Nimirum citato loco prioris libri. Eo autem pacto locuti sunt metu exanimati, & de diuinis prædictionibus, promissisque hæsitantes, ac diffidentes.

Quod captiui ducerentur.] Ibidem (*quod præda hostibus forent*) cùm tamen editionum cæterarum phrasis eadem sit ibi, & hic לָבַז יִהְיֶה *lavaz ihieh*, לְבִזָּא יְהוֹן *leuizza iehon*, *ἐν τῇ διαρπαγῇ ἔσεσθαι*, vel *εἰς διαρπαγήν*. In Complutensibus, Regiis, & aliis nonnullis Bibliis leguntur ista. *καὶ τὰ παιδία ὑμῶν ἃ εἴπατε ἐν τῇ διαρπαγῇ ἔσεσθαι*, sed absunt à Sixtinis emendatis.

Et filij, qui hodie boni & mali ignorant distantiam.] In Hebræo, Chaldæóque textu (*& filij vestri qui nesciunt hodie bonum, & malum*) in Græco (*& omnis paruulus iunior, seu iuuenis, seu nouus, aut recens, qui non vidit, aut vidit hodie bonum, aut malum*, *καὶ πᾶν παιδίον νέον ὅστις οὐκ οἶδεν σήμερον ἀγαθὸν ἢ κακόν*. Descriptio est per ignorantes distantiā boni, & mali, seu bonū & malum ætatis cæteris vsu discretionis seu rationis, liberíve arbitrij, & per (*hodie*) designatur tēpus, quo populus murmurauerat cū exploratoribus detrahētque de terra Chanaā. Mysticè Glossa interlinearis per paruulos in priore mēbro

Hodie dictio quid significet. Sensus mysticus.

interpretatur Gẽtiles pauperes spiritu, quos Iudæi despiciebant: per alios illius membri, eosdem, qui versabantur antea in tenebris, nec satis discernebant inter Deum, & diabolum. Scientia boni, & mali diuinum quid habetur [a], sacris ministris in primis necessaria est, seu discernendi inter sanctum, & profanũ, inter pollutum, & mundum [b], qui separari nouit pretiosum à vili, quasi os Dei est [c]. Hoc Salomon, vt bene regeret, petebat, discernere bonum, & malum [d]. *Sapiens bona, & mala in hominibus* (malè *in omnibus*) *tentat* [e], *væ illis qui dicunt malum bonum, & bonum malum* [f]. *Emanuel butyrum, & mel comedet, vt sciret reprobare malum, & eligere bonum* [g]. perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habẽt sensus ad discretionem boni & mali, comprehendendo in his quoque verum & falsum. Cæterùm loci nostri sententiam Oleaster, locutionémve ad schemata Hebraica pertinere admonet, qua significetur non habere vsum rationis, seu discretionem ad discernendum. Similis alia in Iona Propheta [h], quam Deus ipse vsurpauit de nescientibus quid sit inter dexteram, & sinistram, quibus ille propterea parcendum fuisse dixit, sicut & iumentis, ibidémque declarat Paraphrastes expressè de pueris, quibus tamen etiam alij, rudes, & inertes connumerant, & per dextram sinistrámque designatur bonum, & malum. Simile Satyrici [i], licèt haud ita castum purúmque de Venere ebria adagium,

—— *Quid enim Venus ebria curat?*

Inguinis, & capitis, quæ sint discrimina nescit.

idest, crimen ne turpius coitus, aut fellationis. Porrò ad aliud pertinet, quod Christus dixit [k] de dante eleemosynam, ne sciat sinistra quid faciat dextera eius. Ex isto autem nostro prouerbio, illóque alio Ionæ, confutat Bellarminus [l] noster hæreticos asserentes ipsummet peccatum, quod originale dicitur, esse actuale etiam in pueris, esseque impossibile, vt fomes sit absque actuali peccato, & fomitem, sine concupiscentiam esse peccatum originale: hoc item quod vocatur originale esse genialem impetum, ac energiam, qua ad peccatum trahimur, rem viuam, quæque moueatur, actualem prauam cupiditatem: prætetea quòd homines sint sine metu, & fiducia Dei, habeant illius cõtemptum, oderint iudicium illius, fugiant iudicantem, irascantur ei, desperent gratiam, ament se magis quàm illum, præditi sint actuali cogitatione mala, tum prima, & indeliberata, tum etiam deliberatione confirmata, &c. Nam infans intra vterum matris, recénsve natus, & aliquanto pòst caret vsu mentis, ideóque cogitare nõ valet, nec ad id, nec ad alios actus habendum teneri potest, quibus necessarius est vsus rationis, liberíque arbitrij. Citatis quoque locis dicuntur etiam aliqui ob pusillam ætatem ignorare distantiam boni, & mali, quídque intersit inter dexteram, & sinistram, quanto magis Dei iudicium, misericordiam, gratiam, & similia: vt idcirco nec possint iudicium Dei fugere, de misericordia dubitare, gratiam desperare, &c. Denique Paulus [m] de duobus illis fratribus scribit, cùm nondum nati fuissent, aut boni aliquid egissent, aut mali: loquitur verò de iam conceptis, & in vtero existentibus.

Ipsi ingredientur.] Omittitur aduerbium (*illuc*) שמה *schammah*, לשמה *leschammah*, ἐκεῖ: intelligitúrque sententia morituros in solitudine parentes eorum, & ex ipsis ingressuros, qui aliam nouam ob causam non meruerint mortem, sicut notaui non ...

a Gen. 3. 5. 22.
b Leuit. 10. 10.
c Ierem. 15. 19.
d 3. Reg. 3. 9.
e Eccl. 39. 5.
f Esa. 5. 20.
g c. 7. 15. 16.
h c. 4. 11.
Dextra sinistraque, pro bono & malo.
i Iuuen. satyr. 6. vers. 300.
k Matt. 6. 3.
l 5. de amiss. gra. c. 4.
m Rom. 9. 11.

paucis contigisse.

Et ipsis dabo terram, & possidebunt eam.] Repetitur primum pronomen masculinum in aliis editionibus, & secundum verbum indicat hæreditario possessionem, sed Græcum κληρονομήσουσι, cui sors adiungatur in eiusdem partitione.

Vos autem reuertimini, & abite in solitudinem per viam maris rubri.] Hebraicè (*& vos respicite vobis,* ואתם פנו לכם *veatthem penu lachem*, idest, *vertite vos, & proficiscimini in desertum via, seu per viam maris Suph*, hoc est, rubri.) Possent nihilominus verba Hebræa פנו *penu*, & סעו *sebhu*, reddi per præteritum, *reuersi estis*, & *profecti*, quoniam æquè pertinent ad indicatiuum, & imperatiuum modum, sicut etiam Chaldæa אתפנו *ithpenu*, & טולו *tulu*. In editione autẽ Græca est aoristi temporis verbum cum participio καὶ ὑμεῖς ἐπιστραφέντες ἐστρατοπεδεύσατε, *& vos reuersi castrametati estis*: vel *conuersi, castra mouistis*. Habent nihilominus quidam codices imperatiuè στρατοπεδεύσατε, *castra facite*, vel *abite*. In c. 14 [a]. libri Numerorum dixisse narratur nomine Dei Moyses populo: *Quoniã Amalecites, & Cananæus habitãt in vallibus, cras amouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri.* Ibi eadem phrasi vtuntur Hebræa, & Chaldæa editio, Græca verba sunt, ἐπιστράφητε, καὶ ἀπάρατε, *conuertimini, seu reuertimini, & discedite*, aut *promouete vos*. Iubebatur populus redire versùs desertum Pharan, nec vltra progredi ex loco, in quo proximus erat Amorrhæis, vt longiùs abessent ab istorum armis, quemadmodum mox dicetur. De illo deserto déque mari rubro dictum satis alibi.

a vers. 25.

Vers. 41. Et respondistis mihi: Peccauimus Domino: ascendemus & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cũque instructi armis pergeretis in montem,

Vers. 42. Ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris.

LIbri prioris c. 14 [b]. commemorantur eadem isto sermone. *Et ecce manè primo surgentes ascẽderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccauimus. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum. Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quòd nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.* vbi non habetur expressa prohibitio diuina, sed tantùm [c] prædictio, quòd numerati à viginti annis, & supra, qui murmurauerant contra Dominum, non essent intraturi terram Chanaan, sed in deserto morituri, &c. Poterat illa prædictio vim prohibitionis habere, ne scilicet conantes intrare, mendacem reddere velle viderentur Dominum, qui prædixerat. Credi tamen debet adiectam prædictioni prohibitionem nominatim, quæ disertè hoc loco scribitur. Cùm autem pœnitentia quadam ducti narrãtur hîc ascensuros se dixisse, & pugnaturos, sicut præceperat Dominus: videtur de suo addidisse, quòd pugnare Dominus præcepisset. Obiicientibus decem exploratoribus stirpẽ Enac, alióśq; terribiles, & fortiores hostes, Caleb primùm animauit, ac deinde cũ ipso

Iosue;

PARAPHR.
b vers. 40. & seqq.
c vers. 29.

a Ibid. c. 13. 29. & seqq. c. 14. 6. & seqq.
b c. 14. 36. 37.

Iosue, atque Domino fidentes metum deponerent & alacriter ascenderent [a], subitao morte perierunt repentina decem aliorum exploratorum interpretati sunt voces duorum Caleb, & Iosue eo diuini præcepti simul cum iis vocibus, quas Moses Domini comminantis nomine protulerat. Vel quoniam sibi similem aliis interitum repentinum perhorrescebant, præ se tulerunt vehementem voluntatem diuinis etiam solis notibus obtemperandi, vt iniretur possessio Chanaan, quamuis non sine pugna præstari id posset. Cæterùm dicto prioris libri loco annotauimus, quod item Oleaster nunc monet, non omnem pœnitentiam acceptari à Domino, vt propter eam donet, quæ postulantur, quemadmodum legitur de Esao, Saule, Antiocho. B Quod subdit seuerè puniri nostram inciuilitatem, qui pro nihilo reputamus Dei mandatis primùm non obtemperare, si postmodum obediamus, non adeò facit ad propositum, quia propriè isti non obediebant, immò contra Dei voluntatem faciebant: & si quis verè ac seriò post inobedientiam obediat, iam non punit Deus, sed non recordatus prioris inobedientiæ, admittit ad pœnitentiam. Rickel. tropologia est, ne quis contra doctrinam Scripturæ, aut contra suorum monita *prælatorum* sponte se ingerat ad prælia tentationum, instructos armis propriæ præsumptionis, & confidens viribus suis, quia si fecerit, ab immundis spiritibus facillimè elidetur, sicut solent apes (de his hic postea) prosterni. Propter C quod, inquit, imperfectis non expedit tentationes optare. Qui autem in omni humilitate, caritate, discretione bene fundati sunt, & armati in Domino, ita vt dicere queant [c], *persequar inimicos meos*, &c. possunt eas sine periculo affectare. Rabanus, ex eóque mutuans Glossa, tradunt eumdem moralem sensum vberiùs collectum simul ex sequentibus. Hæc sententia humanam percutit superbiam, ait Glossa, paolò pressiùs Rabanum transcribens, quæ de suis viribus præsumit, & non in Dei confidit potentia. Amorrhæi enim, idest, amaricantes, hostes sunt spirituales, qui habitant in montibus superbiæ, & præsumptuosos necant de Seir vsque Horma, id est, à squallore vitiorum D vsque ad damnationem pœnarum. Seir namque pilosus, Horma interpretatur anathema. Quisquis enim vitiorum sordibus non metuit pollui, hunc necesse est pro meritis gehennæ ignibus tradi. Dæmones enim volunt nos implicare cupiditatibus terrenis, & si perseueramus in peccatis, & in montem superbiæ ascendere non desistimus, ignitis iaculis concidunt, ac perducunt ad anathema perpetuum. Ideo non secundùm Pelagianistas de nostra præsumamus potentia, sed infirmitatem nostram considerantes, Domino per omnia obsequamur, vt superatis hostibus cælestis patriæ gaudia promissa consequamur.

c Ps. 17. 38.
d c. 14. 40. Exod. 10. 16. Nu. 32. 23. 1. Reg. 2. 25. 2. Paral. 29. 10. Prou. 8. 36. Dan. 9. 7. 2. Mach. 7. 18. 1. Cor. 8. 12.
Seir & Horma.
e Exod. 32. 33. Iosue 7. 1. Iudic. 10. 10. 1. Reg. 7. 6. c. 14. 33. 34. lib. 3. 8. 33. 46. 2. Paral. 6. 24. 36. c. 12. 2. c. 28. 13. 2. Esd. 1. 6. Ps. 40. 5. Ps. 50. 6. Ps. 118. 11. Ier. 3. 25. c. 8. 14. c. 14. 7. 20. c. 16. 10. c. 33. 8. c. 40. 3. c. *Explanatio.* 44. 23. c. 50. 14. Baruc. 1. 13. c. 2. 5. Ezech. 14. 13. Dan. 9. 11. Osee 4. 7. Mich. 7. 9. Sopho. 1. 17.
f Esth. 14. 6. Dan. 13. 2.
g Baruc. 1. 17. c. 3. 33. c. 4. 1. 6.
i Luc. 15. 18.

Et respondistis mihi.] Addunt editiones aliæ (*& dixistis.* Omittit quandoque huiuscemodi pleonasmos, duplicíique idem significantis verbi E repetitionem.

Peccauimus Domino.] Chaldaicè (*coram Domino*) יי קדם *kodam Iehouah*, Græcè *coram Domino Deo nostro*, ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν. Libro præcedente (*peccauimus*) variis locis legitur iuxta editionem Latinam peccare in Deum, seu in Dominum [d] Deum, Deo, siue Domino [e]; in conspectu eius [f], ante illum [g], coram illo [h], quo pacto prodigus filius peccasse se fatebatur coram patre [i]. Non videtur vilum, aut certè magnum in his di-

A scrimen esse, vt & nonnunquam in eo quod est credere Deo, & in Deum, aut etiam Deum, de quibus dicendi fortuitis alias egimus, docentes iis denotari peccatum Deo conscio fieri, & quodcumque illud sit, in eius iniuriam cedere, licet proximè possit esse contra proximum. Eodem autem pacto peccare in aliquem alium est, vel ipso sciente, vel contra ipsum. Peccatum porrò istud fuerat etiam contra Moysen, & Aaron, Iosue, & Caleb, ita vt vellet etiam populus lapidare siue priores duos, siue posteriores, siue vtrosque [a]: tamen & Moyses aliàs murmur, quod erat contra se & fratrem, negauit esse contra ipsos, sed contra Deum [b], & posteriores. De murmure contra eumdem, non contra se, mentionem fecerunt [c]; B Deus autem de murmure contra seruos suos [d].

Peccare in aliquem alium, quid.

a Num. 14. 10.
b Exod. 16. 8.
c Num. 14. 9.
d c. 17. 5.
e c. 14. 40.

Ascendemus, & pugnabimus.] Potest emphasim habere præpositum (*nos*) in editionibus aliis. In libro præcedente [e] dixisse scribuntur (*parati sumus ascendere*, &c.) aut iuxta alias editiones (*ecce nos ascendemus*,) vel (*& ascendemus*) vbi per (*parati sumus*, aut, *ecce nos*) intelligere licet, quòd sese promptos & expeditos cum armis exhibuerint.

Sicut præcepit Dominus Deus noster.] Addi potuit (*nobis*) secundùm editiones alias, quæ habent præterea (*iuxta omnia, quæ præcepit*, &c.) inter quæ tamen docui, priùs non videri fuisse præceptum de pugnando, & quamuis id præcepisset antea Dominus, satis censeri debebat retractasse hoc C ipso, quod propter proximè præcedentem inobedientiam, prædixerat fore, vt non intrarent, idque interfectione decem exploratorum, veluti sanciuerat. Vim porrò habent pronomina (*noster*, & *nobis*) & quòd Dominum Deum suum vocant, & quòd secundùm alias editiones habetur (*iuxta omnia quæ præcepit*) vt indicetur affectus amoris, reuerentiæ, pœnitudinis, obedientiæ, zeli honoris diuini, tametsi nihil horum propriè in his erat. Nam Abulen. rectè obseruat, hos excæcatos esse peccato graui (vocatur citato loco [f], obtenebratio,) vt priori inobedientiæ nouam inobedientiam superadderent: cúmque priùs mandasset Deus, ascendere, & noluissent, nunc mandasse, ne ascenderent, & ascendisse, factósque filios contradictionis, & vt arcum prauum conuersum con- D tra tenentem se: tamen videri motos aliquo bono zelo, licèt indiscreto; scilicet, quia Deus mandauerat eis antè, vt ascenderét immediatè in terram promissionis; sed quia non confidentes Deo, non ascenderunt, sed miserunt exploratores, peccauisse: nunc, vt istud vitium purgarent, voluisse plus agere, quàm Deus præciperet, immediatè ascendendo contra terrã promissionis. Sic enim faciunt, inquit, milites, qui si in aliquo Regem suum offenderint, postea se magnis periculis obiiciunt, vt amorem testentur. Et sic innuebant isti, cùm dixerunt, *ascendemus, & pugnabimus, sicut præcepit nobis Dominus Deus noster*. Volebant ergo, subdit ipse, nunc supplere mandatum Dei, quod antea non compleuerant. Sed iste zelus fuit E valde indiscretus. Nam si Deus nihil dixisset, bene staret, quòd ipsi moueręntur ad supplendum in quo antè defecerant. Sed nunc Deus mandabat oppositum, cùm dicebatur, *nolite ascendere, nec pugnetis; non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris*. Velle ergo contra Dei mandatũ pugnare, nõ erat cõplere præceptum in quo defecerant, sed veteri inobedientiæ nouã supperaddere.

f vers. 44.

Cúmque instructi armis pergeretis in montem.] Hebraicè *& accinxistis vir*, idest, vnusquisque *vasa belli sui*, hoc est, arma bellica sua, *& fastigistis*, seu

contendistis, parati fuistis, & quasi, ecce nos paratos esse dixistis, & voluistis ascendere in montem.) Verbum וַתָּהִינוּ *thabinu*, quod est ante vltimum לַעֲלֹת *hhaloth, ascendere*, ab הוּן *hauan*, siue הִין *hin*, vel, si Oleastro credimus, etiam ab הָנָה *hanah*, hoc solùm loco reperitur, ipsúmque dicitur sumptum ab הֵן *hen, ecce*, & dictis modis exponitur, & hîc à Paraphraste *cœpistis*, שָׁרִיתוּן *sciarethun*. Refert præterea Pagninus alios deriuantes ab הוֹן *hon*, quod valet inter alia, *satis*, quasi vertas, *sategistis*. In c. 14 [a]. Numerorum quod legimus (*parati sumus ascendere*) Hebraicè habetur הִנֶּנּוּ וְעָלִינוּ *hinnenu vehhalinu, ecce nos, & ascendemus*: eodémque pacto per particulam הָא *ha*, Chaldæam, & ἰδὲ Græcam, ita vt verbum istius loci וַתָּהִינוּ *thahinu* videatur ad illud הֵן *hen* respicere. Tota verò sententia in editione Græca est (nam Chaldæa consentit cum Hebræa) *καὶ ἀναλαβόντες ἕκαστος τὰ σκεύη τὰ πολεμικὰ αὐτοῦ, καὶ συναθροισθέντες ἀνεβαίνετε εἰς τὸ ὄρος, & assumentes*, seu *accipientes vnusquisque vasa bellica sua, & congregati ascendistis in montem.* Dictum verbum וַתָּהִינוּ *thahinu* ab הוֹן *hon* idem Pagninus declarari putat posse *condensastis*, seu *collegistis*, necnon *contendistis*. Græcum participium collectionem densam valet, quæ bellè conuenit militibus, confertim, cúmque impetu vnà irruentibus, quales qui nunc describuntur. Quod attinet ad arma Rickelius notat, quòd Hebræi dicuntur in Exodo [b] armati ascendisse de Ægypto: videri autem aliquibus, quòd arma secum tulerint: quòd Ægyptij concesserint iis aliqua, sicut & vasa aurea, atque argentea: alios velle per arma intelligi fustes, & baculos, aut etiam gladios. In eodem libro Exodi [c] recensentur sexcenta tria millia, quingenta, & quinquaginta armatorum, ex Aquila, & Symmacho dicuntur ibi *καθωπλισμένοι*, vel *ἐνωπλισμένοι*, vt etiã testatur Hieronymus [d]; ex editione Hebræa חֲמֻשִׁים *chamuscim*, quasi quintati, & cum Theodotione *πεμπταζόμενοι*, atque ordinatè more exercitus ascendentes, & accincti armis in loco quinque castrorum, vt ait Caietanus [e], Lipomanus, Vatablus, Fagius, Mariana noster, Corneliúsque, & Rabbini. Memini, ni fallor, alibi scribere Philonem [f] inermes Hebræos de Ægypto recessisse, & Iosephum [g] prædam pretiosam sublatam ab inermibus. Vterque etiam tradit speratum ab Ægyptiis fugientes persequentibus, quòd inermes, ac de via lassos facilè in potestatem redacturi essent. Ezechielos poëta apud Eusebium [h] tradit postera die à submersis Ægyptiis, cùm æstus, & ventus arma in litus expulisset, in quo tum Hebræi castra posuerant, collecta esse vnà cum spoliis videlicet aliis, de quibus Sapiens [i]. Legantur Abulensis [k], Masius [l], Salianus noster [m]. Ex victoria item de Amalecitis, quæ adhuc reportata est ante hoc tempus [n]: arma multa Hebræos collegisse idem Iosephus [o] narrat cum varia supellectili castrensi.

Ait mihi Dominus.] Præteriti temporis verbo vtuntur editiones aliæ, *& dixit*, וַיֹּאמֶר *vaiomer*. (vertit namque prima litera futurum in significationem præteriti) וַאֲמַר *vaamar*, καὶ εἶπε. Sic sæpissimè Interpres verbum id vsurpat. Et quamuis Grammatici non agnoscant verbi, *aio*, præteritum perfectum, boni tamen auctores videntur mihi, *ait*, non rarò sumere pro, *dixit*, seu *locutus est*, vt cùm post recitatam cuiuspiam orationem, sermonémve, mox addunt, *sic ait*; quod factitat frequenter Virgilius inter alios, & memorant quid qui audierint, vel responderint, vel egerint [p].

Sic ait, & cuncti dictis paremus ouantes.

Quamquam ob temporis breuiora interualla, & nexum, atque consequentiam subitam, quod proximè factum, dictúmve est, velut præsens enunciatur. Quo pacto (*ait*) propriè præsentis temporis interpretari possumus omninò quoque futuri habere. Idem iudicium de (*inquit*) & (*infit.*)

Dic ad eos.] Priore membro Hebraicè, & Græcè (*dixit ad me*, אֵלַי *elai*, πρός με) Chaldaicè (*mihi*, לִי *li*) in hoc secundùm dictas alias editiones (*eis*, לָהֶם *lahem*, לְהוֹן *lehon*, αὐτοῖς. Vnde intelligitur Interpretem non ita se astringere ad voces vocibus idem penitus valentibus reddendum.

Nolite ascendere, neque pugnetis.] Editiones reliquæ (*non ascendetis, neque pugnabitis.*) Monui verò non semel alibi, solemne Interpreti esse, negata, seu vetita exprimere adiectione verbi nolendi, quod satis tamen per se intelligitur, quando prohibetur quis quidpiam, aut loqui, aut facere: indéque libertas colligitur arbitrij, quia frustrà vetes, quod ipse vetare nequeam. In libro Numerorum [a]. *Nolite*, inquit, *ascendere*. Vbi omittitur pugnandi prohibitio: phrasis autem eadem est, quæ hoc loco iuxta alias editiones.

Non enim sum vobiscum.] Hebraicè (*in medio vestri*, בְּקִרְבְּכֶם *bekirbechem*) Chaldaicè (*quia maiestas mea non habitat inter vos*, אֲרֵי לֵית שְׁכִינְתִּי שַׁרְיָא בֵּינֵיכוֹן *are leth scechinthi sarea benechon*. Citato loco libri prioris [b] (*non est Dominus vobiscum*) Chaldaicè (*non est maiestas Domini inter vos.*) Hebraicè sicut hîc. Est Deus vbique per essentiam, præsentiam, potentiã, non tamen operatur vbique quidlibet: atque ita non erat cum Hebræis, vt illos liberaret. Non timebat mala Dauid, dicens Deo [c], *quoniam tu mecum es*. Deus iussit, ne timeret Ieremias, quia cũ ipso erat, vt liberaret [d]. Sed hac de re plura in commentario Psalmi 22 [e]. atque de salutatione solemni, *Dominus vobiscum*, super qua tractatum edidit Petrus Damiani. Ad rem facit salutatus Gedeon fortissimus virorum, quasi causa esset, quòd cum eo esset Dominus [f]; vel quemadmodum sonãt Græca in recto casu *ἰσχυρὸς δυνάμεων, fortis virium*, siue *pollens viribus*, quia Dominus qui fortis est, ac potens, erat cum illo. Augustinus [g] quidem, quod Angelus, inquit, dicit ad Gedeon, *Dominus tecum potens in fortitudine*, nominatiuus casus est, non vocatiuus, hoc est, Dominus potens tecũ est, non tu potens. Sed pro translatione nostra potest Græca versio exponi *κύριος μετά σου ἰσχυρὸς τῶν δυνάμεων. Dominus tecum, ô tu* nimirum, qui es, ὁ ὤν, *fortis virium*, vel *viribus*; tum natura ipsa quãtum ad corpus, animúmque, tum, ac multo magis, iisdem deinceps valiturus ob Dei opitulantem præsentiam. Dum diro Antiochia terræmotu concuteretur, ne funditus periret, visione diuina quidam monitus est, hæc pro foribus verba inscribere, CHRISTVS NOBISCVM, STATE, ac quotquot inscripserunt, è suis domibus terræmotum depulerunt [h]; túncque ciuitati nouum nomen inditum Theopolis: quo modo in Iustiniani constitutionibus ab illo tempore promulgatis, & in aliis antiquis monumentis appellata inuenitur. Clausit adeò illustri hoc promisso Christus Euangelium suum [i], *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. & apud Esaiã Deus [k], *Ne timeas*, ait, *quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepi te dextera iusti mei.*

Ne cadatis coram inimicis vestris.] Idest, cauete, ne ascendentes, atque pugnantes contra prohibitionem meam, cadatis coram inimicis vestris, vel

conte

[a] vers. 40.
[b] c. 13. 18.
[c] 38. 26.
[d] epi. 125.
[e] in Exod. 13.
[f] 1. de vita Mosis.
[g] 2. de antiq. c. 6.
[h] 9. de præparat. c. vit.
[i] c. 10. 20.
[k] in Exod. 13 q. 9.
[l] in Iosue 1. 14.
[m] to. 2. annal. anno 2544. num. 146. & seq.
[n] Exod. 17. 9. & seqq.
[o] 3. antiq. c. 1.
[p] Æneid. 3. vers. 189.

[a] c. 14. 42.
[b] ibidem.
[c] Ps. 22. 4.
[d] Ierem. 1. 19.
[e] vers. 4.
[f] Iudic. 6. 12.
[g] Ibid. q. 31.
[h] Theophã. miscell. lib. 16. Cedre. in annalib. Niceph. lib. 17. c. 3. Euagr. l. 4. c. 6.
[i] Matth. 28. vltimo.
[k] c. 41. 10. c. 43. 5.

contemnitis, quod plus est, significatúrque verbis [Hebrew] *thanagbephu*, [Hebrew] *thuthauerun*, [Greek]. Eadem formula extat c.14. [a] libri prioris, Sed Græcè [Greek] :& Latinè (*corruatis.*) hic pro [Greek], *ante faciem*, id est *coram*. Non continuit Deus in ira misericordiam suam, nec oblitus est misereri [b], sed iratus misericordiæ recordatus est [c]. Admonuit ne se inobedientes isti, ingrati, murmuratores, detractores aperto periculo exponerent: misit, vt sibi cauerent ab hostibus, certúmque vitarent interitum. Miraoda valde, inquit Caietanus, benignitas sollicita, ne populus, quamuis rebellis, cadat gladio inimicorum: simulque tria eis insinuat. Primum, quòd ipse Deus non est cum eis ad adiuuandum in huiusmodi progressu propter rebellionem eorum. Secundum, quòd ipsi solis propriis viribus pugnando, succumbent hostibus, quod & rei probauit euentos. Tertium, quòd diuinus erga eos amor perseuerat, ad monendum, & manifestandum, ne pugnent, ne corruant hostili gladio.

a c.14.42.
b ps.76.10.
c Abac.3.2.

Vers. 43.] Locutus sum, & non audistis: sed aduersantes imperio Domini, & tumentes superbia, ascendistis in montem.

PARAPHR. **E**Xprobrat pertinacem inobedientiam priori superadditam inobedientiæ, & propterea deteriorem maioreque dignam reprehensione, & pœna, quòd cùm ascendere versùs proximam promissam terram, sicut ipsis imperabatur, noluissent, contenderint nihilominus ascendere, quando id iisdem adeò disertè seueréque prohibebatur, videlicet non vera ducti pœnitentia, syncetáque parendi voluntate, sed inflati vana, & stulta sui confidentia, quasi prævollerent viribus, plusquam hostes, aut perinde ac si Dei certò sibi promitterent auxilium, cuius toties benignitatem, & beneficentiam experti fuerant, etiam post grauia in eumdem peccata, aut quasi inanes, ac nudæ minæ fuissent bruta irritaque fulmina territantis Dei, non fetiæ veræque prædictiones. Contenebratos ascendisse scribitur libro præcedente [d] in vertice montis, postquam vaticinatus comminando Moses fuisset, gladio corruituros Amalecitæ, & Chananæi.

d c.14.44.

Explanatio. Audire, pro obedire. *Locutus sum, & non audistis.*] Græcè additor (*mei, ou.*) *Audire* autem idem est, quod obedire, sicue, vt sonat Chaldæum, [Hebrew] *kabbeltun*, accipere, seu recipere, & acceptare. Eodem loco prioris libri taota isthæc inobedientia re, factóque potiùs narratur, quàm verbo: Mosem etiam non recessisse de castris cum arca testamenti Domini, quod erat argumentum absentis Domini, hoc est, minime approbantis, vel iuuantis eiusmodi expeditionem. Loquebatur Moyses nomine Domini, eiúsque mandata deferebat, ita vt illum non audire, quod Græco pronomine dixi expressum, esset ipsummet Dominum noo audire, nec ei obedire: quoniam sicut qui audit Domini ministrum, audire Dominum censetur: sic non audire eumdem, sed spernere, qui non audit, sed spernit eius ministrum [e]. Quod alius [f] Euangelista per verbum recipiendi videtur exponere, quò dixi Paraphrastem vti hoc loco. Quamuis autem sulear de hospitio declarari, admittit prior sensus potest de illis, qui similes Thessalonicensibus apud Apostolum [g] accipiant à Dei ministris verbum auditus Dei (verbum de Deo, vel à Deo missum per illum) non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Atque iterum dixisse Christus [a] refertur hæc simul. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris,*&c. In eos, qui subsannant nuntios Dei, & paruipendunt sermones eius, illudunt Prophetis, ascendit furor Domini [b].

e Luc.10.16.
f Matth.10.40.
g 1.Thes.2.13.
a Matt.10.14.
b 2.Paral.36.16.

Sed aduersantes imperio Domini] Græcè (*& transgressi estis verbum Domini*, [Greek]) Chaldaicè (*& rebellastis in verbum Domini*, [Hebrew] *vesarttun bhal memera da Iehouah*) Hebraicè (*& amaricastis*, seu *amaritudine affecistis, exacerbastis, irritastis os Domini*, [Hebrew] *vattbamru ebt pi Iehouah.* Verbum ósque Domini Interpres intellexit de imperio illius, quod os ex quo procedit verbum imperans afficit amaritudine is, qui non obedit, quia cogit Dominum amaram proferre sententiam, amataque loqui, & pronunciare, qui suauis est, dulcis, mitis [c], habénsque diffusam gratiam in labiis [d], & labia ipsa, vt fauum distillantem, & lilia distillantia [e]. *Pereat Samaria*, inquit Oseas [f], *quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum, in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, & fœta eius discindantur.* Lamentatur etiam apud Ieremiam [g] Christus, repletum se amaritudinibus, inebriatum absynthio, nimirum non tantum ob exhibitum sibi mixtum felle vinum, aut acetum [h], quàm propter amaritudinem peccatorum non sentientium, nec videntium, quia malum, & amarum est quòd reliquerint Dominum Deum suum, quódque non sit timor eius apud illos [i]. Digni tales, quibus porum det Dominus aquam fellis, quia peccauerunt Domino [k], & abierunt post prauitatem cordis sui [l], & confortauerunt manus pessimorum (quadrat detractoribus terræ promissæ) vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua [m]. Meritò Iudæos pro potu salutari, & dulci, aquam bibisse fellis Hieronymus [n] notat, quia dulcem in amaritudinem conuerterunt Deum, vt ex Osea retulimus [o], vbi pro [Hebrew] *marethah*, est *dulcis*, *restrus*, & simile Chaldæum isti, quod hic est, nempe [Hebrew] *seruath.* De hoc iterum in c.29. [p] & 32. [q] vbi nominatur radix germinans fel, & amaritudinem, vua fellis, botri amarissimi, vt fel draconum vinum, & venenum aspidum insanabile: egimúsque nonnihil ad c.8. [r] Actuum Apostol. vbi mentio est de felle amaritudinis, in quo esset Simon magus.

c ps.33.5. ps.33.9. ps.85.5. ps.108.21. ps.134.3. ps.144.8.
d ps.44.3.
e Cant 4.11.5.13.
f c.14.1.
g Thren.3.15.
h ps.68.22. Matth.27.34.
i Ier.2.19.
k c.8.14.
l c.9.15.
m c.23.14.15.
n in Oseæ 14.
o c.14.1.
p vers.18.
q vers.32.33.
r vers.23.

Et tumentes superbia ascendistis in montem.] Verbum Hebræum [Hebrew] *thazidu*, vertit cum Pagnino Oleaster (*superbè egistis*) præfixa litera seruili [Hebrew] *va* à [Hebrew] *Zud*, quod significat intumescere, & superbire, quoniam in Psalmo 123. aut secundùm computum Hebræorum 124. [s] pro aqua intolerabili, quæ Græcè etiam dicitur [Greek], vocantur in textu Hebræo [Hebrew] *hammaim hazzedonim, aqua intumescentes.* Reddit ibi Hieronymus aquas superbiæ, vt in commentario demonstrauimus, plura de eodem loco disserentes. Sed & in Psalmum 18. [t] fine 19. iuxta Hebræos, monuimus, quod transtulerunt LXX. [Greek], & noster Interpres, *ab alienis*, in textu Hebræo esse [Hebrew] *mebazzedonoth*, *à superbis*, idest, ab iis quæ insolenter, & scienter fiunt: lectum verò videri à LXX. [Hebrew] *Zarim*, cùm tamen Aquila, vel etiam Symmachus transtulerint [Greek], *à superbis.* Huius autem loci nostri Græcè sententia sic habet in emendatis Sixtinis codicibus,

s vers.5.
t vers.13.

codicibus, καὶ παραβιασάμενοι ἀνέβητε εἰς τὸ ὄρος, *& vim facientes ascendistis in montem*; in Complutensibus Regiis, & aliis, καὶ ὑπερηφανεύσατε, καὶ παραβιασάμενοι, &c. *& superbè stetistis, siue egistis, & vim facientes*, &c. Superbè stantes agentéve facere vim solent; forsitanque duplex interpretatio in illis aliis Bibliis posita est, cùm altera sufficiat. Cæterùm alia metaphoræ præsentis de tumore superbiæ leguntur in aliis locis exempla, vt in c.18.[a] libri nostri, de falso Propheta, *in hoc habebis signum, quòd in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum*, vbi est בְּזָדוֹן *bezadon, in superbia, tumoréve superbiæ.* Chaldaicè, & Græcè *in impietate*, בִּרְשַׁע *birscíabh*, ἐν ἀσεβείᾳ. In Esther[b], Artaxersis recitatur epistola, in qua scribitur Aman in tantum arrogantiæ tumorem sublatus, vt regno priuare ipsum niteretur, & spiritu: Græcè μὴ ἐνέγκας δὲ τὴν ὑπερηφανίαν, *non ferens autem superbiam.* De Laban in Iacob indignato dicitur quòd tumens eum iurgio[c] locutus est, significando per *tumens iram*, וַיִּחַר *vayichar*, ὀργισθεὶς δὲ, וַיָּרֶב *vaiiareb*. Irascentes enim intumescunt, & bile prominent secundum pectus maximè, nasúmque. Eodem verò etiam sensu, viris Ephraim Gedeon cùm satisfecisset, requieuisse scribitur spiritus eorum, quo tumebant contra eum[d]: quamuis nihil isti tumori respondeat in editionibus aliis. Apud Iob[e] habetur, *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de Deo huiuscemodi sermones*, &c. Primo membro Hebraicè (*quid te accipit cor tuum*,) vt scilicet adeò extollaris, vixque teipsum capere queas præ arrogantia, quemadmodum in Abdia[f], *superbia cordis tui extulit te.* Græcè, τί ἐτόλμησεν ἡ καρδία σου, *quid ausum est cor tuum*, In vltimo iuxta textum Hebræum, *Quid reuerti facis in Deum spiritum tuum, & reuocas furorem tuum aduersùs illum, & per insanam indignationem respondes?* Græcè, ὅτι θυμὸν ἔρρηξας ἐναντίον τοῦ κυρίου, *quoniam iram rupisti coram Domino, quasi fracto tumore.* Tumere aliquo successu Plinius[g], laudisamore Horatius[h], corda ex rabie & ira Virgilius[i], animum Cicero[k], nec non turgescere: ora ira Ouidius[l], Martialis[m] vano tumefactum nomine: Seneca[n] cor tumefactum; spiritus tumidos[o], vultus[p]: tumorem animi rursum M. Tul.[q] Quintilianus inanem[r], Silius[s] vacuum, Lucanus[t] gerere tumores mente: adhuc Horatius[u] hominem tumidum, & cor[x], & os[y], & sermones[z], & minas[a], item Ouidius[b] successu tumidum, & imagine genitoris[c], & fastus tumidos[d], & iram tumidam[e]. Augustinus[f] explanans qui dicantur pauperes spiritu, docet, vulgo magnos spiritus superbos habere dici, quia spiritus etiam ventus vocatur, & superbi inflari dicuntur tamquam vento distenti, & scientia inflat[g], φυσιοῖ *tumet*, turget instar follis vento distentus, &, vt Menander loquitur, ex iis est, qui sunt φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα, vt perinde pauperes spiritu intelligantur humiles, & timentes Deum, idest, non habentes inflantem spiritum. Ciceronis[h] iam bis citati sententia est, quod vt membrum turgidum, ac tumidum vitiosè se habet, ita inflatus animus, ac tumens in vitio est.

a vers. 22. b c. 16. 8. c Gen. 31. 36. d Iud. 8. 3. e c. 15. 12. 13. f vers. 3. g l. 7. c. 7. h l. 1. ep. 1. i 2. Æneid. k 3. Tusc. l 3 de arte. m lib. 4. n in Agam. o ibid. p in Octau. q supra. r l. 2. c. 10. s lib. 11. t lib. 10. u 1. Ser. sat. 9. x 2. Ser. sat. 3. y de arte. z 2. Ser. sat. 5. a 4. car. od. 3. b 8. metam. c lib. 1. d 1 de arte. e epist. 11. f de serm. in monte c. 8. g 1. Cor. 8. 1. h 3. Tusc.

Vers. 44.] Iaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir vsque Horma.

Libro præcedente[a] narratur, quòd descendit Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens eos, atque concidens, persecutus est eos vsque Horma. Erant hi populi citra Iordanem originem trahentes à Chananæis, & ab Amorrhæo filio Chanaan, ideóque cognomen habebant ab illis, ad eum modum, quo nunc habitatores Occidentalium Indiarum appellantur Hispani, quia descendunt ab illis: nec incolebant regionem vltra Iordanem, quam etiam Hebræi vouerunt se deleturos, quod præstiterunt[b], indito etiam ea de causa nomine Horma, quod excisionem significat. Præter illa, quæ dicto libro notata sunt, quædam adhuc obseruanda supersunt.

Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus.] Iuxta alias editiones (*in monte illo*) & pro (*itaque*) (*&*.) Lyranus autem, & alij, monent, omnes, qui descenderunt de Cham filio Noe, vocatos Chananæos generali nomine, sed à diuersis filiis eius nominatos specialibus nominibus, vt Iebusæos, Amorrhæos, &c. Genesis cap. 10.[c] dicuntur Amorrhæi descendisse de Chanaan cum aliis eiusmodi nationibus.

Et obuiam veniens.] Hebraicè, Chaldaicè, Græcéque (*exiuit in occursū vestrum*) licèt auctor translationis ex Chaldæo prætermiserit Latinè reddere. In libro Numerorum[d], negans transitum Sehon Rex Amorrhæorum Hebræis, narratur exercitu congregato egressus obuiam in desertum. Hic etiam occursus, cuius nunc fit mentio, non sine exercitu factus est. Prima vice fuerunt Hebræi transgressores primi, saltem quatenus acie instructa montem conscenderunt, vt per vim penetrarent in Chanaan, tuncque Amorrhæi, siue Amalecitæ, atque Chananæi citra Iordanem habitantes, cùm sibi timerent, adorti sunt eos.

Persecutus est vos.] Hoc est, quod modò dicebamus, & iam narratum est in libro præcedente[e], vt etiam notauimus.

Sicut solent apes persequi.] In editionibus Hebræa, & Græca (*quemadmodum fecissent, vel faciunt, vel facerent apes*, כַּאֲשֶׁר תַּעֲשֶׂינָה הַדְּבֹרִים *chaascer thahhscenah haddeuorim* ὡσεὶ ποιήσαισαν αἱ μέλισσαι, Chaldaicè נָתְזָן *nathezan, aculeum infixerunt*, seu *infigere solent.* De hac parœmiali formula egimus in cómentario Psalmi 117.[f] *Circumdederunt me sicut apes.* Refert hîc eam Lyranus ad facilem, & confertam, turmatimque factam inuasionem. R. Salomon apud eumdem ad quoddam genus muscarum, quæ sint similes apibus, sed habeant aculeos venenatos, ita vt quando homines ab eis punguntur, cadant, & moriantur. Abulensis ad impetum, & multitudinem, Rickelius ad acrem, & quasi aculeatam læsionem, quódque tam facilè abacti sint Hebræi, quàm solent aues ab apibus. Regem quoque Assyriorum Esaias[g] maximo cum exercitu vastaturum Iudæam istius insecti vocabulo nuncupauit; *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremis fluminum Ægypti* (idest, Pharaonis) *& api, quæ est in terra Assur.* Vt autem Ægyptios aptè comparat cum muscis Propheta, tum quia fœtidi, ac immundi ac muscis abundantes, talibúsque bestiolis ex genere insectorum, quæ sint imbelles, ac sola ferè multitudine molestæ, ob fluminis palustris inundationem, æstúmque regionis, tum, quia, teste Philosopho[h], plurimùm sobolescunt: præterea cum apibus Assyrios, quia industrij erant, laboriosi, constantes, acres, pugnaces,

Paraphr. a c. 14. 45. b Num. 21. 2. & seqq. Explanatio. c vers. 16. *Amorrhæi vnde.* d c. 21. 22. 23. e c. 14. vlt. *Similitudo ab apibus sumpta.* f vers. 12. g c. 7. 18. *Ægypty cū muscis comparati.* h 7 hist. animal. c. 4.

ac veluti aculeati, & sagittandi periti, amictu, ornatúque variegati: ad eumdem modum nunc Moyses adhibuit istam similitudinem, quòd Amorrhæi possiderent terram melle manantem, Hebræosque quasi aluearia inuadentes repulerunt, atque ceciderunt. Sed, vt apiculis lethale hosti infigere aculeum; sic animositas, & victoria, inquit Delrius noster [a], Amorrhæis exitio stetit. Nam postea clade maxima ab Hebræis affecti sunt [b]. Vnde Chrysostomus [c] infert, quòd infestitem magnanimiter ferre propter Deum, maius sit, quàm benefacere, nec oporteat mortuum vlcisci, sed orare pro eo, vt eruatur à morte, quemadmodum apis immoritur aculeo, sic doceri nos, ne proximos afficiamus tristitia; quoniam sic ipsi prius mortem excipimus, & illos quidem fortè paululum lædimus, nos autem non ampliùs viuemus, sicut nec illud animal. Charon quoque apud Lucianum [d], ciuitates conspicere se dicebat apum examinibus similes, in quibus proprium quendam, peculiarémque singuli haberent aculeum, quo sibi vicinos pungerent. Adde cùm aculeus, siue conscientiæ, siue timoris Domini amittitur, mortem animæ confestim sequi, nec noceri dæmonibus, & aliis inimicis eiusdem animæ posse. Omissa reliqua physiologia, de qua Vlysses Aldrouandus [e] copiosè ac eruditè ex omni genere scriptorum, conuenit instituto quod eum Auicenna refert, nullum animal ad vindictam pronius esse, maximè cùm mel eripitur. Confirmat id etiam exemplis apum in fucos, de quo Ælianus [f] Hermonactis, & Cupidinis, item Marci Arethusij martyris [g], furis nocturni, cuius mentio in vita S. Medardi [h]. Item, narrat aluearia interdum proiecta in hostes, vt donec sese ab apum ictibus vindicare studerent, faciliùs opprimerentur. Extant exempla Themischitensium contra Romanos apud Appianum [i]: de incolis Albæ Græcæ contra Amuratem Turcarum Regem apud Bonfinium [k]: de Henrico Imperatoris duce contra Giselbertum Lotharingiæ ducem apud Vitichindum [l]: de Xiamaticensibus in Mauritania contra Lusitanos apud Osorium [m]. Alia adhuc reddi ratio moralis posset eiusdem comparationis; quoniam apud Ægyptios apis erat symbolum populi obsequentis Regi, eo quòd regem habet more hominum, vt ostendit Vlysses Aldrouandus [n], Hebræos immorigeros, & inobedientes meritò ab hostibus interfectos. Hebræum nomen דְּבוֹרָה *deuorah*, siue *deborah* denotat ordinem operum, quæ apes mira faciunt industria, vel sibilum, & murmur per modum locutionis. Græcum μέλισσα, aut μέλιττα deriuatur vel ab opificio apum, quod est μέλι mel, vel à Melissa puella, quæ reperiens in Peloponeso plenos melle fauos, adhortata dicitur nymphas reliquas ad gustandum, hæ verò propter tantam dulcedinem, nomen id opificibus imposuerint. Latinum apis designat, vel quòd hæc animalcula iuncem se pedibus alligent, vel quòd nascantur sine pedibus, quasi dicas ἄποδας. Elegantiùs præ cæteris Maro describit pugnacitatem istius insecti.

a to. 1. adag. in 122.
b Num. 21.
c hom. 68. ad populũ.
d in Char.
e lib. 1. de insectis.
f 1. de anim. c. 9.
g Theodor. 3. hist. c. 7.
h Sur. to. 3.
i de bello Mithrid.
k lib. 4. dec. 3.
l lib. 1. Sax.
m lib. 8. rerum Eman.
Apis symbolum populi obsequentis Regi apud Ægyptios.
n 1. de insect. c. 5. de hierogl.

Et cecidit de Seir vsque Horma.] Hebraicè, & Chaldaicè *in Seir vsque Horma*.) Pro (*cecidit*) autem, quod Abulen. monet, idem esse, ac (*occidit*) ita vt sit hic penultima longa, quia non est præteritum de (*cado*) sed præteritum de (*cædo*) pro occidere. Hugo legit (*concidit*) facitque mentionem lectionis nostræ, quam negat differre, videlicet secundùm significationem. Græcum verbum ἐτίτρωσκον significat *vulnerabant*. Hebræum יַכְּתוּ *iachthu*, præfixo ו *va*, quod vertit futurum in præteritum, valet (*percusserant*) Chaldæum טְרָדוּ *taredu* *expulerunt, eiecerunt, fugauerunt, persecuti sunt.* In c. 14. [a] libri Numerorum, quod legimus, *Et percutiens eos, atque concidens, persecutus est eos vsque Horma*, Hebraicè habetur, וַיַּכּוּם וַיַּכְּתוּם עַד־הַחָרְמָה *vaiiacchum vaiiachthum hhad-hahormah, & percusserunt eos, & contriuerunt eos vsque Horma*, à נָכָה *nachah, percussit*, & כָּתַת *chathath, cõtriuit*, ita vt hoc loco non ita rectè Vatablus in scholio reddat *contriuerunt*. Chaldæa verba cum affinia sunt, מְחוֹנוּן *mechonun*, & טְרַדוּנוּן *teradunun*, quorum secundùm hîc vsurpatur, Græcè ἐτρέψαντο, καὶ κατέκοψαν *fugauerunt, & percusserunt*: quamuis addatur ibidem præterea in emendatis Bibliis, καὶ ἀπεστράφησαν εἰς τὴν παρεμβολήν, *& reuersi sunt in castra*. De Horma eodem loco egimus, docentes eam terram, postquam deinde ab Hebræis debellata est, & excisa, vocatam eo nomine חָרְמָה *Chormah*, leniùs Latinè Horma, Græcè ἑρμα, à חֵרֶם *Cherem*, quod significat excisionem, & anathema. De Seir quoque diximus libri eiusdem c. 24. [b] locum esse in finibus Idumææ, & sicut hæc, siue Edom ab vno Esau cognomine dicta est, quod ruffum significat, ita illa ab altero eiusdem, quod pilosum: éstque nomen deserti, montis, montiúmve, ciuitatis, regionis, vnde pulsis Horræis habitauit Esau cum suis posteris, dicitúrque aliquando mons Esau, vel etiam Sanir. Hugo hoc loco refert ex quorundam opinione, nomen Seir inditum loco ante Esau; sed qui sic dicebatur priùs à Seir Horræo, deinde aliam ob causam id retinuisse ob Esau pilosum: item ex aliorum sententia, quòd à Seir Horræo regio tota denominabatur, sed quædam villa in eadem ab Esau. Hoc pacto conciliat Glossam hîc docentem quòd Seir est mons in terra Edom, qui ab Esau piloso & hispido Seir nomen accepit, cùm in Genesi [c] scribatur; *isti filij Seir Horræi habitatores terræ; & hi sunt duces Horræi filij Seir in terra Edom*: & quòd istos Horræos expulit Esau à terra, narretur, vel certè colligatur in 1. Paralip. [d] Potuit Seir à solo Esau nomen esse, quamuis ante aduentum ipsius in eum locum nomen id à scriptore exprimatur, vt in aliis non paucis contingit.

a vers. 45.
b vers. 18.
Seir quid, & vnde.
c c. 36. 8. 9.
d cap. 1. 43. 51.

Vers. 45.] Cúmque reuersi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.

Citato libro Numerorum omittuntur ista, solúmque narrantur, quòd Hebræos Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte, descendens percussit, atque concidens persecutus est eos, vsque Horma, & secundùm codices Græcos editionis Sixtinæ, quòd reuersi sunt in castra. Post illam percussionem, concisionem, persecutionem, denique post reuersionem in castra, videntur contigisse hæ populi lacrymæ, cum admodum enixa flagitatione, vt liceret vindictam repetere de hostibus, ac vi & armis irrumpere in possessionem promissæ terræ: quoniam iam suo tandem malo didicissent Deo credere, parere, fidere, fortique animo exequi voluntatem ipsius: benignissimum Dominum etiam hac vice facilè ignoturum, interueniente pro suo more apud ipsum Moyse. Hic verò Moyses mitissimus supra omnes homines, beneque de Dei conscius benignitate, quam adhuc pluries fuerat expertus, sine

PARAPHR.

dubio

dubio affirmari potest preces humiliter fudisse; verùm euentu irrito, quia irreuocabili decreto prohibuerat aditu promissæ terræ detractores eiusdem, & quotquot de Ægypto exierant annos nati viginti, & suprà. Id sibi volunt verba præsentis versiculi, quòd reuersi, nimirum in castra post cædem, & fugam ab hostibus factam, quantumuis coram Domino, eiúsque tabernaculo deplorassent damnum suum tantum, & dedecus, ac præsetulissent de præterita inobedientia vehementem dolorem, atque pœnitentiam, & ipsemet importunas eorum voces, gemitúsque supplex apud Deum detulisset, nihil tamen obtineri potuisset, nec is illorum desiderio, petitionique satisfacere voluisset. Rickelius interpretatur ploratum illum potius propter aduersa, seu mala pœnæ, quæ incurrerant, quàm propter mala culpæ, quæ commiserant; vocémque populi, ac fletum acceptatum non fuisse, quia non venit ex vera contritione, nec Deum acquieuisse orationi, quia non relaxauit pœnam quam prædixerat infligendam propter scelera eorum, neque retractauit sententiam, etiam dato quòd quidam illorum verè pœnituissent, quam nec Moysi, & Aaron condonauit propter aliud eorum peccatum, & quidem longè leuius, & quamuis absque dubio perfectè istos pœnituisset. Interdum enim, inquit, immò frequenter Deus dimittit culpam, non pœnam. Suppetunt alia exempla, inter quæ, illustre in Dauid, cui post remissum peccatum, tamen soluenda pœna fuit, & quando adulter, homicidáque fuerat [a], & quando populum numerauerat [b]. Vana pœnitentia, inquit Caietanus, quoad aliquem temporalem effectum obtinendum à Deo, hîc manifestè insinuatur.

a 2. Regum 12.13.
b lib 2.24. 10. & seqq.

Explanatio. *Cúmque reuersi ploraretis coram Domino.*] Hebraicè, Chaldaicéque (*& reuersi estis, & plorastis coram Domino.*) Reddunt verò etiam aliqui primo loco (*conuersi estis*) quod accipi posset de conuersione per pœnitentiam, cuius iudex, & effectus ploratio erat. Græcè, *καὶ καθίσαντες ἐκλαίετε ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ ὑμῶν*, *& sedentes plorabatis coram Domino Deo vestro.* Sed in emendatis Sixtinis codicibus *ἡμῶν*, *nostro.* Videntur legisse L X X. non וַתָּשֻׁבוּ *vathascuuu*, quod reuerti valet, à שׁוּב *scuub*, sed וַתֵּשְׁבוּ *thescuu*, quod sedere, à יָשַׁב *iasciab*, quod habetur versu sequenti. In Scriptura cùm sedere sit indifferens ad bonum, & malum, ex adiunctis definita sumi debet acceptio; nonnumquam enim ad positionem, sitúmque flentis pertinet, vt quando amici Iob sedisse scribantur cum eo septem diebus, & septem noctibus, non loquendo, quia videbant dolorem illius esse vehementem [c]: quando Nehemias dixit, *sedi, & fleui, & luxi* [d]. Denotatur præterea verbo eodem ignominia, & humiliatio, vt apud Ieremiam [e], *Dic regi, & dominatrici, humiliamini, & sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ.* Additur verò interdum sedere in terra [f], vel in puluere, in tenebris, vmbráque mortis [g], &c. Coram Domino denique plorare, quod etiam Psalmo 94. [h] canitur, est ipso conscio, & inspectore, ac peculiariter coram tabernaculo, vbi singulari modo habitare censebatur, velutíque residere in arca. De lacrymis quæ sint vtiles, & quæ non sint, variis aliis in locis dixi.

Sedendi verbum.

c Iob 2.13.
d 2.Esd.1.4.
e c.13.18.

Plorare coram Domino quid.

f Esa.3.vlt. c.47.1.
g c 9.2. Matt.4.16. Lucæ 1.79.
h vers.6.

Non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.] Chaldaicè (*& non suscepit Dominus orationem vestram*, וְלָא קַבֵּיל יְיָ צְלוֹתְכוֹן *velo kabbel Iehouah tselothechon*) item (*& non auscultauit verba vestra*, וְלָא אֲצִית לְמִלֵּיכוֹן *velo atsith lemillechon*) Hebraicè (*& non audiuit vocem vestram*, וְלֹא־שָׁמַע יְהוָה בְּקֹלְכֶם *velo sciamah Iehouah bekolekhem*) item (*& non percepit auribus vos*, וְלֹא הֶאֱזִין אֲלֵיכֶם *velo heezin alechē.*) Græcè (*& non audiuit*, seu *exaudiuit Dominus vocem vestram*, *καὶ οὐκ εἰσήκουσε κύριος τῆς φωνῆς ὑμῶν*) item (*neque attendit vobis*, *οὐδὲ προσέσχεν ὑμῖν.*) An quid intersit audire, & auribus percipere, in Psalmorum docui commentario: præterea quòd audire sæpe sit idem quod exaudire, & approbare id quod dicitur, aut petitur. Pro voce demum rectè Paraphrastes orationem reddidit & verba: nec enim nuda, incondita, inarticulata vox plorantia, orantísque populi fuit. Causæ, ob quas Deus non exaudiat, alibi examinatæ sunt: constátque misericorditer interdum non exaudire, exaudire autem cùm irascitur, illud ad vtilitatem, hoc ad condemnationem: postremò, vt antè monui, dimisso peccato, pœnam quandoque luendam superesse.

Audiendi verbum.

Vers. 46.] Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

Paraphr. Moram in loco hîc nominato longiorem fuisse memorat, postquam Hebræi contra voluntatem, præceptúmque Domini, conati per vim penetrare in promissam terram, ac propterea cæsi ab Amalecitis, & Chananæis redierunt in eumdem, vnde ad eam expeditionem discesserant. Igitur multo tempore ibidem sedisse dicuntur, vt Abulensi placet, atque Marzillæ; quia non sunt vlteriùs progressi ad illam terram, spatio nimirum 38. annorum; non quòd fixam eo in loco tandiu mansionem habuerint. In locum illum, idest, in Cades, seu Cadesbarne peruenerunt Hebræi, reuersique sunt anni quadragesimi mense primo, vt habetur libri præcedentis c.20. [a] ex quo missi fuerant anno secundo exploratores, vt in c.13. [b] eiusdem scribitur, interim recto versus maris rubri viam vagari per annos 38. quando post dictam stragem redierunt, prout paulò antè iniunctum fuerat, vt narratur c.14. [c] & se ad illud iter accinxerunt, non audentes videlicet ampliùs reluctari, sicut iam bis fecerant, non procedendo ad terram Chanaan, & cùm deinde prohiberentur, id tamen temerè audendo. Quantum temporis steterint Hebræi in Cadesbarne non constat ex textu. Nam licèt in editione aliarum linguarum legamus, *& sedistis*, seu *habitastis in Cades dies multos*, *iuxta dies, quibus sedistis*, siue *habitastis*, aut *quot quondam*, vel *vtique*, &c. & idcirco Vatablus exponat de tot diebus post reditum exploratorum, quot antea ibi populus manserat: Hebræi autem in Seder Olam, quos citant cum Munstero Fonseca, Oleaster, Cornelius, idémque ex R. Salomone Lyranus, & Abulensis, idque sequitur Genebrardus [d], refert, declarét de 19. annis, de totidem verò quibus obambulauerint in aliis mansionibus, ex quibus cōficiuntur anni 38. nihilominus verior, & facilior opinio est de tempore indefinito quantum pertinet ad realem habitationem, vt sentit Caietanus, insinuátque Cornelius: priórque declarat *secundùm dies, quos vos scitis, qui fuistis ibi.* Sententiæ aliæ nullo fundamento nituntur, vt de secunda ostenderur paulò pòst in explanatione textus iuxta editiones alias, quas affert pro se, & prima videtur paulò duriùs de 38. annis interpretari, quatenus

a vers.1.& seqq.
b vers.2.& seqq.
c vers.25.
d in Chron.

tenus per id spatium Hebræi non sunt progressi vltra Cadesbarne, quasi hoc esset ibi sedere, & manere, idest, non transire, quamuis interim alibi manserent. Salianus noster [a], confutans opinionem illam Hebræorum, vrget quod statim post auditam illam Domini iussionem præcipientis reuerti, & abire in solitudinem per viam maris rubri, popolus facti pœnitens respondit, *peccauimus Domino, ascendemus*, & eadem oratione mis fere, ait Scriptura, instructos armis in montem petrexisse; quantumuis Domino prohibente: ac nominatim quòd mane primo post luctum surgentes ascenderunt verticem montis: nec probare possunt dicti auctores, posteriorem pugnam cum Amalecitis, quæ cessit infeliciter, in decimum nouum annum ab exploratione terræ, vt ipsi contendunt, incidisse, vel seditionem Core, hac pugna, vt sentit Genebrardus, anteriorem fuisse. Verba porrò textus præsentis iuxta editiones, quas recitaui, sic accipit post Cornelium item nostrum, vt membrum secundum nihil aliud contineat, quàm primum, vt Interpres propterea tamquam otiosum omiserit. Deinde resecto Vatablo, de quo paulo etiam antè memini, quia Scriptura profectos ex Cades venisse in solitudinem, quæ ducebat ad mare rubrum, pro ut Dominus pridie infelicis pugnæ præceperat, nullaque causa erat ibi moræ dierum quadraginta in hostium finibus, Deo præsertim non propitio, putat allusum ad illa verba ex libro Numerorum [b] (*fily vestri erunt vagi in deserto annis 40. iuxta numerum 40. dierum, quibus considerastis terram, annus pro die computabitur.*) Tum ait sensum esse; Sedistis in Cadesbarne totidem diebus, quot annis mansistis io solitudine: cùm enim dicerentur hæc in campestribus Moab, expletos esse annos illos: & huic allusioni breui, ac obscuriori fauere vocem dierum, quæ de veris diebus, annisque sumi solet. R. autem Salomonem, atque adeò L X X. exponi posse, vt velint dicere, tot diebus in Cadesbarne mansisse, quot diebus, idest, annis, in cæteris deinceps mansionibus. Manseruot Hebræi in Cades 40. illis diebus, quos exploratores in obeunda Chanaan consumpserunt, sed peregrinatio ex eo tempore non durauit, nisi 38. anois, quia iam transierant duo anni, quos videtur dicta opinio velle comprehendere. Adhuc tamen persisto in mea opinione de tempore non designato, & certo, quoniam neque certum est priusquam exploratores mitterentur, quantum præcisè populus in Cades manserit.

[a] atom. 1. annal. anno 2545.

[b] c. 14. 33.

Sedistis ergo.] Verbi sedendi notio est pro quiete, pro dignitate magistratus, pro vsu familiari cum aliquo, pro habitatione, & commoratione, próque similibus aliis, vt aliquoties notatum reperies in variis commentariis nostris. Vltima congruit instituto. Loco autem illatiuæ particulæ, habent editiones reliquæ copulatiuam (*&*) monétque Caietanus, quòd auctor non illatiuè, sed copulatiuè reuertitur ad historiæ progressus. Aliquando videtur (*ergo*) copulæ vim habere, vel etiam ornatus tantùm causa poni, & redundare, quod contingit quoque in familiari, & vernaculo sermone. Vicissim ipsamet particula copulatiua reddit interdum causam, & idem valet quod ideo, propterea, & similia, ac proinde redditur ab Interprete per *ergo*.

Explanatio. Sedendi verbum.

Cur &, ergo. Cadesbarne.

In Cadesbarne.] Habent editiones Hebræa, & Græca *Cades*: sed priùs [a] hoc ipso capite Hebræa Cadesbarne, קדש ברנע *kades barneahh*, & Græca, καδης βαρνη, Chaldæa רקם גיאה *rekam gheah*, atque alibi [b] eodem modo, nec vspiam reperi pro solo Cades positum Cadesbarne ab Interprete, nisi hoc loco. Aliàs porrò docui, licèt Cadesbarne dicatur aliquando Cades, & confundant, vt eiusdem loci nomina Comestor [c], Abulensis [d], Caietanus [e], & alij, nihilominus differre, quoniam Cadesbarne est in extremo deserti Pharan ferè in aditu Chanaan, vnde missi sunt exploratores, & populus iussus, eo quòd de terra illa detraxerat, reuerti in solitudinem, ad cuius iam extrema peruenerat. Cades autem est in deserto Sin, vt constat ex libro Numerorum cap. 20. [f], & 33. [g], ac Deuteronomij 32. [h] item decimaquinta mansio fuit iuxta Cadesbarne, in Cades 33. non est transitus per Idumæam in Chanaan, de Cades autem ventum est in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom [i], terminúsque filiorum Esau [k]. Postremò annotatum est, locum mansionis decimæ quintæ, qui propriè fuit Rethma [l], oonnumquam videri vocatum Cadesbarne, vtpote cùm dicantur exploratores missi de Cadesbarne [m], qui ex Rethma missi sunt, quoniam Cadesbarne vicina erat ipsi Rethma, & Rethma præ Cadesbarne obscurus locus habebatur. Alioqui in catalogo mansionum, vbi loca exprimuntur accuratiùs, nulla mansio statióve ponitur in Cadesbarne, sed 33. in Cades. Vt igitur intelligeretur locus moræ populi per multum tempos, Interpres pro Cades oominauit Cadesbarne. Sic verò etiam quando scribitur [n], exploratores venisse redeundo in desertum Pharan, non est sensus desertum Pharan esse in Cades, quia maior est locus Pharan, quàm Cades, sed venisse in priuatum illum locum nomine Cades, qui pertinebat ad Pharan. Sed sumitur tunc Cades pro Cadesbarne, quoniam Cadesbarne erat in deserto Pharan, Cades in deserto Sin [o].

[a] vers. 2. & 19.

[b] Num. 32. 8. c. 34. 4. Deut. 2. 14. c. 9. 23. Ios. 10. 41. c. 14. 6. c. 15. 3.

[c] Hist. Sch. in Num. c. 17.

[d] in Num. 13. q. 39.

[e] ibid. in c. 33.

[f] vers. 1.

[g] vers. 36.

[h] vers. 51.

[i] Num. 20. 22.

[k] Deut. 2. 4.

[l] Num. 33. 18.

[m] ibid. c. 13. 27. Ios. 15. 3.

[n] Num. 14. 7.

[o] Deut. 32. 51.

Multo tempore.] Iam priùs recitaui ex aliis editionibus (*dies multos, sicut dies, quibus habitastis, aut sedistis.*) In Græca verò extat, ἡμέρας πολλὰς, ὅσας ποτὲ, ἡμέρας ἐνεκάθησθε: quod in Bibliis Complutensibus, ac Regiis vertitur, *dies multos, quot quondam dies sedistis*. In Sixtina translatione, *quot vtique diebus sedistis*. Particula enim ποτὲ valet quidem aliquando, *interdum, quondam*, &c. sed & nooonumquam vacat. De tempore, diebúsque quantum, & quot fuerint, antea dictum est, nimirum, vt Caietanus loquitur, audientium notitiæ relinqui, quasi diceretur, secundùm dies, quos vos scitis, qui fuistis ibi. Petrus Bongus [p] opinionem illam secutos, quòd Hebræi relicta recta via, qua incedebant versùs montem Seir, qui est in terra Idumæorum, errare inceperint in deserto, hærentes annis 19. in Cadesbarne, quódque anno 19. iterum insanientes contra Dei oraculum, pugnam aduersùs Amalecitas capessiuerint, vnde & in pœnam aliis 19. annis circa eumdem locum desederint; ad huoc quoque modum interpretando textum istum iuxta reliquas editiones (*sedebitis in Cadesbarne iuxta dies, quibus antea sederatis.*) & colligendo numerum 38. de quibus accipiatur id, quod isto capite infrà est (*tempus quo ambulauimus de Cadesbarne vsque ad transitum Zared triginta octo annorum fuit, donec consummaretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus.*)

[p] de myst. num. in 19.

Obseruat

obseruat nouenarium supra denarium, neque trigonum esse, neque cubicum, neque sphæricum, neque perfectum, neque vllam aliquam habere mathematicam elegantiam, sed cùm sit primus incompositus, sicut & cæteri huius generis numeri, vitiis, & castigationi addictum esse. Addit hoc etiam numeri calculo destructam fuisse domum Domini, prout scribitur in 4. Regum [a] his verbis, *Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonusdecimus Regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Ierusalem, & succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalem, omnémque domum combussit igni, & muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum.* At fundamentum, cui nititur eiusmodi mystica ratio, dubium, ne dicam falsum, vt priùs vidimus, nec satis certa ex numeris petita mysteria. Nec desunt tamen quibus placeat vtrumque.

a c.25.8.

ARGVMEN

ARGVMENTVM CAPITIS SECVNDI.

DESCRIBITVR isto capite Hebræi populi transitus per Idumææ fines, & Moabitarum, atque Ammonitarum, intactis relictis habitatoribus ex peculiari diuino præcepto: præterea victoria de Sehon Amorrhæorum Rege, qui denegauerat transitum per ditionem suam. Ex his narrantur nonnulla in libro præcedente, præsertim primum [a], & vltimum [b]. Succedit autem commemorationi pœnarum factæ priore capite libri præsentis enumeratio quorumdam beneficiorum, omissis pœnis, quas eodem tempore passi sunt Hebræi, vt nunc incitentur ad gratias agendas Deo, illique obediendum, ad quod consequendum inflictio pœnarum non adeò apta est, vt notat Abulensis. Lyranus hoc idem admonet, hic nempe induci populum à Moyse ad legis reuerentiam, replicando beneficia Dei post legem datam. Cæterùm in aliquot alijs codicibus Hebræis integer versus primus istius capitis iungitur priori, exordiúmque præsentis à secundo versu sumitur.

a c. 20. 14. & seqq.
b c. 21. 16. & seqq.

CAPVT SECVNDVM.

1. PRofectíque inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore.

2. Dixítque Dominus ad me:

3. Sufficit vobis circuire montem istũ: ite contra Aquilonem;

4. Et populo præcipe dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorũ Esau, qui habitãt in Seir, & timebũt vos.

5. Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. B

6. Cibos emetis ab eis pecunia, & comèdetis: aquam emptam haurietis, & bibetis.

7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hãc magnã, per quadraginta annos habitans tecũ Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

8. Cúmque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertũ Moab. C

9. Dixítque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium: non enim dabo tibi quidpiam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem.

10. Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe,

11. Quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim. A

12. In Seir autem priùs habitauerunt Horrhæi: quibus expulsis atque deletis, habitauerunt filij Esau, sicut fecit Israël in terra possessionis suæ, quã dedit illi Dominus.

13. Surgentes ergo vt transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.

14. Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus: B

15. Cuius manus fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio.

16. Postquam autem vniuersi ceciderunt pugnatores,

17. Locutus est Dominus ad me, dicẽs:

18. Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar.

19. Et accedens in vicina filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem.

20. Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, C

21. Populus magnus & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum: & fecit illos habitare pro eis,

22. Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terrã eorũ illis tradens, quam possident vsque in præsens.

23. Heuæos quoque, qui habitabant in Haserim vsque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis.

24. Surgite, & transite torrentem Arnon: Ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe possidere, & committe aduersus eum prælium.

25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.

26. Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens:

27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram,

28. Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus. Tantùm est vt nobis concedas transitum,

29. Sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordanem, & transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.

31. Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram eius, incipe possidere eam.

32. Egressúsque est Sehon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa.

33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimúsque eum cum filiis suis & omni populo suo.

34. Cunctásque vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & paruulis: non reliquimus in eis quidquam.

35. Absque iumentis, quæ in partem venere prædantium: & spoliis vrbium, quas cepimus.

36. Ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, vsque Galaad. Non fuit vicus & ciuitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.

37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: & cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus montanis, vniuersisque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

A

Vers. 1.] Profectíque inde venerunt in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus, & circuiuimus montem Seir longo tempore.

Paraphr. POST cæsos, fugatósque contumaces Hebræos, qui contra præceptũ Domini conati fuerant intrare in Chanaan ab Amalecitis, & Chananæis, contigit eorumdem regressus ex Cadesbarne, vnde missi fuerant exploratores, retro per solitudinem versùs mare rubrum, quò iam priùs ipsos regredi oportuerat, quemadmodũ idemmet Dominus imperauerat, cùm detrahentes de terra eadem ad illam tendere recusauerant, quod tamen facere tunc opportunum erat, ac Domini consentaneum voluntati. Regressi autem inde anno secundo ab egressu de Ægypto, ad aliquantum tempus, recta via omissa, & quia Rex Edom negauit transitum per regionem suam, coacti sunt, montem Seir, qui erat sub ditione Regis eiusdem, errando veluti, ac peregrinando circuire, videlicet spatio 38. annorum.

Explanatio. *Profectíque inde venerunt in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum.*] Iuxta cæteras editiones in prima persona numeri pluralis (*& reuersi sumus, & profecti sumus*, vel *reuersi profecti sumus in desertum, viam maris rubri*, וַנֵּפֶן וַנִּסַּע הַמִּדְבָּרָה דֶּרֶךְ יַם־סוּף *vanne-* C *phen vaannissahh hammidbarah, derech iam-suph*, וְאִתְפְּנֵינָא וּנְטַלְנָא לְמַדְבְּרָא אוֹרַח יַמָּא דְסוּף *vesithpenena vnnalena lemidbera orach iamma desuph*, καὶ ἐπιστραφέντες ἀπήραμεν εἰς τὴν ἔρημον, ὁδὸν θάλασσαν ἐρυθράν. Rickelius hãc solitudinem docet diuersis appellari nominibus à variis partibus suis, & à circumiacentibus locis, & à quibusdam euentibus. Varablus, & Sa noster nominant *Sin*, Marzilla *Pharan*. Posterius nomen conuenit ei parti, per quam proximè redeundum fuit,

Sicut mihi dixerat Dominus.] Græcè, *Dominus Deus*, κύριος ὁ θεὸς, & nisi legeremus ἐλάλησε πρός με, *locutus est ad me*, vbi vltimæ dictiones duæ respondent Hebrææ coniunctioni cum pronomi- D ne affixo אֵלַי *elai*, suspicari possemus lectum à LXX. אֵלִי *eli*, *Deus meus*, aut אֱלֹהִים *elohim*, *Deus*. Dixerat autem Deus Moysi, ac etiam præceperat, vt, quia noluerat populus in Chanaan progredi territus ab exploratoribus, moueret castra, & reuerteretur in solitudinem per viam maris rubri [a].

Et circuiuimus montem Seir.] Idumææ montuosam regionem, quemadmodũ [b] ante mons Amorrhæorum appellabatur, eadem de causa illorum regio montuosa. Abdias [c] quidem scribit quod Edom habitabat in scissuris petrarum, & in monte Esau, ideóque superbia cordis eius extollebat eũ, & exaltabat solium suum, & dicebat in corde E suo, *quis detrahet me in terram*? quasi exaltatus esset, vt aquila, & inter sydera posuisset nidum suum: atque fiducia loci Prophetarum de sua clade prædictiones ac minas contemnebat. De vocabulo *Seir* priùs egimus. Istum verò circuitum Abul. paulò fusiùs declarat, videlicet factum ascendendo contra partem orientalem, quia per terram Edom erat via directa in terrã Chanaan, & cùm venissent Hebræi ex Ægypto à parte meridiana, oportebat ipsam quoque terram Edom esse meridianam, prout etiam in descriptione geographica ponitur Idumæa ad meridiẽ terræ Chanaã, & prioris libri c. 34. [d] cùm describuntur termini terræ

a Num. 14. 25. Deut. 1. 40.
b c. 1. 7.
c vers. 3. & 9. 19. 21.
d vers. 3.

terræ [illegible]dem, dicitur, quòd pars meridiana incipit a [illegible]dine Sin, quæ est iuxta Edom: propterea d[illegible]ando a rectitudine viæ terræ Edom, & v[illegible] de terra meridiana, descensum est ver[illegible]tem, ex qua etiam parte fuit tandem in[illegible]s in Chanaan, vtpote per Iordanem, & Ie[illegible], quæ sunt ad Orientem ipsius, vt citato loco [illegible]ibitur, & post transitum per terminos Idumæorum, transiit populus per Ammonitas, & Moabitas, vt eiusdem libri c.22. vsque ad 25. habetur, quorum terræ sunt ad Orientem terræ Chanaan, quemadmodum & regna duorum Regum Amorrhæorum occupata in eodem transitu, & concessa hominibus tribus Ruben, & Gad, cum dimidia tribu Manasse: denique mare rubrum, versùs quod ire, seu redire oportuit, est ab Oriente terræ Chanaan, quia venire dicitur de partibus Indiæ per latus Caucasi montis, & intrat per solitudines Arabicas in orientali eorum parte.

Longo tempore.] Secundùm cæteras editiones (*dies multos*) ימים רבים *iamim rabbim*, יומין סגיאין *iomin sagghiym*, ἡμέρας πολλάς: quemadmodum sub finem capitis præcedentis, vbi nostra habebat (*multo tempore.*) Fuit autem id tempus circuitus, & peregrinatio simul circiter 38. annorum, vt computat Marzilla: Sed Abulen. à monte Hor in extremis finibus terræ Edom, vsque ad vltimam castrametationem numerat sex menses, à Cadesbarne, vnde missi sunt legati ad Regem Edom pro transitu per terram illius annum cum dimidio. In hoc toto circuitu euenisse Caietanus notat quæ narrantur de aqua contradictionis [a], de serpentum ictibus [b], de morte omnium numeratorum à viginti annis, & supra [c].

a Num. 20. 13. 24.
b c. 21. 6.
c c. 14. 29.

Vers. 2.] Dixitque Dominus ad me:

Vers. 3.] Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aquilonem.

PARAPHR.

MIsertus populi Dominus, quòd tamdiu circuisset Idumæam versùs Orientem eundo contra terram promissionis, quæ est ad Aquilonẽ Idumææ, voluit iter intercidi per eiusdem extrema, & vt citiùs rectà contenderet in Chanaan, scilicet incedendo inter Moabitas, & Ammonitas per regna Og, & Sehon. Videtur porrò id euenisse, postquam tædere cœpit populum itineris, ac laboris; proptereáque serpentum morsibus punitus est. Quamuis autem ad iter ineundum, castrave mouenda, præcedere soleret admonitio quædã, & significatio per motum columnæ nubis, nihilominus Deus ipse aliquando de discessu præmouebat, potissimum si longior alicubi mora præcessisset, aut peculiaris aliqua ratio suscipiendi itineris occurrisset: quo adhuc tamen tempore dictæ columnæ motus fiebat, cùm castra mouere oporteret. Insinuat Rickelius aliam causam commiserationis diuinæ, quòd esset in Idumæa valde intensus calor Solis tempore æstiuali, ita vt habitatores terræ illius de die consueuissent in subterraneis ædibus latere, teste Hieronymo, quem citat. Docet id Hieron. in commentario ad Abdiam prophetam, scribens quòd omnis australis regio Idumæorum de Eleutheropoli vsque Petram, & Hailam, quæ erat possessio Esau, in specubus habitatiunculas habebat, & propter nimios calores Solis, quia meridiana prouincia est, subterraneis tuguriis vtebatur. Tropologicè considerat Oleaster, quòd in circuitu impij ambulant [a], Domini autem est dirigere ac rectas facere vias nostras. Item quòd & Hebræi non leguntur conquesti de tam longo circuitu, & Deus etiam non requisitus direxit, ac perduxit: vnde discendum sit non fatigari, vel murmurare, si te Deus ducat per vias difficiles, sed propter verba labiorum custodire vias duras [b].

a ps. 11. 9.
b ps. 16. 4.

EXPLANATIO.

Dixitque Dominus ad me.] Habent editiones Hebræa, & Chaldæa cum pleonasmo (*& locutus est Dominus ad me, dicendo*, לֵאמֹר *lemór*, לְמֵימַר *lememar.*) Hunc pleonasmum exprimit non rarò editio nostra, & Græca: sed perinde est, siue id faciat, siue non. Cùm autem tam paucis dictionibus constet hic versus, apparet, non esse certam, vel æqualem partitionem versuum, quam nunc habemus in Scriptura, vt non semel aliàs annotaui. De huiusmodi partitione apud profanos auctores Lipsius [c], & nonnihil etiam de eadem apud sacros, & Ecclesiasticos, citans de posteriore genere testimonia Hieronymi [d], Cassiodori [e], Isidori [f]; præterea Serarius [g] noster, qui profert adhuc Hieronymum [h], item Augustinum [i], Epiphaniúmque [k], ac monet appositionem numerorum ad singulos capitis, aut libelli alicuius bibliaci versus nostro natam sæculo: adhæc Sixtus Senensis [l], quem in nonnullis refellit meritò idem Serarius: adhæc è nostris Salmeron [m]. Tandem verum est tum æqualitatem exactè seruatam non esse, tum qualis qualis diuisio sit, siue per capita, siue per versiculos, minimè censendam canonicam, quia non est à canonicis facta auctoribus, & recentior est.

c epist. miscella. cent. 3 epi. 39.
d ep. ad Magnum, & ep. ad Damas. præfat. in Esa. & prologo in Paralip.
e lib. 1. Instit. diu. lect. in præf. & c. 12. & 15.
f l. 6. etym.
g prolog. Bibl. c. 26. q. 12. & seqq.
h ep. ad Lætam, & ad Furiam.
i In Specul.
k de mensu. & pondere.
l 3. biblioth. de partitione Scripr.
m tom. 1. prol. 9 can. 32.

Sufficit vobis] Phrasis eadem in Capite præcedente secundùm hanc ipsam editionem, & Hebræam רַב לָכֶם *rab lachem*, סַגִּי לְכוֹן *sagghi lechon*, *multum vobis*, ἱκανούσθω ὑμῖν, *sufficiat vobis*. Oleaster explicat, *multum vobis*, idest, dispendiosum, difficile, graue, laboriosum: vel, diu circuiuistis, iámque, defunctis rebellibus terræ promissæ detractoribus, vobis nimis multum esset adhuc circuire, quod necdum satis foret, si adhuc illi viuerent, inquit Caietanus.

Circuire montem istum.] Legit Rickelius (*circuiuisse*) quod reddit sensum clariorem, quoniam sermo est de re iam præterita, déque circuitione iam facta. Notat verò præterea loqui Dominum cum Moyse in persona totius populi sibi commissi, & sic verba Dei relata plebi à Moyse. Mons denique iste mons est Seir, paulo antè nominatus, regióve Idumææ montuosa.

Ite contra Aquilonem.] Hebraicè, & Chaldaicè (*vertite vobis*, idest, vos, *ad Aquilonem*, פְּנוּ לָכֶם צָפֹנָה *penu lachem tsaphonah*, אִתְפְּנוּ לְכוֹן צִפּוּנָא *ithpenu lechō tsippuna*, Græcè, *reuertimini*, seu *conuertimini ergo ad Aquilonem*, ἐπιστράφητε οὖν ἐπὶ βορρᾶν. Terra Chanaan, versùs quam præcipitur nunc, vt eat populus, respectu Ægypti, est cõtra Aquilonem, & comparatione ad Cadesbarne, est septemtrionalis. Etsi autem verum est, septemtrionalem plagam cũ meridionali collatam posse dici sinistram, eo quòd quemadmodum in homine dextra pars calidior est sinistrà, & habitatio nostra versùs Meridiem calore abundat, versùs Septemtrionem frigida est; nihilominus non rectè Caietanum Rabbinus transferre docuit (*vertite vobis ad sinistram*) quia sinistram צָפוֹן *tsaphon* non significat, sed Aquilonem, & Hieronymus [n] hunc ventum frigidissimum, ex quo exardescant mala super terrã, ait nomine *dexterũ* vocari, falsum sibi assumẽdo vocabulum virtutis, ac dextræ, cùm totus sit in sinistra;

n ep. 127. mansio 4 & in Ierec. 40. & 44 & Ier. 1. & alibi.

dextrum verò vocari ab his, qui diaboli obrignere frigore, & calorem fidei perdiderunt. Viarum scopam cognominasse idem Hieronymus dicitur, sed nondum locum reperi, vt nec apud Senecam, apud quem legisse aliquando videor. Illud de dextra, & sinistra sic accipiendum est; vt quoad positionem nostram, nobis ad occasum conuersis nostræ dexteræ respondeat aquilonaris, seu borealis, septemtrionalisque plaga, & ventus, sinistræ meridies. ad Orientem conuersis contrario modo. Hebræi autem faciem ad Orientem conuertentes, meridiem, siue Austrum significabant per dextrum, Aquilonem per sinistrum. Lege Psalmorum commentarios nostros [a]. Hoc porrò nomen Aquilonis ab aquila volucre deriuant nonnulli [b], quòd ventus eiusdem nominis (pro quo tegio, seu plaga mundi denominatur : vt & omnes quatuor à totidem [c] ventis), qui septemtrionalis est, seu inter Septemtrionem, & exortum solstitialem, è regione Cauri, vt ait Plinius [d], frigidus & siccus, vehementissimo, & maximè impetuoso flatu instar aquilæ feratur,

—Tristia nubila pellens,
—Freta concutiens, nodosa robora vertens,
Inducens niues, & terras grandine pulsans,
Sollicitans manes, totúmque tremoribus orbem.

vt de semetipso canit ipse apud Ouidium [e]. Aliud etymon est [f], quod cœlum sudum ab eo vento redditum videatur aquilum colorem habere, idest, aquæ tranquillæ extra Solis radios, & reliqua colorem immutantia inspectæ similem. Sed & Græci vocabuli affertur notio ἀπὸ τῆς βορᾶς, idest, à cibo, seu pabulo, quo scatent Borealia, vt opinator Porphyrius, inquit Rhodiginus [g]: vel quia vberiùs alantur inibi animantia, sicuti nos item byeme, atque ad Boream corpora visantur grandiora multò, quàm in aduersa parte: vel quòd frugibus alimoniam præbeat ad maturitatem suo flatu perductis. Aliter ἀπὸ τῆς βοῆς, quoniam, vt ait Gellius [h], sit violenti flatus, ac sonori; aut à βα augente particula, & ῥεῖν, fluere, vt ex Homero docet Nonius, scribens Borream. Hebræum postremò nomen צפון *tsaphon*, quod est etiam Chaldæum dicitur de parte Aquilonari, quia locus occultus est, nec ita hominibus apparens, aut quòd Solis iter non est ad eius plagam, sed ad meridianam, ac si illa esset abscondita, quo pacto in Iob [i] חדרי תימן *chadre theman* dicuntur loca australia, quæ ab babitatione nostra sunt remotiora, & propius alterum polum sita, aut respectu Iudææ, quoniam istius regionis incolis ea pars ignota sit, & recondita, quemadmodum australis septemtrionalibus.

[a] in ps. 88. ra. pl. 106.
4 *Aquilo vnde.*
[b] Rhodig. l. 13 c. 7.
[c] Matt. 24.
[d] l. 2. c. 47.
[e] 6. Metam. item Virg. 3. Geor. ver. 196. & seqq & 1. Æn. 102 & seqq.
[f] Ioã. Goto. Decad. 4. Chro. in ori. gin. Antuerp.
[g] l. 15. c. 7.
[h] l. 2. c. 22.
[i] c. 9. 9.

Vers. 4.] Et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos.

PARAPHR.

Deinceps vsque ad versum 24. narratur Domini prohibitio, ne pugnarent Hebræi tendentes ad promissam terram, contra Idumæos, Moabitas, Ammonitas: contra primos, quia orti ex Esau fratre Iacob, qui duo fratres fuerant, Iacob verò per suos filios origo duodecim tribuum: contra secundos, & tertios, quoniam Dominus illis ex Lot descendentibus assignauerat illam terram, quam possidebant. In hoc autem versu mentio est de præcepto transeundi per terminos filiorum Esau, qui habitabant in Seir, hoc est, in Idumæa, seu Edom, quibus etiam nominibus idem Esau cognominabatur, videlicet Seir, & Edom, vt antea dictum est, quia pilosus erat, & russæ lentis pretio primogenituram fratri vendiderat [a], licet iam ab ipso egressu de ventre matris russus esset, sicut & totus in morem pellis hispidus [b]. Ne autem ab Idumæis timentes, qui non minus oderant Hebræos, quam olim Esau fratrem suum Iacob, transire detrectarent, iubet Dominus bono animo esse, cùm secus futurum esset, nimirum, vt contrà timerent Idumæi, nec auderent transeuntibus impedimentum opponere, vel resistere, siue quòd reuocarent in memoriam insignes victorias ab Hebræis relatas de Ægyptiis in mari rubro [c], & de Amalecitis [d], ac Rege Arad Chananæo [e]: præter admirandas illas plagas in Ægypto illatas [f], siue quòd nouo timore percellerentur à Deo ipso, vt etiam infrà in isto capite [g] Deus pollicetur, atque in c. 11. [h] & olim simili perculsus fuerat Laban insidians genero Iacob, prohibitúsque ne noceret [i] eius que ciuitates, per quas idem Iacob transibat post fugam ab Esau [k]. Promiserat prætetea idem Dominus, quòd immitteret terrorem suum in præcursum populi sui, ad occidendum inimicos illius, & fugandum [l]. In c. 20. [m] libri Numerorum negatus narratur Hebræis ab Idomæis transitus per terram ipsorum: tamen hinc, & que versu 6. colligitur, eos tandem permisisse, saltem per extrema. Probat Abulensis [n], contra Lyranum, & R. Salomonem contendentes, quòd Idumæi solùm asportarint cibos venales Hebræis extra fines regni sui; quia citaro versu de haurienda aqua scribitur, quam emerent ab Idumæis Hebræi, ac proinde oportebat, vt in eademmet Idumæorum terra essent putei, fontésve, vnde haurite emen tes possent, qui transibant. Hugo ait negatum priùs transitum, postea concessum, vt propè in finibus eorum transirent, & emerét sibi necessaria. Placet eadem ratio Cornelio nostro. Caietanus autem secutus eamdem sententiã, vim facit in eo, quod hic habetur, (*transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir.*) Quocirca eodem pacto refellendus Oleaster asserens, numquam permissos à filiis Esau Israëlitas transire per terram suam, neque per terminos suos, sed per terminos iuxta terram suam.

[a] Gen. 25. 33.
[b] ibid. vers. 30.
[c] Exo. 14.
[d] c. 17.
[e] Num. 21. 1. & seqq. c. 33. 40.
[f] Exod. 7. & seqq.
[g] vers. 25.
[h] vers. 25.
[i] Gen. 31. 24. 29.
[k] c. 35. 5.
[l] Exod. 23. 27.
[m] c. 20. 20.
[n] hic q. 2.

" *Et populo præcipe, dicens.*] Præceptum fuerat etiam, quod proximè præcessit (*ne contra Aquilonem,*) quamuis dictum dumtaxat referatur absque verbo præcipiendi. Populi generalius nomen amplecti magis etiam potest proselytos, quàm nomen filiorum Israël, quo solæ tribus intelliguntur, & aliquando eædem, excepta Leuitica, vt pluries admonuimus. Attamen aliqnot in rebus communia præcepta proselytis quoque debet intelligi, etiãsi nominatim exprimantur filij Israël. Nec dubium quin istud ad omnes omnino pertineret.

Explanatio.

Transibitis.] Hebraicè, atque Chaldaicè participium est, & ante illud prænomen (*vos transeuntes* אתם עברים *athem hoberim*, אתון עברין *athun hoberim*) videlicet, estis, vel eritis: participiis enim iungi potest verbum substantiuum omnium temporum, quamuis proposito prætetitum non conueniat. Editio Græca verbo vtitur præsentis temporis, ὑμεῖς διαπορεύεσθε, *vos transitis.* Argumentum dixi Caietani esse hinc petitum, ad probandum, quòd populus Hebræus transierit per Idumæam. Posset præterea, vt non rarò aliàs, futurum indicatiui modi accipi pro imperatiuo, idemque esse (*transibitis*, seu *transeuntes eritis*) ac (*transite.*) Græcum etiam verbum potest imperatiuum esse.

Per

Per terminos.] Singulari numero Hebraicè, Chaldaicéque בגבול *bighul*, בתחום *bithchum*. Græce plur. διὰ τῶν ὁρίων. Quod vel præcepit, vel prædixit futurum Deus, impletum videtur: nec affirmandum cum Oleastro, quòd filij Esau numquam permiserint hunc transitum per fines suos.

Fratrum vestrorum filiorum Esau.] Fuerant enim Iacob auctor Israelitici populi, & Esau auctor Idumæorum fratres, vt antè dixi. De fraterna necessitudine, odióque inter fratres contrario disseruimus alibi. Ad contentiones iniuriásque vel dirimendas, vel impediendas hoc naturale ius, vinculumque proposuit Abram [a], Lot [b], Iudas [c], Ioseph [d], & in Testamento nouo inculcatur ea ratio ad commendationem caritatis, sed hoc vocabulo latiùs, & magis spiritualiter sumpto. Quod attinet ad Esau, is perquam notissimus est ex historia Genesis [e]: & sicut ruffus color nomen Edom ipsi dedit cum quo natus est, & quem confirmauit appetitione, ac esu lentis ruffæ, vt nuper dixi: Seir autem a pilis, quibus opertos more ferarum prodiit, quo præsignabantur ferini mores eiusdem, ita nominis Esau עשו *hhesau*, à verbo עשה *hhasah*, *fecit*, videtur esse quasi dicas *factum*, nempe quoniam singulari, ac præternaturali quodam modo à reliquis infantibus diuerso, qui corpore toto glabri exoriuntur, natus est. Hieronymus in interpretatione nominum Hebraicarum ex Genesi pro etymo tradit facturam *rubeum*, *rubeum*, *aceruum lapidum*, λιθολόγημα, *vanum*, *frustrà*. Eadem Beda repetit in simili tractatu; sed pro factura facientem, pro rubeo rubeotem ponit. Meminit Origenes [f] ex interpretamento Hebræorum Esau, valere rubrum, terrenum, facturum. Sola notio, in qua faciendi verbum sit, congruit, quam etiam solam affert idem Hieronymus [g] vnà explanans hominis eiusdem nomina, Seir hispidum, & pilosum, Edom sanguinarium, & à lenticulæ ruffæ edulio sic dictum. Quia verò hirsutum corpore ac hispidum esse, proprium est, virilis, seu perfectæ, atque, vt ita dicam, factæ iam ætatis, Caietanus [h] obseruat Esau nominatum, quasi factum, idest, adultum, & fortem. Similia sunt in Oleastro [i] de factura, vel facto, quódque quasi factus, & adultus homo sit, ex vtero matris egressus, ferens secum pilos, qui in aliis pueris successu temporis nascuntur, & crescunt, nempe in pube, alis, mento, cùm adolescantur tantùm infantibus in capite, superciliis, palpebris, vt Aristoteles [k] testatur. Videtur eodem Chrysostomus [l] allusisse, hoc est, ad rationem de ætate perfecta, scribens, quòd tenebat Iacob manu calcaneum Esau, idque signum fuisse superantis eum, qui fortis videbatur καταγωνιζομένου τὸν ἰσχυρὸν εἶναι δοκοῦντα. Cùm verò Iosephus [m] Esau ex re cognomen habuisse scribit, quia Hebræi pilos vocant Seir, Ἑβραῖοι τὸ σεϊρὸν τρίχωμα λέγουσιν. si putat Seir, & Esau habere idem etymon, prodit Hebraicæ linguæ ignorantiam, quam in aliis vocabulis alij deprehenderunt.

Qui habitant in Seir.] Hoc est in monte Seir, in regione montana Seir, in Edom, siue Idumæa, vt antea docuimus.

Et timebunt vos.] Hebraicè, Chaldaicéque (*& timebunt à vobis*, מכם וייראו *veiireu mikchem*, מנכון וידחלון *veidchalun minnechon.*) Exempla, seu testimonia istius timoris, quem Hebræorum hostes experti fuerint, attigimus antea. Rahab meretrix irruisse dixit super Ierichuntinos terrorem eiusdem populi [n], & Gabaonitæ timuisse se valde, & ipsius terrore compulsos iniuisse consilium vafrum [o]. Sed & Dauid in oratione loquitur cum Deo ad hunc modum [a], *Domine non est similis tui, & non est alius Deus, absque te, ex omnibus, quos audiuimus auribus nostris. Quis enim est alius, vt populus tuus Israel, gens vna in terra, ad quam perrexit Deus, vt liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua, atque terroribus eiiceret nationes à facie eius, quem de Ægypto liberauerat.* Cùm orasset Asa Rex contra multitudinem hostium, exterruit Dominus Æthiopes, fugerunt, & ruerunt vsque ad internecionem, & percusserunt Iudæi ciuitates omnes per circuitum Geraræ, quia grandis cunctos terror inuaserat [b]. Azarias quoque nomine Dei eidem prædixit, si reuerterentur in angustia sua ad Dominum Deum Israël, & quærerent eum, fore, vt terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum essent, & Dominus conturbaret eos in omni angustiâ [c]. Similia pollicetur Dominus apud Esaiam [d], & in pœnam populi sui facere se idem testatur [e]. Alioqui etiam Regem, qui paratur ad prælium, vallat angustia [f], quia totum belli, ac militum pondus incumbit in Regem, præcipuè vt is de medio tollatur, aut capiatur [g].

Margin notes: a Gen 13.8. b c.19.7. c c.37.27. d c.45.24. e c.25. & se.79. *Esau nominis etymon.* f hom. 12. in Genes. g in Exech. 21. h in Gen. 25. i ibidem. k 3 de hist. animal. l hom. 50. in Genesim. m 1. antiq. c. 18. *Exempla timoris.* n Iosu. 2. 9. o ibid. c. 9. 25. a 1. Paral. 17. 20. 21. b lib. 2. 14. 11. & seqq. c ibid. c. 15. 4. 5. 6. d c. 30. 30. e Ier. 15. 8. Leu. 26. 36. Deut. 28. 67. & alibi. f Iob 15. 24. g 3. Reg. 22. 31. 1. Mac. 6. 43.

Vers. 5.] Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.

PARAPHR. SEriò prohibet Deus, ne vllo modo pugnent Hebræi contra Idumæos, aut ne vi transeant eo animo per eorum regionem: vtpóte in qua nihil prorsus eos possidere passurus esset, eò quòd eam dono dedisset Esau, posterísque eiusdem propter merita patria, & aui Esau, idest, Isaac, & Abraham. In Genesis c. 36. [h] narratur Esau ex Chanaan recessisse cum vxoribus, filiis, filiabus, omni anima domus suæ, & substantia, & pecoribus, & cunctis, quæ habere potuerat in ea, in aliam regionem, relicto ibi fratre suo Iacob, quia diuites erant valde, & simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum; habitasse autem in monte Seir, qui diceretur etiam Edom, quæ item nominata est regio Idumææ. Abierat illuc iam priùs Esau, ob parentum offensam [i], sed patre mortuo rediit in Hebron ad illius funus, quasi mansurus ibidem cum familia. Sed propter eamdem causam, ob dictam facultatum copiam scilicet, & quia pascua sibi, fratríque non sufficiebant, repetiit Idumæam suã, vltro cedendo Chanaan fratri, non sine peculiari nutu Dei, qui promiserat eam prouinciam Iacob, & antè etiam Isaac, & Abrahæ. Legatur Augustinus [k]. Dum porrò in Haram moraretur Iacob, videtur Deus iniecisse hanc mentem Esau indignato, quòd parentum voluntas in fratrem propensior esset, vt Chananæa relicta, deligeret sibi sedes in montibus Seir, siue Edom, hácque ratione cederet Iacob, ac posteris Chananæam autem Iacob de illa re nuncium accepisset, vt credi potest, quia id mater promiserat [l], nempe illuc, quò dixi Esau commigrasse, securum reuertisse ad parentes ex Harã in Chanaan. Apud Malachiam [m] ait Dominus, *dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui montes eius solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.* Vbi montes Idumææ, Idumæámque ipsam regionem attributam Esau, & posteris eius insinuatur, licèt postea deuastauerit illam Nabuchodonosor, quo Deus, tamquam flagello vsus est. Quod

Margin notes: h vers. 6. 7. 8. i c. 35. 3. k q. 115. in Gen. l Gen. 27. 45. m c. 1. 3.

Quod etiam postea factum est per Machabæos, cùm reædificassent Idumæi vrbes suas in patriam reuersi [a]. Quamuis adhuc tempore Christi ad illum ventitarent quoque ab Idumæa [b]. In libro Iosue [c] apertiùs iterum Deus loquitur, *Esau dedi montem Seir possidendum.*

Videte ergo diligenter.] Codices Complutenses, Regiíque nectunt ista versui præcedenti, sicut & aliarum editionum textus. Sed præterquam quòd inseruit Interpres (*ergo*) sonant editionis Hebrææ verba (*& cauebitis valde*, siue, *custodiemini nimis*, מְאֹד וְנִשְׁמַרְתֶּם *venismartbem meod.*) Quod Oleaster referens ad sequentia, exponit, cauete vobis, ne misceatis litem cum eis, seu contra eos. Caietanus, vt seiuncta sumens, declarat, illi quidem timebunt à vobis malum sibi, vos autem vestras custodias habete, ne incauti offendamini. Græca sunt nexa præcedentibus, & in tertia persona de iisdem Idumæis, καὶ φοβηθήσονται ὑμᾶς, καὶ εὐλαβηθήσονται ὑμᾶς σφόδρα, *& timebunt vos, & verebuntur*, aut *vitabunt vos valde*. Mariana noster iuxta translationem ex Hebræo (*custodiemini nimis*) docet posse referri ad Idumæos: atque ita secundùm L X X. dici (*& vitabunt vos valde*) nimirum Idumæi, seu vitabimini ab eis: vel ad Iudæos, vt ipsi custodiant, & caueant id, quod sequitur, ne scilicet illis noceant, vt posuit, inquit, Chaldæus, & Hieronymus, actiuum & passiuum vertentes. Mirum est ab Eugubino tam attento ad vellicandum L X X. hoc annotatum non esse. Minus placet interpretatio Caietani, quamuis exigat prudentia, vt quantumlibet nos timeant hostes, & Deum auxiliatorem habeamus, quod in nobis tamen est diligenter præstemus, nobísque caueamus. Nam nunc hoc dumtaxat agitur, Deo populum admonente, ne occupent Idumæorum ditionem, simul verò, vt non timeant, atque illud maiore cum exaggeratione commendando dicitur, vt caueant diligenter, ne contendant, vímve inferant. Oleaster explanans, vt caueant Hebræi, ne lædant eos, à quibus timendi sunt, elicit hoc documentum, non esse metum meticulosis incutiendum: quod, inquit, faciunt nonnulli, qui, si aliquem audacem viderint, non audent illi nocere, vllúmve ei verbû dicere, si meticulosum, audaciores fiunt, nec timent lædere, aut spoliare. Porrò Hebræum verbum נִשְׁמַר *nismar* à שָׁמַר *sciamar* in passiua voce sæpius actiuam habet significationem, vt sit idem quod cauere, aut cauere sibi, abstinere, seruare se, aut custodire. Transtulit Interpres sæpe per cauendi [d] verbum, vel obseruandi [e], vel custodiendi [f] se, animásve suas, item præcauendi [g], & abstinendi [h]; præterea per mundum esse ab aliqua re [i], aliquando [k] per videndi, eo modo, quo hic. Quo prætereà pacto idem verbum vsurpatur in Testamento nouo. *Videte* [l] *ne contemnatis vnum ex his pusillis*, *videte* [m], *ne quis vos seducat*, *videte* [n] *vosmet ipsos*, *videte* [o], *ne quis vos decipiat per philosophiam. Videte* [p] *canes*, *videte malos operarios, videte concisionem.* Vltimo loco legit Ambrosius [q], *Vitate canes*, &c. & Græcè quidem extat aliquando, maximè in Testamento nouo βλέπειν, vel ὁρᾶν, quod valet *videre*, nonnumquam προσέχειν, *attendere*, & *cauere*, potissimum in vetere, vel φυλάσσειν [r], *cauere*, seu *custodire*. Simili vsus formula Ignatius ad Antiochenos [s], ait, *Videte malignos operarios*, &c. *videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squamosos, & aspides, basiliscos, scorpiones; hi sunt thoes*, idest, lupi, teste Plinio [t], *proceriores, cruribus breuioribus, veloces saltu, venatu viuentes*, &c. de quibus

a 1. Machab. 5.3 l.2.10. 26 Ioseph.13. antiq.16. & c.17.4. de Explanatio. bello c.6. & 9. item Gorionid.l.4. c.4.
b Marc.3 8.
c c.24.4.
d Gen.24.6. c.31.24 Ex. 19.12 c.23. 13 Deut.11. 16 Iud.13.4.
e Exo.23. 21.1 Reg. 19.2.l.2.10. 10.l.4.6.10.
f Deut 4. 15.c.23.9. Ier.9.4 Malac.2.15.
g Iosue 23.11.
h Iud.13. 13.
i 1.Reg.21. 4.
k Esa.7.4.
l Matth.18. 10.
m c.24 46.
n Mar.13.9 2.ep.Ioan. vers.8.
o Col 2.8.
p Phil.3.2.
q l ad Virg. deuotam.
r Gen.31. 24. Exo.19. 13. Deut 4. 15.c.23 9. Ios. 23.11. Iud 13.4. 13.1.Reg. 19.2.c 21. 4.l 2.20 10. l.4.6.10. Es. 7.4. Ier.9.4 Mal 2.15.
s epist.12.
t l.8.c.34.

prætereà Rhodiginus [a], & alij. Eumdem quoque habet vsum apud probos linguæ Latinæ auctores videre pro cauere, vt [b], *vide, ne me ludas* [c], *vide, ne titubes*, &c. Lege annotata c.2. [d] epistolæ Iacobi.

Ne moueamini contra eos.] Hebraicè אַל־תִּתְגָּרוּ בָם *al thithgaru bam*, *ne misceatis litem cum eis*, *ne ostendatis vos feroces contra eos*, *ne irritetis eos*, seu *prouocetis ad pugnam*, *ne lædatis eos*. Infrà hoc ipso capite [e] vertit noster Interpres, *nec mouearis ad prælium*, item [f], *committe aduersùs eum prælium*. In 4. Regum [g], *Quare prouocas malum?* Alibi denique reddit per *prouocare* [h], & quidem etiam ad prælium. Hic eadem phrasis Chaldæa cum Hebræa, sicut & aliis locis notatis ex eodem capite. Græca hoc, & illis locis, συνάψητε πρὸς αὐτοὺς, vel πρός τινα πόλεμον, *conserere prælium*: in aliis locis ἐρίζειν [i], *contendere*, seu *litigare*, aut addito nomine νεῖκος, pro Hebræo מָדוֹן *madon*, quæ significant *contentionem*, ὀρύσσειν [k] νεῖκος, *fodere contentionem*: prætereà ἀνθιστάναι, *resistere* [l]. Mouere arma, & bellum, vel, ad bellum periti latinitatis dicunt: semel in Scriptura [m] motum bellum lego. Prohibet Deus vltionem, inquit Caietanus, eo quòd olim negauerint illis transitum.

Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium.] Loco sex posteriorum dictionum Hebrææ (quibus Chaldææ similes) עַד מִדְרַךְ כַּף־רָגֶל *bhadmedrach chaph raghel*, significant, *vsque ad conculcationem*, aut *vestigium volæ*, seu *planta pedis*. Græcè οὐδὲ βῆμα ποδός, *neque vestigium pedis*, vel *gressum*, *passum*. In Actibus Apostolorum [n], καὶ οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ κληρονομίαν ἐν αὐτῇ (τῇ γῇ) οὐδὲ βῆμα ποδός, quæ transtulit Interpres noster. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis*. Hoc tantùm loco nostro extat nomen Hebræum מִדְרַךְ *midrach*, quod R.Dauid, & alij, exponunt *conculcationem*, à דָּרַךְ *darach*, *calcare*, videlicet pedibus terram, vnde דֶּרֶךְ *derech*, via, quæ calcatur. Denique כַּף *chaph* à curuitate dicitur de vola manus, aut pedis, quæ aliter de manu palma nominatur. De planta pedis exemplum est in Ezechiele [o], Genesi [p], (vbi editio nostra habet *pedem*) in c.28. [q] libri nostri: de vestigio in 2.Regum [r], & in 3. [s] & 4. [t]; & adhuc in c. 28. [u] libri nostri, vbi extat Græcum nomen τὸ ἴχνος prætereà in Iosue [x], Esaia [y], Ezechiele [z]. Sed in Iob [a] pro vestigiis pedum sunt in Hebræo, & Græco textu *radices*, שָׁרָשִׁים *scerascim*, ῥίζας; qua metaphora rectè significantur vestigia, vt significant hæc non ipsam impressionem pedum, quæ est propria notio, sed pedum infimam plantam, quemadmodum prouerbialiter dici solet, *à vestigio ad verticem*. Sic Hebræi radices montis [b], maris [c], verbi [d] vsurpant: quamuis pro radicibus aliquando [e] cardines Interpres ponat. Eleganti porrò exaggeratione declaratur negandam prorsus possessionem terræ Idumæorum, sicut priùs [f] contrario sensu, & infrà cap.11.8, & in Iosue [h] promittitur terra, quam calcarent Hebræi. Sed & ad primum sensum potest spectare illud ex Genesi [i], quod Abraham dixit, *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quod à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Item, quod in Ecclesiastico [k] scribitur, quod ante tempus finis vitæ suæ, & sæculi testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi (idest, Regis) pecunias, & vsque ad calceamenta, ab omni carne non accepisse, hoc est, vsque ad rem vilissimam. Quo pacto Ioannes di-

cebat

a lib.23. c.27.
Videre, pro cauere.
b Plau Cas. sce.3 act.2.
c Idé Aulu. sce.1 act.4.
d vers.25.
e vers.19.
f vers.24.
g c.14.10.
h Prou.29. 22. Ier.50. 24. Dan.11. 10.
i 4.Reg.14. 10.
k Prou.29. 22.
l Ier.50.24.
m 1.Reg. 19.8.
n c.7.5.
o c.1.7.
p c.8 9.
q vers.35.
r c.14 25.
s c 18 44.
t c.13.21.
u v.56.65.
x c.1.3.c.3. 13.
y c.37.25. c.60.14.
z c.43 7.
a c.13.27.
b Exod.19. 17.c.24.4.c. 32.19 Deut. 3.17.c.4.11.
c Ion.2.7.
d Iob.19. 28.
e 1.Reg.25. 50.Iob 28. 9.
f Iob 36. 30.
g c.19.28.
h Iob.36. 30
i c.2.36.
k vers.24. 25.
l c.1.3.c. 14.9.
m c.14.22. 23.
n c.46.22. 9.

cebat se non esse dignum soluere corrigiā calceamenti Christi [a]. Nō dissimilia formula M. Tullij [b] negitis vllum teruncium, se obtinente prouinciā, sumptus factū esse, nec in temp. nec in quemquam suorum, prętarquam in L. Tullum legatum. [c] Et de seipso abstinentiā Paulus affirmauit [e]. Sic [i]s adhoc paræmia, *Non remanebis ex gregibus vngula* [d] idest, quidquam, Chaldaicè. Tale Aristophanicum illud, *οὐδὲ ...*, *nec alij caput*; & Euripidis, *...*, *nec bolus*, & militum cum filio Maximinum iugulārium, ex genere pessimo nec catulum relinquendum; & in diuina Scriptura, vsque ad mingentem ad parietem [e].

a Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Ioan. 1. 7.
b 5. ad Atticum ep. 21.
c Act. 20.
3. 2. Cor. 9. 8. & seqq.
d Exod. 10. 26.
e 1 Reg. 25. 22. 3. lib. 4. 9. 8.

Quia in possessionem Esau dedi montem Seir.] De monte Seir pro Idumæa dictum priùs, & quo pacto datus fuerit à Domino in possessionem Esau, posterorúmque illius. Redacti sunt postea sub tributum Idumæi tempore Regum, vt Dauid & aliorum, sed non de terra sua expulsi: & Abdias [f] prædixit fore, vt qui ad Austrum erant Hebræi hæreditarent, post reditum ab exilio Babylonico, montem Esau, videlicet propter iniurias, quas illis intulerant ipsi etiam australes, seu meridionales. Qua etiam de re alia quoque paulo antè in hoc versu protuli testimonia ex historia Machabæorum, ac duobus historicis Iudæis Iosephi nomen gerentibus. Paruulum, & contemptibilem valde, sed superbia cordis elatum Idumæum populum habitantem in scissuris petrarum vocat Dominus apud Abdiam citatum [g], idest, numero exiguum, nulla re, vel arte præcipuè præstantem, finibus perangustis montium conclusum, vt propterea à cæteris contemneretur, pateret prædæ, ac direptioni, tum ante Chaldæorum aduentum à Dauide [h], reliquísque Iudæorum Regibus, tum à Chaldæis, rum, postquam hi deleti sunt, in seruitutem redacti à Machabæis [i]. Sine pœnitentia sunt dona Dei, fidelísque in omnibus verbis, ac promissis est, nec more hominum, quod semel dedit, aufert, aut iam datum in plures alios partitur. Sic Oleaster. Capponus autem elicit non debere Pontificem vel Imperatorem, vel alium permittere facilè, ac si fieri possit, nullo modo, vt Christiani contra se pugnent, aut inuicem lædāt, quamuis alioqui causam bellandi, sibique nocendi antiquam habere videantur; tum verò ne sedalizentur infideles; quod quia non obseruatur, permitti à Deo, infidelium victorias de Christianis: e contrario insignes relatas de Amorrhæorum Regibus ab Hebræis, postquam iuxta diuinum præceptum abstinuerunt à bellis contra Idumæos, Moabitas, Ammonitas, quibus cum sanguinis necessitudo intercedebat, propter Esau, & Lot. Extendit monitum idem de dissidijs inter religiosos, quod nisi caueant, futurum sit, vt scandalizētur sæculares, eósque persequantur. Præterea ex opposito argumentatur, instans belli causam Hebræis contra Chananæos fuisse, quoniam Deus eorum regionem illis dono dederat. Denique notat licitum esse bellum Christianis præsertim cōtra Turcas, vinci tamen Christianos, quia in alijs rebus peccant, & Turcas Deus forsitan ob aliqua bona moralia, sicut olim Romanos, præmiat.

f vers. 19.
g vers. 3.
h 2. Reg. 8. 14. lib. 3. 21. 13. 16.
Dona Dei absque pænitentia.
i 1. Mach. 5. & lib. 2. 10. 16.
Christiani cur quandoque in bello succumbant.

Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis, aquam emptam haurietis, & bibetis.] Tantum abest vt permittat Dominus Hebræis bellum adoriri Idumæos, vt prohibeat etiam rerum ad cibum & potum pertinentium vsurpationem absque solutione pretij. Inde ab Abulense [k] probari iam priùs retuli contra Lyranum, & R. Salomonem, non solùm Idumæos extra regni fines comportasse venales cibos, & aquam, sed Hebræos per eorumdē terram transisse; quoniam verisimile non sit terram, per quam illi transibant apud Idumæos, ve esset inaquosa, vel quòd tanta posset ab illis comportari, quanta populo tanto, & pecoribus, iumentisque necessaria erat: & si terra extra ditionem illorum erat aquosa, non oportebat dare regulam de aqua bibendis pro pecunia, quia aquæ extra Idumæam non erant in potestate Idumæorum, nec eas vendere poterant. Igitur cùm transirent Hebræi per terram Idumæorum, & quia erat populus multus, indigebat aqua multa de puteis, inquit Abulensis, quos foderant, & parauerant Idumæi; ideo rationabile erat quòd darent pecuniam pro aqua: postremò per hauriendi verbum significatur non esse ab alijs comportatas aquas. Docet præterea, quod hîc de cibis dicitur emendis, intelligendum, si vellent eos emere, quia non indigerent, eò quòd semper habuerunt Hebræi manna vsque in terram Chanaan transito Iordane [a]. Vnde vlteriùs collegit hoc loco noster Cornelius Hebræos in deserto præter manna comedisse alios cibos, vel ab Idumæis emptos, aliisque vicinis gentibus, vel venatu captos, vel ex suismet pecoribus. Citat Andream Masium [b], Pererium [c], Abulensem [d], meipsum [e]. Ex hoc ipso quoque loco id sum in libro Sapientiæ argumentatus, quod ante me fecerat citatus Masius. De aqua per desertum totum pro pecoribus, & iumentis existimat R. Salomon [f], allegans Patrum traditionem, habetúrque apud auctorem Hebræū libri, cui titulus, *Fasciculus myrrhe*, quòd in manna erat panis & aqua, & erat humidum per sese, & quando descendebat, rorem habebat subter, & rorem supra, & fundebat riuos aquarum idoneos ad adaquanda populi pecora, dum incalescente Sole liquesceret, duabus horis ante meridiem. Quod Genebrardus [g] visus est approbare, cùm aitaquam de petra extractam à Mose cognominatam contradictionis, tentationis, irritationis, exacerbationis, litis, contentionis: quia procurata est litia, & contentionis studio, schismaticorum inuidia, & maleuolentia, non ob petentium necessitatem, sed voluptatem, atque spiritu eodem, quo Sectarij vsum calicis promiscuum petunt in Christiano manna, quasi alterutra species non contineat totum Christum, sed caro in vna existat sine sanguine, in altera sanguis sine carne. Difficilè id creditur, quia conquesti sunt reuera Hebræi de siti, atque importunissimè murmurantibus bis cum miraculo largissimas aquas elicuit de petra. Ad rationem de aqua, quòd fuerit in ipsamet Idumæorum terra, & non extra istam ab Idumæis comportata, obijci posset, quod c. 23. libri nostri scribitur [h] de Ammonitis, & Moabitis, noluisse occurrere Hebræis cum pane, & aqua in via, quando egressi sunt de Ægypto: ita vt Idumæi potuerint aquas comportare cum cibis extra terram. Sed obstat adhuc hauriendi verbum *...* *thisberu*. Cæterùm inferiùs hoc ipso capite [i] sententia planè similis habetur, in legatione ad Regem Sehon missa, *alimenta pretio vende nobis, vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus*. Quod idem iam narratum fuerat in priore libro [k]; *Non bibemus aquas de puteis*, nimirum gratia, & absque pretio: & de legatione ad regem Edom [l], *Non bibemus aquas de puteis tuis*, eodem nempe sensu. Vnde quoque ibi additur [m], *Si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra, dabimus quod iustum est*, nulla erit in pretio difficultas. Illustrant locum præsentem verba ex Threnis [n], *Aquam nostram pecunia bibimus*, quibus denotatur

k q. 2.
Hebræi an præter manna alios cibos comederint in deserto; & de qualitate mannæ.
a Iosue 5. 12.
b in Iosue 1. 11.
c in Exod. 3. disp. 7.
d in Exod. 16. q. 12.
e in Sap. 16. 20. 21.
f in Exod. 16.
g in Ps. 94.
h vers. 4.
i vers. 28.
k c. 21. 22.
l c. 20. 17.
m vers. 19.
n c. 5. 4.

notatur seruitus durissima: cùm de inhumanitate rusticorum questa Latona diceret,

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarū est.

summasque inter pœnas apud Romanos haberetur interdicere igni, & aqua. De iisdem porrò legationibus narratur in libro Iudicum [a].

Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis.] Pro (*emetis*) Hebræa vox est (*frangetis*,) sed frangere emere est, quia ementes, inquit Mariana noster, ferè non totum, sed partem volunt. Versu 28. redditur per *vendere*. Frangere panem alibi dicitur [b], vbi tamen nec emendi, nec vendendi notio congruit, sed phrasi Hebræa idem est, quod porrigere, saltem pro virili parte sua, vt in commentario [c] Apostolorum docui, nosterque ibidem Sances, qui ostendit apud Gentiles, non solùm apud Hebræos in panibus solitos fieri profundos sulcos, itaut manu frangi posset in buccellas. Dicitur denique שֶׁבֶר *sceuer*, esca, frumentúmque. Pro cibis, siue singulariter pro cibo אֹכֶל *ochel*, ab אָכַל *achal*, *comedit*: quæ numero plurali vocantur hic Græcè βρώματα, à verbo, quod etiam *comedere* significat, nempe βρώσκω. Chaldæum nomen עִבּוּרָא *ibbura*, *frumentum* valet, & quidem superioris, siue præteriti anni, sicut venientis, תְּבוּאָה *thebuaah*. In Genesi [d] quod Interpres vocat *frumentum*, eodem numine Chaldæo huius loci nostri dicitur, & Hebræo, sed Græco σῖτος, quo frumentum etiam significatur. Meretur sibi nomen per excellentiam frumentum, seu ex illo confectus panis. Cibum deducit Festus è Græco κιβώτ, quod est *cista*, vel *arca*, sicut κίβισις, *pera*, vel *sacculus*: alij παρὰ τὸ κίβδω ἐχεῖν τὸν βίον, quoniam ibi consistat nutrimentum, & victus. Inde cur dicatur κιβώριον Latinè *ciborium*, docet Io. Steph. Duran [e]. Pro *pecunia* editiones aliæ habent *argentum*, erátque olim pecuniæ materia argentea, & ex metallo auri, vel æris, vt proinde nomine argenti nonnunquam, & auri (hoc primos factitasse Lydos prodit Herodotus) necnon & æris (ex quo ærarium, obæratí, æra militum) signata in pecuniam ex his materia significetur, quemadmodum aliàs [f] notaui, & æris exempla extant hoc sensu etiam in Testamēto nouo [g]. Galli argentum pro pecunia solent vsurpare, & interdum nominantur apud Latinos argentei, aureique absolutè pro nummis, seu monetis ex huiusmodi materia. Pecuniæ autem vox alibi sæpius occurrit, vt omittam profana testimonia de hac, déque prioribus, & quòd moneta insignita fuerit primùm, seu notata, pecudis effigie à Seruio [h], aut à Iano [i], licèt autem apud Athenienses figura noctuæ cum Mineruæ facie, deinde bouis nummi signarentur (vnde parœmia *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν*, *bos per linguam inambulauit*, de iis, qui ab aduersariis accepta pecunia, mox præuaricati susceptas causas deserebant) apud alios Græcos mularum cum curru, apud Træzenios, qui Neptunum præcipuè colebant, tridentis, apud Persas sagittarij, apud Germanos serræ, apud Dardanos galli duplicis, apud Rheginos leporis, & currus, apud Cephalenes equi, apud Thalius Perses, apud Argiuos muris, apud Mithylenæos Sapphus, apud Aspendios palestræ, apud Pelpponesios testudinis, apud Tenedios securis, apud Corinthios Pegasi, apud Romanos in ære Iani gemini ex vna parte, ex altera rostri nauis, sed in triente, & quadrante ratium, in argento bigarum, atque quadrigarum; in ære cui argentum mixtum victoriæ, & indifferenter ouis, bouis, suis [k]; apud Hebræos virgæ Aaron quæ fronduerat, ex vna parte, & manna in vrna ex alia, quæ fusiùs declarantur à [a] Villalpando nostro: de toto autem numismatum (quas vulgus medalias vocat) argumento tam Christianorum, quàm Gentilium Antonius Augustinus [b], & quos præterea citat in indice vniuersali Fabianus Iustinianus [c], quibus Ioannem Marianam nostrum adiunge in opere de monetis. Minus ad rem facit pecuniæ nomen pro quouis corpore, cuius æstimationem nummo metimur, itaut fieri diceretur sacrificium pecunia quod ex his rebus constaret, quam nunc dicimus pecuniam, hoc est etiam ex frugibus, & fructibus, non solùm ex animalibus, vt ex Festo [d] colligitur. Docet item Vlpianus [e] res omnes tam soli, quàm mobiles, tam corpora, quàm iura, pecuniæ appellatione comprehendi: & Augustinus [f], totum quidquid habent homines in terra, omnia, quorum domini sunt, seruos, vas, ager, arbor, pecus, quia antiqui, quod habebant, in pecoribus habebant: qui tandem etiam de dea pecunia facit [g], anteque ipsum Arnobius [h], immò & Paulus [i], idolorum seruiturem auaritiam cognominans, eò videri potest allusisse, quamuis Iuuenalis [k] neget ædem, vel aram Pecuniæ Romæ consecratam fuisse.

———Et si funesta pecunia templo

Nondum habitat, nullas nummorum ereximus aras.

Denique Sapiēs [l] vni pecuniæ omnia obedire scribens, satis indicat prauo hominum iudicio pro summo numine haberi. Qua de causa testis idem Aug [m]. Iouem ipsum nuncupatum nomine pecuniæ, quòd eius essent omnia. Plura nos in Ecclesiastæ commentario [n], ibidémque Pineda noster, qui testimonio Aristophanis [o], & Petronij [p] luculento idem confirmat, & quo pacto artes omnes pecuniam intendant.

Aquam emptam haurietis, & bibetis.] Hebraicè (*& etiam aquam*, siue *aquas* (quia מַיִם *maim* licèt formæ singularis non sit, pro singulari sumi potest) *fodietis ab eis in argento, & bibetis*) Chaldaicè in hoc & præcedenti membro extat idem verbum תִּזְבְּנוּן *thizbenun*, *emetis*: sed in hoc Hebræum תִּכְרוּ *thichru* propriè valens *fodietis* à כָּרָה *charah*, aptè per *emere* transfertur, aut etiam alibi per *pacisci*, quia contrahentes, vt rem ratam esse significarēt, dextras inuicem datas percutiendo discindere videbantur: sicut & in fœderibus bestiæ disseca-bātur, quod Latini verbo feriendi, & Hebræi verbo כָּרַת *charath* explicant, & in præcedente membro verbum שָׁבַר *sciauar* eamdem vim habere vidimus, pro emptione. Lege commentarium Psalmi 88 [q]. Sic verò etiam in Genesi [r], *fodi mihi sepulchrum in terra Chanaan*, & in Osea [s], *fodi eam mihi quindecim argenteis*, idest, emi. Cuius metaphoræ rationem aliam reddit Delrius noster [t], quia sicut qui metallum effodit, vel qui terram suam diligenter colit, ille auri, hic annonæ dominus fit, ita emptor pecunia quasi ligone, venditoris animo mercem exculpit, & sibi acquirit. Ribera noster [u] obseruat nostrum Interpretem (quod & profanorum interpretes librorum aliquando faciunt) sæpe Hebraico more interpretari, id est, Hebraici vocabuli significationem imitari, etiamsi Latinis non sit admodum in vsu, vt *congregare*, pro occidere [x]. Apud citatum Oseam alludi putant Hieron. Haymo, Albertus, Lyranus, & alij ad metaphoram vineæ. Arias ad morem perfodiendi seu perforandi aures mancipiorum [y]. Græca loci nostri sunt, καὶ ὕδωρ μέτρῳ ἀργυρίου λήψεσθε παρ' αὐτῶν καὶ πίεσθε, vel ordine mutato in Sixtinis codicibus, καὶ ὕδωρ μέτρῳ λήψεσθε παρ' αὐτῶν ἀργυρίου, καὶ πίεσθε, *& aquam mensura argenti accipietis ab eis*, &

a c. 11. 15. & seqq.
Frāgere pro emere.
Panem frāgere pro porrigere.
b Esa. 58. 7. Thren. 4. 4.
c in c. 2. 41.
d c. 41. 35.
Frumentum pro cibo, seu pane confecto.
Cibus vnde.
Pecuniæ vox.
e 1. de ritibus c. 16.
f in Act. 3. 6. c. 7. 16. c. 17. 29. c. 20. 33.
g Marci 6. 8. c. 12. 41. Lucæ 21. 2. Ioan. 2. 15.
h Plin. lib. 18. c. 3. lib. 33. c. 3.
i Macrob. lib. 1. c. 7.
k Plutar. in Publicola.

a tom. 3. in Ezech. lib. 2. disp. 4. c. 21. & seqq. præsertim c. 26.
b dialogo de numismat.
c verbo Numisma.
d verbo pecunia.
e l. pecuniæ verbum. D. de verbo. significat.
f de discipl. Christiana vel de dono discipl. c. 6. & refertur. 1. q. 3. c. Totum. item 2. de lib. arb. c. 15.
g 4. de ciu. c. 21. lib. 7. c. 12.
h lib 4.
i Galat. 5. 20. Ephes. 5. 5.
k Saty. 1.
l Eccles. 10. 19.
m 7. de Ciuit. c. 12.
n in c. 10. 19.
o in Pluto. act. 1. sce. 2.
p in Saty.
q vers. 4.
r c. 50. 5.
s c. 3. 2.
t in Genes. 50. 5.
u in Osee 3. num. 7.
Congregare pro occidere.
x Oseæ 4. 3. Sopho. 1. 2. 3.
y Exod. 21. 6. Deut. 15. 16. Psal. 39. 7.

& bibetis ... ant, *& aquam mensura accipietis ab* e... *argenti*, *& bibetis*. Hauriendi significatio in aliis ... nibus non apparet, ex quo probatum ... ab Abulense per ipsammet Idumæorum terram Hebræos transiuisse, non autem solum ... Idumæis ad illos aquam extra fines terræ suæ ... mportatam esse cum cibis. Efficacius argumentum ex puteis, qui exprimuntur libro præcedenti [a] in simili narratione; & quia pro numero tanto hominum, pecorúmque tanta comportari aqua ægrè admodum potuisset. Lege libro eodem annotata de transitu per alienas terras, absque alieno damno. Monendi porrò etiam diuites quicumque ne pauperes vexent, ac opprimát, vel res eorum diripiendo, vel mercedem fraudando, vel ad labores obeundos, & onera compellendo. *Timebunt vos*, dictum priùs audiuimus, & nunc ista veluti de causa cautum, vt cibos, & aquam emant pecunia, & ipsimet hanc hauriant.

a c. 2. v. 19

Vers.7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

Paraphr. SVggeritur memoriæ Hebræorum in genere diuinum beneficium, Deique cura erga ipsos per adeò longum ac difficile in deserto iter, vt interim populú multiplicauerit, in operibus tabernaculi tam elegantibus peritiam tantam communicauerit, in bellis, quæ quamuis occurrerint cum Amalecitis [b], cum Arad Rege Chananæo [c], Seon, & Og Regibus Amorrhæorum [d], victoriam concesserit, ductu, ac directione columnæ nubis & ignis comitatus perpetuò fuerit, victui necessaria prouiderit, manna semper tribuendo, & nonnumquam carnes: aquam verò cùm aliunde non suppeteret, mirabiliter de petra extrahendo, tantisper tamen permittẽdo penuriam subinde, vt eos magis probaret, ac eruditet, etiamsi aliquoties tum pro cibo, tum pro potu [e] murmurauissent: denique singulari quodam modo cum illis habitauerit in tabernaculo, seu arca, & propitiatorio, edẽdo oracula, & multiplices leges tradendo ad cultum religiosum pertinentes, ad exercenda iudicia, politicéque viuendum, ad mores, & variarum virtutum operationes, quæ vocantur ceremoniales, iudiciales, morales. Vniuersalis hæc Dei munerum ac munificentiæ commemoratio, eò spectat, vt ad excipienda, & implenda eiusdem præcepta, quæ sub mortem Moses repetiturus erat, magis idonei, promptíque redderentur.

b Exod. 17. 8 & seqq.
c Num. 21. uno.
d c. 21. 21. & seqq.
e Exod. 16. 2. & seqq. Num 11. 1 & seq. c. 21. 5.

Explanatio. *Dominus Deus tuus.*] Omisit Interpres particulam causalem, quam habent editiones aliæ, כִּי *chi*, כִּי ... *ατι*; ... . Sed videtur redundare, quoniam proximè præcedentia redditionem causæ nullam requirunt. Vim porrò continent ad excitandum affectum amoris, gratitudinis, reuerentiæ, obedientiæ, quod initio versus, & in fine dicitur (*Dominus Deus tuus*:) nam (*tuus*) potius quàm (*vester*) innuit vnitatem maiorem populi, & quod non ponitur (*noster*) insinuat singularem amorem Dei erga populum, à quo tamen prouocatus toties peccatis fuerat: illum autem, qui loquitur, breui extra eam Dei prouidentiam futurum, quæ ad vitæ præsentis pertinet statum, quia paulo pòst esset moriturus: quod (*Dominus Deus*, Hebraicè יְהוָה אֱלֹהִים *Iehouah Elohim*) in Deo esse fontem omnis boni, atque potestatem prouidendi, & iudicandi. Augustinus tamen legit in locutionibus (*Dominus enim Deus vester benedixit te*, &c.) notátque non dici (*benedixit vos*) cùm prædictum esset (*vester*) non (*tuus*.)

Benedixit tibi.] Refert hoc propriè Lyranus ad beneficium legis datæ. Marzilla, quoniam tulit auxilium, & crescere fecit: alij iungunt sequentibus, idest, quantum ad opera manuum. Benedicere Dei benefacere est, vt alibi non semel docui.

Benedicere Dei idem quod benefacere.

In omni opere manuum tuarum.] Chaldaicè, *in omnibus operibus manus tuæ*, בְּכֹל עוֹבָדֵי יְדָךְ *bechol hhobade iedach*. Editiones aliæ habent pluraliter, sicut nostra *manus*. Idem Lyranus indicari vult maximè opus tabernaculi ad cultum Dei post legem datam. De hoc in Exodo [a] multa præcepta extant: & in 31. capite [b] narratur Beseleelem impletum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere: & ad excogitãdum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum, eique datum socium Ooliab, & in corde omnis eruditi positam sapientiam, vt facerent cuncta, quæ præceperat Dominus circa tabernaculum fœderis, & arcam testimonij, & propitiatorium, quod super eam erat, & cuncta vasa tabernaculi, mensámque, & vasa eius, candelabrum cum vasis suis, altaria thymiamatis, & holocausti, & omnia vasa eorum, labrum cum basi sua, vestes sanctas in ministerio Aaron, & filiis eius, thymiama aromatum in Sanctuario. In c. 28 [c]. eiusdem libri vocantur sapientes corde, quos repleuit Dominus spiritu sapientiæ, vt facerent vestes Aaron. Rursus in c. 35 [d]. impleuisse Dominus scribitur Beselcel spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendísque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabrè inueniri poterat, dedisse in corde eius: Ooliab quoque, & ambos erudiuisse sapientia, vt facerent opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, & bysso, & texerent omnia, ac noua quæque reperirent. Postremo in c. 36 [e]. habetur quod fecit Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dederat Dominus sapientiam, & intellectum, vt scirent fabrè operari quæ in vsus Sanctuarij necessaria erant, & quæ præceperat Dominus, & quòd vocauit Moyses eos, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradens eis vniuersa donaria filiorum Israël, & quòd fuerunt omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, &c. tantaque rerum ad id oblatarum copia erat, vt præconis voce cessare ab offerendo populus iussus fuerit. Meritò igitur in eiusmodi opere manuum asseri potest Dominum benedixisse. Latiùs tamen patet hæc benedictio, eámque Marzilla post Abulen. vt retuli, de multiplicatione populi, Deíque in omnibus bellis auxilio intellexerunt. Rickelius extendit ad plura, quódque affuerit Deus præsertim iustis, ac iis quidem gratiosius, vt ipse loquitur, quibus Moyses nunc loquebatur, quàm patribus eorum, qui iam occubuerant in eremo. *Fausta imprecatus est Dominus*, ait Vatablus, *fauit in omnibus, quæ gessisti consilio suo non tuo.*

a c. 25. & seqq.
b vers. 1. & seqq.
c vers. 3. *Sapientes corde qui.*
d vers. 31. & seqq.
e vers. 1. & seqq.

Nouit iter tuum.] Hebraicè (*nouit ambulare tuum, seu proficisci tuum*, יָדַע לֶכְתְּךָ *iadahh lechthecha*:) sed necti videtur debere cum sequentibus isto sensu

conti

cótinuato, nouit quòd ambulaueris, iterve feceris in deserto isto magno iá quadraginta annis. Quamuis editio nostra vltimas dictiones aliter copulet, vt significetur, quòd tot istos annos habitauerit Dominus Deus cum populo suo. Vterque sensus bonus est. Græcus textus integram hanc habet sententiam, διάγνωθι πῶς διῆλθες τὴν ἔρημον τὴν μεγάλην, καὶ φοβερὰν ἐκείνην. *agnosce quomodo transiſti desertum illud magnum, & terribile.* Nescire se scribit Eugubinus quamobrem L X X. & tempus & personam immutarint, neque sibi constare cui tanti erratí causam debeat ascribere. Tempus non immutarunt, quia nosse iter suum, est nosse quòd iter fecerint, cùm etiam designetur in omnibus editionibus annorum 40. tempus, quod iam penè præterierat. Fieri verò potest, vt L X X. legerint דַּע *dahh* imperatiuè, non יָדַע *iadahh* in indicatiuo, & intellexerint redigi Hebræis in memoriam, seu admoneri, vt recordentur itineris præteriti, & lôgi, & difficilis in deserto, in quo experti sint diuinam erga se præsentiam, prouidentiam, curam, ne quid necessariorum desiderarent, quemadmodum quæ hîc subduntur apertiùs declarant. Iuxta translationem porrò nostram consentaneam editioni Hebraicæ, nouisse iter populi Deum, Hugo explicat, quia disposuit, vt prosperè iret: vel, quia approbauit, & placuit ei, vt ita transiret, scilicet circumeundo quadraginta annis. Lyranus, quia duxit in columna ignis, & nubis. Abulensis propter istam rationem, & quia dedit magna, dici enim cognoscere illos, quos adiuuat, vel approbat, ab eis abscondi, quos non adiuuat, vel non approbat, ita vt illud ex Psal. [a] 16. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, accipiatur de peccatis: & eodem sensu minetur Deus in c.31 [b]. libri nostri derelicturum se populum, & absconsurum se faciē suam ab eo, cùm is abierit post deos alienos. Rickelius, quia Deus approbauit processum populi, & eum custodiuit in itinere; considerauitque piè progressum ipsius. Satis frequens est ista formula verbi noscendi, seu cognoscendi, & nesciendi, vt denotetur quippiam approbari, aut improbari, sæpiúsque à nobis obseruata est. Affinis autem huic nostro loquendi modus est Initio Psalmi 138. *Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam*; & postea, *Semitas meas, & funiculum meum inuestigasti*: adhæc, *Omnes vias meas prauidisti; & vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Item in fine Psalmi 1. *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* In Iob [c], *vestigia pedum meorum considerasti.* Præterea dicitur nosse qui sunt eius [d], & dies immaculatorum [e]. Græcè ὁδοὺς *vias*; vt etiá in psalteriis aliis Latinis, & apud Ambrosium, Augustinum, Arnobium, Hieronymum, Cassiodorum. In commentario primi Psalmi protuli ex Theodoro Antiocheno acceptionem τοῦ γινώσκειν οὐκ ἐπὶ γνώσεως, ἀλλ' ἐπὶ οἰκειώσεως, καὶ ἐπιμελείας, *non in cognitione* (nimirum simplici) *sed coniunctione, & cura*: quod etiam confirmabat testimonio Amos: *tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ*, hoc est, elegi, amaui, &c. Magnum fideli solatium, scire, atque considerare, quòd non obliuiscatur Deus inopiæ, & tribulationis suæ [f].

a vers.14.
b vers.17.
Noscēdi, seu cognoscendi, & nesciendi formula, pro approbare, aut improbare.
c.1.13.27.
d 2. Timot. 2.19.
e Ps.36. 18.
f Ps.43.24.

Quomodo transieris solitudinem hanc magnam.] Breuiùs in Hebræa editione (*nouit ambulare*, siue *iter tuum per desertum magnum hoc*) in Græca (*nosce quomodo transiuisti desertum magnum, & terribile illud*) vt priùs quoque citaui, vbi additur epithetum *terribilis*, φοβερᾶς. In ç.ptiore [g] vocabatur eremus terribilis & maxima, secundùm omnes etiam alias editiones. Videtur inde Græca huc transtulisse terribilis epithetum. Quod quo pacto debeat intelligi, ibi docuimus. Hoc autem loco editio Chaldæa integram sententiam sic exprimit, (*sufficienter tribuit tibi.* סְפֵק לָךְ *sippek lach*, *necessaria*, seu *necessitatem tuam*, צָרְכָךְ *tsorchach*, *in transire te*, siue *cum transires, aut ambulares.* בְּמַהְכָךְ *bimhachach*, *in deserto magno hoc*, seu *per desertum magnum hoc istis quadraginta annis.* Cæterùm tota terra, quam transierunt Hebræi ex Ægypto vsque ad Iordanem, solitudo dici potest, inquit Abulen. quia licèt aliquando accederent ad terras habitatas, modicum intrabant per eas, sed magis propriè dicitur solitudo Pharan, & aliæ præcedentes. Adde quòd raræ in deserto habitationes sub deserti appellatione comprehendi solent.

g vers.19.

Per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus.] Tres primas dictiones aliter necti posse dixi cum præcedentibus, vt pertineant ad tempus itineris populi per desertum, non ad habitationem Dei cum illo, etsi vtrumque verum est. Secundum magis indicat editio Græca, ἰδοὺ τεσσαράκοντα ἔτη κύριος ὁ θεός σου μετὰ σοῦ, *ecce quadraginta an*(nēpe sunt) *quibus Dominus Deus tuus tecum*, est, nimirum. Iuxta sensum autem aliū, notari debet cum Rickelio, dici populum fuisse in deserto, seu id transisse per quadraginta annos, non quòd assiduè aut quotidie ambulauerint in eo tot annis, imò frequenter quieuerunt multis diebus in certis locis. Denique, vt initio versus notaui, postremæ tres dictiones repetitæ, cùm iam positæ fuissent, valent ad varios pios affectus excitandos in Deum. Cæterùm Caietanus infert quòd reuelatio ista fuit anno quadragesimo, perfecto circuitu montis Seir, extincta vniuersa illa praua generatione.

Et nihil tibi defuit.] Hebraicè, Chaldaicè, Græcè absque alia particula (*non indiguisti*, vel *non caruisti verbo*, aut *aliquo*, seu *aliqua re*; לֹא חָסַרְתָּ דָּבָר *lo chasartha dauar*, לָא מְנַעְתָּא מִדַּעַם *la menahhtha middahham*, οὐκ ἐπεδεήθης ῥήματος, quam translationem immeritò carpit Eugubinus. Intellige de pertinētibus ad commodam sustentationem, quia multum deerat secundùm inordinatum populi appetitum petentis carnes, pisces, & alia, inquit Abulensis, antéaque monuimus, & Hugo notat de eo quod necessarium erat. Rickelius quòd si quando aliquid defuit, non diu id fuit, & manna iustis quod volebant sapiebat; adde iniustis etiam, vt alibi docui [a]. *Et quem regit Deus nihil deest* [b], *inquirentésque illum, non minuentur omni bono* [c], *& nihil deest timentibus eum. Quando misi vos*, ait Christus [d], *sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Limitant aliqui nostrum hunc locum, vt nihil defuerit, quia dederit Deus pecunias ad alia emenda.

a in Sap.16.
b Ps.22.1.
c Ps.33. 11.
d Lucæ 22. 35.36.

Vers. 8. Cúmque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.

SEquitur transitus per Moabitas, postquá transisset populus Idumæorum regionem viciniorem solitudini, quàm esset regio Moabitarū. Erat prior regio ad latus meridianum terræ Chanaan, posterior magis ad Orientem, & aliquo modo ad latus

PARAPHR.

latus meridianum terræ duorum Regum Amorrhæorum. Ammonitica regio directè orientalis eidem terræ Chanaan. Quare venientes de terra Ægypti, quæ erat meridiana terræ Chanaã, oportuit transire per montem Seir, siue per Idumæam, quæ est etiam meridiana terræ Chanaan. Verùm, quia Idumæi non permiserunt, vt transirent, coacti sunt terram Idumæam, siue montem Seir circuire, idque ascendendo ad Orientem, quando tandem dixit Deus, vt antea vidimus, sufficere quòd circuissent montẽ illum, & vt irent contra Aquilonem, transiréntque per terminos habitantium in eodem monte, qui timerent ipsos, ac proinde transire sinerent quod priùs negauerant. Describit hoc iter Abulensis [a].

a q. 3. Explanatio.

Cúmque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir.] Hebraicè Chaldaicéque (*& transiuimus à fratribus nostris*, &c. מֵאֵת אַחֵינוּ *meeth achenu*, מִלְּוָת אֲחָנָא *millevath achana*. Transite à fratribus idem valet quòd vel fratres, vt etiam redditur Græcè, καὶ παρήλθομεν τοὺς ἀδελφούς, vel per fratres. Idem cognomẽ fratrum tributum filiis Esau respectu Hebræorum extat hîc paulò antè [b]. De Seir verò etiam priùs actum est, vt vno ea nominibus Esau, & nomine regionis montuosæ, quæ vocabatur aliter Idumæa.

Transire à fratribus idem quod fratres, vel per fratres.
b vers. 4.

Per viam campestrem.] Reddidit Interpres (*per viam*) quod in editione Hebræa, & Chaldæa dicitur, sicut in priori membro cum particula מִן *min* מִדֶּרֶךְ *midderech*, מֵאוֹרַח *meorach*. Græcè, *apud*, siue *iuxta viam*, παρὰ τὴν ὁδόν. Pro campestri epitheto viæ, quod etiam significat vox Chaldæa מֵישְׁרָא *mesera*, in Hebræo textu est cum litera seruili, demonstrante הָעֲרָבָה *habbaranah*, quod exponunt apostata Munsterus, & Vatablus, *à via plana*, & *per viam solitudinis campestrem*, Pagninus, *à via planicies*: Oleaster (qui Pagnino tribuit, *à via solitudinis*) *à via mixtionis*, quoniam עָרַב *hharab*, *miscere* significat; *a via mixtionis*, idest, inquit, quia nos possemus illis in prælio commiscere, additque cum hoc tamen stare, quòd irent per terminos ipsius, sed non per terram eorum, & ab eis aquam, & alia necessaria emerent. Græcè παρὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἄραβα, *apud*, aut *iuxta viam Araba*. Loci nomen esse non videtur, cui etiam, vt & aliis propriis nominibus, litera seruilis demonstrans præponi non solet. Vertit Interpres in c. 3 [c]. *planitiem solitudinis*, vbi adhuc extat ἄραβα in textu Græco, pluraliter autem in 34 [d]. עַרְבוֹת *hharboth*, *campestria*. Græcè ἀραβώθ, corruptè ἀραμώθ. Ordinaria, receptaque notio vocabuli Hebræi est pro campestri, plano, solitudine, seu deserto, vbi nihil proueniat alimenti humani, sed μίγμα, *mixtura*, siue pabulum animantium. Inde portò Arabis, & Arabiæ deriuant nomina pro mixtura quadam hominum, qui eam primùm regionẽ incoluerunt, quales Scenitæ, Trogloditæ, aliíque ad mare rubrum, & intra Nilum, Araboth, Moab. Hieronymus [e] vbi secundò numeratos est populus, docet Aquila verti humilia, seu æqualia Moab, & solere eremum propter planitiem ὁμαλήν, idest, *æqualem* interpretari, & *planam*; à Symmacho transferri *campestria Moab*: suo tempore locum fuisse iuxta montem Phegor, euntibus à Libidiade (fortè Libiade) in Esbum Arabiæ contra Iericho, qui locus appellaretur Araba. Videri possunt LXX. ad eum locum allusisse.

c vers. 17.
d vers. 8.
Arabis, & Arabiæ nomina.
e de locis Hebr.

De Elath.] Scribitur *Helath* in codicibus Complutens. & Regiis, & apud Hugonem: apud Abulensem *Helat*. Nostra scribendi ratio Hebrææ, Chaldææque congruit, nempe אֵילַת *elath*. Græcè, αἰλών, & in minus emendatis modò dictis Bibliis, aliísque circumflexè αἰλῶν, quasi esset numeri pluralis nomen. Non occurrit alibi nomen hoc loci, sed Elon proprium viri, de quo in libro Numerorum [a]. Apud Oleastrum *Belath* mendosè legitur. Hieron [b]. Elath regionem ait esse Principum Edom; & ciuitatem Esau in decimo à Petra milliario contra Orientem: etymologicè verò declarat [c] terebinthum, aut aulones (locus est in Arabia sic appellatus, vt & eiusdem nominis alibi alia loca.) Addit Beda, *Deo peccans, aut maledictus ipse peccator*, quæ notationes idoneæ non sunt. Est verò אֵלָה seu אֵילָה *elah*, arbor, ac præsertim quæ ilex vocatur, vel quercus, vel robur, quod robur ac fortitudinem importat radix אוּל *aul*, vnde vnum de Dei nominibus אֵל *el* fortem significans, robustum, potentem. Adrichomius [d] confundit hæc nomina omnia, Elat, Ailath, Ailat, Ailoth, Aila, Haila pro vrbe regni Edom, in litore maris rubri, vnde ex Ægypto in Indiam, & inde in Ægyptum nauigaretur, quámque transierint filij Israël: Ozias Rex Iuda ædificauerit aliquando, & redegerit sub imperium suum, sed non ita multo pòst eripuerit Rasin Rex Syriæ, eiectísque Iudæis restituerit eam Syriæ, tempore autem Hieronymi moraretur ibi, essétque in præsidio legio Romanorum cognomento decima [e]. In historia Regum [f], & in Paralipomenis [g] Ailath in litore maris rubri, iuxta quam erat Asiongaber in terra Idumææ, vocatur Hebraicè, atque Chaldaicè אֵילוֹת *eloth*, Græcè αἰλάθ, & quæ *Ælath* [h] (aliter *Abylam*) אֵילַת *Elath*, αἰλάθ, & quæ *Aila* אֵילַת *elath*, αἰλάθ (aliter soluta diphthongo ἀιλάθ.)

a c. 26. 16.
Elath quid.
b de locis Heb.
c de nominib. Hebræ. ex Deut.
d theat. terræ Sãctæ in Pharan. pag. 119.
e Hieron in Ezech 47. & in vita Hilarionis.
f lib. 3. Reg. 9. 6.
g lib. 2. c. 27. c. 26. 1.
h li. 4. Reg. 14. 25.

Et de Asiongaber.] Duo nomina separatim sunt in editionibus aliis עֶצְיוֹן גָּבֶר *hhetsion gauer*, aut *gaber*, γασιὼν γάβερ, vel minus correctè γασιων γαβερ. Vbi nota in priore nomine literam primam ע *hhain* exprimi per γ, siue g, secundam צ *tsade* per σ, siue s. De huius istius nominis scribendi ratione, ipsiúsque notione, ac de loco, consule annotata c. 33 [i]. libri Numerorum: vbi obiter simul de Elath. Infert autem Abulen. quod iam priùs dictũ est, Israëlitas transiuisse aliquo modo intra terram Edom; quoniam hîc habetur quòd transierunt per viam de Asiongaber in desertum Moab: siquidem Asiongaber esse in terra Moab, scribitur in tertio [k] Regum: tamen quia via de Asiongaber vsque ad desertum Moab est deserta, non dici intrasse in terram Edom, donec pertransita tota ista via de Asiongaber, quæ est campestris, venerunt declinantes ad Aquilonem. Citaui eodem loco Pinedam [l] nostrum plura de Asiongaber differentem aduersùs Ioannem [m] Goropium Becanum.

i vers. 35.
k c. 9. 26.
l de rebus Salo. c. 7. 8. 9.
m 5. & 6. re-tũ Hispan.

Venimus ad iter, quod ducit in desertũ Moab.] Paulò fusiùs in aliis editionibus (*& vertimus nos*, seu *reuersi sumus*, *& transiuimus viam deserti*, aut *desertum Moab*.) In isto itinere aliquot mansiones fuerunt, sicut in præcedente, de quibus dicto 33. c. Numerorum. Tendebat populus per medium Moabitarum qui habitabilem terram habebant ab Occidente, & Ammonitarum, qui ab Oriente, in terram duorum Regum Amorrhæorum Sehon, & Og, vt antea dictum est. Post multas, & molestas circuitiones, in solitudine secus occidẽtale montis Seir latus factas, relicto monte venit populus per viam campestrem in Elath, hócque præterito, fecit trigesimam secundam mansionem in Asiongaber ad litus maris rubri: ibi cùm periisset iam maxima pars eorum, qui murmurauerant in Cadesbarne, dixit Moyses iussu Dei satis esse,

esse, quod in murmurationis pœnâ tãdiu circuiuisset mõtem Seir, ac perrexisset ad Austrũ, Orientémque elõgando se à Chanaam, quæ ipsi erat ad Aquilonẽ: tempus esse, vt ad hunc iret versùs illã, & quia per terminos filiorũ Esau trãsiturus erat, vetuit pugnare, vllóve damno illos afficere. Nec verò antequam ventum esset in Asiongaber, iniuncta est dicta reuersio ad Aquilonem, quia ad Asiongaber vsque, de Cadesbarne venit populus ad Austrum, omnino nihil flectendo ad Orientem: ab Asiongaber recedendo à mari rubro ad Cades, cœpitque tunc primùm progredi contra Aquilonem, ac proinde id ei videtur ibi imperatum. Sed Scriptura, & quidem præsertim in hoc libro nostro, non seruat semper ordinem temporum, referendo quæ antè acciderunt: verùm prout Spiritus sanctus Scriptori suggerit, habito respectu ad alia, quæ intendit; cùm dictus ordo colligi ex aliis eiusdem locis possit. Vnde in verbis præcedentibus (*cúmque transissemus*, &c.) repetuntur summatim aliqua priùs facta, nempe, quòd relicto mõte Seir, ventum est in Elath, & in Asiongaber, vt mox transeatur ad narrandum, quod profectus est ad iter versùs Moab, non curando de his, quæ interim facta sunt, idest, quòd de Asiongaber venerit primò in Cades, postea iterum declinando ad mare in montem Hor, circumeundo partem Idumææ in latere orientali, tandem iuerit per viam ad desertum Moab: hæc enim omnia fusè ac ordinatè narrata fuerant in libro Numerorum [a]. Torniellos [b] hęc notat, & prætereà [c] quòd Elath, & Asiongaber tunc temporis nõ videntur fuisse filiorum Esau, quoniam dicuntur tunc habitasse in monte Seir, non in planitie, quæ sese extendebat inde ad mare, & in Asiongaber populo prædictum fuerat, quòd postea transiturus esset per terminos Idumæorum: quod arguit non fuisse tunc in Idumæa, & in libro Numer. [d] traditur Cades & Hor fuisse in finibus Idumæorum, quæ tamen procul erant à mari intra terram. Quòd si in historia Regum [e], & in Paralipomenis [f] scribuntur Ailath, seu Elath, & Asiongaber, esse in terra Edom, causa est, quia postea protulerunt Idumæi vsque ad mare fines suos. Tandem ponendum cum eodem auctore [g] duplicem Idumæam fuisse, aquilonarem, & australem: déque priore in Threnis [h] esse mentionem, cùm dicitur, *Filia Edom habitans in terra Hus*, & nomen simul habuisse montis Seir: posteriorem rubro mari proximam huc pertinere, non, vt Brocardus voluit, priorem.

a c.20. toto c.21. vers. 4. c.33. vers. 35 & seqq.
b in annali. anno 2582. num. 1.
c num. 1.
d c.20. 16. c.22.
e lib.3. 9. 26.
f lib.2. 8. 17.
g anno 2519 num. 7.
h c.4. 21.

Vers. 9. Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersùs eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem.

Paraphr.

Similis prohibitio Dei fuit de Moabitis prælio non vexandis illi priori, vt nõ pugnarent Hebræi contra Idumæos. Sed ibi duplex reddita ratio, & ex iure fraternitatis, & ex eiusdem Dei donatione. Quamuis autem nonnulla quoque intercederet cognatio, seu affinitas inter Loth, eiúsque posteros, & inter Israëlitas, quia Abrahã, & Loth cognati erant, & Abraham auus Iacob, ex quo per duodecim filios tribus totidem descenderant, maior erat in hoc genere necessitudo, seu vinculum descendentium ex Iacob, & Esau immediatis ex vtroque parente Iacob fratribus. Vnde bis iam in isto capite [a] nominati sunt fratres Hebræorum filij Esau, non verò filij Loth, nunc appellati fratres eorumdem.

a ver. 4. & 8.

Explanatio.

Dixitque Dominus ad me.] Chaldaicè (*mihi*, לִי *li*) Vtramuis formulã indifferenter in omni editione reperies. Cæterùm videtur continuata oratio Dei fuisse de istis, déque præcedentibus gentibus, necnon & de sequentibus, deinde Ammonitis, licèt distinctè introducatur de singulis loquens Deus.

Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersùs eos prælium.] Pro membro secundo phrasis eadem est secundùm reliquas editiones, quæ versu 5. vbi legimus (*ne moueamini contra eos*) nisi quòd prælij, seu belli nomen, quod hîc habetur, ibi non ponitur, præterquam à Græca. Eo loco legimus אַל תִּתְגָּרוּ בָם *al thithgaru bam*, לָא תִתְגָּרוּן בְּהוֹן *lo tithgarun behon*. μὴ συνάψητε πρὸς αὐτοὺς πόλεμον. hîc autẽ eadem extant, addito non solùm Græco nomine πόλεμος, sed etiam Hebræo מִלְחָמָה *milchamah*, & Chaldæo קְרָב *kerab*, & præterea iuxta hanc vltimam editionem inseritur לְמֶעְבַּד *lemebbad*, *ad faciendum*, *ne contendas ad faciendum cum eis bellum.* Relege priorem locum. Primum membrum ex Hebræo אַל תָּצַר *al thatzar*, & Chaldaicè לָא תְצוּר *lo thetsur* verti potest, *ne obsideas*, *ne oppugnes*, *ne premas hostiliter*, &c. ex Græco μὴ ἐχθραίνετε τοῖς Μωαβίταις, *ne inimici sitis Moabitis*, idest, ne oppugnetis, quod solent facere hi, qui odio aliquos persequuntur: quamuis non debeant odio formali persequi, sed liceat propulsare iniurias eorum, qui ex tali odio eas inferunt. Alioquin opinio est Maldonati [b] nostri, & Salmeronis [c], odium inimicorum, qui non essent ex suo populo, Hebræis prohibitum non esse, sed saltem permissum propter infirmitatem, & imbecillitatem eorum. Vide quid hac de re docuerim in Leuitici commentario [d]; definiẽs odium inimicorum in vetere quoque lege inhibitum fuisse, & quod Christus dixit, [e] dictum, *odio habebis inimicum tuum*, vel intellexisse additum à Pharisæis malè legem interpretãtibus, vel si in ipsa lege contineatur, sensum esse vt gentibus quibusdã populo Hebræo infestis non exhibeantur amicitiæ signa, sed odij potiùs, eas ad internecionem vsque persequendo: vel si adhuc admittatur tanquam sumptum de Scriptura, non præcepti vim habeat, sed permissionis dumtaxat. Lege Vincentium Regium [f] nostrum. Pugnatum postea contra Moabitas esse, monui, quoniam hi lacessiuerant Hebræos, & cognominantur aliquãdo [g] peculiariter horum inimici, quorum dux ac rex erat Eglon. Immò Ieremias [h] maledictum denunciauit, qui faceret opus Domini fraudulenter, siue negligẽter, quique prohiberet gladium suum à sanguine, videlicet Moabitarum, quoniam cùm olim vetuisset Dominus, ne pugnarent Hebræi contra ipsos, vexauerunt istos. Cæterùm de vocabulis prælij, belli, pugnę, libro priore [i] nõnihil egi.

b in Mat. 5. 21. & 43.
c tomo 5. tract. 42.
d in c. 19. 18. *Inimicorum odium.*
e Mat. 5. 43.
f Euangel. dilucid. to. 1. lib. 4. c. 4. in scholiis num. 143. & seqq.
g Iudic. 3. 28.
h c. 48. 10.
i c. 31. 36.

Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum.] Hebraicè, & Chaldaicè (*quia non dabo tibi de terra eorum hæreditatem*, יְרֻשָּׁה *ierussah*, יְרוּתָא *serutha*) Græcè (*in sorte*, vel *hæreditate*) ἐν κλήρῳ. Priùs in versu 5. de terra Idumæorum (*neque enim dabo vobis de terra eorum, quantũ potest vnius pedis calcare vestigiũ.*

Quia filiis Loth tradidi Ar in possessionẽ.] Græcè Ἀροήρ, vel cum σ, Σηείρ in Complutensibus, Regiisque Bibliis. Nominatur hîc adhuc [k] postea vrbs Ar, & in libro præcedente [l], vbi notaui legi à nõnullis Græcè ἤρ, aut ἔρ, hócque pro ἄρ poni notatum à Hieronymo: videri autem eiusdẽ loci aliud nomen esse Arnon, aut sitam ciuitatem ad Arnonia

k ver. 18. 29.
l c. 21. 15.

* verſ. 36.

nis torrentem: curſus in iſto capite * tradi Aroër ſuper ripam torrentis Arnon, quæ oppidum eſſet in valle. Scribitur porrò Ar Hebraicè עָר hhar, Aroer עֲרֹעֵר hharohher, Arnō אַרְנוֹן arnon, quæ Hieronymus [a] etymologice declarat, ſuſcitauit, vel vigilans, ſubleuantem. vel vacuefactionem vigiliæ, aut mỹ r.a. æternum triſtitia, ſiue laudem: At autem locum ait [b] eſſe vel oppidum Arnonis (quam docet rupem eſſe in ſublime porrectā in finibus Amorrhæorum inter Moab Arabiæ ciuitatē, quæ Areopolis poſtea nominata eſt, & Amorrhæos, quod à L X X. Interpretibus per extenſam vocalem ηρ dicatur. Adrichomius [c] hæc omnia nomina eidem ciuitati aſſignat. Ar, Aroër, Arnon, Moab, Rabbath, Moab, hoc eſt, grandis Moab, quæ fuerit ciuitas antiqua, potens, & Moabitarum præcipua, ſita ſuper ripam torrentis Arnon in cōfinio Moabitarum, Amorrhæorum, Ammonitarum, in valle media, glorioſa, & muris validis munita, poſſeſſa olim à gente vetertima Omniim, & poſtea retenta à filiis Loth, ideſt, à Moabitis, cùm priores accolas ſubuertiſſent; vnde & eorū metropolis facta, domina Moab nuncupata ſit, quam poſtea Sehō Rex Amorrhæorum illis iure belli abſtulerit; eo autem ab Iſraëlitis interfecto, filij Gad vrbem hanc poſſederint, & reſtaurauerint: videri etiam nominatam Ariel, quòd Ariel, ſiue ἄρεος, hoc eſt, Martis idolum, tēpore Hieronymi adhuc ibi coleretur, vnde & Areopolis nomen obtinuerit. Citat Hieronymū pleriſque in locis. Iam verò quod attinet ad Loth, qui meliùs abſque aſpiratione ſcriberetur, ſicut Hebraicè Chaldaicéque לוֹט Lot per ט teth, nō per ת thau: & Græcè λώτ, & inuolutū, concluſumve ſignificare dicitur, vel vinctum, vacantem, declinantem, ſeu declinationem, à לוּט lut, inuoluere, operire, abſcondere, latere: de illo crebra mentio in Geneſi [d], & hîc adhuc infrà [e], prætereà in Pſalmo 82 [f], in Lucæ Euangelio [g], & poſteriore Petri epiſtola [h]. Fuit filius Aran, qui Aran patrem habuit Thare, & fratrem Abram, & Nachor, natus non anno patris octauo, vt in Seder Olam habetur, & Genebrardus conſentit, ſed circiter ſeptuageſimo, cùm Abram egreſſus eſt de Haran, & iterum cum eodem aſcendit de Ægypto. Adoptatus eſt in filium ab Abraham, cùm hic nondum haberet germanū filium, vt placet Ioſepho [i], & Chryſoſtomo [k]: quod tamen haud ita probabile eſt, quia poſt aduentum in Chanaan vocatus eſt frater ab Abraham. Cùm non caperet eos terra præ copia ſubſtantiæ, ita vt nequirent habitare cōmuniter, data optione elegit ſibi regionem circa Iordanem valde irriguam, ſicut paradiſum Domini. Hoſpitalitati deditus excepit Angelos, & ab iis de Sodomitico incendio liberatus eſt cum vxore, fruſtrà priùs increpans nefandas libidines Sodomitarum iuſtus vir aſpectu, & auditu. Ab Abram liberatus eſt ex captiuitate, exanditus eſt pro ciuitate Segor. Ex fraudulento, & inceſtuoſo filiarum concubitu filios duos habuit Moab, & Ammon, Moabiticæ, & Ammoniticæ gentis auctores, qua in re à multis excuſatur, vt & quòd rixæ auctor non fuerit cum patruo, nec quia cum Sodomitis habitauerit reprehenſione dignus fuerit, vt Philo [l] voluit, & alij Hebræi. Legi poſſunt, quæ de hoc attulimus in libro Sapientiæ [m], & in Petri 2. epiſt. [n]. Fauent excuſando Lot cùm filias turpiſſimis obtulit Sodomitis non animo repenſandi flagitio flagitium, ſed placandi hyperbolica ſubmiſſione, arbitrando non acceptandam eiuſmodi oblationem, cùm etiam eſſent iam deſpon-

[a] tract. de verb. Hebr. ex li. Nam. Ar quid.
[b] tract. de locis Hebr.
[c] thea. ter. Sanctæ in Gad. pag. 31. num. 9.
Lot quis.
[d] c. 11. 28. 31. c. 12. 4. 5. c. 13. 1. 5. 12. 14. c. 14. 14. c. 19. 1. & ſeq.
[e] verſ. 19.
[f] verſ. 9.
[g] c. 17. 28. 29. 32.
[h] c. 2. 7.
[i] 1. antiq. c. 5.
[k] hom. 31. in Gen.
[l] de Abrahā.
[m] in c. 10. 6. & c. vlt. 16.
[n] in c. 2. 7.

ſæ Sodomitis primariis, vt loquitur Caietanus [a], exempla ſimilia, Moſis [b] dicentis, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Ruben [c], qui dixit, duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi. Dauid, [d] ſi eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. Achæmenidis apud Poëtam,

[e] Spargite me in fluctus, vaſtóque immergite Ponto.
Si pereo, manibus hominum periiſſe iuuabit.

Et,

[f] Vos animam hanc potiùs quocūque abſumite letho.

prætereà Sinonis,

——[g] iamdudum ſumite pœnas.

item Nyſi,

[h] Me me adſum, qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli.

Vtitur his exemplis noſter Sallanus [i], quibus non diſſimile apud Statium. [k]

——ego infandas potior ſatiare volucres.
Me præbete feris, ego bella audere coegi.

Libuit in gratiam Lot nōnihil ſic hic digredi, nec omnino tamen παρέργως, ἀπειροκάλως, ἀχρήστως. Porrò hinc intelligitur quanti fiat vir iuſtus à Deo, vt propter Iſaac, & Lot tot annis poſtea parci voluerit deſcendētibus ex ipſis, quamuis eſſent idololatræ, eodémque pacto propter Dauid, tamdiu conſeruatum voluit regnum in impiis quoque ſucceſſoribus. Quantò pluris Pater æternus propter dilectū Filium ſuum Chriſtum ignoſcet iniquitatibus noſtris, nóſque tum liberabit à malis, tum bonis afficiet innumeris?

[a] in Gen. 19.
[b] Exod. 32. 31.
[c] Gen. 42. 37.
[d] 1. Reg. 20. 8.
[e] Virg. Æn. 3.
[f] ibidem.
[g] 2. Æneid.
[h] lib. 9.
[i] tom. 1. annal. anno 2138. n. 52.
[k] Theba. 10.

Verſ. 10.] Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelſus, vt de Enacim ſtirpe,

Verſ. 11.] Quaſi gigantes crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim, denique Moabitæ appellant eos Emim.

Verſ. 12.] In Seir autem priùs habitauerunt Horrhæi: quibus expulſis atque deletis, habitauerunt filij Eſau, ſicut fecit Iſraël in terra poſſeſſionis ſuæ, quā dedit illi Dominus.

Paraphr.

NOn vanè Moſes interſerit hiſtorias priſcas, inquit Caiet. vt apparet, impertinentes (affertur enim hiſtoria expulſionum antiquarū gentium ea terra Moab, & ſimiliter ex monte Sehir, & poſtea ex terra Ammon) ſed tum ad teſtificandum, quòd Deus dedit regna illa Moabitis, Idumæis, & Ammonitis, expellendo inde habitatores eorum: tum ad confortandum animos Iſraëlitarum ab exemplo, vt confidant in Deo, nec timeāt relata olim ab exploratoribus de proceritate gentis trans Iordanem, quòd quemadmodum contriuit Deus gentes iſtas (quamuis & multitudine, & magnitudine corporum eſſent validæ) multò magis contereret propter Iſraël gentem fortem, & magnam trans Iordanem. In textu recitato deſcribûtur ij, qui priuſquā Moabitæ ipſos expuliſſent, incolebant eam regionem, in qua tunc iſti erant.

Explanatio.

Emim primi fuerunt habitatores eius.] Pronomen (*eius*) refertur ad Ar proximè nominatam metropolim Moabitarum. *Pro habitatoribus* eſt Hebræū verbum יָשְׁבוּ *iaſceuu*, & Chaldæum ſimile יְתִיבוּ *iethiuu*, quæ ſignificant tum *habitare*, tum *ſedere*. Sed Græcum ἐνεκάθηντο, *inſederunt*. Pro הָאֵמִים *haemim*,

 quod

quod est nomen cum prima litera seruili loco articuli demonstratiui, Græcè habetur *οἱ ὀμμαῖν*, quam vocem absque dubio cum errore reddidit auctor Latinæ translationis è Græco in Sixtinis Biblijs (*omnes.*) Paraphrastes Chaldæus, vt nomen appellatiuum accipiens interpretatur per אֵימְתָנֵי *emthâno*, *terribiles*, quam ipsam etymologiá in tractatu de nominibus Hebraicis tradit Hieron. Beda verò item in suo eidem, siue horrendorum adijcit notationem gentium, vel populorum. Dicitur אֹם *om*, *gens*, seu *populus*, & pluraliter אֻמִּים *vmmim*, sicut & לְאֹם *leom*, ac לְאֻמִּים *leummim*, videntúrque L X X. ad אֻמִּים *vmmim* attendisse. Verùm ab אָיַם *aiam* inusitata radice est אָיֹם *aiom*, *terribilis*, fœmininè אֲיֻמָּה *aiummah*, אֵימָה *emah*, *terror*, & in genere masculino אֵים *em*. Hinc אֵימִים *emim*, aut absque ׳ *iod* primæ syllabæ inserto אֵמִים *emim*, *terrores*, quod cognomen gigantibus hoc loco tributum scribitur, quia terrori essent videntibus, sicut & sculptilibus apud Ieremiam [a], eamdem ob causam. Simili analogia truces quidam inhumani cuncta vastantes cognominati sunt flagella Dei, orbísve terrores, vt Nabuchodonosor, Attila, Baiazetus. Abstracto quoque nomine Deus ipse appellatus est timor [b] Isaac, pauor, & terror populi [c], atque, vt aliàs monui, visus est nonnullis Deus dictus, quasi *δέος*, ac primus in orbe timor Deos fecisse. In c. 14 [d]. Genesis narrator Chodorlahomor cum aliis Regibus percussisse Rapbaim in Astaroth, & Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue, Cariathaim, & Chorræos in montibus Seir vsque ad cápestria Pharan, quæ est in solitudine. Quem locum tractans Chrysost [e]. causam satis affinem affert ei, quam paulo antè hîc retulimus ex Caietano: cur nempe ibi Moses tam subtili, distinctáque narratione commemoret illam victoriam, vt cognusceretur excellens Dei potentia communicata Abrahamo, qui tantum numerum, ac vim robustorum gigantum tanta celeritate, facilitateque profligarat. Hieronymus [f] meminit de Omnæorum gente valida, dum locum Saue declarat. Vocat præterea [g] Ominæos (nisi mendum sit.) Hos Ominæos L X X. citato loco *ὀμμαῖοι* nominant, aut in minus emendatis codicibus *ἐμαῖοι*: & pro Zuzim *ἔθνη ἰσχυρά*, *gentes fortes*, ita vt non sit verum, quod aliqui [h] docent, ab illis Interpretibus non tantùm pro Zuzim, sed etiam pro Emim appellatiua nomina significantia fortes, robustos, siue terribiles posita esse. Hieronymus [i] Zuzim, & Emim terribiles, & horrendos interpretatur. LXX. verò sensum magis, quàm verbum ex verbo transferentes gentes fortissimas posuisse. Refert Oleaster hoc loco ex Hebræorum & quorumdam Catholicorum sententia, istos populos dictos Emim, ob eam causam, quam dixi, à terribilitate, quòd prodigiosa corporis proceritate, atque robore omnibus ipsos aspicientibus terrorem incuterent, quia אֵימָה *emah terror* sit. At verò se nusquam in Scripturis eam significationem reperisse, sed אָמָה *amah* pro *ancilla*. Videri autem ab אֵם *em*, hoc est, *mater*, deriuari, à qua oriatur אַמָּה *amah*, idest, *mensura*, siue *cubitus*, qui quasi mater continet alias paruas: inde autem אֵמִים *emim*, quòd magnarum mensurarum essent homines illi, de quibus Gen. 14 [k]. habetur habitasse in planitie Cariathaim. Repugnat recta ratio scribendi אֵימִים *emim* per ׳ *iod*, secundo loco ab אָיַם *aiam*, vt antè dixi: & אֵימָה *emah*, atque אֵימָתָה *emathah*, pro horrore, formidine, terrore, timore, pauore multoties [l] occurrit

Plagella Dei, orbisve terrores qui.

a c. 50. 38.

b Gen. 31. 42. 53.

c Esa 8. 13.

d vers. 5. 6.

e hom. 31. in Gen.

f de locis Hebr.

g quæstio. Hebr. in Gen.

h Pere. in Gen. 14. nu. 18.

i quæstio. Hebr. in Gen.

k vers. 5.

l Gen. 15. 12. Exod. 15. 16. Iosue 2. 9. 2. Esd. 3. 3. Iob 9. 34. c. 13. 21. c. 33. 7. Ps. 54. 5. Prou. 20. 2. Cant. 6. 9.

diuinas literas legentibus, & in Iob [a] אֵמִים *emim* reddit noster Interpres *horribiles*. Chaldæus Paraphrastes, & L X X. *terrores*, seu *timores*, וְדִחְלָיָא *dechilaua*, *φόβοι*, denique in Psalmo 87 [b]; vt ibidem exposui. Denique communis est opinio Emim dictos quasi terribiles.

a c. 20. 25.

b vers. 16.

Populus magnus, & validus.] Ex Hebræo, *magnus, & multus*, גָּדוֹל וָרָב *gadol varab*) quod etiam valent Chaldæa רַב וְסַגִּי *rab vesagghi*, & Græca *μέγα καὶ πολύ*. Oleaster magnum referri vult ad nobilitatem, non ad corporis vastitatem, quia רָם *ram*, quod statim sequitur, ad id refertur, & nihil aliud habemus de his populis, quod veritatem contineat, quàm quòd erant filij Enacim. Non adeò ad rem facere videtur nobilitas, potéstque significare גָּדוֹל *gadol* magnitudinem virtutis, alteriusve qualitatis, & non tantùm quantitatis molisve.

Et tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.] Hebraica (*& procerus, excelsus, alta statura, sicut Anakim*, seu *Enacim*, וָרָם כַּעֲנָקִים *varam chabhanakim*. Chaldaice (*& fortis sicut gigantes*) וְתַקִּיף כְּגִבָּרַיָּא *vethakkiph chegibbaraiia*. Græcè (*& fortis sicut Enacim*, *καὶ ἰσχυρὸς ὥσπερ οἱ ἐνακείμ*) nec reddi debuit (*filij Enacim*) vt est in codicibus Regiis, & Complutensibus. Videtur autem editio nostra comprehendisse simul cum Hebræa, & Græca, quæ non differunt, ponúntque solùm Enacim, Chaldæam, quæ tantùm gigantes. De Enacim porrò, & Enac dictum priore capite [c], & libro præcedente [d], videlicet Enac, siue Anac fuisse proprium gigantis nomen, deinde Enacim generali vocabulo dictum, vt si Hercules, Goliathos, Milones Crotoniatas, aut similibus aliis nominibus pluraliter appelles eos, qui mole, aut robore corporis Herculem, Goliathum, Milonem Crotoniatam imitentur. Quamuis etiam retulerim videri nonnullis Anac, vel Enac nomen appellatiuum esse, cognoménve, quasi dicas Torquatum, eo quòd hi gigantes incederent torquati, quia *torquem* עֲנָק *bhanak* significat, quomodo Titus Manlius apud Romanos cognomen Torquati habuit à torque, quam Gallo detraxit in pugna apud Anienem, eámque sanguinolentam (fœminini generis est, non tantùm masculini *torques*) sibi in collum imposuit [e]. Sed satis indicat Interpres noster vnum aliquem fuisse nomine proprio Enac, de cuius stirpe alij Enacim vocarentur. Refellit eam opinionem de Enacim appellatiuè pro torquatis Masius [f]. Ait Hugo quasi gigantes bene dici, quia tenera non essent, sed magni corpore, vt gigantes. Verùm particula (*quasi*) non semper minuit, sed non rarò rei proprietatem veritatémque denotat, & post Noe iterú gigantes suscitatos Eugubinus hoc loco monet, & in multis terrarum partibus tam prodigiosam gentē repullulauisse, maximè in his locis, de quibus hîc fit mentio, vbi etiam tempestate Dauid gigantes inueniebantur. Addit ab his natas omnes fabulas apud Græcos propter famam, & nomen gigantum, & propter vetustatem.

c vers. 28.

d c. 13. 23. 29. 34.

e Gell. lib. 9. c. 13. Cic 3. offic.

f In Iosue 11. 21. 22.

Et essent similes filiorum Enacim.] Ex Hebræo רְפָאִים יֵחָשְׁבוּ אַף הֵם כָּעֲנָקִים *rephaim iechashebu aph hē chabhanakim*, exponi solet, *gigantes reputabuntur etiam hi, sicut Enacim*. Primum nomen, à רָפָא *rapha*, *sanauit*, denotat gigantes insigni sanitate, valetudine, robore, firmitate virium præditos, quos hoc loco Paraphrastes, vt & membro priore nominat גִּבָּרַיָּא *ghibbaraiia*, *fortes*, ac *robustos*: à רָפָה *raphah* verò, remissum esse, ac debile innuit solo

aspectu

aspectu percellere, eósque, qui videant ipsos reddere debiles, ac viribus destituere. Placet magis deriuatio prima Oleastro: & præterea sicut Enacim ab Enac primo auctore, sic Raphaim à quodam, cui nomen Rapha, nuncupatos. In Paralipomenis [a] quidem memoratur quidam in Geth longissimus, senos habens digitos, idest, simul viginti quatuor, qui & ipse de Raphaim fuerat stirpe generatus. Sed mox post illius, & aliorum enumerationem, hi sunt, ait Scriptura [b], filij Raphaim in Geth, qui ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius, & Græcè (Chaldæa enim paraphrasis non extat in illis libris) habetur nomen γίγαντες, & esse filios Raphaim, idem est quod esse Raphaim, idest, gigantes, vel etiam è gigantibus natos, licèt nullus fuisset, qui tamquam proprio nomine Rapha vocaretur. In 2. Regum [c] mentio fit Iesbi de Nob, qui fuisset de genere Arapha, vbi correcta Biblia notant cum litera prima minuscula, & Hebraicè præfigitur litera ה he, demonstratiua, quæ propriis nominibus præfigi non solet, hoc modo הָרָפָה harapbah, Græcéque ac Chaldaicè ponuntur gigantes γίγαντος, & גִּבָּרַיָּא ghibbaraia, & litera ה he in fine insinuat deriuationem à verbo רָפָה raphah, quam Oleaster postponebat deriuationi à רָפָא rapha: quod loci nostri quidam Enarrator [d], (nisi mendum irrepsit) non rectè exponit remittere, & dissoluere. Attamen Hieron. in tractatu de nominibus Hebraicis, in quo propria dumtaxat videtur interpretari, dum hoc etiam, [e] explicat, medicos, aut gigantes inter propria computare censeri potest. Idem iudicium de Beda, qui addit dictis notationibus facturas nostras, aut laxatos eorum: quarum penultimam probam non censeo. Hoc loco Græcè retinetur vox Hebræa ῥαφαΐν, vel ῥαφαΐμ, quemadmodum & c. 3 [f], atque sic seorsim distinctéque sententia exprimitur ῥαφαεὶν λογισθήσονται. Miratur id Eugubinus, quòd nempe vocem Hebraicam istam, qua significarentur gigantes, L X X. nihil omninò immutauerint. Alicubi [g] editio nostra vsurpat Raphaim, vbi adhuc Græcè sunt γίγαντες, eósque percussisse narratur Chodorlahomor, & Reges, qui erãt cum eo, sicut & Zuzim, & Emim. Rursus in editione nostra, & in aliis nominantur Raphaim inter alia propria nomina, Cinæorum, Cenezæorum, Cedmonæorum, Hethæorum, Pherezæorum, Amorrhæorum, Chananæorum, Gergesæorum, Iebusæorum [h]. Verùm quod attinet ad etymon, pro רְפָאִים rephaim translatio nostra vsurpat nonnumquam [i] medicos, vbi Græca γίγαντας, & Hieronymi gigantes, & ipsum א aleph in medio arguit radicem רָפָא rapha, ex qua est Raphaël medicina Dei. Quia porrò gigantes Deus deiecit, & ad inferos proiecit, & quia de terra orti finguntur, ideóque gigantes appellari ἀπὸ τῆς γῆς, quasique γηγενεῖς, ac terrigenas, propterea quodam [k] loco nomen hoc nostrum Hebræum interpretatur, inferos, editio nostra, & Græca γηγενεῖς. Item [l] vetus nostra vocabulo gigantum, & Græca γηγενῶν, præterea [m] cum gigantibus editionis nostræ, & γιγάντων Græcè leguntur in Chaldaica filij terræ בְּנֵי אַרְעָא bene arbha. Denique aliquando [n] reddunt reliquæ omnes per nomen gigantum γιγάντων גִּבָּרִין ghibbarin, quod est Hebraicè רְפָאִים rephaim: sed & interdum [o], Græca ἰατροὶ medicos loco gigantum, in cæteris editionibus. Andreas Masius ex R. Nehmanno facit Raphaim cognomen Heuæorum, quia cùm חִוִּים chiuuim, seu Cheoæi, aut Heuæi dicti sint à serpentibus, quòd eorum instar in

Ioannes Lorini Comment. in Deut.

[a] lib. 1. 20. 6. [b] vers. 8. [c] c. 21. 16. [d] Corn. [e] de nom. ex Deut. [f] vers. 11. [g] Iosue 12. 4. Gen. 14. 5. [h] Gen. 15. 19. 20. 21. [i] Ps. 87. 11. [k] Prou. 2. 18. [l] c. 9. 18. [m] c. 21. 16. [n] Esa. 14. 9. [o] c. 26. 14.

A terræ cauernis habitarent, illo modo cognominari sint, quasi dicas inferos, vel infernales, eò quòd sub terra in speeubus degerẽt; sic enim ab Esaia [a] inferos vocari Raphaim, taléque Cyclopas fuisse, quos cecinit Homerus [b], ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι habitasse. Lege commentarium nostrum in librum Sapientiæ [c], & Psalmi 8 [d]. & 87 [e]. vbi pariter de voce alia נְפִילִים nephilim pro iisdem gigantibus, quæ cadentes valet, quòd eorum metu homines cadant, vel præ paruitate cadere videantur, vel in alios hi incidant, & irruant, vel, quia deciderint à probitate maiorum suorum, vel quia proni sunt ad incumbendum libidinosè, vel quia ceciderunt in diluuio. Cascos Ennius [f], Cicerone [g] teste, appellabat priscos illos homines, quod confirmat B quoque Varro [h] testimoniis Marulij, & Papinij: quod meminit etiam Hieronymus [i], & ab aliis appellabantur prisci Latini, priusquã Roma conderetur, etiámque Aborigines. Suspicatur Masius [k] de gigantibus eam vocem vsurpatam à cadendo, perinde vt quos diximus, נְפִילִים nephilim, in Genesi [l] expressos: constat enim, inquit, multa ex sacris literis à veteribus scriptoribus compilata. Non improbanda coniectura. Eo autem Genesis loco, quos appellant L X X. γίγαντας, & Latinè dicuntur etiam gigantes, ab Aquila vocãtur οἱ ἐπιπίπτοντες οἱ βίαιοι, iij qui irruunt violenti: à Symmacho οἱ δυνάσται βίαιοι, incurabiles violenti, refértque Hieron [m]. pro cadentibus siue gigantibus Symmachum violentos interpretatum. Irruit C in me, ait Iob [n], quasi gigas. Vide quæ ibidem disputat Pineda noster.

Denique Moabitæ appellant eos Emim.] Interpretia nostri est (*denique*) pro (&) Hebræum autem verbum יִקְרְאוּ ikreu est futuri temporis, *vocabunt*. Chaldæum participium קָרַן karan appellantes admittit tempora omnia. Sed futuro tempore vtĩ solent Hebræi pro præsenti: idque tempus futurum potest denotare consuetudinẽ nominis iam recepti. Porrò cùm lingua Moabitica differret ab Hebræa, & Hebraicè significent אֵמִים Emim, quod antea declarauimus, videtur aliud à Moabitis inditum nomen eiusdem notionis, pro quo hîc etiam Chaldaicè repetitur priùs positum אֵימְתָנֵי emthane, & Græce ὀμμίν: licèt in Complutensibus, D & Regiis Bibliis, hic sit ὀομμίν cum aperto mendo.

In Seir autem priùs habitauerunt Horræi.] De Seir aliàs actum: pro (*habitauerunt*) est Hebraicè, Chaldaicéque verbum significans etiam *sedere*, quòd valet Græcum ἐνεκάθισε, numeri singularis iunctum nomini numeri eiusdem χορραῖος. In Genesi [o] prima de Horræis mentio fit, recensendo duces cuiusdam Horræi, qui dicitur ibi filius Seir in terra Edom. Idumæi namque initio vsi sunt Ducibus, deinde Regibus [p]; rursum Ducibus [q]; adhuc postea Regibus [r], quemadmodum Iudæi iudicibus vsque ad Saol: tum Regibus vsque ad transmigrationem Babylonis: deinde E Principibus, Ducibúsve, quorum multi fuerunt simul Pontifices. Sed apud Idumæos electio habebat locum, & ex Regibus fertur Bale primus extitisse, Iob [r] secundus, qui & Iobab, vltimus autem Adad, huius nominis secundus [s]. Cùm autem filij Seir Horræi habitatores terræ nominantur Lotan, & Sobal, &c. per filios Seir interpretantur Oleaster, & Cornelius incolas montis, aut natos in eo monte, qui postea ab Esau nomen Seir sortitus sit, quamuis illi non fuerint Esauitæ, sed hi ex illis vxores duxerint. Hieronymus [t]

[a] c. 26. 14. [b] Odyss. 1. [c] in c. 14. 6. [d] vers. 7. [e] vers. 11. [f] 1. annal. [g] Tusc. 1. [h] 6. de lingua Lat. c. 3. [i] Epi. 42. ad Numiam. [k] in Iosue 11. 21. 22. [l] c. 6. 4. [m] in tradit. Hebr. [n] 16. 15. [o] c. 36. 20. 21. 29. 30. [p] ibid. vers. 31. 1. Paral. 43. 44. [q] Gen. 36. 40. 1. Paral. 1. 51. [r] 4. Reg. 3. 9. [s] 1. Paral. 1. 43. 44. [t] vers. 51. [u] de trad. Heb. in Genes. 36.

docuit Chorræos (sic enim vocat , & *liberos* exponit etymologice) ante Esau in Edom terra (Edom namque nomen fuisse eiusdem personæ, vnà cum nomine Iacob , & Seir , quod ipsi etiam aliàs monuimus) Principes extitisse , atque id ex Paralipomenis comprobari (Deuteronomium dicere voluit , & quidem in hoc loco) vbi manifestiùs narratur quomodo venerint filij Esau,& interfecerint illos, ac terram eorum hæreditate possederint: ex filiis autem notato loco nominatis fuisse Iamnam sororem Lotá, quam Eliphaz primogenitus Esau duxit , ex qua natus est Amalec, ex quo, & ex aliorum nominibus ibidem recensitis postea regionibus Idumæorum vocabula imposita sunt. Non asserit Hieron. vt quidam [a] ei tribuit , per filios Seir intelligi incolas montis Seir. Seir verò accipi,vt nomen hominis, præterquam quòd eodem modo dicuntur, & recensentur filij Seir Horræi [b] , sicut aliorum filij, de quibus non est dubium, quin propriè sumantur,vt nati ex iis,quorum nomina exprimuntur , & non solùm , vt incolæ certorum locorum, vel in iis nati , quamuis aliquando filij , filiæque cuiuspiam loci dicantur : præter istam , inquam, rationem, quæ parui momenti non est, Seir accipiendum esse pro certa persona sentit Hugo, Lyranus, Abulensis, Rickelius, Caietanus , Ystella, & alij passim in Genesim , vel Paralipomena notatis locis. Qua de causa inditum sit nomen , seu cognomen Horræi Oleaster ignorare se profitetur, scribens in Genesim ; sed hoc loco ait,si nominis radix sit חָרָה *charah* , quod est *excandescere*, & *irasci* , dictos ab immensitate iræ , quasi iratos, seu inflammatos. Retuli Horræorum etymon ex Hieronymo,siue Chorræorum, vt ipse scribit, vt significent *liberos*, seu quibus insit libertas. Idem tamen adhuc tractatu de nominibus Hebraicis ex Genesi explicat eodem pacto scribens Chorræus, & Chorri farinam, aut farinatum, seu, post me, vel foramen meum; & Chorræos de foraminibus,quos vocant,inquit, Trogloditas : ex Deuteronomio autem iterum nomen Chorræus tum iracundum , tum de foramine , quem ait , Græci τρώγλη vocant. Beda quoque in simili tractatu interpretatur Horri farinam, farinatum, post me, foramen meum. Horræos liberos, iracundos, de foraminibus , farinaceos. Hebræum nomen est חֹרִים *chorim*,non Chorrim , quia in ea lingua non solet litera ר *res* valens *r* , geminari , quemadmodum quamuis Amorræum dicamus אֱמֹרִי *emori* scribitur. Significat חוּר *chur* , *album*, *candidúmve*, præterea *foramen* , *cauernam*, *latibulum*, חֹרִים *chorim*,*principes*, *magnates*,*optimates*, *nobiles*, *liberos*, *ingenuos* , *claro loco natos* ; quasi dicas candidos , aut candidatos, albis , cádidisve indutos, quod ingenuorum insigne erat ; vnde apud Rabbinos חֵרוּת *cheruth*,*libertas*. Prius nomen reddit editio nostra *nobiles* [c],& *optimates* [d]. Græca ἐντίμων,vel ἄρχοντας. A חָרָה *charah*,*irasci* (quod etiam valet חָרַר *charar*) est חֳרִי *chori*, *ira* , & quidem ardentior , atque inflammatior. Igitur conijcere licet Horræos gigantei generis homines eo nomine vocitatos, vel quia in foraminibus ac specubus habitarent , sicut de Heuæis affirmabat nuper citatus Masius; vel, quia essent , lactaréntve se pro magis nobilibus,& illustribus : vel,quia præferuida ira præditi,truces,feroces, crudeles, furiosi, & vt Latinum vocabulum simile Hebræo quantum ad sonum, præ se fert horribiles, horrendique, ac horrorem aliis incutientes. Videtur huc alludere Glossa interlinearis horribiles enormitate corporis appellans. In Ecclesiastæ commentario [a], vbi qui Rex nobilis ab Interprete nostro vocatur , Græcè υἱὸς ἐλευθέρων , *filius liberorum.* Hebraicè בֶּן חוֹרִים *ben chorim*, dicitur , egimus de hoc nomine חֹרִים *chorim.* Quo item loco Pineda noster obseruat alios reddere per filium ingenuorum , Principum , heroum , candidorum, liberorum, & libertatis, nobilium , & nobilitatis , per filium procerum, natum clarissimis , optimis , liberalissimis , capitaneis, &c. quin etiam, Tertulliano [b] teste , famulum libertate mutari solitum vestis albæ nitore, & annuli aurei honore. Quod verò attinet ad vestitum album, candidum , candentémque,proprium liberorum , nobilium , honestiorum , quia fullonis arte candefiebant olim vestes , addita creta,& sulphure,vt meminit Plinius [c]: Rectè ab eodem Pineda notatum est viliores homines , & fortassis etiam seruos , candidiore toga mentitos libertatem,nobilitatem,honestatem,atque id Euclionem senem in Plauti Aulularia [d] insinuare:

Qui vestitu,& creta occultant sese,atque sedent quasi frugi.

Denique ad rem facit Hispanica dicti loci ex Ecclesiaste vetus translatio, quam recitat, *bien auenturada eres tierra , que tu Rey es hijo libre* , & alia, *que tu Rey es forro.* Nam ex Arabico, inquit Pineda,Hispanis appellat *horro* (permutato f, in h. vt in plurimis aliis vocabulis) liberum , & *aborrar* liberare, aut seruitute eximere. Nemo non videt quantam cognationem habeant illæ voces Hispanæ cum Horræis nostris , qui etiam populi Arabiæ connumerari populis possunt , quorum Arabum idiomate , qui tamdiu Hispania potiti sunt, Hispanum idioma permixtum est.

Quibus expulsis , atque deletis , habitauerunt filij Esau.] In aliis editionibus (*& filij Esau exciderunt eos* . seu *perdiderunt* , *& exterminauerunt* , seu *contriuerunt eos à facie sua*,seu *à conspectu suo*, *& habitauerunt pro illis* , seu *loco illorum*, וּבְנֵי עֵשָׂו יִירָשׁוּם וַיַּשְׁמִידוּם מִפְּנֵיהֶם וַיֵּשְׁבוּ תַּחְתָּם *vbne bhesau irascium vaiasmedum vaiesceuu thachtham.* Chaldæa verba cum affixis sunt תָּרְכוּנוּן *tharechunun*, & שֵׁיצִיאוּנוּן *sceisionum*,& vltimum nomen etiam cum affixo,& præpositione בְּאַתְרֵיהוֹן *beathrehon.* Græca verba ἀπώλεσαν , & ἐξέτριψαν. Secundum ex Hebræis verbis valet *deficere facere*, *delere* , *vastare.* Græcum item secundum *atterere*,primum verò *perdere.*

Sicut filij Israel in terra possessionis suæ , quam dedit illis Dominus.] Si hoc exponitur de filiis Israël, qui terram promissionis hæreditauerunt , interfectis in ea Chananæis , sicut in libro Iosue [e] recitatur, dicendum, inquit Rickelius, quòd Moyses dixit hoc more prophetico,de futuro loquens per modum præteriti : nam ipso viuente , filij Israël terram promissionis ingressi non sunt. Si verò intelligatur de tribubus Ruben, & Gad, atque dimidia tribu Manasse , qui ante huius libri conscriptionem obtinuerunt regna Sehon,& Og, sic est historialis narratio. Lyranus monet aliquos hinc inferre quòd Esdras scripserit principium huius libri,quia hic loquitur de acquisitione terræ filiorum Israël, quæ tamen fuit acquisita post mortem Mosis.Respondet autem loqui Mosem de futuro per modum præteriti,ad ostendendum certitudinē impletionis diuini promissi. Deinde adiungit aliam respōsionem , vt sit sermo de præterito,quantum ad acquisitionem terræ Sehō, & Og, quæ fuit viuente Mose, & antequā scriberet librum istum. Abulensis [f] reiiciens opinionem de

a Com.

b Gen. 36. 20. 1. Par. 1. 38.

c Eccl. 10. 17. Esa. 34. 12.

d Esd. 4. 19. c. 5. 7. c. 6. 17.

a in c. 10. 17

b de resur. carnis. c. 17. Vide Pet. Fab. semi.

c lib. 35. c. 15 & 17. Vide etiam Turnebum lib. 24. c. 23. Lips. 1. elec. c. 13. Rosin. lib. 5. c. 32.

d Acta 4. sce. 9.

e c. 16.

f 9. 4.

de Esdra, quòd fuerit auctor huius libri, addénsque quòd etiamsi fuisset, ausus non esset dicere aliquid, quod non dixisset Moyses; maximè quia ista clausula erat inductiua filiorum Israël ad non pugnandum contra Idumæos, significando eis nō esse ex voluntate Dei; tempore autem Esdræ nō erat necessarium dicere hoc, quia iam sciebant Israelitæ distinctè possessionem suam. Subdit duplicem paulo ante allatam expositionem. Sed obiicit contra primam, quæ indicatur a nostro Sa, & à Varablo, quia Moyses suadebat Hebræis ne pugnarent cōtra Moabitas, & Idumæos, dicens quòd acceperant terram, quā tunc incolebant in possessionem; reipsa verò, & actu possidebant illā, vnde inferri videbatur, Hebræos iam tenere possessionem terræ sibi promissæ, quod falsum erat, cùm adhuc essent citra Iordanem. Aduersùs secundam, quam sequuntur Caietanus, Marzilla, Cornelius, argumentatur, quoniam quando Moyses admonuit Israëlitas, ne pugnarent contra Edum, nondum acquisierant aliquam partem terræ duorum illorum Regum Amorrhæorum: siquidem circuierant priùs montem Seir, deinde accesserant ad terminos Idumæorum, & aliquo pacto per illorum terram transierant: postea transierant torrentem Zared, viámque deserti intrauerant, quæ ducit ad Moab: tum transeundo inter Moabitas, & Ammonitas, tandem peruenerunt ad duo Amorrhæorum regna, & quando misit Moyses nuncios ad Regem Sehon, rogauit vt liceret Hebræis transire per terram suam, sicut filij Esau, & Moabitæ concesserant: idcóque cùm peruenerunt ad Amorrhæos, iam transierant Idumæos, & sic falsum est, quòd quando prohibiti sunt pugnare contra Idumæos, iam possiderent Amorrhæorum terram, seu regna Sehun, & Og citra Iordanem. Quare asserit Abulensis, cuius hæc mihi probatur sententia, quòd quando Moyses dixit primò ista verba Israëlitis ne pugnarent cōtra Idumæos, non dixit totaliter sic, vt est in litera, sed quòd non pugnarent contra Idumæus quia Deus dederat eis in possessionem montem Seir, sicut filiis Israel promiserat dare possessionem; & ideo erat contra Dei voluntatem pugnare cum Idumæis: postea pertransitis omnibus mansionibus, cùm essent in campestribus Moab super Iordanem, Moyses citò moriturus repetiuit omnes actus eorum, secundùm quod hîc continentur, & dixit ista verba, quæ sunt in litera, scilicet quòd Deus dederat possessionem filiis Esau in monte Seir, sicut eis dederat terram possessionis suæ, id est, terram duorum Regum Amorrhæorum. Et tunc verum est, inquit, quando Moyses ista recitabat, Hebræi iam deuicerant duos Reges Amorrhæos, prout etiam refert in isto capite, & in sequenti.

Vers. 13.] Surgentes ergo vt transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.

Vers. 14.] Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus.

Vers. 15.] Cuius manus fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio.

Paraphr. REuocat Moyses populo in memoriam, quo pacto, vt in libro priore [a] narratum est, de Ieabarim in solitudine quæ respicit Moab contra orientalem plagam, mouens venerit ad torrentem Zared, vnde paulo pòst, mansione non facta, nuncij missi sunt ad Sehon Regem Amorrhæorum, vt liceret per terram ipsius transire. Meminit præterea de triginta octo annis, qui consumpti sunt in itinere à Cadesbarne, vsque ad transitum dicti torrentis, computando ex quo primùm ad eam peruenerant anno secundo ab egressu de Ægypto, intra quod spatiū, quotquot inde egressi fuerant ad bellum idonei, hoc est, annos nati viginti, propter murmur ac detractionem contra terram Chanaan, postquam ex ista redierant exploratores, qui & ipsi murmurauerant, & detraxerant, exceptis Iosue, & Caleb, mortui, & consumpti sunt, quemadmodum Dominus ea de causa vehementer indignatos eum iuramento comminatus fuerat, atque prædixerat, & reipsa potenter, efficaciterque executioni mandauerat. Cùm autem illis 38. annis ambulauisse populus dicitur, non est sensus, quòd tot annis fuerint in continuo motu, inquit Rickelius, aut directo progressu de vno illorum locorum, ad alium locum quia sæpe, & diu quieuerunt hinc inde, & terram Edō circuierunt. Supputat Abulensis hoc spatium itineris, quoniam in primo anno exitus de Ægypto venerunt Hebræi vsque in montem Sinai, & steterunt ibi, vsque ad viginti dies anni secundi [b], deinde venerunt in Cades, ex qua miserunt exploratores expectando eos ibi vsque ad finem, vel ferè vsque ad finem quinti mensis, siquidem per 40. dies lustrata est terra [c], nec venit populus in Cades, nisi quarto mense; hoc modo remanent vt plurimum anni 38 & menses septem: si autem tollantur menses septem anni quadragesimi post mortem Aaron, quæ contigit anni eiusdem mense quinto in monte Hor, qui est propinquus torrenti Zared [d], in quibus mensibus pugnatum est contra Amorrhæos Reges, ac deinde contra Madianitas, supersunt dicti anni 38 Oleaster notat, quoniam mense quinto anni quadragesimi ventum est in montem Hor, vbi occubuit Aaron, & inde circuiuit populus terrā Moab vsque ad Zared [e] postea vsque ad vndecimum mensem expugnauit terram Amorrhæorum, & Madianitarum, videri confectum totum iter istud 38. annis, & insuper sex septémve mensibus: literam verò loqui de annis completis. Eadem ingerit Caietani scholiastes Fonseca. Docet Tornielius, nósque præcedente libro de mansionibus agentes, diximus, anno 40. exitus de Ægypto, sub finem mensis septimi, venisse Israëlitas de Ieabarim ad torrentem Zared, ibíque mansionem 39 fuisse in loco, qui vocabatur Dibongad, túncque quando transierunt illum torrentem, completum esse annum 38. ex quo profecti erant de Cadesbarne: populum eumdem priùs consumpsisse mensem quintum in luctum Aaron mortui primo illius die, sextum, ac fermè septimum in duplici pugna aduersùs Chananæos Aradios, & in vrbium ipsorū euersione, nec non in itineribus, ac mora quatuor mansionum inter montem Hor, atque torrentem Zared. Sed audiendi non sunt qui moram Hebræorum in Cadesbarne annorū nouemdecim volentes fuisse, atque in pœnam detractionis contra terram promissam decimo nono anno factam, & pugnam aduersùs Amalecitas, Deo prohibente initam, circa eumdem locum mansisse asserunt totidem annis 19. & sic numerum 38.

[a] c. 21. 11. 12. 21. & seqq.
[b] Num. 10, 11.
[c] 14. 34.
[d] Num 20, & 21. & 33.
[e] annal. to. 1. an. 2583. num. 10.

38. annorum coaluisse. Sequitur eam sententiam Petrus Bougus perscrutans mysteria numerorum, cùm agit de decimonono. Ad mysterium trigesimi octaui pertinent, quæ subtiliter differuntur ab Augustino [a] de paralytico, qui 38. annos habebat in infirmitate sua, stabátque iuxta probaticam piscinam [b], & ab eodem Bongo referuntur: licèt quod commodè potuit omittat mentionem facere de præsēti spatio peregrinationis Hebræorum, quod pœnæ nomine ipsis impositū est, præter annos duos, qui iam abierant, nec ita propriè nomen pœnæ merebantur.

a tract. 17. in Ioan.
b Ioan. 5. 2.

Explanatio. *Surgentes ergo vt transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.*] Plura sunt in reliquis editionibus, & quidem imperatiuè, ac quasi ex Dei loquentis persona, vt Caietanus notat, dicens Mosem redire ad continuanda verba Dei ad eum, cùm essent transituri per Moabitas, cùm intercepisset ea narrando expulsiones gentium olim factas à Moab, & Seir, ad verificandum verba illa alia Dei (*dedi montem Seir Esau, & dedi filiis Lot*, &c.) editiones autem aliæ sic se habent (*nunc* vel *nunc ergo*, νῦν οὖν, *surgite, & transite*, aut *discedite*, seu *promouete vos*, ἀνάστητε ὑμεῖς, *& pertransite*, παραπορεύεσθε, *torrentem*, vel *vallem*, τὴν φάραγγα *zared*, Ζαρέδ.) Torrentem & vallem valet נחל *nachal*, & Chaldæum נחלא *nachla*, vt aliàs admonuimus [c], exponentes item quid esset siue torrens, siue vallis Zared, quænam nominis etymologia, quódque non ita rectè scribatur Zaret, vel Zareth. Monuimus præterea [d] necessarium non videri argumentum Abulensis [e] diu Hebræos mãsisse in Zared, quoniam hîc scribatur, quòd surgentes Hebræi, vt transirent torrentem Zared, venerunt ad eum, tempúsque quo ambulauerunt de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, &c. nec enim hîc habetur, quòd diu manserint, ac nec omnino quidem quòd manserint. Item nō sequi mansionem vnam ibi fuisse, quoniam editiones aliæ ibi vtuntur verbo castramerandi, necnon Chronicon Hebræum. Postremò retuli opinionem haud adeò probabilem, transiuisse populum per hunc torrentem siccis pedibus, perinde vt mare rubrum, quod repetit hoc loco Hugo.

c in Num. 21. 12. & in Psal. 103. 10.
d in Num. 21. 12.
e ibidem.

Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne, vsque ad transitum Zared,] Pro tempore dies habent editiones aliæ, quamuis mox anni nominentur. Sic in quodam Psalmo [f] vocantur dies annorum, constant enim anni ex mensibus, hebdomadibus, diebus, & ea bis hebdomades, mensésque. Interrogatus quoque legitur Iacob à Pharaone, quot essent dies annorum vitæ suæ, & respondisse, dies peregrinationis suæ, centum triginta annorum esse paruos & malos, & non peruenisse vsque ad dies patrum suorum, quibus peregrinati sunt [g].

f Psal. 89. 10.
g Gen. 47. 8. 9.

Triginta & octo annorum fuit.] De horum annorum computo, siue supputatione dictum priùs. Spectat porrò clementiam Dei Oleaster in hoc tot annorum interuallo, quia durum illi erat, inquit, eos vita tam breui tempore spoliare, mille mortibus alioqui dignos.

Donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris.] Hebræum verbum תמם *thom*, & Chaldæum ספ *saph* significant *complere*, *consummare*, & *consumere*, & *consumi vsque ad finem*, *absolutámque perditionem*, Græcum πίπτειν, *cadere*, *intercidere*, *elabi*, *diffluere*, *euanescere*. Nomen verò generationis דור *dor*, דרא *dara*, γενεὰ, alibi declaratum est. Pro (*de castris*) habent in editionibus aliis (*de medio castrorum*) in Græco, post illa verba, ἡ γενεὰ ἀνδρῶν πολεμικῶν, *generatio virorum bellatorum*, additur ἀποθνήσκοντες, *morientes*, & mox sequitur ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς. Per bellatores intelliguntur ij, qui cùm egrederentur de Ægypto, erant viginti annorum, in qua ætate militiæ ascriptio fiebat, vt libro priore vidimus. Apostolus [a] tractans locum Psalmi 94 [b]. *Hodie si vocem eius audieritis*, &c. scribit quòd quidam audientes exacerbauerunt, sed non vniuersi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen: infensum autem Dominum illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto, iurauisse non introituros in requiem ipsius, illis, quia increduli fuerunt, & non potuerunt introire, propter incredulitatem. In libro Iosue [c] habetur quòd omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, vniuersi bellatores viri (malè in libris nonnullis præposita coniunctione, *& vniuersi*, quia non differunt hi à populo proximè nominato) mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant; populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit, donec consumerentur, qui non audierant vocem Domini, & quibus iurauerat, vt non ostenderet eis terram lacte & melle manantem: & horum filij successerunt in locum patrum, circumcisíque sunt à Iosue. In libro Numerorum [d] Deus ipse prædicit fore, vt omnes, qui numerati erant, à viginti annis & supra, & murmurati fuerant contra ipsum, non intrarent in terram promissam, præter Caleb, & Iosue: paruulos autem illuc introducerent: cadauera illorum aliorum iacerent in solitudine (etiam inhumata, vt quibusdam placet.) filij eorum essent vagi in deserto annis 40. portantes fornicationem patrum suorum (idest, pœnam peccati eorum) donec consumerentur cadauera eorumdem in deserto. Ex quibus inferunt, vltra Caleb, & Iosue, à punitione mortis liberatos eos, qui nati sunt in deserto, fœminas quoque non computatas, neque inferiores viros viginti annis cùm egressi sunt de Ægypto, neque præ senectute non annumeratos tunc inter milites, quod Hieronymum quæstionib. in Paralip. de sexagenario asseruisse nonnulli [e] tradunt: neque Leuitas, qui non censebantur inter bellatores, recensitósque ab annis 20. & supra, atque ex illis nominatim Eleazar Pontifex ingressus est. Porrò cùm adhuc idem Deus apud Ezechielem [f] dicit: *Post idola enim cor eorum gradiebatur, & pepercit oculus meus super eos, vt non interficerem eos, neque consumpsi eos in deserto*, intelligendo propriè de morte corporali, non de æterna dumtaxat, sensus est, quòd filios non interfecerit, contentus, vt vagarētur in deserto annis 38. seu computatis duobus primis, antequam detractum, ac murmuratum esset contra terram promissam in Cadesbarne annis 40. Itaque qui dicitur in libro Iosue, omnis populus, explicatúrque ibidem per vniuersos bellatores viros, eos Apostolus quosdam tantùm esse scripsit; quia præter viros bellatores, ex quibus etiam Caleb, & Iosue excipiuntur, multi alij, vt notatum est, non comprehenduntur inter illos, qui mortui sunt in deserto, ac ingressu promissæ terræ prohibiti propter detractionem contra eamdem terram.

a Hebr. 3. 15. & seqq.
b vers. 8.
c c. 5. 4. 5. 6. 7.
d c. 14. 29. & seqq.
e Ludo. Tena. in ep. ad Hebr. c. 3. num. 33.
f c. 20. 17.

Sicut iurauerat Dominus.] Additur (*illis*) in aliis editionibus. De hoc iuramento dictum est c. præcedente [g], & alibi [h].

g vers. 34.
h Num. 14. 21.

Cuius manus fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio.] Hebraicè (*& etiam manus Domini fuit*

fuit in eis, seu *in eos*, & *contra eos*, *ad conterendum*, siue *perdendum eos*, *quousque consumerentur*, seu *donec consumeret eos.*) Verba Hebræa sunt לְהֻמָּם *lehummam* ab הָמַם *hamam* cum affixo, & litera seruili לְ *le*, & תֻּמָּם *thummam*, à תם *thom*, vel הָמַם *thamam*. Chaldæa eumdem sensum efficientia cum affixo, & litera seruili לְשֵׁיצָאוּתְהוֹן *lesceisasuthehon* & שְׁלֵימוּ *scelimu*: Græca ἐξαναλῶσαι, & δι᾽ ὅτι μὲν. In paraphrasi autem Chaldæa pro manu est מַחָא *macha*, *plaga*, vel *percussio*. Manus Domini aduersùm aliquos significat virturem potentiámque ad puniendum, quod manu facere homines consueuerunt. Abulensis declarat percussionem pestis, & traditionem in manus hostium. Oleaster plagam, aut punitionem, ac exempli causa ob adorationem vituli, ob seditionem Core, ob murmur quod serpentum ictibus vindicatum est. Minus probabile est sumi manum hoc loco, vt Marzilla vult, pro irreuocabili, & efficaci decreto. Pertinet id ad iuramentum. De formula illa dictum aliquoties alibi [a], hoc est, de manu aduersùs, contra, super aliquem pro punitione, & idem est, cùm dicitur manus inueniri alicui atque de similibus aliis; quoniam inest manibus velut instrumento aptissimo, habilitas & robur: quamuis in bonam quoque partem interdum accipiatur, manum Domini super quempiam fieri. Notatis in margine locis multa reperies, quæ repetere, nihil aliud esset, quàm vetera recudere. Cæterùm considera Deum & mortificare, & viuificare [b], iustorum animas in manu Dei esse, vt non tangat eos tormentum mortis siue malitiæ [c]: & nisi adiuuet, paulo minus habitare in inferno animam nostram [d], horrendum esse incidere in manus [e] indignati.

Manus Domini aduersùs aliquem, quid.

a in ps. 9. 33. vel 12. ps. 40 9. ps. 37. 3. ps. 48. 16. ps. 70. 4. ps. 94. 7. in Eccl. 9. 1. c. 11. 6. in 1. Pet. 5. 6. in Act. 4. 28. c. 13. 11.
b 1. Reg. 2. 6.
c Sap. 3. 1.
d ps. 93. 17.
e Hebr. 10. 31.

Vers. 16.] Postquam autem vniuersi ceciderunt pugnatores,

Vers. 17.] Locutus est Dominus ad me, dicens:

Vers. 18.] Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar.

PARAPHR. Deinceps narratur transitus populi Hebræi per Ammonitas vltra terminus Moab, seu per Ar vrbem in confinibus Moabitarum sitam, à qua denominatus dicitur torrens Arnon, qui Moabitas diuidit à terris duorum Regum Amorrhæorum Sehon, & Og [f]. Qui transitus imperatus est à Deo, postquam detractores terræ promissæ, cunctique militiæ ascripti cùm egressi sunt de Ægypto, idest, ætatis tunc viginti annorum, mortui sunt.

f Num. 21. 23. 25.

Explanatio. *Postquam autem, &c.*] Totus versus decimussextus paulò fusior extat in editionibus aliis (*& factum est postquam consumpti sunt*, aut *ceciderunt omnes viri belli*, seu *bellatores, ad moriendum*, seu *omnes morientes viri bellatores de medio populi.*) Pugnatores posuit Interpres, quos antea [g] bellatores: & sunt, vt dixi, hi, qui militiæ ascripti fuerant ab anno ætatis vigesimo, quando egressi sunt de Ægypto.

g vers. 14.

Locutus est Dominus ad me, dicens.] Particulam (*&*) editiones aliæ habent: pleonasmus autem verbi duplicis notatus est sæpius, licèt eum omittat quandoque noster Interpres.

Tu transibis hodie terminos Moab.] Hebraicè, Chaldaicéque est participium *transiens* עֹבֵר *hhouer*, & עָבַר *hhauer*, seu *hhouer*, quod admittit substantiuum verbum cuiusuis temporis, & nomen termini in numero singulari גְּבוּל *gheuul*, & תְּחוּם *thechum*: in editione autem Chaldæa cum præpositione דִּין *den*, *prope*, aut *inter*. Cùm porrò dicitur Moysi (*tu transibis*) intelligitur tu, cum populo nouo, quia prior mortuus iam erat in deserto. Denique (*hodie*) declarat Riekelius, breui post, vel, tempore isto. Talem vsum habet aliquando hæc particula Sed nihil obstat, quin illo ipso die mouenda castra transeundúmque Dominus præcipiendo intelligi voluerit.

Hodie, pro breui post, vel, tempore isto.

Vrbem nomine Ar.] Primas duas voces non habent: sed solùm Ar, vel Aroër editiones Hebræa, & Græca עָר *hhar*, ἀροήρ, vel ἀρωήρ, Chaldæa לְחָיַת *lechaiath*, aut לְחָיָית *lechayaath*. Quæ nomina sunt in versu 9. Sed in 29. legitur Græcè ἄρ, & in c. 21. Numerorum [a] omittit editio Græca nomen istius loci, quod in aliis extat, sicut hic. Consule dicta libro illo, & isto capite priùs; tum verò quòd eiusdem loci nomen esset Ar, Aroër, Arnon, Moab, Rabbath Moab, domina Moab. Verùm de vocabulo Chaldæo, nec antea dixi, nec quid dicam occurrit: nihil enim ad illum locum faciunt Lechi, Lachis, Lecum, aut Lacum nomina locorum ab hoc nostro distinctorum, & ipsa characterum forma differentium. Cæterùm appositiuè sumenda sunt (*vrbem nomine Ar*) iungendaque proximè præcedentibus dictionibus (*terminos Moab*) vt intelligatur, quòd vrbs nomine Ar erat terminus Moab, prout etiam notaris locis declaraui.

a vers. 28.

Vers. 19.] Et accedens in vicina filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem.

PARAPHR. Similis prohibitio de non pugnando contra Ammonitas, nec occupanda eorum terra, & similis ratio cum prohibitione, ac ratione iam hîc antea data de Moabitis, vt non pugnarent aduersùs illos Hebræi, neque ipsorum occupare terram conarentur, quia Dominus terram quam incolebant Ammonitæ, dono dederat filiis Lot, ex filio eius Ammon descendentibus, quemadmodum terram, in qua habitabant Moabitæ, qui ex altero filio Lot nomine Moab descendebant, proptereáque permissurus non esset, vt succederet Hebræis expeditio siue in Ammonitas, siue in Moabitas, neque quidquam de vtriusque gentis terra concessurus, quamtumuis illæ inhumaniter transitum, commeatúmve, oblato etiam pretio negaturæ essent: quam inhumanitatem Dominus ipse postea puniret, vetando ingredi Ecclesiam Domini vsque in æternum [b]. Valent hîc quæ tropologicè allata sunt agendo de Moabitis, quanta sit Dei constantia, firmitásque in promissis, etiamsi ad ea rescindenda prouocet, ac penè cogere videatur hominum improba ingratitudo, qualis in Moabitis fuit, & Ammonitis: quanti faciat Deus iustos, in quorum gratiam adeò beneficus est in posteros, licèt indignissimos. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt*, ait Paulus [c], *numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? Absit. Est autem Deus verax*, &c. & [d], *Testamentum confirmatum à Deo non irritum fit ad euacuandam promissionem.* Confirmat verò idem Apostolus ex eo, quòd cùm

b inf. c. 23. 3.
c Rom. 3. 3. 4.
d Gal. 3. 17.

a Ps. 50. 6. b ps. 88. 29. & seqq. c Num. 23. 19. d 2. Tim. 2. 13. e Tit. 1. 2. f Hebr. 6. 18. g Rom. 11. 29. h 2. Strom.

David dixisset [a], *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, mox adiecit, *vt iustificeris in sermonibus tuis*, idest, vt cognoscaris iustus & constans in promissis, quæ peccato meo impedire non potuerint. Propterea inducitur ab eodem Dauid asseuerans cum iuramento Deus impleturum se quæ promiserat, etiamsi posteri peccarent [b]. Attamen cōditionata promissa, si cōditio requisita desit, non implentur, nec idcirco falsa cēseri possunt. *Nō est Deus* [c] *quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur* [d], *fidelis est, seipsum negare non potest* [e]. *promittit qui non mentitur, impossibile* [f] *est eum mentiri* [g], *sine pœnitentia sunt dona ipsius*: denique, vt ait Clemens Alexandrinus [h], in solo Deo habemus fiduciam, quem scimus non transgressurum ea, quæ sunt nobis pulchrè promissa.

Explanatio.

Et accedens in vicina filiorum Ammon.] Minus proba lectio codicum Regiorum (*in vicinia.*) Valet autem מול *mul*, & לְקֳבֵיל *likbel*, *è regione*, *& ἐγγύς*, *prope*. In Hebræa verò, & Chaldæa editione verbum est (*accedes*) cum coniunctione præfixa וְקָרַבְתָּ וְתִתְקְרַב *vekaratha vethithkerab*) in Græca plurali numero (*& accedetis*, καὶ προσάξετε.) Quod enim sibi dictum tanquam vni narrat Moses (*tu transibis*, &c.) rectè intellexerunt L X X. tanquam duci dictum, quem sequi reliqui deberent. Filij Ammon iidem sunt qui Ammonitæ ex Ammon altero filio Lot, de quo filio dixi libro priore [i]. Vbi etiam forte præsidium, quo tenebantur termini Ammonitarum, ex nonnullorum sententia declarauimus diuinam seueram prohibitionem, voluntatémve Domini prohibentem, quæ continetur hoc loco, & in fine capitis.

Filij Ammō iidem qui Ammonitæ. i c. 31. 24.

Caue ne pugnes contra eos.] Eadem hîc phrasis, quæ priùs de Moabitis, atque hîc sicut ibi Græcè numero plurali, μὴ ἐχθραίνετε, *ne inimici sitis*. Citato loco moraliter docui, quantam vim apud nos habere debeat diuina lex, voluntásque, quàm forte ac inexpugnabile præsidium aduersùs omnes machinas tentationum, & incitamenta, inuitamentáve peccandi, hoc vnum præ oculis habere, quòd nolit Deus, quod ei displiceat, quod vetet, certissima, & iustissima æqui, ac iusti, & omnis boni regula, quamuis nulla seu pœna proponeretur violantibus, seu merces obedientibus. Ioannes Ioinuillæus intimè familiaris S. Ludouico Francorum Regi, narrat Iuonem Britonem ex Ordine Prædicatorum Damasci, ad cuius Soldanum nomine Regis legationem obibat, incidisse in ipsa platea in vetulam, quæ dextra carbones intra vas accensos, sinistra gerebat aquam, & causam interrogata respondit, velle se paradisum flammis delere, ignem inferni aqua extinguere, ne quis in posterum declinaret à malo metu supplicij, aut spe præmij bonum faceret, sed Dei, & Saluatoris nostri syncero amore, qui tot & tanta causa nostra, & fecit, & tulit, vsque ad ipsam mortem crucis.

Nec mouearis ad prælium.] Et hæc formula similis ei, quæ versu nono extat secundùm reliquas editiones, nisi quòd nomen prælij deest hîc in Hebræa: & in nostra ibi habetur (*nec ineas aduersùs eos prælium.*)

Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon.] Additur Hebraicè, Chaldaicéque (*hæreditatem*, יְרֻשָּׁה *ierusschah*, ירותא *ierutha*, Græcè (*in sorte* ἐν κλήρῳ.) Eodem versu illo nono aliarum editionum phrasis non discrepat ab ea, quæ hîc est. Latinè verò legitur (*non enim dabo tibi quidquam de terra eorum.*)

Quia filiis Loth dedi eam in possessionem.] Sic ibidem capretto nomine Ar, & Græcè Aroër in qua etiam editione est κληρονομίαν, hoc loco ἐν κλήρῳ. Monui quoque tunc, Loth cum aspiratione scribi non debere, sed Lot, quia Hebræi, & Chaldæi scribunt לוט *Lot*, Græci λώτ.

Vers. 20.] Terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim.

Vers. 21.] Populus magnus & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum, & fecit illos habitare pro eis.

Paraphr. a vers. 9. & seqq.

QVod antea de Moabitis [a] dixerat, in ea terra habitasse, in qua priùs habitauerat populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de stirpe Enacim, quasi gigantes crederentur, similésque filiorum Enacim, & cui Moabitæ nomen imposuerant Emim: idipsum ferè nunc scribit Moyses de Ammonitis, ab his occupatam terram, quæ reputaretur gigantum, & quam quondam incoluerant gigantes comparandi eodem pacto cum Enacim, ob multitudinem, robur, proceritatem, & quibus Ammonitæ, postquam illis deletis à Domino in possessionem immissi fuerunt, cognominauerunt zomim.

Explanatio.

Terra gigantum reputata est.] Pro gigantibus sunt Hebraicè רְפָאִים *rephaim*, & Græcè ῥαφαΐν, Chaldaicè גִּבָּרַיָּא *ghibbaraya*, quemadmodum priùs versu vndecimo, quem locum relege. Pro præterito est futurum Hebræum תֵּחָשֵׁב *thechasceb*, & Græcum λογισθήσεται. Chaldæum autem participium מִתְחַשְׁבָא *mithchasba*. Additur Hebraicè, & Chaldaicè etiam ipsa אַף־הִוא *aph hi*, אַף הִיא *aph hi*.

Et in ipsa olim habitauerunt gigantes.] Græcè, καὶ γάρ, *etenim*. Repetitur verò nomen רְפָאִים *rephaim*, ῥαφαΐν, גִּבָּרִין *ghibbarim* Pro (*olim*) habent editiones aliæ לְפָנִים *lephanim*, מִלְּקַדְמִין *millikadmin* τὸ πρότερον, *antea*, *a principio*, *prius*. Aduerbium temporis (*olim*) Grammatici nonnulli tria tempora docent significare, asséritque Seruius [b], & cum Agrætio Grammatico Pontanus noster [c], idem asserendo, de quondam, & aliquando. De præsenti exemplum,

Olim, dictio

b in 1. Æn. c in 2. Æn. vers. 367.

Quod [d] *tumidis submersum tunditur olim*
—Fluctibus.

d 1. Æn. v. 125. 126.

Cerda [e] item noster Indefinitè capi pro quocumque tempore docet. Priscianus [f] addit aliud exemplum.

e ibid. f lib. 15.

Ac [g] *iam olim seras posuit cùm vinea frondes.*

g Georg. 2.

Negant alij de præsenti, exponúntque allatum locum (*tunditur olim fluctibus*) idest, ante hoc tempus, & in futurum tunditur, accipiendo verbum præsens more poëtico, sicut & ibi,

Tyrias [h] *olim quæ verteret arces.*

h Æn. 1. i Gen. 26. 18. 1. Reg. 9. 9. Sap. 12. 27. Es. 2. 6. 6. 37. 26 Ier. 20. 8. Matt. 11. 21. Luc. 10. 13. 2. Cor. 12. 19. Heb. 1. 1. 2. Pet. 2. 3. Iudæ vers. 4. k Ier. 20. 8. l 2. Pet. 2. 3.

Olim, hoc est, suo tempore, non autem vt Seruius, nunc. Eodem pacto aliud Prisciani exemplum exponi potest. Ab עוֹלָם *kholam* videtur deriuari, quod sæculum significat, tempúsque continuum, aut longum. In Scriptura sacra [i] sumitur (*olim*) semper vt præteriti temporis aduerbium, licèt interdum cum verbo præsentis temporis, vt [k], *iam olim loquor*, &c. [l] *quibus iudicium iam olim non cessat.*

Quos Ammonitæ vocant Zomim.] Legit Rickelius

ZomZom

Zomzommim, ſed in margine *zomim*, Ioannes Benedictus *zomzommim*, & *zamzummim*, Hebraicè זַמְזֻמִּים *zamzummim*, Græcè, ζοχομμίμ; ſed in Bibliis Complutenſibus Regiiſque ζομμείν, Chaldaicè חֻשְׁבָּנֵי *Chuſbane*. Hos Cornelius noſter notat non differre ab iis, qui in Geneſi [a] vocãtur in editione noſtra *Zuzim*, quod ſonat ibidem Hebræa vox זוּזִים *zuzim*, pro qua vertunt LXX. ἔθνη ἰσχυρά, *gentes fortes*, & Paraphraſtes Chaldæus תַּקִּיפַיָּא *thakkiphaija*, *fortes*, ſiue *robuſtos*. Inde, ait idem auctor, ab Hebræis vocantur מְזוּזֹת *mezuzo* poſtes domorum, quia validi ſunt, & fortes. Zomzommim autem ſonare ſcribit primò, *flagitioſos*, & *ſceleratos*, quia זִמָּה *zimmah* eſt *ſcelus*, & *facinus*: ſecundò *inuſitata*, & *excogitata magnitudinis*: tertiò *famoſos*, & *celebres*, quique ſunt in ore, ac reputatione hominum, quod etiam importat dictum Chaldæum nomen חֻשְׁבָּנֵי *chuſbane*, quoniam radix זָמַם *zamam* ſignificat *cogitare*, *reputare*, *machinari*, *moliri*. Infert denique videri, quòd Ammonitæ, & Moabitæ æquè ac Hebræi vſi ſint lingua Hebræa, quoniã zuzim, & zomzommim, necnon & priùs hîc nominati [b] Emim ſunt nomina Ammonitica, & Moabitica, non minus quàm Hebræa: & Lot iſtarum nationum auctor, ſiue pater Moab, & Ammon verſatus eſt in familia Abrahæ, & deſcendit ab Heber, in cuius Heber familia manſit Hebræa lingua, quando diuiſæ ſunt gentes, atque linguæ in Babel. Hoc vltimum probabile eſt, ac multo magis, quòd pro filiorum Noë numero linguæ diuerſæ non ſunt multiplicatæ, præſertim primariæ, ac nominatim vndecim prouinciæ terræ Chanaan. Caietanus volens hîc legi zamzummim interpretatur *abominabiles*. Oleaſter (legens eodem modo, volénſque eoſdem eſſe cum zuzim in Geneſi [c], quos ibi Sa noſter explicat *terribiles*, vt Emim *horrendos*) à זָמַם *zamam*, quatenus *cogitare* ſignificat, exponit *cogitatos*, *cogitatæve magnitudinis*, aut quia videns eos, cogitabat ſe illico moriturum. Interpretatur quoque hoc loco zomzommim *abominabiles*, ſeu *flagitioſos*. Petrus Vincentius de Marzilla, Vatablus zamzummim *flagitioſos*, Sa noſter zamzummim *flagitioſos*, & *ſceleratos*. Gebennenſia Biblia Gallica hæreſiarchæ Caluini opera edita zamomim Gallicè *meſchants*, *abominables*, *brigands*, & *voleurs*, malos, abominabiles, latrones, & prædones. Hieronymus [d] nominis zozomim notationem dat, *hæ cogitationes quæ eſt hæc aqua*, *in acie præparati* [e]: præterea nominis zohomim, *præparati in acie*, *quæ eſt hæc aqua*. Beda zomim (zolomim quoque apud eumdem ſcribitur diſtinctè ab iſto, ſed mendosè pro zohomim, quod tamen zohomim non extat in Scriptura, & mendosè forſitan eſt pro zomim) *aciem præparantes*, vel, *in acie præparati*, zozomim (pro zozomim) iiſdem modis. Ludouicus Yſtella in Geneſi [f] zuzim explicans *terribiles*, Emim *horrendos*, docet cum Raphaim, Carnaim, Chorræis, ſiue Horræis eſſe nomina gentium ſic dictarum iuxta nominis ſignificationem ex fortitudine, vel magnitudine, vel multitudine, vel aliquo ſimili, à quibus vrbes aliquæ ſic appellatæ ſunt, quòd illas inhabitarent: & è conuerſo aliqui ab vrbe quam inhabitabant. Adrichomius [g] zuzin, vel zozin declarat, *viros robuſtos*, *horrendóſve gigantes*, de quibus in Geneſi [h] mentio fiat: zuzin Deltius [i] noſter nomen gentis admodum robuſtæ, ſed non ſatis notæ facit quoſdamque ſuſpicari ait eos eſſe, qui hoc loco vocantur zomzommim. Eadem opinio item noſtri Saliani [k], quódque terram Ammonitarum tempore Abrahæ incolerent, ſicut Emim Moabitarum &

a c. 14. 5.
b verſ. 11.
c c. 14. 5.
d tract. de nom. Hebr. ex Deut.
e ibid. ex Geneſ.
f c. 14. 5.
g theat. terræ S. in Gal num. 22.
h c. 14. 5.
i ibid.
k to. 1. anno m. 2118. num. 8.

Chorræi, ſiue Horræi Idumæorum. Conſentit Torniellus [a], & alij. Allenas iudico etymologias nominis zomim, vel zamzummim, præter eas, quæ trahuntur ex themate זָמַם *zamam*, quod, vt notatum, dixi, ab Oleaſtro, *cogitare* ſignificat in vtramque partem, licèt nomen זָמַם *zamam* de cogitatione mala, malóque animi conceptu, ſcelere, audaci facinore, machinatione, vafritie: & זִמָּה *zimmah* pro iiſdem quoque opere malo, fœdo, turpi, pro abominatione, fœditate, &c. Quæ omnia gigantibus ferè congruunt, ac primis illis nominatim, qui memorantur in Geneſi [b], ex congreſſu filiorum Dei ad filias hominum, homines vnà cum proceritate ac robore luxuriæ deditiſſimi, inferendíſque iniuriis, denique multa malitia, & nequitia præditi, cunctorum metus & odium, confidentes ſuæ virtuti [c], ſuperbi [d]. Illos cognominare liceat Caios (vt nuper dixi poſſe Caſcos appellari) à famoſo latrone Caco, qui κακὸς erat, ideſt, malus, immo peſſimus.

Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis ſicut Enacim.] Verſu decimo iiſdem plane verbis, Hebraicè, Chaldaicéque iſta dicuntur de illis, quos expulerant Moabitæ Latinè autem (*populus magnus, & validus, & tam excelſus, vt de Enacim ſtirpe*, &c.) Græcè ἔθνος μέγα καὶ πολὺ, καὶ ἰσχύον ὥσπερ οἱ Ἐνακίμ. Hoc autem loco in editione Græca ἔθνος μέγα καὶ πολὺ, καὶ δυνατώτερον ὑμῶν ὥσπερ οἱ Ἐνακίμ, *gens magna, & multa, & potentior vobis quemadmodum filij Enacim.* Priore loco Interpres noſter poſuit pro multo validum: Græci pro δυνατώτερον ὑμῶν ſolum nomen poſitiuum ἰσχύον, cùm Hebræa vocabula ſint vtrobique גָּדוֹל רַב רָם *gadol*, *rab*, *ram*, Chaldæa רַב סַגִּי תַּקִּיף *rab*, *ſagghi*, *thakkiph*.

Quos deleuit Dominus à facie eorum.] Domino tribuit, quòd tam ferus, ac fortis populus deletus fuerit: quod etſi priùs de Horræis, déque illis, qui Emim dicebantur, incolebantque terram deinde à Moabitis & Idumæis occupatam, expreſſum non ſit: intelligi tamen debet, quia dicitur ibidem idem Dominus terras illas filiis Lot, ſiue Moabitis, & filiis Eſau, hoc eſt, Idumæis dediſſe, quod non niſi gentes illas ipſo mox delente factum eſt.

Et fecit illos habitare pro eis.] Videlicet, filios alios Lot, ſiue Ammonitas habitare fecit Dominus loco populi illius paulò antè deſcripti, quémque Ammonitæ Domino adiuuante deleuerunt. Hebraicè duo verba ſunt in tertia perſona plurali, ſed cum affixo primum וַיִּירָשֻׁם וַיֵּשְׁבוּ *vaiyraſcuum vayeſcun*, quod primum explicat Pagninus (*poſſederunt*, vel *expulerunt eos.*) apoſtata Munſterus (*ſucceſſerunt eis in hæreditate*) Vatablus (*occupauerunt eos*) ſignificat יָרַשׁ *iaraſ hæreditare*, ſeu *hæreditatem acquirere ac poſſidere*, *occupare*, *obtinere*, & præterea *expellere*. Occupans enim alium plerumque expellit loco ſuo. Libro præcedente [e] redditum eſt יִירָשׁוּ *ijreſcu* per poſſeſſionem hæreditariam. Græca loci præſentis ſunt καὶ κατεκληρονόμησαν, καὶ κατῳκίσθησαν ἀντ᾽ αὐτῶν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, *& poſſederunt eos, & habitauerunt pro illis vſque in diem hanc.* Vltimas has dictiones quatuor appoſuit auctor Latinæ tranſlationis ex editione Chaldæa, in qua tamen non extant, & in quibuſdam Bibliis Græcis, vt in Complutenſibus ac Regiis poſt κατεκληρονόμησαν eſt pronomen αὐτούς. Conterit interdum Deus multos, & innumerabiles & ſtare facit alios pro eis [f]. *Sedes ducum ſuperborum deſtruit, & ſedere facit mites pro eis: terras gentium euertit, & perdit eas vſque ad fundamentum, areſacit ex ipſis, & diſperdit eos, & ceſſare facit memoriam eorum à terra, memoriam*

a ibid. n. 3.
b c. 6. 4.
c Eccli. 16. 8.
d Sap. 14. 6.
e c. 36. 8.
f Iob 34. 24.

moriam superborum perdit, & relinquit memoriam humilium sensu [a] : *manus eius gentes disperdit, & plantat alios* [b]. Lege Pinedam [c], & ipsimet eadem de re aliis locis non semel egimus.

a Eccli. 10. 17. & seqq.
b ps. 43.
c in Iob 34. 24 in digressione.

Vers. 22.] Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens.

Vers. 23.] Heuæos quoque, qui habitabant in Haserim vsque Gazam, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis.

Paraphr. Minus mirum insinuat videri debere, quòd filiis ac posteris Lot, & Abrâham, propter merita ipsorum, tanta contulerit, licèt immeritis, ac etiã impiis, Deus beneficia cõferat. Vnde in spẽ erigi Hebræus populus possit, fore, vt quod cum iuramẽto quoque pollicitus est Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, ac postea non semel iterauit, & confirmauit, alloquens eiusdem ducem Moysem, reipsa præstet, atque terram promissam tradat, pulsis habitatoribus, quantumuis robustis, & ferocibus, cùm exteros ob occulta iudicia sua, sed iusta, in terras non suas introduxerit, nempe in Horræorum terram Idumæos ex Esau ortos, & Heuæos, quos ex non minima Palæstinæ parte Cappadoces expulerunt. Argumenti vis ex comparatione minorum & maiorum magna, vt veri Dei cultores, in peculiarem ipsius populum electi ex Deo nati carissimis, quibus tam sæpe, tam sanctè, tam asseueranter iurans pollicitus est, ambigere nullo pacto debeant, valeantque de obtinenda possessione, siquidem idem Deus omnium Dominus est, & cui vult, dat.

Explanatio. *Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir.*] Græcè ὥσπερ ἐποίησαν *sicut fecerunt*. Eodem modo legitur in Complutensibus, Regiis, aliísque Bibliis Græcis; sed in quibusdam numero singulari ἐποίησε, *fecit*, quod contextui aptiùs congruit, qui singularem numerum habet in antecedentibus, & consequentibus, quæ de Deo sunt, & consentit cum textu Hebræo, atque Chaldæo, in quibus est עשה *bhasah*, & עבד *bhauad*. De Esau, ac de Seir dictum priùs, & quòd filij Esau sint iidem, qui Idumæi.

Delens Horreos.] Singularis numerus indicat prioris quoque membri verbum primum rectè redditum in eodem numero, & non in plurali, vt plures Græci codices etiam emendati habent. Ante verbum autem Hebræum, cuius loco est participium editionis nostræ, legitur אשר *ascer*, quod potest significare (*qui*) nempe Deus, siue Dominus: vel (*quia*) Chaldaicè ד *de*, quod valet etiam (*quia*) vel (*quod.*) Græcè verò ἐν τρόπῳ, quemadmodum quasi esset hîc etiam Hebraicè sicut priore membro כאשר *chaascer*. De Horræis antea [d] actum est, quæ natio hic & ibi ab aliis editionibus nominatur numero singulari. Additur in editionibus aliis (*à facie eorum*) quod habebat nostra in priore versu.

d vers. 12.

Et terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens.] Iuxta editiones alias (*& possederunt*, vel *expulerunt eos, & habitauerunt pro illis vsque ad diem hanc.*) Quæ omnia iisdem verbis erant, secundùm easdem editiones in versu 21. vbi sic legebatur in nostra (*& fecit illos habitare pro eis*) in sola verò Græca sicut hîc (*vsque in diem hanc*, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.)

Heuæos quoque.] Pendent hæc, & aliquot sequentia ex verbo *expulerunt*. Paulò autem obscuriùs Græcè in recto casu ponuntur Heuæi καὶ οἱ Εὐαῖοι οἱ κατοικοῦντες, &c. *& Euæi habitantes*, &c. scilicet erant hi habitantes in Haseroth vsque Gazam, & Cappadoces ex Cappadocia deleuerunt eos. Porrò Heuæi, qui meliùs cum aspiratione scribuntur, licèt Græcè notentur cum spiritu leni Εὐαῖοι, & in Latinis codicibus Complutensibus, ac Regiis Euæi, quia Hebræi, Chaldæique primam literam asperrimam exprimunt, העוים *bhauuijm*, sæpenumero nominantur in Scripturis diuinis [a]. In Genesi [b] recensentur filij Chanaan, Sidon, Hethæus, Iebusæus, Amorrhæus, Gergesæus, Heuæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, Amathæus, seu Hamathæus, vt est in Paralipomenis [c], in Exodo [d], & in libro nostro postea [e]: & in Iosue [f] numerantur gentes, quarum terram promittit Deus Hebræis Chananæorum, Hethæorum, Amorrhæorum, Pherezæorum, Heuæorum, Iebusæorum, licèt aliquando [g] Pherezæi omittantur, nonnumquã Heuæi [h], interdum nominantur Heuæi, Chananæi, Hethæi, contra quos emitteret Deus crabrones, qui effugarent eos, antequam introirent in eorum terram Hebræi: in libro Iosue [k] dicatur is Heuæum habitantem in Gabaon superare non potuisse, & Moses tamen cum Sehon Rege, & aliis Ducibus suis vnum etiam Heuæum nomine [l], & iterum quòd illas gentes cum Gergesæis etiam pugnantes contra populum tradiderit Deus in manus eius [m]. præterea quòd qui remanserant de Heuæis cum Amorrhæis, Hethæis, Pherezæis, Iebusæis, nec potuerant filij Israël exterminare, fecit Salomon tributarios [n]. item quòd Heuæi fabricauerint Deo, siue idolo suo fatua Nebahaz, & Tharthac [o]. Hieron. [p] Ærmon vocat regionem Æueorum, (sic scribit nomen vtrumque) quam obtinuerit Iesus, siue Iosue, atque, vt eum suus docuerat Hebræus, montem Ærmon (Hebraicè חרמון *Chermon*) Pasteadi immuniẽtem, quondam tenuisse Æuæos, & Amorrhæos, de quo sua ætate niues æstiuæ Tyrum ob delicias deferrentur. Adrichomius [q] appellans Hermon, & Ærmon, citánsque Hieronymum, putat habitatores illius Æuæos, siue Heuæos, qui sint iidem, fuisse. Petrus Vincentius de Marzilla hoc loco, & in Genesis c. 15. existimat Raphaim, qui sic isto vocabulo nominantur, alio nomine vocatos Heuæos. Andreas [r] Masius probabilem credit sententiam R. Nehmanni Raphaim Heuæorum esse cognomen, quia dicti sint Heuæi à serpentibus, qui in cauernis habitant. Hebræa verò vox רפאים *rephaim* significat *inferos*, & sub terra agentes, prout eam sumpsit [s] Esaias aliique. Probari vellet Salianus [t] noster, ac meritò, Heuæos in cauernis habitasse: concedit autem Genesis citato loco per nomen Raphaim Heuæos intelligi, incoluisse montem Hermon, siue radices eius in terra Masphа prope Antilibanum (quod Hieron. etiam in locis Hebraicis paulo antè citatus docet) qui totus locus ad Phœniciam pertinuerit, & tribui Aser destinatus fuerit: deuictos, & profligatos à Iosue: ciuitates eorum fuisse Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim, pertinentes ad tribum Beniamin: habitasse etiam in Haserim vsque Gazam, vt hîc dicitur, deletosque istos à Caphthoreis, siue Cappadocibus, Si concedatur illud de Raphaim, dicendum

a Gen. 10. 17. c. 34. 2. c. 36. 2. Exo. 3. 8. 17. c. 13. 5. c. 23. 23. 28. c. 33. 2. c. 34. 11. Deut. 7. 1. c. 20. 17. Ios. 3. 10. cap. 9. 1. c. 11. 3. 19. c. 12. 8. c. 13. 4. 21. c. 24. 11. Iud. 3. 3. 5. 2. Reg. 24. 7. 3. Reg. 9. 20. 1. 4. 17. 31. 1. Par. 1. 15. 1. 2. 8. 7.
b c. 10. 15. & seqq.
c 1. 1. 1. 15. & seqq.
d c. 3. 8. 17. c. 13. 5. c. 33. 2. c. 34. 11.
e c. 7. 1. c. 20. 17.
f c. 3. 10.
g Ex. 23. 5. Iud. 5. 20.
h 2. Esd. 9. 8.
i Ex. 23. 28.
k c. 11. 19.
l ibid. c. 12. 21.
m ibid. c. 24. 11.
n 3. Reg. 9. 20. 21.
o 4. 17. 31. & 1. Par. 8. 7. 8.
p de locis Hebr.
Heuæi vnde nominati.
q theat. terræ S. in Aser num. 47.
r in Ios. 12. 4.
s c. 26. 14.
t tom. 1. anno 1931. num. 77.

dicendum erit inter Heuæos quemlibet percelebrem fuisse nomine Rapha, qui deinde ad posteros & gentem totam cognomen, id transmiserit. Etymon antea indicatum veluti à serpentibus, forsan ex חיה *chaijah* sumptum est, vt feram significat. Quamquam & quatenus villam valet, exponi potest, perinde ac si villanos dicas, villarumve incolas, villis addictos, & colonariæ conditionis, licèt vsus iam vocem hanc verterit in contumeliam. Villam quoque חוה *channah* significat, & permutabiles literæ sunt ו *vau*, & י *iod*. Erant scilicet homines illi agrestes, feri, sæui, inciuiles, inhumani.

Qui habitabant in Haserim.] Complutenses, & Regij codices leniter scribunt. *Aserim*, Græcè *ἀσηρώθ*, sed emendati *ἀσηρώθ*. In textu Hebræo est חצרים *chatserim*: in Chaldæo פציח *petsiach*. Hoc vltimum nomen significat *villam, castellum, oppidum non munitum*, quam etiam significationem habet Hebræum nomen. Hieronymus [a] tradit Aseroth partem eremi fuisse, vbi Maria, & Aaron contra Moysem locuti sunt: habitauisse autem quondam Euæos in Aseroth vsque ad vrbem Gazam: verùm hæc loca non Aseroth, sed Aserim appellari Hebræos putare. Textus noster demonstrat non opinionem Hebræorum esse, sed ipsiusmet sacræ Scripturæ declarationem. In libro Iosue [b] scribitur, quòd in Asedoth, & in solitudine, ac meridie fuit cum Euæo, Hethæus, Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, Iebusæus. Vide quæ priore [c] libro diai de Haseroth.

a de locis Hebr.
b c.12.8.
c c.11.vlt.

Vsque Gazam.] Græcè ἕως γάζης, Hebraicè verò, Chaldaicéque scribitur עזה *hhazzah*. Ciuitatem Æueorum vocat hanc Hieronymus [d], in qua, inquit, habitauere Cappadoces pristinis cultoribus interfectis. Subdit verò quòd apud veteres erat terminus Chananæorum iuxta Ægyptum, ceciditque in sortem tribus Iuda, sed eam tenere non potuit, quia Enakim (seu Enacim) idest, gigantes fortissimi Allophylorum (qui Palæstini aliter vocantur) restiterunt, & erat suo adhuc tempore insignis ciuitas Palæstinæ. Quærit præterea quomodo in quodam Propheta dicatur Gaza futura in tumolum sempiternum, & soluit, antiquæ ciuitatis locum vix fundamentorum præbere vestigia: eam autem, quæ tunc cernebatur, in alio loco pro illa, quæ corruit, ædificatam. Ad mare item nouissimum siue quod ad Occidentem est, ducitque in Ægyptum, & in litore illius constituit [e] vrbem eamdem cum Ascalone, Azoto, Ioppe, Cæsarea. Meminit [f] quoque celebris templi Marnæ, quod Gazæ in Ecclesiam Domini sua propemodum ætate surrexerat. Postremò etymon eiusdem [g] tradit *fortitudinem*, vel *imperium*, sed sciendum, ait [h], quòd apud Hebræos non habeat literam consonantem in principio, verùm incipiat à vocali *ain*, & dicatur Aza. Scribi deberet Hhazzah si ad Hebræos characteres, quibus exprimitur, attenderetur, nempe עזה *hhazzah*, vt diai, & Grammatici passim docent apud Hebræos literas omnes esse consonantes, vocalium autem loco inuenta puncta, quod post Hieronymum contigit apud Tiberiadem Palæstinæ anno Domini circiter 476. vtebantur quatuor consonantibus א *aleph*, ה *he*, ו *vau*, י *iod*: per primas duas exprimendo a, & quandoque alias vocales, per tertiam o, & v, per vltimam e, & i. Monui porrò agens de Gaza in cômentario Actuum Apostolorum [i], vnde huc transferri dicta non pauca possunt, literam ע *hhain* verti nonnumquam in literam g, vt in Gomorra, Beelphegor, & ibi Syrochaldaicè vocari עזה *Gaza*. Ibidem nonnihil quoque attigi de alia notione gazæ pro opibus, diuitiis, thesauro, pretiosa supellectile; necnon de gazophylacio, pro loco, in quo huiusmodi res custodiebantur, de quo plura post alios noster Ludouicus Ballester [a].

d de locis Hebr.
e in Ioël. 3.
f in Esa. l. 7. in c. 17.
g in Amos 1. & tract. de nom. Hebr. ex Deut.
h de nom. Hebr. suprà.
i in c. 8. 26.
a in onomatograph. verbo Gazophyl.

Cappadoces expulerunt, qui egressi de Cappadocia deleuerunt eos.] Breuiùs editiones aliæ, (*Cappadoces egressi de Cappadocia deleuerunt, seu exterminauerũt.*) Hoc primum loco Cappadocum, Cappadociæque vocabula extant: deinde apud Ieremiam [b], Amos [c], in historia Apostolica [d], in epist Petri 1. [e] Hebraicè dicitur Cappadocia כפתור *chaphthor*, Cappadoces כפתורים *chaphthorim*. Chaldaicè illa קפוטקאה *kapputkaia*, vel קפוטקיא *kapputkeia*, vel קפוטקאה *capputechaah*: isti קפוטקאי *kaputkai*. Ieremias [f] appellat postquam nominauit Palæstinos, reliquias Insulæ Cappadociæ, Græcè ipsos Palæstinos reliquos insularum Cappadociæ ἀλλοφύλους, (sic enim semper pro Philisthæis, seu Palæstinis à LXX. vocantur) τοὺς καταλοίπους τῶν νήσων τῆς Καππαδοκίας. Dicuntur etiam ab Amos [g] Palæstini de Cappadocia, ἀλλοφύλους ἐκ Καππαδοκίας. Refellit hoc loco, ac iure quidem, Abulensis confundentes Palæstinam, cum Cappadocia, notátque de Cappadocia egressos, vt hic etiam scribitur, occupasse illam partem terræ, in qua Heuæi priùs habitabant, & propriè nomen habet Palæstinæ, cuius erat Gaza paulo antè hîc nominata, immò quondam caput illius, tempore nimirum Samsonis [h], & priùs [i]. Quod autẽ spectat ad Cappadoces, à Mosoch, vel Mesech sexto filio Iaphet [k] Iosephus [l] Meschinos denominatos arbitratur eos esse, qui nouo postea nomine Cappadoces appellati sint, veterísque indicium, ac vestigium videri Mazacam, quæ vrbs erat in Cappadocia. Ea vrbs celebratur præterea in eadem prouincia à Solino [m] matrem vrbium cognominante. Eiusdem sub eodem nomine meminit etiam Ptolemæus [n], atque sub recentiore alio Cæsareæ in honorem Cæsaris Augusti, teste Sexto Ruffo (Tiberium alij malunt) quemadmodum Cæsaream Herodes eadem de causa voluit appellari, magnificè ornatam à se, quæ priùs dicebatur turris Stratonis, & cum addito discriminis gratia, Cæsaream Palæstinæ. Non displicet illa sententia Hieronymo [o], licèt obiiciat LXX. qui alios faciunt Cappadoces: placet verò Procopio [p] ac Theodoreto [q]. Atqui posteros illos Mosoch, aut Mesech contendunt aliqui [r], populos fuisse Syriæ, & Arabiæ, quidam [s] Thuscos, siue Hetruscos, nonnulli [t] Moschouitas, quasi dicas tractores, nempe arcuum, quia משך *masciach* trahere est, nec desunt [u], qui Cappadocum parentem asserant Gomer, primum filium Iaphet. Deinde in Genesi [x] proditur de Chasluim כסלחים *Chasluchim* apud LXX. χασμωνιείμ in Chronica Eusebij, & in Alexandrinô χασλωνιείμ egressos Philisthiim, & Caphtorim, quos posteriores licèt editio Græca ibi vocet quoque καφθοριείμ, seu γαφθοριείμ, tamen hoc loco appellat Καππάδοκας, & illic Paraphrastes sicut hîc קפוטקאי *capputekai*, quod significat Cappadoces: cúmque citato Genesis loco distinguantur Philisthiim, & Caphtorim, sequitur Philisthiim, & Cappadoces distingui; quod Abulen. hîc docet. Verisimile porrò est, quod cum Masio [y], atque Pererio nostro [z], noster sentit Salianus [a], Chananæos, ac nominatim ea his Heuæos, regionem Arabiæ litoralem occupasse, quæ postea Palæstina dicta est, sed tempore procedente Caphthoræos, siue Cappadoces ex Chasluim prodiisse; qui deleuerint

b c.47.4.
c c.9.7.
d c.2.9.
e c.1.1.
f c.47.4.
g c.9.7.
h Iud. 16. & 21.
Cappadoces qui.
i Gen. 10. 19. Ios. 10. 41. c. 11. 22. c. 15. 4. 7. Iud. 1. 18. c. 6. 4.
k Gen. 10.
l l. 1. antiq. c. 7.
m c. 57.
n l. 5. c. 6. & in tab. Asiæ. tab. 1.
o de trad. Hebr. in Genes. 10.
p in Gen. 10.
q in Ezech. sect. 12.
r Beroal. & Merula.
s Iosep. Gorion. apud Pagni. in Thes. verbo משך *masciach*.
t Mercer. ibid. Geneb. in ps. 120. Arias in Phaleg. Salian. to. 1. an. 1931 n. 29.
u Euseb. l. 1. Chron. Græc.
x c. 10. 14.
y in Ios. 13. 3.
z lib. 15 in Gen. n. 109.
a tom. 1. annal. anno 1931. n. 67.

uerint illos, ac eorum regionem obtinuerint. Ex Caphthoræis istis Palæstinos euenisse, quos idcirco Ieremias [a] appellauerit reliquias insulæ Cappadociæ, Hebraice Caphthor, & Amos [b] venisse scribat ex Caphthoræis, siue Cappadocibus Palæstinos, illisque in regionis illius possessione successisse. Quòd autem in Ieremia dicatur Cappadocia insula, Gaspar Sanctius item noster explicat [c], licèt sit extra mare, quoniam procul abest ab Ierusalem, Hebræi verò quod longè abest, insulam vocant, vt, legem [d] eius insulæ expectabunt, &c. Audite [e] insulæ & attendite populi de longè; vel quia regio maritima est (id etiam respondet Maldonatus) quod autem non longè abest ab aliquo loco, in eo situm esse censetur, vt, cùm dicitur Christus ex Bethania ascendisse [f], & Ioannes in Bethania baptizasse [g], quia non longè ab illa vterque locus aberat. Alter de nostris Ieremiæ Enarrator Christophorus Castro negat Cappadociam apud illum Prophetam esse illam ab amne Cappadoce denominatam, (à Cappadoceo conditore malunt alij) & Asiæ regionem Ponticam, ac maritimam, expansámque litore longo à Septemtrione in Pontum Euxinum: quia probabile non videtur Cappadoces illos è tam longinqua, ac remota regione venisse, consedisseque in finibus Chanaan: & quia Caphthorim non ex Iaphet, sed ex Mesraim filio Cham traxerunt originem. Nec admittit ad Africam pertinuisse adhuc tam remotam à Chanaan. Sed arbitratur cum Theodoreto Cyprum esse, vel, fauente ipso nomine, si vnam demas literam ex כפתר Chapthor, efficiendo כפר Chaphor, seu Chapor, aut Capor, & ex Chaphthorauu Chaphoraei, seu Chaporaei, vel Caporaei: tum etiam, quia Cappadociæ aut Libyæ, aliæve regioni, quæ mari non cingatur, insulæ appellatio minimè congruit. Tandem tamen concedit illam ipsam insulam Cypri nomine vocatam Cappadociæ, & incolas Cappadoces, qui olim peruaserint Hewæorum regionem, in eáque sedes suas collocauerint. Salianus cum Pererio Cappadociam hoc loco nominatam volunt, vel Africanam fuisse, vel Ægypto, & Palæstinæ vicinam: prior autem non respuit opinionem de Cypro, cui peculiariter nomen Cophthor attributum sit, licèt vocaretur simul Cethim, nomine generali, communique aliis præterea insulis. Deltius [h] adhuc ex nostris, ex Strabone [i] posita Cappadociæ distinctione in Ponticam, quæ præfecturis quinque constet, atque in eam, quæ ad Taurum nuncupatur, & magna, de ista affirmat sermonem esse in Genesi sub vocabulo Cophthor: incolas enim illius Cappadociæ Syros quidem, vt Herodotus [k] testatur à Græcis nuncupari, à Persis verò Cappadoces [l], Leucosyriam quoque, ac Leucosyros, idest, albam Syriam, Syriósque albos Græci vocat Cappadociam, Cappadocésque [m]. In commentariis Actuum Apostolorum [n] de Pontica dixi Cappadocia distincta in primam, & secundam, atque de laude, ac vituperatione eiusdem ex Nazianzeno [o], & Isidoro Pelusiota [p]. Vltimus [q] docet Philistæos ἀλλοφύλους à Cappadocibus genus traxisse, ab iisque oriundos esse, atque cùm in Philistæorum numero Gabaonitæ sint, Cappadoces etiam Gabaonitas esse, horum quoque improbitatis, ac nequitiæ imitatores, quam prolixè [r] describit, indéque magis vituperat [s], quòd tam insignes viros ex regione tulerit, Basilium nempe, & Gregorium Nazianzenum. Notum adagium τρία κάππα κάκιστα, tria pessima cappa, propter improbos mores Cappadocum, Cretensium, Cilicum: quibus item conuenire bat illud aliud δευτέρου κάππα, duplex cappa; quia gemino cappa scribuntur κακά. Quamquam & primum Augustinus [t] totum induxit fuisse in Cornelium Lentulum, Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, hocque ipso modo designatos in libris Sibyllinis. Sic apud Plautū [b], trium literarum nomine fur designatur: apud alios, per ironiam, is, qui videri generosus velit, & ingenuus, quia olim prænomen, nomen, agnomen in literis, aut insignibus suis notare ingenui solebant.

Et habitauerunt pro illis.] In nulla editione adiicitur (*vsque in diem hanc*, aut, *vsque in præsens*) quemadmodum exprimebatur in omnibus versu 22. & in Græca versu 21. Vnde discimus nonnulla interdum poni, vel omitti in diuinis literis absque vlla certa causa, & sine aliqua aut necessitate, siue vtilitate, aut aliquo damno.

Margin (left): a c.47.4. b c.9.7. Cappadocia. c ibid. d Esa.42. e c.49.1. f Lucæ vlt. 50. g Ioan.1. 28, c.11.18. h in Gen. 10.14. i lib.12. k l.1.& 5. l lib.7. m Strabo l.12. n in c.2.9. o orat.30. in Basil. p l.1.ep.352. 358. 381. 485. c.7.9. 490. q epist.181. r ibid. s epist.158. — (right): t li. de Grammat. b in Aulul. & 352.

Vers. 24.] Surgite, & transite torrentem Arnon: Ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe possidere, & committe aduersus eum prælium.

Vers. 25.] Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.

Hinc ad finem vsque capitis memoratur victoria de Sehon Rege Amorrhæorum: in istis autem versibus præceptum Dei, vt populus de Zared torrentem Arnon transmitteret, certus quòd victoriam modò dictam reportaturus esset, ac possessurus nominati Regis terram, commisso tamen prælio, quia in transitum negaturus præoidebatur. Ne autem vlla ratione vereretur, aut hæsitaret, promittit Deus terrorem se ac pauorem immissurum, tunc quidem in Amorrhæos transituni recusantes, postea verò, ac deinceps in omnes alios quotquot aduersari conarentur, qui præsenti præterea exemplo vehementer commouendi sint, ac ritu parturientium dolore summo, ac metu afficiendi.

Surgite.] Græcè (*nunc ergo surgite*, νῦν οὖν ἀνάστητε.) Refertur surgendi verbum non tam ad præcedentem positionem sedentium, vel iacentium, licèt, hæ, aut similes manentibus intra castra conueniant, quàm ad animandum, & excitandum, vt etiam ibi [c], *Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno, vsque in æternum*, idest, agedum, ehodum, &c. vulgo, *su, orsu*, &c. & iterum apud Græcos in eadem significatione apud vetus lexicon *dicel*, quamuis exemplum non afferatur.

Et transite torrentem Arnon.] Interpres omisit verbum proficiscendi, quod habent editiones aliæ ante verbum transeundi סעו ועברו *sebhu vehbheru*, ἀπάρατε, καὶ παρέλθετε ὑμεῖς, vbi vltima editio addit in fine pronomen, & in principio coniunctionem. De Arnon autem torrente in c.21. [d] prioris libri actum est, vbi scribitur quòd filij Israël relinquentes torrentem Zared castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi, & terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos;

Margin (right): Paraphr. Explanatio. c 2.Esd.9.5. Arnon torrens. d vers.13.

a v.14.15.

b q.5.

thæos; sed & ibidem [a] vocantur pluraliter torrentes, nominatúrque Ar, quòd est alterum nomen eiusdem loci, vt quidam volunt: præterea communicatum dicitur vocabulum Arnon torrenti, flumini, scopulo, ciuitati, quæ ferè contigua erāt. Abulensis [b] hoc loco refert ex Iosepho Arnon fluuium fuisse de montibus Arabiæ descendentem, pérque desertum fluentem, & in stagnum Asphaltitem ruentem, & diuidentem terrã Moab, & Arnon (Amorrhæorum dicere voluit) & ex Scholastica historia, quæ meminit opinionis, quòd fuerit ciuitas prominens in finibus terræ Amorrhæorum: ipse autem asserit fuisse villam, vel ciuitatem in extremitate terræ Amorrhæorum, non verò torrentem, aut fluuium; quia citato loco ex Numeris dicitur, quòd Arnon prominebat, quod non conuenit fluuio, qui labitur per decliuia: item quòd populus castra metatus est in Arnon, quæ est in deserto, quo pronomine fœminino nec scopulus, nec mons indicatur, qui sunt generis masculini. Cæterùm cùm hîc scribatur (*transite torrentem Arnon*) sumendum hoc nomen intransitiuè, & in genitiuo sub habitudine possessionis, non quia torrens ille esset id, quod Arnon, sed aliqua res pertinens ad Arnon; siue ciuitas sita in montibus prominens in finibus Amorrhæi, ad cuius ciuitatis radices flueret torrens, qui vocaretur Arnon, ita vt transire torrentem Arnon, esset transire torrentem fluentem apud Arnon, Iosephus autem largè acceperit fluuium pro torrente. Porrò editio Græca vsurpat *φάραγγα*, *vallem*, quam נַחַל *nachal* significat, non modò torrentem, vt alibi notaui. At proprietas sermonis toties in Scriptura repetiti negari non debet, vt nomine Arnon terra, fluuiúsque intelligatur.

Ecce tradidi in manu tua Sehon Regem Hesebon Amorrhæum.] Pro voce (*ecce*, & *ἰδὲ*) est Hebraicè, atque Chaldaicè (*vide*, רְאֵה *reeh*, & חֲזֵי *chaze*) quemadmodum aliis locis, vt etiam priùs notaui: Græcè (*in manus tuas*, *εἰς τὰς χεῖράς σου*) de qua phrasi pro potestate dictum non semel. Latinè in Bibliis Complutensibus & Regiis pluraliter (*Amorrhæorum*) & notat Augustinus in locutionibus non dici (*in manus vestras*) sed transiri à plurali ad singularem. Per (*tradidi* נָתַתִּי *nathatthi*, מסרית *msreth*, *παρέδωκα*, in præterito tempore significatur certitudo futuri euentus, ac si diceret Deus, inquit Rickelius, pro certo tradam, & dare decreui, quia nimirum iam completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, prout aliàs futurum prædixi Abrahæ [c], videlicet idololatriæ, qua filios ipsos suos comburendo diis immolabant, oppressionis pauperũ, ac peregrinorum, promiscuorum connubiorum, nefandæque libidinis, & in eodem sexu humano, & cum bestiis, vt colligitur ex libri nostri c.9.[d] ac 12.[e] & libri Leuitici cap. 18.[f] nósque vltimo isto loco docuimus. Veruntamen complementum adhuc dictarum iniquitatum fuit inhumana, & planè barbara, iniustaque denegatio transitus per eorum terras, quem Israëlitæ debitis modis petierunt; vt vidimus libro priore [g]: quemadmodum & in Sodomitis, quòd hospites, qui angeli erant, adeò indignè, ac fœdè tractauerunt, volentes eis abuti [h]. Denique repetenda non sunt alibi dicta de Sehon, de Hesebon, de Amorrhæis.

c Gen.15. 16.

d vers.5.

e vers.2.3. 4 30.31.

f vers.24. & seqq.

g c.20.14. & seqq.

h Gen.19.2. & seqq.

Et terram eius incipe possidere.] Dispungi possunt hæc eo modo, quo in textu Græco, ita vt primæ tres dictiones iungantur prioribus (*ecce tradidi in manu*, seu *in manus tuas Sehon Regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius.*) Deinde membrum nouum sit (*incipe possidere*) *ἰδὲ παρέδωκα εἰς τὰς χεῖράς σου τὸν σηὼν βασιλέα ἐσεβὼν τὸν ἀμορραῖον, καὶ τὴν γῆν αὐτοῦ. ἔναρχε κληρονομεῖν.* Nec multum tamen refert vtro modo vel connectamus hæc, vel seiungamus. Cæterùm incipere possidere Delrius [a] noster explicat de sedulo conatu, cum violento quodam feruore, quemadmodum illis aliis in locis [b], *Cœperúntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Ipse* [c] *incipiet liberare Israel. Incipiam* [d], *& complebo. Incipiam* [e] *te euomere.* Ipsa nihilominus spectata phrasis vim eiuscemodi habere non videtur, nisi quidpiam aliud adiungatur.

a in Gen. 11.6.

b Gen.11.6.

c Iud.13.5.

d 1.Reg.3. 12.

e Apoc.3. 16.

Et committe aduersus eum prælium.] Deest in Græco textu coniunctio, sine qua videtur etiam concitatior oratio. Similis autem formula præcessit iam ter iisdem verbis [f], sed negatiuè secundùm alias editiones, secundùm Latinam, *ne moueamini contra eos; nec ineas aduersus eos prælium: nec mouearis ad prælium*: & ibidem præterea vetatur [g] pugnare. Quod quid importet declaratum est: hîc præcipitur committere prælium. Disputat Abulensis [*] de titulis iusti belli, quos numerat duodecim. Si [h] nomen Dei in aliqua terra blasphemetur: Si [i] à Dei cultu recedatur: Si [k] recedatur à fidelitate Domini temporalis: Si [l] subditi contra Dominum committant rebellionem: Si [m] mala defendantur: Si [n] Principi in se, aut in seruis suis magna fiat iniuria: Si [o] repetantur res ablatæ, vel violenter detentæ; si iura, dignitates personales: Si [p] repellantur hostes: Si [q] denegetur, qui transitum iure communi debitum impediunt: Si [r] pugnetur contra hostium adiutores: Si [s] vt parentes, vel amici liberentur: Si [t] dominus tyrannide premat.

f vers.5.9. 19.

g v.9.19.

* q.6.

h Exod.23. Deut 7.

i Deut.13. Ios 22.

k Gen.14. 4.Reg.3.

l 2.Reg.20.

m Iud.20.

n 2.Reg.10.

o 2.Reg.5.

p 2.Reg.8.

q Num.21.

r 2.Reg.8.

s Gen.14.

t 1.Mach. 1010.

Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam.] Græcè à verbo huius textus primo ducitur exordium sententiæ nouæ; aduerbium autem temporis expressum quatuor dictionibus componi, & integrat eamdem cum præcedentibus, *σύναπτε πρὸς αὐτὸν πόλεμον ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ*, *confere cum eo*, seu *aduersus eum prælium in die hac.* Quæ autem sequuntur in imperatiuo sunt, secundáque persona *ἔναρχε δοῦναι τὸν φόβον σου, καὶ τὸν τρόμον σου*, *incipe dare timorem tuum, & tremorem tuum.* Editio nostra consentit cum Hebræa & Chaldæa, in quibus est futurum primæ personæ (*incipiam*, אָחֵל *achel*, אֵשְׁרֵי *asre.* Sed quod auctore, & auxiliatore facimus Deo, ipsi facere cum ipso censemur. Hodie vsurpatur pro breui spatio temporis, & vt Rickelius loquitur, proximo. Quod autem dicit Dominus (*hodie incipiam*) cùm iam immisisset formidinem, & pauorem, vt habetur in Cantico [n] Mosis, indicat, vt Hugoni placet, quòd respectu illius, quem missurus erat, nihil fuit, vnde modus loquendi est hic, inquit, qui frequens, & in vso habetur multum. Dicit enim sæpe aliquis, modò incipiam bene facere, quasi priora pro nihilo reputo, respectu eorum quæ faciam. Terror, atque formido plus videntur significare, quàm timor, vel metus, non autem quàm pauor, horror, trepidatio, stupor, angor, seu angonia, consternatio, perculsio. Exponit Iulius Cæsar Scaliger [x], hæc & alia eiusdem generis ad eamdem passionem, seu perturbationem spectantia nomina, necnon & Græca. Metum ait esse demissionẽ animi propter expectationẽ futuri mali, *παρὰ τὸ μέλλειν* (alibi [y] deriuat à *μέλω*, vnde *μέμηλα* & *μῆλος*:) timorem, expectationem eorũ censuræ,

n Exo.15.

Dictiones terror, & formido, & metus, timor, pauor, tremor, horror, trepidatio.

x exercit. 312.

y in Coniect.

qui in dignitate sunt constituti, παρὰ τὸ δειμαίνειν, vnde & ὑποδειμαίνειν; pauorem idem, ac perculsionem Græca origine παίειν, & κόλλειν, (pauere, percutere ac terrere est) cùm animus quasi verberatur imminentis mali opinione, cuius summum fastigium fit consternatio, quoties ex perculsione concidimus, & spe, & consiliis abiectos (nisi atrocior esset examinatio) Græcè ἔκπληξις: tremorem motum ex moribus corporis, ex Græca voce τρόμος: horrorem, asperitatem corporis, de qua illud est,

a Æn.2.

Obstupui [a] *steterúntque comæ.*

dicitúrque φρίκη: trepidationem, cùm tremor ita occupat, vt etiam consistere nequeamus, quod est pedare, & repedare apud antiquos (quasi retrocedentibus pedibus) & apud [b] Aristot. ἀγωνιῶντας σπαίρειν τοῖς ποσί: formidinem a formis, hoc est, à spectris: terrorem velut à τέρας, quia terrent monstra. Subtiliùs dicuntur ista, cùm alioqui synonymè nonnumquam sumantur dicta, similiaque alia vocabula, & formido quidem Ciceroni [c] propriè sit metus permanens, terror [d] metus concutiens, ex quo, vt pudorem rubor, sic pallor consequitur, ac tremor, & dentium crepitus; viderique possit etiam deduci à ταράσσω, vel adhuc à דבר dabar, terrere eam fragore, quemadmodum timor à δεῖμα ex δείδω, aut etiam à דהם daham, timuit, seu territus est: & Agennius [e] Vrbicus territorium esse definit, quidquid hostis terrendi causa constitutum est. His omissis, terrorem, & formidinē tuam, τὸν φόβον σου, καὶ τὸν τρόμον σου, פחדך pachdecha, & יראתך veiratbecha, יעזיך zaibbathach, & חתתך vechathbach, debemus intelligere, quem de populo Hebræo concepturi essent alij, vt sequentia demonstrant, & huius loci recitata editio Græca, ἐνάρχου δοῦναι, incipe dare. Sic verò in c.11. [f] libri nostri promattis Deus, *nullus stabit contra vos: terrorem vestrum, & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis.* Vbi sunt eadem nomina etiam Græcè, quæ hîc. Hebræum secundum simile isti secundo ex eadem radice cū affixo מוראכם moraachem: Chaldæum primo loco quod hîc secundo: & aliud deinde diuersū אימתכון ematbchon. De his quandoque admoneo, ne quis plus momenti putet in vocabulis distinctis esse. Certè non crescit oratio nunc, quoniam אימה erab minus quid valet quàm פחד pachad, vt notauit etiam Oleaster: nisi eatenus crescere dicamus, vt leuiore metu, non tantùm grauiore perturbandos Hebræorum hostes intelligamus. Porrò non defuerunt qui per crabrones alibi nominatos [g], necnon & per vespas [h], nihil aliud vellent significari, quàm terrorem istum, atque formidinem, seu quasi volantes timores, vt in Sapientiæ commentario [i] monui, & erit adhuc in c.7. [k] libri nostri repetendum, & nonnihil fauet locus ex Exodo [l], cùm Deus loquens inducitur, *Timorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones priùs qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.* Sed inde opposita potius sententia, quam veriorem duco, confirmatur, quia distinctè mentio fit de timore mittendo, déque crabronibus emittendis. De huiusmodi formidine, pauore, tremore, dolore, stupore, summa conturbatione cecinit Moses [m], *dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim: tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui*, &c. Vbi præteriti temporis verba more prophetico sunt pro verbis futuri. Rahab præterea retulit de se, & ciuibus suis, quòd audientes admirabilem transitum populi Hebræi per mare rubrum, & victorias de Regibus Amorrhæorum, irruit in eos timor ipsius, & elanguerunt omnes habitatores terræ, & pertimuerunt, & elanguit cor eorum, nec remansit in eis spiritus ad introitum eorum prope Iericho [a]. Præterea Reges Amorrhæorum, & cuncti Reges Chanaan cùm audissent siccasse Dominum fluenta Iordanis, coram filiis Israël, donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israël [b]. Gabaonitæ dixerunt Iosue, timuisse se valde audita fama victoriarum populi Hebræi [c]. Sed & Balac Rex videns omnia quæ fecerat Israël Amorrhæo, & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian; *ita delebit hic populus omnes, qui in finibus nostris commoramur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere* [d]. Vidimus item in Leuitico [e] minas diuinas aduersùs inobedientem populum suum, *Dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes; nemo vestrûm inimicis audebit resistere.* Cui similis comminatoria sententia in libri nostri cap.28. [f] vbi exprimitur cor pauidum, deficientes oculi, anima consumpta mœrore, vita quasi pendens ante ipsos, timor de die ac nocte, ita vt non credant vitæ suæ, cordis formidu atque terror. Consule illius loci ex Leuitico commentarium, necnon ex libri Sapientiæ c.17. [g] vbi mentio est de impiis pauentibus horrendè, in spelunca timentibus, sonitu perturbatis, personarum tristium apparitione pauefactis, &c. Denique quòd ipsamet nequitia timida sit, & vel spiritus sibilans terret, vel etiam auium sonus suauis, vel ludentium animalium cursus, &c. Notus apud Gentiles Panicus terror, de quo Polyænus [h] tradit dictum ex eo, quòd Bacchi dux Pan in concauo saltu existens, cùm nunciatum esset infinitas hostium copias in vlteriori parte castrametari, proptereáque Bacchum metus incessisset, iussit maximum, & inconditum clamorem tolli, qui à petris exceptus, longè maiorum copiarum fremitum hostibus reddens, metu Bacchum liberauit, perterruit verò illos, & in fugam vertit. Vnde vani, ac nocturni terrores exercituum Panici deinceps cognominati sunt. De iisdem Pausanias [i], Cicero [k], Plutarchus [l], & ex aliis auctoribus copiosiùs Angelus Politianus [m]. Euripidis interpres [n] ab eodem citatus docet, quòd τὸν τῶν αἰφνιδίων φόβον, καὶ ταραχῶν αἰτίαν τῷ Πανὶ ἀνατιθέασιν, *repentinorum terrorum, & consternationum causam Pani deo tribuunt.* Sed plura in Politiano leges. Dicebantur item quidam δαιμόνιοι φόβοι, in quibus aiebant φυγεῖν καὶ παῖδας θεῶν, & ipsummet numen φόβος, non modò metum, sed fugam præterea significat. Pan quoque accipitur pro incubo, siue pro nocturno phantasmate, quod terrorem incutit. Modos, quibus mitti terror à Deo queat in aliquem, persequitur noster Serarius [o], obiiciendo cogitationi magnum aliquod malum impendens cum magna ad obsistendum imbecillitate: sanguinem ab exterioribus corporis partibus ad interiores propellendo, sícque pallores, ac tremores excitando: efficiendo res terrificas, inusitatas, &c. Varia eodem

Marginalia: a Æn.2. — b probl. sect.10.2. — c Tusc.4. — d Tusc.1. — Territoriū. e de limitibus. — f vers.25. — g Exod.23.28. Deut.7.20. Iosu.24.12. — h Sap.12.8. — i ibid. — k vers.20. — l c.23.28. — m Exod.15.14.15.16. — a Iosu.2.9.10.11. — b c.5.1. — c c.9.24. — d Num.22.3.4. — e c.26.17.36.37. — f vers.64. & seqq. — g vers.3. & seqq. — Panicus terror. — h l.1. stratag. de Pan. — i lib.10. — k pro Cæcin. — l in Amat. — m miscel. c.28. — n in Medeā. — o in Iosu.2. q.18.

dem spectant strategemata, non profana dumtaxat, de quibus citatus Polyænus, & alij, verùm etiam sacra, & ecclesiastica, de quibus diuinæ & ecclesiasticorum auctorum historiæ. Tale ex diuina Scriptura confractarum à Gedeone lagenarum [a], Ionatæ manibus, pedibúsque reptantis cum armigero, ita vt obstupescerent hostes, & conturbarentur [b]. Dauid gyrantis post tergum hostium, & audito sonitu gradientis in cacumine pyrorum, ineuntis prælium [c]. Post secutam ex vltimo victoriam, Dominus dedisse dicitur pauorem Dauid super omnes gentes [d]. Iudas Machabæus reuocans in memoria penultimum, in oratione ad Dominum contra hostes: *da illis*, ait, *formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua* [e]. S. Seuerinum Noricorum Apostolum narrant [f] hostes ab vrbis obsidione subito terræ motu, quem triduano ieiunio, piísque aliis operibus impetrauerat, fugauisse, illósque pauidos, ac exterritos, cum se vallatos existimarent ab aduersariis, aucto terrore diuinitus, & noctis confusos horrore, gladiis mutuis se confecisse. Auctoris verò libri Ecclesiastici oratio est [g], *Immitte timorem tuum super gentes, &c. innoua signa, & immuta mirabilia.* Celebris demum de Syris victoria sub Elisæo, cùm Dominus sonitum audiri fecisset in castris eorũ, curruum, & equorũ, & exercitus plurimi, ita vt fugerẽt in tenebris, derelinquẽtes tentoria, equos, & asinos [h]. Reuera, vt Seneca [i] cecinit,

Peior est bello timor ipse belli.

ac inter bellica præcepta vnum est, metus vt hosti incutiatur. Et si creditur siue eidem, siue alteri in epistolis [k], nihil in terris terribile est, præter ipsũ timorem. Denique simili quadam ratione dicebamus in commentario Actuum [l] Apostolorum, quòd ingredientes in terram promissam Ecclesiæ primitiuæ alij reuerebantur, & veneratione prosequebantur, metúsque magnus erat in vniuersis.

a Iud. 7.
b 1. Reg. 14. 12. 13. 15.
c 2. Reg. 5. 24. & 1. Paral. 14. 14. & seqq.
d 1. Par. 4. 17.
e 1. Mach. 4. 30. 31. 32.
f Sur. to. 1.
g Eccli. 36. 2. 6.
h 4. Reg. 7. 6. 7.
i in Thyest. act. 3. in Choro vers. 573.
k epist. 24.
l in c. 2. 43.

In populos, qui habitant sub omni cælo.] Hebraicè, atque Chaldaicè (*super faciem populorum sub omni cælo*) Græcè (*super faciem omnium gentium, quæ sub cælo*, ἐπὶ προσώπου πάντων τῶν ἐθνῶν τῶν ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ: quasi L X X. particulam כל *chol*, quæ significat omne, vel omnes, vel omnia, reperierint non ante cœlos, siue cœlum, quia hoc in duali rantùm numero vsurpant Hebræi & Chaldæi השמים *hasciamaim*, Chaldaicè שמיא *sciemaja*, sed ante nomen populorum העמים *hahhammim*, & עממיא *hhamemaja*. Rickelius, Abulensis, Lyranus, Hugo agnoscunt quasi hyperbolem, & synecdochen. Vel, *sub omni cælo*, denotat (inquit Hugo) quatuor partes ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, Austrum, non tamen quòd in omnes habitatores earum immittendus timor esset. Vel non absolutè (inquit Oleaster) sed cum sequenti modificatione, scilicet intelligendo de illis ad quos nomen & fama perueniret victoriarum populi Hebræi. Aliam R. Salomon istius dicendi formulæ, *sub omni cælo*, rationem reddidit, quòd in pugna Israël contra Sehon, & Og Sol steterit, sicut postea sub Iosue [m], & per hoc victoria nota facta fuit sub omni cœlo. Refellunt id Lyranus, Abulensis [n], Rickelius, Cornelius, Munsterus apostata; quia Moses tantum Dei beneficium non tacuisset, vel hic, vel in libro Numerorum [o]; cùm per scripturã huius libri intenderet inducere præsentes & futuros ad reuerentiam Dei & legis diuinæ: nec in Psalmis [p] qui meminerunt dictæ victoriæ de illis Regibus, prætermissum esset. Argumentum verò aliorum ex verbis libri Iosue [q] (*non fuit antea nec postea tam longa dies*) reiicit idem Abulensis [r]; quia dici ibi debuisset (*non contigit antea, nec post aliquid tale*) quod tamen falsum esset, cùm postea contigerit sub Ezechia [a]: licèt maior seu diuturnior mora stantis Solis fuerit tempore Iosue: quod affirmaretur etiam de bello contra Sehon & Og, si concederetur Solem tunc stetisse. Sub cœlo autem volantes lego [b], gentes cunctas sub eodem [c], disperdenda Regum nomina sub illo [d], vel delendum nomen Hebræi populi de sub ipso [e], vel nomen Amalec [f], vel Israël legem præuaricantis [g], quamuis tamen postea non deleuerit [h]; item sub Sole vsurpari solet in eodem casu.

m Iosu. 10.
n q. 7.
o c. 21.
p ps. 134. 11. ps. 135. 20.
q c. 10.
r supra.

Vt audito nomine tuo paueant.] Absque causali particula in editionibus aliis, *qui populi*, aut *quæ gentes, audient nomen tuum, & frement*, seu *contremiscent*, vel *turbabuntur* רגזו *ragbezu*, ὀργισθήσονται, ταραχθήσονται. *Audiuimus*, dixit Rahab [k], *quod siccauerit Dominus aquas maris rubri &c. & hæc audientes pertimuimus, &c.* & Gabaonitæ [l]; *audiuimus famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, &c.* Achior quoque Holoferni narrauit admiranda diuinę potẽtiæ opera erga populum Hebræum, quãdiu præsertim hîc in Dei culto, obedientiáque perstitit [m].

Et in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.] Hebraicè (*& dolebunt à facie tua*, seu *ante te*: vel *infirmabuntur*, vel *languescent*, vel *debilitabuntur*, וחלו מפניך *vechalu mippanecha*.) Est autem חלו *chalu* à radice חול *chul*, quod valet inter alia, infirmari, vnde חלי *choli*, *dolor*, & *plaga*. Nec eleganti caret paronomasia אחל *achel* initio versus quod *incipiam* significat, & חלו *chalu*, quod hoc loco ea quæ dixi: siquidem quod incipit, adhuc infirmum solet esse. Verbum præterea יחל *iachal*, & חלה *chalah*, habent notionem anxietatis & nisus: חיל *chil* est dolor vehementior, sicut & חלחלה *chalchalah*, qualis in renibus, aut lumbis, & in parturientibus. Apud Esaiam [n]; *torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt*, כיולדה יחילון *chaiioledah iechilun*, *repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis*, כצירי יולדה *chetsire ioledah* apud eumdem [*]: apud Ieremiam [o] *vocem enim quasi parturientis audiui, angustias vt puerperæ*; vbi cum paronomasia vel similitudine saltem soni, est initio קול כחולה *kol checolah*: *a facie mea non dolebitis*: תחילו *thachilu*: *tribulatio* [p] *apprehendit nos, dolores vt parturientẽ*, חיל כיולדה *chil chaiioledah* [q], *nũquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem* [r]? *angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem* חיל כיולדה *chil chaiioledah*: apud Nahũ [s], *defectio in cunctis renibus* בכל־מתנים חלחלה *bechol mothnaim chalchalah*. Reperitur eadem comparatio à citatis Esaia [t], *sicut parturiens loquar*: & Ieremia [u], *quomodo congemuisti, cùm venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis* [x]? *quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis: erit* [y] *cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis: erit* [z] *cor fortium Idumææ, quasi cor mulieris parturientis; angustia* [a] *& dolores tenuerunt eam* (Damascũ) *quasi parturientem; angustia* [b] *apprehendit eum* (Regem Babylonis) *quasi parturientem.* Eádem vtuntur Dauid [c], auctor [d] Ecclesiastici, Ezechiel [e], Oseas [f], Michæas [g], Christus [h] ipse: Paulus [i], Ioannes [k]. Oritur autem is adeò intensus dolor, ea maledictione prononciata in primam omnium matrem Euam, post peccatum [l]; *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos* (idest, ærumnas conceptuum, ærũnosósve conceptus) *in dolore paries.* Præ cæteris animalibus mulierẽ in pariendo infestari docet Philosophus [m], ob partium nempe continuarum diuulsionẽ difficiliorem: quãdo, vt scribit Basilius [n], ad tumorem venter insurgens, extrà fœtum pellit:

a 4. Reg. 20. Esa. 38.
b Deut. 4. 17.
c ibid v. 19.
d c. 7. 24.
e c. 9. 14.
f c. 25. 19.
g c. 29. 20.
h 4. Reg. 14. 27.
i Eccl. 13.
k Iosu. 2. 10.
l c. 9. 9.
m Iudith 5. 10.
[margin, at the beginning of the second column's citations:] c. 2. 3. 11. 17. 18. 20. 22. c. 31. 16. c. 4. 1. 3. 7. 15. c. 5. 12. 17. c. 6. 1. c. 7. 3. 4. c. 8. 9. 15. 17. c. 9. 3. 6. 9. 11. Ier. 10. 11. Thre. 3. 66. Bar. 2. 2. c. 5. 3. Lucæ 17. 24. Act. 4. 12. Coloss. 1. 23.
n c. 13. 8.
* c. 21. 3.
o c. 4. 31.
p c. 6. 24.
q c. 13. 21.
r c. 50. 43.
s c. 2. 10.
t c. 26. 17. & 42. 14.
u c. 22. 23.
x c. 30. 6.
y c. 48. 41.
z c. 49. 22.
a v. 24.
b c. 50. 43.
c ps. 47. 7.
d c. 48. 21.
e c. 30. 16.
f c. 13. 13.
g c. 4. 9. 10.
h Ioan. 16. 21.
i Rom. 8. 22.
k Apoc. 12. 2.
l Gen. 3. 16.
m 7. de hist. anim. c. 9.
n 10 ps. 114.
Partus mulierum cur cæterorum animalium partu difficilior ac magis molestior.

deinde partes illæ genitales diuexatæ, & circum prodeuntem ex vtero fœtum distentæ, conuulsionibus ac fibrarum contractionibus acutissimos dolores & vehementes cruciatus parienti gignūt. Id experta quædam dixit, quòd mallet decies sub armis de vita decernere, quàm semel parere; vel ter in bello sub clypeo stare, quàm semel parere[a], ὡς τρὶς ἂν θέλοι παρ' ἀσπίδα στῆναι ἢ ἅπαξ τεκεῖν. Vox etiam est parturientis apud Comicum[b].

Miseram me, differor doloribus:
Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

In ipso partu Rachel obiit[c], & oxtus Heli vxor Phinees[d], aliæque, de quibus Plinius[e]. Quo in discrimine tāto præsens freqoētet affuit, à S. Ignatij nostri patrocinio, ac planè diuinum remedium. Lege disputatā in commentario ad Psalmum 47.[f]; *ibi dolores vt parturientis.* Cæterùm Lyranus, & Rickelius referunt tremorem in morem parturientium ad corpus, & dolorem ad cor, tanquam quid tum externum, tum internum.

a Euri. apud Lucian. in Gall.
b Terent. in Adelph.
c Gen. 35. 17. 19.
d 1. Reg 4. 19.
e l 7. c. 9.
f vers. 7.

Vers. 26.] Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens:

Vers. 27.] Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Vers. 28.] Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus. Tantùm est vt nobis concedas transitum,

Vers. 29.] Sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec ventamus ad Iordanem, & transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

PARAPHR. VT innotesceret omnibus impietas & inhumanitas Amorrhæorum, atque sic quodammodo complerentur iniquitates eorum[g], nec vllam prætendere possent excusationem, quòd ipsosum regionem Hebræi vi occuparēt, & illos delerent, missa legatio est ad eorū Regem Sehon, quæ liber per eius ditionem transitus impetraretur: quáuis non ignoraret Moses contumaciter denegandū. Honestæ verò conditiones propositæ sunt, de nullo inferendo damno: & allata exempla gentium aliarum, quæ similem per suas terras transitū concesserant; videlicet Idumæorum, & Moabitarum. Nam Moabitæ transitum nonnullum dederant in limitibus Ar Hebræis: paulò autem pòst videntes ab eis cæsum Regem Sehon, sibi timere cœperunt, præsertim cùm accederent alio flexu ad ipsos: quare aduocarunt etiam Balaam, vt malediceret Hebræis; nolentes permittere vt transirent per aliud extremū terræ Moab occidentale in cāpestribus seu planioribus, cōtra Phogor apud Iordanem, quod oppositum priori orientali in Ar, per quod tā antea trāsierant. Demonstrat hoc Abulēsis[h] de Moabitis: quódque per totam terrā Moab Hebræi non transierunt, quia volebat Deus eos deflectere ad Amorrhæos, vt eorum prouinciam occuparent: & vt vitarent occasionem pugnandi aduersùs Moabitas, quorum terram relinqui volebat filiis Lot, nec inuadi ab Hebræis: quamuis eo quòd transitum conueniētem denegassent, nec occurrissent cum pane & aqua in via, etiam post decimam generationem ab Ecclesia Domini arcesi Dominus iusserit[a]. Quòd autem hi transierint per terminos Idumæorum, qui etiam vocantur filij Esau, patet ex dictis iam inde ab initio præsentis capitis: licèt in cap. 20.[b] prioris libri narretur missa legatio ad Regem Edom, sed ab hoc transitus denegatus. Et in c. 21.[c] quòd inde deflectentes petito nec impetrato transitu à Sehon Rege Amorrhæo, irrupit in eius regnum vi populus Hebræus; & occurrentem cum armis alterum Regē Amorrhæorum Og expugnauerunt. Hugo docet quòd Idumæi reuera negauerunt transitum Hebræis per terram suā, sed concesserunt iuxta illam in finibus: atque hoc idē postulasse à Sehon Hebræos, Lyranus & alij consentiunt; & non solùm quod R. Salomon voluit, allata venalia alimenta, prohibitum verò transitum. Sed Lyranum fefellit meritò Abulensis, asserentem propterea missam ab Hebræis pacem priùs Amorrhæis; quia c. 20.[d] præcipitur, vt cùm pugnare vellent contra aliquos extra terram promissionis, illud obseruarent; erant autem Amorrhæi extra ipsam. Nam ibidem[e] additur, vt tunc in bello interficerentur viri dumtaxat, paruuli reseruarentur & mulieres: in isto autem, quod gestum est aduersùs Amorrhæos tam mulieres, quàm paruuli perierunt, vt habetur inferiùs[f]. Deinde Amorrhæorum terra computari potest inter terras promissas; vt constat ex Genesi[g], Exodo[h], Deuteronomio[i] nostro & aliis locis. Peculiari tamen modo vltra Iordanem regio Chanaan cēsebatur terra promissionis, præsertim postquā iam esset acquisita regio duorum Regum Amorrhæorum, & duabus tribubus tradita Ruben & Gad, dimidiæque tribui Manasse. Iuxta primam verò acceptionem terræ promissæ, vt comprehendit etiam terram Amorrhæorum, concedi debet Mosem intrasse in terram promissam; quia ipsemet debellauit eam: secundùm aliam vetuit Deus, vt non intraret, nominatim exprimens, quòd non transiret Iordanem[k]. In quo ipso sensu dictum est ei, quòd non intraret in terram, quam daturus erat Dominus filiis Israël; sed tantùm visurus esset, nempe ex monte Abarim[l]: quorum neutrum concessum est nec Aaroni nec Mariæ; nisi fortè visio nonnulla confusa priori. Reperit porrò Rabanus hoc loco, & ex eodem Glossa, tropologiam de Sehon, pro diabolo, quod est germen inutile, vel arbor infructuosa, vel est elatus; de Israël pro populo Christiano, qui per viam mundi huius cupit transire, & ad cœlestia regna peruenire: hunc mittere ad illum verbis pacificis, promittendo se tantùm transiturum, & quidē regali via, quando in Baptismo abrenonciat diabolo, pōpis eius, operibus, omni seruitio, voluptatibus; nec sumet disciplinam cuiuslibet doctrinæ, quæ contra pietatem sis, vt astrologicæ (scilicet iudiciariæ) magicæ (nempe superstitiosæ) sed bibet de fontibus[m] Saluatoris, neque derelinquet fontē aquæ viuæ[n]: incedet via regia, quæ est Christus idem via[o]; idem Rex[p]: Amorrhæos, qui loquentes, aut amaricantes exponūtur etymologicè, esse Poëtas, Astrologos, Philosophos ad amaritudinem Deum prouocantes, inaniaque tantùm loquentes, cùm regnum Dei sit non in sermone, sed in virtute[q]: velle fideles cū pace transire, atque pacificos esse etiā cū inimicis pacis[r]; & magis offendere principem oīūdi, quòd se cū illo nolle morari dicūt, nec aliquid eius contingere, proinde magis persequi, pericula suscitare, cruciatus intentare, congregare populum

g Gen. 15. 16.
h q. 8. & 9.
a Deut. 23. 2. 3.
b v. 14. & seqq.
c vers. 21. & seqq.
d vers. 10.
e v. 16. 17.
f vers. 34.
g c. 15. 16. 21.
h c. 3. 8. 17. c. 13. 5. c. 23. 23. c. 33. 2. c. 34.
i Deut. 7. 5. c. 20. 17.
k Deut. 3. 27.
l Num. 27. 12.
m Esa. 12. 3.
n Ierem. 2. 13.
o Ioan. 14. 6.
p Ps. 71. 5.
q 1. Cor. 4. 20.
r Psal. 119. 7.

populum suum, exire vt confligat, per Principes & iudices mundi, cunctósque nequitiæ ministros: populum Dei venire in Iasa (quod interpretantur impletionem mandati) quoniam qui ad hanc venit non timet Sehon, idest, diabolum, vel exercitum eius; sed superat eum, exercitúmque ipsius, Deusque conterit Satanam sub pedibus [a] illius, & potestatem dat calcandi super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici [b]. Oleaster ethica monita elicit; licèt belli iusta causa sit, non ineundum priusquam verbis pacificis præmoneamus: transitum per viam publicam negari non debere, dummodo quis de non inferendo damno & sarciendo, fidem præstet; quod æquè de transitu per prædia verum est: patientiam & tolerantiam hic iniunctam, & à Deo ipso veluti sensatam tum in pacificis verbis, tum in declinando ab aliena ditione, & per aliam viam deflectendo, imitandam esse. Quò referri posset siue historia, siue apologus de filio, qui cùm domo egressus rectà omnino intendere statuisset, obuia quæque diruebat, quæ rectum cursum impedire aut remorari videbantur. Seraphinus Capponus obseruat, etiamsi Mosi reuelatum esset & Sehon Regem in potestatem redigendum, & quòd timori cunctis futurum esset vel nomen dumtaxat ipsius auditum; tamen elatum animo non fuisse, nec duris Sehon verbis, sed pacificis excepisse, atque honestam ad eumdem legationem destinasse: ad eumdem modum debere quemlibet nostrum de mentis modestia non dimoueri, aut ab exercitio bonorum operum non cessare, quamuis diuinis reuelationibus, ac de ipsamet prædestinatione nostra, illustremur & confirmemur. Deinde curandam alterius, quantum in nobis est, salutem, atque cum quolibet humiliter, & secundùm charitatem, agendum; licèt præuideamus irritum laborem & conatum futurum, propter malitiam illius: hoc autem modo se gerere, & in meritum ac laudem nostri ipsorum, & in Dei, cuius ministri sumus, honorem redundare. Comprobantur eadem ex iis, quæ idem Moses quondam cum Pharaone transegerat tum dictis, tum factis: præterea ex tot beneficiis, quibus reprobos quoque afficit Deus, quos iis prænouit abusuros, ac reatum inde maiorem contracturos. Infert postremò, improbos exemplo Sehon intumescere, cùm alios erga se humiles experiuntur: atque in partem deteriorē beneficia interpretari.

a Rom. 16. 20.

b Luc. 10. 19.

Explanatio.

Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth.] De vocabolis מַלְאָכִים *malachim*, & ἄγγελοι, Chaldæo etiam nomine אִזְגַּדִּין *izgaddin*, & Latino *nunciorum*, alibi [c] dictum est: quorum primum Angelos quoque significat, idest, spiritus illos, quos Deus fecit angelos [d], idest, nuncios ac ministros suos. Cademoth Abulensis putat alio nomine vocari Matthana, esseque in introitu regni Sehon, post torrentem Arnon, vt patet, inquit, Numerorum c. 21. Ibi [e] nominatur Matthana: &, vt eo loco monui, Antonius Fonseca Caietani Scholiastes, à Dibongad non distinguit. In Paralipomenis [f] trás Iordanem (idest, citrà, respectu tendentium ex Ægypto in Chanaan) ex aduerso Iericho contra Orientem Iordanis cōstituitur Cademoth. Hieronymus tractatu de locis Hebraicis tradit Cademoth desertum fuisse, ex quo loco misit Moyses ad Sehō Regem Amorrhæorum: & in tractatu de nominibus item [g] Hebraicis affert etymō, à principio mortis, siue, principium mortis; Beda, principium mortis, vel mare mortuum, dicens quòd Cad significat mare. Quidquid sit de notatione (præter quas Arias [h] reddit aliam, quasi dicas antiquarias vel

c in Num. 21. 21.

d Ps. 103. 4.

Cademoth.

e vers. 18. & 19.

f l. 1. c. 6. 79.

g de Dem.

h in Ios. 13.

antiquas, Hispanicè Antiqueras) cùm Cad pro mari non loquentium קֶדֶם *kedem*, necnō קַדְמָה *kadmah*, & קִדְמָה *kidmah*, principium valeat, קְדֵמוֹת *kedemoth*, à קֶדֶם *kedem* propter ה *he* finale indicans motum ad locum, ad Oriētem; mortem מוֹת *moth*: Adrichomius [a] distinguit duplicem Cademoth, vnam cuius hic mentio fit pro solitudine, siue deserto: aliam in citato loco Paralipomenon, quæ aliter appellatetur Cedimoth, & Iethson, & Cedson, esséque ciuitas Leuitarum nominata in libro Iosue [b] sub duobus vltimis vocabulis. Andreas [c] Masius Cedemoth aut Cademòth oppidum fuisse scribit, à quo circa Arnonem confragosa & salebrosa loca nomen solitudinis Cademoth habuerint, vnde ablegati illi Mosis ad Sehonē abierint.

a thea. terræ sanctæ in Ruben. num. 21. 22. 40.

b c. 21. 18. c. 21. 36.

c in Ios. 13.

Ad Sehon Regem Hesebon.] Exposita sunt hæc quoque alibi [d] nomina, & res iis subiectæ, & ostensúmque sic meliùs exprimi, quàm absque aspiratione Seon, & Esebon, quia Hebraicè scribuntur סִיחֹן *sichon*, & חֶשְׁבּוֹן *chesbon*; præterea eut peculiariter diceretur Sehon Rex Hesebon, qui dicebatur aliàs Rex Amorrhæorum, sicut & Og Rex in eadē regione, denominabatur rex Basan: posttemò quòd pertinuerat olim Hesebon ad Moabitas.

d in Num. 21. 21. 25.

Verbis pacificis.] Hebraicè & Chaldaicè, *verbis pacis*, דִּבְרֵי שָׁלוֹם *dibre scialom*, פִּתְגָמֵי שְׁלָם *pithghame sclam*. Dicuntur Iethro & Moyses salutauisse se mutuò verbis pacificis [e]: & quidam Micham eodem modo [f]; & princeps tributorum ab Antiocho missus in Ierusalem locutus verba pacifica [g]; sed in dolo [g], sicut & Alcimus & Nicanor, ab eísque missi, ad Iudā fratrésque illius [h]: & Demetrius rex misisse epistolam ad Ionatham verbis pacificis vt faceret pacem cum eo [i]: & rex Ægypti exiisse in Syriam verbis pacificis quærens obtinere regnum Alexandri [k]: & Iudas ad habitatores Ephron misisse verbis pacificis [l].

e Exod. 18. 7.

f Iud. 18. 15.

g 1. Mach. 1. 30. 31.

h c. 7. 10. 15. 27.

i c. 10. 3.

k c. 11. 2.

l c. 5. 47.

Transibimus per terram tuam.] Primæ personæ verbo vtitur editio Hebræa & Chaldæa אֶעְבְּרָה *ebbberah*, אֶעְבַּר *ebbhar*: Græca item Bibliorum Cōplutensium atque Regiorum παρελεύσομαι: quamuis in emendatis sit παρελευσόμεθα. In c. 20. Numerorum [m], *obsecramus te, vt nobis transire liceat per terram tuam*: Hebraicè *transibimus nunc*, vel *transeamus* sine *nunc*, sine *obsecro*, נַעְבְּרָה־נָּא *nahbberach-na*. Chaldaicè (*nunc* כְּעַן *chebhan*) Græcè simpliciter, *prætteribimus*, παρελευσόμεθα. Lucas Brugensis notat in quodam codice S. Germani legisse se numero singulari (*transibo*) & sequentia (*gradiar non declinabo, vende mihi vt vescar, sic bibam donec veniam, transeā.*

m v. 17.

Publica gradiemur via.] Hebraicè & Chaldaicè (*in via in via ibo*, בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ אֵלֵךְ *badderech badderech elech*: בְּאוֹרְחָא בְּאוֹרְחָא אֵיזִיל *beorecha beorecha ezal*: Græcè *in via ibo*, ἐν τῇ ὁδῷ πορεύσομαι. Citato ex Numeris loco pro via publica habent editiones aliæ *viam regis*, siue *regiam*, דֶּרֶךְ הַמֶּלֶךְ *derech hammelech*, אוֹרַח מַלְכָּא *orach malcha*, ὁδῷ βασιλικῇ. Rursus in c. 21. [n] libri eiusdem numero singulari (*obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam*) quem numerum retinent editio Hebræa & Chaldæa; pluralem verò habet Græca, & carent particula, pro qua in Græca est *obsecro*: & Latina viam regiam vsurpat sicut aliæ. Adi locorum illorum nostrum commentarium: vbi docui aliter in capite [o] priore *viam* appellari: & *regiam* nominari, per quam regibus cum totis copiis esse iter potest: *publicam*, cuius solum est publicum: & de cuius iure rex seu Princeps tantùm cognoscit.

n v. 22.

o v. 17.

Non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.] Singularis numeri verbum est in editionibus Hebræa Græcáque אָסוּר *asur*, ἐκκλινῶ:

quasi Mosis nomine legatio fieret; vel certè sumitur collectiuè populus. De formula verò ista satis egimus citato c.20.[a] præcedentis libri.

Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur, aquam pecunia tribue, & sic bibemus.] Conueniunt editiones reliquæ in verbis & pronomine singularis numeri: pro alimentis est אֹכֶל *ochel, cibus*, & שֶׁבֶר *ibibura, frumentum*; sed pluraliter habentur Græcè βρώματα: pro pretio & pecunia *argentum*, כֶּסֶף *chesceph*, כַּסְפָּא *chaspa*, ἀργυρίου: pro verbo *vende*, Græcum ἀποδώση, quod etiam repetitur, idest, *dabis*, seu *tribuet*; Hebræum cum affixo תַּשְׁבִּרֵנִי *thasbirini, franget mihi*. Quod legimus in Genesi[b], *audiens autem Iacob quod alimenta venderentur in Ægypto*, & Græcè ὅτι ἐστὶ πρᾶσις σίτου, *quia est venditio tritici*, habetur Hebraicè כִּי יֶשׁ שֶׁבֶר *chi ies scemer*, quod est *fractio*, idest, inquit Oleaster, cibus ad frangendam famem. Ibidem in cap.41.[c] cùm scribitur Latinè quòd Ioseph vendebat, Græcè ἐπώλει, Chaldaicè זַבִּין *Zabbin* in eadem significatione, in textu Hebræo per verbum שָׁבַר *sciauar, frangere*. In c.47.[d] שֶׁבֶר *scemer* eumdem vsum habet, sed שֹׁבְרִים *sciouerim* ementes denotat, quemadmodum ibidem ἠγόραζον, *emerunt*: vbi nostra editio ponit venditionem frumenti; & reddidit Oleaster eamdem rationem de fame frangenda. Dicitur quoque מַשְׁבִּיר *masbir* de Iosepho vendente ac distribuente frumentum. Iubemur frangere esurienti[e] panem; queritur Ieremias[f] defuisse, qui paruulis eum frangeret: frequens in Testamento[g] nouo frangendi & fractionis ista acceptio; ex illa autem iussione sub fractionis vocabulo Augustinus[h] colligit neminem ab eo excusari, cùm frangere possit, quantumlibet pauper, cui panis vnicus sit, & ex illo alteri pauperi tribuere. Inferunt eodem nomine, verbóque frangendi Chrysostomus[i], & Oecumenius[k] frugalitatem. Quod ad eucharisticum verò pertinet panem, propterea illi dictas voces aptari existimant, quia initio vnus tantùm panis consecrabatur, deinde diuidebatur manu potius quàm gladio, vt pluribus communicaretur; quod hodiéque factitant Græci ac Æthiopes: vitat autem Ecclesia Latina, ne qua inde mica defluat. Consule quæ ad actuum Apostolorum caput secundum[l] disserui. Addi posset quòd apud Romanos distingui solerent panes in quadras, iuxta id Virgilij[m],

—— patulis nec parcere quadris.

in cuius enarratione congerit eruditè multa Cerda noster, exhibens etiam huiusmodi figuram placentæ ⊕ cuius quæque pars quadra diceretur, quia quarta pars integræ: quam eodem loco poëta nominat *orbem fatalis crusti*: Seneca[n] *quadram panis*: Iuuenalis[*] *aliena viuere quadra*: Horatius[o] findi quadram dicit: Martialis[p] *sectam quadram*: Græci ἄρτον, τετράφυρον: Gregorius[q] Magnus signari solitos signo crucis panes crudos, vt per quadras quatuor partiti videantur. Legantur præterea de placenta in quadras secta, commentator Moreti Virgiliani Scaliger, Raderus noster Martialis, Baronius in annalibus[r]: de ipsa verò integra loci præsentis sententia sufficiant quæ dixi citato libri prioris c.20.

Tantùm est vt nobis concedas transitum.] Hebraicè, Chaldaicéque (*tantummodo transibo in pedibus meis*, seu *pedibus meis*, seu *pedes pedestérve*, בְּרַגְלַי *beraglai*, τοῖς ποσί.) Exponit Oleaster ac si diceretur: non ducam exercitum, aut non ad modum exercitus incedam, sed pedes siue pedites omnes transibimus: aut omnia mihi pretio vendes; sed solum transitum, quo pedibus meis transibo, gratis concedes. Vel supplendum, ait, erit illud quod additur in c.20.[a] Numerorum (*tantùm non verbum*, רַק אֵין דָּבָר *rak en dauar.*) Ibi præterea subditur mox בְּרַגְלַי אֶעֱבֹרָה *beraglai ebbeurah, in pedibus meis transibo*: & Chaldaice eodem pacto, paulóque pluribus exponendo (*verumtamen non erit res vlla quæ tibi nocere possit, pedibus meis transibo:*) Sed Græcè, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν ἐστι, παρὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα, *iuxta montem transibimus*: Latinè autem tota sententia (*nulla in pretio difficultas: tantùm velociter transeamus*) Eodem loco dicta transferri huc possunt; quibus ostendi expeditum ac velocem transitum significari pedestri itinere per viam publicam, regiam, tritam, vt non essent inscendenda iumenta ad montem scandendum.

Sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir.] Habetur in aliis editionibus (*sicut fecerunt mihi*, &c.) Fecisse autem id istos, hoc est, transitum tandem concessisse, quem priùs negauerant[b], antea docui: & alibi filios Esau fuisse Idumæos; & quis esset mons Seir.

Et Moabitæ qui erant in Ar.] Idem de his obseruauimus, quòd scilicet aliquando negatum transitum[c], postea concesserint. Hi ipsi in isto[d] capite appellabantur filij Lot; quemadmodum & Ammonitæ[e]. Nomen Ar occurrit iam priùs bis in isto[f] capite, ac in libro[g] præcedente semel.

Donec veniamus ad Iordanem.] Secundùm alias editiones (*donec transeam*, עַד אֲשֶׁר אֶעֱבֹר *hhad ascer ebbeuor*, עַד אֶעֱבֹר *hhad ebbbar*, ἕως ἂν παρέλθω. Transeundus erat Iordanis, vltra quem erat promissa terra. Hunc transitum editio nostra sequenti membro expressit.

Et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.] Dixi transeundi verbum extare iuxta editiones alias in numero singulari: pro futuro autem verbi dandi, Græcum δίδωσιν præsentis temporis est: Hebræum autem participium נֹתֵן *nothen*, & Chaldæum יָהֵב *iaheb* admittit omnia tempora, dans est, fuit, erit. Non erit Dominus daturus Mosi terram: idcirco quæ dicuntur in prima persona singularis numeri secundùm reliquas editiones, si de Moyse accipiantur, intelligentur de illo ratione populi sui: vel collectiuè de populo, velut de persona vna.

a v.17. b c.40.1. c v.56. d v.14. e Esa.58.7. f thre 4.4. *Frangendi verbū quid inferat.* g Matth.14.19.c.15.36.c.26.26. Marci 6.41.c.8.6.19.c.14.22. Lucæ 9.16.c.24.30.35. Act.2.42.46.c.20.7.11.c.27.35. 1. Cor.10.16.c.11.24. h ser.20. de temp. i in actuū 3. k ibid. l vers.42. m 7.Æn v.115. vide etiā in Moreto eiusdē, *Formas opus.* *Placenta in quadras secta.* n 4 de ben. c.29 * Saty.5. o l.1.ep.17. p l.3.epig.76.vel 77.l.6.epig.75.l.9.epig.92. q 1.Dialog.c.11. r tom.1. edit.4.pag.546.

a vers.19. b Num.20.20. c Deut.23. d vers.9. e vers.19. f v.9.18. g c.21.25.

Vers. 30.] Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.

PARAPHR.

QVare transitum per terram suam denegauerit Hebræis rex Hesebon, cui nomen Sehon, reddit Moyses; quoniam decreuerat Dominus illam tradere ipsis propter iniquitates alias Amorrhæorum; tum propter istud quasi complementum earumdem obstinatæ mentis ac pertinaciæ inhumanitatis, nolentium honestæ iustæque petitioni, quæ iuri naturæ & gentium consentiebat, acquiescere. Quæ duritia cordis, & voluntatis, tanta erat; vt videri quodammodo posset non ab alio, quàm à Deo ipso, in cuius manu, non regis dumtaxat, sed omnium corda sunt, & quocumque vult inclinat[g], effici potuisse: quemadmodum indurasse dicitur cor Pharaonis, & aliorū[h]; eos item errare faciendo[i], præterea excæcare cor, aures aggrauare, oculos claudere, ne videndo, audiendo, intelli

g Pro.21.v. h Exo.4.21.c.7.3.c.9.12.c.10.1.20.27.c.11.10.c.14.4.8. Iol.11.20. i Esa 63.17. Ioan.12 40. Rom.9.18.

a Esa. 6. 9. 20. Matth. 13. 14. 15. Marci 4. 14. Lucæ 8. 10. 11. Ioan. 12. 40. Actuum 22. 26. Ro. 11. 8. b Rom. 1. 28. c Iere. 20. 7. d Iob 12. 24. e Esa 19. 14. f 2. Thess. 2. 11. g 2. Reg. 16. 10. h Ps. 104. 25. i in Actuũ 28. 26. k q. 10.

intelligendo conuerterit illos, & sanaret [a]: adhæc tradere in reprobum sensum [b], seducere [c], seu decipere [d]: miscere spiritum vertiginis [e], mittere operationem erroris [f], præcipere alicui vt maledicat [g], conuertere cor aliquorum vt oderent alios [h]. Quæ loquendi formulæ vt alibi [i], debent intelligi de subtractione maioris auxilij gratiæ, vel auxilij congrui, cum quo præsciebat Deus infallibiliter, tametsi liberè emolliendum cor fuisse: præterea de collatione quorumdam munerum siue naturæ, siue etiam gratiæ, quibus abusuros præuidebat ad malum illos quibus concederentur; adhæc de terrore, vel pœnis corporalibus, ex quibus occasionem caperent maioris pertuicaciæ: cùm simul tamen sufficiens gratia & necessaria nulli denegetur, vt hoc etiam loco docet Abulensis [k]. Sed huic non assentior, cùm ait in pœnam præcedentis peccati Deum alicui denegare gratiam, ita vt bene agere nullo modo possit, atque id quidem cùm ad certum quis vel peccati genus, vel plurium cumulum peruenerit. Concedo ea denegatione tanti, vel talis auxilij in pœnam prioris peccati, sequi vt quis peccet; quamuis Deus hoc non intendat; sicut nec iudea intendit blasphemiam, aut odium ex tormẽto quod infert iustè alieni, etiamsi sciat secuturum. At vt quis verè, propriè, liberè in isto particulari actu peccare censeatur; oportet vt possit non peccare, & consequenter, vt etiam tunc habeat auxilium sufficiens, quo valeat resistere tentationi, & abstinere à peccato, & remouere excitatem & obdurationem, quibus stantibus non potest quis moraliter videre, vel cedere. In eo autem quod quis hic & nunc vitare nullo modo potest; non est dicendus peccare: perinde ac nec mereri, si in actu primo per aliquid physicè prædeterminetur voluntas ad bonum, vt contingit in beato. Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, inquit Augustinus [l]: obdurare Deum est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo fit homo deterior; sed tantùm quo fit melior non erogatur [m]: cùm dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis, atque consentit; vincitur, capitur, trahitur, possidetur [n]: sic cæcæat, sic obdurat deserendo, non adiuuando; quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest [o]. His affinia sunt illa Rabani hoc loco, cuius rei iustitiã si quærimus, inscrutabilia sunt iudicia Dei: iniquitas autem nõ est apud Deum. Quæ sunt eiusdemmet Augustini verba hoc loco [p], qui etiam notandum monet confortatum cut posse dici etiam in malo, quo fit, vt meritò reprehendantur & puniantur obdurati, quia culpa sua in obdurationem incidunt, atque perseuerant in eadem, & qui excæcati sunt, possunt ex cæcis fieri videntes [q], ita vt excusationem non habeant de peccato suo [r]. Rabani recitata verba repetit Glossa ordinaria. Interlinearis autem exponit induratio-tionem, quia permisit Deus indurari, exigentibus peccatis. Hugo ait propriè loquendo falsum esse quòd subtrahat Dominus gratiam suam, vel elonget: exponendum verò per negationem omnimodam, quia non conseruat gratiam, vel non prohibet hominem à peccato. Lyranus tamen declarat indurationem, inquantum Deus iusto iudicio propter demerita hominum, subtrahit eis gratiã, vel non infundit: & quia effectus gratiæ est mollificare; ideo ad eius subtractionem sequi indurationem cordis, & obstinationem in peccatis. De Abulense iam diximus; explicat verò Rickelius, quòd

l epist. 105. m 1. ad Simplic. q. 2. circa med. n 5. in Iulia. c. 3. o tract. 53. in Ioan. p q. 2. q Idē ibid. r Ioan. 15.

non influit Deus malitiam, sed sponte conceptam non aufert: & quod hîc additur (*vt traderetur in manus tuas*) accipi posse non solùm consecutiuè, sed etiam causaliter tanquam malum pœnæ; & Deum ita deseruisse Amorrhæos, vt illam incurrerent pœnam, scilicet interfectionem ab Israelitis. Interpretatur Caietanus indurationem negatiuè, quatenus dimittit Deus hominem sibi ipsi; & spiritum de parte superiore, corde inferiore; quódque spiritum regit durum, idest, non cedentem petitionibus, reddidit; & nun dedit ei gratiam acquiescendi, & cooperatus est ad affectum securitatis, boníque proprij: præterea roborauit eum ad affectum boni victoriæ; & quòd tam negatio gratuiti auxilij, quàm cooperatio diuina in internis motibus regis ad sensibile bonum, ordinata sunt ad dandum eum in manum Israël, ad diuinam gloriam. Oleastri sententia est, quòd illud positiuum *nolle*, quo Sebon nolebat concedere transitum, Deus conseruauit, vtque non cederet petentibus: per spiritum autem intelligi aut fortitudinem, determinationémque intellectus, aut iram conceptam contra Israël: per cor voluntatem. Possunt hæc, & similia Catholicorum dicta sumi secùdùm id quod antea tradidi ex Augustino; cauẽdaque in primis hæreticæ loci præsentis glossæ, quòd non tãtùm indurationis Deus censeatur permissiua causa: verùm etiam per se ac propriè auctor. Idem Augustinus quodam sermone [a], præter illa quæ attigi, docet, quòd obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione, vel indulgentia, generatur: quòd nemo cùm Paganis aut Manichæis, Dei iustitiã reprehendere, aut culpare præsumere debet, sed certissimè credere, quòd Pharaonem (idem est de Sehó, alijsque) non Dei violentia, sed propria iniquitas, & indomabilis superbia cuncta Dei præcepta toties fecerit obdurari: ita vt (*ego indurabo cor eius*) significet cùm abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua, cùm suspendo plagas meas & flagella per indulgentiam meam, eum contra me indurari permitto; sicut quando quis dicit, ego te talem feci, ego tibi patcendo proteruiam tuam negligentiámque nutriui: quòd his modis aliquos induret Deus, quia pro ingenti cumulo peccatorum, non tanquam filij ad emendationem merentur corripi, sed tanquam hostes permittuntur indurari.

a ser. 88. de temp.

Noluítque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum.] Hebraicè, Græcéque (*noluit nos transire per eam*) idest, per terram suam, δι᾽ αὐτῆς: Chaldaicè (*dimittere nos transire per terminos suos*) לְמִשְׁבְּקָנָא לְמֶעְבַּר בִּתְחוּמֵיהּ *lemishbekana lemehbbar bithchumeh*. In c [b]. 21. prioris libri scribitur, quòd Sehon concedere noluit vt transiret Israël per fines suos.

Explanatio.

b vers. 23.

Quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius.] Pro pronomine (*tuus*) quod editioni Hebrææ atque Chaldææ consentit, ea Græca editione, quæ habet (ἡμῶν) verti debet (*noster*.) Vtrouis modo emphasim continet oratio, singularem indicans Dei amorem & curam erga populum suum. Quo autem pacto induratio tribui possit Deo, declaratum est prius: & quòd spiritum accipiat Caietanus huc loco pro parte animæ nostræ superiore. Oleaster pro quadam animæ fortitudine ac determinatione intellectus; quæ videlicet pertinet etiam ad partem dictam superiorem; vel pro ira; quod ipsi magis placet. Non est dubium, quin spiritus in sacra Scriptura רוּחַ *ruach*, πνεῦμα multa significet, vt Angelum, diabolum, animam, animum siue mentem, voluntatem,

Spiritus in Scriptura quid denotet.

tatem, aërem, ventum, Dei reuelationem, ecstasim, gratiam donúmve spirituale, vim, indignationem iramque, vt exemplis docet in indice Sà noster. Pro animo vel mente affertur ex Marco [a]: *quo statim cognito Iesus in spiritu suo*, &c. ex epistola ad Galatas [b]; *nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus*; ex ea quæ est ad Hebræos [c]; *pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus*. Pro indignatione citatur Esaias [d]: *spiritus eius velut torrens inundans*: & Zacharias [e]; *requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*. In vltima acceptione sumi præterea potest illud cantici Mosaici [f], *in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ*, idest, in impetu, impulsu, indignatione; & Psalmi 138 [g]; *quò ibo à spiritu tuo?* Et sunt qui eodem sensu interpretentur auferri à Deo terribili spiritum Principum [h], id est, fastum, irámque.

a c.2.8. b c.5.5. c c.4.12. d c.30.28. e c.6.8. f Exod.15.8. g v.7. h Ps.75.13.

Et obfirmauerat cor illius.] Significat אִמֵּץ *immets*, & הִקְשָׁה *thekeph*, & ἴσχυσεν *roborauit*, *confortauit*, *forte reddidit*. Glossa interlinearis recitat ex LXX. (*confortauerat*) atque id in malo accipi, sicut illud ex Psalmo [i], *Conuertit cor eorum vt audirent* (*odirent* scribi debet) *populum eius, & dolum facerent in seruis eius* (aliàs *in seruos*.) De modo istius obfirmationis, confortationísve dictum priùs simul cum induratione.

i Ps.104.25. *Obfirmandi verbum.*

Vt traderetur in manus tuas.] Sic etiam in editione Græca passiuè ἵνα παραδοθῇ: actiuè in Hebræa & Chaldæa, לְמַעַן תִּתּוֹ *lemahhan thittho*, בְּדִיל לְמִמְסְרֵהּ *bedil lememsereh*. Tradi verò in manus, aut in manu, vt Hebraicè atque Chaldaicè legitur numero singulari, idem valet, quod in potestate, prout sæpenumero annotauimus.

Tradi in manus, aut in manu quid.

Sicut nunc vides.] Iuxta reliquas editiones, (*vt in hac die*, ὡς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, כַּיּוֹם הַזֶּה *chaiioma hazzeh*, כְּיוֹמָא הָדֵין *chaiom haden*), idest, vt præsens testatur dies.

Vers.31.] Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram eius, incipe possidere eam.

Paraphr.

CVm denegasset Sehon rex Hesebon Amorrhæus transitum per terram suam, atque hoc quasi complemento, vt sæpius dixi, suarum iniquitatum [k], meruisset priuari terra sua, significauit Moysi Deus, aditi posse possessionem dictæ terræ quodam iure naturæ ac gentium; quoniam id rex ille denegasset quod concedere debebat. Hoc tamen ipsum idemmet Deus velut donum suum æstimari vult; quia iam olim eam terram promiserat Hebræo populo; ipsum eò perduxerat; regis Sehon spiritum indurauerat, córque obfirmauerat, ad eum modum, quem antea declarauimus, vt illum traderet in manu populi sui.

k Gen.15.16.

Explanatio.

Dixitque Dominus ad me.] Chaldaicè (*mihi* לִי) sed, vt crebrò vidimus, nihil interest, *dicere ad aliquem*, aut *alicui*; ac vtrouis modo (*loqui*:) etiamsi discrimen agnoscant quidam inter loqui & dicere, quasi hoc proprium sit oratorum, & eleganter facundéque loquentium, seu dispositè, ornatè, copiosè [l]: nec fortassis ita sit vsitatum, *dicere ad aliquem*, vt *dicere alicui*.

l Quintil. lib.10.c.7.

Ecce cœpi tibi tradere Sehon.] Pro *ecce*, quod etiam valet ἰδοὺ, in editione Hebræa, & Chaldæa est (*vide*, רְאֵה *reeh*, חֲזִי *chazo*) quemadmodum iam antè notaui: pro (*tibi*) Hebræa, Chaldæa, Græca editio habent (*ante faciem tuam*, siue *coram te*, לְפָנֶיךָ *lepanecha*, קֳדָמָךְ *kodamach*, πρὸ προσώπου σου) addúntque post (*Sehon*) hæc alia epitheta eius

m vers.24.

(*Hesebon Amorrhæum*.) Circa verò verbum (*vide*) quo vti dixi editionem Hebræam & Chaldæam, aduertere nos Oleaster iubet, quòd antequam donet Deus, & in potestate nostra tradat huiusmodi munus; vult nos habere oculos & videre; neque sine oculis transire, quod ipse tam oculatè nos intendit videre. Refert sanè scire atque considerare quæ à Deo donantur, vt esse grati possimus, illis respondere ac benè vti, eadem conseruare & augere.

Et terram eius.] Vt non solùm possessor, sed possessio ipsa eius obtineatur. Sic priùs versu 24. (*ecce tradidi in manu tua Sehō regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe possidere, & committe aduersùs eum prælium*.) videlicet defensiuum; quia hîc mox subditur, quòd egressus est obuiam ad prælium) & priùs offensiuum, quoniam vi patefaciendus erat transitus.

Incipe possidere eam.] Iuxta editiones alias (*terram eius*.) De vi verbi incipiendi, déque sententia integra repete dicta versu illo 24. Videtur quoque posse insinuari verbo *incipiendi*, non continuò integram possessionem obtinendam, sed cum prælij labore. Quod contingit spiritualiter in ciua regni possessione, quod in iudicio dicet Christus benedictis paratum à constitutione mundi: nam hîc interim inchoatio tantùm quædam est, gaudéntque spe in tribulatione patientes, [a] in spe beati, postea in re.

a Rom.12.12.

Vers.32.] Egressúsque est Sehon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa.

Paraphr.

EAdem paulum immutatis verbis, extat sententia in prioris libri c.21. [b] Qui concedere noluit vt transiret Israël per fines suos: quin potiùs exercitu congregato, egressus est obuiam in desertum, & venit in Iasa, pugnauitque contra eum. Vbi videtur indicari, quòd Amorrhæi priores aggressi sint populum Israeliticum, timentes ne præuenirentur ab eo, vel quia ipse iam accingebat se ad iter versùs illos, & præmonitus fuerat Moyses committere prælium. Item in libro Iudicum [c] narratur hunc in modum. *Qui & ipse, Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata egressus est contra eum in Iasa, & fortiter resistebat*. Citato loco præcedentis libri dixi simul quæ ad istius, & alterius ex libro Iudicum intelligentiam sufficiunt; ita vt vix aliud occurrat quod dicatur; sequique Rickelij consilium oporteat, qui quæ hîc deinceps habentur, necnon totius capitis tum literalis tum spiritualis sensus, ex dictis in libro præcedente petantur.

b v.23. c c.11.20.

Explanatio.

Egressúsque est Sehon obuiam nobis.] Nomini (*Sehon*) addit editio Græca *rex Hesebon* καὶ ἐξῆλθε σηὼν βασιλεὺς ἐσεβὼν: pro (*obuiam nobis*) eadem & aliæ habent, *in occursum nostrum*, vel *nobis*, לִקְרָאתֵנוּ *likrathenu*, לְקַדְמוּתָנָא *lekadmuthana*, εἰς συνάντησιν. Sic in c.21. Numerorum [d] (*egressus est obuiam*, לִקְרַאת *likrath*, לְקַדְמוּת *lekadmuth*: sed Græcè nihil respondet præter παρατάξασθαι τῷ ἰσραὴλ. In c.11. [e] Iudicum (*egressus est contra eum*.)

d vers.23. e vers.20.

Cum omni populo suo.] Iuxta cæteras editiones, (*& ipse, & omnis populus eius*.) Citato Numerorum loco Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, (*& congregauit omnem populum suum*) quod Latinè legitur (*exercitu congregato*:) & in alio ex libro Iudicum editiones aliæ se habent eodem pacto quo in proximè

Populus pro exercitu.

citato

citato: Latina verò (*infinita multitudine congregata.*) Omnis populus, exercitus, multitudo infinita sumi debent pro iis qui ad bellum idonei essent præsertim, quáuis eiuscemodi hominibus adiungere se soleant confertim alij, siue vt numero terreant; siue impetu proprio ad hostes propulsandos, siue studio nouitatis, quia dulce bellum inexpertis; siue cupiditate prædæ.

Ad prælium.] De vocabulis prælij, belli, pugnæ, dictum aliis locis, ad quæ addi posset & *certamen*. Hic est מִלְחָמָה *milchamah*, & πόλεμος: & Latina synonymè accipiuntur nonnunquam. Dicitur Sehon citatis locis pugnauisse, atque fortiter restitisse.

In Iasa.] Et istud loci nomen [a] aliàs declaratum est, & quantum ad rem, & quantum ad scribendi rationem ac etymon.

a in Num. 21.23.

Vers. 33.] Et tradidit eũ Dominus Deus noster nobis: percussimúsque eum cum filiis suis & omni populo suo.

PARAPHR.
b c.21.24.
c c.11.21.23.

Iisdem locis libri Numerorum [b], & libri Iudicum [c] narratur percussus Sehon in ore gladij, traditus à Domino in manus Israël cũ omni exercitu suo, quem ille percusserit; & Dominus Deus *Israël* subuerterit Amorrhæum, pugnante contra *illum* populo suo Israël. Hic distincta mentio de filiis Sehon fit præter populum siue exercitum ipsius. Quod exponi potest propriè de natis ex Sehon, vel de nepotibus, vel aliquo pacto seu affinibus, seu consanguineis eiusdem. Rabbi autem Salomon legens in singulari numero (*& filium eius*) significari vult filium vnum Sehon, qui sicut ille fuerit גִּבֹּר *ghibbor* fortis ac robustus, & vt explicat Lyranus, notabilis ac æqualis patri in magnitudine & fortitudine. Subdit nihilominus idẽ Lyranus posse dici secundùm translationem nostrã, quòd in Hebræo ponatur singulare pro plurali: sicut in Exodo [d]; *venit musca grauissima*, id est, multitudo muscarum. Abulẽsis explicat quòd Sehon multos habebat filios, quorum aliquos secum ad bellum adduxerit. Ponitur verò in Hebræo collectiuè vnus pro pluribus, quemadmodum in exemplo muscæ: Vel iuxta eãdem lectionem Hebræam, atque recitatam R. Salomonis opinionem, de vno gigante & forti, vt erat pater eius: vel de filiis non carnalibus, sed vt eo nomine vocantur quandoque subditi, quemadmodum filij Emor [e]. Vltimæ expositioni obstat mentio proxime facta de omni populo; per quem intelliguntur subditi. In commentario libri Numerorum [f] omnis hæc victoria exposita est, atque Iosephi [g] prolatũ testimonium; in eo bello multos ex Amorrhæis extinctos siti, alios cùm ad Arnonem fluuium tenderent, iaculis confixos; quosdam cùm ad mœnia fugerent, præuentos à fundibulariis, denique omnes ad internecionem deletos cum ipsomet rege. Fuit hæc ex prærogatiuis vna Mosis supra fratrem Aaronẽ, & Mariam sororem, nempe tam insignis de Sehon victoria, quẽadmodum paulò pòst de Og, quorum etiam terram iam olim promissam & ingressus sit, & suis diuiserit: præterea quòd Madianitas debellauerit: adeò illustrem benedictionem Balaam exceperit; terrã vltra Iordanem è propinquo cõtemplatus fuerit. De his priuilegiis agit Abulensis [h], demonstrans plus peccasse Mariam, postea Aaronem, minùs Mosem quàm illos; quod priùs etiã attigimus. Cæterum cùm hic, & alibi [i], tradidisse

d c.8.24.
e Gen. 33.19. Iosue 24.32.
f in c.21.24.
g 4. antiq. c.5.
h q.7
i Iudic.11.21

dicitur Deus hostes populo suo, sed tamen pugnanti, docemur victoriam tum externãm, tum internam & spiritualem dari à Deo, vt etiam Paulus [k] professus est, quia Deus, iuxta parœmiam agentes adiuuat. Deinde quam posset solus per se, velle labore hominum comparari victoriam, vt laudabilior sit, atque iucundior; quoniam lætatur iustus videns vindictam, manúsque suas lauat in sanguine peccatoris [b], quem ipsemet etiam fuderit. Ad hunc modum Elias pseudoprophetas propria occidit manu [c], Agagum Samuel [d], Phinees Zambrium cum scorto [e], &c.

k 1.Cor.15.57.
b Ps.57.11.
c 4.Reg.18.40.
d 1.Reg.15.33.
e Num.25.6.& seqq.

Explanatio.

Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis.] In editionibus Hebræa & Chaldæa (*in conspectu nostro* seu *ante faciem nostram*) in Græca (*in manus nostras ante faciem nostram*, εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν πρὸ προσώπου ἡμῶν.) Innuit hæc phrasis certam victoriam, vt non sint hostes à tergo & persequentes, sed præ oculis, & quos insequi & cædere liceat. Emendati codices non habent εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν: & aliqui nec πρὸ προσώπου ἡμῶν.

Percussimúsque eum.] Declarata est alibi [f] vis verbi percutiendi נָכָה *nachah*, מָחָא *macha*, πατάξαι: præterea quòd armis instructi fuerint Hebræi, ac illa vnde habuerint.

f c.1.4.

Cum filiis suis.] Monuimus paulò antè cum R. Salomone arbitrari Lyranum, & Abulensem Hebraicè legi numero singulari (*cum filio suo*) & quo pacto ea lectio exponi possit, vel de vno aliquo, vel collectiuè de pluribus. Textus habet בָּנָו *banau* cum superposita notula, quæ indicet aliter scribendum, videlicet בְּנוֹ *beno*: pluraliter verò inserendum esset י *iod* hoc modo, בָּנָיו *banau*: & apud R. Salomonẽ est בָּנָיו *banau*: sed addendo בנו כתיב *beno chethiph*, id est, beno scribe.

Et omni populo suo.] Quid populi nomine intelligatur priùs dixi, scilicet exercitum, licèt mox subiiciatur alios præterea deletos esse. Sic peccatum, ait Hugo, cum omni circumstantia sua destruendum est in confessione; iuxta illud [g]; *Perdam Babylonis nomen & reliquias, & germen, & progeniem*: item [h], *verte impios, & non erunt*; quem tamen posteriorem locum aliis modis alij declarãt, quos recitat ibi noster Salazar.

Populus pro exercitu.
g Esa.14.22.
h Prou.12.7.

Vers. 34.] Cunctásque vrbes in tẽpore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & paruulis; non reliquimus in eis quidquam.

PARAPHR.

Describuntur hæc & sequẽtia vsque ad finem capitis, in sæpiùs citato libri prioris c. 21 [i], vbi præterea etiam prouerbium quoddam seu cãticum de occupata regione ab Amorrhæis, quæ antea erat Moabitarum, quam deinde Hebræi eripuerint Amorrhæis: ibidem retuli similia hac ipsa de re testimonia ex libris Iosue [k], & Iudicum [l]: satísque multa dixisse videor pro intelligentia eorum quæ hoc loco traduntur.

i vers.24.& seqq.
k c.2.10.c.12.6.
l c.11.19.& seqq.

Explanatio.

Cunctásque vrbes in tempore illo cepimus.] Synonymum nomen ciuitatum ponitur in libro Numerorum [m]: hicque omittitur pronomen (*eius*) quod habent editiones aliæ. Chaldæum verbum כְּבַשְׁנָא *chebasna* denotat subiectionẽ: sicut & Græcum ἐκρατήσαμεν, non simplicem tantùm occupationem; ac proinde vi & armis actum esse; quod sequentia quoque demonstrant.

m c.21.25.

Interfectis habitatoribus earum.] Sensum reddidit Interpres noster, non verba: quoniam verba editionum aliarum sunt (*& anathematizauimus omnem*

omnem ciuitatem, seu destruximus,) נחרים necharem, גמרנא gammarna, ἐξωλοθρεύσαμεν.

Viri pro mortalibus.

Viris.] Hebræum nomen מתים methim per sceua, vt etiam notat hîc noster Mariana, significat *mortales*: per tsere autem מתים *methim mortuos*: aut, inquit, homines mortui vocantur, vt & a Paulo [a], corpus mortuum propter peccatum. Lege de his vocabulis commentaria [b] nostra alis. Radix dicitur à Pagnino non מות *moth*, *mori*, sed מתה *mathah*, vel מתה *methah*: & R. Elias æquè de fœminis ac de viris vsurpari vult: prior si aliam illam radicem recipias, sonare quos Galli *pauures*, *malotrus*, *trepelus* vocant, pauperes, deformes, viles, &c. plerisque locis [c] aliis occurrit. Obseruant aliqui circa punctum sceua in מתים *methim*, & punctum tsere in simili voce מתים *methim*, quòd viuens & mortuus positione tantùm differunt, & mortalis rectus incedat, sicut duo puncta in sceua (:) mortuus iaceat, sicut sunt duo puncta in tsere (..) Nescio quid sibi velint LXX. per ἑξῆς, *deinceps*, quidve legerint Hebraicè; & ab Eugubino miror non annotatum, cùm adeò diligenter hos interpretes reprehendere soleat.

a Rom. 8. 10.
b in Psl. 16. 24. Ps. 25. 4.
c Gen. 34. 30. Deut. 3. 6. c. 4. 27. c. 26. 5. c. 28. 62. c. 33. 6. Iob 11. 3. 11. c. 19. 19. c. 22. 15. c. 24. 12. c. 31. 31. Esa. 3. 25. c. 5. 13. c. 41. 14.
Viuens & mortuus sola punctorum positione differunt.

Mulieres pro statu maritali.

Ac mulieribus.] Et sexum & statum maritalem potest hoc nomen significare, quemadmodum נשים *nascim*, נשיא *nesciaia*, γυναῖκες: & qui è Græco transtulit, reddidit hîc τὰς γυναῖκας αὐτῶν, *vxores eorum*. Videtur sexus potiùs intelligendus, quia ex hoc & ex masculino interfecti sunt omnes etiam cum paruulis, ex vtroque videlicet sexu, iuxta præceptum in cap. [d] 20. libri nostri traditum, vt de ciuitatibus quæ darentur Hebræis, nullum omnino permitterent viuere.

d vers. 16.

Paruuli pro filiis.

Et paruulis.] Filius eorum vertit editio Græca, τὰ τέκνα αὐτῶν, pro Hebræa voce טף *taph*: quam [e] alibi transtulit ἀποσκευήν, & nostra *supellectilem*: sed Chaldæa vtrobique טפלא *taphla*: quæ sicut & Hebræa, significat *paruulos*. Cur de paruulis ea vox Græca Latinaque dicatur, exposui citato loco. Eugubinus hoc tandem loco ait resipuisse LXX. טף *taph* non iam *supellectilem* vertentes, sed *filios*: mirari verò se cur & in cæteris non sit id ab eis animaduersum.

e sæpe.

Non reliquimus in eis quidquam.] Græcè ζωγρίαν *captiuum*. Quam interpretationem reprehendit Eugubinus; cùm vox Hebraica שריד *sarid*, ad omnes reliquias pertineat non tam hominum, quàm rerum reliquarum. Illud (*quidquam*) referendum est ad præcedentia, id est, ad paruulos, mulieres, viros, quoniam statim fit mentio de præda quam ceperant: & significatur quòd nulli ex his concessum est esse superstitem & residuum: quæ vltima vox Latina cum Hebræa conuenit, literarum inuersione. In cap. sequenti [f] quod legitur (*percussimúsque eos vsque ad internecionem*) habetur Hebraicè, quòd non est relictum שריד *sarid*, Græcè σπέρμα, *semen*: in cap. 21. Numerorum [g] pro eadem phrasi Hebræa est Græcè, *non relictum*, ζωγρίαν, *captiuum*, seu *prædam viuam*: in c. 24. [h] pro perditis reliquiis שריד *sarid* est, σωζόμενον, *saluatum*. In Iob [i] reliqui sepeliendi dicuntur שרידים *seridim*, & περιόντες, *superstites*: in Ieremia residuus de reliquiis Iudæorum שריד *sarid*, [illegible] τῶν ὑπολοίπων: in Ioël [k] residui שרידים *seridim*: in Abdia [l] reliqui eodem vocabulo Hebræo & Græco φεύγοντες, *fugientes*. Quo autem pacto interfici queant innocentes in bello, & puniri peccata parentum etiam in filiis qui non peccauerint, alias docui.

f vers. 3.
g vers. 35.
h vers. 19.
i c. 27. 15.
k c. 44. 14. & c. 2. 32.
l vers. 14.

Vers. 35.] Absque iumentis, quæ in partem venere prædantium: & spoliis vrbium, quas cepimus.

Vers. 36.] Ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, vsque Galaad. Non fuit vicus & ciuitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.

Paraphr.

Permissa erat præda ex iumentis, aliisve animalibus, & ex spoliorum genere diuerso. Huius prædæ copia tanta tunc extitit, quàm se latè ditio Sehon regis protendebat vsque ad fines regni Og, ita vt ne vnus quidem vicus non redigeretur in potestatem Hebræi populi, Domino illum adiuuante, ac veluti dono dante. Liber [a] Numerorum possessam narrat terram Sehon ab Arnon vsque Ieboc: & quòd Israël abstulit omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus eiusdem, in Hesebon scilicet (metropoli) & viculis eius. In libro Iudicum [b], quòd possedit Israël omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, & vniuersos fines eius de Arnon vsque Iaboc, & de solitudine vsque ad Iordanem, & quòd Dominus Deus Israël subuertit Amorrhæum oppugnante cõtra illum populo suo Israël. Vbi notandum quod antea monui, sic Dominum terram tradidisse ac subuertisse hostes, vt requireret cooperationem pugnantium aduersùs illos, & illam sibi comparantium. Bonarum mentium obseruat Capponus esse, ascribere Deo omnia, quæ per eas bene fecit, idque non solùm in corde, sed etiam in locutione communi: proinde milites victoriam, Doctores, lectores, prædicatores, opifices, alios quoslibet bene gestæ rei seu negotij laudem transferre in Deum debere, qui operatur omnia in omnibus, & velle & perficere. Oleaster infert pluris fieri à Domino iniquorum substantiam, quàm ipsos: vt eos mori velit, & illam bonis seruari.

a c. 21. 24. 25.
b c. 11. 21. 22. 23.

Explanatio.

Absque iumentis, quæ in partem venere prædantiũ.] Habetur in reliquis editionibus, *tantùm, aut verùm, aut cæterùm iumenta diripuimus*, seu *prædati sumus nobis ipsis*, ἑαυτοῖς. Sub nomine autem iumentorum comprehendi debent pecora omnia, & cuiusuis generis animalis. Colligit Abulensis quæ in hoc bello rapta sunt, non esse diuisa inter euntes ad bellum, & manentes in castris, vt contigit in bello contra Madianitas [c]: quia in bello contra Madianitas hi qui remanebant in castris, nihil vtilitatis reportassent, nisi aliquid accepissent de præda: in isto contra Sehon, vt & postea contra Og, consecuti sunt ciuitates ad manendum; & rationi congruum erat, vt pro labore maiore, ij qui pugnauerant, sortirentur iumenta & reliqua spolia: quemadmodum & in alio contra Madianitas plus cessit pugnantibus, quàm iis qui remanserant in castris. Non videtur exacta ratio, quia ciuitates illas non acceperunt, nisi tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse. De modo diuidendæ prædæ consule dicta in commentario præcedentis libri [d].

Iumenta pro cuiusuis generis animalibus.
c Num. 31. 27.
d supra.

Et spoliis vrbium, quas cepimus.] Hîc quoque Chaldæum verbum est כבשנא *chenasna*, sicut in priore versu, significans *subucere*: sed Græcum ibi ἐπρονομεύσαμεν, hoc loco simplicis notionis [illegible]. Pro spoliis sunt in editione Græca numero etiam plurali, τὰ σκῦλα: in Hebræa numeri singularis שלל *scalal*. Oleaster notat ipsum thema שלל *scalal*

liil contrarias habere significationes, aut actiuam, aut passiuam, scilicet *spoliare, & spolium dimittere,* seu *spoliari*: per nomen significari *spolium*, quod dimittatur & relinquatur à victis. Adde quòd ab inuitis etiam detrahatur, eóque spolientur. Redditur alibi Latinè [a] *supellex*, & σκῦλα: [b] *spolia*, & προνομή: [c] *prædæ*, & προνομή: [d] *spolia*, & τροφή, *esca*: [e] *præda*, & σκῦλα: [f] *præda*, & διαρπαγή: [g] *spolia*, & σκῦλα. Intelligitur hoc loco varia supellex in metallis, veste, cibis, &c.

a Deut. 13. 16. — Spolia pro varia supellectile. — b c.20.14. Iosue 7.21.

Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon.] Aroër erat in parte meridionali terræ Amorrhæorum in principio partis orientalis, ac extremitas vna in regnis Sehon, & Og. Arnon torrens diuidebat Moabitas ab Amorrhæis. De vtroque loco actum aliàs [h].

Aroer, & Arnon. — c Num.31. 11. — d Gen. 49. 27. — e 1 Reg.14. 30.c.15.21. lib.2.30. 22.26.lib.3. 9.12. — f Esa.10.2. — g Esa. 33.4. Iere.21.9. Zach.14.1.

Oppido quod in valle situm est.] Editiones aliæ præfixa coniunctione. (*Et ciuitatem quæ in valle, vel in torrente.*) Græca quidem habet ἐν τῇ φάραγγι, (*in valle,*) sicut nostra: Hebræa, & Chaldæa repetunt idem nomen, quod erat in priore membro נַחַל *nachal*, & נַחְלָא *nachla*, significátque tum torrentem, tum vallem, & per torrentem aliquando redditur ab Interprete [h] nostro. Is autem hoc loco appositiuè sumpsit (*oppido*) vt refertur ad Aroër hoc pacto (*ab Aroer*, inquam, *oppido*, seu quod oppidum in valle situm est.) Dixi alibi de *oppidi*, vel opidi nomine, quid ab vrbe differat, vel ciuitate; siue ab opibus deriuetur, quibus abundet, siue ab ope, quòd ad eas conseruandas mœnia in eo construantur. Caietani opinio est non exponi Aroër, sed adiungi alium terminum.

h in Num. 32.34. & in c.21.13.

Galaad.

Vsque Galaad.] Græcè (*& vsque ad montem Galaad*, καὶ ἕως ὄρους τοῦ γαλαάδ.) Vbi terra Og regis incipiebat. De hoc loco consule quæ dixi c.16 [i]. libri præcedentis, vbi ex Hieronymo [k] retuli esse montem ad tergum Phœnicis & Arabiæ collibus Libani copulatum, extendique per desertum vsque ad eum locum, vbi trans Iordanem (idest, contra respectu habitantium in Chanaan) habitauit Sehon rex Amorrhæorum: ab eodem monte nomen simile inditum ciuitati condite in ipso. Putat Caietanus indicari per cõiunctionem præfixam in editionibus aliis alium terminum. Est Galaad terminus ad quem: sed non appellandus tertius, cùm ei terminus à quo vnus opponatur comprehensus per Aroër: cui loco descriptionis additur quod erat oppidum, &c. Mysticè Rabanus & Glossa spiritualem Israël in omnibus ciuitatibus Amorrhæorum habitare dicit, cùm in omni orbe terrarum, Christi Ecclesiæ propagantur: sed priùs vnumquemque nostrûm ciuitatem fuisse regis Sehon, seu regis elati; quia regnabat in nobis stultitia, superbia, impietas, omnia quæ sunt ex parte diaboli: & tandem facti sumus sub eo rege, qui præcepit vt ab ipso disceremus, quia mitis est, & humilis corde [l]: fauere vocabulorum notationes, Aroër subleuans, Arnon aceruus iustitiæ, Galaad aceruus testimonij: ab Aroër super ripam Arnon in valle vsque ad Galaad, non fuisse vicum & ciuitatem, quæ Israëlitarum effugeret manus, quia omnis persona cuiuslibet sit dignitatis, fastu superbiæ vel pompa confidens mundana cum persecutoribus Christianorum, qui variis eos tribulationibus angustant, vsque ad hæreticorum conciliabula, qui testimoniis sanctarum Scripturarum secundùm suum sensum deprauatis contra Ecclesiam belligerant, catholicæ veritati à Doctoribus sanctis resistere nullo modo præualent: sed in victorum cedentes manus cum habitaculis suis atque munitionibus, in dominium spiritualis rediguntur Israëlis.

i vers.29. — k de locis Hebr. — Spiritualis Israel. — l Matth.11. 29.

Non fuit vicus & ciuitas.] Vnicum nomen ciuitatis habent editiones reliquæ קִרְיָה *kiriah*, קִרְיְתָא *kartha*, πόλιον. Vici vox, vt & viculi, villę, pagi, occurrit aliquoties in aliis locis Scripturæ, súntque ferè synonymæ omnes. Deriuant vicum a viis, quòd vias habeat tantùm sine muris: vel à vicinis tantùm habitatoribus: vel quòd sit vice ciuitatis: vel ab οἶκος domus: quia domibus constat solis sine muris, vt dictum est: vel per metathesim à שׁוּק *scuk*, quod *plateam* valet. Vt autem obiter id dicam, Carthago videtur appellata à Pœnis קַרְתְּ חַדְתָּא *karth cadtha*, quasi ciuitas gaudij.

Vici etymũ. — Carthago vnde.

Quæ nostras effugeret manus.] Hebraicè (*quæ exaltauerit se à nobis, quæ superior fuerit nobis*) idest, inquit Vatablus, quæ ita natura loci munita fuerit, vt à nobis expugnata non fuerit. Verbum שָׂגַב *sagab*, valet, *erigere, exaltare, eleuare*, altius esse, quàm vt transcendi aut capi possit, ita vt munitionem includat, qualis est arcis editæ, & refugij, quod etiam vocatur מִשְׂגָּב *misgab*, & exponi adhuc *potest munimentum, propugnaculum, locus inaccessus.* Chaldaicè (*non fuit ciuitas, quæ fortior esset nobis*, תְּקִיפַת מִנַּנָא *thekephath minnana.*) Græcè ἥτις διέφυγεν ἡμᾶς, *quæ effugeret nos.* (Metaphoricè vel metonymicè dicitur ciuitas effugere, vel non effugere; & cum addito, effugere aut non effugere manus aliquorum, pro habitatoribus illius. In c.3 [a]. *non fuit oppidum, quod nos effugeret.*) iuxta reliquas editiones *quod non ceperimus ab eis.*) Apud Danielem [b] scribitur quòd terra Ægypti non effugiet, Hebraicè *non erit in liberationem*, idest, non liberabitur, לֹא תִהְיֶה לִפְלֵיטָה *lo thihieh liphletah*) Græcè, *non erit in salutem*, οὐκ ἔσται εἰς σωτηρίαν.)

Ciuitas pro habitatoribus. — a vers.4. — b c.11.42.

Omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.] Hebraicè, Chaldaicéque, *in conspectu nostro. coram nobis, ante faciẽ nostram*, לְפָנֵינוּ *lephanenu*, קֳדָמַנָא *kodamana*) Græcè, *in manus nostras*, εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν.)

Vers.37.] Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: & cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus montanis, vniuersísque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

EXceptio ponitur earum regionum, quæ erant prope Amorrhæos, & pertinebant ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos; quarum trium gentium regiones vetuerat Deus ne occuparent Hebræi, propter Lot primarum duarum patrem, & propter Esau patrem vltimæ, vt hactenus toto hoc capite fusiùs dictum est. Quare non est hîc immorandum; quia de Ieboc dixi c.21. Numerorum [c]: & per vrbes montanas Idumæa videtur intelligi, quæ apud Abdiam [d] habitasse scribitur in scissuris petrarum; vocatúrque ab eodem [e] mons Esau: & in hoc ipso capite priùs [f], atque alibi [g] mons Seir; videlicet, quia est alta montuosaque terra. Pro vrbibus montanis dicuntur Hebraicè, Chaldaicéque *vrbes montis*, הָהָר *hahar*, & טוּרָא *tura*: Græcè *in montana*, nimirum regione, ἐπὶ τῇ ὀρεινῇ. Pro cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc. Græcè sunt, πάντα τὰ συγκυροῦντα, *omnia pertinentia, vel propinqua*: Hebraicè & Chaldaicè (*omnis manus*, כָּל־יַד *chol iad*, כָּל כֵּיף *chol cheph.* In Psalmo [h] 94. secundùm translationem illam (*oues manus eius*) pro quo legimus (*pascua*) putat Agellius exponi posse circumpositas tẽplo regiones, in quibus Israëlitæ tanquã oues versarentur, sicque tẽpli ac Dei manum vocari, sicut hîc, *manus torrẽtis Ieboc*, τὰ συγκυροῦντα.

Paraphr. — c vers.24. — Vrbes montana pro Idumæa. — d vers.3. — e vers.8.9. 19.21. — f vers.1.3.5. — g Deut.1.2. — h vers.1.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS TERTII.

SIMILIS priori victoriæ de Sebon rege Hesebon Amorrhæo, de qua narrauit præcedens caput, victoria de altero rege Basan item Amorrhæo, cui nomen Og, continetur in isto capite; atque quo pacto æquè ac Sebon regionem, diuiserit Moses illam, quæ erat dicti regis Og, inter tribus Ruben & Gad, ac dimidiam Manasse; sed ea conditione, vt præirent in Chanaan, & alias in illam tribus deducerent, induceréntque. Memorat postea Moses indictum sibi à Domino silentium; cùm orauisset concedi sibi ingressum in terram Chanaan: atque idcirco imperasse se Iosue, vt suo loco dux esset populi ad eamdem terram. De hac ipsa victoria reportata ex Og, dictum est ad c[a]. 21. libri præcedentis: & iterum in istius Deuteronomij c. 29[b]. mentio fit de eadem simul cum alia priùs declarata ex rege Sebon. Egimus etiam de assignatis regnis Amorrhæorum dictis tribubus; dummodo implerent requisitam conditionem. Quocirca non erit opus multis circa explanationem huius capitis.

a vers. 33. & seqq.
b vers. 7. 8.

CAPVT TERTIVM.

1. ITaque conuersi ascendimus per iter Basan: egressúsque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandnm in Edrai.

2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciésque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon.

3. Tradidit ergo Dominns Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, & vniuersum populum eius: percussimúsque eos vsque ad internecionem,

4. Vastantes cunctas ciuitates illins vno tempore. non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.

5. Cunctæ vrbes erant munitæ muris altissimis, portísque & vectibus, absque oppidis innnmeris, quæ non habebant muros.

6. Et deleuimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem ciuitatem; virósque ac mulieres & paruulos.

7. Iumenta autem & spolia vrbium diripuimus.

8. Tulimúsque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon vsque ad montem Hermon,

9. Quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: [1]

10. Omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie, & vniuersam Terram Galaad & A Basan vsque ad Selcha & Edrai ciuitates regni Og in Basan.

11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.

12. Terrámque possedimus tempore illo ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, vsque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & B Gad.

13. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctáque Basan vocatur Terra gigantum.

14. Iair filins Manasse possedit omnem regionem Argob vsque ad terminos Gessuri & Machati. Vocauítque ex nomine suo Basan, Hauoth Iair, id est, Villas Iair, vsque in præsentem diem.

15. Machir quoque dedi Galaad.

16. Et tribubus Ruben, & Gad dedi de C Terra Galaad vsque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium vsque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon:

17. Et planitiem solitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth vsque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem.

18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis

terram

terram hanc in hæreditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israël omnes viri robusti:

19. Absque vxoribus,& paruulis,atque iumentis. Noui enim quòd plura habeatis pecora, & in vrbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis,

20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam Terram, quam daturus est eis trans Iordanem: tunc reuertetur vnusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

21. Iosue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es.

22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

23. Precatúsque sum Dominum in tempore illo, dicens:

24. Domine Deus,tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manúmque fortissimã, neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua;& comparari fortitudini tuæ.

25. Transibo igitur, & videbo Terram hanc optimam trans Iordanem,& montem istum egregium,& Libanum.

26. Iratúsque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me,sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam vlterà loquaris de hac re ad me.

27. Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem,austrúmque & orientem,& aspice. nec enim transibis Iordanem istum.

28. Præcipe Iosue, & corrobora eum atque conforta, quia ipse præcedet populum istum, & diuidet eis Terram quam visurus es.

29. Mansimúsque in valle contra fanum Phogor.

Vers. 1. Itaque conuersi ascendimus per iter Basan: egressúsque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellum in Edrai.

PARAPHR.

NARRATIONIS præsentis ordo respondet rerum gestarum ordini, quia proximè post victoriam de Sehon rege,alia de Og altero Amorrhæorum rege secuta est. Ab hoc Moses non legitur transitum pro populo Hebræo petiisse, quemadmodum à rege Sehon, quia cùm intellexisset Og populum illum intẽdere iter versus terram suam, obuiam iuit, & mouit bellum contra eundem; siue quòd metueret ne transire per regnum suum vellet; siue quia vlcisci vellet Sehon mortem, cunctique exercitus ipsius; siue, vt Abulensi placet, quia sicut Sehon tributum ab aliis regibus recipiebat vt prohiberet ab externis,

A maximè à populo Hebræo, ingressum in Chanaã. Addit Hugo sciuisse Mosem quòd inutiliter legatos ad Og mitteret: Riekelius citans Glossam,id facere non dignatum Mosem, propter superbiam dicti regis & obdurationem. Cæterùm Rabanus quem transcripsit Glossa, ex eo quòd legatio ad Og missa non est,postulatúsve transitus per ipsius terram; sed conflictum continuò cum illo, isque cum populo superatus, præterea ex etymologia Basan pro turpitudine; infert iuxta tropologiam, quòd nullus nobis transitus debet esse, nullus accessus ad turpitudinem, sed ab initio statim expugnanda, & omnimodis cauenda est. Item ait Og, cuius notio est interclusio,figuram habere omniũ carnalium & materialium rerum, quarum amore B & desiderio detenta anima, excluditur & separatur à Deo: nullum ex eo regno viuentem relinqui oportere, vt resecentur turpia; pia in animo reædificare,honesta ac religiosa plantare. Adiicit non esse scriptum de regno Sehõ,vt nullus viuus relinqueretur,nec de regno Moab; quoniam fortè,inquit,ex illis opus habemus aliquibus, & nõnullis eorum pro vitæ huius agonibus & exercitibus: alioqui debuissemus de hoc mundo [a] exiisse: de Basan,hoc est,de turpitudine nullo penitus nos indigere, nihil ex eo relinquendum; excidenda omnia & subuertenda opera turpitudinis (mendosè *fortitudinis*) in nullo enim posse honestum esse quod turpe est. Atqui e priore [b] dictum est percussum Sehon cum filiis, & omni populo suo, atque interfectos habitatores cunctarum vr- C biũ eius,viros,ac mulieres,& paruulos. De Moab etiam non est mirum si non scribatur idem quod de hominibus regni Og vel Basan; quia prohibitum fuerat Hebræis huius gentis terras occupare,quemadmodũ & Ammon, & Idumææ, vt præcedẽtibus capitibus vidimus. Quare non satis firmo fundamento nititur exceptio illa moralis de Sehon, & Moab, quod etiam de tropologia tota, quam Origenes [c] primus tradidit, monuimus [d] libro præcedente. Quoniã verò hîc & aliquoties in libro isto iteratur memoria diuinorum beneficiorum, aliàs iam antè commemoratorum, infert Capponus valde vtilem esse in genere memoriam atque repetitionem Dei erga nos benefactorum, vt magis inardescamus in amorem illius. Notat D etiam quando dicta repetitio fit, inseri plerumque circumstantias nonnullas, vt doceamur exactiùs, ac distinctiùs penetrare, examinare, æstimare singula momenta donorum Dei. Postremò admonet accuratiorem in eiusmodi bonis à Deo collatis Mosem fuisse,quo propiùs aberat à morte, vt hærerent memoriæ tenaciùs, & quasi officio vicario talis recordatio post ipsius mortẽ apud populum fungeretur, ad incendendum amorem in Deum.

a 1.Cor.5. 10.
b vers.33. 34.
c hom.13. in Num.
d in c.23. 33.

Itaque.] Particula(&)coniungente vtuntur editiones reliquæ ו *vc*, *xj*. In hac autẽ notione ipsammet particulam vsurpatam ab Interprete nostro, exẽplis ostendit Sà in [e] indice. Nec tamen (*itaque*) semper importat illationẽ,sed nonnunquã solam connexionẽ,& cõsecutionẽ,seu ordinẽ vnius post E aliud: interdũ idẽ valet quod *insuper* [f], *denique* [g], &c.

Explanatio.

Itaque, *dictio.*

Conuersi ascendimus.] Hebraicè & Chaldaicè (*& reuersi*, *aut conuersi sumus*, *& ascendimus.*) Non fuit propriè reuersio, seu retrocessio; sed potiùs perfectio atque progressio & processio. Explicat Rickelius (*vertentes nos à regione Sehon ad ingrediendum territorium regni Og*: Oleaster quòd verterint se à via qua contendebant adhuc vicomque versus Orientem & Aquilonem versùs promissam terram: & inter desertum, inquit, vnde veniebant,& Iordanem,erat terra horum duorum

e in Ps 9.11. Mat 15.46. Marc.12 11. 30. Ioan.10. 29. Actuum 5.1[a]. c.7.43. c.13 11. 1. Cor. 1. 1. c. 12. 26. 1. Io. 1 27.
f 3 Reg. 5. 15.
g Mat. 1. 18.

[a vers.33.] regum. Dixi c.21 [a]. prioris libri diuersionē nonnullam fuisse vt depopulatio fieret regni Og, qui pugnabat contra Hebræos. Cùm enim transeundum esset per Iordanem, qui erat Hebræis ad Occidentē, iter ad Septemtrionem verterunt, vt pugnarent contra Regem Basan, qui venerat contra ipsos.

Per iter Basan.] Græcè, *ὁδὸν τὴν εἰς Βασάν, viam iterve quod in Basan*, videlicet ducit. Probat Abulensis [b] Basan regni ac prouinciæ nomē esse, non ciuitatis, quia præcedentis libri c.32 [c]. numerantur & diuiduntur ciuitates munitæ principales, inter quas non ponitur Basan: hîc infrà [d] dicitur vniuersa terra Galaad, & Basan, nempe quia in his erant ciuitates: item [e] *reliqua pars Galaad & omnis Basan* [f]; *ciuitas Basan vocabatur terra gigantum*, id-est, regionis Basan; *Iair* [g] *vocauit nomine suo Basan Hauoth Iair*, idest, villas Iair. Adde, quòd [h] scribitur sexaginta vrbes fuisse, & regionem Argob regni Og in Basan. Propter hæc eadem argumenta eandem sequitur Maraillā sententiam, tacito nomine Abulensis. Oleaster tamen vocat Basan vrbē regiam; quod probate non potest: nec perinde est esse regem Basan, & esse regem Hesebon, quod tribuitur Sehoni regi, & erat Hesebon nomen ciuitatis. Minùs probabile, quod sentit Vatablus, regionem Basan eandem esse cum Trachonitide. De hoc paulò pòst; de ipsa verò Basan consule annotata citato c. 21 [i]. libri præcedentis, & Psalmi 67 [k]. eàtque Caldaicè vocetur מתנן *matthenan.*

[Marg.: Basan. b q 1. c v.3. 33 & seqq. d vers.10. e vers.13. f vers.13. g vers.14. h vers.4. i vers.33. k vers.23.]

Egressusque est Og rex Basan in occursum nobis.] Breuiùs illo loco Numerorum (*occurrit*) quod secundùm reliquas editiones habetur sicut hîc (*egressus est*, seu *exiit in occursum*, &c.) Significatur præuenisse hunc regem, nec expectasse impressionem Hebræorum, immò nec legationem qua trāsitus peteretur, qualem iam priùs repulerat Sehon rex, ab eodem Hebræo populo cum suis deletus. De isto rege Og non sunt repetenda, quæ dixi eodem libro præcedente.

Cum populo suo.] In aliis editionibus (*ipse & omnis populus eius.*) Vbi *omnis populus* cunctum exercitum significat, seu milites, & qui bello siue prælio idonei essent, vt priore quoque capite [l] de populo Sehon notatum est; ibidémque satis indicant voces illæ (*ad prælium*) vt & hîc (*ad bellandum.*) & c.21 [m]. libri Numerorū (*pugnaturus*) vbique iuxta cæteras editiones (*ad bellū*, siue *prælium.*)

Ad bellandum.] Modò monui idem hoc esse, atque secundùm editiones alias (*ad bellum*, aut *prælium*, aut *pugnaturus*) quæ omnia synonymè sumuntur.

In Edrai.] De hoc loco actum eodē libro [n] Numerorum. Scribitur Græcè nunc *Ἐδραΐμ*, nunc *Ἐδραείν*, nunc *Ἐδραΐ*, nunc etiam *Ἀσωρί*: Hebraicè, Chaldaicéque אדרעי *edrehhi*. Fuit ea insignioribus vrbibus sexaginta regni Og muris ac vectibus munitis, maximè insignis cum Astharoth [o], & velut altera regia cum illa, vt Masius [p] docet: qui refellit R. Nehmannum asserentem positam fuisse vrbem Edrai (quæ Ptolemæo sit Adra) ad pedem montis, quem à pascendis pecudibus Astaroth appellarent: quia non mons, sed ciuitas Astaroth fuit.

[Marg.: l vers.32. m vers.33. n c 21.33. Edrai. o Iosue 12. 4. p ibidem.]

Vers.2.] Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciésque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon,

[Marg.: Paraphr.]

CVm Og bellum appararet ac etiam moueret aduersùs Hebræos tum sibi consulens, tum vlturus illatam Sehoni regi alteri Amorrhæo cladem, atque istius Og regis nomen & fama percelebris esset ab ingenti robore, simulque forsitan Hebræorum vires nonnihil debilitatæ ob priorē conflictum, iussit Dominus vt bono esset animo Moses, certúmque populum redderet de obtinenda ex Og victoria non minùs quam nuper obtenta ex Sehō fuisset. Libro præcedente [a] iisdem penè verbis eadem hæc ipsa sententia continetur. *Dixitque Dominus ad Moysem. Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius. faciésque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon.* Adeundus eius loci cōmentarius noster, in quo docuimus quanti referat in vtramque partem imperatoris in bello ducisve, vel impauidus animus, vel timidus: & quantopere Dominus eximere aliis metum sæpe ac animare studuerit, necnon alius populi dux subditos suos Iosue; prætereà Elisæus, Nehemias, &c.

[Marg.: a c.21.34.]

[Marg.: Explanatio.]

Ne timeas eum.] Non propter Mosem, sed propter populum Hebræum eo modo locutus est Mosi Dominus: quia non in Mose, qui de Domini potentia & promissis minimè dubitabat; sed in illo populo, qui sæpiùs diffidere solebat ac despondere animum, timor forsitan erat.

Quia in manu tua traditus est.] *Manus* plurali numero Græcus textus habet: idem, & Hebræus, Chaldæúsque actiuæ vocis verbum (*tradidi.*) Citato loco ex Numeris editio nostra congruit cum reliquis etiam circa hoc verbum. Eiusdem libri & capitis 21. versu 2. per nomen Græcum compositum *ὑποχείριον* tota sententia explicatur.

Cum omni populo.] Pronomē possessiuum quod est in editionibus aliis, omisit nostra, contenta id apponere membro sequenti. Per populum verò intelligitur quidem per se ac primariò exercitus; sed consequenter etiam reliqui regionis incolæ.

Ac terra sua.] In hoc notari mouet Abulensis, quòd in terra illa mansuri essent Hebræi. Vnde aliquando, inquit, Deus tradebat solum populum in manu eorum, vt in Madianitis [b], & Chananæū regem Arad [c], quia solùm Madianitas occiderunt; sed terram eorum non possederunt: hîc autem vtrumque fuit, gentem occiderunt, & in ciuitatibus dederunt habitationem tribui Gad, & dimidiæ parti tribus Manasse [d]. Sic verò etiam hic priore [e] capite legimus; *en tradidi vobis terram Chananæorum, &c. ingredimini, & possidete eam.* Textus Græcus hoc loco habet, *omnem terram suam, πᾶσαν τὴν γῆν αὐτοῦ.*

[Marg.: b Num.31. 2.3.7. c ibid.c.21. 1.& seqq. d ibid.c.32. 33.34. e vers.7.8.]

Faciésque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum.] Eodem modo ad verbum in c. 21 [f]. libri Numerorum. Vbi notaui posse id accipi aut vt præceptum, aut vt prædictionem.

Qui habitauit in Hesebon.] Ibi (*habitatori Hesebon*) Græcè (*qui habitabat, ὃς κατῴκει*) tum ibidem tum hîc. Eo autē [g] loco egimus de Hesebon. Distabat hæc à Iordane, inquit [h] Masius, millibus passuum viginti, indéque ortus satis magnus fluuius labebatur versùs Iaxor, atque hanc propè abluens Iordani tandem commiscebatur.

[Marg.: f vers.34. g vers.25. h in Iosue 13. 24. & seqq.]

Vers.3.] Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, & vniuersum populum eius: percussimúsque eos vsque ad internecionem,

Vers. 4.] Vastantes cunctas ciuitates illius vno tempore. Non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.

Paraphr.

QVod traditurum Dominum promisisse dixerat, reipsa præstitisse affirmat, nimirum regẽ Og, cum omni populo constante ex militibus & aliis regni habitatoribus, & regnum ipsum, idest, sexaginta insigniores ciuitates, oppida, & loca reliqua, regionémque vniuersã. Breuiùs in priore [a] libro ad hunc modum. *Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, vniuersúmque populum eius, vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.* Ibi refelli asserentes Og à Iosue interfectum: docui præterea videri accipiendam percussionem seu interfectionem filiorum Og propriè de filiis carnalibus. Filiorum quoque Sehon cum ipsis percussorum, & cum omni populo suo, facta mẽtio capite priore [b] est, quamuis non itẽ in citato loco libri præcedentis, vt ibidem annotaui. Porrò quod habetur hîc vno tempore vastatas ciuitates, interpretans Abulensis vno impetu, continuatóque, nec interrupto bello, id ait exprimi ad differentiam terræ promissionis vltra Iordanem, quæ non tota simul occupata est, sed successiuè vsque ad tempora Dauidis & Salomonis [c]; partim vt haberent Israelitæ in quo se ad bellum exercerent [d]; partim vt propter peccata quæ subinde patrabãt, punirentur ab hostibus [e]: partim quia cùm primùm Hebræi adierunt terram Chanaan, excolere totam nequibant & inhabitare, ac verendum erat, ne serpentibus aliísque bestiis repleretur, si veteres habitatores penitus deleri [f] essent.

[a] c. 21. 35. [b] vers. 33. [c] 3. Reg. 9. 9. 2. Paral. 8. [d] Iudic. 3. 2. [e] ibid. c. 2. item c. 3. & 4. & sæpe in lib. Iosue. [f] Exod. 23. 29. 30. Deu. 7. 22.

Explanatio.

Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris.] Hebraicè, & Chaldaicè, numero singulari (*in manu nostra*) quemadmodum paulò antè etiam secundùm translationem Latinam: licèt Græca ibi quoque haberet *manus*, χεῖρας.

Etiam Og regem Basan.] In textu Græco præter hunc regem, indicatur Sehõ quoque traditum esse, quod & proximè antè significatum satis fuerat, & fusiùs in c. præcedente. Scribitur enim hîc, καὶ παρέδωκεν αὐτὸν κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν, καὶ τὸν Ὢγ βασιλέα τῆς Βασάν. *& tradidit eum* (nẽpe Sehon) *Dominus Deus noster in manus nostras, & Og regem Basan.* Auctor tamen scholiorum ad Sixtina Biblia editionis LXX. ait (*eum*) redundare, & nihil facere ad sententiam, vt sæpe aliàs huiusmodi.

Et vniuersum populum eius.] De filiis item fieri dixi mentionem [g] libro præcedente, & paulò antè [h] hîc monui per populum intelligi exercitum quidẽ primariò, sed consequenter etiam reliquos regni habitatores.

[g] c. 21. 35. [h] vers. 2.

Percussimúsque eos vsque ad internecionem.] Eadẽ hîc phrasis est Hebraicè, atque Chaldaicè, quæ priore capite [i], vbi legimus (*non reliquimus in eis quidquam.*) Sed ibidem Græcè est, οὐ κατελίπομεν ζωγρείαν: hoc loco, ἕως τοῦ μὴ καταλειφθῆναι αὐτοῦ σπέρμα, *eò vsque vt non relinqueretur ipsius semen.* Verti etiã hîc posset, quia Hebræum verbum est in hiphil הִשְׁאִיר *hiscir*, *vt residuum sibi faceret vllum superstitem*: quem per ζωγρείαν prioris loci licet etiam intelligere. Pro (*percussimus eos*) Græcè ἐπατάξαμεν αὐτόν, Hebraicè נַכֵּהוּ *naccehu*, Chaldaicè מְחַנִּינוּן *mechanneh*, quæ verba exposita sunt [k] alibi, præsertim Græcum, reddidit Aquila ἀνεθεματίσαμεν, *anathematizauimus.* Quod verbum non satis videtur cõ-

[i] vers. 34. [k] Num. 21.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

gruere proposito: quia per id significari solet nõ hominum dumtaxat, verùm etiam aliarum animantium, & rerum, & locorum abolitio integra. Nam iumenta & spolia direpta sunt, & terra capta ad habitandum, vt paulò [a] pòst narratur. De nomine Latino internecionis egi c. 17 [b]. & 21 [c]. libri prioris. Aliquando bellantes percutiuntur, & non moriuntur, & tunc non est, inquit Abulensis, percussio vsque ad internecionem, hîc autem totaliter eos occiderunt: & internecio mors est, de interneco, idest, occido.

[a] v. 7. 8. 12. & seqq. [b] vers. 13. [c] vers. 35.

Internecionis nomen, & etymon.

Vastantes cunctas ciuitates illius vno tempore.] Hebraicè (*& cepimus omnes ciuitates illius in tempore illo*) Chaldaicè (*subiecimus*, &c.) Græcè (*obtinuimus*, &c.) Verba sunt נִלְכֹּד *nilchod*, כבשנא *chebasna*, ἐκρατήσαμεν, perinde vt priore capite [d] (*cunctásque vrbes in tempore illo cepimus:*) ita vt vastandi verbum necessarium nunc non fuerit, licèt dum vi capiuntur ciuitates, vastatio caueri non valeat. Vtrobique prorsus eadem phrasis est omnium editionum, nisi quòd hîc Latinè legitur (*in tempore vno*) ibi (*in tempore illo:*) nec maior proinde vis inest hîc ea quã ex Abulense retulimus. Græcum nomen καιρὸς vtroque in loco innuere potest opportunitatem temporis, seu occasionem: neque minùs impetu vno ac simul ciuitates Sehon occupauerunt Hebræi in bello contra ipsum, quàm ciuitates Og in eo quod aduersùs illum gesserũt.

[d] vers. 34.

Non fuit oppidum quod nos effugeret.] Simili formula in capite præcedente [e] dicitur (*non fuit vicus & ciuitas, quæ nostras effugeret manus*) sed Hebraicè (*quæ exaltauerit se a nobis*, &c.) Chaldaicè (*quæ fortior fuerit nobis*, &c.) quemadmodum ibi declaraui. Hoc autem loco secundùm reliquas editiones (*quam non ceperimus ab eis.*)

[e] vers. 36.

Sexaginta vrbes.] Omnem locum munitum, inquit Abulensis, vrbem vocat, siue paruus, siue magnus sit. Hoc infrà [f] magis declaratur per oppositionem ad oppida innumèra, quæ non habebant muros, & dicendo quòd vrbes erant munitæ muris altissimis, portísque & vectibus. Iosephus [g] vocat πόλεις ἑξήκοντα λαμπρῶς πάνυ τετειχισμένας, *ciuitates sexaginta insigniter valdè munitas.* In libro 3. Regum [h] in Argob regione quæ erat in Basan, dicuntur fuisse sexaginta ciuitates magnæ atque muratæ, quæ habebant seras æreas.

[f] vers. 5. [g] 4. antiq. c. 4 vel 5. [h] c. 4. 13.

Omnem regionem Argob.] Hebraicè (*omnem funem Argob*, כָּל חֶבֶל אַרְגֹּב *chol cheuel argob.*) Oleaster disserens de varia significatione vocabuli Hebræi חֶבֶל *cheuel*, pro obligatione, pignore, colligatione, vertendum putat (*omnem Argob*) atque indicari multitudinem oppidorum, vrbium, pagorum in ea terra quæ dicebatur Argob, vel nomine proprio, vel appellatiuo à רֶגֶב *regheb* pro riuo, seu extremitate. Munsterus apostata scribit חֶבֶל propriè valere funiculum distributionis: sed hîc accipi pro מָחוֹז *machoz*, termino regionis. Mariana noster funiculi notionem retinens, ait regionem sic vocari; quoniam funiculis diuidebant prædia. Ostendi [i] alibi חֶבֶל *cheuel funem* significare: præterea funiculis agros diuidi solitos [k], quod nunc repetere non libet, ac ne honestè quidem licet, vitanti nomen superflui scriptoris, aut potiùs transcriptoris, quod quantum queo caueo. Scitum est quòd ob agrorum dimensionẽ cùm Nilus auctus terminos cõfunderet, Geometriæ origo Ægyptiis ascribitur, quemadmodum Phœnicibus Astronomiæ, atque Arithmeticæ, ob computationem, nocturnamque nauigationẽ [l]. Paraphrastes Chaldæus transfert, *omnem domum siue locum prouinciæ* כָּל בֵּית פֶּלֶךְ *chol beth pelach.* Græci interpretes πάντα

Argob.

[i] in Psal. 10. 7. Ps. 17. 5. 6. Ps. 72. 4. Ps. 114. 3. Psal. 118. 61. [k] in Ps. 15. 6. Ps. 77. 54. Actuum 13. 19.

Geometria, Astronomia, Arithmetica, vnde originẽ trahãt.

[l] Strabo li. 6.

τὰ τὰ ἀδήχωρα, *omnia confinia*, seu *adiacentia*. In eadem porrò paraphrasi pro Argob, quod Græcè quoque retinetur ἀργόβ, ponitur טרכונא *terachona*, quod miror ab eo qui Latinam fecit expositum per Argob. Vatablus, vt nuper etiam admonui, nomen Chaldæum interpretatur Trachonitidem regionem, quasi diceretur, inquit, sexaginta vrbes cepimus, omne scilicet regnum Argob, idest, regnum Og, qui regnabat in Basan. Concludit verò, quòd Trachonitis regio, eadem quæ & Basan erat. Quæ de Thraconitide regione, quam aliter vocant leniùs Traconitidem, item Trachonem, & Traconem, tradit Adrichomius [a] ex Plinio [b] Iosepho, [c] Hieronymo [d], Gulielmo [e] Tyrio, Iacobo [f] de Vitriaco, Nigro [g], non consentiunt cum Basan. Nam Trachonitis regio instar regni, trans Iordanem est, inter Palæstinam & Cælesyriam; respiciens Damascum versùs Septentrionem; contermina deserto Arabiæ, quod Bosræ iungitur ad Orientem; incipiens à monte Libano & fontibus Iordanis, & vsque ad lacum proximum Tyberiadi, latitudine expansa; longitudine à vico Arphas, ad oppidum Iuliada. Nominis eius ratio est, quòd sit aspera & saxosa, subterraneísque meatibus & cauernis abundans, id enim τραχὼν sonat, & trachones dicuntur occulti sub terra meatus ac specus; ac proinde trachones præterea ab ea regione Strabo montes cognominat vicinos eidē regioni. Per dictos trachones occultos, incolæ fontibus riuísque carentes, pluuias aquas colligunt; plerique etiam in iisdem delitescunt, rapto victitantes; ita vt Augustus Zenodoro eam regionem abstulerit, Herodique tradiderit ea lege, vt latrocinia illius gentis compesceret: quod semel iterúmque cùm fecisset, tandem moriens reliquit Philippo fratri Herodis tetrarchæ Galilææ [h]; postea Claudius Agrippæ nepoti illius [i]. Longè alias conditiones terræ Basan fuisse constat ex alibi dictis, ac ex his quæ collegit citatus Adrichomius [k] & quantum ad situm, & quantum ad eximiam vbertatem, à qua etiam sortita nomen est quod pinguedinem significat. Certè Argob non solùm voce ipsa differt à Trachonitide, sicut & hæc à Basan, verùm etiam re; quoniam teste Hieronymo [l], est regio Og regis Basan super Iordanem, quæ cecidit in sortem dimidiæ tribus Manasse; & erat tempore Hieronymi vicus circa Gerasam vrbem Arabiæ, quindecim ab ea distans millibus contra Occidentem, qui Arga appellabatur, & Symmachus interpretatus est mensuram. Sed in tractatu de nominibus Hebraicis [m] exponit ipse Hieronymus *maledictam sublimitatem*: (quod placuit Rabano & Glossis.) Beda [n] præterea, *maledicens excelsum*. Minùs placet, vt appellatiuè sumatur Argub cum Oleastro רגב *regheb*, pro loco in valle, coniuncto torrenti; vel pro riuo; vel pro extremitate. Omnes namque passim accipiunt vt nomen proprium. Ratio alterius etymologiæ potest esse, quoniam ארר *arar maledicere* est, גב *gab altum, excelsum, eminens*. Alioqui præterea, ab ארג *ereg*, & ארג *arag*, *radio texentis & texere*, posset quis suspicari, huius instrumenti figuram fuisse regionem hāc. Abulensis putat esse nomē alicuius terræ specialis; vel appellatiuum, & signare pulchritudinem; sicque vocari regionē Argob, aliquam terram fertilem, & benè muratā; quæ alias terras regni Basan excederet. Sed notio pulchritudinis quo pacto conueniat, ignoto. De hac rursus regione mentio est infrà in istomet capite [o]; & in historia Regum [p]; vbi scribitur quòd sub Salomone, Bengaber præerat in omni regione Argob, quæ erat in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas.

a theat. terræ sanctæ in Manasse 2. num. 97.
b lib. 5. c. 18.
c 1. antiq. c. 14. lib. 15. c. 12. & 13. li. 16. c. 4. & 9. & 1. de bello c. 35. li. 3. c. 2.
d de locis Hebr. & in tradit. Hebr. in Gen. 10. & in Thrē. 4.
e 16. de bello sacr. c. 5.
f hist. orient. c. 47.
g comm. 4.
h Ioseph. 17. antiquit. c. 10. lib. 18. c. 9. 1. 2. de bello c. 4.
i Idem 2. de bello c. 17. lib. 3. c. 3.
k theat. terr. sanctæ in Manasse 2. n. 25.
l de locis Hebr.
m de Deut.
n tract. de nom. Hebr.
o vers. 13. 14.
p lib. 3. 4. 13. lib. 4. 15. 25.

Regni Og in Basan.] Græcè (*regis, βασιλέως.*) Moraliter porrò Rabanus, & Glossa, quoniam sexagenarius numerus perfectionem cuiuslibet rei significat (id Petrus [a] Bongus pluribus aliis illustrat exemplis) in regno Og regis Basan, hoc est, diaboli turpitudinis amatore, sexaginta vrbes vastatas notant; quia perfectè omnis deletio vitiorum facienda est: per Argob (cuius etymon *maledicta sublimitas*) exprimi tertenam superbiam, quæ in filiis iræ dominatur.

Numerus sexagenarius rei cuiuslibet perfectionē denotat.
a de myste. nume. cùm de sexag.
Argob regionis etymon.

Vers. 5.] Cunctæ vrbes erant munitæ muris altissimis, portísque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.

Dictarum sexaginta ciuitatum videtur hæc descriptio esse: quas in historia Regum [b] magnas atque muratas, & seris præditas æreis memorati paulo antè retuli, & à Iosepho [c] λαμπρῶς πάνυ τετειχισμένας, *insigniter valdè munitas*. Iam præclaras vrbes captas in regno Og asserit, præter plurima oppida quæ sine muris erant. Illas porrò easdem ciuitates aut similes, quæ pertinerent ad nationes maximas & fortiores, ad populum magnum atque sublimem, & filios Enacim, appellat Auctor infrà c. 9 [d]. *ingentes, & ad cælum vsque muratas.*

Paraphrasis.
b li. 3. 4. 23.
c 4. antiq. c. 4. vel 5.
d v. 1. 2.

Cunctæ vrbes erant munitæ muris altissimis.] Addito pronomine demonstratiuo (*he*) in editionibus aliis extat (*omnes vrbes munitæ; murus altus*, aut *muri alti.*) Carent Hebræi superlatiuo: altitudinem verò maximam murorum, hyperbole illa importat paulò antè citata, qua dicuntur vsque ad cœlum ciuitates muratæ: & similis eorum qui à diluuio facere voluisse narrantur ciuitatem & turrim, cuius culmē pertingeret ad cœlum [e]; peruenit verò, vt scribit Hieronymus [f], ad altitudinem quatuor millium passuum. Adagialem hyperbolē confirmat Delrius [g] noster, post Muretum [h], exemplis Poëtarum Græcorum, Latinorúmque: præterea ex alio Deuteronomij loco; in capite [i] primo, quem antea declaraui, & ex aliis. Non dissimiles in terra Chanaan esse ciuitates retulerant exploratores [k]. Ibi lege quæ de militum & habitantium fide ac fortitudine dixi, loco murorum, vel munitionum.

Explanatio.
e Gen. 11. 4.
f in Esa. 14.
g tomo 1. adagial. in 14.
h 1. varia. c. 15.
i v. 28.
k Num. 13. 29.

Portísque.] Portam, ianuā, ostium confundi non rarò contingit: licèt propriè magis primo nomine denotetur aditus ciuitatis, alteriusve loci vallo seu fossa muniti, quòd per portam omnia importentur & exportentur; vel quia in designatione vrbis vacca tauróque subiunctis, designator manu aratrum suspēdebat seu portabat, ne sulcus fieret: secundo primus ingressus ad interiora domus à Iano, cui sacrabatur omne principium: ostium ad partes domus, vt ad cubicula; quia obstet ingressuris, aut remoretur, & arceat. Idem ferè de Hebræis דלת *delech*, פתח *petach*, שער *sciahhar*: quorum primo significari voluut tabulam, qua clauditur vel aperitur ostium; secundo ipsam apertionem: tertio magis publicam portam, vbi apud Hebræos publici conuentus fiebant atque iudicia. Idem præterea de Græcis θύρα, & πύλη, seu πύλαι, πυλεών, πύλωμα: quamuis θύρα de domo, πύλη de vrbe dicatur, eo modo quo portam de vrbe dici docui; cùm præterea fores de domo potiùs vsurpentur. Omitto rationem aperiendi, quæ

Porta propriè quid.
Quid ianua.
Quid ostiū.

quæ apud veteres Romanos erat introrsum ducta; præter Poplicolæ domum, cuius fores foras propelli, nimirū quòd reipublicæ curam gereret: apud Græcos vero concederentur [a], ac proinde foras prodituri pulsarent, vt domum accedentes, vel astantes, monerent ne læderentur à foribus in vicum deiectis.

Domus Poplicola.

a Halicar. lib. 5. Plutar. in Poplicola. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 24. Turneb. lib. 4. c. 16. lib. 31. c. 12. Muret. 1. variar. c. 17. Delrius in Senec. Herc. Oet. v. 254. b vers. 36. c vers. 6. 35. d c. 27. 1.

Et vectibus.] Numero singulari, sed collectiuè posito vocatur Hebraicè בְּרִיחַ *beriach*: Græcè pluraliter dicuntur μοχλοί: de quibus vocabulis lege c. 3. [b]. libri prioris, & 4 [c]. Græca vox μοχλὸς οὐ μόνον μοχλευτικὸν ξύλον τι, ἀλλὰ καὶ θυρῶν, ὃ καὶ ἐπιβλής, *non solum est lignum quoddam ad mouendum, sed etiam pessulus & repagulum foribus occludendis aptum.* In Esaia [d] *serpens vectis* Hebraicè בָּרִחַ *bariach*, Græcè φεύγων dicitur, quia oblongus vt vectis: qui vectis siue ligneus, siue etiam ferreus, vt citato loco docui, eo modo appellatur linguis illis, quia postquam à parietis foraminibus, quibus inclusus portam firmiter retinebat, amotus est, vt illa pateret, dum totus in eadem includitur, veluti fugit. Pro vecte transtulit ibi Symmachus, Hieronymo teste, *concludentem*; Theodotio, *robustum*: quæ dicto instrumento rectè conueniunt: & apud illum Prophetam per illud regia potestas designatur, vel etiam tyrannica, & allegoricè diabolica: vecte namque cohibentur fores, aut laxantur, &c. De Iano siue belli portis Virgilius [e],

e 7. Æneid.

Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri Robora.

Absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.] Hebraicè לְבַד מֵעָרֵי הַפְּרָזִי הַרְבֵּה מְאֹד *tantùm* seu *præter, ab vrbibus*, siue *præter vrbes, non muratas multum valdè*, seu *præter vrbes villarum absque muro multas valde.* Vel, *præter vrbes non muratas multas valde.* Vel *præter ciuitates quæ muros non habebant, quarum erant multa admodum.* Vel, *præter ciuitates valde multas, quæ non erant muris cinctæ.* Omissa hyperbole, qua pro *multis valde*, posuit Interpres *innumera*, quod [f] alibi præterea facit cum LXX. vel vsurpando innumerabilia; præterea non semper innumera in partem deteriorem accipi, vt vellet tamen Bongus [g] videtur, cùm dicatur sapientiæ innumerabilis honestas [h]; & sapientiæ Dei numerus non esse [i]; & amici eius dinumerari non posse [k], vel electi [l]. Oleaster incertum docet esse quid propriè significet פָּרָז *paraz*, à quo est פְּרָזִי *perazi*: concedit verò eam significationem, quæ hic exprimitur, conuenire multis aliis Scripturæ locis; non tamen capitis tertij [m] Abacuc (*maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.*) Vbi ex Hebræo נָקַבְתָּ בְמַטָּיו רֹאשׁ פְּרָזָו *nakautha remattau roe pherazau*, vertunt alij, *perfodisti in baculis eius caput paganorum*, (seu villicorum, seu exercituum eius.) quidam (vrbium absque muro) Chaldæum paraphrasten hoc loco nostro reddere *apertas* פַּצְחָאוָה *patschaua*, vnde acceperint Hebræi suam significationem; quoniam idem videtur vrbs aperta, quod vrbs absque muris; & idcirco coniicere se significari villam. Pagninus in Thesauro ex R. Dauid docet פְּרָזוֹת *perazoth* esse vrbes absque munitione & muro in planitie constitutas, seu vicos, pagos, villas, quæ facilè pateant irruptioni, quam verbum simile פָּרַץ *parats* importat. R. Salomon hoc loco exponit ciuitates apertas sine muro, פְּשׁוּחוֹת בְּלֹא חוֹמָה *peshuchoth belo chomah.* Retinentes LXX. vocabulum Hebræum transtulerunt hoc pacto, πλὴν τῶν πόλεων τῶν φερεζαίων τῶν πολλῶν σφόδρα, *præter ciuitates Pherezæorum*, seu *Pherezæos multas valde.* Inter gentes illas terræ Chanaan vna Phe-

f Exod. 10. 14. c. 12. 58. 3 Reg. 17. 31. lib. 3. 4. 2. 2. Paral. 19. c. 4. 18. 2. 29. Iudith 2. 8. Eccl. 5. 6. g lib. de mysticis numer. cū de multitud. h Sap. 7. 11. i Ps. 146. k Ps. 138. 18. l Apoc. 7. 9. m vers. 14.

A rezæorum fuit, qui appellantur Hebraicè פְּרִזִּים *perizzim*, hominum videlicet agrestium procul ab vrbibus degentium, vt Masius [a] docet: nam פְּרָזוֹת *perazoth*, inquit, loca non cincta muris vocantur, vt censent Iudæi. Addit existimare se potiùs grassatores fuisse, & homines qui ex rapto viuerent, eósque à viribus, aut violentia sic esse nominatos; quia פָּרַץ *paraz* reddi solet. Græcè, ἰσχύειν. Tales quidem certe intra munitas, muris're clausas vrbes continere se non solent. Verbi פָּרַז *paraz*, exemplum adhuc nullum reperi nec in dictis, nec in alia notione. In cantico Deboræ [b] bis est nomen פְּרָזוֹן *perazon*, vbi *fortes* reddit Interpres noster, LXX. κατοικοῦντες, *habitantes*; in codicibus Complutensibus ac Regiis, vt legit etiam Augustinus [c], sed in Sixtinis δυνατοὶ, *potentes*, apud Theodoretum [d] κρατοῦντες, quod idem valet. Semel per verbum ἐνίσχυσαν, *confortati sunt.* In 1. Regum [e] villa sine muro dicitur כֹּפֶר הַפְּרָזִי *chopher happerazi*, Græcè κώμη φερεζαίου, & secundum versionem Symmachi, κώμη ἀτείχιστος, *villa non murata.* In Esther [f] Iudæi qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, dicuntur Hebraicè הַפְּרָזִים הַיֹּשְׁבִים בְּעָרֵי הַפְּרָזוֹת *happerazim haiosebim behhare happerazoth*, Græcè in Regiis atque Complutensibus Bibliis διεσπαρμένοι ἐν πάσῃ χώρᾳ τῇ ἔξω: & οἱ κατοικοῦντες ἐν ταῖς μητροπόλεσι, *dispersi in omni regione extranea*; &, *habitantes in metropolibus.* Quæ translatio efficit oppositum sensum, quod quidem attinet ad metropoles; hæ namque solent esse muratæ. Illud autem participium διεσπαρμένοι, *dispersi*, seu *disseminati*, vel *separati*; indicat aliud verbū פָּרַשׁ *paras* siue *pharas*. Vnde Pharisæorū secta: quos Beda [g] interpretatur scribēs per F, *diuisos, diuidentes, dissipantes, violentos* & *Ferezæos*, cum litera S. in medio, *separatos, disseminatos, disseminatores*: Hieronymus [h] Ferezæos cum Z. *separantes, disseminatos, fructificantes.* In Ezechiele [i] terra absque muro vocatur Hebraicè אֶרֶץ פְּרָזוֹת *erets perazoth*, Græcè γῆ ἀπερριμμένη, *terra abiecta*; Chaldaicè, *terra habitata vrbibus apertis*, idest, absque muris, בְּקִרְוֵי פַצְחָיָא *bekirue patschaia.* De hoc loco Abacuc priùs dixi. Tandem apud Zachariam [k], *absque muro habitanda* Ierusalem dicitur cum nomine פְּרָזוֹת *perazoth*, Græcè κατακάρπως, *frugifera*, vel in emendatis Bibliis κατακάρπως, *frugiferè*:

a in Iosue 16. 13.

b Iudic. 5. 7. 11.

c ibid. q. 29.

d q. 12.

e c. 6.

f c. 9. 19.

Pharisæorū secta vnde.

g tract. de nom. Hebr.

h tract. de nom Hebr. ex Genesi.

i c. 38. 11.

k c. 2. 4.

D Chaldaicè פַּצְחִין *patschin apertè*, vel *vacuum*: idque præ multitudine hominum, & iumentorum eius, vt ibidem subditur. Cùm LXX. modò vertant vt nomen proprium Pherezæorum, modò pro illo ponant quasi etymologiam, suspicor quicumque more gentis Pherezæorum in apertis villis seu pagis aut oppidis habitarent, eo nomine nuncupatos, necnon qui rusticorum, villicorum, agricolarum instar, extra vrbes muratas, quod id hominum genus facit, vt commodiùs vacent colendis agris. Sic mercatorem Chananæus denotat, mathematicum Chaldæus, Arabs latronem, vt indicat de vltimo Hieronymus in Ieremiam [l], vbi [m] quem latronem reddit Interpres, dicitur Hebraicè עֲרָבִי *bharaui*, idest, Arabs iuxta formam nominum propriorum desinentem in י *iod*, sicut & hic פְּרִזִּי *perazi*: transfertque Chaldæus Paraphrastes, *Arabes qui morantur in tabernaculis in deserto.* עַרְבָאֵי דְּיָתְבִין בְּמַשְׁכְּנִין בְּמַדְבְּרָא *bharauae desiuran bischunin bemidbera*: licet Græcè κορώνη exponatur, idest, *cornix*, & illa eadem Hebræa vox coruum significet, qui putridis cadaueribus in via plerumque expositis oblectatur.

E

l in c. 3. m vers. 2.

Verſ. 6.] Et deleuimus eos, ſicut feceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem ciuitatem, viróſque, ac mulieres, & paruulos.

Verſ. 7.] Iumenta autem & ſpolia vrbium diripuimus.

PARAPHR. QVod priore capite narratum fuerat, paulò fuſiùs de victoria ex Sehō, id nunc ſtrictim commemoratur de alia ex Og, & quantum ad occupatas ciuitates aliaque loca, & quantum ad interfectos incolas omnes, & quantum ad prædam factam iumentorum, aliorúmque animalium ac rerum. Quare diſperſam omnem ciuitatem debet intelligi, non diruendo muros, domos, ædificia; ſed hæc depopulando. Gloſſa interlinearia, quæ Rabanū videtur tranſcribere, moraliter ait, quòd munitione diaboli ſuperata, velut ciuitatibus, terráque Argob, & regno Og, quæ turpitudinem ac ſuperbiam deſignant, vt dictum eſt; conteri debet zelo Dei quidquid rebelle ac laſciuum in carne noſtra ſentimus; ſimul cum infirmis cogitationibus: quod autem ſpectat ad ſeruitium Dei in ſimplicitate puri ſenſus, vel in ornatu verborum, oportet reſeruare.

Explanatio. *Et deleuimus eos.*] Abſque coniunctione, & ſine pronomine, habetur in textu Græco Sixtino verbum ἐξωλοθρεύσαμεν, *exterminauimus*: refertúrque ad antecedentia nomina: & quia Hebræum nomen עיר *hhare* in regimine ſignificans ciuitates, maſculini generis eſt, vertitur Hebræum verbū cum particula coniungente & pronomine maſculino ab iis qui Hebræa verbatim interpretantur (*exterminauimus, ſeu ad internecionē excidimus, ſeu deſolauimus eas*) ונחרם אתם *vannacharem otham.* Idem eſt de paraphraſi Chaldæa, in qua eſt pronomen יתהון *iatthon* fœmininum. In editione quoque noſtra, & in Græca nullum præcedit nomen maſculinum, ad quod pronomen (*eos*) poſſit pertinere. Attamen ſenſus nulla iactura eſt. Potuit hîc meliùs reddi ab Aquila ἀνεθεματίσαμεν, propter verbum huius loci ונחרם *nacheram* à חרם *charam*, vnde חרם *cherem anathema*; cùm ibi eſſet נחרם *nacchem*. Sed latiùs patet dicti verbi ſignificatio; & vbi dixi, non fuit nunc propriè dictum anathema.

Sicut feceramus Sehon regi Heſebon.] Rectè in datiuo caſu, quamuis Græca ſyntaxis accuſatiuum habeat ὥσπερ ἐποιήσαμεν τὸν σηὼν βασιλέα ἐσεβών. Verſu 2. (*faciéſque ei ſicut feciſti Sehon regi*, &c.) dicebatur quoque Græcè in datiuo ποιήσεις αὐτῷ ὥσπερ ἐποίησας τῷ σηὼν βασιλεῖ. Prioris phraſis Græcæ in neutro occurrit aliud exemplum in eodem vſu.

Diſperdentes omnem ciuitatem.] Reperitur verbum ἐξωλοθρεύσαμεν, quod erat initio verſus, & Hebræum hiphil in infinitiuo החרם *hacharem*: & Chaldæum גמרנא *gammarna.*

a verſ. 34. *Viróſque, ac mulieres, & paruulos.*] Perlege dicta in priore[a] capite, vbi ſunt eædem voces: & peculiariter declarata eſt Græca ἐξῆς: & quòd pro Hebræa טף *taph* ſint τὰ τέκνα: & quid ſibi velint Hebraicè מתם *methim* cum puncto ſceua (:) vtque differat à מתים *methim* cum tſere (..) quorum primum homines, mortuos valet ſecundum: poſtremò quo pacto innocentes occidi eum nocentibus in bello poſſint. Gratianus poſt c. vltimum 23. q. 5. notans quòd aliquando punit Deus peccata per neſcientes, aliquando per ſcientes; exemplum

A ſecundi membri profert iſtud de Hebræis, per quos puniti ſunt Amorrhæi, & Chananæi, aliæque gentes: atque hoc modo ſine culpa noxium ſanguinē effundi, cùm ſcilicet diuino iuſſu id fit.

Iumenta autem, & ſpolia vrbium diripuimus.] Sic eodem illo loco[a]; *abſque iumentis quæ in partem venere prædantium, & ſpoliis vrbium, quas cepimus:* vbi etiam phraſis non diſcrepat in aliis editionibus, ab ea quæ hic extat. Cùm autem iſtis paucis verbis integer conſtet verſus, intelligitur, quod ſæpe monui, verſuum diuiſionem ſeu partitionem minimè æqualem eſſe. a verſ. 35.

B *Verſ.* 8.] Tulimúſque illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem, à torrente Arnon vſque ad montem Hermon,

Verſ. 9.] Quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir.

PARAPHR. REpetitio eſt duplicis victoriæ, quæ intra idem ferè tempus de duobus Amorrhæorum regibus Sehon, & Og relata eſt, cùm adhuc eſſet populus citra Iordanem, nec iſtum tranſiuiſſet, peruenîſſetve in Chanaan: & quemadmodum eorūdem regum terrā Hebræi poſſederint; licèt Chanaan magis peculiariter per nomen terræ promiſ- C ſionis intelligi ſoleret, tanquā præcipua, & in qua coli volebat Deus modo ſingulari, atque ſalutis humanæ myſterium patefieri: promiſerat verò Deus olim vniuerſam terrā poſteritatis Chanaan, ex quo Amorrhæorum regna Sehon, Ogque otiūdi erāt. Lege Maſium[b]. Simul porrò hic & in ſequētibus deſcribitur amplitudo dictorum regnorum, & quibus terminis circumſcriberentur. Notatur præterea diuerſitas vocabulorum, quibus vnus ac idem locus diuerſarum Gentium linguis appellaretur; quod conducit ad intelligentiam auctorum, qui nunc vno vtuntur, nunc alio nomine ſcribentes de loco eodem. Porrò tropologicè loquendo, conſtat vincendos priùs hoſtes, regnáque diaboli, carnis, mundi, quàm digni efficiamur D promiſſa cæleſti patria; ſicut & ſancti per fidem, nempe viuam, vicerunt regna[c]; teſtéque Philone[d], meliorem ac perfectiorem victoriam inuenire non licet, quàm illam, qua vincitur validum agmen vitiorum & affectuum. Fidei victoria peculiariter aſcribitur; quoniam oſtendit bona æterna, vt contemnantur temporalia. b in Ioſue 12. 1. c Hebr. 11. 33. vbi Aquinas. d de agricult.

Explanatio. *Tulimúſque illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum.*] Synonyma ſunt (*tulimus, & cepimus*: ἐλάβομεν, & ἐκρατήσαμεν; נקח *nikkach*, & לכדה *milchod*; נסבנא *neſſcena*, & כבשנא *chenaſna*:) (*in illo tempore*) denotat alteram alteri pugnam victoriámque ſtatim ferè ſucceſſiſſe: nec refert quòd Græcè ſit ἐκ χειρῶν pluraliter, *de manibus:* E & *auferre de manu manibúſve*, idem valet atque de ditione, dominio, poteſtate; vt ſæpe alibi. Auferre de manu, quid.

Qui erant trans Iordanem.] Pro (*trans*) eſt בעבר *behheuer*, בעברא *behhbara*, πέραν: ſicut & c. 1e. vbi docui accipiendum eſſe reſpectu habitantium in terra Chanaan, quoniam comparatione populi Hebræi adhuc exiſtentis in terra illa Amorrhæorum, non poterat dici eadem terra trans ſiue vltra, ſed eis ſiue citra. Fortaſſis ipſemet Moſes dum iſta ſcriberet conſiderauit quo pacto locuturi eſſent Hebræi. Nam etiamſi Gallia diuiſa fuerit in Ciſalpinam, & Tranſalpinam reſpectu Italiæ, e verſ. 1. 4.

Hispani, & Galli ipsi qoi degunt vltra Italiam, adhuc appeilant Transalpioam eam quæ respectu ipsorum est propriè Cisalpina, & vice versa. Infe-nus tamen terram trans Iordaoem propriè vocat Moses ratione situs in quo runc erat citra Iordanem (*donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit, & possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Iordanem:*) & (*transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem.*

i v.20.25.

A torrente Arnon.] De boc in c.1.[b] dictum satis. Ibi φάραγγα reddunt L X X. idest, *vallem:* hîc χειμάῤῥῳ, *torrentem*; quæ duo eadem voce נַחַל *nachal* sigoificari possunt. Erar Arnon in angulo orientali & meridionali: nec solùm nomen ciuitatis, nec item torrentis siue fluuij, vt Abulensis hoc adhuc loco contendit contra receptam sententiam.

b v.8.
Arnon.

Vsque ad montem Hermon.] Terminus est anguli occideutalis & septemtrionalis. Scribitur Hebraicè חֶרְמוֹן *chermon*, Græcè cum aspiratione ἑρμών. De hoc monte quid opus est dicta repetere in Psalmo 41.[c] cùm de Hermoniim, & in 88.[d] simul cum Tabor, & in 132.[e] cùm de rore Hermon? Ibi actum de re, déque vocabulo, ac etymo eiusdem. Distingui solet Hermon in maiotem, & minorem, atque etiam Hermonius vocatur iugum quoddam humile, tumórve Hermon maioris contra montem Tabor procedens. Maior extenditur in longitudioem quatuor ferè leucis contra mare Galilææ, vbi ex mari Galilææ Iordanis egreditur. In latere minoris aquilonari ciuitas Naim constituitur. Vocatur etiam Aermon, & Ermon, vel potiùs bis modis minùs emendatè scribitur.

c v.7.
d v.13.
e v.4.

Quem Sidonij.] Hebraicè צִידֹנִים *Tsidonim*, & Chaldaicè צִידוֹנָאֵי *Tsidonae*. Græcè οἱ φοίνικες: sed[f] alibi σιδώνιοι: & pro Sidone[g] σιδών: nec vnquam eo modo quo hîc. Phœniciæ vrbem inque Assyrij maris litore Sidona positam scribir Achilles[h] Alexandrinus: Strabo[i] in pulcherrimo continentis porto; vocat verò Ptolemæus Palæstinæ vrbem. Videlicet *Siden* Phœnicum lingua piscis est, vnde vrbi datum videtur[k] nomen, quia iuxta mare, licèt à Sidonio primogenito filiorum Chanaan denominatam tradat Iosepbus.[l] Sidoniam cognominauit Virgilius[m] Didoné. Distabat olim à Tyro Sidon altera Phœniciæ nobili vrbe nouem parasangis, boc est, nonies triginta stadiis, seu 270. circiter 32. milliaribus, aut iuxta quosdam quinque rantùm leucis, aut vna & viginti, aut stadiis ducentis; hodie *Said*, vel *Sajeto*. Pertinuit ad tribum Aser; sed numquam de manu Gentium ablata est. Promonte altissimo in libri Numerorum c.34.[n] Hor montem altum legi volens Villalpandus[o] noster, siue promontorium, notat quòd hoc promontorio sui litoris terram promissam finiuit, ad radices orontis Libani. De Sidone ac Tyro dixi commentario actuum[p] Apostolorum: itémque de Phœnice[q].

f Ios.13.4.
e.Iud.3.3.c.10.12.c.18.7.
g Ios.8.7.c.19.28.&c.
h lib.1.
Sidon quid.
i lib.16.
k Iustinus l.18.
l 1.antiq.c.6.
m 1.Æneid.
n v.7.
o in Ezech.27.8.& in c.28.21.
p in c.12.20 & c.21.3.c.27.3.
q in c.11.19.

Sarion vocant.] Hebraicè, Chaldaicéque scribitur שִׂרְיֹן *sirion*, Græcè σαριών. Vt omittam Hebræum verbum futuri temporis esse יִקְרְאוּ *ikren*, *vocabunt*: quo tempore vtuntur Hebræi nonnumquam, vt denotent id qood in more est. Iste mons, air Abulensis, appellatur hîc tribus nominibus, quia tangit tres regiones: est enim in parte septemtrionali terræ promissionis, & ibi coniunguntur extremitates regni Amorrhæorum regno Sidoniorum, quæ terra vocator Phœnicia: ideo cùm tangat quodlibet regnum istorum, ea inter se diuidens, à quolibet nomen accepit. In Psalmo 28.[r] quod legimus (*dilectus quemadmodum filius vnicornium*) dixi eum enarrans ab Hieronymo, & ab Hebraizantibus reddi (*Sirion*, &c.) exponique de isto monte, seu iogo, cui aliud nomen Hermon, & Sanir: vt sit sensus voce Domini confringi cedros Libani, ac radicitus euelli, & effici vt ea facilitate exiliant, qua vituli saliunt: immò vt ipsimet montes Libanus & Sarion tam facilè saltent, quàm saltat filius vnicornium. Andreas[a] Masius posita distinctione duplicis Hermon, maioris qui sit Libani pars versùs Orientem supra Iordanis fontes, atque ad Trachoniridem pertineat; & minoris, apud fluuiolum Cbison, non procul à monte Gelboë; asserit priori nomen præterea fuisse Baalhermon, Sirion, & Siroo, scribendo istud שִׂרְיֹן, & quod hîc sequitur, *Sanir*. Quorum nominum rationem alibi se redditurum pollicetur, quod præstare nequiuit, & cùm peregrinarum linguarum ab Hebræa diuersarum oec satis nobis cognitæ cum nomina sint, illam afferre nec magni refert, nec adeò facile est. Apud Hieronymum[b] tamen Sareon (sic scribitur fortassis pro *Sarion*) declaratur princeps mœroris: apud Bedam Sation præterea velamen tristitiæ, angustia iniquitatis, carbo inutilis. Sed expendere non libet iuxta radicem Hebræam, alterius vocabulum idiomatis. Extat id hoc dumtaxat loco diuinæ Scripturæ vt proprium. Adricbomius[c] appellat Sarion, Sirion, Sireon, Sanior, Sion, Seon, Tracbon, Trachonum, Alsadamum.

r v.6.
Sarion vide.
a in Iosue 11.3.
b de nom. Hebr. ex Deut.
c thea. terræ sanctæ in Manasse s. n.58.

Et Amorrhæi Sanir.] Verbum vocandi repetunt editiones aliæ: sed Hebræa pluralis numeri cum nomine singularis אֱמֹרִי *emori*, nisi fortè excidit finalis litera ם *mem*, & legendum sit אֱמֹרִים *emorim*: licèt Græcè quoque sit ἀμοῤῥαῖος: Chaldaicè verò pluraliter אֱמוֹרָאֵי *emorae*: & pro שְׂנִיר *scenir*, Græcè σανίρ, transferatur *mōs niuis*, טוּרָא תַלְגָּא *tura thalga*, niuem enim valet תַלְגָּא *thalga*, sicut Hebraicè שֶׁלֶג *scheleg*. Et quidem Hermon mons dicitur anno ferè toto niuibus opertus, quarum pars dissoluta in æstate campos seu agros vicinos fœcundet. Testatur præterea Hieronymus[d] accepisse se ab Hebræo, quo prælegente Scripturas didicerat, Paneadi imminentem fuisse, eúmque quondam Æucos (Heuæos) & Amorrhæos tenuisse: sua autem ætate æstiuas niues Tyrum ob delicias deferri solitas, vt nempe pocula temperarent æstiua. Spectant huc Ieremiæ[e] verba; *numquid deficiet de petra agri nix Libani*: & quòd Libanus à לָבָן *lauan* siue *laban*, appellatus dicitur, idest, ab albedine (per metathesim *album* Latinè deriuatum censeri potest) quia semper niuibus albicans visebatur. Ideo namque Masius[f] refert quibusdam placuisse, partem orientalem Libani vocatam Hermon, immo & Libanū totum; quia חֵרֶם *cherē* significat rem excisam & separatam, idest, perditam, quæque nulli sit vsui: Libanus verò in locis niue coopertis nullum præbet vsum: denique Chaldæum exposuisse *niuosum*. Villalpandus[g] noster concedit orientalem Libani partem nuncupari Hermon, & Sanir; at non Hermon, propter niues quæ potiùs vbertatem afferunt: sed forsitan quòd ea Libani pars excisa seu separata fuerit, & aliqua interiacente valle seposita. In Paralipomenis[h] dicitur dimidia tribus Manasse possedisse terram à finibus Basan vsque Baal Hermon, & Sanir, & montem Hermon, quia ingens erat numerus. Nominatur in Cantico[i] Canticorum vertex Sanir & Hermon cum capite Amana, & ibi scribitur fuisse cubilia leonum, mentióque fit de montibus Pardorum. In Ezechiele[k] celebrantur

d de locis Hebr. in Aermon.
e c.18.14.
f in Iosue 11.6.
g in Ezech. 27.5.
h lib.1.c.5.23.
i c.4.8.
k c.27.5.

abietes de Sanir. Gaspar [a] Sanctius noster benè docet duplicem fuisse Hermonem montem maiorem & minorem; atque eum qui pars erat Libani appellatum Sanir, Sion, vel Seon (distinctum à Sion in quo sita est Ierusalem) & Trachon vnde regio Trachonitis; cùm in Ezechiele [b] distinctè nominantur Baal Hermon, & Sanir, & Hermon, causam videri, quòd tempore Og, mons idem plura nomina haberet; postea propter hominum commoditatem in diuersas partes distractus, nomina simul ipsa distraxerit; ita vt pars vna diceretur Hermon, alia Sanir; quemadmodum Tagum vocant Hispani Tato ex qua parte spectat Orientem, Teio ex qua Occidentem: idem fluuius appellatur Ister, & Danubius, hoc nomine vsque ad Illyricum, illo inde ad [c] ostium; Tygris quà fluit concitatior, Diglito quà tardior [d]; Euphrates vt capiti suo proximus est, Pyxirates pee Taurum erumpens. Omira [e]; fluuius ad Cælenas vsque, Marsias, ab eo loco egressus, Lycus [f]: tempore Salomonis distinctum iam fuisse Sanir ab Hermon, necnon Baal Hermon, & Hermon. Adde Taurum & Caucasum de eodem monte, non tamen in eadem eiusdem parte; Oreb, Sinai, Pharan de collibus eiusdem montis. Cæterùm obseruat Hebræi recinuisse nomen illud ab Amorrhæis impositum monti, videlicet Sanir; cùm sic tot aliis locis, quæ protuli vsurpetur; Sarion autem nonnisi semel hoc loco. Si cui videtur ipsummet nomen Sanir Hebræum esse, dicat eiusmodi nomen excogitatum, quod significatione simile foret significationi nominis alterius, quo vtebantur Amorrhæi. Hieronymus [g] quidem etymon Sanir tradit *lucerna dente*, aut *leua nouitatem*: Aponius [h] *mutationem* seu *nouitatem*: Beda [i] *Deus luminis* aut *lucerna*, *leuans* vel *attollens nouitatem*. *Dentem* significat שֵׁן, *lucernam* נִיר *nir*. שָׁנָה *sanah mutare*. Rectè porrò hic ab Oleastro notatur diligentia peritissimi Chronographi, clarè distinguentis ea quæ obscuritatem possent parere & confusionem, propter varia nomina eidem loco attributa.

[a] in Cant. 4.2. nu. 55. 56.
[b] c. 27. 5.
[c] Plin. lib. 4. c. 12.
[d] l. 5. c. 24.
[e] Idem.
[f] Curtius 33.
Sanir etymon.
[g] 1. cont. Ionia. & de nom. Hebr. ex Deut.
[h] in Cant. 4.
[i] de nom. Hebr.

Vers. 10.] Omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie, & vniuersam terram Galaad & Basan, vsque ad Selcha & Edrai ciuitates regni Og in Basan.

PARAPHR.

AD radicem prædicti montis Hermon, variis appellati nominibus, erant diuersæ ciuitates, quas redegerunt in potestatem Hebræi, cum vniuersa terra quæ adiacebat monti Galaad, & idem ab illo cognomen habebat, & alia quæ vocabatur Basan, vnde etiam rex Og peculiariter denominatus est rex Basan, vsque ad celebres alias Selcha, & Edrai; ad quarum vltimam idem rex exiuerat vt pugnaret contra Israël [k].

[k] Num. 21. 33.

Explanatio.

Omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie.] Hebraicè (*omnes ciuitates*, הַמִּישֹׁר *hammisor*) Chaldaicè absque litera demonstratiua [n] הַ (מִישֹׁר *mesior*:) Græcè (μισώρ) Ciuitates in planitie, aut planities, reddunt etiam omnes Hebraizantes, vel rectitudinis, à יָשַׁר *iasciar*, quod est rectum esse, & planum, & æquabile, quódque placeat. Eugubinus monet L X X. & Chaldæum Paraphrasten existimasse nomen loci esse, ac immutatum reliquisse; quia nomina propria locorum, vrbiúmque non possunt aliter transferri: arbitrari autem se vtrumque asseri posse; videlicet hoc esse nomen loci proprium, & inde id inditum esse, quòd esset locus in planitie, seu planus, rectus, æquabilis, amœnus, gratus, magis excultus. In Psalmis dicitur, *pes stans in directo* [a], בְמִישׁוֹר *bemiscior*; *virga directionis* [b], מִישֹׁר *miscior*: *terra recta* [c], siue *rectitudinis*, מִישׁוֹר *miscior*: in historia [d] Regum, *pugnare in campestribus*, בַּמִּישׁוֹר *bammiscior*, eodem pacto *pecora in campestribus*, in Paralipomenis [e]: in Esaia [f], *praua in directa*, לְמִישׁוֹר *lemiscior*: in Ieremia 6, *vallis campestris*, הַמִּישׁוֹר *hammiscior*: & [h] *dissipanda campestria*: in Iosue [i], *campestria Medaba*. Sed in eodē Iosue [k] cùm numerantur quatuor ciuitates refugij de tribu Ruben, contra Iericho, assignatæ Leuitis; & tamen ponuntur quinque nomina velut propria, Bosor in solitudine, Misor & Iaser, & Iethson, & Mephaath; respondet noster Serarius [l], nomen id in Latinum textum ex aliquorum irrepsisse margine, qui è L X X. notarant τῇ μισώ, vel potiùs μισώρ: non esse vrbem distinctam à Bosor, sed per illam vocem significari, quòd Bosor esset sita in planitie, seu in plano, patente, conspicuo loco; quia מִישׁוֹר *misc̨ior planitiem* significat: in textu Græco esse τὴν βοσὸρ ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ μισώ (melius μισώρ.) Cùm autem in cæterarum adiunctarum vrbium trium numeratione præponatur καὶ, idest, *&*, vt significentur diuersæ: Misor ita necti eum Bosor, vt sententia sit, Bosor, quæ est in eremo, quæ in planitie, seu quæ est in plano. Hieronymus [m] tenet Misor esse ciuitatem Og regis Basan; significare autem loca plana atque campestria: atque ipsum nomen iuxta etymon significare directum, quod Græcè dicitur εὐθύ, vel plana & campestria, Interpretatur quoque Beda plana, directa, humilem, campestrem.

[a] ps. 25. 12.
[b] ps. 44. 7.
[c] ps. 142. 10.
[d] lib. 3. 20. 23.
[e] 1. 2. 26. 10.
[f] c. 40. 4.
[g] c. 21. 13.
[h] c. 48. 8.
[i] c. 13. 9.
[k] c. 21. 36.
[l] ibid. q. 4. dubio 2.
[m] de locis Hebr. & de nom. Hebr. ex Deut.

Et vniuersam terram Galaad.] In editionibus aliis (*& omnes Galaad*, aut, *& omnem Galaad.*) Præcessit iam priore [n] capite hoc nomen, & sæpiùs libro [o] præcedente. Reperit hoc loco Abulensis rationem nominis, quia Iacob cumulum tumulúmque lapidum ibi congessit, ac erexit, veniens de Mesopotamia, in testimonium inter se & Laban [p].

[n] v. 36.
[o] c. 32. 1. 29. 39. 40.
[p] Gen. 31. 44. & seqq.

Et Basan.] Eodem pacto secundùm reliquas editiones (*& omnis Basan*, vel *& omnem Basan*) videlicet fuit nostra, aut illam tulimus, cepimúsve, De hac item terra dictum aliquoties.

Vsque ad Selcha.] Hebraicè, Chaldaicéque סַלְכָה *salcha*; Græcè in Sixtinis codicibus ἐλχά, in aliis minùs correctis ἐλκά. Sed in Paralipomenis [q], vbi rursus nominatur סַלְכָה *salchah*, & ab editione nostra Selcha, sicut hic. Magis correcta videtur lectio aliorum codicum, quæ habent σελχά, quàm Sixtinorum, qui ἐλχά. Sic in propriis nominibus non rarò vel error vel discrepantia occurrit. In libro Iosue [r], vocatur iuxta eandem editionem nostram Salecha, sed in Græca Sixtina σελχάς, & ἐλχά, in aliis σελχά. Adrichomius [f] appellans Selcha, Salecha, Salcha, Selchat, Salehara, scribit fuisse veterem ciuitatem Og regis Basan, vnámque de sexaginta munitioribus ac validioribus vrbibus regni eius, sitam iuxta vrbem Gessor, montémque Hermon, & Basanitidis regionis claustrum; quam gigantes diu possederint ac inhabitauerint, anno autem Christi 1143. frustrà Turca quidam tradere conatus fuerit regi Balduino tertio, vnà cum Bostrense vrbe. Collocat Masius [t] eandem in extrema Basanitidis ora, quæ supra Philippi Cæsaream est. Hieronymus [a] legens Selcha, & Salacha, tradénsque fuisse ciuitatem regis Og in regione Basanitide, notationem reddit; *leuans vem*, vel, *tollens venit*: Beda, *leua venit*, *tollens venit*, *tulit sibimet*, *tentatio itinerantium*.

[q] lib. 1. 5. 11.
[r] c. 12. 4 vel 5. 13. 11.
[f] theat. terræ sanctæ in Manasse 2. n. 24.
[t] in Ios. 12. 5.
[a] de locis Hebr. & de nom. Hebr. ex Deut.

Non

Non agnosco hîc læuam, veniendi verbum, tentationem itinerantes. Exaltatio seu eleuatio peti potest ex סָלַל *salal*, quod valet *eleuare*, ac præsertim quidem viam, vt faciliùs transeatur per eam; vltima syllaba in סַלְכָה *salcha*, pronomen innuit, non (*sibi*) sed (*tibi.*) Ea radice סָלַח *salach, parcere*, seu *remittere peccatum*, posset etymon esse venia remissiove peccatorum.

Salcha etymon.

Et Edrai.] De hac in versu 3. & in cap. 1.[a] & præcedentis[b] libri c.21. Corruptè scribitur Esdrai apud Abulensem hoc loco.

a v. 4. b v. 33.

Ciuitates regni Og in Basan.] Accusatiui casus est (*ciuitates*) sicut & initio versus (*omnes ciuitates,*) pendétque id nomen à verbo (*tulimus*) ex versu 8. quamuis Græcè sit in recto casu πᾶσαι πόλεις: necnon & aliud per se positum πόλεις, pertinens ad præsentem versum.

Vers. 11.] Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.

Paraphr.

AD magis exprimendam victoriæ ac diuini beneficij quo concessa est, magnitudinem de Og rege Basan, describitur istius enormis proceritas, qui ex vetustioribus gigantibus vnus superfuerat, quam asseruatos in huius potissimum rei monimentum, ingens admodum ferreus ipsius lectus demonstrabat. De isto gigante Og quæ fabulosè tradãtur à Rabbinis, disces ex iis quæ dixi c.21.[c] prioris libri, simul cum lecto eiusdem, cuius hîc mentio fit. Lyranus ex R. Salomone refert sermonem esse de gigantibus, quos interfecit Chordorlahomor & socij eius[d], vnde Og solus euaserit, posteáque rex Basan factus fuerit. Et secũdùm hoc, ait Lyranus, iste Og diu vixerat, quia à tẽpore belli prædicti, de quo euasit, vsque ad bellum, in quo obiit, fluxerunt plusquam 400. anni; immò cùm à diluuio ad ingressum Hebræorum in Chanaan intercesserint 800. anni, excessisset Og ætatem 800. annorum. Hoc pro absurdo habet Abulensis[e], & meritò, quia ætas tanta non concedebatur illo tempore. In aliis regionibus adhuc alios gigantes fuisse vidimus libro præcedente[f], colligitúrque aliis ex[g] locis. Porrò non ita ferè in adeò magno, vt in exiguo, seu minùs magno, & mediocri, regnare virtus scientiave solet. Vnde illud,

c vers. 33.
d Gen. 14. 1. & seqq.
e q. 2.
f c. 13. 34.
g Io. 15. 14. 1. Paral. 20. 6.

Maior[h] *in exiguo regnabat corpore virtus.*

h Statius.

quod etiam de Tydeo canitur, qui

Ingenio[i] *pugnax, corpore paruus erat.*

i in obsc. carm.

τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής[k]:

k Hom. Iliad. ε.

Strenuus in pugna Tydeus, sed corpore paruus.

Nec minus etiam plerumque ἄνους ὁ μακρός, *amens qui longus*, iuxta parœmiam, quàm οἱ νανώδεις τὴν φύσιν τῷ νῷ ἔχειν ἐλλείποντες, *nani natura mente deficiunt*, vt ait Aristoteles[l]. Tandem ænigma prouerbiale in hominem prægrandi corpore, ingenio nullo apud Athenæum[m] Clearchus affert οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς, de citharœdo qui mole corporis ingens, arte non perinde magnus erat, quo significatur quòd nullus erat, idest, nullius pretij, malus seu improbus, magnus corpore piscis, hoc est mutus, infacundus, malè canorus. Quod ad histrionem referendo sic recitatur, μέγας οὐδεὶς σαπρὸς ἰχθύς, *nullus magnus putris piscis*. Euryalo quoque obiecit Vlysses, quòd quamuis forma eleganti præditus esset, νόον ἀποφώλιος[a], erat *mente vilis*: &;

l 3. de part. animal. c. 10.
m lib. 8.

— Si membra tibi dent grandia Parcæ,
Mentis eges.

a Hom. Odyss. 8.

Eodẽ pertinet *caliga Maximini* de longo ineptóque homine, qualis ille. Disputat hac de varia humana statura, eique respondentibus diuersis moribus Ioannes[b] Baptista Porta, prolatis tum testimoniis Aristotelis, Alexandri Aphrodisæi, Auicennæ; tum variis exemplis (horum plura collegit auctor[c] theatri vitæ humanæ:) docétque commensuratum censeri corpus, quod in suo climate iustam mensuram non excedit; vt in medio climate sex pedum cum dimidio: sub septentrione septem: sub æquinoctiali quinque cum dimidio. Camillus Baldus, qui nuper anno 1621. prodiis enarrans Physiognomica Philosophi[d], corporum Italicorum staturam mediocrem ait esse quatuor pedum cum dimidio, tribuendo pedi duodecim vncias, vnciæ spatium quanta est longitudo secundi articuli pollicis; videri ficta quæ de Oreste, Pallante, & similibus memorantur; vel fuisse monstra; vel pedes minoris quantitatis, vt quatuor sexve vnciarum; quemadmodum anni Ægyptij secundùm quosdam erant solùm trimestres: falsum esse homines continuè decrescere, filiósque patribus aliqua semper ex parte minores esse, quoniam oporteret à sex millibus annorum & eo ampliùs nos multò minores pygmæis esse; aut primos illos homines vertice cœlum attigisse. Explicat præterea quomodo se habeat ingenium in maioribus, & minoribus, ob maiorem ac minorem distantiam inter cor & cerebrum, seu propter tardiores & celeriores lationes sanguinis & motiones spirituum, ea corde ad cerebrum, attendendo simul complexionem secundùm qualitates caloris, frigoris, siccitatis, humiditatis. Illaudati quantum ad mores gigantes in Genesi: in historia Regum Saul & Golias: vtque vir insulsus denotaretur, qui è mercatu pro nitro salem attulisset, cognominatus est ab vxore *Praxinoa maritus*, qui enormiter procerus erat, sed cum hyperbole ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς, *vir tredecim cubitorum*[e]. Iouianum Imp. anus adeò magnum conspicata, cùm stupidum esse ἀναλδῆ didicisset; *quanta*, ait, *est longitudo & profunditas, tanta est stultitia*, ὅσον μῆκος καὶ βάθος, ἡ μωρία[f]. Cæterùm Abulensis[g] literalem dumtaxat sectari sensum solitus, moralem de Og hunc tradit, sed post Lyranum, apud quem breuiùs perstringitur. Signat, inquit, Og, cuius etymon *coacervans*, vel *coaceruatio*, peccatorem, qui peccata peccatis superaddit, donec veniat in profundum malorum[h]; peccatum enim, cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat, vt fiat habitatio omnis spiritus immundi. Exemplum ponit in vitio carnis, in quo demonstrat nouem cubitos longitudinis, & latitudinis quatuor iuxta quantitatem lecti Og, ita vt luxuriosus tanquam in lecto immobilis requiescere videatur. Primum cubitum longitudinis, vel gradum constituit in cibis exquisitis, aut electuariis: secundum in dulcibus & continuis poculis, quia venter mero æstuans facilè despumat in libidinem, vt ait B. Hieronymus[i]: tertium in spectaculis, quia, vt scribit Ouidius[k],

b 4. Physiognom. c. 8.
c vol. 2. l. 2. pag. 274. & seqq.
d p. 4. apotelesmate 242. & seqq.
e Theocr. in Syracusanis.
f Suidas.
g q. 3.
h Prou. 18. 3.
i epi. 83. ad Oceanũ, & refertur d. 35. c. Venter mero.
k 1. de arte amandi.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ:
Ille locus casti damna pudoris habet.

& Iete

& Ieremias * quòd intrat mors per fenestras, & oculus noster deprædatur animas nostras: quartum in dissolutis cantilenis; vt ideo Philosophus [a] prohibeat iuuenes à melodiis veneris, & amatoriis, quæ sunt secundùm Phrygiam melodiam: quintum in aromatibus & odoribus prouocatiuis excitatiuísque venerei appetitus: sextum in donis & munusculis: septimum in mollibus lectis: octauum in temporali sociorum lætitiarum in turpi vsu fœminarum, &, quod peius est, masculorum, brutorum, &c. Ex cubitis quatuor latitudinis lecti, idest, dicti peccati, primum asserit esse turpem cogitationem; secundum perficiendi consensum, siue deliberationem; tertium consequentem operationem; quartum diuturni actus assuefactionem: ferreum verò lectum censeri, si tanta istius consuetudinis firmitas sit, vt à nullo bono superetur. Infert ex hoc exemplo, & Goliæ, & eorum, de quibus exploratores retulerunt, Theodoretus [b] nomine gigantum intelligendos homines inusitatæ magnitudinis non tantùm improbos, Dei contemptores, atheos, vt sentit Origenes [c]: quoniam tam expressè quantitas describitur, & quidem etiam lecti ferrei Og. Addit sic Deum voluisse cognosci omnipotentiam suam: qui tamen simul non dederit passim hominibus maxima corpora, vt superbiam arrogantiámque cohiberet. Nam si exiguis, inquit, corporibus præditi, non contra se modò, sed contra Deum creatorem attollunt, quid commisissent si maxima corpora sortiti essent. Idem aliàs probauimus. Abulensis porrò quod scribitur de monstrato lecto, contendit ab Esdra esse additum, probante contemporaneis suis magnitudinem Og, quem Og viderat exercitus Mosis, & Moses non fuerat in regione Ammonitarum vbi lectus ille asseruabatur. Atqui nec ab omnibus visum ipsummet Og oportet; & argumentum ex lecto, licèt alibi asseruaretur, valet ad magis confirmandam de proceritate Og veritatem, tam pro iis qui hominem vidissent; quàm qui non vidissent, siue illomet tempore, siue sæculis venturis. Denique si additio alicuius est, videtur potiùs illius, qui Mosis diaria paulò pòst digesserit; opus autem fuisse non videtur ab Esdra restitui scripturam integram, quoniam non est credibile à Chaldæis combusta exemplaria omnia, quæ erant per Iudæam vniuersam, & alias etiam Gentes dispersa. Legantur nostri Bellarminus [d], Salmero [e], Serarius [f].

* c.9.21. — a 8.Pol.c. vlt. — b q.48. in Gen. — c apud Sixtum Sen. 5. biblioth. annot. 76. ex Gennad. — d 2. de verbo Dei c. 8. — e to. 1. proleg. 4. — f prol. bibliac. c. 12. q. 1.

Solus quippe Og rex Basan restiterat.] Idem est (*restiterat*) quod (*relictus fuerat*, siue *supererat*.) quod significant aliarum editionum verba נִשְׁאַר *niscìar*, אִשְׁתְּאַר *isthaar*, κατελείφθη. Vnde rectè Rickelius explicat (*superstes fuerat.*) Sanoster (*remanserat.*) Nec aliter alius exponit, præter Hugonem, cuius interpretatio est (*quia solus restitit eis.*) vtpote miro modo fortis & magnus. Coniectus est quoque is ipse locus in Concordantiis biblicis, quarum auctor habetur idem Hugo, inter loca quæ spectant ad verbum (*resisto.*) Adhuc semel apud Esaiam [g] eodem isto loco vtitur editio nostra (*& erit sicut congregans in messe quod restiterit*) quod in aliis exprimitur per verbum *standi*, vel participium *stans* קָמָה *kamah*, & ἑστηκὸς. Vsurpant boni alij auctores idem verbum eodem pacto; vt Seneca [h],

Resistet ille, séque mulcendum dabit.

Et,

Resiste [i] *Theseu.*

Item Liuius [k]; *restitere Romani, vt cælesti voce iussis*

Explanatio. Resistendi verbum. — g c.17.5. — h in Hipp. & act. 1. v. 235. — i c. in Herc. furente. — k lib. 1.

& Bebius [a] *restitit ad Pelignorum oppugnandum.* Ouidius [b] etiam ait *resistere ad fores*: Cicero [c], *resistere in re aliqua.* Affinis alia notio, qua capitur resistere pro eo quod est retrocedere, & non progredi; vt cùm dicuntur equi resistere ad vulgi [d] plausus: vel sono, plausu, fremitu canentis [e]; *nonnunquam viso cæsse resistere amans* [f]. Qua ratione autem solus Og restitisse ex gigantibus intelligi debeat, priùs dixi, & adhuc docebunt sequentia. Legens Augustinus [g] (*veruntamen Og rex Basan reliquus factus est à Raphaim*) docet hoc nomine gigantes significari affirmare illos, qui linguam Hebræam nouerunt: & quod habent pleraque codices (*derelictus est à Raphaim*) planiùs dici (*reliquus factus est*) vt ipse ex illis remansisse intelligatur.

a lib. 6. — b 5. fasto. & 2. de arte. — c 4. de fin. — d Proper. l. 3. eleg. 4. — e Ouid. 4. Trist. eleg. 2. — f Idem 3. de arte. — g q. 3.

De stirpe gigantum.] Hebraicè (*de reliquiis Rephaim*, מִיֶּתֶר הָרְפָאִים *miyether harephaim*,) Chaldaicè (*de reliquiis gigantum*, מִשְּׁאָר גִּבָּרַיָּא *misćear gibbaraija*,) Græcè, *de Raphaim*, ἀπὸ τῶν ῥαφαΐν. De hoc nomine Raphaim prima mentio extat in Genesi [h], vbi percussi dicuntur à Chodorlahomor, atque de illis hoc ipso libro actum antea est.

h c.14.5.

Monstratur lectus eius ferreus.] In editionibus aliis (*ecce lectus eius, lectus ferri*, siue *ferreus.*) Lecti Latina vox pluribus locis reperitur; bis autem occurrit in Leuitico [i], simul cum strato [k]; pro quibus habetur Hebræa מִשְׁכָּב *mischab*, & similis Chaldæa מִשְׁכְּבָא *mischeua*, Græca verò κοίτη: hîc עֶרֶשׂ *hheres*, עַרְסָא *hharsa*, κλίνη. In Psalmo 6. [l] lectus & stratū vocantur etiam vno nomine עֶרֶשׂ *hheres*, & κλίνη, sed altero מִטָּה *mittah*, & στρωμνή. In 40. [m] pro lecto etiam ac strato sunt עֶרֶשׂ *hheres*, & מִשְׁכָּב *mischab*, κλίνη & κοίτη. In 131. [n] lectus strati dicitur nominibus Hebræis עֶרֶשׂ *hheres*, & יָצוּעַ *iatsuahh*, Chaldæis עַרְס & מַצָּע *matsahh*, Græcis κλίνη & στρωμνή. De his omnibus dixi locis iisdem: & quòd Græcum quoque vetustum nomen sit λέκτρον, cui synonymum λέχος: vtrumque à λέγομαι, vt & à lego, idest, colligo seu eligo, quoniam è gramine, aut herbis lectis lectus primùm fiebat, Varrone teste, ac Festo; vnde λεχαῖα herba collecta ex qua lectus sterneretur. Vocat Lucretius

Lecti vox. — i cap. 15. 5. 21. — k v. 4. — l v. 7. — m v. 4. — n v. 3. — Lectus primùm è gramine aut herbis fiebat.

Strata cubilia herbis & frondibus aucta.

Propertius [o],

—*Strata (ait) vidisti Lygdame lecto.*

o l. 3. eleg. 6.

Refellit Lyranus, pòstque ipsum Abulensis, & alij, sed ante omnes Petrus Cluniacensis longè meliùs & fusiùs Rabinicam fabulam, quæ vt incredibilem Og proceritatem tueatur, vt à planta pedis vsque ad canillam eiusdem essent triginta cubiti humani; confingit hîc non lectum, sed cunam reddi debuisse, in qua positus fuerit quando erat puer, & quod iam tantæ erat fortitudinis, & magnitudinis, vt non posset teneri, nisi in cuna ferrea, habente nouem cubitos vsuales in longitudine. Nam עֶרֶשׂ *hheres*, inquit, non cunam significat, sed lectum strarúmve: quod confirmat & ex citato Psalmo 6. [p] & ex Genesis c. 49. [q] *maculasti stratum eius*, hoc est, lectum Iacob, cùm iam esset vir perfectus, nec iacebat in cuna. Oleaster fatetur intellectum suum in dicta significatione dicti vocabuli עֶרֶשׂ *hheres* non posse quiescere. Non video quid inquietum reddat illum, cùm tanto consensu recipiant passim omnes allatam acceptionem pro lecto. Ex ferri verò materia lectus ille constabat, ex eáque fieri Og mandauerat, quia quantitas sua excedebat mensuram aliorum lectorum: quia ligneus pondus non ferebat, ac difficilè iacentem sustinere poterat. Ratio posterior est Marzillæ, nostríque Marianæ: prior Abulensis: quæ,

p v. 7. — q v. 4.

quæ sequam speciem habet probabilitatis, ab alia non discrepat. Nec in ferro tamen nudo cubitasse Og asserere oportet absque stragulis. Thomas[a] Lo... us siue Angelicus docens Christum dormiisse in ligno, immò & in ferro, hoc est, in cruce, somnum autem cepisse in lapide, id est, in sepulchro, aptat lectum hunc nostrum ferreum priori lecto: voluisse autem in tam duris lectis quiescere instar probi ac strenui militis, vt Annibalis, qui super nuda humo dormiebat, & Iacob, qui sub lapideo cervicali[b].

Qui est in Rabbath filiorum Ammon.] In editione Hebraica & Chaldæa (*nonne hic in Rabbath*, &c.) in Græca (*ecce hic*, &c.) Licèt iste non esset rex Ammonitarum, inquit Abulensis, tamen fuit fortè inter eos aliquo tempore, & mansit ibi lectus eius: vel forte fuit factus iste lectus ei in terra sua Basan, & Ammonitæ transtulerunt eum in terram suam pro mirabili signo. Innuit primam rationem Marzilla, dicens quòd eò tendere Og solebat vimens ob fœdus cum Ammonitis contractum. Græcè ἐν τῇ ἄκρᾳ, *in arce*, quod miror translatum in Rabbath è Græco in Bibliis Complutensibus, Regijsque. Eugubinus reprehendit versionem L X X. tum quòd non videantur agnouisse hoc esse nomen proprium loci, tum quòd רבה *rabbah*, exposuerint *cacumen*, cùm significet *copiam*, idque quod copiosum est & multum. Eiusdem nominis Rabbath, vt est loci proprium; habetur[c] alibi sæpiculè mentio, & quidem cum additio (*filiorum Ammon*[d].) Ciuitati nomen hoc inditum ob magnitudinem; præterea vt Aquarum diceretur, quod labor torrens eam circumfluat; postremò, Philadelphia. Ammonitæ filij Lot pulsis gigantibus eam occuparunt, suæque regionis Ammonitidis metropolim fecerunt: obsedit deinde Ioab, at in eius oppugnatione periit Vrias[e]: postquam expugnata est, Dauid inde abstulit diadema Melchon idoli Ammonitarum, capitique suo imposuit[f]; Ptolemæus demum Philadelphus Ægypti rex Philadelphiam denominauit. Collegit ista ex varijs auctoribus Adrichomius[g]. Vocatur aliquando Rabba[h], vel iuxta textum Hebræū Chaldæumque רבה *Rabbah* cum aspiratione, sed Græcè ῥαββάθ. Addit citatus auctor Ammon vel Amman. Differt autem ab alia quæ dicebatur Rabbath-Moab, hoc est, grandis Moab; alterque absolutè Moab, Ar, Aroër, Arnon, Areopolis, & ex quorundam sententia etiam Ariel, vt est apud eundem auctorem[i].

Nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.] Breuiùs iuxta reliquas editiones (*nouem cubitorum longitudo eius*, &c.) Si cubitus vsualis cōmunisque accipiatur, & is duos pedes contineat, fuit longitudo pedum 18. si pedem cum dimidio, pedum 13. cum dimidio. Confutant Lyranus, Abulensis, & alij figmentum Hebræorum, cuius ante meminimus, de tanta Og quantitate; aiúntque lectum paulò maiorem fuisse ipso Og, & cubitos sumendos non esse secundum mensuram ipsiusmet gigantis, sed secundum communem; nec posse sub quantacumque quantitate formam quamlibet esse; quod præsertim verum est de anima. Nam nullos habet in sua longitudine, inquit Abulensis, quatuor cubitos completos de suis, multóque minus habet quatuor in latitudine. Quare concludit post absurda quæ deduxit ex opposita sententia, de communibus cubitis habuisse nouem in longitudine, quatuor in latitudine, atque sic fuisse maiorem, quàm sint duo mediocres homines, aut etiam quam duo & dimidius tam secundùm longitudinem, quàm secundùm latitudinem seruata proportione. Cubitus porrò vsualis, vulgaris, communis est interuallum in homine perfectæ magnitudinis ab articulo medio brachij, siue à flexu illius ad extremum vque medium digitum, vno pede ac dimidio constans: pes constat quatuor palmis: palmus quatuor digitis transuersis: digitus quatuor granis hordei secundùm latitudinem dispositis. Geometricus continet sex cubitos vulgares, ac proinde nouem pedes. Prioris generis cubito vti solere Scripturam, demonstrari potest ex iis quæ de arca Noë[a], & tabernaculi[b] allarúmque rerum traduntur. Et vt simile afferatur exemplum, cùm Goliath sex cubitos cum palmo altus fuisse narretur[c], fuisset 36. cubitorum communium, si de geometricis illi alij intelligantur. Quod etiam ad arcam Noë attinet, si geometrici cubiti fuerunt illi trecenti in longitudinem, quinquaginta in latitudinem, triginta in altitudinem: oporteret longitudinem fuisse 1800. latitudinem 300. altitudinem 180. cubitorum vulgarium, hoc est, duorum millium & 700. pedum primam, secundam 450. tertiā 270. quod etsi placet Delrio[d] nostro eiusque Origenem & Isidorum Clarium, scribentique non displicere Augustino & Caietano; nec diffitendum sit olim pro mole corporum humanorum paulò grandiores cubitos & mensuras fuisse: tamen fidem superat. Eodem pacto cortinæ tabernaculi & saga cilicina quatuor cubitorum latitudinis[e] iuxta mensuram geometricam fuissent 36. pedum vulgarium, quod admodum difficile est. Nimis fabulosa verò sunt apud Ethnicos de Tityo nouem iugera alto: de Typhæo, & Atlante qui astra vertice tangerent, & prioris altera manus ad Orientem, altera ad Occidentem tenderetur; parum credibilia de aliis vel 200. vel 60. vel 24. vel 25. vel 16. vel 14. vel 11. vel 10. cubitorum. Claudij Cæsaris temporibus Gabbara Arabs, sicut hic noster Og, fuit longitudine nouem pedum ac totidem vnciarum[f]: in regno Helsingorum Harthenus nouem cubitorum[g]. De nouenario mysticè differens Petrus Bongus, demonstránsque imperfectionis symbolum esse, & Og diaboli, qui princeps mundi huius dicitur; affert nouem genera cacodæmonum, vt sunt pseudothei, spiritus mendacij, vasa iniquitatis, vltores scelerum, præstigiatores, aëreæ potestates, furiæ, criminatores siue exploratores, tentatores siue insidiatores.

Ad mensuram cubiti virilis manus.] Hebraicè & Græcè (*in cubito viri*, באמת איש *beammath is*, ἐν πήχει ἀνδρός.) Chaldaicè (*in cubito regis*, באמת מלך *beammath melach*: quod etiam R. Salomon sequitur exponens (*in cubito Og*, באמת עוג *beammath hhog*.) Quia mensuratur cubitus palmo, vertit editio nostra dicto modo; vel quia cubitus comprehendit os, quod est à flexu brachij vsque ad manus extensæ medium digitum: quamuis alij excludant manum; & illud os affirment exæquari sextę parti humanæ staturæ, atque sic multò certiorem esse metiendi rationem, cùm in digitis maior esse soleat discrepantia quantum ad longitudinem maiorem breuioremve: apud Ezechielem[h] verò etiam calamum diei staturæ humanæ mensuram, & in sex cubitos diuidi: non differre talem cubitum à mensura pedis, quæ mensura pedis est etiam sexta pars dictæ staturæ, sicut & caput habet huiusmodi proportionem. Lege Ludouicum[i] Alcasar nostrum, qui post alios item nostros Villalpandum, & Marianam, de hoc toto mensurarum argumento scripsit, vt & post illos Cornelius.

Primus

[a] in p. 3. q. 5. ... pag. 24.
[b] Gen. 28. 11.
Rabbath ...
[c] 2. Reg. 11. ... 17. ... Ier. 49. 2. Ezech. 21. 20. ... Amos 1. 14.
[d] 2. Reg. 12. 26. & 17. 27. Ier. 49. 2. Ezech. 21.
[e] 2. Reg. 11. 21.
[f] 1. Par. 20. 2.
[g] in thea. terræ sanctæ in Gad n. 57.
[h] 3. Reg. 11. 7.
[i] Supra n. 9.

[a] Gen. 6.
[b] Exo. 25.
[c] 1. Reg. 17. 4.
[d] in Gene. 6.
[e] Exo. 26. 2.
[f] Plin. l. 7. c. 16.
[g] Saxo Grāmat. lib. 7.
Nouenarij mysticus sensus.
[h] c. 41. 8.
[i] tract. de sacris mens. prop. 7. & seqq.

Primus [a] posita distinctione cubiti maioris & minoris, maiorem ait palmo superasse illum, qui dicitur minor siue vulgaris; idque ab Ezechiele [b] indicatum illis verbis (*in manu viri calamus mensura sex cubitorum & palmo;*) cùm [c] idem de eadem re loquens, dicat (*ad mensuram calami sex cubitorum spatio*) & in c.43.[d] explicet se agere, de cubitis maioribus: & in 3. Reg. c.7. [e] dicantur lapides magni decem siue octo cubitorum, indicando minores & maiores, seu communes, qui & recentiores, atque antiquiores, qui & primæ mensuræ vocantur in Paralipomenis [f]. Monet nihilominus [g], quod ipsi aliàs [h] quoque docuimus, mensuras ac pondera sacra non fuisse dupla apud Hebræos respectu vulgarium, vt non pauci senserunt. Porrò similis est nostræ phrasis in Apocalypsi [i], de mensura cubitorum centum quadraginta quatuor, quæ appellatur hominis & Angeli, hoc est, de mensura, quam Angelus manu tenebat, erat autem humana, & antiqua siue Adami, siue Noë. Verisimile autem est, de hoc genere sermonem nunc esse: & quod hîc est translatú à Paraphraste Chaldæo בְּאַמַּת מַלְכָּא *beammath melach*, (*in cubito regis*) & versitur in Bibliis Complutensibus & Regiis cum addito (*eiusdem*) exponi potest, dempto hoc pronomine, de cubito, qui tempore illo erat in vsu: quemadmodum quem editio nostra in 2.[k] Regum cognominat siclum *pondere publico*, editiones cæteræ vocant, *pondere regis*, aut *regali* בְּאֶבֶן הַמֶּלֶךְ *beeuen hammelech*, בְּמַתְקְלָא דְמַלְכָּא *bematkela demalcha*, ἐν τῷ σταθμῷ τῷ βασιλικῷ. Vbi Lyranus distinguit à pondere Sanctuarij, quod esset alterius quantitatis, quam tamen distinctionem alibi reieci. Videtur autem regium dici, quod erat exactum, vel regia institutum auctoritate, magistratúsve; ac proinde mensuram habens inuariabilem ac perfectam. Ideo forsitan ea ligno, metallo, aut alia materia conficiebatur eiuscemodi mensura, ad virilis cubiti, hoc est, perfecti accommodata quantitatem, publicéque seruabatur, & ad res metiendas adhibebatur, ne qua fraus interueniret. Quod in aliis generibus mensuratum ponderúmque factitatum apud Romanos constat, vt & de lapide milliarij. Publicum denique pondus vocatur etiam regium, eo modo quo via regia, quæ publica & trita; vt [l] alibi vidimus. Ad c.35.[m] prioris libri, vbi nominantur mille passuum spatium, & duo millia cubiti, egi nonnihil de hac re, & quo pacto sumendi sint passus ibi & cubiti, cùm velint [n] nonnulli non differre illas duas mensuras, sed cubitum sacrum, quem volunt esse diuersum à profano, fuisse mediam partem passus.

a prop. 3. litt. F. — b c.40.5. — c c.41.8. — d v.13. — e v.10. — f l.2.3.3. — g sup. prop. 11. — h in Leu. 5. 38. c.27.3. Num. 3.47. — i c.21.17. — k c.14.26. — *Regiū quid.* — l Num. 20. 17. 19. c.21. 22. Deut. 2. 27. — m v.5. & 5. — n Torniell. in annal. anno 1557. n.8.

Vers. 12.] Terrámque possedimus tempore illo ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, vsque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & Gad.

Vers. 13.] Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctáque Basan vocatur Terra gigantum.

Paraphr. Repetuntur hæc, & quædam ex sequentibus alia iam priùs narrata in libro præcedente Numerorum [o]; vbi petentibus Ruben & Gad acquisitam ab Hebræo populo terram regum duorum Amorrhæorum Sehon & Og valde vberem & pascualem, quia ipsi abundabant pecoribus & iumentis, Moses concessit, adiuncta iisdem in eiusdem terræ possessione dimidia tribu Manasse, sed cum ea conditione, quæ hîc etiam paulò pòst [a] attingitur. Et verò hic attingenda breuiter nonnulla dumtaxat, in quibus discrepent editiones, aut annotationem aliquam requirere videantur.

o c.32. toto. — a v.18.

Explanatio. *Terrámque possedimus.*] *Terram hanc*, vel *illam* habent editiones aliæ, הַזֹּאת *hazzoth*, הַהִוא *hada*, ἐκείνην. Designabat fortassis eam tunc Moses, & demonstrabat, veluti que digito indicabat. Plurale verbum primæ personę insinuat ad omnes pertinuisse illam possessionem; licèt attributa fuerit duabus dictis tribubus & dimidiæ: & quamuis ad Leuiticam, ex qua erat Moses, non spectaret propriè possessio absoluta ipsius vel alterius terræ, vt non semel diximus. Attamen comprehendit Moses seipsum tamquam populi ducem, quique de populi bono perinde gauderet vt de suo; & quia redundabat in tribus Leuiticæ commodum quæ possiderentur ab aliis.

In tempore illo.] Quo confecta sunt proximè commemorata bella, victoriæque reportatæ de Sehon & Og. Græca vox καιρὸς importat opportunitatem temporis; etiamsi synonymè sumatur non rarò pro quouis tempore quod χρόνος dicitur.

Ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon.] Sic ad verbum priore capite [b]. Vtrobique, vt & alibi, (*super*) idem est quod (*iuxta:*) vt cùm dicitur quis educari super aquam [c], orbis super aquam fundatus, & super flumina præparatus [d]; aliqui super flumina sedere [e], &c. Pro ripa est Græcè χεῖλος, *labium*; nec tamen aliud Hebraice Chaldaicéque quam (*super torrentem.*) Pro extremitate seu ora rei alicuius accipitur [f] aliquando labium ab omnibus editionibus. Quo modo Cæsar [g], & Liuius summæ labra vsurpant fossæ, idest, margines. Homerus [h] χεῖλος crateri & calatho & aquis tribuit, necnon primo Athenæus [i]; Hesiodus [k] dolio: Pollux [l] naui: elegans verò primigeniæ atque metaphoricæ notionis allusio & coniunctio est in illo versu [m],

τετράκις ἀμφορέως ἀεὶ χείλεσι χείλεα θεῖσα:
cùm quater sua labra admouisset labris amphora.

Denique quam in epistola Pauli ad Hebræos legimus arenam in ora maris, Græcè dicitur ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης: Syriacè חָלָא דַעַל סֶפְתֵה דְיַמָּא *chala debhal sephteh deiamma*: quæ significat labium maris. Immò vero sæpe [n] vbi habetur Latinè nomen litoris maris, labium est in editionibus aliis, שָׂפָה *sephah*, χεῖλος: sed Chaldaicè כֵּיף *cheph* [o], aliquando כיף *choph*, Chaldaice ספר *sephar*, Græcè παράλιος, *maritimus*, aut παραλία, *maritima ora*, aut παρ' αἰγιαλὸν, *apud litus*: aut παρὰ τὴν θάλασσαν, *iuxta mare*. De Aroër porrò, & Arnon, dictum aliàs.

b v.36. — *Super, idem quod iuxta.* — c ps.1.3. — d ps.23. — e ps.136. — f 3. Reg. 7. 23. 24. 26. 2. Par. 4.2. 3. 5. Ezech. 40. 43. c.43.13. — g 7. de bello Gall. — h Odyss. δ & μ. — i l.5. & 11. — k Erg. de spe. — l lib.2. — m l.2. epig. — n Gen. 22. 17. Exo. 14. 30. Iosu. 11. 4. Iud. 7. 12. 1. Reg. 13. 5. 3. Reg. 4. 29. c. 9.26. Dan. 3. 36. — o Gen. 49. 13. Deut. 2. 7. Ios. 9. 1. Iud. 5. 17.

Vsque ad mediam partem montis Galaad.] Latiùs patens mons Galaad, seu regio montana, hinc & hinc, hoc est, e regione Moabitarum, & versus terram Chanaan habebat ciuitates in planioribus præsertim sitas locis: prior verò pars concessa est tribubus Ruben & Gad; posterior dimidiæ tribui Manasse, quæ pars peculiari nomine dicebatur Basan, & priùs pertinebat ad Og regem.

Et ciuitates illius dedi Ruben, & Gad.] Nihil interest ordinis inter hos duos quod attinet ad rem præsentem. Quamuis enim præcelleret Ruben, tamen

a Num.32.25.29.31.33. b Num.32.25.

tamen interdum [a] nomen Gad exprimitur ante nomen Ruben, vt [b] alias quoque monuimus.

Reliquam autem partem Galaad.] Breuiùs in edi[...]ibus aliis (*reliquum.*) Et quia media pars proximè nominata est, videtur & hæc fuisse media. & quidem magis prope Chanaan, vt antè dixi.

Et omnem Basan regni Og.] Appositiuè ponitur Græcè regnum βασιλείας, atque ita sumi possunt מַמְלֶכֶת mamlecheth, & מַלְכוּתוֹ malchutheh. Ex quo colligit Abulensis Basan esse nomen specialis terræ (idest, prouinciæ) in regno Og, quia non fuit datum totum regnum Og dimidiæ tribui Manasse. Clariùs id significatur per obliquè positum regni vocabulum.

Basan.

Tradidi mediæ tribui Manasse.] Variauit Interpres noster verbum, vsus paulò antè verbo (*dedi*) cùm tamen vtrobique vsurpent idem editiones aliæ. De hac tota re extat in cap. 32. prioris libri, quem locum consule, tum pro literali, tum pro mystico sensu.

Omnem regionem Argob.] Eadem præcesserunt versu 4. & adhuc ponuntur versu sequenti 14. Sed primo loco Græcè sunt pluraliter πάντα τὰ περίχωρα: in aliis duobus, πᾶσα ἡ περίχωρος. De Argob actum in primo. Notatur autem in scholio Bibliorum Sixtinorum ex editione L X X. istos interpretes videri vsos hoc nomine vt responderent vocabulo Hebraico חֶבֶל chebel, quod significat funem: qui funis videlicet circumducatur.

Cunctaque Basan vocatur terra gigantum.] Omissa mendosa lectione in Abulense (*cuiusque*) pro (*cunctaque.*) Pro gigantibus sunt Hebraicè רְפָאִים rephaim, & Græcè ῥαφαΐν: qui retento eodem nomine dicuntur aliquando ab Interprete nostro Raphaim: & pro (*vocatur*) Hebræum verbum futuri temporis יִקָּרֵא ikkare, *vocabitur*, Chaldæum participium מִתְקְרֵי mithkere, *vocatur*: Græcum item verbum in futuro λογισθήσεται, *reputabitur*. Quo tempore dixi aliàs indicari receptam iam consuetudinem. Eugubinus legens (*vocabatur*) quod etiam in aliquibus codicibus reperi; magis approbat eiusmodi verbum præteritum, quàm futurum, quo vsos dixi L X X. obseruáque morem linguæ Hebraicæ, vt quoniam præterita imperfecta apud eos non inueniuntur, substituant in eorum locum futura. Caietanus legi vult ista cum præcedentibus (*omnis regio Argob in vniuerso Basan vocabatur terra gigantum*: describitur siquidem, inquit, pars illa appellata terra gigantum. In c. 2. [c] de alia terra scribitur, quòd terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocauerint zomzommim, &c. & apud Esaiam [d], *terram gigantum detrahes in ruinam.*

Terra gigantum. c. 2. 20.

d c. 26. 19.

Vers. 14.] Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob vsque ad terminos Gessuri & Machati. Vocauitque ex nomine suo Basan, Hauoth Iair, id est, Villas Iair, vsque in præsentem diem.

Vers. 15.] Machir quoque dedi Galaad.

Paraphr.

De tribu Manasse, cuius mediæ parti dictum est paulò ante traditam partem Galaaditis, & omnem Basanitidem regni Og, cum regione Argob, quæ spectabat ad Basanitidem, vocabaturque terra gigantum, erat Machir. Iair verò eidem aggregatus, quia secundus Manasseus, & ex Machir filia procreatus. Huius priori obtigit regio Argob in Basanitide, & villas Iair a suomet nomine denominauit, eò quòd eas proprio marte debellauerat. Aliam partem ex Galaaditide obtinuit Machir bello, etiam quod ipsemet gesserit per se, non tantùm quod communiter gestum fuerat. In cap. 32. [a] libri præcedentis scribitur ad hunc modum. *Porrò filij Machir filij Manasse perrexerunt in Galaad, & vastauerunt eam interfectis Amorrhæis habitatoribus eius. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitauit in ea. Iair autem filius Manasse abijt, & occupauit vicos eius, quos appellauit Hauoth Iair*, idest, *Villas Iair*. Additur ibidem de alio, cui nomen Nobe. *Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis; vocauitque ex nomine suo Nobe.* Similia narrantur in libro Iosue [b]. Repete aut pete quæ in libro Numerorum dixi.

a v. 39. & seqq.

b c. 13. 29. & seqq.

Iair filius Manasse.] Ibi, hîcque paulò antè dixi, quo pacto Iair censeretur filius Manasse, cùm alioqui esset de tribu Iuda: & quòd eiusdem nominis alij extiterunt.

Explanatio.

Possedit omnem regionem Argob.] Secundùm editionem Hebraicam, Græcámque (*accepit*, לָקַח lakach, ἔλαβε: secundùm Chaldaicam (*tulit*, נְסַב nesib.) Citato alio [c] loco (*occupauit*, הָלַךְ ilchod, כָּבַשׁ chebas, ἔλαβε: ex quibus Chaldæum indicat vim, qua regio acquisita fuerit, & in potestatē redacta.

c Num 32. 41.

Vsque ad terminos Gessuri, & Machati.] Rectiùs scriberetur aspiratè in fine Machathi, quia in editionibus Hebræa & Græca est מַעֲכָתִי mahhachathi, & μαχαθί: licèt in libro Iosue [d] scribatur in Complutensibus ac Regiis Bibliis μαχαθί, & μαχαθί, in Sixtinis μαχί, & μαχαθί. In 2. Regum [e] vt viri nomen habetur Machati in emendatis codicibus, in aliis Maachati, & Græcè μααχαθί, in Sixtinis μαχαχαχί. In 1. Paralipomenon [f] Machathi, in Complutensibus ac Regiis Maachati; Græcè in iisdem μαχαθί, in correctis ταχαθί. Tanta, vt sæpe annotaui, circa nomina propria in scribendo discrepantia est. De Gessuri eadem ferè ratio, quod cùm scribatur Hebraicè גְּשׁוּרִי ghescturi, scribitur Græcè hîc in Sixtinis libris γαργασί, in Iosue γεργεσί, & γεσιρί: in 1. Regum [g] γεσιρί: in 2. [h] θασιρί; sed in aliis γεσουρί, γεσιρὶ, γεσιρὶ, γεσουραῖος, ἀσιρί: pro quo vltimo, quod in Sixtinis dixi scribi θασιρί, Hebræum nomen est אֲשׁוּרִי asciuri, Chaldæum duplex בֵּית אָשֵׁר beth ascer, *domus Aser*. Eodem libro Iosue intra terminum Og regis Basan dicitur fuisse in vniuersa Basan vsque ad terminos Gessuri & Machati, & dimidiæ partis Galaad, terminos Sehon, regis Hesebon: & quòd noluerunt disperdere filij Israel Gessuri & Machati, sed habitauerunt hi in medio illius. De Gessur produntur hæc ab Adrichomio [i] ex variis collecta, nomen hoc Gessur & Iessur, Gesur, Ghesur conueniens fuisse regiæ vrbi forti sitæ in valle: indeque nomen accepisse finitimam regionem Gessuri, siue Iessuri, Gesuri, Ghesuri, atque apud Iosephū Gesura & Gessiti, quæ regio esset trans Iordanem (idest, citra respectu Chanaan) versùs Septemtrionem, terminus Israeliticæ terræ: quamuis autem dimidiæ tribui Manasse data sit, pristini tamen habitatores ex ea pulsi non fuerint (id habetur in libro Iosue citato:) mortuo Saul Abner principem exercitus eius, tulisse filium eiusdem Isboseth, transductúmque vltra Iordanem constituisse regem super Galaad & Gessuri [k], &c. Licèt iuxta editionem Hebræam, vt retuli, legatur Asuri,

d c. 12. 5. c. 13. 11. 13.

e c. 23. 34.

f c. 4. 19.

g c. 27. 8.

h c. 2. 9.

i thes. terræ sanctæ in Manasse n. 37.

k 2. Reg. 2. 9.

& Hieronymus * ad tribum Aser accommodet. Dauidem de Gessuri egisse prædam, ac filiam regis Gessur, nomine Tholmai, quæ vocabatur Maacha, accepisse vxorem, ex qua suscepit Absalum, & Thamar [a], quam cum Amnon frater ex alia vxore violasset, proptereáque ab Absalone occisus fuisset, iste fugerit in Gessur ad regem auum maternum suum, vbi triennio toto manserit, donec de Dauidis consensu reductus est à Ioab in Ierusalem ad illum [b]. Hieronymus [c] Gessuri regionem alienigenarum in Syria vocat: & Gesom, ciuitatem eorumdem, quæ Gergassi etiam nominetur, in Basanitide, de qua filij Israël expellere non valuerunt (quod noluerunt) Gessuri. In Iosue [d] scribitur Latinè quòd noluerunt; sed iuxtà reliquas editiones quòd non expulerunt, seu deleuerunt, vel extirparunt. Fortassis apud Hieronymum legi deberet (*non voluerunt.*) Magalianus [e] noster legens vt est in editione nostra (*noluerunt*,) de Gessuri simul & de Machati, de quibus idem eo loco traditur, docet fuisse nationes ex aliis gentibus, non ex Chananæis prognatas, sitas tamen in finibus Chanaan, sicut Moabitas & Ammonitas, quos vtrosque præceperat Deus ne oppugnarentur [f]. Quia verò Gessuri & Machati populi non fuerant a Deo excepti, ac proinde poterant ab Hebræis debellari si vellent, licèt non essent de Chananæis, mentionem ait fieri de illis, tanquam de populis, quos cùm sine peccato possent Hebræi, noluerint expugnare. Masius [g] distinguens Gessuræam Syriæ, & alteram Ægypto, Amalecitisque propinquam; de illa hic sermonem esse vult: aliam Dauidis excursionibus, atque etiam vxore nobilem, vt antea meminimus: & vt ad Amalecitas non accesserat cum armis Iosue, quos tandem Saul delere iussus est [h]; ita neque eorum vicinos Gessuræos attigisse; sed nec Mosem, cùm profligauit Sehon, & Og, peruasisse omnes vtriusque regni angulos cum exercitu; idcirco enim priuatas expeditiones Iair, Machititarum, & Nobe laudaras in Numeris [i]: cùm autem tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasses, ad suas possessiones in regnis Sehon & Og, reuertissent, quia satis amplè, commodéque habitabant in iis, ad proferendos fines animum adiicere noluisse. Arias [k] item notat non esse sensum, noluisse, quasi iussi facere renuerint; sed sicut Moses omiserat, sic Iosue omisisse gentium illarum expugnationem, cùm aliæ satis essent ad collocandas duas dictas tribus cum dimidia.

De Machati, quod nomen pluribus aliis modis scribi admonoi, quibus additur Syria Maacha [l], & apud Iosephum Micha; ex dictis colligitur in regno Basan fuisse, ac Israëliticæ terræ citra Chanaan à Septemtrione limitem, cúmque cecidisset, sicut Gessuri, de qua modò dixi, in sortem dimidiæ tribus Manasse, habitatores illius dispersos seu pulsos non esse; quamuis illius regem postea superauerit, ac tributarium fecerit [m]. De ista Hieronymus [n], docens vrbem Amorrhæorum fuisse super Iordanem, iuxta montem Hermon, ait eam quemadmodum de Gessuri, quòd exterminare nō valuerunt filij Israël Machathæum. Quod attinet ad etymologias, idem Hieronymus [o] Gesuri exponit *iuxta lumen*, vel *vicinum luminis*; Maachati *fracti sunt mihi*, aut *venter percussus*. Beda primum præter dictos modos, *applicantem lumen mihi*, vel *applicantem*, *dirigentem me*: secundùm quod scribit quoque Machati, *fracta est mihi*, *confracti sunt mihi*, *subactus mihi*, *mollicies mea*, *venter cæsus*, *ventris percussio*. Ex גָּשַׁשׁ *gascias*, *palpare*, seu *attrectare*; & ישר *iasciar*, *dirigere*, אוֹר *or*, *lumen*, & י *iod* affixo, posset ratio reddi primi גְּשׁוּרִי *ghesciuri*: secundi autem מַעֲכָתִי *mahhachathi* ex מָעַךְ *mahhach*, *frangere*: vel מֵעִי *mehhi*, seu מֵעָה *mehhah*, seu מֵעַיִם *mehhaim*, *venter*, *viscera*, *intestina*. Sed fortasse peregrina sunt hæc nomina, non Hebræa.

* quæstion. Hebr. ibid.
a 2. Reg. 3. 3.
b ibid. c. 13. toto & c. 14. 32. 33.
c de locis Hebr.
d c. 13. 13.
e ibid.
f 19. Deut. 3. 9.
g in Ios. 13.
h 1. Reg. 15. 3.
i c. 32. 40. 41.
k in Ios. 13.
l 1. Par. 19. 7.
m 2. Reg. 10. 5. & seqq. 1. Par. 19. 7. & seq. Ioseph. 7. antiq. c. 6.
Gesuri, & Maachati etymon.
n de locis Hebr.
o de nom. Hebr. ex Deut.

Vocauitque ex nomine suo Basan Hauoth Iair, idest, *Villas Iair*.] Sic cap. 32. [a] libri prioris, & in libri Iudicum cap. 10. [b] loco priore docui, licèt ibi Græcè voces duæ sint ἐπαύλεις ἰαΐρ: hic esse vnam compositam ἀυωθιαΐρ. Ita quidem habetur in Bibliis Complutensibus Regiisque: sed in Sixtinis ἀυὼθ ἰαΐρ. quod meliùs exprimetur ἀυὼθ vel ἀβὼθ. Dixi etiam (*id est*) appositum ab Interprete nostro.

Vsque in præsentem diem.] In editionibus aliis (*vsque in diem hanc.*) Verba ista existimat Abulensis ab Esdra adiecta, qui libros legis instinctu Dei restaurauerit, combustos à Chaldæis; quemadmodum & illa in versu 11. (*monstratur lectus eius ferreus*) eò quòd contigerint hæc paulò ante Mosis mortem. Refellit id Cornelius noster; quia tres & plures menses ab hisce gestis, vsque ad Mosis mortem fluxerunt; si quispiam alius addidit; ille potiùs, qui Mosis diaria paulò pòst digessit: verisimile non est, exemplaria omnia combusta, quæ per Iudæam vniuersam & alias gentes, erant dispersa. De hoc dixi versu eodem citato. Petrus autem Vincentius de Marzilla contendens nullum pium virum ausurum fuisse verbis Mosis quippiam addere, verba ista (*vsque in præsentem diem*) ait quamuis denotent pluralitatem temporis, nihilominus non tam designare præteritionem, quàm perseuerantiam & continuationem rei de qua agitur: hîcque significari, nomen impositum terræ Basan à Iair, non citò periturum, & obliuioni tradendum; sed diu duraturum. Origenes [c] tractans illud ex Iosue (*Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Iosue viuere; & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem*) docet Scripturæ sanctæ morem esse, hoc dicere de iis, quæ vsque ad finem vel vitæ, vel sæculi permanent, vt cùm dicitur [d] (*hic, seu ipse est pater Moabitarum vsque in hodiernum, seu præsentem diem: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie*) idest, vsque ad finem sæculi: item [e], *quòd diffamatus est sermo hic, seu diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem*) idest, vsquequo sæculum stat. Addit Marzilla [f] (*translatúsque est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc*) idest, in perpetuum. Simul tamen monet, interdum significari hoc modo loquendi solam durationem, vsque ad tempus, de quo fit sermo; vt (*apud [g] Laban peregrinatus sum, & fui vsque in præsentem diem*) idest, vsque ad tempus istud, in quo hæc loquor; quia nō remansit perpetuò apud Laban: item (*& [h] nomen vrbi impositum est Bersabee vsque in præsentem diem*) idest, vsque ad tempus in quo ista scribuntur, quoniam postea mutatum est nomen illius ciuitatis, & hodie aiunt vocari Giblin; nominaque antiqua planè interierunt. Quidquid sit de vsu phrasis, déque allatis exemplis, & admittendo potuisse adiici nonnulla siue ab Esdra, siue ab alio, non video quid obstet quominus Mosi tribuantur loci præsentis & similium verba: iis autem non longiorem durationem indicari necessarium iudico; sed ad quod vsque tempus durauerit id de quo agitur; sic nominatim nunc de nomine Hauoth-Iair; quod cùm scriberet Moses adhuc perseuerabat.

a v. 41.
b v. 4.
c hom. 7. in Iosue.
d Gen. 19. 37. 38.
e Matth. 28. 15.
f in Gen. 19. anoot. vlt.
g Gen. 32. 4.
h c. 26. 33.

Machir

a v.40. *Ma[illegible] quoque dedi Galaad.*] In c.32.[a] Numerorum [illegible] *ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitauit in ea*) quam videlicet filij [illegible] vastauerant, interfecto Amorrhæo habitatore eius[b]. b v.39. Hugo S. Victoris docet per anticipationem terram vocari Galaad; quod nomen postea impositum sit a Galaad, qui descendit de Machir. De hoc ibidem actum. Nec aliud notandum occurrit, quàm breuitas istius versus, qualem in alijs aliàs obseruauimus.

Vers. 16.] Et tribubus Ruben, & Gad dedi de terra Galaad vsque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium vsque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon:

Vers. 17.] Et planitiem solitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth vsque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra Orientem.

Paraphr. Magis expressè describitur ea pars ex regnis Amorrhæorum captis, quæ attributa est duabus tribubus Ruben & Gad, postquam scriptum est de illa quæ mediæ tribui Manasse; nec ita etiam in c.32. Numerorum declaratum id fuerat. Igitur Rubenitis, & Gaditis concessit Moses totum illud spatium Amorrhæorum, quod protenditur de terra Galaad (cuius partem dedit dimidiæ tribui Manasse) vsque ad eum locum, qui diuidit torrentem Arnon à suis confinibus, hoc est, à Moabitis, atque vsque ad alium torrentem Ieboc, qui diuidit Amorrhæos ab Ammonitis, quemadmodum Arnon eosdem à Moabitis. Assignata præterea est terra quæ circumstabat vrbem Cenereth, quæ longè pòst obtinuit nomen Tyberiadis, vsque ad mare siue lacum Asphaltitem, qui redegit in solitudinem litora, & vicinas terras post incendium Pentapolis, per quod contraxit etiam salsedinem. De topographia tota horum locorum agit Abulensis, ac hinc inde varijs in locis ipsi egimus; ita vt attingi pauca tantùm nonnulla debeant.

Explanatio. *Et tribubus Ruben, & Gad.*] Chaldaicè etiam (*& tribus Ruben, & tribus Gad*, ולשבט ראובן ולשבט גד *vleseuet Reuben, vleseuet Gad.*) Græcè (*& Ruben, & Gad*, καὶ τῷ ῥουβὶν (malè ῥουβὴμ) καὶ τῷ γάδ.) Hebraicè (*& Rubenitæ & Gaditæ*, ולראובני ולגדי *velareubeni velaggadi.*)

Dedi de terra Galaad.] Rectè (*de terra Galaad*) siue absque nomine terræ, quo carent editiones aliæ, (*de Galaad*;) quia pars dumtaxat eius data est his duabus tribubus; dimidiæ Manasse alia, quæ quia maior erat, dicebatur priore versu data illi, seu Machir, qui ad eam pertinebat, Galaad absolutè. Malè igitur apud Abulensem (*dedi terram Galaad.*) Posset verò (*de terra Galaad*) ex vi & modo loquendi, denotare terminum à quo, exclusiuè sumendo Sed prior sensus solus verus.

Vsque ad torrentem Arnon medium torrentis.] De Arnon actum alias. Ante (*medium*) supplet Vatablus (*&*) declaratque, vt significet Moses dedisse se internam partem torrentis. Sed id obscurum est. Oleaster explanat datum medium torrentis Arnon: vel quòd torrens esset medius, & limes vsque ad Ieboc: deinde Ieboc esset limes diuidens regiones. Vltimum magis præ se ferunt sequentia.

Et confinium vsque ad torrentem Ieboc.] Hoc est, vt modò dicebamus, quòd torrens Arnon idem esset medius, seu intra eam partem, quæ duabus illis tribubus data fuerat perueniendo vsque ad Ieboc. De hoc torrente mentio prima est in libro Numerorum[a], vbi scribitur quòd possessa est terra Sehon ab Arnon vsque Ieboc. Lege illius loci commentarium. a c.21.24.

Qui est terminus filiorum Ammon.] Obscuriùs Græcè (*& torrens terminus filijs Ammon*, καὶ ὁ χειμάῤῥους ὅριον τοῖς υἱοῖς ἀμμὼν, vel ἀμμάν. Debet enim subaudiri, ac repeti Ieboc (*& torrens Ieboc*, &c.) Id autem indicant citato loco sequentia verba (*& filios Ammon, quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum*)

Et planitiem solitudinis, atque Iordanem.] Pro planitie solitudinis est vnicum nomen Hebræum cū litera prima demonstrante הערבה *habbarauah*, & Chaldæum מישרא *mesera*, & Græcum ἡ ἄραβα. Putat Vatablus verti posse (*& solitudinem quæ adiacet Iordani*) Oleaster (*terram coniunctam Iordani*) exponendo vocem Hebræam per coniunctionem potiùs quàm per planitiem.) Eugubinus eadem significari ait & planitiem, & solitudinem: nec debuisse L X X. Hebræam inexplicatam relinquere. Pagninus in thesauro[b] docet propriè valere planitiem alioqui non feracem, sed tamen vbi sint pascua pecori pascendo apta & grata, à nomine ערב *hhareb, suauis, iucundus, congruens* (quid si inde *garbo*, & *garbato* Itali acceperint?) & vbi crescat μίγμα, idest, *pabulum animantium*, necnon ab amœnitate: interdum tamen etiam reddi per desertum, siue solitudinem, quia מדבר *midbar*, cuius hæc propriè significatio est, dicitur quoque *pastuum*, vbi nihil crescit aptum alimento hominum. Præcessit idem vocabulum ערבה *hharauah*, cap. 1.[c] & 2.[d] in quorum posteriore relictum est etiam ἄραβα à L X X. vt ibidem notaui de hoc eodem agens, & obseruans exponi solere per plana & campestria. Cuius acceptionis præter tunc allata, suppetunt alia exempla[e], vel deserti. b in ערב. c v.1. d v.8. e Ios.4.13. c.11.2. c.18.18. Iob 24.5. Esa.33.9. Ier.50.12.

Et terminos Cenereth vsque ad mare deserti.] *Terminum* numero singulari habent editiones aliæ. Sensus autem est præcedenti similis, de solitudine siue pascuali planitie; quæ adiacebat Iordani, atque de propinqua regione à Cenereth vsque ad mare, &c. In c.34.[f] libri præcedentis nominatur mare Cenereth, idest, lacus vel stagnum, quod etiā alibi, vt ibi notaui, vocatur mare Galilææ, quia transit iuxta illam, ac Tyberiadis, à ciuitate Tyberiade in honorem Tyberij, nomine mutato ex Cenereth; à qua Genesar; item terra Genesar & Genesareth, Chaldaicè vbique Ginnosar, deinde vulgò Genesareth, cuius mentio in Euangelijs Quod codices Complutenses, Regij, alijque habent Græcè χενερὲθ, in quibusdam legitur μαχαινερὲθ, in Sixtinis μαχενερέθ. Quam lectionem Eugubinus meritò reprehendit. Nam in Hebraico (inquit) hoc loco *mem* addita, non est de nominis essentia, sed præpositio (*ab*) vel (*de*.) Quare malè nomini adiuncta est, quasi eius prima sit syllaba. Scribitur Hebraicè מכנרת *micchinnereth*, vbi prima litera cum chiric, efficiens, *mi*, est ex præpositione מן *min*. Nec verò à Munstero apostata reprehendi debuit, quasi affirmauerit ad cap. 34. præcedentis libri nōmen hoc deprauatū simpliciter tempore Christi, & deprauata exemplaria Euangeliorum, in quibus est Genesareth, & Syriacè Ginnosar, solùm dixit à sua origine nomen corruptum processu temporis; f v.11. Mare Cenereth, siue mare Galilææ, aut Tyberiadis.

quod contigit multis aliis vocabulis. Potuit Eugubinus deponere sollicitudinem retinendi vetustum nomen: cùm loquendum sit vt multi: & ætate Paraphrastis Chaldæi, si R. Ionathan fuit, qui Christum præcessit; inualuerat iam ea quæcunque sit, corruptela: & auctor Syriacæ translationis noui Testamenti, vbi legimus Genesar [a], habet etiam eodem modo גנסר *ghenesar*: item vbi Genesareth [b], vel Geoezareth: Græcè vbique *γεννησαρὲτ*, & correctiùs *γεννησαρὲθ*: Sed in historia [c] Machab. Latinè Genesar, Græcè *γεννησάρ*. Vindicat à Munstero Eugubinum Oleaster. Certè in Hebraicis rudem immeritò vocat. Masius [d] oorat Ceneroth à posteritate molliùs flexum in Genesar, Genesara, Genesareth. Iosephus [e] tradit quòd ad Genesar lacum eiusdem nominis terra protendebatur, natura simul & pulchritudine admirabilis, quæque præter aëris lenitatem fonte vberrimo irrigaretur, cui nomen Capernaum: longitudinem regionis secundùm litora cognominis lacus, 30. stadiis extendi, latitudinem 20. ab hac terra continente nomen lacum accepisse. Regio quidem Ceneroth in Scriptura [f] nominatur, & ciuitas [g] Cenereth, & mare [h]: item aqua [i] Genesar. Quod attinet ad ciuitatem, quæ deinde Tyberias vocata sit, Hieronymus [k] famam solam de ea refert. Iosephus [l] verò ita scribit de Tyberiade, vt nouam omnino constructam indicet electo ad hoc Galilææ optimo agro in ora lacus Genesarethici, sepulchris multis referto. Mare deserti est idem, quod mare mortuum, & lacus Asphaltitis, vbi Sodoma, cum aliis ciuitatibus, subuersa [m] est; sic verò appellatur; quia in eius circuitu terra non est habitata, propter tantam illam desolationem; non quia, vt aliqui voluerunt, quos confutat Abulensis, sit in angulo Orientis & Meridiei, à quo incipiunt solitudines Ægypti: quoniam circa plagam orientalem apud mare mortuum, quod est in valle Sodomorum, nulla incipit solitudo Ægypti: sed ibi coniuncta est dictæ valli terra Moabitarũ, & super idem est mons altissimus, pertinens ad Moab, in quo monte voluit Balaam Israëlitas maledicere: à parte meridionali, seu in confinio eius, & septemtrionali, descendit Idumæa versùs Occidentem terræ Chanaan; & Idumæa populata est: postremò desertum Ægypti, vel Arabiæ assignari nequit versùs Septemtrionem, aut Occidentem terræ Sodomorum, quia istæ duæ partes sunt intra ipsam Chanaan. Sic Abulensis. Aliis porrò locis [n] mare deserti nominatur. Verùm aliquando mare [o] deserti figuratè dicitur de Babylone, quæ vastanda erat; eo autem pacto dicebatur, ob habitatorum multitudinem, & amplitudinem loci ac ædificiorum; non solùm quia insatiabiliter inhiabat ad maiores opes; vel quoniam aquis abundabat, périque ipsam Euphrates interfluebat.

Quod est salsissimum.] Mare quoque salsissimum nominatur [p] bis præcedente libro. Græcè *θάλασσα ἁλυκή*, Hebraicè Chaldaicéque *mare salis*, ים המלח *iam hammelach*, ימא דמלחא *imma demilcha*: quia illud mare seu lacus aut stagnum præditum erat eximia quadam salsedine supra ordinariam & communem cuiuis alteri mari. Ibi plura disseruimus.

Ad radices montis Phasga contra Orientem.] Hebraicè תחת אשדת הפסגה מזרחה *thachath asdoth happisgah misrachah*, *sub effusionibus aquarum*, *aut sub scatebris collis ad Orientem*; *sub radicibus quæ fontibus rigari solent*: *sub effusionibus Phasga*, &c.) His modis Vatablus: Pagninus, apostata Munsterus primò: Oleaster vltimò: Gallica Biblia Geneuensia, *Dessous Asdod Phasga*, *vers Orient*; sub Asdod Phasga versùs Orientem (quamuis referant aliam expositionem de riuulis effusionibúsve sub radicibus Phasga, quia solēt sub radicibus montium fontes ac riuuli abundare.) Chaldaicè (*sub declinio*, vel *effusione collis ad Orientem*, תחות משפך מרמתא מדינחא *thechoth maspach meramotha maddinecha*. Græcè *ὑπὸ ἀσηδὼθ τὴν φασγὰ ἀνατολῶν*, *sub Asedoth Phasga Orientis.*) In codicibus Complutensibus, Regiis, & aliis *ἀπὸ σηδὼθ τὴν φάσγα ἀνατολῶν*, *à Sedoth vallem Orientis* (in quibusdam *ἀπὸ ἀσηδὼθ*, *ab Asedoth*, &c.) Eugubinus contendit Asedoth nomen radicis esse ab אשד *esced*: nec mirum esse si error hic extet, cùm alij quamplurimi huiusmodi in Græcorum inueniantur codicibus. Caietanus legens (*sub effusionibus collis Mizracha*) docet hæc esse nomina propria locorum sibi ignotorum, præter mare salis, & Chinnereth, quorum istud sit nomen maris Galilææ, quod appellatur Genesareth: illud maris mortui in terra Sodomorum. In libro Iosue [a] extat Asedoth, quam expugnauit Iosue, quamuis corruptè legatur Aseroth: præterea cum Phasga [b]; ita vt putet Adrichomius [c] esse nomen compositum Asedoth Phasga, tanquam vnius ciuitatis quondam Amorrhæorum, postea in tribu Ruben: & aliud illius alterius, quam Iosue expugnauerit, rege illius interfecto. Hieronymus [d], Asedoth, inquit, vrbs Amorrhæorum, quæ cecidit in sortem tribus Ruben: appellatur autem, addito cognomento Asedoth Phasga, quod in lingua nostra resonat *abscissum*. Addit aliam ciuitatem esse nominis eiusdem, quam expugnauit quondam Iesus, rege eius interfecto. Notatur verò ad marginem è regione primæ locus hic noster Deuteronomij; è regione secundæ ex Iosue 10. sed tractatus de locis Hebraicis Eusebij est, non Hieronymi, qui Latinè dumtaxat eum transtulit, qui Hieronymus in ista loci præsentis editione reddidit, *radices montis Phasga*. Libro [e] præcedente pro vertice Phasga est Hebraicè ראש הפסגה *ras happisgah*, Chaldaicè ריש רמתא *res ramatha*, Græcè *κορυφὴ τοῦ λελαξευμένου*. Adi commentarium nostrum, vbi de loco, locique nomine ac etymo: item [f] de vocabulo אשד *esced*. Vltimo quoque versu sequentis capitis extant eadem ferè verba.

a Matt. 14. 34. b Marc. 6. 53. Luc. 5. 1. c 1. Mach. 11. 67. d in Ios. 19. 35. e 3. de bello c. 18. f Ios. 11. 2. g Ios. 19. 35. h Num. 34. 11. Ios. 12. 3. c. 13. 27. 3. Reg. 15. 20. i 1. Mach. 11. 67. k de loc. Hebr. l 18. antiq. c. 3. m Gen. 19. 24. n Deut. 4. 49. Ios. 3. 16. c. 12. 3. 4. Reg. 14. 25. o Esa. 21. 1. p c. 34. 3. 12.

Asedoth quid, & vnde.

a c. 10. 40. b c. 12. 3. c. 13. 20. c thea. terræ sanctæ in Ruben n. 8. d de loc. Hebr. e c. 21. 20. c. 23. 14. f c. 31. 15.

Vers. 18.] Præcepíque vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem: expediti præcedite fratres vestros filios Israël omnes viri robusti.

Vers. 19.] Absque vxoribus, & paruulis, atque iumentis. Noui enim quòd plura habeatis pecora, & in vrbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis;

Vers. 20.] Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Iordanem: tunc reuertetur vnusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

Exprimi

Paraphr.

E[...]tur conditio, qua citra Iordanem in [...]nis Amorrhæorum, quæ armis ablat[...] regibus Sehon & Og, data est à Moyse po[...] duabus tribubus Ruben & Gad, ac dimi[...] tribui Manasse, cùm dari sibi postulassent [...] duæ primæ, eò quòd pecoribus abundarent iumentisque, videretur autem terra illa pascendis iis percommoda. Conditio fuit, vt duæ tribus & dimidia consequerentur alias vlteriùs vsque ad terram Chanaan, transmisso Iordane, donec dictam terram pacatè possiderent, pleno iure, atque pacifica, vt dici solet, possessione, ad eum ipsum modum, quo citra Iordanem comparata iam erat possessio regnorum duorum ex Amorrhæis receptorum. Narrata iam sunt hæc fusiùs c.32. libri prioris, & quo pacto postquam eiusmodi possessionem Cisiordananam petentes Moses acriter coarguerit, oblatam verò ab iis conditionem admiserit, eiusdémque adimpletionem & ipsis & Eleazaro Pontifici, ac Iosue futuro successori suo, grauiter commendauerit. Recurre ad ea quæ ibi diximus. Hoc autem loco in parte moral[i] à G[...]lla per Manassem, cuius etymon *obliuio*, exponitur tropologicè primus pater approbatæ rel[igionis], quam ingrediens, debet obliuisci populi [su]i, & domus patris [a] sui: per Iair, qui significat *vigilem* (hoc non ita rectè) vel *illuminationem*, bonus religiosus, qui sui patris exemplo vigilat ad proficiendum in scientia & vita: per Argob, qui etymologicè est *maledictio* & *sublimitas*, excellentia superborum maledicta, iuxta id [b]; *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius*, *omnis autem superbus est stultus*, quasi dicas, statu altus: & bonus religiosus obtinet Argob, idest, excellentiam superborum, quando verbo & exemplo superbos reducit ad humilitatem, & sic mutat nomen in villas Iair, quia facti sunt habitacula Dei: per eos qui præcedunt fratres, religiosos ad ædificationem aliorum aptos, ad prædicandum, & confessiones audiendum, quos mittunt sui superiores: excipi vxores, paruulos, iumenta, hoc est, carnales, qui quamuis sint literati, non sunt inter sæculares mittendi, quia plus nocerent mala vita, quàm proficerent doctrina; nouitios, vel de nouo professos, qui non sunt adhuc benè firmati, ac proinde non etiam mittendi; fratres simplices & illiteratos, qui propter defectum scientiæ non sunt ad prædicandum apti.

Manasse etymon.

Iair quid.

a Psal.44.11

& Argob

b Iob.5

Explanatio.

Præcepique vobis in tempore illo.] Hîc mutat personam, ait Hugo; priùs loquebatur de duabus tribubus, & dimidia in tertia: nunc loquitur ad easdē in secunda persona. Caietanus quoque notat, quòd ad Rubenitas, & Gaditas, & medietatem Manasse conuertitur sermo; quoniam commemorátur scripto Numerorum c.32. Fieri potest vt Moses vultū direxerit simul cū sermone, ad illas duas tribus & dimidiā, quæ fortè inter se conuenerāt, ad petendū, & ad propositam à Mose conditionē præstandum.

Dicens.] Græcè quoque cum participio λέγων: Hebraicè & Chaldaicè (*dicendo* לֵאמֹר *lemor*, לְמֵימַר *lememar*. Qui pleonasmus frequens est; ac sæpiùs notatus.

Dominus Deus vester.] Pronomen secundæ personæ habent etiam editiones aliæ: sed primæ Græca in codicibus Complutensibus, & Regiis, videlicet ἡμῶν, pro ὑμῶν. Sequentibus quoque aptiùs congruit secunda persona.

Dat vobis.] Græcè, Hebraicè, Chaldaicéque *dedit* δέδωκε, נָתַן *nathan*, יְהַב *iehab*. Dederat mandans Mosi vt daret; dabat tradens iis possidendā per Moysen; daturus erat, quia conditione impleta nimirum erant possessionem absolutam.

A

Terram hanc in hæreditatem.] Hebraicè & Chaldaicè (*ad hæreditandum eam*) Græcè ἐν κλήρῳ, *in sorte*. Quomodo hæreditatis sortisque appellatio conueniret terræ, quam Deus promiserat, & armis tamen acquiri debebat, sæpiùs admonuimus.

Expediti præcedite fratres vestros filios Israel.] Erāt ex filiis Israël Rubenitæ quoque, Gaditæ, ac dimidiæ tribus Manassenses: tamen demptis his, ad quos oratio dirigitur, cuncti alij generaliore illo nomine intelliguntur, præsertim ex aliis tribubus, comprehendendo aliam dimidiam Manasse dempta Leuitica, quæ nec pugnare tenebatur, nec habitura erat in Chanaan more aliarum fixam possessionem. Pro expeditis sunt חֲלוּצִים *chalusim*, מְזָרְזִין *mezarezin*, εὐζωνισμένοι, de quibus actum est citato loco ex Numeris [a]; & vltimum significat *armatos*: pro (*præcedetis fratres vestros*) Hebræa & Chaldæa verbum significat, *transibitis ante fratres vestros*, תַּעַבְרוּ לִפְנֵי אֲחֵיכֶם *thahbauru liphne ahchem*, תַּעְבְרוּן קֳדָם אֲחוּכוֹן Græca in imperatiuo προπορεύεσθε πρὸ προσώπου τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, *pergite ante faciem fratrum vestrorum*. Eodem illo loco dixisse dicuntur; *nos ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua*, Græcè πρόδρομοι, *priores*. Præcedebant, ait Abulensis in commentario loci qui præ manibus est, alias tribus, ne retrocedere possent; vel quia expediti erant, poterant meliùs resistere hostibus: & ideo non poterat seruari ordo castrametationis vel motus, qui seruabatur in deserto; scilicet quòd Iudas, Zabulon, & Isachar primò mouerent castra: & fortè aliæ tribus cùm ibant ad bellum, non seruabant eūdem ordinem, nisi cùm mouerentur omnia castra, & arca Domini: sed cognosce ibi annotata; & vnà qui dicantur expediti accinctique, & vnde suppeterent Hebræis arma, &c.

a c.32.17.

B

C

Omnes viri robusti.] Hebraicè (*omnes viri exercitus, aut roboris, omnes militiæ apti, omnes valentes arma gestare*, כָּל בְּנֵי חָיִל *chol bene chail*) Chaldaicè (*omnes accincti exercitus*, כָּל מְזָרְזֵי חֵילָא *chol mezareze chela*.) Græcè (*omnis potens*, πᾶς δυνατός.)

Absque vxoribus & paruulis, atque iumentis.] Singulis nominibus pronomina singula editiones aliæ apponunt. Loco paruulorum Græca reddidit τέκνα, *filios*, qui in Hebraica vocantur collectiuo nomine טַף *taph*: sicut & priore capite libri nostri [b]; cùm tamen, vt ibidem monui, aliàs transtulerint LXX. *supellectilem*, ἀποσκευήν, in hac ipsa sententia contenta præcedentis libri c.32. [c]

D

b v.34.

c v.17.26.

Noui enim, quòd plura habeatis pecora.] Nunc pecora, nunc iumenta vsurpat Interpres promiscuè, immò & genericū nomen animalium, vt ex eodem locu [d] constat; vbi sunt מִקְנֶה *mikneh*, צֹאן *tson*, τὰ κτήνη, & τὰ πρόβατα: quod vltimum significat *oues*, qua etiam voce vtitur ibidem [e] editio nostra: cùm alioquin exactè loquendo differant, pecus & iumentum, vt pluries notauimus. Nouerat Moyses plura pecora esse illis tribubus, quoniam ipsæmet id ei significauerant, ea de causa postulantes concedi sibi terram Cisiordananam. Tropologiam totius huius historiæ iam priùs ibi positam repetit strictim Rabanus; ego lectorem illuc remitto. Procopius obseruat edictum illud præcedendi cum armis datum esse tribubus duabus cum dimidia: infirmis deferri primas in promissione: & qui à Mose hæreditate dotati fuerant, primos promissionis compotes factos esse: de perfectioribus vero dictum esse; *illi omnes in testimonium adducti non reportarunt promissiones*; quòd iuxta editionem nostram legitur,

d vers.1. & seqq.

e v.16.24.

E

legitur *, (& hi omnes testimonio fidei probati, non susceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur) id est, non resurgerent ante nos, sed nos tanquam hac in parte inferiores, expectarent.

Et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis.] Textus editionum aliarum habet (*habitabunt*, vel *habitent in urbibus vestris, quas dedi vobis.*) Petierant ut sibi liceret caulas ouium fabricare, & stabula iumentorum, patuulis quoque suis, (sed vna nimirum cum vxoribus) vrbes munitas; atque hoc ipsum Moyses permisit [a]. Itaque quòd hîc verbo (*debebunt*) transtulit editio nostra, significat oportuisse, vt propositæ starent conditioni Rubenitæ, Gaditæ, dimidiaque tribus Manasse, & quod polliciti erant implerent. Vrbes verò traditæ dicuntur, & ibi simul ædificandæ; quoniam bello vastatas, restaurare necesse erat, vt commodè habitarentur.

Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit.] Polliciti fuerant se perrecturos ad prælium ante alios, donec introducerent eos ad loca sua, nec reuersuros, donec iidem possiderent hæreditatem suam: & Moyses id approbans, adiecerat, donec subuertisset Dominus inimicos suos, & subijceretur ei omnis terra [b]: eamdémque conditionem præcepit vt exigerent Eleazar summus Sacerdos, & Iosue successor suus designatus [c]. Requies in possessione dicitur, inquit Abulensis [d], non quando aliquis deuicit detinentem eam; sed, quando eam ipse accepit, & pacificè possidet. Quod factum docet, quatenus debellati sunt ab Hebræis Chananæi trans Iordanem, spatio septem annorum sub Iosue, post Moysi mortem: deinde per totidem alios annos diuisa est ab eodem Iosue terra inter tribus, pacificéque possessa: vt idcirco non nisi 14. annis expletis redierint Rubenitæ, Gaditæ, ac dimidia tribus Manassenses ad assignatam sibi terram ex Chanaan. In libro Iosue [e] narratur quòd data est à Domino omnis terra Israëli, quam promiserat, hancque is ita possedit, vt pacem obtineret ab omnes per circuitum nationes, nullo hostium audente resistere, sed cunctis in eius ditionem redactis: cùm autem rebus expleta essent omnia Dei promissa, Iosue Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse laudatis dixisse, vt quia Dominus dedisset aliis pacem & quietem, reuerterentur in terram quam Moyses dederat ipsis trans Iordanem. Sanè quidem possessionem adipisci is non videtur, qui ita nactus est, vt eam retinere non possit [f].

Et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Iordanem.] Loco futuri (*daturus est*) est præsens נֹתֵן, dat & participium נֹתֵן notben, admittens omnia tempora. Dicitur verò (*trans Iordanem*) respectu situs loci, vbi tunc erat Moyses cùm loquebatur. Antea hoc ipso [g] libro eadem phrasis accipiebatur per comparationem ad eos, qui essent vltra Iordanem, & perinde ac si scriberet auctor vt existens vltra illum de se aut de aliis, quatenus citrà; & diceret potius in Chanaan, respectu cuius redire volenti vnde ventum erat Iordanis esset trans, cùm autequam pertransitus esset Iordanis, Chanaan censeretur esse trans Iordanem. In eodem sensu paulò pòst [h] ait Moyses (*transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem.*)

Tunc reuertetur vnusquisque in possessionem suam.] Addi potuisset ad (*vnusquisque*) pronomen (*vestrûm*,) quia editiones aliæ habent verbum plurale secundæ personæ (*reuertemini*, תשבו *sitastbem*, ἐπαναστραφήσεσθε.) Dixerant hi [a]; *non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filij Israel hæreditatem suam.*

Quam dedi vobis.] Proculdubio, vt libro priore [b] dixi, non absque Dei à Mose consulti consensu, & approbatione quoque Eleazari Pontificis, & aliorum principum multitudinis, ad quos filij Ruben & Gad venerant, vt exponerent expostulationem suam [c].

Vers. 21.] Iosue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es.

Vers. 22.] Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

Admonet Abulensis videri bis factam commonitionem Iosue per Moysem, aliquanto ante mortem: de qua in c. 27. Numerorum, & hîc: deinde sub ipsum vltimum tempus mortis, quæ c. 31. libri huius habetur, quoniam verbis ac sensu differunt: & post istam, liber hic, qui est recapitulatio præcedentium, continet incipiendo à c. sequenti, multorum præceptorum traditionem vsque ad illud cap. 31. in quo narratur quòd Moyses recitatum librum legis dederit Iosue; ac dicto cantico prolixiore, benedictioneque pronunciata singulatum tribuum, ascenderit in montem vt moreretur. Probabile quoque ducit, semel dumtaxat contigisse, si admittatur anticipatio, & quidem post recitationem legis, seu totius istius libri, vt habetur in c. 31. Nam non videntur, inquit, tam breui tempore factæ duæ confortationes siue commonitiones Iosue, quantum intercedere posset inter vnam & alteram; quia præsens confortatio facta est, postquam terra regum duorum Amorrhæorum diuisa fuit duabus tribubus & dimidiæ, quod hîc proximè antè commemoratum est; atque post eam diuisionem Moses statim recitauit verba libri istius, & mortuus est: quo pacto si duæ essent, oporteret vnam esse immediatè post aliam, quod superuacaneum est. Fauet posteriori sententiæ, quod in c. 27. Numerorum [d] scribitur, iussisse Dominum, vt ascenderet Moyses in montem Abarim, indeque contemplaretur terram dandam filiis Israël; tum verò moreretur: Moysen mox orasse pro successore, quem Dominus designauit, & Moyses ipse coram Eleazaro, & omni populi frequentia instituit.

Iosue quoque in tempore illo præcepi, dicens.] Post debellatos duos reges Amorrhæos duce forsitan Iosue, sicut quondam in bello contra Amalecitas [e], præcepisse se scribit Moyses illi quæ sequuntur. Vbi est solitus quoque verbi duplicis pleonasmus.

Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus.] Græcè (*oculi vestri*, ὀφθαλμοὶ ὑμῶν.) Reprehendit id Eugubinus: nisi alia ratione, inquit, hanc varietatem tueamur; nam cum Iosue erat illi, nempe Moysi, sermo. Plurale pronomen (*vester*) videretur eiusdem numeri requirere in oculis, vt dicerentur (*oculi vestri.*) Præsentibus aliis connertisse vultum, & orationem ad Iosue, Moyses

Marginal notes: * Heb. 11. 39. 40. — a Num. 32. 16. 24. — b ibid. v. 17. 18. 21. 22. — c ibid. v. 28. 29. — Requies in possessione quando dicatur. — d q. 3. — e c. 21. 41. & 5. seqq. c. 22. 1. & seqq. — f l. Non videtur. D. de acquir. poss. l. 1. sequitur §. tûc in potestatê, & §. si Domi nus D. de vi & vi armata. — g c. 1. 1. — h v. 25. — a Num. 32. 18. — b ibid. — c ibid. v. 2. — PARAPHR. — d v. 12. & seqq. — EXPLANATIO. — e Exo. 17. 9. & seqq.

Moyſes tenſendus eſt, cui præcipiebat: & quia hoc [illegible] faciebat in gratiam circumſtantis populi, appellauit Dominū Deum non Ioſue ſolius, nec ſibi communem cum populo (Græcè tamen eſt ἡμῶν, *noſter*:) ſed populi; quia breui moriturus erat, fructúſque collatæ victoriæ de duobus regibus Amorrhæis Sehon & Og, quíque conſecuturus erat ex ſimilibus victoriis, quas Domini nomine pollicebatur, ab eodem populo percipiēdus erat: ac ſimul beneuola huiuſmodi appellatio amorem, gratitudinem, fiduciam maiorē conciliabat. Emphaſin poſtremò habet quod dicitur (*oculi tui*, vel *veſtri viderunt*.) Talis in ſermone Ioſeph [a], *en oculi veſtri, & oculi fratris mei Beniamin, vident quod os meum loquatur ad vos*, id eſt, ipſomet idiomate veſtro, ſeu lingua veſtra (vt explicatur Chaldaicè) atque familiariter, abſque interprete, vt me eſſe dubitare non poſſitis veſtrummet fratrem. Delectatus videtur Moſes hac formula, toties eam repetens in hoc ipſo [b] libro; aliquando [c] ad exaggerandum malum, quod ſuiſmet quis oculis paſſurus ſit: ſed & ipſimet Moſi Dominus dixit, quòd vidiſſet terram promiſſionis oculis ſuis [d]: Ioſue verò vſurpauit in primo ſenſu [e]: Dauid Saüli conteſtatus eſt illum vidiſſe oculis ſuis, quòd tradiderat eum Dominus, in manu ipſius [f]: idem Dominum benedixit quòd videntibus oculis ſuis, vidiſſet ſedentem Salomonem in ſolio ſuo [g]: regina Saba vidiſſe ſe affirmauit oculis ſuis, quæ de Salomone auditione ſola cùm accepiſſet, non crediderat [h]: Eliſæus non credenti futuram copiam annonæ poſt caritatem, reſpondit viſurū oculis ſuis, licèt inde non comederet [i]: Ezechias rex cladem illatam à Domino propter neglectum ipſius cultum, cerni oculis aſſeruit [k]: Olda propheriſſa iuſſit renunciari Ioſiæ regi, non viſurum oculis ſuis prophetata mala [l]: Poſtremo non infrequens aliis in locis pleunaſmus [m] vidēdi oculis: cum dicta verò expreſſione potiſſimùm quando Eſaias [n] vidiſſe ſe Dominum exercituum oculis ſuis teſtatus eſt; quòd oculi diſcipulorum viſuri eſſent præceptorem ſuum [o], & regem in decore ſuo [p], & Ieruſalem beatam [q]; quod partim in hac vita conceſſum dixit Chriſtus [r], & de ſe Ioannes profitetur [s]; partim in futura contiuget, vt ſibi Iob certò pollicetur [t]; petróque [u] de omni oculo confirmat.

a Gen. 45. 12.
b c. 4. 3. 9. 34. c. 7. 19. c. 10. 21. c. 11. 7. c. 29. 3. c. 34. 4.
c Deut. 28. 32. 67.
d Deut. 34. 4.
e Ioſue 24. 7.
f 1. Reg. 24. 11.
g lib. 3. c. 48
h c. 10. 7. 2. Paral. 9. 6.
i lib. 4. Reg. 7. 2. 19.
k 2. Paral. 29. 8.
l c. 34. 28.
m Eccli. 17. 11. c. 23. 27. 30. 21. c. 51. 35. Eſa. 6. 5. 10. c. 29. 18. c. 30. 20.
n c. 6. 5.
o c. 30. 20.
p c. 33. 17.
q ibid. v. 20.
r Matth. 13. 16. Luc. 10. 23.
s 1. epiſt. 1. 1.
t c. 19. 27
u Apoc. 1. 7.

Sic faciet omnibus regnis, ad quæ tranſiturus es.] Omiſit Interpres (*Dominus*) quod extat in editionibus aliis; & præterea in Græca (*Deus noſter*) κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν.) In eadem eſt præſentis temporis διαβαίνεις, *tranſis*) in Hebræa Chaldæáque participium עֹבֵר *hhouer*, & עָבַר *hhauer*, cui tempora omnia iungi poſſe ſæpiùs monui: in fine dictarum triom aduerbium loci (*illuc*, שָׁמָּה *ſciammah*, לְתַמָּן *lethamman*, ἐκεῖ) quod redundat. Tandem nominantur regna, cùm proximè antè reges; quia victoria de regibus eadem eſt cum illa quæ de regnis, ac viciſſim. Cæterùm benè monet prælatos Oleaſter, vt moneant ſubditos de magnis Dei operibus; & oculos eorum quaſi aperiant, & corda excitent, vt ea aduertant, vnde ad ſpem excitentur. Capponus verò infert quòd ex donis à Deo perceptis debemus concipere ſpem maiora percipiendi. Sub initium capitis [x] argumentum ſimile; *faciéſque ei* (Og) *ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum*. Erat item prouerbium, receptáve ſententia. *ſicut* [y] *fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.* In c. 7. libri noſtri, ne metuat populus, iubet recordari Dominos quæ fecerit ipſe Pharaoni, Ægyptiiſque, quódque ſic faceret cunctis populis, quos metuebat. Eodem argumento animauit Ioſue ſuos; quoniam ſic facturus eſſet Dominus cunctis hoſtibus, aduerſùm quos dimicarent [a]: Iudith item obſeſſos [b]; Machabæi ſæpiùs commilitones.

x Num. 21. 34.
y v. 18. 19.
a Ioſue 10. 25.
b c. 4. 13. 14.

Ne timeas eos.] Regnorum nominé quod immediatè expreſſum eſt, reges præſertim intelligebantur, aliique in regnis habitantes, qui timeri poſſunt, & iubentur non timeri. Pronomen affixum verbo Hebræo maſculini generis תִּירָאוּם *thiraum*, & abſolutum Chaldæum, cum præfixa litera ſeruili לְהוֹן *lehon*, homines indicat, non regna, quæ illis linguis generis fœminini ſunt מַמְלְכוֹת *mamlachoth*, מַלְכְוָתָא *malchaua*: licèt Græcum αὐτῶν ſit omnis generis: ſed nomen præcedens etiam fœminini, nempe βασιλείας. De timore quem pelli præcipiat Dominus in eiuſmodi expeditione, dictum capite 2 [c].

c v. 21. 29.

Dominus enim Deus veſter pugnabit pro vobis.] Eodem pacto in citato [d] loco: quod & reipſa expertus eſt populus ſub Ioſue [e], & aliis partim Deo ipſo per ſeipſum victorias admirabiles largiente, partim robur ac vires cooperanti populo & pugnanti ſuppeditante. Chaldaicè (*Dominus Deus veſter verbo ſuo pugnabit pro vobis*, מְגִיחַ *memereh*.) Hebraicè & Græcè (*ipſe pugnabit*, הוּא *hu*, αὐτός.) Quæ omnia ſuam vim habent ac expreſſionē potentiæ, prouidentiæ, beneuolentiæ diuinæ. Eadem pollicitatio facta eſt pridem à Moſe prope mare rubrum [f], poſtea à Ioſue [g], & Iahaziel [h]: atque ita factum confirmauit Achior [i], ſed lectu in primis digna quæ dixit Iahaziel.

d v. 19.
e Ioſue 6. & 10.
f Exod. 14. 14.
g Ioſue 23. 5. & ſeqq.
h 2. Par. 20. 13. 16. 17.
i Iudith 5. 6. & ſeqq.

Verſ. 23.] Precatúſque ſum Dominum in tempore illo, dicens:

Verſ. 24.] Domine Deus, tu cœpiſti oſtēdere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manúmque fortiſſimam. Neque enim eſt alius Deus vel in cœlo, vel in terra, qui poſſit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.

Verſ. 25.] Tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam, & montem iſtum egregium, & Libanum.

Paraphr.

CVm pulſi eſſent occiſique duo Amorrhæorum reges Sehon & Og, conceperat ſpem Moyſes introductum ſe populum Hebræum ſibi commiſſum in reſiduum terræ promiſſionis, hoc eſt, in Chanaan, quę regio multò melior erat, & ſingulariter promiſſa. Quare actis priùs rite gratiis, vt credere par eſt, pro tam inſignibus iam reportatis illis victoriis, & collaudata eximia Dei potentia, cui æqualis nulla vſpiam eſſe valeat, confidentèr poſtulat ingreſſum ſibi concedi, vt vel oculis cernere cotàm & cominus liceat, in eam terram, cuius bonitatem & pulchritudinem ex ſolo proſpectu eminus & à longè hauriebat. Obſeruat in hac oratione Caietanus aliquot bonas conditiones; quòd familiari blandóque nomine inuocet ſummum Deum Adonai, hoc eſt, Domini mei; ſeu noſtro loquendi modo, Domine mi; quòd proponat perfectionem cœptorum, ſiue vt iam cœpta perficiantur. Cœperat enim delendo duo regna mōſtrare magnitudinem & fortitudinem in executione promiſſæ terræ: quòd incomparabilem aſſerat Deum cuicumque ſpirituali

tuali substantiæ tam in cœlo quàm in terra: quòd ostendat spem impetrandi, dum petit vt liceat sibi transire vlteriùs, non arbitrans absolutè prohibitum, sed comminatoriè duntaxat. Hoc vltimum prior Lyranus obseruauit, confirmans exemplo prædictæ subuersionis Niniue post 40. dies [a]. Abulensis prophetiæ Ioël affert exemplum, cui cùm reuelatum esset, quòd bruchus, locusta, ærugo consumerent totam terrã duarum tribuũ, tamen hortatus est populum ad pœnitentiam, dicendo, *quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Non cognouit Moyses, inquit Abulensis, licèt Propheta esset, vtrùm denegaretur ille ingressus [b] secundùm exigentiam demeritorum, vel ex absoluta prædeterminatione. Legenda quæ dixi locis hîc in margine notatis.

Precatúsque sum Dominum in tempore illo, dicens.] Non multum intercessisse spatium temporis videtur ab exhortatione, quam habuit Moyses ad Iosue prioribus proximè versibus memorata, & ab ista eiusdem Moysi precatione: quam an publicè protulerit & elata voce, vel priuatim, & submisse, non liquet. Primum non vacat probabilitate. Vtrumuis asseratur, ipsa isthæc narratio confert ad exemplum tum bene orandi secundùm eas conditiones, quas cum Caietano notabamus; tum ad acquiescendum patienter libenterque diuinæ voluntati, quando non exaudimur. Obseruat porrò Mariana noster, sed post R. Racanati, & Munsterum apostatã, qui citat illum, licèt vtriusque nomen primus reticeat; Hebræum verbum אֶתְחַנַּן *ethchannan*, quod propter ו præfixum transit ex futuro in significationem præteriti, propriè significare pro gratia rogare, offensúmque precibus placare, petere misericordiam: cùm alioquin הִתְפַּלֵּל *hithpallel* propriè sit *orare*, quod habetur in c. 5 [c]. quod etiam valet צַלֵּיתִי *tsalliethi* Chaldæum: Græcum autem ἐδεήθην, indicat *egestatem*, quæ ad orandum impellat. Docui [d] alibi quam Interpres transtulit *postulationem*, & LXX. ἀξίωμα, Hebraicè vocari תְּחִנָּה *thechinnah*, *postulationem* siue *precationem*, siue *orationem* pro gratia, misericordia, venia.

Domine Deus.] Græcè in codicibus Sixtinis κύριε θεὲ: quibus editio nostra respondet: in Complutensibus, Regiísque κύριε, κύριε, *Domine, Domine*, sicut & inferiùs c. 5 [e]. Hebræa nomina sunt אֲדֹנָי יְהוִה *Adonai Iehoui*: in quorum secundo sunt puncta nominis אֱלֹהִים *elohim*. Bellarminus noster in exercitatione Grammatica in Psalmum 33. aut secundùm Hebræos 34. inter argumenta quatuor, quibus probat puncta nominis יְהוָה non esse propria illius, cuius ignoretur vera atque germana pronunciatio, sed notorius אֲדֹנָי quod loco eiusdem alterius proferri debeat, hoc affert primo loco, quia vbicumque occurrunt simul hæc duo, ne cogamur bis dicere Adonai, ipsi nomini יהוה puncta subiiciuntur nominis אֱלֹהִים *elohim*, vt in Abdia [f] כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה *cho amar Adonai Iehoui*, *sic*, vel *hæc dicit Dominus Deus*, &c. in fine Abacuc יְהוִה אֲדֹנָי חֵילִי *Iehoui Adonai chelì*, *Deus Dominus fortitudo mea.* Adde c. 5 [g]. libri nostri. Quidquid sit de obseruatione ista, quæ mihi satis dubia est, quamuis verum sit vbi legimus (*nomen* [h] *meum Adonai non indicaui eis*) Hebræum nomen scribi יהוה nempe literis י *iod*, ה *he*, ו *vau*, ה *he*; cùm tamen ipsum nomen Adonai, quod [illegible] llabum est, quia vltima [illegible] aba est, *ai*, per diphthongum, extet in Genesi, præterea [illegible] cùm [illegible] dictum quadriliterum nomen pro eo Græcè [illegible] natur κύριος, Latinè *Dominus*, quæ videtur propria notio

a Ionæ 3.4.
b Num. 20. 12. Deut. 1. 37.
Explanatio.
c vers. 26.
d in Ps. 118. 170.
e vers. 26.
f vers. 1.
g v. 26.
h Exod. 6. 3.

nominis Adonai: item, etiamsi de proferendi modo variæ sint sententiæ, quas refert Cornelius [a] noster numero septem, secutus vltimam de *Ihueh*, vel *Iehueh*, vel *Iehouah*; cùm tamen communiter proferri soleat *Iehouah*; denique quanquam censeant quidam [b] hoc nomine significari essentiam Dei ad intra, per Adonai eâdem ratione operum ad extra, & alij [c] ea quæ Ioannes in Apocalypsi scripsit [d] (*qui est, qui erat, & qui venturus est*) ita vt compendio quatuor literarum includantur יהי *ihie*, הוה *houa*, ו *ve* היה *haiah*, *erit, est, & fuit*; & plura de hoc argumento tractari possint, de quibus præter citatos, Galatinus [e], Masius [f], Ant. Gueuara [g], & de nostris Vasquez [h], ac Delrius [i], quod alibi [k] præstitimus: quidquid, inquam, sit de his omnibus, retuli paulò ante ex Caietano, hoc familiari blandóque nomine vti nunc Mosem initio orationis, vt concilier sibi beneuolentiã. Aliqui certum etiam est nomen Adonai communicari aliis quàm Deo; & Adoni quod significat *dominum meum*, esse nomen appellatiuum, Adonai verò proprium: quod Caietanus non satis aduertit, explicans hic *dominum meum*, vbi est Adonai.

Tu cœpisti ostendere seruo tuo, &c.] Si quis ab auaro vel illiberali aliquid recipere velit, oportet, inquit Abulensis [l], obligationem ad persuasionem adducere, dicendo ea quæ petit, sibi deberi, & vlteriora. Si autem à magnifico, vel magnanimo aliquis beneficium recipere velit, persuadere poterit, dicendo se ab eo iam alia beneficia suscepisse; quia magnanimus libenter audit se dedisse, & non, se accepisse. Vnde nec Thetis, vt refert Aristoteles [m], beneficia Ioui dicitur cõmemorare, neque Lacedæmonij ad Athenienses; sed tantummodo ea quibus fuerant affecti, ἃ πεπόνθεσαν εὖ. De seipso autem loquens in tertia persona Moyses, vocat se seruum Dei hoc loco, & alibi [n]; & Deus ipse suum [o], vt & Iob [p]: & Iosue [q] rursus Dei; necnon historia Regum, & Paralipomenon [r], & libri Esdræ [s], Iudith [u], Psalmorum [x], Baruch [y], Apocalypsis [z], epistola [aa] ad Hebræos. Id prius notaui libro præcedente [bb]. Cognominantur nihilominus eodem serui Dei communiter Abrahã, Isaac, Iacob, seu Israël [cc], & Prophetæ [dd]: præterea Caleb [ee], Iosue [ff], Dauid, hicque sæpiùs, & in libris Regum, & Psalmis; nonnunquam Ezechias [gg]. Quanti autem referat Dei seruum esse, docui in commentariis Psalmorum [hh], & Petri [ii], & in cõmentario Numerorum [kk] cur peculiariter id nomen Moysi tribuatur sit.

Magnitudinem tuam.] Sic etiã Hebraicè, Chaldaicéque גָּדְלְךָ *godlecha*, רְבוּתָךְ *reuutach*: Græcè verò *fortitudinem tuam, & potentiam tuam*, τὴν ἰσχύν σου, καὶ τὴν δύναμίν σου. Quæ duo synonyma sunt pro vnico nomine aliarum editionum. Magnitudinẽ lego aliquoties [ll] positam per se ac solitariè, seu absque addito. Interdum [mm] Græcè pro maiestate (seu gloria) & magnitudine ponitur tantùm gloria δόξα: pro magnitudine [nn] ἰσχὺς μεγάλη: magnitudo, vbi est תִּפְאֶרֶת *thiphereth*, & μεγαλοπρέπεια, quorũ illud redditur *gloria, pulchritudo, maiestas*, istud *magnificẽtia*, præterea [oo] vbi μεγαλωσύνη, quæ vltimum quoque significat: item [pp] vbi μεγάθος, quod propriè respondet magnitudini: adhæc [qq] vbi δόξα, *gloria*, κράτος [rr], *potentia & robur*; rursus vbi [ss] μεγαλεῖον, valens id quod magnum est,

Adonai.
a ibid.
& Iehouah.
b Villalp. in Ezech. 28.
c Lud. Alcasar in Apoc. 1. nota 3.
d Apoc. 1.
e lib. 2. c. 10. & 11.
f in Iosue 2. n. 10.
g in Abac. 2. num. 377.
h 1. p. tomo 1. disp. 59.
i in disq. magn.
k in Ps. 47. 11. in 101. 12. in 109. 2. in Leuit. 24. 28. in Sapien. 14. 21. q. 6.
l q. 6.
m 4. Ethic. c. 3. vel 8. ex Iliad α.
n Exo. 4. 10. c. 14. 31. Deut. 34. 5. Iosue 1. 2. 13. c. 8. 31. 33. c. 11. 12. 15. c. 12. 6. 15. c. 13. 8. c. 14. 7. c. 22. 4. 5. Malac. 4. 4.
Moses se seruum Dei vocat.
o Num. 12. 7. 8.
p Iob 1. 8. c. 2. 3. c. 42. 7. 8.
q Iosue 1. 1.
r li. 3. 8. 53. lib 4. 18. 12. c. 21. 8.
s lib. 1. 6. 49. li. 2. 1. 3. 24. 6. 9.
t lib 2. 1. 3. 8. c. 9. 14. c. 10. 29.
u c. 4. 13.
x Ps. 104. 26.
Magnitudo Dei.
y c. 1. 20.
z c. 15. 3.
aa c. 3. 5.
bb c. 18. 7. 8.
cc Exod. 32. 13.
dd 4. Reg. 24. 2.
ee Num. 14. 24.
ff Iudic. 2. 8. Iosue 24. 29.
gg 2. Paral. 32. 16.
hh in Ps. 89. 2.
ii in 2. epist. 1.

kk in c. 1[illegible] 8. ll Deut. 5. 24 c 9 26. 1. Para[illegible] 21 c 29. 11. Esther 5. 4. Iob 36. 19. Ps. 70 [illegible] Ps. 144. 3 6. Ps 150. 2. Sapien[illegible] 8. c. 3 [illegible] 15. 2. Eccli. 2. 23. c 41 16. Ezech. 31. 2 7. Dan. 4. 19. 1. Machab. 9. 22. Luc. 9 43. 2. Pet. 1 16. mm Deut. 3 24. Esther 1 4. nn c 9 36. oo [illegible]. 144. 3. [illegible] 150. 2. Eccli. 2. 23. Dan. 4. 19 1. Mach. 9. 22. pp Sap. 6. 5. qq c. 9 [illegible] rr 6. 23. ss Eccl. 43. 16

est, magnitudinémve; vbi ⁿ ὕψος, celsitudo, siue altitudo vbi μεγαλεῖα, Syriacè רברבתא rebutha, & quæ magnalia locum narrantur qui Spiritum sanctum in Pentecoste acceperunt ᶜ, dicuntus μεγαλεῖα, Syriacè תדמרתא thedmeratheh, miranda opera. De diis magnis apud Ethnicos egi alibi ᵈ, quòd soli Deo vni vero magni absolutum nomen conueniat, multóque magis maximi, optimi, altissimi, atque maiestatis: quia magnitudinis eius non est finis ᵉ, nec secundùm durationem, nec secundùm locum spatiùmve, nec secundùm substantiam, perfectionésve. Cæterùm Beda magnitudinem refert hoc loco ad mirifica Dei opera in Ægypto, in mari rubro, in petra, ex qua nimirum eductæ sunt aquæ; quod autem sequitur de manu fortissima, ad pugnas contra Amalecitas; Abulensis primæ addit manna; secundæ victoriam de Atad, & de Amorrhæis. Marzilla cum Lyrano exponit in genere primam de patratione mirabilium, secundam de hostium expugnatione. Rickelius accipit pro maiestate magnitudinem: manum fortissimam pro deiectione hostium, ita vt nullus filiorum Israel ab iis læderetur. Diceres minorem quodam modo requiri potentiam, quando hominibus improbis resistendum non est in bello, sicut manu brachium fortius est. Sed quòd nullus Hebræorum sit læsus, absolutè verum non est.

a Exec. 31. 1.
b Luc. 9. 43. 2. Pet. 1. 16.
c Actuum 2. 11.

Soli Deo nomen Magni conuenire.

Magnitudo pro maiestate.

Manus fortissima pro deiectione hostium.

Manúmque fortissimam.] Græcè absque superlatiuo, quo etiam carent Hebræi, & Chaldæi, addendo præterea brachium cum epitheto, τὴν χεῖρα σου τὴν κραταιὰν, καὶ τὸν βραχίονα σου τὸν ὑψηλὸν, *& manum tuam fortem*, siue *validam ac robustam*, *& brachium tuum excelsum*. Similia epitheta manus brachiique fortis, fortissimi, validi, magni, excelsi, robusti, extenti, potêtis, grandis, magni, virtutis, fortitudinis, terroris, tremoris, magnitudinis, &c. occurrunt frequenter in Scripturis ᶠ: inest enim brachiis manibúsque vis, robur, valor, firmitas, fortitudo præ membris reliquis maior: & ex opposito per manum inualidam & potentiæ imbecillitas & infirmitas virium, seu potentiæ. Proderit cognoscere annotata ad c. 11. libri Numerorum ʰ, vbi auctores alios, & alias dicendi similes formulas protulimus, ac lectorem etiam reiecimus in commentarium Psalmi ⁱ 73. & ad Delrium ᵏ nostrum. Apud Poëtas Græcos βραχίων masculini generis dicitur σθεναρὸς, κρατερὸς, στιβαρὸς, δυνατὸς, robustus fortis, firmus, validus, & aduersus, ἀνίκητος, inuictus, χεὶρ etiam, σθεναρὰ, κρατερὰ, δυνατὰ, πανσθενὴς, ῥωμαλέα, βριαρὰ, quibus eadem significantur.

De brachio

f Exo. 3. 19. c. 6. 1. c. 13. 9. c. 14. 31. c. 32. 11. Num. 20. 20. Deu. 5. 15. c. 6. 21. c. 7. 8. 19. c. 8. 17. c. 9. 26. 29. c. 11. 2. c. 26. 8. c. 17. 32. 27. c. 34. 12. Iosue 4. 24. Iudic. 4. 24. &c. De brachio Exod. 6. 6. c. 15. 16. Deut. 4. 34. c. 5. 15. c. 7. 19. c. 9. 29. c. 11. 2. c. 26. 8. 2. Reg. 8. 41. Iob. 4. 17. 36. Iob. 6. 31. c. 25. 8. Iob 11. 9. c. 38. 15. Ps. 78. 11. 88. 11. 135. 12. Prou. 31. 17. Sap. 11. 22. c. 16. 16. Eia. 33. c. 8. 11. 29. 11. 17. 4. 13. c. 14. 26. 27. c. 32. 30. c. 51. 9. c. 62. 8. Ierem. 21. 5. c. 27. 5. c. 32. 17. 21. Baruch 2. 11. Ezech. 4. 7. c. 17. 9. c. 20. 33. 34. Dan. 11. 6. Machab. 15. 23. &c.

Neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.] Hebraicè, Græcéque dicuntur ista interrogatiuè, cum maiore emphasi (*quoniam quis*, vel *quis enim Deus*, θεὸς, *an fortis*, אל *el, in cælo, & in terra*, vel *aut in terra*, *qui faciet*, seu *faciat*, vel *facere possit secundum opera tua*, seu *sicut fecisti tu*, *& secundum fortitudinem*, aut *fortitudines* siue *potentiam potentiásve tuas!*) Opposito modo præponitur cum interrogatione ab Interprete quoque nostro quod absolutè scribitur in textu Hebræo Ps. 82. *Deus quis similis erit tibi?* Sic autem in Mosis cãtico ˡ minore, *quis similis tui in fortibus*, באלים *baelim*, ἐν θεοῖς, *in diis, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?* Aliis præterea in locis ᵐ asseritur eadem Dei ex-

Fortitudo Dei.

g Num. 11. 23.
h ibidem.
i vers. 11.
k tomo 1. adag. 11. 101.
l Exod. 15.

m 2. Reg. 7. 22. Iob. 3. 8. 23. 1. Paral. 17. 20. Iob. 26. 14. Iob 36. 22. Ps 34. 10. Ps. 70 19. Ps 82. 2. Ps. 85. 8. Ps 88. 7. 9. Esa. 44. 10. 18. c. 44. 7. c. 46. 5. 9. Ierem. 10. 6. c. 49. 19. c. 50. 44. Michæ. 7. 18.

A excellentia super omnes; quódque similis ei non sit; disertéque Salomon pronuntiauit ᵃ; *Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum.* Deus ipse negat esse similem sibi ᵇ alium. Quod verò spectat ad præsentem locum, ideo id ait Beda dici, quòd nullos in Ægypto vidissent Hebræi Deos, qui non potuerunt saluare plebem, nisi Dominus; & in terra velut imaginem bouis viderunt. Caietanus locum nouum orationis hic obseruat, siue rationem persuadendi, ab incomparabilitate cuiuscumque spiritualis substantiæ tam in cælo, quàm in terra: nomen enim *el*, à fortitudine sumptum applicare Mosem ad spiritualem quamcumque substantiam distinctam à Deo siue in cælo sit, siue in terra, hoc

B est, in toto vniuerso: quia longè maior est fortitudo spiritualis substantiæ, quàm corporeæ. Hugo illustrat locum eumdem verbis illis Iob ᶜ, *si fortitudo quæritur robustissimus est*: & Ieremiæ ᵈ, *Dy qui non fecerunt cælum & terram, pereant de terra*: &, *non est similis tui Domine; magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Lege commentarios nostros Psalmorum ᵉ. Idem momentum habent sententiæ, quibus exprimitur quòd sit solus Deus, nec alius præter ipsum, seu absque ipso ᶠ, solus potés, sapiens, altissimus, bonus, faciens mirabilia, saluator, pius, scrutator cordium, &c. Ex his loquendi modis, quid colligant Patres ac Theologi, aliàs dixi, & quo pacto quæ soli Deo tribuuntur epitheta, communiceutur tamen nobis, ac

C ipsummet quidé etiam nomen Dei. Athanasius ᵍ affert exemplum, si quis per diurnum tempus sole iam lucente lignum temerè depingat, in quo ne imaginaria quidem species lucis appareat, asseráque hoc lignum auctorem esse diuini luminis: Sol contrà id videns, occlamet; ego solus (Latinè dici solem quasi solum volunt) sum diurna lux, nec est alia lux præter me; non respectu sui iubaris id dixerit, sed ob ligneæ imaginis impostutam, & dissimilitudinem vanissimæ apparentiæ. Eadem ratione dictum est; *ego solus sum Deus, & præter me non est Deus*; vt à falsis numinibus homines abduceret, quo deinceps condiscant ipsum esse verum Deum. Videlicet hoc docet non repugnare trinitati personarum, cùm sint vnius essen-

D tiæ, ac vnus tantùm Deus.

Transibo igitur, & videbo.] Hebraicè Chaldaicéque (*transibo nunc*, vel *quæso*, *& videbo.*) Valet enim נא *na* vtrumque, sed כען *chebhan*, (*nunc*) Græcè διαβὰς οὖν ὄψομαι, *transiens igitur videbo.* Explicat Lyranus quasi diceret Moses (*hoc peto ex tua gratia.* Abulensis (*rogo vt dimittas me transire Iordanē*) Nititur, ait Oleaster, Iudæos Deo gratos reddere, ostendens se summè desiderasse intrare terrã promissam, pro qua tot labores sustinuerat. Interpres noster particulam illatiuam aptè apposuit, quasi ex his quæ priùs dicta fuerant de collatis beneficiis, & de diuinis attributis, inferatur exauditurum Deum.

E *Terram hanc optimam.*] Pronomen demonstratiuum extat etiam Græcè ταύτην: quod omnino deest in paraphrasi Chaldæa; latet verò in littera Hebræa ⁿ *he*, qui præfigitur bis הטובה הארץ *haarets hattouah*: & energiam inuoluit, ac indicationem quamdam rei, quæ non longè aberat, stâtimque obtineri poterat. Superlatiuo carent Hebræa Chaldæaque editio; nec eo vtuntur linguæ illæ: & hic Græca editio habet positiue ἀγαθὴν. Non habebat Moses pro nihilo terram illam desiderabilem, vt de aliis conqueritur Dauid ʰ. Paulus Burgensis, quem approbat Rickelius, obseruat

a 3. Reg. 8. 23. 2. Paral. 6. 14.
b Esa. 44. 7. c. 46. 5. 9. Ierem. 49. 19. c. 50. 44.
c c. 9. 19.
d c. 10. 11.
e in Ps. 17. 32. Ps. 34. 10. Ps 39. 6. Ps. 70. 19. Ps. 82. 1. Ps. 85. 8. Ps 88. 7. 8. 9. Ps 112. 5.
f Deut. 32. 39 4 Reg. 19. 15. 19. 1. Paral. 6. 30. 2 Esd. 9. 6. Tob. 8. 19. c. 13. 4. Esth. 14. 3 Iob 9. 8 c. 14 4. c. 23. 13. Ps. 17. 32 Ps. 56. 6. Ps. 71. 18. Ps. 81. 19. Ps. 85. 10 Ps. 135. 4. Ps. 148. 13. Eccl. 3. 21. c. 11 4. 19. c. 18. 1. c. 44. 22. c. 30. 5. Esa. 11 17 c. 37. 16. 20. c. 43. 11. c. 44. 6. 8. 24. c. 45. 21. c. 47. 8. 10. Dan 3. 45. 2. Macha. 1. 24. c. 7. 37. Marci 2. 7. Luc. 5. 21. c. 18 19. Ioan. 5 44. c. 17. 3. Rom. 16. 27. 1. Tim. 1. 17. c. 6. 15. 16. Iudæ v. 25. Apoc. 15. 4. 2. Reg. 22. 32. Iudith 9. 19. Orat 13. 4.
g Ser. 4. contra Arian.
h Ps. 105. 24.

uat

tiat Mosem tantopere desiderasse visionem dictæ terræ, non quòd coæquaret eam præteritis admirandis operibus Dei quæ priùs viderat, vt liberationi, seu redemptioni de Ægypto, dationi legis, deductioni per desertum: nec eam ob causam, vt populus magis diligeret illam terram, cuius visio tam desiderabilis esset viro tantæ perfectionis, quia sic videretur petitio Mosis per modum fictionis; sed desiderium id ea deuotione profectum esse ad ea quæ fuerunt facta in ipsa, vt in monte Moria (hunc enim intelligi vult per montem in sequenti membro) vbi contigit immolatio Isaac, & promissio Messiæ, omniumque gentium benedictio in illo [a]: præterea quoniam ex fide cognoscebat postquam ibidem templum fuisset ædificatum de lignis Libani (qui hoc etiam loco paulò pòst nominatur) erat offerendus Christus, atque doctrinam salutis traditurus, & per totam terram promissionis, videlicet Iudæam & Galilæam progressurus prædicando, docendo, miracula faciendo. Sic hodie etiam, inquit, videmus fideles Christi in longinquas regiones peregrinari, vt loca sancta visitent. De peregrinatione in terram sanctam diligenter ac eruditè disserit in opere de sacris peregrinationibus Gretserus [b] noster, auctoritate potissimùm inter peregrinos huius generis non postremi Hieronymi [c], qui testetur ab ascensu Domini vsque ad ætatem suam per singulas ætates venisse Hierosolymam Episcopos, martyres, eloquentes in doctrina ecclesiastica, viros putantes se minùs religionis, minùs habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, dè quibus primùm Euangelium de patibulo coruscauerat: illuc quicunque in Gallia esset primus properasse; diuisum ab orbe Britannum quærere locum fama sibi tantùm, & Scripturarum religione cognitum: Armenios, Persas, Indiæ ac Æthiopum populos, Ægypti, Ponti, Cappadociæ, Syriæ Cœles, Mesopotamiæ incolas, cuncta Orientis examina, tanquam aquilas ad corpus [d], eò concurrere. Citantur ad idem Cyrillus [e] Ierosolymitanus, & Paulinus [f]. Testis quoque historia [g] Ecclesiastica, Hieronymùsque [h], ac Paulinus [i], Gentiles loca sacra idolis contaminasse, vt inde Christiani abstererentur. Pertinet eodem itinerarium Burdegalâ Ierosolymam vsque, & ab Heraclea per Aulonam, & per vrbem Romam Mediolanum vsque; quod suspicantur viri docti scriptum circa tempora Constantini Magni: vt omittam tot alia posteriùs condita, tótque confectas terræ sanctæ descriptiones, & Cruciatas expeditiones etiam capta à Saracenis vrbe Ierosolymitana, atque tot eadem de hac de re historias in vnum tandem corpus congestas, cui titulus, *Gesta Dei per Francos*, siue *Orientalis historia*; denique piam S. nostri fundatoris Ignatij, quam lethali ex morbo recreatos vouerat peregrinationem ad eadem loca sancta, ac nouum ad eadem cum sociis votum redeundi, de quo vitæ auctor Ribadeneira [k].

Trans Iordanem.] Græcè τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *existentem trans Iordanem.* Vbi *trans* propriè sumitur per comparationem Mosis existentis citra terram Chanaan.

Et montem istum egregium.] Idem est in editionibus aliis epithetum boni, quod in membro præcedente. Sed elegans Interpres dictionem, vt solet, variauit, quemadmodum in cap. 4. [l] vocatur ab Interprete *terra optima & egregia*, quæ ab aliis editionibus *bis bona*. Montem Moria interpretantur Paulus Burgensis, Caietanus (dubitans de Tabor & Carmelo) Marzilla, Munsterus apostata, citans Hebræos: ipsummet Libanum, qui mox nominatur; ita vt particula (*&*) redundet, vel exegeticè ponatur; significétque, *id est*. Glossa interlinearis, & Lyrani, Oleaster, Sa (quamuis de Moria opinionem non improbet) Mariana, Cornelius: quendam innominatum prope Iordanem Abulensis, cuius opinionis meminit quoque Rickelius, & alterius de Moria: R. Salomon Ierusalem, quæ pro parte principali erat sita in monte; per Libanum verò significari templum, quod est factum de lignis [a] Setim, hócque loco reddit Paraphrastes pro Libano *domum Sanctuary*: totam illam regionem montuosam Fonseca Scholiastes Caietani. Caietanus pro Moria profert quòd ibi Abraham filium voluit immolare, & Iacob vidit scalam, & appellatus est mons diuinæ visionis, ita vt propterea meritò dicatur bonus: demonstretur autem pronomine tum ob vicinitatem ad Iordanem; tum quia electus & approbatus à Deo, cum quo loquebatur Moses. Refelluntur Lyranus, & Abulensis R. Salomonem, quia Moses non petebat visionem spiritualem terræ, longéque pòst constructum est templum, ad spiritualem verò & imaginariam visionem non erat opus transire Iordanem; qui etiam transitus tam præcisè negatus est. De Moria dictum alibi, legendusque Villalpandus [b] noster.

Et Libanum.] Dixi nonnullis videri (*&*) redundare, vel exegeticè sumi, vt sit ille ipse mons egregius, bonúsve membro præcedente expressus: iuxta alios esse aut Ierusalem, aut templum domúmve Sanctuarij, vt redditur Chaldaicè בית מקדשא *beth makdescha*, (déque Rabbinis testatur Galatinus [c]; & ita sumitur ab eodem Paraphraste in Oseæ cap. 2. ibidémque à Hieronymo) aut montem celebrem hoc nomine appellatum. Græcè est ἀντιλίβανον, *Antilibanus*, de quo, déque Libano satis multa priùs in cap. 1 [d]. quódque Libanus & Antilibanus eiusdem amplioris montis vocabula sint. Mons Libani, ait Caietanus, scrupulo quæstionis caret, id est, absque dubio montem hic significat cui vulgò ea appellatio conuenire intelligitur. Non erat Libanus extra terram promissionis, vt Abulensis tamen hoe loco asserit, remittens se ad ea quæ dixerat Numerorum 34. vbi videtur potiùs oppositum docere. Lyranus per montem Libanum, quem hic significari vult, tanquam ab alio diuersum, ait duos terminos terræ promissionis comprehendi secundùm eius longitudinem; quia mons in quo est ascensus Scorpionis, est in termino australi, & Libanus in termino aquilonari; per hoc autem petita videtur visio locorum intermediorum. Innuit eandem sententiam Rickelius. Sed si mons vnicus nunc accipiatur, non est ad rem distinctio illa terminorum.

Vers. 26.] Iratúsque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me.

NArrat Moses denegatum sibi ab irato Deo ingressum in promissam terram, atque cum indignatione reiecisse petitionem, vetasse ne penitus vllum ea de re sermonem haberet in posterum, contentus populum perduxisse vsque ad illum

Margin notes: [a] Gen. 22. 18. — *Peregrinatio fidelium Christi in longinquas regiones, loca sancta visitandi causa.* — [b] lib. 1. c. 3. & seqq. — [c] epist. 13. 17. 27. 30. & 154. & in Esa. 19. & Ier. lib. 4. in præf. & præfat. in lib. 7. Ezech. — [d] Matth. 24. — [e] catech. 13 & 17. — [f] epist. 11 & 34. — [g] Euseb. 3. de vita Cōst. c. 24. 25. 26 & Chro. de Adria. Ruff. lib. 1. cap. 7. Sozom. lib. 2. c. 1. — [h] epist. ad Paulin. — [i] epist. 34. — [k] lib. 1. cap. 11. lib. 2. c. 4. & 8. — [l] v. 35 34. — *Mōs Moria.* — [a] 3. Reg. 5. 6. & seqq. — [b] in Ezech. tomo 2. p. 1. de mōte lib. 1. c. 1. *Libanus.* — [c] lib. 11. cap. 7. — [d] v. 7. — *Paraphr.*

Marginal letters: A, B, C, D, E

illum locum, & ex alio superiore, de quo in sequenti versu, illam terram conspexisse. Causam verò cur negauerat iratus Deus, indicat occasionem ex ipsiusmet populi contumacia habuisse; quando ad aquas contradictionis ipse Moses durorem petra expertus populum, & concitatiùs aliquantulum eum reprehendens, nonnihil tergiuersatus est in extrahenda inde per virgæ ictum aqua. Idem iam antè in cap. 1[a]. dixerat Moses, *Nec miranda indignatio in populum; cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc; sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te.* In cap. præterea sequenti[b] sic est. *Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros, & iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo; non transibo Iordanem: vos transibitis & possidebitis terram egregiam.* Recognosce quæ disputata sunt cap. 1. citato.

a v. 37. 38.
b c. 4. 21. 22.

Explanatio.
c v. 37.

Iratúsque est Dominus mihi propter vos.] In c. 1[c]. (*Iratus Dominus propter vos*) Hebraicè הִתְאַנַּף *hithannaph*, & בִּגְלַלְכֶם *biglalchem*, Chaldaicè (*& fuit ira à facie Domini contra vos.*) Græcè ἐμοὶ ἐθυμώθη δι' ὑμᾶς. In cap. 4. est idem verbum Hebræum, & Græcum, eadémque phrasis Chaldæa, quæ hîc & cap. 1. sed in reliquis editionibus (*propter sermones vestros.*) Hoc autem loco non discrepant Chaldæa ab iis quæ sunt in cap. 1. sed Hebræa sunt וַיִּתְעַבֵּר לְמַעַנְכֶם *itthhabber lemahhanchem*, Græca ὑπερεῖδέ με ἕνεκεν ὑμῶν. Oleaster explicat Hebræum, vt dicatur Deus transiuisse Mosem, dissimulasse, non curasse illum, precésque ipsius, atque sic eum, vt Græco verbo significatur, contempsisse ac spreuisse: & vt est in sequenti membro, non exaudiuisse. Sic illud ex Prouerbiis[d], *stultus transilit, & confidit*, vbi primo loco est מִתְעַבֵּר *mithhabber*, aliqui vertunt irascens, quia id dictio Hebraica cùm ponitur in quarta coniugatione vt hîc, in aliis locis semper significat: cùm in prima significet transire, inquit Iansenius[e] docens secundùm hanc versionem sensum esse, stultum eùm admonetur, non solùm non timere, sed etiam irasci contra eos, qui benè monent, eisque contemptis securum esse: videri autem L X X. transpositis literis legisse מִתְעָרֵב *mithhhareb*, quia transtulerunt ὁ δὲ ἄφρων ἑαυτῷ πεποιθὼς μίγνυται ἀνόμῳ, *stultus autem sibi confidens, miscetur iniquo.* Idem iudicium de alio eiusdem[f] libri loco (*qui prouocat eum, peccat in animam suam,* מִתְעַבְּרוֹ *mithhhabero*,) Græcè cùm duplicis verbi participiis (ὁ δὲ παροξύνων αὐτὸν καὶ ἐπιμιγνύμενος, *qui autem prouocat, & immiscens.*) Et similis adhuc alius locus in eodem[g] libro est. In Psal. 77[h]. redditur Græcè, sicut hîc, (ὑπερεῖδε) & in editione Latina (*spreuit*) à Hieronymo (*distulit*) à Paraphraste Chaldæo (*iratus est*, רְגַז *regaz:*) in 88[i]. Latinè à textu nostro (*distulisti* (quod etiam valet (ἀνεβάλου) à Hieronymo (*iratus es*) eodémque pacto Chaldaicè אִרְגַּזְתָּא *arghezatha*. Importat excandescentiam, quendámque iræ excessum, quæ veluti cum impetu transeat, vel efficiat, vt quis alium prætereat, nec audire vlla ratione sustineat, cuiusmodi quoque ira vocatur עֶבְרָה *hhebrah*, & indignationis nomine citato Psalmo 77[k]. ac θυμῷ, exponitur.

d c. 14. 16.
e ibidem.
f c. 20. 2.
g c. 26. 17.
h v. 59. 62.
i v. 39.
k v. 49.

Nec exaudiuit me.] Effectus hic iræ est atque petitionem seu orationem à Mose factam prætereundi, & cum ira seu indignatione, contemptúque reiiciendi, iuxta præcedentis Hebræi vim verbi. Aliter eodem sensu dicitur amoueri oratio[a], irasci Deus super orationem alicuius[b]; Deus repellere orationem[c]: è contrario exaudire[d], intendere illi, vocíve eius[e], illam suscipere[f], auribus[g] percipere, respicere[h] in illam, intelligere[i], intrare oratio in conspectu[k] eius.

a Ps. 65. 19.
b Ps. 79. 5.
c Ps. 87. 15.
d Psal. 4. 2. &c.
e Ps. 5. 3.
f Ps. 6. 10.
g Ps. 142. 1.
h Ps. 101. 18.
i Psal. 5. 1.
k Ps. 87. 3.

Sed dixit mihi.] Iuxta reliquas editiones (*& dixit Dominus ad me.*) Non contentus dissimulatione, tacitáque negatione, voluit Dominus apertis verbis iram proferre ac declarare.

Sufficit tibi.] Eadem phrasis occurrit cap. 1[l]. & 2[m]. verbis iisdem רַב *rab*, לָךְ *sagghi*, ἱκανούσθω. Alibi[n] vertitur Græcè iuxta vim Hebræi verbi μέγα μοι, *magnum mihi est*: vel[o] ἐχέτω ὑμῖν, & secundùm alios ἱκανούσθω vel ἀρκείτω: vel per nomen[p] ἱκανόν: vel iterum[q] ἱκανούσθω. Explicat Caietanus (*multum tibi*) id est, multum tibi collatum est plusquam meruisti; quia vidisti regna prostrata, quod non viderat Aaron pari detentus crimine: vel plus supplicasti quàm oportuerit. Apud Lucam[r] quod Christus de duobus gladiis respondit *satis est*, Græcè ἱκανόν ἐστι, exponitúrque ab aliquibus quasi significaret ad rem non esse quod Apostoli responderant duos apud se esse: quemadmodum vulgò tale quid significare volentes hoc modo loquuntur. Quod non ineptè propositæ petitioni accommodari posset.

l vers. 6.
m vers. 3.
n Gen. 45. 28.
o Num. 16. 3.
p 2. Reg. 24. 16. lib. 3. 16 31.
q lib. 3. 9. 4. 3. Paral. 21. 15.
r c. 22. 38.

Nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me.] Iuxta reliquas editiones (*non addes, aut non addas loqui ad me*, vel *coram me, adhuc verbum hoc.*) Iniungitur aliquando, immò vt plurimum, vt oremus semper, nec vnquam cessemus, vel impediamur quominus id faciamus[s]; scilicet multum & frequenter quoad licet; verùm nonnunquam[t] etiam vetat Deus expressè, ne quis oret pro alio, quoniam non sit exauditurus. Orationis vis tanta est, vt ne illa vincatur Deus, vetet ne fiat; ipse verò contrà veluti oret, ac petat dimitti, vtque non obsistatur[u] sibi; rursus quando maximè vult exaudire & ignoscere, quæritur non esse qui inuocet, & consurgat, teneátque illum[x]; ascendat ex aduerso, & opponat se murum[y]; interponat sepem, & stet oppositus contra ipsum pro terra, ne dissipet[z] eam: quemadmodum restitit iræ Dei Aaron[aa]; qui occurrat[bb], scilicet intercedendo. Non est certum semper signum impetrationis futuræ, quod satis communiter tradi solet, cùm sentit quis in corde perseuerantem confidentémque vim. Orauit Paulus ter[cc], immò Christus[dd], nec tamen exauditi sunt quantum ad materiale vt vocant; quantum autem ad formale, quisquis benè orat, exauditur.

s Eccli. 18. 22. Lucæ 18. 1. 1. Thess. 5. 17.
Orationis vis.
t Ier. 7. 16. cap. 14. 11.
u Ier. 7. 16. Exod 32.
x Esa. 64. 7.
y Ezech. 13. 5.
z c. 22. 30.
aa Sapien. 18. 21. Num. 16. 22.
bb Esa. 47. 3.
cc 2. Cor. 12. 8.
dd Matth. 26. 39. & seqq. Marc. 14. 35. & seqq. Lucæ 22. 41. & seqq.

Vers. 27.] Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, austrúmque & orientem, & aspice. nec enim transibis Iordanem istum.

Paranesis.

CVI denegat Deus transitum Iordanis, ingressúmque in terram promissam, istius tamen prospectu recreari vult, ac spe prorsus certa mox obtinendam esse à populo, quem ipsemet tot laboribus perfunctus illuc vsque deduxerat. Quod simul cuiusdam pœnæ rationem habebat, vt nimirum proximus terræ promissæ illam adire non sineretur, quia non crediderat Deo vt sanctificaret ipsum coram filiis Israel[ee]. Idem præceptum vt ascendens in montem contemplaretur Moses terram quam daturus erat Deus, extat in libro priore;

ee Num. 20. 12.

priore[a]; & cap. 32[b]. In 34[c]. quòd ita fecerit: vtrobique quòd non transiret ad illam;& in 31[d]. quòd nec Iurdanem. Quærit[e] Abulensis, an sit pœna alicui transeunti de hac vita ad beatam, quòd non videat aliqua delectabilia, quæ visurus esset si superuiuerer. Respondet; quoniam in limbo animæ iustæ adhuc anxietatem nonnullam patiebantur ante Christi mortem, de sua liberatione, atque de beatitudine; quo citiùs ex hac vita subtrahebantur, maiorem pœnam videri subiisse; ac proinde Abel & Adam,quàm alios: tametsi illorum vt & aliorum iustorum, animæ, plures à Deo reuelationes, & angelicas consolationes acciperent, iuxta meritorum suorum proportionem: Moysi autem & Aaron aliam præterea pœnam fuisse; quoniam priuati sunt per mortem delectabili aspectu promissæ terræ. Ex dictis in libro[f] præcedente peti debent quæ seruiant præsenti quæstioni; necnon & opinioni, quam repent hoc loco idem Abulensis, eleuatam supernaturaliter à Deo visiuam potentiam Mosis, vt in monte posset distinctè cunctas promissæ terræ partes conspicere; quemadmodum dicitur Benedictus mundum totum semel vidisse[g]. Paulus Burgensis docens, vt Deus suam iustitiam ostenderet etiam circa sanctos (diai citato loco non videri Mosem peccasse mortaliter) noluisse Mosi concedere terræ promissæ visionem de propinquo, sed tantùm à longè. Vnde colligit in viris perfectis modicam exercitationem corporis in rebus ad deuotionem excitantibus tantum operari, ficut talium magna exercitatio in minùs deuotis. Addit cum Glossa typum legis, de quo alibi quoque dictum est, Mosem non introduxisse populum in terram promissionis, quia lex neminem ad perfectum adduxit[h]; sed Iosue; qui fuit typus Christi,Saluatorémque significat. Possumus & nos adiicere,licèt peregrinationes piæ ac laudabiles ad loca sancta ex genere suo fint; nihilominus quibusdam personis haud ita congruere, vt monachis, quique ex proprio instituto intra claustra contineri debent. Quod efficiunt dumtaxat Antonij de ea re testimonium, & epistolæ duæ; altera quæ Nysseno tribuitur; altera Hieronymi ad Paulinum: etant enim hi quibus scribebantur monachi; peregrinationésque alioqui bonæ, non imperantur omnibus absque discrimine tanquam necessariæ, seu à cunctis exigendæ. Sic respondent nostri Bellarminus[i] & Gretserus[k]; itémque in aliis hominum generibus, vt in feminis, &c. peregrinationes huiuscemodi mali magis quàm boni plerumque præbere occasionem posse; ad hæc de necessariis ad salutem nihil inueniri posse Ierosolymis aut alibi, quod non etiam in alio loco. Cæterùm benè Oleaster obseruat non debere quemquam queri si non exaudiatur, cùm tantus vir pro re tantilla non fuerit exauditus: quódque incorrectè itam Domini, propter populum, cui ab illo veniam toties impetrauerat: quo item pacto humilis ac patiens Moses non conqueratur, nec præterita obiiciat merita, soláque contentus terræ promissæ visione moriatur.

Ascende cacumen Phasga.] Chaldaicè (*verticem collis*, אֲמַר רֵישׁ *leves ramatha*: Græcè (*in verticem excisi*, ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ λελαξευμένου.) sic etiam priùs hoc ipso capite[l] & sequenti[m], & vltimo[n], atque in libro priore[o] & Iosue[p]. Vocabatur alio nomine *Abarim* mons in quem illo ipso tempore Moses ascendere iussus est, vt vidimus libri prioris cap. 27[q]. haberúrque in huius cap. 32[r], vbi ascendere iubetur in montem Abarim (qui exponitur *transitionum*) in montem Nebo in terra Moab contra Iericho, vt inde videat terram Chanaan, in eóque monte moriatur: & in cap. 34. seu[a] vltimo dicitur ascendisse super montem Nebo, in verticem Phasga. Vnde Hugo colligit hoc loco, quòd idem mons fuit Phasga & Abarim, cuius cacumen esset Nebo; etiamsi Magister historiæ Scholasticæ tradat duos montes fuisse, quódque Moses vtrumque ascendit, in vnum per alterum. Eiusdem montis, ait Rickelius, diuersa sunt nomina:vel superior pars montis illius dicitur Phasga, immò Nebo. Posita verò etymologia Phasga, vt significet *dolatum*, vel *incisum*, tropologiam applicat ad statum claustralium, qui se ab omnibus temporalibus dolauerunt, & à se omnia abscidetunt: debent autem respicere ad Occidentem mortis, quia inde oritur timor, quo declinatur peccatum; ad Aquilonem tentationum, quoniam inde oritur cautela, ad cauenda futura mala; ad Austrum gratiæ, vnde spes oritur ad sperandam veniam de præteritis; ad Orientem natiuitatis, vnde humilitas nascitur, ad expellendam superbiam: hos esse quatuor veluti ventos, quibus mortui reuiuiscunt[b]; quique egrediuntur vt fleut eorum dominatore vniuersæ terræ[c].

Et oculos tuos circumfer.] Hebraicè Chaldaicéque (*& leua oculos tuos*, וְשָׂא עֵינֶיךָ *vesa hhenecha*, וּזְקוֹף עֵינָךְ *vezoph hhenach*. Græcè (*& respice oculis tuis*, καὶ ἀνάβλεψον τοῖς ὀφθαλμοῖς σου. An visio solius naturæ viribus facta fuerit, an additis aliis desuper, opiniones esse retuli. nec deesse probabilitatem secundæ, vt saltem obiter ac vno aspectu perciperet Moses voluptatem ex promissa terra sibi repræsentata, quam ingredi & in ipsa manere non concedebatur. Quod inde adhuc verisimilius videri potest, si Dei clatam visionem ipsi aliquando concessam fuisse admittamus.

Ad Occidentem, & ad Aquilonem, Austrúmque, & Orientem.] Non accipitur hic Oriens & Occidens, & Auster & Aquilo, inquit Lyranus, prout sunt termini totius terræ habitabilis; quia sic non fuit ostensa Moysi: sed prout significant terminos terræ promissionis; quia vidit oculis corporalibus totam terram promissionis à termino eius australi vsque ad aquilonarem, & ab orientali vsque ad occidentalem. Pro Occidente in Hebræo, & Græco textu est, *mare*, יָם *iam*, θάλασσα. In Psalmo 106[d], editio nostra mare, non in eadem notione vsurpauit pro Occidente; sed pro parte australi, vt ibidem etiam expressit Chaldæa paraphrasis; *à Solis ortu & occasu, ab aquilone, & mari*. Ibi monui cum Genebrardo, post Hieronymum[e], & Augustinum[f] accipi mare dicto modo pro plaga occidentali, præsertim agendo de regione Palæstinæ; quæ sic disposita est, vt habeat mare in ea plaga; intelligi autem debere de mari mediterraneo; quod præterea vocetur Ægyptiacum, & nouissimum. In Genesi[g] adhuc idem exemplum erat iuxta editionem Hebræam, & Græcam, maris pro Occidente. In Deuteronomio[h] mare & meridies distinctè exprimuntur (*mare & meridiem possidebis*, יָם וְדָרוֹם *iam vedarom*) Chaldaicè (*occidentale mare Genesar, & meridiem*) Græcè θάλασσαν καὶ λίβα, *mare & Libycam regionem*, id est, meridionalem. Rursus in Genesi cap. 12[i]. quod legitur (*ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai*) secundùm editiones Hebræam & Græcâ est (*a mari, aut versus mare*, מִיָּם *miiam*, & κατὰ θάλασσαν.) Alioqui sæpiùs maris

a v.49. 50. b v.49.50. c v.1.& seq. d vers.1. e quæst.7. f in cap.50. & c.27.12. g Greg.2. dialog.cap. 35. h Hebr.7. 19. i 3 de cultu sanct. c.8. k 1. de peregr.c.10. & 11. l vers.17. m vers.49. n vers.1. o c.21.20. & c.23.14. p c.13. 3.& 13.20. q vers.12. r vers.49.

Peregrinationes non conueniunt omnibus.

Explanatio.

a vers.1. b Ezech. 37 9. c Zach.6.5. d vers.3. e quæst. Hebr. in Gen.13.& in Ezech. 46. f 4. contra Cresconium. c. 61. g c.13.14. h c.33.23. i vers.8.

Phasga etymon.

Mare diuersimodè accipi.

maris vocabulo Meridies intelligi [a] solet, quoniam Occanum mare, quod κατ' ἐξοχὴν per excellentiam absolutéque nomine maris sumitur, locum habet versùs meridiem, Zonaque temperata hemisphærij alterius, occupatur ferè vniuersa illo mari. Lege item nostrum Commentarium aliorum Psalmi 102 [b]. & 88. Moralem sensum ex Hugone paulò antè attulimus.

a Exod. 36. 31. Psal. 88. 13. Esa. 49. 12.
b in Ps. 88. 13. Ps. 102. 12. Ps. 138. 9.

Et aspice.] Secundùm reliquas editiones (*& aspice*, seu *vide oculis tuis*.) Simili pleonasmo, qui præcessit iuxta editionem Græcam, vbi erat, ἀνάβλεψον τοῖς ὀφθαλμοῖς σου: hîc autem ἴδε τοῖς ὀφθαλμοῖς σου. Qui duplex pleonasmus, huiúsve repetitio vim habet, vt Moses attentè respiciat promissam terram, talique aspectu delectetur, & iamiam moriturus, populum magis ac magis consoletur, animétque ad tanti boni perceptionem, quod sit sub oculis, sed penitiùs lustrata ab ipsomet non absque peculiari præsertim vi ad cernendum communicata, quæ nec diminuta naturaliter erat, vt colligitur ex c. vltimo libri [c] nostri; vbi scribitur Moysi centum viginti annorum cùm mortuus est, non caligasse oculum.

c vers. 7.

Nec enim transibis Iordanem istum.] Quod antea dixerat Moses (*transibo igitur*, aut *nunc*, aut *quæso*, *& videbo terram hanc optimam trans Iordanem*, &c.) optans, & quasi certò se impetraturum sibi persuadens, audit denegari, vt scilicet non transeat Iordanem, licèt ex parte visio ei concedatur, sed à longè. Sic verò etiam nunc videmus per speculum, & in ænigmate, sed non facie ad faciem [d]; nec vidit quis Deum hîc adhuc viuens [e]; iuxta fidem à longe aspicimus & salutamus, nondum accipimus repromissiones, confitentes quia peregrini, & hospites sumus super terram [f], orantésque vt digni efficiamur illis. In c. sequenti [g], & 31 [h]. repetit Moses iurauisse Dominum quòd ipse non transiret Iordanem, nec ingrederetur terram optimam; dixitque idemmet Moses; *ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem.*

d 1. Cor. 13. 12.
e Exod. 33. 20. Ioan. 1. 18. 1. Ioan. 4. 12.
f Hebr. 11. 13.
g v. 21. 22.
h vers. 2.

Vers. 28.] Præcipe Iosue, & corrobora eum atque conforta, quia ipse præcedet populum istum, & diuidet eis Terram quam visurus es.

Paraphr.

QVia non multò pòst Moses moriturus erat, nec terram promissam ingressurus, præcepit Dominus Mosi, vt ipsius nomine ac auctoritate præciperet Iosue, hoc est, successorem in regendo populo institueret, quem ipse vsque ad dictam terram deduceret, eámque inter tribus nouem cum dimidia diuideret: atque vt libentiùs ac promptiùs ista præstaret, certiorem redderet de suo exitu, quamuis tantus vir Moyses cum fratre propter nonnullam culpam præstare nequiuissent. Poterat Moses mandare ipsi Iosue quidquid bonum ei videretur, inquit Abulensis, quia prælatus eius erat; & Iosue tenebatur simpliciter obedire; maximè quia Moses non dicebat ista vt prælatus solùm iudicans quid sibi videretur; sed vt propheta denuncians Dei voluntatem; & ideo ei tanquam Deo præsentialiter imperanti obedire debebat: tamen quia prælatus non solùm debet mandare subdito quidquid bonum ei videatur; sed etiam declarare eidem, quòd hoc non est sibi periculosum (quia res duras aliter aggredi non auderet, & quia Deus istud mandatum dabat) voluit tenere istum modum; quoniam istud quod mandabat facere Iosue, erat valdè graue, scilicet cura tanti populi; & periculosum nimis, quia posset formidare se peccaturum occasione populi rebellis, cùm magister eius Moses, qui perfectissimus vir erat illo tempore, cui Deus sæclarè ostendebat [a], occasione populi deliquisset contra Dominum, & punitus fuisset in hoc, ne intraret in terram Chanaan trans Iordanem: quare de hoc dubio Deus eum per Mosem confortauit, & clariùs infrà [b] cap. 31. vbi pollicetur fore, vt sit Deus cum ipso, nec dimittat derelinquátve; ac proinde caueat ne paueat vel timeat. In cap. 27 [c]. prioris libri narrantur hæc pluribus, & quo pacto Moses ipsemet successorem petiuerit: Deus autem designauerit Iosue in quo erat Spiritus, iusseritque vt Moses poneret manum suam super eum: & constituens coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, daret ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ suæ, &c. Eo loco multa & nos eadem de re disseruimus; prolatis præterea verbis ipsiusmet Dei ad eundem Iosue [d], ac perpendendo cur toties legatur confortatus Iosue ac animatus, omnémque ponere metum iussus. Illius loci ad cap. 27. libri præcedentis commentarium legisse si non piguerit, non pœnitebit. Poterat verisimiliter timere Iosue, inquit Abulensis; quia populus ille duræ ceruicis erat, quòd propter aliquam culpam traderet eos Deus in manus hostium ad mortem.

a Num. 12.
b v. 7. & seqq.
c v. 18. & seqq.
d Iosue 1. 2. & seqq.

Præcipe Iosue.] Omisit Interpres coniunctionem (*&*) quam habent editiones cæteræ. Verbo præcipiendi comprehenduntur omnia, quæ ad instituendum Iosue in populi ducem pro Mose ritè adhibita sunt, de quibus eodem c. 27. prioris libri; vbi Dominus imperauit inter alia, vt Moses daret ei præcepta [e]. In c. 31 [f]. libri nostri vocari iussit Dominus Iosue, vt ipsemet præciperet ei. Supplent addúntque ad verbum (*præcipe*) Enarratores, vt recipiat regimen populi, & labores in acquirendo terram, & diuidendo, vt te defuncto impleat ea quæ ei viuens iussisti, videlicet vt populum istum præcedat, regat, & introducat in terram promissionis; vt recipiat regimen & curam populi, instrue mandatis de agendis, &c.

Explanatio.
e vers. 20.
f vers. 14.

Et corrobora eum, atque conforta] In c. 31 [g]. scribitur, quòd Moses dixit Iosue (*confortare & esto robustus*.) vbi sunt eadem Hebræa verba loci nostri חזק *chazak*, & אמץ *amats*, & Chaldæa תקף *thekeph*, & [Hebrew] *bhallem*: Græca ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε: sed hic κατίσχυσον καὶ παρακάλεσον, *conforta & confortare*, vel *consolare*. In libro Iosue [h] (*confortare & esto robustus*) ordine mutato, qui est in c. 31. libri nostri citato, ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου: cùm sint vbique iuxta reliquas duas editiones verba eodémque ordine.

g vers. 7.
h c. 1. 6. 9.

Quia ipse præcedet populū istum.] Secundùm alias editiones, (*quia hic transibit coram populo isto*, *vel ante faciem populi istius*.) Ducis ac principis descriptio est hæc; qui prælit ac præeat exēplo, auctoritate, præcepto, etiamsi dū castra mouenda essent, aut disponenda, seruaretur ordo constitutus inter tribus; Iosue autē esset ex tribu Ephraim. Dictum quoque sibi testatur Moses [i]; *vade & præcede populum, vt ingrediatur & possideat terram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis* Hoc est quod loquendo de duce, vt pro Mose substitueretur, tálem petiit Moses, qui esset super multitudinem, & posset exire & intrare ante eos, & educere vel introducere, ne esset populus Domini sicut oues absque pastore [k]. De qua formula & similibus egimus alias [l], vt ex pastoritia arte transfert ad imperatoriam, quia hanc exercet,

i Deut. 10. 11.
k Num. 27. 16. 17.
l ibid. & in actuum 1. 21 & in Ps. 120. 8.

a Virg. Æne.7.

Ipse [a] vocat pugnas; sequitur tum cætera pubes
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.

Et diuidet eis terram] Iuxta reliquas editiones (*hæreditare*, seu *possidere faciet*, יַנְחִיל *ianchil*, תַּנְחִילֶנָּה *tachsin*, ἰγκληρονομήσει. quod vltimum significat *sortitionem*: qua etiam diuidi terram oportebat, vt sæpe diximus.

Quam visurus es.] Græcè (*quam vidisti*, ἣν ἑώρακας.) Nondum viderat Moyses eo modo quo videre iussus fuerat, nempe ascendendo cacumen Phasgæ, & oculos circumferendo ad quatuor plagas. Præterito tamen significari quod iamiam futurum erat potest, quódque propter certitudinem perinde est ac iam factum esset, præteriisséque.

Vers. 29.] Mansimúsque in valle contra fanum Phogor.

Paraphr.

VLtima fuit hæc mansionum quadraginta duarum, quæ vocatur Abelsatim in planioribus locis Moabitarum [b], è regione templi in quo colebatur à Moabitis idolum Phogor [c], & vbi fornicati leguntur Hebræi per idololatriam, non solùm per carnalem consuetudinem cum [d] scortis.

b Num. 33. 49
c c.23.28.
d c 25.1. & seqq.

Explanatio.

Mansimúsque.] In editionibus aliis (*& sedimus*, וַנֵּשֶׁב *vanneschb*, וַיֵּשְׁבוּ *vaisheuma*, καὶ ἐνεκαθήμεθα. Sæpiùs notatum est Hebræo verbo significari & sedere, & manere. Sessio quidem manenti & conquiescenti maximè conuenit.

In valle.] Alibi nominantur planiora [a] loca & campestria [b] Moab.

Contra fanum Phogor.] De Phogor actum [c] alibi: pro (*contra*) reddi potest (*prope*) σύνεγγυς, מִמּוּל *millekguel*, מול *mul*, *fanum*, quod aliter scribitur (*phanum*) pro quo hîc editiones habent *domum*. Aliquoties in aliis locis ab Interprete vsurpatur, sed semper in malam partem pro loco idolorum, vt Baalberit seu Berit [d], Chamos [e], Baal [f], Dagon [g], Baalim [h], excelsorum, &c. Declaraui [i] alibi vim istius vocabuli, agens de vocabulo profani, seu prophani, iuxta vtrumque scribendi modum, vt fanum à Fauno Faunísque oracula edentibus, vel à fando, quòd in dedicatione templi certa verba præfari soleret, &c. phanum diceretur ἀπὸ τοῦ φαίνειν, quoniam è phano manifesta oracula darentur; vel à φημὶ, seu φάνας, quod est *fari & eloqui*. Deriuationis à Faunis vel Fauno meminit Martianus [k] Capella, Cornelius Fronto, Probus Grammaticus. Inde cognominatos Fanaticos ex sacerdotibus eos qui furore correpti oracula fundebant in fanis, colligitur ex Virgilio [l], Lucano [m], Iuuenale [n], Liuio [o], Quintiliano [p], Vlpiano [q], Lampridio [r]: ex quibus præterea colligitur sic appellatos qui atræ bilis abundantia caput iactant. Fanum verò Fortunæ vrbs est in litore Adriatico inter Senogalliam & Pisaurum; id nomen sortita, quòd Fortunæ pulchrum in ea templum fuerit: aliter colonia Fanestris, colonia Iulia Fanestris, Fanestris Fortunæ; indeque Fanestres, aut Fanenses, Fanestris Episcopus, &c.

a Num. 33. 49.
b c.26.63.c. 31.12.c.33. 48.c.36.13.
c Iudic.9.4. 27. 46. 3. Reg.11.7. c. 12.31.c.13. 32.lib.4.10. 26.c.17.29. 32.c.23.19. 1.Paral. 10. 10.lib.2.14. 5.c. 14.7. 1. Mach.5.43. 44.lib.2.1. 15.c.14.33.
Fani synon.
d Iudic.9.4. 27.46.
e 3.Reg.11. 7.
f lib.4.10. 26.
g 1.Paral. 10.10.
h li.2.24.7.
i in Leu.10. 10. & c.19. 10.
Fanū vrbs Italiæ.
k 7.topogr. c.6. de differ. vocabul.
l Æne.6.
m lib.5.
n Saty.2.
o lib. 8. seu 39.
p lib.2. c.3.
q l.1.§.5.D. de ædil.edicto.
r in Heliogab.

ARGVMEN

ARGVMENTVM CAPITIS QVARTI.

QVÆ hactenus dicta sunt præcedentibus capitibus de variis Dei beneficiis, eximiisque in iisdem diuinæ potentiæ effectis, disposuerunt populum ad excipiendum attentiùs & libentiùs legis Deuteronomium. siue repetitionem præceptorum Dei olim iam traditorum, sed quæ plurimum referebat vt memoriæ tenaciùs hærerent à Mose sub mortem inculcari atque commendari. Præstatur id ab hoc vsque ad caput 12. genericè magis ac vniuersaliter; inde ad particularia descendendo. Sed & in istomet capite vrgetur præcipuè legis in Sina datæ beneficium, cum igne & fumo: simul autem admonetur diligenter populus, vt in vero Dei cultu perseuerans, vitet penitus idololatriam, ad quam propensior erat: quemadmodum obseruant hoc loco Hugo & Abulensis. Sub finem quoque capitis inseritur mentio de vrbibus refugij pro homicidis casualibus & inuoluntariis citra Iordanem, quas Moses ante mortem designari voluit pro iis maximè qui vltra Iordanem sedes fixas nollent habere, quales Rubenitæ, Gaditæ, & pro dimidia parte Manassenses.

CAPVT QVARTVM.

1. ET nunc Israël audi præcepta, & iudicia quæ ego doceo te; vt faciens ea, viuas; & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.

2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.

3. Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri.

4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi vsque in præsentem diem.

5. Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in Terra, quam possessuri estis:

6. Et obseruabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.

7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustáque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

9. Custodi igitur temeipsum, & animam tuam solicitè. Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos,

10. A die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, vt audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore quo viuunt in terra, doceántque filios suos.

11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum: erántque in eo tenebræ, & nubes, & caligo.

12. Locutúsque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.

13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.

14. Mihíque mandauit in illo tempore vt docerem vos ceremonias & iudicia, quæ facere deberetis in Terra, quam possessuri estis.

15. Custodite igitur solicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis:

16. Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ,

17. Similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volantium,

18. Atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis:

19. Ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

20. Vos autem tulit Dominus & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die.

21. Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros, & iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer Terram optimam, quam daturus est vobis.

22. Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem: vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.

23. Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit:

24. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

25. Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in Terra, deceptíque feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, vt eum ad iracundiam prouocetis:

26. Testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de Terra, quam transito Iordane possessuri estis. non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

27. Atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus.

28. Ibíque seruietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

29. Cúmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris & tota tribulatione animæ tuæ.

30. Postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.

31. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis.

32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est,

33. Vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vixisti:

34. Si fecit Deus vt ingrederetur, & tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentúmque brachium, & horribiles visiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis:

35. Vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.

36. De cælo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis,

37. Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. Eduxítque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto,

38. Vt deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, darétque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.

40. Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi: vt bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41. Tunc separauit Moyses tres ciuitates trans Iordanem ad Orientalem plagam,

42. Vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante vnum & alterum diem, & ad harum aliquam vrbium possit euadere:

43. Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.

44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israël,

45. Et hæc testimonia & ceremoniæ atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto,

46. Trans Iordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filij quoque Israël egressi ex Ægypto,

47. Possederunt terram eius, & terram Og

Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem ad solis ortum.

48. Ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, vsque ad montem Sion, qui est & Hermon.

49. Omnem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam, vsque ad mare solitudinis, & vsque ad radices montis Phasga.

Vers. 1.] Et nunc Israël audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te: vt faciens ea, viuas; & ingrediens possideas Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.

Paraphr. CLARA & efficax ad populum legislatoris adhortatio; vt spe vitæ prosperæ in hoc tempore, atque possessionis promissæ terræ tamdiu expetitæ, ac expectatæ; attendat magno studio, & bene percipiat leges ceremoniales pertinentes ad cultum Dei; morales ad vnumquemque priuatum, ex virtute viuentem; & iudiciales ad peculiarem modum iura administrandi: sed in eum modum, vt re, facto, opere audita intellectáque præstet, non exteriùs dumtaxat, sed primùm ac præcipuè interiùs, seu ex interno voluntatis affectu, & intentione obediendi Deo talia præcipienti, támque amplam mercedem proponenti. Licèt autem hæc merces in temporalibus bonis rudi populo exhiberetur, & ab illo etiam quæreretur, cum liberatione à malis eiusdem generis, in quo nouæ legis præcepta differunt, quæ per se pollicentur spiritualia, æternaque bona, & Christum ipsum, qui finis est istorum & illius, vt ratiocinatur Apostolus [a]; nihilominus in vetere quoque lege obseruantibus eam dabantur dona gratiæ, acquirebántque ipsi ius ad acquisitionem gloriæ, sed vtrumque propter merita Christi, cum fide saltem implicita in eum. Lex vetus, ait Rickelius, directè & euidenter promisit bona terrena, diuturnioremque vitam in corpore. Verumtamen sub talibus promissis ac præmiis intelligenda sunt principaliter bona spiritualia, atque cælestia præmia; cùm certum sit bona corporalia, temporalia, & terrena non esse spiritualium bonorum, virtuosorúmque actuum sufficientia præmia, potissimùm apud Deum, qui vltra condignum remunerat bona. Multi etiam sanctiores in vetere Testamento caruerunt talibus temporalibus præmiis, prosperitatibusque terrenis; immò graues ac varias persecutiones sunt passi, quemadmodum de Ieremia, Elia, aliisque patet Prophetis: quorum videlicet etiam Paulus [b] in genere saltem catalogum texit. Conferent ad loci huius intelligentiam dicta c. 18 [c]. Leuitici; vbi scribitur quòd faciens & seruans seu custodiens iudicia, præcepta, leges Dei, viuet in eis: citauimus autem ex Apostolo [d] testamenti (videlicet noui) meliorem spem, qui præterea dicat id in melioribus promissionibus sancitum, quas veteres illi à longè aspiciebant & salutabant, confitentes se peregrinos & hospites super terram, significantésque se patriam inquirere meliorem, id est, cælestem [a]. Citatis à me ibidem auctoribus adde in epistolam ad Romanos [b], & Galatas [c], de nostris Cornelium, & præterea ex aliis Guilelmum Estium, & in locis catholicis Franciscum Horantium. Ex professo autem tractat discrimen hoc noster Barradius [d]. In c. 30 [f]. libri nostri extat sententia similis promittens diligenti Dominum Deum, & ambulanti in viis eius, & custodienti mandata illius, ac ceremonias atque iudicia, futurum vt viuat, atque Dominus multiplicet ipsum, benedicatque ei in terra, ad quam ingredietur possidendam. *Hic liber mandatorum Dei*, ait Baruch [g], *& lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.*

a Rom. 10. 4.
b Hebr. 11. toto.
c vers. 4. 5.
d Hebr. 7. 19. 22.

a c. 11. 13.
b In c. 10, 4 5.
c in c. 3. 11. & seqq.
d lib. 3. cap. 59.
e tomo 1. concord. euang. lib. 1. cap. 6.
f v. 15. 16.
g cap. 4. 1.

Et nunc.] Aduerbio temporis denotatur opportunitas repetendi legem, ac explicandi, postquam dispositi fuerant auditores commemoratione itineris per desertum, atque beneficiorum in eo collatorum: & post debellatos Amorrhæos, horúmque regna comparata, maiore otio & alacritate quæ dicerentur excepturi erant. Talem quoque nexum innuere potest coniunctio (*&*.)

Explanatio.

Israel audi.] Amplectitur hoc nomen Israël vniuersum populum, tribúsque cunctas, quarum primi auctores fuerunt filij Israël, id est, Iacob, cui Iacob imposuit Angelus nomen Israël à victoria, qua se Angelus à Iacob superatum confessus est [h]; quamuis multi passim etymon tradant à Dei visione; vt pluries alibi notaui; quemadmodum & quòd aliquando sumitur pro tribubus excepta Leuitica, cùm agitur de ceremonialibus aut iuribus propriis illi vni tribui: nonnumquam pro regno decem tribuum, quod facta diuisione post mortem Salomonis opponitur regno Iuda, ad quod cum tribu Iuda, tribus Beniamin pertinebat. Sic quadruplex acceptio existit Israël pro viro vno, qui priùs vocabatur Iacob, & tribus aliis dictis modis, quibus collectiuè plures significat. Propter istam caussam Chaldaicè ponitur hic (*audite*, שְׁמַעוּ *scemabhu*) & Interpres noster interdum vtitur, simul cum aliis editionibus, verbo numeri pluralis cum nomine singulari; vt, [i] *audite domus Dauid*; [k] *audite verbum Domini domus Iacob*; [l] *audite verbum Domini omnis Iuda.*

Israël pro vniuerso populo.

h Gen. 32. 25 28.
i Esa. 7. 13.
k Ier. 2. 4.
l cap. 7. 2.

Præcepta & iudicia.] In secundo nomine conuenit nostræ cum reliquis editionibus, quæ habent מִשְׁפָּטִים *mišpatim*, דִּינַיָּא *dinaia*, κρίματα: pro præceptis sunt חֻקִּים *chukkim*, קְיָמַיָּא *kejamaja*, δικαιώματα. Hebræum nomen חֻקִּים *chukkim* Abulensis [m] interpretatur ceremonias, docétque sæpe ponere Hieronymum præcepta siue pro moralibus, siue pro ceremonialibus: in Hebræo autem magnam distinctionem fieri inter ea in nomine: & cùm iste liber sit totius legis quædam repetitio, de omni genere præceptorum, scilicet morali & ceremoniali, & iudiciali in eo dici; sed de iudicialibus magis; quia ceremonialia in Leuitico plenissimè enumerata sunt: moralia autem simpliciter enarrantur. Sub præceptis Rickelius quoque contineri vult moralia & ceremonialia; per iudicia intelligi iudicialia. Matailla [n] obseruat nomine præceptorum & iudiciorum quandoque cuncta mandata designari legis naturæ, & legis positiuæ: tamen hoc loco & in similibus aliis præcepta significare ea quæ sunt ceremonialia; iudicia, illa quæ iudicialia.

m q. 5.
n hic annot. 1. & Exo. 15 annot. 6.

a vers. 12. Nam Moyses, inquit, paulò [a] pòst distinguit inter decem verba quæ præcepit Deus in Horeb, & ea quæ mandauit Moysi vt doceret filios Israel: ad quod genus posterius pertinent ceremonialia & iudicialia. Item adhuc [b] infra scribitur dictum à Moyse; *Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iustitias*: &; *mihique mandauit in illo tempore, vt docerem vos ceremonias & iudicia*. Moralia verò iam priùs dixerat. Moyses Deum immediatè protulisse in Horeb. Nonnumquam distinctè recensentur tria, nempe præcepta, ceremoniæ, iudicia, vt cap. 6 [c]. libri huius: vbi primum nomen Hebraicè est מצוה *mitsuah*, Chaldaicè תפקדתא *thapkedtha*, Græcè plurali numero ἐντολαί. De istorum vocabulorum proprietate ac distinctione egimus in commentario Leuitici. Probabiles sunt expositiones allatæ, magis prima: non ita verò quam tradit Hugo, vt præcepta sint omnia quæ facere deberent; iudicia vt scirent qualiter transgressores punirent, vel vt timerent. Nec ideo præcepta præcisè de moralibus accipienda sunt, vt Marzilla contendit; quia ex natura sua habent obligare; ceremonialia & iudicialia non nisi ex vi diuini iudicij positiui.

b vers. 14.

c vers. 1.

B

Quæ ego doceo te.] Numeri pluralis pronomen (*vos*) habent editiones reliquæ. Græca verò addit (σήμερον, *hodie.*) Vim aliqui faciunt in eo quod ait Moyses (*ego doceo*,) quasi loquatur de his, quæ ipse sit Deo locutus auctore, non quæ Deus immediatè; cuius generis posterioris fuerit Decalogus, prioris alia magis particularia moralia, ceremonialia, iudicialia.

C

Vt faciens ea, viuas.] Habetur in editionibus aliis (*ad faciendum, vt viuatis.*) Additur autem in Græca (*& multiplicemini*, ποιεῖν, ἵνα ζῆτε καὶ πολυπλασιασθῆτε.) Quæ vita facientes diuina mandata promitteretur per se in Testamento nouo, antea dixi. Hugo de vita interpretatur spirituali, tum gratiæ, tum gloriæ. Sed & vitæ viuendique vocabula dixi aliàs [d] absolutè vsurpari pro prospera & beata, vel etiam geniali [e]. Rectè autem obseruat Rickelius, scientiam præceptorum esse practicam, & ordinari ad opus, quodque, vt ait Aristoteles [f], quid est virtus inquirimus non vt sciamus, sed vt boni reddamur: finem præceptorum affirmatiuorum esse facere ea; negatiua dari ad vitandum opera mala, sicque non immediatè, sed ea consequenti ordinari ad operationem; cùm finis præceptorum dicitur opus seu operatio, per operationem seu factionem intelligi debere non solùm exteriorem actionem, sed etiam interiorem; immò hanc magis per se ac præcipuè siue sint virtutes theologicæ, siue morales, siue intellectuales, &c. Si verba per se satis valerent ad bonitatem virtutémque comparandam, πολλοὺς ἂν μισθοὺς, καὶ μεγάλους δικαίως ἔφερον, κατὰ τὸν Θέογνιν, καὶ ἔδει ἂν τούτους πορίσασθαι, *multa præmia & magna meritò ferrent, iuxta Theognidem; atque oporteret illa comparare, seu acquirere*. Misericordiam Domini, & iustitiam Dauid [g] vel benè precator, vel prædicit esse super timentes ipsum, seruantes testamentum eius, memores mandatorum ipsius ad faciendum ea. Multa ex illius loci commentario transferri huc possunt, & ex actuum Apostolorum [h] cap. 1. de Christo, qui cœpit facere & docere, & ex epistola Iacobi [i] de auditore legis, qui non item sit factor; sed similis viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, sed statim obliuiscatur qualis fuerit. Probitas si laudatur tantùm, nec exercetur, alget [a]: curandúmque virtutem extendere (seu ostendere [b]) factis.

Vita viuendique voces. d in Ps. 20. 5. in Ps. 33. 13. in Psal. 91.4. e Martial. lib. 1. epigr. 16. f 10. Eth. cap. 10.

D

g Psal. 102. 17. 18.

E

h vers. 1.

i cap. 1. 22. & seqq.

a Iuuenal. Satyr. 1. b Virg. 6. Æne.

Et ingrediens possideas terram.] Pluralem numerum habent editiones aliæ, quemadmodum initio (*doceo vos*) vbi nostra (*te.*) Moueri possumus etiam præmij spe, ac retributionis [c] ad benè agendum, rectéque Doctor simul promissiones proponit, simul viam qua digni efficiamur iisdem: sicut & Christus volenti ad vitam ingredi seruanda mandata dixit [d], & sapiens [e] ea seruanti pollicitus est futurum vt viueret: quæ merces propria magis censetur filiorum qui pareant parentibus [f]; ibi autem Salomon inducit verba parentum ad se. Quod præterea potest accipi de vita, quæ hominem ratione vtentem, nec adhuc pueriliter agentem deceat: vel etiam de vita gratiæ. Apud Ezechielem [g] in mandatis vitæ ambulare, est mandata quæ vitam conferunt seruare. Verba verò editionum reliquarum, indicant possessionem per modum hæreditatis vel fortis. Quod quo pacto cohæreat cum pugna æterna in acquirenda terra, & in interna etiam & in meritis in terra viuentium, non semel alibi dictum est.

c Ps. 118. 112. d Matth. 19.17. Lucæ 10.28. e Prou. 4. 4. c.7.2. f Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Eccli. 3. 7. Eph. 6. 2. g c. 33.15.

Quam Dominus Deus patrum vestrorum.] Secuta est editio nostra in hoc plurali numero reliquas editiones. Secundæ autem personæ pronomen vsurpat Moses, & quia abiturus iamiam erat ea hac vita, in qua locum habebat Domini Dei peculiaris illa prouidentia & beneficentia: & præsertim vt magis alliceret auditores ad amorem ipsius, quem vocabat illorum Dominum Deum. In ea Petri sententia [h], *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, olim notauimus commutationem personæ, vt secundo loco esset secunda, inter alias causas, facere videri ad hoc vt exhortatio fortiùs inculcaretur, ac imprimeretur cordibus eorum quibus scribebatur.

h 1. Epist. 2. 21.

Daturus est vobis.] Participium נתן *nothen*, & נתן *tabeb dans*, iungi potest omnibus temporibus, *dans est, fuit, erit*, id est, dat, dedit, dabit siue daturus est. Græcè est δίδωσι, *dat*. In hoc præsenti tempore Oleaster accipiens, perpendit significari, nos non diu laborum nostrorum præmium expectare. *Vobis* autem *daturus* dicit; quia non erat ipse in illam ingressuros.

Vers. 2.] Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.

ITerum commendat custodiam præceptorum, quæ illis Dei daturus erat, vt firmiùs hæreant memoriæ; cauens diligenter ne quid vel alienum ab ipsorum recta intelligentia audeant addere; vel quidquam de eisdem auferre tanquam superfluum. Vnde fit vt censeri debeant perfecta huiusmodi mandata, in quibus nihil vacet, nihil desit. Considerandum, inquit Lyranus, quòd hic prohibetur additio deprauans intellectum legis, non autem additio declarans, aut illucidans, secundùm quod scribitur [i]; *qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Rabanus, ex eodémque Glossa ordinaria & interlinearis, Hugo, Abulensis, Rickelius, & alij asserunt hic tradi normam æquitatis

Paraphr.

i Eccl. 24. 31.

nis, & omnes hæresis esse peccati; vetari enim rectæ doctrinæ aliquid præter mentiendo addere, vel aliquid veritatis subtrahere, quia via regia incedendum est, non ad dexteram, vel ad sinistram [a]; rectæque viæ Domini, & iusti ambulabunt in [b] eis; & Ioannes [c] pronunciat, quòd si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro Apocalypsis: si quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Notant prætereà quòd Scribæ & Pharisæi propter traditiones suas reliquerunt præcepta Dei [d]: non prohiberi veritatem veritati addere, sed falsitatem omnino remoueri: cùm Christiana religio in duobus consistat, in sanctitate fidei, & bonis moribus, fidei nihil addendum esse, nihil auferendum; moribus additionem posse fieri, secundùm quod videtur homini expedire. Procopius idem affert de non declinando ad dexteram, vel ad sinistram: & ex Prouerbiis [e]; *ne addas verbis Dei quidquam, ne te redarguat, & mendax fias.* Verba enim Dei cùm plena & perfecta existant, nullum, ait, auctarium admittunt. Citat item illud de Christo; *postquam [f] consummauit verba sua in aures ipsorum.* Rickelius vtitur Areopagitæ Damascenique testimonio negantium audendum aliquid de superessentiali deitate asserere, præter ea quæ nobis in sacris sunt *scripta eloquiis.* Caietanus monet inhiberi, vt non fingamus contineri in lege, quod in ea non continetur; nec subtrahamus quod in ea continetur; quia non vult Deus adminicula figmentorum, nec eget lex Dei mendaciis nostris [g]. Eiusdem Scholiastes Fonseca Sadducæos notat in altero extremo legis corticem dumtaxat secutos, atque hac de causa id nomen vsurpasse, quasi dicas iustitiarios, è צדק *tsedech, iustitia*: sectas alias fuisse Pharisæorum & Scribarum, qui legis profitebantur expositionem, sed plerumque falsam; item Essæorum, qui circa mores videbantur superstitiosiores; cuncti autem proprios errores habebant. Sicut & Samaritani, & plures aliæ sectæ Iudæorum: tandem passim Iudæi, de quibus Galatinus [h]. Oleaster negat prohiberi præceptorum explicationem; & nonnullorum additionem, quæ sint veluti sepis luco, ne Dei lex violetur. Quod confirmat ipsorummet Iudæorum testimonio; qui additionem detractionémve vetitam intelligunt (sed superstitiosè) quando plura vel pauciora, quàm quatuor capitula in signis thiphillim ponuntur, aut plures vel pauciores vittæ in oris vestimenti affiguntur; vel quando quinque species adhibentur ramo illi, quem in festo tabernaculorum circumferunt, cùm quatuor esse debeant. Certè quidem catalogus Hebræus præceptorum continet ex negatiuis 365. ex affirmatiois 248. Moses [i] infrà præcipit sub pœna mortis, obediri Pontificis decreto. Christus, & Apostoli Pentateucho pluta ad[...]nt, immò & in vetere Testamento Iosue, Prophetæ, reges: ipsimet hæretici nouos ritus, ministros, concionandi, orandi, Sacramenta administrandi, regendi fotiosam instituerunt, ac subinde in synodis & conuenticulis suis instituunt: recipiunt quoque traditionem de Scriptura, & aliis rebus. Denique ferè omnia ista præcepta ceremonialia & iudicialia sunt, quæ Christianos non ligant: Paulus [k] præcipit teneri traditiones: quibus etiam in rigore non repugnat hic locus, in quo non dicit Moses (*quod vobis scribo*, sed (*quod vobis loquor.* Refellit idem Oleaster hæreticos hinc inferentes institui non posse ceremonias ac ritus nouos circa cultum Dei; quamuis ipse optet moderationem in præceptis & censuris; vt faciliùs & suauiùs possint seruari. Cornelius noster explicat seorsim loci præsentis, ne quid repugnans addant Hebræi præceptis, quæ tunc à Mose tradebantur, præsertim quod nouam religionem induceat, quod maximè contenditur in isto capite; quemadmodum & in cap. 12. [a] *quod tibi præcipio, hoc tantum facito: nec addas quidquam, nec minuas.* Quo pacto Paulus [b] anathema dicit iis, qui aliud euangelizant præter id quod ipse euangelizauerat; idest, aduersum & contrarium; agit namque de illis, qui Christianismo addere conabantur Iudaismum. Itaque integrè seruanda vult Moses, quæ præcipiuntur, non vetat aliquid addi quod non repugnet, sed potiùs conferat etiam ad eorum obseruationem. Item vt nihil quis addat vel detrahat, perinde ac si esset à Mose dictum vel iussum quatenus homo priuatus erat, quia nemini fas est sua seu dicta seu scripta venditare aut proponere, tanquam dicta à Deo, vel quasi Scripturam sacram. Docet Paulus [c] Burgensis prohiberi solùm ne subditi addant vel diminuant propria auctoritate ad præcepta diuina in lege Mosaica contenta: non propterea tamen fieri quin Deus, vel etiam aliquis Propheta habens diuinam potestatem ad hoc faciendum, possit addere vel diminuere ad præcepta per Mosem data: Deum verò promisisse multorum ac suscitatorum alium Prophetam Mosi similem [d], & daturum legem nouam, siue fœdus nouum [e]: tandem id fateri Iudæos ipsos. Tractant controuersiam istam non indiligenter hoc loco Abulensis, nosterque Cornelius, & qui disputant de traditionibus, maximè noster item Bellarminus [f], cum Gretsero, prætereà Vasques [g], & Becanus [h], aliique in materia de fide, cùm agitur de traditionibus, vel alibi quando de potestate leges condendi, quam Iustinianus [i] noster in Apostolis fuisse demonstrat: prætereà cùm de auctoritate Ecclesiæ, vt adhuc ea nostris Salmeron [k]. Salmeron [l] verò & Serarius [m] Iudæos hic peccasse ostendunt, corrompendo Scripturas diuinas vel additione, vel detractione. Auctor [n] operis imperfecti probat rectè dici quòd Christus docebat sicut potestatem habens [o], quia omnis doctor seruus est legis, non valens neque supra legem addere aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundùm proprium intellectum; sed hoc tantummodo prædicat quod habetur in lege. Qui aliud audeat, se sapientiorem putare affirmat quàm Deum, & incipere esse falsum testem. Citat ad hoc & præsentem locum, & alium ex Prouerbiis nuper allatum. Mox subdit quòd Christus, dominus legis est, potéstque subtrahere de lege quod propter necessitatem temporis iussit, vt circa libellum repudij [p] & similia; addere etiam, quod propter infirmitatem hominum minùs fuerat iussum; vt de non irascendo [q], &c. Aquinas [r] disserens vtrùm liceat aliquid addere, vel diminuere de verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum, respondet negando quantum ad ea quæ pertinent ad debitum sensum; idem docet de verbis Scripturæ, vt nempe non liceat aliquid apponere quantum ad sensum; quamuis quantum ad expositionem multa à Doctoribus apponantur: non verò quasi sint de integritate illius. Atque ita locum hunc nostrum interpretatur. Denique retinendus canon Augustini [s]. *Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacumque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitámque nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus [t] adiecit, si Angelus de cælo vobis annunciauerit præterquam quod in Scripturis legalibus, & euangelicis accepistis, anathema sit.* In Basilio [u] similia sunt.

a c. 5. 32. c. 17. 2. c. 28. 14. Iosi. 17.
b Osee 14. 10.
c Apoc. 22. 18.
d Matth. 15. 3. 6.
e c. 30. 6.
f Matth. 7. 28.
g Iob 13. 7.
h l. 1. c. 8.
Præceptorum Hebræorum numerus.
i c. 17. 10.
k 2. Thess. 2. 15.

a v. 32.
b Gal. 1. 8.
c in scrut. script. d. 8. c. 1. & 3. 4.
d Deut. 18. 15.
e Iere. 31. 31.
f 4. de verbo non scripto c. 10. & 4. de Pont. c. 17.
g in 1. 2. disp. 152. c. 4. 0. 30.
h tract. de fide c. 4.
i in epist. Pauli disp. 1. de apostolatu c. 6. & tomo 3. p. 3 tract. 12.
l proleg. 4. in prol. biblia c. 18.
n hom. 20.
o Matth. 7. 19. Marc. 1. 22. Luc. 4. 32. 36.
p Deut. 24. 1. Matth. 19. 7. Marc. 10. 4.
q Matth. 5. 22.
r 3. p. q. 60. a. 8. in c. & ad 1.
s 3. contra lit. Petil. c. 6.
t Gal. 1. 8.
u summa moral. summa 72. c. 1.

Explanatio.

Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.] Pro (*loquor*) est (*præcipio*) in editionibus aliis מצוה *metsauueh*, מפקד *mephakked*, ἐντέλλομαι. Sensum verò dixi esse non generaliter de omni verbo Scripturæ sanctæ, vel etiam de traditis; sed iuxtà subiectam materiam, vt exactè illa, quæ hîc memorantur, executioni mandentur, ita vt nihil reprehendi queat nec ob excessum, vel ob defectum, vtque res imperatæ prout proponuntur omnino fiant, siue quid præterea quis facere velit quod non aduersetur, sed potiùs conferat ad faciliorem executionem, siue nolit, quia non tenetur. De regula sua Franciscus respondit à Deo sic dictatam, vt glossam non admitteret, sed esset simpliciter seruanda prout tradita erat: & tamen eam Bonauentura commentario proprio exposuit. Si loco verbi Hebræi vt nunc extat præposita negatione (תוסיפו לא *lo thosiphu*) legeremus תספו לא *lo thasuphu*) minima facta punctorum mutatione, idest, pro (*non addetis*) nempe ad verbum (*non deficietis super verbo*) nónne hac ratione, ait noster Tannerus [a], insanus eorum clamor, quo hunc locum in nos velut fortissimum telum contra inuocationem Sanctorum, cultum imaginum, legem ieiunij, continentiæ, &c. intorquent, penitus conticesceret? Et omninò legi sic posset, nisi vulgata editio aliter legendum significaret. Probat inde non esse penitus incorruptum textum Hebræum, credique posse hostes fidei nostræ Hebræos in punctis addendis (quod contigit post Hieronymi tempora, quadringentis & ampliùs annis à Christo nato transactis) errasse, aut errori suo præiudicato fauisse. Similes portò antea isti sententias ex aliis attuli Scripturæ locis.

a disp. de verbo Dei thesi 48. & 49.

Puncta linguæ Hebraicæ addita.

Custodite mandata Domini Dei vestri.] Hebraicè, & Chaldaicè (*ad custodiendum*, לִשְׁמֹר *lishmor*, לְמִטַּר *lemittar*.) Emphasim quoque habet sicut priùs pronomen secundæ personæ: præterea verbo custodiendi indicatur quanti æstimari debeant mandata Domini, quantáque cura & studio debeant adimpleri. Sic verò sequenti [b] cap. dicitur, *discite ea, & opere complete*; & à Christo [c]; *si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: qui ipse cœpit facere, & docere* [d].

Mandata Domini magni facienda summaque cura & studio adimplenda esse.

b v.1.
c Ioan.13.17.
d actuum 1.1.

Quæ ego præcipio vobis.] Additur Græcè (*hodie* σήμερον) quemadmodum versu 1. & loco verbi (*doceo*) quod ibi erat, est hîc (*præcipio.*) Versu autem præcedente pro (*loquor*) editiones aliæ habebant (*præcipio.*) Vtrumque spectat ad magistratum, & docere, & præcipere: sed pro potestate seu auctoritate à Deo collata scribit Paulus [e] Timotheo, vt præcipiat, & doceat; eidémque præcipit [f], vt seruet mandatum sine macula & irreprehensibile. Vult etiam vt arguat Titus cum imperio [g]. Sunt quædam quæ doctrina indigent, ait Chrysostomus; quædam imperio, & exhortatione. Abstinere à peccato, docere non conuenit; sed imperare: substantiam pauperibus erogare, exhortatione agendum est: de fide differere si opus sit, doctrina agendum est. Obseruant id Concilia, primùm definiendo dogmata, decretaque fidei, deinde præcepta morum tradendo. In epistolis demum Pauli præsertim, & in Decretalibus Pontificum duplex hæc pastoralis muneris pars conspicitur; vt nihil dicam de politicis legibus, institutisue. Infert Abulensis errare qui priores quatuor libros legem Dei censeant appellandos, istum legem Moysi: quia omnes quinque sunt lex Dei, & aliquando per nomen legis Moysi totus Pentateuchus intelligitur: quia Deus quidem præcipuus est auctor legis, hanc autem & Pentateuchum Moses scripsit. Vnde apud Malachiam [a], *mementote legis Moysi serui mei, quam dedi ei in Horeb. Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum*, inquit Paulus [b].

Officium magistratus docendi & præcipiendi.

e 1.Tim.4.11.
f c.6.13.
g Tit.2.15.

a c.vlt.4.
b 1.Thess.4.2.

Vers.3.] Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri.

Vers.4.] Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi vsque in præsentem diem.

Paraphr.

VT legis ac mandatorum, quæ traditurus seu repetiturus est, custodiam magis persuadeat; reuocat in memoriam, quanto constiterit prioribus annis iis qui fornicati sunt carnaliter, ac spiritualiter circa Beelphegor, idolum illud colendo, & corpora miscendo cum cultricibus eius Madianitidibus, & Moabitis; quoniam cæsa sunt viginti quatuor millia, & à Phinee sacerdote Zambri Israëlita cum Cozbi Madianitide, vt fusè narratur in c.25. Numerorum. Illi autem, qui sceleris istius participes non fuerant, sed adhæserant diuinæ legi, vetanti dicta peccata, viui & incolumes perseuerabant. Quare dubitare non debebant, quin verissimum foret, quod paulò antè asseuerat, qui audita præcepta & iudicia quæ doceret ipse, atque præciperet, audirent, ita vt obedirent, & facerent ea, victori essent, & promissam terram consecuturi. Manifestat ipse Moses, inquit Caietanus, ab experientia præmium iustitiæ legalis esse vitam præsentem: & ex hac declaratione habetur ad literam quòd vita corporalis est præmium iustitiæ legis per euasionem pœnæ mortis; quia manifestè declarat Moses propositum vitæ præmium, per euasionem mortis inflictæ violatoribus legis. Colligebamus quoque antea, quòd cauebatur, ne quid adderetur vel auferretur ad verbum, quod Moses loquebatur, vel præcipiebat, per se pertinere ad cultum verum Dei, qui prout præscribitur, seruari debeat, non addendo aut detrahendo: ita vt non reipsâ exactè fiat, quod fieri oportet, quemadmodum antea declaraui. Infert postremò Abulensis, quòd omnes quos sententia de non intrando terram promissionis ligauit [c], ante adorationem Beelphegor mortui sunt.

c Num.14.22.

Explanatio.

Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus.] Græcè additur (*noster*, ἡμῶν.) Priore c. [d] *oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester* (Græcè quoque *noster*) *duobus regibus*, &c. Ibi monui familiarem hanc Mosi formulam fuisse, necnon ab aliquibus aliis vsurpatam cum pleonasmo verbi videndi adiunctis oculis.

d v.21.

Contra Beelphegor.] Græcè absque præpositione τῷ Βεελφεγώρ, *ipsi Beelphegor*. Hebraicè בְּבַעַל פְּעוֹר *bebahhal Pehhor*, *in Baalphegor*, idest, contra Beelphegor; aut propter idolum illud, seu occasione ipsius, quod Hebræus populus coluit. Chaldaicè (*contra cultores Beelphegor*, בְּפַלְחֵי בַּעְלָא פְעוֹר *bepolche bahhla Pehhor.*) quos cultores exprimit paulò pòst editio nostra, aliæ sensu eodem verbis aliis. Valet præpositio (*in*) aliquando idem quod (*contra*) vel (*propter.*) Quod verò factum est contra cultores Beelphegor, meritò censeri ac dici potest contra ipsummet idolum esse factum: vt sic videlicet improbaretur cultus eiusdem, & ipsemet quodammodo

In præpositio idem quod contra, vel propter.

modo in cultoribus Syris damnaretur & puniretur. An verò quidpiam simile contigerit idolis eius, quæ ad Hebræos allata vt colerentur, quod Ægyptiacis, vel cùm populus egressus est ex Ægypto, vel quando illuc fugiens peruenit puer Christus [a], nihil certi affirmare possumus. Commoueri simulachra Ægypti [b]; Melchon in captiuitatem duci [c]; Chamos in transmigrationem ire [d], & similes dicendi modi indicant victis ea ratione idololatris, idola seu deos falsos victos haberi. De Beelphegor alibi dictum, quòd idem putetur fuisse cum Chamôs & Priapo.

Quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri.] Iuxta cæteras editiones (*quia omnis homo qui ambulauit post Beelphegor*, Chaldaicè, *post cultores Beelphegor, contriuit*, vel *disperdidit eum Dominus Deus tuus de medio tui*, Græcè, *Dominus Deus vester* (in Complut. Regiisque *noster*, ἡμῶν) *ex vobis*. Insinuat Chaldæa Paraphrasis ad Hebræos venisse ex Madian & Moab, qui suo exemplo prouocarent vt colerent Beelphegor. Quod præter mulieres, quibuscum fornicati sunt Hebræi, viros etiam nonnullos fecisse credi potest, allatis quoque idolis. Quanquam exponi posset, ambulare post cultores, idest, eo modo quo solent qui colunt & adorant. De genere mortis violentæ seu interfectionis egimus libro priore [e], simúlque de numero. Conterendi autem verbo, quod etiam valet ἐξέτριψεν, significatur in similitudinem rei quæ teritur & comminuitur, integer occisorum interitus. Quem vsum multis in locis habet eadem phrasis, licèt non sit semper idem verbum aliarum editionum. Hoc loco השמיד *hismid* significat *perdidit* seu *exterminauit*.

Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro.] Græcus textus codicum Complutensium & Regiorum ponit (*nostro*, ἡμῶν) & participium προσκείμενοι significat *appositos*. Ex quo verbo Athanasius [f] infert Dei filium non esse creaturam, quia non apponitur Deo sicut illa dicitur apponi cùm profitetur; vtpote quæ etiam foris sit per naturam extranea, per voluntatem adiecta, ἔξωθεν πρόσκειται ὡς τῷ φύσει ἀλλοτρία, τῷ δὲ προαιρέσει προσκειμένη. Hortatur sæpiùs Moses [g] vt adhæreatur Deo, præterea Iosue [h]. Laudatur hoc nomine Ezechias quòd adhæserit Deo, & non recesserit à vestigiis eius, feceritque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi [i]. Testis Dauid, quòd adhæsit anima sua post Deum [k], ac testimoniis [l] illius, quódque sibi bonum esset Deo adhærere [m]. Tales laudat [n] Esaias, quamuis alioqui sint filij aduenarum. Paulus [o] denique affirmat eum qui adhæret Domino, vnum spiritum esse, sicut qui adhæret meretrici vel vxori, vnum corpus efficitur, vnaque caro [p]: & Christus [q] negans posse seruum duobus dominis seruire, ait aut vnum odisse & alterum diligere, aut vni adhærere, & alterum contemnere. Exposui formulam hanc in commentario Psalmorum [r] copiosè, vimque verbi דבק *dabak*, vt valeat *apprehendere*, *amplecti*, *coniungi*, *adhærere*, *agglutinari*; quod vltimum importat κολλᾶσθαι, & προσκολλᾶσθαι, quod occurrit aliquando; quo pacto anima Ionathæ conglutinata legitur animæ Dauid [s], & anima Sichem cum anima Dinæ [t]. Aptè porrò adhæsionem nunc vsurpauit Moses, opponens idololatriæ; per quam idololatriam cultores Beelphegor fornicati à vero Deo, & ab hoc diuulsi adhæserant Deo falso, meretricio, adulterino. Antithesis ista innuitur in Psalmo [u], *quia ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam.* In c. 10. [a] libri nostri scribitur; quòd etiamsi Domini Dei sit cælum, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea sunt; tamen patribus Hebræorum conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegítque semen eorum de cunctis gentibus.

Viuitis vniuersi vsque in præsentem diem.] Pronomen (*vos*) assigunt editio Hebræa & Chaldæa כֻּלְּכֶם *chullechem*, כֻּלְּכוֹן *chullechon*:) posterior autem vtitur participio quod *permanentes* significat, קַיָּמִין *kayamin*, Hebræum חַיִּים *viuos*: verbum Græcum ζῆτε, *viuitis*. Thomas [b] Iorgius refert ex Auicenna [c] si apis præcidatur, viuere, dum tamen pectori caput sit iunctum: mysticè conuenire fidelibus vt apes dicantur; quia sicut illæ sine pedibus nascuntur, ac proinde tale nomen sortitæ sunt, sed postea pedes ac pennas accipiunt; ita hi primò nascuntur filij iræ, non habentes pedes, quibus possint in altum surgere, idest, nec sancta desideria, nec iusta opera; deinde verò hæc à Deo recipiunt, operante in nobis velle & perficere [d]; coniungitur autem istarum apum pectus capiti, quandiu amor eorum adhæret Christo: quidquid ab iis resecetur, dum maneat ista vnio, viuunt; si separatio fiat, statim mors sequitur. Probat verò præsentis loci verbis (*vos qui adhæretis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi,*) præterea illis ex Psalmo [e] (*adhæsit anima mea post te,*) quibus adde (*mihi* [f] *adhærere Deo bonum est,*) & alia priùs indicata, cum his quæ disserui in commentario eorumdem Psalmorum.

Vers. 5.] Scitis quòd docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis.

Vers. 6.] Et obseruabitis, & implebitis opere, &c.

Inculcat obseruantiam ac impletionem præceptorum quæ adhuc dederat, & daturus erat iussu Dei, præsertim ceremonialium & iudicialium, vt cùm ingressi fuerint promissam terram, illa diligenter executioni mandent, quod commodè præstari non poterat in deserto, quando nondum venerat populus ad requiem, sed singuli quod sibi rectum videbatur faciebant [g], quantum ferè ad genera illa præceptorum. Moralia namque præcepta vbique obligant, vtpote in ipso naturæ iure fundata, communique cunctis naturali lumine nota. Probat id Burgensis in scrutinio [h], & Galatinus [i]. Cæterùm cur lex vetus data sit soli populo Iudæorum [k], Aquinas docet aliam sufficientem reddi posse causam præter gratuitam Dei electionem, qua patres eorum promissionem acceperunt de hac re, & de Messia, tandémque cum Augustino [l] respondendum, quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Reiicit autem alias rationes quòd ille populus non coleret idola, quia ea etiam coluit: quod Abraham meruerit, &c. quam causam videtur Philo [m] afferre.

Scitis.] Hebraicè, & Chaldaicè (*vide*, ראה *reeh*, חזי *chaze*. Græcè ἴδετε, quod redditur in Bibliis Complutensibus ac Regiis (*scitis*) in translatione Sixtina (*ecce*) perinde ac si esset ἰδέ: quo pacto, idest, (*ecce*) translatum legimus cap. 5. [n] quod est etiam Græcè ἰδέ, & in editionibus aliis sicut hic.

Interpres

Marginal notes: a Esa. 19. 1. & seqq. b ibidem. c Ier. 49. 3. d c. 48. 7. *Beelphegor idem videri quod Chamos & Priapus.* *Ambulare post cultores quid.* e c. 25. 9. *Conterendi verbum.* f orat. 5. contra Arian. g Deut. 10. 20. c. 11. 22. c. 13. 4. c. 30. 20. h Ios. 22. 5. c. 23. 8. i 4. Reg. 18. 6. k ps. 62. 9. l ps. 118. 31. m ps. 72. 28. n c. 56. 3. 6. o 1 Cor. 6. 16. 17. p Gen. 2. 24. Matt. 19. Marci. 10. Ephes. 5. 31. q Lucæ 16. 13. r in ps. 62. 9. ps. 72. 28. ps. 118. 31. s 1. Reg. 18. 1. t Gen. 34. 3. u ps. 72. 27. 28. a v. 14. 15. b in ps. 15. c 2. de animal. *Fideles, apes mysticè dici.* d Philip. 2. 13. e ps. 62. 9. f ps. 72. 28. *Paraenesis.* g Deut. 12. 8. 9. h 1 p. d. 8. c. 6. & 2. p. d. 6. c. 8. i l. 11. c. 3. k 1. 2. q. 98. a. 4. l tract. 26. in Ioan. m li. de magistratu, vel principe. *Explanatio.*

Interpres noster secutus videtur Græcum verbum (ἴδετε) haud adeò vsitatum, quod exponi præterea potuit (*videtis*) & in imperatiuo aoristi secundi ex ἴδω (*scitote, vel videte*) cuius item formæ est singularis ἴδε, & ἰδὲ, quæ transierunt in significationem interiectionis (*ecce.*) Alioquin ἴδατε meliùs diceretur, declaratúrque per (*scitis.*) Valet ad attentionem & ad beneuolentiam; vt quod scire, ac nosse creduntur, etiam atque etiam considerent. In eo sensu dixit Iesus [a]; *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, &c.* [b] *Scitis quia post biduum pascha fiet: Scitis* [c] *quid fecerim vobis*; & Paulus [d]; *Scitis quoniam cùm gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes* [e]: *scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi* [f]: *scitis quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem*; & ad Thessalonicenses [g] sæpiùs; tum verò [h]; *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.*

a Matt. 10. 25. b c. 26. 2. c Ioan. 13. 12. d 1. Cor. 12. 2. e 2. Cor. 8. 9. f Gal 4. 13. g 1 epist. 1. 5. & 2. 1. 2. 5. 11. c. 3. 3. 4. & 4. 2. c. 5. 2. 2. epist. 2. 6. & 3. 7. h 1 epist. 4. 2.

Quod docuerim vos.] Docendi verbum erat etiam versu 1. secundùm omnes editiones: hîc autem vnà cum nostra, secundùm Hebræam, & Chaldæam: Græca enim habet δέδειχα, *ostendi.* Perfectiùs qui ostendit ac demonstrat, vtitúrque ὑποδείξει *demonstratione.* Sic Eunuchus negat intelligere posse se Esaiam, nisi aliquis ostenderet [i] ei; quod Græcè dicitur ὁδηγῶν, *praeire in via*: & Apostolus, ostendit per scripturas esse Christum Iesum [k].

i actuum 8. 9. k c. 18. 28.

Præcepta atque iustitias.] Dicebantur versu 1. præcepta & iudicia: iuxta editiones reliquas eodem modo quo hîc; nisi quòd Græca secundo loco, hic habet κρίσεις, ibi κρίματα: vtrobique primo loco δικαιώματα. Ex quibus hæc significat propriè *iustificationes*; illa autem duo, *iudicia.* De ceremonialibus autem potissimum atque iudicialibus præceptis intelligi debere dixi eo loco; quamuis nonnunquam indifferenter omnia comprehendi queant istis vocabulis, vt sæpiùs admonui. Quo item pacto Tullius iustitiam [l] scripsit esse obtemperationem scriptis legibus, institutísque populorum.

l 1. de leg.

Sicut mandauit mihi Dominus Deus meus.] Docuit, præcepitque Moyses non sua, sed quam acceperat à Deo, potestate. Vt autem affectum suum singularem, obediendi Deo ac Domino demonstret, Dominum Deum suum vocat: qui priùs nunc nostrum siue communiter suum & aliorum, nunc vestrum, id est aliorum cùm populus recusaret Deum audire, veritus ne moreretur, peteréque vt Moyses loqueretur, hunc Deus loqui populo præcepit [m].

m Exod. 20. 19. & seqq.

Sic facietis ea in terra quam possessuri estis.] In reliquis editionibus (*vt faciatis sic in medio terræ quam vos intrantes*, nempe estis, vel eritis, vel *quam intratis*, seu *intraturi estis illuc vt possideatis eam.*) In Græca est aliud pronomen τῦ ποιῆσαι οὕτως ὑμᾶς, & ἐν τῇ γῇ ἐν ὑμεῖς εἰσπορεύεσθε.

Et obseruabitis, & implebitis opere.] Loco secundo est solùm iuxta cæteras editiones (*& facietis.*) *Facite præcepta mea,* inquit [n] alibi Deus, *& iudicia custodite, & implete ea, vt habitare possitis in terra absque vllo pauore.* Vbi tertio loco verbum editionum aliarum est idem cum primo [o]. Alibi præterea vtitur Interpres verbo implendi pro verbo faciendi: dicit implete opere [p], quod editiones aliæ venire super alios, seu euenire quæ promissa sunt, vel quod confirmare verba ab alio prolata, & præcepta [q]. Id moneo, ne quis plus æquo in similibus formulis momentum ponat, quæ simplicibus synonymæ sunt si consulantur editiones aliæ: quale quod Rickelius obseruat, licèt aliqui sit verum;

n Leu. 25. 18. o Deut. 12. 32. c. 24. 8. c. 26. 16. c. 29. 9. c. 31. 12. c. 31. 46. p Ios. 23. 15. q 1. Reg. 15. 11. 13.

scilicet mandata seruanda esse & implenda iuxta præcipientis intentionem: nec sufficere ad salutem ea facere quantum ad substantiam operis, sed ex fide & charitate, intentioneque recta oportere ea seruare. Posset huc referri quod aliàs dictum est de operibus plenis, quæ in Angelo Ecclesiæ Sardis non inueniebantur talia corà Deo [a]. Cuius sententiæ Pererius [b] noster decem refert interpretationes: simplicior autem est, quòd Episcopus ille officij sui partes, & vt loquitur Paulus [c], ministerium suum non implebat.

a apoc 3. 2. b ibid. d. 5. c 2. Tim. 4. 5.

Vers. 6.] Et obseruabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.

Paraphr.

OMissis primis quinque dictionibus quas commodioris causa sensus iunximus versui quinto ac declarauimus; laudem iste continet eximiam legis diuinæ, præsertim quantum ad iudicialia præcepta & ceremonialia, paulò longior hic sextus versus, vt nimirum eorum custodia arguat Hebræum populum esse sapientem ac prudentem, à legislatore autem Mose, immò à Deo per illum sapientissimè, prudentissimè, sanctissimè institutum: ita vt non possint quin exclament quotquot id animaduerterint, & prorumpant in eiusdem populi, legis, legislatoris, Dei eximias laudes, mirentúrque tam sublimem de altissimis rebus Deóque ipso primo omnium concessam cognitionem, tam exactam, certam, perfectam notitiam de rebus ex virtute ac pietate agendis; tantum abest vt rideant, vel contemnant. Magna laus quæ ab exteris etiam & profanis extorquetur: & hæc longè profectò pluris æstimanda, quàm quæ à regina Saba de Salomone prolata est, ita vt non haberet vltrà spiritum præ stupore [d]. Similis admiratio & consideratio legis euangelicæ, adiuuante diuina gratia, non paucos ad eius amorem, professionémque pertraxit, & affirmare compulit [e], quòd non fecit Deus taliter omni nationi, nec iudicia sua manifestauit ei. Lux isthæc tanta lucens coram hominibus videntibus consentanea luci opera bona, effecit vt volentes nolentes glorificarent Patrem qui in cælis est [f], vt hoc loco insinuat Procopius. Hæc porrò sapientia illius temporis, quo vigebat scripta lex (cùm essent Hebræi populi adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium λατρεία, & promissa [g], credit aque ipsi eloquia [h]) iam periit, inquit Paulus [i] Burgensis, post aduentum Christi. Nam sicut per obseruationem legalium tempore legis à cæteris nationibus iudicabantur sapientes, in quantum per huiusmodi obseruationem regebantur à Deo tanquam populus peculiaris, per miracula, & reuelationes Propheticas, & huiusmodi, vt patet in processu veteris Testamenti: sic post Christi aduentum, & diuulgationem Euangelij ipsius, cùm huiusmodi legalia fuerunt euacuata, ab omnibus iudicantur per eorum obseruationem insipientes & stulti, tanquam laborantes in iis, quæ nullius sunt authoritatis, seu vtilitatis. Confirmat tum ex iis verbis, quòd [k] *peribit sapientia à sapientibus, &c.*; *quomodo* [l] *dicitis, sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum: confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt. Verbum enim Domini*

d 3. Reg. 10. 1. & seqq. 2. Par. 9. 1. & seqq. e ps. 147. 20. f Matth. 5. 16. g Rom. 9. 4. h c. 3. 2. i scrutin. script. p. 2. d. 6. c. 8. k Esa. 29. 14. l Iere. 8. 8. 9.

proiece

prouerbium, & sapientia nulla est in eis: tum ab experientia; quòd risui habeantur Iudæi apud omnes cum suo Thalmud & innumeris fabulis, de quibus agit in additionibus ad Esaiæ c. 34. & Zachariæ 9. pluréſque alij in tractatibus contra Iudæos, vt Fiuus, Porchettus, Galatinus, &c. Iuxta eloquium Dei vt sibi dari petebat David [a], non habent intellectum nec Iudæi, nec etiam Christiani, qui non lucis, sed sæculi [b] filij volunt esse. Propterea in eum Psalmi locum auctor quidam Græcus anonymus ait, quòd David ἀπεδοκίμασε τὴν τοῦ κόσμου σοφίαν κατὰ τέχνας τε, καὶ πᾶν ἐπιτήδευμα, κατὰ τὸ λόγιον τε προσθείς, καὶ τὴν θείαν διακρίνας σοφίαν ἣν ἔχοντες οἱ μαθηταὶ τοῦ σωτῆρος ἱκανώτεροι τῶν ἀνθρωπίνων. λέγει γάρ, οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν αὐτῶν, *distinxit intelligentiam eloquij Dei à sapientia mundi, quæ iuxta artes & cætera humana instituta est; adiiciens (iuxta eloquium tamen) & diuinam sapientiam: qua cùm discipuli Domini prædîti essent, humana minus instructi erant. Ait enim; Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua.* Lege dicti Psalmi commentarium nostrum. Sapientissimè [c] Sapiens; *Si quis erit, ait, consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur*: & [d]; *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Non glorietur*, inquit auctor ipse diuinæ ac veræ sapientiæ Deus [e], *sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc solùm glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.* Qui hanc non habent sapientiam, necesse est vt intereant propter insipientiam suam [f]: beati verò quibus quæ Deo placent manifesta [g] sunt, dummodo ipsa eorum executione illi placere studeat. Aquinas [h] ex hoc loco probat Theologiam esse sapientiam maximè inter omnes sapientias humanas, non in aliquo genere tantùm, sed simpliciter, quia determinat de Deo secundùm quod est altissima causa, & quantum etiam ad id quod notum est sibi soli de seipso, & aliis per reuelationem cómunicatum. Colligit prætereà [i] Decalogi præcepta conuenienter tradita, & maximam sapientiam in iis inueniri; cùm sit sapientis omnia debito modo & ordine disponere. Quamquam videtur hoc loco per se sermo potiùs esse de præceptis ceremonialibus & iudicialibus, quàm de moralibus; quia moralia, vt dixi, communia sunt omnibus hominibus, continentúrque in decalogo; illa alia propria Hebræi populi, propter quæ cæteris populis meritò admirationi esset, atque ab illis eximiè laudaretur. Adhæc argumentari possumus, falsum esse, quod filij sæculi obtendunt & obiiciunt, inimicis parcere, iniurias remittere, occasiones peccandi vitare, atque dissolutiorum hominum sodalitatem, frequentare Sacramenta, obire templa, interesse sermonibus diuinis, vacare misericordiæ aliísque piis operibus, moderatum ac modestum esse in vestitu victúque, obseruare prælatos, obtemperare præceptis & Dei & Ecclesiæ, &c. minùs honorificum esse, vel etiam ab humanis moribus abhorrens, si nec Deus esset, nec diabolus: nec ille regnum, hic gehennam præberet; ipsa mandatorum natura, inquit Chrysostomus [k], facilè persuadere potest vt huic adhæreamus. Quid enim Deus mandat? ea quæ faciunt gloriosos: diabolus quæ confundunt. Profectò si populus Hebræus ob durioris illius legis traditionem obseruationémque, laudem tantam & honorem consequebatur apud populos alios; quantò maiorem Christianus meretur qui longè suauiorem sortitus est legem, simúlque multo perfectiorem? Inimici ipsi sunt iudices [a], nec possunt qui vident iustos ac religiosos, & cognoscunt eos, quin velint nolint dicant; *hi sunt semen cui benedixit Dominus* [b]. Iulianus apostata idolorum Sacerdoti scripsit curaret vt pagani virtuti studerent; sic enim illorum cultum progressus habiturum, quemadmodum illa de causa tantos religio habebat Christiana. Tueatur quisque & conseruet hanc dignitatem pro statu ac gradu suo: nec tradat alteri gloriam, & dignitatem suam genti alienæ [c]. Tunc saltem, id est, in die iudicij, ac in conspectu omnis creaturæ rationalis laus erit vnicuique à [d] Deo: & ipsimet hostes virtutis insaniam fassi suam, quos nunc insanos censent, vocántque, cogentur computatos inter filios Dei, ac inter sanctos confiteri [e]; dante hos Deo in nomen, & in laudem omnibus populis terræ [f]. In conuiuio septem sapientum apud Plutarchum felicissimam rempublicam populúmve alius alia de causa respondit. Sed sapientiùs Moses hoc loco, quémadmodum & Ecclesiastes conclusit, quòd omnis homo esset Deum timere; mandatáque illius obseruare. Si conferas regnorum, aut rerumpublicarum leges, vel doctrinam sapientum omnium, cum dogmatibus & institutis Dei tum in vetere, tum præsertim in Testamento nouo, comperies infinitum propè discrimen, omnésque vno ore celebrabunt, ac beatum dicent populum cui sapientia talis, ac longissimo interuallo præferent sibi: quia Deus ipsius excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus [g]. Scriptura de altissima causa, nimirum de Deo est, inquit Abulensis [h], & per altissimam eamdem causam, & regulat actus secundùm quod Deo placent: & perfectio illius ac legis est dilectio [i]; proptereáque practica simul est, non tantùm speculatiua; quamuis vt speculatiua perfectionem suam maximè habeat in patria. Caue ne Christus exprobret; nónne Moyses, immò Deus, ac ipsemet, dedi vobis legem, & nemo ex vobis facit legem; sed quæritis me interficere, ac denuò quantum in vobis est, dum legem violatis, interficere [k]? Lex per Moysem data est; gratia & veritas per Iesum Christũ [l]: propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus, tantámque negligamus salutem [m]. Vitandus porrò hæreticorum error, quem hinc aliqui eorum eliciunt, cuiuis absque delectu Scripturas diuinas legendas, ac proinde omnibus linguis conuertendas, vt dici populus sapiens possit & intelligens. Non exigebat hoc Moyses à suis, vt essent cuncti legis interpretes; sed vt quæ ad se pertinerent quis perciperet, opereque perficeret. *Turbam*, ait Augustinus [n], *non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Tritum etiam illud Gregorij [o] magni; *non requiritur in vulgo scientia, sed bona vita*: & obseruauit Tertullianus [p] dictum à Christo; *fides tua saluum te fecit*: non exercitatio Scripturarum, siue non scientia tua, &c.

Et obseruabitis, & implebitis opere.] Declarata sunt, & reiecta in præcedentem versum hæc verba; tanquam aptiùs cum illo coniuncta: & notandum quòd obseruare insinuet curam sollicitudinémque, vt ex diuinis præceptis nihil omittatur, elabatur, perdatur; vt cum reuerentia tractentur, non curiosiùs causæ illorum inquirantur. Siquidem illud ex Ecclesiaste [q] *os regis obseruo*, Hieronymus [r] intelligit, dicens moneri nos ne tractemus, quare Deus vnumquodque præceperit: sed quodcumque viderit esse mandatum, pia, mente hominis

[Marginal notes, left column:] a Psal. 118. 169. — b Lucæ 16. 8. — c Sap. 9. 6. — d c. 13. 1. — e Ier. 9. 23. 24. — f Baruch 3. 28. — g c. 4. — h 1. p. q. 1. a. 6. — i 1. 2. q. 100. a. 7. — k hom. 19. ad popul.

[Marginal notes, right column:] a Deut. 32. 31. — b Esa. 61. 9. — c Baruch 4. 3. — d 1. Cor. 4. 5. — e Sapien. 5. 4. 5. — f Sophon. 3. 19. 20. — g Iob 36. 22. — h q. 3. — i Rom. 13. 10. — k Ioan. 7. 19. 20. — l c. 1. 17. — m Hebr. 2. 3. — n lib. contr. epist. fund. c. 4. — o alicubi. — p de præscr. c. 14. — q c. 8. 2. — r ibidem. — Explanatio. Obseruandi verbum.

hominis implere festinet; & sit in lege Domini voluntas [a] eius. Lege commentarium Ecclesiastæ [b]; quamuis & in aliis eamdem istam formulam non semel expenderimus.

Hæc est enim vestra sapientia.] Hoc nomen Latinum, vt & Hebræum חכמה *chochmah*, cui Chaldæum simile, & Græcum σοφία, exposuimus aliis in locis, maximè in commentario libri Sapientiæ. Quod ad Græcum attinet, quorumdam opinioni (ex Scapulæ lexico [c] Cernantes, & alij) vt σοφία, quasi ζοφία dicatur à ζόφος, quod est nomen significans *caliginem*, quia recondita & arcana est. Nonnihil fauerent Ecclesiastici verba si Græcè scriptus esset, & non Hebraicè, quæ lingua posteriore scriptum esse testatur præfatio eiusdem, eaque legisse se asserit Hieronymus [d]. Sic enim in illo [e] auctore est, *Sapientia doctrinæ secundùm nomen est eius, & non est multis manifesta* [f]. Holcot autem, attendens Latinam derivationem, ait esse asperam indoctis, prout ibidem paulo antè dicitur, qui scilicet non habent saporem in doctrina bona. Refellit Iansenius [g] vtramque expositionem, nominans pro secunda Lyranum, ob allatam causam; quia liber ille nec Græco, nec Latino primùm editus est idiomate. Sensum autem esse vult cum Rabano, quòd sapientia est id quod dicitur & prædicatur; nempe ardua res, & excelsa, non quibuslibet obuia; item quòd sinceritas legis diuinæ est prudentia, veritas, virtus. Aquinas [h] reiiciens expositionem petitam ex verbo sapiendi, & quasi esset sapida scientia, quia non conuenit in Græco, inquit, & fortè nec in aliis linguis, docet nomen ibi accipi pro fama; & quia sapientia cômendatur à cunctis. Noster Sa [i] interpretatur dici Hebraicè חכמה *chochmah*, quasi absconditam; quia *chamas* est *abscondere*. Non est חכמה *chochmah* à חמס *chamas*: & hoc non significat *abscondere*; sed inter alias notiones, in niphal valet נחמס *nichmas*, *discooperiri*, quod opponitur absconsioni: thema verò nominis חכמה *chochmah*, quod est חכם *chacham*, nihil absconsionis importat, quin etiam iuxta parœmiam σοφὸν τὸ σαφές, *sapiens ac eruditum, quod clarum.* Amplissima porrò acceptio est sapientiæ, de qua alibi; vsu autem Scripturæ comprehendit rerum diuinarum cognitionem cum praxi, seu cum relatione ad istam: & ecclesiastici scriptores Græci φιλοσοφίαν, & φιλόσοφον vsurpant pro scientia studióve ac studio rerum istiusmodi, ac magis peculiariter quando quis profitetur vitam, quam aliter vocamus magis spiritualem & religiosam: quemadmodum & apud profanos appellatur sapiens & σοφὸς, quisquis in certo genere vel scientiæ, vel artis, vel facultatis excellit. Vnde olim in acclamationibus etiam & plausibus proferri solebat σοφῶς, vel σοφῶς, vel καλῶς καὶ σοφῶς, vt videre est apud Martialem [k], Claudianum [l], Plinium [m] secundum, Sidonium [n]. Cognominat primus sophos grande, insanum, magnum, inane, tergeminum. Lege in eumdem commentarios Raderi nostri, & in vltimum Ioannis Matiæ Catanei, qui de illis qui σοφισταὶ cognominabantur, quòd facundi dici ac videri malebant, quàm esse, παρὰ τὸ σοφὸς ἀκοῦσαι, & non εἶναι τὸ σοφὸς ἀκοῦσαι: & Latinè præterea laudiceni: de quo item in adagiis [o].

Et intellectus.] Omisit Interpres repetitionem pronominis quam habent editiones aliæ. Pro intellectu Hebræum nomen cum affixo est בינתכם *binathchem*, Chaldæum eodem pacto סוכלתנותכון *sochle thanutheron*: Græcum σύνεσις ὑμῶν. De vltimo [p] alibi docui ab Aristotele [q] numerari inter virtutes διανοητικάς, esseque ἐπιλυτικὴν, *indicatiuam*, atque eamdem cum συνέσει. Aquinas [a] de hac speciali virtute intellectus disputat, cum eubulia & gnome; siue additi sint habitus à prudentia, & inter se, siue non: quod examinat noster Ioannes Salas [b], post Leonardum [c] Lessium item nostrum. Eubuliam aiunt esse cùm rectè consultatur, & inueniatur bonum consilium in rebus ambiguis: synesim iudicium de consultatis ex consideratione practicorum principiorum communium, vt legum naturalium & positiuarum, atque finium quos legislator spectauit: gnomen quando iudicatur ex altioribus quibusdam principiis contra verborum legis tenorem, sed iuxta legislatoris mentem. Verum latiùs accipiuntur hæc vocabula σύνεσις & συνετὸς, & eodem loco monui, vt amplectuntur quemlibet actum prudentiæ: atque aliquando [d] redditur per nomen prudentiæ: & recensetur inter dona Spiritus [e] sancti, cum Hebræo quoque nomine בינה *binah*, Latinóque *intellectus*: vertitur item nomine *intellectus*, cùm dicitur Deus diligendus ex toto intellectu [f], cùmque ingitur ei epithetum *spiritualis* [g], & omnium diuitiarum plenitudinis [h]: cùm scribitur dandus ad intelligendum quæ proponuntur [i]. Exponitur itē συνετὸς, *prudens* [k]. Lyranus & Abulensis videtur intellectum accipere, vt est habitus primorum principiorum, quia legis diuinæ veritas certissima est, & quæ sequuntur ex ea, debent vt vera approbari, reprobari tanquam falsa, quæ repugnant. Non tam strictè notio est, præsertim, cùm agatur per se magis de ceremonialibus & iudicialibus præceptis, vt sæpe dixi: habitúsque ille qui Latinè vocatur *intellectus*, dicitur Græcè non σύνεσις, sed νοῦς. Caietanus ait excludi vanitatem gloriæ, quòd fundata significetur super opus secundùm sapientiam & intellectum.

Coram populis.] Græcè ἐναντίον πάντων τῶν ἐθνῶν, *coram omnibus gentibus.* Hoc Græco nomine, Latinóque tum gentium, tum populorum diuersos à Iudæis accipi, & synonyme tamen interdum, annotaui [l] alibi, necnon & plerumque populos pluraliter in deteriorem partem sumi, in meliorem numero singulari: de quo noster etiam Ribera [m]. Nihil autem interest quòd Hebraicè, Chaldaicéque sit *in oculis populorum*, לעיני *lehbene*, quod Græcè est (ἐναντίον) Latinè (*coràm*.) Notat autem Caietanus excludi seductionem ex hoc quòd non solùm in oculis Hebræi populi, sed etiam aliorum audientium legem illius laudetur vt sapiens & intelligens, viuendo secundùm illam.

Vt audientes vniuersa præcepta hæc.] Sunt hic חקים *chukkym*, אלה *keiamaija*, δικαιώματα. Sic etiam prius versu 1. & 5. vbi præterea sunt iudicia cum propriis quoque linguarum aliarum vocabulis: & significantur ceremonialia, iudicialiaque potissimùm.

Dicant.] Acclamatione ac epiphonemate à rei ipsius veritate expresso, non ab assentatione falsóque rumore, vel procurato, vel profecto, quale illud insanum & inane σοφῶς, de quo nuper memini.

En populus sapiens, & intelligens.] Respondent hæc præcedentibus sapientiæ & intellectui; quē admodum & nominibus in editione Hebræa Chaldæáque idem valentibus: sed in Græca hic secundo loco est ἐπιστήμων, *sciens*; ibi σύνεσις, cui responderet συνετός. Pro (*en* & *ide*) Hebræa dictio רק *leched* valet (*solùm, tantùm, duntaxat.*) Indicatur autem laudandum populum istum à populis aliis, præ cæteris populis, quòd solus tenera sit sapiens & in

a ps. 1. 2.
b in c. 8. 2.
c in lib. Sapien. isago. q. 9.
d epist. 115.
e Eccl. 6. 23.
f ibid. lect. 76.
g ibidem.
h 2. 2. q. 45. a. 2. ad 2. & in 3. d. 35. q. 2. a. 1. q. 1a 3. ad 1. Sapientia pro fama.
i in Eccli. 6. 23.
Pro cognitione rerum diuinarum cū praxi, seu relatione ad istam.
k l. 1. epigr. 4. & 50. 67. 77. l. 3. epig. 46. l. 6. epig. 48.
l
m l. 2. epist. 14. ad Maximum.
n l. 1. epist. 9. l. 8. ep. 6. l. 9. ep. 13 carm. 5 & 8.
o verbo Sophocles.
p in ps. 1. 10. & in ps. 48. 4. ps. 118. 27 35.
q 1. eth. c. vlt. & l. 6. c. 10.
a 1. 2. q. 57. a. 6.
b ibid. tract. 11. disp. 5. sect. 4. n. 83. & seqq.
c l. 2. de iust. & iur c. 2. dubit. 3.
Eubulia. Synesis. Gnome.
d 1. Cor. 2. 19. Ephes. 3. 4. Luc. 2. 47.
e Esa. 11. 2.
f Marci 12. 33.
g Coloss. 1. 9.
h c. 2. 2.
i 2. Tim. 2. 7.
k Matt. 11. 25. Luc. 10. 21.
Populi nomen.
l in ps. 1. 1. ps. 3. 6. 10. psal. 56. 6. actuum 2. 5. c. 4. 25. c. 10. 35.
m in Mich. 1. n. 17. & 18.

& intelligens, nullum lex eius admittat malũ, vel permittat, vel impunitum relinquat, inquit Oleaster: aut quòd licèt repertatur fortassis aliquis homo, familia, ciuitas sapiens & intelligens, non tamẽ populus integer sicut Hebræus, ait Caietanus. Laudem istã pertinere in primis dici ad ceremonias circa cultum Dei, & ad leges politici regiminis. Moralia verò præcepta, quamuis distinctiùs tradita fuerint Hebræo populo, ac proinde habere potuerint populi cæteri rudiores, quod admirarẽtur, & commendarent; nihilominus per ipsum naturale lumen faciliùs cognosci poterant. Deplorabit postea Moyses [a] carentem gentem suam cõsilio & prudentia, optabitque sapientiam & intelligentiam: item [b] quòd nõ dederit ei Dominus cor intelligens, oculos videntes, aures quæ possent audire; id est, quòd ipsi non admiserunt diuinas illuminationes & inspirationes, nec diuinis grati beneficiis fuerunt. Oseas [c] quoque anxiè quærebat; *quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc?* David [d] autem pronunciabat; *vir insipiens, non cognoscet, & stultus nõ intelliget hæc* [e]: *insipiens & stultus peribunt.* Iob [f] denique affirmabat quòd timor Domini ipsa esset sapientia: & recedere à malo, intelligẽtia. Vbi timor sumitur pro religione ac Dei cultu, quæ dicitur ibidem à L X X [Greek]. Consule in theatro humanæ vitæ titulos de populis bonis, castis, doctis, iustis, fortibus, prudentibus, religiosis, sapientiæ studiosis, veracibus, &c. vt cognoscas quanto interuallo suis olim legibus institutus Hebræus populus, & nunc item suis Christianus, alios cunctos exsuperet. Ad idem faciunt signa Ecclesiæ Dei à Thoma Bozio cõscripta, præsertim sermo scientiæ, & sapientiæ, genera linguarũ & interpretatio, peritia omnium disciplinarũ, prudentia politica & militaris fortitudo, iustitia, religio, pietas, veritas, animi magnitudo, magnificentia, temperantia, clementia & mansuetudo, castitas, &c. Omnino verum est quòd qui viriliter agunt in lege, gloriosi euadunt [g].

[Margin: a Deut. 32. 28. 29. — b c. 29. 4. — c c. 14. 10. — d ps. 91. 7. — e ps. 48. 11. — f c. 28. 28. — *Timor pro religione ac cultu Dei.* — g 1. Mach. 2. 64.]

Gens magna.] Retinet editio Chaldæa nomen populi [Hebrew] *hhamma*, & Græca [Greek]: Hebræa verò ponit גוי *goi*: addũtque omnes pronomen demõstratiuum; quod valet ad emphasim. Hebræum autem nomen etiam pro Hebræo populo sumi non hîc solùm, sed alibi præterea, monui [h] alibi; cùm alioqui de aliis magis frequenter ac ordinariè dicatur. Atque idem est de vocabulis [Greek] & *gentis*. Magnam hanc gentem dici ait Riekelius magnitudine spirituali per donorum abundantiam supernorum, & quantum ad numerum, quia erãt, ac futuri erant vt stellæ cæli, quemadmodum c. 1. [i] dictum est; immò vt arena maris [k]. Postea propter peccata imminuti sunt plusquam omnes gentes, & facti humiles in vniuersa terra [l]; & sic pollicitationes de tanto illo numero mendacij argui nequieuerunt, inquit Theodoretus [m]. De hac tanta nominum [sic] Ione Hieronymus [n] præ cæteris legẽdus. *Magni* cognomẽ non Deo tantùm aliquoties tributum legimus, verùm etiam hominibus, vt Moysi [o], Nabuchodonosori [p], Artaxerxi [q], Mardochæo [r], Iob [s], Esaiæ [t], Abraham [u], Michaeli [x], Danieli [y], Antiocho [z], Ioanni [aa], Christo [bb], Sidoni [cc], Niniue [dd], mari [ee], Euphrati [ff], &c. Sed magnitudinis Dei non est finis [gg]. Quod aliàs expensum est.

[Margin: h in ps. 2. 1. ps. 43. 3. ps. 48. 2. ps. 67. 31. ps. 96. 10. ps. 109. 6. i v. 10. k Gen. 22. 17. c. 32. 12. & alibi. l Dan. 3. 37. m in, ora. 3. n in Esa. c. 6. sub finem. o Exo. 11. 3. p Iudit. 3. 2. q Esther 11. 2. c. 13. 1. c. 16. 1. r Esth. 11. 3. s Iob 1. 3. t Eccli. 48. 25. u c. 44. 20. x Dan. 12. 1. y c. 13. 64. z 1. Mach. 8. 6. aa Lucæ 1. 15. bb ib. v. 32. cc Iosu. 19. 28. dd Ionæ 1. 2. Ionæ 3. 3. ee Ios. 1. 4. &c. ff Deut. 1. 7. &c. gg ps. 144. 3.]

Vers. 7.] Nec est alia natio tã grandis, quæ habeat deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest cũctis obsecrationibus nostris.

PRobat magnam esse gentem Hebræorũ dignitate potius quàm numero, quoniã vnũ Deum verũ, & verè ac solum magnũ dominũ, immò maximũ agnoscebat, colebatque, qui suimet verã notitiã cõmunicabat, signis & prodigiis auxiliabatur; quoties cõsuleretur, dabat clara responsa, sine augurio, & diuinatione [a] superstitiosa, quæ nec semper quæstionibus satisfaciebat, & plerumque aut æquiuoce, aut etiã falsò: neque tales falsi dij opitulari poterãt in necessitatibus, vt patuit in Ægyptiis, Amalecitis, Madianitis, Moabitis, Amorrhæis: neque ipsimet leges ferebãt immediatè, sed per homines, & quidem permixtas erroribus ac ritibus profanis fœdísque. Inferiùs hoc ipso libro [b] promittitur quòd faceret Deus Hebræam gentem excelsiorem cunctis gẽtibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam. Exclamans quoque Moses cum admiratione [c]; *Beatus es tu Israel,* inquit, *quis similis tui popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ.* Grandẽ dicit nationem, ait Rabanus, cúmque illo Glossa, Hugo & alij dignitate donorum, non multitudine populorum. Nec enim gens Iudæorum numero vincebat alias gentes, aut potentia excellebat; sed prærogatiua patrũ diuina dignatio eos exaltabat; sicut Moyses in subsequentibus testatur, dicens: *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores: sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentũ quod iurauerat patribus vestris.* De sapientia æterna scriptum est [d], quòd dignos se quærens circuit (non vt diabolus ad deuorandum leonis [e] instar) & in viis suis ostendet se illis hilariter: & Iacobus [f] hortatur appropinquare Deo, quoniam appropinquabit nobis: & epithetum fidelis populi est, esse appropinquantem [g] Deo. Et sicut hîc appropinquare dicitur Deus obsecrationibus, ita petebat ab illo David [h], vt in conspectu ipsius deprecatio sua appropinquaret: quoniam ipse propè est omnibus inuocantibus [i] eum: & qui accedunt ad eum, illuminantur [k]. Quas explanando sententias, dixi quæ ad hanc nostrã conducãt, vt & ad illa verba Ecclesiastæ [l], *appropinqua vt audias*, de quibus fusiùs Pineda [m] noster. Retuli præterea explicãs verba Psalmi 94. [n] *quadraginta annis proximus fui generationi huic*, quosdam interpretari cum Augustino [o], quòd se Deus præsentem exhibuerit in signis & virtutibus: vel cum Bernardo [p] Psaltem accommodatitiè, interna voce, vocatione, inspiratione. Huc facit beneficium concessi mundo Christi in magistrũ & doctorem, de quo Frãciscus Arias [q] noster. Lyranus docet quòd familiaritas quã ostẽdit Deus filiis Israel in veteri Testamento, fuit figura illius maximæ familiaritatis, quã nobis ostẽdit in beneficio suæ incarnationis, quando Verbũ caro factum est. Addit Riekelius realem præsentiã Christi in Eucharistia. Id prior fecerat in officio de festo Corporis Christi Aquinas [r]. Multò magis absque vlla comparatione propter istam præsentiã habemus Deum appropinquantem nobis, immò manentem nobiscũ, quàm olim haberent Hebræi ob arcam & propitiatorium, ac longè melius conueniunt isti quàm illi epitheta fortitudinis nostræ, gaudij, dignitatis, desiderij oculorũ nostrorũ, super quo requiescant animæ nostræ, filij & [s] filiæ. De priuilegiis gentis Iudaicæ scribit Paulus [t]: quæ Clem. [u] Alex. collata vult quia fidem Christi profitebatur, qui ex ipsis oriturus erat: & multa comminiscuntur Rabbini, nominatim de templo suo apud Galatinũ [x], quę nos alibi attigimus. Cõstat ex Scripturis diuinis appellari hunc populũ Dei peculiarẽ, regalem, sacerdotalẽ, filiũ eius primogenitum,

[Margin: *Paraphr.* — a Num. 23. 23. — b c. 26. 19. — c c. 33. 29. — d Sapien. 6. 17. — e 1. Pet. 5. 8. — f c. 4. 8. — g ps. 148. 14. — h ps. 118. 169. — i ps. 144. 18. — k ps. 33. 6. — l c. 4. 17. — m ibid. — n v. 10. — o Ibid. — p de conu. ad Cleric. c. 2. — q tract. 5. de imita. Christi præsertim c. 7. & seqq. — r opus. 57. lect. 1. nocturni 2. — s Ezech. 24. 25. — t Rom. 3. 1. & seqq. c. 9. 4. & seqq. — u 6. Strom. — x 1. 4. c. 8.]

partem, hæreditatem, populum honorificatum, sponsam. Dauid alloquens Deum; *quæ est*, ait [a], *vt populus tuus Israel, gens in terra, propter quã iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem & Deum eius. Firmasti enim tibi populũ tuum Israel, in populum sempiternum: & tu Domine Deus factus es eis in Deum.* Auctor [b] Ecclesiastici scribit, quòd in vnamquamque gentem præposuit Deus rectorem; sed pars Dei Israël facta est manifesta: & omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorũ. Philo [c], quidquid aliis contingit ex optimo cuiusque philosophiæ studio, id Iudæis, inquit, ex legibus ac moribus, & summi Dei notitia, repudiato errore deorum ex creaturis consecratorum: quod vnum euidens argumentum est eximiæ Dei erga suam gentem caritatis, atque fidei. Sed nihil sunt quantumuis fingantur, si cum veris Christianæ professionis prærogatiuis comparentur. Quæ cõparatio extendi vlteriùs potest ad ea quæ de bono status religiosi disseruntur, præsertim à nostris Hieronymo Plato, & Iacubo Aluares. Ibi profectò familiarior cum Deo conuersatio, & inuocatio cũ veritate crebrior, perfectiórque, ita vt vicissim & propior ille sit sic ipsum inuocantibus [d], aditúsque facillimos præbeat, quemadmodum [e] alibi docui, præferens meritò laribus ac penatibus diis idololatrarum, deóque Baal, quem veluti longiùs abesset, magnis crebrisque clamoribus sacerdotes illius implorabant, sed frustrà [f]. Denique sicut cognomen populi fidelis dixi esse vt appropinquans Deo vocetur; ita Deus ipse cognominat seipsum appropinquantem & è vicino, non de longè [g]; quamuis eo quòd nihil latere ipsum queat. Appropinquabant recipiente illos libenter ipso, ad Christũ publicani & peccatores [h]; adibat ipsemet illos ac se eorum etiam conuiuiis vltrò inferebat, vt Matthæi [i], Zachæi [k], Simonis Pharisæi [l], vbi Magdalenam quoque admisit: Petrum præ metu & modestia recedere volentem, & vt exiret à se Christus orantem bono animo esse iussit, ac in suam deinceps recepit societatem [m].

a 2.Reg.7.23. & seqq.
b c.17.14. & seqq.
c de carit.
d ps.144.18.
e ibid.
f 3.Reg.18.27.
g Ier.23.24.
h Luc.15.1.
i Matth.9.9.10. Marc.2.14.15. Lucæ 5.27. & seqq.
k Lucæ 19.2. & seqq.
l c.7.36. & seqq.
m c.5.8.

Explanatio.

Nec est alia natio tam grandis.] Interrogatiuè sententiam totam reddunt editiones aliæ, non sine quadam emphasi maiore (*&*, aut *quia, qua*, vel *qualis gens, natio, populus magnus*, גָּדוֹל גוֹי מִי *vmi goi gadol*, רָב עַם מַן [illegible] *are man bham rab*, ὅτι ποῖον ἔθνος μέγα.) Quare synonyma sunt *grandis* & *magna*, quod secundum erat proximè in fine alterius versus cum iisdem vocabulis reliquarum editionum, item natio, populus, gens, vt patet ex eodem versu, cum hoc & sequenti, qui sunt de eadem re: quamuis exactiùs loquendo nonnullum tradi discrimen queat inter hæc vocabula, & inter magnum ac grande; siue hoc vltimum ad ætatem pertineat magis propriè, siue frugibus oleribúsque conueniat; siue multorum denotet quasi aggestionem, sitque grande veluti *gerande*.

Vocabula Grandis & magna.

Quæ habeat deos appropinquantes sibi.] Iuxta reliquas editiones (*cui ei* nempe sunt *dy*, aut *Deus appropinquans*, aut *appropinquantes ei.*) *Deum* numero singulari habet Græca editio, & Chaldæa *bia*, & אֱלָהָא *eloha*. Hebræa אֱלֹהִים *elohim*, licèt aliquando singulariter ac de vnico Deo sumatur, adiectũ est participiũ eiusdem linguæ plurale קְרֹבִים *kerobim*. Dicit *deos* in plurali, ait Lyranus, quia aliæ nationes colebant pluralitatem deorum. Addidit Paraphrastes (*vt suscipiat orationem eius in tempore tribulationis suæ.*) Augustinus in locutionibus legens (*quoniam qua est gens magna, cui est ei Deus appropians illis*) duo notat, vel quod ait (*cui est ei*) vel quod non ait (*appropians illi*) sed (*appropians illis.*) De vi verbi appropinquandi prius actum est, vt denotat quando tribuitur Deo illum propitium, quasi etiam à prope propitij vox deducatur. Inuocandum [a] Esaias Dominum dum propè est, admonet, nimirum si inuocetur in veritate [b], vt etiam notatum est antea; talium namque, idest, ipsum timentium voluntatem facit, deprecationem exaudit, & saluos illos [c] facit. Cùm non exaudit, recedere censetur longè, atque despicere [d], Chaldaicè stare à longè, abscondi in tabernaculo sanctitatis suæ. Illo loco R. Iochanan confingit consedisse primùm prope Ierusalem in mõte Oliueti Deum, postea ob peccata populi longiùs recessisse. De Angelis sub excidij Ierosolymitani tempus auditis dicere, *migremus hinc*, vt Iosephus [e] narrat, concedi potest, quia certo definiuntur loco, non item de Deo immenso, cælúmque ac terram implente, immò & infinita, vt quidam imaginantur, imaginaria spatia.

Deos cur dicat in plurali.

Appropinquandi verbum.

a c.55.6.
b ps.144.18.
c ibid.
d ps.9.22.
e 12.de bello.

Sicut Deus noster adest.] Interpres expressit verbum (*adest*) pro quo nullum extat in editionibus aliis, potuitque repeti verbum appropinquandi ex priore membro: iuxta illud (*appropinquate [f] Deo, & appropinquabit vobis*) quod copiosiùs exposui [g], allatis non paucis quæ congruunt instituto: lectúque non indigna sunt.

f Iacobi 4.8.
g ibid.

Cunctis obsecrationibus nostris.] Secundùm ceteras editiones (*Sicut Dominus Deus noster in omnibus quibus inuocauerimus eum*) vel Chaldaicè (*In omni tempore quo nos orantes sumus, fuerimúsve corã ipso.*) Itaque vis propria circa nomen obsecrationum huic loco necessaria non est, sed accipitur pro qualibet forma orationis. Præter sententias alias isti affines quæ priùs indicatæ sunt, adhúcque afferri possent, illa Esaiæ [h] omitti non debet: *tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adsum*; Chaldaicè (*faciet deprecationẽ tuam*) יְקַבֵּל בָּעוּתָךְ *iakbbed babbutach*. Tam propinquus est Deus ac intimus, vt desiderium pauperum exaudiat, præparationémque cordis eorum audiat [i]; & antequã clament [k]; quod in commentario Psalmi modò citati demonstraui. Valdè prolixa liberalitas adesse cunctis obsecrationibus, nullam reiicere, quicquid orantes petamus exaudiri, & accipere, ac fieri nobis [l]. Sed videlicet orandi debitæ conditiones adhibendæ; quoniam petentes non accipiunt, eò quòd malè petant [m], vt explanauimus tractantes eumdem illum locum, necnon illum alium [n]; *quæcumque petierimus secundùm voluntatẽ Dei, audiet nos.*

h c.58.9.
i ps.10. secundùm Hebr. v.17.
k Esa.65.24.
l Marc.11.29.
m Iacobi 4.3.
n 1.Ioan.5.14.

Vers.7.] Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustáque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.

Paraphr.

Laus Hebræi populi similis positæ in præcedẽtibus duobus versibus, maximè in penultimo: nimirũ quia ceremonialia & iudicialia præcepta, cum vniuersa lege comprehendente cum istis etiã moralia, quæ Moses denuò distinctè propositurus ac expositurus erat, redditura erant percelebre nomen, famámque eiusdem populi apud alios omnes populos; qui licèt commendari cupiant & soleant ob instituta propria rerumpublicarum suarum circa cultum Dei, & ciuilem administrationem, nihil vnquam tale excogitare potuerunt. Tanti suas Iudæos leges fecisse testis

Philo

Philo[a] præ cæteris gentibus, quæ excolebant (non vero quidem oraculis præditus, eatque, discipulos à pueris statim animis circumfundebant earum explicitas imaginem & semper inuenendo admirabantur vt honestum eas. Iosephus[b] cur paucissime in Græcorum historiis de Iudæis mentio sit, causam reddit, quia maritimam regionem non habitabant, mercimoniis non gaudebant, alterorum peregrinationibus non fatigabantur: sed in ciuitatibus procul à mari morantes, regionémque vberrimam possidentes, in ea assidue laborabant, præcipuè circa filiorum nutrimenta studendo, legumque custodiam & traditionem pietatis, totius id operis vitæ necessarium iudicantes, [illegible]

a de legatione ad Caium.
b 1. contra Apionem.

Explanatio.

Quæ est enim alia gens sic inclyta.] Adhibuit Interpres nunc interrogationem, quam versu præcedente omiserat, vbi eam editiones reliquæ habebant: & inclytam gentem transtulit, quam ibi nationem grandem, cùm vtrobique sit גוי גדול *goi gadol*, עם רב *biam rab*, ἔθνος μέγα *gens magna*, siue populus. Inclytæ gentis epithetum denotat celebritatem nominis, famamque apud alios, aut quæ has cineteator ac laudem sum gloria, siue fulgorem famæ. Sic exempli causa, laudari dicitur nomen Dei inclytum[c], domus quam Domino Dauid ædificare cupiebat, magna nimis & inclyta[d]; Iosaphat diues & inclytus multum[e], necnon Ezechias[f]. Christus iustus & inclytus[g], &c. item terra[h], ciuitates[i], mons[k]. *Inclutum* aliqui[l] vsurpant nonnulli præterea *inclitum*. Duo prima à clyo, seu cluo, aut clueo, quod est celebrem esse, &c. vltimum esset à κλεος, quod importat celebritatem, famam, rumorem, gloriam, splendorem nominis; & Latine inclytus proferri deberet producta penultima. Et κλύω autem *audio* κλυτὸς valet cum cuius fama passim auditur, celeber est, & inclytus. Opponitur ei περίκλυτος, quod nomen ne Spiritui sancto tribuere videantur, paraclitū horrent profferre, quamuis non per υ, tenacitérque paracletum pronunciant, non habita ratione accentus Græci in antepenultima nominis παράκλητος: sed longæ vocalis e ex longa η. Legi in epistola Bellarmini nostri ad quemdam item nostrum, Paulum IV, bene in Græcis versatum voluisse scribi & proferri paraclitum reiecto accentu in antepenultimam; se vero cum corrigendis siue Biblijs, siue breuiariis atque missalibus adhibitus cum aliis esset, minime ausum contrariam sententiam sociis proponere, ne contradicere videretur tam pio doctoque Pontifici. Simile sono voci inclytus est ἐγκλητος: sed ratione scribendi, ac significato differens, *encletum* enim significat.

c 1. Par. 29. 13.
d 1. 22. 9.
e c. 18. 1.
f c. 32. 27.
Inclytus, Inclutus, & Inclitus quid, & vnde.
g Esa. 62. 2.
h Thren. 2. 2. Dan. 11. 16.
i Ezech. 26. 17.
k Dan. 11. 45.
l Tacitus l. 2.

Vt habeat ceremonias.] *Habere* vsurpat Interpres, vt versu priore, pro eo quod editiones aliæ, *à quod aliis esse*. & *ceremonias* pro Hebræo חקים *chukim*, Chaldæo קימין *keiamin*, Græco δικαιώματα. De quibus vocabulis actum aliàs; vt & de Latino atque de alio vocabulo *iustificationum*, quod Græco propriè respondet. Ceremonialia præcepta hic intelligimus, quæ ad religionem & cultum Dei spectant.

Præcepta ceremonialia hoc loci quæ.

Iustaque iudicia.] Chaldaicè *iudicia vera* דינין קשיטין *dinin kasitin*. Iustitia iudicialium præceptorum consistit in eo, vt sint vera, & conformia rectæ: licet id epithetū tribuatur iudiciis in alia notione acceptis; vt cùm cognominantur iudicia Dei vera[m]: & iudiciū verū fieri dicitur[n].

m Psal. 18. Dan. 3. 28. 31. Ioan. 8. 16. Apoc. 16. 7. 19. 2.
n Zach. 7. 9.

Et vniuersam legem.] Abulensis primùm declarat de moralibus præceptis tanquam de membro diuiso à ceremonialibus & iudicialibus hic antea nominatis; quæ expositio placuit Rickelio. Deinde admonet moralia præcepta communiter non consueuisse intelligi per legē; quia lex magis pertinet ad institutiones positiuas, cuiusmodi sunt ceremonialia & iudicialia præcepta. Quare concludit melius: hic accipi legem pro tota congregatione omnium præceptorum cuiuscumque generis, siue moralia, siue ceremonialia, siue iudicialia sint, ita vt positis illis præceptis ceremonialibus & iudicialibus, specialiter subdantur omnia nomine communi legis, quæ vocatur hic etiam vniuersa. In editionibus aliis tollitur hæc dubitatio (*iuxta omnem legem hanc*. כְּכֹל הַתּוֹרָה הַזֹּאת *chechol hattorath hazzoth*, בכל אוריתא הדא *chechol oraitha hada*, κατὰ πάντα τὸν νόμον τοῦτον. Sensus autem est; præcepta ceremonialia & iudicialia tradita esse iuxtà, & prout continentur in lege mox recitanda; quæ licèt contineat etiam Decalogum qui est de moralibus; multò tamen plura sunt alia: & quia moralia sunt communia, videtur lex magis propriè accipi quatenus tradit magis positiua & specialia præcepta.

Lex hic, vniuersa, continet præcepta omnia, quæ illa ibi cumque complectitur.

Quam ego proponam hodie ante oculos vestros.] Potuit vertere (*propono*) seu (*pono*) vel (*do*) quia δίδωμι est *do*, נֹתֵן *nothen*, & יָהֵב *iaheb*, *dans*: cui participio iungi potest substantiuum verbum cuiusuis temporis. Hoc est Deuteronomium, idest, lex secunda: quoniam olim in Horeb, vt mox hîc subditur, data fuerat Moysi à Deo lex. Denique pro vltimis tribus dictionibus legit Rickelius (*in conspectu vestro*) atque ita sæpiùs reddi solet לִפְנֵיכֶם *liphnechem*, קֳדָמֵיכוֹן *kodamechon*, ἐνώπιον: & quidem rectiùs quàm *ante oculos*: Hebræa namque vox & Græca, *ante faciem*, *faciésve* denotant: Chaldæa *coram*, *ante*, *in conspectu*, &c. Si propriè loquimur, lex aliúdve quod dicatur, non dicitur proponitúrve antè oculos, sed auribus eorum qui adsunt, seu in conspectu & præsentia eorum qui audiunt.

Vers. 9.] Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicitè. Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos.

Attentos reddit ad excipiendam auribus legem, & cautos ac solicitos in ea tum retinenda memoriter, tum quod præcipuum est, exactè obseruanda: quoniam inde pendeat vitæ etiam corporalis conseruatio, & periculorum declinatio. Ad quod quoque conferre admonet meminisse quantis cum signis ac prodigiis initio data lex fuerit in Horeb, & quantus incussus terror, vt verus illius temporis populus ferre non posset loquentem Deum immediatè, sed efflagitaret à Moyse, vt ipsemet loqueretur[a]. Cùm debuisset dicere, ait Caietanus, hoc solùm superest, vt curam habeas seruandæ legis, dixit, vt curam habeas seruandi teipsum & animam tuam, monendo à proprij mali periculo. Quemadmodum enim in principio proposuerat præmium obseruationis legis, vitam præsentem, per euasionem à mortis meritos; ita nunc ad traditionem legis descendens, ex eodem capite monet, vt caueant sibi à morte: animam ponendo pro vita. Lyranus referri putat hoc præceptum ad munditiam cordis & corporis, quam diuina familiaritas requirat, de qua proximè mentio facta est. Abulensis vult præterea prohiberi idololatriam,

PARAPHR.

a Exod. 20. 18. & seqq.

quæ videlicet immunditiam admixtam habere solet; vt idcirco immunditia tum ab effuso sanguine vetita[a] sit; tum à stercoribus[b]. Simplicior ac verior sensus est quem primo loco attuli de custodia legis in vniuersum, non præcisè de cauenda idololatria. In fine autem commendat Moses institutionem atque doctrinam filiorum & nepotum.

Custodi igitur temetipsum.] Hebraicè, & Chaldaicè (*tantùm custodi temetipsum*, רַק הִשָּׁמֶר לְךָ *rak hiſſcamer lecha*, לְחוֹדוֹהִי אִסְתְּמַר לָךְ *lechodiſthemar lach.*) Sic priùs[c] quod legitur (*en populus sapiens*) & Græcè ἰδοὺ in Hebræa Chaldæáque editione erat (*tantùm*, siue *solum*) iisdem modò dictis vocibus. Quo pacto significaretur exigi summam curam quasi hæc vna sufficeret, aut cuiuis alteri præferri deberet. Græcus textus absque simili particula est iste, πρόσεχε σεαυτῷ, *attende tibiipsi*. Hieronymúsque[d] alicubi legit Latinè (*attēde tibi.*) De hac breui sub his verbis sententia extant Patrū vel homiliæ, vel tractatus, vt Zenonis[e] Veronensis, Basilij[f], Ephrē[g], Esaiæ[h] abbatis, Antiochi[i] abbatis: quamuis qui primis duobus ascribitur sermo, vnus ac idem sit, Basilio autem Zeno antiquior: & alij non tam declarent propriè locum istum, quàm varia edant documēta de iis in quibus attentos & attendentes nobis esse nos volunt. Basilius porrò, aut Zeno, commēdans dicti breuitatem, & vtilitatem, tum sanis, tū ęgris, seu & iustis, & peccatoribus; citat (*attende tibiipsi, ne quando fiat verbum occultum, in corde tuo, iniquitas*,) & eius rationem assignat, quoniam facilè admodum labimur in peccata, quæ vel cogitatione admittuntur; & maxima eorum pars perfici solet subitario & acri motu propositi, aut cogitationis improuisæ: & medicinæ more imbecillior pars præmunienda sit, qua proniores ad peccandum sumus. Denique morbos animi & corporis inter se rectè comparat, quámque illi faciliùs contrahantur, curētur difficilius: & quòd brutis natura prouiderit remedia necessaria & opportuna; homini non item: sed quod illis naturæ beneficio, nobis Deus vel suffragio rationis per illud præceptum moneat faciendum; & mentis potius oculis quàm corporis, quia isti non sufficiunt; nec iubet Spiritus sanctus impossibilia: sunt autē vndique laquei tensi permulti, quos dorcadis instar circumspici oporteat vt vitentur. Attendit adhæc præcipi vt attendas tibiipsi, hoc est, non tuis, nō iis quæ circa te sunt; non carni, subsidiísve vel ornamentis eius; verùm animæ, quā ornes virtutibus; vitiis expurges: in examen teipsum aduocās quis sis, tuámque ipsius naturam noscens; quódque corpore quidē præditus mortali, anima verò immortali: & illius vita citò prætercurrat, istius nunquam intereat, de ista quàm de illa longè maior habenda cura; & de alienis minùs curandū, attendendum ad nostra & nos: postremò quòd ex vera & accurata tuiipsius notitia peruenire ad cognitionem Dei valeas: vt sic accipiatur illud; *mirabilis*[k] *facta est scientia tua ex me*. Sed sensus est quòd superet scientia de Deo vires nostras, vt[l] aliàs docui. Verba autem illa simul omnia sententię præsentis reperire nō potui, sed tantùm prima πρόσεχε σεαυτῷ, *attende tibiipsi*, in isto quidem ca. In 15.[m] autem pro verbis editionis nostræ: *Caue, ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo*; Græcè legitur πρόσεχε σεαυτῷ, μὴ γένηται ῥῆμα κρυπτὸν ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ἀνόμημα. *attende*, seu *caue tibiipsi*, *ne fortè fiat verbum occultū in corde tuo, iniquitas*. Antiochus docet quòd nulla nō in te æternam tuiipsius gerere curam, res quidem pctardua, sed salutaris, Deóque vel in primis accepta est: hócque mandatum in genere omnes cōcernit; quoniam talis qui est, peccatū omne vitabundus fugit; omnem virtutē & mandata Dei perficit; aliorum defectus quamlibet multifarienes, quasi nō videat, neglectim transmittit, quippe qui aliorum securus, sui tantùm ipsius attentam curā obit, mentem habens per hoc ad Deum vniformiter arrectam: talis sibi tēperat, séque remolitus ab vniuersis terrenarum rerum negotiis; eóque sublimiter mentem attollit ad cælestia, & æternùm duratura. Deinde recitans ex loco posteriore, *attende tibiipsi, ne fortè fiat in corde tuo verbum quod occultet quidpiam flagitij*, declarat, ne curiosè & superuacaneè confictis argumentis tibiipsi blandiatis, magis antē dies transmittito vitæ istius tuæ citra vllius simulationis fucum. Adiúgit alia monita Scripturarū, vt attēdat quis sibi, ne postquam comederit, & saturatus fuerit, obliuiscatur Domini Dei sui[a]: ne derelinquat Leuitam[b], id est, ministros Domini & Sacerdotes, vt omni custodia seruet cor[c]: videat quomodo cautè ambulet[d]: attendat (si pastor est) sibi, & vniuerso gregi[e]: & quiuis à falsis prophetis[f]. Quibus addi possūt adhuc aliqua loca[g], quæ attentionem sequitūr, súntque de re maioris momenti. Ambrosius[h] vsurpat istam sententiam, vt quemlibet hortetur hominem, vt noscat seipsum (iuxta id, γνῶθι σεαυτὸν) *quod non*, inquit, *vt ferunt Apollinis Pythij, sed Salomonis sancti* (nota quo pacto Salomōnem vocet sanctū) *est, qui ait*[i], *nisi te scias, ò formosa in mulieribus*. Quod ipse de anima interpretatur; quæ non terrena, sed cælestia, non corruptibilia, sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non soleat. Adiicit ex Matthæo[k]; *attendite vobis à falsis prophetis: qui animam debilitāt, mentem submittunt*. Postea scribit attendendum tibi soli, non tua, & quæ circa te sunt (imitatur citatum Basiliū, feréque omnia perstringit) quia sumus anima & mens (Platonicè vtcumque id dicitur) nostra sunt corporis membra & sensus eius; circa nos pecunia est, serui, vitæ istius apparatus: proinde attendendū tibi, & vt teipsum scias; hoc est, nō quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quātam potentiam; sed qualem animam ac mentem, vnde omnia cōsilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur: illam enim esse plenam sapientiæ, plenam pietatis atque iustitiæ; quoniā omnis virtus à Deo est. Rursus[l] copulans huic locum illum alium citatum ex Cantico Canticorū; & ab Ethnicis tritū (*nosce teipsum*) ad illum iubet tota intentione vt festines, ex cuius inspiratione consistis, & ad cuius formatus imaginē similitudinémque[m], quo nihil magis pretiosum potest esse. Verùm perlege auctorem vtrúmque Basilium (qui Zeno ab aliis, vt retuli, dicitur) & Ambrosium, præcipuè in opere hexaëmeron[n]. Citatis auctorib. vetustior Clemens[o] Alexandrinus docens quòd ex facto Abraham, qui vocantem secutus est Deum[p], hausit quidam ex Græcorum sapientibus illud dictū (notauit id etiam Ambrosius[q]) *sequere Deum*, ἕπου θεῷ, & quædam eiusmodi proferens apophthegmata Ethnicorum sapientum ex Scripturis diuinis prompta, inter hæc simile nostro facit (*nosce teipsum*, γνῶθι σεαυτὸν) & à Moyse sæpiùs repetitum notat. Infert autem quòd ex hac suiipsius cognitione, & fratris qui similis est nobis, venitur in cognitionem Dei, sicque iste diligitur super omnia, ille sicut nos[r] ipsi. Eo in loco Clementis parci potuit scholio inter collectanea de verbis c. 15. libri nostri secundùm editionē Græcam differentibus à nostra; quoniam Clemens profert duntaxat (*attende tibiipsi*) quæ sunt in hoc cap. 4. Cæterùm

Explanatio.

Suiipsius cognitio.

Quàm illa vtilis & necessaria.

a Num. 35. 33.
b Deut. 23. 12. & seqq.
c v. 6.
d in Abdiā sub initium.
e tom. 2. biblioth. Patrum post sermonem 15.
f hom. 3. ex diuersis.
g tomo 2. pag. 56. & seqq & pag. 85.
h ora. 27.
i hom. 61.
k psl. 138. 6.
l ibidem.
m v. 9.

a Deut. 6. 12.
b c. 12. 19.
c Prou. 4. 23.
d Eph. 5. 15.
e actuum 20. 28.
f Matth. 7. 15.
g Deut. 4. 9. Tob. 4. 13. psl. 77. 1. Pr. 4. 1. c. 5. 1. Matth. 6. 1. Lucæ 12. 1. c. 17. 3. c. 21. 34. 1. Tim. 4. 13. 16. & alibi.
h 6 hexae. 6. 7. & 8.
i Cant. 1. 8.
k Matth. 7. 15.
l in psl. 118. octona. 8. & 10.
m Gen. 1. 26. 27.
n 1. 6. c. c. 8.
o 2. Stro. c. 7.
p Gen. 12. 4.
q 1. de Abraham c. 2.
r Matt. 22. 37. 39.

tùm quæ circa Cantici Canticorum allata verba disseruntur ab Enarratoribus de vtili necessariáque sui metipsius notitia, valdè conferunt ad eorum quæ tractamus intelligentiam. Ibi præsertim legendus Nyssenus [a]; qui huiusmet loci nostri facta mentione (sicut & oratione de mortuis) propemodum eadem habet quæ frater Basilius, & Ambrosius: in summa verò definit, tutissimam nos conseruandi rationem esse, seipsum non ignorare, neque aliquid aliud, quàm quod in se est videntem, existimare seipsum aspicere, & impossibile esse vt custodiat quispiam id quod nescit. Denique concludit. *Attende ergo semper tibiipsi: & non errabis circa gregem hædorum, neque efficieris hædus pro oue in tempore iudicij* [b]: *neque segregaberis a statione ad dexteram, sed audies iucundam vocem, quæ dicit lanigeris & mansuetis ouibus: Venite benedicti Patris mei*, &c. Philo [c] disserens de Abrahæ digressu ad præceptum Dei ex patria [d], & cognatione, idest, à corpore, sensibúsque; tandem perinde id esse affirmat ac si quod Moyses non semel docuit, dictum fuisset ipsi, *attende tibiipsi*, illúdque aliud, *nosce teipsum*, nam ita senties, ait, cui obedire aut imperare debeas. Testis [e] item est, quod agnoscere suam ignorantiam finis est scientiæ: & [f] quod Socratem ferunt vsque ad senectutem in hoc præceptum; *nosce teipsum*, incubuisse; omissa reliqua Philosophia. Admonent verò te etiam istiusmodi sententiæ vt seruare in primis teipsum studeas, & conitaris deinde, si licet, alios. Quam ad rem facit quidam ex Sanctis, vt loquitur [g] Suidas, nomen haud exprimens, qui dixit; *non à nobis omnibus postulari vt alios seruemus, sed vt nosmetipsos seruemus omnino postulari*, ἄλλως ἢ πάντας ἀπαιτούμεθα σῶσαι· ἑαυτοὺς δὲ πάντως πάντες. Refert item ex alio σῴζων σῶζε τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. *seruans serua animam tuam*: & ex Propheta [h], nomine Dei; *cùm iustus à sua iustitia se auerterit vt iniustè faciat*, &c. Huic demum loco possunt conferre quæ tractantur à Bernardo de consideratione: tum verò quòd Eugenio quatuor consideranda proponit [i]; ipsummet; quæ sub ipso; quæ circa ipsum; quæ supra ipsum. *A te, inquit, tua consideratio incipit, ne frustrà extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundũ lucreris, te vnum perdens* [k]? *Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò? Vt quidem senserim ego, totum. Noueris licèt omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium.* Ad idem pertinet admonitio Sapientis [l], vt omni custodia serues cor tuum, quia ex ipso vita procedit; idest, accuratius quàm alia omnia, etiam quàm thesaurum, cum quo cor Christus comparat [m], quique à draconibus visu pollétibus custodiri dicitur, sed ab horum capitibus præcisis dum dormiunt draconites preciosus lapillus cordis gerens formam, ita vt *Encardia* ideirco appelletur, vel *cardisce*, extrahi [n]; item plusquam paradisum, qui custodiendus primo hominum traditus est [o], deinde Cherubim cum flammeo & versatili gladio [p]. Citat de hac similitudine Marcum [q] eremitam Salazar [r] noster: vbi præter istum custodiæ modum, vt sit præ omni alia, affert quatuor alios; vt sit custodia maxima, & similis corporeæ structuræ cordis tutissimæ per tunicam interiorem, quã vocant pericardium, pérque costas & pectus instar murorum [s]: vt nullum prætermittatur custodiæ genus, præsertim quali vtimur in asseruanda arca, in filio intra fores clausas continendo; in reis car-

a hom. 2. in Cant.
b Matt. 25. 32. & seqq.
c de migra. Abraham.
d Gen. 12.
e ibid.
f L. de somnus.
g verbo ἑαυτόν.
h Ezech. 18. 24. 26.
i lib. 2.
k Matt. 16. 26.
l Prou. 4. 23.
m Matt. 12. 35.
n Plin. l. 37. c. 10. Isid. 16. etym. c. 13.
o Gen. 2. 15.
p ibid. c. 3. 24.
q opusc. de parad.
r in Prou. 4. 23.
s Plin. l. 11. c. 37.

cere coërcendis [a], in custodiendo castro [b], vt per quatuor vigilias pueritiæ, adolescentiæ, virilitatis, senectutis adhibeatur isthæc sollicita custodia: vt ex omni specula, idest, virtutis cuiusuis exercitatione, præsertim verò prudentiæ. Extat elegans Italico idiomate sermo Cornelij Mussi Episcopi Bituntini de sui ipsius cognitione; in quo multis verbis tractat & exaggerat præsentem locum, asseritque mille circa duo ista vocabula, *attende tibi*, componi libros posse, nectit autem eadem cum illis Esaiæ [c], *dispone domui tuæ*.

Et animam tuam.] Repetunt editiones aliæ verbum *custodi*, cum coniunctione (*& custodi*, ושמר *vshmor*, נצר *vetsar*, καὶ φύλαξον: sed in priore membro erant השמר *hisschamer*, שמור *isthemar*, πρόσεχε. Hieronymus autem quodam [d] alio loco legit (*& conserua* &c.) Custodiæ animæ conueniunt quæ paulò antè dicta sunt de custodia cordis, immò de custodia totius hominis, qui vt nonnullos loquentes audiuimus, animus est ac mens, non caro vel corpus, idest, eam habet præcipuam partem, quæ meritò denominationem homini toti tribuit: & quæ per se ac potissimùm custodienda & curanda est; vtpote quæ vitam homini propriam det, & ex qua eiusmodi vita procedat, multo magis quàm corporea ex corde carnali. Distinctio Abulensis [e] non est admodum necessaria, vt custodire scipsum spectet ad totũ hominem, qui est suppositum & persona, & cui competit agere; cauere autem hîc, ne quid agat inhonestum exequendo per organa, vt offerendo, vel se idolo inclinando: custodire animam, cauere non ne agat, sed ne iudicet faciendum, id est, immolandum. Vtrumque synonymum est; nec minùs tribui solet toti humano supposito siue personæ iudicare & intelligere, quàm agere; cùm etiam intelligere sit quoddam agere, & [f] Aristoteles doceat ita loqui vt dicamus non animam, sed animã hominem addiscere, cogitare, &c. Sed neque restringendum videtur præceptum ad idololatriam cauendam.

Solicitè.] Secundùm reliquas editiones (*valdè*, מאד *meod*, לבדה *lechda*, σφόδρα,) quemadmodum etiã v. 15. (*custodite igitur solicitè animas vestras.*) Sollicitudinem finit Cicero [g], ægritudinem cum cogitatione. Siue scribas *solicitare*, siue litera gemina *sollicitare*, arbitrantur aliqui esse velut è solo, quod est ex suo loco citare, aut mouere, aut solùm, idest, multùm crebróque exercere & ciere: aut solum, hoc est, terram ciere. Nam apud Virgilium [h] sollicitanda tellus legitur, apud Tibullum [i] & Ouidiũ [k] humus sollicitata; & forma simili apud Claudianũ [l] remis aquæ sollicitatæ. Dicitur quoque mare sollicitũ [m]: sollicitari spicula [n], seu tela [o]. Denique impulsio importatur, & quidem molesta & anxia.

Ergo, ait [p] ille, sollicita tu causa pecunia vitæ es.

Et alius [q],

Res est solliciti plena timoris amor.

quod amori inhonesto peculiariter conuenit; quẽ ociosæ causam sollicitudinis vocat Seneca [r]: & Apuleius [s] cum tristitia ancillã Veneris. Suspiciosè obseruare, & sollicitè seruare dixit Nonius. Thomas [t] Iorgius animæ tribui nomen vnicæ cõsiderans, cùm oratur [u], *restitue animam meam, à leonibus vnicam meam*; docet, quia vnicam quisque habet, debere magis esse sollicitũ circa custodiam eius, ne vna perdita, omni careat. Id autem confirmat loci præsentis verbis. Admonemur quoque ista sententia, quam Deus exactam rationem sit repetiturus de nobis, animáque nostra, vsque ad ociosum verbum [x]; & ad omissiones. Sollicita Martha turbabatur erga plurima, cùm sit vnum necessariũ,

a Richard. Victor. de claust. monach.
b Bern. ser. 46. ex paru.
c c. 38. 1.
Anima custodia.
d In Abdiã sub initiũ.
e q. 4.
f 1. de anim. t. 64.
Sollicitudo quid, & vnde.
g Tusc. 4.
h 2. Georg. v. 418.
i l. 1 eleg. 7.
k 4 Fastor.
l l. 1 rapt.
m Virg. 1. Georg.
n Idem 11. Æneid.
o Ennius 15. annal.
p Prop. l. 3. eleg. 6.
q Ouid. in epist.
r in Octau.
s in Florid.
t in ps. 34.
u ps. 34. 17.
x Matth. 12. 36.

circa quud versari debeat sollicitudo [a], vt sollicitè ambules coram Deo [b]: & sollicitè cures teipsó probabilem exhibere Deo operarium [c], & seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis [d]: caueas verò ne sollicitus sis quid manduces & bibas, quóve vestiaris [e]: attendas ad pericula, occasiones, laqueos innumerabiles peccatorum, quos per mundum totum tensos vidit Antonius.

a Lucæ 10. 41. b Michæ.6. 8. c 2.Tim 2. 15. d Eph 4.3. e Matth.6. 25.

Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui.] Iuxta editiones alias (*ne fortè*, seu *ne quando*) פֶּן *pen*, תִּשְׁכַּח *dilma*, μήποτε.) Ad hoc iuuat ac refertur siue præceptū, siue monitū de custodiendo seipsum & animā suā sollicitè siue valde. Satis cōmunis interpretatio est de signis terribilibus, quę visa fuerant quādo lex data est in Horeb, siue in Sina; & cūctus populus narratur vidisse voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur: & ait Moyses ad populum; nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis* [f]. Videri verba dicuntur aut de sermonibus qui tunc prolati sunt præsente populo, & ab illo auditi, sumendo sensum visus pro sensu auditus, quemadmodum alibi accipitur pro eodem sensu, nec non pro aliis; aut de rebus quæ gestæ sunt cùm lex data est, iuxta non infrequentem notionem vsúmque verborum pro rebus. Quo pacto pastores dixerunt [g]; *videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Hieronymus iam pluries prolatus, declarans cur Abdias orsus sit nomine visionis prophetiam cùm nihil memoret visum, de hoc loco libri nostri sumit argumentum legens, *ne fortè obliuiscaris sermonum quos viderunt oculi tui*: præterea ex epistola Ioannis [h]; *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ*: item quoniam Moyses vocem Domini, qui ad eum loquebatur, vidisse se dicit. Etsi verò mortui iā essent in deserto qui ex Ægypto egressi fuerant ab anno ætatis vigesimo & supra: tamen & alij superesse poterant infrà illam ætatem egressi; & quia posteri censebantur idem populus cum eo qui egressus fuerat, dicuntur vidisse quod viderant maiores ipsorum.

Videndi verbi phrasis quæ. f Exo.20.10. 18.19.20. g Lucæ 2. 15. h 1.epi.1.1.

Et ne excidant de corde tuo.] Videtur hoc idem cum præcedente membro, videlicet ne obliuioni tradantur signa & prodigia edita cùm lex lata est, ac proinde nec ipsamet lex & præcepta. Cor pro mente aliquoties accipitur in libris sapientialibus præsertim, & in aliis: custodiri etiam in corde, vel describi præcepta in tabulis cordis [i], suscipere illa, & custodire in medio cordis [k], ligare in corde [l], est retinere memoriter; sicut & commemorare in corde [m], est meminisse, reminisci, recordari. Hoc vltimum à corde descendit; quamuis ἐμφατικώτερον videatur affectum cordis insinuare cū quo quis reminiscatur. Itali quoque vsurpant, *ricordarsi*, & *scordarsi*, Hispani, *acordarse*; Galli, *sçauoir par cœur*. De memoria tenaci diuinæ legis procurands recurret sermo inferiùs hoc ipso libro [n]. Caietano placet hoc membro contineri, vt in parte animæ affectiua non interueniat casus; priore, vt in parte memoratiua obliuio; quia nisi illa visa seu signa, prodigiaque & in memoria seruentur, & in affectu vigeant, facilè periculum vitæ incurritur. At prior sensus de eadem memoria melior; tametsi bonus quoque affectus requiratur erga præcepta.

Cor pro mente. i Prou.3.3. 3.c.7.3. k c.4 4.21. l c.6.21. m Sapien.8. 17. n c.6.6.& seqq.

Cunctis diebus vitæ tuæ.] Tamdio namque præcepta seruanda, & lex, quamdiu vita; immò longitudinem dierum, & annos vitæ cum pace lex custodita apponit [a], immò est lignū [b] vitæ, vitaque animæ [c], & multiplicat annos vitæ [d]: eruditio itē hæc & sapientia, vitam tribuit possessori suo [e]. Anni & dies vitæ vel denotant rectam valetudinem: quoniam anni diésve languoris, mortis potiùs quàm vitæ merentur nomen: vel integram vitæ periodū, quam annis 70. definit Dauid [f]: vel vitam æternam. Hoc loco intelligitur spatium præsentis vitæ: & quòd non quidem siue interpolatione, vt Rickelius loquitur, oporteat actualiter præcepta reminisci, sed vt semper habitualiter insint memoriæ, & actualiter omni tempore opportuno: & quia valdè expediens est, vt assiduè recolantur; quatenus secundùm ea totam nostram conuersationem regulemus ac dirigamus. Similis intelligentia de semper orando, siue de continua perpetuáque oratione, vt aliàs dictum est.

a Prou.3.2. b v.18. c v.22. d c.4.10. Anni & dies vitæ quid. e Ecclæ.7. 13. f psl.89.9.

Docebis ea filios, ac nepotes tuos.] Pro nepotibus habent hîc & aliis locis [g] editiones aliæ, *filios filiorum*: & alibi [h] per circumlocutionem, *eos quos filij pepererunt*: nonnumquam [i] sunt Græcè ἔγγονα, vel ἐγγόνοι [k]. Semel præterea [l] extat, *filia filij, & neptis ex filia*, vbi secundo loco in aliis editionibus est *filia filiæ*: vertíque potuit, *neptis ex filio*, aut *ex filia*. Docui aliàs [m] abuti aliquos nepotis vocabulo, vt significet ex fratre filium, aut ex sorore, ac eodem pactu neptis nomine; cùm propriè nepos sit natus ex filio vel filia; neptis nata ex filio aut filia; quòd, vt ait Festus, patri pòst nascantur quàm filius vel filia. Dixi quoque de aliis notionibus pro posteris, & omnibus inferioris gradus liberis, tum pro luxuriosæ vitæ hominibus. Consule indicatum commentarium nostrū, eósque quos in illo laudaui. Vbi quod attuli ex Columella [n] nepotes dici palmites qui viti adnascuntur, sicque inter homines censeri nepotes non qui genus instituerint, sed tanquam à stirpe surculi adcreuerint, illustrari potest Iuliani [o] apostatæ sententia; quemadmodum in plantis verisimile est diffundi qualitates quàm longissimé, latissiméque, atque etiam in totum ea quæ gignūtur similia nasci iis vnde orta sunt; sic etiam in hominibus credendum, nepotum mores auitis affines esse solere. Quibus porrò contingit vt nepotes videant, plus amare solent quàm filios, vtpote per quos propagari & suum genus, & mores cernant. Sic optabat ille apud Virgilium [p],

—*Liceat superesse nepotem.*

& Laërtem describit Homerus [q] cura impensiore Telemachum amantem nepotem: apúdque Calabrum [r] Thetis coram gerit nepotis Æneæ, vt qui filius esset Veneris. Et de suo auo suauiùs amante nepotem cecinit alius [s],

Nec tædebit auum paruo aduigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.

Auus quidem quasi bis pater, quem אַב *ab* valet, bis quoque ac dupliciter amare, quod אָהַב *ahab* significat, censetur. Sed & in solatium quoddam naturæ concessum videtur primis sæculis, teste Epiphanio [t], vt filij parentibus superuiuerent: primum verò ante Aram filium mortuum esse Thare notat; quoniam primus idolorum fictor habetur. Meminit verò etiam nonnullos non aliam admisisse resurrectionem, quàm quia censerentur veluti viuere rursus parentes in filiis. Inter felicitatis argumenta de Iob proditur post tot calamitates, quòd viderit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationē [u]. Vbi quidam [x] non distinguunt filios à filiis filiorum, sed

Filij filiorum pro nepotibus. g Gen.46. 7.Exo.10.2. c.34.7.Deu 4.25. c.6.2. Iud.12.14. 4.Reg.17. 41. 1.Par.8. 40. Prou. 13.22. Nepos quis. h Gen.31. 43. i Eccli.40. 15.c.44.11. c.45.16.c. 47.25.Esa. 65.23.1. Tim.5.4. k 2.Mach.1. 20. l Leu.18.10. m ibidem. n l.3.c.6. o in Misop. p 10.Æne. q Odyss.16. r lib.12. s Tibull.l.2. eleg.5. Auus quid. t 1.contr. hæres. u Iob 42. 16. x Pineda.

sed nepotes intelligi per filios, eosdemmet verò A figura expositionis per filios filiorũ. Quod equidem non video quàm sit probabile. Vocant vno nomine nepotem Hebræi נֶכֶד neched, Græcè, υἱωνός, vel ἔγγονος; neptim υἱωνή, vel ἐγγόνη, vel θυγατριδῆ: de quibus Græcia vocabulis, & similibus Pollox [a]. Infert Hugo curam habendam domesticorum, ne qui negligit, fidem negasse, & infideli deterior videatur [b]: esseque hîc argumentum quòd teneamur docere familiam. *Quanta*, inquit David [c], *mandauit Dominus patribus nostris nota facere ea filiis suis: vt cognoscat generatio altera: filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Quanti porrò referat filiorum ac nepotum bona institutio, & educatio, satis per se constat, & aliàs non semel ostensum est; & Solomon [d] gloriatur se à suismet parentibus edoctum; quod qui B facerent parentes, longè honorabiliores Aristoteles meritò censebat iis, qui solùm generarent; quia hi viuendi; illi benè ac beatè viuendi auctores essent. τῶν γονέων τοὺς παιδεύσαντας ἐντιμοτέρους εἶναι τῶν μόνον γεννησάντων. τοὺς μὲν γὰρ, τὸ ζῆν, τοὺς δὲ, τὸ καλῶς ζῆν παρεσχηκέναι. Ipsemet Philosophus [e] sentit matrum esse τὸ θρέψαι, *educare ac nutrire*; patrum τὸ παιδεῦσαι *erudire*, atque *instituere*. Latiùs extendi hoc argumentum posset ad Scholarum, Academiarumque institutionem, de qua cùm alij propriis tractatibus, vt Middemorpius; tum, licèt obiter, sed grauiter, Ioannes [f] Chokier.

a lib. 3. c. 2.
b 1. Tim. 5. 8.
c Ps. 77. 5. 6.
Liberorum bona institutio & educatio quanti referat.
d Prou. 4. 3. 4.
e li. 1. œcon. cap. 3.
f lib. 1. thesau. Politic. aphor. c. 11.

C

Vers. 10.] A die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, vt audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore quo viuunt in terra, doceántque filios suos.

Vers. 11.] Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum: erántque in eo tenebræ, & nubes, & caligo.

Paraphr.

MVnus illud filios ac nepotes docendi com- D mendans & inculcans Deus per Moysen de lege tradita, déque admirandis prodigiis, quæ in eiusdem traditione interuenerunt, iam tunc seu ex eo tempore incepisse admonet Moyses, quando in Horeb siue in Sina iussit Deus populum conuenire, ibique sisti, vt legem exciperet cum ingenti terrore, eadémque vehementiùs perculsus & ipse illam exactè semper seruaret, & vt filij ac posteri pari diligentia seruarent exemplo ac doctrina curaret. Prodigiorum verò illius temporis colligit hanc summam; vt iusso populo ad montis remanere radices, nec ascendere sub mortis interminatione, interim existerent altissimæ flammæ, quæ attingere cælum videbantur, sed obscuritate quadam circumfusæ tenebrarum, nu- E bis, caliginis, ad maiorem terrorem incutiendum. Narrantur hæc fusiùs in Exodo [g], & nonnulla in epistola ad [h] Hebræos; vt ad excipiendam legem sanctificaret Moyses populum, sina præpararet inter alia per abstinentiam ab vxoribus, multóque magis ab alienis, hodie; & cras; & lauarent vestimenta; & expectarent die tertia descendentem Dominum super montem Sinai; constituens verò illi terminos per circuitum, pro- A hiberet ne ascenderent, vel ipsi, vel iumenta seu bestiæ aliæ, nec tangerent montem, ni mori vellent & lapidari; ascenderent verò, motis castris versùs radices montis ad terminos qui constituendi erant, cùm buccina signum daretur (nisi fortè ironia est, vt ascendant tunc si ausint:) audita tertio die tonitrua, micuisse fulgura, nube densissima opertum montem; clangorem buccinæ vehementiùs perstrepuisse; timuisse populum in castris; inde eductum à Moyse in occursum Dei tanquam subditos stetisse inter castra & præfixos terminos, vt videre ac audire deinceps posset, sed adhuc ad radices montis: cùm totus mons fumaret quasi de fornace, sonitúsque buccinæ cresceret in maius, & prolixiùs tenderetur, B vocato in cacumen Moysi præcepisse Dominum, vt moneret populum ac sacerdotes ipsos, ne transcendo terminos, ascendere auderent, sed solus ipse, & Aaròn: quando distinctè proferebantur legis præcepta; visas à cuncto populo voces & lampades, & sonitum buccinæ; montémque fumantem ac terribilem, id est, motum: cúmque præ ingenti pauore stans de longè populus postularet à Moyse, vt loqueretur ipse, non Dominus, Moysem dixisse ne timerent, quia vt probaret eos venisset Deus, & vt terror illius esset in ipsis, & non peccarent. Itaque septem in eo monte contigere terribilia, tremor totius montis, de quo Psalmus 67 [a]. & cap. 19 [b]. Exodi iuxta Chaldæam translationem, & editionem Hebræam, quæ pro terribili motu, reddunt quòd totus C contremuit: & Paulus [c] vocans montem tractabilem, id est, tactum à Deo: ignis & fumus: tonitrua & fulgura: caligo densissima: pluuia & procella [d]: sonus buccinæ quem Angelus formauit: vox etiam Angeli in morem tubæ horribilis, qua Decalogus proclamatus est. Quomodo autem probare Nyssenus [e] possit ex Mosaica Scriptura non video, ipsummet Mosem huiuscemodi visis ita perculsum, vt celare minimè valeret, sed vel corporis ipsius motibus commotum se patefaceret, cùm non tantùm per oculos, verùm etiam per aures terror animos inuadebat, & sonitus desuper veluti buccinæ aut tubæ disrumpere subiecta locorum spatia videbatur. Moses potiùs narratur pauore perterritum populum, & ad D se confugientem confirmauisse [f]. Attendit fortassis Nyssenus ad Apostoli [g] verba, quibus affirmauit ita terribile fuisse quod videbatur, vt Moyses dixerit, exterritus sum, & tremebundus. Ibi Caietanus, quia qui ipse timet ac tremit, parum aptus est ad exhortandum alios ne timeant, vt fecisse Mosem audiuimus; asserit hunc, quando populum animabat, commemorasse non timorem suum cùm lex data est, sed id quod acciderat sibi in rubo; vbi, teste etiam Stephano [h], tremefactus non audebat considerare: siue, vt est in Exodo [i], *abscondit faciem, nec ausus est aspicere contra Deum.* Quasi diceret; ego quoque aliquando exterritus fui, & tremebundus, & tamen superuixi, nec aliud quidquam mali sum passus: vos E ergo etiam ne timeatis. Eadem opinio est Aquinatis & Lyrani de timore in rubo. Atqui textus Græcus habet nomina cum verbo substantiuo præsentis temporis, ἔκφοβός εἰμι, καὶ ἔντρομος, & Syra translatio verba eiusdem temporis (*timeo ego, & tremo ego*, aut *timens ego, & tremens ego*) אנא דחיל אנא ורתית *dechil ana, verathith ana.* Non est autem opus recurrere vel ad aliam literam cum Aquinate, quã nunc non habemus, quia tempore Apostolorum non extabat alia versio Græca

g c. 19. & sequ. c. 20. 1. & ...
h c. 12. 18. 19.
a vers. 9.
b vers. 18.
c Heb. 12. 18.
d ibidem & Ps. 67. 9.
e de vita Mosis.
f Exod. 20. 18. 19. 20.
g Hebr. 12. 21.
h act. 7. 32.
i cap. 3. 6.

præter LXX. quia Paulus vtitur: vel eum Claudio, quòd dixerit, id est, dicere potuerit; tenera enim scribitur dixisse: vel eum aliis ad reuelationem factam Paulo; quoniam non est necessaria: sed habuit id ille per traditionem; quemadmodum in 2. ad Timotheum [a], quæ essent nomina magorum Pharaonis; vel ad Caluini commentum, veriti traditiones admittere; quòd Moyses non suo, sed populi nomine sic locutus fuerit (id affert vt probabile auctor alioqui Catholicus Andreas Crocquetius;) quia nec sic vitatur traditio, cùm afferri nequeat vbi scriptum sit hoc Moysen etiam populi nomine dixisse; Apostolus verò priùs de populo locutus, distinctè introducit Moysen loquentem de se. Multo minùs inde argumentari fas est cum Luthero, & aliis, apocrypham esse epistolam ad Hebræos: par enim ratio esset de modò dicta epistola ad Timotheũ 2. & præterea de epistola Iudæ, in quibus citantur nonnulla quæ sunt extra canonem Scripturæ. Idem Paulus [b] narrat apparitiones à Christo resuscitato factas plusquam 500. fratribus: Iacobo, Apostolis omnibus, &c. quæ tamen omnes non extant in Euangelio. Meminit prætereà [c] verbi Domini Iesu; *Beatius est magis dare, quàm accipere.* quod nullus Euangelista scripsit. Denique Innocentius III [d]. id affirmat in genere, nempe ab Apostolis suppleta, quæ omiserint Euangelistæ. Sed & Caiatano facilè respondetur; posse quempiam priùs timere ac tremere; postea verò colligere animum, ac seipsum & alios cohortari ad non timendum: quod vtrumque fecisse Philisthæos legimus, quando acceperunt allatam esse arcam in castra Hebræorum [e]. Certè citato loco epistolæ ad Hebræos communis expositio est Moysen cùm data est lex, timore correptum fuisse. Verba verò Mosis perinde suppleuit Paulus, vt alia quæ retulit, ac nominatim de turbine ac procella [f] in Sina cùm lex lata est, quod Exodus non satis expresserat. Populi timor longe maior fuit & pro seipso, & pro Moyse quoque, quem cùm abesset, putarunt ità Dei sublatum, vt scribit Iosephus [g], dicens quòd præter omnium spem exultans lætitia, vultuque ipso animum gaudio gestientem præferens, descendit. Quod non repugnat historiæ sacræ iratum inducenti Moysen, quando descendens reperit vitulum adoratum [h]; sed congruit tempori, quo post terribilia signa descendisse narratur priusquam iterum ascenderet, & ieiunus maneret per 40. dies. Nam vt mirabile narratur, quòd post ingentem illum panorem, pústque visum Deum in forma venerabili à Mose, Aaron, Nadab, & Abiu, & LXX. senioribus, nihil damni passi sunt, vt vulgò credebatur contingere iis qui Deum vidissent, sed vixerunt, & comederunt, ac biberunt [i]: Lege de nostris Enarratores epistolæ ad Hebræos Riberam, Salmeronem, Iustinianum, Cornelium, & ex aliis Andream Crequetium, Gulielmum Estium, Ludouicum Tenam. Eadem illa epistola reliquis prodigiis tractabilis montis, id est, à Deo contacti ac trementis, turbinis, caliginis, procellæ, tubæ, soni, vocis verborum, annumerat accensibilis ignis, pro quo mendosè quidam legunt vt epithetum montis qui dicatur accessibilis. Græcum namque participium est κεκαυμένῳ, & exponi posset *mons accensus*, propter ignem quo visus est ardere mons Sina, sine Horeb, vt hoc etiam loco dicitur: & in Exodo [k] Dominus Deus super montem descendisse in igne, & ascendisse fumus ex eo quasi de

A fornace. Hunc ignem fuisse verum, & non apparentem duntaxat, ambigendum non censeo; quamuis Abulensis oppositum sentire videatur hic, & in Exod. cap. 39. necnon in 3. & 13. tum quia sufficit, inquit, apparentia sola, quemadmodum in columna ignis [a], non autem in rubo, vbi miraculum erat quòd non combureretur igne præsente [b]: tum quia cùm videretur exire de ipso monte, oportuisset eu comburi arbores herbásque montis, nisi suspenderetur actio illius miraculosè. Præstat in mirificis eiusmodi operibus quidquid ad eorum requiritur veritatem concedere, etiamsi plura sint miracula, quàm eam negare, vel immouere. De columna ignis reperio multos docere solam ignis habuisse similitudinem propter lumen, ad cuius quoque

B solum vsum seruiebat: de igne super montem, cùm lex lata est, vt verus asseratur, persuadent vocabula fumi & fumandi, fornacis, ardendi, accensibilis ignis, &c. quæ hic, & citatis Exodi, ac epistolæ ad Hebræos locis, habentur: item quòd id passim omnes vt indubitatum ponunt; & nimirum vel ab Angelo aliunde allatum; vel à Deo productum siue ex aëre, siue ex quapiam alia materia; vel etiam creatum ab eodem. De igne physicè ac mysticè aliis in commentariis nostris non pauca inuenies; quámque frequenter Deus illum ad maiestatem suam declarandam adhibuerit. Imperatoribus ignem præferri solitum testis Herodianus [c] agens de Commodo, &

C Pertinace; de regibus Persarum Zenophon [d], atque Ammianus [e]: de Indorum Curtius [f]: de Imper. Constantinop. Codinus; cúmque reliquis præstet elementis, potentiæ, doctrinæ, gloriæ, felicitatis, vltæ symbolum est: Cyprianus [g] autem hoc igne montis, vt & tubi, vnà cum igneis linguis [h], designatum Spiritum sanctum scribit: Balsamon [i] ius ac priuilegium præferendæ lampadis solis Imperatoribus ac Patriarchis, gratia sacrosancti Spiritus ex antiqua consuetudine tributum. Ex indicatis auctoribus, quos priot protulit Iulius [k] Cæsar Bulengerus postliminio iam noster, colligitur ignem qui præluit Imperatoribus, lucernam fuisse; thuribulum Indiæ regibus; ignem in foculo regibus Persarum. Citat

D prætereà de Romanis Imp. [l] M. Antonium, & [m] Corippum; cuius est illud ad rem

——— *præunitus antè*

Signa dedit cursor posita de more lucerna.

Regium denique præsagium visa lambere Iüll seu Ascanij comas, flamma, & circum tempora pasci [n]; & Seruio Tullo dormienti in pueritia ex capite flamma emicans [o]; quibus consimilia exempla Cerda [p] noster annumerat. Vt meritò discipulorum verticibus velut sacris & regiis insederit Spiritus sanctus ignearum linguarum forma [q]; qu od pluribus exposuit noster in actus Apostolorum commentarius.

A die, in quo stetisti coram Domino Deo tuo.] In

E textu Glossæ, & Hugonis est (*diem in quo*, &c.) apud Rickelium (*& diem*) in Bibliis Complutensibus, & Regiis (*die* (Græcè (ἡμέραν, *diem*) quod iuxta phrasim illius linguæ supplendo κατὰ, *secundum*, posset exponi *secundum diem*, vel, *à die*. Atque ita ante (יום *iom*, & מיום *iomi*) suppleri potest præpositio (מן *min*, *ab*.) Huc modo sensus est vt doceant filius ac nepotes de his verbis rebúsve, quas audierant & viderant iam inde à die, quo lex data fuerat in Horeb. Legendo autem (*diem*) explicat Rickelius, vt narrent quando & qualiter stetissent ad radices montis Sina ante

Marginal notes (left column): a c. 3. 8. — b 1. Cor. 15. 6. — c actuum 20. 35. — d cap. cum Matthæ. de celebr. miss. — e 1. Reg. 4. 7. 9. — f Heb. 12. 18. — g 3. antiq. cap. 4. — h Exo. 32. 7. 19. — i Exo. 24. 11. Deut. 5. 24. — k c. 19. 18.

Marginal notes (right column): a Exod. 13. 22. — b c. 3. 2. 3. — c lib. 1. — d lib. 8. — e lib. 25. — f lib. 8. — g lib. 3. cap. 101. — h actuum 2. 3. — i responso 3. de Patriarch. priuileg. — k 2. de Imp. Rom. c. 26. — l libri de vita sua. — m lib. 2. — n Virg. Æne 2. — o Plin. lib. 2. cap. 107. Plutar. de fort. Roma. — p in Virg. Æneid 2. v. 673. not. 5. — q act. 2. 3. — Explanatio. — d

ante legis dationem, & ibi audiuissent Dominum loquentem ac dantem ipsum Decalogum, prout in Exodo legitur [a]. Dixit porrò Moyses potius (*coram Domino Deo tuo*) quàm (*nostro*) vt magis commendaret ac imprimeret beneuolentiam ipsius erga populum. Quod non semel aliàs notatum est.

[a] cap. 19. & 20.

In Horeb.] Rectiùs ita scribitur quàm (*Oreb*) vt alibi quoque monui, simul quoque docens accipi pro Sina, ita vt eidem monti duplex nomen foret, vel iugis eiusdem diuersis.

Horeb pro Sina.

Quando Dominus locutus est mihi.] Quando Moyses ex castris deserti Sinai è regione montis locatis ascendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte [b]. Hunc Stephanus appellat Angelum, dicens quòd Moyses fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus Hebræorum; & accepit verba vitæ dare ipsis [c]. Repetit autem pluries nomen Angeli, qui tunc locutus cum Moyse fuerit [d], necnon & Paulus [e]. Sed quia Dei personam referebat Angelus, interdum Deus ipse apparuisse dicitur, & locutus. Plurium Angelorum in legis illa latione ministerium, seu dispositionem iidem illi, quos modò citaui, exprimunt. Quamuis autem responderi posset pro numero numerum poni, pro singulari pluralem, quoniam idem ille Stephanus nunc Angelum [f] nominat, nunc Angelos [g]: tamen probabile est, præter vnum primarium ac principem, qui creditur fuisse Michael populi Hebræi ductor, custósque, alios multos Angelos interuenisse assistendo legislationi, excitando tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, fumum, ignem, procellam, caliginem, pluuiam, &c. Sanè quidem quod cap. 33 [h]. libri nostri legitur, *Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia: in dextera eius ignea lex*, exponunt LXX. de Angelis. Ad quod arbitror Origenem [i] respexisse, cùm citans Paulum [k] (*non accessistis ad tractabilem montem*, &c.) addit (*& multitudinem Angelorum collaudantium*) licèt in Græcis codicib. Pauli hæc non extent. Generaliter apparitiones diuinas Testamenti veteris, Angelorum opera factas generalior opinio est, cuius præcipuus auctor Dionysius [l] nominatim id asserens de lege tradita. Qua de re non solùm disputauimus in Scholis Theologicis adhuc ineditis, sed etiam in aliquot Scripturarum iam editis commentariis, præsertim in Actus Apostolorum [m].

[b] Exo. 19. 3 [c] act. 7. 38. [d] v. 30. 35. 53. [e] Hebr. 2. 2. Galat. 3. 19. [f] act. 7. 30. 35 38. [g] vers. 53. [h] vers. 2. [i] hom. 3. in Num. [k] Heb. 12. 18. [l] de cælesti hierarch. cap. 4. [m] in cap. 7. 30.

Dicens.] Pleonasmus vsitatus duplicis participij (*locutus*, & *dicens.*) Hæc tamen replicatio abest hic in aliis editionibus, quæ tantùm habent *in loqui Dominum*, vel *quando locutus est Dominus ad me*, בְּאֱמֹר יְהוָה אֵלַי *beemor Iehouah elae*, ... *chad amar Iehouah li*, ... μι.

Congrega ad me populum.] Chaldaicè (*in conspectu meo*, קֳדָמַי *kodamai*) Græcè ἐκκλησίασον: vnde nomen ἐκκλησία, & Latinitate donatum Ecclesia: quod ex vsu recepto de cœtu solo Christianorum dicitur, vt Synagoga de Iudæorum; quemadmodum alibi notatum est. Ex hoc verbo Græco hîc & locis aliis vsurpato Cyrillus [n] Ierosolymitanus colligit eam Ecclesiæ notionem quam dixi. Cum vocato Mose de monte præcepisset Deus quædam annunciare populo, conuocatis ille maioribus natu populi ea exposuit: & cùm consensisset populus, aduentum suum in caligine ad Mosem pollicitus est Dominus, vt exaudiri posset à populo, & interim vt hic pararet se ... perauit, eaque secuta sunt deinceps, quæ priùs ex cap. 19. Exodi retuli.

[n] catech. 18.

Vt audiant sermones meos.] Hebraicè & Chaldaicè (*& audire faciam eos*, &c. וְאַשְׁמִעֵם *veasmihhem*, וְאַשְׁמְעִנּוּן *veasmihhinnun*) Græcè in imperatiuo (*& audiant*, &c. καὶ ἀκουσάτωσαν.) *Iam nunc veniam ad te, dixit Dominus Moysi* [a], *in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Sermones autem Domini, quos populus Domino audiuit loquente, continentur cap. 20. Exodi.

[a] Exo. 19. 9.

Et discant timere me omni tempore quo viuunt in terra.] Pro (*omni tempore*) extat in aliis editionibus (*omnibus diebus;*) pro (*viuentibus*) in Chaldæa (*permanentes*, קַיָּמִין *kaiamin.*) Postquam populus visis auditisque prodigiis in monte editis timuisset tum aliquanto remotiùs ab illo in castris [b]; tum deinde circa montem, ita vt si loqui pergeret Deus mortem timerent [c]: Moyses consolans & animans eum dixit; *nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Iubet ne timeant, simúlque nihilominus velle affirmat Deum vt terror illius sit in ipsis: intelligens illud de morte, vt hanc non timeant sibi tunc inferendam: hoc autem quantum ad timorem quem perpetuò retinere oporteat ad vitanda peccata, & ad colendum Deum atque obediendum legi ipsius. Discendus timor Domini; ad quod inuitans ille dicebat. *Venite* [d] *filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Iterum autem ac tertiò disci debere timere Dominum admonet liber [e] noster. In eodem prætereà [f] narratur Deum dixisse; *quis det talem eos habere mentem, vt timeant me?* Cæterùm quamuis timoris nomine omnis Dei cultus, & reuerentialis ac filialis castúsve intelligatur timor, qui stat cum caritate, non foras mittitur ab [g] illa, vt toties aliis in locis aduerti potuit: tamen istud quoque quasi distingueos veterem à noua lege signum tradi solet, vt hæc amoris, illa cognominetur lex timoris & seruitutis [h], & proinde illa eadem cognominetur pædagogus ad Christum [i], & ad castum timorem [k], & ad pietatem [l], quod alio nomine vocat Basilius [m] εἰσαγωγικὸν, introductorium: Augustinus [n] vt feram quæ ... introducit.

[b] ibid. v. 26. [c] c. 20. 18. 19.

Timor Domini discendus.

[d] Ps. 33. 12. [e] c. 14. 23. c. 17. 19. [f] c 5. 29.

[g] 1. Ioan 4. 18.

Lex noua amoris, vetus timoris ac seruitutis est.

[h] Rom 8. 15. Galat. 4. 1 & seqq. 2. Tim. 1. 7. [i] Galat 3. 24.

Docéantque filios suos.] Etiam nepotes, vt priore dictum est versu. Sed filij quandoque posteros omnes significant. Etymon ducunt aliqui ἀπὸ τῆς φιλίας, quòd maximus amor parentum sit in filium: vel quasi dicas fidius, quia filio fidunt potius, quàm seruo; vel à filo & linea mentis orísque paterni; de qua vide quæ proferat & exempla & testimonia Cerda noster ad illud,

——— *Veterúmque* [o] *agnoscunt ora parentum.*

Diligens filium, ὁ ἀγαπῶν, *docens*, παιδεύων, etiam verberibus, *docens*, ὁ διδάσκων, verbis, mortuus est quasi non mortuus. Similem enim reliquit sibi post [p] se, non tam lineamentis, quàm moribus. *Breui faciam*, dicebat Scipio apud Liuium [q]; *vt quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultúsque, & lineamenta corporis: ita ingenij, fidei, virtutisque exemplum, expressam ad effigiem vobis reddam: vt reuixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem Imperatorem dicat.* Abest adulterij suspicio, cùm est similis proles genitoribus: degenerans à parentum probitate, indignos qui filius censeatur: sed multo magis si educationis labori nõ respondeat, quæ res plus momenti habet. Propterea tam frequenter inculcari audimus hîc, vt filij doceantur. Hesiodos [r] cos

Filiorum etymon.

[k] August. concion. 25. in Psal. 118. [l] Basilius in Ps. 32. & in Esa. 1. [m] in in Ps 32. [n] ... [o] 3. Æne. v. 595. not. 1. [p] Eccl 30. 1 & seqq. [q] lib. 26.

Liberi parentibus similes.

[r] in ergis.

eos qui colant iustitiam, id inter cætera consecutus commodum ait, quòd

Τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι,
Pariunt fœminæ similes liberos genitoribus.

Et accessistis ad radices montis.] Hebraicè (*& accessistis, & stetistis sub monte*, תַּחַת הָהָר *thachath hahar*) Chaldaicè, *in humilioribus*, seu *infimis locis*, *aut vallibus*, בְּשִׁפּוּלֵי *besippule.*) Græcè etiam (*sub monte*, ὑπὸ τὸ ὄρος.) In Exodo [a] narratur quòd cùm eduxit Moyses populum in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Vbi textus Hebræus habet בְּתַחְתִּית הָהָר *betha.hthith hahar*, *in ima parte montis*; Chaldæus sicut hoc loco; quemadmodum & Græcus in emendatis codicibus: in Complutensib. enim, & Regiis legitur ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ σινᾶ *in montem Sina*. Radicem montis Phasga vidimus cap. præcedente [b], quamuis solùm in textu Hebræo sit aduerbium תַּחַת *thachath*, quod correspondeat: quod occurret adhuc infra in isthoc capite [c] nostro. In Exodo [d] iterum radices montis occurrunt eum eadem phrasi reliquarum editionum quæ hîc extat. Semel [e] radicem montis posuit Interpres, vbi est סֵתֶר הָהָר *sether hahar*, סֵתֶר כַּתְּרָא *sethar tura*, κρύπτα τοῦ ὄρους, *occulta pars montis*, & quasi tegumentum, & sepimentum, sub quo lateri poterat. Boni auctores Latinæ linguæ inferiorem partem siue montis [f], siue palatij [g] & domus vocant infimas aut imas radices montis, palatij, &c. Siliciæ imas radices appellat Virgilius [h], Claudianus [i] freti, Statius Ortygiæ [k], Oppianus [l] maris, Homerus [m] *vidæ, pedes*, eiusdem. Annotauit ista ex poëtis noster Cerda [n], & ex anthologia de saxis quæ καταῤῥιζωθῆ dicantur, quibus constructus pons erat Caligulæ [o], atque ex Lucretio [p], qui simili sensu auolsas cecinit radices.

Qui ardebat vsque ad cælum.] In Hebræa editione (*& mons ardens erat in igne vsque ad cor cæli.*) Vbi expressio maior fit iungendo ardorem cum igne, cum absque igne ardor non sit, ipsémetque ardor per se vehementem ignem indicet. Idem valent Chaldæa בָּעֵר בְּאִישָׁתָא *babber beesiba*, (& Græca ἐκαίετο πυρί.) Hyperbole præterea est (*vsque ad cælum*,) siue (*vsque ad medium cæli*, עַד לֵב הַשָּׁמַיִם *hhad leb hassamaim*, & quod plus est Chaldaicè (*vsque ad summitatem cæli*, עַד צִית שְׁמַיָּא *hhad ithseth shemaia*) licèt exponi quoque posset (*versus cælum*) aut (*vsque ad latus cæli.*). Agnoscunt hanc hyperbolem communiter hîc Enarratores; & cum Glossa interlineari Hugo declarat de cælo aëreo, quod aquas diluuij occupauit: Rickelius autem præter hoc vim hyperboles explicat, quoniam valdealtè ascendit ignis à cacumine montis. Idiotismus Hebræus est vt cor pro medio ponatur, vt cùm præterea dicitur cor [q] maris, vel terræ [r], vel ignis; vt quod attinet ad vltimum quando scribitur [s] conspectus Angelus Domini in medio ignis, בְּלַבַּת אֵשׁ *belabbathes*: nisi velis esse לַבַּת *labbath*, pro לֶהָבַת *lahabath*, quod posterius nomen flammam significat: & in statu absoluto est לֶהָבָה *lehabah*. Porrò simili hyperbole vsi videntur qui facere sibi velle dicebant ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingeret ad cælum [t]: aut qui scalæ quam in somnis Iacob videre sibi videbatur, cacumen tetigisse cælum scripsit [u]: aut qui descripsit cap. 1 [x]. libri nostri vrbes ad cælum vsque munitas: aut qui cecinit [y] nauigantes aut fluctus ascendisse vsque ad cælos, & descendisse vsque ad abyssos. Consule duorum locorum vltimorum nostrum commentarium, in quo de vsu hyperboles disseruimus, atque aliis tum profanis tum sacris illustrauimus. Sed hyperbolici poëtæ præsertim sunt. Abulensis circa hyperbolicó nimis vsque ad cælú ardere montem videri potuisse iuxta Opticæ seu Perspectiuæ leges, quibus apparet nubes cælo esse contiguas, quia mediam distantiam non videmus; eamdemque ob causam luna fixis astris videtur immediata; & mons altus cælo. Franciscus [a] Aquilonius noster de hac re disserit in Opticis, explicans fallacias aspectus circa distantiam, interque alias, vt cælum terræ cohærere in ambitu horizontis videatur: nubes à terra auulsæ longissimè abesse, &c.

Erántque in eo tenebræ, & nubes, & caligo.] In Exodo [b] cum tonitruis & fulguribus memoratur nubes densissima, operiens montem, hicque totus fumans, eo quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de furnace. Erant ibi excitati vapores obscuri & caliginosa nubes intermixta ignibus: quæ omnia ministerio angelico videntur, vt antè dixi, formata: nubésque illa diuersa ab illa, quæ in columnam formata erat seruiens de die, sicut de nocte propter splendorem denominabatur ab igne. Fumus ascendens quasi de fornace declarat partim inflammatum fuisse ardentémque, partim non inflammatum & obscuriorem. Possent Hebræa חֹשֶׁךְ עָנָן *chosech hhanan*, & Chaldæa, חֲשׁוֹכָא עֲנָנָא *chasicocha hhanana*, verti cum Oleastro & Pagnino, *obscuritas nubis*; quoniam coniunctio non interseritur; quæ, vt etiam retuli, densissima nubes appellatur in Exodo [c], Hebraicè כָּבֵד *chaued*, *grauis*; seu *conferta & solida*; Chaldaicè תַּקִּיף *thakkiph*, *fortis*, Græcè pluraliter νεφέλαι γνοφώδεις, *nubes caliginosæ*. Verùm hoc loco vt distincta censentur σκότος, καὶ γνόφος, καὶ θύελλα, *tenebræ, & caligo, & procella*; quæ tria exprimuntur in epistola ad Hebræos [d], licèt non eodem ordine, videlicet γνόφος, καὶ σκότος, καὶ θύελλα, & ab Interprete redduntur, *turbo, & caligo, & procella*, quamuis forsitã præstitisset transferre caliginem, & tenebras, & procellam, quia *turbinem* significat non γνόφος, sed σίφων, & in Scripturis, λαῖλαψ [e], σεισμός [f], στρόμβος [g], συσσεισμός [h]. Quas tenebras horribiles in vniuersa terra Ægypti legimus in Exodo [i], de plaga tenebrarum explicantur Græcè per nomina σκότος, γνόφος, θύελλα, vbi turbo non satis commodè intelligitur. Scholiastes Caietani Antonius Fonseca suspicatur ad hoc allusum in Psalmis [k], *caligo sub pedibus eius*; *nubes* [l] *& caligo in circuitu eius*; vt significetur in Deo peruestigando aut cognoscendo nihil valere humanorum oculorum aciem; diuinaque mysteria nulli esse penetrabilia, & prorsus excedere captum humanum; atque quod scribit Apostolus [m], incomprehensibilia esse iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius, &c. Eodem spectat ex Psalmo [n]; *posuit tenebras latibulum suum* [o]; *abyssus sicut vestimentum amictus eius*. Iuuabit loci huius intelligentiam consulere dicta in commentario indicatorum Psalmorum. Ex hactenus porrò dictis vnà cum citato epistolæ ad Hebræos loco potest collatio fieri inter legem veterem in Sina datam, & nouam in Sion promulgatam ipso die Pentecostes. Ad hoc etiam refert Didacus Stunica enarrans Zachariam, quæ [p] is vaticinatur de scindendo monte Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem prærupto grandi valdè, & separando medio montis ad Aquilonem, & mediu ad Meridiem.

a c. 19. 17.
b vers. 17.
c vers. 49.
d c. 24. 4. c. 32. 19.
e 2. Reg. 23. 20.
Ima, aut infima radix montis, pro infima parte montis.
f Cæsar 1. de bel. ciu. Plin. lib. 9. c. 15.
g Cicer. ante quam iret in exilium.
h 8. Æne. v. 237. 238.
i 5. in Eutrop.
k lib. 5.
l 2. & 4. halieut.
Vsque ad cælum, aut medium cæli, & similia, hyperbole quid.
m Iliad. 22.
n in Æne. 8. v. 225. not. 15.
o lib. 4.
p lib. 3.
Cor pro medio, Hebræus idiotismus.
q Ps. 45. 3. Ionæ 2. 4.
r Ezech. 27. 4.
r Matth. 12. 40.
s Exo. 3. 2.
t Gene. 11. 4.
u c. 28. 12.
x vers. 28.
y Ps. 106. 26.
a 4. Optic.
Tenebræ, nubes & caligo.
b c. 19. 16. 18.
c c. 19. 16.
d c. 12. 18.
e Sap. 5. 1.
f Eccl. 48. 9.
g Ps. 76. 19. Ps. 82. 14.
h 4 Reg. 1. 1. Naum 1. 3.
i c. 10. 22.
k Ps. 17. 10.
l Ps. 96. 2.
m Rom. 11. 33.
n Ps. 17. 12.
o Ps. 103. 6.
p cap. 14. 4.

Vers. 12.] Locutúsque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.

Vers. 13.] Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.

PARAPHR. DEinceps per aliquot versus vetator idololatria per imaginum constructionem ex occasione datæ legis à Deo, nullã similitudinẽ sui exhibente inter tot signa & prodigia quæ adhibuit, sed solùm vocem edente ac verba formante, quibus Decalogum seu decem præcepta, quæ etiam tabulis lapideis duabus insculpsit, promulgari voluit: exigens tanquam pactum, vt ea populus, quem peculiariter elegerat sibi, custodiret. Obseruant Hebræi apparuisse tunc Dominum, & aliàs non rarò in eiuscemodi rebus, hoc est, in igne, ac nube, quoniam non habent fixam figuram, ideóque tollebatur occasio formandi imagines, & idola colendi, ad quod proni erant. Non *displicet* ratio, quam affert hoc quoque loco *Abulensis*; quia licèt ignis & nubes faciliter possint formari ac pingi, vt argumentatur aduersùs illos Rickelios [a], addique potest, quòd à Persis & aliis adoratus est ignis: tamen videtant in Ægypto præcipuè coli apim, cuius proinde statuam postea in deserto conflauerunt & adorauerunt [b], postquam etiam lex id vetans lata esset. Sed & rationem dictam innuunt verba textus præsentis, & aliquot versuum sequentium. Affinis causa redditur à quibusdam apud Theodoretum [c], apparitionis in nubo & igne, ne quis posset ex his Deum effingere ac effigiare. Ipsi Moysi videtur Deus apparuisse multoties in humana forma, siue Angelus referens personã Dei, quemadmodum & aliis antè, ac post illum, & cum illo. Quod vltimum narratur in Exodo [d], describendo sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est. Vbi non rectè Abulensis negat visionem in specie humana ductus loci nostri testimonio. Sed aberat ab iis periculum idololatriæ, non item à populo; qui præter vitulum, de quo dixi, longè postea serpentem æneum adorauit, quem Deus fieri ad solam memoriam diuinæ percussionis præceperat [e]; ita vt ab Ezechia comminuendus fuerit in pulverem [f]. Petiit Moyses videre faciem Dei [g], nec vidit tamen [h]: quamuis locutus ei dicatur facie ad faciem [i], seu ore ad os [k], id est familiariter; sicut cùm de ipsomet populo dixit Moyses, quòd facie ad faciem locutus est Dominus ipsi [l], & quemadmodum vidisse Iacob dicitur viso Angelo Dominum facie ad faciem [m], & loco vbi id contigit, nomen creditur inditum Dei facies τὸ τοῦ θεοῦ πρόσωπον, in quem mons Libanus desinit [n]: denique Gedeon asseruit vidisse se Angelum Domini facie ad faciem [o]. Quia verò apud Christianos non est suspicio talis, quòd ad colendũ ligna & lapides inclinentur, inquit Abulensis [p], imagines & statuæ iis permissæ sunt. Verùm non est sola permissio, nec propter simplices dumtaxat, vt idem tamen ait, volens minus periculum esse in imaginibus, quàm in statuis, & cupiens Trinitatem non figurari; quamuis Ecclesia id recipiat vel dissimulet. Absque vlla cunctatione habentur & coluntur tum imagines, tum statuæ, tum Sanctorum, & Christi, qui est Verbum incarnatum, tum Dei, ac Trinitatis: quoniam satis edocti sumus non terminari præcisè adorationem in materiam & lineamenta, sed in prototypa, siue latriæ, si sit Christus, Deus, Trinitas; siue hyperduliæ, si B. Virgo; siue duliæ, si alij Sancti; quidquid sit an ipsismet imaginibus, statuísve minor quædam adoratio deferatur, quæ terminetur in ipsis, an non. Qua de re dictum vel in commentariis aliis editis, vel in Scholis Theologicis quæ non prodierunt. Nescio an credam Cyrillo [a] Alexandrino, putasse Iudæorum nationem se reuera ipsam occultam, & diuinam vidisse naturam, Moyse interueniente, & astante ipsis in Horeb, & concionem aduocante ad montem Sina (distinguit hos montes, id est, verius iuga duo:) postquam verò tubarum clangor sursum penetrans audientes terruit, putasse secum ipsos, diuinæ quoque vocis participes se factos: sed pueriliter hoc cogitasse, claré demonstrasse ita Deum, (id est, illum per Moysen) *vocem verborum eius audistis, & formam eius non vidistis*, &c. Tale quid cogitasse aut putasse Iudæos, equidem non facilè persuadeor: sed tantùm præcauisse Moysen futurum periculum, ad eum modum quem dixi. Concedo aduentu Christi sublatam errandi occasionem, aut errorem etiam, quòd esset visus, aut visibilis Deus, quoniam in terris visus est, qui Deus verus est, & cum hominibus conuersatus [b], beatique oculi hominum noui Testamenti, viderunt, quem multi reges, Prophetæ, ac iusti videre cupierunt, & non viderunt [c]: cúmque hîc apparuit gloria ipsius תְּמוּנָה *themunah*, viua & expressa imago Dei, satiati aliquomodo sunt [d], interim dum expectabant claram omnino visionem, quæ afferret planè perfectam absque satietate satietatem. *Humanatus Deus*, inquit alter [e] Cyrillus Ierosolymitanus, *personam, id est, formam & habitum recepit, vt videntes hîc viueremus: quia videre faciem in hac vita non concedebatur. Et quando voluit hanc personam*, subdit ipse, *cum exigua dignitate ostendere, resplenduitque facies eius sicut sol* [f], *discipuli ceciderunt præ timore* [g]. *Si ergo facies corporis splendor non tantum quantum ille qui id operabatur, potuit; sed quantum capiebant discipuli: & ita perterrefecit eos, vt ferre non potuerint; quomodo in deitatis dignitatem oculos poterit aliquis intendere?* &c. Refellit idem [h] Patet auctoritate huius loci varias de Deo hæreses, quòd esset ignis, quòd homo alatus, quòd septem præditus oculis, quòd felis, lupos, canis, &c. *Cui similem fecistis Deum*, inquit Esaias [i]; *aut quam imaginem ponetis ei?* &c. Quam sententiam imitatus est Paulus [k] disserens apud Athenienses. Rursum apud eumdem Esaiam [l]; *& cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus?* His ipsis locis probat Isidorus [m] Pelusiota non esse corporeum Deum: & monet quòd nonnulli præsentem locum *κομψῶς ἑρμηνεύειν πειρῶνται, veteratoriè exponere conantur*. Omisso argumento isto, quod non semel alibi tractatum fuit, atque confutatione hæresis, quòd Deus oculo corporeo sit visibilis, ac proinde corporeus, aut opinionis parum probabilis, quòd eleuari possit corporis oculus ad visionem inuisibilis Dei, de quibus controuersia legantur præ aliis Suares [n] noster, & Vasques [o] pro imaginibus Dei contra citatum Abulensem; cui consentiunt Henricus [p], Durandus [q], Martinus [r] de Agala, & ex hæreticis VViclef [s], & Caluinus [t]:
agendum

Margin notes (left): a in Exo. 39. — b Exo. 32. 1. & seqq. — c quæst. 6. in Exo. — d c. 24. 10. — e Num. 21. 9. — f 4. Reg. 18. 4. — g Exo. 33. 13. — h vers. 20. — i ibid. v. 11. — k Num. 12. 8. — l Deut. 5. 4. — m Gene. 32. 30. — n Strabo lib. 16. — o Iudic. 6. 22. — p quæst. 5.

Margin notes (right): a Glaphyr. pag. 245. — b Baruch. 3. 38. — c Lucæ. 13. 17. — d Psal. 16. vlt. — e catech. 10. — f Matth. 17. 2. — g ibid. v. 6. — h catech. 6. — i c. 40. 18. — k actuum 17. 29. — l c. 40. 25. — m lib. 3. epist. 95. — n de Deo tract. 1. lib. 2. c. 6. — o 3. p. disp. 103. cap. 3. & 4. — p quodl. 10. q. 6. — q 3. d. 9. q. 2. ad 4. — r de tradit. 3. p tract. de imag. c. de antiquit. — s apud VValdens. tomo 3. c. 155. — t 3. Instit. c. 11.

agendum nonnihil de tabulis lapideis duabus, quibus inscripta erant decem verba, qui numine vno vocatur Decalogus. Iubens Deus vt ascenderet ad se Moyses in montem (Sina videlicet) essetque ibi (nempe per dies ac noctes 40. ieiunus) daturum promisit tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsisset, vt doceret populum [a]: easdem dedit cognominatas testimonij siue fœderis aut pacti, aut testamenti, scriptas digito & opere Dei, continentes omnia verba, quæ locutus fuerat in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est [b]. Verba verò illa erant decem præcepta Decalogi [c]: & præter loca hîc indicata, in aliis [d] adhuc mentio fit de tabulis hisce lapideis [e]: aliquando absque lapidearum epitheto. Scriptæ præterea digito & opere Dei dicuntur [f], ex vtraque parte [g]. Cùm primas iratus valdè ac indignatus Moses propter adoratum vitulum, proiecisset & confregisset [h], iussus est præcidere ac dolare duas alias instar priorum, vt scriberet Deus super eas verba quæ habuerant illæ quas fregerat [i], & post ieiunium priori simile scripsit (Deus, non Moses ipse, vt tamen volunt Cyprianus [k], Augustinus [l], Rickelius [m], & alij) in iis verba fœderis decem [n], quas cùm descendens ferret, apparuit cornuta facies eius [o], id est, splendidior. Secundas has tabulas cùm primùm scriptas digito & opere Dei recepit, posuit in arca propria de lignis Setim, quam ad eum finem eodem Deo præcipiente fecerat [p]: postea in arca illa maiore, quæ fœderis cognominata est, siue testimonij, siue testamenti [q]. Quamquam quod attinet ad arcam, communior opinio vnicam fuisse, & in Deuteronomio obiter de illa mentionem factam occasione secundarum tabularum legis, eámque arcam dixisse Mosem à se fabricatam iussu Dei, quia quam iusserat Deus fabricari primis 40. diebus, & quando primæ tabulæ datæ sunt, illam Mose præcipiente opifices fabricati sunt. In Exodo vbi ordine fusiùs cuncta narrantur, nihil de arcæ fabrica scribitur pro condendis in ea tabulis: quæ etiam tabulæ solæ intra arcam illam celebrem cognominatam fœderis, testamenti, testimonij, fuisse creduntur, vt alibi docui. Non vacat nihilominus aliqua probabilitate distinctio duplicis arcæ, quam sectantur apud Abulensem [r], nonnulli. Hæc ex diuinis literis de tabulis legis continentibus decem verba, siue præcepta: ex quo numero compositum est Græcum nomen Decalogi, & à Latinis etiam vsurpatum, quia δέκα sunt *decem*, & λόγοι siue λόγια *sermones*. Nec Philo, nec Iosephus vtitur eo nomine composito, quamuis qui priorem Latinè transtulit, libri titulum περὶ τῶν δέκα λογίων ἃ κεφάλαια νόμων εἰσί, reddiderit, *de Decalogo, quod est iuris summarium*: Sed Clemens [s] Alexandrinus, apud quem ponitur fœmininè ἡ δεκάλογος, item discipulus eius Origenes [t] (etsi eum Græcè legere non potui;) Nazianzenus [u] (qui τὸν δεκάλογον genere masculino.) Auctor operis imperfecti [x], &c. Ex Latinis auctor epistolæ de celebratione Paschæ apud Hieronymum [y], Augustinus [z] (ex quo partim contexta est dicta epistola) & alij posteriores. Lapides vt priorum, sic secundarum tabularum non videntur creari à Deo, vt quidam de primis opinati sunt, sed elaborati primi opere ac digito Dei, id est, valde politè præparari; secundi à Moyse ipso, prout iniunctum ipsi fuisse vidimus, quamuis in vtrisque scriptura, seu sculptura tribuatur Deo, id est, Angelo, per quem facta est, vt & priorum ea-

a Exo. 24. 12. & seqq.
b Exo. 31. 18. Deut. 9. 10.
c Deut. 5. 22.
d c. 9. 9. 10. 11. c. 10. 1. 3. 2. Cor. 3. 3.
Exo 34. 1. 4. 29.
e Exod. 31. 15. 16. 19. c. 34. 28. 29. Deut. 9. 15. 17. c. 10. 5. Heb 9. 4.
f Exo 31. 18. c. 32. 10. Deut. 9. 10.
g Exo. 32. 15.
h ibid. v. 19.
i Exo. 34. 1.
k de Spiritu sancto.
l quæst 166. in Exo.
m in Exo. 34.
n Exo. 34. 28. Deut. 10. 1. & seq.
o Exo. 34. 29.
p Deut. 10. 1. 2. 3. 5.
q 3. Reg. 8. 9. 2. Paral. 5. 10. Heb. 9. 4.
r in Exo. 40. q. 7. & in Deut. 10. q. 1.
s 3. pædag. cap. 12. & 6. Strom.
t hom. 7. & 8. in Exo.
u orat. 40.
x hom. 28. & 41.
y tomo 9. epist. 21.
z epist. 119. c. 11. & lib. de decem chordis. cap. 5.

politio. In vtraque tabula & parte cuiusque duplici characteres ita erát grandiore forma dispositi, vt legi eminus possent, & ab vtrinque consistentibus, siue vtraque tabula comprehenderet omnia decem præcepta ex vtroque latere, siue vna quæ pertinebant ad Deum, & alia quæ ad proximum. Erant enim haud admodum magnæ, vt commodè gestari possent à Moyse ahisve, & in arcam imponi. Iosephus [a] in vtraque tabula quina ponit, sed in singulis paginis duo cum dimidio. R. Salomon vult quæ ex vna parte scripta erant, ex altera quoque lecta esse, ita vt ibi quoque scripta viderentur, & lapis quasi pellucidus ac vitreus esset, & literas quæ in auersa facie conuersæ debent videri à dextra ad sinistram, ordine recto, & non conuersæ legerentur. Scriptura scriptas tradit ex vtraque parte, non lectas tabulas, vt etiam notant Lyranus, Abulensis, Rickelius & alij. Hebræorum opinio est, vt Philonis [b] & Iosephi [c], fuisse in prima tabula quinque, totidem præcepta in secunda; in illa; *non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile; non assumes nomen Dei tui in vanum; memento vt diem sabbati sanctifices; honora patrem tuum*, &c. In alia, *non occides; non mœchaberis; non furtum facies; non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium*; ex duobus autem vltimis vnum efficiunt. Sequuntur eumdem numerum isto modo, licèt reiiciendo honorem parentum in tabulam secundam, in qua proinde sint sex. Origenes [d], & auctor [e] quæstionum veteris & noui Testamenti, Hesychius [f] ponit quatuor in prima, *Ego sum Dominus Deus tuus; non habebis deos alienos coram me; non facies tibi sculptile; non assumes nomen Dei tui in vanum*; illud autem de sabbato reiicit tanquam ceremoniale: in secunda reliqua sex, quemadmodum priores enumerabant, contrahendo nimirum duo vltima in vnum. Reliqui Patres & Doctores, vt Augustinus [g], Magister [h] sententiarum, Aquinas [i], Clemens [k] Alexandrinus constituunt in prima tria, *non habebis deos alienos coram me; non assumes nomen*, &c. *memento vt diem sabbati sanctifices*: septem in secunda, distinguendo duo de non concupiscenda vxore alterius, & de non concupiscenda domo, agro, seruo, &c. Non decuit commisceri præceptum proximi cum præceptis Dei: nec illud (*ego sum Dominus Deus tuus*, &c.) formam habet præcepti: & duo vltima perperam confunduntur: cùm etiam tria priora verbis pluribus tradita sint, commodius fuit simul in vnam tabulam conuici. Neque verum est quod Philo docuit, in posteriore tabula fuisse præcepta per modum interdicendi; eundē namque habent in priore, quibus interdicitur cultus inanium deorum, vanúmque iuramentum. Postremò ad memoriam, & ad quandam initi per legem inter Deum & Hebræos pacti perpetuitatem, placuit in lapide illam incidi: quem diuinant, vel somniant potiùs, asserentes sapphirinum fuisse apud [l] Lyranum Hebræi, & Suidam [m]. Visum est quidem sub pedibus Dei opus quasi lapidis sapphirini, quando lex data est. [n] Græcè vt ἔργον πλίνθου σαπφείρου, *opus lateris sapphiri*: quo indicabatur lateres Ægyptios Hebræis iá mutatos in sapphiros. At non inde argumentum rectè petitur. Silex forsitan fuit, sicut [o] Iob in eo sculpi sermones suos optabat. Similes fuere secundæ primis, vt retuli: neutræ sanè ex gemma; quod de primis iidem illi nugatores Hebræi asseuerantes, aiunt quando eas Moses fregit, fragmentis pretiosis venditis valde locupletatum. Morales elicit

a 3. antiq. c. 6.
b de decalogo.
c 3. antiq. c. 6. & 1.
d hom. 8. in Exo.
e q. 7. apud August. tomo 4.
f hom 16. in Leuit.
g in Exo. q. 71. lib. de decem chordis c. 5. & 6. epist. 119. c. 11. in Ps. 32. concio. 1.
h 3. d. 37.
i ibid. & 1. 2. q. 100. a. 4.
k 6. Strom.
l in Exo. 31.
m verbo Moyses.
n Exo. 24. 10.
o Iob 19. 24.

sensus noster Batradas [a], quare scribi voluerit Deus Decalogum, & quidem scalpello; includi atca desurata; in tabula duplici priùs benè dolata & præparata sculpi. Nec sua deesset tropologia, ut tabulæ sapphirinæ fuissent, propter istius gemmæ proprietates; tum verò coloris cælestis. Philosophantur alij circa mysteria numeri denarij, quæ Petrus Bongus in opera de hoc nomerorum argumento collegit, éxque Philone, Clemente Alex. Augustino, & aliis peti possunt, aptantibus ad totidem genera rerum in mundo, ad totidem plagas, ad alia similia. Sed numeri præceptorum optima ratio est; quoniam Deo Domino debetur fidelitas, ne alteri seruiatur; reuerentia, ut nihil iniuriosum in eum committatur; famulatus obsequiúmque, quod sanctificatione sabbati exhibetur. Si de proximo agitur, debitum reddi debet iis, quibus speciatim obstricti sumus, quales parentes: nulli nocumentum inferendum neque opere, in persona propria, occidendo; in persona, quoad prolis generationem ei coniuncta, mœchando: in rebus, & possessionibus, furando: neque ore, loquendo contra ipsam falsum testimonium: neque corde concupiscendo uxorem, vel rem aliam illius. Lege Iacobum [b] Bayum, & Gregorium [c] Sayrum.

Locutúsque est Dominus ad vos de medio ignis.] Editio Græca locutum exprimit in monte, ἐν τῷ ὄρει: & nectit eidem membro vocem verborum, vt pendeat à verbo (*locutus est*) hoc pacto: καὶ ἐλάλησε κύριος πρὸς ὑμᾶς ἐν τῷ ὄρει ἐκ μέσου τοῦ πυρὸς φωνὴν τῶν ῥημάτων, *& locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis vocem verborum.* Iterum cap. 5 [d]. libri nostri repetitur auditam vocem Dei de medio ignis. Philo [e] locutum de medio ignis Dominum docet, atque pro digoitate rei dici quòd vox è flamma processit; quia probata sunt Dei præcepta velut aurum (argentum) igni examinatum [f]: & ignis habet vim geminam illustrandi vtrendique, vt proinde præcepta Decalogi futura sint obedientibus, per totam vitam pro lumine ac syderibus animæ prælucentibus: quotquot contumaces fuerint, æstuent, vrantúrque intestinis concupiscentiis, more flammæ totos homines semel occupatos depascentibus. Adde æternas alterius vitæ flammas. Obseruat Rickelius ad proprietates & maiestatem Dei declarandam: in igne agilitatem, actualitatem, calorem, splendorem, subtilitatem.

Vocem verborum eius audistis.] Modò retuli Græcè duas primas dictiones ad membrum præcedens pertinere. Melior constructio nostra, & aliarum duarum editionum (quæ inserunt pronomen *vos*, אתם *athem*, & אתון *athun*) quoniam inusitata phrasis est, vt dicatur quis loqui vocem. Vox sermonum quid importet, dixi c. 1 [g].

Et formam penitus non vidistis.] In textu Græco ὑμεῖς ἠκούσατε καὶ ὁμοίωμα οὐκ εἴδετε, ἀλλ᾽ ἢ φωνήν, *vos audistis* (nempe φωνὴν ῥημάτων, *vocem verborum*) *& similitudinem non vidistis, sed vocem* (videlicet audistis, aut etiam vidistis, eo Hebraismo quo videri dicuntur voces.) Augustinus in locutionibus legit (*& similitudinem non vidistis, sed vocem*) sicum vox, inquit, non possit videri. Sed generaliter hoc verbum posuit, tanquam ad omnem corporis sensum videre pertineat. In aliis duabus editionibus est (*vocem verborum vos audientes*) scilicet fuistis, id est, audistis, *& formam non vos videntes fuistis*, siue vidistis *præter vocem*. Non dissimile illud de Sauli comitibus in itinere Damasceno, qui audiuisse vocem memorantur, neminem autem vidisse [a], vocem videlicet non Christi loquentis, quia etiam dicitur vocem non audiuisse [b]; vel sonum ac bombum solum siue vocis Christi, siue Sauli, non expressionem articulatam; qua de re nos alibi [c]. Cæterùm nomen formæ hoc loco similitudinem significat, sicut & ὁμοίωμα, תמונה *themunah*, & דמות *demuth*. Vnde perperam Franciscus [d] Dauid hinc nititur confirmare Christum non esse filium Dei consubstantialem, nec ex eo quòd in forma Dei fuisse asserit Apostolus [e], aliud effici quàm habuisse imaginem & similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa eius humanitas singularibus Dei donis affecta. Quam præterea Michael [f] Seruetus, & Desiderius [g] Erasmus exponunt in eodem Pauli loco speciem externam operum diuinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat, immò & pseudo-Ambrosius in commentario. Refellit id Valentia [h] noster, ac nominatim probat quòd formam ibi Apostolus asserens *cùm Christus in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*; non accepit pro imagine, vel specie externa: tum quia Basilius [i] omnino contrarium docet: tum quia forma serui ibidem est ipsa humana Christi natura (adde Chrysostomum cum aliis Græcis & Latinis in explanatione loci eiusdem Paulini) & verum Ambrosium [k]; tum quia licèt vox Latina formæ possit quandoque huiusmodi habere significationem, non tamen Græca μορφή, quam non ita rectè Interpres vetus apud Cypr. [l] *figuram* reddidit, & Tertullianus [m]. Vnde præterea cõfutat vrentes hoc nostro loco Deuteronomij pro dicto errore, cùm fit non μορφή, sed ὁμοίωμα. Tractat Pauli locum diligenter præ cæteris noster Iustinianus, negans μορφὴν in sacris literis externam speciem aut qualitatem significare, quam sub eodem isto nomine ponit Aristoteles in quarta specie prædicamenti qualitatis. At Marcus [n] scribit, quòd Christus post resurrectionem ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *apparuit in altera specie*: & in transfiguratione [o] μετεμορφώθη, *transfiguratus est*, quo etiam verbo Matthæus [p] vtitur; Lucas [q] verò appellat τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, *speciem vultus eius alteram*. Videtur porrò Christus ipse ad hunc locum allusisse, cùm dixit quòd Pater testimonium perhibuit de ipso, cuius Iudæi neque speciem viderant [r]. Intelligit autem de voce, sicut & de specie, propria & naturali; quia vocé formauit Angelus, & in assũpta specie apparuit, vt insinuat de hoc ipso & similib. locis Iustinus [s].

Et ostendit vobis pactũ suum.] Pro (*pacto*) sunt ברית *berith*, קימא *kaiema*, *diabins*, quæ declarata sunt alibi: pro (*ostendit*) aliæ editiones habent (*annunciauit*, seu *indicauit*, seu *promulgauit*, ויגד *vaiagghed*, וחוי *chaui*, ἀνήγγειλεν.) Lex data cognominatur pactum, fœdus, testimonium: quoniam ista conditione in populum peculiarem assumpti sunt Hebræi, vt illam seruarent: & postquam retulit Moyses illam populo, assueuerauit is vna voce facturum se omnia in ea contenta, sacrificióque promissum confirmauit, duodecim titulis erectis [t], aut altari ex lapidibus illis constructo: & cùm sanguine victimæ aspersum esset altare, ac populus ipse (tales apud Ethnicos etiam fœderis feriendi, percutiẽdi, iciendi ritus mactato fœdo porco [u], nec dissimilis ab Abrã vsurpatos [x]) ait Moyses, *hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscũ super cunctis sermonibus his*. Postea tradita sũt tabulæ, præcedẽte ieiunio Mosis in mõte per 40. dies noctésq; [y], quibus tabulis pactũ fœdúsve firmatũ magis est.

[a] Hebr. lib. 4. c. 11. & 16.

Numeri præceptorum ratio.

[b] instit. relig. Christ. c. 14. & 15.

[c] Explanatio. clauis regiæ lib. 4. cap. 1.

[d] vers. 14.

[e] de decalogo.

[f] Ps. 11. 7.

[g] vers. 34.

[a] actuum 9. 7.

[b] c. 22. 9.

[c] ibidem.

Forma nomen.

[d] disput. Albana aduersus Trinitat.

[e] Philipp. 2. 6. 7.

[f] 1. de Trinit.

[g] in Phil. 2.

[h] tomo 1. disp. 2. q. 1. puncto 2. §. 16.

[i] lib. 1. & 4. contra Eunom.

[k] epist. 47. & 2. de fide c. 4.

[l] lib. 2. c. 13.

[m] 5. contr. Marcio. c. 20. contra Praxean cap. 7.

[n] c. 16. 12.

[o] c. 9. 3.

[p] c. 17. 2.

[q] c. 9. 29.

[r] Ioan. 5. 37.

[s] in Tryph.

[t] Exo. 24. 4. & seqq.

[u] Virg. Æn. 8. Liui. lib. 1. & alij.

[x] Gen. 15. 9 & seqq.

[y] Exo. 24. 18. c. 32. 18

De hoc fœdere pactóve Fonseca Scholiastes Caietani arbitratus esse illud Psalmi 88 [a]. *disposui testamentum electis meis.* Hebraicè, *incidi*, vel *percussi*, כָּרַתִּי *charatthi*. Sed alium sensum esse ibi docui, vbi & de ritu paciscendi.

Quod precepit vt faceretis.] Antequam præciperet proponi voluit sigillatim omnia præcepta, requirens liberum assensum, vt constat ex his quæ proximè dixi.

Et decem verba.] Istud est quod præcepit, vt apertiùs indicat omissa coniunctio in editionibus aliis (*ad faciendum decem verba*) לַעֲשׂוֹת עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *laghasoth hhasereth haddebarim*, ποιεῖν τὰ δέκα ῥήματα. Dixi videri hinc sumptam occasionem nominis compositi *Decalogus*. Licèt verò hîc non sint δέκα λόγοι, sed δέκα ῥήματα: in cap. 10 [b]. vbi repetitur hoc idem, sunt δέκα λόγοι. Abulensis interpretatur decem præcepta, quamuis verba sint multa, & plures clausulæ ac diuisiones. Et sic aliquando, inquit, vnus liber totus vocatur vnum verbum: & S. Apostolus vocat quinque libros Moysi quinque verba, vt ait Hieronymus in epistola ad Paulinum. Auctor quæstionum veteris & noui Testamenti apud Augustinum [d], decem sententias decem verba hic appellari scribit, quia & Saluator sermum verbum significauit, dicens [e]: *interrogo vos & ego vnum verbum, respondete mihi: Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo, an ex hominibus?*

Quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.] Dictum satis pro instituto prius de his tabulis lapideis, & quantum ad materiam, & quantum ad scriptorem, & quantum ad illa quæ scripta erant in eis, eorumque ordinem, & quantum ad arcam, in qua deinde similes his seu posteriores inclusæ sunt, quia priores confregit Moyses, & vtrùm vtrasque scripserit Deus, siue Angelus referens personam Dei, vel posteriores Moyses. Quibus adhuc de rebus nonnihil infra in alio c. agendum erit. Scripta lex cognominatur ea quæ data est Hebræo populo etiam quoad præcepta decalogi moralia & ipso lumine naturali cognita, communiaque cunctis hominibus, quia prius non scribebatur eiusmodi vel alia lex, licet celebrentur columnæ duæ à filiis Seth filij Adam erectæ lateritia, & lapidea, quibus artes inscriptæ essent, quas ipsi inuenissent, aduersus incendia & diluuium, quorum posteriorem in Syria suo tempore Iosephus [f] testatur extitisse. Ab vrbe condita ad annum fere trecentesimum, sine legibus viuebat populus Romanus, quod anticipiti bello distractus esset [g], postea Decemuiri legum condendarum causa creati sunt, qui Athenis repetitas leges XII. tabularum in foro proposuerunt vel in ære incisas [h], vel in chore [i], vel in robore siue ligno [k]. Sed magis frequens materia æs fuit apud Græcos Latinosque, ad insculpendas res maioris momenti, vt leges, fœdera, edicta, priuilegia, &c. quæ in templis etiam reponebantur, (sicut Mosaicæ tabulæ in arca sacratiore tabernaculi, templive) vt demonstrat Iustus [l] Rycquius post Ioannem [m] Brodæum. Erant apud Athenienses ἄξονες leges Solonis incisæ in ligno, quoniam ea vox significat axes ligneos, vt meminit Gellius [n], & Plutarchus [o], qui scriptas scribit εἰς ξυλίνους ἄξονας, quemadmodum & Suidas [p], qui citat Demosthenem [q], & figura quadrata fuisse ait τετράγωνος τὸ σχῆμα: quod vltimum affirmauit prior Pollux [r]; sed χαλκοῦς ἄξονας *aneos axes*, siue *tabulas*. In vsu præterea habuerunt Athenienses κύρβεις, id est, τριγώνους σανίδας, siue πίνακας πυραμοειδεῖς, *tabulas triangulas pyramidum forma*, quas citatus Pollux, & Suidas λίθους ὀρθοὺς *lapides erectos, in cacumen desinentes, capitisque summum verticem referentes*, vocant. Sed Suidas tradit quod κύρβεις continebant de sacris ciuiles leges; ἄξονας de rebus priuatis; item illæ Deorum festa, vt sic essent quasi κρύβεις, per metathesin literarum, ἀπὸ τοῦ κρύπτειν, quod eorum sacra occultari oportebat. Plura idem, præsertim Suidas, & eiusdem Scholiastes; quæ haud ita ad rem faciunt; & non adeò cohærent, cùm ex auctoribus diuersis illa recitet, vt quod κύρβεις quadratæ essent, quas alij triangulas fecerunt. Id non omittam quod addit, vtrasque vnique talem structuram fuisse, vt esset abacus quidam magnus, in hominis longitudinem exporrectus, habens quadrata ligna composita, & aptè coniuncta; vtrinque verò dentes acutos, vt à lectoribus moueri, & circumuerti possent. Pro ære aliqui [a] causas has afferunt, vt intelligantur leges ab omnibus, quemadmodũ illius metalli tinnitus clarissimus est, ex quo proinde tubæ campanæque; vt omnes nuntiant, sicut ære fit omnium quibus nutrimur æstimatio: vt abstergat omnia vitia, ad eum modum quo æs adusta rodit & incidit; purgat; renititur putredini denique ad quandam perennitatem. Adiici posset problema num mores legibus, an leges moribus in ciuitate præferendæ. De hoc disputans in vtramque partem noster Bisciola [b] definit miscendas leges cum moribus, & consuetudine, quoniam

Mos [c] & lex maculosum edomuit nefas.

Sed iuxta Æschinem [d] præscriptum morum plus plerumque valere in regnis, & oligarchiis quibus præditi sunt qui gubernant: vbi dominatur populus, leges potius. Quæ demum cumque politia sit, parcè ferendæ leges: multæque haud aliter ægræ ciuitatis indicium sunt, atque Medici multi argumento sunt, multos in ciuitate morbos grassari, vt Archilaus, vel Arcesilaus Scytha affirmauit [e], Platoque [f] sensit, ὅτι πολλοὶ μὲν οἱ νόμοι, ... *quod vbi leges multæ, ibi & lites multæ, & vita moresque praui*: & respublica quæ malis, id est, non adeò bonis, sed immotis legibus, præstantior est illa quæ bonis, seu melioribus, sed tamen mobilibus, & inconstantibus; vt dixit Cleon [g]. *Ipsa mutatio consuetudinis*, inquit Augustinus [h], *etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat*: & Augustus positas semel leges constanter seruari, nec vllam immutari volebat, quia quæ in suo statu, eademque semper manent, etsi sint nonnihil vitiosa, vtiliora tamen sunt his, quæ per innouationem vel meliora inducuntur [i]. Ducentis annis nulla noua lex lata est apud Locrenses [k]: Lacedæmonij septingentos annos vnis legibus, & nunquam mutatis moribus pacatissimè vixerunt [l]. Lege politicos aphorismos Ioannis [m] Chokier.

a vers. 4. — Decem verba, pro Decalogo. — b vers. 4. — c 2. Cor. 3. 29. — d tomo 4. q. 7. — e Matth. 21. 24. Mar. 11. 28. Luc. 20. 2. — Tabulæ lapideæ. — f 1. antiq. c. 3. — g Liuius li. 2. & 3. Pompo. Iuris. l. 2. D. de origin. iuris. Decemuiri. — h Halicarn. Diod. Liuius, Porphyrio in Hora. — i Cic. Catilin. 3. — k Pompo. sup. — l de Capitol. Rom. cap. 52. — m 4. miscel. c. 13. — n lib. 2. cap. 12. — o in Solone. — p verbo ἄξονες. — q contra Aristocrat. — r lib. 8.

a Henr. Farnes. lib. 1. cap. vlt. lib. 3. c. 4. — Num mores legibus, an leges moribus preferenda. — b tomo 2. lib. 5. hora subseciua c. 2. — c Hora. lib. 4. ode 5. — d orat. contra Timarchum. — e Stob. ser. 37. Anto. Melissa ser. 143. apud Bisciol. — Laer. apud Ioan. Chokier infrà. — f 3. de legib. — g apud Thucyd. lib. 3. — h epist. 118. — i Diod. lib. 52. — k Demost. contra Timocratem. — l Cic. pro Flacco. — m lib. 2. c. 4.

Vers. 14.] **Mihique mandauit in illo tempore, vt docerem vos ceremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in Terra, quam possessuri estis.**

PRæter cõtenta tabulis illis duabus lapideis, de quib. proximè actũ est, decẽ verba, siue præcepta, qui dicitur decalogus, & ad mores pertinẽt, sút-

Paraphr.

quæ ipso naturali lumine nota, & cunctis hominibus communia, alia plura seorsim, Deo iubente, magis peculiaria & propria tradidit Moyses tum ceremonialia, tum iudicialia: quæ volumine vno inclusit, vt ipsemet testatur in Exodo [a], & in eiusdem libri c. 20. vsque ad 24. recensentur, comprehendendo simul Decalogum, quamuis hic postea in tabulis insculptus fuerit. Sæpiùs ingerit Moyses mentionem de facto sibi mandato, vt doceret ac proponeret diuina præcepta, vt tantò libentiùs exciperentur seruarentùrque à populo, vtque ipse se modestè profiteretur Dei ministrum, non auctorem illorum: vt quidam tamen legislatores id sibi vsurparunt, non modò numina nominantes à quibus leges accepissent, verùm etiá pro numinibus nominari & honorari volentes. *Scitis*, inquit priùs hoc ipso [b] capite, *quòd docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mãdauit mihi Dominus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere.* Docuerat Deus per Angelum suum, inquit Abulensis, in voce totæ populum præcepta moralia Decalogi ad completionem legis; restabat vt doceret eos præcepta ceremonialia & iudicialia. Sed quia populus dixit, quòd non loqueretur eis Deus, mandauit Deus Moysi, vt hæc doceret eos [c]. Videlicet cùm Moses & Aaron ascendissent vltra radices montis Sina, & populus eiúsve principes Dei voce pauefacti vociferati essent ac rogassent, vt non loqueretur Deus, sed Moses; approbauit hoc Deus, atque præcepit vt rediret cum Aarone in tentoria sua, Moses autem conscenderet ad cacumen, vt alia ibi mandata audiret, quæ postea populo referret [d], quemadmodum fusiùs narratur cap. sequenti [e].

Mihique mandauit in illo tempore.] Omisit Interpres (*Dominus*) quod nomen habent editiones reliquæ. Indicaui autem loca huiusce mandati ex Exodo, capiteque sequenti.

Vt docerem vos.] Hoc docẽdi munus iniunctum est Mosi à Deo [f], & Moses ipse id se exercuisse iam antea dixit istomet capite 5. Sed & cap. 33 [h], in benedictione Gad vocatur Doctor; cùm dicitur: *& vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus.* Vbi Chaldaicè habetur (*& suscipiet in principio partem suam; quoniam ibi in hæreditate sua Moyses scriba magnus & princeps Israel sepultus est.*) Vaticinium est Moysi de seipso quòd in sorte Gad sepeliendus esset, nempe iuxta montem Nebo; qui mons & sepulchrum Mosis licèt in tribu Ruben essent, in ea regione cis Iordanem eminebant Gaditæ. Item Doctoris epithetum tribuunt Christo Esaias [i], & Ioel [k], immò & Pharisæi dolo, licèt fraudulentè, dixerunt quòd viam Dei in veritate docebat [l]; & sæpiùs Euangelistæ [m], idque cum potestate ipsum fecisse [n]. Christus ipse hoc à se factum professus [o] est: & Iudæi per iocum vel ironiã, *numquid* [p] *in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?* In Ecclesia instituit Deus Doctores, quos cum pastoribus eosdem esse indicat Apostolus [q], quia primum ac potissimum pastoris officium est pascere populum verbo Dei: idémque Paulus [r] exigit ab Episcopo vt sit Doctor, poténsque sit in doctrina; vt etiam obseruant Hieronymus [s], Augustinus [t], Gregorius [u], Anselmus [x] & alij. Agnoscit nihilominus Ecclesia Doctores, non pastores, seu Episcopos vt in Litania, *omnes sancti Doctores orate pro nobis, omnes sancti Pontifices orate pro nobis*; & in Antiphona, *ô Doctor optime*, &c. ex illis etiam qui pastores fuerunt & Episcopi, fuerunt Doctores eorum quorum non erant pastores, vt Ambrosius, Augustinus, &c. *Certè nemo quamuis sanctus sit*, inquit Hieronymus [a], *pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit.* Optat verò & hortatur [b] Concilium Trident. vt dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis insignibus conferantur tantùm magistris vel Doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel iure canonico. Docet præterea [c] propriũ Episcopi munus esse Dei verbum prædicare. Cæterùm ex humana institutione sunt eiuscemodi gradus, ad quos pertinent qui olim ecclesiasticæ Scholæ præerant Heraclas, Pantænus, Clemens Alex. Origenes, Didymus, &c.

Ceremonias & iudicia.] Sunt Hebraicè חקים *chukkim*, & משפטים *mispatim*: Chaldaicè קימין *keiamin*, & דינין *dinin*: Græcè δικαιώματα & κρίσεις, quibus secundis κρίματα synonyma sunt. Significant autẽ præcepta ceremonialia & iudicialia, quæ seorsim exposita sunt à Mose extra Decalogũ, nec in tabulis illis lapideis descripta. De vi vocabulorum dictum est non semel: & perpendi adhoc potest in Græco quod iustificationes valet; quasi præcipua iustitiæ pars, maximúmque debitum sit Deum colere, ad quod per se referuntur ceremonialia præcepta.

Quæ facere deberetis.] Secundùm editiones alias *ad faciendum vos*, לעשתכם *laahasothchem*: למעבדכון *lemebhbadchon*: ποιεῖν ὑμᾶς. Dantur præcepta quæ seruari, & fieri, opereque impleri debeant.

In terra quam possessuri estis.] In reliquis editionibus (*in terra ad quam vos transitis, vel intratis, vt possideatis eam.*) Sic priùs versu 5. Non poterat maxima pars illorum præceptorum, præsertim ex ceremonialibus, seruari in deserto, vt cap. 12 [d]. significatur.

Vers. 15.] Custodite igitur solicitè animas vestras. Non vidistis aliquàm similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.

Affectibus plena est Mosis ista sub mortem oratio, vt adhuc liquebit magis in sequentibus. Non contentus semel proposuisse, repetit, inculcat, commendat idem sæpiùs: tum verò vt quàm diligentissimè caueant, ne vllo modo violent principes illud præceptum Decalogi, ac primùm virtualitérque, vt Caietanus loquitur, continens vniuersam legem diuini cultus, de non habendo alio Deo præter vnum verum [e]; qui locutus in Horeb de medio ignis cum tot aliis prodigiis, quando dictum præceptum tulit cum aliis nouem, nullam sui similitudinem, formam, figuram, speciem exhibuit, ne quam arriperet populus ansam fingendi sibi quodpiam simulacrum, seu idolum, idque more cæterarum Gentium venerandi & adorandi, perinde ac si verus Deus foret.

Istius versus prima pars præcessit ver. 9. *Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicitè.* Secunda in 12. *Locutúsque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.* Idcirco non erit hìc hærendum diutiùs.

Custodite igitur solicitè animas vestras.] Versu 9. erat Hebraicè, Chaldaicéque (*tantùm custodi temetipsum, & animam tuam valdè*) primaque dictio erat רק *rak*, & ultima מאד *mead*, & לחדא *lachda*: Græcè prima πρόσεχε, vltima σφόδρα: hic verò in eadem editione Græca,

Marginalia (left): a c.24. v.7. — b vers. 5. — c Exo. 20. 18.19.22. c.21.1. & seqq. — d c.19.24. c.20.18.19. 21. & seqq. cap.21.1. & seqq. — e vers. 13. & seqq. — f Exo. 24. 12. Deut. 5. 31. — g v. 4.5. — h vers. 21. — i c.30.20. — k c.2.23. — l Matth. 22. 16. Marci 12.14. Lucæ 20.21. — Explanatio. — m c.4.23. c.5.2. c.7.29. c.9.35. c.11.1. c.13.54. cap.21.23. Marci 1.21. 22. c.2.13. c.4.1. c.6.6. c.6.34. c.8.31. c.9.31. c.10.1. c.11.17. c.12.35. Lucæ 4.15. 31. c.5.3.17. c.6.6. c.13.10. c.19.47. c.20.1. c.21.37. c.23.5. Ioan. 6.59. cap. 7.14.28. c.8.2.20. — n Matth. 7.29. Marci 1.22. — o Matth. 26.55. Marci 14.49. Ioan. 18.20. — Primum pastoris officium quod. — p Ioan. 7.35. — q 1. Cor. 12.28. Ephes. 4.11. — r 1. Tim. 3.2. Tit. 1.9. — s in epist. ad Ephes. 4. — t epist. 59. — u hom. 19. in Ezech. — x in epist. ad Ephes. 4.

Marginalia (right): a suprà. — b sess. 24 de reform. c. 12. — Proprium Episcopi munus quod. — c sess. 5. c. 2. sess. 23. c. 1. sess. 24. c. 4. — Ceremonia & iudicia. — d v. 5. 8. 9. — Paraphr. — e Exo. 20. 4. — Explanatio.

ϰαὶ φυλάξασθε σφόδρα τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Indicari vult Rickelius ista phrasi vt caueatur ab omni diuinorum præceptorum transgressione, sed præsertim ab interiori impuritate. Importat potiùs, vt vitent periculum mortis, ac sub huius pœna caueant ne transgrediantur ea quæ præcipiuntur. Quo pacto reddit Vatablus (*cauete ergo accuratè quā cara vobis est anima vestra*.) Explicat nostet Mariana (*in animabus mente conseruate*) quia Hebraicè est (*custodite animabus vestris*, לנפשתיכם *lenaphscotheehem*) quo modo etiam extat Chaldaicè. Sed ל *le* seruire potest accusatiuo; & in datiuo custodire animæ, est adhibere custodiam erga ipsam.

Non vidistis aliquam similitudinem.] Pro similitudine habebatur versu 12 *forma*: sed aliarum editionum voces eædem quæ hoc loco, תמונה *themunah*, דמות *demuth*, ὁμοίωμα. Hic autem præterea in editionibus aliis præponitur particula causalis (*quia*, כי *ehi*, ארי *are*, ὅτι) & sententia tota sic exprimitur (*quia non vidistis omnem similitudinem*) id est, nullam. Vis autem particulæ causalis est, propterea custodire debere quemque solicitè animam suam, seu seipsum sub pœna mortis, ab idololatria; quoniam data opera noluit Deus in vlla certa forma & similitudine apparere populo, quando legem dedit. Nec ignotum Ethnicis fingi Deum effigie non posse.

a Statius.

Nulla [a] autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

In die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.] Versu 12. in simili sententia montem ponit sola editio Græca, sed non nomen montis. Idem mons versu 10. exprimitur Horeb sicut hîc: qui tamen alibi etiam Sina, vt ibidem annotaui. Denique adhuc Græcè hoc loco, mons & Horeb ponuntur, ἐν χωρὴβ, ἐν τῷ ὄρει, *in Horeb*, *in monte*: vt insinuetur superior pars ex qua locutus est Dominus, populo stante ad radices illius, vt dictum est vers. 11. secundùm editiones alias (*sub monte*.)

Vers. 16.] Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ.

Vers. 17.] Similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volantium,

Vers. 18.] Atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis.

PARAPHR.

Aperit idololatriæ periculum si fortè in aliqua similitudine Dominus apparuisset, ne nimirum illam imitantes aut exculpentes delaberentur eò, vt ipsam adorarent, talem putantes Dominum in quali similitudine visus fuisset. Primùm verò prohibet idololatriam circa sublunaria præsertim animalia, postea circa corpora cælestia. In his versibus agit de primis nominans cum vtroque sexu speciei humanæ potissimùm, genera animalium; terrestrium quæ super terram gradiuntur; & volatilium, & in terra repentium, & aquatilium, siue piscium. Ex his omnibus generibus idolorum ponit Abulensis exempla: ex primo mares Iouem, Saturnum, Martem; fœminas Iunonem, Dianam, Venerem, Vestam; ex secundo Apim Ægyptiorum, & canes, aliaque monstra; ex tertio Aquilam Iouis, columbam Veneris baiulam: pauonem Iunonis, eorum Phœbi; ex quarto ostracbouem, vt ipse nominat, quia Æsculapius Deus in sigotam, inquit, colubri cristati de Epiro Romam transuectus est, vbi in insula Tyberis colebatur; ex quinto, quia gentes aliquæ pisces colunt, ab eorum esu abstinentes, eo quòd Venus & Cupido in piscium imagine latuerunt, persequente Tiphœo, vt duos propterea pisces inter cæli signa locati fuerint. Noodum extabant pleraque idolorum istorum quo tempore viuebat Moses sub istis saltem vel formis, vel vocabulis: estque verisimile respectum habitum à Mose ad illa quæ colerentur ab Ægyptiis quibus cum tamdiu versati fuerant Hebræi, & ab aliis gentibus, quas in itinere ipso, vel non procul habuerant, vel quæ à Chananæis, in quorum regionem iamiam ingredi debebant. Herodotus [a] auctor est ab Ægyptiis Græcos accepisse duodecim nomina deorum, eósque primos aras, & imagines, & templa, βωμοὺς ϰαὶ ἀγάλματα, ϰαὶ νηοὺς, diis erexisse: præterea existimasse è piscibus squamosum sacrum esse & anguillam, ἐγχέλυν: ex auibus vulpanseres, χηναλώπεκας, & phœnicem. Strabo [b] recenset bouem, ouem, canem, felem, accipitrem, ibim, oxyriochum, latom piscem Nili, Cynocephalum, cetū, leonem, capram, hircum, murem, araneū, &c. Iuuenalis [c] crocodilon, porrum, cepe, oues, hœdos, Ibin, cercopithecum, piscem eanem.

a in Euterpe.

b lib. 17.

c Satyra 15.

——— *Quis nescit qualia demens*
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat, &c.

Et,

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum iugulare capellæ.

Similis Anaxandridis Rhodij comici sarcasmus [d] & reprehensio.

d apud Natalem Comitem l. mythologiæ. c. 7.

οὐϰ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγὼ
οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ' οὔθ' οἱ νόμοι
ἡμῶν δι' ἀλλήλων γὰρ ἀπέχουσι πολύ.
βοῦν προσϰυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς
τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα.
ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
οὐϰ ἐσθίεις ὕει'· ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι
μάλιστα τούτοις· ϰύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγὼ
τοὔψον ϰατεσθίουσαν ὅταν ἂν λάβω.

Haud esse vobiscum queo commilito
Concordibus nec moribus, nec legibus
Per maxima interualla differentibus.
Bouem colis: deis ego macto bouem.
Tu maximum anguillam deum putas; ego
Obsoniorum credidi suauissimum.
Carnes suillas tu caues; at gaudeo his maximè
Hus maximè. Canem colis, quem verbero
Edentem vbi deprehendo fortè obsonium.

Irridet eosdem effusè Prudentius [e]. Vt meritò idololatriæ matrem nominet Ægyptum Origenes [f]. Mitto celebres illos alios Ægyptiorum eorumdem deos Osirin, & Isin, solem nempe ac lunam. Abominationes Ægyptiorum quas se immolaturos Hebræi dicebant, erant [g] animalia quorum illi abominabantur cædem tanquam sacrilegam; vel ad edendum, vel ad sacrificandum, eò quòd pro diis colerent; quales tauri, oues, capræ & similia; vt ea etiā de causa pastores ouium detestarentur [h]. Moses item dixit [i], *si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij corā ipsis, lapidibus obruent nos.* De diis aliarum gentium legatur citatus Natalis, & in opere de diis Gentiū Lylius Giraldus, sed & Ciceronis libri de natura deorū; ac de Ægyptiis nominatim

e hymno 14. de S. Romano vers. 251. & seq.

f hom. 5. in Iosue & refertur 26. q. 2. cap. sed & illud.

g Exo. 8. 26.

h Gen. 46. 34.

i Exo. 8. 26.

nominatim tum iidem, tum Lactantius [a], Eusebius [b], ex Porphyrio, Augustinus [c], Athenagoras [d], Minutius [e], qui addit strepitus per pudenda corporis expressos inter adoratas ab iis res; Clemens [f] Rom. adiiciens cloacas, & alia innumerabilia quæ pudeat nominare; Plinius [g], Herodotus [h], Diodorus Siculus [i]: & ex Christianis auctoribus qui scripserunt contra Gentiles & idololatriam, necnon Augustinus in opere de ciuitate Dei, ac nominatim de idololatria Ægyptiaca ex Trismegisto [l]. Testantur eam quoque nomina ciuitatum apud Ægyptios Crocodilopolis, Lycopolis, Leontopolis, Latopolis, à crocodilo, lupo, leone, lato pisce. Apis item quia primus bouem instituit coli, & ipse bouis imagine cultus est, Mercurius canis, Isis vaccæ [k], &c.

Ne fortè decepti.] Hebraicè & Chaldaicè (*ne forte corrumpamini, aut peruersè perditéque quid agatis*, פֶּן תַּשְׁחִתוּן *pen thaschithun*, & דִּילְמָא תְחַבְּלוּן *dilemo thechabbelun*) Græcè μὴ ἀνομήσητε, *ne feceritis iniquitatem*, quo pacto legit etiam Augustinus [m] absque particula (πῶς) quam habent codices Complutenses, Regij, & alij, & præposito (μὴ) valet (*ne fortè*) Pro participio Latino in simili sententia [n] inferiùs alia diuersa habent editiones aliæ, vt & pro verbo decipiendi [o], quemadmodum & aliis in locis. Sed iterum in isto cap [p]. repetuntur eadem vocabula. Deceptio hæc iuxta vim Hebræi verbi & Chaldæi importat morum corruptionem, ea qua nimirum sequi solet infidelitas & idololatria. Græco verbo significatur summa iniquitas omni lege repugnans diuinæ, humanæ, naturali, positiuæ, &c. qualis in eodem illo peccato inest, in quod non delabitur subitò quis, sed in alia plura.

Faciatis vobis sculptam similitudinem.] Secundùm reliquas editiones (*& faciatis*) quia priore membro est verbum non participium. Legit Augustinus [q] (*sculptilem similitudinem*) quod potest significari per γλυπτὸν ὁμοίωμα: vel distinguendo, per sculptile, similitudinem. Hebræa sunt פֶּסֶל תְּמוּנָה *pesel themunah*: Chaldæa צַלְמָא דְמוּת *tsalma demuth*. De posteriore vtriusque editionis dictum priùs. Est פֶּסֶל *pesel*, de quo in Leuitico [r] dixi, simulachrum dedolatúmve è lapide aut ligno: & in Decalogi præcepto extat, vbi legitur [s]; *non facies tibi sculptile*, & alibi sæpe redditur eodem pacto. Chaldæum significat simplicem imaginem. Abulensis exponit sculptam similitudinem, statuam corpulentam, quæ per dolationem & cauationem fabricatur.

Aut imaginem.] Deest (*aut*) in editionibus aliis: & in nostra (*omnem*.) Augustinus [t] quoque legit (*aut omnem imaginem*.) Hanc textus Græcus vocat εἰκόνα: Hebræus סֶמֶל *semel*: Chaldæus צוּרָא *tsura*. Iungendo autem priori membro vertunt passim ex Hebræo & Chaldæo (*sculptilem similitudinem omnis, seu cuiuscunque figuræ*.) Reddit *idolum* Interpres alibi [u]. Chaldæum verò nomen exponitur per *figuram, formam, imaginem*. Cui simile צוּרָה *tsurah* idem valet, necnon *exemplar*. Augustinus [x], ex eóque Rabanus, Glossa, Hugo, & alij docent per similitudinem priùs positam, & imaginem hoc loco videri rem vnam significari: vel per similitudinem statuam, seu simulachrum non ex alicuius hominis lineamentis expressum; imaginem quod tali expressione fit: ita vt sit omnis imago similitudo, sed non è conuerso. Nam in geminis, inquit, similibus similitudo est alterius cuiuslibet; in altero non imago: sed si patri similis sit filius, rectè imago dicitur, vt sit pater πρωτότυπον, *prototypus*, id est, prima figura, vnde illa imago expressa videatur. Addit harum imaginû alias esse eiusdem substantiæ, vt patris & filij; alias non, vt picturam. Ad hunc secundum modum reuocat quod scribitur in Genesi [a]; *fecit Deus hominem ad imaginem suam*, quia non est eiusdem substantiæ cum illo, vtpote nó genita imago, sed facta. Quod autem ibidem non addatur (*& ad similitudinem*) sicut priùs [b], causam reddit, quia vbi imago, est etiá similitudo. Præterea notat in Decalogo prohiberi ne vlla fiat similitudo [c], non nominando imaginem; quoniam si non sit similitudo, nec imago est; & si imago, etiá similitudo. Denique docet vbi prohibetur similitudo & imago, intelligi de homine; vbi de irrationabilibus intelligitur animantibus, solum nomen similitudinis posuit: quia nemo sibi vnum canem constituit, vel huiusmodi, quem intuens, imaginem pingat, vel fingat, quod de hominibus vsitatum est. Hugo perstringit Augustinum hoc pacto: vt vel synonyma sint imago & similitudo, ac etiam idolû atque simulachrum, vel prima statua ad alicuius hominis imitationem facta: secunda ad nullius hominis lineamentorum imitationem. Vel prima ad imitationem alicuius rei particularis; secunda expressio rei cuiuscumque: vel prima pertinens tantùm ad hominem: secunda conueniens repræsentationi rei cuiuscumque: ita vt omnis imago sit similitudo; non item de quauis similitudine affirmetur quòd sit imago. De his omnibus vocabulis, egi alibi [d], déque Græco quòd hîc est εἰκών, & de imaginû licito, illicitóve vsu, & qua de causa quomodóque prohibitus Hebræis [e] fuerit. Cæterùm his omissis quæ spectant ad vocabula, & alia quæ modò dixi, Hecatæus apud Iosephû [f] refert in templo Iudæorum nullum simulachrum vel anathema fuisse: ac Iosephus ipse [g] obiicienti Apioni, quòd statuas Imperatoribus Iudæi non erigerent, respondit esse potius quòd Romanorum admirarentur magnitudinem atque modestiam; quoniam subiectos non cogebant patria iura transcendere: narrátque Iudæis interdictum omne imaginum genus. Id Tacitus [h] quoque voluit, scribens profanum Iudæos duxisse imagines deorum mortalibus materiis in species hominum effingere; mente sola numen vnû intelligere ac venerari: nulla simulachra in eorum vrbibus, nedum in templis, esse: non regibus hanc adulationem, non hunc Cæsaribus honorem adhiberi. De Iudæa itē cecinit Lucanus [i],

——— Dedita sacris
Incerti Iudæa Dei.

quia nulla similitudine vel nomine ipsum exprimebat: & de Iudæis Iuuenalis [k],

Nil præter nubes, & cæli numen adorant.

quod Aristophanes [l] de Socrate affirmauit, nimirum nubes adorauisse: & ingresso nebulam Mosi locutus est Deus dans legem [m]. Denique idcirco, & quoniam vnum dumtaxat colebat Deum, Iudæam gentem Plinius [n] contumelia numinum insignem vocat. Contendit vehementer Vasques [o] noster statuas & imagines omnes in veteri Testamento prohibitas, non tantùm ita vt non adorarentur, sed vt penitus non fierent, nec vllus earum vsus esset; eamque in Decalogo censeri legem ceremonialem, sicut & de sabbato; ad id tamen latam, vt præcideretur omnis occasio idololatriæ, de qua sit data alia distincta planè moralis, & de iure ipso naturæ. Vtitur autem potissimùm loci huiusce nostri testimonio; quod videatur vetitum, ne Deum etiam verum in aliqua eius similitudine adorarent, nó solùm id quod iure naturali

Marginal notes, left column: a lib. 2. cap. 15. lib. 5. c. 20. — b 1. de præp. c. 6. lib. 3. c. 2. — c 2. de ciu. c. 22. — d apolog. — e in Octauio. — f 5. recogn. — g lib. 8. c. 46. lib. 19. c. 6. — h lib. 2. — i apud Euseb. sup. — k lib. 8. de ciuit. c. 23. & seqq. — Explanatio. — l Viues in August. 8. de ciuit. c. 26. — m quæst. 4. — n vers. 19. — o c. 11. 16. c. 30. 17. — p vers. 25. — Statua & imagines prohibitæ. — q suprà. — r in c. 26. 1. — s Exo. 20. 4. — t quæst. 4. — u 2. Paral. 33. 7. 15. Ezech. 8. 5. — x suprà.

Marginal notes, right column: a c. 1. 26. — b vers. 27. — c Exo. 20. 4. — d in act. 17. 16. — e ibid. v. 25. & in c. 1. Ioã. 5. 21 in Sap. 13. 10. in Leuit. 26. 1. — f 1. cont. Apio. — g lib. 2. — h 5. hist. — i lib. 2. — k Satyra 14. — l in Nubibus. — m Exo. 19. 16. — n lib. 13. c. 4. — o 3. p. disp. 104.

prohibitum est, ne coleretur imago pro Deo. Si enim, inquit [a], licuisset Iudæis in imagine Deum adorare, sicut facimus; nec id Deus vetare voluisset; seipsum ostendisset Dominus sub aliqua figura, vt sub ea non tantùm tunc à populo adoraretur, sed vt etiam instar illius aliam effingerent, in qua deinceps ritu verè religioso coleretur. Ex Dei verò imagine argumentatur de aliis: quia periculum etiam suberat idololatriæ in aliis præsertim hominum, vnde illa orta primùm est [b]. Serpens æneus, vt libro priore [c] vidimus, factus est, sed iussu Dei, in signum dumtaxat sanitatis; non vt ei vlla veneratio exhiberetur, nequidem vt erat crucis Christi typus. Præcepit præterea Deus figuras Cherubim apponi lateribus arcæ [d]; quibus alias adiecit Salomon [e]; immò & in templo boum, leonum, palmarum, malogranatorum, non modò Cherubinorum [f]. Sed non erant eæ res factæ modo accommodato adorationi, hoc est, inquit idem Vasques [g], per se; verùm vt appendices, & additamenta in ornatum alterius; quemadmodum nec impressa in moneta imago Cæsaris tale vllum idololatriæ periculum præbebat. Vnde cùm Pilatus & Petronius præsides conati essent Tiberii, Caligulæque imagines Ierosolymis erigere, Iudæi nulla ratione passi sunt [h]: & Adriani statua per vim illata in templum, abominationis nomine, de qua Christus [i], à nonnullis intellecta est. Diodorus in catena Græca, quam Zephyrus Latinè conuertit, Cherubim efficta dicit, non vt adorarentur: sed vt arcam testimonij tanquam ministri protegerent & venerarentur. Tale quid cernimus de Angelis comitantibus ascendentem in cælum B. Virginem: immò & insignia quædam sustentantes; quos tunc venerari seorsim ac propriè non solemus. Ne autem, si per se diuersum præceptum sit, vetans imagines, ab eo, quo prohibetur cultus plurium deorum, plura sint quàm decem præcepta, contra Scripturam [k]; nomenque ipsum Decalogi: respondet Vasques [l], vel vnicum esse de non concupiscenda vxore proximi, & re quacumque illius: vel sub eodem vno contineri duo, de imaginibus non faciendis, & de non colendis alienis diis; quia eodem tenore verborum proferuntur; & ad eamdem virtutem religionis pertinet obseruatio vtriusque, violatio ad sacrilegium: quamuis præcipua sit prohibitio posterior; prior tantùm vt appendix respectu illius. Placet hæc sententia, de qua egi etiam aliàs locis hîc antea indicatis. Isidorus Clarius Munsterum, vt solet, transcribens notat Iudæos propter periculum idololatriæ prohibere quamlibet imaginem, etiam pro decore factam, præsertim imaginem hominis, quando sic est sculpta, vt membra foras prodeant. Secus, si imago sit per modum sigilli in materiam sculpta, vt non promineat. Idem iudicium esset de pictura. Apud Catholicos ipsos in Italia frequentantur multo sæpiùs piæ imagines pictæ, quàm sculptæ. Consule de tota re disputationes de adoratione apud enarratores Scholasticos, & Scriptores controuersiarum.

a sup. c. 3.
b Sapien. 14.
c cap. 21.
d Exo. 25.
e 3. Reg. 6.
f cap. 7.
g sup. c. 6.
h Ioseph. 18. antiq. c. 4. & 10. & 2. de bello. c. 8.
i Matth. 24. 15.
k Exod. 34. 28. Deut. 4. c. 9. c. 10.
l sup. c. 7.

Aut imaginem masculi vel feminæ.] Disiunctiuam particulam primo loco non habent editiones aliæ; nostra omisit (*omnem*:) pro imagine repetuntur Chaldæum & Græcum nomen quod iam præcessit דמות *demuth*, & ὁμοίωμα. Hebræum autem nouum est תבנית *thabnith*: quod à בנה *banah ædificare*, significat, inquit Oleaster, ædificium, seu quid ædificatum, & imaginem quatenus est quoddam ædificium. Reddit [m] alibi Interpres per similitudinem, aut descriptionem [a], nempe rerum ædificandarum, quem typum vocant vulgò *modello*, & *disegno*, Gallice *patron* & *pourtraict*, aut per exemplar [b], quod idem valet: rursus per imaginem [c], & Græcè indicatis locis nonnullis; nunc per ὁμοίωμα [d], nunc per παράδειγμα [e], nunc per μορφήν [f]. Masculus & femina de hominibus intelliguntur hoc loco ab Augustino [g], Rabano, Glossa interlineari, & aliis: legénsque Augustinus, vel indicans certè hanc lectionem (*omnem imaginem similitudinem masculi aut feminæ*) quæ congruit editioni Græcæ πᾶσαν εἰκόνα, ὁμοίωμα ἀρσενικοῦ ἢ θηλυκοῦ) ponit illud discrimen, de quo antea meminimus, vt imago & similitudo hominibus conueniant hoc loco, similitudo animantibus irrationabilibus. Mentio sequens hîc de istis animantibus suadet dictum sensum atque distinctionem. Alioqui sexuum diuersitas in brutis etiam est, ac iis vocabula masculi, & feminæ tribuuntur. Non habet hæc distinctio quæ generationi seruit, locum in spiritibus, multóque minùs in omnium primo, id est, in Deo. Vocauit quidem Deum Trismegistus [h] ἀρρενόθηλυν, *marem feminam*: sed propterea quod ὢν ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησε λόγῳ, ἕτερον νοῦν δημιουργόν, *cùm sit vita, & lux, genuit Verbum, quod alteram mentem*, id est, Spiritum sanctum (sed simul cum Deo Patre) *produxit*: quia in re functus est officio patris & matris, ac solus fecit quod in generatione creata mas cum femina.

m Exo. 25. 9. 1. Par. 28. 18. Psal. 105. 20. Ps. 143. 12.
a 1. Paral. 28. 11. 12.
b ibid. vers. 19.
c Isa. 44. 13.
d Exo. 25. 9. Psal. 105. 20. Ps. 143. 12.
e 1. Paral. 28. 11. 12. 19. Exo. 25. 9.
f Isa. 44. 13.
g quæst. 4.
h in Pimando c. 1. 3. 7.

Similitudinem omnium iumentorum, quæ sunt super terram.] Repetitur nomen תבנית *thabnith*: quod erat paulò antè de nouo positum: & alia pluries vsurpata דמות *demuth*, ac ὁμοίωμα. Iumenta, singularique numero בהמה *behemah*, בעירא *behira*, κτῆνος pro bestiis vniuersè sumuntur, vt multoties notatum est. Distinguuntur aliquando [i] iumenta, reptilia, bestiæ terræ: videntúrque primis designari animalia mansueta & domestica, opposita θηρίοις, id est, *feris*. At per iumenta, בהמה *behemah*, בעירא *behbira*, τὰ κτήνη, quæ introducta sunt in arcam, cum volucribus, & omni reptili terræ [k], debent intelligi etiam feræ. Nec domestica tantùm intellexit [l] Iob iubens interrogari iumenta, Græcè τετράποδα, *quadrupeda*: vel socij conquerentes reputatos se vt iumenta [m]: vel dicentes doceri se à Deo super illa [n]: posśétque idem exemplis aliis confirmari. Denique complectitur hoc nomen terrestre quadrupes aut domesticū, aut ferū, siue agreste, quod à reptili distinguitur. Lege commentarios [o] Psalmorum & Leuitici [p]. Iumentum Gellius [q] testatur veteres à iungendo dixisse, ita vt præterea significaret vectabulum ipsum, quod adiunctis pecoribus trahebatur, quasi diceres iugamentum. Habet id quoque Nonius [r]. Deriuat Columella [s] à iuuando, quod nostrum laborem vel onera subuectando, vel arando iuuet: quamuis ferè isto nomine intelligat equos, non boues [t]. Lactantius [u] inde idem deducens dici vult de animalibus magnarum virium, quæ in excolenda terra iuuant: quod bobus plerumque magis conuenit. Isidorus [x] posteriorem notationem explicat; quia bos, inquit, carpenta trahit, & durissimas terræ glebas vomere vertit. Equus & asinos portant onera, & hominum in gradiendo laborem temperant, &c. sunt enim magnarum virium animalia. Vocabuli Græci κτῆνος originatio est aut ἀπὸ τῆς κτήσεως, *à possessione*, quòd ea olim & diuitiæ præcipuè consisterent in pecoribus: aut ἀπὸ τοῦ κτείνειν, *interficere*, quia quadrupedum

Iumenta.
i Gen. 1. 24. 25.
k c. 6. 20.
l c. 12. 7.
m c. 18. 3.
n c. 35. 11.
o in Ps. 8. 8. in Ps. 49. 10. in Ps. 103. 14.
Iumenti etymon.
p in Leuit. 7. 21.
q lib. 12. c. 1.
r lib. 1. cap. 269.
s lib. 6. c. 3.
t lib. 1. c. 6. lib. 6. c. 19.
u lib. 2. c. 10.
x lib. 12. origin. c. 1.

dum genera quædam mactari solerent & immolari. Pro feris iumenta non reperit: licet ἄλλοι *feras* Cicero interpreteretur [a].

Vel auium sub cælo volantium.] Præponitur Hebraicè rursum, תַּבְנִית *thabnith*, דְּמוּת *demuth*, ὁμοίωμα: & כָּל *chol*, ac παντὸς, *omnis*: auiquæ singularia numeri collectiuè ponitur צִפּוֹר *tsippor*, צִפֹּר *tsippar*, ὄρνεον additur epithetum *pennata*, aut *alata*, siue *penna*, aut *ala*, hoc est, pennas alásve habentis כָּנָף *chanaph*, פָּרַח *parach*, πτερωτοῦ: pro (*sub cælo volantium*) quibus Græca similia sunt ὃ πέταται ὑπὸ τὸν οὐρανόν: Hebraicè (*in cælo*) Chaldaicè (*in aëre, seu per aërem firmamenti cæli*, בַּאֲוִיר רְקִיעַ שְׁמַיָּא *baauer rekiah schemaya*. Vbi אֲוִיר *auer* simile est nomini Latino *aer*, vt & hoc Græco ἀήρ. Synonyma sunt aues & volucres: & posterius nomen *volatum* indicat, sicut & πετεινὸν, quod æquè ac Latinum *volucris*, seorsim & per se pro aue accipitur [b]. Interdum exprimuntur etiam ab Interprete [c] *volucres pennatæ*, Hebraicè Chaldaicéque sicut hîc, Græcè πετεινὰ πτερωτά. Volare sub cælo propriè dicuntur aues, quia volant in aëre qui sub illo est. Cùm autem appellantur aues seu volucres cæli [d], cælum sumitur pro aëre. Docet id Basilius [e], Ambrosius [f], Isidorus [g], Augustinus [h], Hieronymus [i], Gregorius [k], & alij, citatque Isidorus Lucretium,

—Cælum, quod dicitur aer.

Rectiùs,

—in hoc cælo, qui dicitur aër.

Nec desunt profana exempla alia, éstque vulgatis loquendi modus, quo dicitur cælum nubilum, serenum, sudum, apertum, rubicundum, triste, &c. Quale & illud,

Cælum [l], *non animum mutant qui trans mare currunt.*

id est, qui aërem, regionem, locum mutant, νόμον, non τρόπον μεταλλάττουσι [m].

Atque reptilium quæ mouentur in terra.] Adhuc hîc replicant editiones aliæ nomina significantia similitudinem, aliúdve synonymum: & collectiuè vtuntur pro reptilibus, nominibus numeri singularis præposito (*omnis*) hoc pacto (*& similitudine omnis reptilis, vel repentis.*) Potuit denique iuxta Heb. & Chald. omitti circumlocutio (*quæ mouentur*) quoniam habent solùm רֶמֶשׂ *remes*, & רִחְשָׁא *rochscha*. Græca verò sunt ὁμοίωμα παντὸς ἑρπετοῦ ὃ ἕρπει ἐπὶ τῆς γῆς, *similitudinem omnis reptilis quod repit in terra*, seu *super terram*. Rectè porrò adiecta mentio terræ super quam reptilia mouentur: quoniam quandoque dicuntur pisces ipsi nomine reptilium, vt docui Psalmo 103.[n] *hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus*, vbi est quoque רֶמֶשׂ *remes*, & ἑρπετά: & attuli ex Bonauentura reptilis distinctionem in gressile, volatile, vermem, serpentem, piscem, lacertam, stellionem & similia secūdùm diuersam mouendi se rationem: postremò ex Isidoro [o], cur id nomen pisci tribuatur; nempe, quia reptandi habet speciem, & natando repit. Propriè & absolutè terrestre animal est reptile, vt & serpens, atque de tali vsurpantur repere ac serpere: quemadmodum ἕρπειν, καὶ ἕρπον, καὶ ἑρπετόν.

Siue piscium, qui sub terra morantur in aquis.] Secundùm editiones reliquas (*similitudinem omnis piscis, qui in aquis sub terra*, nimirum est.) Augustinus [p], legens prout est etiam Græcè (*similitudinem omnis piscis, & quæcumque sunt in aquis sub terra*, ὁμοίωμα παντὸς ἰχθύος ὅσα ἐστὶν ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς) & quærens quid hoc sit; an, inquit, & aquam propter tractabilem corpulentiam, terram intelligi voluit, & secundùm hoc in eo quod scriptum est, *fecit* [a] *Deus cælum & terram*, & aquas debemos accipere? Assiduè quippe Scriptura his duabus partibus commemoratis, vniuersum mundum vult intelligi, &c. An ideo dictum est *sub terra*, quòd terra nisi superior aquis esset, habitari vtique ab hominibus, & animalia terrena habere non posset? Rickelius explicat aquas iuxta ripas suas esse inferiores terra ne effluant: in mari in locis remotis à terra esse superiores terra, immò & montibus terræ, iuxta illud [b]; *super montes stabunt aquæ.* Oleaster declarat pisces non esse sub terra, sed sub aquis, dicique in aquis, sub terra, idest, in aquis quæ sunt sub terra, quoniam sub omni terra sunt aquæ, iuxta illud [c], *quia ipse super maria fundauit eam*, videlicet terram: licèt editio nostra habeat (*eum*) nempe orbem terrarum. Franciscus [d] Vallesius explicat pisces morari sub terra, quoniam sub aqua intra terræ cauernas se recondunt, vnúsque constat globus ex aqua & terra. Quidquid sit de ista controuersia, quam tractauimus in eorum Psalmorum, ac aliorum [e] commentario, & Petri [f], ac in philosophicis nondum vulgatis disputationibus: simplex ac verus sensus est per comparationem ad priora hîc memorata animantia iumentorum, volucrum, reptilium quæ vel in terra, vel circa terram versantur; pisces enim degunt in aquis, quæ respectu terræ in qua illa sunt, vel circa illam, inferiores sunt. Atque hoc sibi vult posterior Augustini responsio. De amphibiis siletur, quia facilè ad genus terrestre & aquaticum reuocantur.

Vers. 19.] Ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

QVod hactenus veritū est de animalibus, vetatur modò de cælis, atque de Sole, luna, & cunctis astris, vt vitetur diligenter istorum adoratio & cultus, cùm hominum vsui creauerit illa Dominus. Tanta eorum pulchritudo, vtilitas, incorruptibilitas, vel certè constans ac perpetuus status, quódque præterea nonnulli animata esse persuaserint sibi; item quia opinio erat hominem esse opus illorum; ita vt habeat cùm concipitur à sole spiritum; corpus à luna; à Marte sanguinem; ingenium à Mercurio; à Ioue desiderium; cupiditatem à Venere; à Saturno humorem: ob has, inquam, & similes alias causas Genethliacorum, faciliùs allicere ad se huiusmodi corpora homines potuerunt, & ab iisdem venerationem religiosam elicere. Vt propterea forsitan præceptum expressum de non faciendo sculptili, seu imagine, ac similitudine, hîc non repetatur; non solùm quia id ea dictis potest suppleri; verùm etiam, quoniam rerum perpetuò & continenter oculis subiectarum, ac per sese in sensus incurrentium, minùs necessariæ vel curandæ videbantur effigiationes; præsertim cùm non ita distinctæ fieri possent: licèt Ethnici signis quibusdam confictis siue Astrologi, siue Poëtæ, stellas astraque repræsentauerint. In c. 17. [g] cauetur seuerissimè vt lapidetur adorator alienorum deorum, ac nominatim Solis, & lunæ, & omnis militiæ cæli, hoc est, astrorum; quæ militia cæli præterea sub istomet nomine

 sæpiùs

a Aud. thes. Græc. ἄλλοι Gr. Aues.
b ps. 8. 9.
c ps. 148. 10.
Cælum pro aëre.
d Gen. 1. 30. c. 6. 7. c. 9. 2. 3. Reg. 14. 11. c. 16. 4. c. 21. 24. Iob 28. 21. c. 35. 11. ps. 8. 9. ps. 103. 12. Eccl. 10. 20. Ier. 7. 33. c. 9. 10. Baruc. 9. 17. Ezech. 38. 20. Dan. 2. 38. c. 3. 80. c. 4. 9. Ose. 2. 18. c. 4. 3. c. 7. 12. Matth. 8. 20. c. 13. 4. 32. Marc. 4. 4. 32. Luc. 8. 5. c. 9. 58. c. 13. 19.
e hom. 3. hexa.
f 2. hex. c. 4.
g 13. orig. c. 4.
h 2. de Gen. ad lit. c. 4. & alibi.
i l. 13. in Es. in fine & alibi.
k hom. 29. in euang.
l Hora. l. 1. epist. 11.
m Æschi. in Ctesiphon-tem.
n v. 25.
o 12. orig. c. 6.
Pisces.
p q. 5.

a Gen. 1. 1.
b ps. 103. 6.
c ps. 23. 3.
d de sacra phil. c. 23.
e in ps. 103. 3. in ps. 148. 4.
f 2. epist. 3. 5.
Paraphr.
g v. 2. & seqq.

sæpiùs [a] aliis in locis memoratur, in quibus etiã reprehenditur idololatria, sicut & rursus alibi, ac peculiariter sub vocabulis Solis, & Lunæ [b], & quidẽ etiã adoratorũ in Ægypto [c]: præterea Melchõ [d], Moloch [e], Remphã [f], quod appellatur sydus; item Astaroth [g], & Astarthe [*]. De Melchom, Moloch, Rempha egi locis ad marginẽ indicatis, docens duo prima vocabula videri synonyma pro Saturno, vel aliorum opinione pro Ioue; Rempham stellam Luciferi: & horum idololatriam vsurpatam ab Hebræis vel dum moraretur cum Deo Moses in monte; vel postea in deserto cùm seducti sunt à Moabitis [h]. Eiusdem postremò idoli, duo vltima nomina putantur formæ singularis & pluralis, atque præ aliis de idolo illo sententiis, quas expendunt de nostris Pineda [i], Serarius [k], Ioannes Fernandus [l], Ludouicus [m] Ballester, probabilior censetur de luna, vel Venere sub astri etiam figura; quæ Syriæ quoque cognominaretur dea; & quandoque regina cæli in Scriptura. Illud proposito congruit quòd Ethnici orientales stellas aut cælo inhærentes, aut simulachris idolisve in terra maximè venerati sint, vt testantur Horapollo [n], Philo [o], Macrobius [p], Strabo [q], Herodotus [r], Heliodorus [s]; præterea, quòd Astarthe vel Astaroth suuo ipso ac etymo consentit cum astro & Græca voce ἀστήρ, aut ἄστρον. siquidem, vt obseruauit Serarius [t], cognominatur Astarthe *ἀστροάρχη, οὐρανία, cælestis, regina cæli.* Macrobius [u] porrò docet relatos ad solem fuisse omnes deos, & sub aliarum appellationum varietate cultum, & quòd virtutes diuersæ Solis nomina diis dederunt.

Scilicet, inquit ille [x], *alterno voluit rudis illa vetustas*
Nomine, diuersas significare vices.

Et apud eundem Iupiter alloquens deos,

Cælicolæ mea membra Dei, quos nostra potestas
Officiis distincta facit.

Non ignorabant sapientiores Ethnici vnicum Deum esse; multitudine variam multiplicémque potentiam illius conabãtur significare; vt ex pluribus colligit obseruationibus Delrius [y] noster; ésque ipsimet Ethnicis auctoribus apud Iustinum [z] Martyrem, & Clementem [aa] Alex. siue plures ac penè innumerabiles reipsa distinxerint deos, siue numinis vnici multa nomina tantùm excogitauerint, ac ne quidem reuera vllum crediderint, vt atheus Plinius [bb], qui effigiem Dei formámque quærere imbecillitatis humanæ affirmat esse, & quòd fragilis laboriosaque mortalitas in partes digessit, infirmitatis suæ memor, vt portionibus quisque coleret quo maximè indigeret, vt proinde nomina alia aliis gentibus & numina in iisdem innumerabilia reperiantur; admonemur nos vnius solius cultores Dei, de adeò multis, ferèque infinitis beneficiis auctori illorum eidem vni soli Deo gratias habere & agere; atque quoad licet benefactis respondere & compensare. Inferunt hinc porrò aliqui [cc], hoc est, ex ministerio cælorum, nos esse dominos non solùm lucis & influentiarum illorum, sed eorundemmet cælorum; quamuis non possimus eos destruere, vel motum eorum impedire; quod etiam quamuis possemus, non liceret, sicut nec Noë licuit integram speciem cuiuspiam animalis destruere propter præiudicium damnúmque aliorum. Fauet Aquinas [dd]. Cælum autem cæli Domino canitur [ee] datum, terra filiis hominum, quantum ad peculiarem habitationem & sedem. Immò nec denegant Dominum in cælum ipsum empyreum, quatenus & tectum domus huius vniuersi corporei est, vt ea opinione eiusdem Aquinatis, aliorumque influit in hæc inferiora. Irenæus [a] ex hoc loco probat nullum dici Deum ac Dominum propriè nisi Patrem omnium, & Verbum, ac Spiritum sanctum. Origenes [b] argumentatur contra Celsum etiamsi concederetur cælom esse Deum, quod minimè conceditur; non sequi adorandum solem, lunam, stellas, quia nec partes cæli sunt, & quamuis essent, non sequitur esse numina. Simili argumento vtitur Iustinus [c] aduersùs Tryphonem ei quo vsum dixi Irenæum. Cælos porrò non esse animatos philosophicè ac theologicè alibi demonstratum est: nec desunt qui errorem ac hæresim in Origene damnatam putent diuersam ab ea, qua docuit animas humanas conditas in cælo ante corpora. Legatur præsertim Claudij Esperncæi [d] tractatus de cæli animatione, Adami [e] Tanneri nostri dissertatio de cælis, & quæ de eodem argumento scripsit Iulius Cæsar Lagalla. Adhuc quidem non ita constat de hæresi damnandos qui contrarium teneant, licèt propiùs ad fidem accedant qui negant. Ex eodem hoc loco nostro Tannerus arguit non solùm asserentes cælos animatos; verùm etiam quòd incolantur ab hominibus mortalem naturalémque vitam viuentibus, eo modo, quo apud Ciceronem [f] Xenophanes olim affirmauit habitari in luna, eámque esse terram multarum vrbium & montium. Super terram productum hominem Scriptura [g] tradit; hîc verò quòd astra creata sunt in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. Denique [h] cælum cæli Domino, terra data est filiis hominum, nec intelligitur quomodo ibi viuatur, an ad Ecclesiam pertineant, & ad redemptionem Christi, &c.

Ne fortè eleuatis oculis ad cælum.] Græcè (καὶ μήποτε ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, *& ne fortè respiciens in cælum.*) Vbi oculi non nominantur, qui satis in respiciendi verbo intelliguntur. Legit Irenæus (*ne quando respiciens in cælum, & videns solem & lunam & stellas, & omne ornamentum cæli*, &c. Monet autem Abulensis sententiam suspensiuam esse, & cum superiori ordinari; scilicet, *custodite animas vestras, ne fortè eleuatis oculis*, &c. Instinctu quodam naturali omnes in cælum sustollunt oculos opis gratia: & ad hoc se natum quidam Philosophus dixit, vt solem, cælúmque contemplaretur: & erecta idcirco statura præditus, cùm animantes reliquæ prona, quemadmodum obseruauit Basilius [i] aliíque, ac vulgare illud testatur carmen [k],

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram:
Os homini sublime dedit: cælúmque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Tritum præterea etymon Græci nominis ἄνθρωπος, quod hominem significat, vt sit non solùm ὁ ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, *perspiciens, attendens, contemplans ea quæ vidit*, oculisve notauit, adhibita animi ratiocinatione, quod alia non possunt animalia [l]: verùm etiam ὁ ἄνω ἀθρῶν, *sursum aspiciens* [m]. Homines humo excitatos Cicero [n] scribit, celsos & erectos constitutos à Deo, vt deorũ cognitionem cælum intuentes capere possent: quia sunt ex terra homines, non vt incolæ & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Item [o], quòd cùm cætera animantia abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad cæli quasi cognitionis domiciliíque pristini conspectum excitauit. Igitur meritò vt cauerẽt Hebræi ab idololatria moniti sunt, dum quod adeò naturale hominibus ac proprium

est, con

a 4.Reg.17.16.c.21.3.5. 2.Par.33.Ef.24.21.c.34.4.c.40.26. Ier.8.2.c.19.13.Sop.1.5. b Iob.31.26.4.Reg.23.5.11.Ier.43.13. Sop.1.5. c Ier.43.13. d 4.Reg.23.13.1.Paral.20.2.Ier.49.1.13. Amos 1.15. Sopho.1.5. e Leuit.18.21.c.20.2.3.4.5.3.Reg.11.5.7.33.1.4.23.10 Ier.32.35. Am.5.26. Actuũ 7.34-41. f Amos 5.26. Actuum 7.43. g Iud.2.13. c.3 7.c.10.6.1.Reg.7.3.4.c.12.10.c.31.10. 1.4.23.13.1. Par.6.71. * 3 Reg.11.5.33. h Num.25.2 & seqq. i 7.de reb. Salo c.11.§.3. k in Iudic. 2.q 2. l in thesau. scrip verbo Astaroth. m in onomatog verbo eodem. n in hieroglyph. o de monarch. p l.1.c.21. q lib.15. r lib.3. s l.10. t Iupid. u l.1.c.9.& 17. x Ouid.in Fastis. y in Herc. fur.v 448. z de monar. & in paræn. aa 5.Strom. bb l.2.c.7. cc Molina noster to.1. de iustit. tract.2.disp.18.Soto 4. de iust.q.2.a.1. dd 1 p.q.96.a.1.&.2.q.66.a.1. ee ps.113.16.

a l.3.c.6. b 5.contr. Celsum. c contr. Tryph. d c.12. e q.4. f 4.Acad. quæst. g Gen.1.28.c.2.7.c.3.23. Actuum 17.26. h ps.114.25. secundũ Hebr. Explanatio. i hom.9. hex. k Ouid.1. metam. l Plato in Cratyl. m Etymologutes. n 2 de nat. deor. o 1.de leg.

est, coniicerent sursum oculos in cælum, & ex tanta re errandi proniorem haberent occasionem.

Videas solem & lunam.] Illustriores hi & visiliores planetæ, ac in primis ab idololatris culti, & quidem ita, quemadmodum priùs dixi, vt deos omnes ferè referrent ad solem. Ex Diodoro [a] Siculo refert Eusebius [b], cùm Ægyptij primi omnium oculos in cælum sustulissent, motum, ordinem, & quantitates cælestium corporum admiratos, solem & lunam deos putasse, ac solem quidem Osirim, lunam Isim nuncupasse; quoniam Osiris multioculum significat, Isis priscam, & sol radios suos quasi multos rebus immittit oculos, quibus omnia perspicit, vt etiam poëta dicit,

ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει·

Solem, qui omnia videt, & omnia audit.

Epitheto πολυόφθαλμος simile apud Homerum ἑκατόγχειρος centimani ob radios & innumera beneficia. Præterea [c] vt quidem extat in textu Græco, tradit quod Phœnices & Ægyptij, vt fertur, primi omnium solem & lunam & astra deos professi sunt, & solos esse causas generationis atque corruptionis, *φοίνικες καὶ αἰγύπτιοι πρῶτοι ἁπάντων κατέχει λόγος, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας θεοὺς ἀποφῆναι: μόνους τε εἶναι τοὺς τῶν ὅλων γενέσεώς τε καὶ φθορᾶς αἰτίους.* Et quod ad solem attinet, idcirco post lucem primi diei, Solis corpus in quarto conditum narratur; necnon post germinationem terræ, vt obseruãt Philo [d], Basilius [e], Chrysostomus [f], Procopius [g], Seuerianus [h], Ambrosius [i], ne quis ascriberet soli germinum & rerum similium productionem, tanquam auctori, ac vt numen veneraretur. Soli assignatur rerum generatio velut patri, tanquam matri lunæ à Proclo [k], propter istiua humorem, & calorem illius, hoc est, vim calefaciendi & humectandi. Alter Proclus Lycius θεῶν ἄριστον cognominat deorum optimum. Macrobius [l] citat illum versum, qui est Homeri [m], & plura de sole ab Ægyptiis culto, quique sit idem cum Ioue & Apolline; coleretúrque ab Assyriis sub nomine Adad, quod significat vnũ (אחד echad id valet) potentissimúsque haberetur ac inuocaretur à sacerdotibus vt *παντοκράτωρ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς.* Græcis ἥλιος dicitur, quasi ἀλιὸς ab ἀλίζειν, quia conuocet homines in vnum simul atque exoritur; vel ab εἰλεῖν, quoniam circum terram voluitur; vel quòd quæ oriuntur è terra variet & alteret [n]. Ob quadrigam autem Solis confictam à poetis Eliam curru vectum Chrysostomus [o] quasi Hellon appellatũ per allusionem scribit. Latini vocabuli notissima notatio; quia solus ex omnibus syderibus tantus; quia cùm exoritur, obscuratis aliis apparet [p] solus. Hebræum שֶׁמֶשׁ *semes* deriuant à שַׁמֵּשׁ *sciammes*, quod Chaldaicè significat *ministrare*: minister enim Dei est, lucémque & calorem ministrando creaturis, Dei ac Domini sui præ cæteris cælis maximè gloriam enarrat [q]. Ipsomet nomine præfert sol ministerium atque seruitutem, monétque vt se viso coniiciat mentis oculos in auctorem ac Dominum suum. Lege quæ dixi in Psalmum 18. Leuitici cap. 22. [r] & Sapientiæ 16. [f] de hoc Solis ministerio. Ciuitatis Solis Ieremias [t] meminit in Ægypto, ad quam cóueniebatur quotannis ad solem in ipsius templo solenniter colendum. Græcè appellabatur Heliopolis, cuius mentio est in Genesi [u], & in Ezechiele [x]. Sub nomine autem ciuitatis solis apud Esaiam [y]; de cuius cultu Macrobius [z] apud Ægyptius, vocat Strabo [aa] sacerdotalem ciuitatem, idest, à sacerdotibus frequentatam & habitaram. Suspicantur [a] aliqui Hebræos quemadmodum ad Ægyptiorum imitationem conflauerant vitulos aureos [b], sic etiam ciuitatem ædificasse, quam ad eorundem normam vocauerint Bethsames, hoc est, domum Solis; cuius crebra mentio in Scriptura [c], vt & Bethsamitarum [d]. Est etiam qui arbitretur [e] ad auellendum hoc studiũ solem colendi non modò expressè ac nominatim inhibitam ipsius adorationem; sed etiam à Malachia [f] prædictum Domini aduentum sub nomine Solis iustitiæ. De Luna quam dici volunt quasi lucenam, seu Lucinam à luce, & σελήνην à σέλας & ἄνω, quod lucem habeat supernè à sole, aut vt *σέλας νέον, lumen nouum*, idest, mutuatum; eíque synonymam esse Iunonem, Dianam, Phœben, Luciferam, immò Cererem, Proserpinam, Venerem, non afferam plura; contentus dictis per occasionẽ de sole. Vtriusque encomia cum reliquis astris extant in libro Ecclesiastici [g], in quo disertè vocantur Dei vasa, & ab eo facta dicuntur, esséque ipsius opera: nominatur item regina cæli à Ieremia [h] aliquoties, ea quòd in cælo creata est vt præesset nocti, sicut sol vt diei [i]; qui sol rectè rex vocari cæli potest; ac pro verbo Latino Hebræum est מָלַךְ *malach* regnare, vnde regis reginæque planetis illis appellatio tributa; מֶלֶךְ *melech*, & מַלְכָּה *malchah*: & soli, vt nuper notaui, Moloch aut Melchom; qui Moloch coronam legitur gemmis excultam habuisse [k]. Reginam quoque cæli Apuleius [l] nuncupat, & matrem siderum, parentem temporum, orbísque totius dominam [m]. Virgilius eandem cum sole sub vocabulis Liberi, & Cereris, clarissima mundi lumina; sororem solis; etsi alij filiam. Orpheus [n] *θεὰν βασίλειαν, deam reginam*, & *ἀστράρχην, astrorum principem.* Postremò Hebræi vocabuli יָרֵחַ *iareach*, ratio assignatur ab הֵרִיחַ *heriach*, siue רִיחַ *riach*, aut רָוַח *rauach*, *respirare*, quòd noctu respirationem ac refrigerium præbeat rebus ardore Solis interdiu adustis. Non defuit ergo Ethnicis nonnulla species vmbraue rationis, cur cum sole lunam sibi ducerent adorandam, cùm præter facultates alias præpolleat pulchritudine, huiúsque symbolum habeatur: ac proinde sponsam pulchram, vt lunam cognominatam legamus in sacro epithalamio [o], quæ se decoloratam à sole dixerat [p] propter illius idololatriam, vt quibusdam placet: auctor Ecclesiastici [q] eam vocet resplendentem gloriosè, quamuis id alij de totis stellarum castris interpretentur: Laudans verò Oniam summum sacerdotem similem faciat Lunæ plenæ [r]; Horatius [f] Augustum micare canat inter omnes alios clarissimos viros, velut inter ignes Luna minores micat. Seneca [t] tanto pulchriorem afferat Hippolytum,

Clarior quanto micat orbe pleno, &c.

—Phœbe siue Luna.

Agnes affirmat quòd sui sponsi pulchritudinem sol & luna mirãtur. Plura noster Pineda [u] de idololatria Solis, & Lunæ; tum etiam quo pacto vitandæ illius causa quæ pertineret ad solem, adorarent Hebræi Deum ad Occidentem per orientalem portam ingredientes adoraturi, cuius oppositum aliis de causis Christiani factitent erectis Orientem versùs templis: quod & nos alibi notauimus; legíque præterea possunt de nostris Bellarminus [x], & Gretserus [y].

Et omnia astra cæli.] In editionibus aliis (*stellas, & omne ornamentum*, seu *ornatum*, vel *militiam cæli.*) Ornatum, seu ornamentum, aut militiam significat Hebræa vox צָבָא *tsaua*, vel *tsaba*, vnde leniùs proferendo Sabaoth, & Deus dominúsve Sabaoth,

Sol & Luna.
a l. 2. c. 2.
b 1. de præp. c. 6.
c c. 7.
d de opif. mundi.
e hom. 5. & 6. hex.
f in Gen. hom. 6.
g in Gen. 1.
h ibid. apud Lipom.
i 4. hex. c. 1.
k in Timæū Plato.
l l. 1. c. 23.
m Iliad. 3.
n Plato in Cratyl.
o hom. de ascens. Eliæ.
p Cice. 2. de nat. deor. & aliis.
q ps. 18. 7.
r v. 7.
f v. 28.
Ciuitas Solis, quæ Græcè Heliopolis.
t c. 43. 13.
u c. 41. 45.
x c. 46. 20. [sic: 51. c. 46. 20.]
z c. 30. 17.
y c. 19. 15.
z l. 1. c. 23.
aa l. 17.
a Sanctes noster in Ier. 43. 13.
b Exo. 32. 2. & seqq.
c Iosf. 15. 10. c. 19. 38. c. 21. 16. 2. Reg. 6. 9. 12. l. 3. 4. 9. l. 4. 11. 13. 2. Par. 25. 21. 23. c. 28. 18.
Luna etymon.
d 1. Reg. 6. 13. 14. 15. 18. 20.
e Magal. noster in Iosf. 18. sect. 1. annot. 2. n. 8.
f c. 4. 2.
g c. 43. 2. & seqq.
h c. 7. 18. c. 44. 17. 18. 19. 25.
i Gen. 1. 18.
k 1. Paral. 20.
l metamo. 11.
m Georg. 1.
n hymn. in Lunam.
o Cant. 6. 9.
p c. 1. 5.
q c. 43. 10.
r c. 50. 6.
f l. 1. ode 12.
t in Hipp. actu 2. in Choro.
u in Iob 31. 26. n. 1. & seqq.
x 3. de cultu sanct. c. 3.
y 1. de cruce c. 25.
Astra.

Sabaoth, vt pluries monui, nempe exercituum, seu militiæ, tum cælestis Angelorum & stellarum, tum humanæ, hominúmve. Exercitum valet Chaldæum nomen חֵילָא *chela*: ornatum dictio Græca κόσμος; legítque hoc loco Augustinus [a] (*stellas & omnem ornatum cæli*) Irenæus [b] *ornamentum*, Origenes [c] *stellas quibus mundus ornatur*. Astra Latini mutuantur è vocabulo Græco ἀστέρον, vel ἄστρον: tametsi velit Suidas, Eustathius & alij de vna stella dici ἀστέρα, ἄστρον de pluribus quæ vnum signum cæleste componant, vt leonem, vrsam, libram, &c. quod etiam de sidere asserunt Latini, déque astro, comparatis cum stella. Sed hæc nomina, inquit Isidorus [d], scriptores confundunt; & astra pro stellis, & stellas pro sideribus ponunt. Quod exemplis Græcis Latinísque ostendi nullo negotio potest. Si deducas ἀστέρα, vel ἄστρον ab ἵστημι, *sto*, cum α priuatiuo, dicetur cum Etymologo de planetis dumtaxat ob ἄστατον δρόμον, *instabilem cursum*: si à στηρίζειν *firmare*, vt sidus ab insidendo, quod vltimum Varronis [e] est, de fixis tantùm stellis: si ab αἴθειν, vt ex αἰθήρ fiat ἀήρ, quemadmodum docet Eustathius de omnibus, quæ fulgent, & aliquo modo etiam calefaciunt. Nec verò de corporum istorum idololatria pluribus agendum est.

Et errore deceptus adores ea & colas.] Irenæus (*errans adores ea, & seruias eis.*) Versu 16. erat (*ne fortè decepti*) cum verbis תִּשְׁתַּחֲווּן *thaschthauun*, תְּחַבְּלוּן *thechabbelun*, ἀνομήσητε:) hîc numero singulari cum נִדַּחְתָּ *niddachtha*, עָבַדְתָּ *thaabhde*, πλανηθείς) quæ posteriora extant quoque c. 30. [f] in simili sententia. Adorare & colere non ponuntur omnino synonymoè, vt nec etiam προσκυνεῖν & λατρεύειν: de quibus, vt & de Hebræis השתחוה *hischthachaueh*, & עבד *hhauad* actum alibi est, sed נדחת *niddachtha* significat *prosternaris*, & *impellaris*, ita vt corruas, vel deijcias te, seu proijcias, & quod indicatur secundo verbo *incurueris*, vel *incurues te*. Oleaster deiectionem referri putat posse ad hominis dignitatem, incuruationem ad corpus, vel ne quis deijci se sinat, & impelli à malo genio (id apostatæ Munsteri est) aut homine. Vatablus subaudit ne quis impellatur, ita vt corruat à fide pristina. Mariana noster insinuari significat vim tantam obiecti pulchri, vt impellat ac pertrahat.

Quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.] Ministerij vocabulum suppleuit Interpres. Gentes sub cælo cunctæ dicuntur, ad maiorem expressionem, non quòd super cælum, vel in cælo aliquæ sint. Nisi gentes dici quoque velis de Angelis sanctis qui cælum incolunt, in quorum ministerium astra creata non sunt, cùm ipsi sint spirituales & immateriales, ministerio corporeo non egentes, nec vti propriè pro se valentes. Pro verbo (*creauit*) Chaldæum זַמֵּין *zammen*) significat (*præparauit*;) atque ita etiam Græcè à nonnullis redditum testatur Theodoretus [g]. Hebræum חָלַק *chalak*, & Græcum ἀπένειμε, *diuisit, distribuit, impertiuit*. Caietanus id explicat iuxta narrationem libri Genesis [h] quòd primùm facta est lux; deinde diuisa hæc in solem, lunam, stellas, vt essent in signa, tempora, annos. Oleaster præter hoc ministerium & munus, quo gaudent omnes successione luminarium istorum diei & noctis; quia vnaquæque regio habet suam partem non modò lucis, verùm etiam influentiarum, & in omnem terram exiuit cursus seu linea eorum, vt sonant Hebræa vocabula Psalmi 18 [i]. Eugubinus, quoniam vnaquæque stella, sua in regione posita totóque cælo distributa terris inseruit, nominatim sol & luna per accessum & recessum: multæ tamen etiam numquam se in hemisphærio nostro ostendant: quia quælibet regio propter dictum accessum & recessum, ac vicissitudines, habet suas anni varias vario modo tempestates veris, æstatis, autumni, hyemis. Oriri facit Deus solem suum super bonos & malos [a]: licèt, inquit Abulensis, aliquando in istis aliqua specialiter facta sint ad seruitium bonorum, quæ numquam pro malis, vt statio Solis pro Iosue [b]; retrogradatio eiusdem pro Ezechia [c]. Addi posse viderentur ex Deboræ cantico [d] stellæ; quæ manentes in ordine & cursu suo aduersùs Sisaram pugnauerunt, licèt diuersis id modis declaretur apud Serarium [e] nostrum; qui similia refert de Atlantico bello ex Platone [f], éxque illius Scholiaste Marsilio [g]. Augustinus [h] legens (*quæ distribuit Dominus Deus tuus ea omnibus gentibus quæ sunt sub cælo*) non ita dictum notat, tanquam Deus præceperit ea coli à gentibus, à solo autem populo suo non coli: sed aut quòd Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cælestibus, & tamen hoc præsciens creauerit eas: cum verò populum suum futurum esse præsciuerit, qui ista non coleret: Aut vt intelligatur vsus, qui commendatur in Genesi [i] (de quo antè dixi) quem vsum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus; non autem cultum, quem habent aliæ gentes. Transcripsit hæc Rabanus, Glossa, Rickelius, Paulus Burgensis. Vltimi duo & Abulensis reijciunt Hebræos, exponentes quòd sicut Deus deputauit ad custodias singularum gentium singulos Angelos [k], sic etiam singula astra, quibus gentes singulæ exhibebant cultum. Apostata Munsterus impietatis arguit R. Abenezra, & auctorem fasciculi myrrhæ, quòd gentes stellarum decretis sint subiectæ: Iudæi immunes, Domino noxias auertente influentias, ac per seipsos regente. Confutat præterea Lyranum Burgensis, argumentantem, si creaturæ humanæ non debet impendi latria, multo minùs corporibus cælestibus, quæ propter hominem facta sunt; quia non erat notum his quibus Moses loquebatur cæli motum ordinatum esse ad complementum numeri electorum, quod Lyranus probat ex Apocalypsi [l]: quia quamuis id concedatur, non sequitur maiorem in hæc inferiora efficaciam non inesse astris, quàm aliis rebus, quarum similitudines hîc fieri vetantur: quia dignior creatura dici potest facta propter inferiorem, quemadmodum Angeli custodes administratoriique spiritus. Quamquam rectè Rickelius admonet, ministerium istorum, sicut & prælatorum, dignationis esse, dignitatísque; non autem illorum corporum. Immò ex ministerio istorum colligit non esse animata: & Lyráni argumentationem defendit; vt sanè benè intellecta defendi potest. Certè si cælorum animæ in gratia sint & beatæ, coli possunt cæli & inuocari: si adhuc in via, obnoxiæ sunt peccati damnationísque periculo, & cùm nondum damnatæ sint à quibus adeò beneficæ ac honorificæ in tam nobilibus corporibus obeantur, si tandem damnabuntur, detrudendæ erunt cum suis corporibus, idest, cum cælis, in infernum. Quæ absurda sunt: atque adhuc absurdius creatas asserere in puro statu naturali absque vlla habitudine ad finem supernaturalem. Ex nuper allatis elicitur, & longiore adhuc inductione ostendere difficile non est à peculiaribus seu prouinciis seu nationibus astra peculiaria & propria pro diis habita fuisse. Placet ex allatis ab Augustino posterior expositio; quam pridem antea in Psalmorum [m] commentario confirmaui

aduersiis

Margin notes: a q. 6. b l. 5. c. 6. c 5. cont. Celsum. d 3. etym. c. 59. e 6. de lingua Lat. f v. 17. *Adorandi & colendi verba.* g q. 1. h c. 1. 3. i vers. 5. a Matth. 5. 45. b Ios. 10. 12. 13. c 4. Reg. 20. 9. & seqq. Esa. 38. 8. d Iud. 5. 20. e ibid. q. 11. f in Timæo, ex Critia. g in Timæi c. 4. & 5. h q. 6. i c. 1. 14. k Dan. 10. 13. l c. 10. 6. *Ministerium Angelorum, & prælatorum.* *Astra peculiaria pro diis habita.* m in ps. 19. 5.

aduersus quemdam, qui, iuxta priorem interpretatur Deum creasse astra in ministerium gentibus; vel, vt sonat [illegible], distribuisse, quia permisit vt pariter eam inter se ac pro diis haberent: id namque verbum vsurpari etiam cum quid in solidum datur multis, non diuersis per diuersas partes, quemadmodum & Latinum *impertiri*: & Chaldæum, vt paulò priùs monui præparationem significare. Attamen priorem expositionem legi non in Procopio tantùm, sed etiam in catena Græca m.s. nempe dici Deum distribuisse: quoniam qui ex longanimitate aliquid non prohibet, auctor eius censetur. Quod aliis similibus confirmat Procopius. Anonymus verò in catena talium opinionem stultam appellat, qui existimarint distributa esse dicta corpora, vt adorarentur. Iustinus [a] explicat permissionem, dicens scriptum esse *[illegible] gentibus permisisse Deum, vt tanquam deos adorarent*: atque ita quandoque in Scripturis haberi; *Dominus, Deus deorum est, & Dominus dominorum*: tamen exprimi etiam quòd dij gentium dæmonia sunt [b].

a in Tryphonem.

b ps. 95. 5.

Vers. 20.] Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die.

Paraphr. **B**Eneficium quidem illud cunctis populis commune fuit ex Solis, lunæ, astrorum tam vtili ministerio, de quo dictum est. Sed multò maiora, & magis peculiaria contulit Deus beneficia Hebræis; quos de durissima captiuitate ac summis laboribus in Ægypto tamdiu toleratis liberatos mirabiliter, in peculiarem sibi populum, & velut propriam hæreditatem, per continuas generationum successiones, elegit; communicando veram sui cognitionem, & leges præscribendo ac ritus, quibus singulari quodam modo religiosius coleretur; sicque insigniter à cunctis aliis populis discerneretur, & verò etiam timeretur atque laudaretur.

Explanatio. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti.*] Chaldaicè pro primis quatuor vocibus est (*vos autem applicauit*, vel *appropinquare sibi fecit Dominus ad timorem suum*, [illegible] *vesathchon kareb Iehouah ledehalthel.*) Per fornacem ferri siue ferream ex Ægypto, seu Ægypti, quæ vocatur [illegible] *chur*, [illegible] *chura*, [illegible]; & valent duo prima nomina vas in quo aurifex fundit argentum aurumve, qui Latinè catinus dicitur; vltimum, idest, fornax; idem quod caminus, quem Græci etiam *κάμινον* vocant, à Latino nomine camini, vt quidam volunt, mutuati, vel *ἀπὸ τοῦ καύματος*, à *calore*, sicut fornax ab igne, quia *[illegible]* est [c]: per hanc, inquam, fornacem communiter intelligitur captiuitas Ægyptiaca & seruitus, quæ fortiter inclusos Hebræos tenebat, grauiterque torquebat. Lyranus explicat literaliter de lateribus, quos in fornace coquere cogebantur [d]: cognominari verò ferream fornacem; quoniam seruitus illa durissima erat. Rickelius vtrumque coniungit, grauissimam seruitutem, & tributariorum ferocitatem, cum lateribus, quos coquebant in furnis. Caietanus etiam sumit ad literam, quod seruirent fornaci, coquendo lateres: ferream appellari, à similitudine effectus; quia dura, & domans valdè velut ferrum, erat oppressio illa. Oleaster appositiuè Ægyptum accipiens, quia Hebraicè est (*e fornace ferrea in Ægypto*) declarat, quoniam ibi Israelitæ decoqui simul cum lateribus, quos decoquebant, videbantur: aut quia tam contracti erant sicut lateres in fornace: aut quia erat grauis afflictio eorum; quo pacto apud Esaiam [a] vocatur caminus paupertatis, [illegible] *[illegible], caminus fornacis afflictionis*, Chaldaicè *angustiæ paupertatis*, [illegible] *[illegible]*; vnde elegerit, seu eruerit Dominus post excoctionem & purgationem: in libro autem Ecclesiastici [b] [illegible], *caminus [illegible]*. Salomon in sua oratione ad Deum in templi dedicatione inter alia sic loquitur, *Populus* [c] *enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti de medio fornacis ferreæ*, [illegible] *[illegible] habbarzel*, [illegible] *[illegible]*; [illegible]. Significat verò [illegible] [illegible] *fornacem, caminum, catinum, infundibulum, conflatorium*, vas denique aurificis, in quo, vt antè dixi, aurum vel argentum infunditur. Ipsemet Deus Ieremiæ [d] præcepit vt pronunciaret maledictum virum qui non audiret verba pacti quod præcepit patribus in die qua eduxerat eos de terra Ægypti de fornace ferrea. Vbi eadem sunt verba quæ hoc loco secundùm omnes editiones: & pactum præceptum dicitur in alia die, quia non multo post eam tempore. Comparatio ex dicto illo instrumento, in quo aurum argentumve purgatur & excoquitur, frequenter occurrit in Scriptura [e], & à nobis non semel declarata est. Proposito aptabitur quatenus afflictiones veluti coquunt homines, vt metalla in fornace liquantur: & epithetum ferreæ non indicat fornacem ferream; nec enim ex hac materia est huiusmodi instrumentum, vel in quo lateres coquuntur, sed vt oppressiones durissimæ denotentur. Sic Mariana notat. Abulensis verò prior admonuerat ferream laterum fornacem non fuisse: sed & aliquos hic habere de catena ferrea. Hoc vitium alienius est à vocabulis editionum reliquarum, quibus in nostra *fornax* respondet: quamuis in Leuitico [f] indicatur Deus dicens; *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis recti.* Ratione autem allusio potest ad laborem coquendi lateres, non propter fornacem tamen ferream. Ad similitudinem perducta dicitur vita Hebræorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur [g]. Consule commentarium Leuitici. Porrò quòd scribitur Abraham eductus à Deo de Vr Chaldæorum [h], & exponitur quòd eduxerit eum Deus de igne illorum, quoniam ignem significat Vr, positque nonnunquam [i] Interpres pro nominibus locorum & hominum etymologias illorum; declarant aliqui non solùm de vrbe sic appellata, & à Plinio [l] Vria; quia coleretur ibi ignis, quemadmodum in Heliopoli Sol, vt superius dixi; nec tantùm de igne vt est symbolum tribulationis [m], quam passus sit Abraham eo quòd noluisset ignem adorare [n]; nec de doctrina dumtaxat, quam Vr quoque valet, sicut Vr in doctrina (praua nimirum seu idololatriæ) Chaldæorum; sed etiam de vera ignis fornace, in quam eadem de causa coniectus fuerit, sed miraculo liberatus, vt meminit Hieronymus [o], & imitatur Scripturam memorans eam eductionem vt rem insignem; item Ecclesia, dum orat pro moribundo, vt eum liberet Deus ab angustiis mortis, & ab igne gehennæ, sicut liberauit Abraham de Vr (nempe de igne) Chaldæo-

c Isid. 19. etymo. c. 6.

Fornax pro captiuitate Ægyptiaca.

d Exo. 1. 11. 14. & 5. 7. & seqq.

a c. 48. 10.

b c. 43.

c 3. Reg. 8. 51.

d c. 11. 3. 4.

e Prou. 17. 21. Eccl. 27. 6. Sapien. 3. 6. Iob 23. 10. ps. 16. 3. ps. 65. 10. 1. Pet. 1. 7.

f c. 26. 13.

g Exod. 1. 14. & 5. 7. & seqq.

h Gen. 15. 7. 2. Esd. 9. 7.

k Gen. 28. 19. 23. Iudi. 15. 19. ps. 59. 3. &c.

m ps. 16. 3. ps. 65. 12. &c.

n Ioseph. 1. antiq. c. 7. August. 16. de ciu. c. 13.

o in trad. Hebr.

Chaldæo

Chaldæorum. Quidquid sit de Abraham, in cuius illo igne, si recipiatur, quædam falsa inseruntur, vt noster ostēdit Cornelius [a], & de nostris meram fabulam reputant Pererius [b], Delrius [c], Mariana [d]; si recipiamus etiam hîc siue vt literalem sensum, siue vt allusionem ad lateres coctos, non erit verum, vt nec per se verū arbitror, ad solem tantùm & non in igne lateres illos Ægyptios coctos fuisse, vt sentit tamen Barradius [e] noster; negans expositionem loci nostri de lateribus: nec probabile est, quod ipse concedit, Ægyptios tam vilia ædificia excitasse operâ Hebræorum ex eiusmodi lateribus; cùm potiùs ea materia conferat ad firmitudinem & diuturnitatem ædificij; teste Plinio [f]; ac de lateribus dictis in Ægypto ab Hebræis confectis Pererius [g] noster affirmet. Optima demum interpretatio videtur de duriore & acerbiore captiuitate, quæ meritò conferri possit cum pœna ignis, intra fornacem inclusi. Hæc mēs Augustini [h], qui docens de lapidatione dici pœnam ignis in Iosue [i], probat ex hoc nostro loco, ita vt ignis de quauis pœna intelligatur: & hîc dura tribulatio. Quod obseruauit quoque Martinus [k] Cantapetrensis, nósque aliàs. In locutionibus præterea loci huius idem Augustinus explicat duram tribulationem, vt & illud ex Psalmo [l] de Ioseph; *ferrum pertransijt animam eius*. Fornacem ferream Ambrosius [m] appellatam docet, quia dura, & mortis perpetuæ; quæ euadi non poterat, quæ omnes consumeret, in qua solus dolor luctúsque: quoniam nullius adhuc in Ægypto opera virtutum lucebat, nullius aurum illic comprobatum, nullius plumbum iniquitatis exustum. At verò fornax, inquit, in qua Ananias, Azarias, Misael hymnum Deo canebant, fornax aurea illa, non ferrea, per quam toto orbe sapientia fide deuotionis illuxit, &c. Et fortasse eadem fornax ferrea fragilibus est, aurea perseuerantibus. In hac videlicet fornace tanquam aurum electi probantur, inueniunturque digni Deo [n], nec inuenitur in eis iniquitas [o]: vel certè consumitur vt scoria. Arbitratur Ribera [p] noster (quem sequitur ex eodem ordine Ioannes [q] Osorius) quod ferreum est, in Scriptura in malam partem accipi solere, & pœnam afflictionémque duram significare; probat verò ex hoc loco nostro, ex virga ferrea [r], iugo ferreo [s], manicis ferreis [t]. At in commentario Psalmorum [u] docuit ex Ambrosio siue Mediolanensi, siue potiùs Ansberto [x], legem nouam dici virgam ferream, veterem ligneam: præterea columnam ferream de quodam Propheta [y]; ferreum cornu de Ecclesia [z], vt noster item obseruat Martinus [aa] Roa, & Ribera ipse sic accipit apud Michæam ferreum cornu, saltem sensu allegorico & tropologico. Distinguit Bercorius [bb] fornacem dilectionis, indicatam per fumum quasi de fornace exeuntem in monte cùm lex data [cc] est; tentationis, significatam per eam in qua faber, idest, diabolus, sedens iuxta incudem, concertatur, & vox mallei innouat aurem eius [dd]: tribulationis, figuratam in fornace Babylonis ex qua pueri egressi sunt illæsi [ee], quia vasa figuli probat fornax [ff]: damnationis, quam hæc nostra ferrea innuit, & de qua filij Israël, hoc est, Sancti, eripiantur, mali consumantur & deuorentur, iuxta illud Ezechielis [gg]; *omnes isti*, scilicet damnati, *as & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt*. Citatur hac ipsa de re Mauritius à Bercorio; at ex illius dictionario vltra literā E, nihil vulgatum est. Similia sunt apud eundem Bercorium [hh] de camino auilorum amore,

a in Genes. 11.28. b ibidem. c ibidem. d ibidem. e 1. itinera- rij filiorum Israel. c. 6. num. 3. f lib. 7. c. 56. lib. 35. c. 14. g in Exod. 5. disp. 3. h in Iosue q. 9. i c. 7. 25. k hypoty. regul. 29. l ps. 104. 18. m in ps. 118. serm. 20. n Sap. 3. 6. o ps. 16. 3. p in Apoc. 2. 26. n. 44. q tomo 4. conc. pro Victoria. r ps. 2. 9. Ap. s c. 19. s Deut. 28. 48. t ps. 149. 8. u in ps. 2. x in Ap. 2. y Ier. 1. 18. z Michæ. 4. 13. aa 2. singul. c. 5. & 6. bb diction. moral. verbo *fornax*. cc Exod. 19. 20. dd Eccl. 38. 29. 30. ee Dan. 3. 6. & seqq. ff Eccl. 27. 6. gg c. 22. 18. 20. hh sup. verbo *caminus*.

deuotione, contritione feruentium, de quo in Apocalypsi [a] de pedibus (qui denotant affectus) filij hominis, similibus orichalco sicut in camino ignis ardenti; qui præterea dicitur Domini caminus in Ierusalem [b]: de camino tribulationum, quem tyranni succendunt, & in quo boni purgantur & probantur; diciturque caminus humiliationis, in quo sunt homines receptibiles [c], & caminus paupertatis, in quo Deus eligit [d]: de camino iracundiæ, luxuriæ, auaritiæ, in quo furore iniqui fremunt, & quem designauit caminus, ex quo cinis ablatus est, sparsúsque in cælum, & facta sunt vlcera in hominibus & iumentis [e]; ita vt quemadmodum ante ignem camini vapor & fumus inaltatur: sic ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ [f]: de camino inferni vbi damnati stridore dolent, & in quem angeli malos [g] mittent. Mauritius [h] distinguit caminum patientiæ [i], paupertatis [k], caritatis [l], pœnæ [m] temporalis, iudicij [n], pœnæ [o] æternæ. Lege præterea syluæ allegoriarum auctorem [p]. Nouos homines facere volens Deus in fornacem ferream Ægypti conclusit & immisit, sed ipsi, ait Oleaster, adhuc terrena sapiunt, & non quæ Dei sunt. Vtinam, subdit ipse, Domine Deus me dignareris in fornacem mittere, vt inde me nouum extraheres hominem, qui te ampliùs non offenderet!

Vt haberet populum hæreditarium.] Secundùm reliquas editiones (*vt essetis eis populus, populus hæreditatis*, נַחֲלָה *nachalah*, אַחֻזָּה *achsana*, vel *hæreditarius*, ἔγκληρος.) Vt sicut hæreditas transit per successiones generationum, ita & populum Deus haberet cultorem sui in patribus, filiis, nepotibus, pronepotibus, natis natorum, quique nascerentur ab eis, seu in omnibus posteris. Vocatur eodem pacto alibi [q] populus idem hæreditas Domini: ratióque huius iuris redditur, quia redemerit Deus illum, educendo mirabiliter de Ægypto [r]. Immò & mons hæreditatis eius dicitur, in quem introduxit & plantauit firmissimè populum suum [s]. Vicissim Deus vocatur hæreditas hominum [t], sed peculiariter Leuitarum; qui propterea sortem inter alias tribus non acceperunt [u]. De his formulis consule commentarios nostros ad notata in margine loca. Eodem sensu videtur accipiendum quod scribitur visam in monte, in quo ascendebat, Dei hæreditatem [x], id est, promissam terram [y]. Habebatur à Deo ille populus tanquam filius [z] & hæres ipsius.

Sicut est in præsenti die.] Aliter in aliis editionibus (*sicut die hac*, vel, *in die hac*.) Lege versum 4. & c. prioris 14. vbi similis phrasis, vt & aliis locis [aa], inferiúsque hîc versu 38. vbi præsens dies idem valet quod hodierna; quod extat aliquoties inferiùs in hoc ipso libro.

Vers. 21.] Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros, & iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer Terram optimam, quam daturus est vobis.

QVod iam dixerat cap. 1. [bb] non mirandam Dei indignationem in populum, cùm sibi quoque iratus propter ipsos fuisset, dicens; *nec tu ingredieris illuc*: & cap. 3. [cc] dixisse ne vltrà loqueretur de hac re; nunc repetit, illis de causis quas iisdem locis protuli; vt disceret populus magni æstimare terram illam, qua priuari se dolebat:

a c. 1. 15. b Esa. 31. 9. c Eccl. 2. 5. d Esa. 48. 10. e Exo. 9. 8. f Eccl. 22. 30. g Matt. 13. 42. h diction. scripturæ verbo *caminus*. i Prou. 17. 3. Eccl. 2. 5. k Esa. 48. 10. l c. 31. 9. m Dan. 3. 17. 23. n Mal. 4. 1. o Matt. 13. 42. p verbo *Clibanus*.

Populus hæreditarius, alibi hæreditas Domini, & mons hæreditatis dicitur.

q Deut. 9. 26. 29. Ioel. 2. 17. c. 3. 2. Mich. 7. 14. 18. ps. 27. 8. c. 32. 12. ps. 32. 12. ps. 46. 5. ps. 67. 10. ps. 73. 2. ps. 77. 62. 71. ps. 78. 1. ps. 93. 5. 14. ps. 105. 5. 40.

Præsens dies idem quod hodiernus.

r Deut. 9. 26. 29. s Ex. 15. 17. t ps. 15. 5. u Num. 18. 20. Deu. 18. 2. Ios. 18. 7. x 2. Mach. 2. 4. y Deut. 34. 1. z Exo. 4. 22. aa Gen. 19. 37. c. 26. 33. PARAPHR. c. 32. 4. c. 35. 20. c. 47. 26. c. 48. 15. Ez. 20. 6. Num. 22. 30. & alibi. bb v. 37. cc v. 26.

lebat: eauere offensionem Dei, maximè per idololatriam, cuius mentio paulò ante facta est, eùm ob propriam haud adeò grauem culpam, & quidem ex occasione pertinacis populi contractam, inhibitus fuerit ei in terram promissam ingressus: amare ducem suum, & iamiam moriturum grato amore prosequi, atque mortui memoriam beneuolam conseruare, quem scirent ac meminissent ipsorum quodammodo causa, citiùs ex hac vita subtractum, & tamdiu tantopereque concupitæ terræ possessione priuatum, quam non oculis duntaxat, sed ipsa veluti manibus tenebat: reuereri, ac diligere Deum, qui concedebat maioribus profectò peccatis obstrictis magna ex parte, quod negabat Mosi propter lenius pridem iam obliteratum. Testificatur Moses, ait Caietanus, electionem diuinam præferentem eos sibi: quoniam illos elegisset ad possidendam terram promissionis, se autem reiecisset; vt idcirco vndique deberent Deum colere, qui & omnibus populis (quod priore versu dictum est) & sibimetipsi prælati essent. Vidimus quidem c.1. [a] & 2. [b] iurauisse Dominum iratum, quòd non videret quisquam de hominibus qui de illa detraxerant, terram sub iuramento promissam: idémque præterea extat in Psalmo 94. [c] & in epistola ad Hebræos [d]. Mosi ante hæc, ait Rickelius, non legitur Deus istud iurasse: sed quia Moses nunc ita resumit, credendum est: & quia post primam Dei sententiam de hac re Moses exorauit, vt posset terram promissionis intrare, verisimile reor, quòd Dominus denegando illam petitionem (nempe secunda vice factam) iurauit quòd Moses illuc non introiret. Er hoc mihi probatur. Quo autem pacto iuret Deus, ex alibi dictis peras. Hîc porrò habet locum, sicut & in aliis, quæ repetuntur, quod admonet Theodoretus [e], Prophetam nostrum cuncta hæc non vnica die edisseruisse, sed compluribus diebus doctrinam hanc proposuisse: sæpiúsque eosdem sermones replicauisse, vt continua repetitio firmiorem redderet memoriam. In catena Græca quam Franciscus Zephyrus Latinam fecit, Diodoto tribuitur hoc idem, vt & alia plura. Scripsit Philippensibus Paulus [f], eadem illis scribere, sibi quidem non *pigrum*, ὀκνηρὸν, *tædiosum*, מנא, *mana*, ipsis autem necessarium ἀσφαλὲς *tutum*, *securum*. Syriacè (*eo quòd cautos vos efficiunt*, מטל דלכון מזהרן, *metel dalcun mezaharan*. Sic Ioannes tortes in extrema senectute inculcabat; *filioli diligite inuicem*, respondens mirantibus, Domini præceptum esse, quod si solum fieret, sufficeret [g]. Cuius generis res [h] decies repetita placebat, & δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.

Iratúsque est Dominus contra me] Alibi [i] (*iratus mihi*.) Verbum autem Hebræum hîc, & capit. 1. [k] est התאנף *hithannaph*: Græcum ἐθυμώθη. in cap. 3. [l] יתעבר *ithbhabber*, & ὑπερεῖδε: Chaldæum vbique רגז *regaz*. Relege dictis locis annotata.

Propter sermones vestros,] Græcè περὶ τῶν λεγομένων ὑφ' ὑμῶν, *pro iis quæ dicebantur à vobis*. Citatis locis (*propter vos*) sermones populi fuerunt, quibus irgati sunt ad aquas contradictionis contra Mosem, simúlque ille cum fratre Aarone nonnihil diffidentiæ in Deum passi videntur [m]. Apud Rickelium non rectè legitur (*propter sermones meos*,) quia pronomen Græcum quod modò posui ὑμῶν, contradicit, & affixum Hebraicè, atque Chaldaicè דבריכם *dibrechem*, פתגמיכון *pithgamechon*. Rectè tamen explicat de culpa, in quam inciderit Moses occasione murmurationum & seditionum populi ad illas aquas contradictionis: vbi prolati sunt etiam nonnulli sermones à Mose, qui quandam diffidentiam præ se ferrent. Videtur se excusare sicut Adam [a], inquit Hugo. Sed hoc dicit, vt eos moneat & moueat ad pœnitentiam & timorem; cùm sibi tam grato, tam familiari Deo ipsum iratum asserit. Reprehendit Eugubinus L X X. quòd videantur morem Hebræorum ignorasse, vt præpositionem על *hhal*, quæ valet, *propter*, addant voci דבר *dauar*, hoc est, *verbo*, aut *rei*; & loco aduerbij totum proferant: ita vt resolui non debeat apud nos, & Græcos in id quod est (*propter verbum tuum*, aut *sermonem tuum*) sed (*propterea*) & hoc loco (*propter vos*.) Admitto morem illum Hebræum: licèt non ita occurrat cum nomine numeri pluralis: & licere potuerit Interpretibus reddere sensum: qui hoc loco est, vt causa cur iratus sit Deus Mosi, fuerit occasio, quam suis sermonibus iurgans populus ipsi dedit. Quare non fuit Eugubino timendum periculum, ne in errorem hîc laberemur.

Et iurauit.] De hoc iuramento dixi nunc primùm fieri mentionem, lectorémque reieci ad alium locum, in quo egerimus qua ratione conueniat Deo iurare.

Vt non transirem Iordanem.] Græcè (τοῦτον *hunc*:) quod pronomen demonstratiuum habent priore capite [b] omnes editiones in simili sententia (*nec enim transibis Iordanem istum*, הזה *hazzeh*, הירדן *hadden*, τοῦτον.) Subiectus erat oculis Mosis Iordanis, celeberrimus fluuius, vltráque ipsum promissa terra. Augustinus autem in locutionibus hac locutione indicari negat alium præter vnum Iordanem fuisse: arbitratur autem ex eadem locutione sæpe dici etiam hunc mundum, quasi alius sit.

Nec ingrederer terram optimam.] De qua Moses dixerat petens ingredi [c]: *transibo igitur*, & *videbo terram hanc optimam trans Iordanem*. Vtroque loco vtuntur editiones reliquæ positiuo epitheto terræ bonæ: caréntque Hebræa & Chaldæa comparatiuo & superlatiuo. Hinc porrò ducitur argumentum, remisso peccato, posse adhuc remanere debitum alicuius pœnæ temporalis; quemadmodum & ex cap. 32. huius libri nostri, necnon ex cap. 20. præcedentis: quoniam in pœnam cuiusdam diffidentiæ Moses cum Aarone, prohibiti sunt promissam terram intrare. Cuius generis est item vitio, quam Deus remisso peccato idololatriæ, repetiturum se dixit in Exodi cap. 32. de populo: mors filij Dauid ex adulterio, quamuis hoc remissum esset, vt est in 2. Regum cap. 12. & pestis in populum grassata, propterea quòd numerauerat eum idem Dauid, vt habetur cap. 24. mors inobedientis prophetæ, de qua lib. 3. c. 13. mors indignè communicantium, qui sic sunt correpti, vt non damnarentur, prout à Paulo in 1. ad Corinth. 11. notatum est: quæ quotidianæ ærumnæ, etiam naturalea, ex originali peccato exortæ, pósteque illud remissum, perseuerantes. Denique, si iustus in terra recipit, ait Sapiens Prouerbiorum cap. 11. quanto magis impius & peccator? Inde deducitur vsus pœnitentiarum vt voeant, ad satisfaciendum; articulus de purgatorio; doctrina de indulgentiis, & similia, quæ consequenter negantur ab hæreticis; qui præcisè negant vllam veram pœnam infligi post remissum peccatum; volentes ad monitionem tantùm

Marginal notes (left): a c.34.35. b v.14. c v.11. d c.3.11.18. c.4.3. e q.1. f Phil.3.1. g Hier. de script. Eccl. in Ioanne. h Hor. in arte. Explanatio. i c.1.37. c.3.26. k v.37. l v.26. m Num.20.12.

Marginal notes (right): a Gen.3.12. b v.17. c c.3.25.

tantum,& cautionem conducere,non ad vltionem pro qua satisfieri debeat,vel possit à nobis. Verùm hæc alibi disputantur.

Quam daturus est vobis.] Hebraicè & Chaldaicè (*quam Dominus dans vobis*, scilicet est, aut erit,aut fuit,idest,dat, dabit , dedit , *hæreditatem* siue *possessionem* , vel *in hæreditatem possessionémve.*) Græcè *ἣν κύριος ὁ θεὸς δίδωσιν ὑμῖν ἐν κλήρῳ* , *quam Dominus Deus dat vobis in sorte* , idest , vt sorte distribuatur inter vos , hoc est , nouem tribubus & dimidiæ: quia duabus & dimidiæ possessio iam data erat: & Leuitica habere non debebat:qua de re dictum non semel : quáque ratione dici possit quòd illam terram dabat Deus, vel dederat, vel daturus erat. Comparatio autem inter Mosem , cui negabatur, & populum, cui concedebatur , emphasim continet,paulò antè declaratam.

Vers.22.] Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem : vos transibitis , & possidebitis terram egregiam.

Paraphr.

MAgnitudinem beneficij ex promissa terra mox possidenda à populo,exaggerat,sæpiùs id nominando : & suam quodammodo conditionem infelicem memorando ; quòd in eam non sit intraturus , sed breui citra Iordanem moriturus, Prædictum fuerat communiter Mosi & Aaroni ad aquam contradictionis , fore vt non introducerent populos in dictam terram, [a] & de se seorsim id testatus est Moses cap.1. [b] vnde secutura erat mors amborum,priùs quàm iniretur eiusdem terræ possessio. De morte Aaron futura, mentio expressa facta est [c]. Vt autem illius mortem secutam narrauit Moses , [d] sic Mosis mors narrabitur vltimo c. libri nostri.In c.32.[e] iusso Mosi ascendere in Nebo , & videre terram Chanaan obtinendam à filiis Israel, dixit Deus, *morere in monte,sicut mortuus est frater tuus* : & exposita rursus illa mortis causa communi vtrique, adhuc repetitur disertè, quòd videret, sed non ingrederetur in eam terrã. Ex tam apertis locis istis ; & ex alio in libro Iosue [f] vbi Deus ipse mortuum asserit Mosem; & ex epistola Iudæ [g],scribentis de altercatione Michaëlis Archangeli cum diabolo super corpore illius; & ex Martyrologio,ac Menologio [h] ; Kalendario item Hebræorum , & Syrorum:atque ex aliis certissimè probatur Mosem mortuum esse. Qua de re postea redibit quæstio. Absconsionem , translationémve solam , non significat repetitum toties mortis nomen : & si non mortuus , sed à Domino,vt Enoch,& velut Elias, translatus Moses creditur,quomodo,inquit Rupertus [i],citans præsentem locum cum cæteris indicatis, pro indignatione vel ira Domini, reputabitur ? Nempe sic transferri,non indignationis, sed dignationis;non iræ, sed magnæ gratiæ est.

a Num.20. 12.63. b v.37. c Num.20. 26. d ibid. e v.49. & seqq. f c.1.2. g vers.9. h 4.Septem. i lib.2.in Deut. c.22.

Explanatio.

Ecce morior.] Habent editiones aliæ particulam causalem & pronomen (*ego enim* , כִּי אָנֹכִי *chi anochi* , אֲרֵי אֲנָא *are ana* , *ἐγὼ γάρ*) & in aliquot codicibus simul cum Complutensibus , & Regiis, est (*moriar*) atque sic etiam legit Abulensis, Verbum Græcum *ἀποθνήσκω* est præsentis temporis:participia מֵת *meth*,& מָאִית *mauth* seruiunt cuilibet tempori. Quod Esau dixisse legitur secundùm editionem nostram [k] , *en morior* , in cæteris dicitur (*en* seu *ecce ego vadens sum* , siue *vado ad moriendum* , siue *mori* , הִנֵּה אָנֹכִי הוֹלֵךְ לָמוּת *hinneh anochi holech lamuth* , הָא אֲנָא אָזֵיל לִמְמָת *ha ana azel lememath*, *ἰδοὺ ἐγὼ πορεύομαι τελευτᾶν*. Eadem phrasis bis de Iacob exprimitur ab omnibus editionibus eodem modo (*en* [a] *ego morior* , הִנֵּה אָנֹכִי מֵת *hinneh anochi meth*, הָא אֲנָא מָאִית *ha ana mauth* , *ἰδοὺ ἐγὼ ἀποθνήσκω* : quamuis in secundo loco variet Græca ponens *πρὸ τοῦ τελευτῆσαι* , *antequam moreretur*. Denique quando Rachel marito dixit ; *da* [b] *mihi liberos : alioquin moriar* : ex Hebræo & Chaldæo est (*& si non,mortua ego*) nempe sum,vel ero. Cùm dixit Deus Abimelech regi [c] (*en morieris propter mulierem*, &c. Græcè est,*ἰδοὺ ἀποθνήσκεις σύ*, *ecce morieris tu*, מֵת *meth*, מָאִית *mauth*. Idem de sententia Esaiæ ad Ezechiam (*morieris* [d] *tu,& non viues*) *ἀποθνήσκεις* , מֵת *meth*, מָאִית *mauth*.Est ergo sensus loci nostri (*en morior*) idest , decretum est vt moriar , breui moriar , vado vt moriar , tendo ad mortem quæ imminet,&c. Quod non abhorret à vulgari loquendi modo , quo qui se morti propinquum putat siue propter lethalem morbum, siue propter aliud periculum , mori se affirmat in præsenti tempore. Omnes quidem morimur , & quasi aquæ labimur in terram,quæ non reuertuntur:nec [e]:nec scias an meliùs vitam appelles mortem defluentem [f], vel mortem vitam defluentem. Sed tum maximè, cùm propior exitus vitæ est , ac proxima mors , morti se quisque asserere potest. Quamquam pro morte [g] defluente deprecari est, vt mors defluat & dilabatur ; quẽadmodum orauit Christus vt ab eo trãsiret calix [h].Legit ibi noster Interpres,*ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως* : quod extat passim *ῥύσεως* , & significat hoc *liberationem* , illud *defluxionem*.Comparationem vitæ cum fluuio tractat eruditè [i] Lælius Bisciola noster. *Quotidie morimur*,ait Seneca [k];*quotidie enim demitur aliqua pars vitæ* , &c. Item [l] , *omne momentum mors prioris est*. Quotidie se mori pronunciauit Paulus [m],& mortificari tota [n] die, idest, quotidianis obiici mortis periculis. Vtrùm momentum moriendi vitæ, vel morti tribuendum sit , disputant apud Gellium [o] Philosophi,recitante Tauro,ac nominatim citante Platonem [p] , póstque istos Augustinus [q]. Hîc non importunè neque incongruè accidisse ait, etsi non humana industria , iudicio fortasse diuino,vt hoc verbum,quod est(*moritur*)in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint ea regula , qua cætera talia declinantur , dicentes non (*mortus*) sicut ab orior ortus,sed mortuus , *u* littera geminata,more nominum,vt *fatuus,arduus,conspicuus* , quæ sunt nomina ac sine tempore declinantur. Illud autem vt declinetur , subdit ipse (reperit id etiam Isidorus [r]) quod declinari non potest , pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Tum infert. *Conuenienter itaque factum est, vt quemadmodum id quod significat , non potest agendo , ita ipsum verbum declinari loquendo , non possit. Agi tamen potest in adiutorio gratiæ Redemptoris nostri , vt saltem secundam mortem declinare possimus.*

k Gen.25. 32. a c.48.21. c.50.5. b c.30.1. c c.20.3. d 4 Reg.20. 1.Is.38.1. e 2.Reg.14. 14. f Eccl.38. 13. g ibid. h Matt.26. 39. i tom.2.horar.subsic. l.13.c.2. k epist.24. l epist.58. m 1.Cor. 15.31. n Rom.8. 36.ps.43. 22. o l.6 c.13. p in Parmenide. q 13.de ciuit.c.11. *Moriendi verbum.* r 12.etym. c.2.

In hac humo.] Synonymè (*in terra hac*) éstque אֶרֶץ *erets* , אֲדָמָה *adamah* , *γῆ* , quæ sæpiùs reddi per terram solent ; aliquando tamen etiam per humum : quamuis Grammatici [s] humum dici velint de humente aut compluta terra, quasi ab *ὕματος* vel ab humore:terram quòd pedibus teratur [t],vel à *χαμαὶ humum*. Eamdem esse terram & humum confirmat Varro [u] Ennij testimonio , ita vt nihil opus fuerit Eugubinum admonere humum terræ qualitatem denotare , terram pro regione sumi. Ab humo humatio,& humare,ad sepulturam pertinentia [x];vel ad iniectionem terræ, seu humi, seu pulueris, seu glebæ , seu telluris , seu arenæ super mortui

s Iul.Cæs. Scalig.1. de causis ling. Lat.c.26. t idé c.78. Varro 4. de ling. Latina c.4. *Humi etymon.* u 4.de ling. Lat.c.4. x Plin l.7.c. 54.Quintil. decla.5. Hor.lib.1. ode 28. Cic.2.de leg.

mortui cadauer [a]; sepulturæque officium Virgilius [b] solamen humandi nominauit. Inde homo, immò & humilis, quam virtutem humilitatis nomen ipsum hominis suggerit. Obseruat Oleaster graue sanctis fuisse non mori in terra sua, neque sepeliri cum suis, vt patuit in Iacob [c], & Ioseph [d]. Sed quod istis concessum est vt transferrentur in sepulchrum maiorum suorum in Hebron: aliis de causis Mosi negatum est, ac omnino etiam ignoratum sepulchrum ipsius, vt alibi dixi; necnon in vniuersum de cura sepulturæ.

Homo vnde. a Idem & alii apud Ioan. Beckmannum. 3. de funerib. Rom. c. 21. & Iacobum Gutber. 2. de iure manium c. 17. b 11. Æn. c Gen. 47. 29. 30. c. 48. 21. d c. 50. 24. Ios. 24. 32. Hebr. 11. 22.

Non transibo Iordanem.] Græcè in præsenti tempore (*& non transibo Iordanem*, καὶ οὐ διαβαίνω τὸν Ἰορδάνην) quo item pacto verti possunt עֹבֵר *hhober*, & עָבַר *hhaber*, quia, vt sæpe monui, participia linguarum istarum omnia tempora recipiunt. Sed ante Chaldæum est הָדָא (*hada*, *qua*.) Verso præcedente dixerat Moses iratum Dominum iurauisse fore vt non transiret Iordanem: quod antea quoque significatum fuerat [e].

e c. 3. 27.

Vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.] Præsentis quoque temporis verbum Græcum est διαβαίνετε, futuri autem κληρονομήσετε: Hebraicè & Chaldaicè participium cum verbo futuro: Græcéque exprimitur Iordanis & particula (*autem*) pro qua est ו *ve* in aliis editionibus, ὑμεῖς δὲ διαβαίνετε τὸν Ἰορδάνην. Pro epitheto *terra egregia*, priore versu erat *optima*: vtrobique טוֹבָה *tonah*, טָבָא *taua*, ἀγαθή. Denique omissum est pronomen demonstratiuum, quod habent editiones reliquæ.

Vers. 23.] Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit.

Paraphr.

Repetit & inculcat præceptum hoc ipso capite priùs expressum de cauenda idololatria tanquam summi momenti, & in quo iam bis peccauerant formantes vitulum [f], & adorantes Beelphegor [g], & ad quod iam inde à commoratione in Ægypto proniores erant. Ad quod valebat argumentum ab exemplo suo iam allatum; quia propter leuius peccatum cuiusdam diffidentiæ erga Deum excludebatur ingressu promissæ terræ, quamuis illi peccato occasionem maximam populus ipse dedisset: præterea, quoniam terra quam possessuri erant, auferebatur ab antiquis possessoribus propter eorum peccata, sed idololatriæ præsertim: postremò, quia id exigebat pacti priùs initi fidelitas, & cum Abraham, quando Dominus transiuit inter diuisiones animalium occisorum [h]; & cum Mose, quando sanguinem respersit in populum [i]: qua in re vtraque insinuabatur quòd morte dignus esset qui pactum siue fœdus illud frangeret: ita vt fœdus à fœda dictum notet Abulensis post Festum; quia fœda, idest, porca (porcus etiam) diuidebatur in frusta, vel alia animalia; & tunc diuisores transibant ipsi confirmantes fœdera. Eiusdem ritus meminit Ieremias [k]: & ex profanis Liuius [l], Virgilius [m], Suetonius [n], Festus [o], Cicero [p]; præterea Cyrillus [q] Alexand. Orosius [r], quorum hic Virgilium, ille Sophoclem citat. Tritũ illud Virgilij,

Armati Iouis ante aram, paterásque tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Isidorus [s] à pacto pacis vocabulum sumit: atque quod posteriùs pax accipitur, fœdus primùm initur: hoc fit inter dimicantes, & vel à fide, vel à fe-

f Exod. 32. 4. g Num. 25. 3. h Gen. 15. 9. 10. 17. i Exo. 24. 8. Hebr. 9. 19. Fœderis etymon. k c. 34. 18. 19. l lib. 1. m 8 Æn. n in Claud. c. 25. o verbo Porca. p 2. de inu. q 10 contra Iulia. sub finem. r lib. 3. sub finem. Pax vnde dicta. s 18. etym. c. 2.

cialibus, idest, sacerdotibus dictum, per quos fiebant fœdera; vel à porca fœde & crudeliter occisa, cuius mors optabatur ei qui à pace resiliisset: ad quod profert errorem Virgilium (sed malè pro (*iungebant*) legens (*fingebant*.) Iictum [a] de pacto docet esse inter partes conuenientem scripturam legibus ac moribus comprobatam; & dictum quasi ex pace factum. Scaliger [b] deducit à πάω aut παύω, aut Æolicè. πάσσω, *quiesco*, & *assequor*: quòd consensus, quietis, pacis causa pactum ineatur. Rectè porrò Osutius conferens ac præferens fidelitatem Christianorum, *Erubescant*, ait, *sanè de recordatione præteritorum, qui nunc interuentu solius fidei Christianæ, ac medio tantùm iurationis Sacramento, viuere se cum hostibus, nec pati hostilia sciunt: quibus indubitatissimè probatur; quia non sicut cæsa iungebant fœdera porca: sed quia nunc inter barbaros ac Romanos creatorem ac Dominum suum contestantes, tantam fidem adhibita in Sacramentum seruant Euangelia* (indicat morem tactis iurandi Euangelijs) *quantam nunc nec inter parentes ac filios potuit seruare natura.*

a l. 4 c. 24. Pactu quid, & vnde. b de caus. lin. Lat. c. 35. Iurandi mos.

Caue ne quando obliuiscaris.] Græcè προσέχετε ὑμῖν, μὴ ἐπιλάθησθε τὴν διαθήκην κυρίου τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *attendite vobis, ne obliuiscamini pactum Domini Dei vestri.*) In aliis codicibus vt Complutensibus, Regiis, &c. καὶ προσέχετε ὑμεῖς μήποτε ἐπιλάθησθε τῆς διαθήκης κυρίου τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *& attendite vos, ne vnquam obliuiscamini pacti Domini Dei vestri.*) Hæc posterior lectio, licèt minùs emendata habeatur quàm prior Sixtina, congruit magis, si tollas primam particulam (*&*) cum Hebræa, & Chaldæa editione (*custodite vobis*, siue *vos*, *ne fortè*, aut *vt non obliuiscamini pacti Domini Dei vestri.*) Est enim affixum pronomen plurale secundæ personæ non solùm in לָכֶם *lachem*, & לְכוֹן *lechon*, sed etiam in אֱלֹהֵיכֶם *elohechem*, & אֱלָהֲכוֹן *elahachon*: & tam in istis duabus editionibus, quàm in Græca, sunt eiusdem numeri pluralis verba תִּשְׁכְּחוּ *thisschechu*, & תִּשְׁכְּחוּן *thischechun*, אִסְתַּמְּרוּ *isthammaru*, & תַּעֲשׂוּן *thahasun*. Versu autem 9. egimus de illa formula (*attende tibi*.)

Explanatio.

Pacti.] Hoc nomen exposui paulò antè, vnà cum fœdere; & alibi Hebræum בְּרִית *berith*, Græcúmque διαθήκη. Istud pactum versu 13. dicitur ostensum à Deo vt fieret.

Domini Dei tui.] Dixi quoque pluraliter esse (*vestri*) Hebraicè atque Chaldaicè, & in quibusdam codicibus Græcis: quamuis correcti habeant (*nostri*, ὑμῶν.)

Quod pepigit tecum.] In editionibus aliis pluraliter (*ad vos*, vel *vobiscum*, πρὸς ὑμᾶς, עִמָּכֶם *hhimmachem*.) Pro (*pepigit*) est simile nomini Græcum verbũ τὴν διαθήκην ἣν διέθετο, *pactum quod disposuit*;) quo verbo vtitur Interpres aliquoties [c] in simili sententia; interdum verbo testandi cum nomine testamenti; legit hoc loco Augustinus [d], *testamentum quod disposuit ad vos*; & alibi [e] locum totum; *videte ne obliuiscamini testamentũ Dei vestri quod constripsit*) quod solet reddere loco nominis διαθήκη, retinẽdo agnationem inter verbale & verbum quæ conspicitur in Græco. Talis vtcumque agnatio est in Hebræis, excepta prima litera, nempe in בְּרִית *berith*, & כָּרַת *charath*. Significat verò כָּרַת *charath scindere*, & cum בְּרִית *berith* indicatur dictus ritus sanciendi fœderis; quod etiam dicunt percutere, ferire, icere; in quo ritu adiuncta erat, vt ex citatis nuper locis, & auctoribus colligitur, execratoria formula; verbi gratia. *Sic ego, si sciens fallo*; aut, *nisi promissis stetero, conficiar*, seu *lacerer*, *sicut conficitur, laceratúrque victima, quæ sancit atque con-*

c ps. 82. 6. ps. 88. 4. ps. 104. 9. 1. Mach. 1. 12. Actuum 3. 25. Hebr. 8. 10. d q. 7. e contra Adiman. c. 13. Ritus sanciendi fœderis, eiusdémque formula execratoria.

Pactum vnde.

firmat pactum. Pangere verò, vt figere significat, (Græce πήγνυμι) innuit quasi ferro impacto pactum figere, ac firmare. Inde pactum: licet alij, vt prænionum, à pace deducant.

Sexta in- ordita.

Et facias tibi sculptam similitudinem.] Ante ista textus Græcus Sextinus habet καὶ ἀνομήσητε, *& faciatis iniquitatem.* Sed absunt à multis aliis Græcis codicibus, & non extant in aliis editionibus: nec leguntur ab Augustino[a]; sunt autem Græcè superiùs[b] pro eo quod legimus (*ne fortè errore decepti*) vbi est sententia similis. Retinent porrò hic editiones aliæ numerum pluralem in verbo & pronomine (*& faciatis vobis*) qui numerus erat initio versus. De sculpta similitudine dictum est v.16. déque vocabulis פֶּסֶל *pesel*, & תְּמוּנָה *themunah*; צֶלֶם *tselem*, & דְּמוּת *demuth*, γλυπτὸν, & ὁμοίωμα. Augustinus[c] legens (*sculptilem similitudinem*) monet generaliter loquendo, similitudinem hîc positam, & non imaginem sicut priùs[d]; quoniam si nulla sit similitudo, profectò nec imago, quia vbi imago, continuò similitudo; quamuis non vbi similitudo, continuò ibi imago. De hoc actum antea[e]. Idem verò Augustinus[f] alicubi sensum secutus, non verba legit (*& faciatis vobis effigies, & imagines*) immò sic posita scribit ab Adimanto.

[a] suprà. [b] v.16. [c] q.7. [d] v.16. [e] ibidem. [f] contra Adimantum c.13.

Eorum quæ fieri Dominus prohibuit.] Inata editiones cæteras (*omnium quæ præcepit tibi Dominus Deus tuus*) legitque Augustinus[g] (*omnium quæcumque constituit tibi Dominus Deus tuus, πάντων ὧν συνέταξέ σοι, &c.*) Præcepit siue constituit Deus prohibendo, inquit Oleaster, & Mariana noster, ne faceres. Prohibitionis istius mentio hîc antea[h] præcessit, enumeratis distinctè rebus quarum fieri non deberet sculpta similitudo, vel imago; & in Exodo[i]. Mutatio autem numeri ex plurali in singularem, quæ nunc extat secundùm reliquas editiones, & membro præcedenti etiam secundùm nostram, non infrequens est diuinis Scripturis, nec sensum immutat. Catalogi Hebræi præceptorum negatiuorum decimumtertium est hinc promptum, quòd non sit lex obliuioni danda: causaque redditur, quia qui obliuiscitur legem, ille occasionem filiis suis præbet in exilium, iuxta illud, *Si oblitus fueris legis Dei, obliuiscar & ego filiorum tuorum.*

[g] suprà. [h] v.16. [i] c.20.4.

---

*Vers.*24.] Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, & Deus æmulator.

Paraphr.

SI beneficiorum commemoratio non sufficeret quæ aliquantò antè præcessit in capite hoc, ad officium gratitudinis, & ad libenter ac sponte obsequendum tam magnifico Deo; cauendúmque alterius cultum Dei, à quo nihil tale accepissent, aut sperare possent: metu saltem pœnæ absterrerentur. Hanc pœnam explicat per ignem, cuius efficacitas maxima, & quem imprimit dolor acerrimus; ita vt damnatorum supplicium etiam quod spiritus patiuntur, ab igne infligi dicatur. Ac nè quis euadere se confidat posse, ipsummet Deum asserit esse ignem consumentem atque deuorantem: sui autém honoris adeò studiosum tenacémque, quem nulli alteri dare se velle profitetur[k], vt more zelotypi[l], nullum omnino veluti corriualem admittat, nulli deferri permittat, solum sibi ac integrum reseruet, qui quidem diuinitatis titulum contineat. In cap.9.[m] iterum nominatur Deus *ignis deuorans atque consumens*; nimirum hostes Hebræorum: & ab Esaia[a] *ignis deuorans cum ardoribus sempiternis.* Sed & familiare Scripturis diuinis est, nec non vulgaribus linguis, vt ira per ignem exprimatur, dicaturque irascens excandescere, ira inflammari, succendi, exardescere; vocaturque inter alia nomina Hebræa חֵמָה *chemah*, *ira*, quasi dicas excandescentia, & קֶצֶף *ketseph efferuescentia.* Vsurpat hoc ipsum testimonium Apostolus[b] aduersùs eos qui Testamenti noui mediatorem Iesum respuerent, & recusarent loquentem, neque seruire illi vellent placentes Deo cum metu & reuerentia[c]. Illustrat Hugo similibus locis, quibus dicitur quòd, *in igne Zeli Dei deuorabitur omnis terra*[d]: quòd est Deus *quasi ignis conflans*[e]. Addi verò potest ex Paulo[f] *ignis æmulatio* consumptura aduersarios. Sensum istum literalem tradit quoque Nouatianus[g] adhuc catholicus apud Tertullianum. Cauens enim ne quis ex his verbis crederet Deum creaturam esse: hæc figurari potiùs docet, quàm quòd ita sint; (monet hoc etiam Nyssenus[h];) & ideo ait Deum ignem dici vt peccatori populo metus incutiatur, dum iudex ostenditur. Athanasius[i] quoque hoc ad incutiendum timorem pertinere dicit. Basilius[k] tractans Esaiæ[l] locum ex translatione LXX. *Sanctificabit eam in igne flagranti, & comedet quasi fœnum syluam,* ἁγιάσει αὐτὸν ἐν πυρὶ καιομένῳ, καὶ φάγεται ὡσεὶ χόρτον τὴν ὕλην, reddit causam cur Deus vocetur ignis consumens, & consumens syluam, quia ignis lustratiuus est & purgatorius, habétque φύσιν καθαρτικήν. Deúsque consumit syluam & vitia, quæ à sylua siue materia promanant animæ, quæ non degit in spiritu, sed in carne. Ambrosius[m] cōsiderans ignem rubi qui splendebat, non vrebat[n], & dicens Domini ignem illuminare solere, non exurere; obiiciens verò præsentem locum quē sic recitat ac si Deus ipse loqueretur de seipso (*ego sum ignis consumens*) scribit quòd non solet hic ignis cōsumere nisi peccata; ita vt in retributionibus meritorū diuidatur ignis natura illuminando iustos, exurendo impios; & illuminatio sit inextinguibilis ad perfunctionem bonorum; exustio vehemens ad supplicia peccatorum. Simile quid notauimus in illa Psalmi verba[o]; *vox Domini intercidentis flāmam ignis.* Idem rursum Ambrosius[p] Deum nostrum scribit ignem esse viuum, diuinum, æternū, qui non istas materias corporales consumat, sed conscientias peccatorū purificet, & in sui caritate corda nostra succendat; vt idcirco etiam Angeli qui sunt pleni caritate, ignis appellentur[q], immò & sancti quique, qui illo accensi sunt igne, de quo Dominus ait[r]: *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Addit & lucernas ardētes in manibus eorumdem[s]; & apud Paulum[t] spiritu feruentes: & data in os Ieremiæ verba sicut ignem à Deo, ardentem & comburentē in ossibus eius[u]. Denique concludit ignem cōsumentem appellari Deum, non quòd is qui spiritus est, ignis sit: sed quòd iustos illuminet; sustinentibus verò pœnam, ignis esse videatur. Non videtur porrò dumtaxat; sed reuera ignis propriè est crucians damnatos, vel purgatorio detentos. Videtur id Anselmus[x] transcripsisse. Postremò[y] ostendens dici solere Deum ignem ardentem ac specie ignis exprimi vel videri diuinæ esse consuetudinis, quod inter alia plura confirmat hoc nostro testimonio, scribit istum ignem non virgultis vilibus concretum esse, aut stipula syluarum fragosum incendiis, sed qui vt aurum bona facta meliorēt, & vt stipulam peccata consumat.

Scribit

[k] Esa.42.8. c.48.11. [l] v.3. [m] v.3.

Iram verbo ignis exprimi. [a] c.33.14. [b] Hebr.12.29. [c] ibid.v.24. & seqq. [d] Soph.1.18. [e] Mal.3.2. [f] Hebr.10.27. [g] de Trin. c.7.

Deum igni dici, & cur. [h] in hexam. id Spiritus Domini ferebatur super aquas. [i] de salut. aduentu Christi. [k] in Esai.c.10. & hom. quòd sine diuina virt. &c. [l] c.10.17. [m] 4.hexa. c.3. [n] Exo.3.2. [o] ps.28.7. [p] in symb. Apost. c.11.

Angelos quoque igni dici, & sanctos. [q] ps.103.4. [r] Lucæ 12.49. [s] ibid.v.35. [t] Rom.12.11. [u] Ier.5.14. [x] in ep. ad Heb. 12. [y] s. de Spiritu S.c.16.

Scribit Hieronymus [a] omnia Dei flammea esse, iuxta id quod hoc loco scribitur, vt lignum, fœnum, stipulam arsura in die iudicij nouerimus [b]; thronum Dei flammam ignis esse [c]: vt peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem; & vt idcirco excoquens, vt puris atque purgatis tribuat lætiora. Augustinus [d] refellens Adimantum Manichæum, cumque ipso legens, *Deus vester ignis edax est, & Deus zelans*: ac ostendens quo pacto de Deo dicatur zelus, sublata imperfectione, quam is in nobis habet, quodque non solo zelo, quem imperfectum concipiebat ille in Deo, prohibeamur à simulachris, quibus fauere videri ille idem volebat; vt per zelum, si demas errorem & dolorem, vocemur ad coniugium Dei, ne turpi amore corrumpamur, puniátque impudicitiam nostram Deus, & diligat castitatem: post hæc, inquam, omnia, explicat edacem de Deo ignem dici ad eum modum quo se Christus affirmauit venisse ignem mittere in terram [e]; discipuli duo cor suum ardens fuisse dum loqueretur eis [f]. Tum subdit, *Ipse est ignis edax: consumit enim veterem vitam diuinus amor, & innouat hominem; vt ex eo quòd Deus ignis est edax, faciat vt eum nos amemus: ex eo autem quòd Deus zelans est, ipse nos amet. Nolite ergo timere ignẽ, qui est Deus: sed timete ignem, quem parauit hæreticis* (reprobis etiam aliis & improbis) *Deus.* Gregorius [g] Deum ignem consumentem explicat, quia mentem quam repleuerit, eam à peccatorum rubigine mundam reddit; præterea [h], quia per illum peccatorum rubigo consumitur: & ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, ac in desiderium æternitatis accendit. Bernardus [i] agnoscit in hac Dei descriptione terrorem, vt vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat à facie Dei [k]; vt proinde ad Mariam audacter accedere debeat humana fragilitas, in qua nihil austerum, nihil terribile, sed tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Eũdem illũ ignem qui dicitur Deus esse, consumere docet [l], sed non affligere; ardere suauiter, desolare feliciter; carbonem esse desolatorium; sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Cauendæ prunæ ad quas stando Petrus calefaciens se negauit Christum. Origenes [m] vtrumque tribui notat Deo in Scripturis ignem consumentem pro peccatoribus; lumen, pro Sanctis. Item [n] explanans visionem Ezechielis [o] obseruat igneum Deum esse, sed non totum igneum, & superiora eius electrum esse: ignem verò consumentem cognominari quorum ad peccata, quæ similia fœno, stipulæ, ligno, facit Paulus [p], non quantum ad aurum, argentum, lapidem pretiosum, quæ igne illo quem voluit Christus mittens in terram accendi [q], vt consumeretur malitia. Quod cófirmat allato prius testimonio ex Esaia [r] iuxta translationem Græcam; & præterea ex Zacharia [s] prout etiam Græcè legitur, *emittit Dominus Sabaoth in tuum honorem contumeliam; & in tuam gloriam ignis ardens accendetur*, idest, inquit Origenes, vt tu glorificeris emittitur ignis in opera peccatorum tuorum. Affert adhuc Esaiam [t], *habes carbones ignis; sedebis super eos; ij erunt tibi adiutorio.* Quæ verba Laurentio in craticula iacenti bellissime conueniunt. Refellens prætetea [u] hinc argumentantes corporeum Deum. *Quid enim*, ait, *consumet Deus, secundùm hoc quòd ignis est? Numquidnam putabitur consumere materiam corporalem, vt est lignum, vel fœnum, vel stipula? Et quid hoc dignum Dei laudibus dicetur, si Deus ignis est huiusmodi materias consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quod exterminat: si consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati; cùm se credentium mentibus inserit, & eas animas, quæ verbi eius ac sapientiæ efficiuntur capaces, vna cum filio suo inhabitans, secundum quod dictum est* [a]; *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus: omnibus earum vitiis, passionibúsque consumptis, sibi eas, séque dignum efficit templum.* Aduersus Anthropomorphitas agens [b], qui Deo humanam dabant formam, & ostendens, citato quodam auctore in libro de sanctis legibus, de Deo multa dici κατ' ἀνθρωποπάθειαν secundùm passibilem naturam hominum; vt accommodetur ad captum humanum, donec videatur sicuti [c] est, scribit, quòd cùm consumpta fuerint ab igne consumente ea quæ consueta sunt consumi ab eo, tunc iam nón erit Deus noster ignis consumens; sed lumen: sicut dicit Ioannes [d], *Deus lumen est, & verè lux.* Repetit denique contra Celsum [e] negantem quòd diceretur Deus in modum tortoris cum igne descendere, cùm similia legantur, vt quòd fluuij ignis [f] præcedant ipsum, quòd velut ignis conflatorius adueniat [g], quòd sit ignis consumens, figuratè intelligi debere: atque hoc quidem vltimum, quia Deus malitiam consumit, cunctaque illius opera comparata cum lignis, fœno, stipula [h]: conflat rationalem naturam plenam plumbo malitiæ, cæterísque impuris materiis, auream veluti naturam animæ, argenteámve adulterantibus: fluuij ignei præcedunt Deum, abolentem quidquid vitiosum est admixtum in tota anima. Macarius [i] Ægyptius philosophatus multa mysticè de ignis diuini efficacia multis allatis aliis Scripturæ locis, nostróque, ait illo illuminari animas, & probari vt genuinum aurum in camino; vitium consumi veluti spinas & stipulam: petendum vt eodem vrat renes & cor [k], & vt semper in eius lumine ambulantes, numquam vel tantisper offendamus ad lapidem pedem nostrum [l], sed tanquam luminaria in mundo apparentia, verbum vitæ æternæ retineamus. Isidorus [m] Pelusiota carbones succensos ab eo, vt in Psalmo [n] canitur; id est, à Deo: quoniam Deus noster ignis consumens est, idcirco qui per animi puritatem Deum contemplantur, carbones non abs re appellari, vt qui per coniunctionem cum Deo inflammentur, & luminaria in mundo existant. Iuo [o] Carnotensis, *quia Deus ignis consumens est*, ait, *sicut ignis materialis omnem materiam quam assumit, mundans in se conuertit; sic materiale carnis nostræ, quod diuinus ignis assumpsit, diuinitatis expers esse non potuisse, quatenus quod Deus est per naturam, hoc inciperet habere per gratiam.* Inde deducit omnem næuum tam originalis quàm actualis peccati in B. Virgine deletum (idest, impeditum, ne vtrumuis haberet, quod omnino certum est, ac vt quidam arbitrantur de fide, quod attinet ad actuale) præterea maledictum vtrumque ab ea exclusum, concipiendi per concupiscentiam carnis, & in dolore. Nazianzenus [p] interpretatur Deum esse τὸ πῦρ τὸ καταναλίσκον τὴν μοχθηρίαν, *ignem qui consumat improbitatem.* Chrysostomus [q] scribit quòd iste ignis repurgat materiam peccati, sicut ignis materialis spinas & tribulos; & sedentes in tenebris errorum illustrat. Nicetas [r] Nazianzeni Scholiastes ignem hunc purgantem vocans, vult esse amorem ac fidem erga Deum,

Margin notes (left column): a in Dan. 7. Esa. 30. Ier. 5. Ezech. 1. Ioel. 2. Malach. 3. — b 1. Cor. 3. 13. — c Dan. 7. 9. — d contr. Adimant. c. 13. — e Lucæ 12. 49. — f c. 24. 32. — g hom. 5. & 8. in Ezech. — h hom. 30. in Euang. — i Serm. Signũ magnũ. — k ps. 67. 3. — l serm. 57. in Cant. — m hom. 13. in Lev. — n hom. 1. in Ezech. — o c. 1. 13. — p 1. Cor. 3. 12. — q Lucæ 12. 49. — r c. 10. 16. 17. — s c. 13. 9. — t c. 47. 14. — u 1. periarchon c. 1.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

Margin notes (right column): a Ioan. 14. 23. — b tract. 20. in Matth. — c 1. Ioan. 3. 2. — d ibid. c. 1. 5. — e lib. 4. — f Dan. 7. 9. — g Malac. 3. 2. — h 1. Cor. 3. 12. — i hom. 25. *Ignis diuini mystica.* — k ps. 25. 2. — l ps. 90. 12. — m lib. 1. epist. 2. — n ps. 17. *Carbones mysticè qui.* — o serm. de natiu. Dom. — p orat. 44. n. 18. — q hom. de Spiritu sancto. — r in orat. 40. n. 35.

quæ ignis nominetur, non modò quòd acris sit & ardens, sed etiam quòd animos nostros à peccato, & ignorantia purget, piúmque ab impio, & infideli diuidat: hunc ignem esse de quo Christus [a], *& quid volo nisi vt ardeat? qua accelerantis*, inquit, *atque perurgentis est oratio, & cupientis nos quàm primùm beneficio affici*: de quo etiam igne fit illud [b] Esaiæ quod citabat Origenes, *habes carbones ignis; sede super eos: hi tibi auxilio futuri sunt*: qui sunt Angeli auxiliares ac subsidiarij, quos ignem vrentem vocat Dauid [c]. Affert idem ignis multiplicem distinctionem & notionem, quæ apud Nazianzenum etiam est, quem scholiis illustrat: & monet vterque de malo igne, in quo vetat Esaias [d] ne in illo ambulemus, & in flamma quam ipsi accendimus, aut potiùs prædicit fore vt ambulent in loco damnationis hi qui suismet peccatis huiusmodi ignem flammámque sibiipsis accenderunt. Disputans verò idem Nicetas [e] cur in igneis linguis apparuerit Spiritus sanctus, per ignem qui prædicatur hîc de Deo, essentiam Dei designari asserit, non quòd ipsa sit ignis, sed quia vi sua consumit atque abolet, ac mira vehementia agit; & Deus vt iustis lux est, ita peccatoribus ignis: dictæ apparitionis proinde causam esse ad exprimendam Spiritus sancti cum Patre & Filio substantiæ æqualitatem. Cyrillus [f] Alexandrinus cùm data lex est, Deum apparuisse in [g] igne obseruat, vt scirent illius transgressores negocium esse sibi cum igne; Mosémque vt peccantes ad resipiscentiam metu impelleret, sæpenumero clamauisse (nec tamen legimus plusquam semel, & hoc quidem loco) *Deus noster ignis consumens est*. Addit de fumo ac tenebris has designasse cognitionem Dei comprehendi non posse; illum, quòd omnino legem Dei coercionete volentes lacrymæ secuturæ essent; quia necesse est vt corporis oculus in fumo illacrymetur. Eôdem respexit Syncletica [h], dicens laborem esse, magnúmque certamen impiorum, qui conuertuntur ad Deum, & postea inenarrabile gaudium. *Sicut enim*, inquit, *qui ignem accendere volunt, priùs fumantur, & ex fumi molestia lacrymantur, sicque obtinent quod volunt: etenim scriptum est, quia Deus noster ignis consumens est; ita oportet & nos diuinum ignem cum lacrymis atque laboribus in nobis ipsis accendere.* Idem [i] super Abel sacrificium, & deinde aliorum, immissum ignem scribit, quia Deus ignis consumens est. Hoc sibi velle arbitror igneam legem in Dei dextera [k] ad incutiendú timorem simul & amorem: atque hunc præsertim, qui calefacit simul, & lumen adiunctum habet. Quo fit, vt Deum de quo affirmat Ioannes [l] quòd est caritas, legamus quòd ignis est, & lux [m], non verò quòd terra, aqua, aër, aut quid tale. Et propterea etiam dicuntur lampades eius, lampades ignis atque flammarum (Hebraicè *carbones eius, carbones ignis flamma Domini*, idest, vehementissimæ) ita vt aquæ multæ non possint extinguere caritatem, nec flumina obruere [n] eam: & Gentiles [o] amori faces ignésque attribuerunt. Sed & qui proximus Deo est Angelorum ordo, cognominatur Seraphim, ab ardore amoris [p]. Accendit hunc amorem vehementiùs æmulatio, ac zelus; vt hîc idcirco non cognominetur Deus æmulator, qui appellatus fuerat ignis. Mitto cultum pro Deo à Persis ignem [q]: vocatum à Zoroastro Platonicísque primum ignem Deum: Apollinis responsum quòd habitaret in igne, perpetuos sacros ignes, de quibus cum Alexandro Neap. Tiraquellus [r], apud Romanos, in Aphrica, Delphis, &c. non tantùm in Mosaico tabernaculo [a]. Nec nunc expendo comparationem ignis cum rubo incombusto [b] ob mysterium Dei salua humanitate, quæ fœno similis est, incarnati, vt perpendit citatus Clemens [c], & alij. Stephanus Cantuariensis apud [d] Godefridum Tilmannum, sicut igni nulla materia, sic nec Domino vllam maliriam resistere posse annotat: consumi bonos à Deo vt à fornace aurum: & peccatores Spiritus sancti gratia auidè per pœnitentiam deuorari, atque in naturam illius conuerti; sicque Deum qui dicitur ignis, mortificando consumere, deuorando viuificare. Thomas [e] Iorgius aliter Anglicus, lignum plantatum secus decursus aquarum, de cruce accipiens, etymónque ligni cum Isidoro [f] tradens, quia incensum in lucem vertitur & in flammam, ita vt cruci appositus fuerit ignis iste, hac de causa vult hîc appellatum Deum ignem consumentem. Præterea [g] negat coli Deum ab iis, qui dediti sunt cupiditati & carnis voluptati, quia θεὸς ab αἴθειν, Damasceno [h] teste, deriuatur (*Deus enim*, ait Damascenus, *ignis est, vitium omne absumens*:) illi autem talem, qui hoc loco vocatur ignis consumens, colere non audent, quia sunt stipula, & paleis onusti, similes Hebræis in Ægypto paleas colligere coactis [i], quæ sunt nullius ponderis, momenti, pretij, temporalia: & ideo si Deus appropinquaret, timerent consumi. Citat Origenem in Ioannem, scribentem beatos esse, qui merentur propinqui Deo esse; veruntamen scriptum esse; *qui appropinquant mihi, approximant igni*. Item eloquia [k] Domini esse ait igne examinata [l], quia quidquid prædicauit Christus, ab igne diuinitatis probatum fuit. Adhæc [m] Deum in carne Christum considerat, velut ignitum carbonem, quem sumimus in Eucharistia: sicque ignem consumentem Deum censeri. Confirmat Petri Damiani testimonio, carbonis vocabulo appellantis Eucharistiam; & exéplo ex vitis Patrum de illo, qui vidit bonos cùm acciperent corpus Christi, exuri ac incendi; & in aliis tanquam lumen per os ingredi, omneque corpus illorum illustrare. Tales similes Chrysostomus [n] facit, dum à diuina mensa recedunt, leonib. ignem spirantibus: vocarique possunt lapides igniti in monte sancto [o], quæ est Ecclesia. Christus autem carbo allatus à Seraphim [p]. Immò sicut leones timent ignem, ita hi dæmonibus terribiles sunt, quia Christophori, hoc est, dictum ignem portantes: Vtitur idem Thomas [q] ad idem flamma super L. Martij caput in exercitu Hispano, cui pro Scipione mortuo præerat, apparente [r]; quoniam Christi caput Deus [s], qui ignis consumens est, & ille post mortem patrum Testamenti veteris aduenit. Denique hunc ignem fouendú diligentissimè, continuo desiderio: ne si hoc intermisso, extinguatur capitaliter, damnemur igni gehennæ, sicut Vestalis propter negligenter custoditum ignem, ignem pati coacta [t] est. Illo Igne perpetuo, qui iussu Dei asseruabatur in tabernaculo [u], videtur indicatum quòd ipsemet veluti consumeret peccata, pro quibus offerebantur sacrificia, vt indicat Origenes [x] proferens præsentem locum. Damasceni [y] verò est etiam comparatio illa Eucharistiæ cum carbone ignito, cuius qui participes effecti sunt ignis desiderij insiti, assumpta ea quæ ex illo carbone oritur inflammatione, peccata exurit eorum, ac pectora collustrat, facitque, vt per diuini ignis perceptionem inardescant, diique efficiantur; quia quemadmodum carbo non simplex lignum est,

a Lucæ 12. 49.
b c.47.14.
c ps.103.4.
d c.50.11.
e in ora.44. n.18.
Spiritus sanctus cur apparuerit in linguis igneis.
f hom.5.& refertur in conc.Ephes. tom.6.c.5.
g Ex.19.18.
h apud Rosueid. in vitis Patrum l.5. tract.3. de compun. c.16.
i 12. de ad.
k Deut.33. 2.
l 1.epist.4.8. m Ioan.8. 12.& 9.5.& 12.46. 1. Ioan.1.5.
n Cant.8.7.
o Gell.l.19. c.9.& alij.
p Areop.cælest. hierar. c.7.Chrys. hom.3 de incomprehensib. Dei natura.Gre. hom.8.in Ezechiel. & alij.
q 2 Mach. 1 34.
r l.5.c.12.

a Leu.6.9. 12.13.
b Ex.3.2.
c 1.Glaph. c.de vision. Moysi in rubo.
d in alleg. vtriusque testam.
e in ps.1.
f 17.etym.
g in ps.15.
h l.1.de fide c.12.
i Exo.5.10. & seqq.
k in ps.17.
l ps.11.7.
m in psal. 19.
Eucharistia carbonis vocabulo exprimitur.
n hom.45. in Ioan.
o Ezech.28. 14.16.
p Esa.6.6.
q in ps.16.
r Val. Max. l.1.
s 1.Cor.11. 3.
t Val.Max. l.1.
u Leuit.6. 12.
x hom.5.in Leuit.
y l.4.c.14.

est, sed igni vnitum; sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed diuinitati vnitus. Hæc atque his similia & plura quæ adhuc afferri possent, supponunt rationes analogiæ inter ignem Deúmque, quarum aliquas attingit Areopagita [a]: quòd omnia superet ignis, ac in se transmutet, renouet omnia vitali calore: fulgoribus apertis illuminet: teneri, miscerique non possit: complectatur omnia, cùm tamen astringi non possit: cum omnibus communicet se, non minuatur: incognitus maneat per se, nisi adhibeatur materia, in qua vim actionémque suam declaret: sublimis sit, sursum feratur, humilitatem nullam ferre valeat; immobilis per se moueatur, aliis motum afferens: attritu quasi inquisitione quadam appareat, &c. Cæterùm quo pacto Deus perfectos inflammet, quáve ratione comparentur simul cum ligno viridi sicut Christus [b], & cum sicco, quod ignem facillimè concipit, disputat Iacobus [c] Aluares noster, attingens varia de apparitionibus diuinis in igne, ac exemplis ostendens interdum quasdam veluti flammas erumpere in vultus hominum igne tali accensorum. At cauendus alienus ignis, ne sicut duo illi filij Aaron, igne à Domino egresso pereas [d], qui æmulator cognominatur hic membro secundo versus.

Quia Dominus Deus tuus.] Chaldaicè (*quia Dominus Deus tuus verbū eius*, &c. אֲרֵי יְיָ אֱלָהָךְ מֵימְרֵיהּ *are Iehouah elahach memereh*. Quod minùs rectè transfertur (*quia verbum Domini Dei tui*) licèt ita soleat in paraphrasi poni (*verbum Domini Dei*, pro *Domino Deo*:) ac tandem sit idem sensus. Paulus [e] legit (*etenim Deus noster*, &c.) hoc pronomine plurali primæ personæ significans extendi sententiam ad plures quàm ad populum Hebræum, videlicet ad omnes qui gratiam Christi non reciperent, seruientes ac placentes ei cum metu & reuerentia, vt initio monui. Retuli præterea priùs quosdam ex Patribus legisse hunc locum (*Dominus Deus vester*,) aut (*ego sum ignis consumens.*)

Ignis consumens est.] Addunt editiones aliæ pronomen demonstratiuum (*ipse*, הוּא *hu*, *αὐτὸς*.) Malè autem scribitur vt participium masculinum *καταναλίσκων* per ω in Bibliis Complutensibus, Regiis, &c. pro participio neutro *καταναλίσκον* per ο, vt est in Sixtinis, & in epistola ad Hebræos [f] in omnibus; refertur enim ad *πῦρ* generis neutri. Verti porrò etiam potuit ex אֹכֵלָה *ochelah*, & אֹכְלָה *ochla*, *comedens*, vel *deuorans*, &c. vt [g] *iuuenes eorum comedit ignis*: *ignis* [h] *comedit eam*: *ignis* [i] *comedit speciosa deserti* [k]: *ibi comedet te ignis*: *comedat* [l] *ignis cedros*: *item* [m], *ignis à Domino deuorauit holocaustum*: *accensus* [n] *in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem*: *his* [o] *quos incendium deuorauit*; cum aliis exemplis ad marginem [p] indicatis: & iterum in simili sententia postea hoc [q] libro vocatur Deus ignis deuorans: immò dicitur etiam lingua ignis deuorare [r], & ira flammæ [s], & ignis zeli [t], & æmulatio ignis consumere [u]. De formula ista memini me dicere ad Psalmi 77 [x]. verba, *iuuenes eorum comedit ignis*, tam ex profanis quàm ex sacris auctoribus, necnon ex volgari loquendi modo. Eodem spectant epitheta Græca, vt dicatur *πῦρ ἄπληστον*, *παμφάγον*, *σαρκοφάγον*, *λάβρον*, *δίψιον*, *γναθμὸν*, *ὠμοφάγον*, *ignis insatiabilis*, *omnia vorans*, *carnem vorans*, *vorax*, *furiculosus*, *membra vorans*, *tectum deuorans*: *φλὸξ ὠμοφάγος*, *παμφάγος*, *πολυόδους*, *flamma victimas vorans*, *omnia edens*, *multos dentes habens*: Latinè flamma auida, vorax: ignis pariter vorax, auidus, edax, &c. siue quòd edat, perdat, mandat: cuius postremi recitat Varro [a] exemplum ex Mario

Corpora Graiorum mærebant mandier igni.

Et Deus æmulator.] Alibi [b] *Zelotes*: quod est nomen Græcum loci huius *ζηλωτὴς*: & idem cognominatus homo legitur zelotes [c], qui & Cananæus [d], ex קַנָּא *kana*; vnde hîc nomen קַנָּא *kanna*. Ipsemet Deus nomen hoc tribuit sibi [e], & Moses eidem [f]; præterea Iosue [g], atque Nahum [h]: & quidem cùm agitur de non adorando Deo alieno; *noli adorare Deum alienum*, ait Moses, *Dominus zelator nomen eius*, *Deus est æmulator*. Quid sit zelus, aut æmulatio, quomodo tribuantur Deo, aliis ex commentariis petendum est, non hic repetendum. Lege Cyrillum Alexandrinum [i], Maximum monachum [k], Augustinum [l], Aquinatem [m], &c. Memini quoque paulò antè de igne [n] zeli, ac æmulatione [o] ignis. Ignis æmulationem siue zelum *πυρὸς ζῆλον*, aliqui explicant de igne purgatorij: qui sit repræsentatio quædam illius ignis, qui consumet impios, id est, ignis æterni: alij meliùs de hoc æterno igne, qui per prosopopœiam dicatur zelo animatus, seu desiderio vehementi, pœnas repetendi de improbis, probos autem vindicandi, ob acceptas ab illis iniurias, maximè verò propter iniurias in Deum ipsum. Sic enim etiam scribitur [p], quòd accipiet armaturam zelus Dei, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, &c. pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos, ibunt directè emissiones eius, & tamquam à benè curuato arcu, & à petrosa ira (*ἐκ πετροβόλου ὀργῆς*, *ex ira lapidum iaculatrice.*) plenæ grandinis mittentur. Consumptio porrò non denotat exterminationem, sed acerbitatem pœnæ. Luet enim impius in inferno quæ fecit omnia, neque tamen consumetur [q], desiderabit mori, sed mors fugiet ab [r] eo, vtpote depascens [s] vt ouis herbam, non eradicans. Qua de re Augustinus [t]. Crebra mentio [u] de zelo, seu æmulatione Dei, & quem ille habeat, & quo alij præditi sint, vt omittam malum, qui & amarus cognominatur [x], cúmque contentione [y], necnon præterea idolum zeli [z]. Notanda coniunctio ignis & zeli, seu æmulationis, quæ non hîc solùm, sed aliis in locis modò indicatis habetur. Solent item in iisdem sæpe copulari zelus æmulatióque cum ira, furore, indignatione: éstque in quodam Psalmo [aa], *accendetur velut ignis zelus tuus*; *effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.*

Vers. 25.] Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in Terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, vt eum ad iracundiam prouocetis:

Vers. 26.] Testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de Terra, quam transito Iordane possessuri estis. non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

Vers. 27.] Atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus:

a Cœlest. hier. c. 15. b Lucæ 23. 31. c tomo 7. de vita spir. lib. 4. p. 3. c. 26. d Leu. 10. 2. e Hebr. 12. 29. f supra. g Ps. 77. 63. Explanatio. h Ezech. 19. 12. i Ioel. 1. 19. k Nahum 3. 15. l Zach. 11. 1. m Leuit. 9. 24. n Num. 11. 1. o c. 16. 35. p Deut. 5. 25. c. 9. 3. c. 32. 22. Iud. 9. 15. 20. 4. Reg. 1. 10. 12. 14. 8. Paral. 7. 1. Iob 15. 34. c. 20. 26. c. 22. 20. c. 31. 12. Psal. 20. 10. Ezech. 36. Esai. 5. 24. c. 26. 11. c. 29. 6. c. 30. 27. 30. cap. 33. 14. Thr. 2. 3. c. 4. 11. Ezech. 15. 4. Ioel. 1. 20. c. 2. 5. Amos 1. 4. 7. 10. 12. 14. c. 2. 2. 5. c. 5. 6. c. 6. 4. Abd. v. 18. Nahum 3. 13. Soph. 1. 18. cap. 3. 8. Zach. 9. 4. c. 11. 1. q c. 9. 3. 54. c. 10. 26. c. 31. 10. c. 32. 22. r Esa. 5. 24. f Eccl. 36. 11. t Soph. 1. 18. cap. 3. 8. Ezech. 36. 5. c. 38. 19. Hebr. 10. 27. x vers. 63.

a 4. de ling. Lat. c. 5. b Exo. 20. 5. c. 34. 14. c Lucæ 6. 15. Actuum 1. 13. d Matth. 10. 4. Marci 3. 18. e Exo. 20. 5. f c. 34. 14. Deut. 5. 9. c. 6. 15. g Iosue 24. 19. h c. 1. 2. i 3. contr. Iulian. *Ignis zelus siue æmulationis quid.* k centur. 5. c. 86. l q. 158. in Exo. m in 2. Cor. 11. n Soph. 1. 18. cap. 3. 8. Ezech. 36. 5. c. 38. 19. o Hebr. 10. 27. p Sapien. 5. 18. q Iob. 20. 18. r apoc. 9. 6. f Ps. 48. 15. t 1. de fide & oper. cap. 16 & quæst. ad Dulcitiũ quæst. 1. u Num. 25. 11. 3. Reg. 19. 10. 4. Reg. 10. 16. c. 19. 31. Iudith 9. 3. Ps. 68. 10. Ps. 78. 5. Sapien. 1. 10. c. 5. 18. Esa. 9. 7. cap. 37. 32. c. 42. 13. cap. 59. 17. Ezech. 5. 13. c. 16. 42. c. 23. 25. c. 36. 5. c. 38. 19. cap. 39. 25. Soph. 1. 18. cap. 3. 8. Zach. 1. 14. cap 8. 1. 2. Mach. 2. 54. 58. x Iacobi 3. 14. y ibid. vers. 16. z Ezech. 8. 3. 5. aa Ps. 78. 5. 6.

Vers. 28.] Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidis qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

Paraphr.

HÆc est illa æmulatio zelúsve, quo inflammatus Deus vnus solus ac verus, consortium alterius Dei, qui nullus esse præter ipsum potest, non ferens, quemlibet qui alium colat, ac adeò atroa ea in re crimen admittat, illius quodpiam simulachrum fingendo, quàm primùm seuerè puniat, & quamuis populus in promissam terram egrediatur, eàmque possideat, inde illum, si tam nefariè peccet, eiiciat; atque in alienas terras amandet numero etiam imminutum; vbi in pœnam tanti peccati sinat in eodem perseuerare, immò & crescere; vt res inanimatas colat omni sensu carentes, visus, auditus, gustus, odoratus. Vt autem persuadeat, excitat testes cælú terrámque. Verùm singulas propositi textus partes expendamus; quia sententia ipsa facilior est, ac priùs quoque declarata. In qua tamen sententia considerari potest cum Lyrano, Abulense, aliísque, multiplex pœna idololatrarum; quòd perituri essent ac perdituri terram fame, bello, peste, vel alia occasione: quòd expellerentur ex ea: quòd in multas gentes dispergerentur, vnde maiore tristitia afficerentur, quàm si contingeret simul omnes in vnam ablegari; propter sodalitatis gaudium: quòd in ipsamet hostili terra redigerentur ad exiguum numerum hi qui superfuissent ex bello: quòd in eadem illa terra cogerentur deos falsos adorare, qui priùs volentes ac sponte idololatriam commiserant. In cap. 26 [a]. Leuitici plures pœnas comminatur Deus legis violatoribus tum intra terram habitationis suæ; tum extra illam dispergendo eiectos ex sua. Idem adhuc fusiùs repetitur in cap. 28 [b]. libri nostri, nominatim de paucitate, dispersione, idolorum seruitute apud alias gentes, &c. Huiusmodi pœnarum executio legitur in libris Iudicum, Regum, Paralipomenon, partim etiam apud Prophetas, & in historia Machabæorum: præsentis verò temporis Iudæorum captiuitas adeò longa satis superque demonstrat; cuius cùm non sit causa idololatria, videtur alia non esse, quàm Christi Dei veri contemptus & interfectio.

Idololatrarum pœna multiplex.

a v. 14. & seqq.

b v. 15. & seqq.

Si genueritis filios ac nepotes.] Singularis numeri verbum est in editionibus Hebræa, Græcáque, denotans populum, seu plures collectiuè: próque nepotibus filij filiorum, etiam in Chaldæa cum aliis; quemadmodum priùs versu 9. Gignuntur filij immediatè, per hos mediatè nepotes. Augustinus in locutionibus legens (*si autem genueris filios, & filios filiorum suorum*) notat & auos nepotes dici gignere. Tenebantur posteri legibus iisdem, docerique debebant filij & nepotes, vt ibidem præcipitur, & cap. 6 [c].

Explanatio. Filij filiorũ pro nepotibus.

Aui dicti gignere nepotes.

c vers. 2.

Et morati fueritis in terra.] Hebræo verbo & Chaldæo, quibus affigitur pronomen plurale personæ secundæ וְנוֹשַׁנְתֶּם *venosciantem*, & וְתִתְעַתְּקוּן *vethuthbatthekun* significatur *inueterascere & senescere & indormiscere*: Græco χρονίσητε *moram facere, longéve tempore habitare*. Monet etiam futuro tempori senectutis, inquit Caietanus, in qua solet iuuentus filiorum insolescere. Testes filij Sophoclis, qui iam extremæ senectutis patrem accusarunt dementiæ: is autem pro apologia iudicibus recitauit tragœdiam, quam proximè scripserat, rogans, num ea videretur delirantis [d].

d Cic. de senect.

Decepti que feceritis aliquam similitudinem.] Iuxta reliquas editiones additur omnis כָּל *chol*, כֹּלָּא *chola*: omnis videlicet, seu cuiuslibet rei. Pro similitudine, quam solam posuit Interpres, sunt duo vocabula Hebræa פֶּסֶל תְּמוּנָה *pesel themunah*, & Chaldæa צַלְמָא דְמוּת *tsalma demuth*, & Græca γλυπτὸν ὁμοίωμα: pro (*decepti*) וְהִשְׁחַתֶּם *hisciattem*, תְּחַבְּלוּן *thechabbelun*, ἀνομήσητε: de quibus actum est versu 16.

Patrantes malum coram Domino Deo vestro.] Hebraice (*in oculis Domini Dei tui*) Chaldaice (*coram Domino Deo tuo.*) Græcè (*coram Domino Deo vestro*) licèt codices Complutenses, Regij & alij habeant (*nostro*, ἡμῶν:) sed minùs rectè, cùm sit in Hebræo textu, sicut & in Chaldæo, secunda persona, quamuis numeri singularis. Vtitur adhuc bis [a] tantùm patrandi verbo Interpres: sæpiùs composito [b] perpetrandi. Verùm hoc posteriore semper ad rem malam significandam, præterquam semel [c]: priore ad bonã aliis in locis, excepto hoc. Idem obseruari potest apud alios auctores linguæ Latinæ: cùm prima notio patrandi sit liberis operam dare, seu patrem agere, patratio rei venereæ consummatio, fractæve Veneris lacrymæ, teste Boëtio [d], & Persio [e],

——— *patranti fractus ocello.*

patrationeque hac facta filios patres procreent; patres patrati, qui vbi de fœderibus conuenerat, ad patrandum, id est, peragendum iuramentum mittebantur, & ipsis patres etiam essent quos consulerent, filiósque haberent quibus prouiderent, inquit Plutarchus [f]: patrans denique voluptas Hieronymo [g] idem est quod συνουσία. Idololatriam porrò malum absolutè nominat Moses, quia iniquitas maxima est (Hebraicè *iniquitas iudicata*, id est, digna iudicio suppliciόque seuerissimo) & negatio contra Deum altissimum [h] (Græcè *mendacium*;) vtpote tollens Deo quantum in se est, diuinitatem, atque gloriam, quam ipse alteri daturum se negat, vt nec laudem suam sculptilibus [i]. Quare per excellentiam nomen peccatorum dicitur de idololatris & infidelibus; [k] *traditur in manus peccatorum*; *ex* [l] *gentibus peccatores*; *arguet* [m] *mundum de peccato, quia non crediderunt*: *ad hoc flagitium obstupescunt cali, & porta eius desolantur vehementer* [n]; *omnis mali causa est, & initium, & finis* [o]: *denique nomen eius est impietas* [p].

a Genes. 2. 2. Paral. 17. 13.

b Gen. 34. 7. 30. Exo. 22. 3. 9. Leuit. 20. 10. Deut. 13. 14. c. 17. 5. Iud. 20. 3. 12. 13. 4 Reg. 17. 40. 1. Paral. 11. 21. Iob. 20. 14. Eccl. 5. 11. Iere. 38. 9. c. 44. 25. Ezech. 23. 10. Dan. 11. 36. 2. Mach. 12. 3.

Patrandi verbum.

c 1. Paral. 12. 22.

d de defin.

e Saty. 2.

f in proble.

g quæst. in Gen.

h Iob 31. 28.

i Esa. 42. 8.

Iniquitas iudicata quid.

Mendacium pro negatione.

Peccatores pro idololatris & infidelibus.

k Luc. 24. 7.

l Gal. 2. 15.

m Ioan. 16. 8.

n Ier. 2. 12.

o Sap. 14. 27.

p Zach. 5. 8.

Vt eum ad iracundiam prouocetis.] Æmulatio Deo priùs tributa, zelúsve, iræ, indignationi, furori coniungi solet, vt ibi docui. Conqueritur Deus grauissimè de isto crimine; vocantúrque idola in diuinis literis offensiones [q] oculorum, seu dolores, abominationes [r], sordes [s], immunditiæ [t], spurcitia [u], inquinamenta [x], odium [y], &c. quòd nimirum ea Deus videre non sustineat, quæque odio summo prosequatur, execretur, abominetur, &c. Lege commentarium libri Sapientiæ [z].

q Ezech. 5. 11. c. 11. 18. c. 20. 7.

Idolorũ nomina in diuinis quæ.

r Ezech. 5. 11. c. 11. 18. Deut. 7. 25. 26. 3. Reg. 14. 24. lib. 4. 23. 24. Deut. 29. 17.

s Deut. 7. 26. c. 29. 17. Exo. 32. 25. Oseæ 5. 11.

t 4. Reg. 17. 12. c. 21. 22. c. 23. 24.

u Deut. 7. 26.

x Deut. 7. 26. Ezech. 24. 11.

y Sapien. 14. 11.

z ibidem. 22. c. 1. 2.

Testes inuoco hodie cælum & terram.] Omisit Interpres post (*testes inuoco, siue obtestor*) pronomen cum coniunctione (*in vobis*,) בָּכֶם *bachem*, בְּכוֹן *bechon*, id est, *contra vos*: quod etiam valet Græcum (ὑμῖν, *vobis.*) Glossa ordinaria μετωνυμικῶς explicat per id quod continet id quod continetur: Glossa interlinearis *Angelos & homines*: Hugo vtrumque confirmat verbis Esaiæ [aa]: *audite cæli, & auribus percipe terra; quoniam Dominus locutus est*. Vbi Hieronymus notat dictam metonymiam pro supernis angelicisque virtutibus, próque mortalium genere. Hæc autem, ait Hugo, in testimonium inuocat, quia non sunt peritura, sed in

æternum

æternum permansura. Abulensis addit ex c. 32.[a] libri nostri; *audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*. In cap. 30[b]. & 31[c]. repetuntur eædem voces quæ hic sunt. Obsessi quoque ab Holoferne Hebræi dixerunt Oziæ Pontifici[d]; *contestamur hodie cælum, & terram, & Deum patrum nostrorum*, &c. μαρτυρόμεθα ὑμῖν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Machabæi cũ aliis Iudæis qui præ nimio legis zelo, non satis secundùm scientiam nollent sabbato pugnare, dixerunt; *moriamur omnes in simplicitate nostra; & testes erunt super nos cælum & terra, quòd iniustè perdatis*[e] *nos*. Hos testes, inquit hoc loco noster Abulensis, inuocabat, nempe Moses, quia nullus alius ibi testis aderat, sicut Iacob tumulum lapidum & terræ testem fecit inter se, & Laban, quia nullos alius audiebat[f]. Admittit præterea illam expositionem de Angelis & hominibus: & aliam de terra cælóque permanentibus, ita vt quia pœna, quam expressurus erat, extendebatur in omnes generationes, ad huiusmodi rei memoriam testes morituros vocare noluerit, quorum testimonium citò periret. Denique docet modum communem Scripturæ esse, quando aliquis vult ex intensio animo proclamare, vel aliquos obtestari, cælum & terram inuocare. Gregorius[g] nomine cælorum, populi præpositos interpretatur; nomine terræ subditorum plebem. Augustinus, & ex eo Glossa ordinaria in prima verba Cantici quod habetur infrà cap 32. docent inuitari ad audiendam allegoriam siue mysticum sensum quemlibet & historicum siue literalem. Theodoretus[h] Mosen iussum contestari cælum & terram, non quòd animata sint, & ratione prædita, sed quia creaturas omnes comprehendunt. Confirmat allatis Esaiæ & Ieremiæ locis: præterea tumulo Iacob & Laban, quod testimonij cognominatum est, vt etiam notauimos; item puteo iuramenti pro fœdere Abraham & Abimelech[i]. Adijce lapidem à Iosue positum in testimonium[k]; de quo idem Theodoretus[l] obseruat adhibitum ad arguendos illos qui anima præditi sunt & ratione, sequendo morem antiquum, vt circa Iacob & Laban. Ab illo lapide Iosue audita reuera esse quæ ille dixit Rabbini confingunt, de quibus Abulensis[m]. Vim similem habet apud Paulum[n] testificatio coram Deo, & Christo Iesu, inuocando in testem, & sub diuino iudicio atque supplicio. Prosopopœia ista eiusmodi est, vt supponat nihilominus omni creaturæ etiam irrationali & inanimatæ inesse potentiam obedientialem, qua obediant ad omnem nutum eiusdem, non secus ac si reuera perciperent imperium ipsius, vt de stellis Baruch[o] loquitur, quòd vocatæ dixerunt, adsumus: & obediunt ad vtilitates, item sol, luna, fulgur, spiritus, id est, ventus, nubes, ignis; de quo vltimo idem etiam canitur in Psalmo[p], déque grandine, niue, glacie, procellis. Cùm autem scribitur in libro Iosue[q] hunc dixisse; *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit* (sic enim legendum, non *audieris*, vel *audieritis*) *verba Domini, quæ locutus est vobis*; sensus est, tam testatur, quàm si audiuisset: vel quòd audierit Dominum potentia illa obedientiali supradicta: vel quòd per prosopopœiam auditus ei tribuatur ad rei magnitudinem declarandam: vel quòd per lapidem intelligantur hi qui circũstabant ipsum. Indicat item præsens formula, ista præcipuè duo extrema corpora, cúmque illis alia media, quando euenerint hic prædictæ plagæ, testimonium quodammodo editura, dum simul instrumenta

a vers. 1.
b vers. 19.
c vers. 28.
d Iudith. 7. 17.
e 1. Machab. 2. 37.
f Gen. 31. 46. & seqq.
Cælum & terram inuocandi modus in Scriptura communis.
g 1. moral. c. 16.
h q. 40. in Deut.
i Gen. 21. 32.
k Iosue 24. 27.
l ibid. q. 19.
m ibid. q. 20.
n 2. Tim. 2. 14. c. 4. 1.
o c. 3. 34.
p Psal. 148. 3. & seqq.
q c. 24. 27.

A erunt earumdem, pugnabitque cum Deo orbis terrarum contra insensatos[a], non fictas, aut inanes, sed veras & efficaces comminationes fuisse; atque illas ipsas creaturas, per quas nobis à Deo subsidia vitæ sunt; & quibus impij debitum Deo cultum deferunt, de ingratis & idololatris supplicia repetituras. Sed & ista contestatione significatur obsurdescere homines ad voces diuinas, exaudirique potiùs Deum ab inanimatis aut irrationalibus, quàm ab illis. Cuius rei exempla possunt proferri in lapidibus, qui Bedam; & in piscibus, qui Antonium Patauinum; & in volucribus aliisque brutis, quæ Franciscum visa sunt exaudiuisse. Mera prosopopœia est in Iob[b], scribente vt interroges iumenta quæ docebunt te, B volatilia cæli, quæ indicabunt tibi; vt loquaris terræ, quæ respondebit; & quod narrabunt pisces maris. Ad eamdem pertinent figuram cæli enarrantes gloriam Dei, opera manuum eius annuncians firmamentum, dies diei eructans verbum, nox nocti indicans scientiam[c], & alia complura in Scripturis diuinis. Figuræ vsus præsertim est, cùm id cuius incidit mentio, adeò manifestè apparet, atque rebus declaratur etiam irrationalibus ac inanimatis, vt hæ videantur verbis exprimere, quod re factóque ostendunt. Non dissimile nostro exemplum Sinonis[d],

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ ensésque nefandi
Quos fugi: vittæque Deûm, quas hostia gessi.

C Item alteriis[e],

Testor nitentis flammeam (vel *nitentes flammas*, &) *Phœbi rotam,*
Superósque testor.

Adhæc,

Esto[f] *nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti.*

Præterea,

——— *Xanthum*[g] *Simoëntaque testor.*

Denique,

Testor[h] *maiorum cineres.*

Possumus eamdem prosopopœiam comprobare ex lapidibus qui clamaturi[i] dicuntur: ex ligno quod responsurum[k]: ex terra quam respiciens Deus faciat tremere[l]: ex ventis & mari obedientibus Christo[m], &c. hæc enim potestatis Dei D sunt, non earum rerum intelligentiæ, obedientialis, vt dixi, potentiæ earumdem, non facultatis naturalis iussa diuina percipientis.

Terram cælúmque in adiurationibus iungunt poëtæ alij cum citato Virgilio[n], quos noster profert Cerda[o]. Sed plerique vera putabant numina, & animata. Sumitur item in Scriptura cælum pro Deo; vt, *peccaui in cælum*[p]: *baptismus*[q] *Ioannis ex cælo est, an ex hominibus?*[r] *non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis & in paucis*, Græcè tantùm *in conspectu cæli*, ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ. Atque ita hoc loco cælum quod inuocatur in testem, Deus ipse posset intelligi, qui peculiariter in cælo sedem habere censetur, non solùm Angeli; & cuius oculi multò plus lucidiores E sunt super solem (cognominatur à Philone[s] ἥλιος μάρτυς, *sol testis*) circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes. Tandem per nominata cælum & terram, quibus reliqua rerum vniuersitas comprehenditur, innui potest spectare quæ hic ac similibus dicuntur locis, in quibus eadem fit contestatio, ad omnes homines, & communem cunctis causam esse. Porrò simili quadam ratione in exorcismis adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, non ad res irratio-

a Sapien. 5. 20.
b c. 12. 7. &
c Psal. 18. 3.
d Æne. 2.
e Sene. in Herc. Oetæo.
f Æne. 12.
g Æne. 5.
h Proper. lib. 4. eleg. vlt.
i Abac. 2. 11. Lucæ 19. 40.
k Abac. 2. 11.
l Psal. 103. 32.
m Matth. 8. 27.
Terram cælúmque in adiurationibus Poëtæ iungere.
Cælum pro Deo.
n 12. Æne.
o ibid. vers. 175 nota 2. & 3.
p Lucæ 15. 18.
q c. 20. 4.
r 1. Mach. 3. 18.
s de confus. ling.

irrationales, id est, ad Deum, vt in earum usu assistat & impediat damna quæ ab illis aut per se, aut opera quoque diaboli prouenire possent.

Cito perituros vos esse.] Secundùm alias editiones (*perditione peribitis citò*, vel *disperdendo disperdemini*, vel *consumendo consumemini*. Hebraicè אָבֹד תֹּאבֵדוּן *auod thouedun* : quibus Chaldæa similia : Græca verò ἀπωλείᾳ ἀπολεῖσθε. Sed nescio cur omittatur in Sixtinis ταχὺ, *citò* : cùm id significans habeat editio Hebræa מַהֵר *maher*, Chaldæa בִּפְרִיעַ *biphriahh*; quod vltimum verti possit *in momento*, seu *vacuo*, id est, in breuissimo spatio. Indicatur porrò intra terram iam possessam interitos per pestem, vel famem, vel bellum, vel quid tale. Notum est in Apocalypsi [a] nomen Hebræum angeli mali, siue abyssi Abadon (corruptè *Labbadon*) quod Ioannes reddidit per nomen ἀπολλύων, Latinus Interpres per nomen *exterminator*, quia cunctos homines perdere volebat per se aut per suos ministros. Valet אָבַד *auad*, seu *abad*, *perdere*: & si Asmodæus [b] Hebraica forma Asmodai deriuetur à שָׁמַד *ssamad*, cuius quoque notio est perdere, & vastare, synonymum erit dicto nomini Abadon : licèt Asmodæus peculiariter præsit luxuriæ, per quam plurima & maxima hominibus vastitas inferri solet, quibus, cum superbia, quæ grassatur in animo, sicut illa in corpore, potissimùm, vt Cassianus [c] loquitur, inuiscerata est, atque grauissima plerumque sectatoribus tormenta imponit; vt quantum quis in delicijs fuerit, tantum detur illi tormentum & luctus [d]. Lege de nostris Serarium [e], & Ballesterum [f], quorum posterior imitatus videtur priorem.

a c.9. 11.
b Tob. 3. 8.
c colla. 4. cap. 7.
d Apoc. 18. 7.
e in Tob 3. p. 1. c. q. 8.
f onomatogr. verbo *Asmodaus*.

De terra, quam transito Iordane, possessuri estis.] Breuiùs Interpres [e], quod editiones aliæ (*desuper terram*, seu *à terra*, *in quam vos transeuntes*, nempe estis, eritisve, aut *transitis Iordanem illuc, vt possideatis eam.*) Erat Chanaan vltra Iordanem; citra quem Amorrhæorum regna Og & Sehon attributa iam erant in possessionem tribubus Ruben & Gad, atque dimidiæ tribui Manasse, quemadmodum postulauerant.

Non habitabitis in ea longo tempore.] Hebraicè, Chaldaicéque (*non prolongabitis dies super eam.*) Græcè οὐχὶ πολυχρονιεῖτε ἡμέρας, *non multos morabimini dies*, aut si ita loqui fas esset, *non multitemporabitis dies* : ita vt per se solum verbum sufficere posset, *dies*, non addendo *dies*. Alibi [g] multiplicare dies, est multo tempore viuere, πολὺν χρόνον ζῆν, vnde πολυχρόνιοι καὶ μακρόβιοι, *longæui*.

Multiplicare dies, pro multo tempore viuere.
g Iob 29. 18.

Sed delebit vos Dominus.] Prima particula in textu Hebræo, & Chaldæo causalis est, כִּי *chi*, אֶרֶי *are*. Pro (*delebit*) magis exaggeranter in iisdem, ac in Græco (*vastatione*, *deletione*, *attritione*, *vastabimini*, *delebimini*, *atteremini*, הִשָּׁמֵד תִּשָּׁמֵדוּן *hissamed thissamedu*, אִשְׁתֵּצָאָה תִּשְׁתֵּיצוּן *istheizah thistheisun*, ἐκτριβῇ ἐκτριβήσεσθε. Cæterùm deletio hæc insinuat mortem infligendam, siue per morbum, siue per famem, siue per bellum, siue aliter. Ex Hebræo themate anteà monui ortum nomen vastatoris angeli, qui luxuriæ præest Asmodæus; vt & aliud Abadon, ex alio item verbo eiusdem linguæ.

Delere pro mortem infligere.

Atque disperget in omnes gentes.] Deest (*omnes*) in editionibus aliis : in nostra (*Dominus*) & (*vos.*) Denotatur dura captiuitas & seruitus. Dispersio in omnes gentes maximè contigit, vt priùs dixi, post excidium Ierosolymitanum opera Vespasiani & Titi : aliæ captiuitates, aut confugij causa migrationes non ita generales fuerunt apud Ægyptios, Syros, Ammonitas, Moabitas, Madianitas, Palæstinos, Idumæos, Chaldæos siue Babylonios.

Et remanebitis pauci in nationibus.] Hebraicè (*viri, seu homines numeri*, מְתֵי מִסְפָּר *methe mispar* :) Quæ duæ voces ponuntur ad significandum pusillum numerum, vtque Christus loquitur [a], pusillum gregem, sicut & adiuncta primæ alia, nempe מְעַט *mehhat* : cùm tamen sola per se prima paucitatem denotet. Addunt aliqui quasi ea מוּת *muth mori*, indicari veluti mortuos, mactationique destinatos more ouium. In Genesi [b], *nos pauci sumus*, Hebraicè אֲנִי מְתֵי מִסְפָּר *ani methe mispar*, *ego viri numeri*, id est, ego paucus numero sum, siue mihi viri ac populus numero exiguo, vt etiam sonant Chaldæa אֲנַחְנָא דְמִנְיָן *anahhana deminian*, ἐγὼ δὲ ὀλιγοστός εἰμι ἐν ἀριθμῷ, *ego paucissimus sum in numero*. In cap. 26 [c], libri nostri; *peregrinatus est in paucissimo numero*, בִּמְתֵי מְעָט *bimethe mehhat*, *in viris numeri* : בְּעַם זְעֵר *behham zehher*, *in populo pauco* : ἐν ἀριθμῷ βραχεῖ, *in numero breui*. Quo vltimo modo transtulit Interpres Psalmo 104 [d]. *cùm essent numero breui*, בִּהְיוֹתָם מְתֵי מִסְפָּר *bihiotham methe mispar*, עַם דְּמִנְיָן *hham deminian*, ἐν ἀριθμῷ βραχεῖς. In eius loci commentario plura diximus; citantes adhuc alia testimonia ex eodem præsenti [e] libro, præterea ex 1. Paralipomenon [f] : postremò ex Psalmo 16 [g]. quod attinet ad מְתִים *methim*; necnon & exempla [h] profanorum auctorum, de mortalibus, & de vocabulo numeri : quod scilicet cum paucitate vilitatem indicet ea formula (*numerus* [i] *sumus*) siue nullius classis, loci, ordinis, atque eo ipso tantùm quòd sumus, numero censendi, nulla alia re nosci quòd sint, nisi quia augeant numerum : alioqui minimè numerandi, numero indigni, nullo numero habendi, nullo in numero consistentes. Sic apud Aristophanem [k].

Viri, seu homines numeri, pro paucis.
a Lucæ 12. 32.
b c. 34. 30.
c vers. 5.
d vers. 12.
e c. 26 54. 28. 62. cap. 33 6.
f c. 16. 19.
g vers. 14.
Numeri vox.
h Homil. 1. epist. 2. & 6. & lib. 1. Satyr. 9. Gel. lib. 13. c. 27.
i Hora. lib. 1. epist. 2.
k in Nubib. actu 4. sce. 3. sub fin.

—— ὄντες λίθοι
ἀριθμὸς, πρόβατ' ἄλλως ἀμφορῆς νενησμένοι.
—— *Vos estis lapides*
Numerus, oues, amphoris vino vacuatis similes.

Ad quàm exiguum numerum redacti sint Iudæi varijs temporibus, quàm viles, imbelles, ignaui, nullius pretij, restantur historiæ.

Ad quas ducturus est Dominus.] Addunt (*illuc*) editiones aliæ. Hebræa vtitur verbo ducendi יְנַהֵג *ienaheg* : Chaldæa migrare faciendi præteriti temporis אַגְלִי *agli*, Græca congregandi in futuro συνάξει. Congregatio dispersioni opposita est : abeuntes verò ductive in alias nationes disperguntur è loco patriáve sua; congregantur in alieno loco & solo. Præteriti significatione in Chaldæa paraphrasi denotat decreti diuini certitudinem. Ducere ac dispergere dicitur Deus ipse seu abigere in exilium aut captiuitatem, non solùm permittendo, sed etiam efficiendo : quoniam pœnæ malum rationem boni habere potest : culpa permitti duntaxat potest, quia per se mala. Pœnam infligi à Deo, & ipsomet auctore constat ex diuinis literis præsertim Prophetarum; ita vt vel ad tenuem sibilum eius ac eleuato signo [l], temporis momento inde ab vltima terræ ora nationes aduolent : vt puniant improbos, ac veluti vinctos ab eodemmet Deo, in captiuitatem secum abducant : quod ostensa Ieremiæ [m] ab eodem vincula & catenæ collo imponendæ declarabant : & apud Abacuc [n] Chaldæi, quos Deus minatur se suscitaturum.

l Esa. 5. 26.
m Ier. 27. 2. & seqq.
n c. 1. 6. & seqq.

Ibique seruietis dijs.] Græcè (*dijs alijs*, θεοῖς ἑτέροις) Chaldaicè (*populis fermentibus idola*, לְעַמְמַיָּא פָּלְחֵי טַעֲוָתָא *lehhamemaia polche tahhuatha*.)

Quæ

Quæ vltima translatio indicat seruituros fuisse Hebræos idololatris, non autem idolis ipsis. Constat tamen idolis quoque seruiuisse in iis regionibus, ad quas captiui ducti sunt, siue vbi exularunt, vt libri Prophetarum testantur, & historici sacri. Nomen porrò Chaldæum ex Hebræo תועבה *thohebaoth* sumptum vnum de idolorum vocabulis est, significans *abominationes*, vt pridem antè dixi, & alibi. Grauissima omnium pœna vt lapsum in idololatriam permittat Deus, nec enim per se auctor illius esse potest, cùm sit intrinsecè mala: quantùm verò ad permissionem pœnæ peccati peccatum aliquando est, vt aliàs demonstraui, & positiuè, & Scholasticè. *Sicut dereliquistis me*, ait Dominus apud Ieremiam [a], *& seruistis Deo alieno in terra vestra, sic seruietis alienis in terra non vestra*: Item; *Eiiciam* [b] *vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri: & seruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Aptum ac dignum supplicium, vt qui eiicerent in solo proprio falsos, vero spreto, Deos, à quo vero tam liberaliter tractarentur, longiùs in alienum solum relegarentur, vbi seruire compellerentur idololatris, necnon & idolis ipsis. Citatis Ieremiæ locis Chaldæa paraphrasis exprimit seruitutem seruiendam populis idola colentibus, eadem prorsus phrasi quam hîc ex eadem recitauimus. Certè commisceri inter gentes, & non discere opera earum [c], perdifficile, ac ferè impossibile, aut admodum ratum, & singulare, vt in Iob terram Hus incolente [d], quemadmodum obseruat Gregorius [e], & in iis quos Apostolus [f] laudat, quòd lucerent sicut luminaria in medio nationis prauæ & peruersæ; vel imperat seu hortator vt sint tales, quia imperatiuè nonnulli legunt, non indicatiuè; quod vtrumque admittit φαίνεσθε. Timens valde huiusce modi tantum periculum Dauid sanctus, támque sanctus vir in apologia sua ad Saul conquerebatur de illis, qui causas iræ regis aduersùm se subministrarent, cùmque maledicti essent in conspectu Domini, eiiciebant eum (hoc est, eiicere conabantur) vt non habitaret in hæreditate Domini (vbi ritè ac rectè colebatur) dicentes (perinde ac si dicerent) *Vade, serui diis alienis* [g]. Quia illi qui propter persecutionem coguntur, ait Lyranus [h], intrare terram idololatriæ subditam, exponuntur peccato idololatriæ, eo quòd ab idololatris ad hoc de facili inclinantur, & aliquando violentia pœnæ coguntur. Hinc lex, inquit Rickelius [i], non iniunxit exilium, quoniam exolati à terra cultus diuini, incidissent faciliter in idololatriæ crimina. Id prior animaduerterat Aquinas [k], facta mentione verborum Dauidis quæ modò recitaui.

Qui hominum manu fabricati sunt.] Hebraicè, & Chaldaice (*opus manuum hominum*) id est, quæ sunt opus manuum hominum. Quibus ipsis verbis describuntur Latinè idola in aliis [l] locis: atque infelices appellantur, quoniamque sit spes inter mortuos quæ colunt [m]: exponitúrque materia idolorum argentum, aurum, lignú, lapis, ferrum [n]; artifices, plastes, faber ferrarius, ærarius, argentarios, aurifex, lignarius [o]: de quibus egi in commentario Sapientiæ & Psalmorum: Legenda verò in primis loca hîc indicata ex libro Sapientiæ, Esaiæ, & Baruch, & quidem, ex vltimo potissimùm, qui effusiùs ridet hanc omnem insaniam, imbecillitatémque tum idolorum, tum opificum: quasi ipsamet opera ab his confecta colerentur; non solùm maligna quædam numina illis insidentia.

Ligno & lapidi.] Pluraliter in textu Græco ξύλοις, καὶ λίθοις, *lignis & lapidibus*: prætereà metallis auri, argenti, ferri, æris, vt nuperrimè dixi, & habetur aliquot aliis locis, elaboratis ac effurmatis vel absque imagine, vel cum imagine siue bruti, siue hominis, siue cuiuspiam alterius rei etiam fictæ. Attamen haud satis mihi compertum idola seu simulachta ex nuda materia constitisse sine vlla repræsentatione, quam ipsæmet hæ voces important: ita vt aliud esse non haberent quàm ligni, argenti, auri, &c. fabrefacti; eámque ob causam à Ieremia, & aliis dici inferiora iis qui fabricauerant illa. Adhuc inferiora censenda fuisse, demonstrant iidem, quamuis repræsentarent cælestia signa, vel homines: necnon & Christiani Scriptores apologiarum contra idolorum vanitatem. Immò ridendam exponit istiusmodi fahricam Horatius [a], quem Lactantius [b] citat: dicens; *quid maiestatis possunt habere simulachra, quæ fuerunt in homunculi potestate, vel vt aliquid fierent*, (aliter *aliud*) *vel vt omnino non fierent*, &c. Sed Flaccus, vt Satyrici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem,

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum.

Et Iuuenalis [c],

——— *audis*
Iuppiter hæc, nec labra moues? cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? (aliter *aeneus*)

Qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.] Editio Hebræa, Græcáque temporis futuri habent verba; Chaldæa participiis vtitur (*non videntes*, &c.) scilicet sunt, aut erunt: siquidem iungi possunt cuiuis tempori, vt sæpiùs annotaui. Similem porrò sententiam continent indicata priùs in margine alia Prophetarum & Psalmorum testimonia de hac, vt dicam, insensibilitate idolorum, siue materialiter tantùm illa sumas, siue cum dæmonum in iis commorantium præsentia (παρέδρους vocant;) qui cùm sint completæ substantiæ spirituales, informare corpora nequeunt, nec sensuum actiones vitales opera organorum exercere: quamuis interdum exteriùs in iis nonnullæ appareant, vt de seipso bonus Angelus Raphaël testificatus [d] est; & argumento isto, id est, per exercitium eiuscemodi vitalium actionum probauerit Christus post resurrectionem se spiritum vel phantasma non esse, sed vero animali humanóque cótpore præditum: instando vt palparetur, quod supponebat in ipso sensum tactus, non tantùm in iis qui palparent, & vt cibú sumeret cum aliis, quê etiam sumpsit [e]. Idola sine anima vocantur in libro Sapientiæ [f]: in Esaia [g] scribitur quòd non mouentur; non vident, neque intelligunt [h]: in Ieremia [i] quòd non loquuntor, nec est spiritus in eis: in Baruch [k] quòd non possunt loqui, non sentiunt [l], nun est spiritus in ipsis [m], pedibus carent & portantur [n], similes lapidibus sunt [o], non habent motum, vel sensum [p], nihil possunt [q], similes mortuo proiecto in tenebris [r], &c. in Psalmis [s] quòd quamuis os habere videantur, oculos, aures, manus; nun loquuntur, vident, audiunt, palpant: quæ adhuc repetuntur ab auctore libri Sapientiæ [t]; quódque numquam vixetint. Repeti hîc potest illud Iuuenalis [u],

audis

Pœnam peccati aliquando peccatum esse.
a c.5.19.
b c.16.13.
c Psl.105.35.
d Iob 1.1.
e ibidem.
f Philipp. 2.15.
g 1.Reg. 26.19.
h ibidem.
i ibidem.
k 1.2.quæst. 105.a.2.ad 10.
l Psl.113.4. Psl.134.15. Sapien.13.10.
m Sapien. 13.10.
n locis cit. lit.h & Esa. 40.19.20.& 41.7.c.46.6.c.44.9.& seq. Ier.10.3.& seq. Bar. 6.3.& seq.
o Sap.13.11. Esa.41.7.c.44.9.11.13. Baru.6.45.46. Deut. 29.17. Esa. 31.7. Ezech. 7.19.c.16.17. Dan.5.23.
Opus manuum hominum, pro idolo.
Idolorum materia quæ.
a lib.1.Satyr.8.
b lib.2.c.4.
c Satyr.13.v.114.
Idolorum insensibilitas.
d Tob.12.19.
e Lucæ 24.30.39.41.& seqq. Ioan.20.20.& seqq.c.21.13. actuum 10.41.
f c.14.29.
g c.40.20.
h cap.44.9.
i c.10.5.14.
k cap.6.7.
l vers.19.
m vers.24.
n vers.25.
o vers.38.
p vers.41.
q vers.53.
r vers.70.
s Psl.113.4.5.& seqq.
Psl.134.16.& seqq.
t c.15.15.17.
u Saty.13.v.114.

——— *audis*
Iuppiter hæc, nec labra moues? cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aeneus?

Quamquam queri videatur, non irasci Iouem audientem quæ fierent à periuris & sceleratis; quem ferebant cùm irascebatur hominibus in maximos prorumpere clamores, buccásque inflando mittere fulmina.

a Hor. li. 1. Saty. 2.

——— *quin* [a] *illis Iuppiter ambas*
Iratus buccas inflet.

Et,

b Persius Saty. 2.

——— *at* [b] (aliàs *ad*) *sese non clamet Iuppiter ipse.*

c Arist. de sensu & sensil. c. 2. & 4. 3. de anima t. 63.
d 3. de anima t. 63.
e Idē ibid. t. 60. & de somno & vigil. c. 2.
f Psal. 113. 7.
g cap. 6. 71.

Cæterùm per negatam idolis comestionem, dixi sensum gustus intelligi; quem tactum quemdam Philosophi [c] vocant, & sensum alimenti [d]: de tactu verò, quo nullum animal caret [e], expressa mentio fit in Psalmis [f]; *manus habent, & non palpabunt*; vbi propterea de progressiuo motu. Tantum autem abest, vt comedant isti dij, vt potiùs, teste Baruch [g], comedantur ipsi, vel iuxta Lyrani expositionem, quia à latronibus seu raptoribus idola venduntur, & sic pretium eorum comeditur; vel quia post longam durationem à vermibus corroduntur si sint lignea, & à rubigine consumuntur si sint metallica; & ab hostibus confringuntur si lapidea. Atque ita erunt, inquit idem Propheta, opprobrium in regione; cùm videlicet conspicientur semiexesi, sine naribus, aut oculis, aut capite, aut pedibus, qualia nunc Romæ conspiciuntur non pauca. Tandem Oleaster vltimum verbum יְרִיחֻן *ieriehun*, censet reddendum *respirabunt*, à רוּחַ *rauach*, Sed thema potest esse רָוַח *rauach*, siue רִיחַ *riach*, vel רוּחַ *ruach*, *odorari*: putántque aliqui primum illud habere eandem significationem. Quin etiam odor aut fragrantia spiratio quædam est, venti aërísve agitatione excitata: odoratus item velut inspirat, introspirat, respirat odorem. Idem verbum est in Psalmo [h], *nares habent, & non odorabunt*.

h Ps. 113. 6.

Vers. 29.] Cúmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.

Paraphr.

Ne populus abiiciat animum si fortè contingat vt propter peccata dispergatur in omnes gentes, pollicetur veniam Moses, dummodo abiectum à se Dominum Deum suum, vt alienis seruirent diis, omnínóque vanis idolis, seriò, ex animo, tota animi contentione atque contritione requirant, ac sibi tantum nefas displicere summo cum dolore ac pœnitudine, & perfecto emendationis proposito in conspectu eiusdem Domini Dei sui demonstret. Inueniri porrò Dominum intelligi posse Abulensis vel quantum ad condonationem culpæ dumtaxat: gratiæque recuperationem; quod nullo non loco cuiuis verè pœnitenti conceditur [i]: vel quantum ad pœnæ relaxationem ac dimissionem; quod non conceditur, inquit, quando peccatum penitus consummatum est; vt proinde Iudæi reducti fuerint de captiuitate Babylonica post septuaginta annos [k]; non autem illi qui ob interfectionem Christi luunt ad hoc vsque tempus durissimi pœnam exilij: quando autem censeri debeat dicto modo consummatum peccatum, non constat donec

i Ezech. 18. 21. 22. 23. & 33. 11. 12. 14.
k Ier. 29. 10. & seqq.

Deus imponat silentium ne rogemus pro imposita pœna, quemadmodum impositum Mosi orant[i] vt liceret intrare in promissam populo terram, priore capite [a] vidimus. Peccatum Mosis non adeò magnum fuit, vt cognominari propriè consummatum comparatione aliorum peccatorum debeat, ac ne mortale quidem forsitan fuit; cui omni tali peccato Iacobus [b] illud epithetum tribuit, asserens quòd generat mortem. Grauissimè sine dubio Iudæi peccauerunt, interficientes Christum, meritóque propter illud tamdiu exulant; quamuis tandem sub mundi finem conuertendi, & fortassis etiam reuersuri in antiquam possessionem. At exulant tamdiu, quia conuerti nolunt, & in peccato suo consummati, hoc est, obdurati & pertinaces sunt. Igitur quod hîc promittitur de liberatione captiuitatis, nó est quidem necessariò connexum cum exacta conuersione atque contritione, quam habuisse Mosem de suo peccato, quale quale illud fuerit, ambigi nequit; verisimile tamen est impleri præsente tali contritione, & si hoc expediat. In quo casu cap. 30 [c]. libri nostri pollicetur Deus fore vt si populus ductus pœnitudine cordis sui in vniuersis gentibus, in quas disperserat eum, reuerteretur, & obediret imperiis eius in toto corde & anima, reduceret captiuitatem ipsius, misereretur eius, rursum congregaret eum de cunctis populis in quos disperserat; si ad cardines cæli dissipatus esset, inde retraheret, & assumeret, atque introduceret in terram, quam possederant patres illius, ita vt obtinerent eam, ac maioris numeri essent quàm illi. Sic verò etiam apud Ieremiam [d] cùm prædicitur de captiuitate Babylonica libertas, apponitur futurum, vt populus ibi Deum inuocet, quærat in toto corde. Nec aliter accipiendum Esaiæ vaticinium [e]; *ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, da: & Austro; noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.*

a vers. 5.
b c. 1. 15.
c v. 1. & seq.
d c. 29. 10.
e c. 43. 5. 6.

Cúmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum.] In editionibus aliis (*& quæretis ibi*, ἐκεῖ, vel *inde*, seu *ex eo loco*, מִשָּׁם *missiam*, מִשָּׁם *mitthamman*.) id est, adhuc existens in terra hostili. In Chaldæa (*& quæretis inde timorem Domini Dei tui.*) est enim ibi verbum plurale וּתְבַעוּן *thibbhebhun*, sicut Hebræum וּבִקַּשְׁתֶּם *bikkasthem*, & Græcum ζητήσετε: cùm tamen hæ ipsæ editiones tres habeant numero singulari (*Dominum Deum tuum*) sicut nostra. Inter multa quæ Salomon intra templum audientibus cunctis orauit, vnum pertinet ad captiuos in aliena terra. *Quòd si peccauerint*, ait [f], (non est enim homo qui non peccet) *& iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè, vel propè, & egerint pœnitentiam, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus: & reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint; & orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo; exaudies in cælo, in firmamento solij tui orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum; & propitiaberis populo tuo, qui peccauit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus præuaricati sunt in te; & dabis misericordiam coram eis qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis*, &c. *Populus enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ*, &c. Hoc modo Daniel

Explanatio.

f 3. Reg. 8. 46. & seq. 2. Par. 6. 36. & seqq.

Daniel ingressus domum suam, fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo [a] suo. Idem fecisse asseritur Ezechiel [b]: quod nondum satis comperi: credunt verò [c] alij factitatum vniuersè à Iudæis quocumque loco ipsos Hierosolymis abesse contigisset; quemadmodum vsitatum Christianis fuit orando conuerti ad Orientem [d]; & Gentilibus ædis signum siue simulachrum ad Occasum constituere [e]: vt conuersi ad illud adorarent spectantes oppositam partem: & hodie versùs Mecham Turcæ in suis sese vertunt moschæis. In Leuitico [f] indicatur exaudiendam captiuorum orationem. Ibi attigi causas, citatis pluribus auctoribus, tam diuturnæ captiuitatis, in qua nunc sunt Iudæi, & quare viuere inter Christianos sinantur.

Inuenies eum.] Iuxta editiones quoque alias non pluraliter, vt in priore membro, sed (*inuenies eum*) vt in nostra. Apud Grammaticos dicitur inueniri quod studio ac labore quæritur: quod non quæsitum sese obiicit reperiri; vnde illud,

—— *tu* [g] *non inuenta reperta es.*

Nonnumquam tamen casu quidpiam inuenire boni auctores vsurpant. Numerorum autem permutatio quam vim hic habeat, nescio, nisi per Dei inuentionem dicamus innui quamdam maiorem & sanctiorem coniunctionem. Non quæritur, & inuenitur, vel etiam reperitur, nisi id quod aberat, & non habebatur: & sæpe contingit, vt quæratur quod priùs habitum est, sed amissum: quod conuenit peccatori, qui gratiam amisit, vel ea caruit, quam habere potuit & debuit. Quisquis etiam quærit, petit, pulsat [h], aliqua te se profitetur carere. Ipsummet quærere Dominum, lætificat cor [i]; vt proinde quærendus sit, & virtus, & facies eius semper [k]: exquirenda facies eius, vultúsque requirendus [l]: præbenda sint corda & animæ, sine danda corda & præparanda ab iis, qui quærant [m] eum; cauendum, ne si non quæratur, sed derelinquatur, proiiciat in æternum [n], & derelinquat [o], mórsque consequatur [p]: quia quærens vt oportet, viuit [q]: nempe quærens bonum, & non malum [r], quærens, eùm iudicium Domini fuerit operatus, quærens iustum, quærens mansuetum [s]. Sed quærendus est in toto corde, tota anima, tota voluntate [t]; præterea in bonitate [u], & simplicitate cordis [x]; & quærendo mandata ipsius [y], & illum siue sapientiam increatam quasi pecuniam & thesauros [z]: item diligendo [aa], seu amando, & exquirendo à iuuentute, & quærendo sponsam sibi assumere, ob amorem formæ eiusdem [bb]: & circumeundo vt inueniri possit, aliósque inuitando, vt ad inueniendum iuuent [cc]: & quærendo dum inueniri potest [dd]. Denique audiatur clamans custos [ee]; *venit manè & nox: si quæritis, quærite: conuertimini, venite.* At non solùm inueniri nequit Deus, sed nec quidem quæri, nisi prior ipse quærat (*erraui*, dicebat ille [ff], *sicut ouis quæ periit: quære seruum tuum*, dignos autem se ipse circuit quærens (dignos efficiens) & in viis ostendit se hilariter, & in omni prouidentia occurrit [gg], stans pulsat ad ostium nostrum [hh]; atque sic demũ quærunt qui ante non interrogabant, inueniunt qui nõ quæsierant [ii], ita vt nõ detur gratia secundùm merita, vt Pelagiani errantes docuerunt. Non inuenitur in terra suauiter viuentiũ [kk]; non in ciuitate Ierusalem, sed in Bethleẽ [ll]: non inter cognatos & notos [mm], sed in templo [nn]: & intra nos ipsos, intra quos est regnũ [oo] Dei, id est, in potestate nostra, si volumus, prout etiã insinuatur inferiùs c. 30 [pp].

a Dan. 6. 10. & seqq.
b Serar. in 3. Reg. 8.
c Gaspar Sanct. in Dan. 6. 10.
d Vide cõment. nostros in actus Apost. &c.
e Vitruuius lib. 4 c. 5.
f c. 26. 43. & seqq.
Inueniendi verbum.
g Ouid. 1. Metam.
h Matt. 7. 7.
i Psal. 104. 3. 1. Paral. 16. 10.
k Psal. 104. 4. 1. Par. 16. 11.
l Psal. 26. 8.
m 1. Paral. 22. 19. lib. 2. 11. 16. c. 12. 14.
n 1. Paral. 28. 9.
o 2. Paral. 15. 2.
p Ibid. v. 13.
q Amos 5. 4. 6. 14.
r vers. 14.
s Soph. 2. 3.
t Ibid. vers. 15.
u Iere. 29. 13.
x Psal. 118. 2.
y Sap. 1. 1.
z Psal. 118. 10.
z Prou. 2. 4.
aa Sap. 6. 13.
bb c. 8. 2.
cc Cant. 3. 2. & cap. 5. 6. 17.
dd Esa. 55. 6.
ee c. 21. 14.
ff Psal. 118. vlt.
gg Sap. 6. 17.
hh Apoc. 3. 20.
ii Esa. 65. 1. Rom. 10. 20.
kk Iob 28. 12.
ll Matth. 2. 5.
mm Lucæ 2. 45.
nn vers. 46.
oo Lucæ 17. 21.
pp v. 11. & seqq.

notátque Orig [a]. Quærit benè quis in cubili, in nocte [b], nec die feriatus, neque nocte, & si nõ inuenerit primò, perseueret in quærẽdo, ait Ambrosius [c], in ciuitate, in foro, in plateis: quamuis in his non inueniatur, vbi nundinæ rerum venaliũ; non in illo, vbi lites. Sed cùm eadem omnia in meliorem partem interpretetur [d], quæ omitto: rursus [e] in deteriorẽ accipit, negátque ita in locis, præsertim in foro, inueniri Christum posse. *Non est Christus, inquit, circumforaneus. Christus enim est pax* [f]; *in foro lites: Christus iustitia est* [g]; *in foro iniquitas: Christus operator est* [h]; *in foro inane otium: Christus charitas* [i] *est, in foro obtrectatio: Christus fides est; in foro fraus, atque perfidia: Christus in Ecclesia est; in foro idola, &c.* Tum subdit: *Non incuria tantummodo est non inuenisse quem quæras, sed etiam plerumque vbi non oportet quæsisse, vulnus est. Inuentus est Christus in templo, sed quæsitus antea à parentibus dolentibus* [k].

Si tamen toto corde quæsieris.] Omissum est pronomen (*tuo*) quod habẽt editiones aliæ. Pro (*quæsieris*) quod Chaldaicè quoq; singularis est numeri, pluralis autẽ Græcè, sed idem quod priùs in iisdẽ editionib. Hebræũ numeri quoque singularis diuersũ est cum affixo תִּדְרְשֶׁנּוּ *thidreschennu*, pro (*si*) est כִּי *chi*, [Hebrew] *are, ὅταν*. Ex his duo priora significãt (*quia*) quasi causa inuentionis sit inquisitio: vltimum (*quando*) vt indicetur quoties debita inquisitio fiat, inuentionem sequi. Verbum Hebræum inuoluit curam, sollicitudinem, diligentiam: illud aliud conatum etiã & studiũ. Cæterùm toto corde, vt & tota tribulatione animæ, quod mẽbro sequenti habetur, atque similibus aliis formulis quæri Deus, vel eũ quis quærere, aut amare, vel cõuerti censetur; quando non quidẽ summa intensione, quæ difficilis ac parum possibilis est, & rarò cõtingit adeò multos gradus adesse; sed verè ac syncerè ista exercet, cõfitendo in Deo solo, à solo illo remediũ peccatorũ suorum efflagitando, propter illius offensã peccata detestãdo, inquit Andreas [l] Vega. Immò plures ac meliores Theologi sentiunt cũ sacramẽto sufficere attritionẽ, qui est dolor inferior contritione, cũ ipsa per se sola cõtritio vera afferat gratiã iustificationis. Recipiunt præterea distinctionẽ, vt sit maior siue amor, siue cõtritio, vel intẽsiuè, vel appretiatiuè; atque posteriorẽ modũ in quocumque gradu sufficere. De qua tamẽ eadẽ qualitate supernaturalis dispositionis, quæ includit odiũ, detestationẽ, dolorẽ de peccatis ex motiuo supernaturali, & propter Deũ offensũ, qui præponatur omnibus aliis amoribus, & eiusdẽ offensa præ omnibus malis odio habeatur: quia constare nobis non potest, nec possumus, quidquid asserat Catharinus, de gratia quòd eam habeamus, in eáve simus habere certitudinẽ. De attritione lege Cõc. [m] Trid. Verũque sanè donũ Dei est, sed requirit cooperationẽ nostrã; ita vt nõ habeamus nos hac in re tãtũ passiuè: quemadmodũ oratur Deus conuertere nos vt cõuertamur [n], & ipse vicissim iubet nos cõuerti ad se, vt ad nos conuertatur [o]. Roboã fecisse malũ scribitur [p], quia non præparauit cor suũ vt quæreret Dominũ. Prior quærit nos Deus, vt antè dixi; & anima quærens Deũ, quod ipsũ quærere Bern. [q] bonũ magnũ, & nulli in bonis animæ secũdũ existimat, ne magnũ bonũ in magnũ sibi detorqueat malũ, admonet vt nouerit se præuẽtã in illo, & antè se quæsitã quã quærẽtẽ. *Quærit anima verbũ* inquit, *sed quæ prius à verbo quæsita sit. Audi profugã, & deuiã, quid doleat, & quid petat. Erraui,* ait [r] *sicut ouis quæ periit; quære seruũ tuũ. O homo redire vis? Sed si in voluntate res est, quid opẽ flagitas? quid aliũde mẽdicas, in quo abundas tu tibi? Palam est, quia vult, & non potest, si sibi fuerit derelicta, &c.* Quanti referat quærere Deum,

a hom. 24. in Num.
b Cant. 3. 1.
c de Isaac & anima c. 5.
d ibid. & in Psal. 118. octon. 7.
e 3. de virgin.
f Ephes. 2. 14
g 1. Cor. 1. 30.
h Ioan. 5. 17.
i 1. Ioan. 4. 16.
k Lucæ 2. 46.
l 3. de iustific. c. 24.
Attritio.
Contritionis virtus.
m sess. 14. c. 4. & can. 5.
n Thr. 5. a 21.
o Zach. 1. 3.
p 2. Paral. 12. 14.
q Ser. 83. in Cant.
r Psal. 118. vlt.

Quærere Deum iusti referat.

a 2. alleg. legis, & lib. 2. de monarch.
b 8. confess. c. 7. & 1. de acade. disp.
c Ioā. 7. 36.
d Iac. 4. 3.
e cap. 5. 6. 7.

Deum, & quàm honestum vel solum quærendi studium, docet Philo [a]. Augustinus [b] verò idem tradit de studio inquisitioneque veritatis. Quærebant Iudæi & non inueniebant Christum, & vbi erat non poterant venire [c]. Quærunt multi & non inueniunt, quia non benè quærunt, sicut petunt, & non accipiunt, eò quòd malè petant [d]. *In gregibus suis & in armentis suis vadent*, ait [e] Oseas, *ad quærendum Dominum, & non inuenient; ablatus est ab eis. In Dominum præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.*

Tribulatio.

Et tota tribulatione anima tua.] Secundùm reliquas editiones ponuntur distinctè (*& in tota*, vel *ex tota anima tua*) & iungendo sequenti versui (*in tribulatione tua, & inuenient te*, &c. id est, cùm inuenerint te in tua tribulatione, &c.) וּבְכָל־נַפְשֶׁךָ: בַּצַּר לְךָ *vbchol naphscecha battsar lecha, in tota anima tua, in tribulatione tibi*, hoc est, tua; וּבְכָל נַפְשָׁךְ כַּד יְעוּק לָךְ *vbchol naphsciach chad iehhok lach, & in tota anima tua quando tribulatus fueris*, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, ἐν τῇ θλίψει σου, *& ex tota anima tua, in tribulatione tua.* Ioannes quoque Benedictus declarat (*cùm in tribulatione fueris.*) Quare non significatur istis editionibus tribulatio animæ pertinens ad contritionem doloremve de peccatis ob Dominum offensum, quem quis toto corde amans quærat, velitque ipsi reconciliari: sed quòd cùm fuerint in afflictione, ac deprehenderint illos omnia quæ hîc dicuntur, tunc demum reuertentur ad Dominum Deum, & obedient voci eius, &c. Augustinus legēs in locutionibus locum integrum (*& quæretis ibi Dominum Deum vestrum, & inuenietis eum, quando exquiretis eum ex corde tuo, & ex tota anima tua, in tribulatione*) non dixit, ait, (*in toto corde vestro, & in tota anima vestra, & in tota tribulatione vestra.*) Sed insistendum editioni nostræ, quam omnes Latini sequuntur, nec difficilè cum aliis potest congruere: adhúcque tamen iuxta illas quærendum Dominum significabitur non solùm toto corde; verùm etiam tota anima; de quorum distinctione aliàs agetur. Tribulationi animæ synonymum videtur spiritus contribulatus, córque contritum & humiliatum [f]: tribulatum cor [g]; amaritudo animæ [h], tribulatio spiritus [i], & murmuris [k]. Lege commentarios Psalmorum, vbi de actu virtuteque contritionis. Tribulationem porrò murmuris interpretari licet, inter varios exponendi modos, cùm tantus est internus animi dolor, & quasi oppressio, vt loquendi liberè plorandíque adimat libertatem, iuxta illud [l]; *omnem gemitum eius cessare feci*: & vt pœnitens detestatus prius vitæ institutum, tacitè reprehendat seipsum. Ingens animæ tribulatio, cùm dicto modo gemitus cessat; consumptis lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor [m]; ad defectum vsque lacrymarum plangitur [n], (Hebraicè, *non sunt vires ad plorandum*)

f Ps. 50. 19.
g Ps. 33. 19.
h Iob 7. 11.
c 10. 1. Esa. 38. 15.
i Iob 7. 11.
k Esa. 26. 17.
l cap. 21. 4.
m Cicer. 2. Philip.
n 1. Reg. 30. 4.
o Ouid. 1. de Ponto. eleg. 2.
p Senec. in Hippolyt.

> *Fine* [o] *carent lacrymæ, quoties* (nisi cùm) *stupor obstitit illis.*

nempe cùm quis obrigescit, nec mittere lacrymas valet, nec vocem edere; &,

> *Curæ* [p] *leues loquuntur, ingentes stupent.*

Itaque de vera pœnitudine non semper licet ex signis externis iudicare; ac pluris faciendus internus animi dolor; quem tamen contineri difficile est quin erumpat, susceptus ad satisfaciendum Deo super omnia dilecto, & eiusque plus displicere offensa, quàm quiduis aliud; siue formalis eiusmodi necessarius dolor sit, siue locum ipsius amor supplere possit, quod alibi disputatum est.

Vers. 30.] Postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.

Paraphr.

COmmendatur adhuc studium pœnitentiæ, sub spe obtinendæ à Deo veniæ, illúmque inueniendi, placandi, ac sibi reconciliandi; quoniam, vt est in sequenti versu, admodum misericors est; si contingat propter commissum peccatum, præsertim idololatriæ, incurrere in ea mala, quæ priùs dicta sunt; tum verò deinde conuerti per descriptum paulò antè dolorem, cum resipiscentia, & noua præceptorum diuinorum obedientia. Communior est ista expositio, sumens nouissimum tempus pro posteriore, siue consequente, non pro penitus vltimo; pro tempore post plagas & pœnas ob idololatriam immissas ac toleratas, ne tunc videlicet desperent aut diffidant: sed omnino persuadeant sibi fore, vt à Domino Deo suo, qui misericors est, non dimittantur: nec omnino deleantur; quemadmodum sequens versus docet; non autem pro tempore sub mundi finem. Videtur tamen Ritkelio, post Glossam ordinariam, nec ipse dissentio; hoc accipi posse de finali ac generali Iudæorum conuersione circa sæculi finem, cùm plenitudo Gentium intrauerit, túncque omnis Israël saluus fiet [a]. Oleaster amplectitur vniuersum tempus, siue successum temporis, quo impleta sunt, & vsque in hodiernum diem implentur, castigatio peccatorum, & benignitas Dei, pœnitentes recipientis. Præsentē locū secundo modo accipit Petrus [b] Figueirus, Ludouicus [c] Soto maior, Franciscus [d] Escriua noster, itémque Salianus [e], citātes alia his similia testimonia, quod etiā faciunt alij disputantes de tēporib⁹ nouissimis: qua de re nos etiā alibi egim⁹.

a Rom. 11. 22. 25.
b in Ps. 21. 28. in Os. 2.
c in Cant. 1.
d discursu 21. de Iudicio. idiom. Hispa.
e tomo 1. annal. anno Mosis 120. num. 164. & seqq.

Explanatio.

Postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt.] De nexu istorum verborum cum præcedentibus & sequentibus, iam antè monui: aliæ verò editiones habent (*& inuenient te omnia verba*, seu *sermones hi*, id est res priùs dictæ, *in nouissimo dierum*, siue *in nouissimis, vltimisque diebus*, aut *in posterioribus diebus*) Itaque per se tantùm denotatur posterioritas temporis, idque quod postea, sequenti tempore futurum est; etiamsi non sit omnino vltimum sæculi tempus. Eiusdem notionis occurrent alia non pauca exempla, & à nobis ipsis, prout varia tulit occasio, sunt declarata. Tale illud Iacob, annunciantis quæ ventura essent filiis suis in nouissimis diebus [f], id est, futuris temporibus: siquidem ex iis quædam mox secuta sunt; alia sub Iosue; nonnulla sub Iudicibus; aliqua sub Christo; & euenient adhuc quædam sub Antichristo. Non insolens porrò vel ignota formula, vt inuenire quem dicantur mala, hoc est, apprehendere velut improuisum, & incautum, nihilque minùs cogitantem: inuenire quis mala, quādo quasi præceps, sciens, prudens, volens in ea irruit propter ardentius patrandi facinoris desiderium. Quò simul pertinet inueniri manum Domini punitricem, & quòd ipsa inueniat alios. Lege annotata in [g] Psalmos. Hîc autem non inelegans allusio est in verbo inueniendi, vt dicantur aliquem mala inuenire, & aliquis (quod antea præcessit) Deū inuenire: vt nisi quis inueniat Deū, inueniant ipsum mala.

f Gen. 49. 1.
g Psal. 20. 9. Ps. 45. 2. Ps. 114. 3. Psal. 115. 143.

Inueniendi verbum.

Tempus nouissimum quid.

In nouissimo tempore.] De hoc dixi; quòd secundùm editiones alias est (*in nouissimo dierum*) בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *beacharith haiamim*, בְּסוֹף יוֹמַיָּא *besoph iomaia*, ἐπ' ἐσχάτῳ τῶν ἡμερῶν: & Chaldæa

sicut

significat, *in fine dierum*: Græca, *in vltimo*; Hebræa, *in eo quod sequitur*, seu *in posteriore*.

Reuertendi & conuertendi verba.

Reuerteris ad Dominum Deum tuum.] Verti quoque potuit (*conuerteris*) quod valet ἐπιστραφήσῃ, potéstque id significari verbo Hebræo שָׁבְתָּ *sciatba*, & שׁוֹבֵב *shebeb*: nec alia ferè verba sunt istarum editionum, pro quibus conuertendi reponit verbum noster Interpres, vt pertinet ad pœnitentiam conuersionémque peccatoris, qui ad Deum, à quo recesserat, reuertitur, à quo auersus fuerat conuertitur. De conuersione à peccato mortali vsurpari solent conuerti & conuersio, quia per veniale non censetur quis propriè auersus à Deo, vt neque conuerti ad creaturam, quod est relicto vero fine vltimo qui est solus Deus, in creatura finem vltimum falsum constituere. Etsi verò habitualis quædam auersio à Deo sit in infante qui nascitur cum peccato originali, ac proinde cùm baptizatur censeri possit simili modo conuerti ad Deum: tamen hæc vocabula, vt & recedendi atque reuertendi magis frequenter, magísque propriè, ac ferè semper accipiuntur cùm de adultis ratione vtentibus sermo est, necnon de actuali peccato, & quidem, vt antè dixi, de mortali.

Audire pro obedire.

Et audies vocem eius.] Id est, obedies voluntati eius, quam voce ac verbo expressit. Chaldaicè (*recipies verbum eius*, siue, *obedies verbo eius*, מְקַבֵּל בְּמֵימְרֵיהּ *shekabbel bememereh*. Audiuisse Adamum vocem vxoris [a] est obediuisse vel consensisse: ad hoc hortabatur mater filium Iacob, cùm peteret vt audiret vocem suam [b]: id significauit Deus Mosi, dicens fore vt audirent vocem ipsius seniores Israël [c], sæpiúsque aliis in locis [d] vsum eumdem hæc phrasis habet vel affirmatiuè vel negatiuè, accipiendo vocem pro verbis & sermone. Latini quoque auctores satis probi audiendi vtuntur verbo, pro eo quod est approbare, concedere, consentire, exaudire, obedire, ac metaphoricè Plinius [e] quod arbor arborem audit, scripsit, id est, admittit, & cum ea quasi obediens conglutinatur. Dicto audientem esse & obedire idem est. Sed maiorem obedientiam promptiorémque insinuat vocis auditio; vel celerem, facilem, liberalẽ concessionem. Liberalissimus Deus, cuius auris præparationẽ ipsam cordis nostri audit [f], & exaudit. Non expectat verba, sed solis cogitationibus aduocatur, inquit Bernardus [g]: *antequam clament*, ait Deus ipse [h], *ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam*: quasi diceret sibi molestas non fore verbis expressas preces, quamuis iam antè non minùs apertè illas percepisset, quando intus in animo cogitatione tacita concipiebantur. Abundantia pietatis suæ & merita supplicum Deus excedit, & vota: gratia sua nos præuenit & sequitur, potens omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus secundùm virtutem qua operatur in nobis [i], id est, quam operatur Deus in nobis, & per quam ipsi etiam agimus. Decet ergo vt non aperta solùm & necessaria Dei præcepta impleamus, sed perfecti stemus, & pleni in omni voluntate Dei [k], & agnitione voluntatis [l] eiusdem bonæ, beneplacentis, perfectæ [m].

a Gen. 3. 17. b c. 27. 43. c Exo. 3. 18. d c. 4. 1. 8. c. 5. 2. cap. 15. 26. c. 19. 5. c. 23. 21. 22. Deu. 17. 10. c. 28. 1. 15. 45. 62. c. 30. 8. 10. Iosue 5. 6. Iudic. 2. 2. 20 c. 6. 10. 1. Reg. 2. 25. c. 8. 7. 9. 19. 22. c. 12. 1. 14. 15. c. 15. 1. 19 20. c. 25. 35. c. 28. 22. 23. Psal. 80. 12. P. 118. 149. Prou. 5. 13. Esa. 50. 10. Iere. 3. 13. c. 26. 13. Bar. 1. 17. 19. 21. c. 2. 10. Dan. 9. 10. 11. 14. Sopho. 3. 2. Zach. 6. 15. e lib. 16. f Ps. 10. 17. g ser. 9. in Cant. h Esa. 65. 24. i Eph. 3. 20. k Coloss. 4. 12. l ibid. c. 1. 9. m Rom. 12. 2.

Vers. 31.] Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis.

Paraphr.

QVærentibus ex animo Dominum, ac syncere pœnitentibus, conuersísque cum vero illius amore super omnia bona, & integra contritione de offensa eiusdem super omnia mala, promittitur liberatio à variis plagis & pœnis, quas pro suis peccatis priùs prædictas sustinuerint: quia præstabilis est Deus super malitia [a], non in æternum irascens, non continens in ira misericordias suas [b], non oblitus misereri [c]; cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatus [d]: sed nec obliuioni tradens iuratum pactum promissionémque factam patribus & maioribus: quam cupit executioni mandari, nihil magis optans, quàm vt amoueatur impedimentũ quod à peccatis interponitur; & idcirco nolens penitus deserere populum potestati hostili, nec delere pestilentia, morbóve alio, aut fame, vnde propagatio populi promissa, & alia beneuolentiæ ac prouidentiæ diuinæ opera, effectum non sortiantur. Confirmantur hæc ex iis quæ contigerant populo diuersis vicibus in captiuitatem acto & liberato: quod nominatim egregiè à Tobia seniore declaratur [e]; causam huiusmodi dispersionis hanc reddente vt castigaretur populus, suóque gentes exemplo doceret castigari homines ob iniquitates, saluari propter misericordiam Dei: vt proinde peccatores inuitentur ad conuersionem, faciendámque iustitiam coram Deo, credendo quòd faciat cum ipsis misericordiam suam. Similes porrò promissiones leguntur in Psalmis [f] & Esaia [g].

Explanatio.

Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est.] Est nomen Hebræum אֵל *el*, & אֱלָהָא *eloha* Chaldæum bis אֱלָהָא *eloha*: notátque Caietanus quia el *fortem* valet. quod vnus & idem *el*, hoc est, summè fortis est, & zelator, ignísque consumens osores Dei; & misericors erga eos qui conuertuntur ad cor. Græcè sunt duo epitheta οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων, *miserator & misericors*, in codicibus Regiis, Complutensibus, & aliis; at in Sixtinis primum dumtaxat, sicut & in textu aliarum editionum est solùm vnum רַחוּם *rachum*, רַחֲמָנָא *rachamana*, quæ viscералem, vt ita dicam, denotant misericordiam, & cordialem, éxque intimis visceribus; quæ Ioannis etiam pater viscera misericordiæ [h] Dei cognominauit, vt alibi [i] docui. Maiorem vim & affectum importat, οἰκτίρμων, quàm ἐλεήμων; cúmque illo iungit, de Deo scribens Iacobus [k], πολύσπλαγχνος, quasi dicas, *multorum viscerum* Coniungitur etiam apud Esaiam [l], multitudo viscerum eum miserationibus. *Multùm delectat*, ait Augustinus [m], *omnes peccatores, & amatores huius sæculi, quia misericors & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors* [n]. *Sed si amas tam multa mitia* (multam misericordiam) *time tibi, & vltimum quod ait, & verax* [o], &c. *Gaudeamus ad misericordiam Domini, sed timeamus ad iudicium Domini.* Alex. Papa I [p]. citans ex hoc libro *Dominus Deus tuus misericors est, & audies vocem tuam*: probat, quia dicitur, *Dominus Deus tuus*, Trinitatẽ: vnitatẽ ex illo (*audiet te*) & non (*audient te.*) Sed nec hîc tẽr nominatur Deus vel Dominus; nec est (*audiet te.*) Idem obseruatur à Benedicto I [q]. & ab Idacio [r].

Non dimittet te.] Hebraicè לֹא יַרְפְּךָ *lo iarpecha*, *non debilitabit te*, *non faciet te languere*, *non erit tecum remissus*, *non remissè tecum aget*, id est, non dissimulabit te liberare. Redditur idem verbum in hiphil alibi verbo dimittendi [s]: concedendi [t], sinendi [u], aut continendi [x], hoc est, retinendi, cessandi [y], negligendi [z], deserendi [aa], desinendi [bb], vacandi [cc]. Chaldæum יִשְׁבְּקִנָּךְ retas ex Hebræo רְטַשׁ ratas sumptum significat aliquid

a Ioel. 2. 13. b Ps. 102. 9. c Ps. 67. 10. d Abac. 3. 2. e Tob. 13. 3. & seqq. f Ps. 38. 31. & seqq. g c. 43. 1. & seqq. h Luc. 1. 78. i in Ps. 17. 2. Ps. 24. 6. Ps. 39. 11. Psal. 78. 8. Psal. 102. 8. Psal. 144. 9. in Leu. 19. 18. k cap. 5. 11. l c. 63. 15. m de decem chord. c. 1. n Ps. 102. 8. o ibidem. p epist. 2. q epist. 1. r contra Varimadum. s Deu. 9. 14. cap. 31. 6. 8. Iosue 1. 5. Iob 7. 19. t 1. Reg. 11. 3. u 1. Reg. 15. 16. x 2. Reg. 24. 16. y 1. Paral. 21. 15. z 2 Esd. 6. 3. aa Iob 27. 6 bb Ps. 36. 8. cc Ps. 45. 11.

aliquid prolectum dimittere seu relinquere, vel etiam ad terram, pauimentum, parietem proiicere, aut collidere, findendi rumpendive causa. Sic verò sensus esset quòd Deus dicto modo non dimitteret. Dimissionem istam explicat Abulensis, vt non fiat permittendo potestati extraneorum, siue hostium, à quibus deuorentur Hebræi, vt ait Marzilla: vel potiùs quocumque modo subiugentur.

Nec omnino delebit.] Adiectum est (*omnino*) & omissum pronomen (*te.*) Verbum autem Hebræum cum affixo ישחיתך *iaschitecha* à שחת *schachath* sæpiùs antea occurrit valens *perdere* ac *disperdere*; quemadmodum & Chaldæum item cum affixo יחבלנך *iechabbelinnach*. Græcè οὐδὲ μὴ ἐκτρίψει σε, significat *neque exteret te*. Quod citati priùs auctores ad Deum immediatè referunt, qui peste, fame, aut morbo non destruat. Nil tamen obstat synonymum hoc membrum esse præcedenti.

Neque obliuiscetur pacti.] Sunt nomina ברית *berith*, קימא *keiama*, διαθήκη, pluries aliàs declarata. Non potest in Deum cadere obliuio, nec etiam propriè reminiscentia, cùm necessariò & immutabiliter omnia semper intelligat: sed respectu nostri, & quantum ad effectus nonnullos dicitur obliuisci, aut non obliuisci, aut reminisci; aut quoque ignorare; aut de nouo cognoscere, &c. Quæ multis exemplis demonstrari possunt, sicut & citra varia alia, quæ ἀνθρωπαθῶς, id est, *more humano*, *secundùmque affectum humanum* assumuntur de Deo.

Deum quomodo dicatur obliuisci, aut non obliuisci, reminisci, ignorare, aut de nouo cognoscere, &c.

In quo iurauit patribus tuis.] Iuxta reliquas editiones (*neque obliuiscetur pacti patrum tuorum quod iurauit eis.*) Quo modo iuret Deus dixi aliis in locis: & quòd iuramentum illud de terra Chanaan videlicet, déque diuina protectione, factum fuerit patriarchis Abraham, Isaac, Iacob, ac aliis præterea magis immediatis populi patribus in Ægypto [a]. Non lego populi iuramentum quando sanciuit fœdus cum Domino [b]; sed simpliciter promissionem. Reddidit Dominus iurando, certiorem populum suum quàm hic seipsum illi obligauit; nec vllum dubitandi relinqui locum voluit de suis promissis, quin adimplerentur; ita vt quamuis derelinquerent legem ipsius, in iudiciis eius non ambularent, institias illius profanarent, mandata non custodirent, visitaret quidem in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata: misericordiam tamen suam non disperderet ab eo, neque noceret in veritate sua, neque profanaret testamentum suum, & quæ procedebant de labiis suis non faceret irrita [c]. Non potest incredulitas nonnullorum fidem Dei euacuare, quia Deus verax est, homo mendax [d]. Numquam Deus à populo misericordiam suam amouet: corripiens verò in aduersis, illum non derelinquit [e]. Admonitus est populus in isto capite [f] paulò antè, non obliuisci pacti Domini Dei sui: quod adhuc inculcatur alibi [g]: sed quantumuis obliuiscatur quis illius, negat ille se oblitūrum [h].

a Exo. 13. 11. c. 33. 1. cap. 33. 1. Num. 32. 11. Deut. 1. 8. 35. Iosue 2. 6. c 21. 41. b Exo. 24. 3. 6. c Ps. 88. 31. & seqq. d Rom. 3. 3. e 2. Macha. 6. 16. f vers. 23. g c. 6. 13. c. 8. 11. 19. h Isa. 49. 14. 15.

Vers. 32.] Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est;

Vers. 33.] Vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vixisti.

Commemoratione repetita eximiæ familiaritatis Dei cum populo suo, atque singularis beneficij, quo liberauit eum de captiuitate durissima Ægypti, persuadet Moses veri Dei solius cultum his, & sequentibus versibus. Sed in his per se id quod ad familiaritatē dictā pertinet proponit, nihil vnquam tale vlli alij populo contigisse iam inde ab initio mundi, quantumuis metiatur quis cunctam terrā habitabilem & quantum ad Orientem, & quantum ad Occidentem. Nam nullus alius populus Dei vocem de medio ignis audiuit sicut populus Hebræus in carne adhuc viuens mortali. Allocutus est quidem Deus Abrahamū de cælo [a]; & Mosem non semel priusquam legem daret: sed hæc vni personæ, non toti populo est concessum, inquit Rickelius. Reuera non fecit Deus taliter omni nationi [b], immo nulli; sed nec quando misso Spiritu sancto factus est repentè de cælo sonus, & apparuerunt linguæ dispertitæ sicut ignis [c], audiuit cœtus discipulorum paucorum, si fiat comparatio cum populo vniuerso, Deum loquentem immediatè. Quamquam volebat Deus id illico fieri per eosdemmet discipulos, qui & locuti sunt magnalia eius linguis variis [d]. Ipsemet ille populus tunc dixisse refertur c. sequenti [e]: *Ecce ostendit nobis Dominus Deus maiestatem & magnitudinem suam: vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo.* Sed quia quod euaserat, adhuc timebat; addidisse narratur [f]: *cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere?* Illu c. 9 [g]. refertur dixisse populum eadem Mosi; *vltrà non audiam vocem Domini Dei mei; & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar.* Vigebat opinio apud eum populum iam inde ab ipsomet Mose, cùm ostendi sibi gloriam Dei petiit, hanc videri non posse ab homine, salua vita; & quin fulgor faciei, licèt corporeus adumbrans & aliquo pacto repræsentans Dei maiestatem, excæcaret ac exanimaret [h]. At hic sermo est de auditione vocis ex igne missæ, & consequenter de visione ignis, nō de visione formæ humanæ. Quando ascendit Angelus Domini pariter in flamma, dixit Manue ad vxorem; *morte moriemur, quia vidimus Deum* [i]: cùm etiam Gedeon viso Angelo dixisset; *heu mi Domine Deus; quia vidi Angelum Domini facie ad faciē*, dicit ei Dominus; *Pax tecum; ne timeas, non morieris* [k]. Admirabunda ante Mosem, ne quis ex eo dumtaxat eiusmodi opinionis cum Augustino [l] petat originem, postquam vidit Angelum Agar, in haā prorupit voces, *profectò hic vidi posteriora videntis me*, quasi diceret, attamen viuo. Iacob vbi aduertit adhuc viuere, cùm Angelum vidisset, valdè mirans, Deóque gratulans; *vidi Dominum*, ait [n], *facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, locóque nomen Phanuel ab euentu imposuit: vbi postmodum extructa ciuitas Dei facies nominata est, Strabone [o] teste. Quamquam Iacob saluam factam animam suam intellexit, ob iniectam fiduciam certam, nihil sibi mali timendum à fratre, quod apud Oseām [p] exponitur per confortationem. Talis autem opinio videri potest orta ex opinione de immenso & inaccessibili diuinæ maiestatis splendore [q]: atque Angelorum, qui propiùs ad illam naturæ suæ

PARAPHR.

a Gen. 12. 1. 15. b Ps. 147. vlt. c Actuum 2. 2. & seqq. d ibid. v. 11. e vers. 24. f vers. 25. g vers. 16. h Exod. 33. 18. & seqq. i Iudic. 13. 20. & seqq. k c. 6. 22. 23. l quæst. 54. in Iudic. m in Gen. 16. 13. n c. 32. 30. *Ciuitas Dei facies dicta qua.* o lib. 16. p c. 12. 4. q 1. Tim. 6. 16.

ſuæ conditione accedunt, conferendo præſertim ſimul cum humanæ naturæ noſtræ vilitate, necnon & indignitate ob peccatū ſiue originarium, ſiue proprium. Deinde auxit fortaſſe eamdem opinionem prolatus Dei ad Moſem ille ſermo, quem quiſpiam ita expoſuit, vt cum mortis periculo coniuncta viſio foret, ſiue videretur Deus in ſe (id eſt, in Angelis eum repræſentantibus) ſiue in ſuis Angelis, in ſuamet perſona apparentibus. Contigit quoque fortaſſis vt aliquos aſpectu, occurſúque Angeli ſuo malos perculerint, ilque interierint. Poſtremò percrebuit inter vulgares & ſimpliciores, vt fit, ſermo huiuſcemodi, ſicut hodiéque de ſpirituum apparitionibus tam varia & incerta circumferuntur. Serarij [a] noſtri tota propemodum iſthæc ratiocinatio eſt.

a in Iudic. 6 q. 14.

Explanatio.

Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te.] Græcè (*interrogate dies priores, qui fuerunt priores te*, quo pacto legit etiam Auguſtinus [b], & mutatur numerus ex plurali in verbo, in ſingularem in pronomine) ἐπερωτήσατε ἡμέρας προτέρας τὰς γενομένας προτέρας σου. *Dies primi qui fuerunt ante te*, dicuntur Hebraicè, & Chaldaicè. Antiquum Latini vocant quaſi anticum ab antè, vt poſticum à pòſt, & ab αἰών, vt nonnullis placet: vel ab antè & æuum, vt videtur Varroni teſte Paſſeratio: vel iuxta non diſſimilem ſonum, idémque ſignificatum, à קדם *kkadim*. Cognominantur eodem epitheto dies antiqui aliis [c] in locis, & antiquos [d] dierum, & anni [e] antiqui. Vatablus exiſtimat dies accipi pro diariis & annalibus: ac ſenſum eſſe. Conſule annales, ſeu diaria priſca, quæ continent res geſtas ante tua tempora, ex quo creauit Deus hominem, &c. & ſimilis modus exigendi, vt quis interroget occurrit etiam alibi [f].

b quæſt. 8.

Antiqui etymon.

Dies pro diariis, & annalibus.

c Deu 32. 7. 4. Reg. 19. 25. 1. Eſd. 4. 15. 19. Pſal. 43. 2. Pſ. 76. 6. Pſ. 142. 5. Eſa. 37. 26. c. 51. 9. Thr. 1. 7. c. 2. 17. Ezec. 38. 17. Dan. 9. 11. Mich. 7. 14. 20. actuum 15. 7.

d Dan. 7. 9. 13. 22.

e Malac. 3. 4.

f Deut. 32. 7. Iob 8. 8. c. 12. 7. Eſa. 45. 11 Iere. 2. 10. & ſeq. c. 6. 16. cap. 18. 13. c. 30. 6. c. 48. 19.

g Gen. 1. 27. c. 5. 2. c. 6. 7. Deut. 4. 32. c. 32. 6. Sap. 2. 23. Eccl 17. 1. 5. &c.

h Gen. 2. 7.

i v. 21. 22.

Ex die quo creauit Dominus hominem ſuper terram.] Habent codices Regij, Complutenſes, & alij (*Dominus Deus*) cùm ſit dumtaxat אלהים *elohim*, יהוה *Iehouah*, ὁ Θεός. Pro homine eſt אדם *adam* nomen appellatiuum, vt non rarò alibi; cùm alioqui ſit nomen proprium primi hominis, ſeu viri, qui eſt appellatus eſt Adam. Creaſſe dicitur Deus hominem hîc & alibi [g], etiam loquendo de aliis quàm de Adamo vel Eua, non ſolùm notione generaliore, qua res etiam alias feciſſe, verùm etiam quantum ad animam rationalem, quam ſolus Deus producere poteſt, ac proinde creare, ſubſiſtitque per ſe, cùm corpus Adami ex limo terræ formauerit [h], Euæ ex coſta illius [i]. Ratio tamen prior non videtur ſufficere, vt quod ſolus Deus facere poteſt, creare affirmetur, qualis eſt gratia cum reliquis donis eiuſdem ordinis, & gloria, licèt hæc ſit nonnullorum opinio. Qua opinione improbabilior eſt, creari quidquid faciat Deus immediatè abſque cauſa ſecunda, vt ſi producat ſolus calorem, & non cum igne, ſeu per ignem. Nam ſicut quando Deus concurrit cum igne, cenſetur calor educi de potentia naturali materiæ, Deúſque tunc accommodare ſe ad modum agendi dictæ cauſæ ſecundæ: ita ſi ſolus producat, non eſt cur non etiam aſſeratur deducere de potentia eiuſdem materiæ, ſiue in inſtanti producere velit, ſiue ſucceſſiuè. Denique nulla forma pendens in fieri, eſſe, conſeruari à ſubiecto, creari dicenda eſt, quia non propriè fit ex nihilo.

A ſummo cælo vſque ad ſummū eius.] Hebraicè (*& ad extremum*, vel *extremo*, vel *ab extremo calorum vſque ad extremū calorum* ולמקצה *vlmiktſeh*, &c.) Chaldaicè eodem pacto, ſed ſine articulo præpoſito ומסיפי *vmiſiaphe*: & in vtraque editione ſupplendum videtur, ſeu repetendum ex priore membro על *hhal*, ſuper (*ex die quo creauit Dominus hominem ſuper terram, & ſuper extrema cæli*) hoc eſt, quam late patent plagæ terræ ab Oriente vſque ad Occidentem, necnon & ab Auſtro vſque ad Aquilonem, ſiue à Meridie vſque ad Septemtrionem. Quærit Auguſtinus [a] ſubaudiens (*Interrogate*) ac legens, *interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die qua creauit Deus hominem ſuper terram, à ſummo cæli* (ſic verò etiam extat in quibuſdam codicibus biblicis) *vſque ad ſummum cæli*, docens autem ſignificari totum orbem terrarum; cur à ſummo cæli vſque ad ſummum cæli dicat Moſes, non à ſummo terræ vſque ad ſummum terræ. Reſpondet non eſſe facile dignoſcere; talem enim quamdam locutionem eſſe & in Euangelio [b], cùm dicit Dominus quòd *congregabuntur electi eius à ſummo calorum vſque ad terminos eorum*, quod aliter dicitur [c]; à ſummo terræ vſque ad ſummum cæli. Tum ſubiicit. Niſi fortè hic nec in hominibus nec in Angelis auditum eſſe vult (Moſes) intelligi, quod in hoc populo factum ſingulariter commendat: hoc enim ſequitur, *Si factum eſt ſecundùm verbum magnum hoc. Si auditum eſt tale quid; ſi audiuit gens vocem Dei viuentis loquentis è medio ignis; quemadmodum audiſti tu, & vidiſti.* Quod ſi ita eſt, vt nec in hominibus nec in Angelis hoc dicat auditum, quid eſt ergo illud in Euangelio; *à ſummis calorum vſque ad terminos eorum*: cùm ſine dubio Dominus hoc ait, cùm de nouiſſima electorum ſuorum congregatione loqueretur? Idem in locutionibus eamdem lectionem ſecutus (*interrogate dies priores, qui fuerunt priores te*) non dies, ait, ſed homines intelligendum eſt: Notat præterea cùm dictum ſit (*interrogate*) pluraliter, additum eſt ſingulariter (*priores te*) non (*vobis*.) Tranſcripſit Auguſtini dictam quæſtionem Rabanus, Gloſſa, Hugo. Vltimus ponens dictum quoque alium ſenſum, ab Oriente vſque ad Occidentem, vel à Meridie vſque ad Aquilonem: item interrogationem factam intelligi ab Angelis & hominibus (quod tamen in Gloſſa quam citat, non reperio.) Auguſtinum ſic refert, vt affirmet ſignificatum hoc loco quòd etiam Angelis non eſt notum, cur Dominus huic populo tantam exhibuerit familiaritatem, iuxta illud; *non* [d] *fecit taliter omni nationi.* Lyranus, Rickelius, apoſtata Munſterus, Caietanus putant hac formula deſignari omnem creaturam, quæ interroganda ſit, videlicet per proſopopœiam. Idem ſibi volunt quæ dicuntur ab Abulenſe, Marzilla, Sa, Mariana, Cornelio, Oleaſtro, Vatablo, Clario, de principio terræ habitabilis, quæ eſt versùs vnam ſummitatem cæli vſque ad aliam partem oppoſitam, ſcilicet ab Oriente ad Occidentem: ita vt interrogentur omnes homines, qui morantur in toto illo ſpatio: rurſus à Rickelio, de omni loco ſub extremis cæli contento. Omnes hi modi dicendi eòdem recidunt: eadémque phraſis eſt in Pſalmo [e]; *à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Synonyma quoque ſunt apud Matthæum [f], *à quatuor ventis, & à ſummis calorum vſque ad terminos eorum*, id eſt, ab omnibus mundi partibus Oriente, Occidente, Meridie, Septemtrione, ex quibus quatuor primarij venti flant: & ex Græco ἄκρων bis repetito, verti potuit (*à ſummis calorum vſque ſumma calorum*) vel (*à terminis ſeu extremis calorum vſque ad terminos, ſeu extrema eorum*) hoc eſt, ab vna cæli ſummitate vſque ad alteram, ab vno cæli termino extremóve, aut

a quæſt. 8.

b Matth. 24. 31.

c Marci 13. 27.

Dies pro hominibus.

d Pſal. 147. vlt.

e Pſ. 18. 7.

f c. 24. 31.

ait extremirste vsque ad alterain, ab vno hemisphærio vsque ad aliud, quorum neutrum altero inferius est, sed vtrumque summum ac supremum. Nisi per posterius membrum intelligi velis à polo arctico ad antarcticum per mediam terram, & ab omni loco sursum deorsum, aliè, profunde, denique mundi longitudinem; per ventos latitudinem. Vocat Esaias [a] summitatem cæli de terra procul, vnde Dominos præceperit militiæ belli. In Esdra [b] nominantur extrema cæli, vnde Dominus congregaturus sit abductos ad ea: in cap. 30 [c]. Deuteronomij nostri cardines cæli, ad quos si dissipatus esset populus, retraheret illos, & assumeret. Accommodat se Scriptura interdum ad vulgares hominum opiniones: qualis quòd cælum sit semiphæricum, & in extremis terræ finibus deficiat, quibus videatur inniti eiusdem summitas extremitásque; vt proinde etiam vocetur citato Esaiæ loco à LXX. summitas fundamenti cæli ἄκρον θεμελίου τοῦ οὐρανοῦ.

Cælum tabernaculi nomine exprimitur.

Viris etiam doctis videatur ea sententia placuisse; quoniam vocatur cælum nomine tabernaculi: quo argumento vtitur Chrysostomus [d] ad id probandum. Augustinus [e] dubitat an circumfuso cælo vndique terra contineatur. Eadem opinio insinuatur à Iustino [f], Basilio [g], Ambrosio [h], Primasio [i], Euthymio [k], Damasceno [l], & clariùs in catena Genesis Seuerianus, Acaciúsque, quos citat Vielmius [m]: præterea Procopius [n], qui vtitur præsenti loco & alijs. Idem contendit Lactantius [o], Theodoretus [p], Theophylactus [q], & innuit Hieronymus [r]: quos citat Ioseph [s] Acosta noster. Quamquam de cælo empyreo putantur loqui Chrysostomus, & alij Græci, siue de fixa beatorum sede quæ quadrata sit; quod etsi de nostris etiam sentiunt Conimbricenses [t], & Molina [u], non recipimus, cùm rotunda figura perfectissima sit, omníque corpori cælesti maximè consentanea, teste Philosopho [x]. Et quæ in Apocalypsi [y] videntur fauere, symbolicè seu figuratè, non historicè & ad literam accipienda censemus. Qua de re alibi Augustinus [z], & Isidorus Pelusiota [aa] inutilem quæstionem appellant. Lege Ascanium [bb] Martinengum, qui excusat Basilium, Ambrosium, Theodoretum, Theophylactum: à Iustino, Seueriano, Acacio, Chrysostomo, Procopio, Lactantio dilucidè negari asserit cælum sphæricum esse.

Si facta est aliquando huiuscemodi res.] Secundùm reliquas editiones, (*si factum est secundum verbum magnum hoc.*) Similitudinem habent hæc apud Ieremiam [cc]; *transite ad insulas Cethim, & videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte, si factum est huiuscemodi; si mutauit gens deos suos*, &c. Dissimilitudo est, quòd hoc loco agitur de singulari beneficio Dei erga populum Hebræum; ibi de ingratitudine singulari eiusdem erga illum.

Aut vnquam cognitum est.] Hebraicè & Chaldaicè (*aut si auditum est sicut hoc*, הֲנִשְׁמַע כָּמֹהוּ *o hanismahh chamohu*: או הִשְׁתְּמַע כְּוָתֵיהּ *o haisthemahh cheuatheh*: Græcè) *si auditum est tale*, εἰ ἀκήκοατε τοιοῦτο. Sic apud alios Prophetas [dd]; *quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile?* item [ee]; *interrogate gentes; quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israël?*

Vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis.] In editionibus reliquis (*si audiuit*) & pro populo est Græcè *gens* ἔθνος; pro (*vocem Dei loquentis*) Chaldaicè *vocem verbi Dei loquentem* קָל מֵימְרָא דַיוי מְמַלֵּל *kal memera da Iehouah mamalleleh*: Græcè *vocem Dei viuentis loquentis*, φωνὴν θεοῦ ζῶντος λαλοῦντος; nec è Græco translatio codicum Complutensium, & Regiorum, & apud Cratandrum habet (*Domini Dei*) sicut quæ est in Sixtiois. Caietanus obseruat hîc esse nomen Elohim, sicut versu priore, in quo mentio fit de illo tanquam creatore; quoniam sub eodem nomine scripta est creatio rerum in Genesi: & legislatio à Deo facta, ratione cuius idem nomen ipsi conuenit. Atqui Chaldaicè hoc loco bis est idem nomen יי *Iehouah*: Vidimus autem priùs [a] quo pacto Deus de medio ignis locutus fuerit, déque igne mysticè quædam diximus. Repetitur id isto capite [b] paulò pòst, & sequenti [c] capite, & cap. 9 [d]. & 10 [e]. & 18 [f]. prima verò mentio fuit in [g] Exodo: & vbique ingens populi timor exprimitur, ita vt viuere se posse diffideret. Inde ac ex similibus locis Cyrillus [h] Ierosolymitanus, incarnatum infert Deum, vt eo perfrui possemus, quia vt erat, perspicere ipsum non poteramus. Drogo [i] Cardinalis incensos duos quinquagenarios [k] ab Elia meliorem in partem sensu mystico interpretatur, de illo igne, quem Christus venit mittere in terram [l], & deuorat veterem hominem cum actibus suis; quem vocat primum quinquagenarium: secundum applicans actiuæ vitæ: tertium, qui non est igni consumptus, resurrectioni, vel contemplationi, & cum Elia semper viuit. Aptat præterea triplici quinquagenario pisces 153. qui omnes in vnum redacti sunt, quem super prunas positum septem discipoli viderunt, & vnà cum Iesu, qui octauus erat, pransi sunt [m]: pérque dictos numeros concordem requiem, & vnitatem consensus designatam considerat. Ignis in Pentecoste [n] non terruit, sed exhilarauit, vt pridem antea notaui: De voce nil attinet repetere formatam non à Deo more animalis, sed nec immediatè absque actione vitali in aëre, sed ab Angelo. Illud monet Philo [o].

Quinquagenariorum ab Elia incensorum sensus mysticus.

Sicut tu audisti, & vixisti.] In textu Lyrani, Rickelij, Abulensis, Hugonis, immò & codicum multorum biblicorum etiam editionis Plantinianæ, est posteriore loco (*vidisti*) & explicant medij duo, quòd visus sit Dominus de igne loquens in Sinai, hoc est, mons fumigans, & ignis vsque ad cælum. Attamen monent Lyranus, & Abulensis in Hebræo haberi (*vixisti*) sensúmque ait vltimus esse, miraculum fuisse, quòd vocē Domini audiret populus & viueret. Obseruatum est idem à Caietano, Oleastro, Cornelio nostro, Eugubino. Ponit Mariana noster in suo textu (*vidisti*) sed iubet vt legamus (*vixisti*) vt est, inquit, in Rom. & Gotth. in Hebræo autem notat, vt & Sa item de nostris extare (*vixit.*) Sic sanè habetur in futuro, habente significationem præteriti, propter seruilem literam præfixam וַיֶּחִי *vaiechi*. Id etiam valet Chaldæum וְאִתְקַיָּם *veithkaiam*, & *substitit*. Hoc autem pacto refertur ad alium populum; *numquid audiuit populus aliquis vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vixit*, ille nempe populus? Quare non rectè asseruerunt Lyranus, Abulensis, Cornelius (qui de Chaldæo idem affirmat) Eugubinus, Hebræum verbum esse (*vixisti*) Græcum hoc est, ἔζησας, quod editio nostra sequitur: atque Eugubinus verisimillimum esse, non vertisse Hieronymum (*vidisti*) sed (*vixisti.*) De miraculo illo, quòd populus, qui talem audiuit vocem, & ignem vidit, quasi vidisset Deum, non sit mortuus, antes dixi, exaggeratúmque hoc loco ab eodem Eugubino.

a c. 13. 5. b lib. 1. r. c vers. 4. d hom. 14. in epist. ad Heb. & hõ. 2. de incõprehen. nat. Dei. e 1. Gen. ad lit. c. 9. f q. 59. & 130. g hom. 3. hexa. h 1. hexa. c. 6. in Gen. i in Heb. 8. k in Ps. 103. l lib. 2. c. 6. m sect. 13. in Gen. n in Gen. 1. o lib. 3. cap. 24. p in epist. ad Hebr. 8. q ibidem. r in epist. ad Ephes. 4. s 1. de natura noui orbis c. 1. t in lib. 2. de cælo c. 5. q. 1. a. 2. u tract. de opere sex dierum. x 1. de cælo 1. 12. y cap. 21. z suprà. aa lib. 2. epist. 173. bb Glossa magna in Gen. 1. pag. 607. & seq. cc cap. 2. 10. & seqq. dd Esa. 66. 8. ee Ierem. 18. 13.

a v. 12. 15. b vers. 36. c v. 45. 22. 24. 25. 26. d v. 3. 10. e vers. 4. f vers. 16. g cap. 19. 18. c 24. 17. h catech. 12. i lib. de sacra. Dominicæ pass. k 4. Reg. 1. 10. 12. l Lucæ 12. 49. m Ioan. 21. 11. 12. n actuum 2. 3. o de decalogo.

Vers.

Verf. 34.] Si fecit Deus, vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentúmque brachium, & horribiles visiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis.

Paraphr. INsistit Moses in amplificandis beneficiis populo collatis à Deo vero; qualia nullus à falso suo, seu putato Deo, populus alius vmquam accepisset: vt hac ratione persuadeat, quod maximè intendit, legis ab eodem latæ diligentem, exactámque custodiam. Præ cæteris autem, summum illud haberi beneficium voluit, quo liberauit Hebræos de captiuitate durissima Ægypti, tot editis, ac tam mirabilibus omnipotentiæ signis, prodigiísque, quorum spectatores ipsimet Hebræi fuissent. Hoc idem beneficium crebrò admodum luculentum notauimus aliquoties alibi, & in eiusdem gratam memoriam, religiosámque celebrationem, maximum omnium festorum festum Paschatis institutum.

Explanatio. *Si fecit Deus vt ingrederetur & tolleret sibi gentem de medio nationum.*] Hebraicè (*vel numquid tentauit Deus ad veniendum*, siue *vt veniret, ad capiendum*, siue *vt caperet sibi gentem, ex interiori*, seu *è medio gentis*, nempe cuiuscumque alterius.) Vatablus declarat vt Moses non de Deo vero, nisi sensu isto, videlicet án tentauerit aliquis alius Deus facere, falsus nempe, erga populum sibi addictum, quod fecit verus & vnicus circa suum populum Hebræum. Oleaster quoque explicat; numquid deorum aliquis voluit experiri, vt populum se colentem ex alio populo eriperet & liberaret? Hunc sensum patitur contextus totus, præsertim si attendas ad membrum vltimum (*iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto*) quasi dicat, vide an similia populo alteri fecerit alius Deus. Græca sunt, *εἰ ἐπείρασεν ὁ θεὸς εἰσελθὼν λαβεῖν ἑαυτῷ ἔθνος ἐκ μέσου ἔθνους*, &c. *Si tentauit Deus vt intrans acciperet sibi gentem de medio gentis*, &c.) Vel vt legit in locutionibus Augustinus (*si & tentauit Deus ingressus accipere sibi gentem de media gente*, &c.) Exponit verò, *de mediis gentibus*; sicut serpentem, ranam, locustam, pro serpentibus, ranis, locustis: verbum autem (*tentauit*) pro eo quod est (*voluit*) aut quid aliud. Qui textus Græcus efficere potest eumdem sensum, quòd alius non fuerit Deus Deo Hebræorum similis. Quo pacto inducitur hic idem verus Deus in cantico maiore [a] Mosis, dicens, *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?* &c. *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Idem exprobrat Ieremias [b]. Alter sensus satis etiã communis est de Deo vero, vt significetur quòd ipse numquam ac nullibi, & cum nullo alio populo fecit, vt cum eo adeò potenter, mirabiliter, beneuolè se gereret, sicut cum Hebræo. Hebraicè הֲנִסָּה *o hanissah* vertunt plures (*vel num tentauit*) Caietan. (*vel si mira fecit.*) In trãslatione Chaldæa, cuius primum vocabulum post אוֹ *o*, *aut*, est נִסִּין *nisin*, *miracula*, seu *prodigia*, *portenta*, &c. suppléque qui reddidit Latinè (*audiueris*) & additur in eadem (*aut videris miracula, quæ fecit Dominus, vt reuelaretur, & redimeret sibi populum de medio populi, per miracula*, &c.) Sensus est, nullum alium populum audiuisse, vel etiam vidisse ista, quæ pro populo suo Hebræo fecisse Dominum narratur. Porrò quod hîc dicitur Deum fecisse vt ingrederetur, more humano dici Abulensis rectè admonet: quia Deus non est, inquit, ingressus Ægyptum, vt inde tolleret Israël: nec inde exiuit cùm eduxit, cùm sit vbique semper, immò extra omnẽ locum; sed indicatur virtutis specialis operatio. Nam licèt antea in Ægypto extitisset, tamen non operabatur aliquid speciale circa Iudæos ibi existentes, quemadmodum postea quando eduxit illos per signa & portenta magna. Lyranus prior id attigit; sic dicens quòd per effectus virtutis egressus est Deus Ægyptum, vt inde tolleret populum suum. Eadem loquendi formula scribitur [a] egressus Deus in conspectu populi, & pertransisse in deserto: Item quòd quando eleuabatur arca, dicebat Moyses; *Surge Domine*, &c. cùm autem deponebatur, *reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israël* [b]. Ingredi tamen Hugo explicat hoc loco, quoniam gradiebatur Deus in medio populi: & tollere, ab aliena subiectione liberare, vt sibi liberum faceret.

a Deut. 32. 37. & seqq.

b Ier. 2. 27. 28. c. 11. 13.

a Psal. 67. 8.

b Num. 10. 35. 36.

Per tentationes.] Hebraicè בְּמַסֹּת *bemassoth* (*in tentationibus*) ex themate verbi נָסָה *nasah*, quod proximè præcessit in piel נִסָּה *nissah*: Chaldaicè eodem modo, repetendo nomen præcedens cum præpositione בְּנִסִּין *benisin*: quæ præpositio præfixa etiam dicto Hebræo nomini, sicut & Græco, sed numeri singularis *ἐν πειρασμῷ*, *in tentatione*, idem valet quod (*per*) vt multis exemplis ostendi potest, in quibus retinetur (*in*) secundùm istam notionem. Tentationes istas Hugo, Lyranus, Abulensis, Rickelius, Caietanus, Marzilla, Oleaster intelligunt nuncios & legationes ad Pharaonem de dimittendo populo, quibus duritia ipsius comprobata est experimento. Quod non solùm est verum de verbis Mosis & Aaron ad illum tyrannum, vt placet Lyrano, Abulensi, Rickelio, Marzillæ: sed etiam de cunctis aliis admirandis operibus, quæ quamdam rationem legationis habebant, & quibus multipliciter tentauit Deus, ait Hugo, emollire duritiam Pharaonis. Gesta in Ægypto per Mosem, inquit Caietanus, multis nominibus nominantur, ob multiplices eorum conditiones. Nam quatenus examinauerunt Pharaonis & Ægyptiorum animos erga Israël, appellantur tentationes: quatenus verò testimonia erant diuinæ legationis iniunctæ Mosi, appellãtur, signa: quatenus autem supra naturalem cursum naturæ, appellantur mirabilia, seu portenta. Leonardus Marius, cuius nuper in Biblia commentarij tomus primus Pentateuchum comprehendens prodiit, tentationes vult esse signa, quibus hostium suorum Deus infirmitates & impotentiam tentauit, omnibúsque ostendit. Similis planè locus est in c. 29. [c] libri nostri. *Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius; tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia.* Ibi sicut hîc, sunt מַסּוֹת *massoth*, אֹתוֹת *othoth*, מוֹפְתִים *mophethim*: נִסִּין *nisin*, אָתִין *athin*, מוֹפְתִין *mophethin*: *πειρασμοὶ*, *σημεῖα*, *τέρατα*: sed cum epithetis quæ recitaui. Quo autem pacto tentet Deus, aut alius alium siue dæmon siue homo: & quispiam Deum, docebunt alia commentaria nostra: simúlque qua ratione tentare neminem dicatur Deus, & intentator malorum esse.

c v. 3. 4.

manus mea. Sed in primo exemplo manus vna ponitur: secundum de varia regum potestate intelligitur: tertium præterquam quod habet numerum singularem, pati potest eamdem expositionem de Pharaonis potentia. Alter de nostris explanator actuum Apostolorum qui post me prodiit, Gaspar Sanctius pro mea sententia argumentatur: quoniam si exercitum armasset Herodes contra fideles, non vnus aut alter esset captus, sed plurimi; neque hos tacuisset Lucas: cùmque Iacobus & Petrus ad necẽ dicantur expetiti, iidémque inermes ac inopes, non est verisimile in illos ab Herode copias instructas esse. Quare manus mittere interpretatur sicut & nos, aggredi aut conari in alicuius cædem: qua ratione sæpe, inquit, in Scriptura dicitur aliquis extendere manum in aliquid: & Threnorum 1.[a] *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia.*

Extentúmque brachium.] Extentum significat quoque Hebræum נטויה *netuiah*: excelsum autem, altum, eleuatum Chaldæum מרממא *meromema*, Græcúmque ὑψηλόν: & multis ea citatis in margine de robusta manu seu valida, potente, forti, fortissima locis, adiungitur brachium cum epitheto extenti [b] vel excelsi [c]: ponitur etiam per se brachium excelsum [d], & extentum [e]: sæpiùs autem hæ formulæ vsurpantur quando agitur de liberatione populi Hebræi ex Ægypto. Interdum [f] solum nomen brachij ponitur pro robore siue vt isti synonymum. Idem sibi vult brachium grande [g], magnitudo brachij [h], brachium virtutis [i], fortitudo brachij [k], brachium fortitudinis [l], & forte [m], potentia in brachio [n], brachium cum potentia [o], & similia. Eiusmodi quoque phrasi vocatur manus excelsa [p], & extenta [q]. Lege commentarium nostrum in actus Apostolorum [r], & in Psalmos [s]. Denique Augustinus [t] pro potestate & virtute Dei posita horum membrorum manus brachiique nomina quis, inquit, vsque adeò desipit, vt non intelligat? Manibus brachiísque inest robur maximè, & est

Fidens [u] iuuenum horrida brachiis.

Hugo brachium hic exprimi notat ad percutiendum & succurrendum: Abulensis ad defendendum & hostes deprimendum: Rickelius operationem sublimem supernaturalem, euidentem.

Et horribiles visiones.] Supplendum (*per*) quod est in præcedentib. membris; atque apud editiones alias hîc etiam (*in*) sicut in iisdem. Pro horribilibus visionibus magnas habent editiones reliquæ במוראים גדולים *bemoraim ghedolim*, בחזונין רברבין *bechezuanin rabrebin*, vel *visionibus*, ἐν ὁράμασι μεγάλοις: De his visionibus citant hîc omnes librum Sapientiæ [x], vbi describuntur visæ ab Ægyptiis personæ tristes, monstra, formæ animalium, visus somniorum malorum; timores, visiones. Hebræum porrò nomen מוראים *moraim*, Pagninus, Vatablus, Caietanus vertunt *terrores*, siue *timores*. A verbo ירא *iare*, *timuit*, *timorem* significat מורא *mora*, seu *pauorem*, sicque redditur cum alibi sæpè, tum c.26.[y] libri nostri. Sed cap.34.[z] per mirabilia & θαυμάσια. Solent verò quæ mirabilia sunt, horrorem quemdam terroremque incutere. Visionem quoque valet à ראה *raah*, *vidit*, מראה *mareh*, & numero plurali מראים *maraim*, *visiones*. Quo nomine vsos L X X. Chaldæúmque paraphrastem, non dubito. De dictis autem visionibus horribilibus, magnifice diximus in commentario [aa] Sapientiæ.

Iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester.] Græcè in Sixtinis Bibliis (κατὰ πάντα ὅσα ἐποίησε κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν, iuxta omnia quæcumque fecit Dominus Deus noster: in aliis (*quæcumque fecit nobis*, ὅσα ἐποίησεν ἡμῖν.) Hebraicè & Chaldaicè est pronomen (*vobis*) & (*vester*) לכם *lachem*, & אלהיכם *elohechem*: לכון *lechon*, & אלהכון *elohachon*. Pronomen secundæ personæ importat emphasim, & premit vehementius populum, ne sit ingratus aduersùs tantum benefactorem suum: Moses verò & breui moriturus, non erat fruiturus sine beneficij, hoc est, possessione promissæ terræ; & in gratiam populi acceperat legislatoris auctoritatem, atque potestatem tot mirabilia opera patrandi. Apud August. [a] *Sed omnia quæ fecit Dominus Deus vester.* Fortè scripsit ipse (*secundùm*) non autem (*sed.*)

In Ægypto.] Igitur quæ hîc præcesserunt comprehendunt etiam illa quæ in Ægypto gesta sunt, non præcisè in mari rubro, vel in bello contra Amalech, aliósve: quamuis prima præsertim, & reliqua vt à primo dependentia, siue à liberatione de captiuitate Ægyptiaca.

Videntibus oculis tuis.] Mutatur numerus de plurali in singularem, sed in hunc sumptum collectiuè. Græcè ἐνώπιόν σου βλέποντος, *coram te vidente.*) Quo pacto legens etiam Augustinus [b], nihil minùs, ait, est, etsi non addatur (*vidente.*) Valet tamen additio ad maiorem expressionem ac emphasim cùm dicitur quis quid vidisse oculis suis: & iam priùs occurrit eadem phrasis c.[c] isto, atque præcedente [d]. Verùm secundùm editionem Hebræam, Chaldæámque solùm est (*coram te.*) vel (*ante oculos tuos*) לעיניך *lehenecha*, לעינך *lehenach*. Quod autem ad videndi verbum spectat, reiicitur in sequens membrum versúsque. Videbant Hebræi plagis Ægyptios affligi, se autem ab iis immunes esse. Valet plurimum ad amorem Dei conciliandum consideratio beneficiorum nobis collatorum per comparationem ad alios, qui talia non acceperunt. Qui non spiritum huius mundi acceperunt, sed spiritum qui ex Deo est, ad hoc acceperunt, vt scirent quæ à Deo donata sunt sibi [e]; non sibi, sed tribuentes largitori Deo, vt colligit Augustinus [f] contra Pelagianos.

Vers. 35.] Vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.

HOc Deus maximè intendebat, adeò multis, iámque mirificis operibus illis, quæ gessit in Ægypto, quando inde populum Hebræum liberauit; vt pro vnico vero Deo coleretur ab ipsis; certóque persuaderent sibi, similem in diis, quos aliæ nationes venerarentur, nullum esse: immò nulli præterquam omnipotenti liberatori suo, nomen Dei tribui posse. Idipsum asseuerat de semetipso idem vnicus verus Deus in cantico Mosis maiore [g]. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Iterum Moses post benedictionem Aser [h]: *non est Deus alius vt Deus rectissimi*, Chaldaicè *Israel*. Sed & hîc priùs, cùm vellet impetrare ingressum in promissam terram [i], *neque enim est alius Deus vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.* Adhuc in isto capite [k] paulò pòst; *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius*; & in c.6.[l] *Audi Israel; Dominus Deus noster Deus vnus est.* Naaman mundatus à lepra; *verè [m] scio*, inquit, *quòd non sit alius*

Marginalia (left): *Manũ mittere quid.* a v.10. b Deu.5.15. 7.19.c.11.2. c.26.8. 2. Par.6.32. Ie. 32.21. Ezec. 20.33.34. c Baruch 2. 11 ps.135. 11. d Exod.6.6. Iob.38.15. actuum 13. 17. e Deut.9. 29.3.Reg.8. 42.Is 4.17. 36.Ier.27.5. c 32. 17.21. Ezech.4.7. c 30.21.24. *Brachium pro robore.* f 1.Esd.4. 23.Iob.40. 4.ps 10.15. secũd.Hebr. ps.36.17.ps. 43.4. ps.76. 16.ps.88. 14.22. Esa. 33.2.c.40. 10.c.63.5. Ioan.12.38. &c. *Pro potestate & virtute Dei.* g Ezech.17. 9. h ps.78.11. i ps.88.11. k Sap.16.16. l Esa 42.8. m Ezec.30. 22. n Luc.1.51. o ps.70.18. p Exo.14.8. Num. 33 3. q Esa.5.25. c 9.12.17. & c.10 4. c.14.26.27. r in c.13. 17. s in ps.10. 15. secund. Hebr. ps 36. 17. ps.43.4. ps.70.18.ps. 76 16.ps. 88.11.14. 22 ps.135. 12 t 6. de Gen. ad lit.c.12. u Hor.3. Carm. ode 4. x c.17.3. & seqq.c.18. 17. & seqq. y v 8. z v.12. aa supra.

Marginalia (right): a in locut. b supra. c v.3.9. d v.21. e 1.Cor.2. 12. f l.50.hom. in 14. PARAPHR. g Deut.32. 39. h c.33.26. i c.3.24. k v.39. l v.4. m 4.Reg. 5 15.

alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israel. David negauit similem illi esse, vel alium Deum esse absque illo, ex omnibus, quos audiuisset auribus suis [a]: Tobias alium Deum omnipotentem esse præter eum [b]. Auctor libri Sapientiæ [c] alium Deum, cui cura sit de omnibus: Baruch [d] alium qui æstimaretur aduersùs eum: Iudith orauit, vt omnes gentes cognoscerent, quia ipse esset Deus, & non esset alius præter illum [e]. Idemmet Deus, *Ego*, ait, *Dominus, & Deus, & non est alius*, seu *alter, nec amplius, nec extra me, nec vltra, & absque me* [f], quódque gloriam suam alteri non daret asseuerauit [g]; cauens ne haberētur dij alieni coram se [h]. Item dicit, quòd ante se non est formatus Deus, nec post se erit [i]. Denique *Deum absque me nescies*, inquit, *& saluator non est præter me* [k]. Immò Nabuchodonosor postquam vidit liberatos tres pueros diuinitus de fornace, decretum tulit aduersùs illorum Deum blasphematores; neque enim esse alium Deum, qui posset ita saluare [l]. Holoferni Achior dixit quotiescumque coluissent Hebræi alterum præter ipsum Deum suum, datos esse in prædam, & in gladium, & in opprobrium; quotiescumque autem pœnituissent se recessisse à cultura Dei sui, dedisse eis Deum cæli virtutem resistendi [m]. Erant eiusdem generis de hac veritate fideique articulo Scripturarum testimonia [n]. Causam porrò reddit Deus, cur solus adorari velit, quoniam eduxit de terra Ægypti, & de domo seruitutis; quod hîc mox exprimetur; & sequenti capite [o]; & habetur in Exodi c. 20. [p] & in Psalmo 80. [q] Clemens Romanus, siue cui attribuuntur libri recognitionum [r], prolato hoc de vno solo vero Deo testimonio, & similibus, ac in his ex c. 10 [s] libri nostri, *Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium*, &c. *Vides ergo*, inquit, *quomodo ineffabili quadam virtute, Scriptura occurrens futuris erroribus, qui alium Deum, præter eum qui est Iudæorum, vel in cælis esse, vel in terris, affirmarent; pronunciat, dicens: Dominus Deus tuus Deus vnus est in cælo sursum, & in terra deorsum: & præter ipsum alius non est*, &c. Areopagita [t], *In omnibus ferè sacris libris aduertimus*, inquit, *diuinitatem sanctè prædicari vt singularem quidem, & vnicam, ob simplicitatem atque vnitatem excellentis illius indiuidui; ex quo veluti vnifica virtute in vnum tendimus.* Damascenus [u] asserit quòd apud eos qui Scripturis credunt, Deum esse vnum extra controuersiam est. Certè de vno aliquo homine non rectè dicitur, iste est solus homo, iste solus est verus homo, præter istum nullus est homo, iste est homo, & non alius, quoniam natura humana non est in vno tantùm indiuiduo. Ratio ipsa conuincit, non nisi vnum Deum esse posse; quoniam notio veri Dei omnium insita mentibus est, vt sit res simplicissima infinitè perfecta, causa efficiens prima, finis vltimus, princeps, rectórque omnium; quo cogitari, nedum esse, melius nihil queat. Legendi Tertullianus [x], Lactantius [y], & quotquot ex Patribus aduersùs Gentilium idololatriam scripserunt pro Dei vnitate & monarchia; vel contra Iudæos Arianósve, tuentes pluralitatem personarum, vnicum tamen Deum esse demonstrauerunt: item Scholastici [z], & Aquinas [aa]. Tritum illud Homeri [bb], & ab Aristotele [cc] citatum, & à Philone [dd].

> *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω,*
> *εἷς βασιλεύς:*
> *Non est bonum pluralitas principatuum. Vnus princeps esto,*
> *Vnus rex.*

a 1. Par. 17. 20. b Tob. 13. 4. c c. 12. 13. d c. 3. 36. e Iud. 9. 19. f Esa. 44. 6. c. 45. 5. 6. 18. 21. 22. c. 47. 10. g c. 48. 11. h Ex. 20. 3. Deut. 5. 7. i Esa. 43. 10. k Oseæ 13. 4. l Dan. 3. 96. m Iud. 5. 18. 19. n 1. Reg. 2. 2. ps. 17. 32. ps. 82. 2. 19. ps. 85. 10. 3. Reg. 8. 23. Sap. 12. 13. Eccli. 1. 8. Marci 12. 29. 32. Lucæ 4. 8. Ioan. 17. 3. 1. Cor. 8. 4. 6. Gal. 3. 20. Eph. 4. 5. 6. 1. Tim. 2. 5. c. 6. o v. 6. 7. p v. 2. 3. q v. 10. 11. r lib. 2. s v. 17. t de diuin. nom. c. 2. u l. 1. c. 5. x apolog. c. 17. y l. 1. c. 3. z in 1. d. 2. aa 1. p. q. 11. a. 3. q. 103. a. 3. 1. contr. Gent. c. 42. l. 4. c. 76. bb Iliad. β. cc 12. met. in fine. dd de confusione lingu. & narratione.

Item ex Euripide [a],

> *ἀρχὴ δὲ δυοῖν, οὐδὲ τι μέλαθρα κατ' τὰ πόλεις:*
> *Vnius potestas sit, & in re domestica, & in republica.*

Adi Platonem [b], Herodotum [c], Plutarchum [d], Stobæum [e], éxque recentioribus Petrum [f] Gregorium, Ioannem [g] Bodinum, Ioannem [h] Chokier, & alios de laude monarchiæ, de qua est etiam apothegma, *ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία, optimum quod monarchia*, & eam in Ecclesia esse accommodatissimam demonstrat disputans de Romano Pontifice, Bellarminus [i] noster: vbi profert varios auctores, qui probent inde vnum dumtaxat Deum: & in disputatione de Christo [k] dictam vnitatem Dei numericam confirmat. Tandem ita etiam de vnico Deo Philosophos præcipuos opinatos esse, stadunt Eusebius [l], Cyrillus [m] Alex. Iustinus [n], Athenagoras [o], Irenæus [p], Tertullianus [q], Cyprianus [r], Arnobius [s], Lactantius [t], Clemens [u] Alex. Theodoretus [x], Augustinus [y], Paulus [z] Orosius, Prudentius [aa], & alij. Ex his Arnobius [bb] scribit à Cicerone, in libris de natura deorum tam efficaciter demonstratum non posse esse plures deos, vt non defuerint qui putarent ex senatusconsulto eos libros aboleri debere. Prudentij verò carmen [cc] hoc est.

> *Consule barbati deliramenta Platonis,*
> *Consule & hircosos Cynicos; quod (quos) somniat, & quot*
> *Texit Aristoteles torta vertigine neruos.*
> *Hos omnes quamuis anceps labyrinthus, & error*
> *Circumflexus agat; quamuis promittere & ipsi*
> *Gallinam soleant, aut gallum: clinicus vt se*
> *Dignetur præstare Deus morientibus æquum.*
> *Cum ventum tamen ad normam rationis & artis,*
> *Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis*
> *Argumenta modis concludunt numen in vnum.*

Rursum [dd],

> *Est quidquid illud, quod ferunt homines Deum;*
> *Vnum esse oportet, id quod vnum est vnicum.*
> *Cùm Christus hoc sit, Christus est verus Deus.*
> *Genera deorum multa nec pueri putant.*

Argumentis verò idipsum comprobat in hamartigenia [ee]. Scholiastes Caietani Fonseca hoc loco docet varia apud Gentiles non variorum numinum nomina, seu deorum, sed vnius fuisse, quibus attributa diuersa describerentur. Quomodo autem trinitati personarum non obsint hæ formulæ, quibus vnus ac solus Deus dicitur, Athanasius [ff], & Cyrillus [gg] Alex. & Basilius [hh] docent, vt & cùm Pater solus dicitur Deus, &c. Solùm enim excludi falsa numina. Cæterùm cur in verbis nostri textus quidam [ii] sensum allegoricum literalem affirmant, non assequor, cúrque simili modo tropologicum in literali sensu, & anagogicum velint esse.

Vt scires.] Græcè (*ita vt scires tu ὥστε εἰδῆσαι*, aliàs *εἰδῆναι σε.*) Hebraicè, Chaldaicéque (*tu factus es visus ad sciendum, tu es factus videre ad sciendum*, אַתָּה הָרְאֵתָ לָדַעַת *atthah horetha ladahhath*, אַתְּ אִתְחֲזֵיתָא לְמִדַּע *ath ithchazetha lemiddahh.*) Priùs dixi, quòd in fine versus præcedentis habetur (*videntibus oculis tuis*,) iuxta editiones Hebræam & Chaldæam, haberi dumtaxat (*in oculis tuis*) aut (*coram te:*) participium autem (*videntibus*) vt & Græcum *βλέποντος*, cum pronomine *σε*, videri spectare ad initium præsentis versus. Sensus est, tu per apparitiones edoctus es; tibi ostensum est à Deo variis signis, vt cognosceres: datum est tibi vt videres, vt scires. Obseruat Caietanus dici (*ad sciendum*) & non (*ad credendum*) quia verè electus est populus

a in Andromacho. b in Polit. c lib. 3. d de tribus reip. gener. e serm. 45. f 5. de rep. c. 3. & 4. g 6. de rep. c. 4. h thes. polit. aphor. l. 1. c. 3. i lib. 1. c. 1. & seqq. k l. 1. c. 3. l 11. de præpar. c. 9. m 1. contr. Iul. c. 9. n de monarch. o apolog. p l. 2. c. 1. q apolog. c. 10. & seqq. r de vanit. idol. s 2. & 3. cōt. Gent. t l. 1. c. 3. & seqq. u paran. ad Gent. x 2. de curand. Græc. affect. y 4. de ciu. c. 11. z l. 6. hist. c. 1. aa in apoth. bb lib 3. cc in apoth. contra Vnionitas. dd in hym. 14. de S Romano vers. 672. & seqq. ee aduersus Marcionitas. ff orat. 4. contra Arianos. gg 7. contra Iulianum. hh epi. 141. ad Cæsareanos. ii Sexta prol. biblic. c. 21. q. 3. a. 7. Explanatio.

Sciendi verbum.

populus ille tunc ad sciendum hæc ab effectibus manifestissimis. Etsi porrò sciendi verbum aliquando vsurpetur de fide, propter certitudinem euidentiámque credibilitatis, cum obscuritate nihilominus rei creditæ: hoc loco accipi potest in propria significatione, quoniam de Deo demonstrari potest tum quòd sit, tum quòd vnus tantummodo; quicquid contrà sentiant Ocham [a], & Gabriel [b], videlicet, vnitatem Dei solùm ex fide constare, neque posse demonstrari; & Aliaco [c], quòd sit Deus; vel quòd sit vnum tantùm illud ens, etiamsi quis demonstret esse à se; præterea R. Moses [d], & alij apud Doctorem [e] Angelicum. In altero extremo sunt qui existimant id adeò per se notum esse, vt demonstrari nequeat, quemadmodum Anselmus [f], & Abulensis [g], quibus fauere videntur is qui creditur Hieronymus commentator Iob [*], & Psalmorum [h], atque Damascenus [i]. Nisi quis vltimos præsertim duos interpretari velit, naturaliter nobis aliquid insertum esse, ex quo venire valeamus in Dei veri ac vnius cognitionem: sicque intelligendum Iob [k]; quòd omnes homines vident eum, scilicet Deum, Græcè πᾶς ἄνθρωπος οἶδεν ἐν ἑαυτῷ, *omnis homo nouit in seipso* (minùs emendatè ἐν αὐτῷ, licèt possit idem significare) idest, vt explicat Nicetas [l], cunctis hominibus est insita Dei cognitio: quod item docet Gregorius [m]; præterea Irenæus [n], Lactantius [o], Nyssenus [p], enarratores epistolæ ad Romanos [q], & libri Sapientiæ [r], quo postremo loco ipsimet nonnihil diximus; & in penultimo de nostris Toletus, Salmeron, Pererius, Iustinianus, Cornelius: sed magis philosophicè ac scholasticè Molina, Valentia, Vasques, Becanus, circa quæstionem secundam 1. partis Angelici Doctoris, & Suarez in 1. parte summæ Theologi [s] atque in Metaphysica [t].

a in 1. d. 2.
b ibid.
c ibid. q. 3. a. 2. & 3.
d l. 1. c. 6.
e 1. cont. Gent. c. 11. & 12. & q. 10. de verit. a. 12. & 1. p. q. 2. a. 1.
f in proslo. c. 2. & 3. & lib. contra insipienté.
g in Exo. 5. q. 2.
* in c. 36.
h in ps. 95.
i l. 1. c. 1. & 3.
k c. 36. 25.
l ibid. in cat.
m ibidem.
n l. 2. c. 5.
o l. 1. c. 3.
p 8. philos. c. 7.
q in c. 1.
r in c. 13.
s tract. 1. l. 1. c. 6.
t disp. 29. & 30.

Quoniam Dominus ipse est Deus.] Hebræa nomina sunt יְהוָה *Iehouah*, & אֱלֹהִים *elohim*: Chaldæa eadem, nisi quòd secundum est formæ singularis אֱלָהָא *eloha*. Verè magnum beneficium est, inquit Caietanus, esse populum electum à Deo, ad sciendum quòd ipse fons essendi (sic exponit nomen primum) est solus El, hoc est, summè fortis, potens omnia efficere: & ipsemet est Elohim, distributor omnium rerum, gubernator mundi, & iudex vniuersorum. Inuitat ad eandem istam scientiam Dauid [u]; *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*; vbi sũt supradicta nomina Hebræa, Chaldæaque: Græca verò etiam, sicut hîc, κύριος & θεός. Additur Græcè hoc loco pronomen ὅτι κύριος ὁ θεός σου αὐτὸς θεός ἐστι, *quòd Dominus Deus tuus ipse Deus est.* In illo alio Chaldæum אִידְעוּ *oddabhu* significat *notum facite*, nempe vel vobismetipsis, vel aliis, & *persuadete* aut vobis, aut aliis. In eius loci commentario dicta huc transferri possunt: tum illud epiphonema populi cadentis in faciem suam post editum ab Elia signum, quo probauit Dominum esse Deum, & non Baal: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים *Iehouah hu haelohim, Iehouah hu haelohim.* Experimentis illis miris in Ægypto & pleni sunt Ægyptij, & Hebræi eruditi aduersùs duritiam suam atque incredulitatem.

u ps. 99. 3.

Et non est alius præter eum.] Carent coniungente particula editiones Hebræa & Chaldæa: Græcè legitur (*& non est adhuc*, seu *ampliùs præter eum*, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ.) Sed in Complutensibus, Regiis, aliisque Bibliis (*& non est Deus præter eum*, καὶ οὐκ ἔστι θεὸς πλὴν αὐτοῦ. Hebræa Caietanus ita vertit, *non adhuc ab in solo ipso*, אֵין עוֹד מִלְּבַדּוֹ *en hhod millenaddo*) exponitque quòd ipse est Deus solus sic, quòd nullus alius est Deus. Aliis phrasibus eandem istam sententiam declarantibus, quas priùs attulimus, ista similis est.

Vers. 36.] De cælo te fecit audire vocem suam, vt doceret te: & in terra ostendit tibi ignem suum maximum; & audisti verba illius de medio ignis.

Paraphr.

Videtur Moses delectatus magnificentia beneuolentissimi erga populum suum Dei, incensus desiderio honoris eiusdem, quem grato animo ipsi ille exhibeat; veritus ne ob ingratitudinem ac inobedientiam meritas exigat ab eodem pœnas, pluries idem beneficium datæ legis tam admirabili modo inculcare; de quo hîc iam bis priùs egerat [a]. Dum autem cælum nunc nominat vnde missa vox fuit, & terram, quia de ipso monte in quo data est lex, erumpere visus est, existimat Leonardus Marius, propterea Mosem postmodum [b] contestari potuisse cælum & terram contra Iudæos, quia debebant hi viso horum alterutro, vel vtroque, semper meminisse beneficiorum sibi in his præstitorum: sicuti modò, inquit, Christiani viso cælo recordari debent æternæ spei: & visa terra, vitæ Christi, eiúsque amarissimæ passionis; item originis & vilitatis suæ. Salubris tropologia; in qua cælum vt oppositum terræ, propriè accipitur: cùm tamen vox quæ hîc de cælo audita dicitur, in aëreo tantùm cælo formata fuerit: sed quasi de cælo vero veniret: quemadmodum quando vox Patris testimonium Filio Christo perhibentis, de cælis fuisse scribitur [c], seu facta [d], seu allata [e]; aliàs de nube [f]: quod adhuc de similib. intelligi debet, hoc est, vt per cælum intelligatur nubes, vel aër.

a v. 10. & seqq. v. 32.
b Deut 32. 1.
c Matt. 3. 17. Marc. 1. 11.
d Lucæ 3. 22.

Explanatio.

De cælo te fecit audire vocem suam.] Subinde mutatur numerus; ex plurali in singularem, viceque versa. Chaldaicè (*vocem verbi sui*, קָל מֵימְרֵיהּ *kal memereh*) Græcè (*audibilem vocem*, ἀκουστὴν ἐποίησε τὴν φωνήν. Sed in Sixtinis Bibliis ἀκουστὴ ἐγένετο ἡ φωνὴ αὐτοῦ, *audita facta est vox eius.* Abulensis cælum aëreum interpretatur post Lyranũ, póstque vtrumque Rickelius, & alij; eo modo quo vocãtur aues, siue volucres cæli [h]. Vox enim, inquit Abulensis, quam Israël audiebat, formabatur in altitudine montis Sinai de medio ignis. Vocem quoque Dei dici docet, quam formabat Angelus in persona Dei; quia non loquebatur Deus immediatè (quamuis id Lyrano non displiceat modum vtrumque afferenti) nec tabulas scribebat, sed Angelus; lexque ordinata per Angelos est in manu mediatoris [i]: atque in genere, quidquid in vetere Testamento memoratur Deus aut dixisse, aut fecisse, Angeli opera dictum factúmve debet intelligi; nisi quidpiam transcendat potentiam substantiæ creatæ, vt creare, peccata remittere, gratiam conferre, videlicet agendo de causa principali. Aliud exemplum de instantanea effectione, quod idem Auctor addit, non est ex eo genere rerum quæ potentiam creatam transcendant; immò de facto tales actiones dari constat, vt illuminationem, generationem substantialem, &c. vt omittam sensationes, intellectiones, volitiones, & similes, per quas nihil propriè fit, idest, transeunter, siue in alieno subiectu. Vox porrò, quã populus audiuit, fuit Decalogi, seu decem præceptorum: alia enim iudicialia & ceremonialia solus Moses excepit à Deo

e 2. Pet. 1. 18.
f Matth. 17. 5. Marci 9. 7. Lucæ 9. 35.
g Ioan. 12. 27. actuum 9. 4. apo. 10. 8. c. 14. 2. c. 18. 4.
Vox Dei quæ.
h ps. 8. 9. Matth. 13. 4. 32.
i Gal. 3. 19.

Deo siue ab Angelo Deum repræsentante; quemadmodum iam priùs notauimus.

Vt doceret te.] Hebræum verbum cum articulo & pronomine לְיַסְּרֶךָּ *lejasserecha*, & Græcum *παιδεῦσαί σε*, denotant doctrinam, cui coniuncta sit correctio & castigatio; quam videntur indicasse horribiles visiones, atque voces terribiles, quando lex lata est.

Et in terra ostendit tibi ignem suum maximum] *Super terram* verti potuit ob præpositionē עַל *hhal*, & *ἐπί*. Totus mons Sinai fumabat, eo quòd descēdisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis [a]; Græcè (*& stupuit omnis populus valdè*, καὶ ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα: Chaldaicè, *contremuit omnis mons valdè*) & ex Hebræo Pagninus (*commotus est*:) Si enim legatur ibi cum punctis quæ nunc sunt וַיֶּחֱרַד *ueherad*, id significabitur, indicabitúrque terræ motus, de quo in Psalmo 67.[b] & Iosephus [c]; si וַיֶּחֱרַד *uechared*, *perterruit*, seu *terrefecit*, nempe omnes Hebræos, vel ob terræmotum, vel ob ingentem illum ignem, quo antea dicitur mons arsisse vsque ad cælum. Superlatiuo vsus est hoc loco Interpres ignis maximi: cùm sit dumtaxat positiuum גְּדוֹלָה *ghedolah*, & רַבָּתָא *rabbetha*, & *μέγα*. Non poterat ambigi, quod tamen Rickelius notandum putauit, ignem illum elementari igne incomparabiliter minorem fuisse: quamuis maximus cognominetur. Ignis reuera maximus Christus est in Eucharistia, flagrans amore nostri, & consumens quod in se est, sordes nostras, & inflammans nos amore sui. Panem caloris continui vocat Cyprianus [e], & Cyrillus [f] Alex. ignem semper in altari ardentem, aut potiùs altare, in quo ignis Spiritus sancti ardeat semper, tanquam iugis ille in altari tabernaculi custoditus ignis [g].

a Exod. 19. 18.
b vers. 9.
c 3 ant. c. 4. vers. 6.
o v. 11.
Igne maximo Christus in Eucharistia exprimitur.
e de cœna Domini.
f 11. de ado
g Leu. 6. 9.

Et audisti verba illius.] Verba audita fuerunt Decalogi, siue decem præcepta illo contenta, vt antè dixi; quia reliqua iudicialia & ceremonialia populus à Mose, hic à Deo, siue ab Angelo Dei gerente personam audiuit. Quare per vocem auditam, de qua mentio hîc antea facta est, possent intelligi tonitrua, clangórque buccinæ, nempe in aëre Angeli opera, de quibus in Exodo [h]. Nil tamen obstat, quin vox ibi etiam priùs accipi queat synonyme pro dictis Decalogi verbis.

h c. 19. 13. 16. 19.
Vox Dei pro verbis decalogi.

De medio ignis] Sic antea hoc ipso c.[i] ter, & sequenti [k]; vbi additur [l] locutum Dominum non solùm de medio ignis, sed etiam nubis & caliginis, & quidem voce magna, nihilque ampliùs quàm decem Decalogi præcepta. In medio altitudinis montis ardentis formabatur vox & verba: vt propterea de cælo venisse diceretur, inquit Abulensis, credo & altiore ex aëre visum populo prolata esse, vt de cælo venisse affirmari posset: ascendente nimirum quoque altiùs flamma supra montem, quamuis excelsum.

i v. 12. 15. 33.
k v. 4. 5. 22.
l v. 22.

Vers. 37.] Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. Eduxítque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto.

Variatio.

NE tantis Dei beneficiis Hebræi efferrentur; & vt maiorum suorum, quibus promissa fuerant, probitatem sectarentur; admonet Moses referenda esse in pietatem, caritatem, gratiam Dei; quia Patriarchas eorum Abraham, Isaac, Iacob amauit, & eis merita contulit; ita vt præsens populus non propriis meritis tribuere deberet aut posset, sed alienis. Sic Lyranus, Abulensis, Rickelius, Marzilla. Recenset Abulensis Abrahæ merita ex Genesi [a], vbi obedienti circa immolationem filij Dominus promisit cum iuramento propagationem seminis, quòd possessurus esset portas inimicorum suorum. Quin etiam adhuc sterili similia promissa facta sunt [b]: tum verò quòd adducturus esset Dominus propter illum omnia quę locutus fuerat ad eum [c]. Postea renouauit Dominus eadem promissa cum Isaac, affirmans completurum se quod spoponderat patri eius [d], quia hic obedierat voci ipsius, & custodierat præcepta, & mandata; & ceremonias legésque seruauerat. Denique facta mentione Abraham, & Isaac, ipsi Iacob idem à Domino inculcatum [e] est: sæpiùs verò tres hos nominauit Dominus, in quorum gratiam populo patrocinaretur, ideóque se beneuolum ac beneficum exhiberet, vt cap. 1. [f] libri nostri vidimus. Nominatim autem in c. 7. [g] mentio fit cum iurato promisso facto patribus, quòd populum illum dilexisset Dominus: & vocatur misericordia iurata iisdem patribus: & c. 9. [h] quòd non propter iustitiam & æquitatem populi, sed vt compleret promissum, & quia gentes impiè egerant, tradere voluit iis deletis earum possessionem. Electionem Dei actiuam seu prædestinationē Rickelius notat æternā esse, sed per effectus monstrari in tempore. Caritate perpetua dilexit Dominus, ideo attraxit miserans [i]: elegit ante mundi constitutionem [k], & tempora sæcularia [l], Græcè æterna, πρὸ χρόνων αἰωνίων. Modus autem electionis examinandus nunc non est an ex præuisis operibus siue meritis fuerit, vtrùm ante præuisa. Certè prima gratia, & vocatio, & electio ad huiusmodi gratiā vocationémque gratis omnino est, nec ex præuisis potest meritis esse. Ex his ac ex aliquanto antè præcedentibus de Dei erga Hebræos tam singulari beneuolentia, & electione præ cæteris populis, inferunt aliqui Deo inesse scientiam quam vocant mediam & conditionalem; præterea gratiæ congruæ auxilia seu efficacis, quæ non pendeant ex consueto rerum cursu, & ordine; sed ex peculiari dilectione ac electione, quam consequatur huiusmodi adeò particularium gratiæ auxiliorum distributio.

a c. 22. 16. & seqq.
b c. 17. 1. & seqq. c. 18. 10. & seqq.
c c. 18. 19.
d Gen. 26. 3. 4. 5.
e c. 28. 13. 14.
f vers. 8.
g v. 8. 13.
h v. 4. 5. 6.
i Iere. 31. 3.
k Ephes. 1. 4.
l 2. Tim. 1. 9. Tit. 1. 2.

Quia dilexit patres tuos.] Iuxta editiones Hebræam Chaldæámque (*& pro eo quòd*, &c.) videtur hinc noua sententia incoari, per quam ratio reddatur non tam præcedentium, quàm sequentium, cur nempe de Ægypto eduxerit Deus populum Hebræum. Chaldæum porrò verbum רְחֵם *rachem* ab Hebræo simili originem habens, importat dilectionem, vt ita dicam, visceralem. In Hebræo אָהַב *ahab* paronomasia quædam est cum אָב *ab*, quod est nomen patris, & deriuatur ab אָבָה *auah*, cuius significatio parum differens à priore verbo est, nimirum *concupiscere*, & quod inde sumptum videri potest, *auere*, vel ab אָוָה *auah*, quod profertur vt præcedens, licèt media litera istius sit ו *vau*, illius ב *beth*, éstque notionis eiusdem. De discrimine inter ἀγαπᾶν, quod habetur hoc loco, & φιλεῖν, dixi commentario [m] in actus Apostolorum, & in s. Ioannis [n] epistolam, vbi citaui Origenem [o], Gregorium [p] Tauromenij Episcopum, Augustinum [q]. Meritò autem etiam Iustinianus [r] noster negantes nostram in Deum caritatem, Græca voce ἀγάπην dici, reprehendit: quoniam illud nomen est in illis verbis Ioannis [s]; cognoui

Explanatio.
Dilectio erga patres.
m in c. 15. 25.
n in c. 2. 7.
o hom. 1. in Cant.
p hom. 12. in Matth.
q tract. 7. in 1. epist. Ioan. & 14. de ciuit. c. 7.
r in epist. ad Rom. 8. 34.
s c. 5. 42.

cognatus vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Augustinus [a] synonyma facit amatem, caritatem, dilectionem, refelleus volentes dilectionem accipiendam in bono, amorem in malo. Isidorus [b] ait amorem & dilectionem sordia esse, caritatem non nisi ad bonum verti. Ambrosius [c] importari docet dilectione animi caritatem, amore quemdam æstum, conceptumque corporis ac mentis ardorem; & Petrum cùm respondit semper Christo per verbum amandi (hoc est, per φιλῶ) cùm esset interrogatus bis per verbum diligendi; semel per amandi [d], id est, per φιλεῖν bis, semel per ἀγαπᾶν, non solùm animi, sed etiam corporis sui circa Dei cultum signate voluisse hoc verbo flagrantiam. sed idem valere ibi vtrumque verbum annotauit Toletus [e]. Profectò si differrent, non scriberetur (*dicit ei tertiò, amas me*) si inquam, verbum præcedens, nempe diligendi non idem significat. Denique in textu Syriaco repetitur semper idem verbum רחם *rachem* in sermone Christi, & Petri. Attuli dictis locis profana quoque testimonia, & Augustinus [f] docet auctores sæcularium literarum sic locutos non esse certissimum esse, vt videlicet dilectio sit in bono, amor in malo. Quod exemplis facilè ostendi poterat; vt nec semper amare sit quid intensius quàm diligere; quemadmodum placuit Vallæ [g]. Mitto deriuationem verbi *amo* ab ἅμα *simul*, vel חבב *hhabab*, quia vnionem & coniunctionem inuoluit: vel à חמם *chamab, arsit*, quoniam flagrans est [h]: & verbi, *diligo*, quia includit iudicium eligentis ac seiungentis ab aliis rem electam, vt idcirco incoatus tantùm amor sit dilectio [i]. Curiosa quæstio est; cur nomen אב *ab* patrem significans, & formæ genere que masculini, habeat in plurali numero formam fœmininam, nempe אבות *aboth*, seu *abeth*? An quia decet in patre solidum masculùmque amorem prolis esse, simul cum materno qui tenerior est? Deum quidem (vnde omnis paternitas [k], πατριὰ, אבהותא *anbutha*, idest, omnis familia, classis, ordo, cognatio, parentela, tribus; siue Angelorum in cœlis, siue hominum in terris; ita vt non sint principia plura diiue, sed nec sæculorum, seu æuorum, parabolæ coniugiaque à Valentino carnaliter conficta) μητροπάτορα, quasi dicat matripatrem, vocatum ab Orpheo meminit Clemens [l] Alex. & Augustinos [m], à Valerio Sorano Iouem progenitricem genitricémque deorum, quod ex his, ac ex Philone [n] & Leone [o] Hebræo noster declarat Pineda [p]. Cęterùm de ista Dei dilectione erga patres illud præterea est in cap. 10. ¶ *patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos: elegitque semen eorum post eos*: & apud Malachiam [r]; *dilexi vos, inquit Dominus, &c.* & Paulus [f], *iter ea quæ habebantur apud Iudæos in pretio quorû sunt patres.*

Et elegit semen eorum post eos.] Additur in textu Græco codicum Complutensium, & Regiorum, ὑμᾶς παρὰ πάντα τὰ ἔθνη, *vos supra omnes gentes*. Sixtini & alij habent ὑμᾶς, *vos*, omissis reliquis. Electionis huius à Domino factæ crebra mentio in sequentibus capitibus [t], & quòd vicissim populus ipsum elegerit [u], & eligere debeat [x]: præterea de illa Dei electione canit aliquoties Dauid [y]: & Esaias [z] scripsit, & Ezechiel [aa]. Elegit prior Deus, & Christus negat electum se à discipulis, sed illos à se [bb]. Petrus [cc] tamen vult nos satagere, vt per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus; quod in commentario einsdem declaraui. Non venit quis, vt priùs infinuaui, prior ad Deum, sed prior Deus præuenit, vt quis ad Deum veniat; venit nihilominus præuentus & vocatus liberè ac sponte, pérque liberam ac spontaneam electionem, qua Deum sequi vult, & illi consentire & adhærere. Sic faciæ debere prædicatores Euangelij à Christo significatum Cyrillus [a] Alex. & Leontius [b] putant, vt ad hunc modum diligant alios, quo ipsi ab eo dilecti fuerunt, videlicet nõ expectando vt homines ad illos veniant, sed præueniedo. De prædestinatione autẽ eum Augustino Latini explicar enarratores Ioannis [c], & Prosper [d]. Quod non videri necessarium ostendit Maldonatus [e] noster, quia vnus ex electis erat Iudas [f], quem Christus cognominauit diabolum [g], ex electis nempe ad Apostolatum.

Eduxitque te præcedens.] Interpretis est participium (*præcedens*) editiones enim aliæ solùm habent (*& eduxit te ipse*, καὶ ἐξήγαγέ σε αὐτὸς) vel (*& eduxit te in conspectu suo*, seu *in facie sua*, seu *ante se*, ויוציאך בפניו *vayotsiaha bepanau*) vel (*& eduxit te in verbo suo*, ואפקך במימריה *veapbkach bememereh.*) Per pronomen αὐτὸς indicatur præsentia, quam denotat editio Hebræa, vt nempe præsto esset, ac veluti semper præ oculis suis, antequè oculos suoa populũ suum haberet. Quod intelligi potest siue dicatur præcedere, siue sequi, siue in medio populi. Abulensis [h] docet Angelũ, qui Dei referebat personã, præcessisse in columna nubis & ignis; semel etiam retrò se conuertisse ad posteriorem partem exercitus, cùm Ægyptij à tergo Hebræos insequerentur [i]: quia verò id semel duntaxat contigit, absolutè hîc affirmari quod præcedebat. Oleaster, legens (*ante se*) obseruat arcam Domini, partim præcessisse; partim in medio castrorum fuisse: scribi autem quòd eduxit Dominus populum ante se, idest, in conspectu suo; quoniam licet aliquando præcederet eos, tamen semper aspiciebat. Refert secundò ex Hebræis, quod prior notauerat apostata Munsterus, Deum ednxisse ante se quemadmodum pater filium ante se ducit, vt iugiter in illũ oculos dirigat. Id lego apud R. Salomonem [k], qui citat locum illum Exodi. Postremò Deum ante se eduxisse ait eo modo quem de conuerso angelo nubẽmque transferente ad posteriorem partem, paulò antè diximus ex Exodo, quem citauit R. Salomon. R. autem Abenezra [l], profert ex Esaia [m]; *angelus faciei eius saluauit eos*, מלאך פניו הושיעם *malach panau hoschihã.* Chaldaicè, *Angelus missus à facie eius*: Sed Græcè, *non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos*, οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ κύριος ἔσωσεν αὐτούς. Vbi putat Sanctius noster in editione nostra supplendam negationem ante Angelum, vt significetur quòd non Angelus faciei, hoc est, assistens Deo, seu ante Deum [n], & vnus de septem stantibus in conspectu throni eius [o] (Michael fortasse princeps populi Israël [p]) sed ipsemet Deus saluauit. Idem adhuc R. Salomon declarat illud בפניו *bepanau* singulariter positum, pro plurali (*coram eo*) pro (*coram eis*, בפניהם *bephnehem*.) & refert ad membrum (*dilexit patres tuos*:) vt sit sensus, quòd eduxit Deus populũ coram patribus eorũ in virtute sua magna: Videlicet, quia non erat populus, cum quo loquebatur Moses, eductus immediatè. Affert ad hoc confirmandum ex Psal 77. [q] *coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti.* Ipsemet Deus adfuit speciali quadã ratione populo suo, vt hoc ipso [r] capite antea vidimus: & gloria eius apparebat [s] & solus dux erat [t]: & Moses Deo diait, quòd si non ipsemet Deus præcederet, ne educeret populum [u], rogauitque vt graderetur ille cum [x] ipsis: & Dominus præcessisse narratur ad ostendendam viam in columna nubis & ignis [y], & apprehendit manum eorum, vt educeret illos de terra Ægypti [z], vt solent matres infantum manos apprehendere, vt ingre

Marginal notes (left): *Amoris, caritatis & dilectionis verba.* a l. 14. de ciu. c. 7. b de differ. spirit. dift. 32. c in Lucæ vlt. d Ioan. c. 21. 15. & seqq. e ibidem. f 14. de ciu. c. 7. g 5. elegan. c. 77. h Christ. Becman. in orig. Lat. ling. i Iul. Cæsar Scal. exerc. 317. sect. 3. k Ephes. 3. 15. l 5. Strom. c. vlt. m 7. de ciu. c. 9. n de temulentia. o dial. 3. de amore. p in Iob 38. 29. q v. 15. r c. 1. 2. *Explanatio.* f Rom. 9. 5. t c. 7. 6. 7. c. 10. 15. c. 14. 2. c. 26. 18. u c. 26. 17. x c. 30. 19. 20. y ps. 32. 12. ps. 46. 5. ps. 134. 4. z c. 41. 8. 9. c. 43. 10. c. 44. 1. 2. aa c. 20. 5. bb Ioan. 15. 16. cc epis. 2. 10.

Marginal notes (right): *Prædicatorum munus.* a lib. 10. in Ioan. c. 24. b in Ioan. 15. c ibidem. d contra collat. & in ps. 131. e Ioan. 6. 70. Lucæ 6. 13. f Ioan 6. 70. c. 13. 16. 19. Lucæ 6. 13. g Ioan. 6. 70. h q. 8. i Exod. 14. 19. 20. k hoc loco. l ibidem. m c. 63. 9. n Tob. 12. 15. o Ap. 4. 4. p Dan. 10. vlt. q v. 12. r v. 7. f Exod. 16. 10. t Deut 32. 12. u Ex. 33. 15. x c. 34. 9. y Exod. 13. 21 Nu 14. 14. Deut. 1. 33. z Ier. 31 32

vt ingredi doceant,& ingredientes deducant. Nihilominus hæc omnia, istúmve, vt ita dicam, ducatum, Angeli opera missi à Deo, & præcedentis factuo constat [a]: & arca præcedebat [b] quam dirigebat Angelus: sic autem censebatur Dominus ipse in populo esse, & facie videri ad faciem, & præcedere in via, necnon metari locum, in quo tentoria figerent [c]. Itaque versio nostra *præcedentis* participio explicauit præsentiam Dei, qua, vt dixi, longè sæpiùs exprimitur per præcedentis directionem; nec minùs moraliter educere censetur Deus antè ac præsens educendo deducendóque censetur, quando præcedit; quàm cùm vel ponè sequitur, vel consistit, iuxta nostros loquendi modos. Chaldæa paraphrasis, quam recitaui, solam eductionem posuit in verbo Domini, idest, iussu ipsius & auctoritate, scilicet per Angelum: Græca, quòd Ipsemet Deus eduxisset, idest, non deus alienus [d], quamuis Angeli opera personam ipsius repræsentantis.

a Exo.23.20.23.c.32.34. b Num.14.14. c Deu.1.33. d Deut.32.12.

In virtute sua magna.] Caietanus perpendit prudentiam doctoris Mosis hîc & in antecedentibus; qui cùm dixisset quod Iehouah ipse, El, Elohim, singulorum trium nominum effectus proprios affert: primi, quod fontem essendi significat, afferendo primas vniuersi partes cælos & terram vt seruientes Deo, ad officium erudiendi Israël: secundi, quia vox Dei, quem vt legislatorem illud indicat, eiúsque verba, *& lex audita est, atque distribuens mundi nationes dilexit patres dicti populi, ac ipsummet populum semen eorum*: tertij, quod fortem sonat, quia eduxit populum de Ægypto in fortitudine magna, ad debellandas gentes, &c. Si tamen, inquit, non admittitur in hoc contextu nomen El, quia non inuenitur in aliquib. Hebraicis libris hîc, nisi quòd Iehouah ipse Elohim, parum refert. In nullo adhuc Hebræo codice reperi hoc loco El, cùm satis multos consuluerim. Nec tanti refert vis ea quam Caietanus in dictis nominibus constituit. Cæterùm virtus magna כח *choach*, חילא *cheila*, ἰσχύϊ *potentiam* significat, vt sæpe alibi; coniungitur nonnumquam [e] cum potentia, & fortitudine [f], & robore [g]; & potestate [h], & signis [i], & prodigiis [k], & portentis [l]; præterea potens virtute dicitur [m], brachium [n] virtutis, virga [o], firmamentum [p], roborare [q] virtute, & corroborari [r], seu confortari [s]: & inde virtus valdè frequenter, præsertim in Testamento nouo, vsurpatur pro admirando opere, quod aliter vocatur prodigium, portentum, signum, ostentum, &c. De quibus nuper [t] egimus: aut pro interna vi doni diuini. Inde tandem nomen vnius ex ordinibus Angelorum, qui dicuntur virtutes, & coniunguntur cum potestatibus [u]; & Deus virtutũ cognominatur [x], idest, exercituum angelicorum, Hebraicè Sabaoth. Ruth mulier virtutis [y] appellatur חיל *chail*, צדקתא *tsadketha*, δυνάμεως. Vbi Chaldæum nomen iustitiam significat; sed Hebræum & Græcum non moralem virtutem, sed robur, fortitudinem, diligentiã, sedulitatem, opes, potentiam. Ex quibus notionibus postremæ duæ minùs quadrant proposito de Ruth, quæ pauper potiùs erat; sed aliæ; ita vt cognominari posset mulier fortis [z], γυνὴ ἀνδρεία, *virilis*: & γενναῖα, *generosa*, quemadmodum ex Stobæo [aa] notauit Serarius [bb] noster. Nec aliud valet imprecatio fausta populi, vt esset Ruth exemplum virtutis in Ephratha [cc]; quàm, quemadmodum rectè idem Serarius [dd] obseruauit, vt industria esset, nauia, diligens; pararet opes, magnámque potentiam, procrearet filios, qui domum patriámque sustentarẽt, ac fortiter & generosè defenderẽt atque amplificarẽt ceu robora, columnæ, columina reipublicæ. Equidem diligenter inspicienti sacras literas vtriusque Testamenti rarò occurrit virtutis nomen pro virtute morali; sed in aliaia acceptionibus; & pro interno quodam robore, quo quis constantior efficiatur aduersùs timorem, imbecillitatem, persecutiones, tentationes, vt quando scribit Apostolus datum in Testamento nouo spiritum non *timoris* [a], δειλίας, ignauiæ, imbecillitatis, timiditatis, imbecilli, pusillíque animi; sed *virtutis*, δυνάμεως: & quòd virtus in infirmitate perficitur [b], δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ. Nisi velis his locis virtutem fortitudinis interpretari. Hieronymus [c] docens nomen hoc virtutis interdum nequaquam pro fortitudine accipi, atque miraculis, sed pro conuersatione bona, profert exemplum ex epistola Petri 2.[d] *ministrate in fide vestra virtutem*; & ex illa Pauli, quæ est ad Philippenses [e]; *si qua virtus*; & ex nescio quo alio loco; *melior est sterilitas cum virtute.* Sed in illis epĩstolis est ἀρετή, non autem δύναμις. In historia Machabæorum [f] virtutes bonæ [g] vocantur ἀνδραγαθίας: mori in virtute, dicitur ἐν ἀνδρείᾳ: exemplum [h] virtutis & fortitudinis, γενναιότητος & ἀρετῆς: fama [i] virtutis, τῆς ἀνδρείας: in virtutibus [k] exercitatus, ἐκμεμαθηκὼς πάντα τὰ τῆς ἀρετῆς οἰκεῖα, qui exercuerat omnia virtutis propria. In libro Sapientiæ [l] probatam virtutem, δοκιμαζομένην ἀρετὴν, doceri [m] de Dei potentia sumi, non de virtute morali. Denique sicubi virtutis vox moralem significat, ipsi non respondet vel כח *choach*, vel חיל *chail*, vel δύναμις, nisi quidpiam adiungatur quo intelligatur vis fortis animi, &c. Attamen Latinum nomen virtutis Nonius [n] apud Plautum [o] exponit de auxilio. Ennius [p] quoque ab eodem [q] citatus vtitur virtute pro potentia, & quidem iuri contraria; vt,

> —*melius est*
> *Virtute ius. Nam sæpe virtutem mali*
> *Nanciscuntur. Ius atque æquum se a malis*
> *Spernit procul.*

hoc est, segregat & separat. Intellexit hoc pacto Pineda [r] Ennium. Sed Scholiastes Ennij bene doctus Hieronymus [s] Columna, conferens cum Tragici cuiusdam Græci versibus affinis sententiæ, negat orationem illam apud Ennium esse personæ satis intelligentis; quia qui iustum se atque æquũ vna in re præstat, in aliis esse iniquus potest: & qui aliquo in genere præclarè agit, malus potest esse in cæteris: vt ex quidem ratione immeritò virtus æquo postponatur. Quare virtutem Columna vt moralem bonam qualitatem ibi accipit.

Virtus magna pro potentia. e 1.Par.29.12. ps.64.2. Ephes.1.19. c.6.10. f ps.67.36. apoc.7.12. g 2 Pet.2.11. Es.40.26. h Lucæ 4.36. c.9.1. apoc.17.13. i actuum 8.13. Rom.15.19. 2. Thess. 2.9. Hebr.2.4. k 2.Cor.12.12. l Heb.2.4. m ps.102.20. n ps.88.11. o ps.109.2. p ps.150.1. Eccl.34.19. *Ruth mulier virtutis dicta.* q Nah.2.1. r Eph 3 16. s Col 1.11. t v.34. u 1. Pet.3.22. x ps.23.10. ps.67.13. y Ruth 3.11. z Prou.31.10. aa serm.65. bb in Ruth 3 q.7.n.8. cc Ruth 4.11. dd ibid.q.10.n.2.

a 2.Tim.1.7. b 2.Cor.12.9. c in Esa.5. d c.1.5. e c.4.8. f l.1.8.24. 9.22.c.10.15.c.16.23. l.2.14.18. g l 1.9.10. h l.1.6.31. i c.8.7. k c.15.12. l c.1.3. m ibidem. n c.4.n.477. o in Milite. p Hectore Lustris ac Lytris. q sup. num. 435. r suprà. s pag.335.

Ex Ægypto.] Virtus Dei magna enituit, potissimùm in ipsa eductione populi ex Ægypto, plagis ibi adeò multis & magnis editis: ad eamdem tamen etiam referuntur admiranda gesta in mari rubro, deincépsque per desertum vsque ad illud tempus, quo Moses ista loquebatur.

Vers.38.] Vt deleret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo, & introduceret te, darétque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

PRopterea Deus in virtute sua magna eduxit ex Ægypto, vt ad promissam terram populum Hebræum perduceret; quem voluit inde spem, & fiduciam magnam concipere fore, vt, eiusdem

Paraphr.

eiusdē diuinæ virtutis auxilio, occurrentes omnes difficultates & hostes qui in via essent superarent. Id eo iam tempore quo hæc dicebantur, experimento comprobatum Moses affirmat; & quia terra Chanaan erat ante oculos, tantúmque Iordanis in cuius ripa stabāt, traiici debebat: & quam inierant iam tribus Ruben & Gad, ac dimidia Manasses possessionem regnorū Sehon & Og Amorrhæorum. Promiserat Deus, quòd Angelus ipsius præcederet Hebræum populum, & introduceret ad Amorrhæum & Hethæum & Pherezæum, Chananæúmque, & Heuæum, & Iebusæum, quos Deus ipse contereret [a]; immisso terrore in præcursum eorum, & occidendo omnem populum ad quem Hebræus populus ingrederetur, cunctorúmque inimicorum eius coram eo terga vertendo; emittendo crabrones priùs, qui fugent Heuæum, & Chananæum, & Hethæum antequam introeat [b], &c. Quæ gentes & numero, & statura & robore longe superiores erant Hebræis [c].

[a] Exod. 23. 23. [b] ibid. v. 27. 28. [c] Deut. 28. Explanatio.

Vt deleret nationes maximas.] Monui sæpiùs carere superlatiois Hebræos Chaldæósque. Nec verò etiam hic Græcè superlatiuum est, sed positiuum epithetum, ἔθνη μεγάλα. Pro verbo delendi, quod valet quoque ἐξολοθρεῦσαι siue perdere, aliarum editionum verba significant *eiicere*, seu *expellere*, להוריש *lehoris*, לתרכא *letharacha*. Potuit præterea verti Hebræum verbum, *vt hæreditare faceret*, nempe te, *nationes maximas*, &c. Quia eo modo sæpiùs exponitur, vt libro priore [d] vidimus. Perperam transtulit apostata Munsterus hoc loco *eradicare*, quasi legisset לשרש *lesaresis*, à שרש *sceres*, *radix*. Chaldæum תרך *therach* significat *eiicere*, *expellere*, *repudiare*, necnon & *deuastare*. Notio alia Hebræi verbi *hæreditare facere*, non ita congruit, præsertim cùm hoc statim distinctè exprimatur, nec propriè nationes possidendæ erant, sed terra illarum.

[d] cap. 24. 35. & 33. 53.

In introitu tuo.] Hebraicè, & Chaldaicè (*à facie tua*, vel *ab ante te*, מפניך *mippanecha*, מקדמך *mikkodamach*) Græcè *ante faciem tuam*, πρὸ προσώπου σου. Eiicere à facie populi vel delere nationes, est sic de medio tollere, vt non appareant, atque vt introeuntibus resistere nequeant. Eadem phrasi dicitur postea [e] hoc libro bis delectas gentes à Domino, ant delendas in introitu populi Hebræi, licèt verba sint diuersa in priore: quemadmodum & in libro Iudicum [f].

[e] cap. 8. 21. cap. 18. 12. [f] cap. 9. 19.

Et introduceret te, daréque tibi terram eorum in possessionem.] Secundùm alias editiones, *vt introduceret te vt daret*, siue *ad dandum vt possideres tanquam hæreditatem*, נחלה *nachalah*, aut *ad dandum te possessionem*, אחסנא *ahsanah*, aut *possessionem per sortem*, κληρονομίαν. Græcè (*terram hanc*, τὴν γῆν ταύτην, in codicibus Complutensibus Regijsque, &c. sed in Siatinis *eorum*, αὐτῶν.) Pronomine demonstratiuo indicaretur subiecta oculis terra possidenda trans Iordanem, in cuius ripa erant, vt dixi; necnon eis flumen illud regna iam tradita in possessionem tribubus Ruben & Gad, ac dimidiæ Manasse, quemadmodum antea monui.

Sicut cernis in præsenti die.] In Hebræo Chaldæóque texto (*sicut in die hac*, כיום הזה *chaiom hazzeh*, כיומא הדין *cheioma haden*:) in Græco (ὡς ἔχεις σήμερον, *sicut habes hodie*) Versu aq. eadem prorsus verba, Hebræa & Chaldæa Latinè leguntur (*sicut est in præsenti die*) Græcè (ὡς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, *vt in die hac.*) Hic autem (ἔχεις, *habes*) insinuat quod ante dicebam, iam adeptam possessionem duorum regnorum Sehon & Og: præterea mox adipiscendam terram Chanaan: & quòd ex ea quam iam habebant, certi esse poterant se aliam habituros, quæ promissa fuerat. Patres istorum habuerant duntaxat promissionem terræ, in qua fuerant peregrinati; dabatur istis possessio, atque complementum promissionis, siue executio. In rebus quoque fidei quæ post prædictionem completa censuntur, ambigere non sinunt de prædictione futurorum, quin similem omnino eatum sine sortitura. Quamquam non est improbabile scriptum à LXX. καθὼς ἔχει, *sicut se habet*; quæ Græcis phrasis vsitatissima est.

Vers. 39.] Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.

Huc tendunt atque referuntur quæ dicta sunt de admirandis operibus in gratiam Hebræi populi à Deo factis, cùm liberauit ex captiuitate Ægyptiaca, & perduxit vsque ad promissam terram; vt is absque vlla hæsitatione persuaderet omnino sibi, verum esse ac vnicum Deum, à quo tot ac tanta beneficia accepisset; nec aliud cogitandum numen esse siue in cœlo, siue in terra, denique vllo in loco; cui deberet aut posset latriæ cultus exhiberi. Tanti refert notitia ista fidéque, sine qua placere Deo impossibile [a] est, atque salutari [b], oportétque accedentem ad Deum credere quia est [c]. Idcirco hæc veritas toties hic in isto capite inculcatur per ἐπανάληψιν, diuersaque verba. Abulensis notat dici Deum in cælo sursum, & in terra deorsum, ad falsorum deorum distinctionem; quorum quidam cælestes vocabantur, alij terrestres, nonnulli aquatici, aliqui subterranei; immò montium quidam non vallium [d]: de qua diuersitate ac numerositate Augustinus [e], aliique contra Gentiles, vt sæpiùs memini. ait verò ille tam minutam & conscisam distinctionem scurrilitati mirimæ magis, quàm diuinæ consonare dignitati, plenam turpitudinis, absurditatis, indignitatis, falsitatis. Hæc porrò causa est cur hic antea [f] tam seuerè cauerit Deus imagines fieri rerum quæ essent in cælo, terra, aquis.

Paraphr.

[a] Hebr. 11. 6. [b] Symb. Athanas. [c] Hebr. 11. 6. [d] 3. Reg. 20. 23. 28. [e] 6. de ciuit. cap. 9. [f] vers. 16. & seqq.

Scito ergo hodie.] In aliis editionibus (*& scies hodie:*) sed seruit futurum imperatiuo. De particula ו *ve* quòd illationi seruiat non legi qui doceat, nec Pagninus [g] inter alios vsus ipsius hunc ponit. Interpres tamen aptè sic transtulit, velut consectarium eorum quæ præcesserunt.

Explanatio.

[g] In instit. Hebr. c. 23. & 24.

Et cogitato in corde tuo.] Ea editionibus aliis (*& reduces*, seu *reuocabis*, *redibis*, *conuerteris*, *redire facies te ad cor tuum*, vel *in mente*, והשבת אל לבבך *vehasceuotha' el leuauecha*; ותתיב ללבך *vethethib lilbach*; καὶ ἐπιστραφήσῃ ἐν τῇ διανοίᾳ. Græcæ phrasi non conuenit quod Caietanus docet, ista conclusione principaliter intenta contineri internum Dei cultū secundùm vtramque animi partē: intellectiuam per verbum sciendi præcedens, & affectiuam per nomen cordis. Ad intellectum pertinet διάνοια, id est, *cogitatio*, *mentis agitatio*, *commentatio*, *animaduersio æstimatio*, *diiudicatio*, *consilitatio*: & cor-

& cor non rarò vsurpatur pro illo, siue pro mente: & recordari spectat ad intellectum. Quare hortatur Moses, vt sciant, & attente recogitent atque considerent. Mentem reddit Interpres [a] alibi, vbi est διάνοια, & mentem cordis [b], διάνοιαν καρδίας: & oculos cordis [c], τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας, cogitationem [d], intellectum [e], sensum [f]. Cogitare in corde aliis in locis [g] legimus; vel cogitare [h] cor, vel cor machinari cogitationes [i], vel cogitationes ascendere in cor [k], &c. Cæterùm videri potest hoc loco sermo comminatorius, vt apud Iob [l], *Scitote esse iudicium:* in Exodo [m]; *Scient Ægyptij quia ego Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum:* in Psalmis [n]; *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*, &c. [o] *constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt:* apud Ieremiam [p], *Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.* Idipsum aliàs [q] notaui: tritúmque illud prouerbi; *non me cognoscit istec faciam vt me cognoscat.* Commemoratio tamen quæ hîc est beneficiorum, non videtur minas insinuare; nisi fortè ob periculum ingratitudinis.

a Matth. 22. 37. Marci 12. 30. Lucæ 10. 27. Heb. 8. 10. c. 10. 16. 1. Pet. 1. 13. 2. epist. 3. 1. 1. Ioan. 5. 20.
b Luc. 1. 51.
c Eph. 1. 18.
d Eph. 2. 3.
e c. 4. 18.
f Col. 1. 21.
g 3. Reg. 8. 18. Esther 6. 6. Prou. 12. 20. Eccle. 2. 3. Eccli. 26. 23. Ier. 7. 31. Matth. 9. 4.
h 2. Esd. 5. 7.
i Prou. 6. 18.
k Lucæ 24. 38.
l c. 19. 29.
m c. 7. 5.
n ps. 99. 3.
o ps. 9. 21.
p c. 2. 19.
q 10 ps. 3. 21.

Quòd Dominus ipse sit Deus.] Græcè ὅτι κύριος ὁ θεός σου οὗτος θεός, *quia Dominus Deus tuus hic Deus:* Hebraicè, & Chaldaicè sunt duo tantùm nomina יְהוָה *Iehouah*, & אֱלֹהִים *Elohim*, siue אֱלָהָא *eloha*.

Cæli & terra nomine vniuersitas elementorū ac rerum intelligitur.

In cælo sursum, & in terra deorsum.] In medio prætereà spatio, in aquis, infra terram. Sed cæli terræque vocabulis vniuersitas elementorum ac rerum solet intelligi, sicut in prima creatione nominantur cælum & terra [r]; ex quibus, seu ex terra, inferuntur implicitè reliqua elementa. Nam vt ratiocinantur Physici, dato infimo elemento terræ graui tanquam centro, circa quod est cælum ambiens, dari debet supremum leuissimum, quod est ignis: ac proinde media secundùm grauitatem & leuitatem aqua & aër. Cùm terra in medio mundi collocata, sit elementum siccum, dabitur aliud calidum, aliud humidum, aliud frigidum. Tandem concipitur cæli nomine quidquid supra nos est, aër, ignísque, non modò ipsa substantia propriè dicti cæli: nomine terræ globus ipse illius & aquæ; qui etiam vnus amborum esse fertur. Rahab vtens eadem hac formula, *Dominus Deus vester*, dixit, *ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum* [s]; siue id naturali lumine cognouerit, siue diuino. Colligitur verò inde, naturæ ac potentiæ Dei immensitas; illiúsque naturam loco nullo, quantumuis amplo & magno contineri: multóque magis illum templum non capere, siue domum [t], cùm mundus non capiat, vt argumentatur Nouatianus [u]. Infert postremò Hugo instam esse petitionem illam, vt fiat voluntas Dei sicut in cælo & in terra [x]. Quamuis peculiariter Deus cæli [y] cognominetur, & Pater in cælis esse dicatur [z], quia cælum, inquit Abulensis, optima pars vniuersi est, vel quia quæ cælestia sunt, sunt abscondita, Deus autem noster absconditus [aa], quia purus spiritus [bb]. Adde quia in cælo manifestat se beatis: & è cælo maxima efficacitas est in inferiora.

r Gen. 1. 1.
s Iosu. 2. 11.
t Es. 66. 1.
u de Trin. c. 3. apud Tertul.
Cælum pars optima vniuersi.
x Matth. 6. 10.
y ps. 90. 1. & alibi.
z Matt. 6. 9.
aa Es. 45. 15.
bb Ioan. 4. 24.

Et non sit alius.] In Hebræo & Chaldæo textu (*non amplius*, עוֹד אֵין *en hhod*, עוֹד לֵית *leth hhod*: in Græco, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ, *& non est adhuc*, siue *vltrà præter eum.*) sic priùs (*& non est alius præter eum*) vbi similis aliarum editionum phrasis: Græcaque Deum exprimit. Idcirco tam seuerè hîc quoque antea omnis imago prohibita est; vt omnes cum suis figmentis Ethnici excluderentur & hæretici, probando Deum non esse, ait citatus Nouatianus, qui manu artificis factus sit, nec eum qui ingenio hæretici fictus sit.

Vers. 40.] Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi: vt benè sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

Paraphr.

HAnc obedientiam diuinorum Decalogo contentorum quæ moralia sunt, & mandatorum iudicialium atque ceremonialium, quæ non immediatè à Deo vt illa, siue ab Angelo in Dei persona, tradita sunt, sed mediatè per Mosem, exigit Deus vnicus & verus, cui per se debetur, non isto dumtaxat iure ac titulo, verùm etiam propter collata beneficia, illud præsertim, quod tanti faciebat carnalis populus, de possessione terræ promissæ, & certa diuturnáque commoratione in ipsa. Custodit Dominus misericordiam in millia [a], idest, in mille generationes, ob merita parentum: & seruans siue custodiens leges Dei, præcepta atque iudicia, ambulans in eis, & faciens, viuet in eis [b]; quod primo licèt non primario sensu, de temporali vita bonísque illius intelligitur; vt non semel annotauimus: quemadmodum & tam crebrò cùm alibi, tum capite isto ac libro toto, legis diuinæ obseruatio commendatur & iniungitur.

a Ex. 34. 7.
b Leu. 18. 5. Ezech. 20. 11. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12.

Explanatio.

Custodi præcepta eius atque mandata.] De vocabulis his, déque חֻקִּים *hhukkim*, & מִצְוֹת *mitsuoth*, קִיָּמִין *keiamin*, & פִּקּוּדִין *pikkodin*, δικαιώματα & ἐντολαί actum aliàs. Præter distinctionem modò allatam de primis pro moralibus, de secundis pro iudicialibus & ceremonialibus, Hugo explicat de affirmatiuis & negatiuis, de pertinentibus ad legem & ad naturam. Fateor tamen synonymè nonnunquam accipi hæc nomina, necnon iustificationes, iudicia, &c. Non sufficit internus cultus, inquit Caietanus, de quo præcedentia fuerunt; si tempore opportuno deficit externa obseruatio mandatorum Dei.

Quæ ego præcipio tibi.] Habent editiones reliquæ (*hodie*, הַיּוֹם *hayom*, יוֹמָא *ioma*, σήμερον.) Contentus fuit Interpres expressisse proximè præcedente versu; & adhuc priùs [c] bis, & præsentem diem ter [d]: totúsque contextus indicat satis eodem die omnia hæc prolata. Præcipiendi porrò vnicum verbum, ex quo deriuatur secundum nomen à prioribus duobus, nempe צִוָּה *tsiuuah*, פִּקֵּד *pakked*, ἐντέλλομαι, innuunt esse posse synonymum primo. Denique præcipere se, asserit Deus, quod per Mosem faciebat, vt sæpiùs admoneo.

c vers. 8. & 26.
d v. 4. 20. 32.
Præcipiendi verbum.

Vt benè sit tibi, & filiis tuis post te.] Dixi legis obseruantiam prodesse filiis: cuius oppositum etiam verum est, iisdem nocere transgressionem tum propter exemplum: tum quia cùm sint aliquid parentum filij, in istis illi quodammodo afficiuntur vel pœna, vel præmio. Occurret aliquoties in hoc [e] libro eadem formula; *vt bene sit tibi*; & cum additione, *& filiis tuis*, &c.

e c. 5. 16. 29. 33. c. 6. 3. 18. 24. c. 10. 13. c. 12. 25. 28. c. 19. 13. c. 22. 7.

Et permaneas multo tempore.] Hebraicè, Chaldaicéque (*prolonges dies*, יָמִים תַּאֲרִיךְ *thaarich iamim*,

[illegible], *[illegible] phoretch iomin*, Græcè, *vt longæui*, *diuturnæve multorum sitis* [illegible]. Aliter Latinè, *longo viuere tempore* [a], *protelari dies* [b], *longæuum* [c], *&c.* Græcè aliquando [d] singulariter est [illegible], aut verbum [e] [illegible], aut nomen [illegible] [f]. Eiusmodi promissio longæuitatis facta primùm est; auditaque quando latum est præceptum de parentibus honorandis [g]: & Paulus [h] propterea vocat mandatum primum in promissione, *ἐν ἐπαγγελίᾳ*. Sed suo loco hac de re c. sequenti [i].

a c.5.16.c.22.7.
b ibid. c.5.
[illegible] Ex.20.12.
d Deut.5.16. La.20.12.
e Deut.5.33.
f Deut.22.7.
g Exod.20.12. Deut.5.16. Ephe.6.1.
h Ephe.6.2.3.
i v.16.

Super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Sic etiam in futuro tempore secundùm editionem nostram in dicto præcepto honorandi parentes indicatis locis; quamuis Græcè sit præsens tempus (*dat*, *δίδωσι*) quod tempus, æque vt alia Hebræum & Chaldæum participium admittit. Tempus autem præsens denotat mox dandam possessionem terræ Chanaan; & datam iam terræ citra Iordanem in regnis Sehon & Og; vt crebrò notatum est. Additur in editionibus aliis (*omnes dies*, siue *omnibus diebus.*) Quæ Vatablus docet rectiùs referri ad verbum præcedens (*custodi*) hoc modo (*custodi omnibus diebus statuta eius*, siue *præcepta*, &c.) alios referre ad ea quæ paulo antè præcedunt (*vt bene sit tibi*,) hoc modo (*vt benè sit tibi, multaque beneficia conferat in te Dominus cunctis diebus.*

Vers 41.] Tunc separauit Moyses tres ciuitates trans Iordanem ad orientalem plagam.

Vers. 42.] Vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante vnum & alterum diem, & ad harum aliquam vrbium possit euadere.

PARAPHR.

HIc designatio trium ciuitatum refugij memoratur, quæ versu etiam sequenti nominantur, a Moyse facta citra Iordanem; si abeuntibus Hebræis vltra Iordanem, & parte quadam, ex tribubus, Ruben, Gad, & dimidiæ Manasse, contingeret, committi homicidium inuoluntarium ab illis qui remansissent ex iisdem tribubus, quæ possessionem regionis Cis-Iordananæ in regnis Sehon & Og impetrauerant. Tractatum est hoc argumentum de ciuitatibus refugij libri prioris cap. 35. [k] de quo adhuc mentio fit in c. 19. [l] libri præsentis, & in c. 20. [m] libri Iosue: & ostensum ciuitates has tres ante transitum Iordanis constitutas. Est autem verisimile factam priùs à Moyse denunciationem, vt eligerentur tres; datam verò curam nonnullis, ac iis quidem fortassis, quos Dominus nominauerat ad terram diuidendam, vt considerarent quænam essent magis idoneæ, ratione distantiæ firmitatis, &c. Sed hodie relatam ad eumdem legislatorem iudicium illorum & sententiam. Per seipsum executus est Moses, ait Caietanus, statutum de ciuitatibus refugij scriptum in libro Num. c. 35. quoad regionem trans Iordanem, quam possidebant. Eugubinus, à communi non recedens opinione, notat quod legimus hic (*separauit*) esse loco futuri Hebræi; futurum autem Hebræum pro præterito imperfecto poni. Quem loquendi morem obseruari vult, quòd vehementer ad intelligendos Psalmos iuuet, in

k v. 6. & seqq.
l v. 1. & seqq.
m v. 1. & seqq.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

quibus ea sæpe locutio reperitur. In libro Iosue [a] iterum tres hæ ciuitates nominantur, quasi constitutæ tunc sub Iosue.

a c.20.8.

Explanatio.

Tunc separauit Moyses.] Iam dicebam cum Eugubino verbum Hebræum futuri temporis יַבְדִּיל *iabdil* nempe, & idē est de Chaldæo יַפְרֵשׁ *iaphris*, habere significationem præteriti imperfecti: addi potest, etiam perfecti. Græcum est *ἀφώρισε*. Quod verò fecit aliorum opera Moses, ipsemet fecisse censetur; vt contingit in aliis operibus auctoritate, iussu, impensa principia factis. Vt mihi inscitè, si non etiam malignè, vetuisse nescio quis videatur edi laudationem Greg. XIII. optimi & sapientissimi Pont. in qua erat inter cætera Kalendarij reformatio, quòd in id non ille, sed Mathematici incubuissent; perinde ac si latomos, fabros, opificésque alios laudare oporteat non Salomonem ob templum Ierosolymitanum, non Rom. Pontifices, ob Petri basilicam; non alios ob alia magnifica opera.

Tres ciuitates trans Iordanem.] Sæpiùs monui (*trans*) & *πέραν*) respectu populi Hebræi iam habitantis in Chanaan: cùm hæ ciuitates essent in regione Amorrhæorum citra Iordanem & Chanaan: vtramque verò partem tum citeriorem, tum vlteriorem significari posse per Hebræam vocem בְּעֵבֶר *beheber*, & Chaldæam similem בְּעִבְרָא *bebhibra*. In cap. 35. [a] libri prioris ostendi tres ciuitates designatas quoque in refugium vltra Iordanem: eadémque de re redibit sermo c. 19. [b]

a v. 6. & seqq. & v. 14.
b v. 1. & seqq.

Ad orientalem plagam.] In c. 20. [c] Iosue dicuntur expresse ad orientalē plagam Iericho fuisse: quod est idem ac respectu terræ Chanaan vltra Iordanem; nam respectu regnorum Sehon & Og citra Iordanem erant ad occidentalem plagam. Nihil se requisituros trans Iordanem professi filij Ruben & Gad (cum media tribu Manasse) si regionem citra Iordanem impetrarent, quam dicebant esse in orientali plaga [d].

c vers. 8.
d Num. 32. 19.

Vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum] Pro (*nolens*) in aliis editionibus est (*nesciens*, seu *ignorans*, *carénsque scientia*, בִּבְלִי־דַעַת *bbeli dabhath*, בְּלָא מַדְּעַם *belo maddebheh*, *ἀκουσίως*. In c. 35. [e] præcedentis libri pro nolentibus habent editiones reliquæ (*in ignorantia*, בִּשְׁגָגָה *bisgagah*, בִּשְׁלוּ *beschalu*; vel *inuoluntariè*, *ἀκουσίως*. In cap. 19 libri nostri [f] vsurpat Interpres participium (*nesciens*) vbi Hebræa & Chaldæa eadem sunt quæ hoc loco: Græcum verò aduerbium *ἀκουσίως*. In cap. 20. [g] Iosue est, *nesciens & ignorans*, בִּבְלִי דַעַת *bbeli dabhath*, *ἄνευ προνοίας*, *sine prouidentia*, siue *prudentia*, & *ἀκουσίως*. Consule dicta citato prioris libri loco.

e v. 11.
f vers. 4.
g v. 3. 5.

Nec sibi fuerit inimicus ante vnum & alterum diē.] Potest quis esse inimicus alteri, ita vt non vicissim alter illi. Secundùm alias editiones indicatur quòd is qui occidit, non oderat occisum. Tamen si constaret occisum gessisse inimicitias cum illo qui occidit ipsum, etiamsi forsitan occisor non oderat illum, præsumptio adhuc esse posset in externo foro aduersùs occisorem. Sic est in cæteris editionibus וְהוּא לֹא־שֹׂנֵא לוֹ *vehu lo sone lo*: וְהוּא לָא סָנֵי לֵיהּ *vehulo sane leh*: *καὶ οὗτος οὐ μισῶν αὐτόν*. Priore libro [h] vocatur homicidium fortuitum, & absque odio, & inimicitiis factum. In c. 19. [i] libri nostri habetur eadem conditio de illo qui nesciēs occiderit, quique heri & nudiustertius nullū cōtra occisum odium habuisse comprobetur. Vbi eadē phrasis aliarum editionum quæ hoc loco recitata est habetur. Sed Græcè *ἐχθρὸς* pro *μισῶν* in Bibliis

h c. 35. 22. 23.
i vers. 4.

Complatensibus, Regiisque: quarum illud Atticum existimatur, eo fortassis modo quo Hispani pronunciant *espera*, *espiritum*, &c. & suo idiomate talibus vocabulis præfigunt *e*, vt etiam Galli in *espoir*, *esperer*, *esperance*, *estoile*, &c. In c. 20.[a] Iosue repetitur eadē cōditio de illo qui percusserit nescius, vel ignorans, nec ante biduum triduúmve eius probetur inimicus. Vbi etiam Hebræa & Chaldæa se habent sicut hic, Græca verò ἀπὸ χθὲς, vel ἀπ' ἐχθὲς καὶ τρίτης. Cæterùm per vnum & alterum diem, aut heri & nudiustertius; siue tertio die, non ita semper exactè intelligitur & præcisè duplex tantùm dies ante præsentem, vel triplex cōputando præsentem, sed indefinitè præcedens præteritúmque tempus, sed non valde longum; vt cùm scribitur Iacob animaduertisse faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius [b]: & Mosem, *non sum eloquens ab heri & nudiustertius* [c]: præterea, *si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius* [d]: *Væ nobis* (allata arca in castra Hebræorum dicebant Philisthiim) *non enim tanta fuit exultatio heri & nudiustertius* [e]: *videntes omnes qui nouerant eum* (Saülem) *heri & nudiustertius* [f]: & in similibus aliis sententiis [g]. Nihilominus videtur aliquando contextus exigere temporis huiusmodi spatium distinctum: vt [h], *continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur.* Notauit hunc Hebraismum noster Maldonatus [i]. Heri quoque & cras pro incerto tempore sumi præterito ac futuro, certum est, legentique diuinas literas constabit. At in profanis auctoribus Latinis non facilè reperias exempla istiusmodi formularum: quamuis prouerbialiter etiam Græcè dicatur χθὲς καὶ πρώην, vt Latinè heri & nudiustertius; & apud Xenophontem χθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν, sicut passim in Scripturis notatis locis, atque in hoc nostro absque nomine ἡμέρας: quod tamen [...] audiuntur, πρὸ τῆς χθὲς, vel ἐχθὲς, καὶ τρίτης: qualia item Hebræa תְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם *themol* (aliter אֶתְמוֹל & אִתְמוּל) *themol, ethmol, ethmul. scilscom*; notáique Pagninus [k] subaudiri intermediam coniunctionem; vel certè præcedentem vocem constructam censendam, sequentem per genitiuum exponendam; denique significare antè, seu iam antè. Interpres quidem noster vertit alicubi *priùs* [l], *antè* [m], *anteà* [n]; sed editio Græca [o] semel καθ' ἑκάστην ἡμέραν, *per singulos dies*, nempe præcedentes. Incidi postquam hæc annotaueram, in Delrij nostri adagialia sacra; qui obseruat [p] cum Augustino [q], hesternam & nudiustertianam diem familiarissimam in Scripturis locutionem esse, pro tempore præterito. Profert præterea testem Irenæum [r] (credo fideliter auctorum hæc loca citari) scribentem heri & nudiustertius, quod dici solet: & de phrasi Græca χθὲς καὶ πρώην (etsi Græcè scripsisse Irenæus creditur) Epiphanium [s], Athenagoram [t], Platonem [u], Plutarchum. Docet deinde, πρώην non significare non multò priùs, haud ita pridem; quod Catullus dixit, hodie atque heri; quandoque iam dudum, vel non nuper: nonnunquam priùs, seu anteà. Affert quoque indefinitè pro non ita pridem Iosephum [x], Eusebium [y], Nazianzenum [z]; & præmissa negatione pro diuturna siue perpetua te Iunium [aa] Philosophum, & Sophoclem [bb]. Adhæc monet quod & ipse hîc indicaui, nec Hebræos, nec Latinos, nec Græcos eodem semper modo hoc prouerbium exprimere.

Et ad harum aliquam vrbium possit euadere.] Nihil interest vrbium hîc vocem poni, paulo ante ciuitatum: quia synonymæ sunt; licèt discrimen aliquod Grammatici reperiant, vt alias Antigonus. Editiones aliæ vtrobique vtuntur eadem: habéntque (*& fugiet ad vnam ex vrbibus, siue ciuitatibus his*, vel *vrbium ciuitatúmve harum, & viuet.*) Tandem ne quis hæreat in Hebræo הָאֵל *hael*, quod ex ה *he* demonstratiuo & אֵל *el* componitur, aduertendum est אֵל *el* hîc non Dei nomen esse, quasi Dei significentur vrbes; quæ sic cognominari posse viderentur, quia Leuitarum erant ministrorum Dei, & ob azylum quodammodo sacrosanctæ: sed valere pronomen *isti*, vel *ista*, quod aliter cum ה *he* in fine, & ל *lamed* cum daghes, dicitur אֵלֶּה *elleh*. Sunt verò dictæ particulæ in eodem vsu aliis [a] in locis exempla alia: inter quæ hoc nostrum Lexicographi videntur omisisse.

a v. 3. 5. — *Phrasis, per vnum, & alterum diem; heri & nudiustertius; tertio die, quo modo intelligenda sit.* — b Gen. 31. 2. 5. — c Exo. 4. 10. — d c. 21. 29. 36. — e 1. Reg. 4. 8. — f c. 10. 11. — g c. 14. 21. c. 19. 7. c. 21. 5. 2. 3. 17. c. 3. 2. 14. 3. 5. 1. Par. 11. 2. Dan. 13. 15. — *Heri, & cras, quomodo.* — h 1 Reg. 21. 5. — i in Dan. 13. 15. — k in thesauro hîc שִׁלְשׁ. — l Exo. 5. 7. 8. Iosue 3. 4. — m Iosue 4. 18. — n Ruth 2. 11. — *Hesterna & nudiustertiana dies, pro tempore præterito.* — o Exo. 5. 8. — p tom. 1. adag. 34. — q locut. in Gen. c. 31. — r l. 1. c. 21. — s lib. 1. — t in legat. — u 3. de legi. — *Hodie atque heri quid.* — x 1 & 2 contra Apion. — y 1 hist. c. 9. — z 3 c. 38. 2. de pæpar. c. 8. — z orat. contra Iulian. — aa apud Stobæum. — bb in Antigona. — a Gen. 19. 18. c. 26. 3. Num. 24. 24. 1. Paral. 20. 8.

Vers. 43.] Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.

HÆ sunt ciuitates tres refugij citra Iordanem in ditione Amorrhæorum, quæ concessa fuerat tribubus Ruben & Gad, atque dimidiæ tribui Manassę. Recensentur eædem in libro Iosue [b], sed Gaulon pro Golan. Cur autem tot fuerint quot vltra Iordanem pro nouem tribubus, docuimus capite 35. libri præcedentis. Sed cùm citato loco libri Iosue scribitur, quòd sub ipso Iosue statuerunt istas ciuitates, quas tamen Moses adhuc viuens, vt hic legimus, assignauit, respondet Arias [c], non antea fuisse sacratas, quàm aliæ intra promissam regionem Chanaan notarentur. Masius [d], citans Hebræos, appellat religiosum sanctitatis ius, quod tum demum, cùm alia trans Iordanem consecrata sunt azyla, dictæ ciuitates citra Iordanem obtinuerunt. Abulensis [e] ait censeri Hebræos eo tempore statuisse, quia tempore Mosis fauebant, & dabant auctoritatem dictis factísque illius; quod etiam faciebant tempore Iosue. Benè monet Oleaster vt omnis diuisio & rerum distributio quam in vita facere possis, fiat à te; ne post mortem non eant bene fiat, aut inde lites, vt fieri solet, inter hæredes oriantur. Præterea opportuno tempore obseruat à Mose repetitam legem, quando iam cœperat populus possidere terram, vt desiderio reliquam consequendi, quæ promissa erat, audiores ad audiendum redderentur, & alacriores, ardentioresque ad implendum. Recitat ex Hebræis Glossa conditiones decem pro ciuitatibus refugij; vt æquali spatio distarent inuicem: viæ ducentes ad eas complanatæ essent, & absque impedimento: in biuio vel triuio stipes erigeretur, in quo scriptum esset מִקְלָט *miklat*, idest, refugium: vt non nimis vel paruæ essent, ne victui necessaria deessent; vel magnæ, ne ob habitatorum multitudinem occisi propinquus non obseruatus subintraret, & interfecturi strueret insidias: nundinæ in iis crebriùs haberentur, ad commoditatem cibariorum: in vicinia plures pagos haberent, ad arcendum aduersarium: si destitutæ forent habitatoribus, aliunde aduocarentur Leuitæ, & alij Hebræi; non fierent ibi arma bellica, retia venatoria, funes, aut aliquid tale; ne sub prætextu aliquid emendi, vindex sanguinis illuc veniret, homicidamque interficeret; si homicida esset תַּלְמִיד *thalmid*,

Paraphr. — b c. 20. 8. c. 21. 27. — c ibid. — d ibidem. — e ibidem. — *Ciuitatum refugij conditiones decem.*

thalmid, hoc est, discipulus, præceptor eius cum illo exulare cogeretur; si Rabbi, schola ipsius in ciuitatem refugij transferretur: ne liceret ea ciuitate refugij discedere, & ad suos redire, donec Pontifex moreretur. Ex his non paucæ conditiones declaratæ sunt cap. 35. libri præcedentis. De mystico sensu earumdem ciuitatum refugij dicā eodem loco. Repetit Hugo nonoulla in commentario [a] Iosue, Iordanem de Baptismo interpretans: vt citra Iordanem, id est, ante Baptismum, triplex remedium fuerit, circumcisio, oblatio, fides parentum: vltra, hoc est, post Baptismum ieiunium, oratio, eleemosyna; ex Ambrosio tres vltra Iordanem, inquit idem Hugo, sunt; integritas, in se imaginem Dei exprimendo; caritas, cum toto corde, tanquam patrem, diligendo; humilitas, eidem tanquam Domino seruiendo: citra Iordanem ambitio, id est, desiderium, & cura, propitiationis peccatorum; adimpletio præceptorum; euitatio inhibitorum. Addit omnes ciuitates esse in montibus, id est, in eminentia bonæ vitæ: esse Leuitarum, quos Ambrosius fugaces exponat, vt fugaces fugacibus commutantur; fugientes nimirum eū Iacob in Mesopotamiam à facie [b] Esau; qui quercum significans denotet fugiendam carnem cum lucta magna, quam Iacob significat, versùs Mesopotamiam, quæ vocationis eleuationem importans insinuet abstinentiam; quod confirmat exemplo Ioseph fugientis pallio relicto [c]: Eliæ à facie [d] Iezabel, hoc est, à sterquilinio (quod vult etymon esse Iezabel) mundi, ad Oreb, id est, claustrum, quia siccitatem valet; ibi autem fluxus luxoriæ per nocturnas vigilias, diurna ieiunia, assiduas disciplinas penitus desiccatur: Ioseph & Mariæ in Ægyptum à facie Herodis; qui Herodes pelliceum sonat, siue deceptorem diabolum, qui pellibus multos decipit à cuius facie fugiendum sit in Ægyptum, hoc est, in mœrorem pro peccatis. Lege Glossam ordinariam & Lyranum citato loco Iosue; & quæ cap. 35. prioris libri attulisse me paulò ante dixi.

Ciuitatum refugij sensus mysticus.
a in c.20.
b Gen. 27. 43.
c 39. 12.
[illegible] etymon.
d 3. Reg. 19. & [illegible] 39.

Bosor.] Scribitur Hebraicè, Chaldaicéque בֶּצֶר *Betser*, Græcè *Βόσορ*; fitque de eadem mentio in libris [e] Iosue, Paralipomenon [f], Machabæorum [g]. Erat ea ciuitatibus Leuitarum, sicut reliquæ ciuitates refugij, tam citra, quam vltra Iordanem; attributa verò filiis Merari Leuitis inferioris gradus [h]; præterea inter munitas magnásque connumerabatur [i]. Etymon Hieronymus [k] tradit *in angustia*: Beda [l] *in angustia mea, tribulans me, caro, annuntiatio*. Valet בּ *be*, *in*, & צַר *tsar*, *angustiam*, siue *tribulationem*. Pronomini nullus in hac voce locus: carnem בָּשָׂר *basar* significat vel *pellem*, vel *hominem*, vel *propinquum*, vel etiam *pudenda*, seu *virile membrum*: verbum autem בִּשֵּׂר *bisser* in piel *nuntiare*, lætum scilicet nuntium, & quasi carneum, id est, suaue & molle, quod Græcè dicitur *εὐαγγελίζειν*: rectéque aptari potest Euangelio, in quo annunciatum ac euangelizatum est gaudium magnum [m] de Verbo quod caro factū [n] est. Ex radice בָּצַר *batsar*, *munire*, *roborare*, &c. בֶּצֶר *betser* significabit *munitionem*, *turrimve fortem*: qualem fuisse Bosor modò retuli. Vsitatum est porrò literam צ *tsade* conuertere in literam S. vt patet in *Sion*, & similibus. Docet Arias [o], quoniam in Rubenitica regione, ad quam Bosor spectabat, nulla erat illustris vrbs editiore loco sita, delectam esse Bosor magnam, & in campestri planissimóque tractu ædificatam, quæ sui conspectum longè latéque dilatabat. Potuit esse *ἀχυρὰ τῷ τείχει*, fortis siue munita & magna, vt in historia Machabæorum citata cognominatur, nec in edito tamen loco: immò tanto magis muniri debuit, quo per se ex loci conditione ac situ minùs munita erat. Quare quod antea de montibus relatum est ex Hugone iuxta tropologiam, verum erit pro maxima parte, non omnino de omnibus. Masius [a] notat vocatam aliter בָּצְרָה *Bosra*: & à Ieremia [b] constitui in Moabitidis planitie, hoc est, in campis, quos Moabiticos, inquit, vocare solemus: ex Machabæorum verò historia certum esse eam extitisse in deserto; quia illic Galaaditidis nomine vocatur vniuersa regio, quæ cis Iordanem est Israelitis assignata: fuisse verò in Rubenitarum hæreditate positam trans Arnonem longiusculo interuallo, sicut Hebron, non in ipsa Iudaicæ hæreditatis extremitate, sed interiùs pro primo à meridie asylo: differre ab alia Bosra, quam Esaias [c] apud Idumæos collocat, siue sic appellata sit à murorum firmitate, vt placet Hieronymo [d]; siue vt aliis, à vinearum vbertate, (בָּצִיר *batsir* enim vindemia est) comparationémque idem Propheta [e], & Ieremias [f], atque Abdias [g] à vindemiatoribus vsurpant cùm de Edom agunt, vbi illa erat, vt à re Idumæis valde familiari & celebri. Gasparis [h] Sanctij nostri posterior etymologia est, similibus aliis exemplis nominum propriorum locis attributorum confirmatis, & enumeratis triplicem eiusdem nominis Bosra, in Idumæa, de qua apud Esaiam [i], Ieremiam [k], Amos [l], Psalmo 59 [m]. & 107 [n]. cùm canitur, *quis deducet me ad ciuitatem munitam*, Hebr. Bosra, in Moab, de qua hoc loco, & Ieremias [o]; in tribu Manasse; de qua liber Iosue [p]; cùm tamen Hieronymus neget Bosram esse extra regionem Moab. Alter de nostris Christophorus [q] à Castro agnoscit duas dumtaxat in Moabitide, & in Idumæa. Quidquid sit de varia Bosra, & de eodem nomine Hebræo, vt est in Psalmis, quorum consuli commentarius noster potest; Bosor huius nostri loci Moabitica ciuitas est; alio præterea simili nomine vocata Bosra. Sed in libro Iosue [r] legitur filiis Gersō Leuitici generis de dimidia tribu Manasse data ex ciuitatibus confugij Gaulon in Basan, & Bosra: & filiis Merari, vt antè memini, Leuitis inferioris gradus de tribu Ruben vltrà (id est, citrà respectu in Chanaan habitantibus) contra Iericho Bosor in solitudine. At, quod non aduertit qui Bosram tertiam numerauit, in tribu Manasse [s], nominatur Hebraicè, Chaldaicéque non בֶּצֶר *betser*, sed בְּעֶשְׁתְּרָה *Beheshterah*, Græcè *Βοσοράν*. Præterea in Psal. 59 [t]. ciuitas munita vocatur מָצוֹר *matsor*: in 107 [u]. מִבְצָר *mibtsar*. Vtriusque tamen vocabuli eadem notio, & si designat ciuitatem Bosra, ea non est nostra Moabitica, sed in Idumæa. Denique nomen proprium viri Bosor & בֶּצֶר *Betser*, extat in Paralipomenis [x], & in commentario libri prioris [y], & Petri [z] docui Balaam dictum ea Bosor vel patre, vel patria.

e c.20. 8. c. 21. 36.
f 1. 6. 78.
g lib. 1. 5. 26. 28. 36.
h Iosue 21. 34. 35. 1. Par. 6. 77. 78.
Bosor siue Betser etymon.
i 1. Mach. 5. 26.
k de nom. Hebr. ex Deuter.
l de nom. Hebr.
m Luc. 2. 10.
n Ioan. 1. 14.
o in Iosue 20.
a ibidem.
b c. 48. 24.
c c. 34. 6. & 63. 1.
d ibidem.
e cap. 63. 2.
f cap. 49.
g vers. 1.
h in Esa. 34. num. 13.
i supra.
k c. 49. 13.
l cap. 5.
m vers. 11.
n vers. 11.
o c. 48. 24.
p c. 21. 27.
q in Ier. 49. num. 16.
r c. 21. 27.
s ibidem.
t vers. 11.
u vers. 12.
x lib. 1. c. 7. 37.
y in c. 22. 5.
z 2. epist. 2. 15.

In solitudine, quæ sita est in terra campestri.) Describitur iisdem verbis in libro Iosue [aa] (*quæ sita est in campestri solitudine*) ordine tantùm immutato, & Hebraicè etiam, atque Chaldaicè ac Græcè omisso nomine terræ (*in solitudine in campo*, vel *plano*, seu *planitie*.) Vltimum valet מִישׁוֹר *misor*, & *πεδίον*. In Paralipomenis [bb] (*Bosor in solitudine.*) Item [cc] quod Iosue legitur *Bosor in solitudine Misor*, &c.) non extat quidem sic in Hebræo textu, & Chaldæo, nec in Græco codicum Complutensium atque Regiorum: sed in Græco editionis

aa c. 20. 8.
bb lib. 1. 6. 78.
cc Iosue 21. 36.

tionis Sixtinæ, καὶ πλησίον τοῦ ἀρδώνος τοῦ κατ' ἰερειχώ ἀπὸ τ' ἀνατολῶν τοῦ ἰορδάνου ἐφυλαδεύθησαν ἀπὸ φυλῆς Ῥουβὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ, τὴν μισώ. Et trans Iordanem, quæ contra Iericho, de tribu Ruben ciuitatem refugium homicidæ Bosor in deserto, Miso: & in quibusdam codicibus, ἐν τῇ ἐρήμῳ τῷ μισώρ, in solitudine Misor. Sed suspicor Misor non esse nomen proprium ciuitatis, sed significare planitiem, quemadmodum in hoc loco nostro מִישֹׁר misor: vel munitionem, seu ciuitatem, מִבְצָר mabsor munitionis, id est munitam; quia istiua vt distinctæ ciuitatis nulla nec hic, nec alibi mentio. Vidi postea placuisse coniecturam hanc meam Leonardo Mario, qui simul admonet alium fuisse Bosram apud Esaiam. Hieronymus [a] tamen Misor ciuitatem Og regis Basan nominat; alique significare loca plana atque campestria.

a de locis Hebr.

De tribu Ruben.] Græcè (*ipsius Ruben*, τοῦ ῥουβὴν) quod alij minùs emendatè scribunt ῥουβίμ. Hebraicè Rubenitæ לָראוּבֵנִי *laruuoni*, id est, *Rubenitis*, siue *de tribu Ruben*, quod exprimitur Chaldaicè לְשִׁבְטָא דִרְאוּבֵן *lesciuta dereuuen*: & in libro Iosue [b] secundum omnes editiones (*de tribu Ruben.*)

b c.21.36.

Et Ramoth in Galaad.] De Galaad crebra præcessit mentio cap. 2 [c]. & 3 [d]. & libro priore [e]. Ramoth nunc primùm nominatur; in aliis postea locis [f], & sæpiùs cum adiectione Galaad; & semel [g] vt nomen viri proprium. Celebris autem fuit pugna regum Israël, & Iuda contra Syriæ regem pro loco siue ciuitate Ramoth [h]. Vocatur à Iosepho [i] Ramathon, & Aramatha [k] (iuxta alios [l] Arimanus aut Arimna: sed in Iosepho neutra nomina reperio. Sed Ramatham patriam Samuelis solum;) nec abest multum à Rabba versùs Austrum, seu Rabbath; quam Rabbath Hieronymus [m] testatur vocatam Philadelphiam à Ptolomæo Philadelpho: præterea [n] sua ætate vicum fuisse in quinto decimo milliario Philadelphiæ contra Orientem. Existimat porrò Masius [o], in libro Iosue [p] Masphe nomen iunctum nomini Ramoth nō denotare distinctum locū, sed eumdem qui dicatur Ramath-Masphe, id est, collis speculæ, siique hæc ipsa vrbs de qua agimus. Transcribit noster Magalianus [q] Masium nomine tacito: sed colles pluraliter vocat, cùm sit numeri singularis רָמַת *ramath*, & quidem in regimine à רָמָה *ramah*: vt etiam notauit Arias [r], confirmans ex Græco ἕως ἀραμώθ (aliàs ῥαμώθ) κατὰ μασσηφά (aliter μασφά) *vsque Araboth*, vel *Rameth iuxta Massepha*, aut *Maspha*. Vbi quidquid sit de duplici loco aut vnico (quod secundum probabile est) ratio scribendi prius vocabulum tum Hebraicè, tum magis Græcè, indicat differre à nostra Ramoth. Ibi, hoc est, in Ramoth (Græcè aut ῥαμώθ, aut ῥεμμώθ) Galaad, vncta est in regem Iehu, qui sanguinem sanguini miscuit, & Achab subuertit domum [s]: ibidem idolum consecratum est [t], quamuis habitaretur à sacerdotibus, & fugitiuorum ciuitas esset. Quanto igitur celebrior, ait Hieronymus [u], & maioris auctoritatis, tanto trans Iordanem habitanti Israël principium idololatriæ & malorum omnium fuit: vt qui primi peccauerant, primi ab Assyriis caperentur. Interpretans idem [x] Ramoth etymologice visionem mortis (vt sit רָאמוֹת *ramoth* à רָאָה *raah*, & מוֹת *moth*, *mors*) rectè, inquit, quicumque fugitiuus est (erat quippe ciuitas fugitiuorum) & propter peccata non meretur habitare in Ierusalem (nec tamen pro peccatoribus erant huiusmodi refugia, sed pro homicidis inuoluntariis) habitat in vrbe mortis, & est trans fluenta Iordanis, qui descensus exprimitur. Placuit rursus eidem Hieronymo [a] etymon idem, siue *vidit mortem*: & præterea excelsum signum (à רָם *ram* & אוֹת *oth*) vel excelsa (ab eadem radice רָם *ram*:) item Bedæ [b] excelsum signum, aut excelsa responsio. Sed responsionem hic non agnosco. Arias [c] ea notione pro culminibus colligit altiùs locatam fuisse istam ciuitatem: sicut & de sequenti nomine quod legit Galon, vt significat manifestum, siue reuelatam; quòd scilicet in conspicuo ac propterea in excelso loco esset. Postremò apud Ezechielem [d] sericum Latinè legimus, quod Hebraicè רָאמֹת *ramoth* scribitur, Græcè retento vocabulo Hebræo ῥαμώθ (aliter ῥαμμώθ) quæ quidam intelligunt corallia, vel aromata, vel amethystum, vel cornua aut pellem rhinoceroris qui רְאֵם *reem* nominatur; vel lapides pretiosos, seu pretij excelsi, hoc est, magni, vel subtilia, vel sericos floccos ex quibusdam arboribus, & bombycinos textus vnde vestes fiunt subtiles ac leues. Lege de nostris enarratores Ezechielis [e] Villalpandum, Maldonatum, Gasparem Sanctium, & qui sub prælo est Cornelium; item Pinedam in [f] Iob; ad ea verba; excelsa רָאמוֹת *ramoth*) *& eminentia non memorabuntur in comparatione eius.*

c vers.36.
d cap.13.15.16.
e cap.32.1.29.39.40.
f Iosue 13.26. c.20.8. c.21.37. 1.Reg.30.27. lib.3.4.13. c.22.3.4.12.15.20.29. lib.4. 8.28.29. c.9.1.4.14.1. Par.6.73. 80. lib. 2.18. 2.3.5.11.14.19.28. c.22.5.
g 1. Esd.10.29.
h 3.Reg.22. 3.& seqq.
i lib.8. antiq. c.5.
k Setar. in 3.Reg.22.
l Adricho. thea. terræ sanctæ in Gad. pag. 34. nu. 38.
m in Ezech. 25.
n de locis Hebr.
o in Iosue 13.26.
p ibidem.
q ibidem.
r ibidem.
s 4. Reg.9. 2.& seqq.
t ibid.c.10.29.
u in Osee 6.
Ramoth etymon.
x in Iosue 4.

a de nom. Hebr. ex Deuteron.
b de nom. Hebr.
c in Iosue 20.
d cap.16.
e suprà.
f in cap.28.18.

Quæ est in tribu Gad.) Hebraicè לַגָּדִי *laggadi*, *ipsi Gaditæ*, *seu Gaditis*, id est, ex tribu Gad. Eodem pacto Græcè τῷ γαδδί, *ipsi Gaditæ*, &c. Chaldaicè *tribui Gad*, לְשִׁבְטָא דְגָד *lesciuta degad*. Similia sunt in libro Iosue [g], & in Paralipomenis [h]. Verùm in his duplicem lego nomine Ramoth ciuitatem, vnam de tribu Isachar [i]; præter istam de tribu Gad. Quam distinctionem notauit quoque Abulensis [k]: Hugo [l] autem priorem ait aliter appellatam in libro Iosue [m] Iemarach. Voluit dicere Iarameth. Masius [n] quæ יַרְמוּת *Iarmuth* ea tribu Isachar vocatur, ait רָמַת *Ramath* quoque appellatā: in Paralipomenis autem רָאמוֹת *Ramoth*: & quamuis ad literas nonnullas immutata sint hæc nomina, tamen ab eadem positione duci: Longè verò diuersam esse vrbem illam Iarmuth Iudæorum non procul ab Esthaol positam.

g c.20.8.c.21.37.
h li.1.c.6.80.
i vers.29.
k in 1. Par. 6.
l ibidem.
m c.21.29.
n ibidem.

Et Golan in Basan.) De Basan dictum aliàs. Pro *Golan* (in Complut. & Regiis Bibliis *Golam*) est in libro Iosue [o], & in Paralipomenis [p] *Gaulon* vbique גּוֹלָן, licèt [q] bis scribatur גֹּלָן absque holem pleno, & cum litera ו *vau*, post ל *lamed*, quæ tamen non profertur; nomen verò totum pronunciatur Golan: Græcè γαυλών, aliquando in quibusdam libris γωλών, & in Sixtinis etiam nunc vno, nunc alio modo. Ex Eusebio Masius tradit vrbem Golan, siue Gaulon in prægrandi vico in Bethanæa, hoc est, in Basanitide dedisse amplæ atque vberi regioni nomen, quæ Gaulonitis appellatur: hanc verò duplicem esse; superiorem à Libano monte ad Lacum Genesaram, inferiorem à litore Genesaræ ad Gadaram vsque vrbem. Adrichomius [r] Gaulon, Golan, Gholan, Golam, Galon; Iosepho Gaulanam, Gaulanem, Gaulademan, Gaulalim docet insignem vrbem fuisse in Basanitide & Batanæa regionibus (scribit ac distinguit hoc modo) ex eius nomine etiam adiacens regio Gaulonitis, Gaulanitis, Gaulonitica, & Gaulanitica appelletur: ipsam vrbem ab Alexandro Iudæorum rege subactam esse: regionem autem cum Batanea, Trachonitide, & Paneade ab Herode seniore legatam testamento Philippo filio suo: ætate Hieronymi villam fuisse prægrandem. Testatur id ipse in tractatu de locis

o c.20.8.c.21.27.
p li.1.c.6.71.
q in libro Iosue.
r the. terræ sanctæ in Manassa. pag.87. nu. 54.

Hebraicis

Hebraicis, scribens גולן, & Latinis literis Gaulon & Galon; constituénsque in regione Basanitide, & in Bethanta (Bathanæam sic quoque vocari testatur Adrichumius [a], & Bataniam, & Batanæam, Bethaldim) affirmans etiam ad eius nomen regionem sortitam vocabulum esse. Videtur ibi regiones distinguere Basanitidem & Barbanæam: sicut & in tractatu de nominibus [b] Hebraicis, distinguit vt diuersa nomina Golan & Gaulon, illud interpretans transmigrationem eorum, vel volutabrum eorum: hoc volutationem eius. Beda item in simili tractatu exponit Gaulon volutabrum, volutationem, inuoluentem eum, inuolutationem eius: Golan transmigrantem eos, vel volutationem eorum. Adrias [c] exponens Galon manifestum, siue reuelatum, infert, vt antè retuli de Ramoth, indicari hoc nomine ciuitatem istam, sicut & illam, altiùs fuisse locatam. Valet גלל *galal voluere*: גלה *galah discooperire*, ac *reuelare*, vnde גליון *ghillaion*, *volumen*, in quo reuelantur ac manifestantur quæ ignoramus; & specula in qua quæ sunt posita conspiciuntur, inde verò etiam ipsi opposita. Priorem radicem sequitur Hieronymus; Arias posteriorem; Beda ex priore sumpsit aliam significationem, videlicet transmigrandi. Cæterùm trium ciuitatum hîc nominatarum tropologiam iuxta nominum etymologias affert Magalianus [d] noster, vt Bosor significans munitionem & tribulationem denotet aduerso aliquo casu afflictis præsidium, adiutorium, refugium in Altissimo Deo, atque ipsius protectione [e] esse, tanquam in munita refugij seu asyli ciuitate. Vel si Bosra sumatur, & exponatur in tinea legis, aut explorationis (de quo etymo satis dubito) insinuet quem morsus & quasi tinea conscientiæ ideo vexat quòd legi Dei & legis exploratoribus, id est, magistratibus, non faciunt satis, asylum sibi constituant in ipsa tinea legis & explorationis per magistratus factæ. Deinde vt Ramoth, & Golan excelsa & conspicua ipsissimet suis vocabulis loca designantes, admoneant suarummet homicidas, per peccatum animarum, ad culmina mysteriorum fidei per Euangelium reuelatæ, sibi festinandum; vbi Leuitarum, sacerdotúmque colloquiis, & vsu Sacramentorum detergentes peccati fœditatem, velut in asylo tuti sint à dæmonum incursionibus tantisper, dum probè norint absque Christi summi Pontificis morte aditum ad patriam cælestem patere non posse.

a sup. n. 24.
Golan & Gaulon, siue Galon etymon.
b ex Deut.
c in Iosue 20.
d in Iosue 20. 8.
e Ps. 90. 1. 2.

Quæ est in tribu Manasse.] Hebraicè, & Græcè (*ipsi Manassensi*, seu *Manasse*) Chaldaicè (*tribui Manasse*) quemadmodum priùs de Ruben, & Gad. Eodem modo in libro Iosue [f]: aliàs [g] verò exprimitur quòd erat de dimidia tribu Manasse; quæ scilicet acceperat possessionem citra Iordanem.

f cap. 20. 8.
g c. 21. 27. & 1 paral. 6. 71.

Vers. 44.] Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israël:

Vers. 45.] Et hæc testimonia, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto;

Vers. 46.] Trans Iordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filij quoque Israël egressi ex Ægypto.

Paraphr.

RECtè Lyranus poni docet hic intentam conclusionem in hoc capite: ad hoc enim replicatam legis dationem, declarando eminentiam eius, & legislatoris (Dei nimirum) vt per hoc redderetur filij Israël attenti ad intelligendum & retinendum legem, quæ erat declaranda & replicanda capite sequenti, ac inde vsque ad finem libri. Idem affirmant Abulensis & Marzilla. Vatablus præfationem nominat in Decalogum. Hîc verò vix est quod exigat annotationem.

Explanatio.

Ista est lex.] Præposita coniunctio ו *ve* in textu Hebræo & Chaldæo potest connexionem insinuare cum iis quæ inde à capitis exordio dicta sunt in legis commendationem, Deique legislatoria, atque in idololatria reprehensionem. Quasi diceret Moses; vt ad propositum itaque reuertamur: siue, hæc itaque est lex. Quo pacto nectunt Vatablus, & apostata Munsterus, aliique. Signat verò hîc lex, ait Abulensis, omne genus præceptorum indifferenter.

Quam proposuit Moyses.] Hebraicè שם *sam*, *posuit*; & quidem ordine quodam, & ad singularem obseruationem: quod valet etiam Chaldæum סדר *saddar*, necnon *instruere*. Græcum verbum est *παρέθετο*.

Coram filiis Israël.] Tribus omnes intelliguntur, licèt aliquando Leuitæ censeantur exclusi, vt sæpiùs notauimus.

Præcepta moralia.

Et hæc testimonia.] Moralia præcepta Lyranus vult significari, distincta à Decalogo, hunc per nomen legis. In priore membro Abulensis per legem quidem, vt retuli, omnis generis præcepta; per testimonia verò quæ Decalogo continentur, tanquam pacta conuenta inter Deum & populum, populo ipso audiente à Deo illa, siue ab Angelo in eius persona, reliqua per Mosem. Insinuatur id per verbum proponendi in membro præcedente. Synonymè tamen aliquando sumuntur testimonia pro quolibet genere præceptorum. Verùm hoc loco accipi pro moralibus videntur; quoniam istis Deus maximè voluntatem suam testificatur, hócque veluti pacto & conditione populum Hebræum tanquam peculiarem elegit. Sub vocabulo autem moralium non intelliguntur præcisè ad morales virtutes pertinentia, vt à Theologicis distinguuntur, quia & de his sunt præcepta primæ tabulæ Decalogi; sed omnia quibus mores nostri boni efficiuntur. Reliqua præcepta ceremonialia & iudicialia sunt quædam veluti adminicula priorum, vt faciliùs & meliùs obseruentur, & Dei voluntas, quæ est sanctificatio nostra [a], adimpleatur.

Testimonia pro quolibet genere præceptorum.
a 1. Thess. 4. 3.

Ceremonialia.

Et ceremoniæ.] De hoc nomine actum alibi, & חקים *chukkim*, קימיא *kiamaiia*, *δικαιώματα*; quamuis de aliis quàm de ceremonialibus nomina illa nonnumquam dicantur, vt & iustificationes, quas propriè vocabulum Græcum significat.

Iudicialia.

Atque iudicia.] Tertium est hoc genus præceptorum, quæ iudicialia cognominantur, spectántque ad causas forenses, & ad certos ius enique dicendi ac faciendi modos; quos quæuis natio proprios & peculiares habere solet, quemadmodum & ceremoniales ritualésve leges. Vt propterea solius primi generis præcepta, quæ Decalogo comprehendebantur, vim habeant obligandi omnes homines, vtpote iuris naturalis per se ac immediatè, vt aliàs admonuimus.

Quæ

Quæ locutus est ad filios Israël.] Additur Græcè (ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in eremo*, siue *deserto*, siue *solitudine*:) & pro (*locutus est*) habetur ἐνετείλατο, *præcepit*. Moses omnium ipse, Decalogo excepto, reliqua locutus est ac præcepit: Decalogum Deus Deive referens personam Angelus protulit.

Decalogus à Deo traditus.

Quando egressi sunt de Ægypto.] Non ipso egressu, sed postea in monte Sina, lapsis circiter diebus 40.

Trans Iordanem.] Id est, citra Iordanem, scilicet antequam transirent Iordanem, inquit Abulensis: quod sæpiùs quoque notatum est. Indicatur autem hîc repetitio vniuersæ legis; quoniam ante 40. annos iam lata fuerat in Sina, vt modò dixi.

In valle contra fanum Phogor.] De vocabulis fani, & Phogor repete alibi annotata: & quòd aliter legatur (*Phogor*:) & (*contra*) idem sit quod (*iuxta*) vel (*è regione*) מוּל *mul*, לְקָבֵל *likbel*, ἐγγύς: & pro fano *domus*, בֵּית *beth*, οἶκ⊘. Vatablus nomen גַּיְא *gai*, pro quo *vallis* redditur, Chaldaicè חֵילְתָא *chelitha*, & Græcè φάραγξ in Scholio; vt Gai nomen proprium loci vertere videtur, qui locus apud Hieronymum [a] bis notatur eo modo scriptus Latinè, sed semel Hebraicè ־ג, vbi castra filiorum Israël fuerint, ac Hieronymi tempore vocaretur Gaia in Palæstina iuxta ciuitatem Petram: semel vt hîc, quod interpretatur, inquit, vallis Moab iuxta Phogor, vbi sepultus est Moyses. Locus ergo qui hîc describitur, ad vltimam pertinet mansionem nomine Abelsatim [b]; vbi inter alia, quæ aliàs [c] recensuimus, fornicatus est populus, & idolum Phogor coluit [d], allatum à Moabitis mulieribus ad vallem subiectam monti; in quo erat fanum idoli eiusdem.

Contra pro iuxta.

a de locis Hebræ.

b Num. 33. 49.

c ibidem.

d cap. 25.

In terra Sehon regis Amorrhæi.] Erant illa loca campestria & plana, per quæ tunc transibant Hebræi, ex Moabitarum regione; sed occupata à rege Sehon Amorrhæo, vt alibi [e] docui.

Qui habitauit in Hesebon.] Quæ prius erat Moabitarum ciuitas; & à qua tanquam ab insigniore denominatus est Sehon rex Hesebon; vt cap. 2 [f]. vidimus, & 3 [g]. adhuc repetitur cap. 29 [h]. & alibi [i].

e Num. 21. 26. c. 33. 48. 49.

f vers. 24. 26. 30.

g vers. 2. 6.

h vers. 7.

i Iosue 9. 10. c. 12. 5. c. 13. 10. 21. 27.

Quem percussit Moyses.] Chaldaicè (*occidit*) קְטַל *ketal*. Per seipsum id factum à Moyse Abulensis notat, egresso cum aliis pugnatoribus, ad bellum, licèt iam magnæ ætatis, scilicet 120. annorum [k]. Quod Imperatoris geritur voluntate & auctoritate, ipsimet Imperatori ascribi solet, etiamsi ipse per se immediatè id non gerat.

k Deut. 31. 2.

Filij quoque Israel egressi ex Ægypto.] In editione nostra periodi principium hîc incoatum, & cum sequenti versu eadem contexta sententia, auellit hæc verba à priore membro; cum quo iungitur secundùm alias editiones; ducendo initium nouæ periodi ab iis quæ sequuntur; illo sensu; vt significetur cum Moyse alios; illúmque cum aliis vicissim, ac vnà Imperatorem cum reliquis, ad bellum processisse. In priore libro [l] scribitur, quòd Sehon ab Israële percussus est in ore gladij: & quòd hic habitauit nominatim in Hesebon, quam Sehon pugnans contra regem Moab occupauerat cum omni terra ditionis eiusdem vsque Arnon; inde nato prouerbio: *Venite in Hesebon, ædificetur, & construatur ciuitas Sehon*, &c.

l c. 21. 24. & seqq.

Vers. 47.] Possederunt terram eius, & terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem ad Solis ortum:

Vers. 48.] Ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, vsque ad montem Sion, qui est & Hermon.

Vers. 49.] Omnem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam, vsque ad mare solitudinis, & vsque ad radices montis Phasga.

Moui præcedentis aote istos, partem vltimam versus, aptari commodiùs & coniungi versui eidem absque nouitate periodi: ita vt non referatur ad 47. qui est primus ex modò recitatis; sensus autem sit quòd cum filiis Israël Moses, hicque cum illis, percusserunt Sehon regem. Quia verò cum percusso Sehon intelligitur occupatum regnum ipsius: exprimitur id hoc loco, simúlque quòd possederint Israëlitæ terram Og regis Basan: quorum amborum ditio quàm latè pateat describitur. Vbi etiam supponitur percussum fuisse atque occisum Og, perinde vt Sehon; quemadmodum citato libri [a] præcedentis loco narratur.

Paraphrasis.

a c. 21. 35.

Possederunt terram eius, & terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum.] Editiones aliæ particulam coniungentem præfigunt: componentes ex vltimo membro prioris versus, & ex eo quod ibidem præcedit sententiam per se integram, eo modo, quem iã bis dixi. Dicuntur porrò possedisse filij Israël regis vtriusque Sehon, quem designat pronomen (*eius*) terram, licèt habitauerint in illa tribus tantùm duæ Ruben, & Gad, atque dimidia Manasse; quoniam ius fuit commune aliis etiam tribubus ad possidendum: & de illarum consensu cum Moyse, concessa fuit duabus illis & dimidiæ possessio. De Basan & Og actum aliàs.

Explanatio.

Qui erant trans Iordanem.] Hîc (*trans*, πέραν בְּעֵבֶר *beheber*) idem valet quod versu 46. & alibi; quia hi reges eorúmque regna citra Iordanem erant & Chanaan.

Ad Solis ortum.] Erat illa terra magis orientalis respectu terræ, quam postea nouem tribus & dimidia habitauerunt.

Ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon.] Sic in priore [b] capite; *tulimúsque illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem, à torrente Arnon, vsque ad montem Hermon*: item; *& tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad vsque ad torrentem Arnon medium torrentis & confinium vsque ad torrentem Ieboc*, &c. Prætereà cap. 2 [c]. *ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est vsque Galaad*. Ex illis locis disces quid sit Aroër, quid Arnon: de quorum secundo adhuc mentio fuit in libro priore [d], & in cap. 2 [e]. ac. 3 [f]. libri nostri; de priore in prioris cap. 32 [g].

b v. 8. 16.

Arnon & Aroër quid.

c vers. 35.

d c. 21. 13. 15. 24. 26. 28. c. 22. 36.

e v. 24. 36.

f vers. 8. 12.

g vers. 34.

h vers. 8.

Vsque ad montem Sion, qui est & Hermon.] De Hermon in cap. 3 [h]. & hoc loco scribitur Græcè cum mendo ἀερμών in Bibliis Complutensibus, Regiisque; immò & Sixtinis tam hîc, quàm ibi: sed in aliis ibi rectè ἑρμών. Alius differt à monte

Ierosolymitano adeò celebri totiésque memorato: & aliter exprimitur hic noster in aliis editionibus, nempe שׂיאן *Sion*, per ש *sin*, cum puncto in sinistro cornu, & א *aleph*, post י *iod*, Græcéque σηών, cuius litera secunda est ita quòd proferri deberet per e, ac proinde Seon: aliter dictus ille alius mons; videlicet צִיּוֹן *Tsion*, per צ *tsade*, & Græcè σιών per iota secundo loco, & simplex sigma in primo, vt aliis similibus contingit. Eidem monti nostro duplex nomen erat hic positum Sion & Hermon: præterea vt est in citato cap. 3. secundùm Sidonios Sarion, secundùm Amorrhæos Sanir. Cùm autem in Psalmo 132 [a]. canitur, *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, non significatur idemmet mons bifariam nominatus; nec Hermon mons citra Iordanem coniunctus monti Sion Ierosolymitano vltra illum, à quo tam longè distat. Sed quòd, vt notat ad præsentem locum libri nostri Leonardus Marius, Sion ille mons non minus conueniat ad comparationem illic Dauidi propositam, quàm Hermon: vt sit sensus; *sicut ros Hermon*, & supplendo particulam (*sicut*) *& sicut ros, qui descendit in montem Sion*. In eius Psalmi commentario notaui hunc dicendi modum, & alios: præterea idem nomen σηών adhuc extare in libro Iosue [b], vbi שִׂיאֹן *sion* ש *sin* punctum gerente in dextro cornu, & habente ו holem plenum: Latinè Seon; sed corruptè in codicibus Complutensibus & Regiis Senon. Hieronymus [c] appellans Seon vel Soen, in tribu Issachar collocat, suóque tempore ostensam ait villam iuxta montem Tabor. Oportet diuersi à nostro loci nomen esse, quod & Abulensis [d] hîc rectè demonstrat de synonymo nomine Hermon, vt conuenit isti nostro Sion, siue Seon, diuersum esse à monte qui est vicinus monti Thabor: accidere autem non infrequenter in sacra Scriptura vt duo loca habeant idem nomen. Postremò admonui quod legitur in Ecclesiastico [e]; *quasi cypressus in monte Sion*, legi Græcè ἐν ὄρεσιν ἀερμών: exponique à Iansenio, & Paulo de Palatio, de isto nostro monte: reieci verò expositionem Agellij ad citatum Psalmum, in eo Psalmo Sion & Hermon esse nomina eiusdem loci.

a verf. 3.
b c. 19. 19.
c de loc. Hebr.
d quæst. 9.
e c. 24. 17.

Omnem planitiem.] Retinuerunt L X X. vocem Hebræam עֲרָבָה *hharaua*, scribendo ἄραβα. Aliter vocantur campestria Moab, vbi vltima mansio fuit; & aliter vocari Araboth Moab, testis Hieronymus [a], referens ab Aquila exponi humilia siue æqualia Moab, vt & quamuis eremum vocat ὁμαλόν, id est, *æqualem, & planam*, propter planitiem: à Symmacho campestria Moab: suo tempore adhuc locum fuisse iuxta montem Phogor, euntibus à Libidiade in Esbum Arabiæ contra Iericho; qui vocetur Araba; & hanc planam etiam ab eodem Aquila transferri, à Symmacho vel campestrem, vel inhabitabilem; à Theodotione occidentalem. Notauimus hoc aliàs: & verisimile est illi planitiei nomen Araba proprium fuisse.

a de loc. Hebr.

Trans Iordanem.] Id est, citra respectu Chananææ; trans & vltra respectu adhuc existentium in regione Amorrhæorum, & qui nondum transmisso Iordane peruenerant in Chanaan, vt sæpissimè notatum est.

Ad orientalem plagam.] Eodem modo quo in versu 47. (*ad Solis ortum*) vbi phrasis non variatur secundùm alias editiones.

Vsque ad mare solitudinis.] Ex Hebræo & Chaldæo vertendum esset *vsque ad mare quod est in planitie*; quia id valet יָם הָעֲרָבָה *iam hharauah*, יַמָּא מֵישְׁרָא *iamma mesera*: sicut initio versus istius planitiem reddidit Interpres pro עֲרָבָה *hharauah*; sed Græcè erat ἄραβα: hîc autem omittitur expositio huius membri. Mare solitudinis & planitiei synonymè dicuntur, accipiendo planitiem & vocem illam Hebræam pro solitudine, seu eremo cum Aquila, vt retuli ex Hieronymo: & sub hoc ipso epitheto solitudinis occurrit adhuc alibi mare [b]: additúrque [c] idem esse cum eo quod vocatur mortuum: & idem est etiam cum mari salso, salsissimo, salinarum; mari primo, orientali, Sodomitico; item cum lacu Asphaltite, siue bituminis, vt alibi dictum est.

b Iosue 3. 16. 4. Reg. 14. 25.
c Iosue 3. 16.

Et vsque ad radices montis Phasga.] Similia sunt in c. 3 [d]. & præterea mare deserti, quod, inquit textus, est mare salsissimum. Hebræa vtrobique omnino eadem sunt תַּחַת אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה *thachath asdoth happisgah*, & Chaldæa תְּחוֹת מַשְׁפַּךְ מְרָמָתָא *thechoth maspach meramatha*: Græca ibi, ὑπὸ ἀσηδὼθ τὴν φασγά: hîc, ὑπὸ ἀσηδὼθ τὴν λαξευτήν; licèt vtroque loco textus Complutensis, & Regius habeat ἀπὸ σηδὼθ τὴν φάραγγα. Significat autem ὑπὸ ἀσηδὼθ τὴν λαξευτήν, sub Asedoth excisam sub effusionibus collis, siue sub radicibus collis, quæ fontibus rigari solent. Sed relege commentarium prioris capitis.

d verf. 17.

ARGVMEN

ARGVMENTVM CAPITIS QVINTI.

REPETIT Moyses in vltima mansionis loco circa Iordanis fluenta, populo audiente, Decalogum legis: & mentione facta de ingenti pauore, quo maiores eiusdem populi dum Deus illa decem præcepta proferret, perculsi, rogauerunt, vt reliqua præcepta non Deus, sed Moses ipse exponeret, narrat id approbatum à Deo, se autem tunc solum in montem ad illum ascendisse. Agendum erit de præceptis iisdem, quod in Exodo [a] fieri solet, quem nos librum omisimus.

a c. 20. 2. & seqq.

CAPVT QVINTVM.

1. Vocauitque Moyses omnem Israëlem, & dixit ad eum: Audi Israël ceremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.

2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, & viuimus.

4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.

5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius. timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait:

6. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.

7. Non habebis deos alienos in conspectu meo.

8. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.

9. Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me,

10. Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.

11. Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustrà: quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius assumpserit.

12. Obserua diem Sabbati, vt sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.

13. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

14. Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.

15. Memento quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi vt obseruares diem Sabbati.

16. Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in Terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17. Non occides.

18. Neque mœchaberis.

19. Furtúmque non facies.

20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

21. Non concupisces vxorem proximi tui: non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.

22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens ampliùs: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixistis:

24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam. vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo

Deo cum homine, vixerit homo.

25. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltrà vocē Domini Dei nostri, moriemur.

26. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuētis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere?

27. Tu magis accede: & audi cūcta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerísque ad nos, & nos audiētes faciemus ea.

28. Quod cùm audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti.

29. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis & filiis eorum in sempiternum?

30. Vade & dic eis: Reuertimini in tentoria vestra.

31. Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant ea in Terra, quam dabo illis in possessionem.

32. Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexterā, neque ad sinistram:

33. Sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.

Vers. 1.] Vocauítque Moyses omnem Israëlem, & dixit ad eum: Audi Israël ceremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.

Paraphr. TAmquam aliud principium scribitur hoc, ait Caietanus, ad insinuādum, quòd alio die sermonem hunc habuit ad populum Moses: priorem enim sermonem prima die vndecimi mensis absoluit; tum narrando progressum à monte Sinai vsque ad Iordanem; tum declarandu conditiones legis & traditionem eius; adiuncta monitione de cultu vnius Dei, generalíque obseruatione legis. Obseruat quoque Rickelius non potuisse omnia verba huius libri vno die proferri ad populū; sed vitandi fastidij causa, quolibet die certam propositam partem. Attentum porrò reddit & beneuolum populum vniuersum, quē consueto buccinæ signo siue tubæ, de quo egimus [a] alibi, conuocat, séque agere præsertim velle dicit de ceremoniis, quibus colatur Deus, quæ vocantur ceremonialia præcepta; & de iudiciis, iudicialibúsve præceptis, quæ pertinent ad honestam ac iustam conuersationem peculiariter mutuò seruandam. Sub hoc vtroque præceptorum genere moralia comprehendi debent Decalogo contenta, qui paulò pòst recitabitur, & quidem magis sub iudicialibus, vt alibi [b] notaui. Sed quia is, vt dixi, à Deo immediatè pronunciatus est, audientiam sibi fieri Moses postulat, propter alia quæ ipse per se locutus est: sed ita vt quæ tradiderit, & illi audientiori studeant opere complere, quia de rebus agendis

a Num. 10. 7.
b in Leuit. 18. 5.

sunt, vsúmque ac praxim, ne frustrà dicantur & discantur, requirunt.

Vocauítque Moyses.] Probabile est quod antigi, datum tunc signum præscriptum; vt scilicet quando congregandus esset populus, simplex tubarum clangor ederetur, & non concisè vlularent [a].

Explanatio.
a Num. 10. 7.

Omnem Israelem.] Non ita frequenter vtitur Interpres noster hoc nomine in casibus obliquis; sed ordinariè vsurpat indeclinabiliter. Prioris exemplum fuit cap. 1 [b], & libro [c] præcedente semel ac iterum; præterea in sequenti [d], & Iudicum [e], & [f] aliis reperitur nonnumquam: numquam verò secundùm editionem Græcam.

b vers. 38.
c c. 23. 23. c. 24. 1.
d c. 23. 1. 2.
e c. 8. 35 c. 10. 2. 3. cap. 14. 4

Et dixit ad eum.] In editionibus aliis (*ad eos*, vel *eis*) quia sumitur Israël collectiuè pro multis; quemadmodum nomen populi, & similia. Cæterùm Abulensis [g] refellit accipientes hoc loco Israël pro principibus multitudinis totā multitudinem in virtute. Omnes, inquit, conuenerunt, principes & maiores natu, doctores, totus populus, liberi & vxores, & aduenæ qui morabantur in castris; exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportabant aquas. Nam c. 29 [h]. hus omnes isto modo exprimit, dicens quòd stabant coram Domino Deo. Idipsum asserunt c. r [i]. vbi nos tamen eiuscemodi miraculum negauimus videri necessarium, vt adeò multi exaudire possent vnum loquentem Mosem. Consule ibi dicta.

Israël pro multis.
f 1. Reg. 3. 21. c. 7. 15. 16. 17. c. 19. 5. lib. 2. 3. 19. lib. 4. 17. 18. 1. Paral. 21. 3. c. 26. 30. li. 2. 1. 2. c. 29. 24. Iere. 2. 31.
g quæst. 1.
h v. 10. 11.
i quæst. 2.

Audi Israel ceremonias, atque iudicia.] Vocabula sunt חֻקִּים *chukkim*, & מִשְׁפָּטִים *misspatim*, קְיָמַיָּא *keiamaiia*, & דִּינַיָּא *dinaiia*, δικαιώματα, & κρίματα: quæ crebrò aliàs occurrerunt, & rectè hîc & aliis nonnullis locis, distinctè accipiuntur pro ceremonialibus atque iudicialibus præceptis; quæ duo genera videtur Moses maximè velle hoc libro recitare, quamuis inserat Decalogum, qui est de moralibus, vt sæpiùs admonui.

Quæ ego loquor.] Loqui simpliciter significant דֹּבֵר *dover*, מְמַלֵּל *memallel*, λαλῶ. Alioquin aliquando vsurpat Interpres loqui pro eo quod Græcè est *præcipere*; vt priore [k] c. vbi cum ceremoniis & iudiciis testimonia ponuntur, quæ vltima de moralibus præceptis exponi posse docuimus.

k vers. 45.

In auribus vestris.] Si voluisset Interpres eumdem sequi numerum quem paulò ante posuerat, reddere debuisset (*in auribus tuis*.) Est autem pleonasmus emphaticus, loqui in auribus, id est, ita clarè & distinctè, vt exaudiri ac intelligi posset: quemadmodum Esdras stans super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, legisse narratur, vt notat Hugo, in libro legis Moysi apertè, in platea, corā multitudine virorum & mulierum, cunctísque qui poterant intelligere, & in conspectu sapientium, de mane vsque ad mediam diem, & aures omnis populi fuisse erectas ad librum [l]. Transtulit Chaldæus paraphrastes in hoc loco nostro (*coram vobis*, קֳדָמֵיכוֹן *kedmechon*.) Eiusdem formulæ, hoc est, loquendi in auribus alicuius, alia suppetunt exempla, de Abimelech ad seruos [m]; de Iuda ad Ioseph [n], quem nondum vt fratrem agnouerat: de Ioseph ad familiam Pharaonis [o]: de Deo iubente vt Moyses narraret in auribus filij sui, & nepotū [p]; & vt traderet auribus Iosue [q]; de aliis [r]; & iterū c. 32 [s]. eādémque vim habet auribus audire, percipere, aures intentas esse, &c. Tales quoque phrases apud profanos auctores facilè reperias.

Loquendi in auribus alicuius formula.
l 2. Esd. 8. 3. 4.
m Gen. 20. 8.
n c. 44. 18.
o cap. 50. 4.
p Exo. 10. 2.
q c 17. 14.
r 1. Reg. 8. 21. c. 18. 23. cap. 25. 24. Iob 33. 8. Prou. 23. 9. Iere. 26. 15. c. 28. 7. cap. 29. 29. cap. 36. 35.

Hodie.] Græcè (*in die hac*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ.) Dies, vt dixi, videtur distincta fuisse, atque diuersis diebus diuersas Mosem proposuisse partes legis: quamuis in isto libro idem sensus nunc sub iisdem, nunc sub aliis verbis frequenter

s vers. 44.

esprimatur, ad inculcandam legem duris cordibus Iudæorum, inquit Rickelius.

Discite ea, & opere complete.] Futuri temporis verba sunt in editionibus aliis: quod tempus imperatiui loco sæpe seruit: & pro *opere complere*, habent *seruare*, seu *custodire ad faciendum*. In c. priore [a]: *scitis quod docuerim vos*, &c. *sic facietis ea*, &c. *& obseruabitis, & implebitis opere*. & c. 30 [b]. *vt audiamus & opere compleamus*. & c. 31 [c]. *vt audientes discant, & timeant Dominum Deũ vestrum, & custodiant, impleántque omnes sermones legis huius*. Non extat in his locis secundùm editiones alias verbum significans *complere*, aut *implere*: quæ tamen verba indicant perfectam executionem legis, vt nihil desit; atque sic sint opera plena; quod cuidam defuisse legitur in Apocalypsi [d]: consequitur verò qui Dei dilectionem habet, quia plenitudo, πλήρωμα, legis dilectio [e], quia omnia bona opera nostra vnum opus est caritatis, ait Augustinus [f]; omne mandatum, inquit Gregorius [g], de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola caritate solidatur; & totam Creatoris disciplinam principali illo præcepto cócludi Tertullianus [h] asserit. *Qui scit, & facit, beatus* [i]: *sciens Domini voluntatem, & non faciens, vapulabit multis* [k]: *non vt sciamus addiscimus ethica, sed vt boni fiamus* [l]. Qui facit & docet, magnus [m]: sed & qui quæ discit opere complet: qui audit & discit à Patre, éstque docibilis Dei, venit ad Christum [n]; qui Christus suam doctrinam professus suam non esse, sed Patris à quo missus [o] est, cœpit facere & docere [p]. Verùm eadem hac de re alibi plura.

a vers. 5. 6. b vers. 12. c vers. 12. *Complendi, pue implendi verba.* d cap. 3. 2. e Rom. 13. 10. f in Ps. 89. g hom. 27. in Euang. h 5. cont. Marcion. c. 14. i Ioan. 13. 17. k Lucæ 14. 48. l Arist. 2. Ethic. c. 2. m Matth. 5. 19. n Ioan. 6. 45. o cap. 7. 16. p act. 1. 1.

Vers. 2.] Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

Vers. 3.] Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, & viuimus.

Paraphr. QVia legis olim datæ in Sinaĩ siue Horeb, mentio de nouo fieri debet, ac repetendus Decalogus, à Deo ipso ibi prolatus: id autem tunc factum est, populo promittente obedientiam, custodiámque illorum præceptorum, & aliorũ prætere a per Moysem propositorum; atque in eius rei confirmationem celebratum est sacrificiũ, erectíque tituli duodecim pro numero tribuum; & victimarum sanguinis partẽ fudit Moyses super altare, partem eiusdem respersit in populum, appellans sanguinẽ fœderis, quod pepigisset Dominus cum illis super cunctis sermonibus pronũciatis [q]: idcirco nunc meminit de dicto fœdere. Negat autem fœdus illud pactúmve initũ à Deo prius cum patribus istius populi; vel comprehendendo primos Abraham, Isaac, Iacob; & intelligẽdo de mutuo quasi contractu vtriusque partis, sese promisso obligantis, quod cum illis non contigit; licèt Abraham solenne sacrificium fecerit [r]: vel iisdem exclusis, prout modò dixi, intelligendo quòd non solùm pepigit Deus fœdus, & iniit pactum cum progenitoribus eorum, quos tunc Moses alloquebatur; sed etiam cum istis ipsis; & quia pertinebat quoque ad istos, etiamsi tunc non existerent; & quia quamuis qui egressi fuerant ex Ægypto ætate 20. annorũ, mortui essent in deserto, infra eam ætatem egressi poterãt tunc audiuisse, adhúcque superesse, & prætere a computatio illa ætatis 20. annorũ non erat pro tribu Leuitica: & quia siue viuerent illi ipsi patres qui fuerãt ante 40. annos in Sina, siue non, pacti ac fœderis obligatio, quãtũ ad leges saltẽ ceremoniales vsque ad illud tempus non obligabat, vt nec antequam ingressi essent in terram promissam, quod breui admodum futurum erat; qua ratione quodammodo viuentium, cùm iã loquebatur Moses, magis proprium fœdus seu pactum videri poterat. Itaque non obstat, quòd post diluuium dixerit Deus; *Ecce* [a] *ego statuam pactum meum vobiscum*: & ad Abraham [b]; *ponam fœdus meum inter me & te: tu ergo custodies pactum meum*. Ratiocinatur ad hunc modum Abulensis. Hugo refert Glossam interlinearem, declarantem exclusos Abraham, Isaac, Iacob (quod Rickelius amplectitur, & Marzilla, & Lyranus) & obiicit illis promissam terram, vt est in c. 1 [c]. libri nostri, & alibi: tum respondet intelligi pactum de lege scripta, quam illi non acceperant, immò nec nomen suũ Adonai [d] indicauerat sicut Moysi: deinde, quia non minùs quàm hi, mortui erant illi, qui præsentes fuerant cùm lex ferretur in Sinai, ab annis 20. & suprà; ait pactum nó fuisse cum Abraham, Isaac, Iacob, vt de Ægypto transirent in terrã promissionis; vel quòd eis personaliter, inquit, daret Deus illam, sed istis: postremò cum Augustino [e] asserit, quòd cum illis patribus, qui mortui sunt in deserto, nó pepigit Dominus hoc pactum, sed cum istis, quibus loquebatur Moyses: & quia nonnulli adhuc superstites erant, dicit nó esse initum pactum cum illis, vt personaliter intrarẽt, sed cum istis, id patribus. Quid ni etiam cum iis, qui erant infra vigesimum annũ, & ob rationis vsum poterant pacti capaces esse? Augostini responsio est; illos qui non ingrediuntur in terram promissionis, quia mortui erant omnes, non pertinere ad hoc testamentũ, siue fœdus, pactúmve, quorũ tunc recognitio, id est, recẽsio ac enumeratio facta est, cùm a viginti annis ætatis & supra numerarentur vsque ad quinquaginta annos, habiles ad bellum: locutum tamen dici Dominũ iis qui viuebãt eo tempore quo hæc dicebat Moyses, quia ex viginti annis & infra potuerunt multi tunc esse, qui hoc benè meminissent, alieni ab illa pœna, quam Dominus constituit illis, qui tunc numerati sunt, non intrare in terram promissionis: & hos vtique appellari à Moyse, qui quamuis viginti annorum & supra non essent, quando Deus in monte loquebatur, vt numerari tunc possent; potuerunt tamen annorum decem & nouem, & infrà vsque ad puerilem ætatem, qui possent illa quæ facta & dicta sunt & videre, & audire, & memoria retinere.

Augustinum transcripsit Rabanus, & Glossa, pluresque sequuntur eumdem. Theodoretus [f] fauet, docens nó cum patribus initum pactum; quia propter transgressionem perierant; his verò aliis terram promissam daturus Deus erat: vt idcirco censeatur & legẽ iisdem istis dedisse; quam videlicet seruaturi erant, & adimpleturi quantum etiam ad ea quæ nó poterant seruari ac adimpleri extra terram promissã. Procopius exclusos sentit Abraham posterósque illius; qui, inquit, opus non habebant fœdere Mosis ministerio exciso; quoniam iusto lex posita non [g] est: nec vtique iusti quotquot ante Mosẽ fuerunt, legẽ Mosis obseruarunt. Oleaster attingens priores dicẽdi modos explicat Hebræũ textũ vt sit sensus, non sunt vel extãt patres nostri, cum quibus Deus fœdus hoc percussit, quoniã nobiscum etiã percussit: nos ipsi sumus hîc hodie omnes nos viuẽtes, cũ quibus etiã percussit; licèt patres nostri non sint nũc, cum quibus Deus fœdus hoc percussit, parui refert; quoniã nobiscũ etiam percussit, qui ipsi hîc hodie viuẽtes sumus.

q Exo. 24. 1. & seqq. r Gen. 15. 9. & seqq. a Gen. 9. 9. b cap. 17. 2. c vers. 8. & seqq. d Exo. 6. 3. e quæst. 9. f quæst. 1. g 1. Tim. 1. 9.

Videtur

Videtur id R. Abenezra docere; nec Vatablo displicet. Affirmat verò præterea Oleaster ceptum istud pactum cum Abraham & semine illius, de lege etiam aliquando danda, non de circumcisione tantùm, quæ fuerit veluti signum, seu sigillum, & protestatio. Sed quia plenum & consummatum pactum non est factum, nisi cum populo Hebræo post egressum de Ægypto, ac legem datam; ideo vult hic negari initum cum patribus, id est, nō plenè & cōsummatè. Ex nostris Sa, Cornelius, Mariana post Caietanū & Vatablum, itémque Leonardus Marius; explicant, supplendo (*non tantùm*) vt sit sensus quòd nō tantùm cum patribus, qui viuebāt, cùm daretur lex, initum est fœdus, verùm etiam cum multis, qui adhuc viuebāt, quando Moses hæc loquebatur. Vtuntur exemplo Genesis [a]; *nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*, id est, non tantùm Iacob, sed etiā Israël. Præter enarratores quos hactenus protuli, videtur Irenæi [b] expositio esse quam perstrinxit citatus Procopius. Scribit enim quòd omnis multitudo eorum qui ante Moysem fuerunt, sine lege Moysi iustificabantur: & quòd patribus non disposuit Dominus testamentum, quia lex non est polita iustis: iusti autem patres virtute Decalogi conscriptam habentes in cordibus & animabus suis legem; diligentes scilicet Deū qui fecit eos, & abstinentes erga proximum ab iniustitia; propter quod non fuit necesse admoneri eos correptoriis literis, quia habebant in semetipsis iustitiam legis. Cùm autem hæc iustitia & dilectio, quæ erat erga Deum, cessisset in obliuionem, & extincta esset in Ægypto; necessariò Deus propter multam suam erga homines beneuolentiam, semetipsum ostendebat per vocem: & eduxit de Ægypto populum in virtute; vbi rursus fieret homo discipulus & sectator Dei: & subaffligebat indicto audientes, vt non contemnerent eum qui se fecit: & manna cibauit eos, vti rationalem acciperent escam, &c. Cæterùm Oleaster benè obseruat prudentiā Moysis pactum proponentis ante legis explicationem, vt ostendat obligationem: & simul hinc quanti Deus populum fecerit, & quàm ipse imperfectus fuerit, cui pacti ac legis obligationem imponere oportuerit. Considerat verò Caietani Scholiastes Fonseca, quòd maiestas tanta dignata sit pactum componere cum calamitosissimo mortaliū genere; &, vt cecinit Dauid [c], memor esse hominis ac reputare eum. Adde, quòd non solùm admisit & permisit hominis secum amicitiam, sed imperauit etiam sub grauissimā interminatione. Priuilegium datæ legis auctor libri quarti Esdræ [d], licèt apocryphi, amplificat, scribens quòd dominator Dominus ex omni sylua terræ & omnibus arboribus eius elegit vineam vnicam: ex omni terra orbis foueā vnā: ex omnibus floribus lilium vnum: ex omnibus abyssis repleuit sibi riuum vnum: ex omnibus ædificatis ciuitatibus sanctificauit sibimetipsi Sion: ex omnibus creatis volatilibus nominauit sibi columbam vnam: ex omnibus plasmatis pecoribus prouidit sibi ouē vnā: & ex omnibus multiplicatis populis acquisiuit sibi populum vnum; & ab omnibus probatam legem donauit huic, quem desiderauit, populo. Hebræorum commentum est, quia cap. 33 [e]. libri nostri dicitur quòd Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est, & apparuit de Pharā, priusquam legem daret Hebræis venisse ad Idumæos filios Esau, apud quos est Seir; & ad Ismaëlitas filios Ismaël, apud quos Pharan: sed cùm recusassent legem accipere, venisse ad filios Israël in Sinai. Priuilegium fuit solius Hebræi populi, ex quo Messias oriturus erat.

[a] c. 32. 28.
[b] lib. 4. cap. 30.
[c] Psal. 8. 5.
[d] c. 5. 23. & seqq.
[e] vers. 2.

Illius autem loci sensus alius est, vt suo tempore dicetur: illeque probabilis quòd visus sit Deus cum gloria magna; perinde ac si veniret & exoriretur vt sol ex dictis locis.

Dominus Deus noster.] Coniungit suam cum reliquis personam, vt caritatis erga proximos, & versùs Deum indicium grati animi. Aliis autem de causis interdum in persona secunda Dominum Deum aliorum cognominat.

Pepigit nobiscum fœdus.] Græcè πρὸς ὑμᾶς, *ad nos*, siue *nobiscum*: cùm tamen Hebrææ quoque & Chaldææ editioni nostra sit similis. De phrasi ipsa dictum aliàs est, déque כָּרַת *charath*, & בְּרִית *berith*; διατίθεσθαι, & διαθήκη. Legit Augustinus [a] (*disposuit ad vos testamentum*) Synonyma sunt fœdus, testamentum, pactum in Scripturis diuinis, licèt distinctio nonnulla secundùm vocabulorum proprietatem tradi possit.

In Horeb.] Oreb minùs emendatè quandoque scribi notatum aliàs: & pro Sina, seu Sinai accipi. Aspiratio est in חֹרֵב *choreb*, & χωρήβ.

Non cum patribus nostris iniit pactum.] Omissum est nomen (*Dominus*) & pronomen (*hoc*) in fine. Pro pacto est sicut priùs בְּרִית *berith*, & διαθήκη: & eadē verba כָּרַת *charath*, atque διατίθεσθαι: pro (*nostris*) ex Græco verti deberet (*vestris*) τοῖς πατράσιν ὑμῶν: legitque Augustinus [b] (*non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc.*) Quos patres intelligat, an patriarchas Abraham, Isaac, Iacob, an eos qui post egressum ex Ægypto mortui fuerant in deserto, antea docuimus: & quod rectè supplea tor (*non tantùm*) id est, non tantùm cum patribus nostris Dominus iniit pactum; sed nobiscum, vt habetur membro sequenti.

Sed nobiscum.] Græcè, *sed ad vos*, ἀλλ' ἢ πρὸς ὑμᾶς: quo etiam pacto legit Augustinus [c].

Qui in præsentiarum sumus, & viuimus.] Iuxta Hebræū Chaldæúmque textum (*sed nobiscum, nobis ipsis hic hodie vniuersis nobis viuentibus*, id est, qui sumus hic hodie omnes viuētes.) Qui modus loquēdi magis fauet expositioni de patribus qui mortui sunt in deserto. Monet autem Hugo (*in præsentiarum*) poni pro (*in præsenti*) genitiuum pro ablatiuo: Abulensis esse vnam partem, id est, dictionē, atque aduerbiū temporis. Græca retinent personam secundam, ὑμεῖς ὧδε πάντες ζῶντες σήμερον: & apud Augustinū [d] recitant quasi nectendo cū sequentibus (*sed ad vos hic omnes viuentes hodie facie ad faciem locutus est Dominus ad vos in monte è medio ignis.*) Verùm seiunguntur sententiæ in aliis tū editionibus, tum libris, quamuis in Complutensibus ac Regiis habeatur ὑμεῖς δὲ, (*vos autem*) inserendo (δὲ) atque potiùs in Augustino iudicarem dispunctionem minùs rectā esse, quæ inutilem tautologiam inducit. Quod additur de omnibus, explicandum quòd cum omnibus eo tempore ac loco viuentib. pactum initū est in Sina, quatenus promissū cōplebatur in iis, licèt non iidē omnes potuerint ob ætatis defectū excipere legem, seu pactum, ac promissiones: & aliqui postea nati fuerint in deserto. Quod attinet ad (*in præsentiarum*) adhuc semel occurrit in Genesi [e], vbi est Hebraicè Chaldaicéque (*sicut die hac*) Græcè (*sicut hodie*) כַּיּוֹם הַזֶּה *chaiom hazzeh*, כְּיוֹמָא הָדֵין *cheioma haden*, σήμερον: hoc autem loco est duplex aduerbium loci & temporis פֹּה הַיּוֹם *poh haiom*, הָכָא יוֹמָא דֵין *hacha ioma den*, ὧδε σήμερον. Extat præterea in Exodo [f], Leuit. [g] Paralipom [h]. Sed ex his in primo loco nihil est quod respondeat in editionibus aliis: alia duo habent (*in die hac*) vel (*hodie.*) In præsens, in præsēti, in præsentia, vt idē sunt quod, nunc temporis, boni linguæ Latinæ Scriptores vsurpant: de aduerbio *in præ-*

Explanatio.
[a] quæst. 9.
[b] suprà.
[c] ibidem.
In præsentiarum, pro in præsenti.
[d] ibidem.
[e] c. 50. 20.
[f] c. 22. 15.
[g] cap. 8. 14.
[h] lib. 2. 18. 4.

fentiarum nullum exemplum affert Nicolaus [a] Perottus, quamuis de illo meminerit, vt de integro vocabulo, scribens *impræsentiarum*, quemadmodum & de impræsentia, quod hoc etiam loco notat Abulensis. Quod mihi certè non probatur. Vlpianus [b] vsurpat vt duas voces *in præsentiarum*. Laurentius [c] quoque Valla reprehendit in quadam epistola quemdam, quod scripsisset (*ad præsens scribendum videatur*) pro (*impræsentiarum*.) Hugo Card. vult esse genitiuum pro ablatiuo. Ioannem [d] Filesacum postea legi, qui præter Vlpianum citat auctorem [e] ad Herennium, Tacitum [f], Apuleium [g].

a in Martial. seu in Cornucopia col. 177.
b D. quod vi aut clam. l. Prætor.
c 3. antidoti in Poggium circa lib. 7. epist.
d lib. 1. select. cap 14. pag 226.
e lib. 4.
f lib. 4.
g lib. 3.

Vers. 4.] Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.

PARAPHR. Pertinet hoc etiam ad priuilegium Hebræi populi, vt cum ipso Dominus Deus familiariter ageret, alloquens eum non per homines, sed per seipsum, quamuis Angelorum opera repræsentantium personam illius. Quod eueniit quando in monte Sina præmissis fulguribus ac fulminibus audita sunt à populo Decalogi præcepta; populus autem perculsus ingenti pauore, flagitauit ne is deinceps loqueretur, sed Moyses, ne fortè morerentur [h]. Hoc ipsum satis antea declaratum est, solùmque restat explicare quid esset Dominum loqui facie ad faciem, cùm in præcedente [i] cap. dictum sit vocem quidem eius auditam, similitudinem verò, seu formam, imaginémve minimè visam. Est itaque hoc nihil aliud, quàm locutum Deum esse in promulgando Decalogo, non per internuncium hominem, sed per seipsum, id est, per Angelum qui personam Dei gerens ita videatur loqui formans vocem, ac si Deus ipse loqueretur. Quod significant illæ voces [k], *ego Dominus Deus tuus*, &c [l]. *ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Quare differt videre facie ad faciem, & loqui facie ad faciem. Loquebatur Moses cum Deo, Deúsque vicissim cum illo facie ad faciem; sed vt faciem Dei videret Moses petiit, nec impetrauit [m]. Vnde reddit hunc loco Paraphrastes Chaldæus *loqui verbum verbo*; id est, apertè: & Hebræis idem est esse ad faciē, & esse præsentem. Posset porrò etiam per synecdochem toti populo tribui quantū etiam ad alia præter Decalogi præcepta, facie ad faciem locutum huic Deum, quod soli Moysi præstitum est, vt deinde proponeret populo. Docet Augustinus [n], quem alij passim consectantur, hac dicendi formula insinuari rerum euidentiam, & quodammodo præsentiam manifestatæ diuinitatis, de qua dubitaru nemo posset: propterea nihil prohibere de ipso Moyse hoc intelligi, quòd facie ad faciem locutus sit cum eo Dominus; sicut solet loqui homo ad amicum [o] suum (aliter ore ad os, palàm, non per ænigmata & figuras [p] ita vt nec ipse aliquid oculis viderit præter ignem sicut alij: vel si quid ampliùs vidit, quia intrasse narratur in nebulam, aut nimbum, vbi erat Deus [q]; non mortalibus oculis vidisse substantiam Dei, quod in fine concedendum beatis Apostolus [r] affirmat, qui nunc vident per speculum in ænigmate. Idem iudicium ferè de Iacob, qui vidisse se dixit Deum facie ad faciem [s], de Gedeone, qui Angelum [t]: indicatur namque præsentia, quamuis cum quadam specie visibili & assumpta.

h Exo. 20. 19.
i vers. 12.
k infrà v. 6.
l Exo. 20. 2.
Videre facie ad faciē, & loqui facie ad faciem differunt.
m c. 33. 13. & seqq.
n quæst. 9.
o Exo. 33. 11.
p Num. 12. 8.
q c. 24. 18.
r 1. Cor. 13. 12.
s Gen. 32. 30.
t Iudic. 6. 22.

Explanatio. *Facie ad faciem locutus est vobis.*] In editionibus aliis (*vobiscum*, seu *ad vos*, עִמָּכֶם *bhimmachem*, seu *bhimmachon*, πρὸς ὑμᾶς.) In Chaldæa; vt retuli, *verbum verbo locutus est*, מַלֵּיל עִם מַלֵּיל *mamlal bhim mamlal mallel*, additúrque in eadem & aliis duabus, *nomen Domini*. Exposui porrò vim phrasis: pro familiari apertoque colloquio, siue se videans colloquentes, siue non videant: quemadmodum in libro priori [a] scribitur, quòd ore ad os loquebatur Dominus Moysi: vbi Chaldæa se habet eodem prorsus modo quo hic. Ibi expendi tales loquendi modos, docuique præsentiam familiarem significare: & os accipi pro facie. Delrius noster inter adagia hoc recensens [b], demonstrat plus esse facie ad faciem loqui, quàm præseptem præsenti, nēpe familiariter; quamuis id in tenebris fiat, vel etiam inter cæcos: tantū abest vt inde possit ostendi visam Dei essentiam à Moyse, quam nō esse visam ipsemet significat in Exodo [c], & in vniuersum à nemine Ioannes [d], ac Paulus [e]: cum Moyse vigili frequentiùs & apertiùs Deum egisse, quamuis nō absque speciebus phantasiæ impressis, nec sine Angeli opera in forma plerumque visibili, in qua referret personam Dei; cū aliis nec ita sæpe, & vel in somnis, vel in vigilia per visioné imaginariam, & sub figurarum ænigmatúmque inuolucris, vt virgæ vigilantis, ollæ succensæ, &c. aliis per nuncij, id est, ipsiusmet Angeli loquēris, persona: sicut visum Deum à Iacob nullus argumentatur ex eo, quòd asseruerit vidisse se Dominum facie ad faciē [f]; multò minùs à populo, vel cùm hoc loco dicitur ei locutus facie ad faciē; vel apud Ezechielem [g] adducturus eū in desertum, & iudicandum ibi cum illo facie ad faciem; ita nec de Mose illud affirmari posse: Dei visionem in patria accipi debere de clara essentiæ ipsius visione, quæ opponitur visioni per speculū in ænigmate [h]: in via prout dictum est: & sicut adhuc loquitur Ieremias [i] de duobus regibus colloquutis inter se per se, nō per nuncios, aut literas, *loquetur os eius* (Sedeciæ) *cum ore illius* (Nabuchodonosor ante cuius cōspectum adduceretur & sisteretur) *& oculi illius oculos eius videbunt*. Quod vltimum tamen dixi non requiri ad hoc, vt quis dicatur os ad os loqui, facie ad faciem, præsens cum præsenti. Rectè præterea Pradus [k] noster eamdem istam formulā de colloquutione mutua, familiari, confidente, velut inter pares, & amicos, non solùm de Deo cū Mose, verùm etiam cum populo. Quamquā vt de populo vsurpatur debeat intelligi aut semel dumtaxat cū Decalogus promulgatus est; aut ratione principis ac legislatoris sui Mosis: aut quia perinde Dominus visus est in deserto egisse cum illo ac si omni auctoritate abdicata rebus ipsis sustineretur causam, atque res transigeretur inter pares, Deúsque ipsemet sistens se iudicio examini exponere se, iustitia superare, non potentia vellet. Apud Ieremiā non indicatur familiaritas amica, quā plerumque denotant verba quæ tractamus, sed sistendum reum regem ante alium regem: vt quemadmodum congredi etiam hostes dicuntur, & manus conserere, non solū qui amici sunt; ita & ore ad os loqui, & ab oculis oculos videri, vt annotauit alter de nostris Gaspar [l] Sanctius. Existimat quoque Maldonatus [m] noster idem esse facie ad faciem loqui, ac solum cum solo, sine arbitris, testibus, interprete; ac fere idem atque in deserto, seu in solitudine.

a c. 12. 8.
Facie ad faciem loqui. di vis.
b tomo 2. adag. 29.
c c. 33. 20.
d c. 1. 18. 1. epist. 4. 12.
e 1. Tim. 6. 16.
f Gen. 32. 30.
g c. 20. 35.
h 1. Cor. 13. 12.
i c. 32. 4.
k in Ezech. 20. 35.
l in Ierem. 34. 3.
m in Ezech. 20. 35.

In monte.] In monte Horeb paolò antè [n] bis nominato, seu in monte Sinai, quæ sunt eiusdem integri montis duo nomina, vt sæpe dixi.

De medio ignis.] Sic aliquoties in præcedente [o] capite. Inde namque audita diuina vox proferens Decalogum, siue tabulæ duplicis decem præcepta. Cæterùm rectè infert Capponus instructionē facta prælatis à Deo, fieri quodāmodo toti populo, quia locutus dicitur populo, eo quòd locutus erat Mosi: ac proinde nō esse passim tractandas à laicis diuinas literas: nec ad concilium conuocandos:

n vers. 2.
o v. 12. 15. 24. 33. 36.

immò nec opus esse semper concilio, sed per se Pontificem res fidei posse definire, cui promissa est in Petro infallibilitas doctrinæ, & commissa totius gregis Christiani cura.

Vers. 5.] Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait:

PARAPHR. FAcie ad faciem, vt proximè dictum est, decalogum protulit ipsemet Dominus, id est, Angelus repræsentans non suam, sed illius personam, ac verbis vtens significantibus ipsummet esse qui loqueretur. Nunc narrat Moses, se multò fusiùs postea in isto ipso capite nostro, quia ferre populus non posset maiestatem tantam, ac mortem etiam vereretur, se pro ipso interuenisse atque intercessisse, sequestri, mediatoris, internuncij, interpretis, oratoris munere fungentem, & veluti legationis officium obeuntem, vt nomine eiusdem referret reliqua magis particularia præcepta, non moralia dumtaxat, ex quibus erant iam promulgata in decalogo; verùm etiam, ac potissimùm ceremonialia & iudicialia. Vbi simul videtur Deus tanquam auctor naturæ omninóque prima causa, prima & maximè generalia naturaliaque præcepta condere voluisse; quorum alia quæ per homines sancirentur quidam quasi rami & riuuli sunt; necnon conclusiones deductæ. Hugo ait in hoc

Moses Christi typus. Mosem apertè gessisse typum Christi, qui est verus mediator Dei & hominum, vtpote verus Deus, & verus homo. Ad quod citat ea Iob [a]; *non est qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* Eum etiam locum Pineda noster explicat de mediatore ac sequestro, quem Iob inter se Deúmque desideraret, atque quasi dexteram dexteræ iungeret ad litem componendam, fœdúsque & concordiam stabiliendam: Christo item conuenire hunc titulum ostendit siue medij, mediatoris, tertij, Angeli, internuncij; & iuxta ritum, de quo Herodotus [b], vt medius inter fœdus ineuntes, acuto lapide feriret volam ipsorum iuxta digitos maiores, floccóque sumpto ex amborum vestimento, septem lapides in medio positos inungeret sanguine, inuocando Dionysium & Vraniam inter vngendum; explicat de Christo, quòd data sit lex per Angelus in manu mediatoris [c], vt is quoque velori tetigerit ambas dextras fœdera ineuntium. Paulus [d] melius sortitū Christum scribit ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Sed idem Apostolus ad literam de nostro Mose loqui videtur in loco illo ad Galatas, vt placet etiam Epiphanio [e], Gennadio [f], Nazianzeno [g], Cyrillo [h] Alex. & aliis; licèt adaptent Christo Græci enarratores, Ambrosius præterea, Hieronymus & Augustinus, & posteriores non pauci. Iuxta expositionem de Mose, hic ab eodem Apostolo mediator vocatur, alludente ad hunc locum nostrum, & Exodi [i]; vbi ille pro populo, non audente ad Deum per se accedere, ab eo rogatus, mediatorē & interpretem se interposuit; vnde colligit minùs valuisse legē ad coniungendum cum Deo; vt potiùs præbuerit indicium alienati animi; cùm tamē Deus vnus atque idem, planéque immutabilis sit, ac sui sēper similis. Profectò Christus mediator vt Deus dici nequit, sed vt Deus homo factus; quod tempore Mosis non-

a cap. 9. 33.
b in Thalia.
c Gal. 3. 19.
d Hebr. 8. 6.
e hær. 66.
f in Schol. Cat.
g orat. 4. contra Greg. Nyss.
h 11. thesa. 10.
i c. 20. 19. 20.

dum erat, ac proinde ordinare non poterat legem, quando Hebræis data est in Sina: longè verò minùs per Angelos, qui scilicet dederint eā per manum, id est, per ministeriū illius; cùm ipse dux existat, princépsque Angelorum [a]. Denique noui Testamēti mediatorē Christū cognominat Paulus [b], mediatorémque vnum Dei & hominum [c], à quo Christo lex noua potuerit ferri vetere abrogata, quā quatenus Deus tulerat per Mosem; vt secundùm promissiones factas Abrahæ in semine eius, id est, in seipso ex Abraham nato benediceret omnes gentes, iustificando & saluando; mediatórque sic foret mediator duorum, nempe & Iudæorū, & Gentium; & duplici constans natura, humana & diuina, Dei & omniū hominum; sicut fuerat Moses eiusdem Dei & Hebræorum; & quidē Dei, qui vnus est, non alius Iudæorum, alius Gentiū; idémque auctor tum legis, tum Euangelij; & constanter impleri volēs id quod Abrahæ promiserat, de acquirenda per semen ipsius, hoc est, per Christum, ac fidē eiusdem, Euangeliúmque benedictione & iustitia; præmittendo priùs legē, quæ nos tanquam pædagogus produceret ad Christū. Porrò ex mediatore Mose argumentari licet aduersùs hæreticos, iniuriā Christo non fieri, si Sanctos asseramos mediatores, vt suis apud Deum precibus & meritis gratiam nobis impetrent, Deóque & Christo concilient, qui solus est conciliator, pacificator, redemptor, & vim Sanctis concessit, vt nos etiam iuuare dicto modo valeant. Quod ipsum illos facere probari multis modis posset, qui sunt in promptu apud Scriptores de controuersiis disputantes de cultu Sanctorū. Nec dissimili ratione cōfirmari posset de mutuis orationibus viuentium: quod aliqui præterea magis accommodatiè quam literaliter de Mose sacrificante interpretantes, peculiariter aiunt maximè cōuenire sacerdotibus nostris, necnon & prælatis, de quibus Bonauentura [d]. Tractant de Christo vt est mediator Dei & hominum Theologi cū Doctore Angelicō in 3. p. q. 26. & alij in 3. sent. d. 19. & Claudius Espencæus vna ex digressionibus in epistolas ad Timotheum, expositores itē Pauli ad loca priùs indicata, præsertim ex nostris Iustinianus & Magalianus: præterea Ludouicus Soto Maior in easdem epist. 1 ad Timotheum; & primus adhuc in epistolam ad Galatas: atque noster Pineda in Iob [e]. Bernardus [f] mediatricem cognominat B. Virginē ad Christum mediatorē, qui est ignis consumens, verendúmque ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat peccator à facie Dei: in Maria verò nihil austerū, nihil terribile, sed tota suauis est, omnibus offerens lac & lanā. Cyrillus [g] Alex. docet multos Sanctorum ac Mosem nostrum mediationis ministerio vsos esse: Christum noua & inaudita ratione mediatorem, nempe quoniam naturaliter & substantialiter & Deus & homo in vna hypostasi erat, & per se atque perfectè reconciliauit homines Deo.

a Hebr. 1. 4. & seqq.
b 8. 6. c. 9. 15. c. 12. 24.
c 1. Tim. 2. 5.
Sancti mediatores ad Dominum.
Mutuæ orationes viuentium.
d tract. de sex alis Seraphim c. 8.
e in c. 9. 33.
B. Virgo mediatrix ad Christū mediatorem.
f Serm. in id *signum magnum.*
g 12. Thes. c. 13.

Explanatio. *Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.*] Hebraicè (*ego stans*, עֹמֵד ... אָנֹכִי *anochi homed*, videlicet eram, vel fui, siue stabam, aut steti) Chaldaicè (*ego fui stans*, אֲנָא הֲוֵית קָאֵם *ana hauesiu kaem*) Græcè (*& ego stets, κἀγὼ εἱστήκειν.*) Interpres duplex nomen synonyma vt magis exprimeret vsurpauit (*sequester, & medius.*) Primi nullum aliud extat exemplum in sacra Scriptura. Sequester Modestino [h] est, apud quem plures camdem rem, de qua controuersia est, deposuerunt: dictus ab eo, quòd occurrenti, aut quasi sequenti eos qui contendunt, committitur.

h l. sequester. D. de verbor. signif. item l. licet in princ. & l. propriè. D. depos.
Sequester quis & vnde.

Gellius [a] (testatus veteres *sculnam* quasi sequlnam dixisse) nominis rationem tradit, quòd eius fidem vtraque pars sequatur. Isidorus [b] eum docet esse, qui certantibus medius interuenit; qui apud Græcos μίσγος dicitur: apud quem pignora deponi solent; & à sequendo dici, quod eius fidem vtraque pars sequatur. Extat eadem vox apud Plautum [c], Quintilianum [d], Senecam [e], Ciceronem [f], Virgilium [g], Tertullianum [h], Sidonium [i], Ennodium [k], Lucanum [l], &c. quamuis non eodem omnes modo; nisi quòd communiter sequestre dicitur quidquid medium est, vt noster notauit Cerda [m]. Sed plura Iurisconsulti, ac nominatim Andreas Cludius tractatu de iure sequestrationis. Hoc quidem loco medium eum sequestro iunxit Interpres: & quia inter duos est sequester, quisque medius mediatórve dicitur, propterea tertium alibi [n] appellauit, prout etiam vocatur in editionibus aliis שְׁלִישִׁיָּה *scelisciah*, שְׁלִישִׁי *thelithaa*, τρίτος: sed in deteriorem partem lingua [o] tertia; Græcè διπλῆ, *duplex* in multis codicibus, licèt in emendatis τρίτη, *tertia*; & in margine Vaticanii codicis τρίτη, πεπυρωμένη? *perforata*. Mediatoris nomen aliquoties [p] occurrit; non ita verò medij, nisi hoc loco, semel tantùm in veteri [q] Testamento, vbi testem addidit editio nostra cùm sit in aliis (*audiens inter nos*, שֹׁמֵעַ בֵּינֵינוּ *sciomabh benothenu*, ἀκούων ἀναμέσον ἡμῶν) aut (*testis inter nos*, עֵד בֵּינֵינוּ *sahid benana*: in nouo [r] sæpiùs, Græcè μεσίτης, pro quo non rectè Caietanus [f] dimidiatorem transtulit, quasi is qui legem promulgauit, genus humanum dimidiauerit, Hebræorum gentem segregando ab aliis nationibus. Illo modo ἡμισίτην oportuisset dicere, non μεσίτην, sicut dimidiare dies in Psalmo [t] Græcè dicitur ἡμισεύειν: præterquam quòd nec in vsu dimidiatoris nomen est; nec dicta de causa à Deo legem datam, vel à Mose promulgatam verum est; sed vt Hebræi externo illo cultu continerentur in religione ac pietate, tamquam segregati à reliquis per circumcisionem. Nec meliùs intercessorem alij reddiderunt; quoniam propriè intercedere olim dicebantur, qui legem promulganti reluctabantur. Ferri possunt, qui conciliatorem interpretantur, vt à Iustiniano [u] nostro notatum est; item qui interconciliatorem, interuentorem, interpretem, internuncium, auspicem, fideiussorem; vel etiam proxenetam, pararium, legatum, arbitrum, aduocatum. Is præterea [x] distinguens mediatoris acceptiones, pro illo qui aliqua actione duo inter se diuersa in vnum colligit, connectit, ac penè naturali vinculo coniungit: pro arbitro, internuncio, aduocato, soluente debitum alienum & satisfaciente, demonstrat Christo conuenire primum potissimum, ob vnionem hypostaticam in diuina & humana natura; & vltimam, propter pretium sanguinis proprij, atque satisfactionem pro peccatis nostris: his duobus modis vnicum ac solum Dei & hominum mediatorem fuisse, aliis alios quoque communicatos, quamuis in eis Christum præsignificarent, ac nominatim Mosen, vt docent ab Espenæo [y], pòstque hunc à nostro Iustiniano citati Basilius [z], Cyrillus [aa] Alex. Tertullianus [bb]; idémque iudicium de sacerdotibus tum priscis, tum nostris, quos nominant mediatores Anacletus [cc], Cælestinus [dd], Gregorius [ee], Ambrosius [ff], Hieronymus [gg], Nazianzenus [hh], Chrysostomus [ii], Theophylactus [kk], & alij quos diligenter commemorat Espenæus, in quibus & Lactantium [ll]; præsertim Græca, quæ eadem voce vtentur. Aliter ap-

a lib.20.c.10.
b 10. etymol lit.S.
c in Mercato. actu 4. scen.3 & in Ruden.
d lib. 12. c.8.
e de cõsol. ad Heluiam cap.12.
f 2.&4.Ver. pro Cluen. pro M.Cœlio.
g Æne.11.
h de patien. c.15.& li.de resurr.carn. & lib. contra Praxeã.
i in Maior.
k in decl.
l lib.10.
m in Æn. 11. v. 120. nota 12.
Mediatoris & medij nomina.
n Esa. 19. 24.
o Eccl.28. 16.19.
p Iudic. 11, 10.Gal.3. 19.20.21. 1.Tim.2.5. Hebr.8.6. & 9.15.c.12. 24.
q Iudic. 11. 10.
r locis notatis lit.d.
f in epist.ad Gala.3.
t Ps.54.24.
u in epist.ad Gal.3.19.
x in Timo. 2.5.
y digress.de med.c.1.
z de Spiritu S.c 14.
aa 3.in Ios. c.9.ll. 11.& 19 epist.1.
Dialo.t. de Tim.ll.3.& 4. cõtr. Iul.
12.the.c.10.
bb 1.cont. Marcio.
cc epist. 1.
dd ep.1 c.11.
ee 1.p.Past. c.11. ll.1.in 1.registri c. 24. 1. lib. Reg 2.li.2.
ff ora.1.prę-par ad misfam.
gg epist. ad Fabiolã, & in Malac.1.
hh in apol.
& ora. in Basil.
ii hom. de verbis Esa. & 4. de sacerdot.
kk in Heb.8.
ll lib.4.cap. 14.

pellatus à Græcis μεσεγγυητής, μεσέγγυος, ἐγγυαγωγεύς, μεσίδιος, συνθηκοφύλαξ, μέσαλος, μετάγος, μέσος δικαστής, διαιτητής; quo vltimo nomine Philo [a] de Mose scribens illum vocat simul eum nomine μεσίτης. Mediatoris vocabulum vsurpant Apuleius [b], Lactantius [c], Prudentius [d], cùm tamen Erasmus [e] neget apud Latinos auctores inueniri, duóque postremi agentes de Christo, & vltimus appellans mediatorem, & duplex genus, id est, natura duplici constantem, humana & diuina, Lactantius verò medium & μεσίτην. Isidorus [f] inter theologica vocabula connumerat mediatorem & μεσίτην, vt omittam Platonicos medios Deos. Porrò Augustinus [g] legens (*& ego stabam inter Deum & vos*) monet ne intelligas loco circumscriptum, sed quia demonstrationes eius in ea creatura quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur: & placuit Deo per Moysem audire populum cætera verba postea.

Vt annunciarem vobis verba eius.] Hebraicè, Chaldaicéque (*verbum Domini*) Græcè (*verba Domini*) alia nimirum præter ea, quæ iam audita fuerant à populo, id est, præter contenta in Decalogo. Hæc autem videtur mediatoris ratio & officium, vt esset velut internuncius, interpres, legatus, &c. quamuis fuerit etiam conciliator per preces ac sacrificia, quæ vna etiam est notio sequestris, & medij, siue mediatoris; necnon & arbiter, & potiùs iudex. Istis atque similibus muneribus functi sunt Apostoli, ac nominatim legatione pro Christo, vt reconciliarent homines Deo [h]: & vt nuncij Angeli ve annuntiabant [i], necnon & apostolici viri: quod ipsum Christo [k] tribuitur, & Spiritui [l] sancto, quamuis interdum aliis [m] idem tribuatur minùs propriè. Duodecim præcipuos ex discentibus, siue discipulis, lateri suo Christus adlegisse scribit Tertullianus [n], destinatos nationibus magistros, hoc est, Apostolos, quos hæc appellatio, inquit, missos interpretatur. Legatus à latere possis cognominare, quos canones venerandos, præcipiunt pro Papa, quia pars corporis eius sunt. Isidorus [o] distinguit quatuor genera Apostolorum, missos interpretans; vnum tantùm à Domino, vt Moysen: alterum per hominem & Deum, vt Iosue: tertium tantùm per hominem, vt his temporibus eos qui fauore populi & potestatum in sacerdotium subrogantur: quartum ex se, vt pseudoapostolos, & pseudoprophetas.

Timuistis enim ignem,] Secundùm editiones alias (*à facie ignis.*) Timere à facie hominem vsurpat etiam editio nostra in Ieremia [p]. De istomet ignis timore mentio fit c.18 [q]. de igne autem super quem Dominus descendit in Exodo [r], déque timore ob tonitrua, fulgura, clangorem buccinæ: & cap. priore [s] nostri libri sæpius de igne.

Et non ascendistis in montem.] Prohibuerat Dominus, ne in eum ascenderent, nec tangerent fines illius sub mortis intermínatione, siue homo esset de populo, siue iumentum [t].

Et ait.] Hebraicè atque Chaldaicè (*dicendo*, לֵאמֹר *lemot*, & לְמֵימַר *lememar*) Græcè (*dicens*, λέγων.) Quod refertur ad Dominum, inter quem, & populum dixerat Moyses sequestrem se & medium fuisse, quamuis non in iis quæ mox recitantur ex Decalogo, sed in aliis, vt iam non semel præmonui. Augustinus [u] declarat (*dicens*) id est, cùm diceret. Negari non potest satis remotè ac obscurè verbum siue participium positum esse; idémque Augustinus [x] notat non referri ad Moysen:

a 3.de vita Mosis & li. de somniis.
b 9.de asino aur.
c lib.4. cap. 25.
d hymno de natali Christi.
e in Prud.
f 7.etymol. cap.5.
g quæst. 20.
Mediatoris officiũ quod.
h 2.Cor. 5. 20.Ephes.6. 20.
i actuum 4. 2.c.11.20.c. 13.32.38.c. 14.14.c.16. 17.c.17.3. 18.23.c.20. 20 27.c.26. 20.1.Cor.2. 1.cap.9.14. Phil. 1. 17. 18.Coloss. 1.28, 1.Ioã. 1.5.5.8. ep. vers.2.
Legati à latere.
Apostolorũ genera quatuor.
k actuum 10.36.
l Ioan.16. 13.14. 15. 25.
m 1.Cor.2. 26.1.Pet.2. 9.
n de præscrip.c.20.
o 2.de offic. cap.5.
p cap.1.8.
q vers.16.
r c.19.16.& seqq.
s vers. 12. 15.33.58.
t Exo. 19. 12.13.21. 23.24.
u in locutionib.
x quæst. 20.

Moysen: sensum verò esse, & ego stabam inter Deum & vos in tempore illo annunciare vobis verba Domini; quoniam timuistis à facie ignis, & non ascendistis in montem, cùm diceret, subaudiendo, Dominus.

Vers.6.] Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.

Paraphr.
a de decal.
b 3.antiq.c.4.
c in Exod. 20.
d ibid.q.2.
e c.20.s.2.
f ps.80.11.
g in catech.

PRæfatio est ista quodammodo ad sequentia decalogi præcepta (tametsi Philo [a], & Iosephus [b] ad primum pertinere præceptum putent, necnon Caietanus [c], & Hebræi apud Abulensem [d]: (& concedi posset componendo vnum ex duabus partibus, quarum prior affirmatiua sit, altera negatiua:) quæ totidem verbis recitatur in Exodo [e]; vbi locutus dicitur Dominus cunctos sermones hos. In ea beneficium illud eximium liberationis de Ægyptiaca seruitute ponit præ oculis populi, quemadmodum totidem adhuc verbis apud Psalmographum [f]. Aptè autem Decalogum exorditur, inquit Canisius [g] noster, à notitia sui, & ab insinuatione maiestatis suæ, vt cognitum legislatorem magis reuererentur, eiúsque propositis mandatis, maior apud eos auctoritas constaret.

h in Exod. 20.

Excellentiam naturæ Caietanus [h] in his verbis obseruat, propter nomen Iehouah incommunicabile: & propter Elohim, quod iudicem gubernantem denotat in iudicio & iustitia: & propter cultum latriæ à populo exhibendum, appellando Dominum Deum ipsius: & propter beneficium de quo dixi. Item per Iehouah ait manifestari fontem essendi: per pronomen (*ego*) vnitatem: per vtrumque credendum esse in illum, & sperandum, & caritate prosequendum atque colendum: cùm autem verbum nullum inseratur, indicari omnes actiones nostras ei deberi. Similia Lipomanus tradit de Deo, qui sit subsistentia & fortitudo omnium rerum; fons omnis bonitatis & donorum; quæ proponat priusquam deos falsos interdicat; simul innuens potentiam in eo, quòd Hebræos liberauit de tam dura seruitute, atque huiusmodi veluti triumphale assumens epithetum, vtque assuescamus ex operibus illum cognoscere, non scrutari essentiam. Quomodo etiam creatorem se nominat cæli & terræ; Deum qui apparuit patribus: & nato Christo pater eiusdem denominari voluit. Etsi autem populo peculiari promolgatus est Decalogus, communis tamen omnibus est, vt crebrò monui; nec Iudæi tamen, vt Prosper [i] voluit, inde dicti quòd receperint, portauerint, secuti fuerint ius Dei: nisi fortè alludere voluit, vt credendum est, ad nomen Latinum; vt faciunt alij circa nomina alia; cùm certum sit denominari à Iuda patriarcha, hunc à confessione.

i 1. de præd. & promiss. c. vlt.
Iudæi vnde dicti.
Iudas vnde.

Digredi nunc liceret in Dei dominium absolutum, merum, ac mixtum, plenum, directum, liberum, independens, indeterminatum, perpetuum, sine fine, sine violentia, sine defectu potestatis, iuxta quemlibet titulum habendi, possidendi, fruendi, vtendi, disponendi circa res omnes præsentes, futuras, possibiles, circa earum substantiam, instrumenta, potentias, accidentia, actiones; quoniam est Dominus dominorum dominantiúmque [k], ac princeps regum terræ [l]; & ipsius est magnificentia, potentia, gloria, regnum, diuitiæ, virtus, magnitudo, imperium. Hinc varia illa trita epitheta Dei absconditi, Dei deorum, Dei magni, Dei cæli, & terræ, Dei maiestatis, clementiæ, refugij, pacis & dilectionis, spei, totius consolationis, viuentium, viuentis in sæcula, &c. præterea Domini totius creaturæ, vniuersorum, vltionum, iudicij, Sabaoth, seu exercituum & virtutum, cæli & terræ, mortis & vitæ, gloriæ, vnius ac solius, omnipotentis, omnia scientis, &c. Vim quoque habet, quòd vocetur Dominus Deus noster, propter ordinem naturæ, beneficentiæ, gratuitæ communicationis, iure ac titulo creationis, adoptionis, meri dominij, possessionis antiquæ, emptionis, siue redemptionis, iustæ commutationis, legitimæ donationis nostræ, confœderationis, amicitiæ, protectionis; ita vt iam non simus nostri, nec esse etiam possimus non eiusdem, quantumuis nitamur nos subducere per peccatum, aliterve. Lege Franciscum [a] Sonnium. Cæterùm cur legem in deserto ferri placuerit, rationem Philo [b] reddit; quia ciuitates erroribus & vitiis abundant: in secessu mens capacior est ac liberior; institui priùs ac instrui vitæ regulis decuit accepturos nouas colonias: & iam accepto iure consociatos sua sic demum obire in republica negotia: Deum verum venerari constantiùs, à quo acciperent vitæ subsidia, quæ solitudo non suppeditaret; atque sic eumdem non ambigerent esse legum quæ ferrentur auctorem, nec posthac Ægyptias res adamarentur. De denarij præterea numeri, quo Decalogus (de quo vocabulo pridem dixi) constat, mysteriis, multa disputat idem auctor: quibus addi adhuc plura possunt; illúdque modò satis quod ex Græco vocabulo δεκάδος elicit: quasi dicas δεχάδα: quoniam δέχεται καὶ συγχωρεῖ τὰ γένη πάντα ἀριθμῶν καὶ λόγων τῶν κατ' ἀριθμὸν, καὶ ἀναλογιῶν, ἁρμονιῶν αὖ, καὶ συμφωνιῶν, capit comprehenditque omnia numerorum genera, & rationum, proportionúmque arithmeticarum, ac insuper harmoniarum, symphoniarúmque. Comparat Abulensis [c] cum decem prædicamentis post Philonem, quem non citat: & ea R. Abenezra [d], cum nouem orbibus cælestibus, excipiendo primum præceptum propter immobilitatem diuinæ essentiæ: licèt possit empyreo cælo lucido, vniformi & immobili comparari: quod tamen Iudæi non agnoscunt. Considerat verò, quòd cuique cælo aptari præceptum queat. Id abundans otio, nec aliquo destitutus ingenio aliis poterit modis etiam circa prædicamenta conquirere; vel circa res alias denario numero constantes. Franciscus [e] Georgius aptat denario archetypo, siue mundano, idest, variis attributis Dei. Quocirca reiiciendi quidam Hebræi, qui præcepta quatuordecim in Exodo numerant. Adhæc obseruat Philo in concione multorum millium singulos appellatos, non plures; vt, *non occides*, &c. vt lectores sacræ Scripturæ discerent, vnumquemque, dum Deo paret, ac legibus, honore æquari frequentissimo populo, vel potiùs omnibus gentibus, quin etiam mundo vniuerso: item, quoniam qui concionem alloquitur, non semper interdicit, aut præcipit; sed cùm singuli admonentur quid agere debeant, omnes docentur eâdem operâ, & quisque redditur obsequentior, sibi dictum existimans: tertiò, vt exemplum detur, ne quis vnquam rex tyrannúsve superbè despiciat priuatum obscurúmque ciuem; sed supercilium deponat, fastúmque dediscat. Addit his præceptis pœnam à Deo nullam appositam, vt alij solent legislatores, quia Deus erat, & consequenter bonus Dominus, solorum bonorum auctor, mali verò nullius: nec voluit vt quis præ metu ac inuitus pareret: puniendi

k ps. 135.3.
l apoc. 1.5. c. 19.16 1. Timo. 6.14.
Varia Dei epitheta.

Dominus cur legem tulerit in deserto.
a 3. demonst. rel. Christ. c. 2 & 3.
b de decal.

Decalogi comparationes variæ.
c q. 3.
d Franc. Geor. probl. tom. 2. sect. 1. n. 11. cita.
e ibid. num. 22.

verò curam ministris potentiis suis commisisse. Sed quid respondebitur ad id quod sequitur paulò pòst, cùm ipsemet Deus æmulatorem se cognominat, qui reddat iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem? Sed & illud quod Augustinus [a] monet attendendum; quamuis hic non eodem prorsus pacto scribantur, quæ in Exodo, nihil referre; nec esse in mendacio deputandum, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur. Exemplum affert in Euangelistarum verbis; quæ ab imperitis, inquit, & calumniosis tanquam repugnantia reprehenduntur. Subdit mox, quòd magnum non erat Moysi attendere quæ in Exodo scripserat, vbi non eadem prorsus leguntur cùm primùm narrata sunt quæ modò repetuntur; nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare dicentibus, (discentibus) vt nihil aliud in verbis loquentium quærant, nisi voluntatem, propter quã enunciandam verba instituta sunt. Quocirca frustra R. Salomon, vt notauit Abulensis, docuit, quòd vox Dei erat vna, & duo resonabat, atque curasse de sententia magis Mosem, cùm repetiit legem, quàm de verbis. Quod autem R. Abenezra dixit præcepta etiam Decalogi, quæ sunt iuris naturalis, nec minùs omnes alios obligantia, quàm Hebræos, ad aliquam tamen significationem rerum data, refellit idem Abulensis; quoniam id proprium est ceremonialium præceptorum, vel iudicialium, quæ per se nec bona sunt, nec mala: & ratione vtrorumque lex dicitur vmbra futurorum [b]: præceptum de Sabbato quantum ad limitationem solam certè dici, fuit ceremoniale. Prætetea concedit [c] grauiùs peccari ab eo, cui expressè dantur præcepta iuris naturalis; at negat eidem Rabino, præcepta disponi in Decalogo secundùm ordinem grauitatis, quoniam, v. g. maius peccatum est hominem occidere, quàm Sabbatum violare: nisi hoc violans, neget Deum creauisse, & quieuisse ab operibus: quo item pacto minus peccatum est nomen Dei sumere in vanum; quod tamen est posterius præceptum: immò quàm colere idola; quia negans creationem, negat Deum omnipotentem; quod colens idola non necessariò facit; vt patet in Iudæis, qui aliquando cum vero Deo coluerunt idola, & cum Samaritanis, qui idem faciebant. Vera porrò est illa regula Theologica, ex genere suo grauius peccatum esse contra nobiliorem virtutem; licèt aliunde possit contrarium euenire: negans verò creationem non peccat per se contra præceptum de Sabbato, quod violari potest ab illo, qui non errat circa creationem. Ab eodem [d] Augustino præceptis Decalogi decem, plagæ totidem applicantur; primo aqua conuersa in sanguinem; secundo ranarum abundantia; tertio ciniphes: quarto de honorandis parentibus cynomyia, seu canina musca: quinto mors pecorum: sexto pustulæ & vesicæ bullientes scaturientésque, vnde incendia quædam vulnerum: septimo grando in fructibus: octauo locusta: nono densæ tenebræ: vltimo mors primogenitorum. Imitatur Augustinum Prosper [e] & alij, qui quinto tamen loco statuunt præceptum de non mœchando; cùm textus noster, & Exodi eum locum assignent alteri de non occidendo. Rursum Augustinus [f], comparans Decalogum cum decachordo psalterióve decem chordarum; *tange, ait, decem chordas, & feras occides tanquam in spectaculo, simul citharista & venator, Tange primam chordam, qua colitur vnus Deus; cecidit bestia superstitionis. Tange secundam, qua non accipis nomen Domini Dei in vanum; cecidit bestia erroris nefandarum hæresum. Tange tertiam, vbi pro spe futura quietis facis quodquod facis; interficitur crudelior cæteris bestiis amor sæculi huius. Tange quartam, vt honorem parentibus deferas, cecidit bestia impietatis. Tange quintam*, non mœchaberis; *cecidit bestia libidinis. Tange sextam*, non occides; *cecidit bestia crudelitatis. Tange septimam*, non furtum facies; *cecidit bestia rapacitatis. Tange octauam*, non falsum testimonium dices; *cecidit bestia falsitatis. Tange nonam*, non concupisces vxorem proximi tui; *cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Tange decimam*, non concupisces rem proximi tui; *cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus & innocens in Dei dilectione, & humana societate versaris, tangens chordas decem quot bestias occidis. Nam multa capita sunt sub istis capitibus. In singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum.* Sic ille. Hugo [a] Card. primo præcepto contineri vult triplex de virtutibus theologicis; duobus vltimis contra luxuriam & auaritiam; quinto contra iram; superbiam facit contrariam adorationi, cuius superbiæ initium est apostatare à Deo [b]: Inuidiam vetari per quartum; acediam & gulam per tertium, vel vltimam per sextum. Item docet primum attribui Patri & potentiæ; secundum Filio & sapientiæ; tertium Spiritui sancto & bonitati. Tandem notat quòd peculiariter vetatur concupiscentia vxoris alienæ, & rerum alienarum, quia proniores ad hæc sumus. Clemens [c] autem Romanus decem Dei mandata longè diuerso modo & ordine recenset. Postremò adhuc Augustinus reuocari docet Decalogum, aliaque præcepta omnia ad duo, de Dei ac proximi dilectione; immò ad vnum [d]; *quod tibi fieri non vis, alij ne feceris*; ostendens hoc locum habere etiam in simplici & libera fornicatione, carnísque luxuria, qua proximo non fit iniuria, quia Deo fit, violando imaginem ac templum, seu domum eius; iniuriam faciendo gratiæ illius. Addi posset iniuriam fieri generi humano, ob impedimentum ne proles suscipiatur, vel ne debito modo educetur. Verùm de hoc aliàs. Memoriæ causa Decalogi præcepta his versibus continentur.

Vnum crede Deum, ne iures vana per ipsum,
Sabbata sanctifices, habeas in honore parentes,
Non occisor eris, mœchus, fur, testis iniquus,
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.

Doctor Angelicus [e] spectat in his præceptis bonam ordinationem ad Deum per fidelitatem, reuerentiam, famulatum: ad proximos quantum ad eos quibus debitores sumus, honore prosequendo; & quantum ad alios nulli nocendo opere, ore, corde. Quo pacto etiam respectu Dei cauetur opus sculptile; iuramentum vanum oris; & iniungitur quies cordis in eum.

Extat item carmen Nazianzeni [f],

Τὰς δὲ νόμους ἐχάραξε θεὸς δέκα ἔν ποτε πλαξὶ
λαϊνέαις, σὺ δέ μοι ἔγγραφε τῇ κραδίῃ.
οὐ γνώσῃ θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σέβας οἷον ἑνός γε.
οὐ στήσεις ἴνδαλμα κενὸν, καὶ ἄπνουν εἰκώ.
οὔποτε μαψιδίως μνήσῃ μεγάλοιο θεοῖο.
σάββατα πάντα φύλασσε μελάθρια καὶ σκιόεντα.
ὄλβιος, ἢν τοκῆας φέρῃς χάριν, ἣν ὀφείλεις.
φεῦγε ἀνδροφόνων παλάμας ἄγος, ἀλλοτρίης τε
εὐνῆς: κλεπτοσύνην τε κακόφρονα, μαρτυρίην τε
ψευδῆ, ἀλλοτρίων τε πόθον, σπέρματα μόρου.

Has leges insculpsit Deus decem quondam in tabulis
Lapideis: tu verò mihi inscribe tuo cordi.
Non agnosces Deum alium, quia honor diuinus vnius est.

Non

Marginal notes: [a] q. 10. [b] Coloss. 2. 17. [c] q. 3. [d] tom. 10. fragm. de decalogo. [e] 1. p. de prædict. c. 35. [f] tom. 9. de decē chordis psalt. c. 9. — [a] in Exod. 20. [b] Eccl. 10. 14. [c] 2 const. c. 36. vel 40. [d] Tob. 4. 16. [e] 1. 2. q. 100. a. 1. [f] carm. 35.

Non statues simulacrum inane ac mortuam imaginem:
Numquam frustrà memoraueris (nominando) *magnum Deum.*
Sabbata omnia serua & sublimia sensu, & umbris tecta.
Felix, si parentibus referes gratiam, quam decet.
Fuge homicidiale manibus patrare scelus, aliení quoque
Lecti, furtum quoque prauum, & testimonium
Mendax: & alienorum desiderium, quæ omnia scintilla mortis sunt.

Explanatio. *Ego Dominus Deus tuus.*] Dixi obseruatum à nonnullis esse hîc nomina יהוה *Iehouah*, & אלהים *Elohim*, iuxta propriam notionem: pronomen (*ego*) & (*tu.*) atque à Caietano [a], quod verbum desit. Attamen exprimitur Græcè verbum substantiuum ἐγώ εἰμι κύριος ὁ θεός σου: quemadmodum & in Exodo [b], & in Psalmo 80. [c] vbi habetur eadem sententia. Ad eas quæ sunt allatæ causas, cur se in ista præfatione legislator Dominum Deum populi vocet, addi potest, vt intelligatur iusta præcipi; & quibus implendis vires præbeat sufficientes, quia iniquus non est; docénsque vtilia, gubernánsque in via qua ambulamus [d], horum nos esse vult participes; benedictionem dat idem legislator, vt eamus de virtute in virtutem, vt tandem videatur in Sion [e] cælesti; tribuit quoque cor carneum, vt in præceptis ipsius ambulemus, & iudicia custodiamus, faciamúsque, & sic simus ei in populum, & ille nobis in Deum [f]. In dicto Psalmo pronomen (*vester*) habetur.

a in Exod. 20.
b c.20.2.
c versl.11.
d Esa.48.17.
e psl.83.8.
f Ezech.11.19.20.

Qui eduxi te de terra Ægypti.] Frequenter valdè mentio fit huius beneficij his ipsis verbis, etiã à Deo ipso [g], non tantùm ab aliis; & quidẽ addendo præterea, vt esset illi populo in Deum: ac exprobando ingratitudinem, præcauendo obliuionem, reprehendendo inobedientiam, diffidentiam, apostasiam, exigendo virtutes contrarias, hortando ne suos tractarent vt seruos: significando se pristini fœderis memorem esse: in cuius rei quoque memoriam primarium festum Paschæ institutum est; ingerendo memoriam execrandarum Ægypti abominationum. Aliquando [h] Interpres vtitur eiiciendi verbo; cùm tamen aliarum editionum verbum sit idem quod in aliis locis, in quibus nostra vsurpat dictum verbum educendi. In eiectione autem indicatur via & potentia aduersus Ægyptios toties resistentes & impedientes egressum. Lege quæ de beneficio isto tanto dixi ad Psalmos [i], & Leuiticum [k]. Monui verò etiam [l] falli qui asserunt numero singulari terram de ipso elemento, pluraliter terras de regionibus dici; cùm non rarò legentibus occurrat terra Asia, Italia, Vmbria, Sicilia, Gallia, Græcia, &c. Comminiscitur R. Abenezra secundùm cæli vim, dispositionémque maiore tempore teneri debuisse in Ægypto Hebræos: sed supra cæli motum Deo operante liberatos.

g Exo.20.2. c.29.46. Leu. 11.45. c.19.36.c. 22.33.c.25. 43.c.25.38. 42.c.26.13. 45. Num.15. 41. Iud.2.1. c.6.8. 1. Reg. 8. 8. c. 10.18 c.12. 8. lib.2 7.6. Iib.3.8 16. 1. Paralip. 17.5.l.2.6. 5. psl.80.11. Ier.34.13. Ezech.20. 10. Amos 3.1. Michæ. 6.4.
Paschæ festi institutio.
h Ezech.20. 10.
i in psl.80. 11.
k in c.11. 45. in c.22. 33 c 25.38.
l in Leu.25. 38.

De domo seruitutis.] Hebraicè (*seruientium seruorúmve*, עבדים *bhauadim*, quo modo etiam transtulit semel alibi [m] noster Interpres: cùm vbique [n] in simili sententia, cùm videlicet domus seruitutis cognominatur, extet idem illud Hebræum vocabulum. Sed nonnumquam [o] quoque nomen *seruitus* in Hebræo textu extat cum alio, quod redditur ab Interprete ergastulum. Si quando captiuitas Ægypriaca nominetur, non est intelligenda vt pertinens ad tempus, in quo primùm seruierunt Ægyptiis Hebræi, sed ad aliud, in quo ex regione quam possidebant in bello capti, abducti sunt, quemadmodum & ab Assyriis, & à Chaldæis. Primo dicto tempore capti propriè non sunt, aut aliunde abducti Hebræi, sed cùm diu tanquam inquilini morati essent in Ægypto, ibidem dura seruitute oppressi. Quamuis & qui capiuntur in bello, plerumque seruire compellantur, ac ideo etiam serui nominentur, quia in vita seruati, vt seruiant, atque quòd manu capti sint, mancipia vocentur; & benignitatis sit non occidi, seruire, vtilitatis; occidi, neutrius. Iure autem alio ciuili seruus quoque fiebat, quando maior viginti annis, pretij participandi causa se venire patiebatur [a]. Natura verò propriè seruum neminem facit; quidquid Aristoteles [b] sentire videatur. At nos hac de re plura [c] locis aliis; & extat eruditus tractatus Laurentij Pignorij de seruis. Meminimus autem hoc libro [d] prius de fornace ferrea: & in Leuitico [e] eduxisse se Deus ait de terra Ægyptiorum Hebræos, ne seruirent eis, & confregisse catenam ceruicum, vt incederent erecti. Consule loci vtriusque commentarium nostrum.

m Michæ. 6.4.
n Exo.13.3. 14 c.20 2. Deut 6.12. c.7.8 c.8. 14 c 13.5. 10. Ios 24. 16. Iud 6.8. Ier.34.13.
o Exo.6.6.
Serui & mancipia vnde sic nominati.
Quomodo tales fiebant iure ciuili.
a D. de statu hom. l. 5.
b 1. Pol. c.3. & 4.
c in Leu.25. 39. & seqq. in Eccl. 2.7. c.10.7. & in Pet.2.16. 18. epist.2.2. 19.
d c.4.20.
e c.26.13.

Vers.7.] Non habebis deos alienos in conspectu meo.

Vers.8.] Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.

Vers.9.] Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me:

Vers.10.] Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea:

Paraphr. PRimum præceptum hoc est in negatione consistens; nisi placeat alteram partem appellare eiusdem vnius; ita vt prior, quemadmodum antea dixi, contineatur præcedentibus verbis affirmatiuis. Vetatur autem cuiusuis alterius Dei veneratio; & ad præcidendam superstitionis & erroris occasionem, prohibetur imaginum cuiusuis generis confectio, quæ sui per se adorationem prouocare posset, quam vocant idololatriam. Rationem reddit legislator, quia velut Zelotypus corriualem ferre non valet, sed adulteros, & amatores aliorum numinum castigat seuerè ad quartam vsque generationem; beneficus verò supra modum est erga cultores suos, & horum posteros vsque ad plurimas generationes. Rupertus [f] monet hoc in omni præcepto subaudiendum, videlicet vt timeat pœnam transgressor, speret præmium præcepti executor. Philo [g] hinc infert monarchiam commendari: paucorum aut vulgi dominatum ὀλιγαρχίαν ἢ ὀχλοκρατίαν (vocatur hæc etiam δημοκρατία) esse peruersas constitutiones reipublicæ, inductas à malis & astutis hominibus per ambitionem, auaritiámque libertati ciuium insidiantibus. Ad prohibitionem sculptilis, de qua vult esse præceptum secundum, refert ne admittantur figmenta fabularum de deorum connubiis & natalibus, &c. Contendunt hæretici iconomachi seu iconoclastæ nostri temporis duo hic præcepta distingui,

f in Exo. c.32.
g de Decalogo.

stingul, vt probent non tantùm adorationem, sed confectionem præterea imaginum prohiberi. Nihil tamen inde concludunt contra imaginum vsum, qui est apud Catholicos; qui non more idololatrarum eas venerantur: vt nec in prohibitione habendi alienos deos, comprehenditur cultus, quem Sanctis exhibemus, nempe tanquam ministris vnius veríque Dei duntaxat, & à quibus petimus vt orent, intercedant, impetrent, non vt dent; nec ipsis offerimus, sed soli Deo qui coronauit illos; non latria colimus, sed inferiore honore. De isto præcepto quantum ad partem posteriorem dictum iam priore capite, & adhuc non nihil dicetur. Prior magis facilis est. Quòd autem quidam in rudimentis fidei, siue in catechismis ponant primum præceptum Deum diligere super omnia, id faciunt, quia Christus respondit cuidam quærenti quod esset maximum & primum [a]. At primum pro præcipuo dixit. Alioqui non tam peculiare præceptum est, quàm omnium finis, vt Paulus [b] docet, seu plenitudo & consummatio, comprehendendo simile de dilectione proximi; quæ duo inseparabilia sunt. Quo pacto peccetur in hoc præceptum, & à quibus, non erit difficile declarare: item quòd nihilominus veneratione Sanctos rectè prosequamur & inuocemus, ac eorundem imagines honoremus. Disserunt his de rebus citati Franciscus Sonnius, Matthæus Galenus, Iacubus Bayus. Augustinus [c] verò annotat à Romanis Iudæorum Deum cultum non esse, quoniam aliorum deorum cultum secum non admittebat. Salsè quoque adiicit causam [d], quia Socrates Deum vnumquemque coli sic oportere dixit, quomodo seipse colendum præcepisset: Deus autem Hebræorum alios coli secum nolebat, sed solus; ac per hoc respuerunt Romani vnius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent; magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius beneuolentiam profuturam.

Primum pro præcipuo.
a Marc. 12. 28.
b 1. Tim. 1. 5. Rom. 13. 9. 10.
c 1. de consensu euangelist. c. 12. 14. 18.
d c. 18.

Explanatio.

Non habebis deos alienos in conspectu meo.] Ex Hebræo (*non erit tibi dij alij super faciem meam,* לֹא־יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל־פָּנָי, *lo ihieh lecha elohim acharim hhal panai.*) Vbi (*super faciem meam,* idem est quod in conspectu meo, coram me, me spectante, quem nihil latet, cótemnendo me (vulgò *in facia mia*) præter me: qui facie ad faciem loquor tibi, támque familiariter & amicè tecú ago, ac te tracto. Alium sensum admittere licet cum Oleastro vertendo (*non erit tibi Deus alienorum*) idest, quos aliæ gentes ab Israël, colunt, quales sunt factitij (*super faciem meam*) hoc est, præter me, aut præter præsentiam meam, siue mecum: quo pacto gentes aliæ plures colebant Deos, diíque ipsi alios coli secum Deos permittebant: immò id idololatriæ auctor diabolus ac atheismi, maximè volebat atque procurabat. Primum tamen sensum Oleaster meritò præfert: quia in Exodo post hoc idem præceptum, & alia [e], póstque pulsum à populo metum [f], denuò caueri præcipiens Dominus cultum plurium deorum; *non facietis*, ait [g], *deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.* Ibidem quoque vt & hîc, inhibetur sculptile, & similitudo; quod est non facere alium Deum, nec plures habere in conspectu eius, coram eo, cum eo, præter eum. Hoc vltimum valent Chaldæa בַּר מִנִּי *bar minni*, & Græca πλὴν ἐμοῦ. Subtilius est quod obseruat Franciscus [h] Sonnius, præcipi non habere deos alienos in conspectu Dei, seu coram Deo, idest, qui sint ab ipso alieni vel natura, vel proprietate, vel hominum figmento, vel alia quapiam ratione nomen Dei possidentes, & non ex ipso:

e c. 20. 3. & seqq.
f v. 18. & seqq.
g v. 23.
h de demõ. rel Christ. l. 8. tract. de cultu Dei c. 4.

cùm alioqui sub Deo vero quidam vocentur dij, sicut & domini, quibus obedire & seruire non est duobus dominis, aut pluribus, sed vni, quia aliis propter vnum. De phrasi autem Hebræa verbi singularis cum nomine Elohim plurali, dixi alibi, & nonnihil adhuc dicam versu 26.

Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cælo sunt desuper, &c.] De hoc præcepto non pauca, vt monui, dicta sunt c. [a] præcedente, declarando vocabula sculptilis, & similitudinis, necnõ imaginis cum vocabulis aliarum editionum. Hic, & in Exodo [b] vetatur similitudo eorumquæ in cælo sunt desuper: in c. autem priore [c] id non exprimebatur hoc pacto; sed ne eleuatis oculis ad cælum videns solem, & lunam, & omnia astra cæli, errore deciperetur, & adoraret ea, & coleret. Vbi satis insinuatur prohibitio sculptilis, & similitudinis, imaginisve, qua corpora illa cælestia repræsentarentur. Quamuis quia talis imago nondum ab Astrologis vel poëtis conficta fuisse illo tempore videtur; & ipsemet pulcher eorumdem corporum aspectus, efficaciáque ad sui venerationem per se inducere poterat, satis fuit nominare etiam absque mentione similitudinis & imaginis. Angeli etiam sunt in cælo: nec ambigo an Moses hos intelligi voluerit, si quando in aliqua forma apparerent. Credo præterea per omnia quæ in cælo sunt desuper, designata volatilia; quoniam cæli nomine aër dici solet: capiteque [d] priore nominatæ sunt aues sub cælo volantes. Sunt hoc loco, & priore capite Hebræa nomina פֶּסֶל *pesel*, ac תְּמוּנָה *themunah*: Græca γλυπτὸν & ὁμοίωμα: præterea ibi פֶּסֶל תְּמוּנַת *samel themunath*, & εἰκὼν cum ὁμοίωμα. At in Exodo vbi erant פֶּסֶל *pesel*, & תְּמוּנָה *themunah*, habentur Græcè εἴδωλον & ὁμοίωμα. De nomine εἴδωλον maior difficultas est. Sed alibi diligenter de illo egimus, ostendentes vsu Scripturæ & Ecclesiastico in deteriorem partem accipi solere, quidquid Lexicographi doceant hæretici Henricus Stephanus & Scapula ecclesiasticorum nomine suos Geneuenses designando, qui vsurpant εἴδωλον pro qualiber imagine, Origenes [e], Theodoretus [f], Athanasius [g], Tertullianus [h], Euthymius [i], Augustinus [k], & alij docent esse rei fictæ ac falsæ similitudinem, vt si quis homini caput canis apponat, &c. Et quidem propriè iuxta vim Hebræi פֶּסֶל *pesel*, pro quo ponitur, & Græci γλυπτὸν, quod hîc prioreque capite, statuas significat ex ligno, lapide, auro, argento, ære, aliáve simili materia, cui sculpi conueniat: ita vt pictæ imagines, quæ non videntur initio adeò in vsu fuisse, per nomina imaginis & similitudinis excluduntur. Licèt autem verbum פָּסַל *pasal* in bonum aliquando accipiatur, vt de dolandis tabulis lapideis [l] legis, & lapidibus pro templo [m]: nomen פֶּסֶל *pesel* semper vsurpatur pro idolis, seu eorum statuis, aut ornatu ararum idololatricarum. Vltimo modo in 2. [n] Paralipomenon quod legimus Iosiam mundauisse Iudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrísque, & sculptilibus, pro simulachris, Hebraicè sunt פְּסִילִים *pesilim*, Græcè in emendatis codicibus loco βωμοὺς altarium, περιβόλια, septa altarium, quæ sculpta etiam erant: & pro sculptilibus in iisdem Græcis correctis libris χωνευτὰ tantùm *conflatilia*, quæ respondent Hebræo, quod item vnicum habetur מַסֵּכוֹת *massecboth*; In aliis priore loco γλυπτά, *sculptilia*, quæ per simulachra reddidit editio nostra, significantúrque per פְּסִילִים *pesilim*, quod est simile nomini huius loci nostri פֶּסֶל *pesel*. In Concilio VII. [o] generali 350. Episcoporum anathemate percelluntur qui venerandas

a v. 16. & seqq.
b c. 20. 4.
c vers. 19.
d vers. 17.
Idoli nomen.
e hom. 8. in Exod.
f in Exod. q. 38.
g contr. idol.
h de idol. c. 4.
i pano. tit. 23.
k l. quæst. vet. test. q. 41.
l Deut. 5. 1. c. 34. 1.
m 3. Reg. 5. 18.
n c. 34. 3.
o sess. 7.

randas imagines *αὐτῖας εἰκόνας* non recipiunt: quique asserunt contra istas, quæ proferuntur à diuina Scriptura contra idola; vel qui hoc nomine idolorum eas vocant; vel asserunt Christianos vt ad deos accedere ad ipsas, vel affirmant Catholicam Ecclesiam aliquando idola recepisse. Denique idolum, Paulo [a] teste, nihil est, sed falsæ ac fictæ rei similitudo, vmbra, spectrum, &c. Veteres non sunt extra latriam imagines, itáve factæ, vt per se adorabiles videri non possent; sed licitæ fuerunt, vel pro remedio, vt serpentis ænei: vel pro ornamento, per modum appendicis; vt in arca templóque. Tractat hoc argumentum recentior Scripturarum enarrator Leonardus [b] Marius, nec improbabiliter docet, non prohiberi aliter imagines ac statuas hoc præcepto, quàm ne adorentur, fásque fuisse separatim etiam ac per se illas extra vsum illum conficere: quamuis forsitan Iudæi postea, præsertim post reduum ex captiuitate Babylonica, omnibus omnino abstinuerint; atque sic quoque legem intelligi voluerint, quemadmodum & alias res eiusdem, cum superstitione obseruarunt: nec aliud siue Iosephum [c], siue Origenem [d], siue Tertullianum [e] velle, cùm scribunt abstinuisse penitus Iudæos ab imaginibus, nempe quantum ad praxin, vel interpretationem. Adhæc verisimile fit adductos, quòd Rom. Imper. imagines admittere cogebantur [f]: vt proinde reiecerint omnia, in quibus erant imagines, v. g. hastas, vexilla, scuta. Id velle etiam videri Tacitus [g] & Lucanus [h], possunt scribentes vnum numen adoratum ab illis, & incertum Deum absque vllis imaginibus. Profectò non concedent aduersarij, imagines, in quibus tempore veteris Testamenti Deus apparuit, idola fuisse; & idololatram Abrahamum, quando illis exhibuit honorem aut religiosum, aut ciuilem. Idem est de Iacob luctante cum [i] Angelo, Iosue [k] colloquente, & Gedeone [l]; itémque de aliis; vt Esaia [m], Ieremia [n], Ezechiele [o], Daniele [p], Ioanne [q], quantum ad visiones & apparitiones similes; ac venerationes apparentibus exhibitas. Quis idolum vocet hominem, prout ad Imaginem ac similitudinem Dei factus dicitur? quis Dei filiū, vt ab Apostolo appellatur *εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, imago Dei inuisibilis* [r]; *χαρακτὴρ πατρὸς, character Patris* [s]? quis intellectionem, visionem, & alias eiusmodi actiones, quæ non nisi per quasdam fiunt imagines? Ipso iure naturæ non est mala imaginum efformatio: sed in eum duntaxat finem, vt eas quis diuino latriæ cultu veneretur: quamuis alio inferiore possit; quemadmodum adorari hortabatur Dauid [t] scabellum pedum Domini, quia sanctum erat, hoc est, arcam, quæ Deum sanctum repræsentabat. Denique quánis imagines veritas contendas in vetere Testamento separatim tantùm, sed non vt adiectitia ornamenta, quæ fuit nostri Vasques [u] opinio: desiit illa obligatio ceremonialis præcepti. Attamen viget idem præceptum vt naturale est, ne qua imago fiat quæ colatur pro Deo: vel quæ dicatur id repræsentare quod reuera non est; vt quòd Deus sit corporeus, &c. quod hominiformij senserunt, vt loquitur Rupertus [x], quos alij nominant anthropomorphitas. Caietani [y] argumentum ex illa phrasi (*non facies tibi*) quasi denotetur prohibitio in adorationem, parum valet: quoniam Hebræo idiotismo redundat (*tibi*:) nec aliud est (*facere sibi*) quàm simpliciter (*facere*) vt (*vade tibi*) idem est, quod (*vade*) Idem indicium de expositione in præcepto negatiuo 20. & 21. catalogi Hebræi, vt nemo pro seipso faciat sculptile, aut alteri; & in 22.

a 1. Cor. 8. 4.
b in Exod. 20. 5.
c 1. & 2. contr. Apio.
d 4. contr. Celsum.
e cont. idol. c. 4.
f Iosep. 18. antiq. c. 4. & 10.
g 5. hist.
h lib. 2.
i Gen. 32. 24.
k Ios. 6. 13.
l Iud. 6. 12.
m Esa. 6. 1. & seqq.
n Ier. 16. 20. 21.
o Ezech. 1. 20.
p Dan. 7. 9.
q apoc. 1. 13. c. 22. 9.
r Coloss. 1. 15.
s Hebr. 1. 3.
t ps. 98. 5.
u l. 2. de ador. d. 4. c. 2. siue 3. p. q. 25. d. 104. c. 2.
x 5. in Exod. c. 32.
y in Exod. 20.

cauetur ne fiat figura aut similitudo pro decore aliquo, vt hominis in argento, vel auro; vt licèt permittatur per modum sigilli sculpta: & non prohibeantur prominentes iumentorum, bestiarum, auium, arborum, florum, sed Solis, lunæ, stellarum.

Non adorabis ea, & non coles.] Hæc eadem sunt in Exodo [a]. Primum verbum Hebraicè est תשתחוה *thisthachaueh*; denotans inclinationem, siue incuruationem capitis ac totius etiam corporis: secundum תעבד *thaabhed*, significans seruitutem Deo soli debitam: quamuis reperiatur vtrumque verbum vsurpatum de aliis: quemadmodum & *λατρεύειν*: quod tamen vltimum verbum cum nomine *λατρεία* vso ecclesiastico applicatum est ad solius Dei honorem cultúmque; vt alibi non semel docui; & internam æstimationem, studium, affectum importat, sine quo potest esse externa & coacta adoratio, vt Origenes [b] docet. Paulò autem antè monui videri nonnullis hoc esse præceptum secundum, ac proinde vt retineatur numerus decem in Decalogo, qui sic inde nominatus est, vnicum esse de non concupiscenda vxore proximi, & rebus aliis eiusdem. Non refert quidem vtrum asseratur: sed communior sequenda opinio, ex præcedentibus & isto membro, vnicum componi præceptum; quia eodem tenore scribuntur ac proferuntur, atque ad eamdem religionis virtutem pertinent, eorúmque transgressio ad idē vitium superstitionis. Potuit Dei positiua lex in materia sacrilegij constituere sculptilis & imaginis effectionem; etiamsi ex se non sit mala, neque contra religionem: quemadmodum lex etiam humana id quod præcipit, ponit in illius materia virtutis, propter quam præcipit. Notatu porrò dignum quatuor negationibus, totidem prohiberi latriæ actus; actum internum (*non habebis deos alienos*;) actum externum in fabricandis idolis (*non facies tibi sculptile*;) actum externum adorationis & reuerentiæ (*non adorabis*,) actum obsequij circa oblationes, sacrificia, ludos, & similia in honorem deorum exhiberi solita (*& non coles.*) Munsterus apostata meminit Hebræorum superstitionis, vt qua primo verbo vetatur incuruatio, si fortè spina infixa fuerit pedi, non debeat quis ante imaginem incuruari vt extrahat, sed sedere in terra & tunc extrahere; eodémque modo si quid in terram labatur, ne videatur corpore suo reuerentiam simolachro exhibere. Item propter verbum secundum de non colendo, aiunt vetari ne quis osculetur, aut amplexetur: immò vt aquam nullus bibat ex fistula quæ imagini affixa est.

Ego enim sum Dominus Deus tuus.] Repetitur & inculcatur quod antea dictum fuerat vt commune toti Decalogo cunctísque præceptis decem cum expressione beneficij circa eductionem de Ægypto: sed nunc tanquam peculiariter pertinens ad primum præceptum & maximum. Vis autem hîc eadem quæ priùs, ad excitandum amorem, & honorem illius qui vnius populi se Deum dici velit, cùm sit omnium Deus & Dominus, nullo egens, sibimetipsi sufficientissimus *αὐταρκέστατος*, vt Philo [c] eum vocat, nihil aliud curans, nisi vt ab errore nos auocet, reuocétque ad veri Dei cultum, entis entium notitiam, finis optimi ac summi absolutissimíque finis inuentionem atque prosecutionem, à quo ceu à fonte mundus rigatur bonis istis particularibus. Acutè Oleaster notat multos ex regibus ac dominis suos esse, consanguineorum, amicorum: Deum totum nostrum esse voluisse.

a c. 20. 5.
b hom. 8. in Exod.
c de decal.

Deus

Deus æmulator.] Vertunt alij Hebræa (קַנָּא אֵל *el kanna*, fortis æmulator, æmulans, zelator, zelans, indignabundus, zelotypus, qui scilicet in amore socium non ferat, consortem amoris veluti corriualem & procum non patiatur: amorem, vt & honorem, summum nempe, alteri dare datiue nolit. Solus amari & coli velit, illatas iniurias vlcisci & velit, & possit. In Exodo [a] eadem nomina transferuntur (*fortis Zelotes*) & vtrobique Græca sunt θεὸς ζηλωτής, *Deus zelotes*. Vnum namque de Dei nominibus Hebraicis אֵל *el* fortem significat. In eodem adhuc Exodi [b] libro scribitur; *noli adorare Deum alienum: Dominus zelotes nomen eius. Deus est æmulator.* Ibi Hebraicè est bis nomen קַנָּא *kanna*, semel יְהוָה *Iehouah*, & semel אֵל *el*, hoc pacto; *quoniam Dominus zelator, seu Zelotes aut æmulator nomen eius, Deus, vel fortis, zelator, zelotes, æmulator ipse*, כִּי יְהוָה קַנָּא שְׁמוֹ אֵל קַנָּא הוּא *chi Iehouah kanna sc̄emo el kanna hu*: Græcè ὁ γὰρ κύριος ὁ θεὸς ζηλωτὸν ὄνομα, θεὸς ζηλωτής ἐστι, *Deus enim Dominus zelosum nomen, Deus zelotes est.* Item hîc sequenti [c] capite: *Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu vestro sunt: quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui; ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.* Tribuitur aliquoties [d] Deo zelus, seu æmulatio, ac ferè semper inuoluens iram, indignationem, furorem, minas, vltionem, siue vindictam ob violatam fidem; ad eum modum, quo vxor violat, vel quo quis insidiatur vxori. In genere importat zelus & æmulatio dolorem, vel suspicionem de abalienato consortis animo: aut amorem eum suspicione & metu: solétque natus ea zelotypia dolor, implacabilis esse. *Zelus* enim, inquit Sapiens [e], *non parcet in die vindictæ; neque acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Vnde *dura vt infernus* vocatur *æmulatio* [f]. Benignitatem Dei Origenes [g] attendi vult, non recusantis humanorum fragilitatem affectuum, vt nos doceat, & perfectos faciat. Explicat autem exemplo illo coniugatorum; & quòd anima peccatoris vt meretrix prostituta est dæmonibus, variorúmque vitiorum spiritibus [h], nec patitur vllam zelotypiam, sed quæ vt virgo casta, desponsata est vni viro [*] Christo & Deo: aut etiam si meretrix fuerit, quæsita eodem zelo Dei, reuertitur ac resipiscit: nec detrectando efficit, vt recedat, seu auferatur ab ea zelus illius [l], & non irascatur; quod ipsum iræ summæ argumentum est, quemadmodum è contrario misericordiæ, irasci atque punire. Imitatur ac transcribere quoque videtur Origenem Theodoretus [k]; addens eximium erga nos Dei amorem indicari, qui adeò ardenter velit amari; quódque maiores eius sint comminationes quàm pœnæ, vt exemplis ostendit eorum qui non fuere circumcisi in deserto, & in quorum domibus fermentum repertum est, nec idcirco puniti. Idem docet Maximus [l] Abbas, Augustinus [m] & alij; simul docentes non cruciatum animi in Deo, sed tranquillissimam sincerissimámque iustitiam per zelum significari, quæ non sinat animam impunè fornicari. Ante hos Dionysius [n] zelotem dici Deum scripsit, quia amat creaturas: διὰ καὶ ζηλωτὴν αὐτὸν οἱ τὰ θεῖα ἄνωθεν προσαγορεύουσιν, ὡς ἀγαθὸν τὸν ἔρωτα, καὶ ὡς πρὸς ζῆλον ἐγείροντα τῆς ἐφέσεως αὐτοῦ τοὺς ἐρωμένους, καὶ ὡς ζηλωτὸν αὐτὸν ἀναδεικνύντα ὧν καὶ τὰ ἐφιέμενα: καὶ ὡς τῶν προνοουμένων ζηλωτὸν αὐτῷ ζηλωτόν. *Itaque* ζηλωτήν, idest, æmulatorem, *ipsi ij qui multùm in diuinis exercitati sunt, appellant; vt magno ac benigno in ea quæ sunt, amore præditum, excitantémque ad studium amatorij ipsius desiderij, atque vt singulari amore captum seipsū præstantem, cui etiam quæ expetuntur, nimio amore digna sunt, & quod ea quibus consulit, & prouidet, nimio amore prosequatur.* Nos autem non vno alio in loco de hac ipsa re disseruimus, & nonnihil priore capite [a]; vbi præterea protulimus Cyrillum [b] Alexandrinum, & Aquinatem [c]. Magna procul dubio Dei dignatio, & incomprehensibilis amor: vt se zelotem vocet, cuius comparatione vix guttula ad vasti maris immensitatem sumus; cùm existere zelotypia soleat de nimio, non de vulgari amore.

Reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem.] Hebraicè & Chaldaicè (*visitans*, פֹּקֵד *poked*, מַסְעַר *masshar*) Chaldaicè (*super filios rebelles*, עַל בְּנִין מָרוֹדִין *hhal benin maredin*: item eadem lingua & Græca pluraliter (*iniquitates, siue peccata*, חוֹבֵי *choue*, ἁμαρτίας. Textus libri Exodi [d] Latinè sententiam eandem sic reddit, (*visitans iniquitatem patrum in filios; in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.*) Vbi Chaldaice sicut hîc, vt retuli de filiis rebellibus: támque ibi quàm hîc de his qui oderunt Deum, quando filij sequuntur peccata patrum suorum. Item ([e] *qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.*) In priore libro [f] propter murmur Hebræorum Deus minatus est fore vt iacerent in solitudine ipsorum cadauera, filij verò eorum vagi essent in deserto annis quadraginta, & portarent fornicationem illorum. Precatus est Tobias, ne vindictam sumeret Deus de peccatis illius, nec reminisceretur delicta eiusdem, vel parentum [g]. Dauid fassus est peccatum suum & patrum [h]. Nehemias eodem pacto [i], & populus obsessus ab Holoferne [k], & Daniel in captiuitate [l]. Saüli præscribens expeditionem contra Amalec, & internecionem generalem mandans, *recensui*, ait, *quæcunque fecit Amalec Israeli; quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto* [m]: erant autem iam fere anni 400. ab eo tempore. Dixit item Christus venturum super Iudæos omnem sanguinem iustum, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occiderant; foreque vt venirent ea omnia super generationem illam [n]. Chananæi maledicto subiecti sunt propter Cham impij patris scelus [o]: filij Saülis affixi patibulis [p]; posteri Manasses in Babylonem abducti [q]. Ex alia parte Dominus per Ezechielem [r] protestatur quòd anima quæ peccauerit, ipsa morietur; nec filius portabit iniquitatem patris, &c. Loquitur Deus apud eum prophetam de Innocentibus aduersùs Iudæos, qui conquerebantur, vt & apud Ieremiam [s], ob sola se parentum peccata puniri. Sensus autem loci nostri est de iis qui oderunt Deum, vt etiam expresse dicitur: Deúmque si fortè aliquando, quod non semper facit, dissimulet vel differat, tamen filios ac nepotes prioris vestigia sectantes parentum, ac veluti mensuram eorum implentes [t]; & quidem propter tolerantiam præcedentem, aliquanto grauiùs. Sic in Exodum [u] Theodoretus [x], citatque à Catena Acacius, Seuerus, Diodorus; præterea Rabanus [y]; item Augustinus [z] (qui primam generationem ab Abraham ad Dauidem considerat; secundam vsque ad captiuitatem Babylonicam; tertiam vsque ad Christum; vltimam vsque ad mundi consummationem) Hieronymus [aa], Gregorius [bb], Chrysostomus [cc]. Id sibi quoque vult paraphrasis Chaldæa hîc, & in Exodo, & libro priore, (*visitans peccata patrum in filios rebelles, siue transgressores, & quando filij sequuntur peccata patrum.*)

Et

[a] c. 20. 5.
[b] c. 34. 14.
[c] v. 14. 15.
[d] Num. 25. 11. Deut. 4. 24. c. 6. 15. 29. 20. 4. Reg. 19. 31. psal. 68. 10. psal. 78. 5. Sap. 1. 10. c. 5. 18. Esa. 9. 8. c. 37. 32. c. 42. 13. c. 59. 17. Ezech. 5. 13. c. 16. 38. 42. c. 23. 25. c. 36. 5. 6. c. 38. 19. c. 39. 25. Soph. 1. 18. c. 3. 8. Zach. 1. 14. c. 8. 2. Ioan. 2. 17.
[e] Prou. 6. 34. 35.
[f] Cant. 8. 6.
[g] hom. 8. in Exod.
[h] Ier. 3. 6.
[*] 2. Cor. 11. 2.
[l] Ezech. 16. 42.
[k] in Exod. q. 39.
[l] Cent. 5. c. 86.
[m] contra Adimantū c. 11. & 13. q. 152. in Exod. l. 83. quæst. q. 52.
[n] de diuin. nom. c. 4. p. 3.

[a] vers. 24.
[b] 3. contra Iulianum.
[c] in 2. Cor. 11.
[d] c. 20. 5.
[e] c. 34. 7.
[f] c. 14. 18.
[g] Tobiæ 3. 3.
[h] psal. 105. 6.
[i] 2. Esd. 1. 6. 7.
[k] Iud. 7. 19.
[l] Dan. 9. 5.
[m] 1. Reg. 15. 2.
[n] Matt. 23. 36.
[o] Gen. 9. 22. 25.
[p] 2. Reg. 21. 6. & seqq.
[q] 4. Reg. 24. 3. & seqq.
[r] c. 18. 20.
[s] c. 31. 29. thre. 5. 7.
[t] Gen. 15. 16. Matth. 23. 32. 35.
[u] c. 20. 5.
[x] q. 40.
[y] ibidem.
[z] contra Adimant. c. 7.
[aa] in Ezech. 18.
[bb] 15. mor. c. 22.
[cc] in id psal. 84. non in aeternū irasceris nobis.

Et in Exodi c. 34.[a] Moses ait; *nullus apud te per se innocens est*. Quo pacto filij non tantum vel tam ducuntur propagatione carnis, quam imitatione sceleris, vt loquitur Augustinus[b]. Disputatiuè porrò duntaxat loquuntur Augustinus[c], Leo[d], Gregorius[e], dum dicere videntur non solùm obligari paruulos peccatis Adam & Euæ, verùm etiam proximiorum parentum suorum, donec soluatur reatus ille sacramento regenerationis. Potest Deus in filiis punire iniquitatem parentum, licèt sint innocentes, temporali pœna, & id interdum fecit ac facit: nec improbabile est quòd ait auctor quæstio. vtriusque Testamenti[f] apud Augustinum, in lege præsenti ferenda, cùm adiecit Deus verba quæ tractamus, huc etiam respexisse, vt saltem timore damni filiorum, ad obedientiam induceret; quemadmodum nominatim præterea Tertullianus[g] docuit, atque in genere, in Exodum Hugo Victorinus, & Abulensis; Aquinas[h] item, & Vasques[i] noster. At id ordinarium non est; nec propriè in insontibus pœna est illarum malum; sed in parentibus reis, qui in filiis tanquam in re sua puniri possunt, quemadmodum in aliis bonis cæteris: iustitia solùm reos punit; vel spontaneos rerum vades, cùm in cæteris nullus ant reatus, aut pœnæ debitum insit. Haberi autem pro certo debet, miserias animæ, quæ ad malum spectent moris, vt gratiæ, auxiliorumve ad salutem vtilium subtractionem, per se nullum pati, propter parentum, aut aliorum peccata, sed solùm indirectè, quatenus parentibus ipsis ob eorum demerita iustè subtrahuntur; ex subtractione verò consequitur vt alij careant illis, vtpote carentes ministris, aut opportunitate iisdem bonis vtendi. Sic Anselmum[k] intelligo, scribentem filiis parentum nocere peccata, non quia Deus imputet ea innocentibus; sed quia deserat filios in peccatis: vt è contrario, propter pios parentes beneficia filiis etiam spiritualia impensa sunt. Solent quoque filij proniores esse ad peccandum ob consuetudinem inductam à parentibus, ob exemplum, ob ipsam complexionem corporis. Miseriæ, mala, afflictiones naturales possunt ab vno sponte assumi pro alio, seu pro eius redemptione ac satisfactione sustineri, vt fecit Christus, portans dolores nostros in corpore suo, & nos liuore suo sanans[l]. Præterea huiusmodi res extra istum casum tolerare quis potest, vt quasdam medicinas suas; vel tanquam pœnas alterius, quatenus vni pœna est quòd alter affligatur ex mutua compassione beneuolentiæ; vel ex mutua dependentia boni vnius ex alio; quemadmodum contingit inter coniuges, inter parentes & liberos, inter amicos, inter dominos & seruos. Quando exempli causa, Dauid afflictus est propter peccatum, pœna illa propriè fuit respectu ipsius; comparatione ad subditos innocentes, fuit exercitium, occasióque virtutis, & præmij maioris. Cùm subditi affliguntur, potest esse pœna principis propriè ob proprium ipsiusmet peccatum; quoniam licèt à corporali illa afflictione forsitan liber sit, mœrorem sentit ex eorũ afflictione, aut rerum suarum damnũ. Exemplum dat Hugo Victorinus[m] de iis qui claudi & cæci pro scelere parentum nascuntur. Sed quantum ad animam filius non est res patris, idcóque nullus in iis punitur sine culpa propria. Quamuis etiã puniantur aliqui propter suamet peccata, dicuntur puniri propter peccatũ alterius, qui primus velut auctor talis peccati fuit; vt simoniaci peccatum Simonis Magi dicuntur admisisse; peccatum Core, aut Balaam alij[n], item Iroboam nonnulli propter peccatũ

a vers. 7.
b 2 contr. aduersar. legis & prophet. c. 5.
c enchir. c. 46. cont. Iul. 1.
d epist.
e 5. Moral. 22.
f q. 14.
g contra Marcionem c. 15.
h 1. 2 q. 87. a. 8.
i ibid disp. 135. c. 1.
k de concep. virg. c. 24. & 25.
l Esa. 53. 5.
Subditorum afflictio pœna principis est.
m in Exod. 20.
n epist. Iudæ v. 11.

Manasse[a]. Eguinus eadem de re in Scholis Theologicis[b]. Recipi non debet ad parabulas & ænigmata, cum quibusdam apud Hieronymum[c], vt pater dicatur primus motus sensualitatis; filius concepta de peccato cogitatio; nepos operis perpetratio; pronepos ac velut quarta generatio, contemnere cùm in profundum venerit malorum[d], gloriatio & lætitia cùm male fecerit, exultatióque in rebus pessimis[e]. Allegoricum est quoque illud Origenis[f]; patres esse diabolum cum angelis suis, qui puniantur in futuro sæculo; in isto alij quos induxerunt in peccatũ, ac sic tanquam filios genuerunt, vt purgatiores discedant, nec illorũ socij in pœna, nisi obfirmati permaneant in iniquitate. Minùs literale, quod Theod.[g] affert, ac Seuerus[h], & Diodorus[*], inoui benignitatem Dei nimiã, differentis vltionem tam longe: quíque non punierit in Ægypto Israelitas, qui falsos deos coluerãt, sed quinta generatione (quartam nominat Diodorus, & colligitur ex Genesi[i]) ascendere idem illos fecerit, in qua post tot demum miracula, non exuẽtes impietatem, sed vitulum adorantes puniuerit. Ruperti[k] non literalior expositio, punitum peccatum venditi Ioseph vsque ad tertiam generationem, in quarta eductos Hebræos de Ægypto. Nimis seuera Acacij responsio, ne pro patribus filij moriantur imperatum aliis, non Deo, qui omnium Dominus est, nouítque cur etiam innocentes ipse occidat iuxta iudicia sua, quæ sũt abyssus multa[l]. Qua in re nulli facit iniuriã, inquit Caietanus[m], vtpote creator, conseruator, dominus vitæ cuiuscumque. Sensus allatus à nobis explicat clarè iustum Deũ, qui pœnas de reis repetat, quáque nunc peccent, quã tunc deinceps ad quartam generationem vsque. Nec satisfacit Franciscus[n] Sonnius, & Matthæus Galenus, seu Andreas[o] Crocquetius, prophetiam Ezechielis citatam pertinere ad nouum Testamentum, foreque vt non ampliùs punirentur filij ob parentum peccata, damnatione exilij à regno cælesti, aut longa captiuitate simili Babylonicæ. Cæterùm vsque ad quartam generationem idcirco vlturus dicitur Deus, ad parentum punitionem, non modò filiorum; quia propagatio ad eam vsque fieri solet, inquit Acacius[p], & Gregorius[q], quemadmodum de Iob dictum est, quòd filios vidit vsque ad quartam generationem[r]: & idcirco filij sæpe ac imitari possunt parentum vitam, & parentes filiorũ punitionem videre. Precatus est etiã Gabelus, vt diceretur benedictio super vxorẽ Tobiæ iunioris, & super parentes, viderentque filios, & filios filiorũ vsque in tertiã & quartam generationem[s]. Moabitæ quoque vetiti sunt intrare in Ecclesiam Dei vsque in tertiam & quartam generationẽ. Sic Ambrosius[t] citatur ac refertur in decreto[u], licèt scriptura[x] iungens Ammonitas habeat quòd nec etiam post decimam generationem in æternum. Quam rationem Aquinas[y] quoque tradit, & Hugo Victorinus, & Abulẽsis[z], & alij. Itaque insinuatur tum Dei eximia bonitas patientiaque in malè agentes, dũ se zelotẽ cognominat, & in puniẽdo vsque ad quartã generationẽ visitatorem beneuolẽtum horrenda, extremi mali cõminatio in eos, qui pertinaciter abutãtur ipsius patientia, quasi nõ deinceps visitaturus sit, sed desertutus ac desolaturus, denique zelũ suũ ablaturus, & quieturus ne irascatur ampliùs[aa] in hac vita, sed irreconciliabiliter in æternũ puniturus. Similis adhuc in Ieremia[bb] sententia (*reddis iniquitatẽ patrum in sinũ filiorum eorum post eos*:) vbi Chaldaicè declaratur, *quando pergunt filij peccare post eos*. Verùm satis multa hac ipsa de re dixi in cõmentario libri

a Ier. 15. 4.
b in 1. 2. q. 5. a. 8.
c in Ezech. 18.
d Prou. 18. 3.
e c. 2. 14.
f hom. 8. in Exod.
g q. 40. in Exod.
h ibidem in catena.
* ibidem.
i c. 15. 16.
k 3. in Exo. c. 32.
l ps. 35. 7.
m in Exod. 20.
n 5 demon. rel. Christ. tract. de decal.
o catech. 65.
p in Catena Exod 20.
q 1 t. mor. c. 22.
r Iob vlt. 16.
s Tob. 9. 10. 11.
t l. 4. in Lucæ c. 4.
u 1 q. 1. c. cuò impẽ.
x Deut. 23. 3.
y 1. 2 q. 87. a. 8.
z in Exod. 20. q. 5.
aa Ezech. 16. 42.
bb c. 32. 18.

præcedentis *; & alibi de plurali, qua iuncta quatuor ad tria, quartum denotant, & tria sumendo pro multis, per quartum significatur excessus: ac proinde, vt hoc loco docet Glossa interlinearis, indicatur peccati extensio in multos. Lege Riberam ª nostrum de eadem formula, quem videtur Marzilla ᵇ transcripsisse: de re autem ipsa opusculum Plutarchi de sera numinis vindicta lectu omnino dignum, in quo vindicat Deum ab iniqua querela, quòd

Crimina ᶜ *sæpe luant nati scelerata parentum.*

Sapientis ᵈ iudicio iustus Deus cùm sit, iustè omnia disponit: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimat à sua virtute. Verùm ratio habetur parentum à Deo circa posteros tum in malis, tum in bonis conferendis & inferendis, prout dixi: Paulúsque ᵉ Iudæos secundùm Euangelium quidem inimicos vocabat propter Gentes: secundùm electionem autem carissimos propter patres, qui vt primitiæ ac radix fuerunt.

His qui oderunt me.] Dixi Chaldaicè addi (*quando filij sequuntur peccata patrum suorum*) & exponi partim de filiis, partim de patribus: quoniam licèt in omnes generationes poniat Deus odientes se, quique peccata imitentur patrũ; qua de causa quidam interpretantur de patrum dumtaxat punitione, & filij possunt faciliùs videre patres remotiores vsque retrò ad quartam generationem, nihilominus patres videre possunt quartam generationem, & sic in filiis puniri, eosdémque imitari. Porrò quilibet mali dicuntur Deum odisse, non quòd omnes formaliter ac expressè illum velint perire, aut honorem, aliáve bona perdere; sed quoniá ab illo auersi violant mandata ipsius; quæ qui diligũt eum, seruant ᶠ, ac peculiariter qui colunt idola, deósque alienos, quod proximè antè hîc prohibitum est. Odio Deum haberi à quibusdam testantur aliæ Scripturæ ᵍ, siue quosdam inimicos Deum habere ʰ: & Christus, *oderunt me* *, ait, *& Patrem*: & Iacobus * meminit amicitiæ huius mũdi, quæ inimica est Deo; ac de homine, qui inimicus Dei cõstituitur. Odio abominationis prosequi Deũ nullus potest; quia apprehendi nequit vt malum hominis coniungendum per aliquid, quod sit possessio & adeptio Dei; cùm tale nihil sit præter beatitudinem, quæ est possessio; & coniũgit nobis Deum vt bonum nostrum; ac proinde non possit haberi displicentia Dei, vt neque concipi vlla ratio mali in eo, quæ per se digna sit odio. Considerare potest quis maiũ, quod infert Deus, aut quod ne inferat metuitur, atque odium formale istius mali, Deíque vt auctoris extendere ad ipsum in se, quãuis non nisi vt is habet ordinem ad dictum malum, volendo, si fieri possit, vt Deus non sit, vel vt non sit beatus, vel omnipotens, vel omniscius, vel perfectè iustus, quia videlicet infligit mala pœnæ, aut iubet ardua, quæ priuant quiete temporali, voluptate, vtilitate postponendis obseruationi mandatorum. Augustinus ⁱ quod alicubi dixerat nullius ferè conscientiam Deum posse odisse, *video*, ait, *non fuisse dicendum: quia multi sunt de quibus scriptum est; superbia* ᵏ *eorum qui oderunt te.*

Et faciens misericordiam in multa millia.] Hieronymus ˡ recitat hunc locum (*seruans iustitiam & misericordiam in multa millia his qui custodiunt mandata eius, & faciunt præcepta illius.*) Eodem modo Rabanus hoc loco transcribens Hieronymum nomine tacito. Hebraicè, Græcéque (*in millia*, seu *in millibus*) aut absque præpositione (*millibus*) לַאֲלָפִים *lealaphim*, εἰς χιλιάδας. Chaldaicè (*millibus generationibus*, לְאַלְפֵי דָרִין *lealpe darin*. Eodem

* in c.14. 18.
a in Amos 1 n.14.
b in Exod. 20. annot. 5.
c Eurip.
d Sapien. 12.15.
e Rom.11. 28.
f Ioan.14. 15.21.
g Exod.20. 5. Num.1. 53. Deut.7. 10. c.32.41. psl.20.9. psl. 67.2. 22.24. psl.73.4. 23. psl 82.3. psl. 138.21.2. Par.19.2.
h psl.5.3. psl. 20.9. psl.36. 20. psl.65.3. psl.71 9. psl. 73.23. psl. 80.16 psl. 82.3. psl.88. 11.52. psl.91. 10. psl.109. 1.1 psl.138. 21. Sapien. 5.18. c.16.8. Esa.1.24. c. 42.13. c.59. 15 c.64.2. c.66.6.14. Ier 46.10. Nahum 1.
* Ioan.15. 23.24.
* c.4 4.
i 1 retract. c.19.
k psl 73.2.4.
l in Ezech. 18.

pacto in Exodi c.20. ª in c. autem ᵇ 7. libri nostri (*custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius in mille generationes*, לְאֶלֶף דּוֹר *leeleph dor*, לְאֶלֶף דָּרִין *leeleph dorin*, εἰς χιλίας γενεάς.) Rursus in Exodi cap.34. ᶜ *qui custodis misericordiam in millia*: vbi editiones reliquæ se habent eodem modo qui hîc est, citatóque eiusdem libri cap.20. Apud Ieremiam ᵈ, *qui facis misericordiam in millibus*; iuxta reliquarum editionum textum perinde omnino vt hoc loco. Misericordiæ nomine beneficia intelliguntur, quantum quidem ad bona temporalia, quæ Iudæi populo proponi ac promitti solebant, sed etiam quantum ad æterna, & ad æternam felicitatem spectantia. Est enim gratia Dei vita æterna ᵉ. Millia, multaque millia sumuntur pro plurimis; numerus nempe certus pro incerto; sicut in Psalmis idem valet *verbum quod mandauit Deus in mille generationes* ᶠ; *& iustitia in filios filiorum* ᵍ, quod attinet ad hoc, vt magnus quidam numerus significetur. Cùm autem ad nomen millium, locis aliis indicatis adiiciatur nomen generationum in simili, immò eadem sententia, facit vt easdem generationes hîc, & alibi, vbi reperitur ac repetitur, intelligamus; nec extendamus eum tanta amplitudine, vt facit Franciscus ʰ Sonnius, ad millia retributionum, temporum, ætatum, sæculorum, & quidquid his amplius dici potest. Ex dictis porrò circa præcedens membrum, satis percipitur, quòd misericordia superexaltat iudicium ⁱ; quámque sit in benefaciendo pronior Deus, quàm in puniendo; vt in Abrahæ, Dauidis, Christi apparet obedientia, propter quam credentes in eum consequuntur misericordiam. Perpendit Athanasius ᵏ protendi τὴν τιμωρίαν, vltionem, ad quatuor generationes; τὴν φιλανθρωπίαν in millia, εἰς χιλιάδας, videlicet generationum. Quem Athanasij locum transcripsit Seuerianus ˡ: atque idem indicat auctor ᵐ quæstionum vtriusque Testamenti, qui dat exemplum, si quis ex semine Dauid diligat Dominum; accipiet namque, inquit, misericordiam, & quia ipse Dei cultor est, & ex eius semine est, qui amauerit Deum. Si priore membro tertia quartaque generatio pro indefinito numero accipiantur, non minus quàm in isto multa millia, seu mille generationes, erit antithesis adæquata in vtroque membro quantum ad pœnam & præmium: sicque tria & quatuor component septem, qui numerus multitudinem magnam solet denotare, vt non semel notatum est. Non displicet Marzillæ in Exodum, Cornelio nostro hîc, Riberæ in Amos 1. Haud ita verò placet mihi quod ex Hebræis refert Galatinus ⁿ, significari post multa tempora, & non statim in hac vita, misericordiam istam conferendam.

Diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.] Eadem sunt in Exodo ᵒ (*his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*) Probationem amoris Gregorius ᵖ exhibitionem ait esse operis. Christus verò, *Si diligitis me*, inquit ᵠ, *mandata mea seruate: qui habet mandata mea, & seruat ea* (qui habet in memoria, & seruat in vita; qui habet in sermonibus, & seruat in moribus; qui habet audiendo, & seruat faciendo; qui habet faciendo, & seruat perficiendo, inquit Augustinus ʳ) *ille est qui diligit me: qui non diligit me, sermones meos non seruat: sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; Surgite, eamus hinc*; nimirum ad mortem: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*

Vos

a vers.6.
b vers.9.
c vers.7.
d c 32.18.
Misericordiæ nomine beneficia intelligi.
e Rom.6. 6 23.
Millia, & multa millia, pro plurimis
f psl.104 8.
g psl.102. 17.
h 3 demon. rel. Christ. tract. de decal.
i Iacob 2.
k de comm. essen. Pat. & Fil. & Spiritus S.
l in catena Exod.20.
m q.14. apud Aug.
Tertia quartaque generatio pro numero indefinito. Septem pro multitudine magna.
n l.4.c.8.
o c.20.6.
p hom.30. in euang.
q Ioan.14. 15.21.24. 31. c.15.10. 14.
r tract.75. in Ioan.

Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Dilectus quoque [a], ac dilector Christi scripsit, quòd si quis dixerit quoniam diligit Deum, & fratrem suum oderit, mendax [b] est: praeterea quòd in hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus [c]: *hac est enim*, ait, *caritas Dei, vt mandata eius custodiamus* [d]. Immò *in hoc scimus*, inquit [e], *quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus: qui dicit se nosse Deum, & mandata eius nõ custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est, & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.* Docet Augustinus [f] quòd sine dubio praecepta praecedat dilectio, quia vnde praecepta seruet non habet qui non diligit, monstratur autem dilectio si quis praecepta seruet, sicut in hoc cognoscunt homines quòd discipuli Christi sumus, si dilectionem habuerimus adinuicé [g]. De hoc alibi actum. Caietanus [h] his verbis vult explicitè contineri praeceptum de Deo diligendo vt rationem meriti in omnibus praeceptis: implicitè vnà cum praecepto de fide & spe, quatenus proponitur vnus Deus colendus.

a Ioan. 15. 13. c. 19. 16. c. 11. 7. 20. b 1. Ioan. 4. 20. c 5. 3. d ibid. v. 3. e c. 2. 3. 4. 5. f tract. 82. in Ioan. g Ioan. 13. 35. h in Exod. 20.

Vers. 11.] Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustrà: quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius assumpserit.

IVxta ordinem constitutum decem praeceptorum decalogi, hoc ex iis, quae in prima tabula pertinent ad Deum, loco secundo sequitur. In Exodo [i] autem idem his verbis extat. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* In Leuitico [k]: *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* Philo [l] ordinem obseruat, quia nomen rem tanquam vmbra corpus sequitur: & postquam dictum est de essentia honoreque eius qui semper est, praecipitur de vsu nominis eius. Vetatur quidem praecipuè periurium: nec hoc solùm, vt videntur velle Augustinus [m], Aquinas [n], Philo [o], Iosephus [p], Cyprianus [q], Hebraei, Scholastici & Casista, meminitque, Procopius [r], Chaldaea Paraphrasis [s] vertens (*non iurabis*) & alij: Verùm vt opinatur Theodoretus [t], ac passim exteri, vera etiam iuratio absque iudicio & reuerentia, quae tanto nomini debetur. Nam id frustrà, & in vanum vsurpatur bis quoque modis. Theodoretus memorans opinantes prohiberi ne idola nomine Dei vocentur, ne quis iurãdo mentiatur: vetari asserit ne Dei nomen pronuncietur nisi docendi, orandi, aliáve necessitate: non, ludendo, ridendo, & vt venerit in linguam; cùm tamen pretiosiorem vestem, diebus festis reseruét. Quo exemplo prior vsus est Chrysostomus [u], alij pharmacorum, Philo secondariae nauigationis. Violatur praeterea hoc praeceptum si quis per idolum iuret; quo pacto vanum interpretantur hic Tertullianus [x], Clemens [y] Alexandrinus, Cyrillus [z] item Alexandrinus. At satis prohibebatur priore praecepto huiuscemodi iuramentum. Quod autem additur non fore impunitum, vel insontem qui transgrediator istud praeceptum, significat figura τῆς μειώσεως, seu λιτότητος, quia minus dicendo, plus intelligitur, grauissimè puniendũ; vt eùm veretur declinare post vana, idest, idola, quae non proderunt [aa], & vae denunciatur

Paraphr. i c. 20. 7. k c. 19. 12. l de decal. m contr. mend. c. 8. n 2. 2. q. 122. a. 3. o de decal. & de specia. legib. p 3. antiq. c. 4. q 1. 3 c. 12. r in Exo 20. s ibid. & hic. t in Exod. 20. q. 41. u hom. 9. ad popul. x de idolol. c. 20. y 6. Strom. z 4 in Ioan. c. 51. aa 1. Reg. 12. 21.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

cogitantibus inutile [a], &c. Triennali quidem sterilitate Iudaeae Saulis periurium punitum [b] est: periurium Sedechiae expugnatione eiusdé Iudaeae, atque Ierosolymae [c]. Laudabile est seruatis conditionibus veritatis, iudicij, iustitiae, de quibus Ieremias [d], iurare [e]: siue asserendo, siue promittendo, siue comminando, siue execrando, vt fit etiam in adiuratione & exorcismo: iurauitque ipsemet [f] Dominus: Christus verò, vt quidam putant, quoties dixit *amen*, vel *in veritate* [g]: Angelus [h], Apostolus [i] Paulus, vocans controuersiae finem iuramentum ad confirmationem [k]: & id licere negantem Pelagium confutat Augustinus [l], Apostolicos, siue pseudoapostolos haereticos Bernardus [m], Vuiclef. Concilium [n] Constantiense; quem errorem hodie sectantur Anabaptistae, in eodémque fuerũt Cathari, & VValdenses. Leuem, ac frequentem iurandi vsum in familiari sermone damnat Christus [o], citatus Augustinus [p], & Chrysostomus [q]: quoniam inde facilis ad periurium lapsus est, multi casus in iuratione, eui quis assuescit os suum [r]; vírque multùm iurans replebitur iniquitate [s]: & luquela multùm iurans, horripilationem capiti statuet [t], &c. Ne religionis quidem causa peierandum, quidquid, Bolseto teste in vita Caluini, senserint Caluinistae, olímque Elchesaitae ac Priscillianistae: nec hosti etiam haeretico data fides neganda; quod Machiauellistae, atque Libertini generaliter docent, quando ex Principis vsu fit, contra quos Ioannes Molanus, & Rosucidus noster in tractatibus de fide seruanda haereticis, exemplis ostendentes peierantium poenas diuinitus illatas, quibus alij alia addunt, vt in catechismo historico noster ité Antonius Dauroultius. Reuocantur huc iuramenta per creaturas, quae pariter cauit Christus [u], & Augustinus [x] aliique: quamuis licitè iis vsi sint Ioseph [y] per salutem Pharaonis; Moses [z] per caelum & terram; Hebraei ipsi Rahab per animã [aa] suam; Nabuchodonosor [bb] (si tamen licitè) per thronum suum; Paulus [cc] per gloriatio discipulorum suorum. Ad idem referunt alij voti violationem, blasphemiam, sacrilegium, abusum diuinae Scripturae ad scurrilia & alia deteriora: Gentilium loquendi modum iurandi per Herculé, &c. de quo postea. De iuramento in commentariis alijs meis non pauca reperies: quae me hic breuiorem esse, quamuis in loco proprio, compellunt. Periurus iniuriam facit Deo, inquit Doctor [dd] Angelicus, aut credens nescire verum; aut diligere mendacium; aut non posse conuincere vel punire periurium: sibi; obligans Deo se, ac tantùm nõ dicens, vt puniat Deus, si non ett ita: aliis, violans humanam societatem, contractum, commercium. Exaggerat Philo [ee] improbitatem ac impietatem periuri, qui quod ab amico non audeter postulare, ad id Deum vocet, idest, vt falsitati det testimonium, sceleríque sit socius, melior deterior subseruiat, optimus homini scelesto. Arguoneotatur quoque, impium esse qui nesciat illum inspicere omnia, exaudireque; & dolo malo agere, iurando per eum, qui non animaduertat, quasi per prospicientem rebus hominum: si sciat eiusdem prouidentiam, adhuc magis videri impium, inuitando ad scelus Deum, vti dictum est. Igitur meritò apposita est ad hoc & praecedens praeceptum comminatio poenae; quia haec praecipuè necessaria erat, inquit Aquinas [ff], contra illos qui proni erant ad idololatriam more Gentium; & ad periurium, ob frequens iuramentum, quod tamen vt alterius laesionem respicit, allo distincto praecepto vetatur;

a Micha. 1. 1. b 2. Reg. 21. 2. c Ezech. 17. 11. 18. 4. Reg 24. & 25. d c. 4. 2. e ps. 62. 12. f ps. 109. 4. g Lucae 4. 25. h apoc. 10. 16. i Rom. 1. 9. 2. Thess. 2. 10. 2. Cor. 1. 23. Gal. 1. 20. Phil. 1. 8. k Hebr. 6. 16. l epi. 89. fer. 28. de verb. Apost 19. m contra Faust. c. 23. ferm. 66. in Cant. n sess. 8. circa art. 43. o Math. 5. 34. & seqq. p ser. & 1. de mend. c. 15. ferm. 30. de verb. Apost. 2. de ferm. mon. c. 30 & epist. 154. q hom. 26. ad pop & alibi saepe r Eccl 23 9. s ibid. v. 12. t c 27. 15. u Math. 5. 34 & seqq. c. 23. 16. & seqq. x 1. de ser. in monte. c. 30. y Gen. 42. 13. z Deut. 4. 26. c. 30. 19. aa Iosi. 2. 14. bb Iudith 1. 12. cc 1. Cor 15. 31. dd opusc 4. de decalog. ee de decal. ff 1. 2. q. 100. a. 7. ad 4.

[* in Exod. c.19.] Applicat mysticè Isidorus * præceptum hoc secundum ad Filium Dei, quemadmodum præcedens ad Patrem, sequens ad Spiritum sanctum. [a in passionem Domini.] Athanasius [a] inter alias rationes quibus iuramentum reprehendit, vtitur ista, quoniam si regem terræ ad infima tribunalia in testem vocare nefarium est, vtpote maiorem & actoribus & iudicibus, indicatum ad creatum accersendum non esse, nec effici, vt Deus negligatur ab hominibus; quod omnem superat iniquitatem & audaciam, πᾶσαν ὑπερβάλλον πονηρίαν καὶ τόλμαν. Inuehitur passim Chrysostomus in iuramenta; vt non existimemus creaturam esse; quoniam omnis creatura [b Rom.8, 20.] vanitati subiecta est [b]; sed credamus æqualem Patri, Deum deorum, verbum apud Deum, per quem omnia facta sunt. Sanctitas attribuitur Spiritui sancto; Pater in deitate prima persona est: Filius per intellectionem Patris procedit; & nomen quodammodò est, quod quædam rei notitia est, significatio, expressio.

[Explanatio. c c.20.7.] *Non vsurpabis nomen Dei tui.*] Pro (*vsurpare*) in Exodo [c] est (*assumere*) vtrobique Hebræum תִשָּׂא *thissa, eleuabis* (quamuis illas quoque notiones habeat) quia iurantes eleuabant manum in cælum, [d v. 30.] vt vidimus prioris libri cap.15. [d] Chaldæum תֵימֵי *theme*) hîc, & in Exodo significat (*iurabis*) redditque Caietanus ea Hebræa (*non iurabis nomen Iehouah Elohe tui falsitati*) Græcum λήψῃ, *accipies*. In [e vers.4.] Psalmo 15. [e] quod legimus, *nec memor ero nominum eorum per labia mea*, Hebraicè dicitur cum eodem verbo quod hîc habemus: ita vt idem videatur nomen assumere siue vsurpare, quod memorem esse, sed in ore, seu per labia. Quare non est magnopere laborandum vt cum Francisco [f] Sonnio, assumendi verbum generaliter accipiendo, interpretemur, ne assumat quis vllo modo nomen Dei nec in sermone, nec in scriptis, nec in iuramentis, nec in detestationibus, execrationibus, maledictionibus, aliòve quocumque modo, in vanum, aut frustrà. [Assumendi, siue vsurpandi verba. f dem.rel. Christ.tra. de decalog.] Nec item curandum de proprietate verbi vsurpandi, vt sit absque legitimo iure, ac temerè aliqua re vti, sibique vindicare, quemadmodum vsurpando de anathemate, siue auferendo, præuaricatus narratur Achan [g]. [g Ios.7.1.] Dicitur vsurpare ab vsu, vt sit idem quod rei vsum capere. Titulus est in lib.41. Digestorum *de vsurpationibus & vsucapionibus*: vbi vsurpationem Paulus Iurisconsultus [h] definit interruptionem vsucapionis: [h lib.2.] de qua notione etiam Gellius [i], & Cuiacius [k]: & prior de alia pro frequenti vsu. [i l.3.c.2. k in citatū locum Digest.] Tertia est in malam partem, vt hîc & citato loco Iosue, cùm quod illicitè occupatur, capitur, inuaditur, præsumitur; vt etiam in iure Canonico, quemadmodum à Nigrone [l] nostro notatum est. [l in reg.9. ex comm.] Quod attinet ad nomen Domini Dei, quæ respondent Hebræis יְהוָה *Iehouah*, & אֱלֹהִים *elohim*, & similibus Chaldæis, nisi quod secundum est אֱלָהָא *eloha*, & Græcis κύριος & θεός, omissa scholastica quæstione de Dei nominibus, de quibus etiam librum conscripsit Dionysius: ac posito quòd nomen ei adæquatum imponi nequeat, quia infinitus est in essentia & attributis: prætereà non recensendo plura eiusdem nomina; ex quibus decem Hebræa Hieronymus declarat in quadam epistola, nósque in aliis commentariis eadem & plura alia, vt se dedit occasio, exposuimus; per nomen Dei non vsurpandum assumendúmve in vanum, siue frustrà, intelligitur quodlibet, quo audito concipitur Deus: præcipuo autem quodam modo nomen Iesu, quod singulariter veneramur, vt Abulensis [m] monet, re- [m in Exod. q.7.] fellens Hebræos affirmantes isto præcepto prohiberi prolationem indebitam nominis tetragrammati, quod soli summo Sacerdoti liceret proferre in tabernaculo; vtpote super omne aliud nomen ex peculiari Dei voluntate in præmium quoddam humilitatis Christi [a], & collatæ ab ipso nobis redemptionis, ita vt non sit aliud nomen, in quo oporteat nos saluos fieri [b]. [a Phil.2.8.9. b actuum 4.12.] Caietanus inseri ait nomen Iehoua *elohe tui*, vt denotetur iniuria quæ summo Deo (quod primo nomine indicatur) fiat ab eo metipso qui colit illum & profitetur (quod importat nomen alterum) vt iudicem. De nomine item fieri docet mentionem, non de Deo ipso, quia intentio iurantis falsò, non est, inquit, vt Deus testimonium perhibeat dicto iurantis, sed diuini nominis attestatione auctorare quod dicit; vt propterea directè fiat iniuria diuino nomini. Nihilominus iurari quoque dicitur Dominus, aut in Domino, aut per Dominum [c]; [Nomen Domini pro ipso domino.] & quidem sæpiùs quàm in nomine, vel per nomen eius: & nomen Domini crebrò pro Domino sumitur, vt cùm ardens furor nominis eius dicitur [d]: & iurans intendit auctoritate ipsiusmet Domini quod iurat confirmare; ita vt iniuria fiat directè ipsimet Domino, non præcisè nomini illius. [c Gen.22. 32. Ios.2.12. 1 Reg.24. 22. l 2.19.7. l.3.1.17.30. c.2.8.2.Par. 15.14.Esa. 19.18.c.65. 16.Ier.12. 16. Dan.12. 7.Soph.1.5. Apoc.10.6. d Esa.30. 27.] Cæterùm ad nomen Domini Deive quod vsurpari non debeat in vanum, iurando, vel aliter, spectant quoque nomina Sanctorum, & creaturarum quarumlibet, propter habitudinem quam habent cum auctore ipsarum Deo. Matthæus [e] Galenus, siue Andreas Crocquetius per Dei nomen in isto præcepto totam verbi Dei religionem sumi vellet seu scriptam, seu per manus à Patribus traditam; [e in catechesib. Christ.catech.66.] quoniam ipsa lex vocatur, inquit, in Scripturis, Dei nomen. Nam vbi dicit Esaias [f], *legem eius insulæ expectabunt*, quod habetur etiam Hebraicè לְתוֹרָתוֹ *lethorotho*, & Chaldaicè לְאוֹרַיְתֵהּ *leoraitheh*, redditur Græcè, *in nomine eius Gentes sperabunt*, ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι, quam translationem secutus est quoque Matthæus [g] citans eumdem Prophetam. [f c.42.4. g c.12.21.] Lege Doctorem Angelicum [h] de iuramento per alia quàm per Deum. [h opusc.7.de decalog.]

Frustrà.] Hebraicè לַשָּׁוְא *lasciau*, Chaldaicè לְמַגָּנָא *lemaggana*, Græcè ἐπὶ ματαίῳ. In Exodo [i] editiones reliquæ non discrepant: nostra habet (*in vanum*) quod autem hîc paulò pòst est (*super re vana*) iisdem vocabulis exprimitur ab aliis editionibus: sed in Exodo ponitur Latinè (*frustrà*) vbi etiam illæ non variant: & legit Aquila εἰς κενόν, *in cassum*. [i c.20.7.] Habet quoque Philo [k] μὴ λαμβάνειν ὄνομα θεοῦ ἐπὶ ματαίῳ *non assumere nomen Domini Dei in vanum*, aut *vanitatem*, hoc est, absque necessitate, & graui causa, siue falsò id fiat, siue verè, sed leuiter, temerè, irreuerenter. [k de decal.] Significatur nomine Hebræo non solùm vanitas, sed prætereà mendacium, (quæ benè Latinè dicitur vanitas orationis) & idolum: vt proinde vetari senserint aliqui, quemadmodum retuli, solum iuramentum mendax, siue periurium (sentit id etiam noster Maldonatus [l];) aut per idola, aut ne idolis Dei nomen tribuatur. [l in Matth. 5.33.] In 1.Regum [m]; *nolite declinare post vana*, ὀπίσω τῶν μηδὲν ὄντων, *post eos qui nihil sunt* (*quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*, ὅτι οὐδέν εἰσι, *quoniam nihil sunt*. [m c.12.21.] In actibus [n] Apostolorum, *annunciantes vobis ab his vanis conuerti*, ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων, *ad Deum viuum*. In 1. ad [o] Corinthios, *scimus quia nihil est idolum in mundo*. [n c.14.14. o c.8.4. Vanum pro idolo.] Lex prohibet deos pronunciari, & nomen hoc, inquit Tertullianus [p], in [p de idolol. c.20. & 21.]

vano collocasti. Citatur autem ab eodem ex Exodi c.23. [m] secundùm L X X. *nomen aliorum deorum ne commemoremini, neque audiatur de ore tuo*; ὄνομα θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθήσεσθε, οὐδ' οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. Hoc præcepit, ait ipse [a], ne deos vocemus illos. Nã & in prima parte legis; *non sumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vano*, idest, in idolo. Cecidit igitur in idololatriam qui idolum nomine Dei honorãuerit. Quod si *deos* dicendum erit, adiiciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego illos deos dico. Nam & Scriptura Deos nominat, sed adiecit suos, vel nationum. Pamelius [b] additiones alias ex biblicis concordantiis expromit: vt vocentur dij alieni, aurei, Ægypti, tui, mei, conflatiles, Gentium, quos ignorabant patres eorum, Amorrhæorum, Syriæ, Sidonis, Moab, montium, terrarũ, populorum, terræ, filiorum Seir, Edom, regum Syriæ, Damasci, patrum suorũ, opera manuum, Iuda, quos fecisti, illorum, falsi, lignei, qui non vident, muti, qui naturâ nõ sunt dij. Addit verò Tertullianus consuetudinis vitium esse me Hercule dicere, me Dius fidius, accedente ignorantia quorumdã, qui ignorant iusiurandum esse per Herculem. Et sunt tamen Christiani scriptores nonnulli hodièque, qui se Latinè scribere non arbitrantur, nisi etiam ethnicè, ne dicam impiè, damnatas has formulas vsurpando. Distinguit Aquinas [c] explanans istud præceptum, notionem vani pro falso, inutili, peccato seu iniustitia, vetatque docet ne assumatur nomẽ Dei ad confirmationem falsitatis, quod Zacharias [d] iuramentum mẽdax vocat; ne absque necessitate, ne pro peccato faciendo, vel omittẽdo bono: bonum iuramentũ habere oppositas conditiones apud Ieremiam [e], vt sit in veritate, iudicio, iustitia: denique quatenus vanum accipitur etiam pro stulto, stultè assumi nomen Dei ait à blasphemo. Ponit adhæc nomen Dei assumi posse ad dicti confirmationem, sanctificationẽ, aduersarij expulsionem, eiusdem confessionem, defensionẽ, operis completionem; & ostendit quo pacto quis totidẽ modis peccet assumendo in vanum. Augustinus [f] de Christo falsa & simulata loquẽtes hoc reuocat, comparans cum plaga secunda ranarum [g]. Simile iudicium eorum quos damnat Concilium [h] Tridentinum, eo quòd torqueant verba & sententias sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos famosos; appellãs temeratores & violatores verbi Dei. Traduntur à Theologis & summistis variæ iuramentorum quasi formulæ tum circa Deum, tũ circa Sanctos & alias creaturas. Chrysostomus Seuerianum Gabalẽsem Episcopum excommunicasse, seu ab vrbe Constantinopolitana proscripsisse, quia dixerat; si Serapion Christianus (aliter clericus) diem suum obierit; Christus nõ est factus homo. Quid tu ais? inquiens; hoc fidei caput est verissimum, ac certissimũ; id verò quod dicis, potest esse falsum: atque ita tantam veritatẽ ipse tibi tribuis, cùm sis mendax, quanta est in Deo ipsa veritate [i]. Tale vulgare illud; hoc tam verum, quàm Deus est. Quamquam Socrates & Sozomenus narrant Serapionem retulisse tantùm à Seueriano dictum, quòd Christus non esset homo factus. Eugubinus hoc loco Iudæos arguit passim dicentes, *Badonai*, idest, per Deum; cùm quotidie Decalogum recitent in Synagogis.

Quia non erit impunitus.] In Exodo [k] (*nec enim habebit insontem Dominus eum*) sed vtrobique in editionibus aliis eodem modo. לא ינקה יהוה *chi lo ienakeh Iehouah*: Chaldaicè לא מזכי *la mezaccheh*; Græcè καθαρίσει. Quæ possunt exponi per non mundare, sanctificare, iustificare, parcere, innocentem declarare, seu insontem. Non esse impunitum Interpres noster alibi [a] dixit, vbi est eadem phrasis Hebræa, & similis Chaldæa לא מזכי *lo mizdacche*, Græca οὐκ ἀθῳωθήσεται: vel לא נזכי *lo mizdacche*, & οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται. Similis formula est vt dicatur quis innocens non esse extendens manum suam in Christum Domini [b], hoc est, si regem interficiat: vbi est verbum נקה *nakkah*, & נקי *Zache*, & ἀθῳωθήσεται: quod *manus in manu non erit innocẽs malus* [c], vbi לא ינקה *lo innakeh*, לא מזכי *lo mizdaccheh*, οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται: & vltimum locum Hebræi exponunt cõsentaneè ad hũc nostrum; de filio & patre; vt scelera parentum in filios puniantur, quasi, vt dicitur, per manuum traditionem: Ibidem certè subditur; *semen autem iustorum saluabitur*. Quamuis videatur expositio probabilior, improbitatem in solo animo esse posse absque opere externo. Vel de auaro, qui licèt multis quasi manibus, & centimanus Briareus, aliena diripiat, pœnas non euadat. Vel de illo qui lites iniustas intendit pauperibus, & ex ritu antiquo manu consertos in ius vocat. Lege nostrum Salazar [d]. Talia sunt alibi quoque alia exempla [e]. Metonymicè insons pro impunito accipitur: figura verò illa, de qua priùs monui; non esse impunitum, vel insontem, est grauiter puniri: quemadmodum cogitare [f] inutile, idem est, quod peccatum, quod maximè noxiũ est: declinare post vana quæ non [g] prosunt, idem quod post idola, quorum cultus plurimum obest: colere idola quæ Deus non mandauit [h], idem quod quæ seuerissimè prohibuit: non esse vtile relinquere legem & iustitias Dei [i], idem quod perniciosissimum. Eiusdem generis est non virtutis egens [k], vel rationis [l], nõ ignara mali, apud Virgilium; apúdque eumdem & alios illaudatus, inamabilis, inculpatus, &c. vt [n] aliàs monui ex Gellio [o], & Macrobio [p]: significant enim insigni virtute præditum, in malis plurimùm exercitatum, deterrimum, odiosissimum, omni virtute ornatum. Profert Gellius & Macrobius Græca exempla ex Homero, & Epicuro vtentibus κατὰ στέρησιν, idest, secundùm priuationem, seu detractionẽ talibus in dicta notione vocabulis: quibus addunt alia Virgilij enarratores nostri Pontanus, & Cerda, vt κακῶν ἐκ ἀπείρους ἢ ἀδαήμονας, quæ sunt Sophoclis, & Homeri. Memini porrò antea extare non pauca exempla punitionis in vsurpantes frustrà nomen Domini præsertim iurãdo; & alia proferri possent circa modos alios peccandi contra hoc præceptũ; ac nominatim quod tam fieri non solet, contra eos qui diuinis literis ad vsus profanos abutuntur, vt olim Theodectes & Theopompos [q]. Verùm quia hoc diuinum iudicium rarò impletum videmus in hac vita, inquit Caietanus [r]; consequens est; vt verificatio istius literæ diuinum iudicium post hanc vitam comprehendat. Quod annotare debent illi, subdit ipse, qui negant in libris Mosis contineri aliquid futuræ post mortem vitæ.

Qui super re vana nomen eius assumpserit.] In Exodo [f] (*qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*) Vbi editiones reliquæ non differunt: & super re vana nomen Domini Dei assumere, idem valet, quod in vanum & frustrà, vt priùs quoque notatum est iuxta varias notiones שוא *schau* pro inani, mendacio, idolo, &c. Denique assumere & vsurpare synonyma hîc esse dixi, & נשא *nasa* exponi etiam eleuare, quòd alleuatis manibus iuramentum nuncuparetur.

[a] verf. 13.
[a] c. 22.
[b] ibidem n. 155.
[c] opusc. 4. de decalogo. *Vanum pro falso.*
[d] c. 8. 17.
[e] c. 4. 2. *Vanum pro stulto.*
[f] tom. 10. fragment. 2. ex lerm. de decal.
[g] Exod 8. 2. & seqq.
[h] sess. 4.
[i] Niceph. l. 13. c. 9. Socr. l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. c. 10.
[k] c. 20. 7.
[a] Prou. 17. 5. c. 19. 5. 9.
[b] 1. Reg. 26. 9.
[c] Prou. 11. 21.
[d] ibidem. *Insons pro impunito.*
[e] Exod. 21. 19. 28. c. 34. 7. 2. Reg. 14. 9. Prou. 28. 20. Ier. 2. 35. c. 49. 12. Nahũ 1. 3.
[f] Mich. 2. 1.
[g] 1. Reg. 12. 21.
[h] Ier. 32. 35.
[i] 1. Mach. 2. 21.
[k] Æneid. 11.
[l] lib. 5.
[m] lib. 1.
[n] in actuũ 14. 14.
[o] l. 2. c. 6.
[p] l. 6. c. 7.
[q] Ioseph. 12. antiq. c. 2.
[r] in Exod. 20.
[f] c. 20. 7.

Verſ.12.] Obſerua diem Sabbati,vt ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.

Verſ.13.] Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

Verſ.14.]Septimus dies Sabbati eſt,ideſt, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſeruus & ancilla, & bos, & aſinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui eſt intra portas tuas:vt requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu.

Verſ.15.] Memento quòd & ipſe ſeruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti,& brachio extento. Idcirco præcepit tibi vt obſeruares diem Sabbati.

PARAPHR.

TErtium primæ tabulæ,aut, vt alij ſuppotant, quartum præceptum vltimúmque illorum quæ pertinent ad Deum: & ſimpliciter quidem morale quemadmodum reliqua totius Decalogi, vt habet communis opinio, ſeu naturale ac iuris naturalis, ſed mixtum tamen ex ceremoniali propter deſignatum diem particularem Sabbati, & propter myſticam ſignificationem quietis Chriſti in ſepulchro, noſtræ verò ſpiritalis ac beatæ. Quare non rectè Sabbatum hîc ſumitur pro quouis feſto, licèt alibi ſic ſumi poſſit. Verſu 14. exprimitur ſeptimus dies. Nam in Exodo [a] ſic extat idem præceptum, reddendo rationem propriam eidem diei. *Memento vt diem Sabbati ſanctifices: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificauit eum.* Item in c.31. [b] *Videte vt Sabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris; vt ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbatum meum: ſanctum eſt enim vobis: qui pollueris illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo Sabbatum eſt, requies ſancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morte morietur. Cuſtodiant filij Iſrael Sabbatum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignúmque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram: & in ſeptimo ab opere ceſſauit.* In Leuitici 23. [c] *Sex diebus facietis opus: dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur ſanctus. Omne opus non facietis in eo, Sabbatũ Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris.* Ex his locis intelligitur, & quanti fecerit Deus hoc præceptum, quod præterea repetitur in Leuitico [d], apúdque Eſaiam [e], Ieremiam [f], Ezechielem [g]; & quòd certum diem, qui ſeptimus eſt in hebdomada, deſignet: & quòd iſtius cauſa reddatur, quia tali die quieuit Dominus ab vniuerſo opere quod patrarat, creatis rebus per ſex præcedentes dies, cui diei propterea exprimitur in Geneſi [h] benedictum à Deo, atque ſanctificatum ad perpetuum monimentum conditæ mũdi huius machinæ admirandæ, & celebrationem natalis eius, vt Philo [a] loquitur: & quòd ſignum aſſeratur fuiſſe, quemadmodum circumciſio fuit, & aliæ ſimiles ceremoniales leges: & quòd memoriam ſuggerat liberationis de Ægyptiaco labore, ad quietam poſſeſſionem promiſſæ terræ: & quòd inſinuet opera miſericordiæ in proximos, ne ex auaritia & crudelitate laboribus opprimantur. Aquinas [b] rationes quinque declarat, vt deſtrueretur error negantium mundum factum eſſe in tempore: vt præfiguraretur quies corporis Chriſti in ſepulchro abſque corruptione: vt præſignificaretur ac roboraretur promiſſio quietis de labore, tentatione, diaboli ſeruitute, tum per gratiam, tũ per gloriam: vt amor inflammaretur in Deum per vacationem ad ſpiritualia præfixo die, vt pietatis ac miſericordiæ opera exerceri poſſint erga alios. De memoria creationis meminit Athanaſius [c], de figura quietis æternæ Ambroſius [d] & Cyrillus [e] Alexãdrinus, de figura quietis Chriſti in ſepulchro Auguſtinus [f], de tempore quo dediti luctis ac negotiis temporalibus Iudæi vacarent Deo, & occaſiones peccãdi præciderent Nyſſenus [g]. Ouidius [h] ſeptima ſacra, ſeu feſta culta Iudæo, ſeu Palæſtino vocat. Iuuenalis [i] ſeptimam lucem ignauam. In libro Leuitici [k] narratur punitio eius qui violauerat Sabbatum: & Ezechiel [l] inducit Deum conquerentem de violantibus illud vehementer, proptereáque punitis in deſerto; quod multis verbis exaggerat idem propheta: Ieremias [m] autem facit comminantem pœnam conflagrationis. Egimus aliquoties de Sabbato, nomine ipſius, eiuſdémque religione aliis in locis, præcipuè actuum Apoſt. & Leuitici: & quòd ſeruile tantùm opus in eo vetaretur, ac nominatim etiam ciborum præparatio, ita vt nec manna colligi poſſet [n]; non autem opus vel neceſſitatis, vel miſericordiæ: propterea ſuperſtitioſiorem fuiſſe archiſynagogum, qui vetabat Sabbatis ægros curari à Chriſto [o]: & aliũ, qui ne curatus ab eodem paralyticus, tolleret grabatũ [p] ſuum: vel ne vellerent ſpicas diſcipuli qui eſuriebant [q]; vel ne faceret Chriſtus lutum ad curandũ cæcũ [r]: in Machabæorum etiam hiſtoria illos, qui pro vita decertare noluerunt [s], quod aliàs quoque factum teſtatur Ioſephus [t]: Chriſtũ non reprehendiſſe ſolui eo die bouem, aut aſinũ à præſepio, vt adaquarentur [u]; ſed docuiſſe, allato exemplo Dauid edẽtis panes propoſitionis; & ſacerdotum violantium Sabbatum ſine crimine, ſe dominum eſſe Sabbati, ac proinde & curare poſſe in illo, & permittere diſcipulis vellere ſpicas, denique licere Sabbatis benè facere [x], nimirũ curando, &c. quãuis aliàs hæc prohibita eſſent, quæ tamen non erant. Memini prætereà calumnias meras Gentilium fuiſſe, in honorem Saturni cui dicatus ſeptimus dies, hunc à Iudæis celebratum [y]: vel in honorem Bacchi, qui Sabbos dictus [z] eſt: vel quia cùm ex Ægypto egreſſi inguinum laborarent vlceribus, quæ appellabant Ægyptij Sabbo, die ſeptimo ceſſarint [aa]. Adhæc reieci etymon Lactantij [bb], vt dicatur Sabbatum à ſeptẽ, cùm origo ſit à שבת *sciauath*, ſeu *sciabath, quieſcere, ſeptem* verò שבע *sceuahh* ſignificet: & irriſionem Senecæ [cc] quòd perderent Iudæi ſeptimam ætatis vitæque partem otiando. Docui quoque commutatam Sabbati religionem apud Chriſtianos, in venerationem diei Dominicæ; ob memoriam præſertim reſurrectionis Chriſti, vnà cum lucis prima creatione, & alia priuilegia eiuſdem diei: falliqúe, qui Chriſtianum nomen profitentur apud Æthiopas, diem Sabbati celebrandũ à Chri-

Marginal notes (left column): a c.20.8. & ſeqq. — b v.13. & ſeqq. — c verſ.3. — d c.19.3.c. 23.3. — e c.56.4.c. 58.13. — f c.17.21. 22.27. — g c.20.13.& ſeqq. — h c.2.1.2.

Marginal notes (right column): a de opificio mundi. — b opuſc.4. — c ora. in id omnia mihi tradita ſūt. — d epiſt.7. — e 4. in Ioan. c.51. — f 4. de Gen. ad lit. c.10. — g contr. Iudæos c. de Sabb. — h 2. de arte amandi. — i Saty.14. — k c.15.32. & ſeqq. — l ſuprà. — m c.17.27. — n Exod.16. 23. — o Lucæ 13. 14. — p Ioan 5. 10.16. — q Matt.12. 2. — r Ioan.9. 13.16. — s 1.Mach.2. 41. — t 12. antiq. c.1. — u Lucæ 13. 15. — x ibid. & Matt. 12.3. & ſeqq. Marc. 2.23. & ſeqq. c.3. 2.4. Luc.6. 2. & ſeqq. c. 13.15. & ſeqq. c.14.3. 5. Ioan.5. 10. & ſeqq. c.7.22.23 c. 9.14.16. — y ref. Diod. in Catena Exod.20. — *Sabbati etymon.* — z Plutar.4. ſymp.q 5. — aa Apion. apud Ioſephum l.2. contra illũ. — bb l.7. c.14. — cc apud Augu. de ciuit. 6.11.

ſtianis

stianis cum Dominico: nec non & Ebionitas hæreticos, quibus adde Sabbatarios Anabaptistarum germen apud Staphylum (quos Lutherus ipse libro contra ipsos confutat) & Lucam Sternberger, de quo idem Staphylus: qui pro Dominica Sabbatum coli volebant. His deteriores Beguardi, cessare hoc præceptum quantum ad iustos. Refert quoque Franciscus [a] Sonnius damnatam propositionem istam à Theologis Parisiensibus; *futurum est vt verè quis quamis dies sit æquè sacra*. Id Sonnius de beatis admittit. Sed & Diogenem dixi aliàs eiusmodi sententiam proferentem recipi posse, quatenus decet virum iustum nullo non tempore virtuti operam dare, ac Deum colere: quamuis peculiaria tum tempora, tum loca, tum opera eidem ritè dedicentur. Legantur Augustinus [b], Leo [c], Gregorius [d], Athanasius [e], Cyrillos [f] Alex. Damascenus [g], Hugo [h] de S. Victore, Aquinas [i], Chrysostomus [k], ex quibus, eáque aliis disces, quibus pietatis, ac religionis operibus, præter cessationem à seruilibus, vacandum sit. Cæterùm, vt non repetam locis aliis dicta, Chrysostomus [l] & Aquinas [m] obseruant ad alia præcepta sequentia causam adiectam non esse, quemadmodum ad istud (addit Aquinas ex præcedenti id quod spectat ad sculptile) quia non erat de principalibus (videlicet quatenus ceremoniale) nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddam & temporaneum; alia pertinere ad legem naturalem, ita vt non sit opus discere quòd malum est fornicatio, & bonum continentia, vel mala cædes; sed ab initio hæc scimus, & præueniens conscientia nos docuit, continéntique necessaria, & vitam nostram: & idcirco sola opus fuit prohibitione. Adiiciam adhuc ad ea quæ alibi dixi de sabbati obseruatione religiosa & superstitiosa, quædam alia. Nehemias cùm vidisset viros Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die sabbati, contestatus est vt in die qua vendere liceret, venderent. Præterea, cùm vidisset Tyrios in eandem inferentes pisces & omnia venalia, & vendentes in sabbatis filiis Iuda, obiurgauit optimates Iuda, dicens; *Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem sabbati? numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? & vos additis iracundiam super Israel, violando sabbatum.* *Factum est autem*, inquit auctor historiæ, *cùm quieuissent portæ Ierusalem in die sabbati, dixi, & clauserunt ianuas: & præcepi vt non aperirent eas vsque post sabbatum: & de pueris meis constitui super portas, vt nullus inferret onus in die sabbati. Et manserunt negotiatores & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem, semel & bis. Et contestatus sum eos, & dixi eis; quare manetis ex aduerso muri? si secundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato. Dixi quoque Leuitis, vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandum diem sabbati.* Hæc omnia ex 2. libro Esdræ [n], qui vocatur etiam Nehemias; quæ conducunt ad celebrationem festorum nostrorum, & similia his sunt quæ gessisse Christum in templo plenum diuini zeli Euangelistæ [o] omnes produnt. In historia Machabæorum est, quòd cùm abstinentes à sui defensione præ nimia religione, cæsi fuissent die sabbati [p] (quod refert etiam Iosephus [q]) postea decretum est, vt si quid tale tali die contingeret, defendendo pugnarent [r]. Nihilominus ibidem [s] ob

a p. demõst. rel. Christ. tract. de decalogo.
b epist. 119.
c 12. & 13. & ser. 154. & 251. de temp. & in Ps. 32. concione 1.
e epist. 81.
d li. 11. epist. 3. & 35. moral. c. 7.
e ora. in id, *omnia mihi tradita sũt.*
f 4. in Ioan. cap. 51.
g 4. de fide c. 24.
h in Exo. 20.
i 1. 2. q. 122. a. 4. & opusc. 4.
k concione de Lazaro, & ho. 10. in Gen.
l hom. ad popul. pro gratiarum actione.
m in 3. d. 37. a. 2. q. 1. ad 3. & 1. 2. q. 100. a. 7. ad 2.
n c. 13. 15. & seqq.
o Matt. 21. 12. & seqq. Mar. 11. 15. & seqq. Lucæ 19. 45 & seqq. Ioan. 2. 14. & seq.
p lib. 1. 2. 32 & seqq.
q 12. antiq. c. 7.
r ibid. v. 41.
s lib. 2. 8. 15. 27.

dicti diei religionem, abstinuerunt à bello inferendo seu à prosecutione illius; & memorat Iosephus [*], Ionatham cognito aduentu Bacchidis, existimantis non repugnaturum propter religionem diei, hostem aggressum esse: præterea [*] Pompeium obseruatis diebus septimis, quibus Iudæos religio ab omni opere manus abstinere compellebat, aggerem cumulare præcepisse; próque solo corpore Iudæis per sabbata pugnare licuisse: adhæc [a] Ptolemæum Lagi Ierosolymam ingressum velut sacrorum gratia die sabbati occupauisse: Mithridatem aggredi Iudæos sabbato instante voluisse, quod illi religioso otio colebant [b]: item ex Agatharchide, vacare consueuisse septima die; ita vt neque arma portare possent, neque alterius curam habere; sed in templis extendentes manus adorare vsque ad vesperam solitos [c]: postremò permissum illis à Romanis agere sabbata; & quia sabbatis iter facere lege prohibebantur, militiæ vacatione potiri [d]: inter Iudæos qui Esseni dicebantur ne pridie quidem cibum præparauisse: nullum vas ausos transponere: immò nec aluum purgare, οὐδὲ ἀποπατεῖν, quod vltimum sanè plusquam superstitiosum est, ac sordidum esse quoque potest, valetudinique aduersum. Exempla talium superstitionum legi possunt apud alios, vt de iure calido non sorbendo [e], quo quisque habitu, loco, situ, inueniretur siue stans, siue sedens, intus vel foris, eodem loco, eadémque positione illo die vsque ad vesperam permaneret, vt Origenes [f] testatur, & Synesius [g], qui de nauta meminit relinquente clauum, sesèque in terra cuique calcandum exhibente. Quò superstitiosior is, vt aliàs retuli, qui delapsus in cloacam extrahi de stercore noluit. Consule Iosephum [h] Stephanum. In præcepto 19. ex negatiuis Hebræi catalogi prohibetur si cui spina in pedem transierit, ne se incuruet ante imaginem vt extrahat; si pecunia è manibus lapsa, ne id etiam faciat: si iuxta fontem imago fuerit aquam euomens, ne os ad bibendum applicet, vt non videatur adorare. Hæc priùs retuli ex Munstero apostata, sumptaque sunt ex tractatu idololatriæ. Adhuc ex historia [i] Machabæorum habetur, quòd cùm Nicanor cogitasset cum omni impetu die sabbati committere bellum aduersùs Iudam, Iudæi qui illum per necessitatem sequebantur, dixerunt ne ita ferociter & barbarè faceret, sed honorem tribueret diei sanctificationis, & honoraret eum qui vniuersa conspicit: ille infelix interrogauit si esset potens in cœlo qui imperaret agi diem sabbati: & respondentibus Iudæis esse Dominum viuum in cœlo potentem, qui iussisset agi septimam diem, ille ait, *& ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri.* Tamen, inquit Scriptura, narrare pergens miserabilem Nicanoris exitum, non obtinuit vt consilium perficeret. De Apollonio item traditur ibidẽ [k] die sabbati feriátibus Iudæis arma capere suis præcepisse. Notatu autem etiam dignum; sabbatis à Christo, vt ex dictis colligitur, edita plura miracula, triplici potissimùm de causa; vt se dominum ostenderet sabbati [l]: vt sabbati iniuncti veram intelligentiam daret; quoniam non est ab omni opere præcisè cessandum [m]; vt plures homines ædificaret doceréque, qui ob diei religionem conueniebant vel in synagogam, vel in templum, ad audiendum verbum Dei, & legem ac prophetas [n]; vel etiam passim in plateas, & fora. Quod attinet ad vacationem ab operibus, hanc Augustinus [o] indicat suo tempore incepisse

* 13. antiq. c. 1.
* 1. contra Apionem.
a lib. 12. c. 1.
b lib. 18. c. vlt.
c 14. antiq. c. 17. vel 19.
d 2. de bello Iud. c. 7. vel 12.
e in Tryph.
f 4. periarchon.
g epist. 4.
h in 1. Macha 1. 48 & cap. 2. 32. & seqq.
i lib. 2. c. 15. 2. & seqq.
k cap 5. 25.
l Matth. 12. 8.
m Matth. 12. 3. & seq. Lucæ 6. & 3. & seqq. c. 13. 15. 16.
n actuum 13. 14. 15.
o serm. 251. de tẽpore.

à vespera diei sabbati vsque in vesperam Dominicæ. Quod item lego in Concilio [a] Lugdunensi, & Moguntinensi I [b]. In Parisiensi [c] autem sub Ludouico & Lothario Impp. & sub Papa Greg. IV. anno 829. referunt Patres vidisse se vel ab aliis didicisse, quòd quidam in hoc die ruralia opera exercentes fulmine interempti sunt, artuum contractione mulctati, visibili igne, corporibus ossibúsque simul sub momento absumptis, in cineresque subitò resolutis pœnaliter occubuerũt: & multa alia terribilia iudicia extiterunt, & hactenus extabant. Mira narrat Rogerius historicus Anglus, si tamen vera, de quadam epistola diuinitus missa, in qua seuerissimè iniungebatur celebratio diei Dominici ab hora nona sabbati vsque ad ortum Solis diei Lunæ; quam epistolam Concilio in Scotia occasionem dedisse de eadem re sub Innocentio III. Seuerinus Binius in Conciliorum [d] collectione suspicatur. Ab eodem autem historico multa miracula in eiusdem rei comprobationem commemorantur. Quæ omitto, vt & alia quæ in aliis facilè reperias, nominatim in Catechismo historico Antonij Dauroultij nostri. Scoticæ autem historiæ Hector [e] Boethius meminit Concilij in Scotia, in quo decretum sit, vt dies sabbati vsque in diem Lunæ à duodecima hora meridiei sacer esset, idque campanæ sono indicaretur. Verumtamen ecclesiastico vsu initium ac finis diei pro quo vacandum est; sumitur à media nocte in mediam noctem: (licèt in iure [f] Canonico exprimatur à vespera ad vesperam) quemadmodum contingit in præcepto ieiunandi. Ratione officij attenditur spatium à vespera ad vesperam, vel potiùs ad completorium quoad suspensionem interdicti: alioquin obligatio impleri potest vsque ad mediam noctem. Sed hæc & his similia, vt alia Christianorum festa, de quibus prolixè alij disserunt, hic prætereamus.

a cap. 3. & apud Iuonem p. 4. c. 16.
b cap. 37. & apud Iuon.
c lib. 1. cap. 50.
d tomo 3. p. 2 pag. 1448.
e lib. 13.
f c. 1. de feriis & c. 1. de consecr. d. 3.

Explanatio.

Obserua diem sabbati.] In editionibus aliis (*custodi*, שָׁמוֹר *sciamor*, שׁ *tar*, φύλαξαι.) In Exodo [g] *memento*, vel *esto memor*, זָכוֹר *zachor*; זֵכֶר *hanc dechor*, μνήσθητι. Obseruatio requirit custodiam intra memoriam. Quare Aquinatis [h] annotatio non adcò necessaria, non dici (*custodi*) sed (*memento.*) Illud meliùs ab eodem [i] docetur, specialiter mentionem fieri de memoria, quia est præceptum commemoratiuum beneficij præteriti: vel quia habet determinationem adiunctam, quæ non est de lege naturæ. Non addit, vt ei ascribit Ystella [k], quoniam iam datum esset à mundi exordio: quod etiam verum non esse alibi ostendi. Caietanus [l] moneri nos ait rationem præcepti esse recordationem, vt intelligamus non placere Deo quietem ab operibus septima die; nisi ratione memoriæ & interni cultus; quoniam exterior munditia ab operibus, nisi ex interno proueniat cultu, licèt Ecclesiam ædificet, ipsi tamen qui eam seruat, vana est. Vnde scriptum [m] postea ab Ieremia est, *deriserunt sabbata eius.* Deridenda siquidem est, inquit; sola externa requies, vtpote iactura septimæ partis temporis. Qua de causa priùs dixi *ignauam lucem* à Iuuenale [n] nominatam. R. Salomon suggeri dicit, vt tali die Hebræi si vestes nouas habent, induant, aut alia pretiosiora iocalia assumant ad maiorem celebritatem. Id in Christianorum festis approbant Patres, vt Leo, Bernardus, &c. Burgensis [o] refellit Hebræos dicentes Mosem, quoniam Deus sub propriis literis & syllabis vtriusque verbi (*memento*, & *obserua*) protulit semel ambo per omnipotentiam suam, seorsim vnum posuisse in Exodo, aliud hic:

g cap. 20. 8.
h opusc. 4.
i 1. 2. q 100. a. 7. ad 5.
k in Exo. 20.
l ibid.
m Thr. 1. 7.
n Satyr. 14.
o addit. 2.

per primũ præcepti affirmatiuè vt sit quis memor ad sanctificandum sabbatum, quod omitti posset opus seruile non faciendo: per secundum negatiuè, ne quis tale opus faciat, quod seruari posset non habendo dictam memoriam. Nam in Exodo cum verbo (*memento*) iungitur mox prohibitio seruilis operis: & hic mentio fit de sabbato sanctificando: & apud Malachiam [a], *mementote*, ait Dominus, *legis Moysi serui mei: quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israël, præcepta & iudicia.* Indicatur magni momenti præceptum, vt antea etiam dixi; at non tamen ita, vt festiuo tempore commissum quodlibet aliud peccatum, ob hanc circumstantiam euadat duplex secundum speciem diuersam; vt insinuat Abolensis [b], & sentiunt alij non pauci, de quibus noster Suarez [c]. Opus enim peccati vt sic non est eo modo seruile, quod prohiberet ne fiat seruile opus in die festo; exempli causa, cognoscere fœminam non suam; alioqui cognoscere suam prohibitum esset. Nec finis præcepti cadit sub præceptum: nempe in proposito cultus Dei, à quo cultu peccatum alterius speciei potest impedire. Satisfit autem præcepto festi, exequendo quæ sunt substantialia; vt schola loquitur; qualia, vacare ab operibus seruilibus, seu mechanicis, & audire Missam, quamuis eo die alia peccata committantur. Attamen ob indecoriam irreuerentiæ cuiusdam, videtur nonnihil augeri malitia saltem venialiter intra eamdem speciem: per additionem quoque nouæ speciei malitiæ contra religionem, non quia sit actus prohibitus præcepto circa festum, sed quia eo ipso quòd tempus illud est sanctificatum, dicatúmque diuino cultui, videtur quodammodo violari ac pollui, & maius gigni scandalum, si peccatum publicè fiat.

a cap. 4. 4.
b in Exo. 20. q 12.
c tomo 3. de relig. lib. 2. de festis. c. 18.
Præcepto festi quando satisfiat.

Vt sanctifices eum.] Idem verbum habetur in Exodo [d], nimirum קַדֵּשׁ *kadas*, & ἁγιάζειν. Sanctificare diem, est applicare cultui, atque ab aliis profanis secernere. Legit Augustinus [e] (*obserua & sanctifica diem quem præcepit tibi Dominus*) item [f], *memento diem sabbati sanctificare eum.* Græcè (*diem sabbatorum*, τῶν σαββάτων.) Dicitur Deus in Genesi [g] benedixisse diei septimo, & sanctificasse illum; id est, laudauisse, commendauisse, approbauisse: præterea decreuisse ac destinauisse vt sibi sacrum, suóque tempore pro festo indicendum: vel ex quorumdam opinione, iam tunc actu coli voluisse. Quin etiam dicimur Deum sanctificare [h], quando sanctum demonstramus religioso externo cultu: & in ipsum credendo, ac sperando, amando. Sed & milites auctore ac auspice Deo bellum suscipientes, cognominantur sanctificati illius [i]: vel propter sacramentum militare, quamdámque per id velut initiationem: vel ob designationem ad illud munus; quam designationem Hebræi tali verbo in genere significant. Certè consecratæ manus dicuntur, interfectrices idololatrarum [k]: sanctificari bellum [l]: immò & apud Pausaniam [m], Diodorum [n], aliósque; sacrum cognominatum est id bellum, quod contra Phocenses Thebani & alij comparatunt, ob Apollinis Delphici compilatum templum; sed longè potiore iure quod Christiani pro Terræ sanctæ à Turcis occupatæ recuperatione vulgo sacrum nuncupari solet. Simili phrasi iustificari quis dicitur aut Deus, aut homo, cùm iustus esse declaratur. Sed significatione contraria, quam habet interdum Hebræum verbum, sanctificari est idem quod pollui, quemadmodum benedici idem quod maledici; & apud Latinos

d c. 20. 8.
Sanctificare diem quid.
e contra Adim. c. 16.
f tomo 20. fragm. 2 de decalogo c. 3.
g cap. 2. 3.
Deus quando sanctificetur.
h Esa. 8. 12.
Sanctificari milites.
i cap. 13. 3.
Consecratæ manus.
k Exo. 32. 29.
Sacrum bellum quod.
l Ier. 6. 4. Ioel. 3. 9.
m lib. 10. in Phocicis.
n lib. 16.
Iustificari verbum.
Sanctificari, idem quod pollui.
Benedici, quod maledici.

Sacrū, quod execrandū.

Latinos sacrum idem quod execrandum. Hæc aliàs notata sunt. Ea primaria notione est vt Israel sanctus Dei cognominetur [a], quia qui Iacob appellabatur, illo nomine post luctam consignatus est à Domino [b], idémque valet ac potentem contra Deum, Deóve præualentem: & præterea electus à Deo est repudiato Esau, quem Esau illi opponens Apostolus [c], profanum appellauit. Sic ingeniosè Gaspar [d] Sanctius noster explanans Danielem; & addens ab hoc vocatum Abraham dilectum [e] Dei siue amicum [f], quia, quod est amicorum proprium [g], arcana ei consilia communicauit, nec ea illum celare se posse affirmauit [h]: Isaac seruum [i]: quoniam vitam libentissimè & obedientissimè quam exigebatur à Deo obtulit, séque ne quid audere in contrarium posset, ligari voluit, vt Ambrosius [k], & Augustinus [l] post Iosephum [m] arbitrantur. Propter sanctitatem huius diei docui paulò antè peccatum quoduis ex hac circumstantia augmentum nonnullum capere.

Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.] Præceptum est in Exodo [n] cum aliis præceptis. Hoc tamen peculiariter à Domino Deo datum dicitur, quasi iure debitæ seruitutis ac tributi; eo quòd vicissim esset hic populus addictus Deo, quemadmodum Deus illius se populi Deū singulari quodam modo profitebatur. Expressa quoque mentio præcipientis quidpiam Dei vim habet ad persuadendam, immò extorquendam obedientiam.

Præceptum sabbati verùm ante Mosem extiterit.

Alibi docui præceptum sabbati ante Mosem non extitisse: quæ etiam est sententia Eusebij [o], Iustini [p], Tertulliani [q], Damasceni [r], Galatini [s], Auctoris libri [t] Victoriæ contra Iudæos, Abulensis [u], Pererij [x] nostri, Iosephi [y] Stephani, & plurium aliorum. Perpendendum quoque cum Oleastro quod dicitur (*sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*) quoniam hæc per se ratio sufficit circa quælibet vel promissa, vel minas: & præter substantiam præcepti curandum vt impleatur ad satisfaciendum præcipientis amori.

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.] Sic etiam ad verbum in Exodo [z]. Legit autem Augustinus [aa] (*laborabis*) quod verbum Latinum peculiariter de agricultura vsurpatur, indeque proinde terra quædam laboris cognominata est. Idem valet ἐργᾶ, vel potiùs ἔργα in imperatiuo, aut si futurum retinetur ἐργᾶ pro ἐργάσῃ. Quem vsum aliis in locis habet diuinæ Scripturæ. Serui autem quorum versatur opera in agris, vocantur ἐργάται, aut ἐργάται οἱ ἐν ἀγρῷ πονοῦντες. Hebraicè עֹבְדֵי אֲדָמָה *hbonede adamah*, *cultores terræ*. Latior tamen hîc acceptio pro seruili quouis opere: quod etiam sic nominatim exprimitur in Leuitico [bb]. Verùm non idcirco in priore præsentis membro sententiæ, vt Oleaster [cc] voluit, serui notantur, domini in posteriore. Nam etsi seruus non faciat suum, sed opus domini, dominus verò suum: tamen eodem contextu operari hîc præcipitur quis & facere opera sua: paulò pòst autem expressa mentio fit de seruo & ancilla, vt vacare sabbato iubeantur. Nec insolens est vt serui dicatur opus quod ei faciendum imperatur. Sic enim vexatorum Hebræorum opera dicebantur eorum opera [dd]. Acutè Caietanus exponit, vt sic operetur quis, ne reseruet aliquid operandum in diem septimum; idcirco excipi opera ex euentibus in diem septimum opportuna, vt ex prælio, quemadmodum apud Machabæos [ee]: ex casu bouis in puteum, in Euangelio [ff]: ex penuria alimenti illius diei, vt cōtigit discipulis Christi fricantibus spicas [gg], ex onere diei quotidiano, vt soluere animal, & ducere ad aquam; siue certis diebus, vt seruire grauiter ægris coquendo, &c. hæc enim & similia non possunt præueniendo fieri sexto die, vel antè; nec possunt differri in diem octauum. Præterea quoniam hîc dicitur (*opera tua*) excipi notat opus diuinum diuiníque cultus, vt excoriare animalia in sacrificium, &c. atque hoc pacto sen ratione operum non hominis, sed Dei, dici quòd sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine [a] sunt; & propterea circumcisionem in die quoque sabbati factam. Tertullianus [b] errasse scribit Pharisæos in totum (scribas addere potuit) circa sabbati legem, non animaduertentes conditionaliter eam indicentem ferias operum sub certa specie eorum. Nam cùm de die sabbati dicit; *omne opus tuum non facies in ea*, dicendo *tuum*, de humano opere definiit, quod quisque ex artificio vel negotio suo exequitur, non de diuino. Opus autem salutis & incolumitatis non est hominis, sed Dei proprium; sicut & rursus in lege. *Non facies*, inquit, *omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ*, id est, in causa animæ liberandæ. Quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salute animæ: à Deo tamen, quod facturus fuerat & Christus homo, quia Deus, &c. Defendit Christi factum in erigenda muliere incurua [c], & curanda manu [d] arida: spicas vulsas à discipulis [e]: confirmat exemplo circumlatæ arcæ apud Iericho [f]; Elisæi suscitantis filium viduæ [g], Dauid edentis ac frangentis panes propositionis [h]: ait Christum benefactione sua effecisse sanctiorem diem sabbati, benedictione Patris à primordio sanctum [i]: Deum odium alicubi [k] sabbatorum professum, *vestra sabbata* dicendo, hominum ea deputantem, non sua, quæ sine Dei timore celebrabat populus plenus delictis, labiis Deum diligens, non corde [l]: suis sabbatis, id est, quæcumque disciplina eius agerentur, alium statum fecisse, vera & delicata, & non profananda pronunciando [m]. Pamelius [n] obseruat ex Scriptura non constare Dauidem sabbatis edisse panes propositionis (quod tamen religioni sabbati aduersum non fuisset) vel suscitatum ab Elisæo mortuum: item non extare eo modo Scripturæ locum illum vt à Tertulliano citatur (*non facies omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ.*) & rursus [o] (*omne opus seruile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet.*) Quò alludere videtur [p] Hieronymus, dum ait, quod lege præceptum est, ne in sabbatis opus seruile faciamus, ne accendamus ignem, vt in vno sedeamus loco; vt illa tantùm faciamus quæ ad animæ salutem pertinent. At nos, vt præmonuimus, hac tota de re pluribus in commentario Leuitici, Actuúmque Apostolicorum: & Ioseph [q] Stephanus collegit ea opera quæ fas esset Iudæis in sabbato operari, addens his quæ attigi ieiunium dierum 40. à Mose [r] (iunge Eliam [s]) obitum, & à Daniele per tres hebdomadas [t]; cùm tamen cautum esset sese die sabbati vexare ieiunio: iter 40. quoque dierum quod idem Elias suscepit [u]: partem sacrificij oblati sabbato eodem die coquere intra atrium [x], &c. In Exodo [y] ratio redditur quare sex diebus operibus vacandum esset, quia totidem diebus fecerat Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Vbi Lipomanus iners otium tacitè reprehendi notat: & quòd noctem quoque in subsidium accommodauit Deus refrigerio corporum; nisi eam, inquit, nostræ auaritiæ seruire cogeremus, interdiu otiosi; nocte exactores operum

a Dan. 3. 35.
b Gen. 32. 28.
c Hebr. 12. 16.
d In Dan. 3. 35.
e ibidem.
f Esa. 41. 18.
g Ioan. 15. 15.
h Gene. 18. 17.
i Dan. 3. 35.
k l. de Cain & Abel c. 50.
l serm. 46. de temp.
m 1. antiq. c. 14.
n c. 20. 8. & seqq.
o 1. hist. c. 4.
p cōt. Tryphon.
q cont. Iudæ. c. 4.
r lib. 4. c. 24.
s lib. 11. c. 20.
t p. 2. c. 15.
u in Gen. 2. q. 4.
x in Gen. 2.
y in 1. Machab. 1. 45.
z cap. 20. 9.
aa contr. Adimant. cap. 16.
bb c. 23. 7. 8. 21. 25. 28. 35. 36.
cc in Exo. 20.
dd Exo. 5. 4. 11. 13. 14.
ee 1. Mach. 2. 13 & seq.
ff Lucæ 13. 15. 16.
gg Matth. 12. 1. & seq.

a Matth. 12. 5.
b 4. contr. Marc. c. 12.
c Lucæ 13. 11. & seqq.
d c. 6. 6. & seqq.
e Lucæ 6. 1. & seqq.
f Iosue 6. 7. & seqq.
g 4. Reg. 4. 32. & seqq.
h 1. Reg. 21. 3. & seqq.
i Gen. 2. 3.
k Esa. 1. 14.
l c. 29. 13.
m c. 58. 13.
n in Tert. 4. contr. Marcio. c. 12.
o lib. cont. Iudæ. c. 4.
p in Esa. 58.
q in 1. Macha. 2. 34. & seqq. pag. 165. & seq.
r Exo. 24. 18. c. 34. 28. Deut. 9. 9.
s 3. Reg. 19. 8.
t Dan. 10. 2. 3.
u 3. Reg. 19. 5.
x 1. Reg. 2. & Abul. in Exo. 12. q. 32. & 42.
y c. 20. 11.

operum peruersi. Atqui per destinatos dies sex operando, integri ea diebus & noctibus constantes intelliguntur. Et meritò sanè Seneca [a] noctis ac diei peruertentes officia coarguit: quod plerumque factitari à primariis viris videmus; nec facere velle quod populus, sed rem sordidam, tritam ac vulgari via viuere, arbitrari, vt idem loquitur; nihil eos iuuare obuium, vitam communem fastidire, separari velle etiam temporum dispositione, retrò viuere. Equidem tales cognominauerim non ineptè principes tenebrarum, vtpote in tenebris negotiosos; de quorum nonnullo [b] ille,

> ——— *noctes vigilabat ad ipsum*
> *Mane, diem totum stertebat.*

Talem describit Heliogabalum Lampridius, traijcientem & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, ac æstimantem hoc inter instrumenta luxuriæ: ita vt serò de somno surgeret, & salutari inciperet, manè autem dormire inceptaret. De C. Petronio quoque tradit Tacitus, quòd illi dies per somnum, noctes officiis & oblectamentis vitæ transigebatur. Talis apud citatum Senecam Spu. Anius, & Æmilius, aut Attilius seu Acilius Buta vel Buca. Nyctiagas rectè appellaueris eum Petro Crinito [c], *νυχτοβίους* cum Pedone Albinouano apud eumdem Senecam: & lucifugas; & antipodes, ac defunctorum habendos loco qui ad faces cereosque viuunt. At qui dormiunt, nocte dormiunt, inquit Apostolus [d]. Imitatores Dei sunt qui vacant operibus, non ab operibus, quo tempore fas est operari; quia sex ille diebus operatus est creando, quamuis vsque modò operetur conseruando, & cum secundis causis cooperando, & omnia in omnibus opera operando, in quo viuunt omnia, mouentur, sunt. Non est rusticanæ simplicitatis affirmare, sex diebus mundum creatum, vt Philo [e] scripsit; nec ad mysteria solùm senarij recurrendum, de quo, vt & de septenario, quia die septimo quieuit Deus, multa traduntur à multis, colliguntúrque à Petro Bongo in opere de mysteriis numerorum, vel ad cognitionem Angelorum de rebus matutinam in verbo, & vespertinam in proprio genere, vt loquitur Augustinus [f]: vel ad sex perfectiones vniuersi ordinatè se habentes, vt placet Caietano [g]; nec quod Procopius [h] docuit, in describendo mundi opificio Moses dierum sex vsus est distinctione docendi tantùm gratia ob tarditatem Iudæorum. Repugnant ista communi sententiæ atque simplicitati & proprietati Scripturæ; & alioqui non esse verum è limo terræ hominem productum, sed omnino ex nihilo; terram fuisse inanem & vacuam, tenebrásque super faciem abyssi, & his alia similia. Dicitur Deus creauisse omnia simul [i], id est, continenter absque interruptione breuis temporis dierum sex: aut omnia sine exceptione, seu *κοινῇ*, communiter, vt est in textu Græco. Innuit ea dierum distinctio vt cum Dei potentia, libertas eiusdem agnosceretur & sapientia, ornantis cuncta, pérque partes eleganter ordinantis ac digerentis: vt ob successiuam productionem perfectio ac pulchritudo meliùs innotesceret cunctarum rerum: vt sic perciperemus res has non modò suum esse, sed perfectionem omnem suam à suomet auctore Deo emendicare oportuisse.

Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui.] Hebraicè (*& dies septimus sabbatum Domino Deo tuo*) Chaldaicè (*& septimus dies sabbatum coram Domino Deo tuo*) Græcè (*die autem septima sabbata Domino Deo tuo.*) In Exodo [k] eodem pacto

a epist. 122.
b Hora. 1. ser. Saty. 3.
c 15. de honesta discipl. cap. 6.
d 1. Thes. 5. 7.
e 1. allegor. legis.
f 4. de Gen. ad lit. c. 22. & seqq. lib. 5. c. 1. & seq. 11. de ciu. c. 6 & 7.
g in Gen. 2.
h ibidem.
i Eccles. 16. 1.
k c. 20. 10.

secundùm alias editiones. Legit autem [a] Augustinus nescio cur, (*septima vero die sabbati epulare Domino Deo tuo.*) Exposuit Interpres, addens de suo (*id est, requies Domini est.*) Rursus in Exodo [b] legitur (*requies sabbati sanctificata est Domino*) Hebraicè שַׁבָּתוֹן שַׁבַּת *scabbathon scabbath*, Chaldaicè שַׁבְּתָא נְיָח *niach scabbetha*, Græcè *σάββατα ἀνάπαυσις*. Item [c] (*sex diebus facietis opus, in die septimo sabbatum est requies sancta Domino,* שַׁבָּתוֹן שַׁבַּת *scabbath scabbathon*, שַׁבַּתָּא נְיָח *scenath scenattha*, *σάββατα ἀνάπαυσις*. Denique [d] (*sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum & requies Domini* שַׁבָּתוֹן שַׁבַּת *scabbath scabbathō* שַׁבַּתָּא נְיָח *scenath scabbatha*, *κλήσιμος ἅγιον σάββατα, ἀνάπαυσις.*) Indicatur etymon sabbati à requie, non aliunde, vt pridem ante admonui. De requie tropologica, allegorica, anagogica memini etiam priùs, hoc est, animæ nostræ, Christi in sepulchro, beatitudinis; déque significata requie Domini Dei post opus sex dierum: vnde ortum habuit designatio huius diei, vt sancta ac Deo dicata esset. Fecit Deus omnia bona valdè, & sic requieuit, vt intelligas, ait Augustinus [e], etiam te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Notat verò præterea, donorum sancti Spiritus numerum septenarium; & quòd non dicitur septimus dies habuisse vesperam, sicut præcedentes; sed quòd factum est mane, vt fieret dies sine fine. Sic incipit ergo requies nostra, quasi mane; sed non finitur, inquit, quia in æternum viuemus. Ad hanc spem quidquid facimus si facimus, sabbatum obseruamus. Similia traduntur ab Isidoro [f], qui præterea in sex dierum opere sex millium annorum operationem contineri vult, in septimo requiem beati regni. Existimauit forsitan cum aliis mundi durationem sex millibus annorum comprehendi. Mitto alias rationes mysticas, atque symbolicam ex laudibus numeri septenarij, qui dicitur vocatus Græcè *ἑπτάς*, quasi *σεπτάς*, *ἀπὸ τοῦ σέβασμοῦ*, id est, à cultu & reuerentia. Hanc si fas est dicere, natura ipsa illi numero exhibet in sabbatico fluuio, qui nomen sortitus est, quòd sex fluens diebus, desinat septimo fluere, siccum alueum relinquendo, vt Iosephus [g], ac Plinius [h] testari referuntur. Præter dicta de sabbato spirituali, & de permutatione in diem Dominicum, lege Galatinum [i], qui meminit [k] ex fluuio illo sabbatico argumentari Iudæos à cunctis celebrandum sabbati diem: hoc autem tempore negat extare, sic retorquens argumentum. Sed etiam obserua, Plinium quidèm tradere quòd ille fluuius sabbato siccabatur; Iosephum verò quòd eo tantùm die fluebat. Cui Iosepho si Iudæi credunt, fluens ille vacationem sabbati non indicabat. Verba Iosephi sunt, *πᾶς ἂν τῶν πηγῶν ἐκλείπων, ἐξ ἡμέραν ἀεὶ μὲν, ξηρὸν παρέδωκεν ὁρᾶν τὸν τόπον: εἶθ' ὥσπερ οὐδεμίας γεγενημένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἀνέδιδωσι, καὶ ταύτην ἀεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηκε διαφυλάττων. Ὅθεν δὴ καὶ σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασιν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν Ἰουδαίων ἑβδόμης οὕτως ὀνομάσαντες*, *totus à fontibus deficiens sex dierum numero, siccum exhibet videre locum: deinde quasi nulla mutatione facta, similis die septimo exoritur: atque hunc semper ordinem pro certo compertum est eum seruare. Vnde etiam sabbaticum ipsum appellauerunt à sacro Iudæorum septimo die sic denominantes.*

Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum.] In Exodo [l] (*non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus,*

a contr. Adim. c. 16.
b c. 16. 23.
c c. 31. 15.
d c. 35. 2.
e de decem chordis c. 5.
Numeri septenarij significatio mystica.
f in Exo. c. 29.
g 7. de bello Iuda. cap. 24.
h li. 31. c. 2.
i lib. 11. c. 8. & seqq.
k cap. 9.
l c. 20. 10.

tuus, & ancilla tua, iumentum tuum.) Hoc loco, & non ibi exprimuntur bos & asinus: pro isto autem Græcè est ὑποζύγιον: omisitque Interpres noster pronomen possessiuum post filium, seruum, ancillam, bouem, asinum, quod citato loco expressit ad filium, seruum, ancillam, & vtrobique ab omnibus editionibus. Nomine illo Græco vtitur quoque qui Matthæum [a] Græcè transtulit, éstque præterea in epistola Petri [b] secunda; & in apocrypho Esdræ lib. 3 [c]. & Latinè omnibus dictis locis nomen subiugalis, quod propriè destinatum oneribus gestandis ac laboribus sub iugo. In penultimi loci commentario docui extendi vocem ad mulos, camelos, equos, boues, qui ad currus vel aratra iunguntur: in vltimo tamen distingui à camelis, equis, mulis. *Nero*, inquit Plinius [d], *ostentabat hermaphroditas subiuges carpento suo equas.* Et subiugia vocat Cato [e] lora, quibus iugum collis boum iumentorúmve aptatur. Sic apud Eustathium ex Aristophane Grammatico ὑποζύγιας ἡμίονοι, *muli subiuges*, οἱ ὑφ' ἁμάξαις ζευγνύμενοι, vel in genere, πρὸς τὰς ἀγωγάς, *ad vecturas*, seu onera vectanda, τὰ ὑποζύγια. Porrò quod de filio & filia præcipitur, intelligi quidam volunt de non adultis, quoniam adulti eodem præcepto astringebantur, quo pater (sub quo etiam comprehendi nuter debet:) quod de seruo & ancilla, si Iudæi non essent; quia Iudæi ad id per se tenebantur. Vbi digredi liceret in curam erudiendi tum liberos, tum seruos, & vtrosque benignè tractandi, tanquam vel partem quandam nostri, vel naturæ similitudine pares, licèt conditione nonnihil impares. Sed id alibi egi. De seruorū cura lege quę pręcipit auctor Ecclesiastici [f], & Paulus [g]. Possumus verò tamē intelligere de adultis filio & filia, ne parentes opera seruilia operari die sabbati permittant. Quòd si seruus & ancilla esset diuersæ religionis, tenebatur Iudæus efficere, vt vacaret, si non religionis causa, propter illos; certè ne ipse circa illorum opera occupandi se haberet occasionem, & se distrahendi ab obseruatione sabbati religiosa. Iudæi quidem inter Christianos degentes non sinuntur saltem publicè seruilibus operibus occupari [h]. Indicitur porrò etiam vacatio brutis, quorum opera vti solent homines in operibus suis, iumentaque quasi iuuamenta nominantur, sub quibus expressi hic bos & asinus sunt, sed subintellecti etiam equi, & muli, cameli, elephanti, ac dromedarij, quamuis equorum non tantus esset apud Hebræos vsus, & camelorum ac dromedariorum adhuc rarior; magis rarus elephantorum; tum ad magnum honorem & reuerentiam Dei, vt non solum nos, sed etiam res nostræ, inquit Abulensis, Deum laudare videantur: tum quia si res nostræ circa labores nostros essent occupatæ, nos licèt corpore non operaremur, mente tamen feremus, curam de illis habentes; & hoc satis poterat nos à diuinis abstrahere laudibus. Spectat id quoque ad nonnullam humanitatem, vt parcatur certo tempore labori & oneri bestiarum nostrarum. Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia, inquit Salomon [i]. Græcè οἰκτίρμει, *miseretur*. Extendunt mites vehementer sanctorum animæ & hominum amantes mansuetudinem suā ad animantia etiam bruta, inquit Chrysostomus [k]. Sæuitiæ Domitiani præsagium in homines fuit, quòd muscas venari & configere pomeridianis horis stylo ferreo soleret [l]. De Nerone idem quidam [m] produnt, nescio quo auctore. Quamquam Hippocrates [a] inter alia indicia hominis, quem atra vexet bilis, hoc quoque recenseat vt muscas capiet. Damnatus propterea puer est ab Areopagitis, qui coturnicum oculos eruere solitus erat, iudicantibus id signum esse perniciosissimæ mentis mulis malo futuræ si adoleuisset [b]. Bellarminum Card. nostrum piæ memoriæ, 17. præteriti Septembris mensis huiusce anni 1621. nobis & Ecclesiæ vniuersæ, de qua tam benè meritus erat, ereptum, & elatum obsequiosissimis Vrbis totius officiis votisque cum testimonio communi omnium præclaro probitatis, quale Sanctis Ipsis exhiberi solet; accepimus adeò mitem ac humanum fuisse, vt nec pulices quidem interfici pateretur; & si matutino tempore curru vectus esset, ægrè à prandio egrederetur, ne nimiùm fatigarentur equi, quibus parcendum censebat, vir minimè parcus, sed in opera pia perliberalis. Percelebris autem Anselmi & Francisci erga irrationales animantes mansuetudo cum quodam etiam in easdem benigno imperio. Prædicante Niniuitis Iona pœnitentiam, ex ore regis, & principum eius edictum est, vt cum hominibus iumenta, & boues, & pecora non gustarent quidquam, nec pascerentur, & aquam non biberent, & operirentur saccis [c]. Sentiunt etiam belli pondus iumenta calamitatúmve aliarum communium; voluit idcirco rex Niniue, vt pabulo quoque & aqua interdicerentur, & macie, hinnitu, eiulatu ad maiorem homines ipsos pœnitentiam excitarent, ac tristiore illo clamore admonerent eos, quorum culpa tanta imminebat ruina, subuersióque: & sic Deus inet quodammodo commoueretur ad saluandum homines & iumenta [d]. Fortassis præterea in iumentis suis peccauerunt Niniuitæ, plus æquo equis gaudentes, ac fidentes: nimióque sumptu eosdem vel coëmentes, vel ornantes. Sed & nescio qua ratione fit, vt quales ipsi sumus, & quo modo affecti, cæteros tales esse velimus, etiam pecudes atque saxa. Sic enim Dauid [e], ac in fornace pueri tres [f] ad benedicendum, laudandúmque Dominum, creaturas reliquas prouocarunt, ne inanimis quidem exceptis. Cornupetam bouem lapidibus obrui præcepit Moses, opptimúque, qui virum fœmináue g confodisset, vt ab homicidio, eiúsdemque occasione deterreret. Stolidiorem pecude Christianum Ambrosius [h] vocat, qui pro salute sua non faciat, quod pecudes pro salute hominum fecerunt. Gestabant Romani quotannis certo die solemni in pompa canem in crucem actum, & anserem splendidè admodum in lectica, veste stragula pretiosa sedentem, ob eam causam, quòd anseres in obsidione Capitolij Gallis irruptionem in arcem tentantibus, clangore & strepitu Romanos excitassent, canibus tutetim somno indulgentibus [i]. Refert Eugubinus hoc loco apud Mahumetanos esse non paucos qui si nihil aliud quod bonum videatur ac pium aliqua die egerint, auiculam saltem extra caueam abire permittant, arbitrati se vel in eo piè facturos. Exegit Deus totius osor superstitionis, vt pro beneficio multiplici ex iumentis, constituto tempore vacarent iumenta cum hominibus; non tam ipsorum iumentorum causa, quàm vt liberior vacatio in res diuinas esset, ablata tantisper ab opere iumentorum cura, quemadmodum priùs dixi.

Et peregrinus qui est intra portas tuas.] In Exodo [k] pro peregrino est *aduena*: Græcè vtrobique (ὁ προσήλυτος, ὁ παροικῶν ἐν σοί, *aduena* seu *peregrinus*, seu *proselytus habitans in te*.) Proselytum verò

[a] cap. 21. 5.
[b] cap. 2. 16.
[c] cap. 5. 43.
[d] lib. 11. c. 49.
[e] de re rust. cap. 63. & 135.
[f] c. 7. 22. 23. c. 33. 25. & seqq.
[g] Ephes. 6. 5. & seqq. & ad Philemon. de Onesimo.
[h] Paulus IV. const. 3. § 5.
[i] Prou. 12. 10.
[k] hom. 29. in epi. ad Rom.
[l] Sueton. in Domit. c. 3. Eutrop. lib. 9. cap. 3. Sabellicus lib. 2 cap. 9.
[m] Sext. Aurel. in Salazar in Prou. 12. 10.

[a] lib. de internis affectionibus.
Card. Bellarmini vita & obitus.
[b] Quintil. lib. 5. c. 9.
[c] Ionæ 3. 7. 8.
[d] Ps. 35. 8.
[e] Psal. 148.
[f] Dan. 3.
[g] Exo. 21. 29. 36.
[h] Ser. 40. vet. edit.
[i] Plutar. de fortu. Rom.
[k] c. 20. 10.
Proselytum quid.

verò constat fuisse, qui ex aliis gentibus amplecterentur Hebræum ritum. Esse intra portas, idem est ac intra vrbes, vel oppida, quæ muris ac portis clauduntur. Legitur Chaldaicè (*intra ciuitates tuas* בקרוך *bekirnach*) non autem Hebraicè, vt Abulensis tamen asserit, sed (*intra portas tuas*, seu *in portis tuis*, בשעריך *bishbarecha*.) Etsi verò peregrinus siue aduena sumptus pro externo qui ritu Hebræo non viueret, per se tali lege sabbati non astringeretur; & arbitretur in Exodo Abulensis, quòd dicta lex de illo non intelligatur: tamen non improbabile est palam ac publicè non licuisse vetita Hebræis opera exercere, vitandi scandali causa: quemadmodum apud Christianos Iudæi aliique infideles non sinuntur diebus festis operam dare rebus quæ tali tempore Christianis prohibitæ sunt.

Esse intra portas quid.

Vt requiescat seruus & ancilla tua, sicut & tu.] Inest vis in ista collatione, vt non minùs quiescat seruilis conditionis vir, aut fœmina, quàm liberæ, seruus ancillàve quàm dominos. Aduertere iubet Caietanus nullam fieri mentionem pastorum; sed tantùm serui & ancillæ, qui sunt, inquit, partes domus: tanquam impossibile sit priuare magnos ouium greges septima quoque die aliquo superintendente. Non est pastor extra numerum seruorum: nec hîc excluditur; sed excusat necessitas.

Memento quòd & ipse seruieris in Ægypto,] In aliis editionibus (*seruus fuisti in terra Ægypti.*) De hac seruitute, liberationeque ab ipsa, mentio facta est versu 6. vbi alia protuli non pauca testimonia. Ratio profectò efficax ad persuadendum dominis, vt seruos & mercenarios interquiescere sinant: quoniam & ipsi similem seruierint seruitutem, nec, quod summopere cupiebant, gementésque flagitabant, requies dabatur ab operibus in Ægypto [a], nec minuebantur quidquam, sed opprimebantur [b]: lassis quantumlibet, negabatur requies [c]; & à labore, & à concussione, & à seruitute dura [d], vt loquuntur Ieremias & Esaias, licèt de alio tempore. Ex his quæ passus est ac tentatus per omnia didicit compati Christus Pontifex noster infirmitatibus nostris [e]: & ex iis quæ passus est didicit obedientiam [f]. *Hoc natura affert*, inquit [g] M. Cicero, *vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur*: & dixit Dido

Pro seruis, contra dominos.

a Exo. 5. 5.
b ... 9. 11.
c thren. 5. 5.
d Esa. 14. 3.
e Hebr. 4. 15.
f cap. 5. 8.
g pro Milone.
h 1. Æne.
i Home.

Non [h] ignara mali miseris succurrere disco,

quod prior Vlysses

ὦ [i] φίλοι, οὐ γάρ τοί πω ἀδαήμονές εἰμεν κακῶν:

O amici, neque enim ignari malorum sumus.

Item Theseus multa peregrinans passus fixè statuens asseuerauit opem nullam vlli negare, sed tueri, omnésque conseruare συνσώζειν [k]. Sed lege pro seruis apologiam apud Senecam [l] contra superbissimos dominos, qui nec tanquam hominibus, sed tanquam iumentis abutuntur illis. Inter cætera; *tam tu, ait, illum* (seruum) *ingenuum videre potes, quam ille te seruum, Mariana (melius Variana) clade quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit! alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quam transire, dum contemnis, potes*, &c. *sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat, veniat in mentem, tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquit, nullum habeo dominum. Bona ætas est: forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes?*

k Sophoc. in Oedippo Colonæo.
l epist. 47.

Ex Seneca multa compilauit Macrobius [a], impudenter, vt ait Muretus [b]. Præclarum illud Epicteti [c], *non recordaberis qui sis, & quibus imperes? nónne cognatis? nónne natura fratribus? nonne à Ioue* (dic tu à Deo) *oriundis?*

a lib. 1. c. 11.
b in Senecam.
c dissert. 13.

Et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento.] Capite [d] priore appellata est robusta manus, extentúmque brachium. Vtrobique pro extenti epitheto est Græcè altum, seu excelsum, ὑψηλῷ. Extendi quidem brachium potest transuersè: attamen plerumque ad fortiorem ictum imprimendum attolli, & eleuari in altum solet. De formula ipsa plura ibi.

d vers. 34.

Idcirco præcepit tibi vt seruares diem sabbati.] Dominum Deum tuum addunt editiones aliæ, & repetunt pronomen idem post verbum secundum: Hebræa & Chaldæa (*vt faceres*, seu *ageres*, לעשות *labhasoth* לשבת *lemebhbad*) Græca (*vt custodires tu diem sabbatorum, & sanctificares illum*, ὥστε φυλάσσεσθαί σε τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτήν. Augustinus in locutionibus legens (*propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus, vt obserues diem sabbati, & sanctificare eum.*) Si, inquit (&) non haberet, non videretur inusitata locutio; aut (*vt obserues & sanctifices.*) Vulgaribus linguis dicitur quis facere vel agere diem festiuum, siue festum, id est, celebrare: bonique auctores Latinæ linguæ vsurpant agere, seu agitare dies festos, ferias, diem natalem. Iam verò priùs [e] meminerat Moses hanc sabbati celebritatem præceptam fuisse à Domino Deo: ita vt hæc repetitio iudicet magni momenti præceptum hoc esse.

e vers. 12.

Vers. 16.] Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in Terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

POst tria præcepta septenarius succedit numerus mandatorum ad dilectionem proximi pertinens, inquit Isidorus [f], & incipit ab honore parentum; quoniam à parentibus homo aperit oculos; & hæc vita ab eorum dilectione sumit exordium: vocatúrque [g] primùm ex iis quæ sunt in prima tabula, & pertinent ad proximum. Rupertus [h] enumerans quæ sequuntur præcepta sex, ita vt præcesserint quatuor, cuncta dilectioni proximi inimica per hæc extirpari dicit, legémque naturalem adiuuari: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; à Gentilibus vtcumque obseruari posse; sed ad vitam absque dilectione Dei non prodesse. Glossa [i] ord. septem ad proximum notat præcepta esse, quoniam animæ congruit ternarius irascibilis, concupiscibilis, rationalis facultatis; quaternarius corpori, quod ex quatuor compositum est elementis. Philo [k], quamuis etiam quintum nominet, iuxta opinionem de distinctione alia, rationem ordinis reddit, vt post præceptum de Dei honore per sabbati celebrationem, fiat mentio de parentibus honorandis in confinio duarum tabularum: quoniam parentum natura mortalis est propter cognationem cum hominibus & cæteris animantibus, corpúsque corruptibile: immortalis verò, quia gignendo refert Deum genitorem omnium: ita vt qui parentes negligant, vtriúsque partis hostes habendi sint tum eius quæ Deo, tum eius quæ se hominibus approbare vult, & damnati pro duobus tribunalibus; impietatis

Paraphr.
f in Exo. c. 29.
g ephes. 6. 2.
h in Exo. 20.
i in Exo. 20.
k de decalogo.

impietatis apud diuinum, quòd secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ea officio: inhumanitatis autem apud humanum, cùm nullam parem referre gratiam queant, nec genitores suos vicissim gignere. Exaggerat deinde impietatē huiuscemodi feris ipsis deteriorē, quas homines beneficiis cicurāt & mansuefaciunt, & exēplo ciconiarū quas in senio pullī educant (idē exemplum vrget Ambrosius [a], addens piā auem vsu Romanorū vocari, & retributionē beneficiorū ἀντιπελάργησιν:) idē quoque refert Basilius [b]. Denique negat præditos esse tales virtutibus εὐσεβείας καὶ ὁσιότητος, *pietatis & sanctitatis*, quæ sunt, inquit, τῶν ἀρετῶν ἡγεμονίδες, *virtutum duces ac principes*. Addit quosdam audaciùs progredi, vt patrē ac matrem, deos quosdā conspicuos nuncupent ἐμφανεῖς θεούς, hoc vno discrimine, quòd Deus sit mūdi genitor, hi filiorū tantùmodo. Rectiùs idē asserit θεοῦ ὑπηρέτας πρὸς τέκνων σποράν, *Dei ministros ad filiorū seminationem*. cæterùm qui ministrum spernat, spernere simul & ἄρχοντα, *principem*. Hierocles apud Stobæum parentes appellat secundos ac terrestres quosdam deos, ac nobis propter vicinitatem vel ipsis diis honorabiliores affirmat: inferiora omnia esse quæ ipsis impendamus, quàm esse oporteret: ipsasmet actiones nostras videri illorum esse, non secus quàm si Phidiæ opera facerent rursus alia, hæc illius opera nominarentur: filios in paterna domo veluti æedituos in fano, sacerdotésque, ab ipsa natura se cōsecratos existimare debere, vt parentū cultui operā dent. Hinc ille versus.

Ciconia, pia auis dicta à Romanis.

a 5. hexa. c. 17. b hom. 8. hexa.

Pater & mater, vtrique honor & obedientia diu debita.

θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς.
Dy maximi parentes mortalibus.

& alius,

νόμιζε σοὶ αὐτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι θεούς.
Persuade tibi ipsi parentes esse deos.

Mater tamen illa fortissima negauit scire se qualiter apparuissent in vtero suo filij: neque enim spiritum & animam donauisse, & singulorū membra compegisse, sed mundi creatorem, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem [c]. Mirum sanè alliciendos præmio homines ad tam naturale præceptum fuisse, quam primam naturæ legem Valerius [d] Maximus vocat: & quidam legislator parricidio pœnam nullam statuit, quia tantam impietatem esse posse non putauit: & Paulus [e] primum affirmat esse in repromissione, quamuis paulò antè misericordiam pollicitus fuerit Dominus in millibus circa secundum præceptum; vel cum isto præcepto de honore parentum comprehendens decalogi præcepta omnia, quæ primùm dicantur ad comparationem eorum quæ postea conscripta sunt: vel in dicto illo alio non tam promissionem positam, quàm vno ac eodem contextu in laudes Dei sententiam esse finitam, hoc pacto (*non facies tibi sculptile*, &c. *ego enim sum Dominus Deus tuus*, &c. *& faciens misericordiam*, &c. Vtrumque respondet Hieronymus [f]; docens præterea [g] honorem non in verbis dūtaxat consistere, salutationibus, & officiis deferendis; verū etiā in necessariis ministrandis: item [h] admonens promissionē præsertim spectandam quantum ad æternā vitam; quia multi & parentibus obsequentes, citò mortui sunt, & in parentes impij vsque ad extremam venerunt senectutem: & Dauid incolatum suum lamentabatur prolongatum [i]; Salomon laudabat magis mortuos quàm viuos [k]; Iob [l] & Ieremias [m] maledixerunt diei natiuitatis suæ. Promissio tamē de temporali etiam longitudine vitæ, quæ carnali Iudæo placebat, intelligi debet, vt gratia beneficio acceptæ à parentibus vitæ, conseruationem eiusdem obtine-

c 2. Mach. 7. 22. 23.
d lib. 5. c. 4.
e Eph. 6. 2.
f ibidem.
g ibid. & in Matth. 15. & epist. ad Gerontium.
h in epist. ad Ephes. 6.
i Ps. 119. 5.
k Eccle. 4. 2.
l cap. 3. 1.
m c. 20. 14.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

ret: quamuis interdū magis conducat saluti breuitas vitæ, ad quā salutē ordinantur temporalia bona, quæ non cadunt per se sub meritū, sed vt conducunt ad illā & ad æternā remunerationem, inquit Aquinas [a]. Porrò sic honorádi parentes, quod & Christus volens mandata [b] seruari, approbauit, vt propter annuntiationem regni Dei, & in diuini amoris comparatione, si impedimento sint, vt idē Christus docuit [c], contemni debeant, quemadmodum in vetere Testamento [d] laudantur dicentes patri & matri, *non noui vos*, & qui filios non agnouerūt; vt Augustinus docet aduersùs Adimantum Manichæum [e], qui Euāgelio contrariū Testamentū vetus asserebat. Similis doctrina Chrysostomi [f] de concordia vtriusque Testamēti circa prædicta duo præcepta. Extant aliis in locis Testamenti vtriusque præcepta plura ad hoc idem spectantia & quantū ad honorem, & quantū ad obedientiam parentibus debitam, & ad subsidia iisdē exhibenda; præterea quantum ad magistratus, magistros, dominos, maritos, affines, tutores, curatores, fautores, mœcenates, seniores, præcellentes potentia, doctrina, nobilitate, Ecclesia vniuersalis, patria: qui omnes reductiuè, vt dicunt, huc reuocātur; & ne offendamus, aut contristemus sine verbo, siue signo, siue facto sublimiores eiusmodi personas.

a 2. 2. quæst. 122. a. 5. ad 4. & 3. 4.
b Matth. 19. 3. & seq.
c c. 19. 29. & 8. 22.
d Deut. 33. 9.
e cap. 6.
f hom. 26. & 34. in Matth.

Obedientia præcipitur erga parentes à Tobia [g], à Salomone [h], auctore Ecclesiastici [i], Paulo [k]. Primus iubet filio vt honore matrē prosequatur, memor quæ & quanta pericula passa sit propter ipsū in vtero suo; & exigit, vt se, & illā sepeliat circa se. Secundus monet, vt audiat patrem qui genuit, & non contemnat, cùm senuerit mater; sed gaudeat & exultet vterque in ipso. Tertius filios sapientiæ, id est, sapientes, vocat Ecclesiā iustorū, nationē illorum obedientiā, & dilectionem: hortatur, vt audiant patrē, sicque faciant, vt salui sint: quia Deus honorauit patrem in filiis, & iudicium matris exquirens, firmauit in filios: sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrē suā: qui honorat patrem suum, iucūdabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur, & vita viuet longiore; qui obedit patri, refrigerabit matrem: qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerūt; in opere, & sermone, & omni patientia, vt superueniat ei benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat: benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta. Addit cauendū, ne glorietur quis in contumelia patris sui; quia nō est ei gloria, sed cōfusio; & gloria hominis ex honore patris sui est: dedecus filij pater sine honore: itē, vt non cōtristet patrē in vita illius, sed suscipiat senectā eius; & si defecerit sensu, veniam det: & ne spernat eum in virtute sua; quoniam eleemosyna patris nō erit in obliuione, & pro peccato matris restituetur bonū, & in iustitia ædificabitur, & in die tribulationis commemorabitur ei, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata eius: denique valdè malæ famæ esse affirmat, qui derelinquit patrē, & maledictum esse à Deo, qui exasperat matrē. Requirit adhuc, vt quis in toto corde honoret patrē, & gemitus matris non obliuiscatur: sed memor sit, quoniam nisi per illos natus non fuisset, ac proinde retribuat illis, quomodo & illi ei. Quartus præcipit, vt obediāt filij parētibus Domino & per omnia (videlicet illo modo, id est, in Domino) quia hoc iustum est, & placitū in Domino, qui nempe id præcepit hoc loco adiecta promissione, vt mutuam vicem reddant parentibus, quoniam hoc acceptum est coram Deo. Adde comminationes, ac reprehensiones non obedientium, aut lædentium parentes [l]:

g c. 4. 3. 4. 5.
h Prou. 23. 22.
i cap. 3. 2. & seq. c. 7. 29. 30.
k Ephes. 6. 1. & seqq. Coloss. 3. 20. 1. Tim. 5. 4.
l Exo. 21. 15. 16. Leu. 20. 9. Deut. 21. 18 & seqq. c. 27. 16. Prou. 20. 20. c. 28. 24. c. 30. 14 Eccli. 3. 11. & seq. Matth. 15. 4.

V præterea

præterea monita data subditis, & seruis [a]: & inferioribus aut gradu seu dignitate inferioribus [b]: quo pacto fratres Ioseph illum adorauerunt proni in terram, nescientes fratrem esse, sed principem [c], cui tamen subditi non erant; & Cornelius adhuc gentilis procidens ad pedes Petri adorauit eum [d]. Exemplum exactè obseruati huius præcepti præbuit Isaac, copiam sui faciens patri, vt immolaretur [e]; Iacob parentum arbitrio mores ac vitam instituens; nec iis inuitis vxorem ducens [f]: Ioseph in summa etiam constitutus dignitate, saluatorque mundi cognominatus, patrem egentē studio summo colens [g]; Salomon assurgēs matri, adorās, in solio ad dexterā collocans [h]: Rechabitæ, iussu patris Ionadab nō bibentes vinum [i]: Christus vtrique subditus parenti [k]. Offerret hic se locus disserendi de iure paterno & herili: de potestate magistratus in legibus condendis: quanam esset obligatio parendi parentibus, quod vicissim sit munus parentum, eorúmve quibus hæc appellatio communicatur, quanta vis benedictionis & maledictionis ab iis prolatæ, & similes quæstiones: tum verò etiam argumenti Paulini [l] amplificatio; si patres carnis nostræ quos eruditores habuimus, reueriti sumus, multo magis obtemperandum nobis esse Patri spirituum vt viuamus, cùm etiam illi in tempore paucorum dierum secundùm voluntatem suam erudierint; hic ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem. Cui simile argumentum iam antè fecerat mater Machabæorum, de qua priùs memini; hortans ad mortem fortiter pro Dei lege ac Deo ipso perferendam; quia ipsa non donauerat eis spiritum, animā, vitā, nec membra compegerat, sed mundi creator; spiritum iterum cum misericordia redditurus & vitam [m]. Vt meritò Christus indicans se, quod vere erat, éstque, esse Deum, pronuntiauerit, qui amaret patrem aut matrem plusquam ipsum, non esse ipso dignum [n]. Inter variorum grauium criminum reos, quos vaticinatur Apostolus [o] in nouissimis diebus, ac in temporibus periculosis futuros, numerat parentibus non obedientes: atque hoc, vt & alia similia, videtur ascribere spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum [p]. Mitto ex prophanis plurimā, contentus versiculis Euripidis.

> ὅς τις τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
> ὅδ' ἔστι καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.
> [illegible] καλλίον γέρας,
> ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι,
> καὶ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.
> *Quisquis parentes hic piè, viuens colit,*
> *Hunc viuentémque mortuúmque amat Deus.*
> *Non liberis est pulchrius munus aliud,*
> *Quam liberos doci parentis optimi,*
> *Parentibúsque dignum honorem reddere.*

Optimum consilium Isocratis Demonico datum. τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σαυτοῦ παῖδας. *Talis sis circa parentes, quales vtique optaueris circa teipsum esse tuos ipsius filios.*

Honora.] Refert Salazar [q] noster legisse se in quibusdam codicibus Græcis ὑπερτίμα *superhonora*, id est, maiorem quàm aliis honorem impertire. Verti posset *glorifica*) vt alibi [r] vertit Interpres noster: & si quibusdam [s] credimus (*solue quod debes.*) Hanc equidem notionem non reperi: dubitari tamen non potest quin summum debitum sit erga patrem & matrem. *Filius honorat patrem*, ait Dominus apud Malachiam [t], *& seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Quo loco est δοξάζει & δόξα *glorificat & gloria*: Chaldaicè (ecce de filio edictum est vt honoret seu glorificet patrem, &c. Et in Cantico Mosis proliatiore, *Haeccine [a] reddis Domino popule stulte, & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Honor autē, vt antè dixi, consistit in obedientia, in obsequiis, in externa reuerentia; atque, vt ex Sapiente [b] retuli, in opere & sermone, & omni patientia. Patientia omnis, id est, magna requiritur erga parentes querulos, morosos, ægros, aliquando etiam deliros: vel rigorosa interdum ac dura & difficilia præcipientes. Honorandi verbum, & honestandi, & honestum faciendi; atque nomen honestatis ad opus, non ad verba duntaxat, referri constat: vt c. 22. Numerorum [c]; *paratus sum honorare te*; c. 1. Tobiæ [d]; *cùm ex his quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti.* 1. Tim. 5. [e] *Viduas honora: & qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* c. 7. [f] Sapientiæ; *innumerabilis honestas per manus illius: & honestatem illius non abscondo.* & c. 10. [g] *honestauit illum in laboribus, & honestum fecit illum.* Ecclesiastici 11: [h] *paupertas & honestas à Deo sunt: & facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Illustria exempla sunt lactantis filiæ matrem in carcere, vnde locus, excitato templo, Pietati consecratus est, ambæ alimentis donatæ perpetuis [i]; cui simile filiæ Cimonis factum [k]; præterea filiorum duorum, qui ex flammis Ætneis parentes, ipsi illæsi, extraxerunt; campóque, in quo deinde sepulti sunt, cognomen, vt pius diceretur, piorúmve dederunt [l]. In affirmatiuo præcepto 112. & 113. Hebræi catalogi recitatur sententia R. Simeonis, quòd Scriptura maioris facit honorem patris & matris, quàm Dei; cùm de honore Dei dicatur; *honora [m] Dominum de tua substantia*; de parentum non sic scribatur; quia si etiam nihil habueris, teneris in pistrino laborare, vt illis subuenias.

Patrem tuum, & matrem tuam.] Ascendentes quoque intelliguntur auus, proauus, atauus, &c. auia, proauia, atauia, &c. item socrus & socer ac similes; sic enim filiam Saram parentes monuerunt vt honoraret soceros [n]: præterea qui gignunt parturiúntve spiritualiter, aut in Christo [o]: qua ratione Moses patrem & maiores interrogari præcepit [p]; & Eliam Elisæus, húncque alij vocabant [q] patrē: deinde magistratus temporales; quo nomine patris Naaman appellabatur à suis [r]; ac Senatores Romani patres conscriptos nuncupabant, & qui reip. feliciter præfuissent, patres patriæ; immò & Ioannes instituens omnes ætates, patres in eadem notione accepit [s]; eodémque possunt reuocari tutores, curatores, magistri morum, fautores, benefactores, doctores: tandem ætate maiores; iniunxit enim etiam Timotheo Episcopo Paulus [t], vt seniorem non increparet, sed obsecraret vt patrem, anus vt matres. Lege de his acceptionibus Aquinatem [u]. Clemens [x] Alex. ait patrem esse Deum; ideóque dici deos & Dei filios eos qui agnoscunt illum: refert verò matrem à quibusdam intelligi vel substantiam de qua generamur, vel Ecclesiam: sed dicit esse sapientiam, hoc est, veram fidem & religionem. Verùm acceptio huiusmodi mystica est, quam à Philone [y] mutuatus videtur; vt eo quòd pater in Decalogo de solo intelligatur Deo; præterea, quòd per elementum δέλτα, quo denarius denotatur, significetur nomen beatum, & Iesus, qui est Verbum, & Filius; per quem omnia cognoscuntur: denique cætera præcepta mysticè declarat. Vtri verò plus debeatur patri, vel matri, aut eu-

Problema.
a 2 de obedient. c. 2
b 9 ethic. c. 7.
c in Exo. 20. q. 18.
d orat. 33.

ius amor erga nos maior, ethicum problema est; de quo Iouianus [a] Pontanus. Aristoteles [b] primas dat matri, quia generatio laboriosior est. Quod accipio de amore blandiore ac teneriore dumtaxat. Alioquin rectè Abulensis [c] probat simpliciter honorem patri maiorem deberi atque obedientiam. Nazianzenus [d] parem docet in multis vtriusque conditionem esse, ac iniquam legem videri quæ marito pareit adultero, non autem vxori, proptereàque hic nominari cum patre matrem, & aliis pluribus locis. Philo [e] ait subindicari seniores & iuniores; magistratus & subditos; benemeritos & affectos beneficio; dominos & seruos; vt parentes censeantur in potiore ordine, in quo seniores, principes, benefactores, domini: liberi in deteriore; in quo iuniores, subditi, beneficio deuincti, serui: vtrique generi præcepta propria tradi.

e de decalogo.

Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.] Monui videri hanc expressionem præcepti à Domino Deo dati vim eiusdem insinuare. Forsitan quoque voluit in secunda tabula id ponere, sicut in prima, vt auctor vtriusque consideraretur, cui curæ essent ad proximum pertinentia, non ad seipsum dumtaxat.

Honoris & obedientiæ paternæ præmium.
f c. 20. 12.

Vt longo viuas tempore.] Græcè postponitur hoc sequenti membro (*& bene sit tibi*, &c.) In Exodo [f] (*vt sis longæuus super terram*) & in editione quoque Græca additur, sed loco priore (*vt bene tibi sit, ἵνα εὖ σοι γένηται.*) Ibidem addunt LXX. epithetum *bona*, ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς: de qua etiam terra bona R. Abenezra interpretatur. Pro nostra autem hac sententia vtrobique est Hebraicè & Chaldaicè (*vt prolongentur*, aut *prolongent sese*, יַאֲרִיכֻן *iaarichun, dies tui*, aut, *ipsa mandata prolongent eos*, aut *prolongent parentes orationibus dies tuos.* In Exodo additur (*super terram*) id est, vt diutissimè viuas, longóque tempore viuas in terra incolumis. Tale illud,

γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς:
Alas parentes si senes, viues diu.

Inobedientiæ pœna.
g Prou. 20. 20.
h cap. 3. 7.
i 1. 2. q. 100. a. 7. ad 3.

Oppositum Sapiens [g] minatur ei qui maledicat patri & matri, vt extinguatur lucerna eius in mediis tenebris: & hoc ipsum quod hîc est, ac in Exodo, promittitur ab auctore Ecclesiastici [h]; *qui honorat patrem suum, vita viuet longiore.* Aquinas [i] notat cùm homines vt plurimum actus suos ad aliquam vtilitatem ordinent, promissionem iis appositam, ex quibus nulla videbatur sequi, vel impediri vtilitas: à parentibus verò cùm iam sint, inquit, in recedendo, non expectatur vtilitas: & per prohibitionem idololatriæ videbatur ea impediri, quam credunt homines se posse consequi per pactum cum dæmonibus. Dixi porrò priùs videri aptum obseruantiæ paternæ præmium, vitam longiorem pro illo, qui auctorem vitæ reueretur, iustum supplicium pro eo, qui contrario laboret vitio; quamuis contingat quandoque oppositum, vt viuat diutiùs parentibus inobediens, breuiore tempore, obediens: sed ita vt vitæ breuitas compensetur melioribus donis in posteriore. Denique longitudo dierum æternorum, cum ostensione salutaris Dei [k], potissimùm expectari, & experi debet: quamuis pietas ad omnia vtilis sit, habens promissionem vitæ quæ nunc est & futuræ [l]: & honorificans patrem, iucundandus sit in filiis: & in die orationis suæ exaudiendus [m]. Violatori honoris paterni, ac vel oculo dumtaxat, qui subsannet patrē, & despicienti partum matris, imprecatur Salomon [n] mortem celerem; ita vt effodiant illum oculū corui de torrentibus, & come-

k Ps. 90. vlt.
l 1. Tim. 4. 8
m Eccl. 3. 6.
n Prou. 30. 17.

dant eum filij aquilæ; vtpote qui horum mores erga suos parentes repræsentarit, & dæmonū etiam, per animalia illa significatorum; qui cùm vacent à generatione, nesciūt iura propinquitatis, nec vllum propinquū habent, inquit auctor [a] operis imperfecti. Certè εἰς κόρακας, *ad coruos* mitti, suspendi est, seu pascere in cruce coruos, vt loquitur Horatius [b], & vbi est corpus πτῶμα, *cadauer*, illic & aquilæ [c]. Immò Augustinus [d] aptans plagam cynomyiæ muscæ caninæ, trāsgressuri præcepti huius, ait caninum esse parentes nō agnoscere; vt meritò catuli canū cæci nascantur. Si paternitatis vis extrahitur, & in ipsa natura deficit fides, amicitiaque, quomodo, ait citatus auctor [e] operis imperfecti, inuenietur extra naturam? Vt mirum non sit, si contumaces filij euadant fures, homicidæ, &c. exponantúrque in cruce, seu patibulo, volucrum lanienæ, ac priuentur sepultura intra communis matris viscera, iniurij in parentes; & quidem nominatim coruorum & aquilarum, quibus longior esse vita solet, ac inuicem sæuiunt; parentes in filios quos nidis excludunt, & quos intra nidos retinent, sine alimonia destituunt; filij in parentes, quos etiam non alunt; sed & lacerant, discerpunt, vorant. Plura eruditè Salazar [f] noster. Rem porrò totam sequens illustrat exemplum. Bernardinus [g], ac ex eodem Gulielmus Baldesanus [h], aut sub eo nomine noster Bernardinus Rossignolius; memorat sua ætate in Hispaniæ citerioris oppido Suition ita procul Valentia, adolescenti, qui per parentum inobedientiā eò deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora suspēderetur; cū prorsus imberbis esset, iam exanimi barbā & capillū, populo spectante, subitò excreuisse, ætatémque illū hominis nonagenarij retulisse: Episcopum, post commūnem omnium orationem, respondisse, tali miraculo Deum docere, quantū de vita eis detrahat, qui de parentū obedientia detrahant; victurum iuuenem illum ad eam ætatem fuisse, quæ apparebat in facie & capite; nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Tantopere placet Deo pietas in parentes, vt animalculis etiā exhibitam, eodem præmio remuneret. *Si ambulans per viam* [i], inquit, *in arbore, vel in terra, nidum auis inueneris; & matrem pullis vel ouis desuper incubantem; non tenebis eam cum filiis: sed abire patieris, captos tenens filios; vt benè sit tibi, & longo viuas tempore.* Quibus præceptis similia de non coquendo hœdo in lacte matris [k], de non arando in boue & asino [l]; de non obligando ore bouis triturantis [m], de quibus aliàs.

a hom. 24. in Matth.
Ad coruos mitti quid.
b 1. epist. 16.
c Matt. 24. 28.
d tomo 10. fragment. 2. de decal. c. 4
e supra.
f in Prou. 30. 17.
g tomo 2. Domin. 1. Quadrages. serm. 17.
h lib. 3. stimuli adolesc. c. 16.
Exemplum inobedientiæ erga parentes.
i Deut. 22. 6. 7.
k Exo. 23. 19.
l Deut. 22. 10.
m c. 24. 4.

Et benè sit tibi.] Idem haberi in Exodo [n] iam antea monui secundùm editionem Græcam. Obseruat porrò Philo [o]; dici vt benè sit, seu fiat tibi, non his qui honorantur; quia sine intellectum vt patrem (mysticè, vt solet, agit) huius concreti τοῦ συγκρίματος, seu *compositi*, totiúsque hominis; siue sensum vt matrem honorauerimus, ipsi ab eis recipiemus beneficium. Honoramus autem intellectum, inquit, non iocunda ei præbendo, sed vtilia, quæ à virtute proueniunt; sensum, cohibendo eius impetum, ac refrænando per intellectum.

In terra.] Docui quoque paulo antè in Exodo Græcè addi epithetum τῆς ἀγαθῆς, *bona*: & de hac etiam R. Abenezra interpretatum: sic verò etiam secundùm editiones omnes cognominatur aliis [p] in locis, vtpote fluens, seu manans lacte & melle [q]: quod non ita verè de terra Ægypti asseruerunt seditiosi [r]. Hieronymus [s] de terra viuentium, id est, de cælo. Sed de hac quam habitamus literalis absque dubio sensus est.

n c. 20. 12.
o lib. quod deterius potiori insidietur.
p Exo. 3. 8. Deut. 1. 25. 35. c. 8. 7.
q Exo. 3. 8. 17. c. 13. 5. c. 33. 3. Leuit. 20. 24. Num. 13. 28. c. 14. 8. Deut. 6. 3. c. 11. 9. c. 26. 9. 15. c. 27. 3. c. 31. 20. Iosue 5. 6. Ier. 11. 5. c. 32. 22. Bar. 1. 20. Ezech. 20. 5. 15.
r Num. 16. 3.
s in epist. ad Ephes. 6

Quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Idem est (*dabit*) in Exodo [a]; vtrobique autem Græcè est δίδωσι, *dat*: Hebraicè & Chaldaicè participium *dans*, נֹתֵן *nothen*, יָהֵב *iaheb*, quod, vt sæpiùs annotaui, tempora cuncta admittit, dans est, erit, fuit: ita vt non possit affirmari esse hîc temporis præsentis Hebraicè, vt docuit Caietanus [b] & Ysiella [c], atque Matthæus Galenus [d] declarantes pro futuro poni præteritum, & quia iamiam erant Hebræi terram illam ingressuri: & quia quod attinet ad illos quibus primùm promissio facta est, & memorantur in Exodo, ex parte sua erat Deus tunc dans, sed peccata eorum impedierunt & distulerunt quadraginta annis: & quia in perpetuis donis vtitur Deus verbis præsentis temporis, inquit Galenus, quoniam pij iam accipiunt ac spe possident. Exempla obuia sunt: quale illud [e]; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cæterùm ex aliquot aliis allatis locis ostendi possunt & bona quæ honorem deferentes parentibus maneant, quæque supplicia iis qui eum denegent. Malum quidem Salomon [f] maledicentis eos asserit esse vt extinguatur lucerna in mediis tenebris, id est, aut vita ipsius, aut prolis, aut ipsummet eiusdem naturale lumen rationis: aut omnis prosperitas. Sed & ex isto præcepto, quod perfectissimè impleri debuit à Christo, sicut cætera, argumentantur aliqui, hunc ab illo matri negari honorem non debuisse; vt maiore afficeret eam gratia, & innocentia, quàm Angelos & Adamum cum Eua, proindeque, vt ab omni labe originalis quoque peccati præseruaret; quemadmodum ob similem rationé Petrus Blesensis, in instructione fidei Catholicæ ab Alexandro III. Pótifice ad Soldanum Iconij missa, colligit migrauisse hinc illam sine corruptione, quæ conceperat sine pudore, pepererat sine dolore. Confirmant etiam hoc quidam ex codicibus, qui hoc præceptum exprimunt Græcè, vt ante retuli, verbo composito ὑπερτίμα, *superhonora*, id est, plusquam omnes alios; aut honore præueniendo: quod verbum Latinum idem Blesensis vsurpat. Ratiocinatus est eodem pacto priùs vel Augustinus [g], vel alius. *Lex*, inquit, *sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere, singulari saluatione eam in morte speciali gratia honorasse.*

a c.20.12. b ibidem. c ibidem. d catech. 75. e Matth.5.3. f Prou.20.20. g serm 4. de assumpt.

Vers. 17.] Non occides.

PARAPHR.

QVintum præceptum est, quod ordine eodem recitatur in Exodo [h], & apud Lucam [i], vbi sunt post istud, *non mœchaberis; non furtum facies; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum & matrem*: & apud Matthæum [k]; *non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed apud Marcum [l]; *ne adulteres; ne occidas; ne fureris; ne falsum testimonium dixeris; ne fraudem feceris; honora patrem tuum, & matrem.* apud Paulum [m], *non adulterabis; non occides; non furaberis; non falsum testimonium dices; non concupisces.* apud Iacobum [n]; *qui dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides.* Syrus tamen Interpres apud Paulum præponit (*non occides*, לָא תִקְטוּל *lo thektul.*) Et Iosephus [o] retinet ordinem quem hîc habemus: Vetusti codices Græci, ac Sixtini etiam, in Exodo [p] habent primo loco οὐ μοιχεύσεις, *non mœchaberis*, seu, *non adulterabis.* Philo [a] quinarium hinc alterum ordiens, ex negatiuis præceptis, ad homines pertinentibus, quia id quod præcessit, docuit esse in confinio Dei & hominum, vt dixi; præponit præceptum de non mœchando, tanquam de peccato, quod sit μέγιστον ἀδικημάτων, *maximum inter iniqua*: & siue aërem, siue cœlos ipsos, ac vniuersum orbem consideres, vbique adulterij cuiusdam spiritualis ingerit se oculis crimen: & vniuersa quæ sequuntur fœditate, ac indignitate longè superat. Clemens [b] Alex. eundem ordinem seruat; quamuis allegoricè doceat adulterium esse, si quis relicta ecclesiastica & vera cognitione, & de Deo persuasione, accedat ad falsam quæ non conuenit opinionem, &c. quod suo postea loco videbitur. Allegoriam verò tradit ad hoc de non occidendo præceptum, quando quis de Deo & eius æternitate veram auferre vult orationem, vt falsam inferat. In Augustino statuitur [c] secundæ tabulæ præceptum secundùm, *non mœchaberis*; vocánsque quintam chordam, in illa iacere affirmat penè totum genus humanum, plúsque laborare, peruersam consuetudinem esse, labem totius generis humani, metuendum ne castus erubescat inter impudicos, odio haberi vitia cætera; si quis voluerit cum ancillis suis, amari, blandè accipi, conuerti vulnera in ioca; castum erubescere accedere ad non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum, &c. Applicans præterea isti præcepto plagam Ægyptiacam mortis pecorum, mortis metu frænat libidinem quæ reddit hominem pecori similem, cùm possit ratione cohibere motum ad feminas, quem quouis tempore sentit, pecus autem est non nisi certo tempore; & ob talem cohibitionem, quæ non sine labore & patientia est, præmium atque gaudium obtinere valeat in æternitate. Ex qua Augustini doctrina sequitur omnem extra coniugalem vsum vetari hoc præcepto concubitum; omnes, vt ipse loquitur, fornicationes, diffluentiásve libidinis; quia Deus sciens quid tibi vtile sit, vxorem concessit, nihil ampliùs; ita vt qui secus faxit, licèt non lædat alterius torum, corrumpat & violet Dei templum, iniuriam faciat imagini & gratiæ eius; atque sic faciat Deo, quod fieri sibi nollet; quoniam nollet lapidari tabulam, aut corrumpi domum suam; vellet sibi à suo seruo seruiri, nolens ipse seruire Deo talia fieri vetanti, sed meliorem habere seruum volens, quàm esse ipse seruus velit Dei. Sed omisso interim illo alio præcepto, quod Isidorus etiam ac Beda ante præceptum de cauendo homicidio collocant, rationem ordinis nostri afferre possumus cum Matthæo [d] Galeno, antithesim cum priore præcepto: quoniam parentes si non dij sunt, licèt aliquo pacto dicantur esse, vt vidimus, illius instrumenta sunt hominis reparantis & propagantis; homicida operam nauat diabolo mortis auctori [e], quique ab initio homicida [f] est: & sicut seruanti præcedens præceptum promittitur vita longior; ita de viris sanguinum dolosísque cecinit Dauid [g] quòd non dimidiabunt dies suos: præterea adulter peccat in id quod est extra hominem, nec enim coniuges vna caro sunt nisi tropologicè, peccátque cum consentiente; qui occidit, nihil addere potest ad iniuriam. Causam præterea reddit Aquinas [h], ac simul cur sit cum reliquis, negatiuum, quoniam communiter ad hoc obligatur homo, vt nulli inferat nocumentum; ea verò quæ sunt proximis exhibenda, diuersimodè exhibentur diuersis:

h c.20.13. i c.18.20. k c.19.18.19. l c.10.19. m c.13.9. n cap.2.11. o 3. antiq. c.6. p c.20.13.

a de decalogo & lib. de special. legib. b 6. Strom. c.2. c de decem chordis, & in fragm. l. de decalogo. d catech. 77. e Sapien. 2.24. f Ioan. 8.44. g Psal. 5.7. h 2.2. quæst. 122.a.6.

&

& nocumentum vel est in personam ipsam alterius, quod vetatur per homicidium, in quo continentur vis iniuriosa verborum, signorum, verborum, &c. item odium, ira, rancor, indignatio, inuidia, mala suspicio, mortis desiderium, gaudium de damno alterius; quilibet internus affectus, malàve voluntas ad proximi tendens læsionem: multo magis interfectio suiipsius, aut mutilatio, &c. Vel est nocumentum in personam coniunctam; vel in res externas; vel in famam. Vbi latè patet disputatio de iusta & licita occisione per legitimam potestatem seu in bello, seu extra bellum; item ob sui defensionem aut in vita, aut in honore seu fama, aut in rebus: præterea de tyranno iniusta violentia vsurpante potestatem: de non occidendo seipso; de vitando duello; atque de adeò multis aliis nocendi modis manu, ferro, lapide, baculo, laqueo, veneno, iussu, consilio, suffragio, ope, fauore, comitatu, non adhibito impedimento ad quod tenearis, vel præbito auxilio; denique prauo seu consilio seu exemplo, quo cuiuspiam anima ad peccandum inducatur, & sic secundùm animã, cuius vita est gratia, moriendum. Philo [a] comprehẽdi docet leges de vi & iniuria, de mutilatione, plagis, vulneribusque. Augustinus, qui homicidij prohibitionem comparat cũ sexta plaga pustularum & vesicarũ bullientium, scaturientiumque, & incendiis vulnerũ ex fauilla fornacis, propter ardorem [b] iræ, optimã & satis exactam totius præcepti affert explanationem in opere de ciuitate [c]; docens vetari occisionem etiam suiipsius, nisi ex proprio quodam instinctu Dei, non autẽ plantarum, & bestiarum, vt Manichæi sentiebant. Post Augustinum Aquinas cuncta perspicuè satis complexus est in opusculo de decalogo, vt alia eiusdẽ omittã loca, aliorùmve testimonia, quæque ipsimet scholasticè aliàs disseruimus & contra hæreses, & contra Scoti opinionem, quòd magistratui permissa sit cædes in iis tantùm casibus, quos expressit Scriptura; & idcirco non furis. Iuris positiui pœnarũ taxationes illæ in vetere Testamento, nunc non obligant, posśuntque diuersis criminibus imponi a magistratu, quando id requirit bonum publicum. Grauitatem homicidij cognoscere licet ex eo quòd Christus diabolũ primum homicidam cognominauit [d]; quia inducendo ad peccatum primos parentes [e], obnoxios fecit morti animæ, atque corporis: & primæ cædis [f] fraternæ auctor videtur fuisse; sic ab initio peccans, vt scribit Ioannes [g], etiam homicidij duplicis peccato; quoniam Cain, vt idẽ ait, ex maligno [h] erat, ἐκ τοῦ πονηροῦ, id est, diabolo: cuius Cain exemplum, & Lamech, horrori est legentibus, vt prætereantur confictæ ab Ethnicis furiæ, quibus agitentur homicidæ; quódque, vel natura duce, arbitrati quidam Paulum homicidam, cuius post naufragium vipera manum inuaserat, exclamarint, non sinere vltionem eum viuere [i]. De manu cunctarum etiam bestiarum requisiturum se Deus affirmauit sanguinem humanum, non tantùm de manu hominis, & viri, & fratris; ita vt fundentis humanum sanguinem sanguis fundatur illius, & gladio pereat, qui gladium acceperit, eodem occidatur, qui in eo occiderit [k]. Summum probrum, contumeliámque Semei iacere se putauit in Dauid, appellando virum sanguinum [l]: & quamuis iustissimus vir, nullum nisi iustissimè fudisset (præterquam Vriæ, propter quod homicidium gladius non recessit de domo illius [m]) quia tamen fuderat, ædificare templum Deo, vt meditabatur, non est permissus [n]. Quò referas ritus & expiationes accuratissimas occultæ cædis, vbi autem deprehensus auctor esset, non aliam quàm per eiusdem sanguinẽ expiandi rationem [a]: vt prætermittam leges ciuiles & ecclesiasticas, quarum posteriores a ministerio sacro iustos quoque arcent interfectores: item celebre illud ex bulliente cæsi sanguine in cædentis conspectu argumentum ad cædis dignoscendũ auctorẽ, & similia iudicia alia planè admirãda, de quibus Petrus [b] Gregorius citans alios, ac de primo Delrius [c] noster, allatis etiam aliis auctoribus; item Iacobus [d] Menochius, & Mauritius [e] Hilaretus. Verè ac rectè Salomon [f], hominem qui calumniatur animæ sanguinẽ, si vsque ad lacũ fugerit, nemo sustinet. Fugiens Cain à facie Dei frustrà [g], ipsos bestiarũ timebat incursus; inquit Ambrosius [h]; ita vt euadere se posse desperaret; sed latebras quæreret, ne proderetur. Execrantur omnes homicidam, quantumuis ille lacu se, cisternáve, aut puteo, aut fonte totum abluat, non tantùm manus, quod factitabant olim aliorum interfectores, vt in Psalmorum vidimus commentario [i], etiam iusti. Vox ipsa sanguinis Abel clamabat contra Cain [k]: & clamor sub altari animæ interfectorum vt suus vindicetur [l] sanguis; & Christus eundemmet sanguinem super Iudæos minatus est venturum cum sanguine aliorum iustorum [m]. Nec desunt qui altercatum diabolum de Moysi corpore dicãt, quia suum diabolus Mosem contenderet, ac sepultura indignum, eo quòd Ægyptium interfecisset. Culter si super altáre ascendisset, pollutus habebatur [n]; bos si hominem occidisset, lapidari debebat [o]. At nos in epistola Iudæ de Moyse, & de homicidij crimine multa in Leuitici [p] commentario; vbi præcipitur proximè post iniunctam blasphemi mortem; vt qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Inde illud repetendum; ob eius atrocitatem atque horribilitatem, quódque per se nullam habeat rationem boni vel appetibilis, obseruasse Aquinatem [q], in decalogo non esse prohibitam internam voluntatem illius, quemadmodum prohibita est concupiscentia vxoris ac rei alienæ. Porrò Oleaster hoc loco miratur quòd tradens hanc legem non simul addat pœnam in transgressores illius: & rationem putat esse, ne solo timore pœnæ adiũctæ legem seruaremus. Cur ergo, vt nuper in Philonẽ tum argumẽtatus, adiectæ sunt minæ ad secundũ præceptum? Videbatur ipsum per se homicidium horrorem quendam naturalem incutere. Stulta nihilominus Gentilitas tuebatur se in patrandis cædibus, ac etiam parricidiis Iouis exemplo; vt & eiusdem, aliorũque in aliis facinoribus. Hinc illud Palladę,

εἰ τοὺς ἀνδροφόνους εὐδαίμονας ὄντας ὁρῶμεν,
οὐ πάνυ θαυμάζω· τοῦ Διός ἐστι γέρας.
ὃ γὰρ γεννήτορα μισῶν καὶ ἐκεῖνος
ἀπέκτειν' ἄν, εἰ ὁ Κρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
αὐτὸς δὲ τὸν κτείναντα σὺν τοῖς Τιτᾶσι κολάζει
δήσας ὡς λῃστὴν εἰς τὸ βάραθρον ἰείς.

Si homicidas felices esse videmus,
Non valdè admiror. Iouis est honor.
Genitorem enim odio persequens & ille
Interfecisset vtique, si Saturnus mortalis fuisset.
Sed loco cædis cum Titanibus punit
Ligatum tanquã latronẽ in barathrũ immittens.

Non occides.] Apud Matthæum [r] Interpres noster transtulit *(non homicidium facies)* licèt sit Græcè sicut hîc, & aliis antea citatis locis, οὐ φονεύσεις, intelligens videlicet præceptum de hominis occisione; non autem, vt intellexisse quosdam, id est, Manichæos, & Marcionitas, refert Augustinus [s], etiam

[a] de decalogo.
[b] fragm. 2. de decal. cap. 6.
[c] 1. de ciu. c. 20. 21 26.
[d] Ioan. 8. 44.
[e] Gen. 3. 1. & seqq.
[f] cap. 4. 8.
[g] 1. epist. 3. 8.
[h] vers. 12.
[i] Act. vlt. 4.
[k] Gen. 9. 5. 6. Matt. 26. 52. Apoc. 13. 10
[l] 2. Reg. 16. 7.
[m] 2. Reg. 12. 10.
[n] ibid. c. 7.

[a] Num. 35. 22. & seqq.
[b] li. 36. syntag. cap. 20. num. 8. lib. 45. c 12. nu. 12. & seqq.
[c] in Senec. Octa. v. 117. & 1. disquis. Magic. li. 1. c. 3. q. 4.
[d] de arbitr. Iudi. casu 270. nu. 27.
[e] serm. in fer. 3. post Dominic. in passione.
[f] Prou. 28. 17.
[g] Gen 4. 14. & seqq.
[h] 2. de Cain & Abel. c 9.
[i] in Ps 25. 6. & Ps. 57. 11.
[k] Gen. 4. 10.
[l] Apoc. 6. 10.
[m] Matth. 23. 35.
[n] Exo. 20. 25.
[o] c. 21. 29.
[p] in cap. 24. 17.
[q] 2. 2. quest. 122. a. 6. ad 3. & 4.
[r] Explanatio. 1 cap. 19. 18.
[s] 1. de ciuit. c. 20.

etiam bestiarum & plantarum: nec de alterius duntaxat, & non suiipsius, quemadmodum aliis placuisse, hoc est, Donatistis, & ex Ethnicis sectæ Gymnosophistarum restatur: quamuis nulla in præcepto isto mentio fiat proximi: quæ fit in eo quo inbibetur falsum testimonium; quod tamen etiam contra seipsum dicere fas non est; quia regulam diligendi proximum à semetipso dilectus accepit [a]. Error alius fuit VValdensium cædem omnem hominis prorsus illicitam esse cuiuis etiam legitimo principi de nefariis. Ex Hebræorum doctrina tradit Caietanus [b], quem, nomine tacito, transcribit Marxilla, verbum Hebræum, quod est רצח *ratsach*, appropriatum esse occisioni hominis; ita quod non est commune occisioni etiam aliorum animalium: nec fuit opus vt apponeretur tanquam glossa (*hominem:*) sed perinde esse, ac si dictum fuisset, *non homicidies*, data fingendi licentia. Idem docent Lexicographi Hebræi de dicti verbi notione. Occidere vineas [c] legimus, & pisces [d]; sed cum verbo הרג *harag*, vel המית *hemith*, & ἀποκτείνω: nec φονεύω, quod hîc & in similibus locis extat, adhuc reperi de alicuius quàm de hominis vsurpatum occisione: Chaldaicè est (*non occides animam*) id est, non separabis eam à corpore.

a Matt. 22. 39.
b in Exp. 20.
c Ps. 77. 47.
d Psal. 104. 29.

Vers. 18.] Neque mœchaberis.

Paraphr.

EXtat hoc idem præceptum sextum ad coniunctissimam viro spectans personam, id est, ad vxorem, & vicissim ad istam, ne alter coniugum fide violata rem habeat, corpúsve misceat cum alterius hominis corpore coitu generatiuo; aut alio etiam quouis modo coniugibus iniurioso. Nihil hominis vitæ coniunctius, cui per præcedens præceptum prospectum est, quàm vxor; sed & adulterio comes non infrequenter homicidium est, vt exemplo suo docuit Dauid, Herodes, tot alij. Egregiè Augustinus [e] cōmune præceptum docet vtrique coniugi: quemadmodum & per illud, *non concupisces vxorem proximi*, vetari concupiscentiam vxori alterius viri: vt per honoratiorem sexum, alius quoque intelligatur. Deinde profitetur ignorare se vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt viri qui vxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent. Addit si furti nomine benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, quia rapinam non permisit qui furtum prohibuit; sed à parte totum intelligi voluit quidquid illicitè rerum proximi aufertur; profectò & nomine mœchiæ omnem illicitum concubitum, atque illorum membrorum non legitimum vsum prohibitum debere intelligi. Inuehitur [f] idem acriter & multis in viros, qui quam ab vxoribus exigunt non seruant fidem, cùm par sit obligatio, ac in viro eo maior quo sexu fortior. Queritur verò etiam, vt priùs dixi, labem hanc esse totius generis humani, de qua glorientur viri, ac erubescant videri casti, iacere in hoc vitio, & in illo plus laborare penè totum genus humanum: propterea non cessare se de hoc præcepto loqui propter ipsam peruersam consuetudinem. Adhuc autem reprehendens soluti cum soluta commixtionem, indicat optimam rationem, vt nouerit homo pretium suum, quò accedat, quid manducet, quid bibat, immò quem manducet, quem bibat: vt cogitet sic etiam peccari in Deum, corrumpendo seipsum, quæ Dei imago est, ac templum [g], cuius ipse disperdit violatorem [a], quódque hic non inuidens nobis bonū nostrum, nec indigens nostro, sed sciens, quid vtile sit nobis, ac nos ad vtilitatem, nostram gubernās, vxorem concessit, nihil amplius; hoc iussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius quod esse cœpimus: atque hanc à seruis suis requirit fidelitatem. Ex Paulo indicatis locis tario ea petitur: cui similē adiungit, ne quæ Christi sunt membra, membra fiant meretricis [b]. Rursum ab Augustino [c] vrgetur humanæ conditionis dignitas, quam luxuria contaminet, & bestiis reddat similem: spes mercedis æternæ pro labore cōtinentiæ. Isidorus & Beda in Exodum præcepto isto caueri docent, ne quisquā præter matrimonij fœdus aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem. Ambrosius [d] negat vlli licere scire mulierem præter vxorem, ideo coniugij datum ius, ne cum aliena quis delinquat: adulterium esse (late nimirum id accipiendo) non solùm cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij. Aquinas [e] vsus argumento illo ex Apostolo, & quando idem scribit [f] fore vt fornicatores & adulteros iudicet Deus: & [g] quòd fornicarij regnum Dei non possidebunt, non solùm adulteri, molles, masculorum cōcubitores, definit hæresim esse, dicere fornicationem simplicē non esse peccatum mortale. Eiusdem Pauli sententia est quod fornicator non habet hæreditatem in regno Christi & [h] Dei: vtque deponatur membra mortificando, fornicatio, immūditia, libido [i], &c. vt abstineatur à fornicatione, possidēdo vas suum in sanctificatione & honore [k]. Christus inter ea quæ coinquinant hominem numerat cum adulteriis fornicationes [l]. Ioannes in Apocalypsi [m] dictū sibi refert ab Angelo fornicatorum partē fore in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Eiusdē adhuc Pauli consiliū est de coniugio, vt fornicatio vitetur [n]. Nurū solutā lege connubiali Iudas ab fornicationem morte punire voluit [o]. Cauit Moyses nę vlla esset meretrix de filiabus Israël [p]: vtque sacerdotis filia fornicata comboreretur [q]. Punita etiā est fornicatio populi cum Madianitis [r]. Deus minatur populo propter filios eius fornicantes [s]. Tobias monet filiū vt ab omni fornicatione sibi attendat [t]. Non est hîc hærendū diutiùs, & vt honestatis ratio habeatur; & ne cōmentarij lex prætereatur; & quia hoc ipsum argumentum alibi [u] tractatū est: & repuli opinionem Oleastri [x], negantis contineri hoc præcepto simplicem fornicationem, cùm tamē etiam R. Abenezra [y], vt ipsemet fatetur, eam includi concedat, seu omnem concubitum, qui non sit viri cū vxore. Ostendi præterea ratione naturali simplicem fornicationem illicitā esse, & mortale peccatum; quidquid non modò cynici quidam Philosophi senserint, de quibus Hieronymus [z]; & Demosthenes aliúsve auctor orationis aduersùs Neæram, qui meretrices esse voluptatis causa scripsit, concubinas famulatus & curæ quotidianæ corporis, vxores ad prolem & fidam custodiam: nec solùm Græci, & quidam alij hæretici; verùm etiam ex Theologis Martinus [aa] de Magistris, & Durandus [bb]. Violatur simplici etiam fornicatione lex naturæ, quæ sexus instituit ad suscipiendam & educandam prolem, & genitalium vsum membrorum non nisi ad eundē finem. De pœnis adulterij Alex. [cc] ab Alex. Andreas [dd] Tiraquellus, & Petrus [ee] Gregorius. Verissimè Cicero [ff], *Si regnante*, ait, *Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam* (id est, naturale ius) *Sextus Tarquinius*,

e quæst. 71. in Exo.
f de decem chordis cap. 2.
g c. 1. Cor. 3. 15. 17. & 6. 19.
a c. 3. 17.
b c. 6. 15.
c fragm. 1. in Exo. c. 5.
d 1. de Abraham c. 7.
e opusc. 4. de decalogo.
f Heb. 13. 4.
g 1. Cor. 6. 9. Gala. 5. 19. 20. 21.
h Eph. 5. 5.
i Coloss. 3. 5.
k 1. Thess. 4. 3.
l Matth. 15. 19.
m c. 21. 8.
n 1. Cor. 7. 2. 9.
o Gen. 38. 24. & seqq.
p Deut. 23. 18.
q Leuit. 21. 9.
r Num. 25. 6. & seqq.
s Oseæ 4. 10. 11.
t Tobiæ 4. 13.
u in Leuit. 20. 10. in actuum 15. 20. in Sap. 3. 16.
x in Exo. 20.
y ibidem.
z in epist. ad Ephes. 5.
aa de temperan. quæst. 2. de luxu.
bb 4. d. 33. q. 4.
cc li. 4. c. 1.
dd in leg. 13. connub.
ee 36. syntag. c. 6.
ff 2. de legibus.

um Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit: erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & a delicto auocans: quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est: orta autem est simul cum mente diuina. Quare non creditur Halicarnasseo prodenti editam legem à Romulo contra adulteros; sed primus, id asseritur fecisse Augustus, quæ Iulia lex appellata est. Itaque quamuis adulterij diserta magis facta hîc mentio sit, vt quæ lædat ius proximi magis apertè; comprehendi prohibitio debet simplicis fornicationis, incestus, stupri, raptus, sacrilegij, mollitiei, inordinati vsus cum fœmina, Sodomitici concubitus masculi cum masculo, fœminæve cum fœmina, item cum bestia; dæmone succubo, vel incubo: præterea vetantur quæ disponunt ac deducunt ad libidinem inordinatam, vt impudicus aspectus, inhonesta oscula, tactus, amplexus, verba turpia & impura; lasciua musica, lusus, cantus, cantilenæ, instrumentorum soni, libri lasciui, nutus, choreæ, saltationes, &c. Philo [a] in hanc legem peccare ait stupratores, pæderastas, lasciuiæ deditos, & illegitimis incestisque concubitibus; quorum formæ non sint hîc expressæ ad incutiendum pudorem, & pudenda dedecora turpiter viuentibus exprobrandum. Abulensis [b] docet lege ciuili puniri tantùm ea peccata quibus læditur alius, iustitiaque violatur: ex quo genere negat esse simplicem fornicationem. At non esset difficile demonstrare humano generi quandam iniuriam inferri, quia sic impeditur generatio; vel certè certa educatio liberorum: sicut per luxuriam innaturalem, quæ multis contingit modis, proles edi non potest. Vnde illud aduersùs Ponticum manstupratorem,

> *Ipsam [c] crede tibi naturam dicere verum,*
> *Istud quod digitis Pontice perdis, homo est.*

Hac item de re alibi egimus, atque censeri legem iniquam quæ adulteram punit, non adulterum, vt aliquanto etiam antè retuli ex [d] Nazianzeno: iniustum maritum, qui quam non seruat, exigit fidem ab vxore, vt præ aliis vrget Augustinus [e]: *Viri erant*, ait Nazianzenus, *qui hanc legem sanxerunt, ac propterea aduersus mulieres lata est; quandoquidem & filios paterna potestati subiecerunt, infirmiorem sexum, incultum atque incuratum reliquerunt.* De vtrorumque coniugum pari obligatione fidelitatis Hieronymus [f] scribens, alias ait esse leges Cæsarum, alias Christi: aliud Papinianum, aliud Christum præcipere: apud illos viris impudicitiæ fræna laxari: apud nos quod non licet fœminis, æquè non licere viris: & eandem seruitutem pari conditione censeri. De remediis contra libidinem congessi multa tractatu quodam proprio. Pondus habet Tertullianica [g] sententia. *Quis magis negauit qui Christum vexatus* (per tortoenta) *an qui delectatus amisit? qui cùm auerteret, doluit, an qui cùm amitteret lusit?* Recordare eius qui in osculantis se faciem, ac fœdè attrectantis meretricis, nudus & ligatus, præcisam morsu linguam exspuit, de quo Hieronymus [h].

Neque mœchaberis.] A Græcis verbum id sumptum est, hîcque habetur, οὐ μοιχεύσεις: vtrúmque Interpres noster eodem sæpiùs, semel nomine mœchi [i], & mœchiæ [k]; præceptum verò hoc idem sub adulterandi verbo recitatur à Matthæo [l], Marco [m], Paulo [n]. Significant hæc quidem propriè mixtionem vel mariti cum alia quæ non sit vxor ipsius, vel vxoris cum viro qui non sit maritus eius, quod est sic ad alteram aut ad alterum conuenire, iuxta etymon adulteri & adulteræ; non autem ab aliis toro: tamen interdum accipiuntur pro libero quoque solutóque concubitu, quemadmodum alibi docui profanis etiam exemplis. Deriuant μοιχὸν aliqui [a] παρὰ τὸ μὴ οἰκός, quod sit ab ἐοικὼς simile, aut decens, quia hoc vitium οὐκ ἔοικε, non decet, atque liberi dissimiles sunt, ac veluti non ex eodem genere, ad illum modum, quo cognominantur adulterinæ plantationes [b]. Alij quasi à μὴ ἔχων, nihil habens; quia nihili habetur ex adulterio natus: vel à μὴ οἶκος, non domus; quoniam non pertinet ad domum, sed extra domum, & in aliena natus: vel ἀπὸ τῶν μυχῶν, à recessibus & abditis locis. Hebræum verbum נאף naaph, quod hîc est, conuenit solùm in nuptam: scortari autem generaliter significat זנה zanah. Mysticè mœchus quis apud Clementem [c] Alex. sit, pridem antea docui; familiare quoque diuinis literis est, idololatriam eo modo cognominare.

[a] de decal.
[b] in Ex. 20. q. 38.
[c] Martial. l. 9. epigr. in 4.
[d] orat. 31.
[e] de decem chordis c. 9.
[f] epist. 30.
[g] de pudic. c. vlt.
[h] in Paulo eremita.
Explanatio.
[i] Leuit. 20. 10.
[k] Sap. 14. 26.
[l] c. 19. 18.
[m] c. 10. 19.
[n] Rom. 13. 9.
[a] Eustath. Mœchi etymon.
[b] Sap. 4. 3.
[c] 6. Strom. c. 8.

Vers. 19.] Furtúmque non facies.

VErbis iisdem idem præceptum extat in Exodo [d], Leuitico [e], Matthæo [f], Luca [g]: in Marco [h] autem *ne fureris*; in Paulo [i], *non furaberis*: éstque in Decalogo octauum, vt quidam supputant, vel septimum vt meliùs ac magis communiter alij. Succedit præceptis de damno in substantiam ipsiusmet personæ, & alterius quæ illi maximè coniuncta est, atque ad rerum damnum spectat, quibus vita conseruatur. Quamuis autem fama, nominísque integritas inter externa omnia bona videatur pluris æstimari: tamen falsum testimonium consistit in verbis: falsúsque testis idē fur ferè est; ac lucri turpis causa induci ad eam peruersitatem solet. In Leuitici commentario retuli Rabbinos, asserentes ad furtum lege prohiberi dumtaxat, propter quod pœna mortis infligenda esset, non pro quo duplum, aut quid simile reddi præciperetur: præterea quòd ageretur in Decalogo de furto animarum, vt si quis Israëlitam furaretur; quod morte plecti deberet; ibi de furto rerum temporalium. In Petri [k] quoque commentario confutaui opinionem Scoti, negantis morte furtum puniri debere; multóque magis Barbarorum quorundam crassissimum errorem, qui licitum, ac laudabile asserebant. Protuli quoque seuerissimas de furto Ethnicorum leges, citatis auctorum testimoniis, quibus accedat [l] Prosper Farinacius Docui postremò, quamuis propriè furtum sit occulta rei alienæ inuito domino acceptio, vel detentio, hoc præcepto prohiberi quemlibet alium modum iniquum per vim & apertum, quæ rapina dicitur, & non modò clā, ac dolosè. Quò reuocantur leges iniquæ ad capiēdum lucrum, contractus iniusti, vt cambij, vsuræ, mercimonij, Simoniæ, venditio emptióve dignitatum politicarum, quæ gratis conferri debeant, &c. denegatio debiti siue mercedis nomine, siue tributi, aut vectigalis, alterius lucrum impediens; aut damnum, cùm possit ac debeat, non auertens; monetam adulterans, alióve modo corrumpens, aut scienter talem aliis tradens: limites agrorum suo loco dimouens; opifex vel operarius mala fide operam præstans, & integrum tamen pretium, seu mercedem recipiens: munus publicum, ad quod mercede aut stipendio liberali conducitur, negligenter obiens: non soluens debita, vel quidpiam vt soluāt, extorquens: simulata paupertate corradens eleemosynam: iniquus iudex, testis, patronus damno afficientes: princeps permittens

Paraphr.
[d] c. 20. 15.
[e] c. 19. 11.
[f] c. 19. 18.
[g] c. 18. 20.
[h] c. 10. 19.
[i] Rom. 13. 9.
[k] in 2. epist. 4. 15.
[l] pract. crimin. p. 3. tomo. 2. q. 165 & seqq.

reipublicæ damnum inferri à milite, &c. Philo [a] ad ordinem furum pertinere dicit qui fraudant creditorem, vel depositum abnegant, qui peculantur, qui prædantur, quotquot præ auaritia clam palámve aliena vsurpant. Attingit hæc Aquinas [b]: & furem comparat cum homicida; quia panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, vir sanguinis est, qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt [c]; difficilè curari monet; quia præter pœnitentiam requirit satisfactionem, ad quam quis ægrè adducitur, sed aggrauat, multiplicans non sua, contra se densum [d] lutum: docet iniquè ablata non prodesse, quemadmodum Sapiens [e] affirmat; vocans thesauros impietatis: probat ex iis non acceptari eleemosynas, quoniam odio habet Dominus diligens iudicium, rapinam in holocausto [f]: & qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris [g] sui: ostendit quod congregat auaritiam malam domui suæ, putans liberari se de manu mali [h]; nec sibi congregat, sed liberali in pauperes [i], & iusto [k]: ostendit esse in causa cur fiat simul iactura rerum iustè possessarum; quoniam, vt ait Iob [l], ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt: postremò admonet furem seu alieni possessorem exponere posteros suos peccandi periculo, cùm ad eosdem transeat onus restituendi. Hinc sequitur quod Augustinus [m] notat, furti nomine bene intelligi omnem illicitam vsurpationem rei alienæ: nec rapinam permisisse qui furtum prohibuit, sed à parte totum intelligi voluisse, quidquid illicitè rerum proximi aufertur. Vnde argumentatur, prout antea vidimus, nomine mœchiæ, quod propriè adulterium significat, omnem illicitum concubitum, atque illorum membrorum non legitimum vsum prohibitum debere intelligi. Quod argumentum habet maiorem vim circa concubitus & alios actus venereos multo deteriores mœchia, siue adulterio, quemadmodum etiam priùs admonuimus. Supponit porrò istud præceptum rerum diuisionem ac dominium rectè institutum esse, nec debere vel etiam posse omnia esse communia, vt consulatur publicæ tranquillitati inter homines adeò variè affectos; vt meliùs res conseruentur, vt confusio tollatur. Hoc alibi demonstratum est aduersùs inducentes communicatem tùm rerum cæterarum, tum ipsarummet vxorum, quod secundum priori repugnat præcepto. Clemens [n] Alexandrinus furem censet esse mysticè, qui diuina opera sibi vindicat per fingendi, vel pingendi artem, dicens se effectorem animantium & plantarum; qui veram imitatur philosophiam, tribuens astris principaliter, quod vniuersorum patri Deo debet. Augustinus [o] plagam grandinis applicat ad furtum; quia quod per furtum contra præceptum, inquit, subducis, de cælo perdis, nemo enim habet iniustum lucrum sine iusto damno: & qui suo malo desiderio forinsecus furantur, Dei iudicio intrinsecus grandinantur. Sed ipse [p] plagam sui furti, quod annum agens decimum sextum, ex arbore pyro, nulla compulsus egestate, fecit, ita deplorat, vt qui maxima crimina fos, verè pœnitens alius; accusans in se fastidium iustitiæ, saginam iniquitatis, placendi voluntatem ac voluptatem sodalibus seu consociis nequissimis adulescentulis, & corridendi cum ipsis; quòd fallerent eos qui id ab iis fieri non putabant, & vehementer nolebant; nimis inimica amicitia, seductionem mentis, ex ludo & ioco nocendi auiditatem, alicui damni appetitu; nulla lucri proprij, nulla vlciscendi libidine; cùm denique puderet non esse impudentem. Dorotheus [a] abbas, vt doceat quanta sit vis prauæ consuetudinis, confirmat exemplo monachi; qui à ciborum furto, cùm ei affatim suppeditarentur, & superessent, abstinere nequibat. Quocirca sapienter Philo [b] præcipit: *ἐκ πρώτης ἐν ἡλικίας ἀναδιδασκέσθω τις μηδὲ λάθρα τῶν ἀλλοτρίων ὑφαιρεῖσθαι, κἂν βραχύτατον ᾖ· ἔθος γὰρ φύσεως κραταιότερον ἐστι, καὶ τὰ μικρὰ μὴ κωλυόμενα αὔξεται, καὶ ἐπιδίδωσι πρὸς μέγεθος ἐπαυξανόμενα. A prima ergo ætate discat quis, neque clam aliena auferre: etiamsi minimum quid sit; quia inueterascens consuetudo, natura potentior est; atque parua, ni prohibeantur crescunt; & procedunt ad magnitudinem aucta.* Adeò vile ac turpe furti vitium est, vt cùm aliorum genera vitiorum diis Poëtæ adscripserint, nullum ausi sint deorum furti reum confingere, si vera scripsit Plato [c]; adeóque seruile ac vltimæ familiare conditioni & contra naturã Ambrosius [d] affirmat; vt inopia magis hoc extorquere videatur, quàm natura suadere; passimque seruile habetur ac seruorum subiectum pœnis, idest, fustigationis & verberum. Atqui prodit Augustinus [e] fuisse deformatos à Poëtis deos, vt nec bonis hominibus compararentur; cùm alium facerent furari, alium adulterare. Lactantius [f] furem cognominat ac nebulonem Mercurium, qui ad famam sui nihil reliquerit, nisi memoriam fraudum suarum: Fulgentius [g] furti præsidem; quòd nihil intersit inter negotiantis rapinam atque periurium, furantisque deierationem & raptum. Sunt item epitheta eiusdem *τεχνικός, δολίος, δόλιε κλέπτα, murorum effractoris, boum furis, dolosi furis*: præterea *πολύτροπος, ἐλατὴρ βοῶν*, seu *boarie, φηλήτης, prædatoris, abactoris boum furis*. A quibusdam quoque Latinis Poëtis fur vocatur & furax, fraudis furúmque magister. Lauernæ demum deæ in tutela fures produnt [h] fuisse; qui Lauerniones inde dicti sint, Lauernalisque Romæ porta ædi Lauernæ propinqua. *Numquid non furem Mercurium*, inquit Arnobius [i], *publicantnus? nam nos esse Lauernam; atque cum hoc simul fraudibus præsidere nocturnis?*

Furtúmque non facies.] Verba [a] תגנב *thingob*, & *κλέψεις*, & furtum faciendi, seu furandi, propriè inuoluunt vt clam quid subripiatur. Quod Laban dixisse legimus [k] ad Iacob; *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi?* Hebraicè & Græcè est, *& furatus es me*, ותגנב אתי *vatthingob othi*, *καὶ ἐκλοποφόρησάς με*: & paulò antè [l]; *noluitque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret*; Hebræa lingua habetur *(& furatus est Iacob cor Laban*, ויגנב יעקב את־לב לבן *vayngob iahhakob eth leb Laban*) exponítque præterea Caietanus [m] quoniam clam discedens Iacob irritum fecisse consilium Laban quod corde cogitauerat, vt non fineret eum auferre quas sibi apud illum opes pepererat, sed nudum dimittere cogitauisse: & Lipomanus [n] de opibus, quas Laban vt cor suum amabat. Eodem loco Græcè est *ἔκρυψα, abscondit*, Chaldaicè כסי *chassi, celauit*. In historia [p] Regum, *quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda*; quod Hebræo textui & Græco respondet גנבוך *ghenauucha*, & *ἔκλεψάν σε*: Chaldaicè autem erat כסיוך *cassiuuch, occultauerunt te*. Ibidem [q] (*& declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem*) Hebraicè, Chaldaicè, Græcè (*& furatus est populus*, seu *furati sunt sese*, ויתגנב *vayithganneb*, ואתגנבו *vaithganneuu*, *καὶ διεκλέπτετο*. Tale illud,

Germane [r] vultus veste furabor tuos.

Item,

— ac [s] se tegmine ingenti clepsit.

Vnde

a de decal. b opusc. 4. de decalog. c Eccl. 34. 27. d Abac. 2. 6. e Prou. 10. 2. f Esa. 61. 8. g Eccl. 34. 24. h Abac. 2. 9. i Prou. 28. 8. k c. 13. 22. l c. 15. 34. m q. 71. in Exod. n 6. Strom. c. 5. *Fur mysticè quis.* o fragm. 2. de decalog. c. 7. p 2. confes. 4. vsque ad finem libri.

a doctrina 11. b de decal. c 12. de legib. d 3. de offic. c. 6. e 4. de ciuit. c. 27. f 1. Lact. c. to. *Mercurius.* g in mytho. *Fures, Lauerniones.* h Festus & Nonius. Varro 4. de ling. Lat. i 3. & 4. cont. Gent. *Explanatio.* k Gen. 31. 26. 27. l vers. 20. m ibidem. n ibid. v. 42. o ibid. p 2. Re. 19. 41. q vers. 3. r Seneca in Agamemn. actu 5. s in Herc. fur. actu 3.

Clypeus unde, & *Fur.*

Vnde clypeum dictum volunt, quòd huminem tegat, ac oculis furetur, quod est clepere, & κλέπτειν huius loci nostri verbum, quasi καλύπτειν. Sic verò etiam furem, vt alias notaui, quidàm inter ceteras notiones, ferendi, hoc est, auferendi, & φώς, à furuo deriuant, idest, à nigro, & tetro, quòd latebras, tenebras, obscurum, noctem fur quærat: & olim Lauernioues quoque vocabantur fures à Lauerna dea, de qua dixi, sub cuius tutela essent, & in cuius luco obscuro abditóque furta prædámque inter se luere solerent. Dicebatur quoque furis nomen de seruo, vt

Seruus furis nomine exprimitur. a Virg. eclo. 3. b in Aulul. actu 2. Scena 4. *Latro unde.*

Quid [a] *domini faciant, audent cùm talia fures?*

Plsuiusque [b] trium literarum homo, idest fur, seruum significare dicitur: etsi per ironiam prætetea significatum volunt eum, qui videri affectabat ingenuus, quòd talis nomen, prænomen, agnomen tribus literis notaret, vt M. T. C. pro Marco Tullio Cicerone. De lattone item nonnulli sentiunt descendere à latendo: quamuis acciperetur etiam olim pro milite conducto, quique mercede seruiret, à λατρεύειν: placeátque aliis deducere à latere; quod adoriatur à latere; vel vt stipator, latus Imperatoria tegat, quasi latero. Ex quibus comprobatur seruile vitium furandi seu latrocinandi esse, quemadmodum antea monui, vile, ignobile, indecorum, denique furuum, idest, atrum, nigrum, obscurum, tetrum, homine indignum ingenuo.

Vers. 20.] Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

PARAPHR.

c c. 20. 16. d c. 19. 18. e c. 10. 19. f c. 18. 20. g c. 23. 1. h Deut. 19. 16. 18. Prou. 12. 17. c. 19. 5. 9. c. 24. 28. c. 25. 18.

OCtauum præceptum iuxta communiorem distinctionem denarij præceptorum Decalogo contentorum attingens post res externas proximi, famam eiusdem, cui Deus consuli vult sicut illis; ne quis hanc lædat, & quasi furetur, quémadmodum & illas prohibetur auferre: atque vt nec verbis noceat, non solùm factis. Habetur idem præceptum in Exodo [c] his ipsis verbis loci præsentis: atque apud Matthæum [d], Marcum [e], Lucam [f]; & ibidem rursus in Exodo [g], alibíque [h] seuerè idem inhibetur. Nec tamen vetatur isto præcepto dumtaxat propriè dictum falsum testimonium in iudicio, cui connexum solet esse periurium, iniustitia, mendacium; sed etiam extra iudicium siue per modum detractionis, siue per modum contumeliæ: & in iudicio non modò ne quis falsum testimonium proferat, sed ne falsò quoque accuset, aut iniquè iudicet: extra iudicium seu in locutione communi, ne sit detractor, maledicus, contumeliosus, conuitiator, calumniator, susurro, adulator, murmurator: ne vllo modo mendax, non in his quæ sunt fidei: non in alterius nocumentum, non etiam in eius vtilitatem seu officiosè, aut iocosè: non pro seipso ex humilitate, iactantia, hypocrisi, excusatione, &c. De his omnibus Aquinas [i] allatis diuinæ Scripturæ testimoniis. Philo contineri hîc ait leges de non decipiendo, non calumniando, non adiuuandis malefactoribus, non celanda perfidia prætextu fidei. Augustinus autem, licèt ambigat alicubi [k], an hic prohibeatur omne mendacium, quia exprimitur ne quis loquatur contra proximum suum falsum testimonium, ita vt videri possit tunc esse mentiendum, quando mendacium prodest alicui, & nihil obest ei, cui mentiris: præterea [l], vtrùm caueatur, vt aduersùs seipsum quispiam ferat falsum testimonium: tamen ad hoc respondet [a] affirmando, quoniam regulam diligendi proximi à semetipso dilectur accepit; vt scilicet diligat proximum suum sicut seipsum. Adhæc [b] docet, istud præceptum violari, si quis peccatum alicuius vel fingat, vel tegat, aut alicui obsit quoquo modo; multóque magis detestabile esse mendacium aduersùs vitam æternam, quod nempe in doctrinam religionis fiat; ideóque falsum testimonium vocari ab Apostolo [c], si quis de Christo etiam quod ad eius laudem videtur pertinere, mentiatur; vtpote cùm (addo ego) non egeat Deus mendaciũ [d] nostro: & nimis obsit vniuersæ religioni, si qua in re vllum mendacium admittatur; quale quoque si quis fidem neget, quantumuis in corde retinere se glorietur. Concludit verò tandem, illicitum omne mendacium; quia scriptum est [e]; *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Hoc pluribus [f] aliis locis habetur. Reuocantur huc nutus, & signa externa, sigilla, scripta, immò & interna contra quempiam iudicia, aut etiam pro seipso eadem: vel exterior gestus, habitus seu vestitus, suspiria, lacrymæ, orationes, ieiunia, peregrinationes, mendicationes, sacramentorum frequentatio, ac similia fictè facta, &c. & nomine falsi comprehenditur non modò quod veritati contrarium est, verùm etiam quod illegitimum ac iniquum, & extra ordinem iuris. In citatis quoque priùs Euangelij locis omittitur mentio de proximo; vt intelligatur amplitudo præcepti circa temetipsum, & Deum. Sed & sub negatiuo affirmatiuum comprehendi debet, vt scilicet ferat quis testimonium verum, quando legitimè ac iuridicè requiritur, propter bonum publicum, siue communitatis. Testem fallacem, siue falsum, grauiter Scriptura reprehendit; comparans cum iaculo, gladio, sagitta [g], (quia & eminus offendit & comminus, aut iuxta lectionem L X X. ponentium clauam siue malleum ῥόπαλον, quoniam primo instrumento contundit caput, secundo iugulum petit, tertio cor transfigit:) afferens odio haberi à Domino [h], non fore impunitum [i], periturum [k], puniendum pœna talionis [l]. Falsos quoque testes cognominat filios Belial [m], hoc est, diaboli, qui calumniator est, mendax, mendacij pater [n], falsus accusator fratrum [o]: & quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem; sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendaciũ, inquit Augustinus [p]. Paulus [q] quidem hortatur vt deponentes mendacium loquatur vnusquisque veritatem cum proximo suo, quia sumus inuicem membra sub vno capite Christo: indicans mendaces esse sub capite diabolo. Interpretans autem Paulum Chrysostomus [r] egregiè demonstrat sicut non fallit pedem oculus, non hic illum, & sic de reliquis membris, & sensibus: ita cauendum ne fallamus alterutrum, cùm simus alter alterius membra. Idem apertiùs elucet in partibus quas vocant Medici indicatiuas, vt arteriæ, facies, oculi, &c. ac arteriæ, præsertim manuum & frontis. Sic oportet in rep. testes veraces esse, immò vltrò etiam cùm exigit vtilitas publica, indicari à membris eiusdem, suborientia in eadem mala. Qui verò adiurantem audit & non indicat, hominem timens [f] (non Deum) quando scilicet adiuratur vt edat testimonium, corruet. Filius Belial falsus testis est, vt dixi, idest, iuxta etymon, inutilis immò perniciosus: & absque iugo, excutiens à se legum iuga, & causa cur ab iis alij non premantur: & non abscondens seu non proficiens, immò plurimum deficiens ac nocens. Violat falsus testis, ait Philo [t], sanctam veritatem, qua nihil sacratius: notitiam

i opusc. 4. de decal. k q. 71 in Exod. l r de ciu. c. 10.

a ibid. b de mendacio c. 12. & 13. c 1. Cor. 15. 15. d Iob 13. 7. e ps 5. 7. f Leuit. 19. 11. Ephe 4. 25. Ap. 21. 8. Prou. 17. 7. Col. 3. 22. g Prou. 25. 18. h c 6. 19. i c. 19. 9. k c. 21. 28. l Deut. 19. 16. & seqq. m 3. Reg. 21. 10. n Ioan. 8. 44. o Ap. 12. 10. p tract. 42. in Ioan. q Eph. 4. 25. r ibid hom. 13. f Prou 29. 24. 25. t de decal.

notitiam rerum tegit, iniustos iuuat, aduersariique iniuriam patientibus: regula est iudici cui desunt probationes: periurus est, quia mos est, vt iniuratus non admittatur. Præter talionis pœnam, quam memorani, falso testi gentium multarum leges exsundunt dentes, quòd in more crocodili, venatici canis, & similium tenacissimè ac mordicus quod semel protulit & quasi admomordit, retinet. Falsorum testium exempla in sacris literis, vt profanas omittam, sunt Doëg contra Dauidem [a]: Sibæ aduersùs Miphiboseth [b]: duorum in Naboth [c]: Iezabel, & principum Sedechiæ contra Ieremiam [d]: duorum presbyterorum seu seniorum aduersùs Susannam [e]: aliorum aduersùs Christum [f], Stephanum [g], Paulum [h]. Infames illi, apud quos tritum illud, *δάνεισόν μοι μαρτυρίαν*, *da mihi testimonium mutuum* [i]. Et præcipitur tamen ab iisdem

μαρτυρίαν ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαι᾽ ἀγορεύειν:
Testimonium falsum fugere, iusta, seu vera loqui.

Cui iunge Satyricum [k],

—ambigua si quando citabere testis
Incertæque rei: Phalaris licet imperet, vt sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

a 1.Reg.22. 9. b 2.Reg.16.3. c 3.Reg.21.13. d Ier.37.12. e Dan.13.34. f Matth.25.61. Marci 14.55.56.57. Lucæ 23. Ioan. 18. g Actuum 6.11.13. h c.24.9. i Cic. pro Flacco. k Iuuenal. satyra 8.

idest, opera virtutis non exercere, quæ pariunt boni nominis immortalitatem. De saxo deiiciebat falsi conuictum testimonij lex XII. Tabularum [l]; Ægyptij morte multabant [m]: Indi manuum pedumque digitis & extremis membris decurtabant [n]: Scythæ capite plectebant [o]: Lycij vendebant simulque patrimonium eiusdem [p].

l Gell. l.11.c.18. l.20.c.1. Cic.1 de leg. m Diodor. Sic. l.1.c.3. Explanatio. n Strabo l.15. o Idem. p Heraclid. in Pontus, & in repub. Lyciorum. q c.20.14.

Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium] In Exodo [q] iisdem verbis extat idem præceptum Latinè, & Græcè. Hebraicè hoc loco ולא־תענה ברעך עד שוא *velothabhaneh verehbacha hhed schau*, *& non respondebis* seu *testificaberis in socium, siue proximum tuum testis mendacium*, siue *testimonium falsum*) vel (*non respondebis, ô testis falsitatis, contra proximum tuum.*) Oleaster explicat vt interrogatus à iudice super fratris negotio, non respondeat in eum falsum testimonium: vel vt quantumcumque quis odio habeatur à fratre, non respondeat odio illius per falsum testimonium contra illum: vel quia ענה *hhanah*, significat quandoque audire, vt non audiat contra socium suum falsum testimonium. In Exodo pro nomine שוא *schau* est שקר *schaker*. Etsi porrò respondere quod ענה *hhanah* valet, idem sæpe sit, quod simpliciter loqui, vt Testamenti quoque noui exemplis probari potest; nihilominus perpendunt nonnulli [r] vim verbi ac proprietatem; vt non audiatur testis, qui se ingerit obtrudítque; sed rogatus, iussus, impulsus; nec iudicem obtundere debeat garrulitate; sed percunctanti respondere. Quod legimus in Prouerbiis [s]; *ne sis testis frustrà contra proximum tuum*, חנם *chinnam*, *gratis*; Caietanus [t] explicat, ne non citatus, nullaque causa cogente, testem se aduersùs alium quis offerat, vel eum primò ad iudicium deferas. Quod eodem loco Chaldæus exprimit; *ne sis testis accusator*, סהדא רגלא *sahadarighl*. Est autem שוא *schau* huius loci nostri, & idem quod *frustra*, & quod שקר *schaker*, *mendacium*, in citato Exodi loco. Considerant [u] iidem ברעך *berehbacha*, vt præpositio (ב *be*, *in*) denotet non tantùm eminus pugnari contra proximum à falso teste, sed etiam comminus & in ipsa eius viscera inter iudices, virgas, secures, carceres; vbi de fama, fortunis, capite agitur. Deinde in רעך *reahh* peculiarem vim attendunt, vt amicitiam importet, sodalitatem, amorem summum, prout eo vocabulo in Cantico Canticorum Salomon vtitur; quoniam quemlibet hominem caritate complecti debemus, quantum attinet ad iustitiæ officia, ne quem lædamus. Tandem circa עד *hhed*, notat tum testem, tum testimonium posse significare: innui verò qui non sit certissimæ conscius veritatis, aut cui constet contrarium, ad testificationem accedere non debere: quoniam aliud est proferre falsum testimonium, aliud esse falsum testem. In Euangelio [a] recitatur hoc ipsum præceptum, sed absque mentione proximi: vt scilicet, quod alij [b] monuerunt, quam latè pateret intelligeretur; quemadmodum & quòd non sit restrictum ad iudicia, prætoria, tribunalia. De vocabulo proximi רע *reahh*, ὁ πλησίον actum aliquoties. Reperitur adhuc in sequenti præcepto: & vtrobique ac alibi quemlibet hominem designat. Clemens [c] tamen Alexandrinus agens nominatim de sequenti præcepto (est autem eadem ratio de præsenti, déque aliis locis, vbi proximi vox occurrit;) docet per proximum non intelligi Iudæum, sed Gentilem; quia proximus non est, inquit, Iudæus Iudæo, verùm frater, eumdémque habens spiritum: quoniam verò qui est alterius gentis, potest spiritus esse particeps, & non solùm Hebræorum, sed etiá Gentium pater est Abraham, ait propinquum, seu proximum appellari. Accommodat Augustinus [d] plagam octauam octauo huic præcepto, quæ est locustæ: quoniam sicut locusta dente nocet; ita falsus testis nihil aliud vult, nisi nocere mordendo, & consumere mentiendo. Vnde homines admonens Apostolus [e], ne falsis criminationibus appetant, *Si mordetis*, inquit, *& comeditis inuicem, videte ne ab inuicem consumamini.*

r Respondendi verbum. r Matth. Genus catechech 86. s c.24.28. t ibidem. u Gal. sup.

a Matth. 19.18. Marci 10.19. Lucæ 18.20. b Francisc. Sonnius de demonstr. rel. Christ. tract. de decalogo. c 3. Strom. c.1. Proximus hic quis. d tom.10. fragm 1. de decal.c.8. e Gal.5.15.

Vers. 21.] Non concupisces vxorem proximi tui: non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.

PARAPHR.

VEl vnicum hac sententia præceptum continetur, vel duo secundùm diuersam rationé distinguendi decem in decalogo. Nam qui de Deo quatuor numerant, vnum hîc dumtaxat agnoscunt, qui tantùm tria, hoc loco duo separatim recensent: vt Augustinus [f] etiam notauit. Distinctionem porrò istorum duorum colligit ipse quòd sic distinctè habeatur in Exodo [g], vt ipse quidem legit consentaneè ad textum Græcũ, (*non concupisces vxorem proximi tui*, &c. addendo, *neque domum*, &c. *& non concupisces domum proximi tui*, &c. Ratio tamen ista nihil efficit, si attendamus Hebræam & Chaldæam editionem (*non concupisces domum proximi tui, non concupisces vxorem proximi tui, & seruum eius, & ancillam eius, & bouem eius, & asinum eius, & omnia quæ proximi tui sunt.* Hîc verò etiam editio nostra nectit simul omnia (*non concupisces vxorem proximi tui; non domum*, &c.) quamuis in reliquis repetatur concupiscendi verbum: & loco priore prohibeatur concupiscentia vxoris alienæ: quod in Exodo quoque facit editio Græca, sed non nostra & aliæ. Vetantur his duobus præceptis actus interni mali concupiscentiæ duplicis contra materiam iustitiæ in bonis externis, & contra materiam continentiæ in aliena vxore, ac simul etiam in aliis libidinibus, siue appetitus illicitus circa bonum delectabile & vtile; ac rerũ

f q.71. in Exod. g c.20.16.

tum

tum mobilium, tum immobilium; duobus enim his bonis homines maximè tanguntur, atque vt Aquinas [a] ratiocinatur, sunt per se appetibiles, ac proinde peculiariter prohiberi debuit non solùm opus, verùm etiam ipsa concupiscentia; homicidium & falsitas per se horribilia sunt, ac naturalis est amor proximi, veritatisque: præterea cum deriuentur passiones irascibilis à passionibus cõcupiscibilis, de his mētio facta est in præceptis Decalogi, quæ sunt quasi elemēta legis. Dubitandū nihilominus nō est, omnē appetitionem malā vetitam esse ipso iure naturæ, tamque in lege vetere, quàm in noua, quoniam quod opere male fit, benè concupisci nequit; ipsáque malitia externi operis ex malitia procedit voluntatis. Sicut labiis honorare non sufficit Deum, si cor longè sit ab eo [b]: & auferri debet malum cogitationum [c], lauandum à malitia cor vt salui fiamus, curandúmque ne moretentur in nobis cogitationes noxiæ [d]. Quin etiam tam generalem esse prohibitionem non concupiscendi, ad quam cæteræ prohibitiones reuocentur, quàm generale præceptum est diligendi, tanquam sit vox illa legis ab omni peccato prohibeotis, quia nullum peccatum nisi concupiscendo committitur, inquit Augustinus [e]. In speciali generale intelligi docet Hugo Victorinus [f], & Hieronymus [g] per concupiscentiam omnes perturbationes animæ, secundùm quas videlicet caro concupiscit aduersus spiritum [h], & vousquisquo tentatur à concupiscentia [i] sua. Error fuit Hebræorum, quem videtur Christus [k] sepulisse atque correxisse, per istud præceptum prohiberi duntaxat actus externos, quibus contendat quispiam, vt aliena consequatur quæ concupiscit. In eodem errore Iosephus [l] videtur fuisse, scribens demirari se Polybium Megapolitanum, qui alioqui vir probus, dixerit Antiochum ideo periisse, quòd conatus sit Dianæ templi thesauros ac donaria diripere: voluisse enim tantùm, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videri tem dignum supplicio. Sed oppositum R. Moses in Exodi cap. 20. docet, nempe concupiscentiam prohiberi quæ est in corde, ac ideo peccare qui rem proximi concupiscat, etiamsi opus ipsum non faciat. Ordinabat quidem lex vetus præcipuè actus externos, vtpote imperfectorum veluti pædagogus ducens ad bonum pœnæ metu, quæ pœna respondet potissimùm actib. externis: tamen legem naturæ non tollebat, sed supponebat, quæ dictat internos actus malos esse pelle, atque ab iis malitiam in externos deriuari. Immò infert Caietanus [m] differre Decalogum à legibus humanis; quòd hæ peccata cordis non prohibeant, quia homo non potest esse iudex cordis, sed tantùm Deus, qui est scrutator cordis, exigitque præcipuè munditiam ac bonitatem internam. Vnde rectè Concilium [n] Tridentinum aperienda in confessione definit occultissima peccata mortalia, quæ tantùm sint aduersus duo vltima Decalogi præcepta, quæ nonnunquam, inquit, animum grauius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Ex qua Concilij auctoritate confirmatur non parum distinctio horum duorum vltimorum præceptorum. Porrò non est in prohibitio de primo concupiscentiæ motu, qui non est in potestate nostra; sed vt non eamus post concupiscentias nostras [o], nec regnet peccatum in mortali corpore, ita vt obediamus concupiscentiis [p]: vtque tentati à concupiscentia, non sinamus vt concipiendo pariat peccatum [q], idest, vt ratio ac voluntas cooperetur atque consentiat: beati potiùs futuri, si sufferamus tentationem, & accepturi coronam vitæ, cùm probati fuerimus [a], súbque nobis sit appetitus, ita vt dominemur [b] illius. Hæretici volunt in ipso motu primo esse peccatum; ac proinde impossibilem nobis esse diuinæ legis obseruationem. Immò Augustinus [c] docet multum boni facere qui post concupiscentias non it, sed non perficere; quia non implet quod hic præcipitur (*non concupisces*) præterea [d] præcipi hac lege non quod hic valeamus, sed ad quid proficiendo tendamus, & non nisi in beata vita omnino perficiatur; hic autem non lege quæ imperat, sed fide quæ impetrat proficiatur. Verùm Augustini mentem Bellarminus [e] noster piæ ac beatæ memoriæ rectè declarat, docens in præceptis media solùm ad aliquem finem significari, vt, *pugna contra hostes, fac agrum medicinam*: aliquando etiam finem, vt, *vince hostes, sana ægrotum*: obligationem in mediis tantùm esse, nec peccare qui non assequatur finem, sed qui negligat media. Voluit ergo Augustinus, conandum nobis, ne concupiscentiam sentiamus, non autem peccare nos, sentiendo; sed tantùm consentiendo. In quo item sensu [f] idem explicat præceptum de Dei dilectione super omnia, & ex toto corde, anima, mente, viribus, vt quoad possumus hic impleamus; donec in beatitudine absque vlla imperfectione impleatur. Certè Paulus carnis sentiendo stimulum [g], si is concupiscentiæ stimulus erat, peccauisse censendus non est; nec quisquam quod non vult malum agens, sed potiùs patiens, & quod vult bonum non agens [h] & non operans ipse, sed quod habitat in eo peccatum [i], idest, peccati occasio, peccare iudicandus est. Sæcularibus hominibus nihil tam inolitum videtur, ait Ambrosius commemorans, aut alterius in epistolam ad Romanos [k], & placidum, quàm voluptas; nec suspicio quidem est concupiscentiam esse peccatum; propterea lex cognosci fecit illicitam esse; videlicet si consensus accedat. Hieronymus [l] ait hoc frænum iniectum veritæ concupiscentiæ, fomentum eidem præbuisse; quoniam quidquid licet, minùs desideratur; quidquid non licet, desideratur; &

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata.

Quando irascimur, & concupiscimus, si displiceamus nobis, & festinemus reprimere iram vel concupiscentiam nostram, manifestum est, inquit Auctor [m] operis imperfecti, explicans quid sit in corde mœchari, vt loquitur Christus [n], videre mulierem ad concupiscendum eam, quia caro nostra irascitur, aut concupiscit sola, non anima nostra. Quando autem complaceamus nobis in his, & decreuimus si potuerimus, nostram implere iracundiam, vel concupiscentiam nostram; tunc & anima irascitur, & concupiscit simul cum carne. Propterea sciens Deus, quia carnis natura subdita ei non est, quæ potest non irasci, non mandat carni quæ mandat. Quis enim sapiens illi ponit præceptum, qui etsi vult, non potest obaudire? Sed ad animam loquitur, & animæ mandat, quæ potest Deo in omnibus obaudire; quæ potest etiam carne irascente & concupiscente, ipsa non irasci, nec concupiscere, &c. Rursus, ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia diximus [o], ait, per concupiscentiam animas fornicari; sciendum est, quòd aliud est concupiscere, aliud velle: concupiscere passionis est, velle autem arbitrij. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem & gloriosiorem facit

---

Marginalia:

a 1. 2. q. 100. a. 5. ad 5. & 6.
b Esa. 29. 13.
c c. 1. 16.
d Ier. 4. 14.
e de Spiritu & liter. c. 4.
f in epist. ad Rom. q. 174.
g epist. 151. q. 8.
h Gal. 5. 17.
i Iacobi 1. 14.
k Matth. 5. & 6.
l 12. antiq. c. 13.
m in Exo. 20.
n sess. 14 de sacra. pœn. c. 5.
o Eccl. 18. 30.
p Rom. 6. 12.
q Iacobi 1. 15.

a vers. 12.
b Gen. 4. 7.
c 1. de nupt. & concup. c. 23. & 28. l. de perfect. iust. ratioc. 17. l. 6. contr. Iulian. c. 6. de Spiritu & lit. c. vlt. d epist. 200.
e 5. de amiss. gratiæ c. 10.
f de Spiritu & lit. c. vlt.
g 2. Cor. 12. 7.
h Rom. 7. 15. 19.
i vers. 20.
k in c. 7.
l ad Algasi q. 8.
m hom 11. in Matth.
n Matth. 5. 28.
o hom. 52.

facit virginitatis coronam. Simile quid Brigittæ responsum a Christo de malis cogitationibus, quibus mens reluctatur, eásque detestatur: & cùm prohibere non potest, fert patienter [a]. Vetustius exemplum simile in vitis Patrum extat apud Ruffinum de sene, qui decem annis vexatus pravis cogitationibus desperabat, & ad sæculum reuertebatur [b]. Pastor Abbas querentem ob importunas impuras cogitationes, iussit sub aere nudo sinum expandere, ac ventum apprehendere; cúmque posse se id negaret, respondit nec prohiberi cogitationes posse, vt non introëant; nostrum esse, illis resistere [c]. Macarius presbyter Alexandrinus cùm apud Antonium electos palmæ ramos quos ipse coluerat, vidisset, ac petiisset vnum manipulum, dixit ei Antonius; scriptum est; *non concupisces rem proximi tui*, illico autem rami omnes tanquam ab igne torrefacti sunt: & Macario dixit Antonius: *ecce Spiritus sanctus requieuit super te, eriśque mihi deinceps hæres mearum virtutum* [d]. Cyrillus [e] Alexandrinus vsurpans Ecclesiastæ [f] locum, *si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*; docet quòd etsi potestatis nostræ non sit facere ne spiritus, idest, cogitationes in mentem nostram ascendant, possumus tamen quod ascenderit eiicere, nec committere, vt magnas propter negligentiam agat radices. Damascenus [g] negat concupiscentiam & passiones omnes ad malitiam nobis imputari vel ad virtutem, sed bonum, aut malum earum vsum. Idem docet ante citatos, & quidem satis longo sermone apud Epiphanium [h] Methodius. Respondit eadem de re Gregorius Augustino Anglorum Episcopo prolixè ac distinctè in eamdem sententiam, vt refert Beda [i]. Legendus præterea idem S. Cyrillus [k], Nyssenus [l], Basilius [m], Ambrosius [n], Hieronymus [o], Prosper [p], Gregorius [q], Augustinus [r]. Aquinas [s] asserit per hæc duo præcepta non prohiberi concupiscentiam sensualitatis, sed consensum voluntatis in opus vel delectationem: causam autem prohibitionis esse; quoniam apud Deum voluntas pro facto reputatur; & concupiscentia externorum bonorum numquam satiatur; aufert quietem; reddit diuitias inutiles, dum retinentur; tollit iustitiæ æquitatem: & caritatem; producit verò omnem iniquitatem: sub concupiscentia domus alienæ ac similium contineri concupiscentiam oculorum atque superbiam vitæ; concupiscentiam vxoris pertinere ad concupiscentiam carnis, apud Ioannem [t]: remedia contra concupiscentiam carnalem esse siue intus contineat se, siue prodeat in verba, vel opera, fugere occasiones; aditum prohibere cogitationibus per corporis etiam castigationem, & ieiunia, orationi vacare: licitis occupationibus insistere. At nos alicubi multò plura protulimus. Sed minimè probamus, quod idem Doctor addit, quandocumque concupiscentia adest, adesse vel cum veniali, vel cum mortali peccato. Concupiscentia quandoque peccatum nominatur, non per se propriè; sed quia ex peccato facta est, & ad peccandum inclinat, vt sæpius docet Augustinus [u], & Concilium [x] Tridentinum definit: alioquin his qui in Christo sunt, nihil damnationis [y] est, ac proinde neque concupiscentia. Non fascinauit præstigiis suis Sathan Scholas omnes Papales [a], vt Caluinus blaterat, in quibus personat axioma istud; concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum, quia stimulus est ad virtutem. Item falsum est quod ait, quamuis neque adulteri, neque fures, neque homicidæ simus, neminem tamen esse, quem non tentet con-

a Lud. Blosius in monili spir. c. 4.
b Rosuey d. l. 3. de vitis Pat. ex Ruff. n. 104.
c l. 5. de vitis Pat. libello 10. n. 55.
d Pall. hist. Lausiacæ c. 17.
e 9. in Ioan. c. 15.
f c. 10. 4.
g de duab. voluntatib. c. 9.
h hæresi 64.
i 1. hist. Ang. c. 21.
k 3. contr. Iulian. sub medium.
l de 8. beatitud.
m de const. monast. c. 2.
n 1. offic. c. 21.
o epist. 22.
p 2. de vita contempl. c.
q l. 3. c. 4.
q 21. moral. c. 3.
r 1. contr. duas ep. Pel. c. 10. & 15. 6. cont. Iul. c. 11. 2. de peccat. meritis c. 4. 33. 34.
s 1. 2. q. 182. a. 6. a. l. 3. & 4. & opusc. 4. de decal.
t 1. epist. 2. 16.
u 1. contr. duas ep. Pel. c. 13. 1. de ciuit. c. 16. 18. 19. 25.
x sess. 5.
y Rom. 8. 1.
z in Exod. 20.
aa 10 Leu. 6.

stringat vltimum legis præceptum; *non concupisces*.

Non concupisces vxorem proximi tui.] In Exodo [a] Latinè, Hebraicè, Chaldaicè, primo loco ponitur (*non concupisces domum proximi tui*) & mox *non concupisces*, seu *non desiderabis vxorem proximi tui, & seruum eius*, &c.) Græcè (*non concupisces vxorem*, &c.) deinde (*non concupisces domum*, &c.) Hic autem conueniunt omnes editiones; nisi quòd verbum Hebræū duplex est, pro isto membro תחמד *thachmod*, pro sequenti תתאוה *thithauueh*, & Chaldæa sunt תחמד *thechamed*, & תרוג *therag*: seorsumque tanquam membrum distinctum istud ponitur, & sequens in textu vtroque: licèt vt vnicum in Exodo componatur. Sed & vim verborum spectando, primum magis dicitur, vt postea videbimus, ad venerea spectare; ad auiditatem auaritiæ secundum. Denique præferendus ordo ac distinctio libri præsentis, in quo cuncta distinctiùs repetuntur ac digeruntur. Quocirca merito alienæ vxoris, siue proximi (qui quemlibet, non Gentilem tantùm, vt Clementem [b] Alexandrinum antea innuere retuli, significat) concupiscentia loco priore hic interdicitur; quia vxor est caro viri, ac propter illam parentes relinquuntur: eumdémque ordinem L X X. vt dixi, etiam in Exodo seruarunt. Nec refert quod Paulus [c] alludens ad concupiscentiam quæ prohibetur in decalogo, scribat dictum à lege, *non concupisces*, quasi cuncta quæ concupisci vetantur, vnico præcepto comprehensa significauerit. Potuit enim breuitatis causa, diuersa complecti: ibi verò Syra editio vtitur verbo תרוג *therag*, quod hîc applicauit Paraphrastes Chaldæus ad concupiscentiam rerum ab aliena vxore distinctarum. Hieronymus [d] quidem, vt priùs dixi, per concupiscentiam intellexisse Paulum vult omnes animæ perturbationes, quibus mœremus & gaudemus; timemus & concupiscimus: Methodius [e] illam, quæ circa cibos est, atque sic ab eodem Apostolo [f] dictum, quòd concupiscentiam non cognouisset, nisi lex dixisset, *non concupisces*, idest, de [g] ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Obseruat Matthæus [h] Galenus, sed probare non potest, Hebræum verbum תחמד *thachmod* significare non quamlibet libidinem, sed illud œstrum, flammas, incendium, quod est in hominibus eo vitio correptis, nihilque habere commune cum auaritia; sed naturale quiddam esse, quod bestiæ quoque sentiscunt, pertinens propriè ad abusum libidinis, stupra, & huiusmodi. Generalis notio est Hebræi verbi; nec nisi semel ad concupiscentiam alienæ vxoris restrictum hoc loco, & in Exodo, legi: ibi verò etiam applicatum ad concupiscentiam rerum aliarum, & aliis in locis frequenter: vt consulenti Lexica Hebræa & concordantias constabit. Cæterùm quod viro prohibetur, ne vxorem proximi appetat, accipi quoque de femina debet, ne appetat alterius virum. Sed & generaliter omnis ea concupiscentia carnalium libidinum censetur prohibita, quæ continetur in sexto præcepto de non mœchando: non autem ea concupiscentia, quæ est inter illos, qui se mutuò ambiunt ad licitum matrimonium. Ad concupiscentiam denique hîc prohibitam reuocari possunt prælusia seu præparationes ad actus venereos, vt oscula impudica, tactus, choreæ, cantilenæ, lusus, &c. Plagam tenebrarum aptat Augustinus [i] isti præcepto: quia summa cæcitas sit alienam vxorem concupiscere. Clemens [k] Alexandrinus eumdem Deum vtriusque Testamenti probat esse; quoniam Christus

etiam

a Exod. 20.
b Pædag. 3 c. 12.
c Rom. 7. 7.
d ep. 151 ad Algas. 8. ...
e apud Epipha. hæresi 64.
f Rom. 7. 7.
g Gen. 2. 17.
h catec. 89.
i fragm. de decal.
k 3 ... c. 1.

etiam prohibuit concupiscentiam vxoris alienæ [a]. Arguit autem Epiphanem, qui irridebat legislatorem eo quod talem legem tulisset, cùm concupiscentia cunctis animalibus ingenerata sit nec abs illa possit esse generatio; & vxores faciat proprias quæ sunt communes. De Platone, quem pro se profitebant hæretici, affirmat non aliter communes vxores asseruisse, quàm quòd cuilibet obtingere possent, sed cum aliqua alicui obtigisset, & ita ei nupsisset, iam non esse alterius, quàm cui obtigisset. Quidquid sit de Platone, vel etiam de Clemente, cui error idem attribuitur, vel de Nicolaitis, certum est ipsi legi naturali repugnare, vt plurium virorum vna sit vxor; quamuis non idem sit de polygamia vnius viri cum pluribus vxoribus, quæ etiam primis mundi temporibus permissa, immò necessaria fuit. Sed quod attinet ad propositum nostrum, alienam vxorem concupiscere non licet, siue vnicam quis habeat, siue plures, quemadmodum nec abuti aliena. Lege Turrianum [b] nostrum. Tertullianus [c] obseruat eiusdem Dei esse (*crescite & multiplicamini* [d]) & (*non adulterabis*; atque *vxorem proximi tui non concupisces*,) quoniam non institutio, sed exorbitatio reprobanda est.

Non domum.] Hebraicè & Chaldaicè cum alio verbo & repetendo nomen proximi ולא תחמד [Hebrew] *velo thithauueh beth rehhecha*, [Hebrew] *velo thereg betha dechaurach*: Græcè cum eodem verbo quod priùs erat οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίον σου. In Exodo non exprimitur prohibitio concupiscentiæ domus: & ex vario modo prohibendi distincto ordine ibi & hic infert Caietanus [e] vnico præcepto vetari concupiscentiam alienarum rerum siue sit vxor, siue res aliæ, aut immobiles, aut mobiles. Quæ tamen ratio non concludit; cùm potiùs videatur Moses magis distinctè in Deuteronomio iam priùs alibi dicta describere voluisse. Latinè ibi legitur (*non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius*) sed Hebraicè repetitur תחמד *thachmod*, & Chaldaicè [Hebrew] *thachmed*, Græcè ἐπιθυμήσεις. In Testamento nouo dum præciditur sollicitudo in crastinum [f], atque thesaurizatio in terra [g]: & monemur contenti esse alimentis ac tegumentis [h], quódque volentes diuites fieri incidant in laqueos diaboli & in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, radixque omnium malorum est cupiditas [i]; præterea quòd bella & lites ex concupiscentiis oriantur [k], absque dubio alienorum concupiscentia maximè vetatur. Methodius apud Epiphanium [l] antea citatum explicat ἐπιθυμήσεις, quod hoc loco exiat, ἐχεῖ ὅτι τῶν παρόντων ... μένειν δεῖ ἐν ἐξουσίᾳ ... ἀλλ' ἐπὶ τῶν παρόντων μέν, μὴ ... ἐν ἐξουσίᾳ, *non in præsentibus versari quæ sub nostram cadant potestatem, sed in præsentibus quidem, quæ tamen minimè sint in nostra potestate*. Vehementiam maximi desiderij denotat Hebræum præsertim verbum התאוה *thithauueh*, quo vtitur Moses [m], dum narrat desideratas à populo carnes, indeque sepulchra concupiscentiæ cognominata התאוה *hatthaauah*, vbi plaga magna populus percussus interiit. Vbi Græcè est ἐπιθυμίας & Chaldaicè dicuntur sepulchra desiderantium aut postulantium [Hebrew] *mysâle*. Per domum putat Matthæus [n] Galenus, siue Andreas Crocquetius familiam intelligi per metonymiam, ac prosinde vetari quoque hic liberorum concupiscentiam, idest, ne quis eos inordinatè concupiscat: vel certè inordinatam istam concupiscentiam comprehendi sub præcepto de non concupiscenda vxore alterius. Sub eodem domus nomine simul & agri volunt alij cuncta immobilia bona comprehendi: præterea nobilitatem, potentiam, gloriam, ambitionem sæculi, vt loquitur Isidorus [a]; quæ auidè appetere prohibeamur, & alias huiusmodi res inuidere, proprio contenti statu quisquis ille sit, siue humilior, siue sublimior. Augustinus [b] accommodat plagam occisorum primogenitorum ad istud præceptum, quia qui præ nimia externorum bonorum concupiscentia, quæ habet, hæredibus seruat, reprehenditur; immò & qui concupiscit hæreditario iure possidere, quod est optare ne quis habeat hæredes; in hæredibus autem nihil carius primogenito. Prosper [c] in hac plagarum ad decalogum applicatione imitatus Augustinum est, vt antea præmonuimus, sed paulò fusiùs id explicat, lectu sanè dignus. Clemens [d] Alexandrinus decimum hoc præceptum ait esse τὸ ἐπιθυμιῶν πασῶν, *de cupiditatibus omnibus*; & sicut qui concupiscit ea quæ non decet, cogitur reddere rationem; eodem modo non permitti res falsas concupiscere, neque existimare ex iis quæ sunt in generatione, animata quidem per se posse, inanima autem omnino non posse salutem dare vel lædere, &c. Philo [e] scribit isto præcepto reprimi concupiscentiam fontem iniquitatum, vnde manat quidquid contra ius fit priuatim ac publicè siue patuum, siue magnum, sacrum, profanúmve, ad corpus animúmve, résve externas attinens: nihil posse euadere vim concupiscentiæ; sed tanquam flammam depasci & consumere omnia.

Non agrum.] Post domum priore membro hîc positam, postpositámque vxori, in Exodo [f], vbi ponitur primo loco, statímque ac immediatè vxor, mentio non fit de agro nisi ab editione Græca. Agri autem nomine omnis possessio intelligitur, vt prata, horti, syluæ, piscinæ & similia. Agros à domo distinguit Christus pollicens præmium relinquenti propter nomen ipsius illos & domum [g]: quamuis apud Lucam [h] agri omittantur. Ager à [i] Varrone dicitur in quam terram quid agebant, & vnde quid agebant fructus causa; quem etiam Græci vocent ἀγρόν; & qua agi poterat, appelletur Latinè actus. Isidorus deriuat etiam inde, quòd in eo agatur aliquid: vel ex Græco ἀγρός, cùm etiam villam Græci χωρίον nominent. Quod tamen nomen non reperio, scribique deberet cum ω. χωρίον à χώρα, non à χωρίς. Deducunt alij ab ἄγω, quod valet ago, & ἀρῶ, vel potiùs ἄρω adapto, vel ἀρόω, aro, vel ἀρουρα, arata terra. Propriè vsurpari solet de loco in quo sunt segetes; campus in quo vel hæ, vel etiam vites, oleæ, & similia: & cognominatur etiam ager, idest, sationalis, ad differentiam consiti, hoc est, sati arboribus; & pascui, qui pascuis seu herbis & animalibus vacat; & florei in quo sunt horti floribus congruentes & apibus: quæ distinctio quatuor libris Georgicon Virgilij occasionem dedit. Sed latiùs quandoque accipitur, atque hîc etiam, quemadmodum & Hebræum שדה *sadeh*. Lege de hoc vocabulo quæ dixi Psal. 103.[k] & Leuit. 19.[l] ac 25.[m] præsertim loco vltimo; vbi Quintilianum citaui: dixique nonnullos ἀγρόν dictum velle ἀπὸ τῆς ἄγρας, à præda, hoc est, à fructu, qui ex illo capitur.

Non seruum, non ancillam.] Adiiciunt editiones aliæ ad hæc & ad ea quæ sequuntur pronomen. Certum affirmat esse Matthæus [o] Galenus, agere Mosem de mancipiis, non de ministris; sed tamen esse eamdem vtrorumque rationem, iniquum nefas est desidera

[a] Matth. 5. 28. [b] 5 contra Centuriat. c. 2. [c] 1. contra Marcion. c. 29. [d] Gene. 1. 22. 28. c. 9. 5. 7. [e] in Exod. 20. [f] Matth. 6. 34. [g] ibid. v. 19. [h] 1. Tim. 6. 8. [i] ibid. v. 10. [k] Iacobi 4. 1. [l] hær. 64. [m] Num. 11. 33. 34. *Domus pro familia.* [n] catech. 90.

Domus & agri quid. [a] in Exod. c. 19. [b] fragm. 2. de decalog. [c] p. 2. de prædiction. c. 36. [d] Strom. c. 8. [e] de decal. [f] c. 20. v. 17. *Agri nomine omnis possessio intelligi.* [g] Matth. 19. 29 Marci 10. 29. *Τὸ agri etymon.* [h] c. 18. 29. [i] 4. de ling. Lat. c. 4. [k] v. 11. [l] v. 19. [m] vers. 3. [n] L. 1. c. 6. [o] catech. 90.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

X

desiderare alicuius vtilem ac necessarium ministrum, & sollicitare ad migrandum cum alterius damno: non autem optare, vt homo liber, qui ad tempus operam suam mercede locat, sibi quoque fiat aliquando seruus sine cuiusquam nocumento. Atqui nomina serui, & ancillæ; עֶבֶד *hhebed*, & אָמָה *amah*, *παῖδα* & *παιδίσκας* non significant sola mancipia: quamuis serui nomen, vt sæpiùs notaui, à seruato eo qui potuerat occidi in bello, iuxta primam impositionem de mancipio dicatur. De ancilla rectè Abulensis [a] monet spectari hoc loco vt vendi aut seruire potest, concupiscentiam verò ad coëundum cum illa contineri nono præcepto, de non concupiscenda vxore alterius: cùm propriè ac per se loquendo desiderare illo modo, immò & coire nō pertineat ad iniuriam domini quatenus dominus est; sed ob vtilitatem qua priuaretur, si quis vellet illius ancillam aut vt sibi seruiret, aut vt eam venderet. Porrò ancillam dictam tradunt, quasi anculam, idest, ministram, sicut & anculus ministrum valet ab anculo, quod ministrare significat [b]; ex quo dij quoque ac deæ, inquit Festus, feruntur coli ab ancillis, quibus nomina sunt Anculi & Anculæ [c]. Meminit verò etiā opinionis, vt ancillæ ab Anco Martio sint dictæ; quòd is bello magnum feminarum numerum cepit. Isidorus [d] deducit ab *ἀγκών*, qui est cubitus, quasi ancillæ à sustentaculo vocentur. Ancillari [e] Titinnius vsurpat de iis qui dotibus deliniti vltrò vxoribus seruiant. Aliis [f] videtur ancilla descendere ab anicula & ancula; hæ autem voces ab anus quæ significet ministram apud Virgilium [g],

Fit Calybe Iunonis anus.

Haud admodum id probo, quoniam anus ab annorum multitudine dicitur: vel quasi *ἄνους*, *absque mente* [h]. Nec est in Virgilio quod anum accipere cogat pro alia, quàm pro annosa vetulâque sacerdote. Græca demum nomina *παῖς* & *παιδίσκη*, sicut Latina *puer* & *puella*, pro seruo & ancilla [i] sumuntur, non tantùm pro ætate impubere, vel pro filio & filia.

a in Exod. 20. q. 31.
Ancilla vnde dicta.
b Tiraq. l. 3. c. 10.
c Lylius Gyrald. de diis Gent. syntag. 1. pag. 25.
d 8 etymol. c. 4.
e apud Nonium.
f Passer. in Propert. ele. 3.
g Æneid. 7.
h Festus.
i l. Pueri. 20. q. 204. D. de verb. sign.

Non bouem, non asinum.] His annectuntur pronomina in editionibus aliis, quemadmodum prioribus nominibus: & pro asino est *ὑποζύγιον*, quemadmodum priùs versu 14. sub boue comprehenduntur vituli, iuuenci, tauri, vaccæ; minutus quoque grex ouium & hœdorum, cum reliquis animalibus ad cibum pertinentibus, vt sunt gallinæ, columbæ, pisces in viuariis; item apes, canes, &c. Sub asino asini, equi, equæ, muli, mulæ, cameli vtriusque sexus, & similia animalia gestandis oneribus nata. Addunt L X X. hic *οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ*, *neque omne iumentum eius*: quod etiam habetur in Exodo [k] iuxta codices Sixtinos; in aliis enim ibi est, *οὔτε παντὸς σκεύους αὐτοῦ*, *neque omne vas*, siue *supellectilem eius*.

k c. 20. 17.

Et vniuersa quæ illius sunt.] In editionibus aliis hic & in Exodo, (*& omnia quæcumque proximi tui sunt.*) Supellex, de qua dixi mentionem fieri Græcè in quibusdam codicibus, huc spectat, designantúrque mobilia bona inanimata, vt vasa, vestes, pecuniæ, gemmæ, fruges ac fructus, instrumenta mechanicarum artium, libri studiosorum, &c. sua quemque contentū sorte oportet esse, ac iis rebus, quas bonus & iustus largitor communis Deus cūctis distribuit: & sibi persuadere, quòd si in alieno fideles non sunt, quod ipsorum met est nemo dabit eis [l], idest, si opes, quas nullus pleno iure possidet, vtpote non tam dominus, quàm dispensator, & cui veluti extrinsecus atque per accidens adueniūt, & alienæ ab hominis natura sunt; quia nec nascūtur cum illo, nec auferri post mortem possunt, immo sæpe amittuntur ante mortem, nec animā afficiunt seddunt ve meliorem, multò minùs beatam, cælestes diuitias, æternaque bona iam consentanea naturæ humanæ, & quibus frui oportet, non vti, non accipient à Deo, qui solus ea dare potest, & conseruare. Circa proximi vocem, quam hic in aliis editionibus ac in Exodo reperiri monui, obseruāt aliqui [a], hominum vitium, & insatiabilem cupiditatem notari, qua vicinas domos, agros, vineas appetere solent; vt plerumque vicinitas, quæ amoris vinculū esse deberet, odij causam pariat, vt in Achabo patuit, qui desiderio vineæ, Naboth interfecit [b]. Iniqua profectò quidem eiusmodi cupiditas est; ac væ pronuntiat Esaias [c], in eos qui coniungunt domum ad domum, & agrum agro copulant vsque ad terminum loci, idest, aut vsque ad mundi finē, si fieri possit, vel donec totum occupent spatium. Græcè *ἵνα τι τοῦ πλησίον ἀφέλωνταί τι*, *vt proximo auferant aliquid*; & iuxta translationem aliam, *ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον*, *donec non sit locus*. Sed proximi, vt pridē ante docui, notio amplior & generalior est.

l Lucæ 16. 12.
Vox Proximi dilatatur.
a Iacob Naclantus 3. institut. Christ. c. 85.
b 3. Regum 21.
c c. 5. 8.

Vers. 22.] Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens ampliùs: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

QVod in isto capite [d] priusquam recitaret decalogum, dixerat Moses, locutum Dominum de medio ignis cum populo, huncque timuisse ignem: & in c. 4. [e] quòd mons ardebat vsque ad cælum; erant in eo tenebræ, & nubes, & caligo; & Deus locutus est in Horeb de medio ignis: & audiuit populus vocem verbaque Dei loquentis de medio ignis, & ostendit ibi ignem suū maximum; repetit nunc, absoluta iam decalogi eiusdem recitatione, tanquam summi momenti rem; quæque plurimum valeret ad memoriam tanti beneficij conseruandam; vt & quòd legem illam decem præceptorum, quam solam populus à Deo prolatam, seu ab Angelo ipsius repræsentante personam, audierat, quia territus plura illo modo audire nolebat, in duabus tabulis lapideis inscriptam tradere voluerit. Non egent hæc maiore explanatione, sed breui quarumdam partium annotatione.

Paraphr.
d v. 4. 5.
e v. 11. & 12. 15. 33. 36.

Ad omnem multitudinem vestram.] Hebraicè אֶל־כָּל־קְהַלְכֶם *el chol kehalchem*: Chaldaicè עִם כָּל קְהַלְכוֹן *him chol kehalchon*: Græcè *πρὸς πᾶσαν συναγωγὴν ὑμῶν*, *ad omnem*, vel *cum omni cœtu*, siue *synagoga vestra*. De synagoga egimus alias; & quo pacto non semper solis Iudæis id nomen conueniat, vt nec solis Christianis Ecclesiæ nomen. Synagoga tota, seu multitudo populi conuocata est, vt stabiliretur pactum cum Deo, consentientibus omnibus non tam propter decalogi præcepta, quæ sunt de iure naturali communique omnibus hominibus; quàm propter alia magis propria & peculiaria tum iudicialia, tum ceremonialia. Dictum verò alias an loquentem Deum omnes omnino exaudierint; sicut & Mosem, quando pariter locutus narratur ad omnes: quod vtrouis modo absque miraculo fieri non potuit.

Explanatio.

De medio ignis, & nubis, & caliginis voce magna.] Græcè in casu recto sunt, *tenebra*, *caligo*, *procella*,

vox

τον μεγάλη, σκότος, γνόφος, θύελλα, φωνὴ μεγάλη: & citatis locis ex eodem nostro capite ac praecedente, non scribitur locutus Dominus populo, nisi de medio ignis. In priore [a] capite habetur secundùm editionem nostram, quòd in monte qui ardebat vsque ad caelum, erant tenebrae, & nubes, & caligo: sed Graecè sicut hic, πῦρ, γνόφος, θύελλα: cùm tamen hoc loco omittatur Hebraicè nomen חשך choshech, significans tenebras, sintque dumtaxat ענן hhanan, & ערפל hharaphel, de quibus aliàs actū est. Vna loquentis Domini fuit valdè magna; quam etiam vidisse populus dicitur [b]; sed pro tonitruo sumitur, non pro voce articulata, aut fieri tam pro ista; quoniam tam clarè & sonorè cunctis ingerebat sese; vt videre eam magis, quàm audire se arbitrarentur. Alioqui, vt Oleaster notat, impediretur potiùs per tonitruum vox loquentis. Philo [c] à multitudine ad legem audiendam conuocata, nec mulieres exceptas asserit: vocem verò editam sacro quodam miraculo, iubendo vt prodiret inuisibilis ex aëre pulsato formatóque in flammae speciem, quasi instrumento admirabilem θαυμασιωτάτην, & articulata ἔναρθρον, acexaudita ab omnibus vel propè, vel longè distantibus; pulsante simul Deo alium auditum praestantiorem multò quàm aurium ἀκοὴν ἑτέραν πολὺ βελτίω τῆς δι' ὤτων, nempe singulorum animos, ita vt mens afflata numine, vltrò procurreret praeceptis Domini obuiā. Videbatur de montis Horeb siue Sinai cacumine, ignis magnus erumpere, tendens in altum propter fumum ingentem; & ex nube densiore quiddam valdè obscurum eleuari simile caligini, & in hac formari vox tubae siue buccinae reddens verba decalogi. Cunctus populus, vt est in Exodo [d], videbat voces & lampades, & sonitum buccinae, montémque fumantem.

Nihil addens amplius.] Sic etiam Hebraicè & Graecè ולא יסף *velo iasaph*, καὶ οὐ προσέθηκε. Non est prosecutus sermonem promulgando, alia praecepta, inquit Caietanus, Oleaster, Marzilla; sed tacuit his decem verbis dictis; videlicet propter timorem, quo populus, iis auditis, perculsus est. Glossa interlinearis nihil additum exponit in tabulis: Vatablus & Sa, quoniam semel tantùm illa Dominus locutus est, nimirum tali illo modo, vt R. Abenezra docet: Hugo, & Abulensis, quia quantum ad sententiam plura non dixit, quamuis pluribus verbis sit vsus, siquidem in Exodo [e] reddita ratio est; cur Sabbatum obseruari deberet, quoniam quieuerat Dominus illa die ab omni opere suo. Oleaster meminit quosdam interpretatos (*& non cessauit,*) scilicet loqui per omnes 40. dies. Sed verbum, inquit, nempe יסף *iasaph*, non significat cessare. Adde non videri hoc aptè congruere contextui, quia mox narratur Deo ipso approbante populi petitionem nimio metu ob vocem illius perterriti, deinceps Deum locutum non esse, sed Mosem. Paraphrastes tamen Chaldaea transtulit ולא פסק *velo pesak*, *& non cessauit*, seu *perfecit, compleuit, finiuit*. Sensus autem esse posset; quòd adhuc plura Dominus dicturus erat, nec ea dixit, vel conclusit, quia interrupit sermonem ipsius vehemens ille populi pauor, suppléxque deprecatio, ne vlterius protraheretur tam terribilis Domini vox & oratio. Priore capite [f] dictum est prolatis decem verbis à Deo, & ab eodem scriptis in tabulis lapideis, mandatum Mosi ab eodem vt doceret populum ceremonias & iudicia. Chaldaeus significauit, ait hoc loco Leonardus Marius, Deum plura locutum, nec determinat cui sit locutus. Noster autem interpres, similis LXX. & Hebraeus tantùm significat Deum non esse plura locutum toti populo immediatè; quidquid enim deinceps locutus est, soli Mosi locutus est. Irenaei [a] expositio singularis est sic legentis (*hos sermones locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel, & nihil adiecit*) vt significetur quòd praecepta dederit Deus quae ipsi prodessent homini, nihil indigente Deo ab homine. Item [b], quòd nihil Deus primò ab eis exquisiuit; ita vt esset prophetia quaedam, quòd postea in vetere Testamento eadem decalogi praecepta naturalia perseuerarent, abrogatis aliis eiusdem, nempe ceremonialibus & iudicialibus.

Et scripsit ea in duabus tabulis lapideis quas tradidit mihi.] De his eodem citato loco egi satis accuratè pro instituto, vt hic alia requiri non debeant. Quod ad tempus pertinet, quo scriptae sunt, id non fuit prius quàm cum Deo Moses versaretur per illos 40. dies in monte; ex eo namque reuersus narratur portans ipsas [c]. Quo autem die praecisè scriptae fuerint ignoratur. Quamuis porrò, cùm haec quae hic scribuntur, loquetur Moses, easdem secundae tabulae, & non primae iam pridem confractae [d]: tamen de primis intelligenda sunt, non de secundis, quidquid Abulensis dissentire videatur.

a vers.11. b Exod.20. 18. c de decal. d c.19.16.& seqq. c.20. 18. e c.20.11. f vers.22. a l.4.c.31. b c.28. c Exod.32. 15.16. d ibid.v.19. c.34.1.4. Deut. 10.1. & seqq.

Vers. 23.] Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixistis:

PARAPHR. PRopter metum illum vehementissimum & pauorem, quo perterriti & concussi sunt Hebraei audita voce magna Dei proferentis Decalogum, accesserunt ad Mosem per principes tribuum, & alios seniores, vt significarent suppliciter, & enixiùs rogarent, ne in posterum cogerentur Deum illo loquentem modo audire. Inter principes duodecim tribuum Aaron erat princeps Leuiticae tribus, quem credi potest cum reliquis conuenisse: sed fortassis non tam sua sponte, quódque simili, vt alij, terrore percelleretur, cùm diuinarum rerum capacior esset, quamuis nondum declaratus Pontifex, & cum Mose ascendisset in montem ipsiusmet iussu Dei [e], qui Deus videtur de Aaronis fide aequè vt de Mosis tunc non dubitasse. Quod in Exodo [f] locutus dicitur populus, hoc loco exprimitur fecisse per principes tribuum & seniores. Nec enim totus populus id commodè potuisset; quódque per tales facit, ipsemet facere censetur: ac maiore quidem non solùm facilitate, verùm etiam auctoritate.

e Exod.19. 24. f c.20.19.

EXPLANATIO. *Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum.*] Habent editiones aliae (*& factum est postquam audistis*, &c.) Graeca pro (*de medio tenebrarum*) ponit *ex medio ignis*, ἐκ μέσου τοῦ πυρός.) Ignis, inquit Abulensis, in quo voces audiebantur, tenebrosus aliqualiter erat. Saepiùs quidem formata vox dicitur de medio ignis, vt antè dixi: & priore versu de medio ignis, nubis, caliginis, voce magna locutus Dominus.

Et montem ardere vidistis.] Hebraicè Chaldaicéque (*& mons ardens in igne*) nimirum, erat: vel (*& montem ardentem in igne*) scilicet vidistis: quod verbum suppleuit Interpres. Graecè (*& mons comburebatur igne*, καὶ τὸ ὄρος ἐκαίετο πυρί. Totum

montem fumaſſe ſcriptum eſt in Exodo [a] & hîc præcedente capite [b] quòd ardebat vſque ad cælum. Per montem intelligitur Horeb ſiue Sinai propter circumſtantias rei de qua nunc agitur, ideſt, propter legis promulgationem.

a c.19. & 18. c. 20.18. b v.11.

Acceſſiſtis ad me.] Dicuntur in Exodo [c] perterriti ac pauore concuſſi ſtetiſſe procul, & dixiſſe Moyſi; *loquere tu nobis*, &c. Qui procul ſtabant, acceſſiſſe hîc dicuntur ad Moyſen vltra radices montis, vbi erat cum fratre, per alios qui mox nominantur principes tribuum & ſeniores. Hoc modo centurio acceſſiſſe ſcribitur ad Ieſum [d], & tamen miſiſſe ad eum ſeniores Iudæorum rogatum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius [e]. Quod Auguſtinus [f] explicat, quoniam non ſolùm dicere ſolemus acceſſiſſe aliquem etiam antequam perueniat illuc quò dicitur acceſſiſſe; verùm etiam ipſam peruentionem factam, etſi eum ad quem peruenit, non videat ille qui peruenit, cùm per amicum peruenit ad aliquem, cuius ei fauor eſt neceſſarius: & vulgò peruentores appellantur, qui ad potentium quorumlibet tanquam inacceſſibiles amicos per conuenientium perſonarum interpoſitionem ambitionis arte pertingunt.

c c.20.18, 19. d Matth.8.5. e Lucæ 7.3. f 2. de conſenſu euan. c.20.

Omnes principes tribuum.] *Veſtrarum* addunt editiones aliæ. Dixi autem priùs, inter hos videri Aaronem fuiſſe. Quod verum eſt, niſi cum Moſe adhuc erat; prout iuſſus fuerat eum illo aſcendere vltra terminos in monte præfixos ſacerdotibus (qui nempe primogeniti erant in ſingulis familiis priuſquam ad id munus deputaretur Leuitica tribus) & populo reliquo vniuerſo [g].

g Exod.19.

Et maiores natu.] Hebraicè, atque Chaldaicè (*& ſenes veſtri*, וְזִקְנֵיכֶם *veziknechem* וְסָבֵיכוֹן *veſanechon*. Græcè (*& ſenatus veſter*, καὶ γερουσία ὑμῶν.) Abulenſis declarat vel de maiori progenie, ideſt, nobiliores: vel maioris ætatis, maiorive tempore antè natos; quo pacto Manaſſe maior natu vocatur quàm Ephraim [h], cùm tamen ambo fratres eſſent; hîc autē ſumi ſecūdo modo, quia in Hebræo habetur, inquit (*zaquin*,) quod ſignat ſeniores. Voluit dicere *Zaquenim*, זְקֵנִים *Zakenim*. Nihilominus puto nūc accipi non ſolā ætatem, ſed dignitatem, quæ maioribus natu, ætateque prouectioribus, ac ſenioribus deferri conuenientiùs ſolebat; quemadmodum apud Romanos dignitas ſenatoria; quæ Græcè quoque dicebatur γερουσία. Niſi verò etiam peculiare quid occurrat, quod exigat vt ſola ætatis ratio per maiores natu accipiatur, quemadmodum in exemplo illo de Manaſſe, & in alio de Adonia, qui ſecundus natu dicitur poſt Abſalom [i]; prætereà in Ioachaz, qui minimus natu ex filiis Ioram [k]: & quando monetur maior natu vt loquatur [l]; paſſim ſpectat huiuſmodi appellatio ad ſingularem inter alios dignitatem, ſoléτque coniungi cum principibus, vel iudicibus, vel doctoribus, vel optimatibus, vel præfectis [m], &c. De his egimus alibi.

h Gen.48.14. i 3.Reg.1.6. k 2.Par.21.17. l Eccl.32.4. m Gen.50.7. Exo.19.7. Num.11.30. c.22.4.7. Leuit.9.1. Deut.21.2.6. c.15.7. c.19.10. c.31.28. Ioſ.8 33. c.23.2. c.24.1. Iud.11.5. c.21.16. Ruth 4.4.9. 11.1 Reg.4.3. c.8 4. 1. 2.17.4. c.19.11. l.3.8.1. c.20.8. c.21.31. l.4.10.1. 5.1. Par.21. 3. c.15.25. c.21.16. l.2. 5.2. c.22.1. c.34.29. Iudith 2.2. A Euum 30.17 c.22.5.

Atque dixiſtis.] Aliqui codices hinc incoant nouum verſum, vt Latini Græcique bibliorum Complutenſium ac Regiorum: & omnes tum Hebræi, tum Chaldæi. Id quidem parum refert; monuiſſe tamen oportuit, ne quis in partitione vim ineſſe maiorem arbitretur. Dixiſſe autem dicuntur omnes quos alloquebatur Moſes, quamuis principes & maiores natu dixiſſe proximè antè hîc ſcriptum ſit. Videlicet, vt monui, cenſentur omnes feciſſe, quòd per principes ſuos ac maiores natu fecerunt.

Verſ.24.] Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam. Vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo.

Paraphr.

VEriti Hebræi ſunt, quorum nomine loquebantur principes tribuum, maioréſque natu, ne terribili voce pergeret loqui Deus, eáque perculſi, ac propter viſā maieſtatē Dei & magnitudinem in tonitruis, fulguribus, lampadibus, nube denſiſſima, clangore buccinæ, igne, fumo, caligine exanimarentur: mirari verò etiam quòd adhuc non interiiſſent. Vigebat nimirum opinio, qui ſemel vidiſſet Deum, ſuperſtitem non fuiſſe, vt capite priore [a] vidimus ad illa verba, *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Deus hominem ſuper terram, à ſummo cælo vſque ad ſummum eius, ſi facta eſt aliquando huiuſcemodi res, aut vnquam cognitum eſt, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vixiſti*: Quæ ibi docui huc transferri poſſunt. Abulenſis [b] autem hoc loco admonet maieſtatem Domini Dei propriè viſam non eſſe, ſi accipiatur pro Dei eſſentia, quod Moyſi tamen concedit; ſed ſola quædam inſignia ſeu ſigna repræſentantia peculiarem modum præſentiæ diuinæ, videlicet quia mons ardere cernebatur vſque ad cælum; vóxque magna & terribilis in morem buccinæ perſtrepentis exaudiebatur. Obſeruat prætereà, exiſtimaſſe antiquos maximum entium, & quo nihil melius excogitari poteſt, ſimul eſſe maximum terribilium: & inſtar animalium fortiorum atque terribiliorum, habere vocem terribiliſſimam, viſúmque ſeu aſpectum valdè formidabilem: proptereà, quiſquis vel videret, vel audiret, ilicò mori. Verùm ſufficiant quæ citato loco diſputata ſunt.

a v.32.33. b q.9.

Explanatio.

Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem, & magnitudinem ſuam.] Admirantis vim hîc habet (*ecce*, הֵן *hen*, הָא *ha*) & rem planè nouam, inſolitam, inuſitatam indicantis: reuerentiam inſinuat duplex nomen cum pronomine poſſeſſiuo (*Dominus Deus noſter.*) Pro maieſtate editiones aliæ habent gloriam cum affixo; aut pronomine abſoluto כְּבוֹדוֹ *chebodo*, יְקָרֵיהּ *iekareh*, δόξαν αὐτοῦ: nec Græca præter hoc nomen, aliud ponit. De vocabulo maieſtatis legat qui volet fuſiùs annotata cap.14. [c] libri præcedentis. Vtrobique ac locis aliis denotat externum apparatum, ornatum, pompam, ſplendorem, honorem conſpicuum. De Imperatorum maieſtate diſſerens Iulius [d] Cæſar Bulengerus noſter, à magnitudine deriuat cum Feſto; ac de Deo propriè dici docet, iuris ciuilis teſtimonio [e]; tum de populo Romano, Vrbeque ipſa; vt ideo aſcriberetur in fœderibus: *Maieſtatem populi Romani comiter conſeruent* [f]: Græcam vocem nullam Latinæ reſpondere; quamuis Gloſſæ veteres vertant μεγαλειότητα, quæ vox magnitudinem ſignificat, minorē maieſtate, Plinio [g] teſte; qui Traianum contentum ſcribit magnitudine, qua nulli magis caruerunt quàm qui ſibi maieſtatem vindicabant: maieſtatem, finitore Cicerone [h], eſſe magnitudinem quandam populi Romani, in eius poteſtate, ac iure retinendo: corpori Reip. propter imperium tributam maieſtatē, viris fortibus, ob virtutis cuiuſdam eximiæ opinionē, vt ait Valerius [i] Maximus: maieſtatem

c v.12. Maieſtatis etymon. d 2. de Imp. Rom. c.34. e l.32.§.ſacerdotio. D. de receptis arbitris. f Cic. pro Balbo. g in Panegyr. Maieſtas quid. h in Partit. i l.2. de maieſtate.

maiestatem esse honorem eximium, cum veneratione, qui ex admiratione virtutis, aut rerum gestarum defectur: crimen maiestatis cognominatum ἀσέβεια apud Dionem[a], & Xiphilinum[b], & ἀσεβοῦσαν apud Clementem[c]; apud Nicephorum[d] Gregoram, Euagrium[e], Eusebium[f] εὐσεβοῦσαν: quamuis accipiatur etiam pro deuotione subditorum apud eundem Eusebium[g]: ab Imperatoribus Græcis pro maiestate vsurpari nomen *Basileia*, *regnum* apud Constantinum[h] Porphyrogen, vel κράτος, *robur* apud Theodoretum[i], & Euagrium[k]: postremò accipi vocem hanc pro dignitate, & grauitate, vt apud Ouidium[l]

Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur Maiestas, & amor.

Conuenerunt hæc tamen duo mirabiliter in beneficio incarnationis & Eucharistiæ: vbi non vox tantùm auditur, ostenditúrque maiestas Dei, sed substantialiter etiam communicatur, vt viuamus ex ipso & in ipso. Expendens Iacobus[m] Aluares noster istud, profert præsentem locum: sed pro populo, induxit Mosem, quasi de se ille loqueretur, quod tamen populo tantùm congruit.

Vocem eius audiuimus de medio ignis.] Versu priore audita dicitur vox de medio tenebrarum; vbi tamen Græcè est, *de medio ignis*, sicut hic. Erat videlicet ignis tenebrosus, & subobscurus, vnde vox audiebatur, vbi & formabatur. Chaldaicè hoc loco est (*vox verbi eius*, קל מימריה *kal mememreh*: quoniam erat vox articulata.

Et probauimus hodie.] In Hebræo, Chaldæóque textu absque coniunctione (*hodie hoc vidimus*, יומא דין חזינא *hayom hazzeh rainu* הזה היום *toma den chazena*) in Græco (*in die hac cognouimus*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ εἴδομεν.) Probandi verbo explicatur fuisse scientiam experimentalem, quam verbum videndi magis adhuc exprimit. In eadem significatione idem probandi verbo vtitur Interpres alibi; vt[n], *& probent quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc quam ædificaui*, vbi est verbum cognoscendi Hebraicè & Græcè ידע *dahhath*, γνῶναι. Alioqui probare et idem quod periculum facere, Græci dicunt δοκιμάζειν, vt probare iuga boum[o], siue boues; quo ipso modo Columella quoque loquitur, & alij rusticæ rei auctores.

Quod loquente Deo cum homine, vix erit homo.] Secundùm editiones alias (*quod loquatur Deus ad hominem, & viuens*, nempe erit; vel *& viuet*, aut *& subsistet*.) Hoc vltimum valet Chaldæum ויתקיים *vithkayam*: alia וחי *chai*, & ζήσεται. Quocirca non est alia lectio recipienda (*viueris*) quæ magis placet Hugoni, exponenti etiam, quod via homo potest sustinere præsentiam Dei; quod significari Chaldæo verbo dixi: licèt verum sensum contineat dicta lectio. Vim quoque habet Chaldæum nomen אנשא *enosho*, significans hominem obliuiosum, & ærumnosum, sicut Hebræum ex quo sumptum est אנוש *enos*; licèt hoc loco sit אדם *adam* appellatiuè, quod significat ex humo limóque formatum. Cæterùm apud Irenæum[p] citantem ea Deuteronomio legitur; *in die ista vidimus, quoniam loquetur Deus ad hominem, & viuet.* Inde verò videtur probare prædictam esse incarnationē Verbi.

Vers. 25.] Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur.

Vers. 26.] Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere?

Cvm iam semel euasisse se mortis periculum cernerent, quod ij subire solerent, qui tales Dei visiones aut voces experti essent, quales ipsi; veriti sunt ne eidem exponerentur periculo, conscij communis toti humanæ naturæ fragilitatis ac imbecillitatis, si pergeret Deus tam terribilis apparere, tantáque ipsos maiestate opprimere. Probabile est quod Abulensis notat, decalogi præcepta prolata distinctè fuisse voce tubæ, interposita morula in fine cuiusque: maiore autem in fine omnium, quasi alia Dominus alteriusmodi esset incepturus: tunc populum hæc quæ hic narrantur, cum Mose locutum; non autem dum priora illa præcepta proferrentur, interrumpendo vocem Domini loquentis. Esaias corruit cùm audiret, conturbatus est cùm videret, emarcuit cor eius, tenebræ stupefecerunt eum[a]; Danielis dissolutæ sunt compages, & nihil in eo remansit virium in Dei visione[b]: viso quoque Ioannes filio hominis cecidit ad pedes illius tanquam mortuus[c]; à voce diuina contremuerunt labia Abacuc[d]: ceciderunt in transfiguratione discipuli, & timuerunt valdè[e]: terrefactus humique deiectus Saulus cùm ea quæ imperaretur facturum promisit[f]: Petrus ob piscium capturam miraculosam obstupescens dixit, *Exi à me, quia homo peccator sum Domine*[g]. Vt omittatur Gorgo vetula metu fulminis exanimata, de qua Antipater[h] epigrammatarius. Cùm petiisset Moses ostendi sibi gloriam Dei, hoc est, maiestatem & gloriam formæ corporeæ, responsum ei est, *non videbit me homo, & viuet*[i], idest, non poterit ferre tantam claritatem; vt proinde positus fuerit Moses à Deo in foramine petræ ac protectus dextera[k] illius, concessa visione posteriotis partis[l] figuræ, in qua splendor lucis magis temperatus erat: & sic ostensum est ei omne bonum[m], quatenus ea gloria splendórque quem ferre poterat Moses, ostensus est illi, vnde conijcere poterat quanta esset gloria diuini vultus, quem videre cupiebat. Aliis in locis, in quibus extat sententia similis; *Manue*[o] *moriemur, quia vidimus Dominum*; ex communi opinione orta censeri debet, vt aliàs dixi, quòd qui vidissent illum in aliqua forma visibili, arbitrarentur mox futuræ mortis præsagium esse: atque hoc sensu Iacob dixisse[p]; *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, idest, quamuis eo modo viderim, tamen, quod mirum est, incolumis permansi. Cui simile, quod hic versu præcedente dicebant Hebræi, *probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo*; cùm tamen, vt hoc versu habetur, non possit carneus & mortalis homo naturaliter viuere audiendo tam terribiles voces. Quapropter consolabatur vxor virum suum Manue; *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocausta, & libamenta non suscepisset.* Gedeoni quoque dicenti; *Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*, consolans eum respondit Angelus Dominum seipsum, *Pax tecum, ne timeas, non morieris*[q]. De Mose alia ratio; quia sæpiùs cum Domino locutus fuerat, eiusdémque benignitatem expertus, nō concipiebat eiusmodi timorem: & si hunc habuisset, non petiisset Deum videre, seu faciem & gloriam ipsius. Sed quando petiit, ne nimio læsus fulgore moreretur, dixit ei Deus;

Marginalia: Crimen maiestatis cognominatum Græcè. a in Claudio & in Caligula. Maiestatis nomen verbi sumptum. b in Tiber. c 5. constit. Apost. d lib. 10. e l. 5. c. 3. f lib. 10. g lib. 9. h in chorographia. i 4. hist. c. 8. k l. 1. c. 4. l 2. metam. m tomo 2. lib. 3. p. 4. sect. 1. c. 7. Probandi verbum. n 3. Reg. 8. 43. o Lucæ 14. 19. p l. 4. c. 37. — Paraphr. a Esa. 1. 4. b Dan. 10. 8. 16. c Ap. 1. 17. d Aba. 3. 16. e Matt. 17. f Actuum 9. 6. g Lucæ 5. 8. h 1. epigr. i Exod. 33. 20. k ibidem v. 22. l ibidem v. 23. m ibidem v. 19. n Abulens. Exod. 33. q. 37. 18. 19. 20. o Iudic. 13. 22. p Gen. 32. 30. q Iudic. 6. 23.

non [a] me videbit homo, & viuet. Lege nostrum Vasques [b]. Veteris Testamenti rudis adhuc populus ignorabat viuificari hominem secundùm verbum Dei [c], quódque verba loquentis Dei spiritus & vita sunt [d]: & sunt verba vitæ æternæ [e]. Si vox illa & ignis tantum terrorem incusserunt, quid faciet vox iudicantis, & ignis gehennæ?

a Exod.33.20. b 1 p tomo 1.d.55.c.3. & 4. c ps.118.107. d Ioann.6.63. e ibid v.68.

Explanatio.

Cur ergo moriemur,] Hebraicè & Chaldaicè (*& nunc quare moriemur,* וְעַתָּה לָמָּה נָמוּת *vehhattah lammah namuth* וּכְעַן לְמָה נְמוּת *vchhhan lemah nemuth.* Græcè (*& nunc ne moriamur*, καὶ νῦν μὴ ἀποθάνωμεν: & in codicibus Complutensibus, Regiis, &c. μή ποτε, *ne fortè.* Iuxta vltimam istam editionem suppleri aliquid debet, *& nunc cauendum ne moriamur, quæsumus vt consulas periculo mortis in futurum, quod semel euasimus.* Affinis nostro loquendi modus in Genesi [f]; *cur ergo moriemur te vidente?* Græcè ἵνα οὖν μὴ ἀποθάνωμεν, *vt ergo non moriamur:* & in Ieremia [g]; *quare moriemini tu & populus tuus;* & in Ezechiele [h]; *quare moriemini domus Israel?*

f c.47.19. g c.27.13. h c.18.31. c.33.11.

Et deuorabit nos ignis hic maximus.] Superlatiuo carent Hebræa, Chaldæaque lingua: Græca vtrumque agnoscens, habet hoc loco dumtaxat positiuum τὸ πῦρ τὸ μέγα. Igni metaphoricè tribuitur deuoratio seu comestio, nec non lingua, vt alibi vidimus: licèt Græcè sit hic ἐξαναλώσει, *consumet:* Videbatur ignis iste à principio erumpere solùm de vertice montis; postea, inquit Abulensis, magis ac magis prolabi per conuexa montis, & appropinquare versùs Hebræos, qui stabant tunc extra castra ad radices montis: erat enim ignis fumosus valdè, cúmque descendente fumo videbatur ignis descendere. Vsurpare illud poterant [i]; *Quis habitare poterit cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

i Es.33.14.

Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur.] Secundùm reliquas editiones (*si addimus*, aut *addentes sumus si addiderimus*, aut *addentes fuerimus audire vocem Domini Dei nostri adhuc, & moriemur.*) Nimirum, quia vim illius nequibimus tolerare. Contingit aliquando tanta vi aliquem diuinæ consolationis affici, & affluere, vt compellatur à Deo ipso efflagitare nonnullam eiusdem relaxationem. Quo pacto legimus Ephrem dixisse, *remitte, ò Domine, vndas tua gratia* [k]: & Xauerium; *sat est, Domine, sat* [l] *est.* Retulit mihi quoque de se, admodum pius doctúsque Petrus de Vellars Archiepiscopus Viennensis in Gallia; in primis verbis Missæ de B. Virgine, ad eius aram Lauretanam, cùm hactenus omni sensu deuotionis, quem appetierat, caruisset, accusarétque negligentiam propriam & indignitatem, tantis illicò spiritus deliciis perfusum, ac penè obrutum fuisse, vt nisi exorato Deo, eiúsque parente, illæ remisissent, moriendum sibi sine dubio in ipsamet ara indicaret.

k in vita apud Surium tom. 1. 1. Febr. l in vita.

Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis.] In aliis editionibus (*quoniam qua est omnis caro*, vel, *quæ enim caro, quæ audiuit, &c.*) Perpenditur fragilitas & imbecillitas naturæ carneæ, quæ opprimatur à maiestate loquentis: tritúmque est accipi nomen carnis pro homine toto; sed ad innuendam dictam illius infirmitatem. Ponderandum verò beneficium; vt dignatus sit Deus loqui nobis in filio [m], & hic esse doctor ac legifer noster [n], & apud nos manens [o], docere viam veritatis & felicitatis. Obseruari præterea debet epithetum Dei viuentis. Prima Agar, aut alius propter illam, cognominauit puteum viuentis & videntis me, quia illa nomini qui loquebatur ad ipsam vocauit. *Tu Deus qui vidisti* [a] *me.* Licèt verò existiment nonnulli, rationem nominis esse, quia cùm vidisset Dominum, ipsa tamen adhuc viueret: magis communis opinio est propter Dominum qui videat eam; etiamsi simul eadem diceret; *hic vidi posteriora videntis me.* Chaldaice (*appellauit puteum, puteum super quem apparuit Angelus vita.*) Quamquam non alius peculiaris Angelus vitæ admittendus est, præter Deum, qui est in se ipsissima vita [b], & in ipsu quod factum est vita [c] est, & vitam communicat aliis: atque in ipso viuimus, mouemur, & sumus [d]. Aliis præterea in locis extat idem cognomen Domini [e] Dei viuentis, aut viui [f], vt in commentario actuum [g] Apostolorum notaui, admonens simul adiici nonnunquam semper, in æternũ, in sempiternum, viuentem & æternum in sæcula: item sæpiùs induci Deum iurantem, *Viuo ego*, vel alios, *Viuit Dominus*; tribus epithetum hoc præsertim quando incidit comparatio cum idolis, vel cum hominibus diuinitatem temerè vsurpantibus: vel vt intelligatur beneficia quæ contulit Deus per aliquem hominem, eo extincto homine quia perseuerant, Deum præcipuè auctorem babutiles Caballistas quædam comminisci de חַי אֵל *el chai*, *Deus viuens*, seu *viuus*: Græcis Ethnicis summum deorum, quorundam opinione appellatum ζῆνα, quasi τοῦ ζῆν αἴτιον, *viuendi cæteris causam.* Consule etiam quæ dixi Psalmos [h] explanans. Horrendum esse incidere in manus Dei viuentis [i], quidam sensu quodam pio considerant, idest, iudicis potentis; non autem mortui, hoc est, Christi misericorditer pro nobis mortem passi. Obseruandum postremò hîc Hebraicè pro Deo viuente esse numero plurale אֱלֹהִים חַיִּים *elohim chaym*, cùm sequatur verbum singulare (*qui loquitur, &c.*) Refellit Abulensis Rabinum Abenezra, qui asserit significari Deũ cum Angelis, quibus vt ministris vtebatur. Nam siue Deus, siue Angelus loqueretur, vnus, ait, est qui loquebatur: & in Genesis c.1. [k] extat idem nomen plurale אֱלֹהִים *elohim*, vbi nos legimus; *in principio creauit Deus*; & tamen non potest referri ad Angelos, quoniam hi non creabant. Quare concludit voluisse hîc Mosem diuinarum personarum monstrare pluralitatem: vel esse modum loquendi Hebraicum, quo ponitur aliquando plurale pro singulari. In R. quidem Abenezræ commẽtario loci huius id non reperio: nihilominus probabiles sunt duæ illæ rationes vel de pluralitate personarum, quæ aliorum non paucorum est circa initium illud Genesis; vel de idiotismo Hebræo: cuius ratio etiam reddi solet ad quid eximium & excellens aut in rebus aliis, aut in personis denotandum: quam item loquendi formulam adhibemus alloquendo illustriores personas; & apud [l] Iob Behemot ponitur pro animante maximo, quódque sit maius multis simul aliis. Priùs vers.7. *Non habebis deos alienos*, vt & in Exodi cap.20. [m] *Non habebis deos alienos*; dicitur Hebraicè, *non erit tibi dij alij*, לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים *lo ihieh lecha elohim acherim.* Quin etiam Eliezer famulus Abraham posuit manum suam sub fœmore Abraham domini [n] sui, Hebraicè *dominorum suorum*, אֲדֹנָיו *adonau.* Item de quolibet homine [o], *si autem Dominus dederit illi vxorem*, Hebraicè *Domini eius*, אֲדֹנָיו *adonau.* Filij Iacob dixerunt ei [p]; *locutus est nobis Dominus terræ*, Hebraicè *domini terræ*, אֲדֹנֵי הָאָרֶץ *adone haarets.* Illud item, *fiat* [q] *lux*, Hebraicè, *sit luminaria*, יְהִי מְאֹרֹת *iehi meoroth.* Immò de Deo interdum dictum reperitur אֱלֹהִים *Elohim* cum verbo plurali; *qua* [r] *est autem vt populus tuus Israel gens in terra, propter quam iuit*

a Gen.16.13.14.c.25.11. b Ioan.14.6. c c.1.3. d actuum 17.28. e Ios 3.10. 1. Reg.17.26.36.ib.4.19.4.16. Esther 16.16. Isa.37.4.17. Ier.10.10.c.23.36. Dan.6.20. Ose.12.7.c.14.15. 23.24. Ose 1.10. Hebr.9.14.c.10.31. c.12.22 &c. 1.18.c.4.10.c.5.5.14.c.10.16.c.15.7. Ioan 6.17. f ps.41.3.ps.83.3. Matt.16.16.c.26.63. act.14.14. Rom.9.26. 2.Cor.3.3.c.6.16.1. Thess.1.9. 1.Tim.3.15.c.4.10.c.6.17. Heb.3.12.1. Pet.1.23. apo.7.2. g in actuum c.14.14. h in ps.17.47. ps.41.3. i Hebr.10.31.

Plurale pro singulari modo Hebr. k vers.1. l c.40.10. m vers.3. n Gen.24.9. o Exo.21.4. p Gen.42.30. q c.1.3. r 2.Reg.7.23.

Caro pro homine.

m Hebr.1.1. n Es.33.22. o Ioan.14.25.

Deus vt redimeret eam sibi in populum? Hebraicè הָלְכוּ אֱלֹהִים *halechu Elohim.* At plures deos dicere, nefas est non minùs in Hebræa lingua quàm in aliis: nec vel Interpretes Græci, vel Paraphrastes Chaldæus, vel Hieronymus transtulerunt Dij, quando אֱלֹהִים *Elohim occurrit*, vbi est sermo de vero Deo: cumque toties tradatur in diuinis literis Deum vnicum esse, si quoties Elohim ponitur, haberet significationem sui numeri pluralis, præberetur occasio existimandi plures deos esse. Retinetur Hebraica locutio, vbi abest errandi periculum; vt [a]; *Deos vidi ascendentes de terra,* אֱלֹהִים עֹלִים *Elohim holim*, θεοὺς ἀναβαίνοντας: sed Chaldaicè, *Angelum Domini qui ascendit,* מַלְאֲכָא דַיְיָ דְסָלִיק *malacha daiehouah dislik*: subditur autem [b] מָה (*qualis est forma eius?*) Nec dubium quin de Angelis, & hominibus iudicibus seu principibus nomen אֱלֹהִים *Elohim* dicatur in Scriptura, vt alibi [c] vidimus. Rursus de Deo vero in libro Iosue [d], *non poteritis seruire Domino; Deus enim sanctus*, אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא *Elohim kedoscim hu, dij sancti ipse*: præterea [e], *peruertistis verba Dei viuentis Domini exercituum*, אֱלֹהִים חַיִּים יְהוָה *Elohim chaiim Iehouah.* Quidquid autem sit de primis verbis Genesis, an in iis innuatur Trinitas per אֱלֹהִים *Elohim* pluralis formæ, cum בָּרָא *bara, creauit*, numeri singularis, vt Scholastici cum Magistro sententiarum [f] sentiunt, & alij: examinatúrque diligentiùs ab Ascanio [g] Martinengo; non est verum quod Caietanum [h] suus docuit Rabinus, non extare hoc nomen in singulari; vt patet ex Iob [i], & Abacuc [k]: nec, quod alij dicunt, innuitque Magister [l] historiæ Scholasticæ, esse quoque nomen singularis numeri. Habet vim talis nominis singularia, & non tantùm pluralis; quemadmodum similia, vt חַיִּים *chaiim, vita*, שָׁמַיִם *calum*, &c. atque vt Hieronymus [m] docet, sicut Athenæ, Thebæ, Salonæ, &c. sumuntur pro vna vrbe, ita hoc de quo agimus, etiamsi habeat nonnumquam vsum numeri pluralis. At numeri singularis non est אֱלֹהִים *elohim*, sed אֱלוֹהַּ *eloah.*

Qui de medio ignis loquitur.] Sic sæpius antea; quamuis versu 23. (*de medio tenebrarum*) vbi Græcè est πυρὸς, *ignis. Fulgura multiplicans Deus conturbauit populum* [n].

Sicut nos audiuimus.] Perspicuitatis causa Interpres adiecit (*audiuimus*) ne quia duas solas dictiones (*sicut nos*) referret ad præcedentes (*qui de medio ignis loquitur.*)

Et possit viuere.] Habent editiones aliæ (*& viuet*) vel (*& subsistet*) וַיְחִי *vaiechi.* καὶ ζήσεται, וְחַי קַיָּם *veith kaiom.* sic etiam cap. 8. [o] (*vt possitis viuere*) in aliis editionibus (*vt viuatis.*)

Vers. 27.] Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerísque ad nos, & nos audientes faciemus ea.

PARAPHR. Ferre populus non valens vocem illam Domini in magnificentia & virtute, aptá contingere cedros [p], nedum homines; nolens tamen priuari cognitione voluntatis, doctrinæque diuinæ; rogat enixiùs Mosem virum sanctum & carum benè familiarem Deo, & cui Deus tam terribilis non appareret, sed admitteret tanquam secretarium; nec tantæ vocis clamore propior quodammodo ei, egeret: vt consulto Deo audita referat, quæ ipsi absque metu aut periculo excipientes, libetiùs ac libentiùs exequantur. Narratur idem in Exodo [a] his verbis. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi; Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Tum subiicitur quid ei responsum sit à Moyse. *Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Deinde sequitur. *Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.* Tum verò recitantur quæ Moysi locutus est Deus. Opinantur aliqui post descensum terribilem Domini, qui cap. 19. Exodi describitur, cùm eiusdem iussu prohibitus est populus ascendere, populum dixisse quæ hic habentur, & citatis Exodi verbis; túncque populo Mosem illud etiam quod recitaui; *nolite timere,* &c. Postea Mosem locutum Domino, quæ habentur eodem libro cap. 19. [b] *non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, & iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum*, &c. Nec enim probabile putant, datum Decalogum Mosi, audiente populo, atque Mose adhuc ad montis terminos consistente. Repugnat id aliàs ipsique contextui, ac terror in populo ex ipsa Decalogi promulgatione natus omnino est: quamuis Moses Decalogum postea dicatur accepisse, vbi per dies 40. fuisset in monte, quantum ad descriptionem in tabulis, non quantum ad pronuntiationem. Paulò antè hoc ipso capite [c] vidimus quòd post verba quæ locutus fuerat Dominus ad omnem multitudinem in monte de medio ignis, nubis, caliginis, voce magna, nihil addendo ampliùs: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit Mosi (quod vltimum per parenthesim debet intelligi) & postquam audiuerunt vocem, &c. accesserunt ad Mosem; atque dixerunt quæ hîc habentur. Lipomanus in catena Exodi [d] ex duobus Gregoriis Magno, & Nysseno, ex Hieronymo & Aquinate affert mysticum sensum de vetere lege quæ terrebat vt pædagogus; quòd populus etiam nunc allegoriarum caliginem non valet penetrare seu spiritualem intellectum rimari: quòd veluti Moses in Ecclesia eligitur vnus diuinarum rerum capax, quem cæteri audiant, qui autem tanquam illoti ac sordidi audent, suis cogitationibus quasi lapidibus obruuntur: quòd natura diuina quantò magis hîc percipitur, magis incomprehensibilis, & ceu intra caliginem esse cognoscitur, & videtur videri non posse, atque posuisse tenebras latibulum suum [e], & habitare lucem inaccessibilem [f], *& nubes & caligo in circuitu* [g] *eius.* Idem docet [h] Areopagita. Porrò contra id quod antea dictum est, Mosem vt Deo magis carum, & magis iustum, simili timore correptum non esse, quo populum; obiici potest quod Paulus [i] illum refert dixisse, *exterritus sum & tremebundus*, agens de tempore quo lex data est. Caietanus [k] exponit voluisse dicere se quoque aliquando terrefactum visione rubi, tamen superuixisse; de quo terrore Stephanus [l], *tremefactus autem Moyses,* inquit, *non audebat considerare.* Timuisse tum etiam quando lex data est, communis opinio est; atque id Paulum ex traditione didicisse, vt nomina magorum Pharaonis [m]. Eodem [n] loco idem Apostolus priùs de populi terrore scripserat; ita vt quod Caluinus [o] ait, Illa verba, quæ personam Mosis sonant, non in populi, sed in ipsiusmet Mosis

 persona

a 1. Reg. 28. 13.
b vers. 14.
c Ps. 8. 6. Ps. 81. 1. Ps. 96. 7. Ps. 137. 1.
d c. 24. 19.
e Iere. 23. 36.
f 2. d. 20
g Glossa magna in Gen. c. 1.
h in Gen. 1.
i c. 12. 4. c. 36. 2.
k c. 1. 11. c. 3. 3.
l in Gene.
m epist. ad Marcellam de nominibus Dei.
n Ps. 17. 15.
o vers. 1.
p Psal. 28. 5.
a cap. 20. 18. & seqq.
b vers. 23.
c vers. 22. 23. 24.
d in c. 19
e Ps. 17. 12.
f 1. Tim. 6. 16.
g Psal. 96. 2.
h de mystica Theol. cap. 1.
i Hebr. 12. 21.
k ibid.
l actuum 7. 32.
m 2. Tim. 3. 8.
n vers. 18. & seqq.
o ibidem.

perſona accipienda ſint. Non obſtat autem quo minùs qui timuerit initio, animos deinde colligẽs ſeipſum & alios hortetur ad pellendum timorem: quemadmodum Philiſtæi cùm audiſſent allatam arcam in caſtra Hebræorum, tum ſe, tum alios hortati ſunt ad non timendum [a]. Ergo Hebræi nunc rogarunt Moſem vt audacter accederet ad Deum, perſuadentes ſibi ac experti eum licèt nonnihil initio timuiſſet, timorem pepuliſſe, ac ipſis quoque timorem eximere conatum fuiſſe.

a 1. Reg. 4. 7.

Explanatio. *Tu magis accede.*] Interpretis eſt particula (*magis*) editionum aliarum tantùm (*accede tu.*) Indicant hæc verba nonnullum fidei defectum; quaſi loci diſtantia, vel propinquitas aliquid referret; Deúſque non perinde longè ac propè poſſet ſuam declarare voluntatem; quo modo Regulus petens vt Chriſtus deſcenderet ad filium ſuum ægrotum, & ſanaret eum [b], argui ſolet. *Putáſne* [c] *Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Inuitamur autem accedere ad illum, Illique appropinquare, vt appropinquet nobis [d]; dicitúrque nonnullis propè [e] eſſe, longè à nonnullis [f], quantum ad effectum & affectum, quorundam cor longè à Deo [g]: item ſcribitur ad Chriſtum appropinquantes fuiſſe publicanos & peccatores [h], non corpore videlicet modò, ſed etiam animo. Lege commentarium noſtrum ad illud Pſalmi [i] 148. vbi vocatur populus appropinquans Deo; & Iacobi 4. [k] cùm hortatur appropinquare Deo, vt appropinquet ipſe nobis. Vtrobique multa reperies ad rem præſentem.

b Ioan. 4. 47. 49.
c Ierem. 23. 23. 24.
d Pſ. 33. 6. 4. Iacobi 4. 8.
e Pſal. 118. 144.
f Pſal. 10. 1. ſec. Hebr.
g Eſa. 29. 13. Ier. 12. 2.
h Lucæ 15. 1.
i verſ. 14.
k verſ. 8.

Et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noſter tibi.] Additur ab Interprete (*tibi*) & à LXX. (*πρὸς σε, ad te.*) Conſtituitur Moſes quodammodo hac populi ſuffragatione ſequeſter, mediúſque apud Deum, quem iam Deus ipſe in hoc munere conſtituerat. Dixit de ſeipſo Moſes ſub initium iſtius capitis [l]; *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominũ & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius: timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.* Quæ autem ibidem ſtatim ſubditur Decalogi recitatio, non arguit, vt priùs monui, Decalogum à Moyſe, non à Deo ipſo pronuntiatum, ſiue ab Angelo in Dei perſona.

l verſ. 5.

Loquerísque ad nos, & nos audientes faciemus ea.] Plura in editionibus reliquis (*& tu loqueris ad nos omnia quæcumque loquetur Dominus Deus noſter, & audiemus, & faciemus.*) Timore perculſi omnia pollicentur prolixè, quemadmodum & in Exodo tum priùs quàm is incuſſus eſſet, propoſita verò ſpes diuinorum beneficiorum [m], tum poſtquam eo modo qui narratur hic incuſſus [n]. Rudem videlicet populum illum non niſi præmia ſuppliciaque ferè mouebant: confitebatur Domino, cùm benefaciebat [o] ei; cùm occideret, quærebatur [p], multiplicatiſque infirmitatibus, accelerabant [q]. Vtcumque ſit, exegit Deus ab illo promiſſum, ac veluti ſubſcriptionem acceptæ conuentionis ſubſcriptioni ſcribæ ſimilem, inquit Theodoretus [r] ac Rupertus [ſ]. Rarò homo ſeruat quæ ex timore promiſit, ait Oleaſter hoc loco.

m Exo. 19. 8.
n cap. 24. 3.
o Pſ. 48. 19.
p Pſ. 77. 34.
q Pſal. 15. 4.
r in Exo. 19.
ſ ibidem.

Verſ. 28.] Quod cùm audiſſet Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius quæ locuti ſunt tibi: bene omnia ſunt locuti.

Paraphr. APprobat Deus, & commendat vel populi reuerentiam erga ſe; quod, licèt præ timore, mallet ab homine inſtitui, quàm immediatè ab ipſo; vel obedientiam; quòd homini obeditorum tam promptè polliceretur propter ipſum in omnibus, quæ ille nomine eius præciperet. Voluit Deus auctoritatem legiſlatoris ac principis quem populo aſſignauerat, magis ac magis ſanciri & confirmari: laudat & quòd populus vti ſe velle dixerat Moſe tanquam ſequeſtro medióque apud ipſum; & quòd exequi omnia quæ præciperentur promptum paratúmque eſſe aſſeuerauerat. Credendum eſt Moſem audito illo populi ſermone ad oraculũ ſeceſſiſſe, indeque reſponſum hoc retuliſſe. Hoc eſt, quod antea retuli ex Exodo [a], reſpondiſſe Moſem populo ne timeret, quia veniſſet Dominus vt probaret ipſum; & vt terror illius eſſet in ipſo, nec peccaret. *Dum confortatur homo,* Hebraicè אנוש *enos, obliuioſus Dei ac ſui, obnoxiúſque infirmitati & ærumnæ,* id eſt, dum obdureſcit, rigeſcit, obfirmato in Deum animo eſt, *iudicatur in conſpectu Dei* [b], Hebraicè *propter facies eius,* hoc eſt, propter iram, furorem, indignationem, quam præ ſe fert. In via Dei timor fortitudinem gignit, inquit Gregorius [c], & in illo eſt fiducia fortitudinis [d], per eum declinat omnis à malo [e], & ipſe odit malum [f]. In cap. 18. libri noſtri videtur occaſione petitionis ne loqueretur Deus ipſe, ſed Moſes, non ſolùm approbaſſe & conceſſiſſe, verùm etiam promiſſionem de Meſſia protuliſſe: *Prophetam,* inquit Moſes, *de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies; vt petiſti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti; vltra non audiam vocem Domini Dei mei: & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi. Benè omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui,* &c. Id eſt, quia petierunt ne loquerer ipſe, loquar deinceps per te quamdiu viues, ac deinceps per alios tibi ſimiles: tandémque per Filium meum, qui homo fiet ſimilis tibi, in terris videbitur, eúmque hominibus conuerſabitur [h]: ita vt qui olim locutus fuero in Prophetis, loquar nouiſſimè in Filio meo [i]. Elicere ſolet Deus ex defectibus noſtris ac imperfectionibus humanis benefaciendi occaſionem.

a c. 20. 20.
b Pſ. 9. 20.
c 5. moral. c. 13.
d Prou. 14. 26.
e c. 15. 28.
f cap. 8. 13.
g verſ. 15. & ſeqq.
h Baruch 3. 38.
i Hebr. 1. 1.

Explanatio. *Quod cùm audiſſet Dominus.*] Breuiùs quàm editiones reliquæ (*& audiuit Dominus vocem ſermonum veſtrorum loquentium ad me, ſeu cùm loqueremini ad me*) Chaldaicè, (*& audita eſt coram Domino vox,* &c.) Non exprimitur an Moſes adiuerit Dominum data opera, vt referret populi poſtulationem: vel an Dominus vltrò ipſi hæc ab ſe audita retulerit. ſecundum indicat magis textus. Audire autem Dei humano more intelligitur, vt pleraque ſimilia, pro ſimplici notitia.

Audire Dei quid.

Ait ad me.] Iuxta editiones alias (*& dixit Dominus ad me.*) Quæ toties iterata repetitaque Domini appellatio non caret energia, vt inſinuetur ſingularis obſeruantia erga illum tam in populo, quàm in Moſe.

Audiui vocem verborum, &c.] Chaldaicè, vt priùs (*audita eſt coram me vox,* &c.) Similis phraſis cap. 1. [k] (*cúmque audiſſet Dominus vocem ſermonum veſtrorum.*) Synonyma enim ſunt verba & ſermones. Item c. 4. [l] *vocem verborum eius audiſtis.* Præterea in Iob [m]; *vocem verborum tuorum audiui:* & in

Vocem verbõ audiui, quid.
k verſ. 34.
l verſ. 12.
m c. 33. 8.

& in Daniele [a]; *audiui vocem sermonum eius*. Citato cap. 1. exposui ea phrasi denotari quòd simul ac vox profertur articolatè, ilicò exaudiatur.

[a] c. 10. 9.

Benè omnia sunt locuti.] Græcè (ὀρθῶς πάντα ὅσα ἐλάλησαν, *rectè*, scilicet se habent, *omnia quacumque locuti sunt*.) In aliis bibliis, vt in Complutensibus Regiisque (*quacumque dicta sunt*, ἐλαλήθη.) Hebraicè *bona reddiderunt*, vel *benè egerunt in omnibus quæ locuti sunt*, *probè ac rectè omnia locuti sunt*; atque, vt ita dicam, *bonificauerunt*, הֵיטִיבוּ *hetibu*. Chaldaicè (אַתְקִינוּ *athkinu*, *rectificauerunt*, *recta reddiderunt*, seu, *fecerunt*, aut *recta facta sunt*, *ac veluti benè parata & cogitata*) quasi diceretur; benè præmeditati sunt ea quæ dixerunt; bona & recta sunt, ac talis quæ mihi placeant. Approbatio & commendatio Dei, magni facienda, vt & cùm præcedente libro [b] rectè locutam tribum filiorum Ioseph respondit: & iustam rem postulasse filias Salphaad [c]. Græcè in vltimo loco est ὀρθῶς, quemadmodum hic; in penultimo οὕτως, *sic*: quod valet in duobus illis locis כֵּן *chen*, necnon (*& rectè.*) Consule commentarium dictorum locorum; tum verò quòd Philonem [d] retuli considerantem dignationem Dei approbantis & laodantis res nostras, exaggerantem quoque qoanti id referat: & quo pacto exemplum hoc sequi par esset summos etiam quosuis principes erga subditos suos.

[b] cap 36.
[c] cap. 27. 5.
[d] 3. de vita Mosis.

Verſ. 29.] Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis & filiis eorum in sempiternum?

PARAPHR. QVia sæpe verbis res, facta promissis non respondent, nec sufficit quòd benè locutus esset populus, dum se paratum professus est audire qui Dei nomine præciperet, ac opere præcepta impleturum; optare se significat Deus, vt & ex animo, & exteriùs præstet, quod pollicetur circa mandatorum suorum perseuerantem obedientiam; & quidem non sua ipsius causa, qui nollo prorsus egest; sed in eiusdemmet obedientis populi atque posterorum perpetuam etiam vtilitatem. In morem optantis loquitor Deus, & quia cunctorum salutem quantum in se est desiderat [e]; & ad eam consequendam sic præbet gratiam, vt saluam velit libertatem. Propterea toties apod Prophetas præsertim, & alias Scripturas vtriusque Testamenti vel hortatur, vel minatur, vel conqueritur: ac taodem cùm aliquibus eadem gratia secundùm entitatem congrua sit & efficax; aliis tantùm sufficiens, & idcirco conuertantur aliqui, aut etiam saluentur; non item alij; reiici debet in altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, atque in incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles vias illius; cuius nemo oouit sensum, nec quisquam consiliatius eius est [f]. Abulensis [g] bonum hîc dat consilium, vt se quisque ex Dei gratia credat prædestinatū: sed ad hoc peruenire nō posse sine magnis laboribus (Gregorius [h] hoc ipsū docet, quia magna præmia sunt) vt sic desperans non recedat ab omni opere bono: & ne nimiùm credolus gratiæ prædestinationis, sine aliquo opere se gloriam adepturum putet: quia id quod per prædestinationem promissum est, plerumque sine magnis laboribus & Sanctorum precibus adipisci non possumus, &c. Et si aliquando, subdit ipse, diabolica iosorgat tentatio, proponens nobis, esse nos à Deo præscitos; non assentiamus ei, sed totis viribus eam fugiamus, quia nolla tentatio quàm ista periculosior. Obseruat item Glossa ordinaria quæ ex Rabano sumpta est, velle his verbis Deum intelligi gratia soa hoc beneficium concedi, vt sit in omnibus iustitia eius, ex fide; non propria, ex lege. Interlinearis & Hugo aiunt iodicari à solo Deo esse gratiam infusam, castum timorem, vt non lapidei, sed sensibiles, vniuersa Dei mandata custodiamus, ita vt iota vnum non prætereat. Rickelius optandi modo denotari vult, non quòd impossibile sit Domino dare hominibus mentem huiusmodi, sed quòd insit iis arbitrij libertas: quódque ipse quantum in se est cupiat nostram salutem, & adiuuare paratus sit; cùm etiam apud Esaiam [a] dicat; *vtinam attendisses mandata mea*; Græcè solùm (καὶ εἰ, *& si*.) *facta esset sicut flumen pax tua*. Cui affinis in Baruch [b] sententia. *Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna.* Iussit præterea Deus ex nomine suo Angelo Laodiciæ scribi [c]; *vtinam frigidus esses, aut calidus*. Quod Psalmo [d] 80. legimos, *si populus audisset me*, &c. Hebraicè est לוּ *lu*, *vtinam*, quemadmodum hoc loco, & ibidem Chaldaicè לְוֵי *leue*, aut חַלְוַאי *haluai*. Ibi Caietanus iubet considerare affectum diuinum ad hoc vt simus boni, & seruemus legem Dei. Ex his similibúsque loquendi modis colligi potest Dei scientia de futuris contingentibus possibilibus liberis, siue mediam velis appellare, siue ad scientiam reuocare visionis, vt quibusdam placet; contendentibus inuoluere nescio quod eiusdem decretum. Citato Psalmo nonnihil de hoc dixi: & prætetea quòd voluntas Dei, quam vocant beneplaciti & absolutam, semper impletur; signi non item: ad hæc optandum cum Dauide, dicendúmque [e]; *Vtinam dirigantur via mea, ad custodiendas iustificationes tuas*; & cum Mose [f]; *Vtinam sapiamus, intelligamus, nouissima prouideamus*: & cum Salomone [g]; *Custodi in æternum hanc voluntatem cordis, & semper in veneratione tui mens ista permaneat.*

[e] 1. Tim. 2. 4.
[f] Rom. 11. 34.
[g] quæst. 10.
[h] hom. 37. in Euang.
[a] c. 48. 18.
[b] cap. 3. 13.
[c] Apoc. 3. 15.
[d] vers. 14.
[e] Ps. 118. 5.
[f] Deut. 32. 29.
[g] 1. Paral. 29. 18.

Quis det.] Sic etiam Hebraicè מִי יִתֵּן *mi itten*, & Græcè τίς δώσει: sed Chaldaicè *vtinam*, לְוֵי *leue*. Priore libro [h] talis formula: *quis tribuat, & det.* Vbi alia protuli testimonia ex [i] Iob (apud [k] quem idem valet, *quis tribuat*: necnon in historia [l] Regum) & Cantico [m] Canticorum: aliquando [n] autem reddi etiam ab Interprete nostro per (*vtinam.*) Tale etiam desiderium significat Psalmographus [o]; *quis dabit mihi pennas sicut columba*: &, *quis* [p] *dabit ex Sion salutare Israël*: & Ieremias [q]; *quis dabit capiti meo aquam*, &c. *quis dabit me in solitudine*, &c. Nec verò refert an reddatur; *quis det*, vel *quis dabit?* τίς δώῃ, vel δώσει, quidquid Tuccius [r] dicat: vtrouis enim modo respondet Hebræis vocibus מִי יִתֵּן *mi itten*: potéstque significari æquè duplici illa phrasi desiderij vehementia etiam sine incertitudine aut ignorantia futuri euentus. Noo facilè reperias istius formulæ aliis in linguis peritioribus exemplum, sed videtur Hebrææ propria.

[h] c. 11. 29.
[i] c. 6. 8. cap. 31. 31.
[k] c. 14. 13. c. 19. 23. c. 23. 3. c. 29. 2. c. 31. 35. Explanatio.
[l] lib. 2. 18. 33.
[m] cap. 8. 1.
[n] Exo. 16. 3. Iudic 9. 29.
[o] Psal. 54. 7.
[p] Ps. 13. 7. c. 52. 7.
[q] c. 9. 1. 2.
[r] in Cant. pag. 190.
[s] Exo. 35. 21. Leuit. 26. 14. Nū. 32. 7. 3. Regū 8. 18. 1. Par. 29. 18. lib. 2. 29. 31. Prou. 7. 25. c. 15. 15. 28. c. 19. 8 c. 23. 7. c. 24. 2. c. 28. 14. Esa. 44. 19. Dan. 2. 30.
[t] Num. 32. 7. c. 11. 9
[u] Pro. 19. 8.

Talem eos habere mentem vt timeant me.] Iuxta editiones alias (*esse*, aot, *& sit*, aut, *vt sit cor illorum hoc ipsis*, aut *in ipsis*, *vt timeant me.*) Optat perseuerantiam populo in eo timore quem conceperat. Pro corde mentem reddit alibi [s] etiam Interpres; licèt aliquando [t] Græcè sit διάνοια, vel φρόνησις [u]. Nec infreqoens vt cor vicissim sumatur pro mente. Mens porrò deriuatur vel à μένος: vel

Cor pro mente.
Mens vnde dicta.

vel à μένω, hoc est, ab animi ardore & impetu, vel ab indicare; vel quasi meminens: non autem à motu. Lege Iulium [a] Cæsarem Scaligerum. Timorem castum requirit Hugo; sed talem tunc omnes habuisse, creditu difficile. Ad castum conducit seruilis, quem elicit pœna; & caritati locum parat, sicut per setam introducitur linum, quando aliquid suitur, inquit Augustinus [b]; & vt ait Gregorius [c], fortitudinem gignit, omnésque temporales terrores pellit.

a Exerc. 307.nu.2.

b tract.9.in 1.epist.Ioan.

c 5.moral. c.13.

Et custodiant vniuersa mandata mea.] Vt vnum iota non præteréat, inquit Glossa interlinearis: ea iis maximè quæ propriè mandata & præcepta sunt; videntur autem leuiora vel minora: cites quorum vel vnum aliquod si quis mortaliter peccet, factus est omnium reus eo modo quem declarauimus in Iacobi [d] commentario.

d cap. 2.10.

In omni tempore.] Aliter (*omnibus diebus*.) Verùm valent hæc idem: ac satis vsitatum, diem poni pro tempore.

Dies pro tempore.

Vt benè sit eis, & filiis eorum in sempiternum.] Quos timore ad se Dominus excitauerat, spe allicit: ostendens commodum omne non ipsius esse, qui nullo vel egeat, vel careat; sed custodientis mandata eius. Benefacere aut benefieri importat, ייטב *itab*, Hebræum, & Chaldæum ייטב *ieteb*. Eadem est phrasis priùs versu 16. occurritque alibi sæpenumero. Denique in sempiternum, aut in æternum, aut in sæculum, aut in perpetuum, aut in æuum synonyma sunt; accipiuntur pro longa duratione, cúmque adiunguntur promissioni, solet intelligi, nisi per eos ster quibus promissio, vel quandiu perdurabit status, & conditio reipublicæ cui promissio fit, videlicet synagogæ, &c. De hoc aliquoties in variis commentariis monuimus, & est canon pluribus Scripturarum locis necessarius.

Verſ. 30.] Vade & dic eis: Reuertimini in tentoria vestra.

PARAPHR.

QVia non erant ampliùs audituri Deum immediatè loquentem, siue in eius persona verba formantem Angelum; sed Mosem aliúmve, iubet Deus Mosi, qui cum ipso versabatur in monte, sciscitans de eo quod populus dixerat, vt reciperent se in castra quæ aliquantum remota erant à loco, ad quem conuenerant ad legem audiendam, & Deum ipsum, vt crederent Mosi in perpetuum [e]. Nempe castra in plaoitibus erant campis; alius locus in radicibus ipsis montis. Benignè gessit se Deus, non solùm approbando quod petierant, sed etiam consulendo vtilitati eorum, ne diutiùs incommodè habitarent extra tentoria sua, cùm simul quoque præ timore præterito, non parum fortsitan debilitati essent, ac vires resumere recreareque deberent. Ad hunc modum Christus triduò populum sustinentem, numero magno, panibus in solitudine refecit, ne deficeret in via [f]: discipulos seduxit in desertum locum, vt requiescerent pusillum, quia erant qui veniebant & redibant multi, & nec spatium mandocandi habebant [g]. Triduò antè populus Hebræus, Deo præcipiente, sanctificauerat se, ac præparauerat, lauerat vestimenta, ab vxoribus abstinuerat [h], non solùm & ab immunditiis legalibus, & fortassis cibum etiam parciùs ceperat. Ergo Dominus misericordia motus, populum diutiùs extra castra detineri non patitur; cum magna quadam reuerentia solitus nos disponere [i],

e Exo.19.9. 17.23.c.20. 20.21.Deut. 4.11.

f Matth.14. 15. & seqq. c. 15.32. & seqq. Marci 8. 1. & seq. Lucæ 9. 12. & seq. Ioan. 6.5 & seqq.

g Marci 6. 31.

h Exo. 19. 10.11.14.15.

i Sapien.12. 18.

μετὰ πολλῆς φειδοῦς, indulgentia, venia, benignitate, atque μετὰ συμπαθείας, per quod nomen Suidas aliud τὸ ἐλεημονῖς, quod alteri simile est, explicat cum viscerum commotione, sympathia, commiseratione.

Vade, & dic eis.] Inserunt Biblia Complutensia, & Regia (*ergo*) nempe (*vade ergo*) quo carent editiones aliæ, ac nostra emendata. Immò nec extat in aliis editionibus.

EXPOSITIO.

Reuertimini in tentoria vestra.] Græcè (*in domos vestras*, εἰς τοὺς οἴκους ὑμῶν.) Synonyma sunt tentoria & tabernacula, sæpiúsque nunc hoc, nunc illud nomen occurrit. A tendendis contra æstum, aliásve iniurias cæli, velis dictum tentorium est: tabernaculum à taberna, tabulis, & tabulatis; seu ab ædificio habitationi apto, quod tabulis claudebatur, vel operiebatur: aut à trabibus. Subtatriis eiusmodi habitationibus vtendum in deserto erat, seu scenis, in cuius rei memoriam scenopegiæ tabernaculorúmve festum deinde institutum est, de quo alibi actum. Nomen οἶκος & domus generalius est pro omni ædificio à δέμω, ædifico; immò nonnumquam de nido passeris [a] siue auis cuiuscumque: & idem indicium de Hebræa voce בית *bait*. Sed & vicissim tabernaculum cognominatum æternum [b], vsurpatur de habitatione cælesti. In priore illo communiore sensu dicuntur Magi intrasse domum, in qua erat puer cum Maria matre [c] eius, quod erat stabulum siue spelunca, quam diuini huius pueri parentes pretio conduxissent, ita vt non liceret aliis sua ibi iumenta stabulare; quod Virgo more puerperarum ab hominum se commercio seorsum contineret.

a Psal.83.4.

b Luc.16.9.

c Matth.2. 11.

Verſ. 31.] Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant ea in Terra, quam dabo illis in possessionem.

PARAPHR.

PRonuntiato iam Decalogo, post quem conterritus populus, audire plura renuebat; supererant adhuc alia tradenda præcepta, quæ ve Moses referre ad populum posset de moribus, de ceremoniis cultúve diuino, de rebus iudicialibus, seu forensibus, cùm dimissus iam in castra populus esset, iubetur Moses tedire vnde descenderat, vt populum remitteret, ibidémque exciperet quæ suo deinde tempore in terra promissionis seruare oporteret, quando ad illam peruentum fuisset. Hoc est quod scribitur in Exodo [d]. *Stetitque populus de longè: Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Deinceps [e] verò multa præcepta data Moysi narrantur; & quidem, vt videtur, eadem die; qua Decalogus pronuntiatus fuerat; licèt Iosephus indicet aliquot dies interfluxisse: finito namque Decalogo statim ascendit Moyses, & leges alias accepit. Vsurpantur verba hæc in Apostolicis [f] constitutionibus, vt imperetur silentium, seu vt sileant omnes in Ecclesia, & stando audiant lectiones diuinarum Scripturarum. Scriptum est enim, vt ibi dicitur (*tace* [g], *& audi Israel*) quæ verba loci alterius sunt: & rursus (*tu autem sta ibi, & audies*) quæ videntur hinc sumpta. Ambrosius [h] aptat eandem sententiam, & illam (*locus* [i] *in quo stas, terra sancta est*) vt stemus in Ecclesia, vt stemus fide, vt fixi stemus cordis nostri (nempe bona) sententia; qui sic stant in hac Domini

d c.20.21.

e ibid.22.23. & seq. & c. 21.& 22. & 23.

f 2. constit. Apost. c. 57.

g Deut. 27. 10. sec. LXX.

h ep. 25. ad eccl. Verc. edit.Rom.

i Exo. 3. 5. Iosue 5.15.

a Pſ.133.1. b 1.Cor. 10. 12. c c.14.10.

Domini domo, benedicere Dominum [a], eſſe ſpeculatores prouidos, exploratores impigros, peruigiles cuſtodes, bellatores ſtrenuos, videre diligenter ne cadant [b]. Hieronymus explanans Ieremiæ [c] verba (*quia dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit;*) notat, quòd in Scripturis ſacris ſemper peccatorum moueantur pedes: Sanctis autem dicatur cum Moyſe; *tu verò hic ſta mecum*, & Pſalmo 134. ſcriptum ſit, *Laudate ſerui Dominum, qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* De prioribus illud etiam eſt [d]; *peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Talis Cain vagus & profugus [e]: talis filius prodigus abiens in regionem longinquã [f]: tales reprobi nutantes ac mendicantes [g]. Docet præterea Hieronymus ad locum Ezechielis [h] (*quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael erant*) prophetas (quod alijs etiã congruit, qui vulpium ſimiles ſunt) non ſtare in firmamento, nec cum Petro audire mereri: *tu* [i] *es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; nec Moyſi ſimiles eſſe, cui dictum eſt: *tu verò hic ſta mecum*; nec illius, qui dicit [k], *ſtatuit ſupra petram pedes meos*; ſed fluctuant omni vento doctrinæ. Anagogicè demum ſumens apud Abacuc [l] Solem & Lunam ſtantes in habitaculo ſuo (Græcè *in ordine ſuo*) ait cùm ſol qui eſt Chriſtus fuerit eleuatus, & exaltauerit eum Deus, & donauerit ei nomen ſuper omne nomen [m], tunc etiam Eccleſiam, quæ in præſenti ſæculo tenere ſuum ordinem non poteſt, ad ordinem debitum reuerſuram, & nequaquam mutandam, ſed fixo ſtaturam gradu, & audituram cum Moyſe; *tu autem hic ſta mecum.*

d Thren. 1. 8. e Gen 4. 14. f Lucæ 15. 13. g Pſal 108. 10. h Ezech. 13.4. i Matth.16. 18. k Pſ.39 3. l cap.3. 11. m Philip. 2. 9.

Explanatio. Standi verbum.

Tu verò hic ſta mecum.] Chaldaicè (*in conſpectu meo*, קֳדָמַי *kadamai*. Standi autem verbum non tantùm ſitum ſeu poſitionem erectam ſignificat, verùm etiam idem in genere quod præſentem eſſe & manere. Propriam ſignificationem allati ſenſus myſtici ſupponunt: atque veriſimile videtur hic literaliter accipiendam: quoniam conuenit præcepta excipienti, & quidem à Maieſtate diuina. De notione verbi, *ſtare*, conſule alibi [n] annotata, necnon & ſedendi; quódque non ſit vera nonnullorum obſeruatio, nullum peccatorem ſtantem dici in Scriptura. Solitos ſuo tempore fideles verbum Dei ſtantes audire, aliàs quoque docui, & Auguſtinus [o] apertè teſtatur: licèt variatum in hac re ſit, & alicubi ſedendi conſuetudo fuerit audientibus, ſtandi loquentibus, vt de Corinthiis videtur ponere Paulus [p], & vniuerſè de omnibus Clemens [q] Romanus, de Eſſæis Philo [r]: de fidelibus idem Auguſtinus [s] In tranſmarinis regionibus. Conſtantinum Magnum narrat [t] Euſebius rogatum à ſe, vt præparato ſedens in ſolio auditurus, recuſaſſe, cùmque nimium defatigaretur, finem facere vellet, reſtitiſſe, ac ad ſermonem abſoluendum hortatum; illinc verò flagitanti vt ſederet, ſubtriſti auſteróque vultu reſpondiſſe, nefas eſſe Inſtitutis de Deo diſputationibus negligentes aures præbere; ſibi verò hoc in primis vtile eſſe; cùm pium ſit vt de diuinis rebus diſſerentes audiant erecti. Certè ſomnus difficiliùs vigilantibus obrepit, inquit Ambroſius [u], ita interpretans Paulum [x] (*ſtate in fide*) ante quod immediatè præcipit (*vigilate.*)

n Præfa. in Pſal.c.14. in Pſ.1.1. Pſal. 93.16. Pſal. 10.9.1. act.2. 11.c.5.20. o de catechiz. rud.b. c 13 lib.50. hom. in 26. r act.112. in Ioan. p 1.Cor.14. 3. q constit. c 57. r de vita cõtemplat. s de cate chiz. rudib. c 13. t de vita Conſtantini c.33. u in 1.Cor. 16. x ibidem.

Et loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia. Iſta vocabula frequenter occurrerunt, explicatáque ſunt de præceptis moralibus, ceremonialibus, iudicialibus, מִצְוָה חֻקִּים מִשְׁפָּטִים *mitſuah, chukkim, miſhpatim*, licèt primum ſit numeri ſingularis, ἐντολαὶ, δικαιώματα, κρίματα.

A Quamuis autem ſecundum ex Hebræis poſſit quandoque alia ſignificare quàm ceremoniale præceptum, & primum ſit amplioris notionis quàm moralia duntaxat: nihilominus tria ſimul poſita rectè ſolent exponi, vt dixi, quemadmodum & Græca. Chaldæum verò קְיָמַיָּא *keiamaiia* valet pacta, quæ peculiariter ſanciri conſueuerant ritu & ceremonia præſcripta. Quapropter non eſt audiendus Caietanus, qui transferens tantù ſtatuta atque iudicia, nihil ait exprimi de ceremoniis.

Quæ docebis eos vt faciant ea.] Græcè in imperatiuo (*& faciant ſic*, καὶ ποιείτωσαν οὕτως) quod non rectè ſcribitur in codicibus Complutenſibus ac Regiis per ν, ποιῆτωσαν. Maior emphaſis ac vis in imperatiuo eſt, quàm docere alios vt faciant:

B niſi docere ſumatur vt idem, quod imperare.

In terra, quam dabo illis in poſſeſſionem.] Participia נֹתֵן *nothen*, & יֹשֵׁב *ioſcheb* admittunt, vt ſæpe monui, verbum ſubſtantiuum cuiuſuis temporis; vt reddi poſſint hic, dans ero, aut ſum, aut fui. Græcum autem verbum δίδωμι præſentis temporis eſt. Iam data erat terra Chanaan, quia promiſſa; danda erat, quia nondum poſſeſſa; dabatur, quoniam breui admodum poſſidenda. Triplex porrò illud genus præceptorum obſeruari debebat in dicta terra; quoniam pars maior eorum, præſertim ex ceremonialibus & iudicialibus in deſerto executioni mandari nequibat.

C *Verſ.* 32.] Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Verſ. 33.] Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, vt viuatis, & benè ſit vobis, & protelentur dies in terra poſſeſſionis veſtræ.

Paraphr.

EXecutio eſt hæc iniuncti muneris à Deo, vt Moſes doceret populum, eiſdémque nomine ipſi præciperet præcepta cuncta ſeruare diligenter & exactè, in neutram partẽ deflectendo, quia vir-

D tus in medio eſt, ſiue per exceſſum, aut per defectum, ſiue committendo aut omittendo, ſiue addendo, aut minuendo: ſed rectà incedendo per demonſtratam viam, ſi vellent vitam incolumem, felicem, longam in promiſſa terra tranſigere, atque in conceſſæ terræ poſſeſſione firmiter ac perdiu permanere. Tria hic promitti Abulenſis notat, & Marzilla, inopinata immaturáve morte non mori; terræ bonis affluere; vitam diu producere. Quæ magni populus ille rudis, & carnalis, æſtimabat, ac vt plurimum optabat & petebat, beatúmque ducebat ac dicebat cui hæc eſſent; cùm reuera beatus cuius Dominus Deus [a].

a Pſ.143.15. Explanatio.

Cuſtodite igitur & facite.] Futuri temporis verbum habent editiones aliæ; quod imperatiui loco

E ſolet eſſe: & apud eaſdem (*cuſtodietis ad faciendum*) idem valet atque curabitis vt faciatis: erit vobis inſtar pretioſi cuſtodia opere exequi Dei præcepta. Denique particulam illatiuam poſuit Interpres pro particula (&) in principio iſtius membri: quod alibi etiam contingit.

Quæ præcepit Dominus Deus vobis.] In reliquis editionibus (*ſicut*, ſiue *quomodo*, כַּאֲשֶׁר *chaaſcer*, καθώς *chemo*, ὃν τρόπον. Videlicet iam per ſeipſum immediatè tradidit hæc præcepta; ſed per me; quemadmodum optaſtis, & flagitaſtis.

Non

Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.] Ex traditis modis huius formulæ, Hugonis est ille de non addendo, vel minuendo: Abulensis, Carthusiani, siue Rickelij, Caietani, Marzillæ, de vitandis extremis, medióque tenendo; eiusdem Rickelij alius, de non vltra vires attentando, nec per pusillanimitatem deficiendo; nec propter prospera mundi, nec propter aduersa recedendo à via iustitiæ, salutísque: non in gratiam amicorum, nec metu inimicorum; non arrogando si quid boni facias, nec operando malum: non stultitiæ te dedendo, nec plus quàm oportet sapiendo: non te decipiendo putans absque peccato esse; nec securiùs peccando: non metas virtutis excedendo, nec per desidiam in vitia præcipitando. Actum de parœmiali hac phrasi in Psalm. 118.[a] & cap. 2.[b] libri nostri, & præcedentis libri c. 20.[c] ac vltimo illo loco accuratiùs, allatis Patrum testimoniis, qui, prout se offert occasio, applicant ad varia: vt præterea Hieronymus[d], *ne abstineas à cibis, quos Deus creauit ad vtendum*[e], *ne condemnes nuptias, ne sis iustus*[f] *multum: aut ne luxuria te tradas & libidini.* item[g]; *ne sis vel parcus, tibimet etiam ipsi non tribuens quod necesse est; neque comedas substantiam tuam cum meretricibus, dicásve: Comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Porrò in partem neutram declinare est rectà via incedere; viámque dirigere seu parare, ac rectas facere semitas[h]. Clemens[i] Romanus; *caue*, ait, *ne quis te à pietate in errorem abducat: ne ab ea declines siue ad dextram, siue ad sinistram, vt in omnibus quæcumque feceris, sis intelligens: non enim impius eris, nisi à via recta deflexeris.* Felix[k] Papa III. Zenoni scribit iuxta præsens præceptum media via gradiendo vitandum Nestorium, & Eutychem. Ex alibi dictis repetendum, quando non opponuntur ambo vni medio, dexteram sumi pro bono, pro malo sinistram. Quo pacto vias quæ à dextris sunt nosse, id est, approbare Dominum, Salomon[l] scribit; peruersas esse quæ à sinistris sunt. Priore modo non declinare nec ad dextram, nec ad sinistram, idem est, quod non in alteram partem, vt c. 16.[m] libri nostri eodem sensu habetur: & vtroque loquendi modo citra figuram aliam, significatur, ne quis vel latum vnguem discedat à recta via; ne à via virtutis aberret, sed intra eam fixè ac firmiter consistat, per eámque gradiatur & procedat: ne similis errorum sit, & palantium, de quibus ille[n],

> ——— *Veluti syluis vbi passim*
> *Palantes error, certo de tramite pellit:*
> *Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit.*

Denique apud Esaiam *declinans ad dextram, & esuriens tamen; comedénsque ad sinistram, nec sic saturatus*[o], significat ventri minimè satisfacientem, cruciatum fame, inedia laborantem quo se cumque vertat: idem *ad dextram & ad læuam penetrans*[p], denotat quaqua versum quis inferat sese, vincentem. Consule Delrij nostri adagialia[q], & commentarium Salazar in Prouerbia[r].

Sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis.] Absque particula prima Hebraicè & Chaldaicè (*in omni via*) Græcè (*secundum omnem viam*) quasi legissent LXX. non בְּכָל *bechol*, sed כְּכָל *chechol*, quod facile fuit. Eadem verò adhuc editio Græca sic nectit ista præcedentibus (*non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram secundum omnem viam, quam præcepit Dominus Deus tuus tibi ambulare in ea.*) Vbi est in singulari numero pronomen secundæ personæ pertinens ad populum. Quæuis à viæ legis diuinæ rectitudine deflexio peccatum est; nec proinde peccata æqualia omnia, vt contra Stoicos, alias demonstratum est.

Vt viuatis.] Græcè ὅπως καταπαύσῃ σε, *vt requiem det tibi*, siue *vt requiescere facias te*. Vix viuit, sed vi viuit qui non pacatè tranquilléque viuit: & viuere non infrequenter accipiunt boni auctores Latinæ linguæ pro eo quod est commodè, imò genialiter vitam transigere: Scriptura vitam pro beata, vt alibi[a] docui.

> *Non est viuere, sed valere vita*, ait quidam[b].

item[c],

> ——————— *hoc est*
> *Viuere bis, vita posse priore frui.*

Vt benè sit vobis.] Græcè (*tibi*) sicut priùs. Eadem verò phrasis præcessit versu 29. & valetudini tranquillæve vitæ in priore membro adiungit externa bona.

Et protelentur dies in terra possessionis vestræ.] Vtitur hîc editio Græca pronomine plurali. Magni beneficij loco ducebant Hebræi diu viuere, & quidem in patria: longitudinem dierum assignabant dexteræ Dei, sinistræ diuitias & gloriã[d]: quamuis per priorem intelligant beatitudinem æternæ vitæ; per posteriorem temporalia bona. Sed priscis illis Hebræis temporalis vita longæua promittebatur, in senectute bona mori, in plenitudine dierum, in prouecta ætate[e]; ingredi in abundantia (longi temporis vitæ) in sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore[f] suo: & dicebatur timor Domini apponere dies, anni autem impiorum breuiari[g]; quemadmodum Anastasio Imperatori reuelatum est detrahendos de vita quatuordecim annos, igneque seu fulmine periturum[h]. At satis multa hac de re alibi; quódque à Christi aduentu vita breuior à sanctis viris expetatur, vt dissoluti sint & viuant[i] cum ipso. Quod attinet verò ad verbum protelandi, semel hîc dumtaxat vsurpatum ab Interprete; significat longè propellere, ac eminus iacere, quasi a telo, & porrò, id est, procul: extátque proteli nomen apud Lucillium[k], Lucretium[l], Plinium pro continuatione, tenore, impulsione, incitamento, tractu: & deriuant nonnulli à τῆλε, aut τηλόθι, *longè*, vel à טוּל *tul*, *eminus eiicere*: item cum nomine verbum apud Sisenam[m], Turpilium[n], Terentium[o], Catonem[p], quos citat Nonius, & in iure[q] ciuili, in Cassiano[r], & aliis. Exponit autem Nonius percutere & perturbare; adiugare, (aliàs adiuuare) excludere. Quid si sit à tela, quæ texendo, & fila producendo, conficitur? Notatu autem dignum, compositum huius loci Græcum verbum μακροημερεύσητε, quod habetur etiam cap. sequenti[s]: quod aliter dicitur μακροχρόνιον γενέσθαι[t], aut μακρὰς ποιεῖν ἡμέρας[u]: quod præterea est esse μακρόβιον.

a vers. 71. b vers. 27. c vers. 17. d in Malach. 2. e 1. Tim. 4. 3. f Eccles. 7. 17. g in Esa. 57. h Esa. 40. 3. Matth. 3. 3. Marci 1. 3. Lucæ 3. 4. Ioan. 1. 23. i 7. const. c. 10. k epist. ad Zen. Imp. l Pro. 4. 27. m vers. 18. n Horat. 2. ser. Saty. 3. o c. 9. 20. p c. 54. 3. q tomo 1. adag. 31. r in c. 4. 27.

Viuendi verbum. a in Psalmos non semel. b Martial. lib. 6. epigr. 70. c lib. 10. epig. 23. d Pro. 3. 16. e Gen. 25. 8. 1. Paral. 29. 28. f Iob 5. 26. g Prou. 10. 27. h Sigon. de imper. occid. Cuspin. in vita Theopha. lib. 13. Miscella. Zona. annal. p. 3. Cedren. in Compend. Protelandi verbum. i Philip. 1. 23. k in carm. lib. 6. & 12. l lib. 2. m 3. & 4. hist. n in Lemniis. o in Phormio. p 5. origin. q D. lib. 5. t. 1. l. 2. & C. de sol. Iurisp. l. properandum. r 2. inst. c. 2. s vers. 2. t sup. v. 16. u Iudic. 2. 15.

ARGVMENTVM CAPITIS SEXTI.

QVONIAM priore capite recitatus est Decalogus, iniunctúmque Mosi, vt quando populus ex Deo immediatè audire plura, ob terrores, quos, illo immittente fuerat expertus, detrectabat; generaliter hîc admonet Moses, vt quo meliùs vel iam tradita præcepta, vel quæ tradentur seruari queant, ea sibi maximè commendata existimet: nec vllo vnquam siue tempore, siue loco, quidquid demum agat, de memoria deponat: ac præmio quidem promissæ terræ moueatur; studeat verò in primis Deum, quem vnicum agnoscat, credat, colat quàm perfectissimè fieri possit, diligere: posteris quoque maiorem in modum commendare. Habetur in isto capite præclarum illud de Deo ex caritate sincera & exacta diligendo præceptum: quod Christus maximum & primum appellauit[a]: & idem affirmante legisperito approbauit[b]; simul cum alio mandato, vt quod simile sit priori; vt quis proximum diligat sicut seipsum: quod etiam Christus sponte adiunxit: & idem ille legisperitus. Christus præterea vniuersam legem & prophetas in iis pendere, vt media scilicet à fine, vt conclusiones à principiis. has Abulensis vocat hoc loco[c] communes in practicis animi conceptiones, maximas, principia; quoniam teste Apostolo[d], perfectio ac plenitudo legis est caritas; seu dilectio. Lex in vno hoc verbo instauratur; finis præcepti, vinculúmque perfectionis, caritas est; qui proximum diligit, legem impleuit. Gregorij[e] quoque trita sententia; omne mandatum de sola dilectione esse; omnia vnum præceptum esse; multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Scribit item[f] Augustinus omnia quæ præcipit aut docet Scriptura, ad nutriendam & corroborandam caritatem, & ad vincendam, & extinguendam cupiditatem valere; totámque magnitudinem, & amplitudinem diuinorum eloquiorum possideri à caritate, qua Deum proximúmque diligimus. Ait item[g] quamcumque quis paginam interroget, hoc responsarum, nempe caritatem præcepti finem. De Dei amore agetur suo loco propriè in isto capite.

a Matt. 22. 38. 40. Mar. 12. 29.
b Luc. 10. 28.
c quæst. 1.
d Rom. 13. 9. 10. Gal. 5. 14. Colos. 3. 14. 1. Tim. 1. 5.
e homil. 40. in Euang.
f 3. de doctr. c. 10.
g in Psal. 102.

CAPVT SEXTVM.

1. HÆc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, & faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possidendam:

2. Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui.

3. Audi Israël, & obserua vt facias quæ præcepit tibi Dominus, & benè sit tibi, & multiplicetis ampliùs, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem.

4. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.

5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7. Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos,

9. Scribésque ea in limine & ostiis domus tuæ.

10. Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non ædificasti,

11. Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & olueta, quæ non plantasti,

12. Et comederis, & saturatus fueris:

13. Caue diligēter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de Terra Aegypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.

14. Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu vestro sunt:

15. Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.

16. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.

17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & ceremonias, quas præcepit tibi:

18. Et fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis.

19. Vt deleret omnes inimicos tuos coram te; sicut locutus est.

20. Cùmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

21. Dices ei: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti:

22. Fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro.

23. Et eduxit nos inde, vt introductis daret Terram, super qua iurauit patribus nostris.

24. Præcepitque nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie.

25. Eritque nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis.

Vers. 1.] Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, & faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possidendam:

PARAPHR. Crebrò ac multis modis, eodē tamen ferè semper sensu, inculcat Moses; iam approbante ac postulante populo cōstitutus medius ac sequester eius apud Deum, & à Deo edoctus quid ad populum referret, Dei eiusdem sibi traditorum, pro populo cuiusuis generis præceptorum moralium, ceremonialium, iudicialium, diligentem accuratámque obseruationem saltem pro tempore in quo iam esset ingressus promissam terram: quantum ad iudicialia & ceremonialia ferè omnia, vt sæpiùs admonui, repetitque Abulensis [a]; & hoc proinde loco breuiores erimus.

a quæst. 2.

Explanatio. *Hæc sunt præcepta*, &c.] De præceptorum, ceremoniarum, iudiciorum vocabulis iuxta editiones omnes repete alibi annotata. Habetur verò in editionibus aliis initio particula (*&*, ו *ve*, *καὶ*.) Leonardus Marius poni vult vel omnia pro eodem: vel pro iis, quæ sunt iuris naturalis siue in sacris, siue in ciuilibus, quæ iuris positiui in sacris; quæ iuris positiui in ciuilibus. Oleaster pro iis quæ vt plurimum ore traduntur, quæ scribuntur aut arctant; quibus inter homines controuersiæ diriment.

Quæ mandauit.] Verti potuit (*præcepit*) conueniens cum primo nomine (*præcepta*,) sicut se habent מִצְוָה *mitsuah*, & צִוָּה *tsiuuah*, ἐντολή *thaphkedtha*, & פָּקַד *pakzed*, ἐντολαὶ & ἐνετείλατο: quamuis inter illa nomina discrimen sit; & mandandi præcipiendive commune omnibus verbum.

Mandandi verbum.

Dominus Deus vester.] Græcè *noster*, ἡμῶν, quemadmodum & sequenti versu: quæ permutatio primæ literæ η & υ facilè à Scriptoribus fit: cùm alioqui editio nostra non discrepet ab Hebræa & Chaldæa אֱלֹהֵיכֶם *elohechem*, & אֱלָהֲכוֹן *elahachon*. Pronomen secundæ personæ reddit magis proprium populo beneficium, in cuius gratiam Dominus, iuxta eiusdem quoque petitionem, per Mosem loquebatur: pronomen primæ conciliat maiorem beneuolentiam ob communionem cum eodem Domino, iisdémque præceptis.

Vt docerem vos.] Habebat Moses potestatem quoque quædam præcipiendi, non solùm docendi: sed quæ dictauerat Deus immediatè, non tam præcipiebat, quàm docebat. Nihilominus quoad illa etiam præcepta, quæ Mosi tradita fuerant à Deo, dicitur nonnumquam Moses præcepisse, non tantùm dixisse, aut scripsisse [b]; & lex Moysi [c] appellatur, quia per illum data [d], & illi locutus est Deus [e]. Eadem phrasi vsum vidimus [f] antea Mosem non semel de seipso.

Et faciatis ea.] In Bibliis Complutēsibus, & Regiis (*vt faciatis*) quod etiam magis consentaneū est reliquis editionibus לַעֲשׂוֹת *laghasoth*, לְעַבְדָא *lemebbad* ποιεῖν: & pro ea (*ea*) *sic*, οὕτως; vel prout polliciti estis, rogantes vt loquerer ego, non Dominus: vel perinde ac proponuntur absque vlla exceptione. *Sciens & non faciens multis vapulabit* [g]: *beatus qui sciens facit* [h]: *Memores esse oportet mandatorum Dei ad faciendum ea* [i]; eiusque loci consule commentarium nostrum, & aliorum similium locorum.

Transgredimini.] Transitum denotant participia עֹבְרִים *hhouerim*, & עָבְרִין *hhourin*: Iordanis nempe, quem transire debebant in Chanaan tendentes. Vbi, quemadmodum dixi, ceremonialia & iudicialia præcepta seruanda erant.

b Matth. 8. 4. c. 19. 7. c. 22. 24 Marci 1. 44. c. 7. 10. c. 10. 3. c. 12. 19. Luc. 5. 14. c. 20. 28. Ioan. 5. 45. c. 7. 23. & 8. 5.
c Luc. 2. 22. cap. 24. 44. Actuū 13. 38. c. 15. 5. c. 28. 23. 1. Corint. 9. 9. Hebr. 9. 19. c. 10. 28.
d Ioan. 1. 17. c. 7. 19. 22.
e Ioā. 9. 29. Act. 7. 44.
f c. 4. 2. 5. 14.
g Lucæ 12. 47.
h Ioan. 13. 17.
i Ps. 102. 18.

Vers. 2.] Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui.

Hic

PARAPHR.

Hic doctrinæ ſcopus, & ad hoc legis ac præceptorum Dei referri notitia debet, atque conſiſtit in hoc, facere quæ docentur de his, vt timeatur Deus, vtque poſteri eumdem timeant, ac impleant quamdiu vixerint, cuncta quæ præcipiuntur; ſperantes longius vitæ præſentis ſpatium ab eodem Deo; qui tale præmium, vt gratum & optatum, rudi illi populo proponere ſolet; quemadmodum iam aliquoties animaduertimus.

Explicatio.

Vt timeas Dominum Deum tuum.] In texto Græco pluraliter, & cum primæ perſonæ pronomine (*vt timeatis Dominum Deum noſtrum*, ἵνα φοβῆσθε κύριον τὸν θεὸν ἡμῶν) licèt in emendatis ſit (ὑμῶν *veſtrum.*) Timore comprehendi ſolet omnis cultus Dei, vt omnis Scriptura teſtatur, & nos crebriùs notauimus.

Et cuſtodias omnia mandata & præcepta eius.] Hebraicè & Chaldaice (*ad cuſtodiendum*) Græcè *cuſtodietis*, φυλάξεσθε: aut in Complutenſibus ac Regiis bibliis, *cuſtodite* φυλάσσεσθε. Nomina verò Hebræa ſunt חקת *chukkoth*, & מצות *mitſuoth*, Græca, δικαιώματα & ἐντολάς: præter quæ priore verſu erant etiam משפטים *miſpatim*, & κρίματα: Latinè pro primo Hebræo, & primo Græco, *ceremoniæ*: pro ſecundo Græco, & Hebræo, *præcepta*. Per mandata חקת *chukkoth*, & δικαιώματα intelligi poſſunt tam ceremonialia, quàm iudicialia; etiamſi poſtrema propriè dicantur משפטים *miſpatim*, & δικαιώματα: per præcepta, moralia, non tantùm in Decalogo contenta, verùm etiam ex iiſdem collecta.

Quæ ego præcipio tibi.] Additur Græcè (*hodie*, σήμερον.) Præcedente verſu docere ſe dixerat: nunc etiam præcipere; quoniam præceptoris quoque præditus erat ac legiſlatoris & principis auctoritate, non ſolùm Doctoris. Eius verò qui præeſt munus eſt partim docere, ſeu prædicare, hortari, ſiue obſecrare, arguere, increpare [a], partim præcipere, & quidem cum omni imperio [b], ſi opus ſit. Hæc facere Timotheum ac Titum Paulus [c] admonuit: & priori ſcribens [d] vtrumque coniunxit; *præcipe hæc, & doce*. Quæ ſpectant ad euitationem vitiorum, ac executionem diuinæ legis, aut etiam poſitiuæ, præceptis vtendum eſt; quæ ad opera vt vocant ſupererogationis, perfectionis, conſilij, doctrina, vel exhortatione: illis qui peccant ex ſcientia, aut quæ ſcire deberent ac poſſent, præcipiendum eſt; eos qui ex ignorantia, oportet docere. Ridiculus ergo ſit, inquit Chryſoſtomus [e], & cum ipſo Theophylactus, & OEcumenius, qui ordine peruerſo mallet imperare vbi docere neceſſe ſit, aut ſufficiat; vel docere, vbi vti præcepto conueniat. Primaſius autem præceptum refert ad id quod fieri debeat; doctrinam ad modum quo fiat, & ad finem propter quem fiat. Idem Apoſtolus exigit à Timotheo [f] vt viduis, iis maximè, quæ in eccleſiaſticarũ catalogo cenſerentur, præcipiat irreprehenſibiles eſſe, deliciiſque non vacare. Vult etiam diuitibus huius ſæculi præcipi non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarũ [g]. Nam & deliciæ & opes reddere ſolẽt homines tum ad vitia quæque proniores; tum ad obediendum diuinis præceptis duriores. Ob hanc animi duritiem peruicaciamque arguendos, docendóſve Cretenſes dicebat Paolus [h] cum omni imperio, vbi non prodeſſet ſimpliciter loqui, aut exhortari. Quamuis Gregorius [i] cum imperio docere interpretetur, qui priùs agat quàm dicat; atque ſic docuiſſe Chriſtum, ſicut poteſtatem habentẽ, non ſicut Scribas & Phariſæos [k]. Denique Timotheo præcepit [l] coram Deo, & cum obteſta-

a 2. Tim. 4. 2.
b Tit. 2. 15.
c cap. 2.
d 1. Tim. 4. 11
e ibidem.
f cap. 5. 7.
g cap. 6. 17. [illegible]
h [illegible] 15.
i 25. moral. c. [illegible]
k Matth. 7. 29. Marc. 1. 22. Luc. 4. 32. 36.
l 1. Tim. 6. 13.

A

tione, ſeu obſecratione aut adiuratione; quia maximi momenti eſt munus epiſcopale, vtque ſanam, puram, ſinceram doctrinam, ac fidei dogmata; vitam, diſciplinam, mores pietatis Chriſtianæ diligentiſſimè Epiſcopus tueatur, curet, promoueat. Etſi verò præcipere interdum (quod propriè eſt antè capere, præuenire, præoccupare) ſit dumtaxat idem quod inſtruere, monere, docere, præceptórque idem qui artium magiſter, inſtitutor, doctor, huiúſque placita vocentur præcepta, ſiue præceptiones; præterea licèt Pauli citatum poſtremum locum, vbi eſt παραγγέλλω, legat, *denuncio*, Tertullianus [a], & Auguſtinus [b], *teſtificor*, tamen retinet hìc vim iubendi ac imperandi; egebátque populus Hebræus voluptati ac deliciis deditus, duræque ceruicis [c] iuſſione, imperio, obligante præcepto. Id valet hoc loco ἐντέλλομαι, מצוה *metſaueh*, מפקד *mephakked*.

Præcipiendi verbum.

a de præſcr. c. 25.
b 3. cont. Maximin. c. 11.
c Exo. 32. 9. c. 33. 3. 5. c. 34. 9. Deut. 9. 6. 13. c. 10. 16. c. 31. 27. Eſa. 48. 4. Iere. 7. 26. c. 17. 23. c. 19. 15. Baruch. 2. 30. Act. 7. 51.

B

Et filius, ac nepotibus tuis.] Pendent hæc in reliquis editionibus ab his quæ præcedunt hoc pacto (*vt timeas Dominum Deum tuum ad cuſtodiendum, &c. quæ ego præcipio tibi, tu & filius tuus, & filius filij tui.*) Vel Græcè (*vt timeatis Dominũ Deum veſtrum.*) Deinde facto nouo membro (*cuſtodite*, aut *cuſtodietis*, φυλάσσεσθε, aut φυλάξεσθε) vt antea retuli, *omnes iuſtificationes eius, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, tu & filij tui, & filij filiorum tuorum.*) De nepotibus, qui dicuntur filij filiorum, dictum eſt c. 4. [d] Obligare lex poteſt non ſolùm præſentes, ſed futuros etiam ac poſteros, ſiue illam ferat Deus, ſiue homo pro poteſtate quam habet à Deo: & quia homines inter ſe ad id obligare ſe poſſunt, atque alios poſt ſe, præſertim quando eum tali conditione peruenit ad illos hæreditas, aut priuilegium. Obligati ſunt poſteri, ait Hugo, quia habuerunt terram hoc intuitu patribus datam: ſicut nos obligamur ad decimas, quia habemus terram, ad quas obligauerunt nos patres noſtri, & neceſſe habemus eas ſoluere, ſi cum eis æternam hæreditatem habere volumus. Intellige, niſi conceſſa deinde ſit immunitas.

C

d verſ. 9. 25.

Vt prolongentur dies tui.] Videtur in editionibus reliquis redundare initio iſtius membri (*&*) Idem eſt *prolongari*, quod in priore [e] capite *protelari*. Eadem verò phraſis extat apud Eccleſiaſtẽ [f], qui imprecatur impio, ne ſit bonum ei, nec prolongentur dies eius; ſed quaſi vmbra tranſeant qui non timent faciem Domini: (quam vitæ breuitatem magni loco mali ducebant Hebræi, vt boni, longitudinem.) Dauid [g] autem deplorabat prolongatum incolatum ſuum, quia ærumnoſus erat. Conſtitutos à Deo terminos vitę prętetire nęmo poteſt: nihilominus prouidet Deus, ac etiam ordinat vt breuior ſit vita, quæ alioqui longior futura erat, ſi quis mandata ipſius obſeruaſſet: viri namque ſanguinum non dimidiant dies ſuos [h]; & moriuntur in tempore non ſuo [i]. Qua de re actum aliàs.

D

e verſ. 33.
f cap. 8. 13.
g Pſ. 119. 5.
Vitæ longitudo & breuitas.
h Pſal. 54. 24.
i Eccle. 7. 18.

E

Verſ. 3.] Audi Iſraël, & obſerua vt facias quæ præcepit tibi Dominus, & benè ſit tibi, & multipliceris ampliùs, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem.

PARAPHR.

Repetit commendationem obſeruandæ legis atque præceptorum ſpe ac promiſſione bonorum temporalium, propagandi generis, ac latè in terra Chanaan habitandi, quæ terra vberrimos proferat fructus; quemadmodũ pridem pollicitus

est Deus, non solùm patriarchis Abraham, Isaac, Iacob, verùm etiam illis, qui ex Ægypto liberati, eiusdem terræ feracissimæ optimæque possessionem inissent, nisi se in deserto tam malè cum Deo & ingratè gessissent, proptereaque vel ab inuito alioqui clementissimo mortis quodammodo supplicium, qua perierunt ab annis viginti & supra viri ferè omnes, extorsissent.

Audi Israel.] Præponitur in editionibus aliis (*&*) quæ particula nisi redundet, exponi potest (*ergo.*) Imperatur autem attentio, & obedientia, animi ad obediendum applicatio; eorum quæ præcipiuntur attenta consideratio, vt mandati executioni queant. Initio capitis 4. eadem attentio exigitur, & hoc ipso cap. paulo [a] pòst, & aliis locis eiusdem libri [b] nostri. Forsitan Moses propinquus morti studuit hac dicendi sæpiùs iterata formula magis infigere mentibus Hebræorum quæ scite ipsos maximè referre iudicabat. Nec enim sic locutus legitur in aliis libris vel Exodi, vel Leuitici, vel Numerorum. Christus [c], & in Apocalypsi [d] Ioannes, ad audiendum inuitant eos qui se aures habere aduertunt; vt omittam Dauidem [e], Salomonem [f], prophetas [g], auctorem [h] Sapientiæ, & Ecclesiastici [i]. Velocem te Iacobus [k] esse vult ad audiendum; ipseméque vt audiamus adhortatur [l]. Denique auditus sensus disciplinæ, & fides ex auditu [m]; de qua fide Hugo hoc loco vult agi, quoniam de dilectione mox agetur, quæ pendet ex illa; & fidei initium agglutinandum est ei [n]. Ambrosius [o] notat non hic dici (*loquere*) sed (*audi*;) ideóque lapsam Euam, quia locuta est vito quod non audierat à Domino suo [p]. Gaudentius [q] Brixiensis explicat audire de obedientia quam populus Hebræus post Ægyptia portenta disceret tanquam ducem seruandorum cælestium mandatorum; nec perfunctoriam auditionem esse quæ bonorum terræ fluentis lac & mel præmiis bunoraretur.

Et obserua vt facias quæ præcepit tibi Dominus.] Quatuor vltimæ dictiones sunt Interpretis: & satis ex præcedentibus poterant intelligi, etiamsi non adderentur, vbi mentio est de mandatis & præceptis quæ Moses præcipere se dicebat, nimirum nomine Domini.

Et benè sit tibi.] Sæpiùs id repetitur hoc libro [r], vt vidimus, & adhuc postea videbimus, tum istomet capite [s], tum aliis [t]; præterea alibi [u]: & benè alicui esse, est idem, ac benè, feliciterque agere seu viuere, benè cum aliquo agi, prospera ei cuncta esse, &c. Sic quodam Psalmo [x] ista iunguntur, *beatus es, & benè tibi erit.* Apud Esaiam [y], *Dicite iusto, quoniam benè; quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Vbi Græcè est δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι, *alligemus iustum, quoniam inutilis* (ex Hieronymo [z] etiam *iniucundus*) *est nobis.* τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται: *itaque fructus operum suorum comedent.* Sed legerunt L X X. non אמרו *imru*, sed אסרו *isru*, vel אסרו *isru*, ob similitudinẽ inter מ, & ס, & ס. Qua prætermissa varia lectione, quã enarratores expendũt, præsertim Leo Castro: quod ibi extat Hebraicè, & ad verbum transtulit editio nostra, redditur etiã à Chaldæa, *dicite iustis Beati vos, quia fructus operum suorum retribuetur eis.* אמרו לצדיקיא טובין אתון ארי פרי עובדיהון ישתלמון *emaru letsaddikaia tuuebon are pere hhouadehon isthallemun.*

Et multipliceris amplius.] Pluraliter iuxta reliquas editiones (*& vt multiplicemini valde.*) Hugo explicat multiplicationem in filiis, & in aliis bonis; & ampliùs, hoc est, plus quàm adhuc multiplicatus esset: Lyranus in numero & potestate: Abulensis in numero. Vltimus autem obseruat, quamuis excederet numerus sexcenta millia [a]: tamen optasse Mosem ac rogasse, vt adderet Deus ad hunc numerum multa millia [b], impleretúrque diuinum promissum de multiplicatione instar stellarum cæli, & arenæ maris [c]. In voce porrò (*ampliùs*) non est vis illa comparationis quam notauit Hugo; sed idem valet ac valdè, Hebraicè מאד *meod*, Chaldaicè לחדא *lachda*, Græcè σφόδρα. Simile in Scriptura mihi non occurrit exemplum.

Sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi.] Habetur in editionibus aliis (*locutus est.*) Sed ea locutio promissoria fuit, immò & iuratoria simul, facta, vt dixi, tum patriarchis Abraham, Isaac, Iacob; tum illis iterum ac distinctè, qui liberati fuerant de Ægypto, licèt propter ipsorum peccata, mortui essent in deserto viri ætatis à viginti annis & suprà. Pollicitationis seu promissi diuini mentio ingeritur tum ad euentus certitudinem quantum est ex parte illius; tum ad exigendam executionem seu præstationem eius quod populus vicissim promisit; tum ad exprobrandum datæ fidei defectum, propter quem non potuerint in plurimis effectum sortiri Dei promissa.

Terram lacte & melle manantem.] Legendũ censet Caietanus (*in terra manante lacte & melle.*) Quoniam refertur, ait, ad præmia antè dicta: videlicet *vt prolongentur dies tui, vt benè sit tibi, & multiplicaris.* quæ præmia promittuntur nõ absolutè, sed in terra lacte & melle manante. Atqui terra ipsa lacte & melle manans præmium præcipuum erat; deinde in ea diutiùs viuere, & prosperè, & magno numero. Paroemialem porrò locutionem de terra lacte & melle manãte siue fluente dixi aliàs [d], prolatis præterea multis testimoniis, ex quibus adhuc in hoc [e] libro nostro deinceps nonnulla existunt, necnon & de terræ Chanaan vbertate ac fertilitate [f]; vbi [g] inter alia, Franciscum [h] Georgiũ Venetum minimè audiendum duxi, vetantem existimare quòd promiserit Deus terrã vaccino lacte, aut ouino, vel apum melle manantẽ populo electissimo, post tot labores deserti peragrati, post onerosissimam legis obseruantiam, post bella multa in nomine Domini perpetrata. Non est id indignũ Dei liberalitate; simul comprehendendo sub ea dicendi formula res alias ad vbertatem dictã spectantes; vt notatis locis exposui: congruit verò talium bonorũ vel promissio vel concessio & largitio rudi carnalique populo. Admitto nihilominus etiam adumbratas iisdem in rebus corporeis, multò meliores spirituales ac diuinas: de quibus aliàs dicta non repetam: vt nec Absalonis [i] abbatis distinctionẽ de lacte triplici, humanæ naturæ; *mel & lac sub lingua* [k] *tua*, hoc est, diuinitas & humanitas sub carne tua; simplicis doctrinæ; *tanquam paruulis lac dedi vobis potum, non escam* [l]; mundanæ oblectationis; quale id esse vult de quo hic agitur, locisque similibus. Sed quod attinet ad copiam & abundantiam terræ Chanaan, quando Hegesippus [m], Hieronymus [n], aliive secundùm literam negare videntur, vt etiam de Francisco Georgio retuli, aut intelligunt reipsa riuos aut fluuios mellis lactisque non fluere, vt de campis Elysiis fabulati sunt poëtæ: aut quòd Christianis non promittantur

Marginalia (left): a vers. 4. b c. 9. 1 c. 20. 3 c. 27 9. c Matth. 11. 15. c. 13 9 c. 33 43. Marc. 4. 3. 9. 23. 34. c. 7. 14. 16. Luc. 8. 8. cap. 14 35. *Explanatio.* d c. 2. 7. 11. 17. 29. c 3. 6. 13 22. c. 13 9. e Psal. 77. 1. f Prou. 1. 8. c. 4. 1. 10. 20. c. 5. 1. cap. 7. 24. cap. 5. 6. 32. cap. 19. 20. 27. c. 22. 17. c. 23. 19. 22. g Esa. 1. 10. c 6. 9. 10. c. 7. 13. c. 8. 9. c. 28. 14 23. cap. 32. 9. c. 33 13. cap. 34. 1. c. 39. 5. c. 42. 18. 20. c. 44. 1. c. 46. 3. 12. c 47. 8 c 48. 1. 12. 14. 16 c. 49. 1. c. 51. 1. 4. 7. 21. c. 55. 2. 3. c. 66. 5. Iere. 2. 4 c. 5. 21. c 6. 10. 17. 18. 19. c. 7. 2. 23. c 9. 20. c. 10. 1. 2. 3. 4 6. c. 13. 15. c. 17 20. c. 19. 3. c. 20. 36. c. 21. 11. c. 22. 29. c. 26. 13. c. 26. 20. c. 31. 10. c. 34. 4. cap. 35. 20. c. 44. 24. 26 Baruch 3. 9 c. 4. 9 Ezech. 2. 7. 10. 27. c. 6. 3. c. 13. 2. c. 16. 35. c. *Phrasis, benè alicui esse, quid.* 18. 25. c. 20. 47. c. 25. 3. c 34. 7 9 c. 36. 1 4 c. 40. 4 cap. 44. 5. Osee 4 1. c. 5. 1. Ioel. 1. 2. Amos. 3. 1. 13. c. 4. 1. c. 5. 1. cap. 7. 16. cap. 8 4. Miche. 1. 2. c. 3. 1. 9. c. 6. 1. 2. Zach. 3. 8. h cap. 6 2. i c. 6. 24. c. 16. 25. c 31. 26 c. 33. 19. k cap. 1. 19. l cap. 2. 5.

m Rom. 10. 17. n Eccli 25. 16. o 1. de offic. c. 2. p Gen. 3. 12. q tract. 16. r cap. 4. 40. cap. 5 6. 29 33. s vers. 18. 24. t cap. 10. 13. c. 12. 25. 28. c. 15. 16. cap 19. 13. cap. 22. 7. cap 28. 63. u Gene. 12. 13. cap. 40. 14. Num. 11. 18. Ruth 3. 2. 3. Reg 25 24. Ps. 127. 2. Eccli. 1. 13. 19. c. 12. 3. Iere. 7. 23. c. 12. 1. c 22. 15. c. 32. 39. c 38. 20. c. 40. 9. c. 42. 6. c 44. 17. Dan. 3. 30. Ose. 2. 7 1. Machab. 8. 23. x Psal. 127. 2. y c. 3. 10. z ibidem.

Marginalia (right): a Num. 26. 51. b Deut. 1. 10. c Gen. 15. 5. c. 22. 17. c. 26. 4. Exo. 32. 13. *Amplius, pro valdè.* d Leuit. 20. 24 Num. 13. 25. c. 14. 8. c. 16. 13. 14. e c. 11. 9. c. 26. 9. 15. c. 27. 3. c. 31. 20. f sup & in Ps. 4. 5. & in Psal. 80. 8. g in Leuit. 20 24. h harmo. mundi. cantico 1. tom. 7. c. 24. 25. 26. i serm. 25. de purif. B. Virg. k Cant. 4. 11. l 1. Cor. 3. 2. m 3. de excid. Hierosol. c. 6. n epist. 129.

tantur ampliùs talia secundum literam; sed nostra de cælo spes, non de terra sit. Cæterùm post ista verba extant illa alia in editione Græca καὶ ταῦτα τὰ δικαιώματα, καὶ τὰ κρίματα ὅσα ἐνετείλατο Μωυσῆς τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου: *& hæ iustificationes, & iudicia quæcumque præcepit Moyses filiis Israel in deserto, egressis illis de terra Ægypti.* Recitat quoque Mariana noster ex Gothicis codicibus Latinè. *Hæc autem sunt præcepta, & iustitiæ, & iudicia, quæ præcepit Moyses filiis Israel in eremo, cùm exiissent de terra Ægypti.*

Vers. 4.] Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.

Paraphr.

DAturus de Deo diligendo præceptum Moses adeò exactum perfectúmque, vt videbimus, & de amore, qui totus quantus quantus potest esse, circa illum versari debeat; iacit hoc vt necessarium fidei fundamentum, atque necessariam in intellectu dispositionem, quem cæcam sequi voluntatem oportet, vt sibi certò persuadeat intellectus, firmissiméque credat, vnum dumtaxat propriè ac verè Deum esse; nec vllo modo errori adhæreat Gentilium, qui turbam plurium deorum innumerabilem recipiunt; vel nullum prorsus vt athei, agnoscunt. Pluralitatis ac multitudinis tantæ, ita vt, OEnomao teste, (Varroni hoc ipsum tribuitur, præter alios quos incertos vocabant vel ignotos) ad triginta millia excreuerit, causæ placent, quas attingit hoc loco Antonius Fonseca Caietani Scholiastes: vel quia rerum minimarum, quibus numina propria attribuebant, à Deo vero & magno curam submouendam censebant: vel quia cùm primarios quosdam & excellentiores homines, veluti reges & similés, cælo receptos crederent, ibique à Deo supremo creatos deos, indignum arbitrabantur otiari, sed harum inferiorum rerum inter eosdē ab eodem administrationem distributam: vel quia existimantes Deum nihil aliud esse, quàm prodesse hominibus, iuxta parœmiam, *Homo homini Deus*; vndecumque prouenire vtilitas, etiamsi brutæ animantes forent, etiamsi res inanimatæ, etiamsi turpes ac inhonestæ; etiamsi malæ, ne nocerent; iis diuinitatem impertiebant: vel quia huiusce tanti honoris percipiendi spe, aut dum adhuc viuerent, aut saltem post mortem, arbitrabantur facilè applicaturos homines animum ad fortia quæque & egregia pro republica patranda. Pleni sunt hoc de argumento libri tum Gentilium, tum Christianorum, quibus vanitas falsitásque dictæ superstitionis demonstratur & conuincitur. Atque ex priorum etiam numero sapientiores Socrates, Plato, Aristoteles, Varro, Seneca, quæ vulgò credebantur colebantúrque vt numina, tanquam legibus iussa, quemadmodum de Seneca refert Augustinus [a]; admittenda sentiebant, non tanquam iis grata: omnem ignobilem deorum turbam, quam longo æuo longa superstitio congessisset, sic adorandam, vt meminissent cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Denique colebant, ait idem Pater, quod arguebant, quod culpabant adorabant. Idem testatur nominatim de Cicerone Lactantius [b]: Lactantiique magister Arnobius [c], mussitasse scribit indignátor, & dixisse ex Gentilibus nōnullos oportere statui per Senatum, vt abolerentur scripta Ciceronis (de natura deorum præcipuè) quibus Christiana religio comprobetur, & vetustatis opprimatur auctoritas. Permitto Philosophis Theologi que vt esse constituant Deum, & quidē vnicum: ac posterioribus quidē præterea vtrùm scisse sit satis, an diuina quoque fide credere oporteat eum, qui demonstret. In Niceno quidem symbolo profitetur quisque se credere in vnū Deum: licèt in Apostolico vnius epithetum appositum non sit. Optima ratio Damasceni [a] εἰ θεοὶ πολλοί, διαφορὰ ἐν τοῖς πολλοῖς ἐστι. εἰ γὰρ οὐδεμία διαφορά, εἷς ἐστι. εἰ διαφορά, ποῦ ἡ τελειότης; *si multi dii, differentia in multis est. Si enim nulla differentia, vnus est: si differentia, vbi perfectio?* ἣ; γὰρ πάντα ταυτότης, *vbi autem est identitas per omnia, vnum est.* Lege præ cæteris opus Eugubini de perēni philosophia, quod attinet ad veram Ethnicorum de re proposita sententiam; quod spectat verò ad falsam, disputationes Patrum contra eosdem; tum etiā quæ de diis eorumdem scripsit Lylius Giraldus, atque Natalis Comes in mythologicis. Tradit prior [b] à Melisso & aliis appellatum Deum τὸ ἕν, *ipsum vnum*, siue vnitatem: quod fusiùs apud Plutarchum [c] declaratur. Idem sibi vult אחד *echad*, quod hoc loco pro vno est, dicitúrque in Iob [d], & Esaia [e] Deum significare; *formauit me in vulua vnus: mundos se putabant in hortis post ianuam*, Hebraicè אחד *achad*. Vnde & apud Syros Dei nomen est Ahad, apud Assyrios Adad, teste Macrobio [f]. Mahometani ipsi in suo quasi symbolo profitentur non esse Deum nisi vnum, & Mahomet Apostolum eius: vt Iudæi omittantur, qui etiam in suo, quod constat articulis tredecim, secundum ponunt de vno Deo, vt hoc loco mēminit Oleaster. R. verò Kimhi explanans illud ex Psalmo [g] 118. *Principium verborum tuorum veritas*, ait hoc principium verbis his nostris contineri, quibus nihil vnquam verius prodiderit Scriptura; vnde Decalogū Deus exorsus est. Cæterùm Petrus [h] Galatinus refert veteres Rabbinos ex præsenti hoc loco nostro Trinitatis mysterium collegisse, quòd ter nomen Deus ponatur (ponendum enim contendit toties, non verò semel nomen *Dominus*) & nomen (*vnus.*) Obseruat etiam pronomen (*noster*) poni secundo loco, ad Incarnationem designandam, quæ in persona secunda facta est; quemadmodum & in illis verbis Psalmi 66. postremis; *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Addit pro mysterio eodem tritū Esaiæ [i] locum, vbi ter sanctus nominatur, eiusdémque gloria plena dicitur omnis terra. Postremò meminit veteres Thalmodistas huius arcani nō ignaros statuisse, vt tum recitata Esaiæ verba, tum hæc nostra saltē bis in die ab vnoquoque Iudæorum, scilicet manè ac vespere proferrentur: vt dum Iudæi ipsi hæc eadem verba, inquit Galatinus, ore pronunciant, & diuinarum personarum trinitatem, & diuinæ essentiæ vnitatem, sicut verba illa designant, ita se corde quoque credere protestentur. In catalogo Hebræo affirmatiuorum præceptorum, 2. 18. ac. 22. 23. est id quod hîc habetur: & in 18. vt bis in die recitetur, & quidem vesperi contra nocentes dæmones; cum autem legitur oculos mouendos non esse; in nominis אחד *echad litera* prima א *aleph* non standum; sed ד *daleth*, prolixè proferendum, cùm Deum vbique regnare designet: non in loco vbi stercus aut lotium est, sed ad minus quatuor cubitis longè, ac ita vt nec videri possit: eodem spatio distandum à sepulchro, vel à cadauere: si stercus induratum sit instar testæ, & vrina sic absorpta vt nec vestigium appareat, posse ibidem legi. Ex quibus licèt superstitione admixtis, discitur quā-ti

Marginal notes (left): a 4. de ciu. c. ... — b lib. ... c. ... — c lib. ... contra Gent.

Marginal notes (right): a lib. 1. — b lib. 3. c. 7. — c lib. de ... — d c. 31. 15. — e c. 66. 17. — f lib. 1. c. 23. — g vers. 160. — h lib. 2. c. 4. — i cap. 6. 3.

fieri debeat huius veritatis de vno Deo professio. Sed & Carolus Magnus [a] præcipit vt prædiceret hoc primum præceptum populo his ipsis verbis quæ hic extant. Eugubinus in commentario huius loci, quem Theodoretus [b], Glossæ, Hugo, Burgensis, Rickelius de Trinitatis explicant mysterio; præterea idem Theodoretus [c] alibi, Augustinus [d] (hic ait id voce clarissima Scripturam diuinam hoc loco dicere) Idacius [e], Nyssenus [f], Pelusiota [g], Euthymius [h], Arnobius [i] Romanus iunior, Hormisda [k] Papa: item ex Scholasticis noster Vasquez [l] & alij: adhæc Hector [m] Pintus, Ludouicus [n] Soromaior, Gilbertus [o] Genebrardus, & plures; admittit immeritò R. Mosis, quem cognominat rabiosum, acerbiorem reprehensionem aduersùs eiusmodi expositionem. Addit verò potuisse quidem esse, vt aliquis insulsior è nostris id Iudæo illi dixerit; & imperitos vocat qui colligant ex talibus locis Trinitatem, & ludibrio exponant nos oculatis Iudæis. Tandem dici docet hîc Dominum Deum, eo quòd semper in diuinis literis Deus his duobus nominibus simul coniunctis soleat nuncupari Elohim & Iehouah; quorum istud essentiam diuinam significet, illud fortitudinem. Fateor & hunc nostrum, & similes locos, non planè conuincere: & ab aliis istum produci, ad probandam solam vnitatem Dei; vt à Clemente [p] Romano, Athanasio [q], Chrysostomo [r], Hilario [f], Ambrosio [t], Augustino [u], Nouatiano [x], Hormisda [y] Papa, Felice [z] Papa, Cyrillo [aa] Alexandrino, Damasceno [bb], Aquinate [cc], Carolo Magno [dd]: ex quibus Clemens [ee] naturalem ait de hoc notitiam esse; Chrysostomus [ff], quòd Iudæi non tenebantur ad fidem Christi (explicitam videlicet,) idque illis propositum, postquam vitulum adorauerunt; Hilarius [gg] propter eosdem Iudæos in Ægypto, & in deserto idolis & deorum (vt putabant) religionibus occupatos. Cyrillus [hh] Alex. quoniam tunc sufficiebat à multorum cultu deorum ad vnum homines euocari. Ob simile periculum idololatriæ notat Galatinus [ii] mysterium Trinitatis minùs apertè traditum in vetere Testamento: sed vt Rabbini quoque veteres, quos citat, docuerunt, reseruatam clariorem cognitionem in tempora Messiæ. Præterea concedo nonnullos de Patre propriè interpretatos, vt Ignatium [kk], Irenæum [ll], Cyprianum [mm]. Immò Irenæus [nn] quando Christus hæc ipsa verba recitauit [oo], de Patre intellexisse scribit; nō quòd, vt Irenæi mouit Scholiastes Franciscus Feuardentius, vellet sibi ac Spiritui sancto idem non competere; quia vt de vnaquaque persona singillatim dicitur, inquit Augustinus [pp], Pater Deus vnus est, Filius Deus vnus est, Spiritus sanctus Deus vnus est: ita & de tribus coniunctim, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus Deus vnus est; & vnus [qq] est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est, ipsa Trinitas vnus est Deus, de quo dictum est, quia nullus est Deus, nisi vnus, qui dixit (per Moysem) *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Denique docet [rr] idem Pater eo modo loquendi, quamuis tribuatur Patri (quod contendebant Ariani soli illi tribui posse,) non excludi Filium, & Spiritum sanctum. Atque idem iudicium est etiam cùm dicitur Pater solus verus [ff] Deus; nimirum ad distinctionem falsorum deorum, non autem aliarum duarum personarum Filij & Spiritus sancti, quæ cum persona Patris sunt vnus & solus verus Deus, ob τὰ ὁμώνυμα & consubstantialitatē seu vnicam ac eandem omnino trium naturam. Canon hic tritus est, ac nominatim a Chrysostomo [a] expressus; quādo in Scriptura siue veteri, siue noua dicitur vnū esse Deū, & præter eum aliū non esse, non ad distinctionem Filij (adde nec Spiritus sancti) sed ad exclusionem dici idolorum. Quapropter Eugubini acrior sanè reprehensio est; cùm non pauci, nec parum graues auctores, de Trinitate præsentem locum accipiant: & Augustinus ex eo argumentetur aduersus Arianos, saltem argumento vt vocant ad hominem, vt adhuc paulò pòst videbimus. Ambrosij porrò tropologia est, quam citat Glossa ex annotatione in Exodum ad iustum. *Et tu ad similitudinem Domini vnus esto, atque idem. Non hodie sobrius, cras ebriosus; hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens. Mutatur enim vnusquisque morum varietate & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, fit degener.*

Audi Israel.] Priore versu Hebraicè, Chaldaicéque (*& audies*) hîc (*audi:*) Græcè, ἄκουε: ibi ἄκουσον. Futurum seruit imperatiuo: atque huiusmodi est vtrumque Græcum verbum. Quidam codices Hebræi maiusculam literam in fine notant שְׁמַע *ſemaHH*, ad indicandum quanti sit momenti quod hic traditur; & cum quanta cautela literæ singulæ proferendæ; vt priùs quoque monui. Marcus [b] ista cum sequentibus à Christo memorat recitata.

Dominus Deus noster.] Pronomen (*tuus*) habent citati Patres Græci & Latini: & apud Marcum [c] præterea extat Latinè, quamuis Græcè sit ἡμῶν (*noster.*) & Syriacè sit affixum plurale primæ personæ אֱלָהַן *elahan*. Aliqui etiam hoc loco legunt (*vester.*) Hebræa nomina sunt יְהוָה *Iehouah*, & אֱלֹהִים *Elohim*, & Chaldæa his similia; nisi quòd secundum habet formam singularem, nempe אֱלָהָא *eloha*. Græca κύριος ὁ θεός. Galatinus [d] contendit bis reddendum nomen *Deus*, ac tertiò quoque in sequenti membro. Sed ratio ipsius supponit esse ter hoc loco nomen יְהוָה ineffabile, pro quo Hebræi pronunciēt אֲדֹנָי *Adonai*: cùm tamen sit semel אֱלֹהִים *Elohim*. In Psalmo 66. ter habetur nomen *Deus*, & θεὸς, & אֱלֹהִים *Elohim*, tum Hebraicè, tum Chaldaicè; *benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Itaque ex nomine illo ineffabili, quod hîc initio extat, & in sequenti membro, argumenti vis maior non efficitur: cùm ex aliis nominibus æquè idem colligatur, prout Deo soli tribuuntur; si quid in huiusmodi repetitionibus momenti concedatur inesse. Arianos confutat Augustinus [e], qui admittentes Christum esse Dominum Deum, negabant absolutè nominandum Deum, vt & Spiritum sanctum nolebant vocari Dominum Deum: immò hunc nostrum locum de solo Patre intelligi contendebant. Nam hîc & alibi asseritur quòd Dominus Deus, vel etiam quòd Dominus vnus tantùm est: cumque constet ipsorummet confessione, Patrem esse verū Deum, nō tantùm Dominum Deum, vel Dominum, sequitur Christo easdē appellationes propriè ac verè conuenire; qui quidem vnus est tantùm Deus cum Patre; quia ὁμοούσιος & consubstantialis, eiusdémque prorsus naturæ cum Ipso, ob ineffabilem coniunctionem deitatis, & summam vnitatem, absque vlla diuersitate naturarum, non solùm propter consensionem voluntatum. Testatur quoque Chrysostomus [f] nonnullos hæreticos (Arianos nempe) dum Filium Patre minorem esse voluit ostendere, inusitata nomina

Marginal notes (left column): a lib. 1. legum c. 6. b quæst. 2. c de curād. Græc. affect. d 3. cōt. Maximin. c. 23. e cōt. Var. f contra Iudæ. g li. 3. epist. 112. h 10 Marci. 12. i 10 constitu catholicā cum Serapione. k ep. 76. ad Iustin. Imp. l 1. p. tom. 2. dis. 105 c. 2. m in Dan. 14. n 10 Cāt. 1. o 5. de Tr. p 6. constit. c. 20. q ora. cont. Gent. & cōt. Aria de Syno. Arim de cōmu. essen. Patr. &c. dial. 1. cont. Maced. r. de Trin. s hom. 81. ad pop. de S. Phoca. & 10. t nouo sect. 2. in id Ap. *habētes autē eundē Spiritum, &c.* & hom. 37. in Matth. f 4. de Trin. t 1. de fide cap. 1. 3. de Spiritu S. cap. 17. u 5. de Tr. c. 11. cōt. ser. Ari. c. 1. ser. 4. de temp. x de Trin apud Tert. y epist. 79. z epist. 3. aa 9. in Ioā. cap 35. bb lib. 1. c. 5. cc in Ioan. 20. lect. 6 & 2. p. q. 11. a. 3. dd lib. 1 legum. c. 6. ee 6. const. c. 23. ff ho. 37. in Matt. & 10. 6. nouo. sect. 2. de verb. Apost. *habentes autē eūdem Spiritum, &c.* gg 4. de Tr. hh 9 10 Ioā. cap 35. ii lib. 2. c. 2. kk epist. ad Philip. ll lib 4. c. 3. lib. 5. c. 22. mm tractat. Dominic. nn lib. 4. c. 2. oo Marci 12. 29. pp 7. de Trin. c. 4. qq 3. contr. Maximi. cap. 10. rr suprà & 5. de Trin. c. 21. ff Ioan. 17. 3.

Marginal notes (right column): a hom. 72. in Matth. Explanat. b c. 12. 29. c supr. d supr. Arianorum error. e 3. contr. Maximin. 10. & [illegible] f hom. 81. ad popu. de S. Phoca.

nomina perquitere, ac Deum quidem Patrem esse, Filium verò Dominum, sicque nomina diuidere. Confutat id ex verbis psalmi *, *voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum deprecatus sum*: quæ cùm, ipsismet concedentibus, conueniant Patri, sequitur quòd Deus est Filius, & Dominus Pater: item ex Paulo *, *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Denique probat non esse nomen *Deus θεὸς*, splendidios seu venerabilius σεμνότερον, quàm *Dominus κύριος*, nec hoc minus ἥττον, quàm illud: citans nescio vnde; *iste Dominus κύριος qui fecit cælum, iste Deus θεὸς qui terram condidit.* Confirmat & ex præsenti loco nostro, vbi primùm est Dominus, deinde Deus, tandem iterum Dominus. Quòd si hoc deterius esset, nimirum *Dominus κύριος*, illud, scilicet *Deus θεὸς*, maius; non de magna, inquit, maiorique substantia vocabulum minus primùm posuisset (Moses) sed maiori dicto, contentus fuisset, neque minus attribuisset. Et quomodo *vnus* (quod est in membro sequenti) si duo sunt nomina, hoc quidem minoris, illud verò substantiæ maioris? Vrget præterea psalmum alium [a], *cognoscant quia nomen tibi Dominus; tu solus altissimus super omnem terram*; vbi si maius & magis est proprium nomen Deus, id vsurpandum fuerat. Affert item ex Baruch [b], *hic est Deus noster, non estimabitur alius ad eum, adinuenit omnem viam scientiæ: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Qui locus de Christo est, cui tribuitur nomen *Deus θεὸς*. Qui attendit ad יְהוָה *Iehouah*, pro quo *Dominus*, & κύριος reddi solet, non ambigit, quia censetur, vt dixi, maximè proprium nomen Dei.

* ps.141.5.
* 1.Cor.8.2.
a ps.82.19.
b c.3.38.

Dominus vnus est.] Repetitur, vt antè dixi, nomen Hebræum ineffabile, & Græcum κύριος. Quod nomen κύριος, cui magis propriè respondet אֲדֹנָי *Adonai*, solitum proferri loco alterius, vt einsdem puncta etiam indicant illi affixa, exprimere solent L X X. quando ipsum occurrit. Idem obseruatur in Testamento nouo, vt scilicet subeat vox κύριος & *Dominus* vicem proprij dicti nominis; & θεὸς ac *Deus* appellatiuè potiùs accipiantur. Vnde quemadmodum dicitur, Petrus est homo, ita, *Dominus* [c] *ipse est Deus*; *Dominus* [d] *est magnus Deus*. Apud Marcum [e], Latinum nomen, *Deus*, est: ac ita ferè citatur à Patribus quos antea nominaui, sed Græcum κύριος Dominum significans, vt in priore membro ante nomen θεὸς: Syriacum vtrobique מָרְיָא *moria* idem valens. Quidam tamen etiam libri Latini habent (*Dominus*) vt notat Lucas [f] Brugensis. Quod adiicit tertiam & vltimam sententiæ huius literam hoc loco scribi maiusculè, equidem non deprehendi; sed tantùm ad verbi שְׁמַע *scemaHH* finem, idest, *audi*; vt præmonui, & in fine postremi nominis אֶחָד *echaD*, hoc est *vnus*: quod item in Rabbinicis commentariis, & in nonnullis Bibliis notatur hoc pacto עין רבתי, & דלת רבתי, idest, *hhain* maiuscula, & *daleth* maiuscula. Dixi quoque antea de nomine eodem Hebræo, prout attribuitur Deo. Origenes [g] autem, cùm hic dicitur Deus vnus, docet non tantùm designari vnum numero, qui supra omnem numerum credendus est; sed potiùs quòd nunquam in aliud vertatur, sicut de Deo Dauid [h] protestatur; *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*; & Malachias [i]; *Ego sum Dominus Deus vester, & non mutor*: Dei esse imitatorem iustum ad eius conditum imaginem, qui cùm in virtutis somma constituerit, non mutatur, sed vnus permanet semper; quoniam dum in sceleribus versatur vnusquisque, per multa diuisus, & in diuersa dispersus, dici non potest vnus. Dei vnitas, simplicitas, perfectio, integritas, & similia, quid impottent considerant Scholastici.

c Deut 4.35
d ps.94.3.
e c.12.29.
f ibidem.
g hom. 20. in ca... libros Regum.
h ... r.
i c.3.6.

Vers. 5.] Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

Ex notitia seu fide, quæ priore versu proponitur, quòd sit Dominus Deus, vnus ac solus Deus Dominúsque, ac proinde perfectissimus, necessariò sequitur, quanto maximo fieri potest amore, à rationali creatura diligendum esse; quoniam in illo quæuis ratio boni, quod est obiectum voluntatis, modo prorsus excellentissimo reperitur. In c.10. [a] & 11. [b] atque in 4.Reg.c.23. [c] repetitur idem præceptum, vt diligatur Dominus Deus, & seruiatur ei in toto corde & anima: in Euangeliis [d] autem, vbi cognominatur magnum mandatum, maximum, primum omnium, vt ea toto corde, anima, mente seu intellectu, virtute seu fortitudine, seu viribus; vel in toto corde, &c. in tota anima & mente, &c. vel ex omnibus viribus, omni mente, &c. Ibidem qui tentando interrogauerat scriba siue legisperitus, laudauit responsum Christi, appellans magistrum, qui benè in veritate dixisset, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum; & vt diligatur ex totò corde, &c. vicissim verò etiam Christus, videns quòd sapienter respondisset, dixit illi; *non es longe à regno* [e] *Dei*. De singulis vocabulis agetur seorsim postea: nec improbabiliter loquuntur hoc loco Cornelius noster, & Leonardus Marius, atque in concordia euangelica Iansenius [f], ac rursus ex nostris Valentia [g], Bellarminus [h], Vasques [i], qui synonymè cuncta sumunt, quia Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus in Matth.c.22. & Ambrosius in c.10. Lucæ, vbi agitur de isto præcepto, nullam distinctionem agnoscunt: variè quoque locis variis eadem sententia habetur; vt designetur per maiorem quamdam emphasim, energiam, exaggerationem, amplificationem, expressionem, inculcationem, amandum Deum verè, sincerè, non fictè, non simulatè; animo affectúque toto, nullam eius quasi partem communicando vlli rei Deo contrariæ, perinde ac si plures haberentur & colerentur dij; (quo pacto Samaritæ cum Deo vero colebant alios [k], quod est diuisum habere cor, vnde necessariò sequatur interitus [l]: igne sacrificare alieno [m]: duobus dominis seruire [n]: cor Deo petenti non præbere [o]: quod tamen literaliter de Salomone attentionem poscenti exponitur;) vt antè dictum est vnicus verus dumtaxat est Deus, finis omnis cogitationis, actionis, amoris nostri. Ad hoc iubemur conari, & conari possumus iuxta prædictum modum comparationis, & finis, necnon appretiationis, quo pluris æstimetur amicitia Dei, & eiusdem amor ex amicitia, quàm cuiuslibet alterius rei. Quod non requirit aut exclusionem alterius amoris, qui Deo subordinetur, nec sit contrarius; aut intensionem; quia per quemcumque talis amoris gradum satisfieri potest præcepto; aut continuationem absque interruptione. Hoc vltimum reseruatur in tempus beatitudinis, vbi & semper, & intensissimè diligetur Deus pro gradibus gratiæ, quam quisque consecutus fuerit: quemadmodum & præceptum de non concupiscendo ibidem perfectè implebitur, vt Augustinus [p] docet;

Paraphr.
a v.12.
b v.13.
c vers.3.
d Matt.22.36.37.38. Marc.12.29.30.33. Lucæ 10.27.
e Marc.12.32.33.34.
f c.81.
g 2.2. disp. 13.q.19. puncto 1.
h de monachis c.13.
i 1.2.disp. 194.n.20.
k 4.Reg.7.17.
l Ose.10.2.
m Leu.10.1.
n Lucæ 16.13. Matth. 6.24.
o Prou.23.26.
p de spiritu & lit.c.vlt. 1. de doctr. c.26.27.28.

nunc pro statu infirmæ naturæ nostræ, & quantum sufficit, vt Deo impossibilia non præcipienti satisfaciamus cum gratia eiusdem: quæ an sit quoque necessaria vt diligatur Deus tanquam auctor naturæ super omnia, nunc non disputo. Omnibus insitum scribit id præceptum naturaliter, Clemens [a] Romanus. Iosias quidem rex reuersus ad Dominum dicitur in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnem legem [b] Moysi: Samuel exegit vt reuerterentur Hebræi ad Dominum ex toto corde [c]: Dauid secutus dicitur Deum in toto corde suo [d], & de omni corde laudauisse Dominum, & dilexisse Deum [e]: & ipse de se ait quòd in toto corde exquisiuit eum, necnon de aliis quod idem fecerint [f], & cap. 4. [g] libri nostri inueniendus scribitur Deus, si tamen in toto corde & tota tribulatione animæ quæsierit: parentes Ioannis incessisse in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela [h]. Dauid rursum fuisse secundùm cor Dei [i]; quod sanè indicat cor cordi Dei siue voluntati cõforme. Iudæi sub Asa rege in omni corde suo iurauisse, & in tota voluntate quæsiuisse Dominum, & inuenisse eum [k]; quærenti à Christo quid faciendo æternam vitam possideret, cùm Christus interrogasset quid in lege scriptum esset, & ille respondisset hoc præceptum, dixit Christus, *hoc fac, & viues* [l]; *sicut qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est; ita qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est* [m]: *& hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt* [n]: rursum Christus, *qui habet*, inquit [o], *mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*: finis præcepti caritas est, plenitudo legis dilectio: impleri ergo cum ea potest. Lege de nostris Bellarminũ [p], & Vasquez [q]: præterea Franciscum [r] Sonnium, & Cornelium [s] Iansenium. Porrò admissa distinctione inter vocabula, Iacobus item noster Aluares, docens in caritate præsertim erga Deum sitam perfectionem [t], & disputans quando istud præceptum obliget, sex diuersas res agnoscit, ac prolixa oratione, pláque declarat: vt sit his modis diligere, affectiones omnes, cogitationes, actiones ad Deum referre, nec aliud in omnibus quàm ipsum vel propter ipsum quærere. Ex toto corde autem explicat [u], idest, ex toto cordis seu voluntatis interno affectu, &, vt Bernardus [x] ait, ex zelo affectionis; ita vt iuxta huius doctrinam, animæ amor, pertineat ad industriam seu iudicium rationis; virtutis, ad animi constantiam & vigorem, vsque ad mortis perpessionem, si sit opus. Mox eleganter omnem cordis physiologiam caritatis perfectioni applicat; quæ consistit in soliditate substantiæ: in calore: in figura pinea, cuius latitudo sursum, cuspis deorsum: in quibusdam partibus sinuosis; in situ nobiliore, qui medius est, tanquam quod cæteris membris præstet, ac præficiatur, & ex quo vita procedat [y]: in perpetuo motu, per compressionem mala expellendo, per dilatationem admittendo bona: in osse ei contiguo ad basim, quo firmius redditur: in quibusdam velut auriculis; in tunica seu membrana qua operitur. Tale cor præberi sibi Deus petit [z]. Deinde dilectionem ex tota anima declarat [aa], hoc est, ex tota vita (quæ notio familiaris est literis diuinis) vt eius actiones omnes dirigantur ad Deum, etiam animales, & quibus ipsa sustentatur; & exponatur ac profundatur, si res ferat, pro Deo; nec viuat sibi quis, sed Domino [bb]; immò viuere eius Christus sit, nec ipse viuat dũ viuit, sed in ipso Christus [cc];

a 5. constit. c. 1.
b 1. Reg. 23. 25.
c 1. Reg. 7. 3.
d 3. Reg. 14. 8.
e Eccli. 47. 10.
f ps. 118. 2. 10.
g v. 29.
h Lucæ 1. 6.
i Actuum 13. 22.
k 2. Paral. 15. 15.
l Lucæ 10. 28.
m 1. Ioan. 2. 4.
n c. 5. 3.
o Ioan. 14. 21.
p 2. de monachis c. 13.
q in 1. 2. q. 109 a. 3.
r demon. rel. Christ. l. 3. tract. 11. c. 5. & seqq.
s concord. euang. c. 8.
t tom. 1. l. p. 1. c. 6 & 7. & p. 2. c. 16. & seqq.
u p. 1. c. 17.
x ser. 20. in Cant.
y Prou. 4. 23.
z c. 23. 26.
aa supra c. 15.
bb Rom. 14. 7.
cc Gal. 2. 20.

cui offeratur vita in holocaustum secundùm eiusdem ritus moraliter sumptos, prout idem Aluares illos enucleat: postremò vt quod corpori anima est, vitam corporalem communicando, id arbitremur Deum esse animæ nostræ, gratiam largiendo. Tertiò ex tota mente, diligi Deum considerat [a], posita differentia inter animam & spiritum [b], húncque pro mente accipiendo, quando rationales eiusdem animæ potentiæ memoria, intellectus, voluntas Deo adhærent, illumque peculiari modo inhabitantem continent, & anima eumdem tanquam templum [c]; quia etsi vbique sit per diuinitatis præsentiam (adde essentiam, potentiam) sed non vbique, inquit Augustinus [d], per habitationis gratiam: atque, vt Bernardus [e], per amorem, & voluntatis concordiam. Quartò dilectio ex omnibus viribus attenditur ab [f] eodem in hoc, vt omnes potentias tum superioris ac rationalis partis, tum animalis ac vegetatiuæ, impendamus in Dei famulatum, necnon dona talentaque omnia nobis collata, vel à nobis acquisita. Quintum, *ex tota virtute* [g], vult denotare nisum, conatum, contentionem, impetum, impulsum iuxta facultatem, vt non remissè, lentè, tepidè, negligenter; sed, vt ipsum virtutis importat nomen, quanta potest vi diligat Deum, ac strenuè, diligenter, feruenter, alacriter, atque vt Aquinas [h] loquitur, experiendo summum potentiæ, & quidem continuando quantum licet, ac magis magísque proficiendo. Vltimum *ex omni fortitudine*; ait esse, si diligat Dominum inter tentationes, tribulationes, tormenta, mortem ipsam; nec tantùm summo conatu ad agendum, quod ad præcedentem spectat conditionem; sed etiam eodem ad sustinendum, vt ab eodem Angelico [i] Doctore obseruatur; nec sit dumtaxat amor inflammatus in non appetendis istis temperans, verum etiam in amittendis fortis, inquit Augustinus [k]; omniaque propter Deum facile perferens [l]; nec quidquam separet à caritate Christi [m], nec aquæ multæ aut flumina valeant extinguere & obruere [n]: & ad similitudinem vrsi, qui ab alueari nec verberibus, nec spinis auelli potest; nulla ægritudine, dolore, molestia separari potest à dulcedine diuinæ voluntatis, & à vera resignatione separari, vt ait Aquinas [o]; tandem quoniam fortis est vt mors dilectio [p]; immò fortior: quia ipsa mortem peccati occidit; eique insultat [q], *O mors ero mors tua*; quin & ipsa mors est, ait Bernardus [r], & seipsa fortior esse non potest; & mors est non vitæ, sed mortis; & si vitam adimit, non perimit; adimens ad tempus, restituẽdam in tempore, duraturam sine tempore. Hæc porrò tria quæ hîc exprimuntur, nempe cor, animam, fortitudinem, Rabanus [s] aptat potentiis animæ humanæ, ac tribus personis Trinitatis; memoriæ & Patri; intellectui & Filio; voluntati & Spiritui sancto, fortitudinem videlicet seu virtutem pro voluntate accipiendo. Nyssenus [t] cor parti sentienti, animam vegetanti, mentem (quæ ponitur alibi) intelligenti. Augustinus [u] cor cogitationi, animam vitæ, mentem siue virtutem intellectui. Bernardus [x], vt antea docui, amorem cordis, zelo affectionis; animæ, industriæ, iudicióve rationis; virtutis, constantiæ siue vigori animi. Aponius [y] cogitationi, verbo, operi, nullum in se officium membrorum vacans relinquendo peccatis, sed exhibendo totum habitaculum mentis Deo. Aquinas [z] referens citatos alios modos voluntati, appetitui, actui externo; ita vt fortitudo, virtus, vires idem valeant, & mentem addendo ex Marco [aa], intellectui. Ambrosius [bb], cor, animam,

mentem,

a supra c. 19.
b Hebr. 4. 12. 1. Thess. 5. 23.
c 1. Cor. 3. 16. 17. 2. ep. 6. 16.
d epist. [illegible]
e hom. 5. super In [illegible] est.
f supra c.
g c. 24.
h opusc. 61. c. 23.
i supra
k de moribus Eccle. c. 22.
l de moribus Manichæ. c. 15.
m Rom. 8. de quo loco August. de morib. Eccles. c. 11.
n Cant. 8. 7.
o opusc. 61. c. 24.
p Cant. 8. 6.
q Os. 13. 14.
r epist. 42.
s hoc loco.
t de creatione hominis.
u 1. de doct. c. 22.
x serm. 20. in Cant.
y 2. in Cantica.
z 2. 2. q. 44. a. 5.
aa c. 12.
bb de dignit. hum. cond.

mentem, intellectui, voluntati, memoriæ, cum applicatione ad personas Trinitatis. Beda [a] cor parti qua corpus animarum; animam, qua intelligitur super omnem creaturam; fortitudinem corpori; & de his tribus præcipi, quoniam tres habitationes Hebræi habuerunt in Ægypto, eremo, terra promissionis. Item cor & animam vni ac eidem rei, idest, animæ; fortitudinem corpori. Adam [b] de Persenia triplici modo, quo datus est Spiritus sanctus in columbæ specie, in insufflatione, in igneis linguis. Balduinus [c], monens tanta huius præcepti inculcatione indicari duritiam cordis nostri, & quòd mandat Deus mandata sua (sed hoc in primis) custodiri nimis [d], & quòd amor mundi totos nos occupauerat, ait deberi amorem cordis, ob beneficia Dei; animæ, ob eiusdem promissa; virium, ob iudicia; mentis, ob præcepta. Bonauentura [e] cum Augustino [f], cor ad intellectum applicat, ne sit error; ad voluntatem animam, ne contradictio; memoriam ad mentem, ne obliuio; vel ad partem rationalem, concupiscibilem, irascibilem cum Bernardo [g]; vt sapienter ametur Deus, dulciter, fortiter; vt non seducamur fallaciis, non abducamur blanditiis, non frangamur iniuriis. Docet autem quod hîc legitur (*ex tota fortitudine*) apud Matthæum legi (*ex tota mente*,) quoniam irascibilis & memoria conformantur in actu. Antoninus [h] cor sumit pro voluntate, animam pro intellectu, mentem pro memoria. Franciscus [i] Assisias diligendum docet Deum ex toto corde, semper illum cogitando; ex tota anima, semper desiderando; & tota mente, omnes intentiones ad eum dirigendo, ac honorem illius in omnibus quærendo; ex omnibus viribus, sensus animæ & corporis in obsequium eiusdem, non in alio exponendo. Tantam vim habuit auditum semel cùm legeretur, hoc præceptum vt Simeonem Stylitem adhuc tredecim annorum [k] conuerterit, & alium prætere, qui ex schola Theologiæ cùm id audisset mox ad religionem se contulit [l]. Iudæi verò in catalogo Hebræo præceptorum affirmatiuorum, istud sic explicant [m]; vt non sit diligendus Deus, ne nobis noceat in hoc mundo, aut ne poniat in futuro; nec seruili timore timendus; nec ei seruiendum vt nobis hîc & in futuro benefaciat, sed propter bonitatem suam colendum, qua nobis tam multipliciter in corpore & anima benefecit. Post enumerata deinde corporis beneficia, subditur. Quare meritò Deus à nobis est diligendus toto corde, si quidem nullum illi placet opus, nisi ex corde fiat; deinde tota anima, vt scilicet etiam corpus expendamus in eius seruitium; & tertio tota vehementia, siue tota facultate, vt etiam externis bonis ob amorem eius non parcamus. Siquidem funis triplex difficilè rumpitur [n]. Sic ibi Origenes [o] perpendens verba Canticl Canticorum, *ordinauit in me caritatem*, hunc ordinem hîc ait inesse; quoniam nec proximus, nec inimicus diligi præcipitur ex toto corde sicut Deus. Legit autem, *ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua*, vel *ex totis viribus tuis*; & vim præcepti declarat exemplo mulieris erga viri amorem toto corde, tota anima, totis viribus feruentis, quæ nihil committere valeat quod ipsi putet displicere: item exemplo Iacob pro Rachele laborantis [p]; & Pauli [q] doctrina de caritate omnia sufferentis. &c. Auctor [r] operis imperfecti considerat cùm Deus sit natura dominus, tamen magis velle diligi quasi patrem, quàm timeri vt dominum; propterea in principio mandatorum legis non dixisse; *timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; sed *diliges*: dilectionem enim ab hominibus exigere, non esse dominij, sed paternitatis. Exigit apud Malachiam [a], vt Dominus timorem, amorem vt Pater; sed hic illi absque dubio placet magis, qui non est absque timore filiali; foras autem mittit seruilem [b]. Docet Chrysostomus [c], quòd antiquæ legis prima vox hoc quæsiuit; *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*; quia vera dominatio est ipsa quæ amore imperat, non timore: quæ per affectum sibi & corpora subdit, & corda: quæ amando non inuitam, sed voluntariam sibi instituit seruitutem. hanc primam causam esse Dominicæ passionis: quia sciri voluit, quantum amaret hominem Deus, qui plus amari voluit, quàm timeri. Nihilominus legis nouæ priuilegium est, vt ab amore cognominetur; vetus potiùs dicatur lex timoris, noua filiorum, vetus seruorum: nouæ [d] typus fuit sacra libera, veteris Agar serua [e]. In vetere non deerant filij, sicut nec iusti, sed hæc gratia non conueniebat per se illi statui legis, dabatúrque propter Christi futura merita; qui cùm aduenit, eos qui sub ea erant redemit, vt adoptionem filiorum reciperent [f] etiam quoad statum. Vt proinde lex vetus lata cum terrore [g] sit; noua misso Spiritu sancto [h], qui est amor: sublato quasi vexillo eiusdem & erecto; sic enim illud [i], *ordinauit in me caritatem*, vertunt aliqui, *vexillum super me amor*. Tertullianus [k] colligit eundem esse vtriusque Testamenti Deum, eundem bonorum & malorum, idest pœnarum; quoniam idem præceptum in vtroque ponitur: sicut & de timore: vt patrem ob clementiam diligendum, timendum vt dominum ob disciplinam: vt patrem potestate blanda, vt dominum seuera: vt patrem piè, vt dominum necessariè: primo modo quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; misericordiam quàm sacrificium; secundò, quia nolit peccatum nec peccatores, sui iam non pœnitentes. Notandum porrò quòd quamuis eodem tenore in Euangelio subiiciatur præceptum de dilectione proximi, non hinc, sed aliunde sumptum, nempe ex Leuitici 19. vt ibi docui: non autem relatum ex hoc nostro loco, vt videtur Leoni [l] Castro. Iacobus Aluares noster moltis capitibus tractat præsentem locum in primo tomo operis de vita spirituali [m].

Diliges Dominum Deum tuum.] Præponitur in editionib. aliis (&,) ve,x).) Putant quidam, ex quibus Iansenium nominat noster Cornelius, apud quem id non reperi, nec in c.71. concordiæ euangelicæ, quod non est de hac re, nec in 81. vbi propriè examinat istud præceptum; in dicta particula vim inesse ex præcedentibus pendentem: vt quia vnus est Dominus Deus noster, tota in eo vno solo spes amórque collocentur. Redundat tamen sæpe apud Hebræos eiusmodi particula. Quid autem intersit inter diligere & amare, ἀγαπᾶν, quod hoc loco habetur, & φιλεῖν, ex alibi dictis petendum est: vtrùm nempe sit maius, amare ne quàm diligere, vt Cicero voluit, cùm Augustinus [n] non distinguat amorem & dilectionem siue caritatem, negétque dilectionem accipiendam semper in bono, amorem in malo, nec sit vtique intensius quid amare quàm diligere, vt Valla [o] tamen voluit, nec amor & dilectio medium ac indifferens quid, caritas bonum dumtaxat, vt Isidorus [p]. Dionysius [q] verò de nomine ἔρως multa. Visceralem, vt ita dicam, amorem importat Chaldæum רחמין *thirchain*.

Ex toto corde tuo.] Ex Hebræo & Chaldæo vertendum esset (*in toto corde tuo*) atque in sequentibus eodem

Marginal notes (left column): a hoc loco. — b apud Tilman. 1. allegoriis. — c apud eundem. — d ps.118.4. — e 3.d.27. dubio 3. — f 1. de doct. c.22. — g serm.20. in Cantica. — h 1. p. tit. 1. c. 4. — i in 1 ac. Dominicâ. — k in vita. — l speculum hist. 4.9.§. 45 — m [illegible] 3. — n Eccles.4. 12. — o hom.2. in Cant. & prolog. in Cant. — p Genes.29. 16. & seqq. — q Cor. 3. — r hom.40.

Marginal notes (right column): a c.1.6. — b 1.Ioan.4. 18. — c serm.8. de passio. — d Rom.8. 15. & Aug. cont. Adimantum c. 16. & 17. & 1. de morib. Eccl. c.28. — e Gal.4.24. — f ibid. v.5. — g Exod.19. 16. & seqq. — h actuum 2. 1. & seqq. — i Cant. 2.4. — k 2. contr. Marcion. c. 13. & l.5. c.4. — l apol. pag. 692. — m l.3.p.2. c.16. vsque ad 22. — Explanatio. — Diligendi & amandi verba. — n 14. de ciuit. c.7. — o l.5. eleg. c.77. — p lib. differ. spir. in 32. — q de diuin. nomin. c.4.

eodem pacto, propter præpoſitionem (ב *be*) quæ valet (*in*.) Sic verò aliquando redditur eadem iſta ſententia, & ſimiles alibi: vt confiteri Domino in toto [a] corde, exquirere [b] eum, cuſtodire legem [c], deprecari [d], ſcrutari mandata [e], clamare ad Dominum [f], &c. Tertullianus interdum recitat, *de toto corde, & ex tota anima*, &c. Totalitatem quomodo intelligere oporteat de corde, ac de ſequentibus, antea dixi: & qua ratione perfici tale præceptum debeat in hac vita, poſsítque; quamuis quædam alia maior perfectio reſeruetur in futuram; quemadmodum aliud de non concupiſcendo, quantum ſufficit ſeruari poteſt dum hic viuimus: ſed beatitudinis proprium eſt, nullam concupiſcentiæ ſentire pugnam. Totalitas item inſinuat locum habere hunc amorem in omni tempore, ſtatu in puris naturalibus, naturæ integræ, corruptæ, redemptæ, iuſtificatæ, glorificatæ tum ante, tum poſt reſurrectioné, in purgatorio etiam; quamuis non eodem pacto, nec pro quauis temporis parte, niſi in ſtatu beatitudinis. Alioquin ex communi loquendi modo ſicut quis dicitur totus noſter, quia præ aliis nobis addictus; ita toto corde diligere Deum cenſetur, quia plurimùm ſupra omnia alia. Quia porrò affectus dilectionis non poteſt hoc tempore planè continuus eſſe, atque ita perfectus, non tam affectum præcipi Bernardus [g] docet dilectionis, quàm caritatis opus; vt ſcilicet retenta ſemper habituali dilectione, actualem certis temporibus exerceamus; caritatis autem externum opus prout occaſio tulerit, nihil quod aduerſetur dilectioni Dei operando. Auguſtinus [h] explicat vt nulla vitæ noſtræ pars vacet, & quaſi locum det, vt alia re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Proponitur autem in præcepto totalitas perfecta, vt ſcopus ac finis, ad quem conemur vt aliquando perueniamus; non quòd reos nos efficiat, ſi nunc id non attingamus, vt docet idem Bernardus [i] cum Auguſtino [k]. *Nec latuit præceptorem, ait prior, præcepti pondus hominum excedere vires: ſed iudicauit vtile, ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri: & vt ſcirent ſanè, ad quem iuſtitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impoſſibilia, non præuaricatores homines fecit, ſed humiles; vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Onus Christi *leue eſt, iugúmque ſuaue* [l]; *mandata eius grauia non ſunt* [m]: *execranda eorum blaſphemia, qui dicunt impoſſibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata eius a ſingulis non poſſe ſeruari,* inquit Hieronymus [n]. Chryſoſtomus [o] declarat in toto corde confiteri aut diligere, cum omni promptitudine & animi alacritate, attentè, diligenter, abſque curis earum rerum quæ ad hanc vitam pertinent; ſublimiter, erectè, expeditè à vinculis corporis: non in verbis tantùm, lingua, ore, ſed cum mente, & cogitatione. Cæterùm cor iuxta ea quæ priùs attuli, ſumi poteſt pro voluntate, pro memoria (vnde recordari) pro parte vegetatiua, pro parte ſentiente, pro intellectu eiúſve cogitatione. Quæ acceptiones exemplis literarum ſacrarum confirmari facilè poſſunt; ſed prima propoſito meliùs congruit.

Et ex tota anima tua.] Animam ſumi quoque vidimus vel pro vita corporali, quam ſi oporteat, exponere debeamus pro dilecto Deo; vel pro intellectu, ſeu induſtria, iudiciòve rationis; vel pro parte vegetatiua, vel pro ſenſitiua, vel pro appetitiua, vel pro verbo, vel pro voluntate. Melior acceptio prima.

a pſ.9.2. pſ. 85.12. pſ. 110.1. pſ. 137.1.
Totalitas præcipitur.
b pſ.118.2.10.
c pſ.118.34.
d ibi 1.v.58.
e v.69.
f v.145.
g ſerm.50. in Cant.
h 1.de doct. c.22.
i ſuprà, & tract. de diligedo Deo.
k de perfect. iuſtitiæ.
l Matth.11.29.
m 1 Ioan.5.3.
n epiſt. ad Damaſum.
o in pſ.110.
Anima tota.

Ex tota fortitudine tua.] Hebraicè eſt מאד *meod, valde*: Chaldaicè נִכְסָא *nichſa, ſubſtantia*, ſeu *facultas*; Græcè δύναμιν, *facultas* etiam, *vis, robur*, &c. Apud Marcum [a] ponitur etiam *fortitudo*: ſed Syriacè חַילָא *chaila*, & Græcè ἰσχύϊ, quæ duo idem valent ac fortitudo, vis, robur: atque in eodem [b] Euangelio Latinè, *virtus* (ſicut & in 4. Regum [c]) vbi aliarum editionum ſunt dicta eadem nomina: in Euangelio autem Lucæ [d] Latinum, *vires*: cætera vt in Marci. Vt proinde ſynonyma videantur fortitudo, virtus, vires: vt nuper etiam retuli ex Aquinate [e]; ita vt non accipiantur vires apud Lucam pro potentiis animæ; quo adhuc admiſſo, poſſibilitas præcepti adhoc rectè intelligitur iuxta ea quæ diximus. Chaldæum loci noſtri nomen indicat rerum externarum diſpendium ſubeundum potius quàm à Dei deflectamus amore: Hebræum inſinuat quamdam abundantiam & vehementiam, videlicet in conatu, niſu, contentione. Præter hæc tria, poſt cor, & animam, inſeruit Marcus [f] mentem, ponens vltimo loco virtutem; Matthæus [g] ſolùm poſuit cor, animam, mentem: Lucas [h] cor, animam, virtutem, mentem. Quæ mens in Matthæo, & Luca eſt διάνοια: in Marco [i] & διάνοια & σύνεσις: Syriacè apud omnes רֶעְיָנָא *rehiena, cogitatio*, aut *voluntas*. Sed præſtat hîc mentem ſumere pro facultatibus cognoſcitiuis, quoniam διάνοια ſignificat intellectum, cogitationem, intelligentiam, ſententiam, ingenium; σύνεσις eadem, vel etiam prudentiam & conſcientiã; ita vt ex tota mente diligere ſit ſapienter, ingenioſè, prouidè; prudenter, circumſpectè, attentè, tota intelligentia, citra obliuionem, inquit Franciſcus [k] Sonnius, inſtantiùs accuratiúſque præceptum hoc caritatis datum in noua, propter iſtas additiones putans, quàm in veteri lege; quòd magis ad nouam veluti veræ libertatis legem, quàm ad illam, quæ erat lex ſeruitutis, pertineat. Ratio neceſſaria non eſt; quia mens quæ ſola demum adiicitur in Euangeliis, contineri poteſt ſub corde. Nec ſimpliciter ei concedendum [l] arbitror, quod minùs toto corde diligebatur Deus in vetere Teſtamento, quàm in nouo: vel quòd minùs purè, ac vnicè diligatur nunc ab animabus beatis, quàm poſt reſurrectionem; quaſi earum amor per naturalem affectionem ad ſua corpora aliquantulum retardetur ab omnimoda plenitudine caritatis. Si quod erit diſcrimen, planè accidentarium erit; non intrinſecum ſecundùm gradus, ſeu intenſionem; quæ nullo modo variatur. Atque illa ratione Bernardum [m] intelligo, & Aquinatem [n], dum aſſerunt perfectè tantùm ſeruari in alia vita. Verum eſt tamen in hac ipſa totalitate quæ præcipitur, gradus ineſſe, vt poſſit quis ex toto corde, &c. magis quàm alius diligere: quoniam dicta totalitas eſſentialis eſt dilectioni ſiue caritati, quam certum eſt gradus & intenſionem admittere: cùm etiam interrogauerit Petrum Chriſtus [o] plúſne amaret, ſeu diligeret quam alij; & interrogatione trina indicauerit cor, animam, fortitudinem. Sed & beati dilectio licèt ſecundùm gradus remiſſior eſſe poſſit, quàm alicuius viatoris, ex modo tamen eliciendi perfectior eſt, ac ratione ſtatus; ita vt ſic qui minor eſt in regno cælorum maior habeatur eo qui nondum ibi eſt [p]; & Paulus [q] profitebatur ſe adhuc perfectum non eſſe, ſequi autem ſi quo modo comprehenderet. Lege Aquinatem [r]. Tam varius idem præceptum exprimendi modus tum in Scriptura ſacra vtriuſque Teſtamenti; tum in ſcriptis Patrum, ſatis probabilem reddit opinionem, in ſingulis per ſe vim aliam non eſſe, quàm vt

natura

a c.12.33.
Fortitudo pro vi, robore, virtute, viribus, &c.
b v.30.
c c.23.
d c.10.27.
e 22.q.44. a.5.
f c.12.29. 30.
g c.22.37.
h c.10.27.
i c.12.30. 33.
k demonſt. rel Chriſt. l.3. tract.12. c.3.
l c.6.
m tract. de diligendo Deo, & ſer. 50. in Cant.
n 22.q.44. a.6. & q. 184.a.3.
o Ioan.21. 15.16.17.
p Matth.11. 11.
q Philip.3. 12.
r 12.q.24. a.5.8.9.

natura veræ perfectæque dilectionis Dei declaretur & intelligatur. Scripturæ sanctæ testimonia priùs retulimus. Clemens [a] Romanus, recitans ponit cor, vires, mentem, καρδίαν, ἰσχὺν, διάνοιαν: Irenæus [b], animam solam: Iustinus [c], cor, & fortitudinem, καρδίαν & ἰσχύν: Origenes [d], cor, mentem, animam, virtutem, vel cor [e], animam, vires: Athanasius [f], cor & vires, siue virtutem, καρδίαν & ἰσχύν: Auctor [g] operis imperfecti cor dumtaxat: Chrysostomus [h], cor & animam: Tertullianus [i], cor, item, & animam: vel cor [k], animam, vires; nec mentis meminit, inquit Pamelius; quia non est in vetere Testamento, quod conferebat cum nouo. Cyprianus [l], cor, animam, virtutem, qui coniungit dilectionem Dei & Christi. Ambrosius [m], cor, animam, mentem: & eodem modo Leo [n]. Augustinus [o], cor, animam, mentem, fortitudinem, vires, cum intimis medullis cordis, quod vltimum adiecit de suo; vel tria tantùm prima [p]: Gregorius [q], cor, animam, virtutem: Cassianus [r] eadem, dicens eiusmodi præceptum sublimiore interpretatione non egere, sed simplici literæ sono abundè pascere ac nutrire audientes. Bernardus [s] etiam eadem: vel pro [t] virtute vires, adiecta mente, quæ significent voluntatem, amorem, virtutem caritatis, fruitionem sapientiæ. Istis dicendi formis, vt dixi, significatur essentialis perfectio caritatis; quam rectè idem Bernardus [u] vocat modum diligendi sine modo; quoniam versatur circa finem vltimum, actio autem qua finis attingitur non habet mensuram, sed ipsemet mensura est mediorum ad illum, vt ait Doctor Angelicus [x] cum suo scholiaste Caietano. Ex dictis rectè inferimus, post nostrum Bellarminum [y], huic præcepto aduersari omne mortale peccatum; quia per id præponitur creatori creatura: non aduersari amorem honestum affinium & amicorum, licèt non referatur actu in Deum, quia non tenemur solum Deum amare, sed illum præcipuè: non aduersari peccatum veniale, quoniam non mutat vltimum finem: nec motus inuoluntarios concupiscentiæ, quamuis rerum alioqui grauissimarum vt infidelitatis, blasphemiæ, adulterij, &c. quia cùm caritas Dei sit in voluntate, non possunt ei aduersari nisi voluntarij motus: hoc præceptum posse in hac vita perfectè seruari, quia non exigit, nisi vt amemus Deum plusquam creaturas: posse diligi Deum magis, & minùs diligi: qui namque propter Deum abstinet à licitis, magis diligit, quàm qui solùm ab illicitis, &c. Colligit porrò etiam Cyrillus [z] Alex. cùm quam lex grauiter dilectionem quæ in Deum maximè conuenit præcipiat, ex tota nimirum, supremáque fortitudine ortam, & ad ipsam vsque animam & sanguinem pertingentem, ipsi Christo exhibeamus, dicente Apostolo, *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* non esse qui dicere audeat Christum non esse Deum. Neque enim credibile est, inquit, sanctorum iudicium vllo modo à veritatis scopo aberrasse. Cùm autem is, qui descriptus est amor Dei, sit vltima dispositio ad iustificationem, seu etiam dolor peccatorum ex Dei amore; Deúsque diligentes se diligat, & Magdalenæ remissa dicantur peccata, quia dilexit: meritò damnatæ sunt in Michaële Baio, iussu Pij V. & Gregorij XIII. inter alias propositiones; 31. quòd caritas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum 32. quòd caritas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper

a 6. const. c. 10.
b l. 5. c. 22.
c contr. Tryphon. & apol. 2.
d hom. 2. in Cant.
e prolog. in Cant.
f orat. contr. Gent.
g hom. 40.
h serm. 6. de pass.
i aduersus Iudæos c. 2.
k 4. contr. Marc. c. 25. & 27. & l. 5. c. 4. & in Scorpiaco seu contr. Gnost. c. 2.
l in orat. Domin. & contr. Iudæ. l. 3 n. 18.
m lib. de dignit. cōd. huma.
n serm. de grad. ascensionis ad beatitu. seu in festo omnium sanctorum.
o Soliloq. c. 18.
p 1. de doct. c. 22.
q 18. mor. c. 14.
r colla. 8. c. 3.
s serm. 20. & 50. in Cant.
t tract. de nat. & dign. amoris diuini c. 7. 9. & 10. & tract. de diligēdo Deo.
x 2. 2. q. 27. a. 6.
y 2. de monach. c. 13.
z de fide ad Reginas.

A coniuncta cum remissione peccatorum 33. quòd catechumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat, ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lauacro demum percipitur 42. quòd in omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, etiam in catechumenis ante Baptismum, est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum 66. quòd homo existens in peccato mortali siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem: & caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis 67. quòd per contritionem, & cum caritate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione sacramenti. 72. quòd quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum; *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.* Ad hæc non attendens Franciscus Syluius, ausus est idem asserere de contritione vera, quòd ordinariè, illa præsente, non remittantur peccata, nec iustitia conferatur extra sacramentum. Quemadmodum non dubitauit post decretum S. Inquisitionis approbatum à Paulo V. anno 1617. 12. Sept. vt nemo in vllo actu publico doceat B. Virginem in originali peccato conceptam: opinionem illam in suis scriptis edere, facta etiam dicti decreti expressa mentione. Extant hæc apud illum in 3. part.

Vers. 6.] Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.

Vers. 7.] Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens, atque consurgens.

Vers. 8.] Et ligabis ea quasi signum in manu tua, erúntque, & mouebuntur inter oculos tuos.

Vers. 9.] Scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.

TAnti præceptum ponderis de Deo, vt est præscriptum, diligendo ex toto corde, anima, fortitudine, vnde pendent cætera præcepta omnia, cuiuscumque illa demum sint generis: infigi altè volt Moses in memoria, tradi filiis & posteris iam inde à primis annis, quibus quę commendant memoriæ, retinere diutiùs consueuerunt, atque affici ad ea. Monet præterea, de iisdem præceptis, ac de illo potissimùm, quod respicit Deum, vt sedulò cogitent, quísque secum iugiter ratiocinentur de ipsis, in omni negotio, otio, opere, occupatione, quiete, ac in ipsomet somno, si fieri possit: atque ne vnquam de memoria excidant, in chartis descripta manibus ipsis alligent, & in capite, seu ad frontem, vnde ante oculos dependeant: inscribant etiam postibus ipsis domus, vt abeuntibus redeuntibúsve necessariò incurrant in oculos: denique vt habeant in corde, ad credendum; in ore, ad loquendum; in manibus, ad operandum; in oculis, & quasi in conspicillis, ad rectiùs videndum, vt cor arceatur à prauis cogitationibus, pedes ab iniustis gressibus; manus à prauis actionibus. Istis dicendi formulis explicatur summa quædam

dam cura, sollicitudo, diligentia in lege diuina rectè intelligenda, & consideranda, vt promptè perfectéque pro qualibet occasione in vsum reuocari queat, executionique mandari. Iudæi, vt Rabanus, Lyranus, Abulensis, Rickelius, Caietanus, Oleaster, apostata Munsterus, Cornelius noster, Leonardus Marius notant, superstitiosiùs intelligentes reipsa chartis seu membranulis, schedulisve inscriptum de Dei dilectione præceptum cum Decalogo, quemadmodum & contenta in c.11.[a] *Suspendunt, ligant, affigunt*; vbi similis habetur de Dei præceptis diligenter custodiendis commendatio[b]. *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros vt illa meditentur: quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris. Scribes ea super postes, & ianuas domus tuæ*, &c. Augustinus[c] agens de vltimo membro citati nunc vndecimi capitis, docet hyperbolicam commendationem esse: sicut multa alia dicuntur; cùm hoc secundùm proprietatem nemo fecisse Israëlitarum commemoretur, vel legatur: nec quisquam possit; nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suæ. Non arbitrantur improbabile Caietanus, & Marius, ad literam quoque Deum voluisse hæc obseruari; quoniam Christus[d] faciens mentionem de phylacteriis & fimbriis, non reprehendit simpliciter, sed quòd ea dilatarent & magnificarent, captantes inde opinionem maioris sanctitatis. Egimus hac tota de re libro præcedente[e], cùm de præcepto fimbriarum ad hoc dato, vt recordarentur mandatorum Dei, ac memores, facerent illa. Diximus nonnihil etiam de licito illicitóque vsu amuletorum, seu periammatum, periaptorum, apotropæorum, alaleutorum, phylacteriorum, quæ sunt voces Græcæ, περιάμματα, περίαπτα, ἀποτρόπαια, ἀλάλευτα, φυλακτήρια. Aquinas[f] docet non damnari eos qui pietatis & religionis causa, diuinas Scripturas, Sanctorum reliquias, aliásque sacras res gerunt: sed eos qui magis ad Scripturæ characteres inspiciunt, quàm ad Scripturæ intelligentiam: vel eos potissimùm, qui vel superstitione vana, vel ambitione inflati hæc deferunt. Colligit id ex illo Sixtus[g] Senensis: exempláque profert Cæciliæ gestantis Euangelium: Constantini clauum crucis Christi: Barnabæ, attactu Euangelij ægros curantis; possentque alia plura afferri. Citatus est eodem priore libro, ac declaratus hic locus noster, cui similis quem antè dixi hoc ipso libro in c.11.[h] præterea in c.22.[i] de fimbriis, in Exodo[k] etiam cùm scribitur; *erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem inter oculos tuos.* Quibus verbis cùm particula (*quasi*) satis insinuatur figurata locutio. De modo scribendi, de membranis, de iis quæ scriberentur, & aliis ad hoc pertinentibus superstitiosis ritibus, consule Oleastrum[l], Mariúmque; piget enim referre, earúmque in catalogo Hebræo affirmatiuorum[m] præceptorum. Vno verbo Hieronymus[n], quem aliàs retuli; præcepta in manu explicat esse, vt compleantur: ante, interve oculos, vt die & nocte meditetur quis in eis. Reprehendit autem Indos, Persas, Babylonios, quiddam simile Pharisæis factitantes, quasi religiosi in populis iudicentur: & superstitiosas mulierculas, in paruulis Euangeliis & in crucis ligno, & istiusmodi rebus. Quò spectant cætera, vt eadem magni fiant, nec quidquam iis contrarium committatur, nec aliquid omittatur, pertinens ad executionem. At Hebræi, vt refert Galatinus[o], plotis faciunt sapientum seu scribarum suorum verba, quàm scripturam ipsam, & phylacteria quibus ea includebatur: & 613. præcepta ad vndecim reducta à Dauid: ab Esaia ad sex: ad tria à Michæa: rursus ad duo ab Esaia: ab Abacuch ad vnum: vnde infert Messiam potuisse omnia legis ceremonialia reuocare, atque ad spiritualem sensum reducere. Iugem porrò hanc de Deo memoriam, non de lege dumtaxat, comprobat Nazianzenus[a] istius loci sententia; aitque non tam sæpe spiritum nos ducere, quàm Dei meminisse debere: immò si dici hoc potest, nihil aliud quàm hoc faciendum, siue dormias, siue è somno exurgas, siue iter facias, &c. Iustinus[b] prætextum colorem purpureum scribit vestibus Iudæorum, vt numquam eos Dei caperet obliuio. Chrysostomus[c] vtitur hoc loco, ac simili ex cap. 8.[d] de Dei memoria post cibum: & ex Psalmo 1.[e] de legis meditatione diurna nocturnáque, vt persuadeat in sculptam semper habere in conscientia, & in perpetua sollicitudine viuere, nullas vnquam admittendo inducias, scientes quantus sit furor μανία, inimici nostri erga nos. Clemens[f] Alexandrinus probat hinc, non esse aditu difficile veritatem; vtpote in domibus nostris, id est, manibus, ore, corde, consilio, actione, verbo, meditando secunda, conuenienter legi agendo, alios eadem docendo, vt Heruetus Clementem explicat. Ambrosius[g] loqui sedentem interpretatur in hac terrestri domo huius habitationis, in qua peregrinamur à Domino[h]; vt surgat quis postquam sederit[i]: in via ambulantem, id est, carpentem vitæ cursum, ne illic obmutescat: dormientem & quiescentem, hoc est, consepultum in Christo, vt cum ipso in nouitate vitæ resurgat: sepultum etiam in tumulo, sicut animas sanctorum petentes de mortis auctore vindictam[k]: cùm surgit, sicut ille dixit, *Ego dormiui, & quieui, & resurrexi*[l]. Origenes[m], sedentes in domo & iacentes loqui ait nos cùm in Ecclesia loquimur verbum Dei, in via qui est Christus[n]: surgentes à somno mortis: hoc sensu cani Psalmo 36.[o] *Os iusti meditabitur sapientiam*, non autem in præsenti tempore *meditatur*. Non equidem reprehendo, sed laude potiùs dignum censeo, qui re quapiam externa, quæ etiam incusso dolore memoriam excitet Christiani, religiosive officij, vtatur, vt erant fimbriis Pharisæorum adnexæ spinæ (quibus viam nostram sepiri volt Deus[p]: & conuersum se Dauid[q] cecinit dum configeretur spina) quamuis inde gloriolam propriam captarent, Dei veram gloriam non curarent. At probari non possunt, vel excusari, nisi ob ruditatem ingenij, qui quæ figurato sensu dumtaxat capi debent, nudè vt sonant intelligunt & exercent. Tales quos refert Cassianus[r] districtissimos monachorum, qui cùm legissent[s], *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, habentes quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam, simpliciter id intelligendo, fecerunt sibi cruces ligneas; násque iugiter humeris circumferendo, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Nec dissimiles ex ignoratione simili, monachorum apud auctorem eumdem errores, circa humanam in Deo effigiem ac membra[t] (de iisdem Sozomenus[u], & Nicephorus[x]; déque hæreticis Anthropomorphitis Epiphanius[y], Hieronymus[z], Augustinus[aa]) de castratione suiipsius, aut circumcisione[bb]: de calceamentis interdictis[cc]; spontanea sui nece[dd], &c. Idem fortasse iudicare liceat de illis Christianis, quos refert Procopius[ee] Christi nomen, vel crucis signũ in palmis, aut

[a] v.13.14.15.16.17. [b] v.18.19.20. [c] q.50. in Deut. [d] Matth. 23.5. [e] c.15.38 & seqq. [f] 2.2.q.96. a.4. [g] 6 biblior. annot. 102. [h] v.18.19.20. [i] v.12. [k] c.13.16. [l] in Exod. 13. [m] in 18.22.23. [n] in Matth. 23.

[o] l.1.c.4.

[a] orat.1. de theolog. [b] contra Trypho. [c] hom.10. in Gen. [d] v.12. [e] v.2. [f] orat. ad Gent. [g] in ps.36. [h] 2. Cor. 5. 6. [i] ps.126.2. [k] Apoc.6.10. [l] ps.3.6. [m] hom.3. in ps.36. [n] Ioan.14.6. [o] v.30. [p] Osee 2.6. [q] ps.31.4. [r] collat. 8.c.3. [s] Matth.10.38. [t] coll.10.c.2 & seqq. [u] l.8.c.11. & 12. [x] l.11.c.14. [y] hæres. 70. [z] epist.61. & 65. [aa] de hæres. [bb] coll.2.c.8. & 8. instit. c.4. [cc] 1. instit. c.vlt. [dd] coll.2.c.5. & 6. [ee] in Esa. 44. pag. 496.

aut in brachiis motis sibi curasse: quasi respexissent ad illud Esaiæ [a], *hic scribet manu sua Domino*. Quo loco [b] eruditè disserit noster Gaspar Sanctius; addens videri probabilius de signo in annulis, aut armillis exculso vel cælato; qua ratione accipit quoque verba Psalmi [c], *Obliuioni detur dextera mea, si oblitus fuero tui Ierusalem*; vt insculptam exules gestarent in annulis Ierusalem; & apud Gaiam metonymicè sumatur manus pro aonulo, quam metonymiam tractat idem [d] in Cantica. Putant aliqui legem Mosi datam in tabulis ex lapide sapphiro, cuius cæruleus color oculos reficit, vt Nyssenus [e] notat volens ventrem sponsi comparari cum tabula legis eburnea sapphiris distincta [*]. Sic verò innuebatur, lectione legis, ac meditatione, oculos minimè fatigari; & vt proles, per ventrem designata, in Dei lege conseruetur, eidem iam inde à ventre, consuescere debere. Hieronymus [f], aliúsve Celantiam hortatur exemplo dictarum fimbriarum hyacinthinarum, quæ rudi adhuc populo, & hominibus ad obedientiam insuetis, imperatæ sunt, in signum memoriæ; vtque huc illuc etiam casu respicientibus oculis mandatorum cælestium memoria nasceretur, memoriam diuinorum mandatorum spiritaliter excolere; nec tam frequenter recordari, quàm semper cogitare; diuinas Scripturas semper habere in manibus, & iugiter mente voluere: non posse sufficere sibi illa memoria tenere, & operibus obliuisci; sed ideo illa cognoscere, vt faciat quidquid faciendum didicerit; quia non auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur [g]: diuinam Scripturam semper cognoscere, secúmque reuoluere, ingens ad conseruandam iustitiam beneficium esse. Affine præsenti siue præceptum; siue monitum Sapientis [h] est; *vt conserues præcepta patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ; sed liges ea in corde tuo iugiter, & circumdes gutturi tuo, cùm ambulaueris, gradiantur tecum; cùm dormieris, custodiant te; & euigilans loquaris cum eis; vt liges in digitis tuis, & scribas in tabulis cordis* [i]. Iussit item Deus, vt Esaias [k] ligaret testimonium, & signaret legem in discipulis suis, veluti ornamentum, annulum (cui etiam notæ quædam insculpi literarum solent) bullam, torquem: aut, vt olim arte memoriæ tradebatur, singulis digitis res singulas animo cogitationéque committere: quod iuxta propositum nostrum Decalogo congruit, qui denis constat præceptis, quot sunt digiti. Meretur hanc diligentiam ac dilectionem Deus; qui in manibus suis descripsit nos [l]; & Christus, qui in plagis manuũ, pedum, lateris. Ac manus quidem digito, qui auriculari proximus est, inseri annulus solet, vt ait Isidorus [m]; quia in eo vena quædam (neruum alij malunt) ad cor vsque peruenit, ac in signum amoris eum sic induebant etiam libidinosi [n], Clemente Alex. teste, fertúrque memoria eidem, cum aure ima, assignata; & ob hanc causam eidem consecrata Nemesis memoriæ dea [o]. Inclinari poterat prætereà per signum in manu qui esset annulus, eum qui legem adamaret ingenuum esse, liberum, fidei custodem seu fidelem potestate præditum, dato quasi pignore, seu arrhabone iunctum tanquam sponsæ. Nihil ad hunc annulum annulus vel Gygis, de quo Nazianzenus [p]; vel Seleuci, de quo Clemens [q] antea laudatus; quorum ille possessorem suum paiæ conuersionis obtutibus eripiebat; hic victoriam de hostibus tribuebat. Quæ duo præstat suo modo lex ipsam obseruantibus. Lege nostrum Salazar [r]. Iacobus [s] verò Aluarez

A item noster disputans de modo in regulæ obseruatione tenendo, conditiones octo in recitato textu considerat; vt attendendo eum qui præcipit Deum esse, dominum nostrum, rerúmque vniuersarum patrem, magistrum, & quidem hodie, id est, in hoc breui vitæ nostræ tempore, quod concessitor ad promerendam futuram æternæ beatitudinis; ipsius præcepta condantur in corde, plurimi æstimando, maximéque diligendo, ac velut fasciculum myrrhæ ob amaritiem quandam secundùm carnem, inter vbera strictè conseruando; narrentur filiis, præbendo posteris bona & sancta regularis obseruantiæ exempla, velutíque commodatum aut depositum, aut dotem integram, immò cum fœnore multiplicatam transmittendo: mediteris B in eis sedens in domo tua, hoc est, diu attentéque de illis cogitans; ita vt in meditatione exardescat ignis [a]; veniántque tibi miserationes Dei, quia lex eius meditatio tua est [b]; denique mediteris in eis quæ diligis nimis; & leues manus ad illa [c], vt exequaris: quam conditionem quartam denotat, vt ambulans in itinere mediteris; quinta verò indicatur per dormientem & consurgentem; vt scilicet sedula sit ista meditatio, à qua nullo nos diuelli negotio patiamur: sexta, vt honori ducas, ac veluti pretiosissimum in manu annulum, aliúdve ornamentum; nec vllo pacto pudeat ea in re quàm exactissimum esse: septima, vt inter oculos moueatur, id est, vt quidquid facturus es, regulis ac maiorum institutis metiare, atque tan- C quam per te oculis præditus hebetioribus, his quasi conspicillis vtaris. Vltima ad perseuerantiam spectat, quam innuit scriptio in limine ac ostiis domus, seu in materia dura, atque tum in primo ingressu ad vitam rationis vsu præditam, tum in egressu, siue vsque ad mortem; quemadmodum è contrario peccata nonnullorum stylo ferreo scripta sunt, & in vngue adamantino exarata super latitudinem cordis eorum, & in cornibus eorum [d]: Iob autem cupiebat sermones suos scribi, exaratíque in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel certe scolpi in silice [e]; quoniam iustificationem quam cœperat tenere, numquam deseruerat [f]. Idem auctor [g] sessionem, iter, somnum, vigiliam, de animi corporísque relaxatione ac re- D creatione interpretans, admoneri nos hîc vult, in rebus eiusmodi nulla ratione à Domini lege atque religioso instituto discedere.

Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie.] Præcipiebat Moyses immediate diuersa alia à Decalogo quem tradiderat Deus per seipsum, vt sæpe dixi. Comprehendi tamen possunt etiam hic illa; tum verò quæ proximè antè posita sunt pertinentia ad vnitatem Dei, & ad eiusdem dilectionem. Temporis autem aduerbium potest designasse vel eumdemmet vnum diem, quo cuncta simul tradebantur à Moyse; vel indefinitè quempiam alium, non valdè distantem à die mortis illius.

In corde tuo.] Siue vt memoria fixè retinean- E tur; siue vt voluntatis toto affectu diligantur; siue vt plurimi æstimentur. Tot namque modis accipi cor potest. Quod in [h] Prouerbiis dicitur; *præbe mihi fili cor tuum*, etsi multi probabiliter, vt Dei accipiant verba postulantis à iuniori donari sibi cor, seu amorem & affectum, priusquam eum meretrix eripiat: probabilius alij etiam non pauci volunt esse Salomonis petentis accommodari sibi mentem, & vt oculi sui lectoris (quod proximè sequitur) vias eius custodiant, caueántque [i] foueam profundam, & puteum angustum, quæ est meretrix.

Marginal notes (left column): a c.44.5. — b n.13. & seqq. — c ps.136.5. — d proleg.8. & 9. — e hom.14. in Cant. — * Cant.5.14. — f epist.14. — g Rom.2.13. — h Prou.6.20.21.22. — i c.7.3. — k c.8.16. — l Es.49.16. — m 2. de offic. eccl. c.19. — n 2. pædag. c.12. — o Plin. l.11. c.45. — p orat.1. contr. Iulia. & orat. de laud. Basilij. — q suprà. — r Prou.7. — s tomo 2. l.3. p.4. 10.

Marginal notes (right column): a ps.38.4. — b ps.118.77. — c v.47. — d Ier.17.1. — e Iob 19.24. — f c.27. — g tomo 1. l.5. p.3. c.42. — Explanatio. — h c.23.26. — i v.27.6.

meretrix. Additur porrò in codicibus Græcis emendatis, καὶ ἐν τῇ ψυχῇ σου, *& in anima tua.*

Et narrabis ea filiis tuis.] Hebræum verbum quod propter præpositam notam coniunctionis habet significationem futuri temporis, licèt ipsum sit præsentis וְשִׁנַּנְתָּם *vescinnantham* cum affixo pronomine, Pagninus exponit *repetes:* Vatablus eodem pacto; aut *inculcabis*; aut *acues*; vt sit metaphora à gladio, qui dum acuitur, sæpiùs impellitur ad cotem, significetur verò perpetuum sermonem de ea re habendum. Oleastro placet, propriè significare reuoluere, repetere, iterare, & quia gladius cùm acuitur, reuoluitur, acuendi quoque notionem habere: in qua redditur c.32.[a] *Si acuero vt fulgur gladium meum*, שַׁנּוֹתִי *sciannothi*; & Psalmo 63.[b] *acuerunt vt gladium linguas suas*, שָׁנְנוּ *scianenu*: dici prouerbium שְׁנִינָה *scheninah*, (*fabula* vertitur c.28.[c] Græcè διήγημα) quia sæpe repetita locutio est; qualis in quibusdam Psalmis, & aliis præterea carminibus, vel cantilenis: simili verbo שָׁנָה *scianah* significari duplicare, replicare, iterare. Addit noster Cornelius indicari acutè, præcisè, distinctè, clarè, apertè proponenda hæc præcepta; sicut materia, vel quæstio obscura acuitur à doctore, dum per partes pertractatur, ventilatur, discuritur. Plurimi refert liberorum educatio, & institutio, in primis verò de Dei timore, & obedientia, quidque tum credere, tum facere teneantur. Sicut enim Pater, ait glossa, tenetur prouidere filiis de victu & vestitu; ita & de documento quantum ad agenda & credenda quæ sunt de necessitate salutis: & tanto magis in istis prouidere tenetur, quanto quæ sunt animæ corporalibus præferantur. Sub filiis comprehenditur familia tota, & quotquot sub alterius cura sunt. Atqui hac de re alibi dictum. Græcum verbum huius loci προβιβάσεις valet inter alia, *propones*, *ob oculos pones*, &c. καὶ προβιβάσεις αὐτὰ τοῖς υἱοῖς σου: quod minùs emendati codices, vt Complutenses, Regij, & alij, habent in accusatiuo τοὺς υἱούς σου.

Et meditaberis in eis.] In reliquis editionibus (*loqueris.*) Pagninus vertit etiam (*cum eis*) nempe, cum filiis: quod Oleaster non improbat. Sed consequentia non ita commodè admittunt eum sensum: licèt illam locutionem verisimile sit esse debuisse præsertim cum filius atque familia. In cap.11.[d] *Docete filios vestros vt illa meditentur, quando sederis in domo tua.* &c. Vbi Hebræum דַּבֵּר *dabber*, & Chaldæum מַלָּלָא *mallala*, loqui significant: Græcum autem λαλεῖν capere, siue percipere, licèt Statini libri habeant λαλεῖν, *loqui*. De Latino verbo meditandi crebra nobis mentio fuit in Psalmorum[e] commentariis. At aliis verbis respondet aliarum editionum, vt הָגָה *hagah*, & μελετᾶν, interdúmque alia. Ibidem præterea docui, quo pacto tribuatur meditari gutturi, linguæ, ori: qua ratione meditatio pro exercitatione militari aut pugillari, aut musicæ siue cantus, declamationis, seu oratoriæ, pro artibus quæ cognominantur μεμελετημέναι, quarum peritia comparatur exercitatione. Adde ibidem prolatis Valerium[f] Maximum, nominantem armorum tractandorum meditationem à Pub. Rutilio Consule militibus traditam[g]. Vegetij complura eadem de significatione testimonia. Cum bis citat Cerda[h] noster ex Libanio exercitationem illam, qua testudo se diu exercuit ad cursum, vt equum vinceret: præterea ostendentem[i] tribui idem verbum lupis, lusciniis, retibus, feminibus à Virgilio[k], Plinio[l], Prudentio[m]. Adiice tantum apud

a v.41. b v.4. c 9.37. d v.19. e in ps.1.2. ps.2.1. ps.34.28. ps.35.5. ps.36.30. ps.37.13. ps.62.7. ps.70.24. ps.76.7.13. ps.89.9. ps.118.16.47.70. 117.148. ps.142.5. f l.1.c.3. g l.2.c.9.29. 26. l.2.c.24. h in eclog. 2 v.1. not. 8. i in eclog. 5. v.56. not. 10. k ecloga 5. l l.10. c.38. & 42. m cathem. hymno 10.

eundem Virgilium[a]. Denique Vegetius de armorum scribens exercitus, antiquam ait, prudentémque sententiam esse, omnes artes in meditatione consistere. In admuentionibus exerceri[b] Hebraicè, & Chaldaicè est loqui; item in mandatis[c], in iustificationibus[d], in mirabilibus[e] sed Græcum verbum est ἀδολεσχεῖν, de quo item aliàs dixi.

Sedens in domo tua.] Deest Græcè pronomen. In cap.11.[f] omittitur etiam ab eadem editione, vbi sententia similis extat, sedentésque numero plurali dicuntur filij qui doceantur (*docete filios vestros: quando sederis in domo tua*) Græcè καθημένους ἐν οἴκῳ, licèt ibi emendati codices habeant καθημένου σου *sedente te*. Sessio non semper situm denotat; sed sæpe simplicem solam habitationem, siue quis propriè sedeat, siue stet, siue quam aliam corporis positionem habeat, vt multis exemplis alibi ostensum est. Cessationē verò, vacationémque ab operibus denotat sessio & habitatio: quod tempus meditationi aptius est, necnon sermoni de aliis quibuscumque, sed maximè de rebus diuinis; & docentibus tribui sessio solet vt Christo[g], discipulis[h], scribis quoque ac Pharisæis[i]. Vulgare illud etiam; sedendo animam fieri sapientem; dicebátque ille apud Plautum[k],

—*nimio plus sapio sedens*

& negant aliqui[l], sed immeritò, latam à stante iudice valere sententiam. Lege Rolandum[m] à Valle, Iacobum[n] Menochium, Ioan.[o] Bochium. Habitationem sessio hic significat, sed fixam, firmam, statam, cum otio seu spatio temporis, & vacatione ab externis occupationibus. Quo pacto deses, desidia, desidere ad otium remissionémve spectant; & nonnumquam adijcitur sedere nihil agendo, vel frustrà, atque similia apud profanos auctores Latinos, & Græcos: vt & apud illos sedere aliquid animo, sedere sententiam, & cætera idem valent, quod firmiter hærere animo. Denique domum pro qualibet habitatione accipi, notius est, quàm vt suggeram, etsi aliàs etiam adnotauerim.

Et ambulans in itinere.] Sic etiam cap. 11.[p] priùs citato: vbi illud ipsum discrimen est variæ lectionis iuxta diuersos codices, de quo priore membro monui. Tempus laboris Lyranus designari dicit. Hunc autem Abulensis laborem potiùs expressum addit, quia Moysi nullus alius magis occurrebat, nec alium, inquit, per quadraginta annos habuerant in deserto. Sitim tamen aliquando passi fuerant; & nonnumquam puniti variis modis propter sua peccata. Canebat porrò Dauid[q] cantabiles sibi fuisse iustificationes Dei in loco (Hebraicè in domo) peregrinationis suæ, quamuis inducat alios, sed captiuos, dicentes; *Quomodo*[r] *cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Diuersæ sunt causæ idem vel faciendi, vel omittendi, vt illis locis docui.

Dormiens.] In c.11.[f] plurali numero Græcè *dormientes*, κοιταζομένους, licèt non in emendatis libris, vt prioribus membris hîc monui. Ibidem reddidit Interpres (*quando accubueris*) cùm tamen editiones aliæ non discrepent. Significat שָׁכַב *sciachab*, cui Chaldæum simile cubare & accumbere, iacere in lecto, cubitum ire, petere lectum ad dormiendum, immò & concumbere, quemadmodū & dormire nonnumquam, vt libro[t] præcedente vidimus, & c.11.[u] libri nostri videbitur. Est autē κοιτάζεσθαι in cubili esse ac decúbere à κοίτη, quod cubile lectúmque significat, & interdum concubitum ipsum, vel etiam semen conceptum[x]: exprimendo etiam aliquando concubitum seminis κοίτην σπέρματος[y].

Accipitur

a 10. Æn. b ps.76.13. 78. c ps.118.15. d v.23.48. e v.21.27. f v.19. *Sessio pro habitatione & cessatione sumitur. Cessatio ab operibus sessionem & habitationē denotat.* g Matth. 5.1. c.13.2. c.15.29. Lucæ 4.20. c. 5.3.17. Ioan. 8.2. c. 9.8. Act. 15.14. c.16.15.1. Cor. 14.32. i Matth. 23.2. k in Mostel. l ad l. à procedente. C. de dilation. & ad sex. decretal. de sent. & re iudicata. c. 5 & nouell. 8. c. 3. *Domus pro qualibet habitatione.* m vol. 1. consil. 41. n. 14. & 39. n de arbitr. iudicum. l. 2. q. 61. o in ps. 118. v. 23. p v.19. q ps. 118. 54. r ps. 136. 4. f v.19. *Dormiendi verbum.* t c.5.13.19.20. u v.22. x Rom. 9. 10. y Leuit. 18. 20.

& Dormitio.

Accipitur nunc dormitio pro tempore quod somno dandum est, cùm quis vult ire cubitum, lectúmque petere vt dormiat. Dormiens propriè non inducatur: ideo de tempore quod modò diximus debet intelligi, vt eo tempore etiam in legis versemur meditatione; ac in hac pia occupatione, conscientiæque discussione iodormiscamus; necnon præterea quando noctu expergiscimur de Deo, rebúsve diuinis cogitemus, vel galli exemplo qui iacentes excitat, & somnolentos increpat [a]: cui gallo dicitur Deus intelligentiam dedisse [b]; quia, vt scripsit R. Moyses, docet hominem surgere media nocte ad laudandum Deum: & quidem, teste Gregorio [c], profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edens cantus, matutino tempore appropinquante leniores & minutiores formans voces.

Somnus & somnia.

Probi ac sapientis ferè somnus, somniumque melius esse, compertum experientia est, ac indicio esse sobriæ, probæque vigiliæ, vt post Aristotelem [d], Platonem [e], cuius est illud, quòd somnia vigiliæ sunt dormientium, spes somnia vigilantium, vt meminit Ælianus [f], & Basilius [g], licèt Aristoteli tribuat Laërtius [h]: item post Plutarchū [i], Augost. [k] Chrysost. [l] Hugonē [m] Æthetianū, qui Patres de Salomonis [n] scribunt somnio, tradit Aquinas [o]. In genere autem constat, quòd

> *Quæcumque [p] mens cogitat infessus vigor,*
> *Ea per quietem sacer, & arcanus refert,*
> *Velóxque sensus.*

Et,

> *Omnia [q] quæ sensu voluuntur vota diurno,*
> *Tempore nocturno reddit amica quies.*

Item,

> *Somnia [r] quæ mentes ludunt volitantibus vmbris,*
> *Non delubra deûm, nec ab æthere numina mittunt,*
> *Sed sibi quisque facit.*

Denique,

> *Nec [s] quisquam [illegible], sapientia qua perhibetur.*
> *In somnis vidit prius, quàm discere cœpit.*

Sic Pharaonis pincerna vuam sibi exprimere videbatur in calice; & pistor farinæ canistrū ferre [t]: multásque curas sequuntur somnia [u], vt in Marcello de bellis, teste Suida [x]; in Hieronymo, vt ipsemet testatur de seipso [y]. Qua de re medici etiam vt Hippocrates [z], præterea Plato [aa], Aristoteles [bb] cum Aphrodisæo [cc], Suidas [dd], Nyssenus [ee], Elias Cretensis [ff], Ludouicus [gg] Soromaior; & de nostris Petrus [hh] Thyræus, Benedictus [ii] Pererius, Ioannes [kk] Pineda, Martinus [ll] Delrius; qui vltimus præterea profert testimonia Núni [mm], Herodori [nn], Tertulliani [oo], Plutarchi [pp], Ambrosij [qq]; & nos ipsi locis aliis. Lyranus, Abulensis, Rickelius hoc loco obseruant occurrere solere dormiēti somniatúrque interdiu cogitata & agitata; iustorum proinde somnia plerumque bona esse; ita vt dum dormiunt, videatur cor eorum vigilare [ss]. Nihilominus mitti quoque à Deo siue ab Angelo, vel à dæmone, ambigi nequit. Sollicitis in vigilia de dilectione Dei solent consimilia phantasmata occurrere in dormitione, inquit Lyranus. Abulēsis [tt] autem lepidam narrat historiam, de seruo qui cùm noctu dormiens patrata interdiu mala loqui solitus, ad heri sui notitiā peruenire cognouisset, ante cubitum orationes recitabat attentè; quas proinde in somno cùm repeteret, frugi factum herus existimauit. *Qui [tt] narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno: cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit; quis est hic?* At sapientis, vt dixi, cor, etiam dum ipse dormit, vigilat [uu]; & dum dormit, videtur audire.

a hymn. ad laud. Dom. b Iob. 38. 36. c ibid. l. 30. moral. c. 21. d 3. ethic. c. vlt. & lect. 33. probl. in vltimo. e 9. de rep. f 13. variæ. c. de spe. g epist. 19. h l. 5. c. 1. i lib. de profectu morum. k l. 12. de Gen. ad literam. c. 15. l hom. 66. ad pop. m de regressione animæ c. 2. n 3. Reg. 3. 5. 2. Par. 1. 7. o 2. 2. q. 113. a. 3. ad 2. q. 154. a. 5. ad 2. 4. & 9. q. 1. ad q. 18. de verit. a. 3. p Seneca in Octauia. q Claud. de raptu Proserpinæ. r Petronius. s Ennius. t Gen. 40. 16. u Eccl. 5. 2. x verbo [illegible] sup. y epist. 21. & apol. cont. Ruff. z lib. de insomniis. aa 5. de rep. bb 4. meta. cc ibidem. dd supra. ee de opif. hom. c. 13. ff in ora. 19. Nazian. gg in Cant. 5. 2. hh lib. 3. de app. par. imag. c. 15. ii 2. de magia c. 4. & 1. in Daniel. kk 3. de rebus Salom. c. 8. in Iob 7. 14. ll 4. disqu. c. 3. q. 1. sect. 2. c. 3. q. 6. & in Senec. Octauiam v. 734. mm Dionysiac. 42. nn in Polyh[illegible] oo de insó. pp in Annib. qq 3. de virg. rr Cant. 5. 2. ss q. 4. tt Eccl. 22. 9. uu Cant. 5. 2.

Atque consurgens.] Idem de hoc quod de membris præcedentibus dicendum; videlicet cap. 11. [a] pluraliter in aliquot codicibus extare [illegible], quod emendati habent [illegible], numero singulari. Vnde inoleuit in bonis Christianis consuetudo, inquit Abulensis, vt cùm à lecto surrexerint, à Dei laudibus incipiant, vel aliquid sanctum meditentur. Qui manè vigilat ad diuinam sapientiam acquirendam, vel ad increatam venerandam, vel ad inuocandam huius matrem Mariam, inueniet eam [b]: & qui de luce vigilat ad illas, non laborabit: assidentes enim foribus suis inueniet [c]. Consule loci vltimi commentarium meum, quæque in Psalmos nonnullos disserui de matutini temporis ad orandum meditandúmve opportunitate; & quòd has veluti primitias Deo offerre oporteat; præterea quæ dixi ad caput 18. libri Sapientiæ ferè extremum, vbi præueniendus ad benedictionem sol dicitur, & ad ortum lucis Deus adorandus. Repono hîc dumtaxat ex vltimo loco locum Athanasij peraptum proposito [illegible], *magnum certaminis decus, è lecto ipso, Deo sistere seipsum, & præuenire in gratiarum actione, solem.* Multa exempla ex diuinis literis proferri possunt eorum, qui diuinum & serium aliquod negotium de nocte, vel tempestiuissimè peregerunt. Moyses quidem noster, vt reliquis parcam, de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, vt tabulas legis denuò reciperet [d]: & sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur [e]. Gentiles ipsi matutinas salutationes diis suis gratissimas arbitrabantur, vt insinuant Seneca [f], Apuleius [g], Arnobius [h], illúdque Prudentij,

> *Manè salutatum concurritur, omnis adorat*
> *Pubes.*

Apollonij quoque Thyanæi præceptum fuit, adueniente aurora cum diis esse versandum [i]. Legatur hoc etiam loco Cornelius noster, necnon de vespertino examine conscientiæ: quibus de rebus alibi & nos egimus.

Et ligabis ea quasi signum in manu tua.] Tale illud in cap. 11. [k] *Suspendite ea pro signo in manibus.* Vbi Hebraicè & Chaldaicè (*in manibus vestris*) Græcè (*in manu vestra.*) Alioqui phrasis vtrobique eadem; idem verbum [illegible] *kascar*, [illegible] *ketar*, [illegible]; & nomen [illegible] *oth* Hebræum Chaldæúmque ac Græcum [illegible]. Similis præterea sententia in Exodo [l] cum eodem nomine; (*& erit quasi signum in manu tua*) vbi particulam (*quasi*) apposuit Interpres, occurrens forsitan intelligentiæ Iudæorum crassiori, de qua diximus. Vt signaculum porrò sponsus poni se super cor sponsæ, brachiúmque postulans [m], Hebraicè [illegible] *chotham*, Chaldaicè [illegible] *gh› eloph debhizka*, *sculptura annuli*, Græcè [illegible]: quod etiam eodem pacto apud Aggæum [n] dicitur; *ponam te quasi signaculum*; & apud Ieremiam [o]: *si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum*; vbi est [illegible]. his, inquam, locis, insinuantur pridem antè dicta de vsu annuli ad memoriam, libertatem, ingenuitatémve, fidelitatem, potestatem: adde ad obsignandas literas, eáque quæ trita esse volumus, & secreta [p]. Notas adiiciunt aliqui seu stigmata, & characteres, quos inurunt aliqui sibi, aut imprimunt, in signum siue amoris, siue subiectionis, vt priùs quoque memini.

a v. 19. *Tempus matutinū ad orandum & meditandum opportunū.* b Prou. 8. 17. c Sap. 6. 15. d Exod. 34. 4. e Eccl. 39. 6. f epist. 95. g lib. 11. h lib. 7. i Philostrat. in vita. l. 1. c. 12. k v. 18. l c. 13. 9. m Cant. 8. 6. n c. 2. 24. o c. 22. 24. p Gen. 38. 15. 25. c. 41. 42. 3. Reg. 21. 8. Esther 3. 10. 12. c. 8. 2. 8. 10. Dan. 6. 17. c. 14. 16. 13. *Signandi vsus.*

De militibus Lipsius [a] refert manu inustum, vel impressum stigma gestasse, quo se profiterentur talis ducis milites esse. Quod & apud Gregoriũ [b] per manu signatos designari videtur. Epicuri imaginem Cicero [c] testatur, non modò in tabulis, sed etiam in poculis, & in anellis habitam à Græcis. Lege Pierium [d], Georgium [e] Longum, Clementem [f] Alexandrinum, Abrahamum [g] Gorlæum de annulis. Quò spectant etiam appensæ ad collum sacræ res, & reliquiæ, imagines, cruces, & similia: vel etiam alia in corporis parte gestata eiusmodi pia signa, necnon funiculi, corrigiæ, Scapulares vt vocant, &c. Nisi ad sequens membrum malis referre.

a 1. de militia Rom. c. 9.
b l. 2. epist. 100. & 103. vete. edit.
c 5. de finibus.
d l. 41. c. 8. & seqq.
e de annulis signatoriis.
f 3 pædag. c. 11.
g in dactyliotheca.

Et mouebuntur inter oculos tuos.] In Exodo [h] (*& quasi monumentum ante oculos tuos, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos.*) In Deuteronomij nostri cap. 11. [i] (*inter oculos vestros collocate.*) Dicto loco Exodi monimentum, זִכָּרוֹן *ziccharon*, &, *μνημόσυνον*, siue memoriale, denotant finem propter quem & præcedentia dicta sunt hoc loco, quæ vtrobique vocãtur Hebraicè טוטפת *totaphoth*, Chaldaicè תְּפִלִּין *thephillin*, necnon alio loco libri nostri. Chaldæo nomine Rabbini vtuntur, volentes esse frontales schedas affixas super oculus, & pertingentes ab aure vsque ad aurem; in quibus describantur certæ quædam sententiæ; vt, *sanctifica mihi omne primogenitum*, &c. *audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, &c. Caietanus, si ad literam hæc & priora sumãtur, de alligandis duobus præceptis hic antea positis interpretatur, quorum vnum sit in vno brachio, & ante vnum oculum, aliud in altero brachio, antéque oculum alterum. Sed mauult esse metaphoram de tanto studio, quanto quæ valdè cara sunt & pretiosa, æstimari ac gestari solent. Priore autem sensu fimbrias pertinere dicit ad recordationem cæterorũ mandatorum; schedas, quæ appellantur phylacteria apud Matthæum [k], vt meminissent duorum quæ hic tradita sunt de fide vnius Dei, eiusdémque dilectione. Oleaster [l] Hebræa voce contendit non significari propriè frontalem, aut monitoriũ, aut laminam, aut quæ Rabbini nominãt thephillin: sed specilla, siue ocularia, quæ super oculos gestari solent ad perspicacius aliquid cernendum; frontalem namque, seu laminã (idem est de scheda) super frontem videri non posse: & cùm pluraliter nomen ponatur, sequi duas esse debuisse, quod Rabbini de vnica traduut: & hic scribi, vt ponantur *totaphoth* non super, sed inter oculos. Quod Oleaster eamdem dictionem in Exodi citato loco notat extare; quæ hîc habetur, népe טוטפת *totaphoth*, verum est. Specilla verò siue ocularia, cõferunt quidem ad videndum; sed naso imposita inter oculos, non magis videntur ipsa, quàm frontalis scheda, vel lamina in fronte affixa, vt idem argumentabatur contra illas. Quare, omnibus pensatis, neque perspicilla recipi debent, vt alij tamen [m] adhuc volunt, neque quid aliud externum; sed præstat cuncta per metaphoram intelligere; quemadmodum alia non pauca in Scripturis diuinis; quale illud quod affert ex Esaia [n] Abulensis, de leone, qui vt bos paleam comedat; de vitulo, & leone, & oue, qui simul morentur; de puero, qui minet eos, &c. Id porrò vnde figurata locutio petitur, est quidquid dependet ad pectus, & infra oculos, vt conspici continuè possit; cuiusmodi catena, torques, monile; quod vltimum nomen dictum ferunt à monendo, quia gestantem virtutis admoneat. Cæterùm hic & allatis locis Exodi, ac alterius ex libro nostro, Interpres vt synonyma posuit, moueri inter oculos; appensum quid ante oculos; inter oculos collocare; ita vt non intellexerit fixum quid consistens in fronte, vt asserit Oleaster de conspicillis, sed locatum ea parte superiore, vnde pendeat, oculisque conspiciendum subiiciatur, siue moueatur, siue non moueatur. Græcum iisdem locis plurale nomen *ἀσάλευτα* significat immota: non quia dependentia non moueantur, sed quoniam ibi vnde dependent immotè ac fixè manent. Id valent *περιάμματα*, quòd circumnectantur & circumalligentur collo, præsertim ad arcendas noxas, quæ amuleta Latinè nominantur: quibus ferè synonyma *ἀποτρόπαια*; licèt hæc sæpiùs ex superstitiosa magiæ vanitate proficisci censeantur. Aliter præterea vocantur simili nomine *περίαπτα*, hísque interdum copulantur non dissimili notione *ἀλεξιφάρμακα* remedia aduersùs venenum, vel veneficium. Quod verò attinet ad ocularia, siue perspicilla, conspicilla (minùs rectè conspicilia) specilla, vt hoc etiam attingam; quia de his quosdam dixi sermonem esse velle, eorum vsus quàm sit antiquus non constat. Colligunt nonnulli ex Plauto;

h c. 13. 9. 16.
i c. 18.
k c. 23.
l hic & in Exod. 13.
m Philip. Diez tom. 1. p. 9. feria 2. post Domin. 1. Quadrag. Ioan Baptista Canotus lect. 19. in Iob.
n c. 11. 7.

Perspicillorum vsus.

Vitrum cedo, necesse est conspicillo vti.

Adde,

—[a] *dum redeo domum,*
Conspicillo consecutus est clanculum me vsque ad fores.

Præterea,

[b] *In conspicillo obseruabam: pallium adseruabam.*

a in Cistellaria actu 1. scen. 2.
b in Medico.

Nonius [c] vltimum versum declarat de loco, vnde quis conspicere possit; eodémque pacto eumdem & secundum Lambinus [d]; vltimumque Fridericus [e] Taubmanus hæreticus, id est, de specula: primum de oculari siue perspicillo auctor thesauri linguæ Latinæ, & auctor Calepini, Thomas [f] Garzonus, & Guidus [g] Pancirolus, cum Flauio Gualterio scholiaste eiusdem. Hic argumentatur; ex eo quòd, Nonio teste, vitrum extabat ætate Plauti, ac proinde verisimile est ad hunc vsum adhibitum fuisse, non solùm ad vitreas fenestras. Specularia vocantur, quæ olim è lapide speculari conficiebantur, quorum mentio apud Senecam [h], Martialem [i], Plinium [k] secundum, Iuuenalem [l], Brissonium [m], Raderum [n] nostrum; de quibus locutum putat Nonium. At Nonius vitri ad hoc certè propositum non meminit: sed vitrei, quod pertenue quid ac perlucidum significet per metaphoram, vt togam, auctore Varrone, quem citat. Profert etiam Plinium [o], scribentem quòd Caius Iulius medicus dum inungit, per oculum specillum trahens, expirauit: exponit autem dum is vt mederetur cuidam, imponere vellet sibi ocularia, expirasse. Rectiùs auctores linguæ Latinæ citati de instrumento medico etiam apud Plinium specillum & specium interpretantur, quo chirurgus vulnera scrutatur, & fistulas, aut quod adhibetur inungendis oculis, aut curandis auribus; de quo Celsus [p]. Medicus ergo ille, dum trahebat per oculum alterius, quem inungebat, specillum, id est, dictum instrumentum, non autem vitrum, vel vitreos orbiculos, quos adinouisset suis oculis ad clariùs cernendum (nec enim id trahere est) expirauit. Placet iisdem auctoribus magis Varronis [q] locus; *hinc quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum*. Sed nihilo magis, mea sententia, probat: cùm eius instrumenti munus disertè tradat Varro ad oculos inungendũ, dicatque *quibus*, népe oculis,

c de propr. sermonis.
d in Plaut. Cistell.
e ibidem.
f in piazza vniuersale Italicè c. de vitrarijs.
g 2. rerum memorab. 15.
h ep. 86 & 90. & lib. de prou. c. 4. 4. natu. quæst. c. vlt.
i l. 8. epig. 14. & 68.
k l. 2. ep. 1.
l Satyra 4.
m 17. de verb. signif.
n in Mart. l. 8. epig 14.
o l. 7. c. 5.
p l. 5. c. 28. l. 6. c. 6. n. 8. l. 7. c. 7. 3.
q 5. de ling. Lat.

nun

non quo specillo, *specimus*, hoc est, aspicimus. Incidi postquam hæc annotaueram, in eruditissimum Cælium [a] Rhodiginum; cuius libet hac de re iudicium, quod meo congruit, recitare. Denique parto hac monitos velim studiosos, illud Plinianum de oriotibus repentinis ex libro septimo [b] super omnia (omnes) *C. Iulius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens*, esse qui ad conspicilla referant, quæ insetta naribus visum mirè adiuuant. Sed Varro facilè hos retundit; apud quem ita legimus. *Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus.* Frater Iordanus apud Philippum Pandolphum scribit inuentum hoc recens esse, ac vigesimum tantùm ante annum [c]. At non dubito longè antè in vsu fuisse hoc instrumentum: & ex allatis testimoniis Plantinum primum, quod adhuc tamen non reperi, vim videtur habere: in quo petit quidam vitrum, quo vtatur tanquam conspicillo. Neronem prodit Plinius [d] gladiatorum pugnas spectasse Smaragdo; quo omnirum vteretur tanquam conspicillo. Verùm figuratè, vt dixi, significatur iugis meditatio, vt & per ligamentum in manu, executio: quæ hîc ideo præponitur velui ad quam dirigatur posterior, vt admonet Abulensis.

a l.15 c.13.
b c.53.
c Vocabulariũ Italicum cui nomẽ Crusca ex m.S. Philippi Pandolphi.
d l.37.c.5.

Scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.] In cap. 11. [e] (*Scribes ea super postes, & ianuas domus tuæ*) Græcè ibidem (*& scribetis illa in liminibus domorum vestrarum, & portarum vestrarum*) Chaldaicè (*& scribes ea super postes, & affiges ea in liminibus domus tuæ, & in portis tuis.*) Hoc loco Hebraicè (*& scribes ea super postibus domus tuæ, & in portis tuis*) Chaldaicè (*& scribes ea super liminibus, & affiges ea in postibus domus tuæ, & in ostio tuo*) Græcè (*& scribes ea in liminibus domorum tuarum, & portarum tuarum.*) Glossa interlinearis, & Hugo Card. explicant, vt ingrediens quis, egrediénsque semper ea meditetur. Marzilla, vt maximopere prouideat quis, ne quidquam contrarium dictis præceptis ingrediatur tam in domum, quàm in ciuitatem. Refert Abulensis Iudæos hoc obseruare, vt in aliqua schedula scribant præcepta, & faciant quasdam concauitates in ligno portarum, in quas illam immittant, superposito metallo cũ foramine, per quod videri possit. In 23. præcepto ex affirmatiuis Hebræi catalogi est; qui habet phylacteria in capite & brachiis; & cincinnos siue fimbrias in veste, atque schedam in ostio: adeò munitus, vt non facilè peccare possit. Augustinus [f], vt nuper memini, legens (*scribetis ea super limina domorum vestrarum, & ianuarum vestrarum*) negat secundùm proprietatem quemquam fecisse Israëlitarum commemorari vel legi; quia nec quisquam potest, nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suæ: propterea verò affirmat hyperbolicam commendationem esse, vt doceatur quanta cura & studio verba Dei sint commemoranda. Cæterùm non insolens est pro foribus vel in postibus, vel in celebriore aliquo loco insculpere aut inscribere celebriores vtilioresve sententias aliquas; vt testantur ἄ-, & γνῶθι σεαυτόν apud Græcos [g] in templo Apollinis: *Mane thecel Phares* in cœnatione regis Baltassar [h]. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, in palatio (alias in plateis) Imp. & in publicis operibus iussu Alexandri Seueri Imp. [i] Psalmi pœnitentiales in Augustini cubiculo [k]; *Bernarde ad quid venisti?* in eiusdem cella [l]. Iam verò quod attinet ad vocabula, limen sæpiùs ac propriè significat id quod ex transuerso in ianua statuitur infernè, & ingredientis exeuntisque illud calcatur limum est, id est, transuersum. Quando-

e v.20.
f q.17.
Pro foribus & postibus dicta celebriora inscribendi mos non infrequens.
g Plutar. de ei.
h Dan.5.5. 25. & 27. 28.
i Lamprid.
k Possid. in vita.
l Lumen qu.d. l in eius.

que tamen etiam accipitur pro parte superiore. Vnde Charmus Plautinianus [a],

Lumen superum inferúmque salue simul autem vale.
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

Salutabant enim limina, qui domum deserere in perpetuum volebant: alij liminibus [b], aut postibus oscula dabant amplexúsve [c], aut foribus [d], aut his serta, flores, coronas, lucernas [e]. Lege Turnebum [f], & Cerdam [g] nostrum, qui posterior profert præter citatos etiam Dionem [h], & Euripidem [i]: & nominatim de postibus ac liminibus templorum Arnobium [k], rursus Valerium [l] Maximum, & apud Apollonium [m]: item Senecam [n], & Ammianum [o]. De quo argumento plura ex nostris etiam Martinus [p] Roa tum quoad templa, tum quoad amatorum ædes. Hebræum nomen מזוזת *mezuzoth* vbicunque occurrit reddi solet [q] per postes, Græcè per σταθμούς. Sed hoc loco sunt φλιαί, cum quibus eamdem notionem habent interdum σταθμοί. Sed vt pro liminibus φλιαί sumantur sine pro vestibulis, dicentor quasi θλιαί à θλίβω tero. Nam postes planè differunt à liminibus, quia sunt latera ostiorum ea lapide aut ligno, quorum alter fores cardinibus affixos sustinet; alter seram ac repagula, cùm clauditur ostium, recipit. Immò quadruplex postis est, quem Vitruuius [r] vocat antepagmenta: & qui supernè ac infernè est seruit cardinibus portarum quas retinet; qui ab vtroque latere repagula & seras excipit. Sed & interdum huic rei bini alij adhibentur. Porrò limen non ita hîc aptè intelligere possumus, quia in eo frustrà scriberetur, cùm pedibus teratur: sed pro poste accipitur, vt etiam in eadem sententia c. 11. priùs citato. Quamquam & limen propriè sumendo, exaggeratio seu amplificatio censebitur. Tandem ostium, porta, ianua, synonymè sumuntur, & quandoque fores, valuæ, postes, limina, &c. licèt propriè portam conuenire velint muris, munitionibus, castris, vrbi ab aratro quod sublatum portabatur, vt Cato loquitur; alia nomina domibus. Idem dici potest de שער *schahhar* quod hîc extat, & de דלת *deleth*, פתח *pethach*.

a Plaut. in Mercat. act. 5. sce. 1.
b Tibul. l. 1. eleg. 2. Vir. Æn. 3. Thes. in Eratto.
c Virg Æn. 2. Val. Max. l. 1. c. 5 Liuius l. 45. extremo.
d Apollon. l. 4.
e Lucre. l. 4.
f l. 22. c. 5. l. 26. c. 23.
g in Æn. 2. v. 483. nota, 7.
h lib. 41.
i in Phœn.
Postes à liminibus differunt.
k lib. 1.
l l. 5 c. 10.
m lib. 2.
Postis quadruplex.
n de consol. ad Martiã.
o lib. 25.
p de die natali & fact. c. 18. 19. & 20.
q Exod 12. 7. & 21. 6. 1. Reg 1. 9. Esa 45 8. & 57. 8. Ezech. 45 19.
r l. 10. c. 21.

Vers. 10.] Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non ædificasti,

Vers. 11.] Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliueta, quæ non plantasti.

MEmoriam Dei, atque præceptorum ipsius tantopere commendatam excutere facilè prosperitas potest, bonorúmque affluẽtia efficere; vt obliuioni tradantur, & luxus luxuriam pariat, aliáque peccata. Quare hîc quidem cõmemoratur larga & munifica beneficentia Dei in Hebræum populũ; sequentibus autẽ versibus cauetur ingrata obliuio, inculcatúrque diuinus cultus ac legis diligens obseruatio. Eaprobrat certè Moses in cãtico [f], quòd incrassatus, dilatatus, impinguatus populus à Deo dilectus, recalcitrauisset, & dereliquisset Deũ factorem suũ. Videlicet, quia præsentibus externis bonis, pluris ea æstimabat quàm Deum; quem Deum quærere solet in aduersis constitutus.

Paraphr.
f Deut. 32, 15.

a 2. Esdr. c. 9. 5. Lege Abulensem [a]. In 2. Esdræ c. 9. toto continetur eadem exprobratio beneficiorū a Deo in populum collatorum; ac nominatim [b] quòd ceperint vrbes munitas, humum pinguem, domos plenas cunctis bonis, cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliueta, & ligna pomifera multa: & comederint, & saturati sint, & impinguati, & abundauerint deliciis in bonitate Dei magna; & prouocauerint eum ad iracundiam, & recesserint ab eo, & proiecerint legem ipsius post terga sua, &c.

Pro qua iurauit patribus tuis Abraham, &c.] Sic in cap. 1. [c] sed cum pronomine plurali. Eo loco indicaui alia testimonia iuratæ istius iisdem patribus promissionis, & quo pacto iurare conueniat Deo. Etsi verò non reperitur distinctè vbi Deus iurauerit Isaac, & Iacob; his tamen etiam iurauisse censetur, quia renouauit promissum factum Abraham cū iurauerat. Dixit quoque Deus ad Iacob; *tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo.*

Ciuitates magnas.] Idem epithetum extat c. 2. [d] & c. 9. [e] sed vltimo loco vocantur Latinè ingentes; & præterea dicuntur ibidem, & c. 1. vsque ad cælum munitæ ac muratæ. Celebratur à magnitudine Niniue, nominatim in prophetia [f] Ionæ; & in historia Iudith Ecbatanis; quarum illa obiabatur dictum trium dierum; hæc constans ex lapidibus quadris & sectis, habebat muros altitudinis cubitorum septuaginta, latitudinis triginta, turres altitudinis centum; per quatuor quadrum latus vtrumque, vicenorum pedum spatium tendebatur, & erant portæ in altitudinem turrium. Mitto Thebas, Babylonem, in Sinarum regione Pequinum; Quinsai etiam siue Santiam in magni Cham ditione, & alias, quarum texit catalogum Simon Maiolus [g]; & quas in Sina describit noster Nicolaus [h] Trigautius tanquam oculatus testis, item quas alter de nostris [i] Serarius, & Niniuem, & Ecbatanam.

Et optimas.] Vetus translatio Latina ex editione Græca *pulchras* reddit. Vtrumque valet καλάς tum pulchras, tum bonas; bonas Hebræum nomen טֹבֹת *tovoth*: superlatiuo autem caret Hebræa lingua & Chaldæa, vt & comparatiuo. In c. 3. [k] & 4. [l] optimam terram vetus Interpres.

Quas non ædificasti.] Similis huic & sequentium membrorum sententia habetur in libro Iosue [m]; & quidem Dei, qui loquens inducitur. *Dedique vobis terram, in qua non laborastis; & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis; vineas, & oliueta, quæ non plantastis.* Nec dissimiles in Iona [n], & in Iomne [o] *tu doluisti super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret: ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Labores manuum suarum comedens beatus censetur [p]: labores proprios comedere, aut perdi ab aliis [q] infelicitas: contra beatitudo quædam labores alienos possidere [r]. Exaggeratio quædam beneficij est id obtinere absque labore, ac more hæreditario succedens; vt ideirco hæreditatio appellari soleat nonnunquam terra illa promissa, & alibi ædificatis. Rarò admodum fit, vt externus hostis regione potiatur expugnatam, nisi suorum prius fuso multo sanguine, eiúmque ipsiusmet regionis deformatione insigni; qualem describit Esaias [s] Iudæorum desertam terram, ciuitates succensas igni, regionem deuoratam ab alienis, & desolatam sicut in vastitate hostili, & relictam Sion vt vmbraculum in vinea; & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitatem quæ vastatur. Querebatur proinde meritò Melibæus.

Impius [a] hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quò discordia ciues
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

Chananæis è contrario dicere velut antiquis possessoribus Hebræus populus poterat;

—hæc [b] mea sunt, veteres migrate coloni.

Certè in historia Iosue [c] mansisse narrantur Hebræi in Galgalis & campestribus Iosue, comedisseque de frugibus terræ: ac præter Iericho, Hai, Hasor dirutas Dei iussu in vindictæ exemplum; integras ciuitates omnes receperunt, agros etiam cultos & illæsos.

Domos plenas cunctarum opum.] Hebraicè Chaldaicéque *omni bono* כָּל־טוּב *chol tub*. Græcè *cunctis bonis*, πάντων ἀγαθῶν. Bonorum nomen exposuit per opes. Eumdem vsum habet sæpè substantiuè sumptum boni bonorúmque nomen, vt exemplis diuitiarum literarum supersedendum censeam; & interdum [d] cum addito dicuntur bona terræ. Vulgari hominum iudicio vix alia præter hæc bona censentur; dicúntque multi, *quis ostendit nobis bona* [e]? ac *beatum dixerunt populum, cui hæc sunt* [f]. Idem est apud profanos quoque scriptores de nominibus ἀγαθῶν, & ἀγαθὰ, pro commodo, emolumento, vtilitate, pro copiis, facultatibus, opibus, vt apud Xenophontem [g] post πολλὰ χρήματα, πολλὰς δὲ αἶγας, *multas pecudes, multos boues*, πολλαὶ ἅμαξαι πολλῶν ἀγαθῶν γεμαὶ *multa plaustra multis bonis referta*. Opes dictas aiunt à terra, quam ops significat, & latitant in ea, nam

Effodiuntur [h] opes irritamenta malorum.

Vel quasi oues, quemadmodum pecunia desecendit a pecus, diuesque, πολύμηλος dicitur, seu diues [i] pecoris; &

Diuitis [k] quarum messis & arbor erat.

Vnde opidum, quòd abundet opibus; opidò, id est, valdè, multùm, quia confabulantes quantum quisque frugum faceret, vt multitudinem designarent respondebant quantum vel opido satis esset, inquit Festus: præterea opulens, opulentus, opulentia, opimus, & opimitas, opiparum, quasi ope paratum, opitulari, eppia velut cum ope, inops, & inopia sine ope: ac nominatim, tellus is egens, & inhumatus seu insepultus.

Hæc [l] omnis quam cernis inops, inhumataque turba est.

Item caupona perinde vt copona, hoc est, taberna, quoniam copiis abundat, vt eidem auctori placet, &c. Ampliore notione opibus omne id quo aliquid possumus significatur, non diuitiæ duntaxat, verùm etiam bellicæ copiæ, milites, auctoritas, bona fama, amicitiæ, clientelæ, fautores, opida, castella, agri, quoduis auxilium. Ergit nostrer locus vt opes quibus essent plenæ domus intelligantur de rebus præsertim ad victum comparatis vitæque sustentationem. Opes alibi posuit Interpres vbi sunt in editionibus aliis *diuitiæ* [m] הוֹן *hon*, [illegible] *hilmthra*, [illegible] vel *bonum*, seu *bona* טוֹב *tob*, [illegible] (*tephorā*) quod pulchrum & bonum [n] vel [illegible] *rouo*, ad nod *rei* [o] *facultates*, *thesaurus* [p] vel [illegible] *potens robore* [q]; vel [illegible] *potentia granum* vel *le* [r] vel *tapades pretiosi* [s]; [illegible] *mamon*, [illegible] *chephet* [t] [illegible] vel *bonum*, [illegible] vel [illegible] *chosen* [u] [illegible] *iboltan* [illegible] vel [illegible] *chaal*; [illegible] vel [illegible] *hon*, [illegible] *hhatser*, [illegible] *Omnes*

a Virg. ecl. 1.
b eclog. 9.
c c. 5. 10.
d Esa. 1. 19. 1. Machab. 14.
e ps. 4. 7.
f ps. 143. 15.
g Pædia 4.
h Ouid. 1. metamor.
i Pecunia vnde. Virg. eclo. 2.
k Prop. l. 3. eleg. 13.
l Virg. 6. Eneid.
m Gen. 34. 29. c. 45. 18. Prou. 8. 18. Dan. 11. 24. Matth. 24. 47.
n Num. 31. 9.
o Iud. 18. 7.
p Ruth. 2. 1.
q Ps. 71. 1.
r Prou. 3.
s Eccl. 40. Ezech. 27.
t c. 27. 18.
u Dan. 11.

b Ps. 44. 26.
c c. 1. 8.
Explanatio.
Deum iurasse Isaac & Iacob.
d v. 28.
e v. 1.
f c. 1. et 3.
g com. 1. canic. dier. colloquio 23.
h libris de Christiana exped. apud Sinas.
i in Esther c. 9. 6. & 7.
k v. 25.
l v. 21.
m c. 24. 13.
n c. 4. 10.
o c. 4. 38.
p ps. 127. 2.
q ps. 77. 46.
r ps. 104. 44.
s c. 1. 7. 8.

Omnes illas opes, ait Abulensis, de manu hostium accipiebant, nec aliquid destruebant, nisi viros & mulieres, magnos & paruulos: cætera autem suscipiebant sibi. Et quia quando pugnabant contra Chananæos, illos in terra sua non poterant effugere, sed comprehendebant eos intra ipsam ciuitatem, aut apud ciuitatem debellabant eos, & non poterant fugere, non poterant secum portare quidquam de omnibus illis quæ possidebant. Sicut ergo Chananæi antè domites erant; ita oportebat manere domos eorum plenas omnibus illis diuitiis quas antè possidebant, cùm ipsi habitatores interirent in ciuitatibus, vel apud ciuitatem, & nihil secum portare possent fugientes ad alia loca. Sic ille. Peculiari simul factum diuina prouidentia videtur, vt quod factitant qui desperant, non admouerint Chananæi opibus suis flammas, sed intactas & integras Hebræis relinquere coacti sint.

Quas non extruxisti.] Iuxta cæteras editiones (*quas non impleuisti*, מִלֵּאתָ *milletha*, מַלֵּיתָא *malletha*, ἐνέπλησας. Extructio respicit potiùs domos; impletio opes. Nec domos illas Hebræi extruxerant, nec eas opibus impleuerant; sed iam extructas, opibúsque plenas occupaturi & possessuri erant. Potest etiam Hebræum verbum, eique simile Chaldæum reddi *aucdisti*, aut *perfecisti*, & sic referri ad domos, vt & Latinum nostrum *extruxisti*. Plus tamen quiddam est domos opibus plenas & ab aliis repletas possidere, quàm solùm extructas; nec extrui opes propriè dici solent, aut possunt.

Cisternas quas non fodisti.] Chananæa regio non abundabat aquis quemadmodum Ægyptiaca, sed montuosa & campestris de cælo expectans aquas, vt habetur inferiùs cap. 11. [a] propterea ibi cisternæ ad colligendas aquas cælestes construebantur. Addunt hic editiones aliæ participium ad cisternas, videlicet effossas, seu excisas, חֲצוּבִים *chatsubim*, פְּסִילָן *pesilan*, λελατομημένους: cisternæ autem vocantur בֹּרוֹת *boroth*, forma fœminina, cùm participium sit masculinum, vt & גֻּבִּין *gubbin*, & λάκκοι. Nomen Hebræum בּוֹר *bor* significat propriè fossam excisam ad colligendam aquas pluuias, indeque transfertur ad carcerem, & sepulchrum, quæ fiunt in fossa: cùm בְּאֵר *beer* sit puteus, vbi aquæ scaturiunt: quamuis Rabbini confundant; & quidam בְּאֵר *beer* puteo operculum vel asseres duntaxat faciant; בּוֹר *bor* parietem sino macum altum palmis ferè decem. In cap. 5. [b] Prouerbiorum; *bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*; sunt dicta nomina duo בּוֹר *bor*, & בְּאֵר *beer*, vbi primum Caietanus per puteum non rectè conuertit. Redditur בּוֹר *bor* alibi [c] eodem pacto per λάκκον, & cisternam; & גֻּבָּא *gubba* quandoque [d] per οἶκον λάκκου, *domum laci*, & בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum*; aliàs [e] per carcerem, ὀχύρωμα *munitionem*; בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum*; vel loco illos Græci, per [f] λάκκον [g]: nonnumquam Latinè per lacum Chaldaice per שׁוּחָא *scuach*, *fossam* [h]: interdum per lacum, & λάκκον, sed per Chaldæum גֻּבָּא *gubba*; vel iuxta vltimam editionem per domum sepulchri בֵּית קְבוּרְתָּא *beth keuurtha* [i]: aliquando per λάκκον, & lacum, & בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum* [k]: aliàs [l] est בֵּית הַבּוֹר *beth habbor*, & Latinè atque Græcè *domus laci*, οἶκος τοῦ λάκκου, sed Chaldaicè *domus vinctorum*, בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*: denique pro בּוֹר *bor* ponitur βόθυνος, *fouea* & גּוּב בֵּית אֲבַדָּנָא *gub beth audana*, *lacus domus perditionis*, & Latinè *lacus* [m]. Omisso lacu, de quo egi alibi [n], cisternam dictam volunt, quòd sit cis, id est, infra terram: nec enim habet perpetuam causam, sed locus est ad colligendã aquam pluuiam aptus, imbribúsque concipitur [a], sed per glaream immissam in spōgias percolatur [b]. Cisternam tamē quoque viuã dixit Vlpianus [c], ad eius nempe custodiam locum effossum. Verùm rarior est notio, communis de aquis, cisternasque & piscinas Tacitus [d] seruandis imbribus destinatas ait: Philostratus [e] ὑποδοχὴν ὕδατος ὀμβρίου vocat. Appellantur etiam δεξαμεναί, hoc est, vt scribit Iosephus [f], ὑδάτων ὑποδοχαί, siue, vt Hesychius [g], δοχεῖα, aliter ὑδροδόχια, *aquarum receptacula*. Gubam Syro sermone dici tradit Hieronymus [h] quam appellamus cisternam. Lege Brissonium [i]. Si omnino aqua non est viua, inquit Varro [k], præcipiens de villa, & aqua villæ, cisternæ faciundæ sub tectis, & lacus sub dio, ex altero loco vt homines, ex altero vt pecus vti possit. Vbi distinguit à lacu cisternam. Quo autem construi modo debeat describit Palladius [l], Plinius [m], Vitruuius [n] cum Xylandro, pernobiscus [o] verò etiam sit mè salubrior aqua cælestis cisternis concepta, postque illum Rhodiginus [p], & miratur ille cisternam à aliquibus maximè probari, cùm non profluat. Puteorum inuentorem Danaum facit Plinius [q], qui ex Ægypto aduectus in Græciam, quæ vocabatur Argos Dipsion, id est, siticulosum (Seneca [r] veterem vocat Argi sitim [s]) eos foderit. Refellit Polydorus [t] Virgilius, quoniam de puteis mentio fit in Genesi [u] ætate Abraham & Isaac multò antiquiorum quàm fuerit Danaus, vt ostendit Iosephus [x]: nec Argis Danaus puteos fodit, quòd oppidum Argos aquis carebat,

——— Ἄργος ἄνυδρον:

Dy posuerunt Argos inaquosum,

inquit ab Strabone [x] citatus Homerus: verùm eius filiæ; quoniam ———

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν, Ἄργος ἔνυδρον.

Argos inaquosum existens, Danaæ posuerunt Argos aquosum.

Licèt autem id Hesiodus [y] ipsimet Danao tribuat,

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον,

Argos inaquosum Danaus fecit aquosum.

nihil refert: quia longè vetustior, vt dixi, puteorum vsus. Idem pari ratione asseri de cisternis potest, de quibus item in Genesi [z], sed siccis in Exodo [aa], Leuitico. [bb] Legatur de puteis Argos Rhodiginus. [cc]

Vineta, & oliueta quæ non plantasti.] Citato pridem loco libri Iosue [dd] habetur datas à Deo vineas & oliueta Hebræis, quæ non plantauerant, vbi est compositum κατεφυτεύσατε, hic simplex ἐφύτευσας. Etsi verò vitium acini, & oliuarum ossa si serantur, seu terræ mandentur, proferre ac euadere in plantas queant, & in genere herbæ ac ligna pomifera, propter semen in semetipsis [ee], tardiùs id euenit, quàm si plantentur ea quæ seri & plantari possunt: quædam enim non nisi seri valent. Vini & olei crebra mentio inter commodas victui res, vnà cum frumento, vt Psal. 4. [ff] docuit; *à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt*: & in apologo illo primarum ligna defecere voluerunt oliuæ, viti, simul & ficui [gg]: quæ tres plantæ memorantur [hh] alibi. Sed vinearum oliuarúmque cultura laboriosior; vt de prioribus Esaias [ii] tradit, *quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ?* &c. ac Poëta, [kk]

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est, namque omne quotannis

a v. 10. 11. — b vers. 15. — c Gene. 37. 22. Exo. 21. 33. 34. Leui. 11. 36. 2. Reg. 23. 20. 2. Paral. 26. 10. — d Gene. 40. 15. — e c. 41. 14. — f Exo. 12. 29. — g Psal. 7. 16. — h Psal. 28. 1. sec. Hebr. & 3. sec. vulg. edit. — i Psal. 30. 4. vel 29. 4. Psal. 143. 7. vel 142. 4. — k Psal. 88. 5. vel 87. 5. — l Ier. 38. 16. — m Ezech. 31. 14. — n in Psal. 7. 16. & in Psal. 28. &c. — *Cisterna etymon.*

a l. 1. §. hoc interdicto. D. de font. l. 14. in fi. D. de alimen. — *Cisterna viui apud Vlpianum.* — b l. vulgaris. §. sed si de pecu. D. de furt. — c ibidem. — d lib. 22. — e 2. de vitis Sophistarũ in Herode. — f 5. antiq. c. 13. lib. 7. c. 21. — g in lexico. — h in vita Pauli eremitæ. — i de verb. significat. verbo *cisterna*. — k 1. de re rust. c. 11. — *Puteorum inuentor quis, ex Plinio.* — *Refellitur.* — l 1. de re rust. tit. 17. — m lib. 36. c. 23. — n li. 8. c. vlt. — o li. 31. c. 3. — p lib. 27. c. 2 & seqq. — q li. 7. c. 56. — r in Thyeste vers. 118. — s 3. de inuent. rerum. cap. 9. — t c. 26. 15. & seqq. — u contra Apion. — x lib. 8. — y citat Eustath. in Iliad. δ. — z c. 37. 22. 24. 27. 28. — aa c. 21. 33. 34. — *Vinea & oliua.* — bb c. 11. 36. — cc lib. 10. c. 17. — dd c. 24. 13. — ee Gene. 1. 11. 12. — ff vers. 8. — gg Iudic. 9. 8 & seqq. — hh Abac. 3. 17. — ii cap. 5. 4. — kk Virg. Georg. 2.

fieri debeat huius veritatis de vno Deo professio. Sed & Carolus Magnus [a] præcipit vt prædicetur hoc primum præceptum populo his ipsis verbis quæ hic extant. Eugubinus in commentario huius loci, quem Theodoretus [b], Glossæ, Hugo, Burgensis, Rickelius de Trinitatis explicant mysterio; præterea idem Theodoretus [c] alibi, Augustinus [d] (hic ait id voce clarissima Scripturam diuinam hoc loco dicere) Idacius [e], Nyssenus [f], Pelusiota [g], Euthymius [h], Arnobius [i] Romanus iunior, Hormisda [k] Papa: item ex Scholasticis noster Vasquez [l] & alij: adhæc Hector [m] Pintus, Ludouicus [n] Sotomaior, Gilbertus [o] Genebrardus, & plures; admittit immeritò R. Mosis, quem cognominat rabiosum, acerbiorem reprehensionem aduersùs eiusmodi expositionem. Addit verò potuisse quidem esse, vt aliquis insulsior è nostris id Iudæo illi dixerit; & imperitos vocat qui colligant ex talibus locis Trinitatem, & ludibrio exponant nos oculatis Iudæis. Tandem dici docet hic Dominum Deum, eo quòd semper in diuinis literis Deus bis duobus nominibus simul coniunctis soleat nuncupari Elohim & Iehouah; quorum istud essentiam diuinam significet, illud fortitudinem. Fateor & hunc nostrum, & similes locos, non planè conuincere: & ab aliis istum produci, ad probandam solam vnitatem Dei; vt à Clemente [p] Romano, Athanasio [q], Chrysostomo [r], Hilario [s], Ambrosio [t], Augustino [u], Nouatiano [x], Hormisda [y] Papa, Felice [z] Papa, Cyrillo [aa] Alexandrino, Damasceno [bb], Aquinate [cc], Carolo Magno [dd]: ex quibus Clemens [ee] naturalem ait do hoc notitiam esse; Chrysostomus [ff], quòd Iudæi non tenebantur ad fidem Christi (explicitam videlicet,) idque illis propositum, postquam vitulum adorauerunt; Hilarius [gg] propter eosdem Iudæos in Ægypto, & in deserto idolis & deorum (vt putabant) religionibus occupatos. Cyrillus [hh] Alex. quoniam tunc sufficiebat à multorum cultu deorum ad vnum homines euocari. Ob simile periculum idololatriæ notat Galatinus [ii] mysterium Trinitatis minùs apertè traditum in vetere Testamento: sed vt Rabbini quoque veteres, quos citat, docuerunt, reseruatam clariorem cognitionem in tempora Messiæ. Præterea concedo nonnullos de Patre propriè interpretatos, vt Ignatium [kk], Irenæum [ll], Cyprianum [mm]. Immò Irenæus [nn] quando Christus hæc ipsa verba recitauit [oo], de Patre intellexisse scribit; nō quòd, vt Irenæi monuit Scholiastes Franciscus Feuardentius, vellet sibi ac Spiritui sancto idem non competere; quia vt de vnaquaque persona singillatim dicitur, inquit Augustinus [pp], Pater Deus vnus est, Filius Deus vnus est, Spiritus sanctus Deus vnus est: ita & de tribus coniunctim, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus Deus vnus est; & vnus [qq] est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est, ipsa Trinitas vnus est Deus, de quo dictum est, quia nullus est Deus, nisi vnus, qui dixit (per Moysem) *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Denique docet [rr] idem Pater eo modo loquendi, quamuis tribuatur Patri (quod contendebant Ariani soli illi tribui posse,) non excludi Filium, & Spiritum sanctum. Atque idem iudicium est etiam cùm dicitur Pater solus verus [ss] Deus; nimirum ad distinctionem falsorum deorum, non autem aliarum duarum personarum Filij & Spiritus sancti, quæ cum persona Patris sunt vnus & solus verus Deus, ob τὸ ὁμοούσιον & consubstantialitatē seu vnicam ac eandem omnino trium naturam. Canon hic tritus est, ac nominatim à Chrysostomo [a] expressus; quādo in Scriptura siue veteri, siue noua dicitur vnū esse Deū, & præter eum aliū non esse, non ad distinctionem Filij (adde nec Spiritus sancti) sed ad exclusionem deorum idolorum. Quapropter Eugubini acrior sanè reprehensio est; cùm non pauci, nec parum graues auctores, de Trinitate præsentem locum accipiant: & Augustinus ex eo argumentetur aduersus Arianos, saltem argumento vt vocant ad hominem, vt adhuc paulò pòst videbimus. Ambrosij porrò tropologia est, quam citat Glossa ex annotatione in Exodum ad Iustum. *Et tu ad similitudinem Domini vnus esto, atque idem. Non hodie sobrius, cras ebriosus; hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens. Mutatur enim vnusquisque morum varietate & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sit degener.*

a lib. 5. legum c. 6. b quæst. 2. c de curād. Græc. affect. d 3. cōt. Maximin. c. 23. e cont. Varimad. f contra Iudæ. g li. 3. epist. 512. h in Marci. 12. i in conflictu catholici cum Serapione. k ep. 76. ad Iustin. Imp. l 1. p. tom. 1. dis. 108 c. 2. m in Dan. 14. n in Cāt. 1. o 2. de Tri. p 6. constit. c. 20. q ora. cont. Gent. & cōt. Aria de Syno. Arim de cōmu. essen. Patr. &c. dial. 1. cont. Maced. 1. de Trin. r hom. 81. ad pop. de S. Phoca & 10. in nouo sect. 2. 10 id Ap. *habētes eūdē Spiritum, &c.* & hom. 37. in Matth. s 4. de Trin. t 1. de fide cap. 1. 3. de Spiritu S. cap. 17. u 5. de Tr. c. 11. cōt. ser. Ari. c. 1. ser. 4. de temp. x de Trin apud Tert. y epist. 79. z epist. 3. aa 9. in Ioā. cap 35. bb lib. 1. c. 5. cc in Ioan. 10. lect. 6 & 1. p. q. 11. a. 3. dd lib. 1 legum. c. 6. ee 6. const. c. 20. ff ho. 37. in Matt. & 10. & nouo ser. 2. de verb. Apo. *habentes eūdē Spiritum, &c.* gg 4. de Tr. hh 9. in Ioā. cap 35. ii lib. 2. c. 1. kk epist. ad Philip. ll lib 4. c. 8. lib. 5. c. 22. mm in orat. Dominic.

nn lib. 4. c. 2. oo Marci 12. 29. pp 7. de Trin. c. 4. qq 3. contr. Maximi. cap. 10. rr suprà & 5. de Trin. c. 11. ss Ioan. 17. 3.

Audi Israel.] Priore versu Hebraicè, Chaldaicéque (*& audies*) hic (*audi:*) Græcè, ἄκυε: ibi ἄκουσον. Futurum seruit imperatiuo: atque huiusmodi est vtrumque Græcum verbum. Quidam codices Hebræi maiusculam literam in fine notant שמע *ssemaHH*, ad indicandum quanti sit momenti quod hic traditur; & cum quanta cautela literæ singulæ proferendæ; vt priùs quoque monui. Marcus [b] ista cum sequentibus à Christo memorat recitata.

Dominus Deus noster.] Pronomen (*tuus*) habent citati Patres Græci & Latini: & apud Marcum [c] præterea extat Latinè, quamuis Græcè sit ἡμῶν (*noster.*) & Syriacè sit affixum plurale primæ personæ אלהן *elohan*. Aliqui etiam hoc loco legunt (*vester.*) Hebræa nomina sunt יהוה *Iehouah*, & אלהים *Elohim*, & Chaldæa his similia; nisi quòd secundum habet formam singularem, nempe אלהא *eloha*: Græca κύριος ὁ Θεός. Galatinus [d] contendit bis reddendum nomen *Deus*, ac tertiò quoque in sequenti membro. Sed ratio ipsius supponit esse ter hoc loco nomen יהוה ineffabile, pro quo Hebræi pronuncient אדני *Adonai*: cùm tamen sit semel אלהים *Elohim*. In Psalmo 66. ter habent nomen *Deus*, & Θεὸς, & אלהים *Elohim*, tum Hebraicè, tum Chaldaicè; *benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Itaque ex nomine illo ineffabili, quod hic initio extat, & in sequenti membro, argumenti vis maior non efficitur: cùm ea aliis nominibus æquè idem colligatur, prout Deo soli tribuuntur; si quid in huiusmodi repetitionibus momenti concedatur inesse. Arianos confutat Augustinus [e], qui admittentes Christum esse Dominum Deum, negabant absolutè nominandum Deum, vt & Spiritum sanctum nolebant vocari Dominum Deum: immò hunc nostrum locum de solo Patre intelligi contendebant. Nam hic & alibi asseritur quòd Dominus Deus, vel etiam quòd Dominus vnus tantùm est: cùmque constet ipsorummet confessione, Patrem esse verū Deum, nō tantùm Dominum Deum, vel Dominum, sequitur Christo easdē appellationes propriè ac verè conuenire; qui quidem vnus est tantùm Deus cum Patre; quia ὁμοούσιος & consubstantialis, eiusdémque prorsus naturæ cum ipso, ob ineffabilem coniunctionem deitatis, & summam vnitatem, absque vlla diuersitate naturarum, non solùm propter consensionem voluntatum. Testatur quoque Chrysostomus [f] nonnullos hæreticos (Arianos nempe) dum Filium Patre minorem esse volunt ostendere, inusitata nomina

a hom. 78. in Matth. *Explanatio.* b c. 12. 29. c suprà. d suprà. *Arianorum error.* e 3. contr. Maximin. c. 10. & 23. f hom. 81. ad popo. de S. Phoca.

nominis perquirere, ac Deum quidem Patrem esse, Filium verò Dominum, sicque nomina diuidere. Confutat id ex verbis psalmi *, *voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum deprecatus sum*: quæ cùm, ipsismet concedentibus, conueniant Patri, sequitur quòd Deus est Filius, & Dominus Pater: item ex Paulo *, *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*. Denique probat non esse nomen *Deus θεός*, splendidius seu venerabilius κυριώτερον, quàm *Dominus κύριος*, nec hoc minus θεῖον, quàm illud: citans nescio vnde, *iste Dominus κύριος qui fecit cælum; iste Deus θεός qui terram condidit*. Confirmat & ex præsenti loco nostro, vbi primùm est Dominus, deinde Deus, tandem iterum Dominus. Quòd si hoc deterius esset, nimirum *Dominus κύριος*, illud, scilicet *Deus θεός*, maius; non de magna, inquit, maiorique substantia vocabulum minus primùm posuisset (Moses) sed maiori dicto, contentus fuisset, neque minus attribuisset. Et quomodo *vnus* (quod est in membro sequenti) si duo sunt nomina, hoc quidem minoris, illud verò substantiæ maioris? Vrget præterea psalmum alium [a], *cognoscant quia nomen tibi Dominus; tu solus altissimus super omnem terram*, vbi si maius & magis est proprium nomen Deus, id vsurpandum fuerat. Affert item ex Baruch [b], *hic est Deus noster, non æstimabitur alius ad eum, adinuenit omnem viam scientiæ: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Qui locus de Christo est, cui tribuitur nomen *Deus θεός*. Qui attendit ad יהוה *Iehouah*, pro quo *Dominus*, & κύριος reddi solet, non ambigit, quia censerut, vt dixi, maximè proprium nomen Dei.

Dominus vnus est.] Repetitur, vt antè dixi, nomen Hebræum ineffabile, & Græcum κύριος. Quod nomen κύριος, cui magis propriè respondet אדני *Adonai*, solitum proferri loco alterius, vt eiusdem pundis etiam indicant illi affixa, exprimere solent L X X. quando ipsum occurrit. Idem obseruatur in Testamento nouo, vt scilicet subeat vox κύριος & *Dominus* vicem proprij dicti nominis; & θεός ac *Deus* appellatiuè potiùs accipiantur. Vnde quemadmodum dicitur, Petrus est homo, ita, *Dominus* [c] *ipse est Deus; Dominus* [d] *est magnus Deus*. Apud Matteum [e], Latinum nomen, *Deus*, est: ac ita ferè citatur à Patribus quos antea nominaui, sed Græcum κύριος Dominum significans, vt in priore membro ante nomen θεός: Syriacum vtrobique מריא *marïa* idem valens. Quidam tamen etiam libri Latini habent (*Dominus*) vt notat Lucas [f] Brugensis. Quod adiicit tertiam & vltimam sententiæ huius literam hoc loco scribi maiusculè, equidem non deprehendi; sed tantùm ad verbi שמע *ſcemaHH* finem, idest, *audi*; vt præmonui, & in fine postremi nominis אחד *echaD*, hoc est *vnus*: quod item in Rabbinicis commentariis, & in nonnullis Bibliis notatur hoc pacto עין רבתי, & דלת רבתי, idest, *hhain* maiuscula, & *daleth* maiuscula. Dixi quoque antea de nomine eodem Hebræo, prout attribuitur Deo. Origenes [g] autem, cùm hic dicitur Deus vnus, docet non tantùm designari vnum numero, qui supra omnem numerum credendus est; sed potiùs quòd nunquam in aliud vertatur, sicut de Deo Dauid [h] protestatur; *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*; & Malachias [i]; *Ego sum Dominus Deus vester, & non mutor*: Dei esse imitatorem iustum ad eius conditum imaginem, qui cùm in virtutis summa constiterit, non mutatur, sed vnus permanet semper; quoniam dum in sceleribus versatur vnusquisque, per multa diuisus, & in diuersa dispersus, dici non potest vnus. Dei vnitas, simplicitas, perfectio, integritas, & similia, quid importent considerant Scholastici.

* ps.141.1.
* 1.Cor.8.1.
a ps.82.19.
b c.3.38.
c Deut.4.35.
d ps.94.3.
e c.22.29.
f ibidem.
g hom.9 in ca. in libros Regum.
h ps.101.27.
i c.3.6.

Vers. 5.] Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

EX notitia seu fide, quæ priore versu proponitur, quòd sit Dominus Deus, vnus ac solus Deus Dominúsque, ac proinde perfectissimus, necessariò sequitur, quanto maximo fieri potest amore, à rationali creatura diligendum esse; quoniam in illo quæuis ratio boni, quod est obiectum voluntatis, modo prorsus excellentissimo reperitur. In c.10. [a] & 11. [b] atque in 4.Reg.c.23. [c] repetitur idem præceptum, vt diligatur Dominus Deus, & seruiatur ei in toto corde & anima: in Euangeliis [d] autem, vbi cognominatur magnum mandatum, maximum, primum omnium, vt ex toto corde, anima, mente seu intellectu, virtute seu fortitudine, seu viribus; vel in toto corde, &c. in tota anima & mente, &c. vel ex omnibus viribus, omni mente, &c. Ibidem qui tentando interrogauerat scriba siue legisperitus, laudauit responsum Christi, appellans magistrum, qui benè in veritate dixisset, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum; & vt diligatur ex totò corde, &c. vicissim verò etiam Christus, videns quòd sapienter respondisset, dixit illi; *non es longè à regno* [e] *Dei*. De singulis vocabulis agetur seorsim postea: nec improbabiliter loquuntur hoc loco Cornelius noster, & Leonardus Marius, atque in concordia euangelica Iansenius [f], ac rursus ex nostris Valentia [g], Bellarminus [h], Vasques [i], qui synonymè cuncta sumunt, quia Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus in Matth.c.22. & Ambrosius in c.10. Lucæ, vbi agitur de isto præcepto, nullam distinctionem agnoscunt: variè quoque locis variis eadem sententia habetur; vt designetur per maiorem quamdam emphasim, energiam, exaggerationem, amplificationem, expressionem, inculcationem, amandum Deum verè, sincerè, non fictè, non simulatè; animo affectúque toto, nullam eius quasi partem communicando vlli rei Deo contrariæ, perinde ac si plures haberentur & colerentur dij; (quo pacto Samaritæ cum Deo vero colebant alios [k], quod est diuisum habere cor, vnde necessariò sequatur interitus [l]: igne sacrificare alieno [m]: duobus dominis seruire [n]: cor Deo petenti non præbere [o]: quod tamen literaliter de Salomone attentionem poscenti exponitur;) vt antè dictum est vnicus verus dumtaxat est Deus, finis omnis cogitationis, actionis, amoris nostri. Ad hoc iubemur conari, & conari possumus iuxta prædictum modum comparationis, & finis, necnon appretiationis, quo pluris æstimetur amicitia Dei, & eiusdem amor ex amicitia, quàm cuiuslibet alterius rei. Quod non requirit aut exclusionem alterius amoris, qui Deo subordinetur, nec sit contrarius; aut intensionem; quia per quemcumque talis amoris gradum satisfieri potest præcepto; aut continuationem absque interruptione. Hoc vltimum reseruatur in tempus beatitudinis, vbi & semper, & intensissimè diligetur Deus pro gradibus gratiæ, quam quisque consecutus fuerit: quemadmodum & præceptum de non concupiscendo ibidem perfectè implebitur, vt Augustinus [p] docet;

PARAPHR.
a v.12.
b v.13.
c vers.3.
d Matt.22.36.37.38. Marc.12.29.30.33. Lucæ 10.27.
e Marc.12.32.33.34.
f c.81.
g 2.2. disp.13.q.19. puncto 1.
h de monachis c.13.
i 1.2.disp.194.n.20.
k 4.Reg.7.17.
l Ose.10.2.
m Leu.10.1.
n Lucæ 16.13. Matth.6.24.
o Prou.23.26.
p de spiritu & lit. c.vlt. 1. de doctr. c.26. 27.28.

nunc pro statu infirmæ naturæ nostræ, & quantum sufficit, vt Deo impossibilia non præcipienti satisfaciamus cum gratia eiusdem: quæ an sit quoque necessaria vt diligatur Deus tanquam auctor naturæ super omnia, nunc non dispoto. Omnibus insitum scribit id præceptum naturaliter, Clemens [a] Romanus. Iosias quidem rex reuersus ad Dominum dicitur in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnem legem [b] Moysi: Samuel exegit vt reuerterentur Hebræi ad Dominum ex toto corde [c]: Dauid securus dicitur Deum in toto corde suo [d], & de omni corde laudauisse Dominum, & dilexisse Deum [e]: & ipse de se ait quòd in toto corde exquisiuit eum, necnon de aliis quod idem fecerint [f], & cap. 4. [g] libri nostri inueniendus scribitur Deus, si tamen in toto corde & tota tribulatione animæ quæratur: parentes Ioannis incessisse in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela [h]. Dauid rursum fuisse secundùm cor Dei [i]; quod sanè indicat cor cordi Dei siue voluntati cōformē. Iudæi sub Asa rege in omni corde suo iurauisse, & in tota voluntate quæsiuisse Dominum, & inuenisse eum [k]; quærenti à Christo quid faciendo æternam vitam possideret, cùm Christus interrogasset quid in lege scriptum esset, & ille respondisset hoc præceptum, dixit Christus, *hoc fac, & viues* [l]; *sicut qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est; ita qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est* [m]: *& hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt* [n]: rursum Christus, *qui habet*, inquit [o], *mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*: finis præcepti caritas est, plenitudo legis dilectio: impleri ergo cum ea potest. Lege de nostris Bellarminū [p], & Vasques [q]: præterea Franciscum [r] Soonium, & Cornelium [s] Iansenium. Porrò admissa distinctione inter vocabula, Iacobus item noster Aluares, docens io caritate præsertim erga Deum sitam perfectionem [t], & disputans quando istud præceptum obliget, sex diuersas rex agnoscit, ac prolixa oratione, plaque declarat: vt sit his modis diligere, affectiones omnes, cogitationes, actiones ad Deum referre, nec aliod in omnibus quàm ipsum vel propter ipsum quærere. Ex toto eum do autem explicat [u], id est, ex toto cordis seu voluntatis interno affectu, &, vt Bernardus [x] ait, ex adio affectionis; ita vt iuxta huius doctrinam, animæ amor, pertineat ad industriam seu iodicium rationis; virtutis, ad animi constantiam & vigorem, vsque ad mortis perpessionem, si sit opus. Mox eleganter omnem cordis physiologiam caritatis perfectioni applicat; quæ consistit in soliditate substantiæ: in calore: in figura pinea, cuius latitudo sursum, cuspis deorsum: in quibusdam partibus sinuosis; in situ nobiliore, qui medius est, tanquam quod cæteris membris præstet, ac præsideatur, & ex quo vita procedat [y]: in perpetuo motu, per compressionem mala expellendo, per dilatationem admittendo bona: in osse ei contiguo ad basim, quo firmius redditur: in quibusdam velut auriculis: in tunica seu membrana qua operitur. Tale cor præberi sibi Deus petit [z]. Deinde dilectionem ex tota anima declarat [aa], hoc est, ex tota vita (quæ notio familiaris est literis diuinis) vt eius actiones omnes dirigantur ad Deum, etiam animales, & quibus ipsa sustentatur; & exponatur ac profundatur, si res ferat, pro Deo; nec viuat sibi quis, sed Domino [bb]; immò viuere eius Christus sit, nec ipse viuat dū viuit, sed in ipso Christus [cc];

cui offeratur vita in holocaustum secundùm eiusdem ritus moraliter sumptos, prout idem Aluares illos enucleat: postremò vt quod corpori anima est, vitam corporalem communicando, id arbitremur Deum esse animæ nostræ, gratiam largiendo. Tertiò ex tota mente, diligi Deum considerat [a], posita differentia inter animam & spiritum [b], hùncque pro mente accipiendo, quando rationales eiusdem animæ potentiæ memoria, intellectus, voluntas Deo adhærent, illúmque peculiari modo inhabitantem continent, & animam eundem tanquam templum [c]; quia etsi vbique sit per diuinitatis præsentiam (adde essentiam, potentiam) sed non vbique, inquit Augustinus [d], per habitationis gratiam: atque, vt Bernardus [e], per amorem, & voluntatis concordiam. Quartò dilectio, ex omnibus viribus attenditur ab [f] eodem in hoc, vt omnes potentias tum superioris ac rationalis partis, tum animalis ac vegetatiuæ, impendamus in Dei famulatum, necnon dona talenta que omnia nobis collata, vel à nobis acquisita. Quintum, *ex tota virtute* [g], vult denotare nisum, conatum, contentionem, impetum, impulsum iuxta facultatem, vt non remissè, lentè, tepidè, negligenter; sed, vt ipsum virtutis importat nomen, quanta potest vi diligat Deum, ac strenuè, diligenter, feruenter, alacriter, atque vt Aquinas [h] loquitur, experiendo summum potentiæ, & quidem continuando quantum licet, ac magis magisque proficiendo. Vltimum *ex omni fortitudine*; an esse, si diligat Dominum inter tentationes, tribulationes, tormenta, mortem ipsámque tantum summo conatu ad agendum, quod ad præcedentem spectat conditionem; sed etiam eodem ad sustinendum, vt ab eodem Angelico [i] Doctore obseruatur; nec sit duntaxat amor inflammatus in non appetendis istis temperans, verum etiam in amittendis fortis, inquit Augustinus [k]; Augustinus propter Deum facile perferens [l]; nec quidquam separet à caritate Christi [m], nec aquæ multæ aut flumina valeant extinguere & obruere [n]: & ad similitudinem vsti, qui ab alueari nec verberibus, nec spinis auelli potest; nulla ægritudine, dolore, molestia separari potest à dulcedine diuinæ voluntatis, & à vera resignatione separari, vt ait Aquinas [o]; tandem quoniam fortis est vt mors dilectio [p]; immò fortior: quia ipsa mortem peccati occidit; eique insultat [q], *O mors ero mors tua*; quin & ipsa mors est, ait Bernardus [r], & seipsa fortior esse non potest; & mors est non vitæ, sed mortis; & si vitam adimit, non perimit; adimens ad tempus, restituēdam in tempore, duraturam sine tempore. Hæc porrò tria quæ hic exprimuntur, nempe cor, animam, fortitudinem, Rabanus [s] aptat potentiis animæ humanæ, ac tribus personis Trinitatis; memoriæ & Patri; intellectui & Filio; voluntati & Spiritui sancto, fortitudinem videlicet seu virtutem pro voluntate accipiendo. Nyssenus [t] cor parti sentienti, animam vegetanti, mentem (quæ ponitur alibi) intelligenti. Augustinus [u] cor cogitationi, animam vitæ, mentem siue virtutem intellectui. Bernardus [x], vt antea docui, amorem cordis, zelo affectionis; animæ, industriæ, iudicióve rationis; virtutis, constantiæ siue vigori animi. Aponius [y] cogitatione, verbo, opere, nullum in se officium membrorum vacans relinquendo peccatis, sed exhibendo totum habitaculum mentis Deo. Aquinas [z] referens citatos alios modos voluntati, appetitui, actui externo; ita vt fortitudo, virtus, vires idem valeant, & mentem addendo ex Marco [aa], intellectui. Ambrosius [bb], cor, animam, mentem,

Marginal notes (left): a 6. constit. c. 20. — b 4. Reg. 23. 25. — c 1. Reg. 7. 3. — d 3. Reg. 14. 8. — e Eccli. 47. 10. — f ps. 118. 2. 10. — g v. 29. — h Lucæ 1. 6. — i Actuum 13. 22. — k 2. Par. 15. 15. — l Lucæ 10. 28. — m 1. Ioan. 2. 5. — n c. 5. 3. — o Ioan. 14. 21. — p 2. de monachis c. 13. — q in 1. 2. q. 109 a. 3. — r dem. rel. Christ. l. 3. tract. 11. c. 5. & seqq. — s concord. euang. c. 81. — t tom. 1. l. 1. p. 1. c. 6. & 7. — u p. 2. c. 16. & seqq. — x p. 1. c. 17. — x ser. 20. in Cant. — y Prou. 4. 23. — z c. 23. 26. — aa supra c. 15. — bb Rom. 14. 7. — cc Galat. 20.

Marginal notes (right): a suprà c. 19. — b Hebr. 4. 12. 1. Thess. 5. 23. — c 1. Cor. 3. 16 & 17. 2. ep. 6. 16. — d epist. 57. — e hom. 5. super Beati qui — f suprà c. 20. — g c. 21. — h opusc. 61. c. 23. — i suprà — k de moribus Eccle. c. 22. — l de moribus Manichæ. c. 15. — m Rom. 8. de eo loco Augustin. de morib. Eccl. c. 11. — n Cant. 8. 7. — o opusc. 61. c. 24. — p Cant. 8. 6. — q Os. 13. 14. — r epist. 42. — s hoc loco. — t de creatione hominis. — u 1. de doct. c. 22. — x serm. 20. in Cant. — y 1. 10 Cant. — z 2. 2. q. 44. a. 5. — aa c. 12. — bb de dignit. hum. cond.

mentem,intellectui,voluntati,memoriæ, cum applicatione ad personas Trinitatis. Beda [a] cor pati qua corpus animatur;animam,qua intelligitur super omnem creaturam; fortitudinem corpori; & de his tribus præcipi, quoniam tres habitationes Hebræi habuerunt in Ægypto,eremo, terra promissionis. Item cor & animam vni ac eidem rei, idest, animæ; fortitudinem corpori. Adam [b] de Persenia triplici modo,quo datus est Spiritus sanctus in columbæ specie, in insufflatione,in igneis linguis. Balduinus [c],monens tanta huius præcepti inculcatione indicari duritiam cordis nostri, & quòd mandat Deus mandata sua (sed hoc in primis) custodiri nimis [d],& quòd amor mundi totos nos occupauerat, ait debeti amorem cordis, ob beneficia Dei; animæ, ob eiusdem promissa; virium,ob iudicia;mentis,ob præcepta. Bonauentura [e] cum Augustino [f], cor ad intellectum applicat,ne sit error; ad voluntatem animam, ne contradictio;memoriam ad mentem, ne obliuio; vel ad partem rationalem, concupiscibilem, irascibilem enim Bernardo [g]; vt sapienter ametur Deus, dulciter,fortiter; vt non seducamur fallaciis,non abducamur blanditiis, non frangamur iniuriis. Docet autem quod hic legitur (*ex tota fortitudine*) apud Matthæum legi(*ex tota mente*,)quoniam irascibilis & memoria conformantur in actu. Antoninus [h] cor sumit pro voluntate, animam pro intellectu,mentem pro memoria. Franciscus [i] Assisias diligendum docet Deum ex toto corde, semper illum cogitando; ex tota anima, semper desiderando;& tota mente,omnes intentiones ad eum dirigendo,ac honorem illius in omnibus quærendo;ex omnibus viribus, sensus animæ & corporis in obsequium eiusdem, non in alio exponendo. Tantam vim habuit auditum semel cùm legeretur,hoc præceptum vt Simeonem Stylitem adhuc tredecim annorum [k] converterit, & alium præterea,qui ex schola Theologiæ cùm id audisset mox ad religionem se contulit [l]. Iudæi verò in catalogo Hebræo præceptorum affirmatiuorum, istud sic explicant [m];vt non sit diligendus Deus, ne nobis noceat in hoc mundo, aut ne puniat in futuro; nec seruili timore timendus, nec ei seruiendum vt nobis hic & in futuro benefaciat,sed propter bonitatem suam colendum, qua nobis tam multipliciter in corpore & anima benefecit. Post enumerata deinde corporis beneficia, subditur. Quare meritò Deus à nobis est diligendus toto corde, si quidem nullum illi placet opus, nisi ex corde fiat; deinde tota anima, vt scilicet etiam corpus expendamus in eius seruitium; & tertio tota vehementia, siue tota facultate, vt etiam externis bonis ob amorem eius non parcamus. Siquidem funis triplex difficilè rumpitur [n]. Sic ibi Origenes [o] perpendens verba Cantici Canticorum, *ordinauit in me caritatem*, hunc ordinem hic ait inesse; quoniam nec proximus, nec inimicos diligi præcipitur ex toto corde sicut Deus. Legit autem,*ex toto corde tuo,ex tota anima tua,ex tota virtute tua*, vel *ex totis viribus tuis*; & vim præcepti declarat exemplo mulieris erga viri amorem toto corde,tota anima, totis viribus ferventis, quæ nihil committere valeat quod ipsi putet displicere: item exemplo Iacob pro Rachele laborantis [p]; & Pauli [q] doctrina de caritate omnia sufferentis,&c. Auctor [r] operis imperfecti considerat cùm Deus sit natura dominus, tamen magis velle diligi quasi patrem, quàm timeri vt dominum; propterea in principio mandatorum legis non dixisse; *timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; sed *diliges*: dilectionem enim ab hominibus exigere,non esse domini, sed paternitatis. Exigit apud Malachiam [a], vt Dominus timorem, amorem vt Pater,sed hic illi absque dubio placet magis,qui non est absque timore filiali; foras autem mittit seruilem [b]. Docet Chrysostomus [c], quòd antiquæ legis prima vox hoc quæsiuit;*Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo*, *& ex tota anima tua*; quia vera dominatio est ipsa quæ amore imperat, non timore:quæ per affectum sibi & corpora subdit,& corda: quæ amando non mutam, sed voluntariam sibi instruit seruitutem. hanc primam causam esse Dominicæ passionis:quia seiri voluit, quantum amaret hominem Deus, qui plus amari voluit,quàm timeri. Nihilominus legis nouæ priuilegium est, vt ab amore cognominetur; vetus potius dicatur lex timoris, noua filiorum, vetus seruorum: nouæ [d] typus fuit sacra libera, veteris Agar serua [e]. In vetere non deerant filij, sicut nec iusti, sed hæc gratia non conueniebat per se illi statui legis, dabatúrque propter Christi futura merita;qui cùm aduenit, eos qui sub ea erant redemit,vt adoptionem filiorum reciperent [f] etiam quoad statum. Vt proinde lex vetus lata cum terrore [g] sit; noua misso Spiritu sancto [h], qui est amor:sublato quasi vexillo eiusdem & erecto; sic enim illud [i];*ordinauit in me caritatem*, vertunt alii, *vexillum super me amor*. Tertullianus [k] colligit eundem esse vtriusque Testamenti Deum, eundem bonorum & malorum,idest pœnarum; quoniam idem præceptum in vtroque ponitur: sicut & de timore: vt patrem ob clementiam diligendum, timendum vt dominum ob disciplinam: vt patrem potestate blanda, vt dominum seuera: vt patrem piè, vt dominum necessariè: primo modo quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; misericordiam quàm sacrificium; secundò, quia nolit peccatum nec peccatores, sui iam non pœnitentes. Notandum porrò quòd quamuis eodem tenore in Euangelio subiiciatur præceptum de dilectione proximi,non hinc,sed aliunde sumptum,nempe ex Leuitici 19.vt ibi docui: non autem relatum ex hoc nostro loco, vt videtur Leoni [l] Castro. Iacobus Aluarez noster multis capitibus tractat præsentem locum in primo tomo operis de vita spirituali [m].

Diliges Dominum Deum tuum.] Præponitur in editionib.aliis(&,) וְ.) Putant quidam,ex quibus Iansenium nominat noster Cornelius, apud quem id non reperi, nec in c.71. concordiæ euangelicæ,quod non est de hac re,nec in 81. vbi propriè examinat istud præceptum; in dicta particula vim inesse ex præcedentibus pendentem: vt quia vnus est Dominus Deus noster,tota in eo vno solo spes amórque collocentur. Redundat tamen sæpe apud Hebræos eiusmodi particula. Quid autem intersit inter diligere & amare, ἀγαπᾶν, quod hoc loco habetur, & φιλεῖν, ex alibi dictis petendum est: vtrùm nempe sit maius, amare ne quàm diligere,vt Cicero voluit, cùm Augustinus [n] non distinguat amorem & dilectionem siue caritatem, negétque dilectionem accipiendam semper in bono,amorem in malo,nec sit vtique intensius quid amare quàm diligere, vt Valla [o] tamen voluit;nec amor & dilectio medium ac indifferens quid, caritas bonum dumtaxat, vt Isidorus [p]. Dionysius [q] verò de nomine ἔρως multa. Visceralem, vt ita dicam, amorem importat Chaldæum רחם thircham.

Ex toto corde tuo.] Ex Hebræo & Chaldæo vertendum esset(*in toto corde tuo*)atque in sequentibus eodem

a hoc loco.
b apud Tilman. in allegoriis.
c apud eundem.
d ps.118.4.
e 3.d.27. dubio 3.
f 1.de doct. c.22.
g serm.10. in Cantica.
h 1. p.tit.1. c.4.§.4.
i in orat. Dominicā.
k in vita.
l speculum hist.4.9.§. 45.
m in 3.
n Eccle.4. 12.
o hom.3.in Cant. & prolog.in Cant.
p Genes.29. 16. & seqq.
q 1 Cor.13. 7.
r hom.40.
a c.1.6.
b 1.Ioan.4. 18.
c serm.6.de passio.
d Rom.8. 15. & Aug. cont. Adimantum c. 16. & 17. & 1.de morib. Eccl.c.28.
e Gal.4.24.
f ibid.v.5.
g Exod.19. 16. & seqq.
h actuum 2. 1. & seqq.
i Cant. 2.4.
k 2.contr. Marcion. c. 13.& l.5. c.4.
l apol.pag. 691.
m l.3.p.2. c.16.vsque ad 22.
Explanatio.
Diligendi & amandi verba.
n 14. de ciuit.c.7.
o l.5.eleg. c.77.
p lib. differ. spir.in 32.
q de diuin. nomin. c.4.

eodem pacto, propter præpositionem (ב *be*) quæ valet (*in*.) Sic verò aliquando redditur eadem ista sententia,& similes alibi : vt confiteri Domino in toto [a] corde,exquirere [b] eum , custodire legem [c], deprecari [d] , scrutari mandata [e] , clamare ad Dominum [f],&c. Tertullianus interdum recitat, *de toto corde,& ex tota anima*, &c. Totalitatem quomodo intelligere oporteat de corde , ac de sequentibus,antea dixi : & qua ratione perfici tale præceptum debeat in hac vita , possitque ; quamuis quædam alia maior perfectio reseruetur in futuram ; quemadmodum aliud de non concupiscendo , quantum sufficit seruari potest dum hîc viuimus : sed beatitudinis proprium est , nullam concupiscentiæ sentire pugnam. Totalitas item insinuat locum habere hunc amorem in omni tempore , statu in puris naturalibus , naturæ integræ, corruptæ, redemptæ, iustificatæ , glorificatæ tum ante,tum post resurrectioné, in purgatorio etiam; quamuis non eodem pacto , nec pro quauis temporis parte,nisi in statu beatitudinis. Alioquin ex communi loquendi modo sicut quis dicitur totus noster , quia præ aliis nobis addictus ; ita toto corde diligere Deum censetur, quia plurimùm supra omnia alia. Quia porrò affectus dilectionis non potest hoc tempore planè continuus esse , atque ita perfectus , non tam affectum præcipi Bernardus [g] docet dilectionis , quàm caritatis opus; vt scilicet retenta semper habituali dilectione, actualem certis temporibus exerceamus;caritatis autem externum opus prout occasio tulerit, nihil quod aduersetur dilectioni Dei operando. Augustinus [h] explicat vt nulla vitæ nostræ pars vacet, & quasi locum det, vt alia re velit frui , sed quidquid aliud diligendum venerit in animum , illuc rapiatur , quò totus dilectionis impetus currit. Proponitur autem in præcepto totalitas perfecta, vt scopus ac finis , ad quem conemur vt aliquando perueniamus ; non quòd reos nos efficiat , si nunc id non attingamus , vt docet idem Bernardus [i] cum Augustino [k]. *Nec latuit preceptorem, ait prior, præcepti pondus hominum excedere vires : sed iudicauit vtile , ex hoc ipso sua illos insufficientia admoneri : & vt scirent sanè, ad quem iustitia finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit , sed humiles ; vt omne os obstruatur , & subditus fiat omnis mundus Deo. Onus* Christi *leue est, iugúmque suaue* [l] ; *mandata eius grauia non sunt* [m] *: execranda eorum blasphemia , qui dicunt impossibile aliquid homini præceptum esse,& mandata eius a singulis non posse seruari*, inquit Hieronymus [n]. Chrysostomus [o] declarat in toto corde confiteri aut diligere , cum omni promptitudine & animi alacritate,attentè,diligenter, absque curis earum rerum quæ ad hanc vitam pertinent; sublimiter , erectè , expeditè à vinculis corporis: non in verbis tantùm,lingua,ore, sed cum mente, & cogitatione. Cæterùm cor iuxta ea quæ priùs attuli , sumi potest pro voluntate , pro memoria (vnde recordari) pro parte vegetatiua , pro parte sentiente,pro intellectu eiúsve cogitatione. Quæ acceptiones exemplis literarum sacrarum confirmari facilè possunt ; sed prima proposito meliùs congruit.

Anima quot. *Et ex tota anima tua.*] Animam sumi quoque vidimus vel pro vita corporali, quam si oporteat, exponere debeamus pro dilecto Deo ; vel pro intellectu,seu industria, iudiciòve rationis ; vel pro parte vegetatiua , vel pro sensitiua, vel pro appetitiua , vel pro verbo , vel pro voluntate. Melior acceptio prima.

[a] ps.9.2.ps.85.12.ps.110.1 ps.137.1. *Totalitas præcipitur.* [b] ps.118.2.10. [c] ps.118.34. [d] ibi l.v.58. [e] v.69. [f] v.145. [g] serm.50. in Cant. [h] 1.de doct. c.22. [i] supra,& tract. de diligẽdo Deo. [k] de perfect. iustitiæ. [l] Matth.11.29 [m] 1 Ioan.5.3. [n] epist. ad Damasum. [o] in ps.110.

Ex tota fortitudine tua.] Hebraicè est מאד *meod*, *valde* : Chaldaicè נכסא *nicksa*, *substantia* , seu *facultas*; Græcè δυνάμει , *facultas* etiam, *vis*, *robur* , &c. Apud Marcum [a] ponitur etiam *fortitudo* . sed Syriacè חילא *chaila*, & Græcè ἰσχύς , quæ duo idem valent ac fortitudo,vis, robur : atque in eodem [b] Euangelio Latinè , *virtus* (sicut & in 4.Regum [c]) vbi aliarum editionum sunt dicta eadem nomina: in Euangelio autem Lucæ [d] Latinum, *vires*:cætera vt in Marci. Vt proinde synonyma videantur fortitudo, virtus , vires : vt nuper etiam retuli ex Aquinate [e];ita vt non accipiantur vires apud Lucam pro potentiis animæ;quo adhuc admisso,possibilitas præcepti adhuc rectè intelligitur iuxta ea quæ diximus. Chaldæum loci nostri nomen indicat rerum externarum dispendium subeundum potius quàm à Dei deflectamus amore: Hebræum insinuat quamdam abundantiam & vehementiam, videlicet in conatu, nisu, contentione. Præter hæc tria, post cor,& animam, inseruit Marcus [f] mentem , ponens vltimo loco virtutem ; Matthæus [g] solùm posuit cor, animam , mentem · Lucas [h] cor, animam, virtutem, mentem. Quæ mens in Matthæo,& Luca est διάνοια:in Marco [i] & διάνοια & σύνεσις:Syriacè apud omnes רעינא *rehhena*, *cogitatio*, aut *voluntas*. Sed præstat hic mentem sumere pro facultatibus cognoscitiuis , quoniam διάνοια significat intellectum , cogitationem , intelligentiam, sententiam, ingenium; σύνεσις eadem, vel etiam prudentiam & conscientiam;ita vt ex tota mente diligere sit sapienter , ingeniosè , prouidè, prudenter, circumspectè, attentè , tota intelligentia, citra obliuionem , inquit Franciscus [k] Sonnius, instantiùs accuratiúsque præceptum hoc caritatis datum in noua , propter istas additiones putans, quàm in veteri lege ; quòd magis ad nouam veluti veræ libertatis legem , quàm ad illam, quæ erat lex seruitutis, pertineat. Ratio necessaria non est ; quia mens quæ sola demum adiicitur in Euangeliis, contineri potest sub corde. Nec simpliciter ei concedendum [l] arbitror , quod minùs toto corde diligebatur Deus in vetere Testamento, quàm in nouo : vel quòd minùs purè, ac vnicè diligatur nunc ab animabus beatis, quàm post resurrectionem ; quasi earum amor per naturalem affectionem ad sua corpora aliquantulum retardetur ab omnimoda plenitudine caritatis. Si quod erit discrimen, planè accidentarium erit ; non intrinsecum secundùm gradus , seu intensionem; quæ nullo modo variatur. Atque illa ratione Bernardum [m] intelligo , & Aquinatem [n] , dum asserunt perfectè tantùm seruari in alia vita. Verum est tamen in hac ipsa totalitate quæ præcipitur, gradus inesse, vt possit quis ex toto corde,&c. magis quàm alius diligere : quoniam dicta totalitas essentialis est dilectioni siue caritati , quam certum est gradus & intensionem admittere : cùm etiam interrogauerit Petrum Christus [o] plúsne amaret, seu diligeret quàm alij ; & interrogatione trina indicauerit cor, animam, fortitudinem. Sed & beati dilectio licèt secundùm gradus remissior esse posset, quàm alicuius viatoris, ex modo tamen eliciendi perfectior est, ac ratione status ; ita vt sic qui minor est in regno cælorum maior habeatur eo qui nondum ibi est [p]; & Paulus [q] profitebatur se adhuc perfectum non esse , sequi autem si quo modo comprehenderet. Lege Aquinatem [r]. Tam varius idem præceptum exprimendi modus tum in Scriptura sacra vtriusque Testamenti ; tum in scriptis Patrum , satis probabilem reddit opinionem, in singulis per se vim aliam non esse, quàm vt

natura

[a] c.12.33. *Fortitudo pro vi, robore, virtute, viribus,&c.* [b] v.30. [c] c.23. [d] c.10.27. [e] 22.q.44. a.5. [f] c.12.27.30. [g] c.22.37. [h] c.10.27. [i] c.12.30.33. [k] demonst. rel. Christ. l.3.tract.11. c.3. [l] c.6. [m] tract.de diligendo Deo, & ser. 50.in Cant. [n] 22.q.44. a.6. & q.184.a.3. [o] Ioan.21.15.16.17. [p] Matth.11.11. [q] Philipp.3.12. [r] 22.q.24. a.5.8.

natura veræ perfectæque dilectionis Dei declaretur & intelligatur. Scripturæ sanctæ testimonia prius retulimus. Clemens [a] Romanus, recitans ponit cor, vires, mentem, καρδίαν, ἰσχύν, διάνοιαν: Irenæus [b], animam solam: Iustinus [c], cor, & fortitudinem, καρδίαν & ἰσχύν: Origenes [d], cor, mentem, animam, virtutem, vel cor [e], animam, vires: Athanasius [f], cor & vires, siue virtutem, καρδίαν & ἰσχύν: Auctor [g] operis imperfecti coe dumtaxat: Chrysostomus [h], cor & animam: Tertullianus [i], cor, item, & animam: vel cor [k], animam, vires; nec mentis meminit, inquit Pamelius; quia non est in vetere Testamento, quod conferebat cum nouo. Cyprianus [l], cor, animam, virtutem, qui coniungit dilectionem Dei & Christi. Ambrosius [m], cor, animam, mentem: & eodem modo Leo [n]. Augustinus [o], cor, animam, mentem, fortitudinem, vires, cum intimis medullis cordis, quod vltimum adiecit de suo; vel tria tantùm prima [p]: Gregorius [q], cor, animam, virtutem: Cassianus [r] eadem, dicens eiusmodi præceptum sublimiore interpretatione non egere, sed simplici literæ sono abundè pascere ac nutrire audientes. Bernardus [f] etiam eadem: vel pro [t] virtute vires, adiecta mente, quæ significent voluntatem, amorem, virtutem caritatis, fruitionem sapientiæ. Istis dicendi formis, vt dixi, significatur essentialis perfectio caritatis; quam rectè idem Bernardus [u] vocat modum diligendi sine modo; quoniam versatur circa finem vltimum, actio autem qua finis attingitur non habet mensuram, sed ipsemet mensura est mediorum ad illum, vt ait Doctor Angelicus [x] cum suo scholiaste Caietano. Ea dictis rectè inferimus, post nostrum Bellarminum [y], huic præcepto aduersari omne mortale peccatum; quia per id præponitur creatori creatura: non aduersari amorem honestum affinium & amicorum, licèt non referatur actu in Deum, quia non tenemur solum Deum amare, sed illum præcipuè: non aduersari peccatum veniale, quoniam non mutat vltimum finem: nec motus inuoluntarios concupiscentiæ, quamuis rerum alioqui grauissimarum vt infidelitatis, blasphemiæ, adulterij, &c. quia cùm caritas Dei sit in voluntate, non possunt ei aduersari nisi voluntarij motus: hoc præceptum posse in hac vita perfectè seruari, quia non exigit, nisi vt amemus Deum plusquam creaturas: posse diligi Deum magis, & minùs diligi: qui namque propter Deum abstinet à licitis, magis diligit, quàm qui solùm ab illicitis, &c. Colligit porrò etiam Cyrillus [z] Alex. cùm quam lex grauiter dilectionem quæ in Deum maximè conuenit præcipiat, ex tota nimirum, supremáque fortitudine ortam, & ad ipsam vsque animam & sanguinem pertingentem, ipsi Christo exhibeamus, dicente Apostolo, *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* non esse qui dicere audeat Christum non esse Deum. Neque enim credibile est, inquit, sanctorum iudicium vllo modo à veritatis scopo aberrasse. Cùm autem is, qui descriptus est amor Dei, sit vltima dispositio ad iustificationem, seu etiam dolor peccatorum ex Dei amore; Deúsque diligentes se diligat, & Magdalenæ remissa dicantur peccata, quia dilexit: meritò damnatæ sunt in Michaële Baio, iussu Pij V. & Gregorij XIII. inter alias propositiones; 31. quòd caritas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum 32. quòd caritas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum 33. quòd catechumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat, ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lauacro demum percipitur 42. quòd in omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, etiam in catechumenis ante Baptismum, est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum 66. quòd homo existens in peccato mortali siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem: & caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis 67. quòd per contritionem, & cum caritate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, siue actuali susceptione sacramenti. 72. quòd quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum; *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.* Ad hæc non attendens Franciscus Syluius, ausus est idem asserere de contritione vera, quòd ordinariè, illa præsente, non remittantur peccata, nec iustitia conferatur extra sacramentum. Quemadmodum non dubitauit post decretum S. Inquisitionis approbatum à Paulo V. anno 1617. 12. Sept. vt nemo in vllo actu publico doceat B. Virginem in originali peccato conceptam: opinionem illam in suis scriptis edere, facta etiam dicti decreti expressa mentione. Extant hæc apud illum in 3. part.

a 8. const. c. 20.
b l. 5. c. 22.
c contr. Tryphon. & apol. 2.
d hom. 2. in Cant.
e prolog. in Cant.
f orat. cont. Gent.
g hom. 40.
h serm. 6. de pass.
i aduersus Iudæos c. 2.
k 4. contr. Marc. c. 25. & 27. & l. 5. c. 4. & in Scorpiaco seu contr. Gnost. c. 2.
l in orat. Domin. & contr. Iudæ. l. 3 n. 18.
m lib. de dignit. cõd. huma.
n serm. de grad. ascensionis ad beatitu. seu in festo omnium sanctorum.
o Soliloq. c. 18.
p 1. de doct. c. 22.
q 18. mor. c. 14.
r colla. 8. c. 3.
f serm. 20. & 30. in Cant.
t tract. de nat. & dign. amoris diuini c. 7. 9. & 10. & tract. de diligẽdo Deo.
x 2. 2. q 27. a. 6.
y 2. de monach. c. 13.
z de fide ad Reginas.

Vers. 6.] Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.

Vers. 7.] Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.

Vers. 8.] Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.

Vers. 9.] Scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.

TAnti præceptum ponderis de Deo, vt est præscriptum, diligendo ex tota corde, anima, fortitudine, vnde pendent cætera præcepta omnia, cuiuscumque illa demum sint generis: infigi altè vult Moses in memoria, tradi filiis & posteris iam inde à primis annis, quibus quæ commendant memoriæ, retinere diutiùs consueuerunt, atque affici ad ea. Monet præterea, de iisdem præceptis, ac de illo potissimùm, quod respicit Deum, vt sedulò cogitent, quisque secum iugiter ratiocinentur de ipsis, in omni negotio, otio, opere, occupatione, quiete, ac in ipsomet somno, si fieri possit: atque ne vnquam de memoria excidant, in chartis descripta manibus ipsis alligent, & in capite, seu ad frontem, vnde ante oculos dependeant: inscribant etiam postibus ipsis domus, vt abeuntibus redeuntibúsve necessariò incurrant in oculos: denique vt habeant in corde, ad credendum; in ore, ad loquendum; in manibus, ad operandum; in oculis, & quasi in conspicillis, ad rectiùs videndum, vt cor arceatur à prauis cogitationibus, pedes ab iniustis gressibus; manus à prauis actionibus. Istis dicendi formulis explicatur summa quædam

dam cura, sollicitudo, diligentia in lege diuina recte intelligenda, & consideranda, vt promptè perfectéque pro qualibet occasione in vsum reuocari queat, caecutioníque mandasi. Iudaei, vt Rabanus, Lyranus, Abulensis, Rickelius, Caietanus, Oleaster, apostata Munsterus, Cornelius noster, Leonardus Marius notant, superstitiosiùs intelligentes reipsa chartis seu membranulis, schedulisue inscriptum de Dei dilectione praeceptum cum Decalogo, quemadmodum & contenta in c.11.[a] *Suspendunt, ligant, affigunt*; vbi similia habetur de Dei praecepta diligenter custodiendis commendatio[b]. *Ponite haec verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros vt illa meditentur: quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris. Scribes ea super postes, & ianuas domus tuae*, &c. Augustinus[c] agens de vltimo membro citati nunc vndecimi capitis, docet hyperbolicam commendationem esse: sicut multa alia dicuntur; cùm hoc secundùm proprietatem nemo fecisse Israëlitarum commemoretur, vel legatur: nec quisquam possit; nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suae. Non arbitratur improbabile Caietanus, & Marius, ad literam quoque Deum voluisse haec obseruari; quoniam Christus[d] faciens mentionem de phylacteriis & fimbriis, non reprehendit simpliciter, sed quòd ea dilatarent & magnificarent, captantes inde opinionem maioris sanctitatis. Egimus hac tota de re libro praecedente[e], cùm de praecepto fimbriarum ad hoc dato, vt recordarentur mandatorum Dei, ac memores, facerent illa. Diximus nonnihil etiam de licito illicitóque vsu amuletorum, seu periammatum, periaptorum, apotropaeorum, alexeutorum, phylacteriorum, quae sunt voces Graecae, περίαμμα, φυλακτήρια, ἀποτρόπαια, ἀλεξητήρια, περίαπτα. Aquinas[f] docet non damnari eos qui pietatis & religionis causa, diuinas Scripturas, Sanctorum reliquias, aliásque sacras res gerunt: sed eos qui magis ad Scripturae characteres inspiciunt, quàm ad Scripturae intelligentiam: vel eos potissimùm, qui vel superstitione vana, vel ambitione inflati haec deferunt. Colligit id ex illo Sixtus[g] Senensis: exempláque profert Caeciliae gestantis Euangelium: Constantini clauum crucis Christi: Barnabae, attactu Euangelij aegros curantis; posséntque alia plura afferri. Citatus est eodem priore libro, ac declaratus hic locus noster, cui similis quem antè diai hoc ipso libro in c.11.[h] praeterea in c.13.[i] de fimbriis, in Exodo[k] etiam cùm scribitur; *erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem inter oculos tuos*. Quibus verbis cùm particula (*quasi*) satis insinuatur figurata locutio. De modo scribendi, de membrana, de iis quae scriberentur, & aliis ad hoc pertinentibus superstitiosis ritibus, consule Oleastrum[l], Mariúmque; piget enim referre, catálogue in catalogo Hebraeo affirmatiorum[m] praeceptorum. Vno verbo Hieronymus[n], quem aliàs citauimus, praecepta in mano explicat esse, vt compleantur: ante, intérve oculos, vt die & nocte meditetur quis in eis. Reprehendit autem Indos, Persas, Babylonios, quiddam simile Pharisaeis factitantes, quasi religiosi in populis iudicentur: & superstitiosas mulierculas, in paruulis Euangeliis & in crucis ligno, & istiusmodi rebus. Quò spectant caetera, vt eadem magni fiant, nec quidquam iis contrarium committatur, nec aliquid omittatur, pertinens ad executionem. At Hebraei, vt refert Galatinus[o], pluris faciunt sapientum seu scribarum suorum verba, quàm scripturam ipsam, & phylacteria quibus ea includebatur: & 613. praecepta ad vndecim reducta à Dauid: ab Esaia ad sex: ad tria à Michaea: rursus ad duo ab Esaia: ab Abacuch ad vnum: vnde infert Messiam potuisse omnia legis ceremonialia reuocare, atque ad spiritualem sensum reducere. Iugem porrò hanc de Deo memoriam, non de lege dumtaxat, comprobat Nazianzenus[a] istius loci sententia; atque non tam saepè spiritum nos ducere, quàm Dei meminisse debere: immò si dici hoc potest, nihil aliud quàm hoc faciendum, siue dormias, sine è somno exurgas, siue iter facias, &c. Iustinus[b] praetextum colorem purpureum scribit vestibus Iudaeorum, vt numquam eos Dei caperet obliuio. Chrysostomus[c] vtitur hoc loco, ac simili ex cap.8.[d] de Dei memoria post cibum: & ex Psalmo 1.[e] de legis meditatione diurna nocturnáque, vt persuadeat in sculptam semper habere in conscientia, & in perpetua sollicitudine viuere, nullas vnquam admittendo inducias, scientes quantus sit furor *maria*, inimici nostri erga nos. Clemens[f] Alexandrinus probat hinc, non esse aditu difficile veritatem; vtpote in domibus nostris, id est, manibus, ore, corde, consilio, actione, verbo, meditando agenda, conuenienter legi agendo, alios eadem docendo, vt Heruetus Clementem explicat. Ambrosius[g] loqui sedentem interpretatur in hac terrestri domo huius habitationis, in qua peregrinamur à Domino[h]; vt surgat quis postquam sederit[i]: in via ambulantem, id est, carpentem vitae cursum, ne illic obmutescat: dormientem & quiescentem, hoc est, consepultum in Christo, vt cum ipso in nouitate vitae resurgat: sepultum etiam in tumulo, sicut animas sanctorum petentes de mortis auctore vindictam[k]: cùm surgit, sicut ille dixit, *Ego dormiui, & quieui, & resurrexi*[l]. Origenes[m], sedentes in domo & iacentes loqui ait nos cùm in Ecclesia loquimur verbum Dei, in via qui est Christus[n]: surgentes à somno mortis: hoc sensu cani Psalmo 36.[o] *Os iusti meditabitur sapientiam*, non autem in praesenti tempore *meditatur*. Non equidem reprehendo, sed laude potiùs dignum censeo, qui re quapiam externa, quae etiam incasso dolore memoriam excitet Christiani, religiósue officij, vtatur, vt erant fimbriis Pharisaeorum adnexae spinae (quibus eam nostram sepiri vult Deus[p]: & conuersum se Dauid[q] cecinit dum configeretur spina) quamuis inde gloriolam propriam captarent, Dei veram gloriam non curarent. At probari non possunt, vel excusari, nisi ob ruditatem ingenij, qui quae figurato sensu dumtaxat capi debent, nudè vt sonant intelligunt & exercent. Tales quos refert Cassianus[r] districtissimos monachorum, qui cùm legissent[s]: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, habentes quidem aelum Dei, sed non secundùm scientiam, simpliciter id intelligendo, fecerunt sibi cruces ligneas; eásque iugiter humeris circumferendo, non aedificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Nec dissimiles ex ignoratione simili, monachorum apud anctorem eumdem errores, circa humanam in Deo effigiem ac membra[t] (de iisdem Sozomenus[u], & Nicephorus[x]; déque haereticis Anthropomorphitis Epiphanius[y], Hieronymus[z], Augustinus[aa]) de castratione suiipsius, aut circumcisione[bb]; de calceamentis interdictis[cc]; spontanea sui nece[dd], &c. Idem fortitan iudicare liceat de illis Christianis, quos refert Procopius[ee] Christi nomen, vel crucis signū in palmis, aut

[a] v.13.14. 15.16.17. [b] v.18.19. 20. [c] q.1°. in Deut. [d] Matth. 23.5. [e] c.15.38 & seqq. [f] 2.2.q.96. a.4. [g] 6 biblioth. annot. 101. [h] v.18.19. 20. [i] v.12. [k] c.13.16. [l] in Exod. 13. [m] in 21.23. 23. [n] in Matth. 23.

[o] l.1.c.4.

[a] orat. 1. de theolog. [b] contra Trypho. [c] hom.10. in Gen. [d] v.12. [e] v.2. [f] orat. ad Graec. [g] in ps.36. [h] 2. Cor.5. 6. [i] ps.126.2. [k] apoc. 6. [l] ps.3.6. [m] hom.5.in ps.36. [n] Ioan.14. 6. [o] v.30. [p] Oseae 2.6. [q] ps.31.4. [r] colla.8.c. 3. [s] Matth.10. 38. [t] coll.10.c. 2.& seqq. [u] l.8.c.11. & 12. [x] l.11.c.14. [y] haeres.70. [z] epist.61. & 65. [aa] de haeres. [bb] coll.2.c. 5.& 8.mitte. c.4. [cc] c. instit. c vlt. [dd] coll.2.c. 5. & 6. [ee] in Esa. 44.pag.496.

aut in brachiis inuri sibi curasse: quasi respexissent ad illud Esaiæ [a] *hic scribet manu sua Domino.* Quo loco [b] eruditè disserit noster Gaspar Sanctius; addens videri probabilius de signo in annulis, aut armillis exculpto vel cælato; qua ratione accipit quoque verba Psalmi [c], *Obliuioni detur dextera mea si oblitus fuero tui Ierusalem*; vt insculptam exules gestarent in annulis Ierusalem; & apud Gaiam metonymice sumatur manus pro annulo, quam metonymiam tractat idem [d] in Cantica. Putant aliqui legem Mosi datam in tabulis ex lapide sapphiro, cuius cæruleus color oculos reficit, vt Nyssenus [e] notat volens ventrem sponsi comparari cum tabula legis eburnea sapphiris distincta [*]. Sic verò innuebatur, lectione legis, ac meditatione, oculos minimè fatigari; & vt proles, per ventrem designata, in Dei lege conseruetur, eidem iam inde à ventre, consuescere debere. Hieronymus [f], alicúbve Celantiam hortatur exemplo dictarum fimbriarum hyacinthinarum, quæ rudi adhuc populo, & hominibus ad obedientiam insuetis, imperatæ sunt, in signum memoriæ; vtque huc illuc etiam casu respicientibus oculis mandatorum cælestium memoria nasceretur, memoriam diuinorum mandatorum spiritaliter excolere; nec tam frequenter recordari, quàm semper cogitare; diuinas Scripturas semper habere in manibus, & iugiter mente voluere: non putare sufficere sibi illa memoria tenere, & operibus obliuisci; sed ideo illa cognoscere, vt faciat quidquid faciendum didicerit; quia non auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur [g]: diuinam Scripturam semper cognoscere, secúmque reuoluere, ingens ad conseruandam iustitiam beneficium esse. Affine præsenti siue præceptum; siue monitum Sapientis [h] est; *vt conserues præcepta patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ; sed liges ea in corde tuo iugiter, & circumdes gutturi tuo; cùm ambulaueris, gradiantur tecum; cùm dormieris, custodiant te; & euigilans loquaris cum eis; vt liges in digitis tuis, & scribas in tabulis cordis* [i]. Iussit item Deus, vt Esaias [k] ligaret testimonium, & signaret legem in discipulis suis, veluti ornamentum, annulum (cui etiam notæ quædam insculpi literarum solent) bullam, torquem: aut, vt olim arte memoriæ tradebant, singulis digitis res singulas animo cogitationéque committere: quod iuxta propositum nostrum Decalogo congruit, qui denis constat præceptis, quot sunt digiti. Meretur hanc diligentiam ac dilectionem Deus; qui in manibus suis descripsit nos [l]; & Christus, qui in plagis manuũ, pedum, lateris. Ac manus quidem digito, qui auriculari proximus est, inseri annulus solet, vt ait Isidorus [m]; quia in eo vena quædam (neruum alij malunt) ad cor vsque peruenit, ac in signum amoris eum sic induebant etiam libidinosi [n], Clemente Alex. teste, fertúrque memoria eidem, cum aure ima, assignata; & ob hanc causam eidem consecrata Nemesis memoriæ dea [o]. Inclinari poterat præterea per signum in manu qui esset annulus, eum qui legem adamaret ingenuum esse, liberum, fidei custodem seu fidelem potestate præditum, dato quasi pignore, seu arrhabone iunctum tanquam sponsæ. Nihil ad hunc annulum annulus vel Gygis, de quo Nazianzenus [p]; vel Seleuci, de quo Clemens [q] antea laudatus; quorum ille possessorem suum palæ conuersione obtutibus eripiebat; hic victoriam de hostibus tribuebat. Quæ duo præstat suo modo lex ipsam obseruantibus. Legem nostrum Salazar [r]. Iacobus [s] verò Aluares item noster disputans de modo in regulæ obseruatione tenendo, conditiones octo in recitato textu considerat; vt attendendo eum qui præcipit Deum esse, dominum nostrum, rerúmque vniuersarum patrem, magistrum, & quidem hodie, id est, in hoc breui vitæ nostræ tempore, quod conceditur ad promerendam futuram æternæ beatitudinis; ipsius præcepta condantur in corde, plurimi æstimando, maximéque diligendo, ac velut fasciculum myrrhæ ob amaritiem quandam secundùm carnem, inter vbera strictè conseruando; narrentur filiis, præbendo posteris bona & sancta regularis obseruantiæ exempla, velutíque commodatum aut depositum, aut dotem integram, immò cum fœnore multiplicatam transmittendo: mediteris in eis sedens in domo tua, hoc est, diu attentéque de illis cogitans; ita vt in meditatione exardescat ignis [a]; veniántque tibi miserationes Dei, quia lex eius meditatio tua est [b]; denique mediteris in eis quæ diligis nimis; & leues manus ad illa [c], vt exequaris: quam conditionem quartam denotat, vt ambulans in itinere mediteris; quinta verò indicatur per dormientem & consurgentem; vt scilicet sedula sit ista meditatio, à qua nullo nos diuelli negotio patiamur: sexta, vt honori ducas, ac veluti pretiosissimum in manu annulum, aliúdve ornamentum; nec vllo pacto pudeat ea in te quàm exactissimum esse: septima, vt inter oculos moueatur, id est, vt quidquid facturus es, regulis ac maiorum institutis metiare, atque tanquam per te oculis præditus hebetioribus, his quasi conspicillis vtaris. Vltima ad perseuerantiam spectat, quam innuit scriptio in limine ac ostiis domus, seu in materia dura, atque tum in primo ingressu ad vitam rationis vsu præditam, tum in egressu, siue vsque ad mortem; quemadmodum è contrario peccata nonnullorum stylo ferreo scripta sunt, & in vngue adamantino exarata super latitudinem cordis eorum, & in cornibus eorum [d]: Iob autem cupiebat sermones suos scribi, exaratíque in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpi in silice [e]; quoniam iustificationem quam cœperat tenere, numquam deseruerat [f]. Idem auctor [g] sessionem, iter, somnum, vigiliam, de animi corporísque relaxatione ac recreatione interpretans, admoneri nos hîc vult, in rebus eiusmodi nulla ratione à Domini lege atque religioso instituto discedere.

Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie.] Præcipiebat Moyses immediatè diuersa alia à Decalogo quem tradiderat Deus per seipsum, vt sæpe dixi. Comprehendi tamen possunt etiam hîc illa; tum verò quæ proximè antè posita sunt pertinentia ad vnitatem Dei, & ad eiusdem dilectionem. Temporis autem aduerbium potest designare vel eumdemmet vnum diem, quo cuncta simul tradebantur à Moyse; vel indefinitè quempiam alium, non valdè distantem à die mortis illius.

In corde tuo.] Siue vt memoria fixè retineantur; siue vt voluntatis toto affectu diligantur; siue vt plurimi æstimentur. Tot namque modis accipi cor potest. Quod in [h] Prouerbiis dicitur, *præbe mihi fili cor tuum*, etsi multi probabiliter, vt Dei accipiant verba postulantis à iuniori donari sibi cor, seu amorem & affectum, priusquam eum meretria eripiat: probabilius alij etiam non pauci volunt esse Salomonis petentis accommodari sibi mentem, & vt oculi sui lectoris (quod proximè sequitur) vias eius custodiant, caueántque [i] foueam profundam, & puteum angustum, quæ est meretrix.

Marginal notes: a c.44.5. — b n.13. & seqq. — c ps.136.5. — d proleg.8. & 9. — e hom.14. in Cant. — * Cant.5.14. — f epist.14. — g Rom.2.13. — h Prou.6.20.21.22. — i c.7.3. — k c.8.16. — l Es.49.16. — m 2. de offic. eccl. c.19. — n 2. pædag. c.11. — o Plin. l.11. c.45. — p orat.1. contr. Iulia. & orat. de laud. Basilij. — q suprà. — r in Prou.7.3. — s tomo 1. p.4.10. — a ps.38.4. — b ps.118.77. — c v.47. — d Ier.17.1. — e Iob 19.24. — f c.27. — g tomo 1. l.5. p.3. c.42. — Explanatio. — h c.23.26. — i v.27.6.

Accipitur nunc dormitio pro tempore quod somno dandum est, cùm quis vult ire cubitum, lectúmque petere vt dormiat. Dormiens propriè non meditatur: ideo de tempore quod modò dixi debet intelligi, vt eo tempore etiam in legis versemur meditatione, ac in hac pia occupatione, conscientiæque discussione indormiscamus; necnon præterea quando noctu expergiscimur de Deo, rebúsve diuinis cogitemus, vel galli exemplo qui iacentes excitat, & somnolentus increpat [a]: cui gallo dicitur Deus intelligentiam dedisse [b]; quia, vt scripsit R. Moyses, docet hominem surgere media nocte ad laudandum Deum: & quidem, teste Gregorio [c], profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edens cantus, matutino tempore appropinquante leniores & minutiores formans voces. Probi ac sapientis ferè somnus, somniumque melius esse, compertum experientia est, ac indicio esse sobriæ, probæque vigiliæ, vt post Aristotelem [d], Platonem [e], cuius est illud, quòd somnia vigiliæ sunt dormientium, spes somnia vigilantium, vt meminit Ælianus [f], & Basilius [g], licèt Aristoteli tribuat Laërtius [h]: item post Plutarchū [i], August. [k] Chrysost. [l] Hugonē [m] Ætherianū, qui Patres de Salomonis [n] scribunt somnio, tradit Aquinas [o]. In genere autem constat, quòd

Quæcumque [p] mentis agitat infessus vigor,
Ea per quietem sacer, & arcanus refert,
Velóxque sensus.

Et,

Omnia [q] quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Item,

Somnia [r] quæ mentes ludunt volitantibus vmbris,
Non delubra deûm, nec ab æthere numina mittunt,
Sed sibi quisque facit.

Denique,

Nec [s] quisquam vnquam sapientia qui perhibetur.
In somnis vidit prius, quàm discere cœpit.

Sic Pharaonis pincerna vuam sibi exprimere videbatur in calice; & pistor farinæ canistrū ferre [t]: multásque curas sequuntur somnia [u], vt in Marcello de bellis, teste Suida [x]; in Hieronymo, vt ipsemet testatur de seipso [y]. Qua de re medici etiam vt Hippocrates [z], præterea Plato [aa], Aristoteles [bb] cum Aphrodisæo [cc], Suidas [dd], Nyssenus [ee], Elias Cretensis [ff], Ludouicus [gg] Sotomaior; & de nostris Petrus [hh] Thyræus, Benedictus [ii] Pererius, Ioannes [kk] Pineda, Martinus [ll] Delrius; qui vltimus præterea profert testimonia Nōni [mm], Herodoti [nn], Tertulliani [oo], Plutarchi [pp], Ambrosij [qq]; & nos ipsi locis aliis. Lyranus, Abulensis, Rickelius hoc loco obseruant occurrere solere dormiēti somniantique interdiu cogitata & agitata; iustorum proinde somnia plerumque bona esse; ita vt dum dormiunt, videatur cor eorum vigilare [rr]. Nihilominus mitti quoque à Deo siue ab Angelo, vel à dæmone, ambigi nequit. Sollicitis in vigilia de dilectione Dei solent consimilia phantasmata occurrere in dormitione, inquit Lyranus. Abulēsis [ss] autem lepidam narrat historiam, de seruo qui cùm noctu dormiens patrata interdiu mala loqui solitus, ad heri sui notitiā peruenire cognouisset, ante cubitum orationes recitabat attentè; quas proinde in somno cùm repeteret, frugi factum herus existimauit. *Qui [tt] narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno: cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit; quis est hic?* At sapientis, vt dixi, cor, etiam dum ipse dormit, vigilat [uu]; & dum dormit, videtur audire.

& Dormitio. a hymn. ad laud. Dom. b Iob. 38. 36. c ibid. l. 10. moral. c. 11. d 1. ethic. c. vlt. & lect. 3. probl. in vltimo. e 9. de rep. f 13. var. c. de spe. g epist. 19. h l. 5. c. 1. i lib. de profectu morum. Somnus & somnia. k l. 12. de Gen. ad literam. c. 15. l hom. 66. ad pop. m de regressu anim. c. 2. n 3 Reg. 3. 5. 2. Par. 1. 7. o 1. 2. q. 113. a 3. ad 2. q. 154. a. 5. ad 2. 4. d. 9. q. 1. ad q. 25. de verit. a. 3. p Seneca in Octauia. q Claud. de raptu Proserpinæ. r Petronius. s Ennius. t Gen. 40. 16. u Eccl. 5. 2. x verbo ἐγρηγορώς sup. y epist. 22. & apol. cont. Rufin. z lib. de insomniis. aa 5. de rep. bb 4. meta. cc ibidem. dd suprà. ee de opif. hom. c. 13. ff in ora. 19. Nazian. gg in Cant. 5. 2. lib. 3. de ap. par. imag. c. 15. hh 2. de magia c. 4. & 1. in Daniel. kk 3. de rebus Salom. c. 8. in Iob 7. 14. ll 4. disqu. c. 5. q. 2. sect. 2. c. 5. q. 6. & in Sene. Octauiam v. 734. mm Dionysiac. 40. nn in Polyh. oo de inso. pp in Annib. qq 1. de virg. rr Cant. 5. 2. ss q. 4. tt Eccl. 22. 9. uu Cant. 5. 2.

A *Atque consurgens.*] Idem de hoc quod de membris præcedentibus dicendum; videlicet cap. 11. [a] pluraliter in aliquot codicibus extare διατεταγμένοις, quod emendati habent διατεταγμένον, numero singulari. Vnde inoleuit in bonis Christianis consuetudo, inquit Abulensis, vt cùm à lecto surrexerint, à Dei laudibus incipiant, vel aliquid sanctum meditentur. Qui manè vigilat ad diuinam sapientiam acquirendam, vel ad increatam venerandam, vel ad inuocandam huius matrem Mariam, inueniet eam [b]: & qui de luce vigilat ad illas, non laborabit: assidentes enim foribus suis inueniet [c]. Consule loci vltimi commentarium meum, quæque in Psalmos nonnullos disserui de B matutini temporis ad orandum meditandúmve opportunitate; & quòd has veluti primitias Deo offerre oporteat; præterea quæ dixi ad caput 18. libri Sapientiæ ferè extremum, vbi præueniendus ad benedictionem sol dicitur, & ad ortum lucis Deus adorandus. Repono hîc dumtaxat ex vltimo loco locum Athanasij peraptum proposito μέγα ἀγωνίας καύχημα τὸ ἐκ τῆς κοίτης αὐτὸν παρίστασθαι τῷ θεῷ, καὶ φθάνειν ἐν εὐχαριστίᾳ τὸν ἥλιον, *magnum certaminis decus, è lecto ipse, Deo sistere seipsum, & præuenire in gratiarum actione, solem.* Multa exempla ex diuinis literis proferri possunt eorum, qui diuinum & serium aliquod negotium de nocte, vel tempestiuissimè peregerunt. Moyses quidem noster, vt reliquis parcam, de nocte con- C surgens ascendit in montem Sinai, vt tabulas legis denuò reciperet [d]: & sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur [e]. Gentiles ipsi matutinas salutationes diis suis gratissimas arbitrabantur, vt insinuant Seneca [f], Apuleius [g], Arnobius [h], illúdque Prudentij,

Manè salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes.

Apollonij quoque Thyanæi præceptum fuit, adueniente aurora cum diis esse versandum [i]. Legatur hoc etiam loco Cornelius noster, necnon de vespertino examine conscientiæ: quibus de rebus alibi & nos egimus.

D. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua.*] Tale illud in cap. 11. [k] *Suspendite ea pro signo in manibus.* Vbi Hebraicè & Chaldaicè (*in manibus vestris*) Græcè (*in manu vestra.*) Alioqui phrasis vtrobique eadem; idem verbum קשר *kaschar*, קְטַר *ketar*, ἀφάπτειν; & nomen אות *oth* Hebræum Chaldæúmque ac Græcum σημεῖον. Similis præterea sententia in Exodo [l] cum eodem nomine; (*& erit quasi signum in manu tua*) vbi particulam (*quasi*) apposuit Interpres, occurrens forsitan intelligentiæ Iudæorum crassiori, de qua diximus. Vt signaculum porrò sponsus poni se super cor sponsæ, brachiúmque postulans [m], Hebraicè חותם *chotham*, Chaldaicè גְּלוֹף דְּעִזְקָא *gheloph dehhizka*, *sculptura annuli*, Græcè σφραγίς: quod etiam eo- E dem pacto apud Aggæum [n] dicitur; *ponam te quasi signaculum*; & apud Ieremiam [o]: *si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum*; vbi est ἀποσφράγισμα. his, inquam, locis, insinuantur pridem antè dicta de vsu annuli ad memoriam, libertatem, ingenuitatémve, fidelitatem, potestatem: adde ad obsignandas literas, eáque quæ trita esse volumus, & secreta [p]. Notas adiiciunt aliqui seu stigmata, & characteres, quos inurunt aliqui sibi, aut imprimunt, in signum siue amoris, siue subiectionis, vt priùs quoque memini.

a v. 19. *Tempus matutinū ad orandum & meditandū opportunū.* b Prou. 8. 17. c Sap. 6. 15. d Exod. 34. 4. e Eccl. 39. 6. f epist. 95. g lib. 11. h lib. 7. i Philostrat. in vita l. 1. c. 12. k v. 18. l c. 13. 9. m Cant. 8. 6. n c. 2. 24. o c. 22. 24. p Gen. 38. 15. 25. c. 41. 42. 3. Reg. 21. 8. Esther 3. 10. 12. c. 8. 2. 8. 10. Dan. 6. 17. c. 14. 16. 13. *Signandi vsus.*

De militibus Lipsius [a] refert manu inustum, vel impressum stigma gestasse, quo se profiterentur talis ducis milites esse. Quod & apud Gregorium [b] per manu signatos designari videtur. Epicuri imaginem Cicero [c] testatur, non modò in tabulis, sed etiam in poculis, & in anellis habitam à Græcis. Lege Pierium [d], Georgium [e] Longum, Clementem [f] Alexandrinum, Abrahamum [g] Gorlæum de annulis. Quò spectant etiam appensæ ad collum sacræ res, & reliquiæ, imagines, cruces, & similia: vel etiam alia in corporis parte gestata eiusmodi pia signa, necnon funiculi, corrigiæ, Scapulares vt vocant, &c. Nisi ad sequens membrum malis referre.

Et mouebuntur inter oculos tuos.] In Exodo [h] (*& quasi monimentum ante oculos tuos, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos.*) In Deuteronomij nostri cap. 11. [i] (*inter oculos vestros collocate.*) Dicto loco Exodi monimentum, זִכָּרוֹן *ziccharon*, &, *μνημόσυνον*, siue memoriale, denotant finem propter quem & præcedentia dicta sunt hoc loco, quæ vtrobique vocitot Hebraicè טֹטָפֹת *totaphoth*, Chaldaicè תְּפִלִּין *thephillin*, necnon alio loco libri nostri. Chaldæo nomine Rabbini vtuntur, volentes esse frontales schedas affixas super oculos, & pertingentes ab aure vsque ad aurem; in quibus describantur certæ quædam sententiæ; vt, *sanctifica mihi omne primogenitum*, &c. *audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, &c. Caietanus, si ad literam hoc & priora sumãtur, de alligandis duobus præceptis hîc antea positis interpretatur, quorum vnum sit in vno brachio, & ante vnum oculum, aliud in altero brachio, antéque oculum alterum. Sed mauult esse metaphoram de tanto studio, quanto quæ valdè cara sunt & pretiosa, æstimari ac gestari solent. Priore autem sensu fimbrias pertinere dicit ad recordationem cæterorũ mandatorum; schedas, quæ appellantur phylacteria apud Matthæum [k], vt meminissent duorum quæ hîc tradita sunt de fide vnius Dei, eiusdémque dilectione. Oleaster [l] Hebræa voce contendit non significari propriè frontalem, aut monitoriũ, aut laminam, aut quæ Rabbini nominãt thephillin: sed specilla, siue ocularia, quæ super oculos gestari solent ad perspicaciùs aliquid cernendum; frontalem namque, seu laminã (idem est de scheda) super frontem videri non posse: & cùm pluraliter nomen ponatur, sequi duas esse debuisse, quod Rabbini de vitta tradunt: & hîc scribi, vt ponantur *totaphoth* non super, sed inter oculos. Quod Oleaster eamdem dictionem in Exodi citato loco notat extare; quæ hîc habetur, népe טֹטָפֹת *totaphoth*, verum est. Specilla verò siue ocularia, cõferunt quidem ad videndum; sed naso imposita inter oculos, non magis videntur ipsa, quàm frontalis scheda, vel lamina in fronte affixa, vt idem argumentabatur contra illas. Quare, omnibus pensatis, neque perspicilla recipi debent, vt alij tamen [m] adhuc volunt, neque quid aliud externum; sed præstat cuncta per metaphoram intelligere; quemadmodum alia non pauca in Scripturis diuinis; quale illud quod affert ex Esaia [n] Abulensis, de leone, qui vt bos paleam comedat; de vitulo, & leone, & oue, qui simul morentur; de puero, qui minet eos, &c. Id porrò vnde figurata locutio petitur, est quidquid dependet ad pectus, & iuxta oculos, vt conspici continuè possit; cuiusmodi catena, torques, monile; quod vltimum nomen dictum ferunt à monendo, quia gestantem virtutis admoneat. Cæterùm hic & allatis locis Exodi, ac alterius ex libro nostro, Interpres vt synonyma posuit, moueri inter oculos; appensum quid ante oculos; inter oculos collocare; ita vt non intellexerit fixum quid consistens in fronte, vt asserit Oleaster de conspicillis, sed locatum ex parte superiore, vnde pendeat, oculisque conspiciendum subiiciatur, siue moueatur, siue non moueatur. Græcum iisdem locis plurale nomen *ἀσάλευτα* significat immota: non quia dependentia non moueantur, sed quoniam ibi vnde dependent immotè ac fixè manent. Id valeot *περιάμματα*, quòd circumnectantur & circumalligentur collo, præsertim ad arcendas noxas, quæ amoleta Latinè nominantur: quibus ferè synonyma *ἀποτρόπαια*; licèt hæc sæpiùs ex superstitiosa magiæ vanitate proficisci censeantur. Aliter præterea vocantur simili nomine *περίαπτα*, hisque interdum copulantur non dissimili notione *ἀλεξιφάρμακα* remedia aduersùs venenum, vel veneficium. Quod verò attinet ad ocularia, siue perspicilla, conspicilla (minùs rectè conspicilia) specilla, vt hoc etiam attingam; quia de his quosdam dixi sermonem esse velle, eorum vsus quàm sit antiquus non constat. Colligunt nonnulli ex Plauto;

Vitrum cedo, necesse est conspicillo vti.

Adde,

—[a] *dum redeo domum,*
Conspicillo consecutus est clanculum me vsque ad fores.

Præterea,

[b] *In conspicillo obseruabam: pallium adseruabam.*

Nonius [c] vltimum versum declarat de loco, vnde quis conspicere possit; eodémque pacto eumdem & secundum Lambinus [d]; vltimónique Fridericus [e] Taubmanus hæreticus, id est, de specula: primum de oculari siue perspicillo auctor thesauri linguę Latinæ, & auctor Calepini, Thomas [f] Garzonus, & Guidus [g] Pancirolus, cum Flauio Gualterio scholiaste eiusdem. Hic argumentator; ex eo quòd, Nonio teste, vitrum extabat ætate Plauti, ac proinde verisimile est ad hunc vsum adhibitum fuisse, non solùm ad vitreas fenestras. Specularia vocantur, quæ olim è lapide speculari conficiebantur, quorum mentio apud Senecam [h], Martialem [i], Plinium [k] secundum, Iuuenalem [l], Brissonium [m], Raderum [n] nostrum; de quibus locutum putat Nonium. At Nonius vitri ad hoc certè propositum non meminit: sed vitrei, quod pertenue quid ac perlucidum significet per metaphoram, vt togam, auctore Varrone, quem citat. Profert etiam Plinium [o], scribentem quòd Caius Iulius medicus dum inungit, per oculum specillum trahens, expirauit: exponit autem dum is vt mederetur cuidam, imponere vellet sibi ocularia, expirasse. Rectiùs auctores linguæ Latinæ citãt de instrumento medico etiam apud Plinium specillum & specium interpretantur, quo chirurgus vulnera scrutatur, & fistulas, aut quod adhibetur inungendis oculis, aut curandis auribus; de quo Celsus [p]. Medicus ergo ille, dum trahebat per oculum alterius, quem inungebat, specillum, id est, dictum instrumentum, non autem vitrum, vel vitreos orbiculos, quos admouisset suis oculis ad clariùs cernendum (nec enim id trahere est) expirauit. Placet iisdem auctoribus magis Varronis [q] locus; *hinc quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum.* Sed nihilo magis, mea sententia, probat: cùm eius instrumenti munus disertè tradat Varro ad oculos inungendũ, dicatque *quibus*, népe oculis, non

[a] 1. de militia Rom. c. 9.
[b] l. 2. epist. 100. & 103. vete. edit.
[c] 5. de finibus.
[d] l. 41. c. 8. & seqq.
[e] de annulis signatoriis.
[f] 3 pædag. c. 11.
[g] in dactyliotheca.
[h] c. 13. 9. 16.
[i] v. 18.
[k] c. 23.
[l] hîc & in Exod. 13.
[m] Philip. Diez tom. 2. p. 3. feria 2. post Dominic. 2. Quadrag. Ioan Baptista Canotus lect. 19. in Iob.
[n] c. 11. 7.

Perspicillorum vsus.

[a] in Cistellaria actu 2. scen. 1.
[b] in Medico.
[c] de propr. sermonis.
[d] in Plauti Cistell.
[e] ibidem.
[f] in platea vniuersali Italicè c. de vitrariis.
[g] 2. rerum memor. c. 15.
[h] ep. 86 & 90. & lib. de prou. c. 4. 4. natu. quæst. c. vlt.
[i] l. 8. epig. 14 & 68.
[k] l. 2. ep. 1.
[l] Satyra 4.
[m] 17. de verb. signif.
[n] in Mart. l. 8. epig. 14.
[o] l. .c. 5.
[p] l. 5. c. 28 l. 6. c. 6. 7. 8 ... 7. 3.
[q] 5. de ling. Lat.

non quo specillo, *specimus*, hoc est, aspicimus. Incidi postquam hæc annotaueram, in eruditissimum Cælium [a] Rhodiginum; cuius liber hac de re iudicium, quod meo congruit, recitare. Denique parte hac monitos velim studiosos, illud Plinianum de mortibus repentinis ex libro septimo [b] super omnia (omnes) *C. Iulius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens*, esse qui ad conspicilla referant, quæ inserta naribus visum mirè adiuuant. Sed Varro facilè hos retundit; apud quem ita legimus. *Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus.* Frater Iordanus apud Philippum Pandolphum scribit inuentum hoc recens esse, ac vigesimum tantùm ante annum [c]. At non dubiò longè antè in vsu fuisse hoc instrumentum: & ex allatis testimoniis Plautinum primum, quod adhuc tamen non reperi, vim videtur habere: in quo petit quidam vitrum, quo vtatur tanquam conspicillo. Neronem prodit Plinius [d] gladiatorum pugnas spectasse Smaragdo; qua nimirum vteretur tanquam conspicillo. Verùm figuratè, vt dixi, significatur iugis meditatio, vt & per ligamentum in manu, executio: quæ hîc ideo præponitur veluti ad quam dirigatur posterior, vt admonet Abulensis.

Scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.] In cap. 11. [e] (*Scribes ea super postes, & ianuas domus tuæ*) Græcè ibidem (*& scribetis illa in liminibus domorum vestrarum, & portarum vestrarum*) Chaldaicè (*& scribes ea super postes, & affiges ea in liminibus domus tuæ, & in portis tuis.*) Hoc loco Hebraicè (*& scribes ea super postibus domus tuæ, & in portis tuis*) Chaldaicè (*& scribes ea super liminibus, & affiges ea in postibus domus tuæ, & in ostio tuo*) Græcè (*& scribes ea in liminibus domorum tuarum, & portarum tuarum.*) Glossa interlinearis, & Hugo Card. explicant, vt ingrediens quis, egrediénsque semper ea meditetur. Marzilla, vt maximopere prouideat quis, ne quidquam contrarium dictis præceptis ingrediatur tam in domum, quàm in ciuitatem. Refert Abulensis Iudæos hoc obseruare, vt in aliqua schedula scribant præcepta, & faciant quasdam concauitates in ligno portarum, in quas illam immittant, superposito metallo cũ foramine, per quod videri possit. In 23. præcepto ex affirmatiuis Hebræi catalogi est; qui habet phylacteria in capite & brachiis; & cincinnos siue fimbrias in veste, atque schedam in ostio: adeò muniri, vt non facilè peccare possit. Augustinus [f], vt nuper memini, legens (*scribetis ea super limina domorum vestrarum, & ianuarum vestrarum*) negat secundùm proprietatem quemquam fecisse Israëlitarum commemorari vel legi; quia nec quisquam potest, nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suæ: propterea verò affirmat hyperbolicam commendationem esse, vt doceatur quanta cura & studio verba Dei sint commemoranda. Cæterùm non insolens est pro foribus vel in postibus, vel in editiore aliquo loco insculpere aut inscribere celebriores vtilioresve sententias aliquas; vt se- statur ἄ..., & γνῶθι σεαυτόν apud Græcos [g] in templo Apollinis: *Mane thecel Phares* in cœnatione regis Baltassar [h]. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, in palatio (alias in plateis) Imp. & in publicis operibus iussu Alexandri Seueri Imp. [i]. Psalmi pœnitentiales in Augustini cubiculo [k]; *Bernarde ad quid venisti?* in eiusdem cella [l]. Iam verò quod attinet ad vocabula, limen sæpiùs ac propriè significat id quod ex transuerso in ianua statuitur infernè, & ingredienti exeuntique illud calcatur limum est, id est, transuersum. Quando-

a L. 15 c. 23.
b c. 53.
c Vocabulariū Italicum cui nomē Crusca ex m. S. Philippi Pandolphi.
d L. 37. c. 5.
e v. 20.
f q. 17.
Pro foribus & postibus dicta celebriora inscribendi mos non infrequens.
g Plutar. de ει.
h Dan. 5. 5. 25. & 27.
i Lamprid.
k Possid. in vita.
Limen quid.
l in vita.

A quo tamen etiam accipitur pro parte superiore. Vnde Charinus Plautinianus [a],

Limen superum inferúmque salue simul autem vale.
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

Salutabant enim limina, qui domum deserere in perpetuum volebant: alij liminibus [b], aut postibus oscula dabant amplexúsve [c], aut foribus [d], aut his serta, flores, coronas, lucernas [e]. Lege Turnebum [f], & Cerdam [g] nostrum, qui posterior profert præter citatos etiam Dionem [h], & Euripidem [i]: & nominatim de postibus ac liminibus templorum Arnobium [k], rursus Valerium [l] Maximum, & apud Apollonium [m]: item Senecam [n], & Ammianum [o]. De quo argumento plura ex nostris etiam Martinus [p] Roa tum quoad templa, tum quoad amatorum ædes. Hebræum nomen מזוזת *mezuzoth* vbicũque occurrit reddi solet [q] per postes, Græcè per σταθμοὺς. Sed hoc loco sunt φλιαί, cum quibus eamdem notionem habent interdùm σταθμοί. Sed vt pro liminibus φλιαί sumantur siue pro vestibulis, dicentur quasi θλιαί à θλίβω tero. Nam postes planè differunt à liminibus, quia sunt latera ostiorum ex lapide aut ligno, quorum alter fores cardinibus affixos sustinet; alter seram ac repagula, cùm clauditur ostium, recipit. Immò quadruplex postis est, quem Vitruuius [r] vocat antepagmenta: & qui supernè ac infernè est seruit cardinibus portarum quas retinet; qui ab vtroque latere repagula & seras excipit. Sed & interdum huic rei bini alij adhibentur. Porrò limen non ita hîc aptè intelligere possumus, quia in eo frustrà scriberetur, cùm pedibus teratur: sed pro poste accipitur, vt etiam in eadem sententia c. 11. priùs citato. Quanquam & limen propriè sumendo, exaggeratio seu amplificatio censebitur. Tandem ostium, porta, ianua, synonymè sumuntur, & quandoque fores, valuæ, postes, limina, &c. licèt propriè portam conuenire velint muris, munitionibus, castris, vrbi ab aratro quod sublatum portabatur, vt Cato loquitur; alia nomina domibus. Idem dici potest de שער *schahhar* quod hîc extat, & de דלת *deleth*, פתח *pethach*.

a Plaut. in Mercat. act. 5. sce. 1.
b Tibul. l. 1 eleg. 2. Virg. Æn. 3. Thes. in Erasto.
c Virg. Æn. 2. Val. Max. l. 4. c. 5. Liuius l. 45. extremo.
d Apollon. l. 4.
e Lucre. l. 4.
f L. 12. c. 5. & 26. c. 23.
g in Æn. 2. c. 483. nota. 7.
h lib. 41.
i in Phœni.
Postes à liminibus differunt.
k lib. 1.
l l. 5 c. 12.
m lib. 2.
Postis quadruplex.
n de consol. ad Martiā.
o lib. 25.
p de die natali & sacr. c. 18. 19. & 20.
q Exod. 12. 7. & 21. 6. 1. Reg. 1. 9. Esa. 45. 8. c. 57. 8. Ezech. 45. 19.
r L. 10. c. 11.

Vers. 10.] Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non ædificasti,

Vers. 11.] Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliueta, quæ non plantasti.

Memoriam Dei, atque præceptorum ipsius tantopere commendatam excutere facilè prosperitas potest, bonorúmque affluentia efficere, vt obliuioni tradantur, & luxus luxuriam pariat, aliáque peccata. Quare hîc quidem cõmemoratur larga & munifica beneficentia Dei in Hebræum populũ; sequentibus autē versibus cauetur ingrata obliuio, inculcatúrque diuinus cultus ac legis diligens obseruatio. Exprobrat certè Moses in cãtico [f], quòd incrassatus, dilatatus, impinguatus populus à Deo dilectus, recalcitrauisset, & dereliquisset Deũ factorem suũ. Videlicet, quia præsentibus externis bonis, pluris ea æstimabat quàm Deum; quem Deum quærere solet in aduersis constitutus.

Paraphr.
f Deut. 32. 15.

Lege Abulensem [a]. In 2. Esdræ c.9. toto commemorantur eadem exprobratio beneficiorum a Deo in populum collatorum; ac nominatim [b] quòd ceperint vrbes munitas, humum pinguem, domos plenas cunctis bonis, cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliueta, & ligna pomifera multa: & comederint, & saturati sint, & impinguati, & abundauerint deliciis in bonitate Dei magna; & prouocauerint eum ad iracundiam, & recesserint ab eo, & proiecerint legem ipsius post terga sua, &c.

Pro qua iurauit patribus tuis Abraham, &c.] Sic in cap. 1. [c] sed cum pronomine plurali. Eo loco indicaui alia testimonia iuratæ istius iisdem patribus promissionis: & quo pacto iurare conueniat Deo. Etsi verò non reperitur distinctè vbi Deus iurauerit Isaac, & Iacob; bis tamen etiam iurauisse censetur, quia renouauit promissum factum Abrahæ cui iurauerat. Dixit quoque Deus ad Iacob; *tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo.*

Ciuitates magnas.] Idem epithetum extat c. 8. [d] & c. 9. [e] sed vltimo loco vocantur insuper ingentes, & præterea dicuntur ibidem, & c. 1. vsque ad cælum munitæ ac muratæ. Celebrantur à magnitudine Niniue, nominatim in prophetia [f] Ionæ; & in historia Iudith Ecbatanis; quarum illa obibatur dierum trium itinere, hæc constans ex lapidibus quadris & sectis, habebat muros altitudinis cubitorum septuaginta, latitudinis triginta, turres altitudinis centum: per quarum quadrum latus vtrumque, vicenorum pedum spatium tendebatur, & erant portæ in altitudinem turrium. Mitto Thebas, Babylonem, in Sinarum regione Pequinum; Quinsai etiam siue Santiam in magni Cham ditione, & alias, quarum texit catalogum Simon Maiolus [g]; & quas in Sina describit noster Nicolaus [h] Trigautius tanquam oculatus testis, item quas alter de nostris [i] Serarius, & Niniuem, & Ecbatanam.

Et optimas.] Vetus translatio Latina ex editione Græca *pulchras* reddit. Vtrumque valet καλὰς tum pulchras, tum bonas: bonas Hebræum nomen טובת *tououth*: superlatiuo autem caret Hebræa lingua & Chaldæa, vt & comparatiuo. In c. 3. [k] & 4. [l] optimam terram vertit Interpres.

Quas non ædificasti.] Similis huic & sequentium membrorum sententiæ habetur in libro Iosue [m]; & quidem Dei, qui loquens inducitur. *Dedique vobis terram, in qua non laborastis; & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis: vineas, & oliueta, quæ non plantastis.* Nec dissimiles in Ione [n], & in Ioanne [o]; *tu doles super hedera, in qua non laborasti, nec fecisti vt cresceret: ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Labores manuum suarum comedens beatus censetur [p]: & labores proprios corripi aut perdi ab aliis [q] infælicitas: contra beatitudo quædam labores alienos possidere [r]. Exaggeratio quædam beneficij est id obtinere absque labore, ac more hæreditariæ successionis; vt idcirco hæreditatio appellari soleat nonnunquam terra illa promissa, vt alibi vidimus. Rarò admodum fit, vt exercitus hostis regione potiatur expugnata, nisi suorum priùs fuso multo sanguine, eiúsque ipsiusmet regionis deformatione insigni; qualem describit Esaias [s] Iudæam vrbem desertam terram, ciuitates succensas igni, regionem deuoratam ab alienis, & desolatam sicut in vastitate hostili, derelictam Sion vt vmbraculum in vinea; & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitatem quæ vastatur. Querebatur proinde meritò Melibæus.

> *Impius [a] hæc tam culta noualia miles habebit?*
> *Barbarus has segetes? en quò discordia ciues*
> *Perduxit miseros! en queis consevimus agros!*

Chananæis è contrario dicere velut antiquis possessoribus Hebræus populus potuit;

> —*hæc [b] mea sunt; veteres migrate coloni.*

Certè in historia Iosue [c] manifestè narrantur Hebræi in Galgalis & campestribus Iosue comedisseque de frugibus terræ: ac præter Iericho, Hai, Hasor dirutas Dei iussu in vindictæ exemplum; integras ciuitates omnes receperunt, agros etiam cultos & illæsos.

Domos plenas cunctarum opum.] Hebraicè Chaldaicéque *omni bono* כל־טוב *chol tub*: Græcè *cunctis bonis*, πάντων ἀγαθῶν. Bonorum nomen exposuit per opes. Eumdem vsum habet sæpè substantiuè sumptum boni bonorúmque nomen, vt exemplis diuinarum literarum supersedendum censeam; & interdum [d] cum addito dicuntur bona terræ. Vulgari hominum iudicio vix alia præter hæc bona censentur, dicúntque multi, *quis ostendit nobis bona* [e]? ac *beatum dixerunt populum, cui hæc sunt* [f]. Idem est apud profanos quoque scriptores de nominibus ἀγαθὸν, & ἀγαθά, pro commodo, emolumento, vtilitate, pro copiis, facultatibus, opibus, vt apud Xenophontem [g] post πολλὰ πρόβατα, πολλοὺς βόας, *multas pecudes, multos boues*, πολλαὶ ἅμαξαι πολλῶν ἀγαθῶν μεσταὶ *multa plaustra multis bonis referta*. Opes dictas aiunt à terra, quam ops significat; & latinaui inde quam

> *Effodiuntur [h] opes irritamenta malorum.*

Vel quasi oues, quemadmodum pecunia descendit à pecus, diuésque πολύμηλος dicitur, seu diues [i] pecoris: &

> *Diuitæ [k] quarum messis & arbor erat.*

Vnde opidum, quòd abundet opibus; opidò, id est, valdè, multùm, quia confabulantes quantum quisque frugum faceret, vt multitudinem designarent respondebant quantum vel opido satis esset, inquit Festus; præterea opulens, opulentus, opulentia, opimus, & opimitas, opiparum, quasi ope paratum, opitulari, copia veluti cum ope, inops, & inopia sine ope: ac nominatim telluris egens, & inhumatus seu insepultus.

> *Hæc [l] omnis quam cernis inops, inhumataque turba est.*

item caupona perinde vt copona, hoc est, taberna, quoniam copiis abundat, vt eidem auctori placet, &c. Ampliore notione opibus omne id quo aliquid possumus significatur, non diuitiæ duntaxat, verùm etiam bellicæ copiæ, milites, auctoritas, bona fama, amicitiæ, clientelæ, fauores, opida, castella, agri quoduis auxilium. Exigit noster locus vt opes quibus essent plenæ domus intelligantur de rebus præsertim ad victum comparatis vitæque sustentationem. *Opes* alibi posuit Interpres vbi sunt in editionibus aliis *diuitiæ* [illegible] *hosfer*, [illegible] [m]: vel *bonum*, seu *bona* טוב *tob*, [illegible] *stephard* (quod pulchritudinem & bonum) vel [illegible] [o] vel [illegible], *thesaurus* [p]: vel [illegible] *potentia* [q] vel [illegible] [r] vel [illegible] [illegible] *potentia* [illegible] vel *lapides pretiosi* [illegible] [s] [illegible] *chephet* [illegible] [t] vel *bonum* [illegible] [illegible] [u] vel [illegible] *chosen* [illegible] [x] vel [illegible] *chail* [illegible] *nitsfar* [illegible] vel [illegible] [y] vel [illegible] [illegible] Omnes

a 1. Reg. 9. 5. — b v. 25. 26. — *Explanatio.* c v. 8. — *Deum bis iurasse Isaac & Iacob.* — d v. 28. — e v. 1. — f c. 1, 2. c. 3. 2, 3. 4. c. 4. 5. — g tom. 1. camen. dierũ colloquio 25. — h libris de Christiana exped. apud Sinas. — i in Esther 1. q. 6. & 7. — k v. 25. — l v. 21. — m c. 24. 13. — n c. 4. 10. — o c. 4. 38. — p ps. 127. 2. — q ps. 77. 46. 51. ps. 104. 36. ps. 108. 11. — r ps. 104. 44. — s c. 1. 7. 8.

a Virg. ecl. 1. — b eclog. 9. — c c. 5. 10. — d Esa. 1. 19. 1. Machab. 14. 9. — e ps. 4. 7. — f ps. 143. 15. — g Pædia 4. — h Ouid. 1. metamor. *Pecunia unde.* — i Virgil. eclo. 2. — k Prop. l. 3. eleg. 13. — l Virg. 6. Æneid. — m Gen. 31. 16. c. 45. 23. Prou. 8. 19. Dan. 11. 24. Matth. 24. 25. — n [illegible] 1. 10. 31. [illegible] 25. — o Iud. 18. 7. — p Ruth. 2. 1. — q 2. Par. 9. 1. — r Prou. 3. 15. — s Eccl. 10. — t Ezech. 22. 25. — u c. 26. 12. — x c. 27. 18. — y Dan. 11. 13. 28.

Omnes illas opes, ait Abulensis, de manu hostium accipiebant, nec aliquid destruebant, nisi viros & mulieres, magnos & paruulos: cætera autem suscipiebant sibi. Et quia quando pugnabant contra Chananæos, illos in terra sua non poterant effugere, sed comprehendebant eos intra ipsam ciuitatem, aut apud ciuitatem debellabant eos, & non poterant fugere, non poterant secum portare quidquam de omnibus illis quæ possidebant. Sicut ergo Chananæi antè dominos erant; ita oportebat manere domos eorum plenas omnibus illis diuitiis quas ante possidebant, cùm ipsi habitatores interirent in ciuitatibus, vel apud ciuitates, & nihil secum portare possent fugientes ad alia loca. Sic ille. Peculiari simul factum diuina prouidentia videtur, vt quod factitant qui desperant, non admouerint Chananæi opibus suis flammas, sed intactas & integras Hebræis relinquere coacti sint.

Quas non extruxisti.] Iuxta cæteras editiones *quas non impleuisti*, מִלֵּאתָ *milletha*, מַלֵּיתָא *malletha*, ἐνέπλησας. Extructio respicit potiùs domos; impletio opes. Nec domos illas Hebræi extruxerant, nec eas opibus impleuerant; sed iam extructas, opibúsque plenas occuparunt & possessuri erant. Posset etiam Hebræum verbum, eique simile Chaldæum reddi *aedificasti*, aut *perfecisti*, & sic referri ad domos, vt & Latinum nostrum *extruxisti*. Plus tamen quiddam est domos opibus plenas & ab aliis repletas possidere, quàm solùm extructas; nec extrui opes propriè dici solent, aut possunt.

Cisternas quas non fodisti.] Chananæa regio non abundabat aquis quemadmodum Ægyptiaca, sed montuosa & campestris de cælo expectans aquas, vt habetur inferiùs cap. 11.[a] propterea ibi cisternæ ad colligendas aquas cælestes construebantur. Addunt hîc editiones aliæ participium ad cisternas, videlicet effossas, seu excisas; חֲצוּבִים *chatsubim*, פְּסִילָן *pesilan*, λελατομημένους; cisternæ autem vocantur בֹּרוֹת *boroth*, forma fœminina, cùm participium sit masculinum, vt & גֻּבִּין *gubbin*, & λάκκοι. Nomen Hebræum בּוֹר *bor* significat propriè fossam excisam ad colligendum aquas pluuias, indeque transfertur ad carcerem, & sepulchrum, quæ fiunt in fossa: cùm בְּאֵר *beer* sit puteus, vbi aquæ scaturiunt, quamuis Rabbini confundant; & quidam בְּאֵר *beer* puteo operculum vel asseres duntaxat faciant; בּוֹר *bor* parietem siue murum altum palmis ferè decem. In cap. 5.[b] Prouerbiorum; *bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*; sunt dicta nomina duo בּוֹר *bor*, & בְּאֵר *beer*, vbi primum Caietanus per puteum non rectè conuertit. Redditur בּוֹר *bor* alibi[c] eodem pacto per λάκκον, & cisternam, & גֻּבָּא *gubba*: quandoque[d] per οἶκον λάκκου, domum laci, & בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum*; aliàs[e] per carcerem, ὀχύρωμα *munitionem*, בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum*; vel loco illius Græcè per[f] λάκκον[g]: nonnumquam Latinè per lacum Chaldaicè per שׁוּחַ *scuach*, *fossam*[h]: interdum per lacum, & λάκκον, sed per Chaldæum גֻּבָּא *gubba*; vel iuxta vltimam editionem per domum sepulchri בֵּית קְבוּרְתָא *beth keburtha*[i]: aliquando per λάκκον, & lacum, & בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*, *domum vinctorum*[k]: aliàs[l] est בֵּית הַבּוֹר *beth habbor*, & Latinè atque Græcè *domus laci*, οἶκος τοῦ λάκκου, sed Chaldaicè *domus vinctorum*, בֵּית אֲסִירֵי *beth asire*: denique pro בּוֹר *bor* ponitur βόθρος, *fouea* & גּוּב בֵּית אֲבַדָּנָא *gub beth abdana*, *lacus domus perditionis*, & Latinè *lacus*[m]. Omisso lacu, de quo egi alibi[n], cisternam dictam volunt, quòd sit cis, id est, infra terram: nec enim habet perpetuam causam, sed locus est ad colligendam aquam pluuiam aptus, imbribúsque concipitur[a], sed per glaream immissam in spongias purificatur[b]. Cisternam tamen quoque viuam dixit Vlpianus[c], ad eius nempe custodiam locum effossum. Verùm rarior ea notio, communis de aquis, cisternasque & piscinas Tacitus[d] seruandis imbribus destinatas ait: Philostratus[e] ὀμβρίων ὑδάτων δοχὰς vocat. Appellantur etiam δεξαμεναί, hoc est, vt scribit Iosephus[f], ὑδάτων ὑποδοχαί, siue, vt Hesychius[g], δοχεῖα, aliter ὑδροδοχεῖα, *aquarum receptacula*. Gubam Syro sermone dici tradit Hieronymus[h] quam appellamus cisternam. Lege Brissonium[i]. Si omnino aqua non est viua, inquit Varro[k], præcipiens de villa, & aqua villæ, cisternæ faciundæ sub tectis, & lacus sub dio, ex altero loco vt homines, ex altero vt pecua vti possit. Vbi distinguit à lacu cisternam. Quo autem construi modo debeat describit Palladius[l], Plinius[m], Vitruuius[n] cum Xylandro, penultimus[o] verò etiam vtrum salubrior aqua cælestis cisternis concepta, pósque illum Rhodiginus[p], & miratur ille cisternam ab aliquibus maximè probari, cùm non profluat. Puteorum inuentorem Danaum facit Plinius[q], qui ex Ægypto aduectus in Græciam, quæ vocabatur Argos Dipsion, id est, siticulosum (Seneca[r] veterem vocat Argi sitim) eos foderit. Refellit Polydorus[s] Virgilius, quoniam de puteis mentio fit in Genesi[t] ætate Abrahami & Isaac multò antiquiorum quàm fuerit Danaus, vt ostendit Iosephus[u]: nec Argis Danaus puteos fodit, quòd oppidum Argos aquis carebat,

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον·

Dy posuerunt Argos inaquosum,

inquit ab Strabone[x] citatus Homerus: verùm eius filiæ; quoniam

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον·

Argos inaquosum existens, Danai posuerunt Argos aquosum.

Licet autem id Hesiodus[y] ipsimet Danao tribuat,

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον.

Argos inaquosum Danaus fecit aquosum.

nihil refert: quia longè vetustior, vt dixi, puteorum vsus. Idem pari ratione asseri de cisternis potest, de quibus item in Genesi[z], sed siccis in Exodo[aa], Leuitico.[bb] Legatur de puteis Argos Rhodiginus.[cc]

Vineta, & oliueta quæ non plantasti.] Citato pridem loco libri Iosue[dd] habetur datas à Deo vineas & oliueta Hebræis, quæ non plantauerant, vbi est compositum κατεφυτεύσατε, hîc simplex ἐφυτεύσατε. Etsi verò vuarum acini, & oliuarum ossa si serantur, seu terræ mandentur, proferre ac euadere in plantas queant, & in genere herbæ ac ligna pomifera, propter semen in semetipsis[ee], tardiùs id euenit, quàm si plantentur ea quæ seri & plantari possunt: quædam enim non nisi seri valent. Vini & olei crebra mentio inter commodas victui res, vini cum frumento, vt Psal. 4.[ff] docui; *à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt*: & in apologo illo primarum ligna deserere voluerunt oliuæ, viti, simul & ficui[gg]: quæ tres plantæ memorantur[hh] alibi. Sed vinearum oliuarúmque cultura laboriosior; vt de prioribus Esaias[ii] tradit, *quid est quod vltra debui facere vineæ meæ?* &c. ac Poëta,[kk]

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est, namque omne quotannis

a v.10.11.
b vers. 15.
c Gene. 37. 22 Exo. 21. 33 34. Leu. 11. 36. 2. Reg. 23. 20. 2. Paral. 26. 10.
d Gene. 40. 15.
e c. 41. 14.
f Exo. 12. 29.
g Isa. 7. 16.
h Psal. 28. 1. sec. Hebr & 27. 1. sec. comm. edit.
i Psal. 30. 4. vel 29. 4. Psal. 143. vel 142. 4.
k Psal. 88. 5. vel 87. 5.
l Ier. 37. 16.
m Ezech. 31. 14.
n in Psal. 14 & in Psal. 1. &c.
Cisternæ etymon.

a l. 1. §. hoc interdictum. D. de font.
l. 14. in fi. D. de alimen.
Cisterna viua apud Vlpianum.
b l. vulgaris. §. sed si de peun. D. de furt.
c ibidem.
d lib. 21.
e c. 2. de vitis Sophistarũ in Herode.
f 5. antiq. c. 13. lib. 7. c. 11.
g in lexico.
h in vita Pauli eremitæ.
i de verb. signific. verbo *cisterna*.
k 1. de re rust. c. 11.
Puteorum inuentor quis, ex Plinio.
Refellitur.
l 1. de re rust. tit. 17.
m lib. 36. c. 23.
n li. 8. c. vlt.
o li. 31. c. 3.
p lib. 27. c. 2 & seqq.
q li. 7. c. 56.
r in Thyeste vers. 118.
s 3. de inuent. rerum. cap. 9.
t c. 26. 15. & seqq.
u contra Apion.
x lib. 8.
y citat Eustath. in Iliad. δ.
z c. 37. 22. 24. 27. 28. 29.
aa c. 21. 33. 34.
Vinea & oliua.
bb c. 11. 36.
cc lib. 10. c. 17.
dd c. 24. 13.
ee Gene. 1. 11. 12.
ff vers. 8.
gg Iudic. 9. 8 & seqq.
hh Abac. 3. 17.
ii cap. 5. 4.
kk Virg. Geor. 2.

Térque quotàque solum scindendum, glebáque versis
Æternum frangenda bidentibus: omne leuandum
Fronde nemus, redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

Oliuæ quamuis haud tanta egeant vt vites industria, siue cultura[a], tardiùs proueniunt (proles dicitur[b] tardè crescentis oliuæ, Græcéque ὀψίγονος, ὀψίσπορος, ὀψιβλαστής, ὀψικαρπής, βραδέως φύουσα, καὶ αὐξανομένη, omnia à tarditate, πολυπονος multi laboris) de qua te Theophrastus[a], Apollonius[c], Plinius[d], citans Hesiodum, Varro[e], quos Cerda noster citat[f]; variísque sunt obnoxiæ temporum casibus. Sed & pœnæ loco deputatur, si non sit germen in vineis, mentiatúrque opus oliuæ[g]; confundatur vinum, elanguescat oleum[h]. Theophrastus de vitibus, & arboribus vsurpat sæpissimè οἶνον καὶ ἔλαιον. Libanius[i], comparans cum oleis vites, quarum olearum dixi ex Virgilio[k] non vllam esse curam, quod præterea traditur à Theophrasto[l], & auctore[m] Geoponicôn, qui scribit quod ἐλαία πάντως φύεται, πλὴν ἀπὸ κλαδὸς, *olea omnibus prouenit modis, præterquam surculis*, ait circa oleas esse βραχὺν πόνον, καὶ οὐδένα, *laborem exiguum, aut nullum*, immò fructum earum expectare homines καθημένους, *sedentes*: at vites vocare ad se τοὺς θεραπεύοντας, *cultores*, atque ita *multum in damnum hominum, laborem impendi*, πολὺν ἐπὶ ζημίᾳ τῶν ἀνθρώπων κάματον ἀπαιτεῖ. Italis quidem prouerbium est, *Chi ha vigna ha tigna.* De vini vitísve, oleæ ac oliuæ mysticis notionibus plura modò non dicam, sed lectorem ad alia commentaria reiiciam, vel ad eos qui data opera huiusmodi allegorias persequuntur, vt Hieronymus Lauretus, Petrus Bercorius, Ioannes à S. Geminiano, &c.

Vers. 12.] Et comederis, & saturatus fueris:

Vers. 13.] Caue diligenter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.

DIxi ad præcedentes versus ex copia temporalium bonorum & beneficiorum oriri facilè benefactoris obliuionem, & contemptum; Idcirco tam sæpe ac tam disertè ob oculos ponitur eximia illa, tot admirandis constans operibus, de Ægyptiaca sæuissima seruitute, liberatio, In cap. 8.[a] repetitur idem monitum. Ditissimus mortalium Salomon non minus à diuitiis metuens sibi, quàm à mendicitate, vtrásque deprecabatur; contentus victui necessariis; ne forte satiatus illiceretur ad negandum, & diceret, quis est Dominus? aut egestate compulsus, furaretur, & periuraret nomen[o] Dei. Arbitrantur autem aliqui iam pœnitentis orationem Salomonis esse, opulentiæ copiarúmque damna experti; quidam alterius vt Agur vel Congregantis, qui à Salomone inductus eam inseruerit. Quisquis auctor fuerit; solerter periculum cauit duplex; de quo Ambrosius[p], Bernardus[q] & alij, ac prior quidem subtiliter pro remedio propositum ait regi Achaz signum in profundum, aut in altum[r], nempe Christum, qui neque elatus est potestate, vtpote non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, neque mortis deiectione turbatus, quippe quæ sua sunt non requirens, sed humilians seipsum formam serui accipiendo, vsque ad mortem, & quidem crucis[a]. Nec displicet omnino qui exponunt postulari facultates regiæ dignitati conuenientes & sufficientes absque immodica cupiditate atque auiditate, quæ quantumlibet diuitem, non diuitem facit, sed egenum & mendicum. Id est, postulare sufficientia naturæ, non autem auaritiæ, cui auaritiæ numquam sufficere aliquid potest, etiamsi totum mundum, vt est luxuriosa, possideat, inquit sub nomine Sixti Papæ III. auctor libri de diuitiis, Pelagiana labe contaminatus, sed in non paucis bonus. Certè eumdem locum solet Hieronymus[b] recitare, iungendo necessaria & sufficientia, vt etiam Græcè habetur, τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη, *vel sufficienter*, vel *quæ sufficiant*. Ambrosius[c] necessaria, quæ abundent: & Hebraicè *panis statuti mei*, לֶחֶם חֻקִּי *lechem chukki*. Caietanus[d] & Salazar[e] referunt ad statum conditionémque vitæ; vt sint facultates illi ac moribus accommodatæ; quas si rex non habeat, sed impares dicto statui & conditioni, pauper censebitur. Iacob si panem Deus daret ad vescendum, & vestimentum ad induendum, vouit fore vt esset sibi Dominus in Deum[f]; & Apostolus[g] contentos nos volebat hoc gemino vitæ subsidio, alimentis, & quibus tegamur, quoniam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Porrò satietas eodem priore loco sumi potest, vt propria gulæ, ac sumptioni cibi, seu immoderatæ comestioni, quemadmodum in hoc nostro. Ex ea ingluuie nascitur plerumque fornicatio idololatrica, non solùm carnalis. Sic enim queritur Deus apud Ieremiam[h]; *saturaui eos, & mœchati sunt*: Hebræi, postquam manducauerunt & biberunt, surrexerunt ludere[i] circa vitulos aureos: incrassati, & impinguati, dilatati sunt[k], id est, retrò ad idola cesserunt; Rursum querimonia Dei est in Osea[l]; *Ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Videlicet, quia Deus vetat scelera, qui hæc licentiùs cupit perpetrare, & verò per copiam rerum potest, fingit sibi idolum; dicitque quod est apud eumdem prophetã[m]; *diues effectus sum; inueni idolum mihi*; (auaritia idolorũ seu simulachrorum seruitus est[n], ac mammonia[o]; & quorumdã etiam Deus venter[p];) *omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem quam peccaui*; hoc est, nullius mihi conscius videbor iniquitatis; nullam meus mihi Deus quẽ excogitaui, prohibet, aut vlla me lege astringit. Quamquam aliter eum alij locum declarent. Tandem, *iuxta pascua sua adimpleti sunt*, inquit eiusdem Dei verbis Oseas[q], *& saturati sunt, & leuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Subdit verò dignam talium pœnam, *vt dirumpantur interiora secoris[r] eorum.* Hebraicè (*clausula cordis eorum*, סְגוֹר לִבָּם *segor libbam*, & Græcè eodem pacto συγκλεισμὸν καρδίας αὐτῶν, *pinguedo viscerum.* Prodit ex adipe iniquitas[f]; repleta terra argento, auro, thesauris, equis, quadrigis, repleta etiam est idolis[t]. De intemperantiæ incommodis non importunus hic agendi foret locus: quæ eò procedit etiam, vt pro Deo ventrem constituat[u]; pro templo pulmonem, vt loquitur Tertullianus[x]; aqualiculum (id est, aluum quò sordes defluunt) pro altari; coquum pro sacerdote; totam caritatem seruet in cacabis; tota fides eius in culinis caleat; tota spes in ferculis iaceat. Iis

ait Clemens [a] Alex. qui ad luxum mensarum sunt propensi, & suos sibi morbos enutriunt, præesse dæmonem ἀρχιτέλην, *helluonem maximum*; nec vereri appellare κοιλιοδαίμονα, *ventridæmonem*, dæmonum pessimum & perniciosissimum: similes præterea esse ἐγγαστριμύθῳ, *ventriloquo*: necnon pisci qui vocatur ὄνος, *asinus*, & ab Aristotele [b] solum ex animalibus habere cor dicitur in ventre; tales ἀντραπαλογάστορας (aliter ἀντραπελογάστορας, vt apud Athenæum [c] vocat Epicharmus; aut vt legunt alij πελογάστορας, *ventricosos*) esse à communi ventris consuetudine recedentes; denique talibus, quorum Deus venter est, Apostolum comminari interitum. Verùm de illo animali traditur quidem idem ab Æliano [d]; sed contradicunt Saluianus [e], Rondeletius [f], Mercurialis [g], Aldrouandus [h], auctor [i] collectaneorum in Clementem Alex. & cùm id repugnet tum rationi, quia cor ibi nequit esse, vbi cibi coquuntur; tum anatomiæ; per eam descriptionem tantummodo indicari tumidiorem piscis ventrem docent, magnam cordis amplitudinem respectu stomachi, voracitatem immensam: vel in medio aluo gerere cor, cùm alia potiùs in pectore medio, vt indicat Apuleius [k]. Agi præterea hic posset de ritè benedicendo cibo priusquam sumatur, & postquam sumptus est, de gratiis Deo reddendis. Exemplo fuit Christus, quando turbas pauit panibus multiplicatis [l]: & in vltima cœna, cùm panem consecrandum benedixit, & hymnum dixit in eiusdem cœnæ fine [m]: vt obseruant Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in Matthæum [n], Cyrillus Alex. in catena citatus Aquinatis [o] ad Lucam, & in ea quæ est ad Marcum [p] Hilarius, Paulus etiam sumens panem gratias egit Deo [q]. Ibi causas attuli benedictionis, ad abolendam quodammodo maledictionem, quam Deus ob lapsum Adæ terræ donauit [r], eaque consequenter quæ proferuntur ex ea: ad repugnandum execrationi Manichæorum, quam pronunciabant aduersùs escas [s]: ad nos præmuniendum contra dæmonem, qui cibi gustu primos parentes nostros perdidit [t]. Adde hoc ritu profiteri nos velle nos cibis vti ad honorem Dei, illíque velut ἀπαρχάς, *primitias*, offerre: eos non more brutorum sumere: petere vt salubres sint corpori & animæ, vtque operari cibum possimus qui non perit, & panem in regno cælorum tandem percipere: vt non inficiantur diabolica, seu magica potestate, nec extra metas necessitatis accipiantur, quod verebatur Augustinus [u], docens præterea [x] quantum dæmon potestatis vsurpauit sibi in cibos, vt hominibus noceret per illos. *Medicamentum in promptu est*, ait Chrysostomus [y], *signum crucis cibo imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.* Hoc remedio monialem; quia vsa non est, sed lactucam benedictione non præmissa sumpsit, dæmon inuasit [z]. Immò coclear, poculum, vasáque alia signo crucis Eustasius Abbas muniebat, dicens in Concilio Matisconensi reprehendenti Agrestino monacho, per aduentum signi Dominici pelli pestem aduersantis inimici [aa]. Absurdum porrò ait Chrysostomus [bb] esse, seruos nostros, si quam appositorum partem à nobis accipiant, nobis gratias agere, & cum benedictione recedere; nos autem tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo rependere. Exaggerat verò [cc] in reliquorum narratione miraculorum, vel etiam quando peccata dimisit, & paradisum aperuit; latronémque in eum introduxit, secreta cordium

a 2. pædag. cap. 1.
b de animal. lib. apud Athenæum.
c lib. 7.
d 5. de animalib. c. 20.
lib. 6. c. 30.
e 11. de piscib.
f 9. de piscib. c. 9.
g 4. variar. lect. c. 16.
h 3. de piscib. c. 1.
i ad pag. 177. nu 30. & 40.
k ora. 1. pro se ipso.
l Matth. 14. 15. c. 15. 36. Marci 6. 41. Lucæ 9. 16. Ioan. 6. 11.
m Matt. 26. 30. Marci 14. 26.
n in cap. 14.
o in Luc. 9.
p in cap. 14.
q Actuum 27. 35.
r Genes. 3. 17.
s August. 30. cont. Faust. c. 4. & 5. Epiph. hær. Manich.
t Gene. 3. 6.
u 10. confess. c. 31.
x 12. de ciuit. c. 17. & 18.
y in 1. Tim. 4.
z Greg. 1. dialog. c. 4.
aa Ionas in vita apud Bedam.
bb hom. 9. ad populū.
cc hom. 50. & 56. in Matth. & hom. 41. in Ioan.

reuelauit; Christum non orauisse nec immolauisse; sed quando panes multiplicauit; vt doceret non esse ad mensam accedendum, quousque gratias Deo agamus, qui cibum nobis præbet: & vt assuescamus etiam in minoribus gratias agere. *Non priùs discumbitur*, inquit Tertullianus [a], *quàm oratio ad Deum prægustetur.* De isto ritu consecrandi mensam ex more Iudæorum, Christianorum, Gentiúmque aliarum Ioannes [b] Gulielmus Stuckius, auctor alioquin hæreticus, disserit diligenter; ac ex primis profert quæ traduntur in Siddur habberach, vehatsmitoth in tractatu, seu ordinatione benedictionis & cantionum: ex Burgensi, solitos recitari ab iis Psalmos, *Laudate pueri Dominum*, vsque ad, *Beati immaculati in via*, húncque hymnum esse, qui dictus à Christo post cœnam scribitur [c]: huc, id est, ad benedictionem, gratiarúmque actionem, Pauli [d] verba respicere, percipiendos cibos, quos Deus creauit, cum gratiarum actione; nihílque reiiciendum, quod sic percipiatur; quia sanctificatur per verbum Dei, & orationem: Citat Philonem [e] (testatur verò id etiam Iosephus [f]) prodentem sublato in cælum vultu, manibúsque, orare Iudæorum Essenos consueuisse, vt ex animi voto succederet conuiuium εὐωχία: canonem concilij [g] Nannetensis quod exemplum Christi commemorat & Samuelis factum, qui benedicebat hostiæ, & deinceps comedebant qui vocati erant [h]: normam Græcorum in horologio suo; & Latinorum alium in Breuiario; benedictionem ad sumendum cibum in constitutionibus [i] Apostolicis, qua etiam Græci vtuntur. *Benedictus es Domine, qui pascis me ab adolescentia mea, & das escam omni carni; imple gaudio & lætitia corda nostra; vt semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro: per quem tibi gloria, honor, & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.*

Extant hymni elegantes ac pij ante & post cibum in Prudentio [k], quibus orat

Numinis [l] vt sub honore Dei
Has epulas liceat capere.

quoniam inquit,

Te sine dulce nihil, Domine,
Nec iuuat quod ore appetere.

Item,

Pastis [m], ait, visceribus, ciboque sumpto
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat.

Est eadem de re regula vna inter eas, quas Monachis traditas fertur à Hieronymo; & Basilij præceptū ex epistola ad Gregoriū, & in moralibus [n], atque Ambrosij [o]: & pro clericis ac religiosis canones [p]. Eodem spectat quod Ethnici mensam quotidianam inter res sacras habebant; & proinde cibum sumpturi primitias Deo sacrificabant; manus pedésque abluebant, tanquam sacrum epulum [q] edituri. Cæterùm ritè benedicere, gratiasque agere in mensa sacerdotis munus fuisse, si adesset, colligitur ex historia Catholici & Ariani apud Turonensem [r]. Hieronymus [s] quoque scribit, licèt diaconum vidisset in domesticis conuiuiis benedictiones presbyteris dare, eos qui hoc faciant, non rectè facere. Nicolaus tamen I. Bulgaris respondit si deesset sacerdos aut diaconus, licere mensæ signaculum crucis adhibere: nam omnibus datum, vt & omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, & ab omnibus eius impugnationibus, in Christi nomine triumphare; sed cùm potior adest, inferiorem

a apologet. c. 39.
b 2. antiq. conuiual.
c Matth. 26.
d 1. Tim. 4. 4. 5.
e li. de supplicat.
f 2. de bello Iud. c. 7.
g d. 44. cap. Quando.
h 1. Reg. 9. 13.
i lib. 7. cap. vlt.
k cathemerinon hymno 3. & 4.
l hymno 3.
m hymno 4.
n reg. 36. cap. 2.
o 3 de virginib.
Cibum sumendi ritus apud Ethnicos.
p d. 44. c. 8. & 12.
q Plutar. in conuiuio: quæst. Rom. 64. 7. sympos. q. 4.
r 1. miracul. c. 80.
s epist. ad Euagrium.

ætatem hoc sibi, nisi iussum, non debere arrogare. Narrat Odo Cluniacensis de quodam Episcopo, cibos ab illo benedictos si quis canis casu comedisset, subitò mortuum fuisse [a]: & de sancto Corbiano proditur, cùm Grimoaldus princeps ex mensa, quam ille benedixerat, cani sibi dilecto panem proiecisset per iniuriam, dextro pedi tripodis calicem impingendo, mensam euertisse, indéque prosiliendo, eum pronunciasse tanta benedictione indignum, nec vlteriùs panem cum ipso sumere velle [b]. De formula Gulielmus [c] Durandus. Lege etiam Gretserum [d] nostrum. Apud Gentiles obscuriora sunt huius rei vestigia: nisi placeat ad id pertinuisse lustratos aqua cibos à sacerdotibus, quem morem Iulianum apostatam inducere voluisse testis Theodoretus [e]; solitósque Imperatores septem dies in Daphne feriari; & prima *aditum* [illegible] *astantem accubitu regis*, τῷ βασιλέως [illegible], *obsonia ex more lustrare*, τὰ ὄψα, siue [illegible]. Legi postea lectu dignum asceticum tractatum Iulij Nigroni nostri de benedictione mensæ. Aliæ partes propositi textus continent monita de timendo Deo, eique soli seruiendo, ac de iurando per nomen ipsius, de quibus nihil modò proprium occurrit, cùm satis alibi dictum fuerit de iisdem, præter nonnulla quæ postea subiicientur seorsim. Vsurpat porrò hunc locum Serapion Abbas apud Cassianum [f], vt probet non debere nos in victoria vitiorum extolli, aduersùs quæ sine auxilio Dei nihil possumus. Cui similem profert locum ex cap. 9. [g] libri nostri, *ne dicas in corde tuo cùm deleuerit eas* (gentes) *Dominus Deus tuus in conspectu tuo; propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem*, &c.

Et comederis, & saturatus fueris.] Synonyma sunt comedere, edere, manducare: item saturari, & satiari. Priscianus [h] tamen manduco idem vult esse quod μασῶμαι, hoc est, *identidem mando*: negatéque ait Probum, rectè dici piscem, vel aliud tenerum quid manduco; sed potiùs edo, quod significat ἐσθίω: manducari autem docet, quod denti reluctatur: veteres tamen & in edendi significatione manducare dixisse. Saturari, & satiari à satis descendunt, vel hoc ab ἅλις, vel omnia à σάττω, *onero, farcio, impleo*; licèt (*satis*) Iulius [i] Cæsar Scaliger notam mediocritatis asserat esse, sumique ab agricolis post sementem factam, perinde atque si dicant, satis frugibus, non præterea laborandum: Isidorus [k] vsurpari saturam pro cibi genere docet, ex variis rebus condito, pro lege multis aliis legibus conferta: pro vario poëmate, cui etiam nomen satira, vel satura, vel satyra Porphyrio [l]; pro eodem varia referto. Casaubonus [m] hæreticus, in quo breuiter multi perstringuntur, & quasi in lancem, quam vocant saturam, coniiciuntur. Donatus [n] à satyris, quòd pudenda & ridenda contineat, qualia illi proferebant, & in ea introducebantur. Plerumque, vt Sosipater testatur, saturitas in cibo & potione dicitur, satietas in cæteris omnibus; quamuis Cornelius Fronto satiatum ventris velit esse, saturatum animi. Plus etiam quiddam important saturare & satiare, quàm explere, quod hîc valet ἐμπλησθεὶς: ac ferè excessum indicant, & in cibo potúque nimietatem, ac nominatim saturitas [o] panis: Nihilominus absque vitio accipiuntur etiam in Scriptura, quemadmodum & inebriari. De hoc Augustinus [p] notat, sumi pro satietate seu sufficientia; vt quando fratres Ioseph cum eo inebriati scribuntur [q], Deus visitasse terram,

[a] apud Gretser. tal. 4. [b] in vita. [c] 4. ration. c. vlt. [d] 4. de cruce c. 18. & 3. de benedict. c. 13. [e] lib. 3. [f] coll. 5. c. 15. [g] vers. 4.

Explanatio. Comedendi, edendi, & manducandi: item saturandi & satiandi verba.

[h] lib. 1. [i] in Theophr. de plãtis. [k] 4. etym. c. 16. [l] in Horat. [m] de Rom. satyra. [n] in Ter. [o] Prou. 30. 22. Ezech. 16. 49. [p] in Gen. q. 144. [q] Gene. 43. 23.

A & inebriasse eam [a]. Adde ex Canticorum [b], *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* & ex Ieremia [c]; *inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur*; &, *inebriaui animam lassam, & omnem esurientem saturaui*; vbi Hieronymus dictis locis Genesis & Canticorum confirmat ebrietatem in bonam partem poni: item ex Aggæo [d]; *comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati.*

Caue diligenter ne obliuiscaris Domini.] In editionibus aliis (*custodi te*, vel *attende tibi*, [illegible] *hissciamer lecha*, & [illegible] *isthammar lach*, πρόσεχε σεαυτῷ: & in Græca additur, (*Dei tui*, τοῦ θεοῦ σου.) Quidam prætерea Græci codices habent, μὴ πλατυνθῇ ἡ καρδία σου, καὶ ἐπιλάθῃ, *ne dilatetur cor tuum, & obliuiscaris.* Sic etiam legit Augustinus [e]; admonens in malo dici posse dilatationem cordis; & exultationẽ in dilatatione intelligi, cui contrariæ sunt angustiæ, id est, tristitia: vtrumque autem posse & in bono & in malo accipi. Hoc sibi vult inferiùs [f] in Cantico epithetum populi dilatati, & verbum ἐπλατύνθη. Chrysostomus [g] inter alia exempla testimoniaque, præsens profert, vt probet quàm sit præceps locus deliciarum, Deique afferat obliuionem: & hac de causa [h] scribit rectè vsurpari in mensa gratiarum actionem, de qua priùs egimus. Iob cùm in orbem transissent dies conuiuij inter filios mittebat ad eos, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo, offerebat holocausta pro singulis: dicebat enim, *ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis* [i]. Quod exponitur vel de blasphemia Dei veri, vel etiam de adoratione idolorum; quæ nonnumquam cum gulæ peccato iungitur, vt nuper dixi ex Exo. 32. [k] Et habetur infrà hoc libro nostro cap. 13. [l] Esau propter lentis edulium, rufámque coctionem paruipendit primogenita, oblitus se hoc iure esse Dei sacerdotem. Obiici posset illud ex quodam [m] Psalmo; *confitebitur tibi cum benè feceris ei.* Reprehendit tunc solum confitentem Augustinus [n]: & non in aduersis quando per ea Deus erudiat. Cæterùm sæpiùs accidit, vt ne tunc quidem confiteatur quis & gratias agat, sed potiùs vt obliuiscatur; cùm verò multiplicantur infirmitates, acceleret [o]; cùm occidit Deus, quærat eum & reuertatur, & diluculo veniat ad eum [p]. Idem monitum de cauenda ista obliuione habetur libri nostri cap. 8. [q] & de hac in cap. 32. [r] conqueritur Moses & Dauid [s], Esaias [t], Ieremias [u], Baruch [x], Ezechiel [y], Oseas [z]. Hieronymus [aa] explanans Ezechielem [bb], scribentem quòd iniquitas Sodomæ fuit cum superbia saturitas panis, & abundantia; & citans locum similem ex cap. 8. libri nostri, ait propter hoc sequi Dei obliuionem, quæ præsentia bona putat esse perpetua, & numquam sibi necessariis indigendum. Cassianus [cc] transfert hunc locum, vt probet non debere nos in vitiorum extolli victoriis: præterea ex Prouerbiis [dd], *si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem eius noli extolli, ne videat Dominus, & non placeat ei, & auertat iram suam ab eo*, id est, ne perspiciens elationem cordis tui, ab eius impugnatione discedat, & incipias derelictus ab eo, rursus illa, quam per Dei gratiam antè superaueras, passione vexari.

Qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Sic in cap. præcedente [ee]; vbi alia similia testimonia protuli tum ex locis aliis, tum ex sequentibus libri nostri [ff] capitibus, vbi semel additur redemptio de manu Pharaonis regis Ægypti [gg].

Dominum

[a] Ps. 64. 6. [b] cap. 5. 1. [c] c. 31. 14. 25. [d] cap. 1. 6. [e] in locutionibus. [f] c. 32. 15. [g] hom. 16. in actus Apost. [h] homil. 56. in Matt. [i] Iob 1. 5. [k] vers. 6. & seqq. [l] vers. 30. Gene. 25. 30. & seqq. [m] Psal. 48. 19. [n] ibid. [o] Ps. 15. 4. [p] Psal. 77. 34. [q] v. 11. 19. [r] vers. 18. [s] Ps. 77. 11. Ps. 105. 13. 21. [t] c. 17. 10. c. 44. 18. c. 51. 13. c. 57. 11. c. 65. 11. [u] c. 2. 32. c. 3. 21. c. 13. 25. c. 18. 15. c. 23. 27. [x] cap. 4. 8. [y] c. 22. 12. c. 23. 35. [z] c. 2. 13. c. 4. 6. [aa] in Ezech. 16. [bb] c. 16. 49. [cc] coll. 5. c. 15. [dd] c. 24. 17. [ee] vers. 5. [ff] c. 7. 8. c. 8. 14. c. 13. 5. [gg] c. 7. 8.

Dominum Deum tuum timebis.] Vt iudicem, quíque infligere possit mala pœnæ, timore seruili; qui per se non est malus, dummodo desit affectus mala faciendi, si abessent prioris generis mala; qui vocatur quoque timor initialis: timore filiali ac reuerentiali, vt benefactorem, beneuolum, patrem. Alij timeri possunt, ac debent, vtroque timore; sed infra Deum, propterque illum; ac ita, vt nullius damni etiam vitæ, timor, Dei timorem impediat: sed, cùm se offert occasio, negligatur timor eorum, qui occidunt corpus, præ timore illius, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Dicitur quandóque [a] timor Domini principium, initiúmve sapientiæ: nonnumquam ipsa sapientia [b], plenitudo, & corona sapientiæ [c]. Primum exponi solet de seruili, qui est spiritus seruitutis in timore [d]: secundum de filiali, qui non differt à caritate, in qua non est, & à qua etiam prior foras mittitur [e]; dilectio enim Dei, honorabilis sapientia [f]. Huius timoris respectu alius est veluti acus siue seta, linum introducens, forma, seu typus, qui fornici construendo substernitur; pædagogus, tutor, procurator paruuli & pupilli, ianitor, clausque: item frenum, clauus, miles armatus excubans ad fores conscientiæ, &c. vt ex dictis Patrum colligitur. Frequens præterea notio timoris Dei est, pro cultu, religione, obseruantia erga Dominum, atque pro custodia totius legis; vt aliquoties alibi docui, agens simul de vario genere timoris Domini. Cùm Abraham dixit [g], *forsitan non est timor Dei in loco isto*, intellexit nullam religionem ibi esse, nullum Dei cultum. Certè religiosi, pij, fideles, casti, colentes Deum, consueuerunt dici, & cognominari timentes Deum [h], vel timorati [i]. Sed & pro timore non rarò ponitur εὐσέβεια & εὐλάβεια. Ipsomet naturæ ductu homo miseriam timens imminentem, vel ne præsens perduret, numen diuinum implorat; nam

——— [k] *raræ fumant felicibus aræ:*
Primus in orbe deos fecit timor.

Dicitur item ab Ouidio [l].

Emathion æqui cultor, timidúsque deorum.

Iubemur deníque seruire Domino in timore [m]: & adorabat Dauid ad templum sanctum Dei in timore [n] ipsius, aliásque notaui, videri nonnullis nomen *Deus*, descendere à δέος *timor*; ea Θεὸς leniùs prolato (etsi alij hoc deriuent à θέειν, *currere*, θεωρεῖν, *contemplari*, αἴθειν, *vrere*, τίθημι, *disponere:*) & per timorem patris sui Deum, quem pater ipsius colebat, intellectum esse à Iacob [o]; prout etiam exprimit paraphrasis Chaldæa. Esaias [p] demum pellens timorem humanum scribit, *timorem eius ne timeatis, neque paueatis, Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester.* Citatus creditur hic locus noster, similisve capitis decimi [q]; vbi est; *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, &c. à Christo [r] aduersùs Satanã, exigentem ab eo adorationem, *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sed pro (*timebis*) vsurpauit (*adorabis.*) Requirebat responsio illud verbum: quoniam adorari Satanas petierat; timoris autem ac reuerentiæ non minima pars adoratio est. In pronomine etiam (*illi*) quod habetur, sequenti membro, intelligitur (*soli*) nomen, quod extat citato cap. 10. sicut hîc Latinè & Græcè (quamuis nec Hebraicè, vnde Leo [s] Castro vult excidisse; nec Chaldaicè) seu exclusio alterius; quemadmodum dicendo (*Dominum Deum tuum*) intelligitur prohiberi ne quis aut quid aliud timeatur adoretúrve illo modo, qui Deo vni ac vero conuenit. Vnde mox hic sequitur; *non ibitis post deos alienos*, &c. Quare docuerunt additum (*soli*) à Christo, citante Deuteronomij locum, Iansenius, Maldonatus, Brugensis, & alij passim, explanando tentationes Christi. Augustinus [a] (& post eum Haymo [b]) obseruat in hoc præcepto non dici *Dominum Deum tuum solum adorabis*, sicut dicitur; *& illi soli seruies*; quoniam adoratio exhibita est ab Abraham populo Gentium [c]. Vbi videtur ea hoc etiam loco recitare verbum adorandi, quemadmodum & Iustinus [d], vetus verbo προσκυνῶ. Diuinat porrò Leo [e] Castro, gratisve asserit, Hebraicè fuisse duplicem lectionem, in vna (*adorabis*) in alia (*timebis*) primámque veriorem. Nec vis inest, quam ipse facit in יהוה אלהיך *Iehouah elohecha*, vt denotetur vnus Deus & personæ tres, propter nomen secundum numeri pluralis: quia, quod sæpe monui, eiusmodi nomen pluraliter dicitur de vno alio etiam qui non sit Deus. Transcripsit eadem ex Castro Gaspar [f] à Melo. De adoratione porrò propria Dei intelligens, vetuit Petrus adorationem exhiberi sibi à Centurione [g]: Paulus & Barnabas ab aliis [h]: Angelus à Ioanne apostolo [i]: Mardochæus negauit eam Amano [k]: tres pueri statuæ Nabuchodonosor [l]. Porrò Christum de seipso intellexisse quod respondit Satanæ, videlicet seipsum esse Dominum Deum Satanæ, à quo deberet adorari, non ille ab ipso, indicant qui docent auctoritate diuina ei comminatum abscedere; nec immeritò principe suo iam deuicto, postea clamasse dæmonia [m]; *quid nobis, & tibi fili Dei altissimi? quid venisti ante tempus torquere nos?* non enim potuisse iam Dei filium ignorare (saltem per probabiles coniecturas) quem Deum esse in auctoris sui condemnatione cognouerant. Sic loquitur Chrysostomus [*]. Id Hilarius [n] quoque insinuat, dicens diabolum cognouisse Dominum Deum suum adorandum in homine: Hieronymus [o] quòd magis eum adorare Dominum & Deum suum: Petrus [p] Chrysologus illum cui genu flectunt omnia non solùm cælestia, & terrestria, sed etiam inferna [q]. Probabilius tamen est, Christum vel de diabolo intellexisse, qui non adorari, sed adorare potiùs Deum deberet; quamuis id minimè facturus esset: vel de seipso vt homo erat, & de quocumque alio homine; vt Glossa [r] annotauit. Atque idem iudicium de verbis aliis; *non tentabis Dominum Deum tuum*: &, *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hoc si sit, sequitur Christũ verum Deum esse, vt argumentatur noster Bellarminus [s]; vt ex aliis locis de adorando Christo. Sed citat locum nostrum, & nominat Mosem perinde ac si haberetur verbum *adorandi*: quod etiam facit Aponius [t], & Irenæus [u], & Cyrillus [x] Alexandrinus, qui probat diuinitatem Christi, & Ambrosius [y]; cùm tamen sit verbum *timendi*. Latere Christus volebat, & suam celare diuinitatem.

Et illi soli seruies.] Eodem pacto in cap. 10. [z] & in Euangeliis [aa]: ac vbique Græcum verbum est λατρεύσεις, vnde λατρεία nomen vnius solius Dei cultui applicatum, sicut δουλεία sanctis, Deiparæ ὑπερδουλεία, de quibus egi alibi, docens nonnumquam etiam in Scriptura prima illa duo vocabula, aut similia tribui aliis, vt in Leuitico [bb], & Numerorum [cc], vbi opus seruile dicitur λατρευτόν, & ne quit de semine suo det seruire Moluch [dd] λατρεύειν, nimirum vt Deo, cùm esset idolum

Timor Domini quid.
a Psal. 110. 10. Prou. 1. 10. Eccli. 1. 16.
b Iob 28. 28.
c Eccli. 1. 22.
d Rom. 8. 15.
e 1. Ioan. 4. 18.
f Eccli. 1. 14.
g Gen. 20. 11.
h Iob 1. 1. 8. 9. c. 2. 3. Ps. 21. 24. 25. 26. Psal. 24. 14. Ps. 32. 8. 18. Psal. 65. 16. Ps. 113. 21. Ps. 117. 4. Ps. 127. 1. 4 &c.
i Luc. 2. 25. Actuum 8. 2. c. 22. 12.
k Petron. apud Fulgen. in mytholog.
l 5. metamor.
m Ps. 2. 11.
n Ps. 137. 2.
o Gene. 31. 42. 53.
p c. 8. 12. 13.
q vers. 20.
r Matth. 4. 9. 10. Lucæ 4. 7. 8.
s apolog. li. 6. nu. 216.
a q. 61. in Gene.
b in Matth. 4.
c Gen. 23. 7.
d apolo. 2. & contr. Tryphon.
e apolog. lib. 6. num. 215.
f in Luc. 4.
g Actuum 10. 25. 26.
h c. 14. 13. 14.
i Apoc. 19. 10. c. 22. 8. 9.
k Esther 3. 5.
l Dan. 3. 12. 14. 15. 18.
m Matth. 8. 29. Marci 5. 7. Lucæ 8. 28.
* homil. 5. ex variis in Matth.
n in Matth. 4.
o ibidem.
p serm. 13.
q Philip. 2. 10.
r in Mar. 4.
s 1. de Chr. c. 9.
t lib. 1. in Cant.
u li. 5. c. 22.
x 2. in Ioan. cap. 92. & 2. Thess. c. 1. & de capto emissario, apud Conc. Ephes. 10. 6. c. 16.
Christus verus Deus adorandus.
y 3. de Spiritu S. c. 12. de fuga sæculi c. 2.
Latria, Dulia & Hyperdulia.
z vers. 20.
aa Matt. 4. 10. Luc. 4. 8.
bb c. 23. 7. 8. 21. 25. 28.
cc c. 28. 18. c. 29. 1. 7. 12.
dd Leuit. 18. 21.

Idolum. Sæpe Augustinus [a] de vsu latriæ iam dicto admonet, ac semel [b] simul de aliis θρησκεία, εὐσέβεια, δουλεία: item de pietate, religione, cultura: & quòd latria secundùm consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter vt penè semper, ea dicatur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Hoc de latria absolutè, ac sine exceptione affirmant in Matthæi & Lucæ cap. 4. Beda [c], Haymo, Christianus Drutmarus, & alij; necnon Ionas [d] Aurelianensis: item Origenes [e] (qui λατρεύειν, quod vertitur [f] *colere*, ait esse toto affectu & studio mancipari) Basilius [g], Damascenus [h], Isidorus [i], Aquinas [k], Scholastici [l] alij: denique VII. Synodus, siue Nicena II. [m] Vbi recitantur dicta Tharasij, & Anastasij Episcopi Theopoleos obseruantium appositum μόνῳ, *soli*, ad λατρεύσεις, *seruies*, quoniam προσκύνησις adoratio est πολύσημον & varia multáque significans, vt internum affectum, & externam submissionem seruitutis, λατρεία solum affectum. καὶ ἔρα, inquit Anastasius, πῶς ἐπὶ μὲν τῷ λατρεύσεις προσέθηκε τὸ, μόνῳ· ἐπὶ δὲ τῷ προσκυνήσεις, οὐδαμῶς. *Et vide quomodo in eo quidem quod dixit*, seruies, *apposuit*, soli: *in eo verò quod ait*, adorabis, *nequaquam*. ὅσα προσκυνεῖν μὲν ἔξεστι, τιμῆς γὰρ ἔμφασις ἐστιν ἡ προσκύνησις. λατρεύειν δὲ οὐδαμῶς, ἀλλ᾽ οὐδὲ προσεύξασθαι. *Itaque adorare quidem licet, honoris quippe indicium est adoratio; seruire autē nequaquam, ergo nec orare*; quod tamen vltimum intelligi debet de oratione tanquam ad auctorem donorum independentem Veri quoque cultores [n] Dei λατρευταὶ solent appellari, & λατρεύοντες. Sed tamen δοῦλοι & δουλεύειν apud sacros etiam Scriptores [o] eumdem vsum habent aliquando quod priores voces. Refert præterea Vasques [p] noster soli Deo accommodantes adorari & adorationem, Hieronymum [q], Augustinum [r], Fulgentium [s]. Meritò tandem probandi non sunt Laurentius [t] Valla, & Ludouicus [u] Viues, contendentes λατρείαν & δουλείαν omnino idem esse: Martinus [x] Ayala reprehendens quod sanctis δουλεία attribuatur; Caluinus, & Laurentius Vitredus hæretici, contra quos Petrus [y] Canisius, & Alanus [z] Copus, asserentes distinctionem dictam ex imperitia linguæ Græcæ profectam: Christianus [aa] Drutmarus volens προσκυνεῖν pertinere ad Deum, ad hominem χαίρειν. Vltimum de veneratione nusquam reperiri arbitror: penultimum ad alios quam ad Deum pertinere nemo dubitat. Ponderat verò Augustinus [bb], aduersùs Arianos, non dici, *Dominum Deum tuum Patrem adorabis, & illi plus seruies*, sed *soli*; vt intelligeremus Filium æquè cum Patre esse vnum & solum Deum, qui solus adorari debeat, & cui soli seruiendum sit, nimirum adoratione & cultu latriæ; nec Filium censendum quidem Dominum & Deum, sed minorem; immò ὁμοούσιον, consubstantialem, æqualem, omnino eumdem. Cyrillus [cc] Alex. considerat adorationem seruituti coniungi; & ianuam ad viam ad seruitutis opera adorationem esse: ideóque in Psalmo [dd] dicit, *Adoremus & procidamus ante Deum.* & Christum sub iugo se hoc non esse ostendisse quando exactus est censum [ee].

Ac per nomen illius iurabis.] Ante ista in textu Græco habetur καὶ πρὸς αὐτὸν κολληθήσῃ, *& ad illum adhærebis.* quod huc translatum puto ex cap. 10. [ff] vbi legimus (*ipsi adhærebis*) post similem sententiam præcedenti, extátque in editione etiam Hebræa & Chaldæa. Ibidem verò est (*iurabísque in nomine illius*) vt sonant verba editionum aliarum etiam hoc loco. Cæterùm sensus est, vt qui velit iurare, per nomen iuret Dei, seu in nomine illius; non autem quòd sit præceptum de iurando; quemadmodum nec sola permissio est, tanquam rei minùs malæ; cùm honestè, iustè, religiosè vsurpari queat, immò & aliquando debeat, seruatis conditionibus veritatis, iudicij, iustitiæ, de quibus apud Ieremiam [a] ipsemet Deus. Beneficium erat iurare per nomen Dei veri, seu in Deo vero, quia indicium veræ fidei ac religionis: atque vt laudabantur iurantes ritè in eu [b]; ita iratus Deus iurando in nomine suo, minatus est fore, vt nequaquam vltrà vocaretur nomen suum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis, siue iurantis; *Viuit Dominus Deus in omni terra Ægypti* [c]; nimirum quia in perfidia & falso deorum cultu obstinatè Iudæi permansuri ac morituri erant, nec in patriam redituri, verámque religionem repetituri. Tractaui hoc de iuramento argumentum [d] aliis in locis; docuique non differre iurare in Deo, & per Deum, in nomine, aut per nomen: & hæc ab illis, id est, iurare in nomine seu per nomen Dei, atque iurare in Deo siue per Deum; quidquid Philo [e] contrà senserit: hæretici verò alij nefas omnino esse iurare. Ipsemet Deus iurauisse se affirmat in nomine suo [f], qui aliàs [g] per semetipsum. Periurij præterea pœnas memoraui, & criminis exposui grauitatem. Hæc tanta est, vt Diagoram ad atheismum redegerit, quòd eum, à quo læsus fuerat cum periurio, ideo pœnam euasisse humanam animaduertisset, nec diuinam vltionem in ipsum consecutam, vt Sextus [h] Empyricus testatur. At

> [i] *Spartano cuidam respondit Pythia vates;*
> *Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret*
> *Depositum retinere, & fraudem iure tueri*
> *Iurando.*

Item,

> [k] *Ah miser! & si quis primò periuria celat:*
> *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Pœnam à periuris & fidem violantibus diuina, exitium: humana, dedecus, inquit Cicero [l]. Verùm hac de re satis alibi. Refellit hoc loco Abulensis [m] post Lyranum, Iudæos asserentes frequentandum iuramentum vt cultum Dei alium, quemadmodum orationis, & similes: atque illo dumtaxat vtendum in necessitate. De hoc etiam aliàs actum: & [n] Aquinas de illo errore Iudæorum, quem Christus correxerit, mentionem fecit. Nec mihi placent qui permissum id aiunt Iudæis sicut libellum repudij, & sacrificia. Id Christophorus [o] Sanctotisius docet. Quidquid sit de duobus illis aliis, communis opinio est, quam antea indicaui, non præcipi iuramentum, sed præscribi, vt cùm fieret, non per nomen Dei veri, fieret per deos alienos. Per hæc verba non datur iussio, ait Rickelius; immò neque licentia passim, & sine condigna causa iurandi, sed sacrilega ac perfida prohibetur iuratio. Hoc idem admonet Augustinus [p], Hugo, & alij.

Refellit quoque Valentia [q] noster Herbrandum, reiicientem voluntarium cultum, qui ex verbis David colligitur [r], *iuraui, & statui*, &c. quoniam contendebat ex hoc nostro loco haberi, fuisse Iudæis iuramentum imperatum: hoc enim falsum esse, nec reprehendendum quemquam fuisse, si non iurasset; solùm hic præcipi, quod antea quoque dixi, vt non nisi per veri Dei nomen iuraretur, cùm esset iurandum. Sequitur potiùs, non debere iuramentum nuncupari per ſeper creaturā, quoniam propriè est actus religionis

a q. 61. in Gen. q. 94. in Exo. 5. de ciuit. c. 15. lib. 6. c. 1. li. 7. c. 32. lib. 10. c. 1. & 4. epist. 49. q. 3. epist. 66. 15. contr. Faust. c. 9. li. 20. c. 21. lib. contr. serm. Arri. c. 20. 3. cōtr. Maximin. 1. de Trin. c. 6. li. 5. cap. 16.
b 10. de ciu. c. 1.
c idē hō. 4. de Quadr.
d 1. de cultu imagin.
e hom. 8. in Exo.
f Exo. 20. 5.
g de Spiritu S. c. 18.
h 1. & 3. de imag.
i 8. etymol. vlt.
k 2. 2. q. 84. a. 1. ad 1.
l 3. d. 9.
m actione 2. 4. 5. 7.
n Actuum 30. 19.
o Rom. 7. 6. c. 12. 11. c. 16. 18. Eph. 6. 7. Philip. 2. 22. Col. 3. 24. Gala. 5.
p 3. p. disp. 93. nu. 4.
q epist. 14.
r de vera & falsa relig. c. 55.
s ad Donatum c. 4.
t apud Viues.
u in 10. de ciuit. c. 1.
x de tradit. p. 3. consid. 7. c. 1. §. Tertio quod.
y 5. de B. Virg. c. 9.
z dialog. 5. c. 9.
aa in Matt. 4.
bb 3. contr. Maximin. c. 13.
cc 2. in Ioa. c. 92.
dd Ps. 94. 6.
ee Matth. 17. 25. 26.
ff vers. 20.

Iurandi modus.
a cap. 4. 2.
b Ps. 62. 12.
c Ier. 44. 26.
d in Act. 2. 30. in Psal. 14. 4. in Ps. 62. 12. in Ps. 118. 106. in Iacob 5. 12.
e de Abel & Cain. & 2. alleg. legis.
f Ier. 44. 26.
g Gen. 22. 16.
h 8. aduersus Mathematicos.
i Iuuen. Sat. 13.
k Tibull. li. 1. eleg. 9.
l 2. de legib.
m quæst. 6.
n 2. 2. qu. 107. a. 2. & ad 2. & qu. 108. a. 3. ad 2.
o in Mat. 5.
Iuramentum præscribitur, non præcipitur.
p quæst. 12.
q lib. 4. de idola. c. 4.
r Psal. 118. 106.

religionis ac testificatio veritatis per testimonium infallibile. Iurari solùm potest per creaturam relatam ad Deum, sicut per hunc, vt in ea caustir; de qua, ac de tota re Suares[a] noster, Valentia[b], & Azor[c], præterea Alphonsus[d] à Castro. In eodem sensu præcipiunt, vt reddantur Domino iuramenta[e] nostra; id est, vt per illum fiant si fient, & facta reddantur seu suppleantur. Docent iidem, & alij, aliquando imponi posse obligationem iurandi, quod pluribus demonstratur à Selua[f]. Cicero[g] autem docet iusiurandum esse affirmationem religiosam: quod autem affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum: nullum enim vinculum ad astringendam fidem iureiurando arctius esse. Cauendum porrò Christianis, ne quid affirmantes, nedum iurantes, interponant falsorum nomina deorum; quod alicubi Tertullianus reprehendit; immò Paulinus[h] vsurpatas à se olim eiusmodi voces dolet,

Negant camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pars
Tecum mihi concordia.
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas numina,
Fandique munus, munere indultum Dei,
Petere è nemoribus, aut iugis.
Nunc alia mentem vis agit amor Deus
Aliósque mores postulat,
Sibi reposcens ab homine munus suum
Viuamus vt vita patri.

Vers. 14.] Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu vestro sunt:

Vers. 15.] Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.

Paraphr.

Ex proximè dictis de iuramento per solum Deum verum, vtque solus hic timeatur, eique soli seruiatur, necnon priùs de beneficiorum grata memoria, & de dilectione super omnia; sequitur vitandum cuiusuis alterius Dei cultum, quem aliæ vbilibet gentes colant, nominatim illæ, quæ priores essent regioni, quam incolerent Hebræi; ac proinde faciliùs labi poterant ipsi in idololatriam: Ratio autem prohibitionis duplex attingitur, tum singularis amor Dei erga illum populũ similis amori viri zelotypi erga vxorem: tum ea eo amore proueniens furor, ac indignatio contra violatorem istius quasi vinculi coniugalis; vnde procedat idem Deus ad penitus delendum à se tantopere priùs dilectum, ac tot beneficiis affectum populum suum. De hac æmulatione ac zelo Dei facta mentio est c.4.[i] & 5.[k], aliisque aliquot locis ibidem annotatis. Zelum & furorem Salomõ[l] coniungens affirmat quòd vir non parcet adultero in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquã precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Deus vnus ac solus, coli solus vult, & Dominus vnus negat posse quemquã duobus Dominis seruire[m]; nec gloriam alteri suam, seu Deo vero debitam dari permittit, laudemve sculptilibus[n]: corruat coram illo Dagon oportet[o]; neque commercium alterius admittit, sicut dij Gentium. *Per nomen externorum deorum*

non iurabis, nec audietur de ore vestro, vt est in Exodo[*]; & in Iosue[*]; *ne iuretis in nomine deorum; & seruiatis eis, & adoretis illos.* idque reprehendunt Ieremias[a], Amos[b], Sophonias[c], alij. *Quid*, inquit Tertullianus[d], *erat deieratio* (iuratio) *per eos quos ierasti, quam præuaricatio fidei cum idololatria? Quos enim per quos deieras*, (iuras) *non honoras? Discedat ab iniquitate*; ait Apostolus[e], *qui nominat nomen Domini.* Abutuntur Iconomachi Hagiomachive illo, ac similibus locis aduersùs imaginum & Sanctorum honorem, cultum, adorationem. Quos nimis honorificauit ipsemet Deus[f], honorari voluit à nobis propter ipsum, & iuxta ipsum, hoc est, non vt deos, sed vt Dei seruos.

Explanatio.

Non ibitis post deos alienos.] Chaldaicè (*post idola*, בָּתַר טַעֲוָת *bathar tahbuoth.*) Explicat Abulensis, vt non sequantur cultum eorum: vel vt eant ad consulendum illos, quemadmodum fecit Ochozias[g]. Eadem phrasis eundi, ambulandi, fornicandi post deos alienos alibi[h] habetur, seu post vanitatem & Baalim, vel abominationes, vel idola, vel Gentes, vel auertendi de post tergũ Domini: sicut è contrario requiescendi post Dominum[i], aut ambulandi[k], aut eundi post tergum[l] eius, aut ingrediendi[m]. Ire post Dominum, est eum quærere, colere, ipsique obedire. Quare ipsemet de seipso alloquens Ierusalẽ apostatricem; *Patrem*, ait[n], *me vocabis, & post me ingredi non cessabis.* Et Christus inuitabat vt venirent post se[o], & ad se[p]; ad se sanandi & qui laborabant, oneratique erant; post se iam sani, ne ambulent vias prauas, sed currant in odorem vnguentorum ipsius[q], quorum trahuntur fragrantia; immò ad myrrham primam optimámque passionis & crucis, quam post eundẽ tollant, seu ipsi baiulent, sed libenter, non per angariationem[r].

Cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt.] Hebraicè & Græcè (*de diis populorum sive Gentium*, &c.) Chaldaicè vnà cum priore membro (*post idola populorũ, de diis populorum*, &c.) exponendo idola populorũ in dicto alio membro, pro diis alienis. Deos Gentium quæ in circuitu Hebræorum forent, nominat, non quòd liceret colere aut consulere deos aliarum Gentium quæ procul erant; sed quia lex semper attendit, inquit Abulensis, id quod est maius periculum, cuiusmodi à malis vicinis erat, quorum sciri ritus poterant, & imitando exprimi: sicut in genere facilè mores eorum imbibimus quibuscum versamur. Commendat Iobum Gregorius[s], quòd in Hus habitans bonus inter malos fuit; neque enim valdè laudabile esse, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis; vt sicut grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; ita immensi præconij sit, bonum & inter malos existere. Immò à tanta huius viri etiam inter malos, bonitate, arbitrantur aliqui, per quamdam antonomasiam eidem terræ Hos cognomen adhæsisse, vt appellaretur, *Istob*[t], אִישׁטוֹב, *terra viri boni*, vel *terra Tob*[u], אֶרֶץ טוֹב *erets tob terra boni*, aut *boua*, ad quam Iephthe fugerit, nimirum vt ibi securus ageret, vbi à Iob instituti, boni erant, paceque perfecta fruebantur: & à Chananæis idcirco recessisse omne præsidium dicatur[x]. Hebraicè *vmbra eorum*, צִלָּם *tsillam*, Chaldaicè *fortitudo eorum*, תּוּקְפְהוֹן *thukphehon*, Græcè *tempus & opportunitas eorum*, καιρὸς αὐτῶν, quia carentes viro illo sancto non ampliùs protegebantur, atque defendebantur à Deo ne à suis sedibus expellerentur. Sic quidem Rabbini, vt meminimus in commentario libri Numerorum[y]. De ratione autem vocabuli *Istob*, vel terræ Tob, Iacobus[z] Bolducus disputans

* in Iud. 5.

de patria Iob; aliis contendentibus, vt Aria* Montano, Iob nomen proprium viri esse ob exploratam fortassis ac spectatam illius probitatem, sicut quod sancto seni Tobiæ impositum est, eiusdémque filio Tobiæ, quasi dicas, bonus Deus, bonus Dei, bonum vel bonitas Dei.

Zelus Dei. a vers. 9. b vers. 24.

Quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus.] Sic priore capite [a]; *non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus; Deus æmulator,* & cap. 4. [b] extat idem epithetum æmulatoris. Bis repetitum Dei nomen, & semel positum nomen Domini præter emphasim fauere nonnihil videri posset mysterio Trinitatis, in qua sunt personæ tres, vnica essentia; vt in similibus aliàs monui: quamuis non adeò efficax argumentum censendum sit. Nec refert quòd primo loco אל *el* sit singulare: plurale secundo אלהים *elohim*: in aliis enim editionibus est dumtaxat singularis numerus.

c Exo. 3. 20. c. 23. 25. c. 35. 8. c. 28. 1. c. 29. 45. d Exo. 31. 14.

In medio tui.] Græcè (*in te*, ἐν σοί.) Eodem pacto alibi [c] transtulit editio Græca, quod habent editiones aliæ (*in medio*) aut (*de medio:*) sed & interdum retinet eamdem formulam; vt [d]; *peribit anima illius de medio populi*, ἐκ μέσου τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Notat Abulensis indicari quòd zelum Deus non habebat respectu aliarum Gentium: quemadmodum vir zelat vxorem suam, & irascitur ei si fornicetur, aliis autem non. De hoc zelo ac æmulatione diuina egimus aliàs; quódque tum maximè censetur iratus & indignatus Deus, quando requiescit indignatio ipsius, & aufertur zelus illius, & quiescit, nec irascitur ampliùs [e], vtpote despiciens, nec deinceps amans & curans, vt solet vir vxorem, filium pater; vel quando tantopere in aliquem deſæuit, vt quiescat ira, indignatio, zelus: nec sit opus post consummationem factam, vt consurgat duplex seu alia tribulatio [f]. Quo pacto postquam suspensus est Aman, regis ira quieuisse dicitur [g]. Prouocatum se queritur Deus [h] (ad æmulationem) ab Hebræis in eo qui non erat Deus, & in vanitatibus suis seu idolis (quod appellari potest idolum zeli [i]) propterea que asserit se prouocasse illos in eo qui non esset populus: quod est ab eodem auferre zelum suum, omnémque ipsius peculiarem curam & cogitationem deponere. Similis querimonia exponitur à Dauide [k], Esaia [l], Osea [m], & aliis de simili prouocatione in sculptilibus, quæ aliter cognominantur amaritudines.

e Ezech. 16. 42. f Nahum 1. 9. Ezech. 5. 13. g Esther. 7. 10. h Deut. 32. 21. i Ezech. 8. 3. k Ps. 77. 58. l c. 63. 10. m c. 12. 14. c. 14. 1.

Qui irascatur Deus.

Ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te.] Habent editiones aliæ (*in te*, בך *becha*, בך *bach*, ἐν σοί) Græca (*ne iratus irascatur*, μὴ ὀργισθεὶς θυμωθῇ.) Sæpiùs portò qua ratione in Deum cadat ira declarauimus, proferentes inter alios Lactantium, qui de ira Dei libro vno scripsit, præfatus animaduertisse se sæpe, plurimos existimasse, ac etiam nonnullos philosophorum, non irasci Deum; quoniam vel benefica sit tantummodo natura diuina; nec cuiquam nocere, præstantissimæ atque optimæ congruat potestati; vel certè nil curet omnino, vt neque ex beneficentia eius quidquam boni perueniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali. Quem errorem scribit maximum esse, & ad euertendum humanæ vitæ statum spectare. Nec Angelos propriè irasci docens Augustinus [n], sed istius ac similium nomina passionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpari propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem; idem affirmat (& iure quidem potiore.) de Deo, *qui*, inquit, *secundum Scripturas irascitur; nec tamen vlla passione turbatur: hoc enim verbum vindictæ vsurpauisse effectum, non*

Qui Angeli irascantur. n 9. de ciu. c. 5.

A *illius turbulentum affectum.* Item [a], *ira Dei*, ait, *non perturbatio animi eius est; sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato.* Denique *non habet ira Dei perturbati animi ardorem; sed est vindicta peccati* [b]. Basilius [c] iram & furorem Dei, cùm in Scripturis diuinitus inspiratis nominantur, non affectum significare monet, sed metaphoricè sumi eo modo, quo Scriptura Deo tribuit oculos, manus, aures & cætera membra. Tertullianus [d] Marcioni obiicienti, si Deus irascitur & æmulatur, & extollitur & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & morietur, respondet. *Stultissimi qui de humanis diuina præiudicant; vt quoniam in homine corruptoria conditionis habentur huiusmodi passiones; idcirco & in Deo eiusdem status existimentur. Discerne* B *substantias, & suos eis distribue sensus tam diuersos, quam substantiæ exigunt, licèt vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur.* Legatur Aquinas [e]; & quæ nos ipsi alibi, vt præmonuimus.

a lib. 15. c. 25. b 1. contr. aduersa. legis & prophet. c. 20. c in Ps. 37. d 2. contr. Marcion. c. 16. e 1. p. q. 3. a. 2. ad 1. q. 19. a. 11. q. 20. a. 1. ad 7.

Et auferat te de superficie terræ.] Hebraicè, & Chaldaicè (*disperdere te faciat, seu disperdat, de superfaciebus terræ.*) Græcè (*a facie terræ*, ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς.) Occurrit eadem formula in Genesi [f], *delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ*; & in 3. [g] Regum, *auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis*; & *euersa* [h] *est* (domus Ieroboam) *& deleta de superficie terræ.* Legimus præterea faciem terræ [i], regionum [k], iuncturæ C annuli superhumeralis [l], agri [m], templi [n], porticus [o], gladij [p], venti [q], aquæ [r], orbis terrarum [s], arcus [t], ignis [u], frigoris [x], verbi [y], honoris [z], timoris, formidinis seu terroris, pauoris [aa], olei [bb], consilij [cc], prælij [dd], vinculi [ee], furoris [ff], iræ [gg], peccatorum [hh], insipientiæ [ii], malitiæ [kk], aquilonis [ll], manus [mm], maledictionis [nn], famis [oo], pestis [pp], exercitus [qq], mali [rr], afflictionis [ss], tempestatis [tt], simulacrorum [uu], domus [xx], campi [yy], portæ [zz], vestibuli [aaa], sanctuarij [bbb], ædificij [ccc], vrbis [ddd], militiæ [eee], indignationis [fff], terræ motus [ggg], Idumææ [hhh], Bethsan [iii], Ptolemaidis [kkk], altaris [lll], Iudææ [mmm], cæli [nnn], Ecclesiarũ [ooo], serpentis [ppp]. Sed cũ de terra, agro, D campo, orbe terrarum, aqua, cælo, regione, & similibus facies dicitur, idem valet quod superficies: cùm de aliis idem ferè quod prospectus, aut id quod ex aduerso est alteri, aut quòd ab aliquo procedit; quemadmodum etiam quando de Deo, vel homine, seu facie illius, aut huius quidpiam esse. Notum est quid sit superficies Mathematicè, nimirum longitudo cum latitudine absque profunditate: Physicè autem pars cuiusque rei, quæ veluti superior facies exteriùs oculis cernitur: & area ædificio nuda; ita vt significent superficiariæ ædes apud Iurisconsultos [qqq], quæ in conducto solo positæ sunt, earúmque proprietas naturali, & ciuili iure, illius est, cuius & solum, Græcè ἐπιφάνεια ἔστιν. Idem est E de superficiario fundo, prædio, insula: vocatúr-

f cap. 7. 4. g cap. 9. 7. h c. 13. 34. i Gen. 4. 14. c. 7. 3. c. 8. 8. 2. Reg. 30. 16. lib. 2. 12. 21. c. 14. 33. c. 17. 14. cap. 18. 8. h. 3. 8. 40. c. 18. 1. lib. 4. 9. 17. 2. Par. 6. 31. Iudith 2. 11. Iob 2. 10. Ps. 1. 4. Ps. 9. 4. Ps. 103. 30. Eccli. 22. 21. c. 38. 8. Esa. 23. 17. c. 28. 25. Iere. 8. c. 16. 4. c. 25. 33. c. 27. 3. c. 28. 16. c. 33. 7. Ezech. 16. 5. c. 29. 5. cap. 34. 6. c. 38. 20. c. 39. 14. Dan. 8. 5. Amos 5. 8. c. 9. 6. Sophon. 1. 2. Luc. 21. 35. c. 21. 53. Act. 17. 26. k Gene. 11. 9. Ier. 9. 22. l Exo. 28. 27. m 1. Reg. 14. 25. li. 4. 16. 14. Ezech. 32. 4.

Facies pro superficie. n 3. Reg. 6. 3. Ezec. 40. 47. c. 41. 4. c. 42. 8. 1. Machab. 1. 23. c. 4. 57.

Superficies quid. o cap. 7. 6. p Iob 19. 29. Esa. 18. 13. c. 51. 8. Iere. 25. 16. 27. c. 32. 14. Thr. 4. 9. q Iob 11. 18. Ps. 17. 43. Ps. 81. 14. Esa. 7. 2. cap. 17. 13. cap. 46. 26. cap. 30. 16. r Iob 24. 18. Esa. 19. 8. Oseæ 10. 7. s c. 37. 12. Esa. 14. 21. c. 27. 6. t Ps. 59. 6. Esa. 21. 15. u Ps. 67. 3. Mich. 1. 4. Zac. 12. 6. x Ps. 147. 17. y Eccli. 19. 11. Esa. 37. 6. z Eccli. 29. 33. aa Esa. 2. 10. 19. 21. c. 14. 18. c. 30. 17. Ier. 48. 44. bb c. 10. 27. cc c. 19. 17. dd c. 21. 15. ee c. 23. 7. ff c. 31. 13. gg Ps. 37. 4. Ierem. 4. 16. c. 25. 37. 38. hh Psal. 37. 4. ii v. 6. kk Esa. 37. 8. Ier. 25. 37. ll Iere. 1. 13. c. 15. 17. mm c. 25. 10. nn c. 38. 24. oo ibidem. pp c. 35. 11. qq Ioël. 2. 11. rr Iere. 42. 17. ss c. 51. 64. tt Thre. 5. 10. uu Ezech. 6. 5. xx c. 9. 6. c. 41. 14. c. 47. 1. yy c. 57. 2. 1. Machab. 13. 13. zz Ezec. 40. 55. 19. aaa ibid. vers. 15. bbb c. 41. 21. c. 43. 7. ccc c. 42. 10. ddd c. 45. 7. eee Os. 10. 13. fff Nah. 1. 6. ggg Zacha. 14. 5. hhh 1. Mach. 4. 61. iii c. 5. 52. kkk vers. 55. lll c. 7. 38. mmm c. 15. 39. nnn Matt. 16. 3. Luc. 12. 56. ooo 2. Cor. 8. 24. Galat. 1. 22. ppp Apoc. 12. 14. qqq Caius de superficieb. l. poster.

que

que superficiarius is, qui alieno solo superficiem ita habet, vt certam pensionem præstet [a]; aut qui in conducto solo superficiem imposuit [b]. Subtiliter [c] Seneca, conferens Philosophiam & Mathematicam; *Philosophia*, inquit, *nil ab alio petit; totum opus a solo excitat: Mathematica, vt ita dicam, superficiaria est; in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat*, &c. Non est ars sui iuris, cui precarium fundamentum est. Plura Brissonius [d], citans ex vetere Glossario ἐκκαταστάσιον τὸ ἀδιαιρέτως ἰδίων, *superficiarum in alieno solo*, quod extat etiam in Glossis Basilicorum. Exaggerat porrò Abulensis notat pœnam maximam & vltimam cùm quis auferri dicitur de superficie terræ; vt scilicet in ea non relinquatur. Nam aliquando puniuntur, inquit, homines, perdendo terram suam, cùm ducuntur in terram hostium, captiui, & priuantur patria, quæ diligi tantopere solet, támque suaui amore; item diuitias, & politicam propriam consolationem: in aliena tamen adhuc terra lætari nonnihil possunt: qui autem auferuntur de superficie terræ, in nulla orbis parte manent; & vix expelli nequeunt à tota terra; necesse est vt constituantur intra terram, quod pertinet ad defunctos, qui in terræ visceribus occultantur, ne fœtore, aut signæ horrore ceteros viuentes fastidiant, & infestent. Denique auferri de superficie terræ, est occidi, & abscondi intra superficiem terræ.

a l. 74. D. de rei vind. b l. 18. §. & qui conduct. D. de dam. infect. c epist. 88. vel 89. vel 24. d de verb. signif. lib. 17.

Auferri de superficie terræ, quid.

Vers. 16.] Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.

PARAPHR.

IDololatriæ peccato quod hactenus prohibitum est, atque ingratæ obliuioni acceptorum à Deo beneficiorum, affine peccatum censetur diffidentia, & præsumptio, seu tentatio Dei vtroius modo fiat; & siue verbis, siue factis. Hoc Deus cauet, mentione facta loci tentationis, non tam ad exprobrandam præteritam culpam, quàm ad coërcendum à noua; quia prudentiores cautioréſque reddere filios parentum exempla solent. Tentasse dicitur Deum populus per decem vices [e]; at non hoc nunc significatur, vt Rickelio tamen placet: quoniam locus tentationis distinctè memoratur, qui fuit in Raphidim ad aquas contradictionis [f]; qui locus etiam cognominatus est Tentatio, מסה *Massah*, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes; *Estne Dominus in nobis, an non?* Vide dicta præcedente [h] libro, & in Psalmos 77. [i] 94. [k] 105. [l] & in epistolam Iacobi [m]: quibus locis expositum est quid sit Deum tentare; quo pacto idem tentare nos affirmetur vegetúque, qua ratione diabolus, concupiscentia propria, mundus, &c. sed & Christum diabolus quo modo tentauerit; quod in enarratione nondum edita Euangelij Dominicæ primæ Quadragesimæ fusius declaraui, vbi simul de illa petitione et non inducamur in tentationem [n]: & quòd absque reprehensione signa interdum peti à Deo queant; quod facere Achaz iussus, non rectè seipsum excusauit prætextu loci præsentis [o]. Legatur etiam Aquinas [p]. Hoc loco Theodoretus [q] docet quòd tentat Deum, qui sine ratione obiiciens se periculo, quidpiam agit. Idem habet Augustinus [r]; cùm quis flagitat signa & prodigia ad solam experientiam. Præter modum illum tentandi Deum; alij sunt cùm quis à Deo consequi vult aliquid non adhibitis debitis mediis, vt qui

e Num. 14. 22. f Exo. 17. 7. g Exo. 17. 2. h c. 10. 2. & seq. & c. 14. 22. i vers 18. 41. 56. k vers. 9. l vers. 14. m in c. 1. 13. n Mat. 6. 13. o Isa. 7. 11. 12. p 2. 2. q. 97. q quæst. 5. r contra. Faust. & c. 16. de ciu. c. 19. de opere monach. cap. 10. 10. contr. Faust. c. 36. q. 63. in Gen.

ante orationem non præparat animam suam [a]: cùm petit miraculum absque necessitate; de qua Gregorius [b]: cùm præfigit Deo certum temporis terminum, quales quos Iudith reprehendit [c]: qui si non statim subueniat Deus, diffidunt, & queruntur, sicut Hebræi, dicentes [d], *Estne Dominus in nobis, an non?* qui more hypocritarum quos Christus arguit [e], aliud habent in ore, & aliud in corde. In malum tentare proprium diaboli est, qui cognominatur Tentator [f], & is qui tentat [g]; vtitur autem carne nostra & mundo tanquam instrumentis: & si credimus nonnullis in omni peccato quod quiuis committat, immediatè cooperatur: quam tamen sententiam alibi [h] docui non videri necessariam. Non tentant Deum, qui ignorantes quid agere debeant, hoc solum censent se habere residui vt oculos suos dirigant ad Deú [i]. Repugnat qui Deum tentat vel bonitati diuinæ vel potentiæ, quasi Deum credat aut non posse aut nolle subuenire cùm expedit: parum quoque reuerenter eumdem tractat, eo veluti viens ad libitum, absque iudicio ac æstimatione tantæ maiestatis. Quò spectant alibi [k] etiam confutatæ, & in vtroque iure prohibitæ purgationes vulgares, monomachiæ, ferri candentis, aquæ feruentis, & similes, quibus aliquando admiscentur exorcismi, maleficia. Præsentis loci quasi scuto Christus iaculum tentationis diabolicæ retudit, vt se de pinnaculo templi mitteret deorsum [l], neque diabolo cedens, neque curiosè faciens, vt ait Augustinus [m], cautissimum adhibens responsum, plenum simplicis prudentiæ, circumspectæque simplicitatis, per quod nec veritatem reticuit; nec reprobus dæmon probare potuit quæ vera erant, vel experimentum capere; ita vt luce in tenebris lucente tenebræ eam non comprehenderint [n], inquit Maximus [o] Taurinensis. Audit, subdit ipse, diabolus Deum non esse tentandum; non tamen agnoscit Deum hominémque esse, quem tentat. Videt enim pariter Christum & respondere quæ hominis sunt, & posse quæ Dei sunt: & verborum sensuumque moderator non prodidit se posse, necnon pusse mentitus est. Quibus verbis indicat non intendisse Christum, vt de seipso tunc hic locus citatus intelligeretur. Fauent in Matthæum [p] Chrysostomus, Auctor operis imperfecti, Rupertus, Abulensis, Rickelius, & alij; idem præterea afferentes de illis; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, de quibus nonnihil prius attigi; licet nominatim adhue de iisdem affirmare videantur, vt & de nostris verbis à Christo dicta de seipso Ambrosius in Lucam [q], & sermone de [r] Christi tentatione; Chrysologus [s], Chrysostomus [t]; & rursus in Matthæum Hilarius, Hieronymus, atque Glossa, & Beda in quadam [u] homilia; item Eusebius [x], Ignatius [y], Irenæus [z]. Placet magis negans opinio, eos autem qui videntur asserere, per accommodationem quamdam locutos interpretari; & quòd possint de Christo, qui Deus est, intelligi, & ita potuerit ab illo proferri; quamuis id non intenderit; volens potius quàm maximè celare diuinitatem suam, vt ratiocinatur Maximus, Auctor operis imperfecti, Abulésis, aliique. Sanè quod hic dicit, *Scriptum est; non tentabis Dominum Deum tuum*; & postmodum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*; non sic accipiendum est, ait Rupertus, tanquam ipse diabolum corrigere voluerit, & sic eum docere, ac si diceret: O diabole, noli me tentare Dominum Deum tuum, quia Scriptura tibi contradicit, & ab hoc te compescere intendit.

a Eccli. 18. 23. b hom. 29. in Euang. c Iudith 7. 9. 12. d Exo. 17. 7. e Math. 6. 2. 5. 16. c. 7. 5. c. 15. 7. c. 22. 18. c. 23. 13. 14. 15. f Mat. 4. 3. g 1. Thess. 3. 5. h in Dom. 1. Quadra. i 2. Par. 20. 12. k in lib. Num. c. 5. l Mat. 4. 6. 7. Luc. 4. 10. 11. 12. m tract. 2. in ep. Ioan. n Ioan. 1. 5. o hom. 2. & 4. p in c. 4. q in c. 4. r serm. 30. edit. Rom. s serm. 13. t hom 5. ex diuersis in Math. u hom hyemalis in Euangel. Domin. 1. Quadrag. x 9. de demonstr. c. 7. y epist. ad Philip. z lib. 5. cap. 21.

Tu mihi dicis; *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*: sed tu potiùs me Dominum Deum tuum adorare debes, quia Scriptura dicit tibi, *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Hoc vel suspicari nimis absurdum est: Numquid enim Deus, aut Dei filius, diaboli Deus aut Dominus vocari dignatur? Absit hoc. Magnæ namque est gratiæ Dominum Deum creatorem omnium velle cuiuspiam vocari Deum. Hoc vltimum probat; quia scribit Apostolus [a] vt singulare beneficium, quòd non confunditur Deus vocari Patrum fidelium Deus. Deinde vult cùm Christus producens ista testimonia dicit, *scriptum est*, subaudiendum, *homini*: & esse sensum; nec ego homo, nec quisquam alius homo, tibi autem præbere debet, vt Dominum Deum suum tentet, siue vt cadens, ô diabole, te adoret: sed audire debet vocem Scripturæ dicentis; *non tentabis, & solum Dominum Deum tuum adorabis*. Abulensis [b] oppositam sententiam vocat simplicium: refellitque, quoniam Christus agnosci nolebat pro Deo: si diabolus agnouisset, non ampliùs tentasset: nec etiam Christus dixisset, *Scriptum est*; sed per modum imperantis, *non tentes Dominum Deum tuum*. Melior prima ratio: nec ea Ruperti vim habet; quia etiam diaboli Deus Dominus est, non vt filij, sed tanquam mancipij, quem conteret sub pedibus filiorum [c] suorum.

a Heb. 11. 16.
b in Mat. 4.
c Rom. 16. 20.

Explanatio.

Non tentabis Dominum Deum tuum.] Hebraicè, Chaldaicéque plurali numero (*non tentabitis Dominum Deum vestrum*) את־יהוה אלהיכם לא תנסו *lo thenassu & Iehouah elochem*, לא תנסון ית יי אלהכון *lo thenassun iath Iehouah elohachon*. Leo [d] Castro contendit ex Hebræi verbi singularis תנסה *thenasseh* litera vltima ה *he* literam ו *vau* Hebræos effecisse, postea vt sequentia responderent, pro (*Dominum Deum tuum*) posuisse, id est, pro אלהיך *elohecha*, אלהיכם *elohechem*. Tot autem ac adcò minutas mutationes ab Hebræis factas, eorúmve asseclis probat, quòd L X X. aliter transtulerint Spiritu sancto ipsis assistente, illorúmque translatione vsi Euangelistæ fuerint, & eamdem in sua secutus Hieronymus, quidámque codex Hispanus vetustior mille annis. Obseruat præterea in vocabulis יהוה *Iehouah* numeri singularis, & in alio pluralis sine affixo אלהים *elohim* denotari vnam essentiam diuinam & tres personas, quasi diceremus Deum Deos: vel quia Deos nominare absurdum est, Deum personas seu hypostases: eos autem qui hanc annotationem non recipiant, acriùs reprehendit. Neutrum tamen valdè necessarium videtur: vt de secundo aliàs monui: & circa primum nulla ratio appareat cur mutationes nullius momenti ab Hebræis factas asseramos. In re nulla hîc discrepantia est: & quamuis Hebraicè scriptum pluraliter, Christus solitus loqui plerúmque iuxta dictos L X X. vt & Apostoli citantes diuinam Scripturam, protulit accommodatè ad singularem Satanę personam cum qua agebat, in numero singulari.

d apolog. lib. 6. num. 214.

Sicut tentasti in loco tentationis.] Pro loco tentationis est מסה *Massah*, & נסיתה *Nissitha*, & πειρασμός: quod in Exodo [e] dicitur esse nomen loci Tentatio. Aliquando Interpres in impositione nominum retinet vocem Hebræam; interdum reddit voce Latina: Septuaginta vix vtuntur Hebræa. In illo libro Exodi, vbi nomen hoc impositum legitur, narratur prior tentatio, iurgiúmque populi, propter defectum aquæ; in libro autem Numerorum [f] iterum alia tentatio, & eductio aquæ miraculosa, eum epitheto, vt cognominarentur aquæ contradictionis: quamuis hæc aliqui confundant, vt [a] Oleaster. Lege commentarium nostrum in librum Numerorum. In Psalmo 94. [b] & in epistola ad Hebræos [c] nominatur exacerbatio, quod est alterum nomen dicti loci Hebraicè מריבה *Meriuah* in citato Exodi [d] libro, Græcè λοιδόρησις, quod Latinè circumscribitur per iurgium filiorum Israël: sed in aliis παραπικρασμός, & ἡμέρα τοῦ πειρασμοῦ, *exacerbatio*, seu *irritatio*, *diésque tentationis*. Reiicit Abulensis affirmantes tentationem fuisse, quòd Iudæi portantes in vasis aquam, nihilominus eam peterent: vt experirentur an Deus daret etiamsi non egerent.

e c. 17. 7.
f c. 20. 2. & seqq.
a in Exo. 17. & Num. 20.
b vers. 8.
c vers. 8.
d c. 17. 7.

Vers. 17.] Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & ceremonias, quas præcepit tibi:

Vers. 18.] Et fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis.

Vers. 19.] Vt deleret omnes inimicos tuos coram te; sicut locutus est.

Paraphr.

OPtima ratio non eundi post deos alienos, nec etiam tentandi Dominum Deum, seu ad iracundiam prouocandi, quod est dictum superiùs; est illius parere mandatis moralibus, iudicialibus, ceremonialibus, atque sic voluntati eiusdem, & beneplacito satisfacere; ac inde certò sperare diuinam illius protectionem aduersùs hostes: & promissæ terræ, quam hi obtinebant, possessionem, quæ omnibus bonis affluit, ac propter iniquitates eorum, iisdemmet deletis, auferri debebat. De iuramento facto hac de re Patribus dixi cap. 1. [e] & 4. [f] & hîc priùs [g]: quibus locis alia præterea sunt allata testimonia: sæpiùs [h] quoque commendata & inculcata est custodia diuinorum præceptorum.

e vers. 8.
f v. 31. 38.
g vers. 10.
h c. 4. 2. 40. c. 5. 10. 29. 32.

Custodi præcepta Domini Dei tui.] Sunt hîc, more solito, nomina Hebræa יהוה *Iehouah*, & אלהיכם *elohechem*, cum affixo pronomine plurali: in quo etiam numero extat Chaldaicè: sed Græcè in singulari: secundùm editiones autem illas duas cum emphasi habetur (*custodiendo custodietis*) iuxta Græcam (*custodiens custodies*.) Vbi nihil interest diuersitas numeri; nec, vt non ita pridem admonui, contra Leonem à Castro, verisimile est, in his data opera Hebræos textum suum corrumpere voluisse. Non etiam multum refert, quòd singulari numero editio nostra sæpiùs vtatur; quasi velit insinuare singularem personam Christi in Deuteronomio, quod est Euangelij typus, cuius ille auctor est; quod tamen Rupertus [i], vt alibi dixi, censuit annotandum. Præceptorum vocabulo, quæ dicuntur מצות *mitsuoth*, פקודים *pikkodaua*, ἐντολαί, licèt indifferenter quoduis eorum genus posset intelligi; tamen distinctio aliorum duorum quæ hîc habentur, suadet vt pro moralibus accipiantur; quæ omnibus hominibus communia sunt, ac in ipsis iuris naturalis per se fundata principiis. Denique *custodiendi* verbo denotatur summa cura similis ei quæ in carioribus rebus, thesauro, castro occultè ac tutò seruandis adhibetur:

i in Mat. 4.

Custodiendi verbum.

immò

immò & in corde ipso, quod omni custodiu seruare [a] Salomon præcipit; eu toto uutem isto diligi Deus debet, vt antea [b] vidimus; quem qui diligit, sermonem eius seruat [c]; sicut & Christus, quia Dei mandata seruauit; mansisse se in Patris affirmauit dilectione [d]. Draconem thesaurorum custodem ferunt, & ἀπὸ τοῦ δέρκειν aspicere deriuant; quòd visu præpolleat; Paradiso, quem Adam non custodiuit, custodem apposuit Deus Cherub [e]. Imitemur vtrumque, exemplo Adam sapiamus: caueamus, ne sopitis nobis cor, sicut ex sopiti draconis cerebro draconitia siue drarontia lapillus extrahitur cognomento encardia vel cardisce, ob impressam cordis figuram aut viridis coloris, aut nigri, aut partim huius, partim candidi [f]. Lege de vario custodiæ genere circa cor iuxta tropologiam, quæ Salazar [g] noster eruditè collegit, & ad legis diuinæ transferri custodiam possunt.

Ac testimonia.] Pronomen (*eius*) apponunt editiones reliquæ. Applicatur id nomen vt à præcedente, sequentéque diuersû, ad iudicialia præcepta: quamuis alioqui commune possit esse omnibus, ut nominatim decalogo contentis, per quæ inter Deum, Hebræúmque populum firmamentum positum est, inquit Abulensis [h], hoc est, pactum seu fœdus confirmatum; vt etiam docuit c. 4. [i] vbi hoc ordine recensentur testimonia, ceremoniæ, iudicia. Quòd si hîc etiam placeat sicut ibi, testimonia de decalogi præceptis aliísve moralibus interpretari, sumentur hîc priùs posita præcepta pro iudicialibus. De vocabulo eodem, vt legi tuti est commune, cuilibétve mandato, & vt arca, tabernaculúmque cognominatur à testimonio, dixi sæpiùs tum in Psalmos [k], tum in Leuiticum [l], & Numeros [m]. Apud Ieremiam [n] cum lege leguntur præcepta & testimonia; in quibus negantur ambulauisse Iudæi sacrificantes idolis, peccantes Domino, non audientes vocem Domini. Nec alibi facile reperias id nomen in hoc vsu.

Et ceremonias.] Hebraicè cum pronomine וְחֻקָּיו *chukkau*, Chaldaicè וּקְיָמוֹהִי *kesamohi*, Græcè τὰ δικαιώματα αὐτοῦ. Vltimum valet iustificationes, secundum pacta, primum statuta. Transtulit autem Aquila ἀκριβάσματα, quasi dicas exquisitas rationes. Quod ceremonialibus præceptis congruit, qui sunt ritus pendentes ex instituentis pura voluntate: inter cuius generis præcepta, & moralia, velut inter extrema, constituit Abulensis iudicialia, quæ magis pendent à ratione naturali, ad quam moralia per se spectant.

Quæ præcepit tibi.] Singulare pronomen habent editiones aliæ, cùm tamen Hebræa & Chaldæa in prioribus membris haberent plurale. Verbum etiam præcipiendi, ex quo nomen præceptorum paulò antè positum deriuatur, & צִוָּה *tsiuuah*, cu quo מִצְוֹת *mitsuoth*, & ἐντέλλεσθαι, ex quo ἐντολαί, ostendit diuersa nomina nonnunquam esse synonyma.

Et fac quod placitum est, & bonum in conspectu Domini.] Græcè (*coram Domino Deo tuo*, ἐναντι κυρίου τοῦ θεοῦ σου: & præponitur *bonum*, τὸ καλὸν, deinde καὶ τὸ ἀρεστὸν, *placitum.*) Hebraicè (*rectum & bonum*, הַיָּשָׁר וְהַטּוֹב *haiaschar vehatob*) Chaldaicè (*quod placitum & quod rectum*, vel bis *rectum* seu *aptum & conueniens*, דְּכָשַׁר וּדְתָקֵן *de chascar, vdthakken.*) In c. 12. [o] bonum priore loco ponitur ante placitum, & טוֹב *tob* ante יָשָׁר *iaschar*, & תָּקֵן *thakken* ante כָּשַׁר *chascar*, licet Græcè sit idem ordo qui hoc loco, τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀρεστὸν, *bonum & beneplacitum.* In cap. 13. habetur dumtaxat placitum, & יָשָׁר *iaschar*, & כָּשַׁר *chascar*: Græcè verò bonum & placitum, τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀρεστόν. Frequens formula, vt dicatur quid siue sermo, siue verba, id est, res, aut quis placere oculis alicuius, aut in oculis, seu coram, vel in conspectu eius, vel ante illum; item animo seu animæ, aut cordi, aut spiritui, aut ante vultum; vt exemplis demonstrari potest [a]. Vera bonitas voluntatis creatæ, est placere Domini voluntati, & quæ placita sunt ei facere. Scribitur de Samuele, quòd adhuc puer placebat tam Domino, quàm hominibus [b]: de Dauid, custodiuisse mandata Domini, secutúmque ipsum in toto corde, faciendo quod placitum erat in conspectu ipsius, ipsemet Dominus testatus [c] est: de Iehu idem Dominus testimonium perhibuit, studiosè egisse quod rectum erat, & placuisse in oculis suis, & omnia quæ erant in corde suo fecisse contra domum Achab [d]: de Azaria rege Iuda proditur, fecisse quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius [e]; eodémque pacto de Ioatham, Oziam patrem imitantem [f]. Ezechias professus est in oratione ad Dominû, fecisse se quod placitum erat coram illo, ambulando coram eo in veritate, & in corde perfecto [g]. Iosias fecisse dicitur quod placitum erat coram Domino, & ambulauisse per omnes vias Dauid patris sui, nec declinauisse ad dexteram, siue ad sinistram [h]: Asa quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, subuertendo idola, & præcipiendo Iudæ, vt quæreret Dominum patrum suorum, & faceret legem, & vniuersa mandata [i]: Iosaphat quæ placita erant coram Domino, ambulando in via patris sui Asa, nec declinando ab ea [k]: Ezechias quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius [l], fortiter eundo in via illius [m]: & quidam sub Elia [n]. Sed nullus vt Christus: qui quæ Patri placita forent, facere se semper affirmabat [o]; nec sibi ipsi placebat [p]. Hortatur Paulus [q] & verbo & exemplo, ad hoc studium placendi Deo per omnia; offerendo nos hostiam illi placentem, probando quæ sit voluntas eius beneplacens; non nobis placendo, sed proximo in bonum; non curando vt aliter placeamus hominibus, ne Christi serui esse desinamus. Reprehendit Petrus [r] sibiipsis placentes. Ioannes [f] fiduciam habere nos affirmat, quidquid petierimus accepturos, si mandata illius custodiamus, & ea quæ sunt placita coram eo faciamus. Perfectè placebimus Deo in lumine viuentium [t], & in regione viuorum [u], cùm erimus omnino facti dilecti, & facta placita Domino anima nostra, & ad eum translati [x]. Sollicitos nos oportet esse quæ Domini sunt, quomodo placeamus Deo; & cogitare quæ illius sunt, vt simus sancti corpore & Spiritu [y]: & attentè inspicere, quid ei maximè placeat, quæque sit voluntas eius; quid nos velit facere [z]; vt impleamur agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali, dignè Deo per omnia placendo [aa]. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt [bb]: qui in iustitia, pace, gaudio Spiritus sancti seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus [cc]: voluntas eius sanctificatio nostra [dd] est. Extrema moribundi Tobiæ verba ad filios fuerunt vt seruirent Domino in veritate, & inquirerent vt facerẽt quæ placita sunt [ee] illi: sine fide impossibile est placere [ff] Deo: qui fideliter agunt, placent ei [gg]; non placent, sed displicent maximè qui fidei prædicationem impediunt, quales describit Paulus [hh] Iudæos.

Marginal notes (left column): a Prou. 4. 23. b vers. 5. c Ioan. 14. 23. *Draco thesaurorum custos.* d c. 15. 10. e Gen. 3. 24. *Cherub custos Paradisi.* f Plin. lib. 37. c. 10 Isido. 17. etymol. c. 13. Rhodig. li. 6 c. 11. g in Prou. 4. 23. h quæst. 7. i vers. 45. k in Ps. 18. 8 Ps. 77. 56. Ps 92. 5. Ps. 98. 7. Ps. 118. 2. & seq Ps. 131. 12. l c. 1 & aliis. m cap. 1. & aliis. n c. 44. 23. o vers. 28.

Marginal notes (right column): a vide concord. b 1. Reg. 2. 26. c li. 3. 14. 8. d lib 4. 10. 30. e cap. 15. 3. f vers. 34. g c. 20. 3. h c. 22. 2. i 2. Paral. 14. 2 & seq. k c. 20. 32. l c. 29. 2. m Eccli. 48. 25. n vers. 18. o Ioan. 8. 29. p Rom. 15. 3. Rom. 12. 1. c. 15. 1. 2. q 2. Cor. 5. 9. Gal. 1 10. Ephes. 6. 6. Coloss. 1. 10. 2. 1. Philip. 4. 18. 1. Thess. 4. 1. 2. Tim 2. 4. Tit. 2. 9. Hebr. 12. 28. r 2. ep. 2. 10. f 1. ep. 3. 22. t Ps. 55. 14. u Ps. 114. 9. x Sap. 4. 10. 14. Hebr. 11. 5. y 1. Cor. 7. 32. 34. z Actuum 9. 6. aa Coloss. 1 9. 10. bb Rom. 8. 8. cc c 14. 18. dd 1. Thessal. 4. 3. ee Tob. 14. 10. ff Hebr. 11. 6. gg Prou. 12. 22. hh 1. Thess. 2. 15. 16.

Cæterùm placitum quid esse ac bonum in conspectu Domini, cotam illo, ante illum, in oculis eius, est reocra bonum esse; quoniam falli oculi eius non possunt: quemadmodum esse robustum, peccatorem, iustum cotam Domino: simúlque indicatur illustrem ac insignem tem esse de qua agitur in suo genete. Pro placito rectum reddens Oleaster ad id refert quod iustitiæ est: bonum ad id quod pietatis & misericotdiæ. Caietanus primum ad articulum necessitatis; secundum ad articulum piæ necessitatis.

Vt benè sit tibi.] De ista phrasi dictum priùs hoc ipso [a] capite, ac in prioribus [b], mouentes alibi sæpiùs occurrere. Decet vt benè sit à Deo iis qui placere ipsi student: & vt voluntatem timeotium se faciat [c]: & vt obediat quodammodo voci hominis [d], qui scilicet susceperat prælium pro populo Dei, proindéque pro Deo ipso. *Cùm placuerint Domino via hominis; inimicos quoque eius conuertet ad pacem* [e]. Si

[f] *Principibus placuisse viris non vltima laus est,*
id est, masima.

Et si glorians ille dicebat,

[g] *Me primis vrbis belli placuisse, domique.*

Præterea si nun placere Dauidem satrapis [h] infortunium quoddam censebatur, quanti momenti te mæstimabimus vel tantum placuisse Deo, à quo bona cuncta procedunt, licèt nullum aliud inde ad nos bonum prouenirer? Adeò gratus & gratiosus Augusto Areos siue Arius philosophus fuit patria Alesandrinus, vt eius amicitiæ multorum ciuium vitam & bona condonauerit, ingressus Alexandriam [i].

Et ingressus possideas terram optimam.] Superlatiuo carent Hebræa Chaldæáque lingua: positiuum hîc cum iis habet etiam Græca. Idem epithetum terræ fuit in cap. 3. [k] & 4. [l] & ciuitatum in præcedente versu 10. nostri capitis.

De qua iurauit Dominus patribus tuis.] Editiones aliæ (*quam iurauit, &c.*) Quo etiam pacto interpres alibi [m] transfert; nempe iurare terram: aliàs [n] iurare pro terra, vel super [o] terra, Latinis non adeò vsitati hi loqoendi modi: quamuis iotare morbum Ciceroni [p] sit, iurare se malè valere, morbóve laborare. Quàm multis autem locis extet hoc iuramentum indicant hîc notati loci.

Vt deleret omnes inimicos tuos.] Veteres nimirum colonos, possessorésque promissæ terræ. Expulsio significatur per Hebræum ףֹּדְהַל *lehadoph*, & Græcum ἐκδιῶξαι, per Chaldæum לְמִתְבַּר *lemimbar* contritio & excisio, qualis fit quando nemos seu sylua perpurgatur, ita vt nihil supersit. Superfuerunt nihilominus etiam post ingressum Hebræi populi in terram Chanaan per aliquod tempus aliquot gentes; nec tam citò excindi potuerunt, vt aliàs dixit & in cap. 7. [q] scribitur: *ipse consumet nationes has in cōspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter*, &c.

Coram te.] Vidente te, ante faciem, & oculos tuos, ita vt ipsemet videas. Hebræa verò & Chaldæa editio habent (*à facie tua*, vel *à conspectu tuo* מִפָּנֶיךָ *mippanecha*, & מִן קֳדָמָךְ *min kodamach*) id est, vt deleret à facie tua, seu à conspectu tuo, nec ampliùs coram, seu ante te comparerent. Reddit Interpres alibi delere à facie [r], ante faciem [s], in conspectu [t], coram facie [u]. Vtrumque rectè cohæret vt coram te deleatur hostis tuus antéque faciem tuam; & sic deletus, à tua quoque facie deleri & auferri censeatur.

Sicut locutus est.] Dominum omisit editio nostra. Locutus est autem Dominus hac de re, simúlque iurando promisit, quando inimicorum terram promisit, quæ saluis illis obtineri nequibat. Curæ portò Moysi fuit sæpiùs ingerere mentionem iuratæ promissionis diuinæ; vt parum credulus populus certior omnino redderetur.

a vers. 3.
b c. 4. 40. c. 5. 16. 29. 33.
c Psal. 144. 19.
d Iosue 10. 14.
e Prou. 16. 7.
f Hora. lib. 1. epist. 17.
g epist. 20.
h 1. Reg. 18. 29.
i Plutarch. in Politic. & in Antonin. Seuero. in Augusto. c 88. Dion. lib. 51. Sen. de clement. Strabo, Themist. Iulianus in Cæsarib. & in epist. ad Alexand.
Iurandi formula.
k vers. 25.
l vers. 21.
m Exo. 13. 5. cap. 33. 1. Deut. 10. 11. c. 11. 21. c. 28. 11.
n Num. 11. 12. c. 14. 16. 23. Deut. 6. 10. c. 7. 13. c. 8. 1. c. 30. 20. c. 31. 20.
o Deut. 18. c. 26. 3.
p 1. ad Att. ep. 13.
q vers. 22. 23.
r c 2. 21. Iosue 13. 6. Iudic. 2. 3. Ier. 5. 22. c. 18. 25.
s Deut. 9. 3.
t Deut. 31. 3. Iosue 23. 13.
u 2. Esd. 4. 5.

Vers. 26.] Cùm interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

Diuinum amorem qui sub initium capitis exigitur ne impediret idololatria, de hoc prohibitio mox subiecuta est; deinde ad legis vniuersę diligentem custodiā incitatus populos promissæ sæpiùs terræ, diúque desideratæ, spe. Cupiens nunc Deus custodiri legem à posteris, eosdémque in eiusdem terræ possessione succedere ac permanere; & quia de variis præceptorum legis generibus fieri non poterat, quin iidem posteri sciscitarentur, iubet paratos ac promptos esse vt filios erudiant, & cultis priúsque ipsorum interrogationibus plenè satisfaciāt. Quod videlicet facere non possunt, nisi qui præcepta omnia, quod antea hîc monitum & commendatum est diligentissimè, memoria teneant, probè intelligant, opere quoque adimpleant. Tenentur parentes filios instituere verbis & exemplis tum de credendis, tum de agendis: ac nominatim circa præcipuas ceremonias Ecclesiæ confert plurimum institutio. Cui rei consultum est per Catechismum Romanum ad Parochos. Quare interrogans subditus excusatur si ignoret, sed non est expectandum superiori vt ille interroget, quando illius interest vt sciat. Ipsamet ignorantis necessitas, interrogatio tacita est. Rectè id monet hoc loco Seraphinus Copponus, quódque idcirco frequentandæ sint sacræ conciones lectionésve, in quibus vtiles, non vanæ res tractari debent; & proponi quæ conferant ad salutem pro varia auditorum conditione.

Cùm interrogauerit te filius tuus.] Græcè (*& erit cùm*, καὶ ἔσται ὅταν.) Particula כִּי *chi*, & Chaldæa אֲרֵי *are* possunt exponi (*si*) vel (*quia.*) Vltimo modo sensus est, quæ adhuc dicta sunt, idcirco inculcari, vt prosint posteritati, & huic velint consultum maiores illios, accipiendo filij vocabulum pro quouis inferiore siue generatione, siue disciplina, siue ætate, siue quouis alio genere subiectionis. Sic verò Dominus post traditum de primogenitis offerendis præceptum, déque azymis per septem dies comedendis; *cùm interrogauerit te*, ait, *filius tuus cras, dicens: Quid est hoc* [a]? &c. Iosue, dato mandato de lapidibus duodecim exportandis ex Iordane; *quando interrogauerint vos*, inquit, *filij vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides* [b], &c. Filiorum, discipulorum, subditorum, inferiorum est interrogare ad discendum patres & maiores; vt habetur inferiùs in Cantico Mosis [c]: Quam personam placuit Christo induere [d], audiendo doctores, & interrogando; vt obseruauit Origenes [e], Gregorius [f], Beda [g], & alij interrogandi sunt sacerdotes legem [h]; viri ab vxoribus [i].

Cras.] Explicant passim omnes (*in posterum*) siue pro futuro quocumque tempore, vt prior notauit hîc in locutionibus Augustinus: & Hieronymus

Paraphr.
Explanatio.
a Exo. 13. 14.
b Iosue 4. 6. 21.
c cap. 32. 7.
d Lucæ 2. 46.
e hom. 19. in Luc.
f hom. 2. in Ezech. & 3. p. Past. c. 26.
g in Lucæ 2. & hom. in eumdem locum.
h Aggæi 2. 12. Mal. 2. 7.
Cras, pro in posterum.
i 1. Cor. 14. 35.

ronymus [a] in genere sic explicás prohibitam solicitudinem in crastinum [b], & confirmans illis verbis Iacob [c], *exaudiet me cras iustitia mea*; & Pythonissæ [d], *Cras eris mecum*. Eodem modo sumitur [e] aliis in locis, præter illa quæ priùs annotaui: necnon & quando coniungitur cum hodie [f]: & præsertim significat, cras, tempus citò futurum: Sed & quodcumque αὔριον, *indefinitè*, vt profanis etiam ostendi exemplis potest Plauti, & aliorum. Nec dissimilis acceptio crastini, cum hodie, etiam apud scriptores externos; vt

Sera g nimis vita est crastina; viue hodie.

Et,

[h] τὸ σήμερον μέλει μοι,
τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε;
Quod hodie est, cura mihi est;
Quod cras, quis nouit?

Item,

[i] ὦ Βλεψίδημε μᾶλλον ἢ χθὲς σφόδρα,
O Blepsideme melius atque heri mihi est.

Præterea,

[k] τάχ' αὔριον ἐσσεῖθ' ἄμεινον:
Melius cras forsitan habebit.

Denique,

[l] ὃς νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας:
Qui nullus hodie, cras erit vel maximus.

Et,

[m] *Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.*

Vbi *heri*, & *cras*, pro præterito, futuróque tempore ponuntur, *hodie* pro præsenti: quemadmodum & apud Paulum [n], Christus dicitur heri & hodie esse, & in sæcula. Eodem sensu dixit ille [o]; *mihi heri, & tibi hodie*. Heri quoque & nudius tertius, χθὲς καὶ πρώην, tempus designant non multò antè actum in cuiusuis generis auctorum scriptis. Hodie autem sumitur adhuc à Paulo [p], post Psalmum 94.[q] quem citat, pro vitæ huius spatio, quod quantum quantum sit, breue est; ad singulos relatum, longè breuius: adhibetur quando pro æternitate [r]; in qua omnia sunt præsentia Deo, nihilque præterit aut succedit. Coruinam vocem, cras, vocat Augustinus [s]; hancque rem ait multos occidere, cùm dicunt cras, cras, & subitò ostium clauditur: & remanet qui foris cum voce coruina, quia non habet gemitum columbinum: atque hoc ipsum in seipso ipse confitetur & damnat [t]; quòd scilicet se cras, inueniturum dicebat, nimirum veritatem. Meliore consilio alius resipiscens dixit,

Linquo coax ranis, cras coruis, vanáque vanis.

Nam cornix

[u] *benè cum nequeat dicere, dicit, erit.*

Quibus verbis alluditur ad cornicem, quæ paucos ante Domitiani mortem dies, cùm elocuta esset, ἔσται πάντα καλῶς, non defoit qui ostentum sic interpretaretur, vt narrat Suetonius [x].

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est benè, non potuit dicere, dixit, erit.

Athanasius Latini quoque sermonis peritos, cùm versus eum per plateas Alexandriæ incedentem, coruus volitans forte fortuna crocitasset: Gentiles verò quorum facilè aliqui Latinè sciebant, aut Latini etiam erant, tanquam præstigiatorem, quid coruus dixisset, irridendo, interrogassent; respondit subridens, κρὰ ἐστιν αὔριον τῇ ῥωμαίων φωνῇ, *cras, quod est cras Romanorum voce*, inquit Sozomenus [y]: prænunciare autem prohibiturum Imperatorem, ne diem festum suum ipsi celebrarent: quæ prædictio vera exitit, quamuis ridicula, τρίβφοισι τρίσπυ γελοιάδης ἐξέβη, ὡς ἡμῖς ἰτεῖν. Falluntur, qui prædictionem de Iuliani morte afferunt [z] fuisse; tametsi, viuo Athanasio, interceptus ille sit. Cæterùm circa (*cras*) vt breue ac instans tempus indicat, colligit Seraphinus Capponus differri non oportere institutionem de rebus ad salutem conducentibus, vel interrogando si quis nesciat, vel respondendo, ac etiam vltrò ingerendo, si cui præsertim hoc munus incumbit.

Dicens.] Græcè eodem modo λέγων: Hebraicè, Chaldaicéque (*dicendo*) לאמר *lemor*, למימר *lememar*. Quod ordinariè in similibus occurrit sententiis.

Quid sibi volunt.] Hebraicè, Chaldaicéque quæ מה *mah*, nempe (*sunt*) quod exprimitur Græcè τίνα ἐστι. Sic alibi [a]; *quid sibi volunt agnæ istæ? quid* [b] *sibi volunt isti, & si ad te pertinent? quid* [c] *sibi volunt lapides isti* [d]*? quid sibi volunt Hebræi isti? quid* [e] *sibi volunt hæc? quid* [f] *sibi vult clamor ciuitatis tumultuantis?* &c. Quibus in locis editiones aliæ retinent eamdem formulam quæ hîc est: nec habent volendi verbum, tributum æquè inanimatis ant irrationalibus, ac animatis & rationalibus, quibus voluntas non conuenit. Idem valet autem quid sibi volunt aut vult? atque quid significant, seu significat? quemadmodum apud Ciceronem [g], *quid sibi equestres statuæ volunt propter ædem Vulcani* [h]*? ita mehercule attendo, nec satis intellexi quid sibi lex, aut quid verba ista vellent*, &c. Talia proferuntur in vetere Lexico τί αὐτῷ βούλεται ὁ λύρα, *quid sibi vult Lyra?* τί βούλονται αὐτῷ αἱ κύλικες; *quid sibi volunt pocula, seu calices?* &c. Porrò Abulensis interrogatione ista indicari vult, quis tantum onus imposuisset; vel in quem finem data tot præcepta.

Testimonia hæc & ceremonia, atque iudicia.] Versu 17. sunt eadem nomina Hebræa עדת *hedoth*, חקים *chukkim*, *testimonia & ceremoniæ*; μαρτύρια & δικαιώματα, quorum secundum valet iustificationes. Ibidem primo loco מצות *mitsuoth*, præcepta, ἐντολαί: vltimo autem loco hîc pro iudiciis extant משפטים *mispatim* & κρίματα. Vnde videntur nunc testimonia pro moralibus præceptis accipienda, vt placet quoque Abolensi, quæ versu illo 17. sumi debere dixi cum eodem pro iudicialibus: vel nomen præceptorum pro iisdem iudicialibus; testimoniorum pro moralibus.

Quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?] Præcipiendi verbum amplectitur cuncta genera moralium, iudicialium, ceremonialium præceptorum. Pronomen autem secundum secundæ personæ habet Hebræus & Chaldæus textus אתכם *ethchem*, & יתכון *iathchon*. Inde sensus non mutatur: quamuis cur vnum potiùs quàm aliud pronomen exprimatur causa reddi possit. Magis congruit vt sint duo pronomina eiusdem personæ; & consequenter secundum etiam primæ sicut primum in reliquis editionibus.

Vers. 21.] Dices ei: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti.

Deinceps quid respondendum fuerit patribus seu maioribus ad interrogationem filiorum, seu posterorum de testimoniis, ceremoniis, iudiciis, seu de tota Lege tótque præceptis, exprimitur: nempe gratitudinis nomine horum obseruantiam Deum exegisse, qui ab adeò dura Ægyptiaca seruitute tam mirabiliter & potenter eductum populum, maioribus afficere beneficiis voluisset, dummodo iussis eius diuinis obtemperaret.

Marginalia: a in Matth. 6. b Matth. 6. vlt. c Gen. 30. 33. d 1. Reg. 28. 19. e Gen. 30. 33. Iosu. 22. 24. 27. Prou. 3. 28. Esa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32. f Eccl. 10. 12. 4. 20. 16. Esa. 56. 12. 1. Mach. 2. 63. Matth. 6. 30. Luc. 12. 28. 13. 32. 33. g Mart. l. 1. epigr. 16. h Anacreô. i Aristopha. in Pluton. k Theocri. l Aristoph. in Equitibus. m Ouid. n Hebr. 13. 8. *Heri & cras, pro tempore præterito, & futuro: hodie, pro præsenti.* o Eccl. 38. 23. p Hebr. 3. 13. q vers. 8. r Hebr. 1. 5. ps. 2. 7. *Cras coruinæ vox Augustino.* s Serm. 17. de verbis Domini c. 11. t 6. confess. c. 11. u Alciatus emble. 44. x in Domit. c. vlt. y l. 4. c. 9. z Claud. Minos ad emblema 44. Alciati. a Gen. 21. 29. b c. 33. 5. c Iosu. 4. 6. 21. d 1. Reg. 29. 3. e l. 2. c. 16. 2. f l. 3. 1. 41. g in Verr. h 3. de leg. *Præcipiendi verbum.* Paraphr.

peraret. Tenetur seruus emptitius, inquit Abulensis, ad omnia quæ mandat ei dominus; vt propterea iustè potuerit Deus imponere illi populo quamcumque vellet legem. De seruitute Ægyptiaca, quàm dura & longa fuerit, déque modo liberationis ex ea cum signis & prodigiis omnipotentiæ Dei disputatum est variis locis, licèt proprius sit Exodi liber in quem non scripsimus. Egimus etiam alibi de origine seruitutis, operibúsque illius. Citatus nuper Seraphinus Capponus, piè sanè hioc elicit in duobus præsertim edocendis patres, & filios in iis addiscendis insudare debere; videlicet in cognitione propriarum miseriarum, & diuinarum erga seipsos misericordiarum.

Explanatio.

Dices ei.] Editiones aliæ (*& dices filio tuo*) studet breuitati sæpe Interpres noster, sententiæ retenta integritate.

Serui propriè qui.

Serui eramus.] Sunt עֲבָדִים *hhabadim* serui propriè dicti vel empti, vel bello capti, siue mancipia: eóque nomine primus Chanaan maledictus à patre cognominatus est [a]: quamuis appellet se quis alterius seruum submissionis causa, hoc est, subiectum, obsequentem, obtemperantem, deditum, addictum, &c. dicatúrque id nomen de Dei cultoribus, qua seruitute nihil gloriosius & nobilius (maximè post solutum pretium sanguinis Christi) vt docent Philo [b], Origenes [c], Chrysostomus [d], Ambrosius [e], Gregorius [f], putatos Hieronymus [g], aliíque vt omittatur, tritum Agathæ tyranno redditum [h] responsum. Alioqui, Suida teste, & Etymologico, Græcis seruus ἀτμὴν vocatur; quasi ἀτιμὴν, siue ἄτιμος, *inhonoratus seu honore carens*: idémque valet ἄτμενος apud Hesychium, & Eustathium. Sed & inde ἀτμενία seruitus est, infortunium, calamitas: & ἀτμένιος idem quod πολυεργάτης, πολυδούλιος, μετὰ κακοπαθείας γενόμενος: quoniam dicuntur ἀτμένες, inquit Nicandri Scholiastes, οἱ ὑπὸ τὸ κακοπαθεῖν: & Nicander [i] ipse ἀτμένιον cognominat τὸ ἔλαιον, necnon ἀτμένιον λίθον: quia labore multo, penéque seruili conficit: & ἀτμένειν [k], quasi ἀτμενεύειν, pro eo quod est δουλεύειν vsurpat. Notantur hæc ab auctore thesauri Græci. De seruis inhumaniter tractari solitis retuli aliàs ex Seneca [l] à superbissimis, crudelissimis, contumeliosissimis dominis: vnde cognomina furciferorum, mastigiatum, flagitionum, verberonum, cruciariorum, &c. *Quidquid dominus indebitè*, ait Chrysologus [m] (cuius cupio hac de re sermonem vt perlegas) *iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est: imperantis ira subdito suo est; & ad libitum domini vocem non habet conditio seruientis.* Plura [n] Laurentius Pignorius. Seruos Hugo hoc loco interpretator in luto, in latere, & palea. Græcè hic appellantur οἰκέται serui, seu potiùs famuli domestici honestiore appellatione, quæ tamen proposito non congruit: sed vt confunditur cum nomine δούλων. Immò apud nonnullos [o] οἰκέται sunt serui perpetui, qui numquam manumittuntur ab eo, in cuius ministerio sunt, καὶ τῇ κτήσει καταλεγμένοι, & in bonis possidentis censentur. Adi Scholiastem Athenæi [p].

Pharaonis.] De hoc nomine communi regibus Ægyptiis multa dixi ad caput 7. [q] Actuum Apostolorum, ex eáque occasione de nominibus quibus aliarum Gentium reges communiter vtebantur. Adde ibi nominatis Achis apud Gethæos [r]. Iulius [s] Cæsar Bulengerus iam noster postliminio recensuit post me Romæ Augustos, Cæsares,

a Gen 9.25.
Diuina seruitus omnium gloriosissima.
b de Cheru.
c in ep. ad Rom. c. 1.
d ibidem.
e de Abrah. c. 10.
f 11. moral. c. 9. l. 26. c. 26.
g in ps. 115.
h in vita.
i in Alexiphar v. 178. & 456.
k v. 172.
l epist. 47 & 3 de ira. c. 28.
Seruorum cognomina.
m ser. 161.
n de seruis pag. 10. & seqq.
o Chrysippus apud Athen. l. 6. c. 19.
p ibidem.
q v. 10.
r in hist. Regū l. 1. & 3.
s 3. de Imp. om. c. 5.

Antoninos: in Syria Abimelechos: in Ægypto Pharaones & Ptolemæos: in Thracia Cotyes: in Ionia Palmes: apud Langobardos & Gothos Flauios: Arsacidas apud Parthos: apud Latinos Murrhanos: Syluios apud Albanos: in India Taxilás: reginas Candaces in Æthiopia: reges Hunnorum Cahanos: Africæ proconsules Scipiones. Citat Curtium [a], Festum [b], Basilium, Tzetzem [c], Manassem [d], Eucherium [e], Paulum [f] Diaconum, Seruium [g], Rheginonem [h], Turonensem [i]. Dixi præterea non videri quod asseruit Ludouicus [k] Viues, ab Insula Pharo denominatum Pharaonem, sed quòd, vt Iosephus [l] notauit, Ægyptiorum lingua, regem Pharao significet (iuxta etymon verò Hebræum significare dicitur dissipantem, vel discooperientem eum, vel eum qui nudat, dissipat, denegat eum) vt Persicè Artaxerxes magnum bellatorem, Assuerus magnum caput, Darius coërcitorem aduersariorum, &c. *Pharao*, ait Augustinus [m], *non hominis nomen est, sed regiæ potestatis*. In Eusebij [n] quoque Chronico hoc idē tradit, sicut & de Augusti nomine Romanis Imperatoribus communi: & quamuis Iosephus [o] Scaliger hæreticus neget apud vllum codicem scriptum haberi: nec reperiatur in textu Græco [p]; Pontacus Episcopus profert triginta eóque ampliùs, exceptis dumtaxat septem, in quibus ille forsitan solùm incurrit. Salianus [q] verò noster suspicatur à Hieronymo, qui Latinè transtulit, id, vt & alia quædam, esse additum. Neque verum est quod scripsit Iosephus [r], post socerum Salomonis reges Ægypti non esse appellatos Pharaones. Extat id nomen apud Esaiam [s], Ieremiam [t].

In Ægypto.] Græcè (*in terra Ægypti*, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ.) De hac sæpiùs occurrit alibi mentio, de eaque dictum in commentario Actuum [u] Apostolorum: de eiusdem verò decem prouinciis, atque de præfecto ipsius Augustali, quem oportuit equestris ordinis esse, cum priuilegiis huius magistratus, consule Bulengerum [x] nostrum; necnon de illius regionis præconiis alterum de nostris Ioannem [y] Baptistam Scottiam: inter quæ, præter summam feracitatem à Nilo celeberrimo fluuio, (quod cataplus appulsúsve classis in Vrbem variæ mercis, & mensium quatuor annona per singulos annos aduecta testabantur [z]) pyramidum, vt Martialis [aa] canit (cuius adi Scholiastem Raderum nostrum, Ramirem, & alios) miracula sunt, quarum amplissimam octo iugera soli obtinentem trecenta sexaginta hominum millia annis viginti produntur, Plinio [bb] teste, construxisse; tres factæ annis 78. & mensibus quatuor: labyrinthi portentosissimum humani ingenij opus [cc]: viginti vrbium millia, regnante Amase: nisi mendum velis esse, vt pro 20. sint duo apud eumdem Plinium [dd]: quamuis Diodorus [ee] suo tempore tria millia referat perdurasse; & ex vna Alexandria quotannis vltra sex millia talentorum vectigalis nomine recepta; id est, aureos coronatos 3600000. A Mestaim primogenito Cham regio nomen sumpsit: vt necesse sit fabulosas esse trecentas quadraginta vnam progenies, & totidem interim Pontifices, regésque totidem, quos ad suam vsque ætatem Herodotus [ff] memorat. Trecentæ namque progenies, vt idemmet scribit, decem millia anni sunt: quia tres virorum progenies centum annos efficiunt; ex quibus vna & quadraginta, vltra trecentas sunt anni 1340. item quòd ab Ægyptio quodam Hercule ad Amasim vsque regem 17. annorum millia numerarent.

a lib. 8.
b de ling. Lat.
c chiliad. 5. c. 10.
d in Polit.
e ad Salonium & l. 2. de nom. Hebr.
Pharaonis etymon.
f l. 16.
g in 6. Æn.
h in Chro.
i 4. hist. Franc. c. 14.
k in 18. de ciu. c. 2.
l 8. antiq. c. 2. vel 6.
m de locut. in Gen.
n anno mūdi 2354. & Mosis 68.
o in Euseb.
p ibidem.
q tom. 1. annal. anno 2354.
r 6. ant. c. 2.
s c. 19. 11. c. 30. 2. 3. & 36. 6.
t c. 44. 30. 46. 2.
u in c. 1. 10.
x 4. de imperio Rom. c. 13.
y de natura Nili c. 7.
z Ioseph. 2. de bello c. 16.
aa lib. de spect. epigr. 1. l. 8. epigr. 36.
bb l. 36. c. 12.
cc ibid. c. 13.
dd l. 5. c. 9.
ee l. 1. c. 3.
ff in Euterpe.

Commentitiæ quoque habentur dynastiæ quindecim ante Abrahamum ea Africano, vel Manethone apud Eusebium [a]. Non fuerunt Ægyptij ante diluuium; quod contigit anno mundi 1931. nedum illæ dynastiæ, quæ constarent ter millibus trecentis septemdecim annis, & insuper 74. decimæ sextæ; quo pacto earum initium anteuertisset 1735. annis ortum Adami, vt subducit noster Salianus [b]. Porrò nomen Ægypto dedit Ægyptus rex, qui simul appellabatur Remesses, pulso Danao fratre, circa annum mundi 2532. cùm diceretur priùs Aëria [c]. Ante quod tempus à Scriptura nomen Ægypti per occupationem seu anticipationem vsurpatur.

a in Chron.

Ægyptus vnde nomen trahat.

b tomo 1. annal. anno 1931. n. 61. & 62. & to. 3. an 3047. n. 7.

c Euseb. in Chro. Gell. l. 14. c. 6.

Et eduxit nos Dominus de Ægypto.] Græcè (*illuc*, ἐκεῖθεν.) De hac eductione mentio præcessit hoc ipso [d] libro sæpiùs, & alibi.

In manu forti.] Additur in texto Græco (*& in brachio excelso*, καὶ ἐν βραχίονι ὑψηλῷ.) Manum fortissimam & fortem priùs [e] vidimus, robustam quoque manum, & extentum brachium [f]. Inde repetas quæ ad has formulas pertinent; vbi etiam similia Scripturarum alia protulimus testimonia: ex quibus vis omnis earum percipitur; & quòd de Deo dicatur manus, brachium, & similia figuratè, non propriè vt admonet Abulensis hoc loco.

d c. 1. 27. c. 4. 20. 37. c. 5. 6. 15. c. 6. 21.

e c. 3. 24. c. 4. 15.

f c. 4. 34.

Vers. 22.] Fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro.

Paraphr.

De signis istis, ac prodigiis, seu de plagis Ægyptiacis, actum sæpiùs in aliis cõmentariis est, quæ numero decem recensentur. Quantum in eis temporis consumptum sit, non constat, an 40. dies [g], an mensem circiter, siue dies 27. [h] an vnus ferè annus, qui sit vltimus ex 430. promissionis, & octogesimus Mosis, sed redundet partim in principium sequentis anni. Vltimum sequitur Salianus [i] noster, confirmans testimonio Hebræorum [k] chronologiæ, Genebrardi [l]; Prosperi [m], (quatenus plagam sciniphum contigisse ait æstate media) Caietani [n], Carthusiani [o], Serarij [p] nostri, Comestoris [q], & aliorum: itemque ratione; nam omnes equos, asinos, camelos, boues peste consumptus, & in agris Ægypti [r], & post paucos tamen dies iungi sexcentos currus, tantámque copiam equitum (ad 50. millia numerat Iosephus [f]) armari potuisse, quæ sexcentis armatorum Hebræorum millibus formidabilia essent, intelligi nequit intra tam breue spatium; & quo modo non intercesserit aliquod magnum vt vlceribus & vesicis afflicta iumenta curari, & hæc aliunde comparari possent quæ alio die grandine perierant magna ex parte. Nec vnico die constat ranas Ægyptiis molestas fuisse; vnico in aggeres immensos congregatas, indéque computruisse terram; vnico ita locustas omnia deuorasse, vt omnino nihil in omni Ægypto virens relinqueretur. Accedit quòd ipsa diuturnitas affligit magis, domátque pertinaciam magis: Pharao inter vnam & aliam tergiuersabatur aliquamdiu: Moses & Aaron aberant fortassis aliquando in Gessen vnde accersebantur à rege, vel vltrò se ad eum conferebant. Denique in ipsismet plagis prout memorantur in Exodo, inque Psalmo 77. spectari possunt quæ propriè veri, æstati, reliquis anni tempestatibus conueniant, vt significat etiam auctor de mirabilibus Scripturæ [a]. Iosephus [b] quidem grandinem adulto vere ἔαρος ἀκμάζοντος decidisse scribit; Prosper [c], vt dixi, æstate media sciniphes extitisse. Quocirca Moses ingressus annum octogesimum adiit Pharaonem, intráque illum ipsum annum plagarum pars magna contigit, aliis in anni sequentis initia dilatis, atque sic annus Mosis centesimus vigesimus, fit quadragesimus exitus ex Ægypto. Placuit eadem opinio Leonardo Mario; qui addit valere ad commendandam diuinæ patientiæ magnitudinem: Mosis & Aaron fidem, constantiámque: in ipso plagarum initio propositam populi dimissionem Pharaoni, vt rem non paulò antè solùm petitam [d]; quod aliquam importat moram. Memoriæ porrò causa numerus seriésque plagarum in Exodo descriptarum, ad quas reuocandæ in Psalmo 77. ærugo fructuum nempe ad locustam; pruina & ignis ad grandinem, continentur his versibus apud Hugonem Cardinalem [e], & Comestorem [f],

g Suidas verb. πληγαί.

h Per. Corn. Abul Codomanus in Exod 7. Adricho in theat. Tornielus annal.

i tom. 1. anno mundi 2543. 15. & seqq.

k c 3. & 5.

l ibidem.

m infrà.

n in Exo. 9.

o ibidem.

p l. 1. in Iosue c 4. q. 1.

q hist. Schol. in Exod. c. 19

r Exod. 9. 3. & seqq.

f 2. antiq 4.

a l. 1. c. 19.

b 2. ant. c. 5. vel 13.

c supra.

d Exod. 7. 16.

e in Exo. 7.

f hist. Schol. in Exod. c. 14. & 15.

Prima rubens vnda; ranarum plaga secunda:
Inde culex tristis; pòst musca nocentior (aliàs nocinior) *istis:*
Quinta pecus strauit; vesicas sexta creauit:
Postque subit grando; post bruchus dente nefando:
Nona tegit solem: primam necat vltima prolem.

Breuiùs apud eumdem Cardinalem,

Sanguis, rana, culex, musca, pecus, vlcera, grando,
Bruchus, caligo, mors pignora prima necando.

Vel apud Leonardum [g] Marium,

g in Exo. 7.

Sanguis, rana, sciniphs: hinc musca, pestis & vlcus:
Grando, bruchus, tenebræ, mórsque flagella decem.

Quem etiam delectant Græca, excipiat de iisdem Nazianzeni [h] carmen; quod transtulit Billius.

h carm. 34.

μάστιγας Αἰγύπτοιο κακόφρονος αἰὲν ἀρίθμει,
ὥς κεν ἀποτρομέῃς κάρτεϊ τῷ μεγάλῳ.
αἵματι μὲν πρώτιστον ὕδωρ ἐρυθαίνετο γαίης
δεύτερον αὖ, βατράχοις ἄσπετον ὠλομένοις.
τὸ τρίτον αὖ, σκνίπεσσιν ἀὴρ καὶ γαῖα καλύφθη,
καὶ κυνόμυια σίνη τέτρατον ἐξαπίνης.
πέμπτον, τετραπόδεσσιν ἐπέχραε λοιγὸς ὄλεθρος
φλυκτίδες ἀνθρώπων σώματ᾽, ἕκτον ἄχος.
ἕβδομον, ὕει χάλαζα μίσγε, πυρὸς ὄμβρος ἀμείλικτος
ὄγδοον, ἐξ ἀκρίδος ὤλετο χλωρὸν ἅπαν
ἔνατον, Αἰγύπτοιο πέδον κατὰ νὺξ ἐκάλυψε,
πρωτοτόκων δὲ μόρος ἡ δεκάτη βάσανος.

Ægypti plagas semper numerare memento;
Vt paueas sancti robora magna Dei.
Flumina purpureo sunt primùm tincta cruore:
Hinc tellus ranas edidit innumeras:
Æra pòst sciniphes texerunt, aruáque tancta:
Tum cynomya ferox visa repente fuit:
Quintò quadrupedes omnes mors vna peremit:
Sextò afflixerant vlcera Nilicolas:
Horrida pòst grando cecidit simul igneus imber:
Octaua at rursum plaga locusta fuit:
Hanc plagam horribilis caligo deinde secuta est.
Vltima primigenûm mors inopina fuit.

Fecitque signa atque prodigia.] In reliquis editionibus (*& dedit* וַיִּתֵּן *vaijtthen*, אֹתוֹת *othoth* ... καὶ ἔδωκε. In cap. 4. [i] signa atque portenta sunt, & iuxta editiones alias eædem voces quæ hîc extant אֹתוֹת *othoth*, & מוֹפְתִים *mophethim*, אֹתִין *othin* & מוֹפְתִין *mophetin*, σημεῖα & τέρατα: licèt inter signa, portenta, prodigia & ostenta nonnihil discriminis poni liceat, vt ibidem annotaui. Idem autem

Explanatio.

i v. 34.

est

est:facere signa,dare,ponere, &c. vt exemplis demonstrari potest : Hebræumque verbum & dare significat,& ponere.

Magna & pessima.] Superlatiuo non vtitur Hebræa,Chaldæaque lingua : positiuum hic tantùm habet Græca,nempe πονηρά. Signa refert Abulensis [a] ad miracula ostensiua potentiæ,& non inflictiua pœnæ ; qualis conuersio virgæ in colubrum [b] : prodigia ad miracula infligentia pœnam signa ait esse demonstratiua veritatis eius qui loquebatur,id est, Mosis à Deo missi prodigia magnas plagas : iudicia (quæ addit perinde ac si aliis duobus coniuncta hîc essent) miracula inflictiua pœnæ minoris,siue plagas minores : vel indifferenter omnes vt iustè infligebantur,aut quia causa nobis ignota est. Sed parum apta notatio; quæ placuit quoque Marzillæ,prodigij quasi procul sit à digito,id est,à potentia nostra. Concedit autem rectè id nomen dici etiam de quolibet miraculo magno,quamuis ad pœnam non pertineat; vt cùm Stephanus narratur fecisse prodigia & signa [c] magna.Prodigium alij dici malunt à prædicendo id quod futurum est : aut à prodigendo, hoc est,antè seu priùs agendo,quoniam priùs agitur, agitque mortales in cognitionem futuri. Synonyma sunt, eidémque rei conuenit , verbi gratia , resuscitationi mortui in nomine Christi , vt sit signum honoris Christo debiti, & prodigium, vt vires naturæ vincit ; si prodigium accipiatur iuxta primam notationem. Mira item quædam interdum supráque vires,futurum quid præsignántia,dici & signa possunt , & prodigia. Dicebatur c.4. citato tentationes,signa, portenta;pugna,robusta manus,extentum brachium , horribiles visiones. Pessima vocantur signa atque prodigia pro opinione sustinentium, inquit Glossa interlinearis & Hugo : quantum ad malum pœnæ , ait Abulensis & Rickelius , aliíque. Vltimus affert exempla ; cùm dicitur Deus misertus super malitiam , quam locutus fuerat vt faceret Niniuitis, & non fecit [d] non esse malum in ciuitate , quod non fecit Dominus [e] ; faciens pacem , & creans malum [f] : substantiuè malum crebrò sumitur in hac notione,sicut & malitia : nec minùs sæpe adiectiuè:cognominantúrque tribulationes malæ [g]: infirmitates pessimæ [h],vlcus pessimum [i],languor pessimus [k] , occupatio pessima [l], afflictio [m], plaga [n];dolores pessimi [o] , feræ & bestiæ pessimæ [p], sagittæ famis pessimæ [q] ,quatuor Dei iudicia pessima,gladius,fames,bestiæ malæ,pestilentia [r],dæmonium pessimum [s]. Quæ omnia denotant pœnam , molestiam , laborem , dolorem, damnum, perniciem , seu res à quibus prouenimnt & inferuntur. Signa & prodigia illa non sola opinione Ægyptiorum talia erant,sed reipsa. Nisi opinionem sumas, quæ existimarent iniustè,aut ab iniusto Deo in immerentes infligi.Propriè sola culpa mali meretur nomen;nec pœna mala est , nisi per habitudinem ad culpam quam supponit. Quamquam vicissim ab ipso labore qui πόνος vocatur πονηρία descendens culpæ malitiam significat, quia nec ferè fit absque labore , ita vt difficilius videatur & laboriosius malè , quàm benè agere, cùm non desit ad hoc sufficiens gratiæ auxilium, & cùm naturæ rationali bonum congruat magis & virtus, quàm malum & peccatum. Chrysostomus [t] docens nihil esse quod cognomen mali per se solus mereatur vitiosus homo , vel potiùs diabolus , qui simpliciter intelligi solet per πονηρόν , quia pater est improbitatis , τῆς πονηρίας , hoc ipsum nomen πονηρίας deducit ἀπὸ τοῦ πόνου ἐπά-

a in exposit. text. & q.8. b Exod 7. 10. *Prodigij etymon.* c act.6.8. d Ionæ 3. 10 e Amos 3. 6. f Esa.45.7. g v.70 20. h Deut.7. 15.c.28.59. i ibid c.28. 35. Iob.2.7. k 2 Par.21. 15. l Eccl.1.13. m c.4 8.c.5. 13. n Ier.10.19. c.30.12. o Baruch 2. 25. p Gen.37. 20 33.Ezec. 5.17.c.14. 15. q c.5.16. r Ezech.14. 21. s actuum 19.16. t in psl.139.

γειν , καὶ μόχθον αὐτῷ παρεχόμενον , ab eo quòd laborem & ærumnam possessori afferat ; non autem alij nisi qui sit χαῦνος καὶ ῥᾳθυμός , mollis, & ignauus seu iners ; qualis Iob quia non erat , nihil ei vel diabolus πονηρὸς , malus nocuit, sed clariorem reddidit [a] ; Cain autem solus mala exantlauit, fratri potiùs profuit [b]. Citat ex Prouerbiis [c] secundùm L X X. ἐὰν δὲ κακὸς ἀποβῇς , μόνος ἀντλήσεις κακά. Si autem malus euaseris , solus hauries mala ; quod legitur in editione nostra ; si autem illusor, solus portabis malum. Rursus deriuat [d] πονηρὸν παρὰ τὸ πονεῖν : notátque quòd Scriptura semper πόνον vocat τὴν πονηρίαν,laborem malitiam : vt ; ὑπὸ τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ κόπος καὶ πόνος [e] , sub lingua eius labor & dolor,item [f], & amplius eorum labor & dolor , καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν κόπος καὶ πόνος. Inde tritum illud ab eodem etiam patre, vsurpari solitum & tractatu proprio explicatum ; quòd nemo læditur nisi a seipso.

In Ægypto.] Demersio Pharaonis cum suis in mari rubro censeri potest inter prodigia pessima:sed extra Ægyptum contigit, extráque numerum decem plagarum.

Contra Pharaonem.] In aliis editionibus (*in Pharaone.*) Aliquando præpositio (*in*) talem vsum habet;vt [g] ; *nihil proficiet inimicus in eo:*& [h],*in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea:*& [i] *ponam zelum meum in te.*

Et omnem domum illius.] Sic etiam hîc iuxta reliquas editiones(*& in domo illius*) omisso tamen epitheto *omnis* in Græca.In plaga cordis primogenitorum comprehensus est primogenitus Pharaonis , & hic surrexit nocte , omnésque serui eius [k] : & in mari rubro operuerunt aquæ omnes currus , & equites cunctos exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare ; ita vt nec vnus quidem superfuerit ex eis [l]. Itaque omnis domus Pharaonis & familiam eius amplectitur vniuersam , & præterea alios Ægyptios quoquo modo ad eumdem spectantes. Abulensis indicari vult domesticos Pharaonis magis vexatos fuisse plagis , quia duriùs tractabant Hebræos , ab illis in illos omne consilium malum , & pœna procedebat.Coniectura probabilis.

In conspectu nostro.] Non rectè legitur apud Abulensem (*in conspectu vestro.*) Hebraicè, Chaldaicéque (*in oculis nostris.*) Citato nuper cap.4. [m] fecisse scribitur Deus in Ægypto signa atque portenta pro populo , videntibus oculis eius. Licèt verò habitarent in terra Gessen ad vnam Ægypti extremitatem Hebræi [n]:sciebant tamen Ægyptiis paratas istas plagas, inquit Abulensis;& habitabant præterea in aliis locis Ægypti permixtim ; vt proinde oportuerit de sanguine agni poni in superliminaribus domorum ac vtroque poste,vt percutiens Angelus transiret domos illas [o]: item quoniam postulauit in discessu mulier ab hospita & vicina , & amicus ab amico varij generis vasa [p]. Valent propriis conspecta oculis mirifica pro nobis à Deo edita opera , ad maius tum gaudium , tum argumentum diuinæ beneficentiæ , ac nostræ aduersùs illum gratitudinis. *Nolite timere,* ait Moyses ad populum de aduentu Pharaonici sollicitum exercitus : *state , & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie : Ægyptios enim , quos nunc videtis , nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum* [q] , &c. *& viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam , quam exercuerat Dominus contra eos* [r]. Item ; *vespere scietis* , inquiunt Moyses & Aaron , *quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:& mane videbitis glo-*

a Iob.1.& seqq. b Gen.4.8. & seqq. c c.19.12. d hom.7.in actus Apost. e psl.9. vel sec. Hebr. psl.10.7. f psl.89.10. g psl.88.23. h psl.91.12. i Ezech.23. 25. k Exod.12. 29.30. l c.14.28. m v.34. n Gen.46. 34. o Exod.12. 7,13. p c.11.2.c. 12.35.c.3. 22. q Exod.14. 13. r v.31.

riam

a c.16.6 7. b c.1.29. 30.31.c.2. 30.c.3.21.c. 4 3.9.33. 34.

viam Dominus [a]. Omiſſis aliis, in libro noſtro [b] eadem exaggeratio habetur.

Verſ.23.] Et eduxit nos inde, vt introductis daret Terram, ſuper qua iurauit patribus noſtris.

Paraphr.

DElectat Moyſem admodum crebra repetitio ſummi beneficij; quòd cum liberatione à duriſſima ſeruitute, inuoluebat donationem optimæ terræ; quam Dominus antea tam aſſeueranter, totieſque cum iuramento pollicitus fuerat, vt nos etiam priùs toties vidimus, atque declarauimus: vt modò plura requiri non debeant.

Explanatio.

Et eduxit nos inde.] Extat in editionibus aliis (*Dominus.*) Aduerbio (*inde*) intelligitur de Ægypto: quod verſu 21. exprimebatur; licèt ibi Græcè, ſicut hîc, eſſet ἐκεῖθεν, *inde*, ſeu *illinc*.

Vt introductis daret terram.] Græcè ταύτην, *hanc*: & tam in eadem editione, quàm in aliis (*vt introduceret nos, vt daret nobis,* &c.)

Super qua iurauit.] Verſu 18. (*de qua iurauit*) quod iuxta cæteras editiones eſt (*quam iurauit*) vt ibidem notatum eſt.

Patribus noſtris.] Additur Græcè in Complutenſibus, & Regiis Bibliis δοῦναι ἡμῖν, *dare nobis*: quod in Sixtinis meritò reſecatum eſt, vt ſupernacaneum.

Verſ.24.] Præcepitque nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum noſtrum, vt bene ſit nobis cunctis diebus vitæ noſtræ, ſicut eſt hodie.

Paraphr.

INgerit quoque Moyſes, vnà cum collatis iam beneficiis, futurorum ſpem omnino certam; quæ concipi ex perceptis poſſit, debeátque; ſed cum conditione ac obligatione viciſſim Deum colendi, eiúſque præcepta omnia implendi moralia, iudicialia, ceremonialia, legem denique vniuerſam.

Explanatio.

Omnia legitima hæc.] Habent vim (*omnia*) & (*hæc*) vt deſignentur priùs enumerata, & nullum excipiatur; *quoniam qui dixit; non mœchaberis, dixit, & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis: Et quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus* [c]. Per legitima verò intelligimus cum Abulenſe, cuncta præceptorum genera: licèt חקים *chukkim*, קימיא *keiamaya*, δικαιώματα reſtringantur quandoque ad certum genus, præſertim ad ceremonias [d]: interdum [e] reddit Interpres mandata. Legitimum, ait Abulenſis, accipitur generaliter pro omni quod in lege ſcriptũ eſt, ſiue morale, ſiue iudiciale, propriiſſimè pro ceremoniali, quod eſt purè poſitiuum, & à ſola legiſlatoris intentione dependet; qualia ſunt ritus ſacrificiorum: iudiciale autem pendet magis à ratione. Illuſtrat hæc ex 5. [f] Ethicorum Ariſtotelis, vbi iuſtum legale, vt à merè naturali diſtinctum dicitur ſtare, in videri, vel non videri; vt ſacrificare vnam capram, vel duas oues: captiuus mina redimi; ſacrificare Braſidæ ob peculiaria beneficia ab eo collata: ſententiale, quod pertinet ad iura fori inter homines. Diſtinguit Philoſophus ciuile

c Iacobi 2. 10.11.
Legitima hic quid.
d v.17.20.
e v.2.
f c.7. vel 10.

A ius in naturale & legitimum: illud vbicumque eamdem vim habere: iſtud verùm hoc an illo modo fiat principiò non referre, vbi verò fuerit inſtitutum, referre, nec vniuſmodi apud diuerſos eſſe, quemadmodum nec eędem apud omnes menſuræ ſunt, nec reſpublica eadem. Græca nomina apud Ariſtotelem ſunt: τὸ πολιτικὸν δίκαιον, & huius partes τὸ φυσικὸν, & τὸ νομικὸν. Sed hoc loco nomen eſt, vt dixi, τῶν δικαιωμάτων, quod iuſtificationes interpretari ſolet editio noſtra. Iuriſconſulti vocant ius Gentium, quod Ariſtoteles naturale; quoniam naturali ratione introductum: ciuile & poſitiuum, quod ille legitimum: & vtrique legem opponunt naturæ, dicúntque legem B eſſe, quod eſt ex hominum inſtituto: prætermittitur autem ab Ariſtotele id quod alij vocant naturale: vtpote cùm ſit id quod natura omnia animalia docet; ac proinde non ſit propriè ius, quod propriè non cadit in bruta; quæ nec iniuriæ ſunt capacia [a]: quamuis καταχρηστικῶς Vlpianus [b], & Iuſtinianus [c] ius naturale iiſdem tribuant. Non eſt tamen abſolutè verum quod Suidas [d] refert de Archelao Phyſico τὸ δίκαιον καὶ αἰσχρὸν οὐ φύσει εἶναι, ἀλλὰ νόμῳ, *iuſtum & turpe non natura, ſed lege conſtitutum eſſe*. Verùm de his ſcholaſticè nos alibi. Vox autem loci noſtri Græca notiones alias habet, vt ſit δικαίωμα iuſtè factum, præſertim ἐπανόρθωμα ἀδικήματος, *correctio iniuſti facti*: præterea allegatum ſeu cauſæ præſidium, aliter δικαιολόγημα: C quæſtio iuris, ſeu conflictio, inſtrumentum litis, cautio ſiue cauſificatio: item iuſtificatio vt eſt idem quod condemnatio condemnandive ratio, καταδίκη, rationabiliſve occaſio, εὔλογος ἀφορμή, & iuſta ratio. Attingit Suidas hæc omnia ſignificata, & vt ſit idem quod præceptum legis, quippe δικαιοῦν τὸν κατορθοῦντα δυνάμενον. Docet ad hæc δικαιώματα eſſe idem quod νόμος, ἐντολαί, κρίματα: & dici νόμον legem quæ à Deo per Moſem data eſt: ἐντολάς mandata ſiue προστάγματα imperata, eamdem legem, ὡς βασιλικῶς ἐνταλθεῖσα καὶ προσταχθεῖσα, vt more regio mandatam & imperatam, ſeu mandata imperatáque continentem, δικαιώματα eo modo quem antea retuli, ὡς δικαιοῦν τὸν κατορθοῦντα δυνάμενα, vt quæ iuſtum reddere poſſint D illum qui rectè facit, nimirum legem perfectè ſeruando ac implendo: κρίματα iudicia ὡς τὰς θείας ψήφους ὑποδείκνυντα, καὶ τὰς ἀξίας ἀντιδόσεις τῶν ἐννόμως καὶ παρανόμως βιούντων, vt quæ diuina ſuffragia & iudicia demonſtrent, & dignas conuenientéſque remunerationes illorum, qui ſecundùm legem, aut contra legem vixerint: μαρτύρια teſtimonia ὡς διαμαρτυρόμενα καὶ ὑποδεικνύντα οἵαις ὑποβληθήσονται ποιναῖς οἱ ταῦτα παραβαίνοντες, vt quæ teſtentur & demonſtrent quibus ſubiicientur pœnis, ſeu quas ſubituri ſint pœnas illi, qui hæc Dei mandata violant. Placuit hæc ſemel ac ſimul ex Suida recitare, quamuis non vno loco alibi de his vocabulis egerimus. Apud Briſſonium E verò, & alios Lexicographos iuris, plura de legitimis ſignificationibus habentur, vt applicatur tanquam epithetum perſonis, rebus, actionibus, temporibus. Acceptionis noſtræ, ac præſertim pro ceremoniis, extant exempla aliis in locis [e]; & nonnumquam coniunctim dicitur verbum legitimum [f], vel præceptum [g]: aliquando [h] ſeorſim ponitur cum iudiciis, aut cum pacto, & teſtificationibus [i]: rurſus iungitur ſacrificiò, quod cognominatur legitimum [k]; & legatione legitima [l].

Et timeamus Dominum Deum noſtrum.] Græcè ſumpto nouo principio φοβεῖσθαι κύριον τὸν θεὸν ἡμῶν, timete

Ius Gentiũ, idem quod naturale apud Ariſt. Ciuile & poſitiuũ, quod illi legitimum.
a D.ſi quad. paup. fecisse dicat. l.1.§. Prætor.
b D.de iuſt. & iur.l.1.§. ius natural.
c Iuſtit.de iur.nat. in prin.
d verbo δικαίωμα.
e Exod.12. 24.c.28.43. c.30.21. Leu.6.18.c. 10.11.c.26. 29.34.c.17. 7.c.18.3. 26.c.20.23. c 23 21.31. Num. 20 8. c.18.8.23.c. 19.21.c.35. 29.3. Reg. 9 4.l.4.17. 15 27.Ezec. 46.14.Zach. 1.6. Malac. 3.7.1. Mac. 3.29.c.6. 59.l.2.11. 24.
f Exod.12. 24.
g Num.19. 21.
h 3.Reg.9. 4.
i 4.Reg.17. 35.
k Ezech.46. 14.
l 2. Macha. 4.11.

timete Dominum Deum nostrum.) Sed forsitan erat ôlim *τὸ φοβεῖσθαι* in infinitino, sicut est Hebraicè, atque Chaldaice לְיִרְאָה *leirah*, לְמִדְחַל *lemidchal*; ac in priore membro *ποιεῖν*, לַעֲשׂוֹת *labhasoth*, לְמֶעְבַּד *lemebhbad*. *Patres ergo* (ait Caietanus,) *debent instruere filios, quòd Deus ad hoc precepit quacumque pracepit, vt seruentur statuta timendo. Ad excludendum siquidem religionem fictam, qua homines, exteriorem cultum absque interno Dei timore, immò quandoque nihil credentes de diuina prouidentia, exercent, dicitur quòd Deus precepit seruari statuta legis, timendo fontem essendi (Iehouah) iudicem nostrum. Et in timore eo intelligitur omnis actus spectans ad internum cultum Dei; puta diligere Deum, confidere in Deo, & huiusmodi. Meminit autem potiùs timoris quàm dilectionis; quia timor Dei & communior, & prior, vt pote introductorius amoris, & congruus magis pueris atque adolescentibus est: timendo enim Deum, discunt amare illum.* Huc vsque Caietani verba: quibus alibi consentanea docuimus.

B

Vt benè sit nobis cunctis diebus vita nostra.] Duas vltimas voces adiecit editio nostra. Promissio autem spectat ad statum præsentis vitæ quantum ad prosperitatem secundùm diuitias, pacem, sanitatem, prolem, &c. Superstite adhuc Mose debellati erant Amalecitæ, Madianitæ, Amorrhæi, horúmque iam possessa terra, & diuisa. Ne timor Dei vacuus reputetur, aptissimè subiungitur, ait Caietanus, fructus eius in genere, dicendo (*in bonum nobis.*) Ac si apertiùs dixisset. Non indiget Deus bono aliquo, ob cuius indigentiam præceperit nobis hæc: sed præcepit facere hæc timendo ipsū propter bonum nostrum. Et statim subiungit bonum corporeum, dicendo (*vt viuamus sicut die ista*) hoc est, in opulentia terræ lacte & melle manantis. Sic ille; terram intelligens mox acquirendam.

C

Phrasis porrò hæc occurrit iam priùs aliquoties [a], & alibi, vt aliàs notatum est; lubetúrque apud Esaiam [b], vt dicatur iusto, quoniam benè; quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. In hac porrò nostra similibúsque sententiis (*vt*) accipitur consecutiuè, non finaliter, pro euentu, non pro intentione: quia non est Deo seruiendum vt benè sit nobis: quod esset non illum, sed amare semetipsum. Benè tamen est seruientibus Deo, & vult ille vt benè sit eis, dummodo intendamus per se amorem ipsius, præmium secundariò, & sic inclinemus cor ad faciendas iustificationes eius etiam propter retributionem [c].

a c.4.40.c.5.6.22.29.35.c.6.3.28.
b c.3.10.

D

c psl.118.112.

Sicut est hodie.] Iuxta editiones reliquas iungendo prioribus (*vt benè sit nobis cunctis diebus, vt viuamus sicut hac die.*) Aduerbium *hodie* denotat non præsentem præcisè dumtaxat diem, sed etiam tempus præsens cum quadam latitudine: vt omnia plura exempla demonstrant. Similius autem nostro est inferiùs in eodem [d] hoc libro; *sicut hodie comprobatur*: & in Esdra [e]; *Dedisti nobis salutem, sicut est hodie*: in Ecclesiastico [f]; *sicut & rex hodie est, & cras morietur*: in Daniele [g]; *nobis confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda*; & alibi. Dixi hac de re aliàs: conferúntque dicta paulò antè [h] de (*cras.*) Denique (*sicut est*) idem valet atque (*apparet*) vt hoc loco notat Sà noster, & in indice aliis exemplis [i]. R. Salomon exponit, & cum illo apostata Munsterus, כַּאֲשֶׁר אַתָּה רוֹאֶה הַיּוֹם *chaascer attah roeh haijom, vt tu videns*, nempe es, seu *vides, hodie*.

Hodie etiam pro tempore præsenti.
d c.10.15.c.29.28.
e l.1.c.9.13.
f c.10.12.
g c.9.7.

E

h v.20.
Sicut est, pro apparet.
i Ier.11.5.c.32.16.c.44.22.Baruc.1.15.c.2.6.26.Dan.9.7.

Vers.25.] Eritque nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis.

PRæter promissionem bonorum concedendorum, promissio quoque proponitur liberationis à malis atque miseriis, quod est magis proprium obiectum misericordiæ; dummodo, quod sæpiùs repetitur, seriò, sincerè, ex animo, omnia ad vnum, nullo prætermisso, diuina præcepta impleantur, prout Deus ipse velle se tam crebrò, & adeò disertè præcipiēdo, declarauit. Rickelius accipiens de misericordia vt versatur circa maximā miseriā peccati, salutémque animæ importat, considerat merita ipsa nostra esse Dei dona, quódque quidquid obsequij impendimus, ei tenemur: eiusdémque dignationem piam esse, quòd obsequia nostra tam defectuosa, & quæ panno menstruatæ assimilantur [a], acceptet; ita vt seruos nos inutiles dicere debeamus, & quod facere debuimus, fecere [b]; ac Deum cum omni humilitate, & feruore iugiter orare, vt nostram qualemcumque seruitutem piè acceptare dignetur, nósque misericorditer saluare, tueri, & indesinenter gubernare. Lyranus benè nobis esse in priore membro refert ad gratiam huius vitæ; misericordiam in isto ad gloriam futuræ. Videtur nihilominus litera-lis sensus esse de spectantibus ad præsentem vitam.

Paraphr.
a Es.64.6.
b Luc.17.10.

Eritque nostri misericors.] Græcè (*& eleemosyna, seu misericordia erit nobis, καὶ ἐλεημοσύνη ἔσται ἡμῖν*) Hebraicè (*& iustitia erit nobis*, וּצְדָקָה תִּהְיֶה לָּנוּ *vetsdakah tihiehlanu.*) Cuius lectionis faciens mentionem Abulensis, malè autem legens in nostra (*vestri*) vt nec rectè ex Hebræo Renatus Benedictus refert (*hac iustitia nostri*) explanat; nos erimus iusti faciendo Dei præcepta, non solùm bona tēporalia habebimus. Eumdem sensum tradunt qui sectantur Hebræa, Caietanus, Vatablus, Oleaster, &c. Vltimus autem ait taxari Lutheranos, qui opera negant ad iustificationem requiri: ex operibus tamen legis iustificationem esse à Paulo [c] negari, non solùm quia non plenè ac semper obseruabantur, sed etiam quoniam requirebatur fides Mediatoris: postremò seruandam legem vnicuique non ob temporalia, sed & vt iusti simus; quia magna præmij pars est, fieri iustum ex obseruantia legis. Posset adhuc exponi, quòd se Deus iustum exhiberet in præmiando & compensando suæ legis obseruationem. Quo pacto negat idē [d] Apostolus, iniustum Deum esse; vt obliuiscatur operis nostri, & dilectionis, &c. quoniam si non remuneraret, faceret contra fidem suæ promissionis: licèt ex suamet bonitate gratiáque, voluerit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona, vt loquitur, post Cælestinū Papam scribentem ad Episcopos Galliæ, Concilium Tridentinum [e]; siue intelligatur de operibus mortificatis, & semel extinctis per subsequens peccatum, sed iterum viuificatis per gratiam recuperatam; siue de operibus in gratia factis, & cum eadem perdurantibus. Fauet Latina translatio loci nostri ex Chaldæo וְזָכוּתָא *zechutha*, pro quo præmium ponit. Significatur tamen eodem nomine, sicut & Hebræo tū iustitia, tum misericordia, seu eleemosyna: secundámque acceptionem secuti sunt L X X. & Interpres noster. Alibi [f] docui eodē nomine ab Hebræis Chaldæísque iustitiam & misericordiam appellari, vt & inter צֶדֶק *tsedek* atque חֶסֶד *chesed* transpositis huius literis vt sit חֶדֶס *chedes* affinitas nonnulla est, ac interdum reddi per ἐλεημοσύνην & misericordiam. Ratio quædam iustitiæ exigit,

Explanatio.
Reprehenduntur Lutherani, negantes opera ad iustificationem requiri.
c Rom.3.20.28.
d Hebr.6.10.
e sess.6.c.16.
f in actum 33.5.in psl.34.24.in psl.35.11.in psl.118.40.in psl.144.7.

vt

vt cui suppetit communicet de suis rebus non habenti & egenti: exercitium eleemosynæ inter opera iustitiæ generalis eximium est: indicium est iustitiæ sanctitatisque, quoniam solent sancti misericordes esse, impiorum verò viscera crudelia [a]: disponit ad primam iustitiam de congruo, de condigno ad secundam hanc & conseruando & augendo: *misericordibus in iudicio tribuetur corona iustitiæ* [b]: suadit eam Daniel velut efficax remediū regi Nabuchodonosor [c], huicque similibus in malo obstinatis suaderi debet. In eodem sensu *δικαιοσύνην iustitiam* vsurpat Paulus [d] citans Psalmi [e] verba; *dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi*: vt ibidem obseruat Chrysostomus cæterique Græci, & Ambrosio attributus commentarius. Hic rationem reddit: quia iustus est, qui sibi soli non detinet, quod scit omnibus datum, & solem Dei omnibus oriri, Deum omnibus pluere, omnibus terram dare: & idcirco diuidit cum iis, qui copiam terræ non habent, ne beneficiis Dei priuati videantur. Christus [f] præcipiens vt attendamus, ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus, mox subdit; *cùm facis eleemosynam, noli tuba canere*: & Sapiens [g], *seminanti iustitiam merces*, inquit, *fidelis est*.

a Prou. 12. 10.
b Matth. 25. 35.
c Dan. 4. 24.
d 2. Cor. 9. 9. 10.
e psal. 111. 7. 8.
f Matth. 6. 1.
g Prou. 11. 18.

Si custodierimus, & fecerimus omnia præcepta eius.] Ex editionibus (*si custodierimus facere*, seu *ad faciendum omne præceptum hoc*, siue *omnia præcepta hæc*;) & Græcè (*omnia præcepta legis huius*, *πάσας τὰς ἐντολὰς τοῦ νόμου τούτου*.) Dicuntur Chaldaicè קִיָּמַיָּא *kesamaya*, Hebraicè numero singulari מִצְוָה *mitsuah*. Vnde intelligitur synonyma esse nomina pridem antè declarata, cùm hic vnico nomine omnia genera comprehendantur; & Chaldæum de ceremoniis alibi expositum fuerit.

Coram Domino Deo nostro.] Quod dixerat, inquit Caietanus, (*intimere*) siue (*ad timendum*) modò dicit (*coram Domino Deo nostro.*) Actus enim interni, soli Deo patent. Et pro eodem accipit seruare legem in timore Dei, & seruare legem coram Deo. Vtrumque enim dicitur, ad excludendum fictionem, ad damnandum externum cultum absque interno; iuxta illud; *Populus [a] hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Sic ipse Abulensis notat mutationem personæ, quia deberet dici (*coram eo*) cùm paulò antè dictum sit (*eritque nostri misericors*) & sic, inquit, frequenter fit mutatio in Scriptura, vt Psalmo 3. in versiculo vltimo, quia cùm loquitur in tertia persona, rursum conuertitur ad secundam; *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.* Addit tamen, quòd iuxta lectionem Hebræam in primo versus membro priùs recitatam (*erit nobis iustitia*) non est mutatio personæ. In versu 18. iubebatur populus facere quod placitum est, & bonum in conspectu Domini. Ibidem actum est de vi huiusmodi formularum, quidque sit, & quantum referat aliquid facere in conspectu Domini, in oculis eius, ante eum, coram eo, id est, vero corde, operéque, &c.

a Esa. 29. 13.

Sicut mandauit nobis.] Mandare, imperare, iubere, præcipere, iniungere synonymè vsurpantur ab Interprete; sed vltimum semel duntaxat [b], ac ferè iis respondet in editionibus aliis idem verbum: & nonnunquam simpliciter velle, aut optare, aut decernere citra propriè dictum præceptum.

Mandandi verbum.
b Deut. 24. 5.

ARGVMENTVM CAPITIS SEPTIMI.

Ne vererentur Hebræi priore capite tradita de Deo diligendo, colendóque præcepta seruare: sed potiùs animum ad id alacriter & seriò, sedulóque applicarent: certos reddit Moses de obtinenda ex habitatoribus promissæ terræ victoria, quorum corruptissimi mores erant: memores mirabilium quæ gesserat Deus in egressu de Ægypto. Sed simul cauet, omnem cum pessimis illis gentibus miri societatem, aut quidquam ex earum retinere idolis; verùm hæc penitus delere; illas autem prorsus interimere. Denique iubet vt præ oculis semper habeant electos à Deo se ac dilectos vt populum peculiarem: Deum verò pro ipsis pugnare, quamuis numero viribúsque vincantur ab hostibus, quia ipse fortis est, & omnipotens; fidelis in promissis; vindex malorum iustissimus. Remota sunt priùs quodammodo impedimenta amandi ac timendi Deum, prouenientia ex ipsismet Hebræis: remouentur nunc illa, inquit Abulensis, quæ proueniunt ex aduersariis: vt impietatem ipsorum non imitentur, illos non formident, eorum idola, quantumuis pretiosa, non concupiscant.

CAPVT SEPTIMVM.

1. CVm introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit Gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem Gentes multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te:

2. Tradideritque eos Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec miserebetis earum.

3. Neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo:

4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis: irascetúrque furor Domini, & delebit te citò.

5. Quin potiùs hæc facietis eis: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucósque succidite, & sculptilia comburite.

6. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.

7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores:

8. Sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris, eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes:

10. Et reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.

11. Custodi ergo præcepta & ceremonias atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie vt facias.

12. Si postquam audieris hæc iudicia, custodieris ea & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam iurauit patribus tuis:

13. Et diliget te ac multiplicabit, benedicétque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum super Terram, pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi.

14. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis.

15. Auferet Dominus à te omnem languorem: & infirmitates Ægypti pessimas, quas

quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

16. Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec seruies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

17. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ quàm ego, quo modo potero delere eas?

18. Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis:

19. Plagas maximàs, quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manúmque robustam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus; sic faciet cunctis populis, quos metuis.

20. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint.

21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis:

22. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.

23. Dabítque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.

24. Tradétque reges eorũ in manus tuas, & disperdes nomina eorũ sub cœlo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

25. Sculptilia eorũ igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui.

26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

Vers. 1.] Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit Gentes multas coram te: Hethæum, & Gergesæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes, multò maioris numeri, quàm tu es, & robustiores te.

PARAPHR. Hic se offert difficultas circa numerum septenarium Gentium, quas in terra promissa deleturum se pollicetur Deus: quoniam præter illas recensentur adhuc tres in Genesi [a], quas etiam delendas esse prædicitur Abrahá ab eodem Deo; videlicet Cinæorum, Cenezæorum, Cedmonæorum; quæ item nominantur ante alias: aliæ verò paulò aliter; nempe Hethæorum, Pherezæorum,

a c.15. 19. 20. 21.

Raphaim, Amorrhæorum, Chananæorum, Gergesæorum, Iebusæorũ. In actibus præterea Apostolorum [a] Paulus destructas ait Gentes septem in terra Chanaan, & sorte distributam terram eorũ Hebræis. In Exodo [b] promittitur terra Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Heuæi, Iebusæi: ibidem [c] recensentur Chananæus, Hethæus, Amorrhæus, Heuæus, Iebusæus: rursus eodem libro [d] nominantur hoc ordine, Amorrhæus, Hethæus, Pherezæus, Chananæus, Heuæus, Iebusæus: item [e] Chananæus, Amorrhæus, Hethæus, Pherezæus, Heuæus, Iebusæus: postremò Amorrhæus, Chananæus, Hethæus, Pherezæus, Heuæus, Iebusæus. In libri nostri c.20. [f] repetuntur eadem nomina, quæ hîc habentur, omisso Gergezæo. In libro Iosue [g] sunt Chananæus, Hethæus, Heuæus, Pherezæus, Gergezæus, Iebusæus, Amorrhæus: iterum [h] Hethæus, Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, Heuæus, Iebusæus; præterea [i] Chananæus, Amorrhæus, Hethæus, Pherezæus, Iebusæus, Heuæus: vel [k] Amorrhæus, Pherezæus, Chananæus, Hethæus, Gergesæus, Heuæus, Iebusæus. In libro Iudicum [l] Chananæus, Hethæus, Amorrhæus, Pherezæus, Heuæus, Iebusæus. In lib. 3. [m] Regum Amorrhæi, Hethæi, Pherezæi, Heuæi, Iebusæi, quos quia non potuerant filij Israël penitus exterminare, fecit Salomó tributarios. In 1. Esdræ [n] supererant adhuc ea Chananæis, Hethæis, Pherezæis, Iebusæis, Amorrhæis. In 2. [o] data scribitur Abrahæ terra Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Iebusæi, Gergesæi. In libro Iudith [p] prostrati narrãtur ab Hebræis reges Chananæus, Iebusæus, Pherezæus, Hethæus, Heuæus, Amorrhæus. Ex quibus locis intelligitur nec ordinem in istis seruari; nec semper eundem numerum poni: & semel Raphaim, quos aliqui volunt esse gigantes Amorrhæos, seu insigniores robore ac statura inter illos, vt ideirco forsitan distinctè memorentur [q]. (*Raphaim quoque & Amorrhæos,*) id est, etiam gigantes illos celebres, qui erant ea Amorrhæis. Videtur hoc Augustino [r] Torniello placere. Abulẽsis in Genesim [s] numerat vndecim gentes, exprimens etiam in textu Heuæos, licèt in commentario neget haberi in textu. Ystella hos ait subintelligi. Marzilla [t], & Salianus [u] noster eosdem volunt esse cum Raphaim. Masius [x] eum R. Nehemanni esse cognomen Heuæorũ, qui sic dicti sint à serpentibus qui habitant in cauernis, vt aliàs retuli c.2. Augustinus [y] iubet diligenter considerari septẽ gentes assiduè commemorari vt promissas; licèt in Genesi ponantur vndecim (Heuæos enim etiam ipse legit, prout extant quoque in editione Græca:) docet autem ibi prophetiã fuisse, quòd in eos fines regnũ fuerat porrecturus & dilataturus Salomon: promissionem de septem factam populo Hebræo ingressuro terrã promissionis, earúmque regiones occupaturo. Omittũtur aliquando Gergesæi tanquã ignobiliores, facileque sub aliis cõprehensi. Quare falluntur qui Gergesæos omissos asserunt c.9. [z] in enumeratione populorum terræ Chanaan, quod is Hebræis introeuntibus, vel etiã priusquam transirent Iordanem, cesserit. Nã eiusdem libri c.3. [aa] exprimuntur inter alios, quibuscum pugnandum erat. Lege Magalianum [bb] nostrum. Citatus Abulensis recenseri dicit in Genesi terras decem vndecimve, quas Deus assignauit non solùm Israëlitis, sed etiam Idumæis, Moabitis, Ammonitis: alibi sex aut septẽ, quatũ regiones Hebræis duntaxat. Verùm semini Abram omnes illæ promissæ sunt: nec Ammonitæ, Moabitæque censeri debuerunt ab Abulense ex semine Abrahã,

a c.13. 19.
b c.3. 17.
c c.13. 5.
d c.23. 23.
e c.33. 2.
f v. 17.
g c.3. 10.
h c.9. c.1. 12. 8.
i c.11. 3.
k c.24. 11.
l c.3. 5.
m c.9. 20. 21.
n c.9. 1.
o c.9. 8.
p c.5. 20.
q Gen. 15. 20. 21.
r annal. ann. 1931. n. 43.
s in c.15.
t ibidem & in Deut. 7.
u tom. 1. annal. an. 1932. n. 77.
x in Iosue 12. 4.
y q. 21. in Iosue.
z vers. 1.
aa v. 10.
bb in Ios. 9. sect. 1. annot. 1.

quia genus duxerunt ex Lot; cùm etiam Iſraëlitas ac Madianitas inter illos non computet, qui tamen progeniti erant ex veris filiis Abraham. Itaque omnes illas terras promiſſas Hebræi poſſediſſent ante Dauidis & Salomonis ætatem; niſi eorum obſtitiſſet improbitas. Philiſthæos autem licèt non de Chanaan, ſed de Meſraim deſcendentes, exterminauerunt, quia occupauerant terram olim ab Heuæis ablatam. Forſitan temporibus Moſis & Ioſue promiſſæ priùs Abrahamo gentes, redactæ ad ſeptem erant: vel ſeptem erant inſigniores, interque illas adhuc ſex aut quinque magis inſignes: vel ſeptem ponuntur, vt alibi, pro quadam vniuerſitate, próque populis omnibus quotquot incoluerint terram Chanaan; qui quidem modò decem, modò ſeptem, aut ſex, aut quinque fuerint: ita vt habita ratione diuerſi temporis, variatus legatur numerus. Sic ratiocinatur Torniellus [a]. Myſticè de his gentibus egimus alibi [b], & quo pacto capitalia ſeptem vitia commodè illis applicentur à Caſſiano [c], Magiſtro [d] ſententiarum, qui citat Chryſoſtomum & Gregorium; Antonino [e], Hugone [f], Michaele Aiguano [g], qui priùs vocabatur Incognitus; Prudentio [h], Adelmo [i]: ita vt aſſignetur auaritia Chananæo: Amorrhæo luxuria: Hethæo acedia: Pherezæo ſuperbia: Heuæo inuidia: Iebuſæo ignorantia: vel addito Gergeſæo, huic ſuperbia; Chananæo ira; Amorrhæo acedia; Hethæo inuidia; Pherezæo luxuria; Heuæo auaritia; Iebuſæo gula. Pendent hæc ex variis notationibus vocabulorum, quam variis locis in quibus occurrerunt, attuli. Vulgo Hethæus dicitur ſignificare abſciſſum; Gergeſæus eum qui eiicit colonum, vel aduenam propinquum: Amorrhæus triſtitiam, aut amarum, aut loquentem: Chananæus motum eorum, vel commotum: Pherezæus ſeparatum aut abſque muro: Heuæus feralem vel ferocem: Iebuſæus calcatum, aut præſepe eorum. Delectant me Prudentij verſus, nec piget hîc recitare, tametſi libro præcedente [k] nonnullos protulerim: deſcribit enim eleganter iſtarum bella gentium accommodatè ad mores.

a annal. an. 1931. n.41.
b Num. 13. 30. & pſ. 77. 55.
c coll. 5. c. 16. 17. 18. 19.
d 2. d. 42.
e 2. p. tit. 7. c. 2 §. 5. & 6.
f in pſ. 77.
g ibidem.
h hamartig. v 407. & ſeqq.
i de laude virgin. c. 6.
k c. 13. 30.

Heu quantis mortale genus premit improbus hoſtis
Armigeris! quanto ferrata ſatellite ductor
Bella gerit! quanta victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananæus, & agmina denſat
Caſſide terribilis; ſetarum pondera mento
Concutiens; dextrámque grauis cum cuſpide quaſſans.
Aſt alia de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhæi: tum millia Gergeſæorum
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt; configunt comminus illi,
Ecce Iebuſiaca feruent ad prælia turmæ,
Aurea tela quibus de ſanguine tincta draconis,
Mortifero ſplendore micant, radiántque, necántque:
Necnon terrificas pilis armare cateruas
Te Cethæe iuuat: ſed gens Ferezæa ſagittis
Inſultat virtute pari, ſed diſpare ferro.
Poſtremum cuneum rex promouet Eucorum;
Spumoſum thoraca gerens de pelle colubri.
His ſubnixa viris ſcelerum peruerſa poteſtas
Edomat inualidas mentes; quæ ſimplicitate
Indociles bellique rudes, ſub fœdere falſo
Triſtis amicitiæ, primùm ſocia agmina credunt,
Mammoneámque fidem, pacis ſub amore ſequuntur
Mox faciles ad vincla rapi, iuga dura volentes
Addictis ſubeunt ceruicibus, & nebuloſùm
Spirituum iuſſis ſeruire ferocibus optant.

Deinceps exempli cauſa inuehitur in auaros, ſuperbos, ambitioſos, & comparationem ſubiicit Babylonicæ, Ægyptiacæque ſeruitutis. Caſſianus [a], quem hoc loco Gloſſa, nomine ſuppreſſo, tranſcribit poſt Rabanum, Iſidorum, Bedam, cùm ſeptem gentes numerentur, maioris numeri dici notat quàm Hebræos, quia plura ſunt vitia, quàm virtutes: proindéque in expugnatione earum ſine numeri adſcriptione poni, quoniam hic ſcribitur (*& deleuerit gentes multas coram te.*) *Numeroſior enim eſt*, inquit, *quam Iſrael, carnalium paſſionum populus, qui de hoc ſeptenario fomite vitiorum, ac radice procedit.* Tum affert plura vitia in maiore numero ex octo principalibus vitiis orientia, ex gaſtrimargia, fornicatione, philargyria, ira, triſtitia, acedia, cenodoxia, ſuperbia. Omiſſa eſt inuidia; niſi ſub triſtitia comprehendatur: & cenodoxia cum ſuperbia computari poſſent pro vno vitio. Addit [b] ſeptem duntaxat gentes cenſeri, licèt vitia principalia ſint octo; quia egreſſis iam de Ægypto, & liberatis ab vna gente validiſſima, id eſt, Ægyptiorum, ſeu de ſæculi laqueis expeditos, Moyſes, vel per ipſum Dominus, in Deuteronomio, nempe hoc loco, indicauit, gaſtrimargiæ, id eſt, ventris vel gulæ vitio carere. Hoc pacto gaſtrimargiæ ſeu gulæ vitium non eſſet aptandum vni ex ſeptem gentibus Chanaan, ſed Ægyptiorum. Porrò Gregorius [c], quem imitantur priùs citati Patres, vitiorum & vitioſarum paſſionum numeroſitatem & multitudinem ſub ducum & exercitus nomine ac ſimilitudine expendit: & de inani gloria oriri docet alia ſeptem vitia; de inuidia quinque: de ira ſeptem: de triſtitia ſex: de auaritia ſeptem: de ventris ingluuie quinque: de luxuria ſeptem. Per inanem gloriam intelligi poteſt ſuperbia; vel ſi diſtinguuntur, ſuperbia ſeorſim poſita non eſt à Gregorio, tanquam omnium regina, communiſque mater vitiorum, ob generalem in omnia influxum: quia initium omnis peccati dicitur [d]. Petrus [e] Bongus numero ſepienario multitudinem ſignificari docens, vt idcircò dicantur gentes multæ, licèt nominentur ſolùm ſeptem; tradit etiam etymologias, vt Chananæus ſit poſſidens, Amorrhæus amarus; Gergeſæus colonum eiiciens; Iebuſæus calathos, Hethæus formidans; Heuæus ferus, Pherezæus ſeparans; poſſederat enim, inquit, mundum diabolus in amaritudine ſua, colonum paradiſi eiiciens; guſtum mortis in calatho malitiæ offerens, ne homo altiora peteret formidans; ſicque ſuaſu feritatis à Deo ſeparans. Obſtat autem alioquin huic interpretationi, quidquid ſit de aliis, quòd calathum Iebuſæus non valet, ſed calcatum. Rurſus Gloſſa in parte morali aſcribit Hethæo acediam, qui formidans, inquit, interpretatur; auaritiam Chananæo, qui commutans & poſſidens: ſuperbiam Gergeſæo, qui eiiciens colonum; inuidiam Amorrhæo, qui amarus: iram Heuæo, qui colligens lapides: gulam Iebuſæo, qui præſepe meum: luxuriam Pherezæo, qui diſſeminatio. Adelmus [f] principalia octo vitia & radices vitiorum duces bis quaternos eſſe ait; quibus Cerethi criminum, & Phelethi facinorum cum horrendo belli apparatu mancipantur: & gaſtrimargiam quidem ſuffocatam in mari rubro, ſeptem Chananæorum gentibus, quæ ceſſerunt Hebræis quamdiu Decalogi ſanctionibus non refragabantur, vitia cætera deſignari; quemadmodum Caſſianus, Gregoriúſque quos etiam citat, vt vidimus, docuerunt. Alios citatos conſule: ex quibus Antoninus numeri ſeptenarij peccatorum rationem reddit, citans

a coll. 5. c. 16 & 5. inſtit. c. 1.
b c. 18.
c 31. mor. c. 31. vel 17.
d Eccl. 10. 15.
e de myſt. num. de multitud.
f de laudib. virgin c. 5. & 6.

Aquino

Aquinatem [a]. Noster verò Iacobus Aluares in opere de exterminatione mali fecutus numerum octonarium vitiorum, de illis tractat [b]. Communiter septem tantum capitalia peccata dicuntur: vnde versiculus, citatus etiam ab Hostiense [c],

Dat septem vitia dictio saligia.

quoniam his septem litteris, quibus constat ea cōfieta dictio, indicansur, superbia, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, acedia. Ludouicus Fidelis Nesutius in opere de militia spirituali per aliquot capita libri primi, à c. 9. incipiens vsque ad 16. moraliter declarat Gergesæum de superbia: Amorrhæum de inuidia, Hethæum de iracundia; Chananæum de auaritia; Hethæum de pigritia, siue acedia; Iebusæum de gula; Pheresæum de luxuria.

Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus.] Græcè (*si autem ιαν δὲ*). Latinè in Bibliis Complutensibus, & Regiis (*cùm vero.*) Augustinus [d] (*& erit cùm induxerit te Dominus Deus tuus.*)

In terram quam possessurus ingrederis.] In iisdem codicibus Latinis (*ingrederis*) atque ita legit etiam Cassianus [e]. Omnia tempora recipiunt participia בא *bo*, & שלך *bhalel*: verbum verò Græcum *εισπορεύῃ* est præsentis temporis: omnésque editiones aliæ à nostra habent (*quam ingrederis illuc ad possidendum eam.* Augustinus [f] (*in quam intrabis hæreditare eam.*) Idem [g] verò colligit necessariam esse potestatem & auctoritatem in eos infideles, qui vt compescendi sunt. Cùm data, inquit, vobis fuerit terra in potestatem: prius ait in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt; aras eorum destruetis, &c. Vbi nobis non est data potestas, non facimus: vbi data est, non prætermittimus. Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis, numquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus vt idola in eorum cordibus confringamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos. Modò orandum est pro illis, non irascendum illis. Hoc modo ille; qua de re adhuc postea.

Et deleuerit gentes multas.] Eiicere significat נשל *nascal*, atque ירש *iarash*: & prius etiam euellere, aut eradicare, vt Oleaster notat: vt eiiciendo gentes plantaret Deus tanquam vineam [h] Hebræos. *auferre ἐξάρῃ*, legitque Augustinus [i] (*abstulerit.*) & præterea (*gentes magnas & multas*) prout etiam extat Græcè, *ἔθνη μεγάλα καὶ πολλά*. Quo pacto, per appositionem accipiendo septem nomina propria proximè sequentia, intelligi posset cum eodem Augustino [k], dici multas, licèt septem dumtaxat, id est, inquit, multitudinem habentes: quod nimirum est esse magnas: ac vtrumque per idem nomen רבים *rabbim* potest significari. Hac autem ratione non erit necessaria præsenti loco, acceptio septenarij pro vniuersitate seu multitudine: cùm exactè septem gentes recenseantur. Concedo nihilominus Petro [l] Bongo, quod aliàs quoque notaui, plerumque multa & multitudinem in scriptura deterius quid insinuare, accipique in peiorem partem. Admitto etiam sensum illum mysticum, quem prius attigi, de septem vitiis capitalibus, & quasi ducibus, quæ dicantur multa, quia plura sub se continent velut militum exercitus.

Coram te.] Iuxta reliquas editiones (*à facie tua*) vel, vt legit Augustinus [m] (*à conspectu tuo:*) vt scilicet eiectas videas ante te, & à te fugere, aut etiam vt cernas oculis tuis easdem de medio sol' ac exterminari. Emphasim habet hæc phrasis, & similes.

Hethæum.] Monui nihil referre quo ordine disponantur hi populi: de hoc autem tum quoad nomen, tum quoad sem, egi libro [a] præcedente. In ea gente ciuitas fuit Heth, ex qua Vrbs Hethæus [b]: & à cuius ciuibus sepulturæ locum Abraham emit [c].

Gergezæum.] Meliùs scribitur (*Gergesæum*) cùm S, vt in Bibliis Complutensibus, Regiis, & aliis: immò & alibi [d] in Sixtinis: est enim Hebraicè Chaldaicéque גרגשי *ghirgasi*,) Græcè *γεργεσαῖον*. Non est absolutè verum quod ait Hugo, hîc tantùm nominari hanc gentem: sempérque omitti, vbi fit mentio de his gentibus; vt antea docuimus. De hac gente nondum propriè egimus in aliis commentatiis. Putant Gergesæum inhabitasse Decapolim, vbi Gerasa porcorum præcipitatione [e] celebris *χώρα γεργεσηνῶν*; eratque litus orientale maris Galilææ: sed quod ab Amorrhæis gens ea oppressa esset, in vnam cum illis coaluisse, ac totam regionem nomine terræ Amorrhæorum, vel Basan contentam fuisse; vt idcirco sarior de Gergesæis mentio extet in sacris literis. Ciuitas in dicta regione fuit Gergesa, Getasa, Gerasis, Gatgasi; quæ sunt synonyma. Quare non est incertum, vt tamen scribit Tornielius [f], vbi habitauerint Gergesæi, & an sint iidem cum illis, qui memorantur in Euangelio [g] sub vocabulo Gerasenorum, quod Hieronymus [h] affirmat. Consule Salianum [i] nostrum.

Retuli priùs etymon, colonum, eiiciens, vel aduenam propinquum, siue propinquantem. Tradis hæc Hieronymus: additque Beda colonum applicantem, aut coloni applicationem.

Amorrhæum.] De hoc dictum sæpiùs; atque ad hunc pertinuisse totum terræ spatium, quod ab Og & Sehon regibus, qui toties nobis occurrerunt, possidebatur, licet pressiùs id nomen accipiendo, distinguantur Amorrhæi: aliquando reges Amorrhæorum dicantur, qui erant cis Iordanem [k]: immò & septem omnes gentes eodem isto nomine comprehendi videantur; vt cùm scribitur nondum completas iniquitates Amorrhæorum [l]: vel quando pes contumeliam patrem Hebræi populi Amorrhæum esse [m]. Lege hoc loco Abulensem [n].

Chananæum.] Expositum etiam aliàs hoc nomen. Populi auctor Chanaan fuit filius Cham, cui maledixit Noë [o] auus, latiùs patentis, & interdum Phœnicibus etiam nomen id communicatum [p], & Syrophœnissis [q] atque in contumeliâ vsurpatum, vt quando Daniel [r] dixit, *Semen Chanaan, & non Iuda.* Celebres erant mercatura Phœnices; vt proinde mulier illa fortis cingulum tradiderit Chananæo [s], id est, Phœnicio mercatori; vel absolutè cuilibet mercatori, qui Chananæus dicetur eo modo, quo quiuis campsos ab Hispanis dicitur Genuensis, quia Genuenses eo munere funguntur: & à כנע *chanahh* humiliare ac deprimere, quia depressum, humile, ac sordidum genus hominum tali munere fungi censebantur omnisque huiusmodi negotiatio. Peculiarites tamen inter gentes quasdam proprium nomen retinuis, quod erat commune à peculiari familia ipsius Chanaan, ac etiam lingua aliquo modo diuersa. Erat ea gens in introitu totius Chanaan trans Iordanem, ad orientalem plagam, versùs latus meridianum, habitans circa mare & fluenta Iordanis [t].

Et Pherezæum.] Nunc primum incidit nobis de isto nomine mentio, quod in Genesi, Exodo, aliisque posterioribus libris aliquoties habetur;

Marginal notes: a 1a 2. d. 42. q. 1. a. 3. & 5. q. de malo. a. 1. Adde 1. 2. q. 84. a. 3. & 4. — b l. 1. p. 2. — c summæ l. 5. de pœnit. & remiss. 10. §. Quæ autem. — Explanatio. — d q. 21. in Iosue. — e coll. 5. c. 19. & coll. 5. c. 16. — f suprà. — g in c. 6. de verb. Dom. c. vlt. — h ps. 79. 9. — i suprà. — k in locutionib. — l de myster. num. de multitud. — Multa & multitudo in peiorem partem accipi in Scriptura. — m q. 21 in Iosue. — Hethæi. — a c. 23. 30. — b Hier. in 1. Par. 11. — c Gen. 23. 16. — Gergezæi. — d Gen. 10. 16. c. 15. 21. Ios. 3. 10. c. 24. 11. 1. Par. 1. 14. 2. Esd. 9. 8. — e Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. — f annal. ann. 1931. n. 39. — g suprà. — h de locis Hebr. — i annal. ann. 1931. n. 75. & 76. — Amorrhæi. — k Ios. 5. 1. secūd. LXX. — l Gen. 15. 16. — m Ezec. 16. 3. — n q. 2. — Chananæi. — o Gen. 9. 25. — p Eze. 17. 4. — q Marc. 7. 26. — r c. 13. 56. — Phœnices. — s Prou. 31. 24. — t Num. 13. 30. — Pherezæi.

Hebraicè Chaldaicéque פְּרִזִּי *perizzi*, Græcè φερεζαῖος. Adrichomius in theatro suo Terræ sanctæ nullum Pherezæis assignat locum: cum Samaræis primis Sanatiæ habitatoribus confundit Peterius [a] noster: Masius [b] ait agreste hominum genus fuisse procul ab vrbibus degentium: cùm etiam פְּרָזוֹת *perazoth* loca non cincta muris vocentur: & פְּרָזִים *perazim* grassatores videantur ex rapto viuentes, sicque à viribus aut violentia vocari, quia פרז *paraz* reddi solet ἰσχύειν. Confirmari posset ex dictis de Raphaim, quod appellatiuè de gigantibus exponitur, non vt proprium certæ gentis nomen. At Scriptura satis præ se fert hoc nomine populum vnum aliquem significari, toties aggregans aliis populis Chananæorum, éstque de hoc opinio communis. In libri Iudicum exordio [c] tribum Simeonis alloquens tribus Iuda: *Ascende*, inquit, *mecum in sortem meam, & pugnemus contra Chananæum*. Et mox. *Ascenditque Iudas: & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum; & percusserunt in Bezec, decem millia virorum. Inueneruntque Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, & percusserunt Chananæum, & Pherezæum.* Vbi Chananæi accipiuntur pro peculiari populo, habitante in montanis; & non vt vox communis Pherezæis, aliísque sex populis Chananæitidis regionis. Potuit Pharez nomen viri proprium qui esset ex filiis Cham, ait Leonardus [d] Marius, cuidam populo appellationem dedisse; qui Pharez simili ratione nuncupatus fuerit, qua Phaleg, cuius Phaleg tempore linguæ diuisæ sunt: quia פלג *palag* diuidere significat: & פרז *paraz* idem, seu separare: atque separatur Pherezæus, vt antea ex aliorum sententia retulimus. Non id significat פרז *paraz*, sed פרס *paras*, vnde secta Pharisæorum, ad quod posterius attendunt, qui separatum diuisúmve interpretantur, in quibus etiam est Beda [e]. Cæterùm non ambigo Pherezæos certam quampiam gentem fuisse, quæcumque demum talis nominis ratio extiterit: & quamuis concedatur ex rusticanis, agrestibus, paganis, grassatoribus constitisse, quíve habitarent in locis non muratis. Oppidorum quæ non murata dicantur Hebraicè פְּרָזוֹת *perazoth*, in diuinis literis [f] exempla sunt; siue terræ absque muro [g]: item פְּרָזִי *perazi* vertit Interpres eodem modo [h]; פְּרָזִים *perazim* autem nunc [i] fortes, nunc bellatores [k]: quod fauet asserentibus Pherezæos fuisse grassatores; dummodo asseratur etiam quòd fuerit distincta quædam gens eiuscemodi hominum.

a Ezech. 38.11. Gen. 11.15. b in Ios. 17.15. c Iud. 1.3. d in Gen. 15. e de nom. Hebr. f Esther. 9.19. g Ezech. 38.11. Zach. 2.4. h Deut. 3.5. i Iud. 5.7. 11. k Abac. 3.14

Et Heuæum.] Lege de hoc populo dicta in c. 2.[l] & quo pacto cognomen Heuæorum nonnulli dicant esse Raphaim; atque Heuæos à serpentibus qui habitant in cauernis denominatos: & Rephaim etiam significare infestos, ac eos qui sub terra degunt: & Heuæos præterea iuxta etymon à חיה *chaiah* pro fera, feros fuisse; à חוה *chauah* villa, villanos, vt ita dicam, agrestes, inciuiles, inhumanos, &c.

Heuæi. l v. 23.

Iebusæi.

Et Iebusæum.] In priore libro declaratũ est hoc nomen, & populus ab eo appellatus, nimirum à Iebus vno filiorum Chanaan, & quo modo tandè tributarium sibi Salomon fecerit: & quòd etymologicè significet calcatum, & secundum aliquos præsepe; quod tamen אבוס *ebus* siue *ebus* dicitur, יבוסי *Iebusi* autem siue *Iebusi* à בוס *bus*, quod valet calcare & spernere.

Septem gentes.] De hoc numero priùs egimus. Isidorus, & Beda, Rabanus notant quòd decem gentes promisit Deus Abrahamo: Sed numero septem, qui hic ponitur & capitalis viria denotat, prout etiam antea dictum est, addito ternarium, quo designetur idololatria Gentium, blasphemia Iudæorum, error Hæreticorum; quibus ante notitiam Dei, & gratiam Baptismi, vel impia Gentiũ, vel blasphema Iudæorum multitudo subiecta est, donec in intellectuali Ægypto commoretur: si autem abrenuncians quis, & egressus exinde per gratiam Dei, ad eremum peruenerit spiritualem, de impugnatione trium gentium liberatus, contra septem tantùm, quæ per Moysen dinumerantur, bella suscipiet. Glossa, Hugo, Rickelius monent Abrahæ promissum [a] quòd decem deleren-tur, quia tunc decem erant: sed cùm filij Israël transirent Iordanem, iam tres deletæ erant; quoniam filij Lot deleuerunt gigantes; filij Esau Horræos, Cappadoces partem Heuæorum. Refellit Abulensis [b] aliquos Iudæos, dicentes quod Messias subiecturus sit Cedmonæos, Cinæos, Cenezæos, qui cum aliis septem gentibus recensentur in dicta promissione quæ facta est Abrahæ. Nam siue secundùm fidem nostram, inquit, siue secundùm errorem quem nunc ipsi habent, Messias omnibus dominaturus erat. Quare concludit deletos esse ab Idumæis, qui erant de filiis Abrahæ, cuius nepos erat Esau ex quo descendebant: & à Moabitis, atque Ammonitis, qui ex Lot filij fratris Abrahæ, in cuius gratiam fauit etiam illis Deus, & quodammodo etiam ad illius semen pertinebant. In cap. 2.[c] vidimus prohibitos Hebræos pugnare contra Idumæos, Moabitas, Ammonitas: licèt non contra Madianitas, qui tamen per Cethuram vxorem vnam Abrahæ, ex hoc quoque originem trahebant. Addit iisdem illis tribus populis alia nomina fuisse tempore Hebræorum, illa nimirum quæ eodem capite habētur, Horræorum, Emmim, & Zommim; sicut contingit aliis Gentibus, vt Troianis, qui nominantur præterea Dardanides, Troës, Teucri, &c. Denique ait promissionem præcipuam fuisse spiritualem de futuro Messia, & in solo semine Abrahæ compleтam [d]; carnalem potuisse communicari aliis. Transcripsit hæc omnia Marzilla nomen reticens, vt solet. Sed, vt antea docui cum Augustino [e], promissio facta Abrahæ complenda erat tempore Salomonis; quæ nisi Hebræorum peccata obstitissent, completa priùs fuisset.

a Gen. 15. 19. 20. 21. b q 1. c v. 5. d Gal. 3.14. e q. 21. in Iosue.

Multo maioris numeri, quàm tu es.] Hebraicè רַבִּים *rabbim*, Chaldaicè סגיאין *sagghy*, *multos*, vel *magnos*, nempe populos, seu *multas* aut *magnas gentes*: quæ duo epitheta repetuntur Græcè, quemadmodum priùs, ἔθνη μεγάλα καὶ πολλά, legitque Augustinus [f], *magnas & multas*. Non est intelligendum, ait Abulensis, quod quælibet illarum Gentium esset maior quàm Israelitæ; quia tunc non indigerent nisi terra viuus, vel duarum; sed quòd simul omnes: cùm etiam non acceperint simul omnes terras earum; quas nec incolere tam citò potuissent [g].

f supr. g infrà v. 22. Exod. 23. 29. 30.

Et robustiores te.] Græcè καὶ ἰσχυρότερα ὑμῶν, nempe ἔθνη, *& gentes robustiores vobis*, aut apud Augustinum [h] *fortiores vobis*. In priore membro comparatio non erat in ea editione; sed solùm ἔθνη μεγάλα καὶ πολλά, *gentes magnas & multas*; in Hebræa & Chaldæa cum secundæ personæ numero singulari, sicut & in Latina ממך *mimmecha*, ממך *mimmach*. Difficile creditu est, quod Abulensis docet, quemlibet de gentibus Chananæorum fuisse fortiorē, quàm quẽlibet de Israëlitis, quia hi nati fuerāt in Ægypto, & in desertis Arabiæ, quæ est terra multùm calida & meridiana; Chanaan verò in tertio climate

h supr.

climate temperatior: ita vt miraculum fuerit, quòd Hebræi vincerent Chananæorũ populos septem. Agnosco diuinam, singularem eximiamque vim in eiusmodi victoria; nec nego à toto genere robustiores fuisse Chananæos: de quolibet collato cum quolibet nulla ratio suadet, neque dubitandum, quin plurimi extiterint ex Hebræis magis robusti, ac strenui. De mystico sensu hostium inuisibilium, antea dixi: quòd numero ac robore sint superiores, & vitia plura, quàm virtutes. Hugo obseruat, scribi [a] quòd non est potestas sub cœlo, quæ valeat comparari diabolo: & tamen quòd liberat Deus pauperem à potente [b], id est, ab eodem diabolo: sed, vt notauit Glossa, diabolum peccata hominum, non sua virtus potentem facit; debilisque hostis est, qui non potest vincere, nisi volentem; ita vt dicant dæmones animæ [c], *incurvare vt transeamus*. Verùm in homine duo sunt; ait Hugo, natura & voluntas. Diabolus si permittitur; potest supra naturam hominis, sed non super voluntatem; quia homo nisi volens non potest vinci à diabolo. Potest etiam super hominem, si sibi relinquatur; sed non potest super hominem, cum quo est gratia Dei.

Sensus mysticus hostium inuisibiliũ.

a Iob 41. 24.
b Ps. 71. 12.
c Esa. 51. 23.

Vers. 2.] Tradideritque eos Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsque ad internecionem. Non inibis cùm eis fœdus, nec misereberis earum.

PARAPHR. Hic sequentibúsque versibus præscribuntur siue conditiones, siue leges circa tradendas Gentes septem in potestatem Hebræorum; vt Hebræi funditus eas delerent, non admisso vllo fœdere, vel tributo; longè autem minùs iungendo matrimonia: sed vt euerterent atque comminuerent, & comburerent quidquid ad idololatriam pertinebat. Corruptissimi erant illarum Gentium mores & execratissimi, vt eas idcirco terra, quam sic polluerant, euomuerit [d]. Canendum ergo, ait Moses, diligentissimè tum his, tum alibi [e], & Iosue [f], ne illas Hebræi imitentur, si velint earum terra potiri; immò si ipsimet salui esse, & non simili pœna puniri. Similis præsenti prohibitio extat in Exodo [g]: *non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum: non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum; quòd tibi certè erit in scandalum. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulachra eorum, vocet te quispiam vt comedas de immolatis.* Sequenti etiam de connubiis cauendis pat ibidem [h] lex habetur, de qua postea. Sed & in loco flentium siue lacrymarum Angelus exprobrauit populo quòd fœdus iniissent cum alienigenis, nec aras eorum subuertissent [i]. Qui de bello disputant, quærunt quod sit ius eius, dum videlicet iustum est, siue quantùmque liceat in bello iusto, vel defensiuo, vel offensiuo; & quousque progredi possit qui bellum iustè indicit, in damnis inferendis contra hostes, & antequam geratur, & cùm geritur, & postquam gestum est. In genere loquendo fieri possunt in eo bello quæcumque necessaria sunt ad boni publici defensionem; ac proinde capi aut recuperari res perditæ; occupari ex bonis hostium impensa belli, ac omnia damna iniustè ab hostibus illata: ad pacem & securitatem, arces euerti, si sit opus, aliæ in eorumdem regione erigi: parta victoria recuperatisque rebus, obsides exigi, naues, arma, pecuniæ, alia necessaria, vt hostes in officio ac fide contineantur, & periculo futuro prospiciatur: præterea iniuria vindicari, & puniri. Etsi verò per se nefas sit, ac ex proposito, & intentione necare innocentes, aut lædere; quales infantes, ac plerúmque fœminæ; & quando bellum est inter Christianos, vt plurimum etiam, agricolæ, togati, clerici, religiosi, tamen indirectè, & per accidens, inuolui possunt, quando scilicet obtineri necessaria victoria nequit alia ratione. Solus Deus absolutus omnium Dominus imperate potest innocentum cum nocentibus cædem, vt contigit in Iericho sub Iosue [a], & in Amalec sub Saüle [b]: quod ipsemet Deus in Pentapoli fecit [c], in qua non deerant innocentes saltem pueri, quemadmodum & in diluuio [d]. Non potest id sibi homo vsurpare, nec si quidem vereatur ne pueri in ætate matura infesti futuri sint. Nam pro peccato futuro per se nemo punitur: nec laudati Athenienses quòd puerum dum cornicum confixisset oculos deprehensum capitis damnarunt, quamuis ea pueri videretur actio atrox sæuáque quasi animum ad peiora scelera paratum futurum portendetent [e]. Iam si bellum sit dumtaxat defensiuum, inferri tantum hostibus damni potest, quantum sufficit ad defensionem, recuperationémque suarum rerum: si aggressiuum, omnia damna in bonis mobilibus & immobilibus, in personis aut capiendis, &, si Christianæ non sint, seruituti subiiciendis, aut occidendis, atque in aliis, vsque ad plenam satisfactionem, compensationem, adæquationem, quantum requirit tranquillitas securitásque communis: immò si quando ira expediat, potest locus hostilis prædæ exponi. De ipso actuali conflictu prælij, necnon in oppugnatione, defensione cuiuspiam loci, possunt indiscriminatim omnes qui contrà pugnant, occidi, necnon quamdiu res est in periculo: quando iam abest periculum possunt adhuc interfici nocentes in vindictam; sed quantum humanitas & æquitas patitur, vt Cicero [f] loquitur; ne verum sit quòd

g Excessit medicina modum.

In cap. 20. [h] libri nostri, ex aliorum locorum habitatoribus, qui oblatum fœdus tenuerint, præcipitur percuti omne quod est generis masculini, exceptis infantibus: ex Hethæis, Amorrhæis, Chananæis, Pherezæis, Heuæis, Iebusæis (quibus Gergesæi adiecti intelliguntur) omnino omnes: nimirum quia Deus omnium vitæ Dominus est; quod ad nocentes pertinet, propter periculum superstitiosæ religionis. Cui non dissimilis causa infidelium, & hæreticorum; à quibus æqua, certáque pax nullis conditionibus sperati vix solet, aut potest. Ad eumdem hunc locum de non ineundo fœdere ab Hebræis cum dictis gentibus Chananæorum, reuocari quæstio potest, an liceat Catholicis iustum bellum habentibus aduersùs Catholicos, infidelium vti præsidio, copiísque, vt Maurorum, Turcarum, Hæreticorum. Cum Romanis Machabæi fœdera constituerant [i] ea conditione, vt mutuò se in pugna iuuarent. Martinus militauit sub Iuliano, Sebastianus sub Diocletiano, & legiones Christianæ integræ sub aliis Imperatoribus vt Fulminatrix, ac Thebæa: idque in vniuersum fas esse est in decretis [k]. Alia ex parte hoc nomine Asa regem reprehendit Scriptura [l], quòd ad suppetias euocasset regem Syriæ; & Iosaphat, quia præbuisset auxi

d Leuit. 18. 27. 28.
e ibid. v. 25.
f Iosue 23. 11 & seq.
g c. 23. 32. 33. c. 34. 15.
h c. 34. 16.
i Iudic. 2. & seqq.

a Iosue 6. 17.
b 1. Reg. 15. 3.
c Gene. 19. 24 & seqq.
d Gen. 6. 13. 17. cap. 7. 4. 21. 22. 23.
e Cice. ora. pro Murena, & ora. pro Flacco.
f 3. de offic.
g Lucan. 2. Pharsal.
h vers. 10. & seqq.
An Catholico aduersùs Catholicum præsidio infideliũ vti in bello liceat.
i 1. Mach. 8. & 12. & 14. & 15.
k 11. q. 3. c. Iulianus.
l 2. Par. 16.

auxiliũ impio regi Achab [a]. Rupertus [b] & alij putant Machabæos ob dictum fœdus cũ Romanis, morte violenta petire permissos diuinitus; licèt si quid pulueris inde cõtraxerunt, cita illa morte deletũ sit. Longe cõmunior ac verior opinio cõtraria; neć vllo modo Scriptura innuit ab iis ea in re peccatum: & Ioannes Hircanus tali morte non periit, qui tamen fœdus idem à patre patruísque ictum confirmauit [c]. Nota sunt nec illaudata fœdera Abraham cum regibus Chananæis [d], & cum Abimelech rege Palæstinorum [e]; Isaac cum iisdem [f]; Iacob cum Laban [g]; Dauid cum Naas rege Ammonitarum [h], & Achis rege Geth [i]; Asa cum Benadab rege Damasci [k], & aliis. Lege Torniellum [l]. Pepercit quóque Iosue meretrici Rahab [m], & homo Chananæus impunè abire permissus est, qui ostium vrbis Luza docuerat Hebræos [n]. Si non obstet aliud, nec alia se via defendere Catholici queant, iniuriámve vindicare, talibus vti armis possunt, sicque quod ius permittit naturæ, vi vim repellere. Paolus Cæsarem appellauit, milítésque ad sui defensionem petiit [o]. Abraham regi Sodomorum opem tulit [p]; vicissim ab eodem sine dubio, si eguisset, postulaturus: Dauid regi Achis [q]: Ionathas Machabæos Demetrio [r]. Carolus Imp. V. de Theologorum consilio existimauit Lutherano milite vti contra regem Gallorum posse. Hoc quóque tempore fœdus Hispanorum cum Anglis hæreticis, & Catholicorum aliorum cum aliis infidelibus non improbantur. Citra necessitatem, vel ob graue scandalum periculúmve religionis, id nefas est: quibus de causis duo illi Asa, Iosaphátque reprehensi videntur. Nam responsum habebant Iudæi sibi Deum adesse: cedebat in iniuriam Dei auxilium præbitum impio Achab, hísque qui oderant Dominum amicitia coniungi. Dauid tutus erat in regnum Israël, nec ita commodè tueri se aduersùs persequentem Saol valebat. Tractat ex professo Ioannes de Neapoli in quæstione 38. ex variis editis Neapoli anno 1618. post annos 311. vtrùm rex fidelis Christianus pro defensione iusta reipublicæ in defectu gentis armigerorum fidelium, possit & debeat secundùm Christianam religionem vti infidelibus, vt Saracenis stipendiatiis, &c. Ibi doctè sanè eadem ferè ab eo tradi reperi, quæ hactenus dixi, priusquam in illius lectionem incidissem. Docet verò vbi hoc esset prohibitum à Deo vel ab Ecclesia, sicut fuisse ait hoc loco filiis Israël, non esse licitum. Intelligendum est si absit necessitas, atque ita vt simul plus in diuino confidatur auxilio, quàm in humano. Tropologicè autem inhibitum est omne fœdus cum vitiis, vt infert Augustinus [s], cùm ea per gratiam Baptismi (idémque de Pœnitentiæ sacramento est) à nobis expulsa esse credamus, ne fiant nobis in ruinam, frustráque videamur percussisse fœdus cum morte, & cum inferno fecisse pactum, & à flagello immunes esse [t]. Docemur etiam vitare quantum possumus improborum societatem & commercium. Isai mittens Dauid filium in castra iussit vt eò currens fratres visitaret si rectè agerent, & cum quibus ordinati essent, disceret [u]. Referre videlicet sciebat quo militantes vterentur commilitonum consortio.

a cap. 19. b 10 de victoria verbi Dei cap. vlt. c Ioseph. 13. antiq. c. 17. 1. de bello. c. 2. d Gene. 14. 13. e c. 21. 22. f cap. 26. & seqq. g c. 31. 44. & seqq. h 2 Reg. 10 1. i lib. 1. 27. k lib. 3. 15. 18. 19. l annal. an. 3593. n. 10. m Ios. 6. 25. n Iud. 1. 25. o Act. 25. & habetur 23. q. c. 2. §. ne ab aliquo. p Gene. 14. 13. & seqq. q 1. Reg. 28. & 29. r 1. Macha. 11. 23. & seqq. s serm. 51. de temp. t Esa. 28. 15. 18. u 1. Reg. 17. 17. 18.

Explanatio. *Tradideritque Dominus Deus tuus tibi.*] Hebraicè, Chaldaicéque (*ante faciem tuam*, seu *in conspectu tuo*, siue *coram te*, לְפָנֶיךָ *lephanecha*, קֳדָמָךְ *kodamach*) Græcè (*in manus tuas*, vt etiam legit Augustinus [x], εἰς τὰς χεῖρας σε.) id est, vidente te, nimò manibus tuis illos comprehendente.

x q. 11. in Iosue.

Percuties eas vsque ad internecionẽ.] In editionibus aliis *percuties, perdendo perdes*, seu *anathematizando anathematizabis*: aut *cõsumptione consumes*, aut *deletione delebis eos*. Hebr. sũt החרם תחרים אתם והכיתם *vehiccitham hacharem thacharim otham*: est enim חרם *cherem*, anathema, cùm quid penitus destruitur in honorem Dei; licèt aliàs sumatur anathema pro dono, quod appenditur Deo. Consumere & consumptionem significant Chaldæa גמרא תגמר *gammara thegammar*: Græca ἀφανισμῷ ἀφανιεῖς, *deletione delebis*, vel, vt Augustinus [a] legit, *exterminio exterminabis*. Vox internecionis iam priùs occurrit cap. 3. [b] & libro priore [c]. Excipit autem ab hoc præcepto Leonardus Marius; nisi vellet quis religioni Hebræorum adiungi: eo enim casu parci potuisse: aut si peculiari beneficio vitam impetrasset. Prior id subnotauerat Rickelius: eáque annotatio valet pro sequentibus membris de fœdere & connubio, vbi asserenda exempla Rahab & aliorum.

a supra. b vers. 3. c c. 17. 13. c. 21. 35.

Non inibis cum eis fœdus.] Iuxta vim editionum aliarum diceremus (*non fœderabis eis aut ad eos fœdus, non pacisceris pactum, non dispones dispositionem*, vel *testamentum*, vt legit Augustinus [d], לא תכרת להם ברית *lo thichroth lahem berith*, οὐ διαθήσῃ πρὸς αὐτοὺς διαθήκην. In his est perfecta paronomasia: in aliis non tanta. Chaldæum autem verbum & nomen caret ista paronomasia, לא תגזר להון קים *lo thegzar lehon keiam*. Docuit alibi fœdus, pactum, testamentum synonymè in Scripturis accipi: licèt nonnulla inter ea distinctio agnosci possit, velíntque [e] nonnulli fœdus à fœdo animali, hoc est, à porca dici, quia

[f] *Cæsa iungebant fœdera porca.*

(initium námque immolandi sumptum à pecore suillo, inquit Varro [g], & σῦν quasi θῦν à θύω *sacrifico*, deriuant [h], qui dicitur sus, vel thysus, nisi mendum sit in Varrone pro thys.) vel quia in fœdere interponatur fides: vel rursus [i] ab hœdo seu hirco, quem veteres in veteri significatione ponebant. Restringit Lyranus & Marzilla prohibitionis sensum, ne remanere sinantur ad hoc vt tributum pendant. Rickelius extendit ad amicitiam, ac proinde ad ea quæ cum illa coniunguntur. Abulensis interpretatur & de tributo, & de quacumque alia conditione. Subiugatis quidem imponi tributum solet cum fœdere: non tamen à quibuscumque confœderatis exigitur, quamuis plerumque munera inter se nonnumquam largiantur; vt olim Romanis Iudæi sub Machabæis clypeum aureum [k], Demetrio regi coronam auream & [l] bahem; & aliis alij, vt historiæ testantur, vt de Antiocho Liuius [m], & Ptolomæo [n]; Appianus [o] de Demetrio, Cicero [p] de aliis.

d supra. *Fœdus, pactum, testamentum pro vno eodémque sumi.* e Festus & Isidor. 18. etym. cap. 1. f Virgil. Æne. 8. g de re rust. lib 2. h Athen. li. 9. cap. 14. Clem. Alex. lib. 7. i Isido. 10. etym. lit. F. k 1. Mach. 14. 24. c. 15. 18 20. l ibid. c. 13. 36. 37. m lib 42. n lib. 36. o lib. 38. p Verr. 6.

Nec misereberis eorum.] Græcus textus licèt ἔθνη posuerit priore versu neutro genere, deinceps vsurpauit pronomen masculinum, quod refertur ad ἀνθρώπους; καὶ παραδώσει αὐτοὺς, *& tradiderit eos*: πατάξεις αὐτοὺς, *percuties eos*: ἀφανισμῷ ἀφανιεῖς αὐτοὺς, *deletione delebis eos*: οὐ διαθήσῃ πρὸς αὐτοὺς διαθήκην, *non dispones ad eos dispositionem*, seu *pactum, testamentum, fœdus*: atque nunc, οὐδ᾽ μὴ ἐλεήσῃς αὐτοὺς, *neque misereberis eorum*. Misericordiam negandam Marzilla, Rickelius, Abulensis, Lyranus accipiunt, vt non dimittantur abire cum sola vita; ne postea concitent alias nationes, inquit Abulensis, contra Israëlitas: & quia

mru

iam meruerant mortem; nec fuisset hæc vera misericordia, sed praua mollities, ait Rickelius, & vitiosa remissio contraria Dei præcepto: velut si quis latronem morti adiudicatum velit eripere. *Qui dimittit virum dignum morte, erit anima eius pro anima illius, & populus eius pro populo* [a] *illius*; reprobatusque Saul est, quia pepercit Agag regi Amalec [b], siue id fecerit ex superbia, vt triumpharet [c]; siue ex auaritia, vt thesauros expiscaretur [d]; siue ex intempestiua misericordia & pietate [e]: siue ob corporis simul eius præstantiam ac fortunæ regiæ similitudinem [f]; siue quòd ille in obsidione, vitam pactus deditionem fecisset; siue vt quid circa eum facto opus esset, cum Samuele decerneret [g]. Oportebat stultum intelligere, ait Theodoretus, vnam guttam diuinæ benignitatis & clementiæ vincere omnem hominum bonitatem. Sed infelix, cùm Deus iussisset punire, misertus est: & cùm Deus morte damnasset, ipse, vt existimauit, vitam tribuit. Vera vaticinatio Balaam [h]; *tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius.*

a 3 Reg. 20. 42. b 1. Reg. 15. 9 & seqq. c Greg. lib. 6. in 1 Reg. d Lyra ibid. e Abul. ibid. q. 17. Theo. q. 34. Rick. in 1 Reg. 15. Sera. ib. Salia. anno 2965. n. 15. 19. f Ioseph. 6. antiq. c. 8. g Idem Ioseph. h Num. 24. 7.

Vers. 3.] Neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo:

Vers. 4.] Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Diis alienis; irascetúrque furor Domini, & delebit te citò.

Paraphr.

VT multò meliùs commodiúsque præceptum illud primarium obseruaretur de Deo summè diligendo & colendo, ac de idololatria vitanda, præter amicitiam & fœdera cum idololatris, prohibentur seuerissimè connubia cũ iisdem, nimirum sub interminatione indignationis atque furoris diuini, citò præuaricantes deleturi. Obiecerunt Samsoni parentes hanc legem, poscenti sibi de Philisthæis vxorem, licèt demum annuerint, edocti de diuino consilio, vt sic ipsimet Philisthæi punirentur [i], siue ab ipsomet filio per signum aliquod probationémque conuenientem, siue ab Angelo rursus apparente. Quòd autem legis auctore fit, contra legem non censetur; quæ lex habetur etiam in Exodo [k]: & ob eius violationem Salomon reprehensus est, vtpote ex tali occasione in idololatriam lapsus [l]. Esdræ quoque dixit Sechenias, præuaricatos Hebræos in Deum, quòd duxissent vxores alienigenas de populis terræ; proinde pœnitendum; & proiiciendas illas, eósque qui de illis nati essent, curandúmque vt iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timerent præceptum eius, atque secundùm legem fieret [m]: quod Esdras approbauit & iniunxit [n], ac reipsa executioni mandatum est [o]: Nehemias item, qui tales vxores duxissent, acerrimè increpauit [p], immò cecidit quosdam ex eis, & declarauit [q], allato adhuc exemplo Salomonis, de quo dixi. Huc facit illud Apostoli [r]; *Nolite iugum ducere cum infidelibus*; & apud Malachiam [s] Deus conqueritur pactum patrum despectum, & abominationem factam in Israël & in Ierusalem, quoniam contaminauerat Iudas sanctificationem Domini quam dilexerat, & habuerat filiam Dei alieni: apud Oseam [t], *in Domino præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt*, Chaldaicè *filios de filiabus Gentium sibi statuerunt*. Alioqui per se malum non est iungi matrimonio alieni & diuersi cultus coniuges, siue cultus sit Christiani seu baptizati, sed hæretici, siue cuiusuis alterius non baptizati: sed solùm ratione scandali, aut periculi, ne alter coniugum subuertatur, & proles, aliíve qui ex illis pendeant; & ne ob eiusmodi diuersitatẽ perpetua discordia coniugum meritò timeatur: atque impediatur fidelis ab exercitio suæ religionis. Contra verò ex ea coniunctione si desint dicta incommoda, aut mutali quadam certitudine defutura sperentur, oriri possunt magna bona, vt pacis inter principes, ac regna; & conuersionis tum alterius coniugis; tum prolis inde susceptæ in religione educandæ; tum totius alicuius prouinciæ regníve ad eam reuocandi, vel adducendi. De validitate matrimonij vt est sacramentum, conuenit inter omnes, verum ac ratum esse Catholici cũ hæretica, vicéque versa; & hæreticorum inuicem, si seruentur necessaria Sacramento; non autem Christiani siue baptizati cum omnino infideli, seu non baptizata, etiam catechumena, vel fictè baptizata, vt nec huius cum illo. Vnde sequitur iure diuino nec naturali, nec positiuo prohiberi & irritari tale matrimonium cum infideli; sed tantùm positiuo ecclesiastico: diuino autem prohiberi dumtaxat propter dicta pericula; propter quæ Paulus [a] iubet nubere tantùm in Domino. Labao Ethnici filiabus Iacob matrimonio iunctus [b] est; Ioseph Ægyptiæ filiæ Putipharis [c]; Moses Æthiopissæ filiæ Iethro [d], Salmon Rahab [e]; Booz Ruth [f]; Dina filio Hemor [g]; Esther Assuero [h]; Dauid filiæ regis Gessur [i]; Salomon filiæ Pharaonis [k], quod in eo nullus reprehendit, præter Theodoretum [l], quem noster confutat Pineda [m]. In Hebræo autem catalogo negatiuorum præceptorum vbi recitatur istud quod hîc habetur, exceptio additur de Rahab, quæ in Hebraismum recepta est, ex alia verò natione quàm ex septem hîc etiam numeratis erat. In lege quoque noua talia matrimonia extitisse, testes Hieronymus [n], & Augustinus [o]; Augustiníque mater Monica Patritio pagano nupsit [p]; Clotildis Clodoueo, &c. quamuis reprehenderentur non quidem vt irrita, sed certè vt mala: nisi fortè ignorantia excusaret, vel introducta consuetudo. Denique præceptum de qualitate contrahentium matrimonium neque ad fidem pertinet, neque ad Sacramenti susceptionem, de quo solùm duplici rerum genere in lege noua ius diuinum extat; sed ad contractum naturalem; quem Christus eleuauit ad rationem & esse Sacramenti. Cæterùm, licèt nullus textus proferri possit apertè irritans, vt patet legenti canones [q]; ex quibus etiam aliqui [*] eodem tenore agunt de matrimonio fidelis cum hæretica; quod certum est validè contrahi [r]: tamen receptissimus Ecclesiæ vsus & intelligentia, necnon continuata semper iam inde ab Apostolis traditio, vim legis habet. Quod autem recitauimus ex libris Esdræ, de irritatis eiusmodi matrimoniis, iudiciale præceptum fuit: & quidem quantum ad infideles solùm incolas Chanaan: tam qui aliunde illuc migrauerant, vt Ægyptij in eadem historia [t], præceptóque nominati; quàm qui ex ipsamet regione oriundi: iudicialia verò præcepta morte Christi expirarunt. Nec improbabile tamen est, quod ait Pineda [u] noster, vetitum Iudæis connubium cum qualiber alienæ gentis religionísve fœmina; quamuis magis apertè ac sæpiùs de Chananæis, quia

i Iudic. 14. 1. & seqq. k c. 34. 16. l 3 Reg 11. 8. 1. 2. Esd. 13. m 1. Esd. 10. 3. n vers. 10. 11. o vers. 14. & seqq. p 2 Esdr. 13. 23 & seqq. q 1. Paral. 29. 4. r 2. Cor. 6. 4. s c. 2. 11. t cap. 5. 7.

Matrimonium Catholici cum hæretica, vicéque versa, & hæreticorum inuicem. Item Christiani cum omnino infideli.

a 1. Cor. 7. 39. b Gene. 29. toto. c c. 41. 45. d Exo. 2. 21. e Matt. 1. 5. f vers. 4. g Gen. 34. 14. h Esther. 2. 17 18. i 2 Reg. 3. 3. k 3. Reg 3. 1. l in li. Reg. q. 35. m 7. de rebus Salom. c. 4. n 1. contra Iouinian. o de fide & operib. cap. 19. p August 9. confess. c. 9. q c. 28 q. 1. caue, c. non oportet. c. si quis Iudaicæ. c. Iudæi. r c. caue. c. non oportet. & concil. Chalc. c. 4. s c. Quanto. de diuor. ex Inno III. & in Conc. Trid. sess. 24. can. 5. item Gloss. in cap. non oportet. 28. q. 1. & passim omnes. t 1. Esd. 9. 12. u 7. de reb. Salom. c. 4.

quia magis familiares erant ob inhabitationem Chananitidis, diuina Scriptura meminerit. Non placet prima probatio ex lege de matrimoniis ex eadem tribu & cognatione [a]; quia cauebatur per eam confusio hæreditatum, quæ ductis alienigenis poterat adhuc vitari. Ratio melius ex citatis Esdræ libris, in quibus vniuersè damnantur connubia cum populis terrarum: quod approbat quóque Iosephus [b], loquens de Salomone: & quia idem in omnibus legis finis ob periculum idololatriæ: quod non minus erat ea Ægypto, in quam prohibitus reditus erat [c], ac proinde vsus equorum eius: & in cap. 21. libri nostri [d] traduntur ceremoniæ cùm duceretur in vxorem captiua. Hinc fit, vt dispensari possit à Pontifice iniri matrimonium inter fidelem & infidelem, quamuis si iusta causa desit, peccare possint & dispensans, & dispensati. Quod multò magis concedendum est inter fidelem hæreticámque, hancve & illum, non quoad validitatem, quæ ipso facto adest absque dispensatione, quidquid Simancas [e] dixerit, & alij, quos citat Thomas [f] Sanchez noster, & quidquid aliquando ea priuato iudicio responderit Cælestinus III. quem refert Castro [g]: & olim extabat in Decretalibus [h]; vt notauit etiam Bellarminus [i] noster; sed vt iusta etiam de causa licitè fiat. Sic quidem certè in Gallia, Germania, Polonia ea consuetudine tolerata & recepta celebrantur huiusmodi coniugia, dummodo sinatur persona Catholica liberè, ac sine vllo impedimento in fide, & veræ religionis exercitio permanere; nec ineatur pactum, vt quidam ex liberis fidei, alij adhæreant hæresi. Nam canon 72. Synodi VI I. vt & alij eiusdem, auctoritate carent; quo nimirum decernitur irritas esse nuptias, nefariúmque coniugium orthodoxi cum hæretica, & orthodoxæ cum hæretico. Hoc tempore coram Gregorio XV. agitatur controuersia de matrimonio concedendo hæretici filij Regis Britanniæ Iacobi cum sorore Philippi IV. regis Hispaniæ Catholica. Expendent qui consultantur, non an factum tenere possit, si fortè fiat, sed vtrùm absque peccato fieri posse sufficientes causæ, ac idoneæ conditiones persuadeant; ne quod S. respondit Iuliana proco gentili opulento & honorato, obiicere queat heroina Hispana; *tuum matrimonium est societas cum inferis, & sepulchrum positum in oculis* [k]. Quò minùs autem licitè ac honestè celebrari matrimonium id queat, non obstat quòd Sacramenti matrimonij ministri sint ipsi contrahentes; hæretica autem persona sit in peccato mortali, ac proinde in celebrando matrimonio & recipiendo peccet, sicut & quiuis peccat quoduis Sacramentum in mortali peccato celebrans, aut recipiens. Nam si spes moraliter certa sit conuersionis, decernitur à Laodiceno [l], Chalcedonensi [m], & Agathensi [n] Concilio id fieri posse; neque fidelis contrahens cum infideli, vel hæretico, aut superior id concedens, inducit infidelem vel hæreticum ad Sacramentum cum peccato ministrandum & recipiendum, sed ad vtilem contractum perficiendum præbet assensum suum. Quod non est facere mala vt eueniant bona, aut per se ad malum inducere; quemadmodum quando in aliquo contractu exigit quis iuramentum ab eo qui iuraturus est per idola sua; vtitur iure suo, nec ei imputatur sacrilegum iuramentum; item qui mutuò accipit ab vsurario, non peccat. Gallorum reges Sigebertus, & Chilpericus Atanagildi regis Ariani hæreticas filias duxerunt Brunichildem, & Galuisintham, quæ ad Catholicam fidem conuersæ sunt [a]. Plura qui ex professo disputant de matrimonio vel scholasticè, vel canonicè, vel cum hæreticis, & in proprio tractatu noster Serarius, vel qui Paulum [b] enarrant, & præ cæteris de nostris etiam Thomas [c] Sanchez, qui post Azor [d] item nostrum, & post Nauarrum [e] defendit posse licitum esse dictis in prouinciis, in quibus Catholicis hæretici permixti sunt, tale matrimonium, quod non propter hæresim ineatur, sed ob amicitiæ leges & iura, aut cognationis, & generis necessitudinem conseruandam, aut ad communem reipublicæ statum, & conditionem tuendam; sicut & ibi cætera humana ciuilisque commercia sunt Catholicis cum hæreticis communia. Idem sentiunt ex nostris Valerius [f] Reginaldus, Ægidius [g] Coninck (licèt hic generatim dicat se non audere asserere, & in praxi rarò videri tutum) Emmanuel [h] Sa, Serarius [i], Cornelius [k], (qui monet etiam passim id cauendum, & dissuadendum:) Iustinianus [l], (qui ait se coram Clemẽte VIII. ac pluribus Cardinalibus peruicisse licere Pontifici facultatem facere fideli, si iusta causa subsit, vt cum infideli atque hæretica coniugium ineat; & in regionibus palàm infectis cum hæreticis id fieri ex consuetudine vel tacita Ecclesiæ concessione;) præterea Martinus Bonacina [m], & alij. Gulielmus [n] autem Estius concedit posse istiusmodi matrimonium irritari ab Ecclesia, si velit; sed ideo non facere, quia videt non expedire. Abutuntur porrò Lutherus, Bucerus, Caluinus, Kemnitius, quos refert ac refellit in vindiciis Theologicis aduersùs verbi Dei corruptelas Ioannes Paludanus; vt probent coniugium sine parentum consensu contractum irritum esse. Damnat id Tridentinum [o] Concilium: quamuis non neget posse esse peccatum; vt verè esse potest, inuitis parentibus contrahere, vel insciis absque iusta & rationabili causa. Alioqui post annos pubertatis filius sui iuris est ciuiliter loquendo, déque persona sua & actibus suis qui natura liberi sunt, disponere pro arbitrio potest: præceptum verò de honorandis parentibus ad morum spectat informationem, non ad administrationem Sacramentorum. Cùm autem hîc præceptum detur potius parentibus, quàm filiis, vt etiam alibi [p]; sequitur pertinere ad parentum curam prouidentiámque, vt liberos rectè collocent matrimonio. Apud Euripidem in Andromacha, quem citat Ambrosius [q], virgo sic loquens introducitur: *sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum*, νυμφευμάτων τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει, κ' οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε. Alius poëta de re eadem sic acutè, quasi tripartitum distinguens consensum,

Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est.
Tertia pars matri data: pars data tertia patri:
Tertia sola tua est. Noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Scribit præterea Ambrosius [r] Sisinnium iustè indignatum, quòd se inscio filius ducere vxorem voluisset. Disputat contra dictum errorem Hæreticorum vberiùs noster Bellarminus [s], in eodem ponens etiam Erasmum vt primum, qui rem in controuersiam reuocauerit, præterea Brentium eiusdem sectatorem: & notat Lutherum, Melanchthonem, Kemnitium docuisse nata iam prole, non posse vel confirmari, vel irritari à parentibus matrimonium: omnes autem cum Catholicis consentire, non posse cogi filios ad matrimo

a Num. 36. 7.
b 8. antiq. c. 2.
c Deut. 17. 16.
d vers. 10. 33.
e instit. catholic. tit. 40. num. 17. & seqq.
f 7. de matrim. disp. 72.
g 1. de hæres. c. 4.
h c. laudabilem. de conu. infid.
i 4. de Rom. Pont. c. 14.
k Metaphr. 16. Febru.
l can. 10. & 31.
m actio. 15. can. 14.
n can. 67.

a Turon. 4. hist. franc. c. 27. & 28.
b in 1. Cor. 7. & 2. ep. 6.
c 7. de matrim. disp. 72.
d 8. instit. c. 11. q. 5.
e l. 1. consil. tit. de constitutionib. n. 59. & 60.
f praxis fori pœn. l. 32. c. 11. n. 169.
g in 3. p. disp. 31 de sacram. dub. 3. n. 44.
h verbo matrimon. tit. de imped. n. 9.
i tract. de matri. hær. cum catholic. n. 38.
k in 1. Cor. 7.
l ibidem.
m de matr. q. 3. puncto 7. n. 2.
n in 4. d. 39. §. 4.
Consensus parentum.
o sess. 24. c. 1.
p Exod. 34. 16. Ier. 29. 6. 1. Cor. 7. 36. 37. 38.
q 1. de Abrah. c. vlt.
r epist. 41.
s 1. de matr. c. 19. & 20.

trimonium. Concedit quóque peccari posse, si desit consensus parentum; quem eiulis & naturalis ratio adesse debere suadet [a]; vt ab Esau peccatum est; cùm duxit vxores duas, quæ ambæ offenderunt animum Isaac & Rebeccæ [b], & rursus tertiam, contra eorumdem voluntatem [c]; nisi quando meritò creditur id ratum parentes habituros, vt contigit cùm Iacob, vnam quidem duxit iuxta consilium parentum, sed alias tres, præsertim duas ancillas, ipsis inscijs [d]: Tobias quóque in aliena regione absque vlla parentum notitia [e]: item nisi parentes iniustè prohibeant; vel causa maioris dotis, indignam tantùm, aut etiam hæreticam dare velint: & nisi similes aliæ occurrant causæ, quas tradit noster Serarius [f], diligenter quæstionem pertractans ac referens eiusdem sectatores erroris Petrum Martyrem [g], Dauidem [h] Chytræum, Albericum [i] Gentilem; & plures modos, quibus eum exponunt vel tuentur, parum inter se consentientes, & à vero discrepantes. Monet denique vt clandestina matrimonia irrita sanxit Concilium Tridentinum, posse ab alio sanciri, ne firmæ sint ac ratæ nuptiæ, quas absque bonis iustísque causis, parentum inconsulto iniussúque filij ac filiæ contrahant: quod etsi nonnulli factum cupiuerunt à Tridentino, vt Gentianus Heruetus, Claudius [k] Espencæus, Bartholomæus [l] Chassanæus, Ambrosius [m] Catharinus, & alij: tamen id facere non placuit, ob plures melioresque rationes. Sed lectu digna in primis Espencæus, cuius tamen, vt & aliorum argumenta, efficiunt dumtaxat, vt quoad eius fieri potest in ineundis matrimoniis pendeant filij à parentum consilio consensúque, ac nominatim Euaristi & Nicolai Pontificum testimonia, quæ in decretis [n] recitantur: præterea vt propter peccatum ea in re admissum, moralémque honestatis necessitatem, plecti iure à parentibus liberi possint, politicóve magistratu, seu exhæredatione, seu exilio, seu ademptione dotis alimentorúmve, seu alia simili, pro legum prudentia, & locorum, ac personarum aliarúmve circumstantiarum intuitu: qua de re Iurisconsulti, præsertim Couartuuias [o], & Curacius [p]. Alioqui caueant parentes ne in eos quadret illud,

> [q] *Sed vetuere patres, quod non potuere vetare.*

& ne audire cogantur quod Panegyris, & Pinaciom sorores patri responderunt,

> [r] *Stultitia est, pater, venatum ducere inuitas canes:*
> *Hostis est vxor, pater, inuita quæ ad virum nuptum datur.*

Sed meminerint potiùs dictum à Paulo [f], *cui vult nubat, dummodo in Domino.* Porrò Cassianus [t] probat hinc bonæ voluntatis initium & consummationem à Domino fieri: attamen cooperari liberè voluntatem nostram. Nam Domini gratia fuit quòd introducerentur in terram repromissionis Hebræi, delerentur gentes multæ coram eis, traderentur in manus eorum nationes maioris numeri & robustiores; quòd illi percuterent vsque ad internecionem, vel reseruarent, vel parcerent, quòd inirent cum eis fœdus, aut non sociarent coniugia, vel sociarent, ipsorum fuit. Affert exemplum de cœcis, ante quos quod transiret Iesus gratia fuit, quòd clamarent, *miserere nostri* [u], fidei ipsorum; sed cooperante nimirum etiam gratia, cuius donum est fides.

Neque sociabis cum eis coniugia.] Augustinus [x]

a l. Nuptiæ. D. de ritu nuptia.
b Genes. 26. 34. 35.
c c. 28. 9.
d c. 29. & 30.
e Tobiæ 7. 10. & seqq.
f in Iud. 14. q. 4.
g in Iudic. c. 14.
h in Leuit. 18.
i l. 4 de nuptiis ferè toto, præsert. c. 2. & seqq.
k tract. de matri. clandest. post commen. in ad Timo. præsertim c. 16 17. & 18.
l catalog. glo. mundi p. 12. consider. 36.
m tract. de cland. matr.
n c Aliter, & c Nostrates 30. q. 5.
o de spons. p. 2 c. 2.
p 3. obseru. c. 5.
q Ouid. 4. metamor.
r Plaut. in Sticho sub initium.
f 1. Cor. 7. 39.
t coll. 3. c. 19.
u Matth. 20. 30. 31. Luc. 17. 13.
x q. 1. in locu.
Explanatio.

(*neque matrimonijs iungamini cum eis*) quod Græce etiam plurali numero habetur, οὐδὲ μὴ γαμβρεύσητε πρὸς αὐτούς, *neque contrahetis affinitatem*, vel *sociabitis coniugia ad eos*, siue *cum eis.* Est γαμβρὸς, *gener*, & aliquando socer qui dicitur πενθερὸς, item frater vxoris, vel maritus sororis, & generaliùs affinis: putatúrque dici à γαμεῖσθαι, *nubere*, quasi γαμερὸς, & per syncopen, ac epenthesin literæ β, γαμβρός. Verbo nostro simile est compositum ἐπιγαμβρεύω apud Matthæum [a], ἐπιγαμβρεύσει ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *ducet* (nempe affinitatis iure) *frater eius vxorem fratris sui.* Significat לֹא תִתְחַתֵּן בָּם, *lo thithchatthen bam, non affinitate te iunges*, vel *affinitatem facies in eis*, siue *cum eis*, aut *inter eos, non fies sponsus, gener, socer*: quod fit per coniugium, connubium, matrimonium, &c. & חֹתֵן, *chothen* socer est, cognatus, affinis, propinquus, חָתָן *chatan*, sponsus, gener, &c. חֹתֶנֶת *chothenethe* mater vxoris, seu socrus: חֲתֻנָּה *chathunnah* desponsatio. Latina vox iugum importat, cui coniuges subiiciuntur propter firmam concordiam, ne separentur, inquit Isidorus [b]. Adde matrimonij onera maxima, & quam vocat Apostolus [c] tribulationem carnis: additque Hieronymus [d] in spiritu & in anima esse, multa differens de incommodis coniugij; & Primasius [e], OEcumenius [f], Ambrosius [g], alij Paulum explanantes: ex quibus Ambrosius eúmque imitatus Augustinus teste Possidio [h] nulli ob tanta incommoda vxorem poscere seu suadere volebat, ne dum inter se coniugati iurgarentur, eum maledicerent per quem coniuncti essent. Clarissimum oratorem refert [i] Hieronymus dixisse; qui non litigat, cœlebs est: inuentumque monumentum in quo conditi erant vxor & maritus cum epigraphe, *Hospes, miraculum: hic vir & vxor non litigant.* Legendi præterea tractatus seu libri de virginitate à Basilio, Chrysostomo, Augustino editi, & penultimi sermo de libello repudij. Dolorum officinam appellat coniugium Basilius.

Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.] Expressior est prohibitio consociationis coniugalis: comprehendendo sub filio & filia omnes alias affinitates; immò & quemlibet de populo Hebræo, ne iungi posset matrimonio cum quauis persona de regionibus Chanaan. Formulam autem præcepti dirigi dixi ad patrem; quoniam ad eum spectat peculiariter locare liberos, hósque non decet sine consilio & consensu ipsius inire coniugia. Glossa interlinearis explicat, vt cogitationem suam nemo vitiis societ. Addit Hugo vt nullus vanam gloriam societ bono operi.

Quia seducet filium tuum ne sequatur me.] Hebraicè (*quia recedere faciet filium tuum à post me*, כִּי־יָסִיר אֶת־בִּנְךָ מֵאַחֲרַי *chi iasireth bincha meacharai.*) Chaldaicè plurali numero (*quoniam aberrare facient filium tuum à post timorem meum*, seu *retro*, *à timore meo*, אֲרֵי יַטְעוּן יָת בְּרָךְ מִבָּתַר דַּחְלְתִי *are ietabbun iath berach mibbathar dechalthai.*) Græcè (*seducet enim filium tuum à me*, ἀποστήσει γὰρ τὸν υἱόν σου ἀπ' ἐμοῦ.) Exponit Vatablus quòd aliquis auocaret, vel hac ratione auocare posset. Sed cum asseueratione id hîc ponitur; & in Exodo [k], ac in 3. Regum [l], præsertim vltimo loco; (*non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum.* Quamuis aduerbium (*certissimè*) sit Interpretis: in aliis editionibus (*ne*) vel (*vt non*) אָכֵן *achen*, דִּלְמָא *delo*, ἵνα μή. Exemplum protulimus

a c. 22. 24.
b 9. etymo. vlt.
c 1. Cor. 7. 28.
d 1 & 5 cont. Heluid. & ep. ft. ad Eustoch.
e in 1. Cor. 7.
f ibidem.
g ibidem.
h in vita August. cap. 27.
i 1. contr. Iouin.
k c. 34. 16.
l c. 11. 2.

tulimus in Salomone [a]: & libro [b] præcedente vidimus hoc fuisse consilium quod se Balaam daturum pollicitus est Balac aduersus populum Hebræum, vt per mulierum alienigenarum amorem ad idololatriam pertraheretur; quod reipsa etiam successit [c]. Etsi verò Hebræum verbum masculinum est, intelligi debet periculum etiam esse à fœmina; vt scilicet seducat masculus alienigena Hebræam, vel aliena fœmina Hebræum.

Et vt magis seruiat diis alienis.] Plurale verbum est in Hebræo, Chaldæóque textu: in Græco numeri singularis λατρεύσει: quod, sæpius monui applicatum vsu saltem Ecclesiasticorum Scriptorum ad cultum proprium Dei. Pro diis alienis sunt Chaldaicè idola populorum, שעותא עממיא *tabhuath bhamemaya*. In Exodo [d] ratio prohibendi coniugia ita redditur hæc eadem, quemadmodum & ne pactum initetur cum illis Gentibus. In libro priore [e], *cur fœminas*, inquit Moyses, *reseruastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus?* In 3. Regum [f]; *certissimè auertent corda vestra, vt sequamini deos earum*. Caietanus [g] deos alienos dici vult, quòd sint non ad proprium hominis bonum, sed ad extraneum à salute humana. Hebræum epitherum est נכרים *acharim*, & aliter dicuntur dij נכר *nechar* alienationis, & quasi meretricij: meretrix enim נכריה *nochriah* dicitur & aliena: Hispanicè *ramera*: nec enim licebat meretrici apud Hebræos vrbem incolere, sed in semitis extra vrbem sedebat: ideóque non ciuis vel incola, sed extera censebatur & dicebatur. Idololatriam verò cum fornicatione comparare solet Scriptura, vt alibi etiam docui. Suspicantur aliqui Neæræ nomen alioqui proprium ex Hebræo posteriore ritum, & de quauis muliere lasciua infamique vsurpari, vt Neæram Herculis de Omphalo sen Iole; Neæram Bacchi de Ariadna; Neæram Ægonis pastoris, Neæram Antolyci, quæ aliter vocatur Metra.

Irascetúrque furor Domini.] Deest (*in vos*, aut *in vobis*, בכם *bachem*, בכון *bechon*, εἰς ὑμᾶς.) Eadem phrasis est in priore [h] capite, sæpiúsque declarata: & quo pacto cadat in Deum tra furórve.

Et delebit te citò.] Minæ similes cap. 4. [i] colentibus idola, quòd ad iracundiam Deum prouocarent, citóque perituri essent de terra, &c. & cap. 11. [k] quòd perirent velociter de terra: & cap. 28. [l] quòd contereret eos, & perderet velociter. Nec dissimilis hic paulò. [m] pòst comminatio (*reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.*) Attamen lentus ac tardus vulgò dicitur Deus in irrogandis pœnis, hásque differre, & dissimulare peccata hominum (ea nimirum non tam citò puniendo) propter pœnitentiam [n]: &, vt ille dixit, lento procedere gradu, quasique laneis pedibus: ita vt quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrent mala [o]: Expectasse præterea dicuntur increduli in diebus Noë, cùm fabricaretur arca, Dei patientiam [p]: Deo videlicet patienter eos diu expectante; quemadmodum & Amorrhæos Chananæósve, donec iniquitates eorum complerentur [q], tamdiu expectauit; necnon & populum ipsum Hebræum tam longo tempore tolerauit; vt prædictiones propheticas minarum illusores ludibrio haberent tanquam cassas, vanas, irritas, falsas, mendaces; dicendo [r]; *manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexpecta: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi*, cùm propterea expectaret Dominus vt misereretur [a]. Scripsit quoque Petrus [b] patienter Dominum expectare, nolentem aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, nec tardare promissionem suam sicut quidam existimant. Paulus [c] reprehendit eos qui contemnunt diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei, benignitatémque ad pœnitentiam eos adducentis. Cognomina denum Dei sunt patiens [d], longanimis [e], & similia. Quantumuis differatur, quæ non aufertur diuina vindicta pœnáque, citò aduenire censetur: & grauitate tandem supplicij lento gradu ad vindictam sui diuina procedens ita tarditatem compensat [f], consueuitque, inquit Iulius Cæsar, Deus immortalis, quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velit, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Eodem pertinet Plutarchi disputatio de sera numinis vindicta: & Lyricus poëta [h] cùm cecinit quòd

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

& apud citatum Plutarchum Euripides,

μέλλει, τὸ θεῖον δ' ἐστὶ τοιοῦτον φύσει.

Cunctatur: talis est enim numinis natura.

Lege commentarios [i] nostros.

Vers. 5.] Quin potiùs hæc facietis eis. Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucósque succidite, & sculptilia comburite.

NOn contentus Deus prohibuisse fœdera & affinitates cum Chananæis propter idololatriæ periculum, vt longiùs abessent Hebræi ab isto periculo, imperat subuerti, confringi, succidi, comburi cuncta idola, & quæ ad eorumdem pertinebant cultum, altaria, statuas, lucos, sculptilia. Hoc ipso capite [k] inferiùs iubentur sculptilia igne comburi, nec eorum argentum aurumve assumi, aut quidquam ex idolo domum inferri: & c. 12. [l] subuerti omnia loca, in quibus coluerunt gẽtes deos suos; dissipari aræ, luci igne comburi, idola comminui, disperdi nomina eorum de locis illis: & in Exodo [m] dij destrui confringíque, aræ ac statuæ eorum, lucique succidi: & in libro Numerorum [n] confringi tituli, statuæ comminui, omnia excelsa vastari: In 2. Machabæorum [o] inuenta dicuntur donaria idolorum sub tunicis interfectorum Iudæorum, à quibus lex prohibet; ac manifestum factum esse ob hane causam eos corruisse: In primo [p] eiusdem historiæ libro narratur à Mathathia aram destructam, quam ad immolandum idolis Antiochus exexerat, item [q] à Iuda dirutas aras, & sculptilia deorum succensa igni: in 4. Regum [r], & in 1. Paralipomenon iussu Dauid sculptilia deósque Philisthæorum exustos. Iam antea [s] retuli ex Augustino [t], priùs agendum vbi nobis data non est potestas, vt idola in cordibus ea colentium confringamus; non autem reipsa confringenda, nisi postquam potestas data nobis fuerit. In commentario [x] actuum Apostolorum, & in epistolam t. [y] Ioannis, & in priorís libri c. 33. [z] pluribus eadem de re disserui, ostendique auctoritate Concilij Eliberitini [aa] (cuius propugnator egregius Ferdinandus Mendoza) referri non debere in numerũ

traditionum

Marginalia (left): a ibidem. b c. 24. 14. c 31. 16. c Num. 25. etto. c. 31. 16. Ap. 2. 14. d c. 34. 15. 16. e c. 31. 15. 16. f c. 11. 2. g in Iosue. 23. h v. 25. i v. 25. 26. k v. 19. l v. 20. m v. 10. n Sap. 12. 24. o Eccl. 8. 11. p 1. Petr. 3. 20. q Genes. 15. 16. r Esa. 28. 10. 13. 14. — *Meretrix in semitis extra vrbem sedebat apud Hebræos. Idololatria & fornicatio comparatur in scriptura.*

Marginalia (right): a c. 30. 18. b 2. ep. 3. 9. c Rom. 2. 4. d Exod. 34. 6. e Num. 14. 18. ps. 7. 12. ps. 85. 15. ps. 144. 8. Sap. 15. 1. Eccl. 5. 4. Ecli. 18. 9. Esa. 42. 14. Ioel. 2. 13. Ion. 4. 2. f 1. Esdr. 9. 13. ps. 102. 10. Nahum. 1. 3. f Val. Max. l. 1. g 1. de bello Gall. h Horat. 3. carm. ode 2. i in Psalm. Sapient. Petrum. — Palladius. k v. 25. 26. l v. 2. 3. m c. 23. 24. c. 34. 13. n c. 33. 52. o c. 12. 40. p c. 1. 25. q c. 5. 68. r c. 5. 21. s c. 14. 12. t v. 1. u 5. de verb. Dom. c. vlt. x in c. 17. 23. y in c. 5. v. 21. z v. 52. aa can. 60.

martyrum, qui inuentus frangens idola, ibi occidatur: hoc autē titulo dignos, qui vel ex præscripto Imperatoris [a], in eius nimirum ditione, id faciant, vel ex peculiari quodam diuino instinctu: vel si compellantur ad eorum venerationem, qualis Valentina, quæ calcibus aram euertit [b]. Legendus quem nominaui Ferdinandus [c], Iosephus [d] Stephanus, Cæsar [e] Baronius. Exempla iisdem locis protuli ecclesiastica: præter quæ afferri possunt eorum, qui nulla vi externa vsi idola euerterunt, vt Martinus oratione [f] sola, & Pelinus [g]. Satyrus autē solùm exsufflando [h]. Iulianus dum torqueretur [i]. Idē qui sub Imperatorib. Christianis, vt Porphyrius Episcopus Gazę sub Arcadio [k]. Nec tamen hinc quidquam habent pro se Iconomachi, siue Iconoclastæ, qui pias imagines exsecrātur, ac de medio tollunt, arásque omnes sacras siue altaria, tēpláque diruunt, vt factū Basilius memorat ætate Gordij martyris, quem elegāti celebrat oratione: omitto enim & veteres dicti cognominis hæreticos, & recētes, qui eosdē sæua impietate non modò exæquarūt, sed longè etiā superauerūt. Iosephus [l] absq; dubio adulatoriè scribit, ad Ethnicorū promerendā gratiā, vtque illos diuinæ legi conciliaret, ea lege prohiberi de diis alienis malè loqui, atque id sibi velle illud præceptum [m], *diis non detrahas*. Qui iubet idola confringi, profectò non vetat de illis malè loqui: & Scriptura cognominat sordes, abominationes, immunditias, & Hebræi stercora גִּלּוּלִים *ghillulim*. Et item tamen adhuc ait fana externa non spolianda, neque sacra donaria tollenda: Atqui Dauid coronā tulit idoli Melchom pretiosissimam [n]. Sine causa legitima tale quid non licuit: apud Chananæos ius hoc Hebræis à Deo datum est cum dominio regionis eorum. Quo pacto tamen etiam vetitum sit, dicendum postea [o]. Mysticum sensum attigi libro præcedente [p], vt extirpentur de terra carnis nostræ omnia peccata, mundetur terra cordis, dispergantur maligni spiritus cum suggestionibus suis, superbiæ quasi excelsa edomentur, &c. Iacobus [q] Aluares noster aras idolorum subuertere ait esse materias vitiorum excindere; statuas confringere, fletu & compunctione illicitas actiones diluere: lucos succidere, affectus & passiones cohibere: sculptilia cōburere, igne sancti amoris sæcularium actuum memoriam recordationémque cremare: hæc autē omnia fieri debere de omnibus quidem; quoniam horrendum est idola colere, id est, contempto Deo, creaturas contra eius præcepta diligere: at multo detestabilius esse, si populus sanctus Domino Deo suo (vt habetur in sequenti textu) & quem elegit Dominus Deus suus, vt esset ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, id est, si religiosi qui profitentur sanctitatem, seséque totos addixerunt Deo, & ad hoc vocati sunt, vt ab aliis segregarentur, soli Deo vacarent, sola diuina cœlestiáque concupiscerent; huiusmodi colant idola, &c. In vniuersum admonentur omnes vt peccandi occasiones, nec altaria multiplicent ad peccandum, vt loquitur Oseas [r]. Quo modo si credimus nōnullis, Magdalena non solùm vnguentum effudit alabastri [s], quo priùs abusa fuerat, sed vas illud non retulit domū. Moses & Aaron nec vngulam quidē gregis in Ægypto remanere permiserunt [t]. Egressurus carcerem Petrus iubetur caligas calceare, non ibi dimittere [u]. Iuuenci etiam pellem oportebat comburi extra castra, immò & fœces [x]. Iudas Machabæus mundans templum, altare construxit nouū & vasa [y]. Ieremias [z] effundi cor, seu animam vult sicut aquam ante conspectum Domini, quia huius ef-

a August. epist. 50.
b Martyrol. 25. Iulij.
c lib. 3. pro cōc. Eliber. c. 13. 14. 45. & seqq.
d in 1. Macha. 2.
e in notis Martyr. 9. Aprilis.
f in Martyrol. 26. Decemb.
g 16. Dec.
h 12. Ian.
i 27. Ian.
k 26. Febr.
l 4. antiq. c. vlt.
m Exo. 22. 28.
n 1. Par. 20. 2.
Sensus mysticus quo idola, quò statuas confringendas.
o vers. 25. & 26.
p in c 33. 52.
q to. 1. li. 2. p. 3. c. 31.
r c. 8. 11.
s Luc. 7. 37. 38.
t Exo. 10. 26.
u Act. 12. 8.
x Leuit. 8. 17.
y 1. Mach. 4. 47.
z Thren. 2. 19.

fusi liquoris nec odor, nec sapor, nec color vllus remanet. Id sibi quoque vult arcus & gladij contritio, confractio armorū, scutorū combustio [a]: vituli aurei etiā cōbustio, & vsque ad puluerē contritio [b]: item aratri combustio, quo mactatæ carnes boum coquerentur [c]: ablata idola Laban à Rachele [d], ne qua superesset ad peccandū occasio; ne retardaretur Elisæus ab Eliæ ministerio; ne Laban idololatriæ suæ haberet instrumenta. De origine idololatriæ dictum aliàs. Hoc loco Caietani Scholiastes Fonseca refert opinionē de Prometheo Iapeti filio, aut de Hercule. Ait verò primùm simulacra pro memoraculis habita, repræsentātibus amicos vel principes viros: priscos diu Deum sine his instrumentis coluisse: immò Persas in excelso loco cū solis imprecationibus sacrificasse, Græcorum templa inflammasse: cùm nefas ducerēt Deos includere parietibus: Numā vetuisse pingi fingive, aut alio modo fieri Dei imaginē, quod assimilari deterioribus meliora dedeceret, nec aliter percipi Deus, quā intelligentia posset. Tandē, inquit, trāslata dicta memoracula pro virtutis instrumento, gratitudinísque testimonio, ad religionem: accedentibus aris, sacrificiis, templis, &c. cúmque idola priùs togata fierent & honesta, deinde nuda & obscœna facta, cū impuris, & nefandis sacrificiis. Porrò Prosper [e] hoc loco & similibus quos citat, docet contineri prædictionē promissionémve de subuersione Idolorum, quam iam videamus impletam; vt exemplis multis demonstrat lectu sanè dignis: quibuscum simul profert vaticinium Sibyllæ, & Hermetis Trismegisti.

Quin potiùs hæc facietis eis.] Hebraicè, *quinimmò si. facietis eis*, כִּי־אִם־כֹּה תַעֲשׂוּ לָהֶם *chi im choh thahhasu lahem*: Græcè, *sed sic*, ἀλλ' οὕτως Chaldaicè, *hæc sic*, אֱלָהִין כְּדֵין *elahen cheden*.

Aras eorū subuertite.]Hebr. תִּתֹּצוּ *thiththotsu*; *diruetis, destruetis, confringetis, conteretis, demoliemini*, à נָתַץ *nathats*: Græcum καθελεῖτε valet *auferte penitus de medio* à καθαιρέω. Aræ dicuntur Hebræa voce מִזְבְּחֹת *mizbechoth* significante propriè altaria sacrificandis victimis & mactandis destinata à זָבַח *zauach, mactare atque sacrificare*: quamuis transferatur ad altare thymiamatis, vt [f] alibi notaui, explicans rationem seu notationem altaris, & aræ, necnon Hebræi nominis, atque βωμοῦ. Ac inter cætera monui Scripturæ sacræ vsu videri aram semper de idolis ac idololatria sumi, præterquam bis in Ecclesiastico [g], & semel in Baruch [h]. Scriptores tamen Ecclesiastici promiscuè vtuntur ara & altari: arámque Prudentius [i] describit Sacramenti donatricem mensam, eamdémque custodem fidam sui martyris, hoc est, Hippolyti. Dixi præterea non esse perpetuum discrimen Seruij [k], vt ara superis inferísque conueniret, altare tantùm superis: etsi verum sit cùm sacra fiebant superis, præsertim Ioui, eatrui solitas aras in locis excelsis; ita vt, quod scripsit Melanthes [l], mons omnis appellaretur Διὸς ὄρος, *mons Iouis*, ἐπειδὴ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖν, *quia mos erat antiquis altissimo existenti Deo in alto seu excelso sacrificia facere*. Lege Natalem [m] Comitem. Inde in diuinis literis nomen excelsorum, de quibus cognosce quæ dixi ad c. 26. [n] Leuitici, & 22. Numerorum [o].

Et confringite statuas.] Addunt (*eorum*) editiones aliæ. Idem præceptum extat in libro Numerorum [p] (*statuas comminuite*) licèt ibi Hebraicè habeantur *imagines conflatilium*, צַלְמֵי מַסֵּכֹת *tsalme massechoth*, Græcè τὰ εἴδωλα τὰ χωνευτὰ, *idola, conflata, siue fusilia*. Consule loci eiusdem commentarium; atque de origine vel vsu statuarum.

a Psal. 45. 10. Oseæ 2. 18.
b Exo 32. 20.
c 3. Reg. 19. 21.
d Gene. 31. 19.
e de præd. p. 2. promiss. 38.
Explanatio.
f in Num. 23. 1.
g c. 50. 13. 15.
Ara pro altari.
h c. 1. 10.
i in Hippolyto.
k in 2. & 4. Æne.
l lib. de sacrif.
m Mythol. c. 10.
o in vers. 30.
o v. vlt.
p c. 33. 52.

Lucósque succidite.] Adiecto pronomine (*eorum*) in reliquis editionibus אשׁיריהם *ascerehem*, אשׁירהו *ascerehon*, τὰ ἄλση αὐτῶν. In Exodo[a]; *sed & aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succide*; & in cap. 12.[b] libri nostri, *dissipate aras eorum, confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.* Vbi pro lucis sunt eadem vocabula editionum cæterarum, quæ hoc loco. Latini vocabuli etymon arcessunt aliqui[c] à luce per antiphrasim, quòd non luceat: quoniam nullæ illic arbores cæderentur ob religionem, ac proinde op… … sine luce esset. Alij[d] à lugere vel à luco … …norum, apud quos senem significat, ob arborum senium. Iulius Cæsar[e] Scaliger, quia sacrificiorum frequentia luceat: vtpote locus arboribus consitus Deo alicui consecratus: vel vt Valla[f] inquit, alicuius hominis cineribus consecratus; ideóque aut circa delubra numinum, aut circa sepulchra positus: differens à sylua, quæ cædua est: à saltu, quia sylua inuia, in qua pasci & æstiuare pecudes solent; à nemore, quoniam voluptatis causa comparatur, & amœnitatis. Isidorus[g] deducit à collucendo crebris luminibus, quæ ibi propter religionem Gentilium, cultúmque fiebant. Addit Cornelius[h] Fronto lucum esse fulmine ictum locum, & arboribus tectum. Confunduntur nomina: nemúsque vsurpat Interpres & de illo quod Abraham plantauit in Bersabee vbi inuocauit Dominum[i]: & de illo, quod iussus est Gedeon, destruendo aram Baal iuxta eamdem, succidere[k]: & de illo, in quo Saulis & filiorum ossa sepulta sunt[l]: & de illo, quod erat consitum, & in eo armamentarium[m]: & de illo, in quo Assuerus, cùm esset regio cultu & manu consitum, celebrauit conuiuium[n]. Benedictus[o] Curtius docet nemus minùs religiosum, ac minùs venerabile, quàm lucum esse; sacrorúmque nemorum exempla generatim enumerat. Deinde[p] definiens lucum, syluam diis, heroibus, vel alicuius cineribus sacram; & scribens ex Cornelio[q] Tacito; Germanos veteres nulla deorum templa habuisse, præter lucos nemoráque deorum suorum nominibus appellata; quod & de aliis, aliorum testimoniis confirmat, vt Virgilij[r] de manibus, laribus, heroum animabus.

Nulli certa domus, lucos habitamus opacos.

item asyla illic fuisse, Virgilio[s] eodem teste, & Ouidio[t]. Tradit præterea[u], ne in necessitate quidem permissum per lucos meare; iis vti ad venationem, illorúmve occidere animalia, nisi sacrificij & numinum causa. Rursus demonstrat heroibus, & præclaris viris dicatos lucos[x]; pœnas vindictam tum diuina, tum humana in lucorum violatores animaduersum[y]: Deum verum execratum eiusmodi omnem superstitionem[z]; quoniam præcipit c. 16.[aa] libri huius ne plantaretur lucus, & omnis arbor iuxta altare suum, inimicus est iis qui fecerant eos[bb]: laudatus est Asa, qui Maacham matrem suam amouit ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat[cc] (de his hoc loco[dd] Abulensis:) reprehensus Achab, qui lucum plantauerat, & Manasses[ee], & alij. Elias occidit prophetas lucorũ Baal quadringentos[ff]: iterũ commendatus Ezechias, qui lucos succidit[gg], dissipando excelsa, & statuas conterendo; necnon Iosias[hh]; (quamuis luci nomen aliquando[ii] accipiatur pro simulachro luci) quod fecit quoque Nabuchodonosor, sed vt ipse solus diceretur Deus[kk]: vaticinatus est Esaias[ll] & Michæas[mm] abiiciendam à fidelibus idololatriam, ac nominatim lucos & delubra: Hecatæus autem Abderita apud Eusebium[nn] inter laudes Iudæorum ponit, quòd nullum in templo simulacrum esset, imago nulla, nec planta, nec lucus ἄγαλμα, ἀνάθημα, φύτευμα, ἀλσῶδες. Denique Curtius[a] recẽset sacrus lucos Ioui, Iunoni, Apollini, Daphni, Mineruę, Isidi, Latonę, Cybelę, Osiridi, Æsculapio, Dianæ (& peculiariter qui Aricinus nũcupabatur) Camœnis siue Musis, Vulcano, Veneri, Cupidini, Marti, Bellonæ, Libero patri, Pani, Syluano, Neptuno, Cereri, Proserpinæ, Plutoni, Vestæ, Castori & Polluci, Feroniæ, Albuneæ, Maricæ (quam Cocren etiam vocant) Lauernæ, Furinæ, Suadelæ, Hilerni, Hebæ, pluribus simul diis. Disputans Pineda noster de rebus Salomonis[b], ac præmonens lucos rarò intra vrbes fuisse, qualis quem in medio cum templo Iunonis, describit Virgilius[c], & quem Babylone Herodotus[d] (de eadem re Plutarchus in problem. explicans quid lucar sit, Strabo lib. 6. Philostratus in Heroicis, Cedrenus de Numa, Plinius in Panegyrico, Lucanus lib. 3. Statius 3. 4. 6. & 9. Theb. Seneca epist. 41. Pollux lib. 1. Valerius Maximus lib. 1. c. 1. Valerius Flac. 5. Argo. Ouidius 8. Metamorph. Prudentius 2. contra Symmachum) ad quem illud Psalmi[e] possit pertinere; *in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra*, id est, in medio Babylonis, vbi esset salicetum Ioui consecratum in eiusdem templo. Postea docet videri æmulum diuini honoris diabolum, adorari colique in lucis voluisse: quoniam Adam velut sacerdos primus, in nemoroso positus est paradiso, vt operaretur[f] & coleret Deum (sic enim aliqui de Deo exponunt:) Abraham plantauit nemus in Bersabee & inuocauit ibi nomen Dei æterni[g], tanquam in templo & oratorio, vt placet Caietano[h]: Iacob videtur quercum Deo sacrasse[i]: Iosue posuit lapidem subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini[k]: & creditur eadem, sub qua, terebynthi nomine, idem Iacob infodit idola familiæ suæ[l]; & ad quam consedit Abrahã[m], vocatur enim *elon*, id est, quercus, vel terebynthus, *moreh*, quæ in editione nostra *conuallis illustris*: & sub qua, siue sub quercetο, apparuit Angelus Gedeoni[n], hícque ibi obtulit sacrificium, ponens illud vt iubebatur, super petram[o], hoc est, aram. Affert deinde vsum arboris alicuius & nemoris ad sepulchrũ, ex Genesi[p], historia Regum[q]: (adiice sepultum Esaiam sub quercu Rogel, Epiphanio[r] teste) ex Virgilio[s], ex Cicerone[t]; quin etiam ex Ieremia[u], & Ezechiele[x]; (quibus adde Platonem[y], Q. Calabrum[z], Pausaniam[aa].) Item ad inaugurationem principum ex libro Iudicum[bb]; (vbi de Abimelech rege constituto iuxta quercum statuæ Baal-Berich) de qua re etiam Abulensis[cc]. Simili ritu idololatras in nemoribus lucísve sacrificasse colligitur ex pridẽ hîc nominato Tacito[dd], Plinio[ee], Lucano[ff], Claudiano[gg], necnõ Esaia[hh]: ad superstitiosas epulas, impudicáque opera, ex Esaia[ii], & Osea[kk]; quod Philo[ll] quoque insinuet, scribens lucum nullum intra templi ambitum fuisse (quod etiam lege vetitum retuli) quoniam verum templum non amœnitates postulat, sed seueram castimoniã; & condensa syluarũ maleficis conueniunt, ex latebris securitatẽ, & insidiarũ occasionem quærentibus. Adhæc notat frequentes in lucis appendi superstitiosè solitas lucernas, vt luci propterea dicti sint, quia luce carerẽt, proptereáque appensis lucerent lucernis: in iis domũculas & alia teguméta cõstructa; quod colligit ex libris Regũ[mm], & Arnobio[nn] scribẽte de fabula interfecti Acdestis: dona seu anathemata suspensa, vt idẽ Arnob.[oo] indicat, Lucanúsque[pp], ac Silius[qq]. Hæc ferè ex Curtio, & Pineda, præterea ex Cer-

da

a c. 34. 13. — b vers. 3. — *Luci etymõ.* — c Quintil. lib. 1. Seruius, & alij apud Benedict. Curtiũ 4. de hortis. c. 3. & Gyral. de diis Gent. syntag. 17. pag. 454. — d apud eũd. Curt. — e 3. poët. c. 90. — f lib. 4. elegan. c. 56. — g 14. etym. c. 8. — h de differ. vocab. — i Gen. 21. 33. — k Iudic. 6. 21. 26. 30. — l 1 Reg. 31. 12. 13. — m 2. Paral. 9. 16. — n Esther 1. 5. c. 7. 8. — o hortor. lib. 3. c. vlt. — p lib. 4. c. 1. — q lib. 1. de morib. German. — r Æneid. 6. — s lib. 2. & 8. — t in Fastis lib. 2. & 3. — u c. 2. — x c. 5. — y c. 7. — z c. 8. — aa vers. 21. — bb 3. Reg. 14. 15. 23. Ierem. 17. 2. — cc 3. Reg. 15. 13. — dd q. 3. — ee 3. Reg. 16. 33. lib. 4. 13. 6. c. 17. 10. 16. c. 21. 3. 7. — ff lib. 3. 18. 19. 40. — gg lib. 4. 18. 4. — hh c. 23. 4. 6. 14. — ii ibid. v. 6. — kk Iudit. 3. 11. 13. — *Lucus pro simulachro luci.* — ll c. 17. 7. 8. c. 27. 9. — mm c. 5. 12. 13. — nn 9. de prep. euang. c. 2.

a c. 10. vsque ad finem lib. 4. — b lib. 7. c. 10. §. 2. num. 5. & seqq. — c Æneid. 1. vers. 445. & 454. — d lib. 1. — e Ps. 136. 3. — f Gen. 2. 15. — g c. 21. 33. — h ibid. — i Gen. 35. 8. — k Iosue 24. 26. — l Gen. 35. — m c. 14. — n Iudic. 6. 11. — o ibid. v. 13. — p c. 35. 8. — q lib. 1. 31. 13. lib. 4. 23. 15. 16. — r de vitis prophet. — s 9. Æneid. vbi Seruius. — t pro Milone. — u c. 2. 34. — x c. 6. 13. — y 12. de legib. — z lib. 4. — aa passim. — bb c. 9. 6. — cc in Iudic. 9. q. 23. & in 3. Reg. 1. q. 36. — dd 1. de moribus Germ. — ee lib. 12. c. 1. — ff de obsidione Massiliæ. — gg 1. de laud. Stiliconi. — hh c. 57. 5. — ii c. 66. 17. — kk c. 4. — ll 1. de mon. sub initium. — mm lib. 4. 23. 7. — nn lib. 5. — oo lib. 1. — pp lib. 3. — qq de luco Feroniæ.

ês [a] nostro transtulimus, quia non parum conducunt vt intelligatur quare tam serió, seueré, ac frequenter diuinæ literæ lucos coarguant, succidique præcipiant; simúlque verum esse deprehendatur, Gentiles de libris legis scrutatos similitudinem simulachrorum suorum [b], ac superstitionis totius; quòd aliàs etiam obseruauimus. Augustinus [c] reprehendit Gentiles quòd in agro suo, aut villa, aut iuxta villam, aliquas arbores, aut aras, vel quælibet fana haberent, vbi vota redderent. Græcè hoc loco appellantur ἄλση: cúmque ἄλσος ἱερὸν cognominat, existimant aliqui [d] superuacaneum, quoniam per se ἄλσος sacrum est. Synonymè idem valet τέμενος, vel ἀπὸ τοῦ τέμνειν *scindere*, quia portio agri à cæteris resecti esset, Deo alicui aut heroi consecrati, lungitque Pollux [e], vt *ἀνειμένους θεοῖς τόπους relictos diis locos* ἄλσεα τε, καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη, *nemora, agros sacros, loca septa*: vel ἀπὸ τῆς τιμῆς, quòd ei honor ac veneratio deberi censeretur. Hebræum nomen אשרה *ascerah* R. Dauid ait significare omnem arborem quæ colitur, aut plantatur ad gloriam illius qui colitur. Quasi nempe si dicatur à beando, siquidem אשרי *asre* beatum esse valet, & אשר *asciar* beatus est, beatum dixit, beatificauit: & beata sylua aut benedicta, quam Gentes in honorem deorum suorum conserebant & consecrabant. Qui assérea deriuant vel ab assidendo, vel ab aais, quod obliquè declinetur axeris [f], vel ab ἄξονες [g], non minùs forsitan aptè deducerent ab Hebræo dicto nomine; quoniam ex syluæ, nemoris, luci, arboribus asseres conficiuntur. Sed non semper ἔτυμα sunt ἔτυμα vera veriloquia, seu veræ etymologiæ, seu notationes.

Et sculptilia comburite.] Additur in editionibus aliis (*igne* aut *in igne*) in Chaldæa *imagines idolorum eorum*, צלמי טעותהון *tsalme tahbaathehon*: in Græca (*sculptilia deorum eorum*, τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν αὐτῶν.) Inferiùs [h] hîc iterum (*sculptilia eorum igne comburetis.*) Vbi eodem prorsus modo se habent reliquæ editiones. In c. 5. [i] erant eadem vocabula quæ hîc פסל *pesel*, צלם *tsalem*, γλυπτόν. Recitat Prosper [k] (*sculptilia eorum igne concremabitis*) Lyranus de solis idolis ligneis exponit, quatenus ad combustionẽ concremationémve attendit. Lapidea comminuebantur: metallica conflabantur, aliterve destruebantur, inquit Abulensis. Eugubinus monens additum Græcè θεῶν: addit potuisse esse alia sculptilia hominum, quadrupedum, serpentium, reptilium vt apud Ægyptios, qui adorabant ibes, ciconias, ichneumonas, crocodilos, eorúmque exprimebant in templis imagines; verùm & hos fuisse eorum deos.

[a] in 1. Æn. v. 445. not. 3. & 11. & in 6. v. 666. not. 6. & in 7. v. 51. not. 2. in 8. vers. 697. not. 2.
[b] 1. Mach. 3. 48.
[c] ser. 24. de temp.
[d] H. S. in thesau.
[e] lib. 1. c. 1.
Asseres vnde.
[f] Ioseph. Scalig. in Festum.
[g] Iul. Cæs. Scalig. in Theophr. & 1. de ling. lat. c. 15.
[h] vers. 25.
[i] vers. 8.
[k] de prædict. p. 2. promiss. 35.

Vers. 6.] Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.

PARAPHR. IDololatriam cauere persuadet Moyses oportere; quoniam populus Hebræus Deo vni, soli, & vero dedicatus sit, & ab eo præ cæteris populis electus; quorum non minus, quàm ipsius, dominus sit: vt vera illius fide imbueretur, eámque profiteretur, ac vt Deum eumdem sincero cultu veneraretur: cui fidei cultuique aduersatur omnis aliorum quorumlibet deorum; immò idolorum, superstitiosa & impia religio. Similes sententiæ occurrerunt aliquoties in libro Leuitici [l] de populo sancto, ac de Deo sancto, quem Deum sanctum sanctè colere sanctus populus de-

[l] c. 11. 44. 45. c. 19. 2. c. 20. 7. 26. c. 21. 8.

beret. Priore item [a] libro sancti Deo suo dicuntur hi qui memores præceptorum Domini faciunt ea. Reperitur in nostro inferiùs [b] electio eadem diuina, quódque sanctus esset Domino Deo suo ille populus. De sanctitate mentio quoque in Exodo [c]. Vbi sanctitas tribuitur populo, quoniam profitebatur doctrinam de Deo sanctã & veram, cultúmque eiusdem pium & sincerum; vitam & mores sanctos. Quo pacto cognominatur Ecclesia sanctique omnes fideles, licèt inter hos existant non pauci peccatores, fide integri, moribus corrupti: virgines doctrina, non item vita; quemadmodum de virginitate citra figuram loquendo, ea præditus quis esse potest in corpore, quamuis non habeat in mente; & sicut religiosus vocatur qui regulam profitetur, quamuis non seruet: sanctissimus Papa, qui talis ratione status debet esse; & cui sanctarum omnium rerum summa administratio tradita est. Ex ista electione (quæ dicitur προαίρεσις, & negatur à Damasceno [d] in Deo vt inuoluit præcedentem dubitationem, consilium, consultationem) colligunt aliqui electionem ad gloriam, seu prædestinationem ante præuisionem meritorum, cum ordinatione mediorum infallibilium, & gratiæ efficacis ad gloriam consequendam, quam solet Augustinus [e] vocare gratuitam electionem. Ad idem eiusmodi aliæ sententiæ [f] proferuntur, quibus talis electio & dilectio exprimitur, cúmque in Cantico [g] canticorum sponsa cognominatur electa. Quidquid sit de Theologica illa controuersia, in qua certum est electionem atque prædestinationem adæquatè sumptam, vt includit primam gratiam vocationis, esse merè gratuitam, ex operibus ac meritis pendere quatenus dicit collationẽ beatitudinis; certè populus ille à Deo priùs electus, dilectus, peculiaris, vocatus est postea, Deo iubẽte, ab Osea [h], non populus meus, quod infallibili non conuenit electioni, prædestinationíque, quoniam corpora visibilis Assyrius ceperat ac tenebat; animas inuisibilis Assyrius deceperat, & possidebat, inquit Rupertus [i]. De priuilegiis illius populi non semel actum, & adhuc afferri plura possent, & nonnulla colligit Galatinus [k]: quę Clemens [l] Alex. concessa scribit vt Christi fidem protestarentur, & propter Christum ipsis promissum, ea eisque oriturum; & colligi possunt ex Paulo cum Barnaba [m], & ex Paulo seorsim [n]: & quòd Christus ipse missum se negauit nisi ad oues Istaël [o], ac vetuit dum viueret ne discipuli abirent in viam Gentium ciuitatésve Samaritanorum [p]: tandem dixit salutem ex Iudæis esse [q]. Longè potiore iure populus Christianus meretur cognomen electi, vt alibi docui, explanans quo pacto filij Iacob vocentur electi [r] Dei, afferens testimonia Scripturarum ad hoc accommodata, & Iustini Tryphonem de hoc conuincentis: prætereà ostendens perfectiùs eam appellationẽ congruere ad beatitudinem electis, qui propiùs ad Christum spectant, maximè ac perfectissimè Dei electum [s], quẽ is elegit, & in quo benè complacuit animæ [t] suæ. Quia verò talem se Deus erga Hebræum populum profitebatur; vt suum & peculiarem sibi eum esse affirmaret, conquestus est, quando idem poposcit regem [u]: cùm hactenus velut immediatè ipsemet rexisset, per Mosem, Iosue ac deinceps per Iudices, tanquam per vicarios & quasi proreges. Atque ob camdem causam Gedeon, licèt iudicauerit seu gubernauerit 40. annis; tamen respuit principatum regium; vt non dominaretur, quemadmodum populus petebat, & denotat verbum משל *mascial* [x], respondítque, quòd non

[a] c. 15. 40.
[b] c. 14. 2. 21. c. 26. 18. 19.
[c] c. 19. 6. c. 22. 31.
[d] li. 3. c. 14.
[e] de præd. sanct. c. 18. & 19. & alibi.
[f] Deut. 4. 37. c. 10. 15. c. 14. 2. c. 26. 2. 2. Paral. 6. 6. c. 12. 13. c. 33. 7.
[g] c. 6. 8. 9.
[h] c. 1. 9.
[i] ibidem.
[k] lib. 4. c. 5.
[l] 6. Strom.
[m] Act. 13. 14.
[n] Rom. 3. 2. c. 9. 4. 5.
[o] Matt. 15. 24.
[p] c. 10. 5.
[q] Ioan 4. 22.
[r] Ps. 104. 6. Tob. 13. 10. Sap. 3. 9.
[s] Luc. 23. 35.
[t] Esa. 42. 1. Mat. 12. 18.
[u] 1. Reg. 8. 7.
[x] Iudic. 8. 22. 23. 28.

dominaretur ipse, nec filius suus, sed Dominus. Vnde Dominus mortuo alio ex Iudicibus, dicebatur alium suscitare; quod erat ceu eum mortuo Iudice, mortuam suscitare in successore potestatem. Lege de Gedeone Serarium[a] nostrum, Ariam[b], Abulensem[c]. Ioannes[d] Vitalis Cardinalis religiosum singulari quadam ratione cognominari scribit electum, & Israël. In Israël enim considerat propositum electionis, de qua citat præsentem locum, & Psalmi 134.[e] atque Esaiæ 44.[f] vbi dicitur Dominus Iacob sibi elegisse, Israël in possessionem sibi; & Iacob seruus eius esse, & Israël quem elegit, quódque reliquiæ Israël, vt ait Apostolus[g], secundùm electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt: signum interpretationis, vt Israël dicitur significare eum qui videt Deum; quoniam beatus prædicatur, cui quæ Deo placent manifesta sunt[h]: donum benedictionis; quia Iacob obtenta benedictione, appellatus est Israël, affirmauitque vidisse se Dominum facie ad faciem, & saluam factam esse animam suam[i]: pactum repromissionis; quia non omnes qui sunt ex Israël, hi Israëlitæ, &c. id est, non filij carnis, sed qui filij sunt promissionis[k]: quique nominatur Israël Dei[l]. Bonis dominatur Deus vnis modo maximè singulari, nec in talibus ambitus dominandi est; sed vbi tales sunt, ibi, vt Plato[m] scripsit, *περιμάχητον τὸ μὴ ἄρχειν, ὥσπερ νῦν τὸ ἄρχειν, non secus pugnatur, ne quis princeps fiat, quàm alibi nunc fit, vt fiat quis.* Quod inter veros religiosos verissimum est. Sed contingit quandoque vt populus quem non cognouit Deus seruiat ei[n]; & inueniatur Deus à non quærentibus[o] se; & vocet Deus non plebem suam, plebem suam; non dilectam, dilectam; non misericordiam consecutã, misericordiam consecutã[p].

Quia populus sanctus es Domino Deo tuo.] Præponunt alij textus isto modo (*quia populus es sanctus*, &c.) Editio Hebræa, & Chaldæa carent substantiuo verbo: Græca id habet, sicut hic recitatur in nostro; videlicet ὅτι λαὸς ἅγιος εἶ, &c.) & illæ aliæ duæ addunt (*tu*) (*quia sanctus populus tu*) Chaldæa verò (*coram Domino Deo tuo* קֳדָם יְיָ אֱלָהָךְ *kodam Iehouah Elahach.*) Inest emphasis in eo quòd quis dicatur sanctus Domino Deo vel coram illo, & quidem suo. Sic in Leuitico[q]; *eritis mihi sancti*[r]: *sancti erunt Deo suo*: & in Numeris[s]; *simque sancti Deo suo*: libro[t] sequenti; *sis populus sanctus Domini Dei tui.* in 1.[u] Esdræ; *vos sancti Domini.* quamuis in primo & vltimo libro sermo sit de Leuitis sacerdotibúsque, qui magis proprio modo sancti, hoc est, dicati Deo erant. Illis autem locis Chaldaicè phrasi eadem dicuntur sancti coram Domino: quod, vt dixi, vim continet, vt iudicetur iudicio Domini, qui falli nequit, sanctitatem inesse; quemadmodum quando dicitur inuenisse gratiam corã Domino[x], iustus esse[y] coram illo, vel peccator[z], vel magnus[aa], &c. Præ oculis habendum quòd sumus de gente sancta[bb], filiíque sanctorum[cc], ac de generatione quærentium Dominum[dd], ne degeneremus.

Te elegit Dominus Deus tuus.] Græcè præfigitur (καὶ, *&*) quam particulam apponere non debuit qui Chaldæa transtulit, cũ in ea editione non sit, vt nec in Hebræa. De hac electione mentio præcessit c.4.[ee] & in hoc mox[ff] adhuc sequitur, & in 10.[gg] 14.[hh] 26.[ii] vbi præterea[kk] dicitur, quòd vicissim populus Dominum elegerit, vt esset ei Deus: & ipsosmet Hebræos citauit testes, quòd elegissent sibi Dominum vt seruirent[ll] ei.

a in Iud 8. 30.& seq. b ibidem. c ibid.q.19. 20.21.22. d speculo mor. scrip. verb. Religio. fol. 298.2. e vers 4 f vers.1.2. g Rom. 11. 26. h Baruch 4. 4. i Gen.32. 28.30. k Rom.9. 4.6. l Gal.6. 16. m in Polit. n Ps.17.44. o Esa.65.1. p Os.2.10. c.2.23.24. Rom.9.25. 1 Pet.2.10. Explanatio. q c.20.26. r c.21.6. s c.15.40. t c.26.19. u c.8.28. x Gen.6.8. y c.7.1. z c.13.13. aa Luc.1.15. bb 1. Pet.2.9. cc Tob.2.18. c.8.5. dd Ps.23.6. ee vers.37. ff vers.7. gg vers.15. hh vers.2. ii vers.18. kk vers.17. ll Ipsius 24.22.

Prima electio solius Dei est: per cooperationẽ tamen, quæ requiritur, & consensum, eligitur etiam à nobis. Sic verum est, quòd non eligimus eũ, sed ipse nos[a]: ac simul quòd nos illum eligimus: quemadmodũ conuertit nos, vt conuertamur; & conuerti monemur ad ipsum, vt se conuertat ad nos. Electio, inquam, ad primam gratiam, solius Dei est electio ad gloriæ consecutionem, non sine meritis nostris; vt antea attigi.

Vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis.] Iuxta reliquas editiones (*præ cunctis populis*, siue *super omnes gentes*, מִכֹּל הָעַמִּים *mecchol hahhammim*, מִכֹּל עַמְמַיָּא *mecchol hamemaia*, ἀπὸ πάντα τὰ ἔθνη. Idem peculiaris populi epithetum extat in simili sententia citatis sequẽtibus capitibus 14.[b] & 26.[c] in Exodo[d] autem; *eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Vbique habetur substantiuũ nomen Hebræum סְגֻלָּה *segullah*: Chaldæum חַבִּיב *chabbib*, Græcum περιούσιος. Rabbini sanctum populum in primo versus membro interpretantur segregatũ ab omni immunditia, & ab omni enormi fornicatione: peculij siue peculiarem veluti thesaurũ prædilectum. Oleaster hoc loco, & in Exodi c.19. sequitur eandem nominis Hebræi significationẽ siue pro re separata, rara, eximia, desiderabili, egregia, pretiosa, cara. Redditur alibi ab Interprete peculium[e], Græcè quod quis [illegible], *acquisiuit*, & [illegible], *acquisitio, vendicatio, lucrum*: vel possessionem[f], [illegible]: vel substantias[g], [illegible]. In Psalmo 134.[h] vbi legimus: *Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*, pro vltimo nomine est סְגֻלָּה *segullah*: & Græcè [illegible], secundùm editionem L X X. secundùm Aquilam & V. editionem, vt etiam retuli ibidem ex Hieronymo[i], περιούσιον, secundùm Symmachum ἐξαίρετον, quod vltimum significat selectum: Chaldaicè חֲבִיבוּנָא *chibbuna*, cui simile hîc חַבִּיב *chabbib* dilectum: quod alij præterea exponunt ornamentum, gemmam pretiosam, thesaurum, peculium, proprietatẽ; Hieronymus adhuc suprà, & apud Malachiam[k] acquisitionem seu possessionem [illegible]: itẽ apud Matthæum[l], & Lucam[m], cùm dicitur panis ἐπιούσιος, quotidianus aut supersubstantialis, meliùs verti ait[n] præcipuum, egregium, peculiarem: Denique cùm sæpiùs vim nominis περιούσιος, quod de populo dictum in epistola ad Titũ[o] redditur per acceptabilem, considerasset, nec quisquam de Sapientibus sæculi respondere quidquam potuisset, docet se ad hunc nostrum locum recurrendo, vbi, vt dixi, est περιούσιος, reperisse; quem alij abundantem, multum, copiosum, interpretantur. Admonui præterea, quod hoc quoque loco notat Eugubinus; quartum prædicabile ab Hebræis Logicis[p] nominari סְגֻלָּה *segullah*: punctum vnum vocale סְגוֹל *segol*; quia refert bullã de collo pendentem, in qua sint vniones seu gemmæ triangulariter dispositæ. Ibidem citaui commentarium alium meum in Ecclesiastem[q], vbi coaceruasse se Salomon scribit substantias, [illegible] ex L X X. [illegible] ex Aquila, [illegible] ex Symmacho; tum in 1. epistolam Petri[r], vbi vocatur populus acquisitionis, λαὸς εἰς περιποίησιν. Attuli quoque testimonium Delrij[s] nostri, existimantis formulam adagialem esse; quæ ad castrense peculium alludat; quamuis haud ita id approbem: sed latiùs patere arbitrer. Budæus[t] ex Theodoto, & Theophrasto vocẽ [illegible] significari obseruat id quod ratum est, insitatum, peregrinum. Alij quod industria, pretio, labore comparatum, vt propria possessio, ac tanquam carus dilectúsque thesaurus habetur.

a Ioan.15.16. b vers.2. c vers.18. d c.19.5. e Paral. 29.3. Malach. 3.17. f Ps. 134.4. g Eccle. 2.8. h vers.4. i in c. 2. ep. ad Titum. k cap.17. l cap.6. 11. m c.11.3. o in c. 2. epist. ad Titum. o c.2.14. p R. Salomon in logica edita Basileæ anno 1527. q in c.2.8. r in c.2.9. s tomo 1. adagial.in 85. t comment. ling.Græc.

Legendi in citatum locum epistolæ ad Titum Sotu maior, nostérque Iustinianus, & in locum Ecclesiastæ Pineda, qui his quæ tam pridem notaueram, addit quosdam paulò curiosius inserta litera N. singulatè deducere ex regulah. Peculium porrò Iurisconsulti accipiunt quasi posillam pecuniam, siue patrimonium pusillum pro patrimonio, hæreditate, possessione [a]: pro eo quod præsidij, subsidij, solatij causa vltra patrimonium, pecuniámve necessariam, ad ordinariam necessitatem reponit prudens paterfamilias; vnde adagiū, pecuniam sine peculio tē esse fragilem [b]: pro eo quod seruus domini permissu, separatim à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur [c]; & idem ferè est de filio [d]: habetúrque in vetere Glossario quòd πεκύλιον est ἀτομικὸν τὸ ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ ὄντος, ἀπὸ τοῦ [illegible], hoc est *possessio eius qui est in aliena potestate*, hoc est *filij, aut serui*: & distinguitur in paganicum, tum dominicum tum paternum, & in castrense, quasi castrense, profectitium, aduentitium. Generaliter tamen etiam accipitur pro facultatibus, ore patrum quidem familias exceptis bonis; ita vt synonymum sit cum dictis facultatibus, censu, fortunis, substantia, quia plerique [illegible] patrimonium suum, peculium dicunt, inquit Vlpianus [e]: Setatúsque ad id Virgilij [f], *nec cura peculi*, hoc omnine omne patrimonium intelligi docet, à pecoribus (vel vt seruis conuenit, ac si ille seruus esset, quia se apud Mantuam seruisse memorauit) in quibus vniuersa constabat veterum substantia; vnde etiam pecunia dicta à peculio: quod & Plutarchus [g] testatur διὰ τὸ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκούλια καλεῖ: etsi Festus pecuniam nobilium dictam velit, peculium seruorum. Plura in lexico totis Brissonius. Hugo vim constituens in vocabulo peculij, quasi possessio sit pecoris mansueti, populum peculiarem hic nominari vult, id est, mansuetum, & assuetum ad Dominum; citans ex Esaia [h]; *omne pecus Cedar congregabitur tibi*. Qui est sensus mysticus. Porrò frequenter dicitur populus Hebræus hæreditas, pars, funiculus, ac virga hæreditatis Dei, vicéque versa Deus populi Hebræi hæreditas, &c. quoniam ille populus Deo sanctus erat, id est, seruitio, cultuique illius dicatus: & propter Messiam oriturum ex eo populo, per quem Deus regnaret in domo Iacob in æternum; Deus autē erat summum bonum dicti populi, ac singulari modo possidebatur ab eo, & possessiones bonáque molta recipiebat. Qua de re alibi actum non semel.

> Peculium quid.
> a tit. de peculio cler.
> b l. 79. §. 1. D. de leg. 3.
> c l. 5. §. vlt. D de pecul.
> d l. 182. D. de verb. sign. Isid. 5. etym. c. 25.
> e l. 16 D ad S. c. Trebell. Fecio. 1.
> g in Public. Pecunia etymon.
> h c. 60. 7.

Qui sunt super terram.] In editionibus aliis (*super faciem terræ.*) Notat Abulensis [i] non poni hoc ad differentiam, quasi alij populi sint sub terra, quia nulli sunt, & infrà eam nihil est, sed ipsa iofta omnia, centrumque illius infimum in toto orbe: & licèt Antipodes veri sint, non oportet dicere eos esse sub terra. Id longiore oratione demonstrat. Verùm huiusmodi probatio vel annotatio parum necessaria est; atque hic idem loquendi modus multis aliis locis communis est.

> i quæst. 4.

Vers. 7.] Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores:

> PARAPHR.

Amplifica Moyses gloriandi occasionem Hebræo populo, quem affirmauerat esse san-ctum Domino, & peculiarem populum plusquam cunctos alios populos. Nec enim, inquit, Dominum, qui alioqui nullius eget, mouere potuit ad hoc vt vobis potiùs iungeretur quàm aliis, vósque præ aliis eligeret, ac singulari amore prosequeretur, quòd alios multitudine superaretis; siquidem infert Rickelius innumerabiles tunc homines fuisse in mundo, quia in populo Hebræo erant tot millia virorum (nempe sexcenta millia, & mille septingenti triginta [a],) præter mulieres, pueros, & puellas, immò & præter senes, qui non computabantur inter bellatores, qui soli ab anno vigesimo vsque ad sexagesimum numerabantur secundùm Iosephum [b], vt vidimus libro priore [c]. Inde verò præterea colligit quàm sint innumerabilia millia angelicorum spirituum, immò & Angelorum infimi chori, cùm quilibet homo specialem habeat Angelum sui custodem; atque secundùm diuinum Dionysium vnusquisque ordo, seu chorus angelicorum spirituum tanto plures in se habeat Angelos sanctos (idem est de malis) quanto superior est. Abulensis intelligit præsentem locum de magnis solùm populis, negátque verum esse quòd quilibet populus maior esset numero, quàm Israël. Populum deducentes à πολύς iterata syllaba prima, quasi esset πόπολος, accipiunt pro quauis multitudine: necnon qui deriuant ἀπὸ τῆς πόλεως; cùm sit πόλις, id est, *ciuitas* communis locus, in quo πολῖται πολλοὶ conueniunt *multi*, & populi ciues è vicis multis in vnam sedem iure sociatam conuenientes; ita vt etiam eiuis nomen ἀπὸ τὸ κίειν petatur, inquit Iulius [d] Cæsar Scaliger, seu à coëundo, quasi coiuis, secundùm alios. Hoc pacto non erat Hebræus populus alio quolibet minor. Sed populum sumi nunc puto synonymè pro gente: cùm in editionibus aliis repetatur idem nomen בעמים *bhammim* [illegible] *bhamemaia*, ἔθνη. De iisdem antea dictum est, quòd dilexit Deus patres eorum & elegit semen eorum post eos: & eduxit præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, vt deleret nationes maximas & fortiores. Rupertus [e] explanans promissum illud Abrahæ factum; *faciam te in gentem magnam*, non dixit, ait, in gentem multam, sed magnam: quia illa gens quæ promittitur, comparatione aliarum gentium, non valdè multa futura erat, prout hoc loco habetur, quem citat. Hæc est consuetudo Dei, inquit noster Maldonatus, explanans verba Baruch [f]; *non hos elegit Dominus*, nimirum gigantes, non numerum, non vires, non staturam, sed mores, vt in electione Dauidis declarauit [g]. Commendatio est hæc maxima beneficij diuini præ oculis habenda, quòd non multos potentes, nobiles, sapientes elegit Deus: & quòd nos ipsos vel ad fidem catholicam vocauit, vel ad ordinem religiosum, tot aliis præteritis aut multò melioribus, aut qui talibus beneficiis meliùs vsuri essent. Galatinus [h], propter mattem Messiæ vocatum scribit Israël populum Dei peculiarem: refértque R. Haccados summi nominis ac auctoritatis apud Iudæos ad sextam Antonini consulis petitionem ita respondisse, allato testimonio R. Simeonis filij Inhai. Deinde proferens hunc locum nostrum negat eos præ cunctis populis & gentibus electos in populum peculiarem vel quantitate, vel qualitate, sed proprietate. Non primum, propter ea quæ habentur hoc loco; non secundum, hoc est, quia sanctas haberent operationes, id enim Deus cap. 9. [i] reiicit: Pro-

> a Num. 26. 51.
> b 4. antiq. c. 6.
> c c. 1. & 16.
> Populus vnde dictus.
> Ciuis vnde.
> d in Hipp. de intom.
> Populus pro gente.
> e lib. 5. in Gene. 5.
> f c. 3. 27.
> g 1. Reg. 16. 7.
> h lib. 7. c. 11.
> i 4. 5. 6.

Proprietatem autem occultam illi populo vocat immaculatam Dei matrem ex eis processuram, vt R. Haccados loquebatur. Potiore iure propter ipsummet Messiam siue Christum asserere oportet à Deo electum populum illum peculiarem.

Explanatio.

Non quia cunctas gentes numero vincebatis.] Hebraicè (*non præ multitudine vestra*, לא מֵרֻבְּכֶם *lo merubbecbem*) Chaldaicè (*non præ hoc quod multi vos*, לָא מִסְגֵּיאִים אַתּוּן *lo midsaggahim itthun*) Græcè, *non quia multiplicati estis*, οὐχ ὅτι πολυπληθεῖτε. Versu 1. dictum est quòd septem Gentes ibi numeratæ multo maioris numeri erant, quàm populus Hebræus, & robustiores eo. In cap. 30. [a] pollicetur Deus obedientibus sibi fore vt maioris numeri faciat esse, quàm fuissent patres ipsorum: & Patriarchis promiserat seminis multiplicationem sicut stellarum cœli & arenæ maris [b]: quod etiam habetur in c. 4. [c] epistolæ ad Romanos iuxta nonnullos codices, licèt non in correctis, nec in editione Græca, vel Syriaca. Etsi verò in c. 1. [d] libri nostri affirmauit Moyses Hebræos esse sicut stellas cœli plurimos, orans vt Dominus Deus patrum eorum adderet ad hunc numerum multa millia (vbi cognosce quæ loco illo dixi) tædio affectus Moyses ob gubernandi molestias, populíque peruicaciam; potuit eo modo loqui, vt videretur ei multitudo quædam innumerabilis, cúmque stellis, quas numerare difficile sit, compararet. Nunc, vt priùs monui, collatio est cum Gentibus septem; quarum Hebræi regiones possessuri erant: quod exprimitur etiam versu 17. in c. autem 28. [e] inter comminationes hæc vna est contra nolentes audire vocem Domini, vt remaneant pauci numero, qui priùs erant sicut astra cœli præ multitudine. Salomō dicebat populū infinitum esse, qui numerari & supputari non posset præ multitudine; ideóque implorabat gratiam ad eum gubernandum [f]: scribitur præterea sub eodem Iuda & Israël innumerabiles fuisse sicut arenam maris in multitudine [g]: idémque scripsit [h], quòd in multitudine populi dignitas est regis, & in paucitate plebis ignominia principis. Argumentum enim præcipuum est virtutis in principe, ait Xenophon [i], si plures subditi ad ipsū libenter confluant, & in periculis vnà perseuerent. Reuocandis quoque de captiuitate Babylonica pollicetur Deus quòd multiplicaret eos; & non minoraret [k]: in qua captiuitate queritabatur Daniel [l] apud Deum, quòd imminuti essent plusquam omnes gentes, essénrque humiles in vniuersa terra, quamuis propter peccata sua.

Vobis iunctus est Dominus.] Verbum Hebræum חָשַׁק *chascsak*, Pagninus reddit (*annexus est, & complacuit.*) Vatablus (*ardenter dilexit*) Eugubinus (*concupiuit.*) Munsterus apostata pòstque illum Oleaster (*complexus est*, aut *coniunctus*) quia חִשּׁוּק *chascsiuk*, inquit vltimus [m], significat circulum, aut filum quo cingitur columna sicut vinaria dolia. In thesauro idem Pagninus interpretatur חָשַׁק *chascsak*, *concupiscere*, *desiderare*, *amare*, *diligere*, *complacere*, *adhærere*, *coniungere*, *cingere*, *propenso animo esse in aliquem*, *complecti*, *voluptatem in aliquo capere*: & præsentem locum adhoc exponit (*complacuit in vobis*, *adhæsit vobis*, *dilexit vos.*) In cap. 10. [n] transtulit Hieronymus (*conglutinatus est*) in cap. 21. [o] (*adamaueris.*) Vertitur alibi (*adhæsit* [p]) aut (*placuit* [q]) aut (*voluit* [r]) aut (*sperauit* [s]:) & in piel (*vestiuit* [t]) id est, cinxit, seu fecit cincturas columnarum. Condocunt hæ omnes notiones vt & nominis חִשּׁוּק *chascsiuk* pro doliari circulo, vt dixi, vel filo cingente, quam vocat editio nostra [u] cælaturam columnarum; & חִשֻּׁק *chiscsiuk* pro cantho [a], seu radio rotę: præterea חֵשֶׁק *chescsek* pro voluntate, complacentia seu placito, beneplacito, desiderio, dilectione [b]; vt intelligamus Dei erga populum Hebræum singularem amorem, beneuolentiam, beneficentiam: & spectando significationem cingendi, & cincturæ, quo pacto visus sit velut annulo [c], corona siue serto ac diademate [d], fascia pectorali [e] cingere ac ornare se populo illo, cúmque carum habere, aut illi loco istarum rerum esse. Quæ omnia hisque similia sponsæ ornamenta, quæ alligat sibi apud Esaiā [f] Deus comprehendens ait; *Viuo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Eodem autem loco statim promittitur multiplicatio hominum; *quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ* (quæ contigerant in captiuitate Babylonica) *nunc* (post reditum ex illa) *angustæ erunt præ habitatoribus.* Cæterùm Chaldaicum verbum (צְבֵי *tsaue*) significat (*complacuit*) Græcum προείλατο) valet (*præsumpsit*) siue (*præ aliis sumpsit.*)

Electio pro prædestinatione.

Et elegit vos.] Monui priùs vti nonnullos accommodationis saltem sensu isto verbo, sententiáque huius loci tota, pro prædestinatione, vt probent esse ex Dei electione ante opera prævisa. Id negari nequit si adæquatè accipiatur prædestinatio pro gratia vocationis, quæ omnino gratis datur, & vocari solet prima gratia. Quamquā eligere, eligi, electio, electum esse in diuinis litteris quandoque sumuntur vt referuntur ad aliquid temporale, aut certè ad gratiam communem iis etiā, qui non sunt prædestinati. Tali sensu dicitur Deus elegisse populum Hebræum hæreditatem sibi [g], & tribum Iuda [h], & cōplacuisse sibi in eis [i]: Paulus quoque [k] sæpe vt sanctos, ita & electos cognominat plurimos; quos omnes de numero prædestinatorum fuisse, probabile non est. Quin etiam isto eodē pacto paucos electos, & vocatos multos [l] quidā intelligūt, id est, vocatos ad fidem & Ecclesiam, qui nō consenserint, multos; paucos, qui consenserint: quamuis non quicūque consenserunt, & gratiam consecuti sunt, iúsque ad gloriā, perseuerauerint in gratia. Nec aliter accipiendi, quos Petrus [m] vocat electos aduenas dispersionis, &c. itémque genus electum [n]. Alioquin electi pro prædestinatis communiter accipiuntur, & sic loquuntur etiā Scripturę [o], ac nominatim quoque de Angelis [p]; immò & de Christo [q]. Illud verò idē de nomine electorū generali confirmari posset ex Electæ nomine, si verū esset in epist. 2. Ioannis designari per id Ecclesiam vel vniuersalem, vel particularē, quod noster ibidem sensit Serarius [r], sanétque OEcumenius; quódque dicitur Ecclesia [s] coëlecta συνεκλεκτή: aliqui enim, vt eodē loco docui, aiunt esse nomē propriū, vel appellatiuum, eo modo quo Rufus electus cognominatur in Domino [t]; conuenítque particulari personæ, quæ proprio alio nomine vocaretur, vt existimat Estius, addens si exponatur de electione non ad fidē tantū gratiámque iustificationis, sed etiā ad gloriam intelligi ex bona fiducia, non ex certitudine; quatenus decet nos cōfidere quòd quibus dedit Deus primum, sit daturus & secundū; vt idemmet Paulus iustum sibi scribit esse, sentire de Philippensibus [u]. Denique Augustinus [x] docet generaliter loquendo dici eligi, qui ex aliis, & præ aliis seliguntur, siue ad munus aliquod exercendum, siue ad locum aut dignitatem aliquam.

Cùm omnibus sitis populis pauciores] Ex Hebræo (*quia vos parum præ omnibus populis*, כִּי אַתֶּם הַמְעַט מִכָּל הָעַמִּים *chi atthem hammhat micchol habhammim*) Chaldaicè (*quia vos pauci præ omnibus populis*, אֲרֵי אַתּוּן זְעִירִין *are atthun zahherin*, &c.)

Græcè

Græcè *ὀλιγοστοί, paucissimi.*) Videlicet comparando Hebræos pro eo tempore cum populis sine gentibus Chananæitidis regionis, vt antea monui, notans repeti his nomen idem Hebræum [illegible] *bhammum*, & Chaldæum [illegible] *bhamemaiaa*, & Græcum [illegible]. In Psalmo 104. [a] *cùm essent numero breui, paucissimi & incolæ eius*: seu vt est in 1. Paralipom. [b] *cùm essent pauci numero, parui & coloni eius*, exponitur à nonnullis de toto populo Hebræo iuxta dictum tempus; licèt absolutè adeò multi essent in comparatione ad tempus quo in Ægyptum ingressi fuerant [c]. Typus quidam hac in re populus ille fuit prædestinatorum; qui etiā electi cognominantur, ac pauci. Viuēdum vt pauci, vt cum paucis eligamur. Angusta enim porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam: lata porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam [d]. Haud ineptè, ait Procopius, ad illos qui expertes hæreditatis erant, dictum est illud, *pauciores cunctis populis estis*, atque adeò similiter huic, *pauci qui seruantur* [e]: item huic, *contendite ingredi per arctam portam* [f]. Alibi tamen docui, ex Catholicis videri, maiorem numerum electorum esse: quoniam in extremo vitæ recipiunt Sacramenta, eóque tempore vt plurimum omnes de sua salute soliciti sunt, & vi sacramentorum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis fiunt ex attritis contriti: suppléntque Sacramenta defectū vltimæ dispositionis necessariæ ad iustificationē, id est, contritionis: qua contritione præsente, extra Sacramentum, semper & infallibiliter eodem instanti remittuntur peccata, gratiáque sanctificans cum suis donis infunditur. Oppositum huic vltimæ assertioni in Michaële Baio [g] damnatum est, damnaríque debet in Francisco [h] Syluio, qui eumdem re ipsa sectatur, quamuis recedere nonnihil velle videatur [i], vt legenti vtrumque apertè constabit. Atque idem dico de [k] Gulielmo Estio, quem Syluius, tacito eius nomine, transcribit paucis immutatis, vel additis. Articuli Baij sunt; Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cū remissione peccatorum. Catechumenus iustè, rectè & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lauacro demum percipitur. Per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum coniuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione sacramenti. Adde illam aliam [l]. In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, etiam in catechumenis ante Baptismum, est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum. Citat Syluius [m] Ioannem Moianum: & videtur ea opinio, ne dicam error, grassari apud Duacenses, atque Louanienses. Diligit Deus diligentes se [n]; cor contritum non despicit [o]: remissa sunt peccata multa Magdalenæ, quia dilexit multùm [p]: verè contritus habet vltimam dispositionem; sequitur ergo statim forma iustitiæ ac sanctitatis, & consequenter peccatorum remissio. Plura scholastico more alibi; éstque hoc ipso tempore quo scribo hæc opinio sub censura congregationis Cardinalium super indice librorum prohibendorum.

a v. 12. b c. 6. 19. c Deut. 26. 5. *Pauci qui.* d Matth. 7. 13. 14. e Luc. 13. 23. f Matth. 7. 13. g in bulla Greg. XIII. n. 31. 32. 33. 67. h 3. p. in supplem. q. 5. a. 1. i ad arg. 16. k in 4. d. 17. §. 1. 2. 3. l art. 42. m tract. 1. theol. pract. c. 8. n. 12. & 13. n Prou. 8. 17. o ps. 50. 19. p Luc. 7. 47.

Vers. 8.] Sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris, eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

CAusam cur Deus peculiarem sibi populum Hebræum elegerit negauit priùs esse, quòd is præstantior esset aliis, vel numero, vel alia qualitate: hîc tanti beneficij rationem reiicit in benignum amorem illius: atque in fidelitatem, qua voluit præstare quod patribus eius iurando promiserat, de tradenda terra Chanaan: quod vt fieret, eximia quadam potentia, & mirificis operibus de durissima Ægyptiaca seruitute populum illum extraxit, atque de potentissimi regis tyrannide liberauit. Præcedente [a] capite idem istud beneficium iisdem propemodum verbis expressum est, vbi alia loca indicauimus, in quibus idem exaggeranter inculcatur. Hîc verò adbuc insinuari volunt saltem per quamdam seu accommodationem seu similitudinem & comparationem, quod fons ac origo gratiæ salutísque nostræ, amor Dei est, qui prior dilexit [b] nos; nec elegimus nos eum, sed ipse nos [c]. Riekelius, posita distinctione electionis ad temporalia & ad spiritualia; quódque hîc de priore intelligendum videatur, sicut cùm Saül interdum vocatur electus [d] Dei, seu à Domino; & in quodam psalmo [e] electi Israël nominantur, quoniam quod attinet ad posteriorem, non omnes filij Israël, qui ex Ægypto educti sunt, erant prædestinati; notat in nobis electionem præcedere ante dilectionem; quia eligimus quem diligamus; in Deo priùs concipi dilectionem; quia voluntas nostra non causat bonum amando, sed ex præexistenti bono mouetur vt amet; Dei voluntas diligendo est causa bonitatis. Caietani eadem annotatio: quòd ratio prima electionis hîc redditur dilectio; contrario autem modo procedimus nos; quia eligimus quē diligamus; Deus quia diligit, eligit: præterea, quòd primum Dei erga nos beneficium radix omnium reliquorum beneficiorum est dilectio, qua Deus nos diligit: & quamuis generalis dilectio diuina communis sit omnibus creaturis, quoniam diligit omnia, & nihil eorum quæ fecit odio [f] habet; specialis tamen dilectio ad tale bonum, non est communis omnibus, sed specialis amor gratuitus; quemadmodum hoc loco vt populus Israël esset populus mundus deditus cultui Dei, ob quam causam elegit ipsum; custodiuit pactum cum Abraham, Isaac, Iacob; eduxit de Ægypto: denique, quòd cùm præcedenti capitulo mandatum fuerit de diligendo Domino Deo, ac declaratum debitum colendi vnum Deum ex hoc, quòd Deus est Deus vnus iudex; modò declaratur ex hoc, quòd speciali amore diligit; vt proinde diligere oporteat, timere & colere Deum duplici iure, & quia Deus est, & quia diligit nos; quorum illud conuenit Deo ex natura, hoc ex libertate; adde & ex liberalitate.

Sed quia dilexit vos Dominus.] Vertit ex Hebræo Rabinus Caietani (*quia ex amare Iehouah vos*) Pagninus (*quia ab amando Dominum vos.*) Est מֵאַהֲבַת *meahauath* ex מ *me* pro מִן *min ab, ex, præ,* & אַהֲבַת *ahauath*, quod est non verbum, sed nomen in regimine, cuius in statu absoluto nomen est אַהֲבָה *ahauah*, à verbo אָהַב *ahab*, siue אָהֵב *aheb*,

Paraphr. a v. 21. 22. 23. b 1. Ioan. 4. 10. c Ioan. 15. 16. d 1. Reg. 9. 2. e ps. 77. 31. f Sap. 10. 25. *Explanatio.*

amare, diligere, &c.& quamuis infinitiuus sit non tantùm אהב *ahob*, sed aliquando אהבה *ahauah*: tamen אהבת *ahauath* videtur non verbum, sed nomen esse in dicto statu regiminis. Græcè παρὰ τὸ ἀγαπᾶν, *propterea quod diligit*. In c.4.[a] *quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos*: Hebraicè *pro eo quia dilexit*, תחת כי אהב *thachath chi aheb*: Græcè διὰ τὸ ἀγαπῆσαι αὐτόν. In c.33.[b] benedicens Moses sub mortem suam dixit quòd dilexit populos Dominus, quod Lyranus & alij explicant de duodecim tribubus, quarum quælibet dici poterat populus vnus: aut generaliter quoniam diligit omnia, & nihil odit eorum quæ fecit[c]. Sed alibi[d] præterea extant de hac Dei dilectione erga populum Hebræum testimonia.

Et custodiuit iuramentum quod iurauit patribus vestris.] Græcè absque particola coniungente παρὰ τὸ ἀγαπᾶν κύριον ὑμᾶς διατηρῶν τὸν ὅρκον, &c. *propterea quòd diligit Dominus vos ad custodiendum iuramentum*, &c. Sed in Sixtinis biblijs habetur καὶ διατηρῶν, *& seruans*, siue *custodiens*. Crebra mentio de hoc iuramento patribus facto, & in hoc[e], & in aliis[f] libris: atque, quod attinet ad complementum iuramenti de terra promissa, dedisse hanc dicitur Deus, quam traditurum se patribus iurauerat, & ne vnum quidem verbum quod præstiturum se esse promiserat, irritū fuisse, sed rebus expleta esse omnia[g]. Certos omnino Deus nos de suis promissis facit; sed vicissim exigit, vt per bona opera certam faciamus vocationem & electionem nostram[h], reddamúsque nos dignos, per suam gratiam, promissionibus ipsius, iurando, ac statuendo custodire iudicia iustitiæ eius[i], quemadmodum fecimus in Baptismo, ac toties aliàs, vel firmiter proponentes, vel etiam vouentes.

Eduxitque vos in manu forti.] Additur Græcè (*& in brachio excelso*, καὶ ἐν βραχίονι ὑψηλῷ) non tantùm ἐν χειρὶ κραταιᾷ.) Vtrumque erat in cap.5.[k] secundùm omnes editiones: sed in nostra (*in brachio extento*) quod sonat etiam Hebræum נטויה *netuiah*: Chaldæum מרממא *meramema*, & Græcum ὑψηλόν, *excelsum*. In cap.6. extat in editionibus reliquis (*in manu forti*) solùm in Græca præterea (*& in brachio excelso*) sicut hîc, & in c.5. Relege dicta capitibus illis præcedentibus.

Et redemit te.] Iussit Dominus dici filiis Israël suo nomine à Moyse: *Ego*[l] *Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute; ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis.* Cecinit idem Moyses[m]; *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.* Præterea orans dixit: *Domine*[n] *Deus ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.* Eadem phrasis cum redimendi verbo extat[o] aliis in locis. Redimere, פדה *padah*, פרק *parak*, λυτροῦσθαι, præsertim primum & vltimum, significant propriè soluto pretio quidpiam emere, vel etiam iterum emere, vt alibi docui[p] ostendendo quàm sit proprium Christo vt redemptor cognominetur: quod explicatur à Nazianzeno[q], Ambrosio[r], Origene[f]; vnde & λύτρον, ac à Latinis quoque vsurpatum lytrum: & tamen aliquando accipi pro qualibet liberatione absque pretij solutione: præterea vt dicitur Deus vendere, quem à sua misericordia quodammodo alienat, tradens ministris iustitiæ puniendum seu venumdare vt faciat malum[t], aut sub peccato[u], sic dici redimere, quem veluti liberat misericorditer, erutum ab iisdem iustitiæ ministris; vel præuenit, ne iis tradatur. Quare qui

a v.37.
b v.3.
c Sap.11.25.
d Deut.23.5. 2.Paral.8.11 c.9.8. Esa.48.14. Oseæ 3.1.c.14.5. Malac.1.2. c.2.11.
e c.1.8.35. c.4.31. c.6.10.18.23. c.7.12.13. c.8.1.18. c.9.5. c.10.11. c.11.9.21. c.13.17. c.19.8. c.26.3.15. c.27.3. c.28.11. c.29.13. c.30.20. c.31.7.20. c.34.4.
f Ios.1.6. c.21.41. Iud.2.1. Baruch 2.33. Michæ 7.20.
g Ios.21.41.42.43. Iud.2.1.
h 1.Pet.1.10.
i ps.118.106.
k v.15.
l Exod.6.6.
m c.15.13.
n Deut.9.26.
o Deut.13.5. c.21.8. 2.Reg.7.23. 2.Esd.1.10. Esther.13.16. ps.73.2. ps.76.16. ps.77.42. ps.103.10. ps.106.2.
Redimendi verbum
p in actuū 7.35. in ps.7.3. in ps.25.11. in ps.106.2. in 1.Pet.1.18.
q orat.in 3.Pasch.
r de vita beata c.3.& in c.12.Luc.
f hom.6. in Exod.
t 1.Mach.1.16. 3.Reg.21.20.25.
u Rom.7.14.

negant B. Virginem ab originali peccato liberatam præseruatamque, quoniam redempta non esset, non considerant nobiliore modo redimi ab aliquo malo eum, qui ne in illud incurrat, alicuius beneficio præuenitur: quemadmodum præstantior medicus est, qui arte ac industria præuertit morbum; magis industrius Imperator qui ne arx capiatur impedit, &c.

De domo seruitutis.] Hebraicè (*seruientium*, עבדים *hhauadim*.) Eodem pacto superiùs c.5.[a] & 6.[b] & inferius cap.8.[c] cap.13.[d] & alibi[e]: vertitque noster Interpres semel[f] de domo seruientium, vt monui c.5.[g]

De manu Pharaonis regis Ægypti.] Manum pro potestate accipi notissimum est; ac interdum præterea pro exercitu. Pharaonis autem nomen iam præcessit in priore[h] capite; *serui eramus Pharaonis in Ægypto; & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti*, &c.

a v.6.
b v.13.
c v.14.
d v.5.10.
e Exo.5.6. c.12. Leu.13. Ios.24.16. Iud.6.8. Ier.3.13. Michæ 6.
f Michæ 6.4.
g v.6.
h v.21.
Manum pro potestate & exercitu.

Vers.9.] Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes:

Vers.10.] Et reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.

PRæter experientiam præteritæ benignitatis ac potentiæ diuinæ, circa redemptionem populi sui de durissima Ægypti captiuitate, immò ex tam singulari beneficio, eundem populum sibi absque vlla dubitatione persuadere debere admonet, fore omnino, vt quia potest, & promisit, perficiat id quod superest; dummodo præstet populus quod sui muneris est erga ipsum, vt scilicet pareat præceptis illius. Nam licèt tanta sit Deus præditus bonitate ac misericordia, erga obedientes & diligentes, vt eam protendat in mille vsque generationes: iustus tamen etiam est vindex odientium se ac inobedientium, ita vt non diu differat punitionem ipsorum. Cæterùm in cap.5.[i] similis extat præsenti sententia. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me, & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.* Vbi recitaui eiusmodi[k] alia testimonia: atque de intelligentia egi, & quo modo simul sit verum quòd filius non portet iniquitatem patris[l], &c. Abulensis[m] hoc loco docet Dei pacta de benefaciendo alicui genti conditionalia esse, iuxta illud; *si*[n] *custodierint filij tui testamentum meū*, &c. (adde hic inferiùs versu 12.& seqq. expressam conditionem, & in Esaia[o] cap.1.) idcirco quando diligebant Deum hi quibus promissio facta erat, recepisse prospera; cùm ad malum conuertebantur, Deum quoque contra eos in malum vertisse se, vt est apud Ieremiam[p]; quoniam etiam iuxta prouerbium,

Frangenti fidem fides frangatur eadem.

Inde colligit Deum dare filiis bonum, quorum patres ipsum diligunt: secus si hi non diligant, nisi ipsimet filij diligant: licèt nonnumquam filius malus faciat bonum propter bonos patres; vt cùm propter

Paraphr.
i v.9.10.
k Exod.20.5. c.34.7.
l Ezech.18.20.
m q.3. & in expos.tex.
n ps.131.12.
o ps.19.20.
p c.18.8.& seqq.

propter Dauid distulit segni diuisionem quam Salomon meruerat [a]; & propter eundem sub Abia improbo dedit lucernam in Ierusalem [b]. Adhæc ait, quòd si cui viro iusto promittat Deus pro illo, próque semine illius, siue filij post eum boni sint, siue mali, Deus custodit pactum & misericordiam cum eis: cum bonis magis perfectè; cum malis minùs perfectè; & quidem cum illis accessio quædam est ex meritis propriis, ipsaméque bonitas, siue gratia per quam illa fit, ad patres referri etiam potest. Si forsassis peculiariter pro filiis Deum precati fuerint, aut vt meliores fierent, aut vt ex peccatoribus boni. Caietanus asserit quod hîc propriè dicitur de populo Hebræo, verum esse: & quamuis videatur punitus esse quãdo sub Ieroboam idola coluit: ipsum tamen Ieroboam puniri cœpisse, quoniam aruit manus eius, & filium amisit: nec scriptas esse omnes punitiones: tamen ex narratis in libro Iudicum colligi posse id semper euenisse: denique non fieri dilasionem punitionis vltra tempus congruum secundùm diuinum iudicium; sicut contingit humanam iustitiam vel omnino non fieri, vel vltra debitum tempus differri: Mosem sic locutum, vt intelligerent Hebræi, aduenisse tempus puniendi septem illas Gentes; & iam completas iniquitates Amorrhæorum [c]. De hac tota re nonnihil egimus præterea explanantes Psalmum 102. [d] *Misericordia autem Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum: & iustitia illius in filios filiorum his* (nempe patribus) *qui seruant testamentum eius: & memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea*; item, cùm canitur [e] corroborata misericordia Dei super timentes eum: vel à progenie in progenies timentibus eum [f].

Et scies.] Per experientiam (quod cum mendo scribitur, & imperitè apud Abulensem per imperitiam) rerum gestarum. Rickelius explicat per fidem, per rationem naturalem, per experientiam diuinorum effectuum.

Quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis.] Hebraicè est יהוה *Iehouah*, & bis אֱלֹהִים *elohim*, & אֵל *el*, & נֶאֱמָן *neeman*. Penultimo respondet fortis, quem etiam propriè significat. Chaldaicè post יי *Iehouah* est אֱלָהָא *eloha*, tum אֱלֹהִים *elohim*, rursus אֱלָהָא *elohah*, postremò epithetum מְהֵימְנָא *mehemena*, Græcè πιστὸς, & ter θεὸς, denique πιστός. Monétque Eugubinus pòst *& cognosces quòd Dominus Deus tuus is est Deus*, καὶ γνώσῃ ὅτι κύριος ὁ θεός σου, οὗτος θεός, addi debuit non ὁ θεὸς *Deus*, sed ὁ ἰσχυρὸς, *fortis*. De vocabulis Hebræis aliàs dixi: & Hieronymus [g], recensens אֵל *el* & אֱלֹהִים *elohim*, & τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, id est, *ineffabile* Hebræi putauerunt; & scribitur literis י *iod*, ה *he*, ו *vau*; ה *he*, docet *el* reddi solere à LXX. θεὸς, *Deus*; ab Aquila ἐτυμολογίαν exprimente, ἰσχυρὸς *fortis*. Hugo attribuit nomini Dei, creationem; fortis liberationem; fidelis, quòd nullum sperantem in se decipiat. Abulensis explicat quòd Deus quem colebant Hebræi, esset verè Deus, & non sicut dij Gentium; fortis, quia potens ad liberandum de periculis; fidelis, quoniam custodiens fidelitatem promissionis: Rickelius, quòd fortis, id est, omnipotens; fidelis, hoc est, in promissis, & neminem in se sperantem decipiens. Cognomen fidelis de Deo adhuc habetur in c. 32. [h] & alibi [i], addendo quòd talis sit in omnibus verbis suis, & misericordiæ illius fideles, sanctáve fidelia, & quòd fidelis qui repromisit [k]: fortis item fortissimùve multis in [l] locis, vt omittam manum eiusdem fortem, seù brachium, quódque sit bellator fortis, aut vltor, &c. In quibus locis obseruaui ferè verum esse quod monuisse retuli Hieronymum pro אֵל *el* & forti, θεὸν positum à LXX. hoc est, Deum: quamuis non vbicumque *fortis* occurrit, est etiam אֵל *el*, sed צוּר *tsur* [a]; vel אֱלֹהִים *elohim*, & ἰσχυρὸς [b]; vel אַמִּיץ *ammits*, & κραταιός: siue σκληρὸς, durus [c], vel עִזּוּז *hhizzuz* & κραταιὸς [d] vel אָבִיר *abir* [e]: aliquando [f] ἰσχυρὸς, vbi אֵל *el*: interdũ [g] *Deus & fortis*, vbi אֵל גִּבּוֹר *el ghibbor*, θεὸς ἰσχυρὸς. Transferunt quoque nonnumquam [h] LXX. θεὸν vbi est צוּר *tsur* [i]: κύριον θεὸν τῶν δυνάμεων *Dominum Deum virtutum*, vbi יְהוָה *Iehouah* & גִּבּוֹר *ghibbor*: θεὸν [k], vbi אָבִיר *abir*: δυνάστην, vbi גִּבּוֹר *ghibbor*. [l]. Caietanus hoc loco ait significari Hebræum, populum dilectum ac electum; vt sciret ex diuinis operibus, quòd ipse esset elohim, id est, gubernator, seu iudex, & *el*, hoc est, summè fortis; & verax, seu fidelis, faciens quod dixit.

a 3.Reg.11. 34. b ibid. c.15. 4. c Gen.15. 16. d v.17. & seqq. e ibid. v.21. f Luc.1.50. Explanatio. g ep.136. h v.4. i ps.144. k Esa.49.7. c.55.3. Act. 3. 34. 1. Cor.1.9. c.10.13. 2. epist.1.18. 1.Thess.5. 24. 2. ep.3.3. 2.Tim.2. 13. Heb.10. 23. 1. Pet.4. 19. 1. Ioan.1. 9. Apoc.1.5. c.3. 14. c.19. 21. l Gen.33. 20. c.46.3. Exo. 15.11. c.20.5. Nu. 16.22. Ios. 22.22. c.24. 19. 1. Reg. 2.2. Id.2.22. 3.47. c.23. 3. 2. Esd.1. 5. c.9.32. Esther 14. 19. Iob.9.4. ps.7.12. c. 23.8. Eccl. 15.19. Es. 5. 24. c.9.5. c. 10.21. c.17. 10. c.26.4. c. 28.2. c.30. 29. c.42. 13. c.49.26. c. 60.16. Ier. 32.18. Soph. 3.17. 2. Machab.1.24. Ap.18.8.

a 1.Reg.2. 2. l.2.22.3. 47. c.23.31. Esa.17.10. c.26.4. b 2.Esd.1.5. c.9.32. c Iob.9.4. Esa.28.2. d ps.23.8. e Esa.1.24. c.49.26. f ps.7.12. g Es.9.5. c. 10.21. h Es.30.29. i c.42.13. k c.60.16. l Soph.3. 17.

Custodiens pactum & misericordiam diligentibus se.] Posito pacto, videtur iam iustitia esse, non misericordia; ex misericordia tamen, meráque gratia prouenit, quòd pacisci dignatus fuerit cum hominibus. Eadem reperiuntur paulò pòst versu 12. Apud Danielem [m] habetur oratio eius, in qua videtur hic locus transcriptus; quia dicitur Dominus Deus magnus & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus eum, & custodientibus mandata eius. Vbi Hieronymus ac Theodoretus, aiunt, quod pollicetur Deus, non statim futurum esse, sed in eos promissa compleri, qui custodiunt mandata illius. Quòd misericordiam cum pacto coniungat, perinde est, ac si dicat, inquit noster Maldonatus [n], custodiens pactum misericordiæ tuæ, id est, quo non nostris meritis, sed tua nos misericordia liberaturum promisisti: ita vt pactum & misericordia pro eodem accipiantur, sítque prima particula exegetica secundæ. Attendit verò etiam Deus in pactis, & promissis suis veracitatem ac fidelitatem, vt illa impleat, quando absoluta sunt, ac præsertim, ne periclitetur honor ipsius apud Gentes, ac infidelis habeatur, vel impotens, dij autem falsi potentiores: etiamsi alioquin hi quibus facta sunt, reddiderint se per peccata indignos, vt constat ex verbis eiusdem Dei recitatis ab Ezechiele [o]; & ex aliis Mosis ad ipsummet [p] Deum, &c. Dauidis [q]; rursus eiusdemmet Dei apud Esaiam [r]. Qua ipsa de causa, vt nimirum vindicaretur Deus ab omni simili calumnia, opponebant ei Patres ac Prophetæ gloriam sui nominis [s]. Cæterùm ex dicta conditione requisita, vt diligatur Deus, præceptáque illius custodiantur, inferri potest in prædestinatione respectum nonnullum haberi ad merita; quoniam Deus miseretur eorum quos suos fide & opere esse prænoscit. Quod ipsum quo pacto debeat intelligi, non est præsentis instituti: & vt priùs dixi, adæquatè sumpta prædestinatio, vt primam gratiam vocationis includit, non est ex meritis præuisis; sed merè gratuita. In quauis autem opinione, non est dubium, requiri merita in adultis prædestinatis: de modo, dissensio est.

Et his qui custodiunt præcepta eius.] Custodientes Deum diligendo præceptáque seruando custodit Deus: & qui eum diligit, mandata seruat [t], & sermonem eius [u]: atque hunc faciens manebit in dilectione illius, quemadmodum Christus in ea mansit, quia Patris præcepta seruauit [x]. Quos custodit Christus & seruat, nemo ex eis perit, nisi se faciat filium perditionis [y]; & Dominum derelinquat in non custodiẽdo [z], videlicet eum præceptáve ipsius, aut seipsum, ne seruiat peccatis;

quod

m c.9.4. n ibidem. Pactum & misericordia. o c.20.8. & seqq. c.36. 22. & seqq. v.32 & seqq. p Exod.32. 11. & seqq. Num.14. 13. & seqq. Deut.32. 27. q ps.113. 2. sec. Hebr. r c.48.9. c. 52.5.6. s ps.78.9. Dan.3.43. Iud.7.24. t Ioan.14. 15. u v.23. x c.16.9.10. y c.17.12. z Oseæ 4. 10.

a ibidem.

quod faciens comedit, & non saturatur, fornicatur, & non cessat [a], hoc est, voluptate non expletur neque gulæ, neque luxuriæ, ac nec ventrem suum explet, nec alienum implendo prolem suscipit.

In mille generationes.] Monet Abulensis hoc non referri ad custodire mandata, sed ad seruare misericordiam; esseque sensum, quòd si aliquis rectè mandata Dei custodiat, Deus custodiet misericordiam suam cum eo, & cum mille generationibus eius, id est, cum multis. Quod si tamen referatur ad custodire mandata, explicat, quòd Deus custodit misericordiam suam cum aliquibus, si obseruent mandata Dei per mille generationes. Sed hoc, inquit, nihil est; quia etiamsi vnus homo solus præcepta custodiat, cum illo seruabit misericordiam suam. Notat etiam Mariana noster, iungi ista cum illis verbis (*custodiens pactum & misericordiam.*) Caietanus, mille sumens vt finitum pro infinito seu indefinito numero, docet ista sententia, quòd custodiat Deus pactum & misericordiam in mille generationes, declarari disparitatem inter diuinam misericordiam erga diligentes Deum, & iustitiam erga odientes. De iustitia siquidem dixerat [b] Deus in primis suis præceptis, se visitare iniquitatem patrum vsque ad quartam generationem: de misericordia autem ex verbis eiusdem Dei ibidem declaratur quòd extenditur non ad quartam, sed ad millesimam generationem; vt eminentia misericordiæ perpendatur. Verba capitis 5. sunt: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me: & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.* Quem locum recognosce; & quæ de millenario dixi alibi. Petrus Bongus [c] de hoc inter alia obseruat, immensam Dei misericordiam designare, ac tempus euangelicæ gratiæ, cuius auctor Christus, qui tanquam principium & finis, α & ω [d], denotatur per literam א *aleph*, quæ vnitatem significat, at supponendo virgulam hoc pacto א mille, sicut etiam contingit in Græco α *alpha*, quod similiter est nota vnius, & ͵α mille; qui numerus millenarius periodus censetur ac finis omnium numerorum. Sed hæc subtiliora sunt. Ribera [e] noster demonstrat exemplis sacris prophanisque mille accipi non solùm pro innumerabilibus, verùm etiam pro multis, quemadmodum & centum pro his vsurpantur. Aristophanes [f] cùm πόλεις χιλίας, *vrbes mille* dicit, scholiastes eius ἀντὶ πολλῶν, *pro multis* interpretatur: & Iosephus [g] χιλίους ἀπέσβεις, *mille legatos* ad dignitatem, honestatémque legationis, quemadmodum & [h] Virgilius

Numerus millenarius.

b Sap. 5. 9. 10.

c de myste. numer.

d Ap. 1. 8.

e in Ap. 20. 4. n. 39. & seqq.

f in Vespis.

g 1. de bello c. 10.

h Æn. 11.

—*toto lectos ex agmine missos*

Mille viros, qui supremum comitentur honorem.

Sa noster exponit mille pro plurimis hoc loco nostro. Mitto etymon nominis miles, quasi millies, id est, de numero magno, seu exercitu; aut [i] quòd trium millium prima legio fieret ac singulæ tribus Tatiensium, siue Titiensium, Ramnetum, siue Ramnium, Ramnensium, & Lucerum, à Tito Tatio, Romulo, & ab incerto alio auctore. Malunt alij à mollitie per antiphrasim, à mole, à malitia, &c. Milium verò quoque inde deriuant ab innumerabili granulorum copia. Vocant item Hebræi אֶלֶף *eleph* familiam, quòd mille, id est, multi sint in ea.

Militis etymon.

i Varro 4. de ling. Lat.

Et reddens odientibus se statim.] Hebraicè (*& rependens siue retribuens, retributionémvè faciens odientibus eum, ad*, vel *in*, seu *contra facies suas*, aut *eius* וּמְשַׁלֵּם לְשֹׂנְאָיו אֶל־פָּנָיו לֹא יְאַחֵר *vmsciallem lesoneaus el panau.* R. Salomon exponit iuxta translationem Chaldæam (*& retribuens inimicis suis bona, quæ ipsi faciunt coram eo in vita sua, vt perdat eos*) וּמְשַׁלֵּם לְסָנְאוֹהִי טָבְוָן דְּאִנּוּן עָבְדִין קֳדָמוֹהִי בְּחַיֵּיהוֹן לְאוֹבָדוּתְהוֹן *vscielem lesonechi eabuan de innun bhabbedin kodmohi bechayehon leouiadehon.* Deus certè nullum siue præmio ac irremuneratum relinquens opus bonum, sæpe dat in hac vita præmium illi, quem in alia puniturus est. Secundus apud apostatam Munsterum, aliorum sensus est, reddi vicissitudinem à facie Dei irata, vt scilicet perdat. Tertius, reddere Deum vltionem his qui oderunt eum, stando contra faciem eorum, & increpando ac perdendo eos (quod in Psalmo [a] dicitur *arguet te, & statuet contra faciem tuam.*) Quartus, reddere his qui oderunt eum, in faciem eorum, seu conuertere odium eorum in faciem eorum. Eugubinus indicat quintum; qui oderunt Deum in faciem suam, id est, contra ipsum reflectitur eorum scelus atque odium: Deum enim execrari qui viuunt pessimè; eorum verò infelicem vitæ decursum esse, miserrimisque casibus obnoxium, & exitum atrocissimum, vt tam in hac, quàm in futura vita scelerum expendant supplicia. Quod vltimum per sequentia significatur. Oleaster, perpendens vim verbi שָׁלֵם *scialam*, vt significet integrare id quod diminutum est; qui autem Deo, aut proximo iniurius est, videri habere minus, quàm debeat habere, & illum qui passus est iniuriam, plus quàm debeat, & ideo cùm ille qui intulit iniuriam, punitur, dari ei pœnam, quæ videbatur ipsi deesse; declarat reddere ad faciem suam, idem esse, quod publicè, aut etiam si nolit, aut aduersetur. Nam homines, inquit, aliquando verentur inimicis in faciem resistere, seu iniuriam vindicare, faciúntque illud occultè; non sic verò Deus, qui neminem timet ac veretur: quemadmodum reddere dicitur in caput alicuius, vel opponere se faciei eius, nimirum publicè, & sine timore. In parte verò morali sic sumit reddere in faciem, ac si esset lædere ipsam faciem odientis Deum; idémque colligit grauitatem odij Dei præ aliis peccatis; quòd alios quidem peccatores pœna è vestigio sequatur, odientis autem se faciem lædat. Expositionem Chaldæi Paraphrastæ Mariana noster videtur approbare: Cornelius ex parte; nempe vt reddere in facies iis qui Deum oderunt, sit dum adhuc viuunt, eos punire, non differendo in filios: ita vt non sit sensus de bonis, præmiisque virtutum aliquarum, quas habent etiam impij; (quem quoque sensum refert Abulensis ac latiùs explicat, licèt non recipiat; & Leonardus Marius omnino sequitur) quoniam non congruunt sequentia (*ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.*) Placet & hoc mihi post Vatablum præterea, vt consentaneum nostræ translationi, & exemplis diuinæ animaduersionis in vitali adoratores [b], carnes concupiscentes [c]; Core, Dathan, Abiron [d]; sororem Moysi & Aaron [e]; murmuratores alios, quos pupugerunt serpentes [f], & in alios qui narrantur in libro Iudicum & Regum, ac Paralipomenon. Immò historicus auctor Machabæorum [g], vt notant Rickelius, Caietanus, Lyranus, Marzilla, post Hugonem; scribit inter magna beneficia Dei deputandum erga populum suum Hebræum; quòd non sineret ipsis peccantibus ea secreuria agere; sed statim vltiones adhiberet, & non, sicut in aliis nationibus, patienter expectaret, vt eas cùm iudicij

a Psal. 49. 21.

Reddere in faciem moraliter quid.

b Exod. 32. 1. & seqq.

c Num. 11. 4.

d c. 16. 1. & seqq.

e c. 12. 1. & seqq.

f c. 21. 6.

g 2. Mac. 6. 14. 15. 16.

dies

dies adueniret, in plenitudine peccatorum puniret: hoc pacto misericordiam simul suam ab iis non amouendo, & dum corripiebat in aduersis, eos non derelinquendo. Quare ratio Marij non concludit, quòd non puniat statim Deus: vel quòd indicet hic bona præsentis vitæ breuia admodũ esse ac momentanea, non perpetua, aut in filios & nepotes transmissa, sicuti sunt bona iustorum. Difficultatem facit in Hebræo textu pronomen affixum tertiæ personæ numeri singularis אֶל־פָּנָיו *panau*, quod non videtur posse referri ad odientes, sed ad Deum, quem odientes odisse dicantur in faciem, vt docebat Eugubinus. Editio nostra & Græca non habent pronomen post (*statim*) vel post κατ' πρόσωπον) proptereáque æquè posset explicari de odientibus Deum statim ac in faciem, & de Deo reddente statim, ac in faciem iis qui oderunt ipsum. Sed nullus apparet sensus aptus de odientibus Deum statim. Quare iuxta eum sensum quem sequimur consentaneum editioni nostræ dicendum est illud Hebræum pronomen affixum singulare poni, vt sæpe fit alibi, collectiuè pro pluribus, hoc modo: *& reddens odientibus eum in faciem eius*, id est, in faciem vniuscuiúsque ex odientibus, siue in faciem eorum. Restat expendere, cur quod Hebraicè est, אֶל־פָּנָיו *el panau*, verterit Interpres (*statim*) & non (*ad, in, contra faciem*) quod etiam Græca sonant κατ' πρόσωπον, quæ in versione etiam Latina Sixtina è Græco LXX. redduntur (*in faciem.*) Existimauit Interpres hæc non differre: & reddere alicui in faciem, esse, ipso præsente, & vidente; ac priusquam abeundi facultatem habeat, ita vt non euadat, sed resistatur ei in faciem, quod se Paulus[a] fecisse scribit cum Cepha siue Petro κατ' πρόσωπον.

a Gal.2.11.

Ita vt disperdat eos.] Hic quoque pronomen est affixum singulare tertiæ personæ in editione Hebræa (לְהַאֲבִידוֹ *lehaauido*, ad disperdendum, seu perdendum eum, vel perdere faciendum eum.) Sed vis illa non inest in composito Latino verbo, quam Rickelius attendit, vt diuersimodè perdat, ac damnet: nec enim dictum Hebræum verbum, cui simile Chaldæum est, vel Græcum ἐξολοθρεῦσαι, id significant.

Et vltrà non differat, protinus eis restituens quod merentur.] Hebraicè absque coniunctione (*non differet, seu non tardabit odienti eum: in faciem, seu faciem eius reddet ei*) Chaldaicè (*& non differet facere bonum inimicis suis pro bonis quæ faciunt coram eo, sed in vita eorum retribuit eis*) Græcè (*& non tardabit odientibus, in faciem reddet eis.*) Pendet huius intelligentia membri ex dictis de prioribus istius versus; & quantum ad rem, & quantum ad phrasim: vt intelligatur de pœnis statim inferendis, quod fusiùs explicatur ab Abulense, ne, inquit, Hebræi, quibus idololatria dissuadebatur, existimarent sicut in posteros obedientium longiùs extendebatur Dei benignitas ac beneficentia; ita & pœnas inobedientium in posteros dumtaxat, & non ilicò in ipsosmet inobedientes irrogandas. Id verò etiam antea monui censeri posse inter beneficia populi Hebræi; vt statim cùm peccaret puniretur; quemadmodum scriptor Machabæorum[b] historiæ citatus dixit: licèt non præcisè de Hebræis illius temporis intelligatur, vt Lyranum isto hic exemplo vtentem, non rectè Rickelius intellexit. Quamuis autem cum eodem Rickelio dici posset, quòd omnes odientes Deum ac reprobi protinus puniantur à Deo; quoniam respectu æternitatis omne tempus est tanquam momentum; vnde de impiis dicitur quòd subitò defecerunt[a]; & quamdiu hypocritæ ad instar puncti[b]; & quòd transierunt omnia illa tanquam vmbra[c], vt ipsimet impij fatentur: nihilominus ad literam sermo est de breui duratione secundùm communem etiam æstimationem. Id tamen prior docuerat Glossa interlinearis & Hugo: hicque obiiciens loca, quibus dilatio pœnæ[d] continetur, ait referri quoque ad pœnam spiritualem, quæ statim adest, scilicet subtractio gratiæ, & diminutio boni naturalis. Concedo item Cupono, ad pœnam subitam spectare in peccatore tormentum ipsum conscientiæ, atque pauorem, qualis in Cain[e] fuit, & in Adam[f]; quam Augustinus[g] iustissimam vocat pœnam, vt inordinatus animus ipse sibi sit pœna. At de pœna externa nunc agitur. Denique merendi verbum, cui propriè nullum respondet in editionibus aliis, benè idem Abulensis obseruat; accipi in malam partem pro pœna debita malis actibus. Sic reddi dicitur pro scelere quod quis meretur[h]; aut quis mereri iram[i], & deteriora[k]: aut iniquitas mereri[l]: item vocantur mercedes iniquitatis[m], & impietatis[n]; præuaricationis ac inobedientiæ[o], & iniustitiæ[p]. Mercedem & μισθὸν profani quoque auctores in deteriorem vsurpant partem; vt Cicero[q] magnam mercedem immanitatis in animo, stuporis in corpore, nihil dolere: quod Crantor iam docuerat, dicens τὸ ἀνάλγητον οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεσθαι μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ· τεθηριῶσθαι γὰρ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐκεῖ δὲ ψυχήν. Meritam item sceleris mercedem dare Plautus[r] dixit: alij mortis, aut periculi vel mereri malum, mortem, culpam, malè mereri, &c. Tandem sensu dixit eodem Virgilius[s],

b 2.Mac.6.14. 15.16.

a Psal.72.19. b Iob.20.5. c Sap.5.9. d Eccl.8.11. Iob.24.23. Sap.12.24. Rom.2.4. Apoc.2.21. e Gen.4.14. & seqq. f c.3.10. g 1.confess. *Merendi verbum.* h Iudic.20.10. i 2.Par.19.2. Iob.6.3. k Hebr.10.19. *Mercedis nomen.* l Iob.11.6. m Eccl.30. 20. Actuũ 1.18. 2.Pet.2.15. n 2.Macha.8.33. o Hebr.2.2. p 2.Pet.2.13. q Tusc.3. r Capt. scen. vlt. actu 5. s 7.Æn.

Hac gener atque socer, coeant mercede suorum, id est, pœna.

Et,

[t] *Huic aliud mercedis erit.*

Qua etiam formula vernaculæ linguæ vtuntur.

t in Sileno.

Vers.11.] Custodi ergo præcepta & ceremonias atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie vt facias.

BOna illatio, vt quia Dominus Deus amore tanto prosecutus est Hebræos, támque magnis affecit beneficiis, velut peculiariter sibi addictos: & eum diligẽtibus, ac ipsi parentibus adeo prolixè pollicitus est fore, vt in ipsorum gratiam posteris ipsorum longè pòst secuturis beneuolus & beneficus sit: si autem oderint; & obedire noluerint, confestim puniat & castiget, minimè dilata animaduersione; quod ipsum magni beneficij simul indicium est, tanquam optimi parentis filium erudientis; propter has inquam, causas, curent quàm diligentissimè ac exactissimè custodire, seruare, exequi, complere quæ fieri præcepit circa mores toti humano generi communes, circa cultum & ritum religiosum ad sacra pertinentem, circa proprias leges politicæ conuersationis causarúmque forensium; quæ est distinctio præceptorum in moralia, ceremonialia, iudicialia multoties alibi declarata. Hæc porrò omnia Moyses mandare se affirmat, sicut in c.4.[u] & 6.[x] itémque c.8.[y] 10.[z] 11.[aa] 12.[bb] 13.[cc] 15.[dd] 19.[ee] 24.[ff] 27.[gg] 28.[hh] 30.[ii] 31.[kk] tanquam Dei ministrum: & sub mortem suam maiore auctoritate loquitur, vt altiùs ac firmiùs imprimat auditori

Paraphr. u v.2.40. x v.2.6. y v.1.11. z v.13. aa v.8.13. 22.23.27. bb v.11.14. 21.28.32. cc v.18. dd v.5.11. 15. ee v.7.9. ff v.18.32. gg v.1.4. 10. hh v.1.13. 15. ii v.2.8.11. kk v.5.

ducoribus; solitus alioqui nomen ac auctoritatem Dei præcipientis interponere, atque sicut iniunctum sibi fuerat, eiusdem mandata à se proponi, significare. Vix certè in prioribus libris legitur Moyses hoc pacto ipsemet præcepisse; quamuis referatur præcepisse prout iussus fuerat id facere; hoc est, non legitur cum hac emphasi dixisse, ego mando seu præcipio. Paulus [a], *præcipio, ait, non ego, sed Dominus*; indicans posse Apostolos, & eorum successores quædam præcipere, quæ per se non præcepit Christus: Idémque Apostolus [b] & præcepit ipse, & discipulos voluit præcipere [c]; sed aliquando [d] cùm posset, negauit se imperare velle, à qua re abstinere pastorem decet, cùm aliter potest regere, ne videatur dominans in cleris, sed prouidendo non coactè, sed spontaneè sit forma gregis ex animo; vt primus post Christum pastor eiusdémque vicarius admonet [e]: Deus autem apud Ezechielem [f] reprehendit cum austeritate imperantes, & cum potentia: & rursum Paulus [g] requirit etiam in arguente omnem patientiam.

a 1. Cor. 7. 10.
b c. 11 2. 17. Col 2. 22. 1. Thess. 4. 2. 11 epist. 2. 3. 4. 1. Tim. 6. 11.
c 1. Tim. 4. 11. c. 5. 7. c. 6. 17. Tit. 2. 25.
d 2. Cor. 8. 8. ad Phili. v. 8. 9.
e 1. Pet. 5. 2. 3.
f c. 34. 4.
g 2. Tim. 4. 2.

Custodi ergo.] Particulam illatiuam non habent editiones aliæ, sed coniunctiuam ו *ve*, καὶ. Sed rectè Interpres eam adhibuit: habétque aliquando eadem particula posterior prioris vsum; vt non vno loco alibi vidimus. Exemplum etiam est in libro Ecclesiastici [h]; *pondus super se tollet qui honestiori se communicat; & ditiori te, ne socius fueris*, id est, ergo ne socius fueris ditiori, quem honestior quoque significat.

h c. 13. 2.

Explanatio.

Præcepta & ceremonias, atque iudicia.] Græcè additur (ταῦτα, *hæc*) & pro ceremoniis sunt iustificationes τὰ δικαιώματα. Lege de hoc & aliis vocabulis tum Græcis, tum Latinis, tum Hebræis, quæ dicta sunt isto eodem [i] libro.

i c. 4. 2. 40. c. 6. 2. 6.

Quæ ego mando tibi.] Codices Regij, & Complutenses in futuro (*mandabo*) admittúntque participia Hebræum & Chaldæum omnia tempora מְצַוְּךָ *metsauuech*, מְפַקֵּד *mephakked*. Sed Græcum verbum est præsentis temporis ἐντέλλομαι: hócque tempus magis congruit sensui, quoniam reipsa Moyses mandabat; quod indicatur etiam aduerbio (*hodie.*)

Τὸ Hodie.

Hodie.] Designatus dies & certus videtur significari hoc aduerbio: licèt nonnumquam accipiatur pro tempore præsenti cum quadam latitudine & indefinitè.

Vt facias.] In reliquis editionibus adiicitur (*ea.*) Igitur custodire initio versus denotat applicationem animi, vel curam retinendi memoria, probéque intelligendi quæ præcipiebantur, vt opere implerentur; essêntque memores mandatorum ad faciendum ea [k].

k ps. 103. 18.

Vers. 12.] Si postquam audieris hæc iudicia, custodieris ea & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam iurauit patribus tuis:

Vers. 13.] Et diliget te ac multiplicabit, benedicétque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum super Terram, pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi.

Paraphr.

INsistit Moyses in commendanda diuinorum mandatorum obedientia, proponens diuinas promissiones de bonis temporalibus, quibus populus ille rudis ac tanquam puer, vt Theodoretus [a] notat, infirmus, lacte vescens, nondum capax auditor æternorum bonorum, plurimùm alliciebatur; videlicet de prolis multiplicatione, terræ fertilitate, fœcunditate armenti & gregis, corporum bona valetudine, victoria in bellis. Chrysostomus [b] idipsum docet de vulgo dicti populi, quem vocat τὸ παχὺ, καὶ τὸν ἀσθενέστερον δῆμον, *multitudinem, & imbecilliorem plebem*, πολλοὺς, καὶ χαμαὶ ἐρχομένους, καὶ οὐδὲν μέγα δυναμένους ἰδεῖν, οὐδὲ ἐκτεῖναι τὴν τῆς ψυχῆς ἐλπίδα πρὸς τὴν τῶν μελλόντων ἀπόλαυσιν ἀγαθῶν, *multos & humi serpentes, & nihil magnum valentes videre, neque extendere animæ spem ad futurorum fruitionem bonorum*, quibus propterea ταῦτα τὰ παρόντα παρέχει ἀγαθὰ, τὴν ἀσθένειαν τῆς ψυχῆς αὐτῶν παραμυθούμενος, καὶ διὰ τούτων αὐτοὺς ἐνάγων ἐπὶ τὴν τῆς ἀρετῆς ἐργασίαν, καὶ εἰς τὴν τῶν καλῶν ἐπιθυμίαν ἐμβάλλων, *hæc præsentia exhibuit bona, imbecillitatem animæ eorum consolans, & per hæc eos deducens ad virtutis exercitium, & ad rerum honestarum desiderium immittens.* At Eliam, Elisæum, Ieremiam, Esaiam prophetas omnes, ac quotquot ad sanctorum magnorúmque hominum chorum spectant ait vocatos ad cœlos, eáque bona quæ electis sunt illic præparata: atque de talibus scripsisse Paulum [c] ad Hebræos, recensendo catalogum fidelium veteris Testamenti, qui in spe talium bonorum defuncti erant. Sed cauendum quod indicat ante iudicij diem non obtineri beatitudinem, quod de corporis gloria sola vix potest intelligi eum loqui. Illud autem rectè monet idem Apostolus exemplo veterum Patrum, qui spe bonorum æternorum inter tribulationes sustentabantur, non debere Christianos perturbari similibus vexatos, nec iis bonis externis affectos, quæ passim Hebræo populo quondam proponebantur. Addunt nihilominus Lyranus, Abulensis, Rickelius, Marzilla, Caietanus gratiam gratum facientem, qua Deus diligit gratuitque sibi hominem facit. Quod etsi non est improbabile, immò planè certum si quis diligat Deum: & omnia obseruet mandata illius: per se tamen fortassis de dilectione quantum ad beneficia & dona temporalia videtur Moyses nunc loqui. In sequentibus versibus continentur alia quæ Theodoretus numerat, valetudo nimirum & victoria. Etsi verò, vt Abulensis [d] notat, duæ benedictiones apud antiquos potissimæ erant, multiplicatio in filiis, & victoria contra hostes, vt constat ex promisso facto ad Abraham [e]; & ex faustis imprecationibus quando Rebeccam dimiserunt parentes [f]; censebatur tamen potior prima, ex qua sequebatur secunda: & felicitatem beatitudinémve obtinuisse Lia, existimans postquam genuisset sex filios; dixit: *hoc pro beatitudine mea. beatam quippe me dicent mulieres*; propterea appellauit eum, id est, nomen vltimi [g] Aser, id est, beatum. Procopius mysticè accipiens frumentum, vinum, oleum, ait Dei legitimis filiis sanctè ac fideliter cedere Christi mysteriorum participationem, & quæ per Spiritum sanctum fit vnctionem; qui vtique ab ægritudinibus animæ liberi sunt ac immunes: & quamuis anima etiam Dei studiosa his fertilissima sit, virtutis tamen operibus illas repellere, atque discutere. De mysticis rerum istarum quæ hîc promittuntur significationibus, actum aliàs non semel. Citat verò Augustinum Oleaster, scribentem nos iam malè debita

a q. 6.
b hom. Græcolat. serm. de diuersis noui testa. locis. in 25.
c c. 11. 13.
d q. 6.
e Gen. 22. 17.
f c. 24. 60.
Sensus mysticus.
g c. 30. 13.

debita Deo soluere, vt opus sit multa promittere & magna, vt parua soluamus debita. Infert hinc Caietanus, quòd diuina dilectio & electio nostram exigit obedientiam ad sui executionem: & quòd diuina dilectio dupliciter consideratur, vel vt præueniens; & sic est absque nostris meritis, & est primum donum, radixque omnium donorum: vel vt subsequens; & sic respondet nostris meritis: atque de hoc hic esse sermonem. In adulti, vt antea præmonui, prædestinatione merita propria requiruntur, siue prædestinationem, vt electionem dicit ad gloriam, ea illorum præuisione fieri asseras, siue habere se tantùm concomitanter, & vt conditionem. Nam adæquatè considerando vt includit primam gratiam vocationis, absque dubio non est ex præuisis meritis, & omnino præcedit illa.

Explanatio. *Si postquam audieris hæc iudicia.*] In editionibus aliis hoc & verba sequentia sunt numeri pluralis (*audieritis, custodieritis, feceritis*) Hebraicè והיה עקב תשמעון את המשפטים האלה *vehaiah hhekeb thischmehhun eth hammischpatim haelleh*, & *erit merces* (supple si) *audieritis iudicia ista.*) Caietanus reddens עקב *hhekeb* vsque, *& erit vsque audieritis*, &c. explanat; quòd tamdiu habituri essent bona enumerata, quamdiu obedirent diuinis præceptis. Oleaster licèt reddat idem nomen per Latinum, *merces*; ac vim explicans per allusionem ad verbum עקב *hhakab*, vnde appellatus est יעקב *Iahhakob*, seu Iacob, quasi significet fraudare, dolosè agere, remorari, à tergo tenere, insidiosè agere, quoniam qui insidiatur, tetrò & clàm insidiari solet; & proinde nomine עקב *hhekeb* denotari mercedem quæ è vestigio & quasi ex insidiis sequitur opus ipsum: tamen notat etiam à nonnullis reliqui sine interpretatione, ac si otiosè poneretur, quemadmodum à Munstero apostata. Vatablus exponit (*& erit is merces, propterea quòd audieritis*, &c.) Idem iudicium de particula Chaldæa חלף *chalaph*: potéstque vtrumque reddi (*si*) aut (*in finem*, seu *finaliter*) atque hoc secundo modo iuxta sensum quem tradidit Caietanus. Editio nostra similior Græcæ καὶ ἔσται ἡνίκα ἂν ἀκούσητε, *& erit quando audieritis*. Pro iudiciis autem sunt δικαιώματα, *iustificationes*, præfixo nomine πάντα, *omnes*, quod abest ab aliis editionibus. Cùm verò nominata fuerint priùs præcepta, ceremoniæ, iudicia, hæcque vltima eodem nomine Hebræo quod hîc est, sed Græca κρίματα; sequitur nunc per iudicia intelligi cuncta genera præceptorum moralium, ceremonialium, iudicialium, quæ audire, custodire, facere oportebat. Vbi obseruandus ordo vt priùs quis audiat, sed cum intentione obediendi ne sit solùm auditor verbi, non factor [a]; deinde vt custodiat, videlicet memoriter, cónferátque in corde, ac probè prácticéque intelligat ad hoc vt executioni & quidem semper & vbique mandet prout res exiget: postea faciat & exequatur: quod est, vt antes diai, memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea [b]. Meritò autem per nomen generale iudiciorum intelligi monui omnium præceptorum diuinorum genus, vel etiam per nomen iustificationum; quoniam summo eum iudicio iustitiáque traduntur à Deo, súntque iudicia iustificata in semetipsa [c]: & ex iis iudicandi sumus; atque in eorum obseruatione consistit iustitia nostra, dantúrque nobis gratiæ dona, vt Dei, qui nos sibi gratos facit & iustos ac sanctos, obtemperemus mandatis.

a Rom. 2. 13 Iacobi 1. 24.

b ps. 112. 18. *Iudicij verbum.*

c ps. 18. 10.

Custodieris ea, & feceris.] Iam monui numero plurali hæc verba extare in aliis editionibus: additúrque adhuc pronomen (*ea*) vltimo verbo.

Custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi & misericordiam.] Viuntur editiones quoque reliquæ singulari pronomine, quamuis proximè antè præcesserint verba pluralia. Pactum & misericordiam vidimus prius [a] coniuncta, & à Deo custodienda sub eadem conditione, aut similis si diligatur ipse, & custodiantur præcepta illius. Hugo autem notat, Deum ea pacto reddere quoad id, quod dat pro meritis, atque quoad hoc, esse iustitiam; sed quoad illud, quod dat super merita, dici misericordiam. Citat glossam super Ezechielem; *in malis reddet secundum merita; in bonis excedet modum clementia.* Subdit; quod ad illud, quod est misericordiæ, Deus non est obligatus, licet promiserit, quia ipse est supra legem, nec obligatur legibus. Denique iustitiam, ait esse, quantum ad opus; misericordiam, quoad virtutem operis meritorij, id est, gratiam, quam dat Dominus gratis. Gratis absque dubio prima gratia actualis datur, & prima etiam habitualis sanctificans; quamuis hanc in adultis præcedat ex auxilio gratiæ dispositio. Receptum etiam axioma est, de elementia, & præmio vltra condignum. Sed & in meritis iustorum negari non solet condignitas quædam ad augmentum gratiæ, & gloriæ, tanquam præmij mercedisque; quo tandem cumque modo spectetur iustitiæ ratio inter Deum & creaturam rationalem. Etsi verò supra legem sit Deus, nec vlla obligari possit; negare tamen seipsum non potest, vtpote fidelis [b], verax, ipsissima veritas, constans in promissis: & qui vitam æternam promisit, non mentitur [c]; impossibiléque est mentiri eum, qui pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui abundantiùs ostendit, interponendo iusiurandum [d] *Teneamus fidelissimum debitorem Deum*, ait Augustinus [e]; *quia tenemus misericordissimum promissorem. Non dicimus, Domine redde quod accepisti; sed redde quod promisisti.* Item [f], *debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod sibi placuit promittendo.* Hac de te alibi; tum verò etiam ex Areopagita [g] contra Elymam magum, qui Paulum insimulabat, negantem, Deum negare seipsum posse; cùm tamen sit omnipotens. Non posse, esse non posse: quemadmodum posse à veritate decedere, posse mori, posse non esse, &c. *Non* [h] *est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.*

a v. 9.

b 2. Tim. 2. 13.

c Tit. 1. 2.

d Hebr. 6. 17. 18

e in ps. 102. concio. 1.

f serm. 16. de verb. Apost.

g de diuin. nom. c. 8.

h Num. 23. 19.

Quam iurauit patribus tuis.] Græcè (ὡς ὤμοσε, sicut) & pluraliter (*patribus vestris*, τοῖς πατράσιν ὑμῶν.) De iuramento Dei sæpiùs actum est, nempe accommodatè ad nos vsurpatum, vt certiores reddamur; cùm alioqui simplex sermo ac promissio illius non possit non esse certissima, verisimáque, nec minùs velit ac possit perficere, quàm si non obligaret se iuramento, vt nos facimus, quoniam non ita possumus, vt docet Philo [i], Cassiodorus [k], Ambrosius [l], Athanasius [m], Chrysostomus [n], Augustinus [o].

i alleg. legis.

k in ps. 88.

l de Cain & Abel c. 10

m serm. de pass. & cruce Dom.

n in ps. 109.

o ibidem & in ps. 131.

Et diliget te.] Dilectionem istam retuli nonnullos ad ordinem gratiæ referre, & qua Deus gratum sibi faciat hominem per gratiam inhærentem: quæ diligentibus Deum, ipsiúsque præcepta seruantibus inesse solet.

Ac multiplicabit, benedicétque fructui ventris tui.] Græcè καὶ ἀγαπήσει σε, καὶ πληθυνεῖ σε, καὶ εὐλογήσει τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας σου, *& benedicet te, & multiplicabit te, & benedicet fœtum ventris tui.* Quæ translatio congruit cum textu Hebræo, & Chaldæo, in quibus bis est benedicendi verbum, & in medio verbum multipli

multiplicandi; post quod ponitur præterea pronomen(te.) Sed noster Interpres multiplicationem & benedictiouem retulit ad fructum ventris, siue ad fœtus, proles, suboles, natos, liberos, filios, fœtus quos etiam significat Chaldæum nomen לַחֲדָא *valda*; & in quorum multiplicatione benedictio consisteret, sicut & aliarum rerum, quæ statim hîc enumerantur: benedictio namque semper multiplicationem importat, inquit Abulensis. Posset primùm benediceudi verbum sumi vt cõmune ad copiam rerum sequentium, quæ per partes mox exprimũtur. Caietanus multiplicationem spectat circa numerum populi maximũ, similémque stellis & arenæ maris, cætera de opulentia quantum ad fructum ventris, & terræ, &c. Fructum ventris, vel vteri, vel lumbi legimus alibi [a], & in apocrypho Esdra lib. 4.[b] in Threnis[c] fructum mulierum. Exposui Psal. 126.[d] 131.[e] vim istius formulæ, quo pacto dicantur fructus ventris, siue vteri, siue lumbi proles, soboles, natus, filius non tantùm respectu matris, verùm etiam patris, quemadmodum, & in Psal. 109.[f] ex vtero ante luciferum genuisse se Deus, hoc est, Pater, dicit, vt ibidem annotaui. In commentario quoque libri Sapientiæ [g] attuli similitudinem liberorum cum plantis harúmque fructibus. In Psal. quoque 20.[h] synonyma sunt; *fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum*; significant enim liberorum interitũ. In Psal. 127.[i] comparantur filij cum nouellis oliuarum: & in 143.[k] filiæ cum nouellis plantationibus. Ioseph dicitur filius accrescens[l], Hebraicè בֵּן פֹּרָת *ben porath* ex Vatablo sicut ramus crescẽs aut plantula pulcherrima, aut arboris ramosæ filius: ex editione Chaldæa quasi vitis: & rectè adhuc posset filius fructificationis. In Exodo [m] creuisse narrantur filij, & quasi germinãtes multiplicati ac roborati impleuisse terrã. In Ecclesiastico [n] corona fratrũ similis asseritur plantarioni cedri in monte Libani & ramis palmæ. Christus filios spirituales comparauit cum palmitibus, se cũ vite [o]; meminítque plantationis plantatæ à Patre suo [p], quem appellauit agricolam [q]. Paulus[r] & Iacobus[s] insitionis: prior [t] verò etiam cum plantatione, irrigationis & incrementi. Quò spectant etiam nomina radicis, rami, plantæ, arboris, herbæ, floris, & similium in Scripturis diuinis & profanis. De benedictione circa multiplicationẽ prolis, actũ aliàs: de numerosa quoque prole cõgerit exẽpla multa Ioannes Bochius [u], ac in his quædam planè prodigiosa vnico partu editorum trium, quatuor, quinque, septem, nouem, vndecim, viginti duorum, triginta sex, septuaginta, centum quinquaginta, trecentorũ sexaginta quinque: ipseque alios auctores protuli [x]: ac risi cum Petro Cluniacensi [y] Iudæos promissum Dei de multiplicando semine Abrahã instar stellarũ & arenæ maris tam rudìter carnaliterque accipientium tempore Messiæ implendũ vt quælibet mulier quolibet die pariat filium. Infelices ait mulieres, quæ si maledictio diuina in feminas prolata permãserit, sicut quotidie pariẽt, sic acerrimo illo parientium dolore quotidie torquebuntur. Puto quia mallent nũquam concipere quàm cũ tam acribus, ac frequentibus doloribus parturire, vel patere. Quid tamen fiet de capitulo illo legis, quo præcipitur, vt mulier masculũ pariens quadraginta, fœminam octoginta diebus à copula viri abstineat [z]? Centies peperisse Chalcidica mulier nomine Cõbe fertur, quamuis non sit certum quot singulis vicibus ediderit liberos, de qua adagium; *tanquam Chalcidica nobis peperit vxor*, ὥσπερ χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή. Porrò iuxta apologiam, quidam * considerat fructus appellationem humini tribui; quoniam sicut planta primùm profert gemmam, deinde transit hæc in florem, tum existit fructus, sed durus & immaturus, tandem maturus tenérque, sed qui facillimè ad minimum venti motum, arborísve concussionem decidit: sed aliquando perit in gẽma, vel in flore; ad eumdem modũ homo se habet in gẽma infantię, pueritię, adolescẽtię; in flore iuuẽtutis; in virilis ætatis quasi fructu duro; in teneritudine: atque maturitate decrepitæ ætatis; quæ minima aliqua infirmitatis cõcussione in terrã & sepulchrũ cadit.

Et fructus terræ tuæ.] Editiones Chaldæa, & Græca, quæ priore membro non habebãt, hîc habent nomen fructus, ibi fœtuũ; quod nomẽ haud ita aptatur terræ, sicut nomẽ fructus animalibus.

Frumento tuo.] Hebraicè דְּגָנְךָ *deganecha*. Chaldaicè absque coniunctione, quam apponit auctor Latinæ translationis, וְתִירשָׁךְ *bhtirach*: Græcè τὸν σῖτόν σου. Eadem nomina sunt in c. 18.[a] libri præcedentis: quemadmodum & sequentia duo; licèt pro vindemia, sit ibi Latinè vinum. Ibi recensui multa scripturarum loca, in quibus coniungũtur frumentum, vinum, oleum, & alia in quibus similia, lectorem verò remisi ad cõmentarios Psalmorũ[b]. Nomen Hebræum & Græcum docui Psal. 4.[c] & 64.[d] significare non tantùm nobiliorem speciem, quæ vocatur triticum, sed alias, vt hordeum, &c. quas Plinius [e] numerat; legumina etiam postquã excussa sunt & ventilata; interdum panem, cibum omnem, &c. vnde quoque parasitus qui cum alio cibum sumit, præsertim assentando & adulando. Sunt qui Dagon hinc deriuent Philisthinorum [f] deum: sed alij à דָּג *dag* quod significat piscẽ, cuius ille infernè instar sirenum, vel in capite figuram haberet; & quia piscationi Philisthini operam in primis dabant, indéque viuebant; aut quia esset Deus piscium, quique ventris causa, vel ob fœcũditatem impetrandam (qualis maximè pisciũ est, adde & frugũ si etymon est דָּגָן *dagan*) coleretur; quasi eò Paulus [g] alluserit scribens; *quorum Deus venter est*. Gyraldus [h] post Eusebium [i] Phœnicum deum asserit Dagon fuisse Iouémve aratriũ, aratri ac frumenti inuentorem: alij Venerem; quidam Neptunum. Idolum id tandem coram arca truncũ decidit, & quasi totus venter: & cultores eius mariscis puniti sunt, ita vt ani computrescerent, intestináque inde prominerent ac defluerent. Plura Ludouicus Ballester [k] noster, simúlque de Derceto Syrorum dea, quam vocant alij Dercem, & Dercetem, vt Ouidius [l], facie muliebri, reliquo corpore figura piscis. Eam Diodorus[m] nympham vocat, & Semiramidis matrem. Lege præterea Serarium [n] nostrum, & recentiorem auctorem ex ordine Minimorum Claudium [o] Bangolium. Hic recitat ex hæretico Petro [p] Martyre Vermilio sẽtentiam de Neptuno, déque forma ab vmbilico sursum versùs humana, infrà piscis, quem דָּג *dag* valet: ex Ioanne Ænnio de Phorco seu Daguto, qui piscem porcum Aramicè significet, per compositionem Dag, & vtas, id est, delphinum; & quòd idem auctor nunc inter fœminea numina numerat, nunc inter mascula, confundens cum Dercete, quæ semipiscem sonet; quod etiam asserat citatus Gyraldus, & Iosephus Scaliger in Varronem: ex nostro Serario etiam citato, qui annumeret inter ἀρσενοθήλεις καὶ γυνάνδρους vtriusque sexus Deos: ex Ioanne [q] Seldano, quem sequitur, quòd masculus tantùm Deus fuerit, quoniam Philo Biblicus eumdem asserit cum eo, qui masculine etiam dictus est σιτών, à nomine

Benedicendi verbum.

a Gen 30. 2. Deut. 28. 4. 51. 18. 53. ps. 126. 3. ps. 131. 11. Michæ 6. 7. Luc. 1. 42. Act. 2. 30.
b c. 10. 12.
c c. 2. 20.
d v. 3.
e v. 11.
f v. 3.
g in c. 4. 3. & seqq.
h v. 11.
i v. 3.
k v. 12.
l c. 49. 22.
m c. 1. 6, 7.
n c. 50. 13. 14.
o Ioan. 15. 2. & seqq.
p Matth. 15. 13.
q Ioan. 15. 1.
r Rom. 11. 17. & seqq.
s c. 1. 21.
t 1. Cor. 3. 6. & seqq.
u in ps. 126.
x in actuum 7. 17.
y 2. contr. Iud. c. 5. col. 1102.
z Leu. 12. 4. & seqq.
Chalcidica mulier.
Tὸ Fructus.

* Gabr. Iacchinus de 4. nouiss. conc. de morte p. 2. §. 5.
a v. 11.
b in ps. 4. 8. ps. 80. 17. ps. 147. 14. vel 2.
c v. 8.
d v. 10.
e l. 18. c. 7.
f 1. Reg. 5. 2.
Dagon numen.
g Phil. 3. 19.
h syntag. 2. pag. 103.
i 1. de præp. c. 7.
k in onomatograph. verbo Dagon.
l 4. metam.
m lib 3.
n in Iud. 16. q. 23.
o in 1. Reg. 5.
p ibidem.
q Syntag 2. c. 3.

nomine οἶτος; quod esset frumenti Deus, vt Ceres: quæ citat Eusebij sententia est, proferentis testem Sanchoniathonē: ex Ioannis Fungeri etymologico [a], & Ioanne Druso [b] hæreticis. Verùm hæc obiter dixisse sit satis; vnde non incongrua suppeditari possit materia declamandi contra ventricolas horum potissimum dierum, quos non pudet appellare Bacchanalia: quæ truncata trūcaque cupiunt, qui ante arcam eucharisticam pias exercitationes frequentant, inimicos crucis fugitādo; limina autem sacra non tam pedibus, quàm osculis [c] exterendo. Porrò Latinæ vocis *frumentū* notatio à fruendo est, quasi fruimentum, immò & indidem fruges, ac fructus deriuant; súntque frumenta quæ ex se aristas mittunt omnia, Seruio teste; & fruges etiam arboreas Cornificius dixit: quamuis fruges malint alij dictas à φρύγειν, quod est torrere; quoniam olim ad esum, & fruges torrebantur, & frumenta; eóque Poëtam [d] allusisse.

a verbo Dagon.
b lib. 1.
c Hieron. in Sopho. 1. Brisso. in form. l. 1. pag. 45 ex variis auctorib.
Frumenti vox
d Virg. 1. Æn.

—frugésque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Priori etymo fauet formula, qua pabulum hybernum venibat, recitata ex Catone [e] in formulis à Brissonio [f]: *pabulum frui occipito ex Kalend. Septembrib.* &c.

e de re rust. c. 149.
f l. 6. pag. 557.

Atque vindemia.] Est cum pronomine תִּירֹשְׁךָ *thiroscecha*, חֲמַר *chamrach*, οἶνος *ou*: quæ nomina significant vinum; ac primum quidem recens, siue mustum; secundum putum ac merum. Vinum ab οἶνος, & hoc à יַיִן *iain* descendere alibi dixi. Redditur tamen יַיִן *iain* aliquando [g] per γλεῦκος & mustum, atque Chaldaicè vinum seu mustum nouum חֲמַר חֲדַת *chamer chadath* nonnumquam [h] dicitur de succo malorū granatorum tum יַיִן *iain*, tum mustum. Aliter mustum dicitur עָסִיס *hhasis*, & sic etiam Latinè transfertur. Græcè autem οἶνος νέος, *vinum nouum* [i]. Postremò apud Michæam [k] distinctè ponūtur תִּירוֹשׁ *thiros* & יַיִן *iain*, Latinè mustum & vinum, Græcè dumtaxat, οἶνος: *tu calcabis mustum, & non bibes vinum.* Vindemiam vocant Hebræi בָּצִיר *batsir*, Græci τρυγητόν. Quia tamen dum vindemia fit, exprimitur mustum; rectè Interpres vindemiæ nomen vsurpauit hoc loco. Alibi [l] vindemia est eodem modo sicut hic, vbi תִּירוֹשׁ *thiros*, & οἶνος: קָצִיר *katsir* [m] messis, cum קַיִץ *kaits* pro vindemia, cùm istud significet æstiuum fructum, præsertim ficus. Vindemia à demendo vino cùm de vitibus decerpuntur vuæ transfertur ad alia, ita vt dicatur vindemia mellis [n], id est, collectio eius. Quin etiam sumitur quandoque pro ipsis vuis; vt

Vinum vnde.
g Iob. 32. 19.
h Cant. 8. 2.
i Esa. 49. 26.
k c. 6. 15.
l Esa. 24. 7.
m c. 16. v. 9.
Vindemia vnde.
n Colum. l. 11.
n Virg. 2. Georg.

[o] *Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.*

Et,

[p] *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.*

p ibidem.

Virgindemiam denique, seu virgidemiam collectionem virgarum nominant verberandi, aut vinciendi causa, Plautus, & alij. Cæterùm תִּירוֹשׁ *thiros* descendere volunt à יָרַשׁ *iaras*, quasi mustum sit vt infantulus aut lactens recens ex vuis natus: vel ab expellendo, quod ex suis pelliculis tanquam domo, expulsum, extrusum, expressum: vel à possidendo, quod optima hominis possessio: vel quòd videatur vuarum, ex quibus exprimitur, colorem, saporem, & quasi naturam hæreditare, donec efforuescat & maturescat. Refert hæc [q] Villalpandus noster, ac vltimum probat præcipuè; quódque cognomen Nehemiæ Athersatha, seu Athirsatha [r], significet, quòd is præ aliis hæreditauerit possessionem patrum suorum, recipiens vrbem sine muris, atque pulsis hostibus muris cingens, ac posteris tutam tradens: vel

Mustū quid.
q in Ezech. tom. 3. p. 1. l. 3. c. 3.
r 2. Esd. 8. 9. c. 10. 1.

quòd esset pincerna regis, ac vini prægustator, cùm sit תִּירוֹשׁ *thiros* mustum seu vinum, & שָׁתָה *scathah* siue שְׁתָא *scatha* bibere; vel quod ei liber vini vsus à Iudæis permissus est, vt officio illo fungeretur, cùm alij ad exemplum Danielis & sociorum, vino tegro & cibo ceu re immunda, abstinerent [a]: est enim חֵירוּת *heirut* licentiam dare; & שָׁתָה *scathah* siue שְׁתָא *scatha* bibere, vt dixi.

a Dan 1. 5. & seqq.

Oleo.] Additur hic etiam pronomen (*tuo*) ab editionibus aliis. Oleum nouum valet יִצְהָר *itshar* seu mox vt calcatum est, à claritate, puritate, limpidnare; quemadmodum præcedens nomen תִּירוֹשׁ *thiros* mustum, siue vinum recens, cum quo præsens non rarò coniungitur: & quod contra quam contingat oleo effluere mitto solet subturbidū: Generale olei, quod ex *iisdem* sumi videtur, nomen Hebræum est שֶׁמֶן *scemen*, próque omni pinguedine, vel naturali, vel condita: מִשְׁחָה *misthah* vnguentum significat vnctionémque eo oleo, vnde מָשִׁיחַ *mascaach*, Chaldaicè מְשִׁיחָא *meschcha* Messias, & Christus, id est, vnctus: זַיִת *Zaith* olea seu oliua pro arbore & fructu. Oleum quoque Latini, & oliuum interdum vsurpant de liquoribus pinguibus aliunde quàm ex olea seu oliua expressis, vt ex cedro, cuius erat succus magni ad lumina vsus, vt meminit Plinius [b]; quamuis Seruius [c] neget olei eum vsum apud veteres fuisse; sed lignorum ac tædarum, præsertim in Italia. Apud Hebræos passim oleum adhibebatur ad lumina, vt constat ex diuinis literis.

Oleum.
b L. 24. c. 4. & c in Æn. 7.

Et armentis.] Deest hoc item loco pronomen (*tuis.*) In Hebræo textu sunt duo nomina cū pronomine affixo in posteriore שְׁגַר אֲלָפֶיךָ *scegar alaphecha*; quæ Vatablus exponit fœtum boum tuorū: Pagninus emissionem vel primogenitum boū tuorum, quod scilicet primum emittit vulua; vt magis declarat Oleaster [d]: qui tamen mauult omnem emissionem seu apertionem & fœtum, cui nimirum dicitur benedicturus Deus, vt & alia; atque multiplicaturus: vel immaturum fœtum, ne scilicet talis prodeat; vel ventrē: & denique ignotam ait esse significationem nominis שֶׁגֶר *segar*, videríque nonnullis peregrinum, ac Hebraismo adiunctum. Latinā vocem aliàs declaraui maioribus animalibus propriè cōuenire quæ aratro seruiūt, aut vecturæ, oneribúsque conuehendis, quales boues, equi; vel etiam quæ armis apta. Genus posuit Interpres pro specie, quam speciem expressit quoque Græca editio per τὰ βουκόλια τῶν βοῶν σου, & Chaldæa per בַּקְרֵי תוֹרָךְ *bakre thorach*. Est autē אֶלֶף *eleph* bos quasi dux אַלּוּף *alluph*, maximúmque inter greges animalium: sicut & alphabeti litera prima aleph velut dux præcedit alias, & millenarium א denotat, vt pridem dixi, póstque absolutas alias ad reliquos numeros significandos, vt mille designentur ad initiū alphabeti reditur. Lege de vocabulo Hebræo dicta in Psalmis [e]. Boues non est dubium hîc per se intelligi cum vario quasi genere vitulorum, taurorum, iuuencorum & vaccarum cum pari quodam discrimine.

d hîc & in Exod. 13.
e in ps. 8. 8. ps. 49. 10. ps. 143. 14.

Gregibus ouium tuarum.] Præfigunt (&) editiones reliquæ: & sub ouibus ex vtroque textu comprehenditur ouillum omne genus & caprinum omnis ætatis, Græcè τὰ ποίμνια τῶν προβάτων. Ea Hebræis posterius nomen צֹאן *tson* non semel alibi occurrit nobis; priùs עַשְׁתְּרֹת *hhastharoth* notat Oleaster esse ignotæ significationis, quoniam in Genesi [f] sit nomen loci (addere potuit libri nostri cap. 1. [g] & Iosue aliquot capita [h], & 1. Paralipom. [i] in libro Iudicum [k], & in 1. Regum (hoc est, in tertio [a], si primi duo vocentur etiam

f c. 14. 5.
g v. 4.
h c. 9. 10. c. 12. 4. c. 13. 12. 31. c. 18. 13.
i c. 6. 71. c. 11. 44.
k c. 2. 13. c. 3. 7. c. 10. 6.
[a] c. 11. 5. 33.

Regum,& non Samuel,sed ibi est *Asthartæ*) idoli: videri nonnullis caulas significare: si radix sit *atar*, multitudinem;quoniam valet *atar* multiplicare; atque sic verti debere multitudinem pecudum;addititiam verò esse literam *Tau*. Multiplicate significat עתר quod *bhathar* scribendum est, non *atar*,nec intelligo quid velit Oleaster per adiectionem *Tau*, quod etiam aspiratè scribi debet ת *Thau*. Ponit Pagninus in thesauro inter voces quatuor literarum עשתר *bhasthar*, & inde עשתרה *bhastharah* pro grege;& plurale quod hîc habetur עשתרות *bhastheroth* pro gregibus & caulis, referens ex opinione quorundam Rabbinorũ, significare tantùm fœmellas gregis ouilli,ac deducere ex עשר *bhascar*, *ditauit*; quod illæ suos dominos lacte,caseo, lana, agnis ditent:præterea quòd *Astarte* (meliùs *Asthartæ* iuxta rationem scribendi Hebraicam)esset dea Sidoniorum,seu Venus multimammia, quam ob prolis fœcunditatem colerent,vt omnium nutricem viuentium:simolachrũ ouis figura factum esse: ab idolo illo vrbem nominatam,in qua potissimùm coleretur;vel è contrario ab vrbe idolum denominatum; in qua essent artifices id fabricantes, quæque insignis foret gregibus,vel etiam femellis ouium. Deducunt nonnulli [a] nomen es *bhas*, quod est,arcturus, & *thor* ordo gyrans: quasi sit vnum ex gyrantibus astris,& somptum pluraliter duodecim signa cœli: quidam [b] ex Græco ἄρχον, esseque luciferum. Aliis [c] placet nomen commune esse pluribus numinibus fœmininis à עשר *bhascar* diuitem esse ac beatum, applicari verò ad eas deas quæ in singulis locis colebantur. Formam pluralem Augustinus [d] ait denotare plures eiusdem nominis deos deásve: alij honoris causa de eodem dici sicut Elohim,Baalim,&c. & de ingẽti bellua Behemoth. Confundunt quidam cum Adagarte [e] & Astroarche [f]. Arias, vt disi, communem facit pluribus appellationem. Peregrinitas vocabuli, quod Hebræi postea cum peregrina religione receperunt, cui linguæ, quia Punica similis est, ideo forsitan Augustinus Punicum esse affirmauit,indicat idolum cultum fuisse à Gentilibus, vel à Sidoniis & Phœnicibus, vel à Philisthæis, vel etiam à Syria vniuersis, & à Moabitis ac Ammonitis [g]. Syriæ deam nominant,aut Sidoniæ,aut Phœniciæ Varro [h], Cicero [i], Plutarchus [k], Apuleius [l], Tertullianus [m], Minutius [n], Eusebius [o], Lucianus [p], Theophilus citatus à Gyraldo [q],Philastrius [r],Augustinus [f], & passim alij, nominatim de Syris affirmantes. Sed Philastrius Astbar, Astharóthque nomina vult fuisse Syrorum & Ægyptiorum, hominum & fœminarum, quorum post Mosis mortem figuras plurimi colerent, eo quòd populi illi eos venerati essent templis, sacrificiisque. Iunonem existimat Augustinus ac plures Latinorum post eum,necnon Lucianus [t], siue Lunam fuisse, quæ non differat à Iunone,sicut Baal Iouem, cum quo nominari solet Astbaroth,& dominum significat,dicebarúrque Baal Samen, id est, dominus cœli Punica lingua, inquit idem Augustinus. De Venere sentiunt priùs nominati Theophilus [u], Theodoretus [x],Eusebius,Cicero,Plutarchus (nomen Iunonis addit describens incunabula & semina omnibus ex humido præbentẽ,omniúmque bonorum principium mortales docẽtem) Suidas; præterea,Philo Bibliensis,Theophylactaus [y],Procopius [z],Nicetas [aa],Cedrenus [bb];quam etiã Pausanias [cc] (cognominans machinatricem, & armatã repræsentans) cultam primùm ab Assyriis, tum à Phœnicibus, Paphiis, Cytheriis prodit, siue sub

a Auenar.
b Theod. 1. Reg. q. 14. Suidas.
c in Iudic. 2.
d q. 16. in Iudic.
e Petr. Crinit. l. 14. c. 8.
f Gyrald. Syntag. 13.
g Iud. 10. 6. 1. Reg. 31. 10.
h 4. de ling. Lat.
i 3. de nat. deor.
k in M. Crasso.
l in dea Syr.
m apo. c. 24.
n in Octauio apud Arnob.
o 1. de præpar. c. 7.
p de dea Syria.
q suprà.
r de hær. c. 27.
f suprà.
t suprà.
u apud Gyr. syntag. 13.
x in 3. Reg. q. 48. & l. 4. q. 18.
y in Osee 4.
z in 4. Reg. sub finem.
aa in ora. 75. Nazian. n. 58.
bb in compendio hist.
cc in Africis & Arcadicis.

nuda forma fœminæ, vt scripsit Theophylactus, & alij addẽres mammas multas,siue astri, vt Theophilus,& Suidas; siue ouis,vt alij quos antea indicaui;siue,quod verisimile sit; quoniã Phœnices ac Syri Adonidem Veneris amasium venerabantur [a],& hunc quoque Israëlitæ [b]. Legendi lexicographi Hebręi,Gręci,Latini,scriptoréſque dictionarij historici;scripturarum item Enarratores, in quibus extat hoc nomen; præsertim noster Serarius in librum [c] Iudicũ,ad hæc Pineda [d] de rebus Salomonis,Ioannes [e] Fernandius(hic aliud etymõ tradit pro nemoribus & syluis in quibus Iuno coleretur) Ludouicus [f] Ballester; ex aliis Pamelius [g],Calcagninus [h],Renatus Laurentius [i].

Super terram,pro qua iurauit patribus tuis,vt daret eam tibi] Numeratæ promissiones pertinebant ad terram iuramento promissam:de quo iuramento dictum sæpiùs. Pronomen(*eam*)adiecit Interpres. Iuramenta tribubus locutus dicitur Dominus [k], quoniam illis præstita sunt, licèt priùs earũ patribus facta;siquidem neque passum pedis in ea terra habuisse Abrabam testabatur Stephanus [l]: & apud Ieremiã [m] Deus maledictum pronunciat qui nõ audiret verba pacti,quod præceperat patribus in die qua eduxerat eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, vt suscitaret iuramentum quod iurauerat patribus eorum (nempe illorum qui educebantur,id est,Abraham, Isaac, Iacob) daturum se terram fluentem lacte & melle.Iuramentum propriè ac peculiariter factum Hebræo populo non legimus; sed quod fecit Deus primis illis patribus,illi fecisse quoque censetur.

a Macrob. 1. 1. c. 21.
b Ezech. 8. 14.
c in c. 1. q. 2.
d l. 7. c. 12. §. 2.
e in thesau. Scripe. c. 163.
f onomatograph. verbo Astharoth.
g in Tert. apol. c. 24. n. 379.
h 3. osserua. 3.
i in Tertul. apol. c. 24. n. 5.
k Abac. 3. 9.
l actuũ 7. 5.
m c. 11. 5.

Verſ. 14.] Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus,tã in hominibus quàm in gregibus tuis.

QVam prioris versus initio nominatam vidimus multiplicationem, benedictionémque impertiendam fructui ventris Hebræorũ, expressius declaratur hic, vt præ cæteris popolis sit ille populus benedictus multiplicatúsque, ita vt nec masculi nec fœminę steriles ac infœcũdi sint,nec in humana specie, nec in aliorum gregibus animalium,quæ seruiunt vsibus humanis. In Exodo [n] similis promissio est de fœmina; *non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*. In c. 28. [o] libri nostri promittitur benedictio fructus vẽtris humani, terræ, iumentorum,armentorum,ouium. In c. 5. [p] Prouerbiorum id sibi vult vena benedicta. Inter beneficia sibi collata,seu Laban in gratiã Iacob,Iacob ipse dixit quòd oues & capræ, quas socero pascebat,steriles non fuerunt [q]:cùm autem Rachel infœcunda liberos dari sibi peteret,Iacob respondit iratus, *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui* [r]?In Ieremia [f] Iechonias iubetur pœnæ loco sterilis scribi. Propter Sarai retẽtam ab Abimelech concluserat Dominus omnẽ vuluam domus eius [t]. Similis pœna Michol [u], & imprecatio apud Oseam [x], aliæ pluuiarum,alimoniæ, sepulchri, id est, resurrectionis. Inter claues quatuor quas Rabbini Deo dant, vna est generationis & vuluæ: ac ferè quoties mentio fit de mulieribus sterilibus,dicitur Deus eas conclusisse [y], vel contrà aperuisse. Quare falsò id Lucretius [z] videtur negare potentiæ diuinæ,

Nec diuina satum genitalem numina cuiquam
Absterrent:pater à natis ne dulcibus vnquam
Appelletur:& vt sterili venere exigat æuum,
Quod plerique putant,& multo sanguine mœsti
Conspergunt aras adoléntque altaria donis,

Paraphr.
n c. 23. 26.
o v. 4.
p v. 18.
q Gen. 31. 38.
r c. 30. 1. 2.
f c. 22. 30.
t Gen. 20. 18.
u 2. Reg. 6.
x c. 9. 14.
y Gen. 16. 2. c. 20. 16. 1. Reg. 1. 5.
z l. 4.

Vt

Vt grauidas reddant vxores semine largo,
Nequicquam diuûm numen sortesque fatigant.
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim:
Et liquido praeter iustum, tenuique vicissim
Tenue, locis quia non potis est adfigere adhaesum,
Liquitur extemplo, & reuocatum cedit ab ortu.
Crassius hoc porrò, quoniam concretius aequo
Mittitur, aut non tam prolixo prouolat ictu.
Aut penetrare locos aequè nequit, aut penetratum
Aegrè admiscetur muliebri semine semen.

Has Deus causas naturales sterilitatis ac infoecunditatis potest tum praeuenire, tum corrigere, ac mutare. Videtur Ouidius [a] denegare quoque viros precibus, non solùm herbis, magico murmuri

Nupta quid expectas? non tu pallentibus herbis,
Aut prece, vel magico murmure mater eris.

Subdit verò superstitionem Lupercalium, in quibus verbera excipientes mulieres, depositâ sterilitate concipere se posse credebant.

Excipe foecunda patienter verbera dextra,
Iam socer optatum nomen habebit aui.

Et verò libidosuir in se qui concitaret verberone ad sanguinem vsque ab alio eniatius impetrata [b]. Hanc porrò foecunditatem prolisque multiplicitatem dixi antea plurimi factam in populo Hebraeo: hunc verò etiam caeteri populi cum admiratione benedicebant & laudabant tum ob ingentem numerum, tum ob insignes victorias, tum ob magnas facultates, tum ob optimas ac religiosissimas leges. Hugo cum Glossa hoc loco explicat quòd rarò, & in paucis esset sterilitas, vt in Sara, Anna, Elisabeth (adde Rachelem, matrem Samsonis) parentes Deiparae, quibus diuino peculiari munere concessa est foecunditas. Ad foecunditatem verò gregum applicat Hugo illud ex Cantico Canticorum [c]; *dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lauacro; omnes gemellis foetibus, & sterilis non est inter eas, seu in eis.* Adicit Rickelius quosdam sanctissimos viros in virginitate permansisse, vt Eliam, & Ieremiam [d] (adiiciunt aliqui Elisaeum [e], deque sorore Mosis Maria [f] quidam affirmant; vt libro priore vidimus) licèt negent alij dicentes vxorem Hur fuisse; hócque priuilegium Deiparae tribuant votiuae primùm virginitatis: adduntur ab aliis Melchisedech, Iosue, Abel, Ioannes Baptista: Omnibus autem obedientibus Deo datam spiritualem foecunditatem profectus. Quamuis istae promissiones, ait Augustinus [g], possint & spiritualiter intelligi; tamen cùm secundùm temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad vetus Testamentum pertinent: vbi quamquam praecepta, exceptis his quae in Sacramento aliquid significant, eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur; promissiones tamen carnales, atque terrenae sunt. Vnde in Psalmo 72. penè lapsos & effusos gressus suos homo Dei dicit, cùm zelaret in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impiis, quae ipse secundùm Testamentum vetus expectabat à Domino Deo, cui hac mercede seruiebat. Et cùm hinc ei subrepere coepisset sensus impius, quòd Deum non curare existimaret humana, correptum se dicit, dum authoritatem sanctorum non est ausus improbare, & incepit cognoscere, & ait; *hoc labor est ante me, donec introeā in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima.* Ibi enim praemia dabuntur ad nouum pertinentia Testamentum, quae impij non accipient, & poenae tunc futurae sunt impiorum, quas nullius piorum sensurus est. Omnia sunt Augustini. Foecun-

Ioannes Lorini Comment. in Deut.

[a] 2. Fastor.
[b] Rhodig. l. 11. c. 15. Tiraq. 15. connub. a. 5.
[c] c. 4. a. c. 6. 5.
[d] Ambr. t. de Virg.
[e] Hier. epi. 22.
[f] Nyssc. de virg. c. 19. Ambr. 1. de virg.
[g] q. 92. in Exod.

A ditatis ac sterilitatis πολυτεκνίας & ἀτεκνίας exempla reperies in [a] theatro humanae vitae, apúdque alios tum ex naturalibus causis, tum ex Dei singulari beneficio, supplicioue: causas verò naturales Medici tractant, & quo pacto salaciores plerumque aeui etiam sint breuioris: priores attigit causas citatus Lucretius atheus, frustrà remedium à Deo peti contendens: cuius hac in re beneficam omnipotentiam praeter sacras indicatas, ecclesiasticae non paucae testantur historiae; agnoscitúrque in tanta illa Hebraei populi prolificatione in Aegypto vis quaedam diuina singularis, vt antè diximus; nec tamen dierum singulorum in foeminis cunctis parturitio fabulosa sub Messia fine risu, quemadmodum nuper quoque monui, legi vel audiri potest. Obseruatum verò est B quotquot ferè nati ex sterilibus sunt, insignes aut sanctitate, aut dignitate aut extitisse. Theodoretus [b] annotauit Deum cùm vellet componere genus Israëliticum, ostendisse illud non naturali successione, sed gratia & fauore multiplicandum; vt cùm Iacob obiurgans flagitantem ab se liberos, respondit à Deo impetrandos [c]: ita vt orta à parentibus à vera fide alienis beneficio diuino disceret quod vir oraculo. Precum quoque vis inde perspicitur, quibus foecundatur sterilitas: & cùm viris ac foeminis aliqui iustis, ea contingat, discimus non tribuere, peccatis huiusce modi calamitates, quia multae diuinae dispensatio- C nis rationes nobis occultae sunt, & pro omnibus gratiae agendae, solique miseri dicendi, qui in peccatis viuunt, non quibus filij desunt, inquit Chrysostomus [d]; addens cùm videtur Virgo nostrum Dominum parere, non debere nos esse incredulos, sed exercere sensus nostros in vuluis sterilium ligata & emortua, quam diuina virtus ad procreationem aperuit: quod etiam exemplum Gabriel in Elisabeth sterili cognata B. V. attulit, annuncians Virginicum partum [e]. Qui alios facit parere Deus, ipse etiam parit [f], non modò per aeternam generationem Patris, ea qua est filius consubstantialis: verùm etiam per temporalem eiusdem filij, quam operatus est in vtero Virginis, absque opera viri. Atque propter hunc ipsum D ex Hebraeo populo oriturum Messiam siue Christum, ducebatur probro ac improperio sterilitas, ac liberis carere: vel quia cùm pauci homines essent, propagationi studebatur, vt ait Rickelius [g]. Auctor [h] de mirabilibus Scripturae doluisse scribit Ezechiam vitam praecidi sibi [i], quòd ex suo Christus semine oriturus non esset: quod praeterea Hieronymus in Esa. 38. obseruauit, & Iosephus [k], & alij, necnon in catena Genes. 30. Lipomanus. Sed & quando Zachariae, adolenti incensum exauditam orationem Angelus retulit [l]; videtur intellexisse de futuro Messia, pro cuius aduentu precaretur solemni illo tempore, non ita verò de prole quam ipse habiturus esset, quamuis ex ea occasione mentionem de illa E intulerit. Argumento est quòd pollicenti prolem non credidit. Rachel quidem cùm priùs infoecunda, peperit, gratulans dixit ablatum opprobrium suum [m]; Sara antequam Tobiae traderetur, deprecabatur Deum, cùm priores defuncti essent sponsi absque liberis, vt ab improperio liberaretur [n]: cui simile Anna, quae fuit postea Samuelis mater, id est, filij à Deo postulati, ab aemula Phenenna ipsam affligente patiebatur [o]: mulieres item septem apprehensurae virum vnum praedicuntur ab Esaia [p], vt auferret opprobrium earum generando liberos ex illis.

[a] vol. 2. l. 5. pag. 411. & seqq.
[b] q. 74. in Gen.
[c] Gen. 30. 1. 2.
[d] in Gen. 35.
[e] Luc. 1. 36.
[f] Esaiae 66. 9.
[g] in Gen. 30.
[h] l. 2. c. 28.
[i] 4 Reg. 20. 1. & seqq. Esa. 38. 1. & seqq.
[k] 10. antiq. c. 3.
[l] Luc. 1. 13.
[m] Gen. 30. 23.
[n] Tob. 3. 11.
[o] 1. Reg. 1. 6.
[p] c. 4. 1.

Probrosa valdè, atque perniciosa spiritualis sterilitas, & arefecit Christus arborem maledicto [a], vt intelligerent homines, inquit Beda [b], se condemnandos si absque operum fructu, de plausu tantùm sibi religiosi sermonis glorientur. Laudabilis virginitas quam in matre Christus esse voluit, & cuius ne detrimentum illa sustineret, maternitatis Dei dignitatem quodammodo postposuit: sciscitans quomodo mater esse posset, quæ virum non cognoscebat [c], id est, non cognoscere vouerat. Ferunt sub ascendente signi Virginis natum Christum apud Sixtum [d] Senensem nonnulli; qui astrorum dominus ita nasci voluerit, in commendationem virginitatis. Immò fabulantur, Buddam ducem Gymnosophistarum, è virginis latere ortum; de Iouis capite Mineruam; Liberum siue Bacchum, de femore; Platonem ex matre oppressa phantasmate Apollinis [e]. Beatæ nunc steriles & eunuchi propter regnum cœlorum suamet voluntate sic facti, quibus in domo sua Deus locum dat, & nomen melius à filiis & filiabus [f], vt exponunt Patres [g] & alij. Abutuntur hæretici contra Virginitatem & castitatem isto loco nostro similique citato ex Exodo, quasi vetetur sterilitas, iniungatur verò prolificatio, sicut & illis verbis Genesis [h]; *Crescite & multiplicamini.* At quidquid sit de mundi exordio, eiúsve post diluuium restauratione (nec enim placet spiritualiter dumtaxat illud accipi, vt demonstrant Lipomanus [i], & Medina [k]; citantes Patrum testimonia, ac ostendentes etiam in paradiso statúque innocentiæ generationem hominum futuram;) nostra sententia promissionem continet, non præceptum; maximè quòd non esse sterilem, non est in potestate hominis, proindéque præcipi nequit: nec minùs de brutis profertur, quàm de hominibus, de quibus omnibus æquè præceptum asserunt quidam [l] omnino improbabiliter. Crassiores Iudæi arbitrabantur maledictos qui non relinquerent semen in Israël [m]; quemadmodum ex eo quòd visionem sui Deus viuentibus concedi negabat [n], perperam colligebant dignatum apparitione angelica illicò moriturum [o], vt alibi monui: & quia diligi amicus imperabatur [p], inferebant odio habendum inimicum [q]. Accommodabat se etiam Deus ad ingenium illius populi auidiùs appetentis externas voluptates & opes, cùm nullo tempore per se nō fuerit laudabilis harum contemptus propter studium virtutis, Deíque amorem. Dauid gratias agens Deo locuto de domo eius in longinquum; *ista est enim*, inquit, *lex Adam Domine Deus* [r], hoc est, talis hominum communiter conditio, inclinatio, ingenium, studium filios seu posteros exoptare, amplásque se opulentas domos. *Omnis gloria illorum*, ait Oseas [s], *à conceptu, ab vtero, à partu auolauit; quia negata est illis proles: corona* [t] enim *senum filij filiorum*. Placet etiam nonnullis [u] filiam Iephte antequam offerretur à patre, postulasse vt duobus mensibus plangeret virginitatem suam, quòd orbitatem filiorum ipsa morte acerbiorem sentiret. Negari nequit diuinum munus fœcunditatem esse parentis, agendásque à patribus gratias, vt admonet Ambrosius [x], quia generarentur; à filiis, quia generati sunt; à matribus, quia coniugij præmiis honorantur, siquidem stipendia militiæ suæ filij sunt: fatendum tamen est contra Iouinianum & alios præferendam virginitatem: quod illi coætanei probauerunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus in disputationibus contra eumdem, vel tractatibus de

a Marc. 11. 21.
b hom. 7. in Quadrag.
c Luc. 1. 34.
d l. 6. annot. 10.
e Hieron. epist. 24.
f Esa. 56. 5.
g in Matth. 19. Orig. Hilar. Hier. Chrys. Eut. Theophyl. item Aug. de sancta virg. c. 23. & 24 & 14. cōtra Faust. c. vlt. Amb. exhort. ad virg. & inst. Virg. c. 6. Greg. 3. p. Past. c. 29. Hieron. iterùm in Esa. 56.
h c. 1. 22. 28. c 8. 17. c. 9. 1. 7.
i in caten. Gen. 3.
k 5. de sacr. hom. contīnen. contr. 2 c. 1.
l Placidus Padiglia in Dau. pœnitente lect. 20. Italicè. Incitat Hieron. Esa. 56. & Aug. 14. contra Fau. c. vlt.
m Exod. 33. 20.
n Iud. 6. 22. c. 13. 22.
o Leu. 19. 18.
p Matth. 5. 43.
q 2. Reg. 7. 19.
r c. 9. 11.
s Prou. 17. 6.
t Canisius 2. de Maria Deipara c. 14 Serarius in Iudic. 11. q. 20. Tho. Canti. prat. l 2. c. 29.
u alicubi.

virginitate virginibúsque: & pridem antè Paulus [a] docuerat melius esse non nubere per se loquendo, quamuis ei qui adhuc iuris sui foret, melius esset nubere, quàm vri: Christus verò insigne præmium promiserat dimittenti vxorem [b]; & ad id inuitauerat, dicens; *Qui* [c] *potest capere, capiat.* Legendi hæreseologi, & Alphonsi Mendozæ quæstio 4. positiua, quæ tractat præsentem locum, & an virginitas aliquando sancta non fuerit. Ostendit quoque Suares [d] noster nullum in vetere lege præceptum fuisse, quod omnes & singulos obligaret ad generandum filios, quódve castitatem prohiberet: ac proinde licuisse, & quidem cum laude, meritóque virginitatem vouere, quod B. V. fecisse creditur. Mitto incommoda coniugij, quæ profani quoque scriptores prodiderunt, siue prolem quis suscipiat, siue illa careat. Vtilius quidem certè affirmat [e] Sapiens mori sine filiis, quàm relinquere filios impios: & quod in libro Sapientiæ [f] legitur cum epiphonemate; *O quàm pulchra est casta generatio, cum charitate*; extat Græcè *κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς, melior est sterilitas filiorum cum virtute.* Ibi nos plura, citantes de nostris Ioannem [g] Dominicum Candelam; & Hieronymum [h] Platum: & quòd expressum nomen claritatis ab Interprete, pro quo alij castitatem legunt, denotat castitati maximè virginali adiunctam esse solere laudem, celebritatem, decorem, claritatem aliarum virtutum, præsertim omnium reginæ caritatis, quæque absolutum virtutis nomen, quod est ibidem Græcè *ἀρετὴ*, meretur excellenter: & ociosa non est, vel sterilis ac infœcunda, sed magna operatur si est, & si operari renuit, caritas seu amor non est, vt ait Gregorius [i]. Hinc virginitatem sterilem non esse Ioannes Auila pius admodum & doctus maiorum nostrorum memoria concionator [k] demonstrat, quantúmque periculum sit, si fortè sit sterilis, ne videlicet incurrens maledictionem Domini, sicut maledicta ab illo ficus ob sterilitatem, exarescat, fructúsque ferre prohibeatur in æternum [l]: aut non veniens ad partum, virtus ei desit pariendi [m], sola boni operis contenta quasi gemma floréve desiderij, in ipsius operis fructum non erumpens: aut etiam abortum patiens, vel recentem fœtum suffocans: præterea partum hunc similem esse debere partui matris Christi facili, iucundóque, non Euæ in doloribus [n] & tristitia; si desint liberi, hoc est, bona opera, gratiā quæ ista flagitat interituram, sicut se Rachel morituram asserebat nisi ei Iacob liberos daret [o]. Spectat ad similem tropologiam fœcunditas eorum qui Deo spirituales filios generant [p], & fiunt parturiendo & generando per Euangelium, ac formando in ipsis Christum [q] patres in Christo, quósque hîc dignatur vt suas nominare matres, vt & alios tum fratres, tum sorores [r]. Dixi Psalmo 112. [s] nonnihil quod ad rem præsentem facit, explanans extremum versum; *Qui habitare facit sterilem in domo*, &c. Cassianus [t] quoque inducit Danielem Abbatem de spirituali sterilitate disserentem ex negligentia, impugnatione diaboli, dispensatione Domini, ac probatione.

Benedictus eris inter omnes populos.] Græcè (*benedictus es super omnes gentes, εὐλογητὸς εἶ παρὰ πάντα τὰ ἔθνη.*) Vbi est præsens tempus: quod propter promissi certitudinem, æquiualet futuro; & significat adeò esse certum quod futurum promittitur, ac si iam factum esset. Benedictio multiplicationem potest denotare, ac præterea commendationem celebritatémque apud omnes, & su

a 1. Cor. 7. 38.
b Matth. 19. 29. Luc. 18. 29.
c Matth. 19. 12.
d 3. p. to 2. d. 6. lect. 1.
e Eccl. 16. 3.
f c. 4. 1.
g de virgin. Italicè.
h 2. de bono status relig. c. 4. l. 3. c. 9.
i hom. 30. in euang.
k epist. ad monial. de festo Nati. Domini.
l Matth. 21. 19. Marc. 11. 20. 21.
m Esa. 37. 3.
n Gen. 3. 16.
o c. 30. 1.
p 1. Cor. 4. 15.
q Gal. 4. 19.
r Matth. 12. 50.
s v. 9.
t coll. 4. c. 2. & seqq.

& supra omnes populos. Primo modo siue sensu benedicens Deus dixit [a], *Crescite & multiplicamini*. Iacob, *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus vberum & vuluæ* [b]. Raguel, *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleátque benedictionem suam in vobis*. Particula (*inter*) idem hîc valet atque *præ*, *supra*, *plusquam*; quemadmodum & מִן *min*, Hebraicè, Chaldaicéque. Exempla particulæ (*inter*) in acceptione quam dixi extant alibi; vt cùm serpens maledictus prononciatur inter omnia animantia, & bestias terræ [c]: vbi est (מִן *min*.) Sed Græcè (ἀπὸ, *ab*) quod perinde est ac (*præ*) quemadmodum iustificatus publicanus à Pharisæo [d], id est, plusquã Pharisæus: mirabilis facta sciẽtia ex me [e], hoc est, præ me supráque vires meas. Benedicta inter mulieres Iahel [f] Græcè ἐκ γυναικῶν, *ex mulieribus*. Benedicta à Domino Deo excelso Iudith præ omnibus mulieribus super terra [g], παρὰ πάσας τὰς γυναῖκας. Benedicta Virgo Maria inter mulieres [h], aliter in mulieribus [i], vtrobique ἐν γυναιξί, Syriacè מְבָרְכָא *benescse*, id est, inquit Hieronymus aliúsve tractatu de assumptione, plus benedicta quàm omnes mulieres; propter benedictum fructum suum, qui superat quamlibet numerosissimam sobolem. Inter natos mulierum maior non surrexit Ioanne Baptista [k] ἐν γεννητοῖς γυναικῶν.

Non erit apud te sterilis vtriusque sexus.] Hebraicè & Chaldaicè (*in te*, בְּךָ *becha*, בָּךְ *bach*:) Græcè *in vobis*, ἐν ὑμῖν.) Iam dixi illud (*non erit*) non esse formam præcepti, sed promissi, quemadmodum & proximè pòst de gregibus, qui sunt incapaces præcepti. In editionibus aliis non est vterque sexus, sed infœcundus & infœcunda, seu sterilis aliquis, & sterilis aliqua, עָקָר *hhakar*, & עֲקָרָה *hhakarah*, עָקָר *hhakar*, & עֲקָרָא *hhakra*, ἄγονος & στεῖρα, non generans & sterilis, siue infœcunda: (*in te*) verò idem valet quod in genere suo, in gente tua, in populo tuo, &c. Nomina Hebræa, hísque similia Chaldæa propriè significant eradicatũ & eradicatã, seu à radice auulsum & auulsam, quia filij sunt veluti parentum radices, ita vt filiis per mortem sublatis, maneant parentes quasi absque radicibus; vel quia in viro vel fœmina sterilibus tanquam radix vis gignendi euulsa est, & ille non potest semen secundùm morem educere, hæc illud recipere. Lege commentarium Psalmi 51. ad illa verba [l]; *euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium*; vbi protuli ex Iob [m], *progenies mea eradicetur*, & similia testimonia, quibus adhuc plura possent proferri. Sterilis vox videri potest prompta ex Græca στεῖρα, & στερέω significat *priuo*. Voci sexui vix Græca vlla propriè respondet, sed inter alios vsus huoc etiam habere φύσιν docet Sophoclis ac Thucydidis testimonio auctor thesauri linguæ Græcæ [n]. Caluinus [o] decretalem Innocentij III. *omnis vtriusque sexus*, &c. de confessione annua, irridet, fidémque illi abrogari contendit præter alias causas, vel ob solam verborum barbariem. Nam quod iubent, ait, boni Patres (Concilij nempe Lateranensis sub dicto Pontifice) omnem vtriusque sexus quotannis semel proprio sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepidè excipiunt, hoc præcepto teneri solos hermaphroditos; ad neminem verò spectare, qui sit vel mas, vel fœmina. Negat noster Bellarminus [p] vllam esse barbariem in his verbis (etiamsi barbaries nullã fidem decreto adimere debeat; quemadmodum nec quòd Paulus [a] imperitum se sermone fatebatur, & fateri poterant nonnulli alij sacri Scriptores) quoniam longè peritior & magis in linguarum versatus scientia Hieronymus, eam phrasim vsurpauit tum hic, tum aliis in locis, minimè veritus ne sciolus aliquis diceret ad solos hermaphroditos spectare. Sic exempli causa in libro Iudicum [b] est circiter tria millia vtriusque sexus spectasse ludentem Samson: in Paralipomenis [c] vniuersæ multitudini tam vxoribus, quàm liberis eorum vtriusque sexus fideliter cibos præbitos: quamuis vtrobique viros & mulieres, filios & filias distinctè exprimant editiones aliæ אִישׁ *is*, & אִשָּׁה *isscah*, גֶּבֶר *ghebar*, & אִתְּתָא *ittheta*, ἄνδρες & γυναῖκες: item בָּנִים *banim*, & בָּנוֹת *banoth*, υἱοὶ atque θυγατέρες. Vtriusque sexus multitudinem conuenisse scribit Plinius [d] secundus, & dato suis signo virgines raptas esse: non intelligens profectò hermaphroditos. Sexum potiò Festus è Græco ἕξις deriuat, quod est habitus, significátque naturam & habitum. Instituit natura naturæque auctor sexuum distinctionem per se ad generationem, masculúmque & fœminam fecit Deus homines initio [e], non androgynos, vt Plato [f] sensit; (integram ex iis gentem Plinius [g] prodidit supra Nasamones, confinésque his Machlyas: & quidam nouator docuisse dicitur Adamum creatum hermaphroditum [h]) necnon in genere aliorum animalium. Plinius [i] idem sexuum differentiam arboribus, immò magis omnibus quæ terra gignit, herbísque etiam vtrumque sexum esse diligentissimi, inquit, naturæ tradunt: innuit verò ipsemet [k] scribens hederæ duo esse genera marem & fœminam, vt reliquarum herbarum, & in arboribus mares esse robustiores. Eadem videtur opinio Aristotelis [l], qui citat Empedoclem; Theophrasti [m], Basilij [n], Ambrosij [o], quos refert ac sequitur Tiraquellus [p] prolato etiam Cœlio [q] Rhodigino; & de thure masculo Dioscoridem [r], Virgilium [s], Ouidium [t], Galenum [u], Paulum [x] Ægineta, Plinium [y], Æmilium [z] Macrum. Quamquam Aristoteles indicat potiùs confundi in arboribus sexus, quoniam ex se ipsæ progenerant, nec genituram emittunt, sed conceptum, quod semen vocatur, adserunt, vt indicat apud eumdem versus Empedoclis,

Οὕτω δ' ᾠοτοκεῖ μακρὰ δένδρεα πρῶτον ἐλαίας.

Deinde etiam ouiparo genus arboreum tulit ortu.

Vel

Ouificant arboris parua primum oliuas.

Plinius verò masculum thus vocatum notat, cùm alsius non ferè mas vocetur, vbi non sit fœmina; quoniã religioni tributum est, ne sexus alter vsurparetur; vel à specie testium, quod non improbat Ioannes [aa] Brodæus. Addit Turnebus [bb] quia masculum idem valet, quod eximium, optimum, primatum tenens: quæ Dioscoridis [cc] etiam ratio est. Omnino propriè animalibus dumtaxat sexus conuenit.

Tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.] Ergo, vt non semel dixi, non præceptum, sed promissum est, de fœcunditate, vitatáque sterilitate; quoniam gregibus seu brutis animalibus dari præceptum non potest. Interpres de suo apposuit (*tam in hominibus.*) Editiones aliæ solùm habent (*& in iumentis tuis*, וּבִבְהֶמְתֶּךָ *vmubehemthecha* וּבִבְעִירָךְ *vmubbirach*: καὶ ἐν τοῖς κτήνεσί σου: Gregum autem nomen restringebatur priore versu ad oues, erántque pro ipso τὰ ποίμνια τῶν προβάτων, & עַשְׁתְּרוֹת צֹאן *hhasstheroth tson*. Alioqui gregem ab armento

a Gen. 1. 22. 25. c. 8. 17. c. 9. 1. 7.
b c. 49. 25.
Tò *Inter*.
c Gen. 3. 14.
d Luc. 18. 14.
e Ps. 138. 6.
f Iud. 5. 24.
g Iudith 13. 23.
h Luc. 1. 42.
i vers. 28.
k Matt. 11. 11. Luc. 7. 28.
l vers. 7.
m c. 31. 8.
Vox Sterilis.
Sexus.
n verbo φύσις.
o 3. inst. c. 4. §. 7.
p 3. de pœnit. c. 13.

a 2. Cor. 11. 6.
b c. 16. 27.
c lib. 2. 31. 18.
d de viris illust.
Sexus etymon.
e Gen. 1. 27.
f in symposio.
g lib. 7.
h Cornel. Gen. 1. 27.
i lib. 13. c. 4.
k lib. 16. c. 33. & 41.
l 1. de gen. animal. c. vlt. & lib. de plantis.
m de plantis lib. 1. c. 18. & vlt. li. 3. c. 9 & 10. lib. 5. c. 5 & 11. li. 2 c. 8.
n hexam. hom 5.
o 1 hexam. c 3.
p leg. 1. cõnub. nu 66.
q lib 20. c. 24.
r lib. 1. c. 81.
s eclog. 8.
t carm. de medicamine faciei.
u de theriaca, si tamen is est.
x lib 7. c. 11.
y de re medica lib. 2. c. 16 si tamẽ is: & 12. hist c 14.
z li. de herbis, si tamen is est.
aa li 1. c 34
bb lib. 10. c. 2.
cc li. 1. c. 70.

armento distinguunt[a], vt ille fit minorum, vt ouium, porcorum, caprarum; hoc maiorum animalium congregatio, vt boum, equorum, camelorum. Attamen sumitur aliquando etiam pro magnis: qui dicitur à Virgilio[b] grex magnus, id est, armentum, ab Horatio[c] grex mugientium, hoc est, boum: à Suetonio[d] equorum; à Cicerone[e] equarum: ab eodem[f] armentorum: ab Ouidio[g] dux gregis, id est, taurus; nonnunquam pro ambus ab eodem Horatio[h]: immò & pro hominibus, mimis[i], ancillis[k], militibus[l], venalibus[m], pueris ludentibus[n]; sed & pro rebus inanimatis, vt virgis[o]. Ad hominem quoque transferuntur vocabula gregarij, gregalis, gregarim, congregandi, aggregandi, congregabilis, congregationis, &c. Sæpiùs[p] gregem gregésve Interpres noster vsurpat in ampliore significatione etiam pro camelis[q], hominibus[r], armentis[s].

Vers. 15.] Auferet Dominus à te omnem languorem: & infirmitates Ægypti pessimas, quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

PRæcedens promissio propriè pertinebat ad bonum speciei tum humanæ, tum animalium ad hominum vsus accommodatorum; præsens pertinet ad conseruationem indiuiduorum, siue ad præseruationem à languoribus, & infirmitatibus, quas intulit Deus Ægyptiis dum Hebræi apud illos detinebantur, ipsos ab iisdem immunes faciendo, & quas pariter in alios ipsorũ hostes, quive aduersentur quominus intrare possit, aut pacatè retineri terra promissionis, sit illaturus. Videtur Hugo intelligere de Hebræis, qui languores & infirmitates illas pessimas passi fuerint in Ægypto; scribit enim quod propter abundantiam ciborum multas infirmitates passi sunt in Ægypto. Fortassis voces illas (*quas nouisti*) interpretatus est, de notitia experimenti, quódque experiendo nouissent eas. Verùm communis expositio est de Ægyptiis, quos Deus cruciauit, eo quòd Hebræos dimittere nolebant, per vesicas turgentes & vlcera[t], & per grandinem[u], & per interfectionem primogenitorum tam ex iumentis, quàm ex hominibus[x]: nec probari potest Hebræos passos peculiariter in Ægypto aliquas infirmitates: immò quando inde sunt educti, non erat in tribubus eorum infirmus[y]. Arbitror irrepsisse mendum in Leonardi Marij commentarium ad cap. 9. Exodi[z], vbi scribitur igneis pariter & aqueis suppurationibus, ac cutis diruptionibus, de quibus Philo, & Iosephus, meritò afflictos Iudæos: vt sicut ignea vlcera cedebant in pœnam grauissimæ seruitutis Israëlitarum, & afflictionis ad fornaces toleratæ; ita inflationes aqueæ eidem responderent, quia nascuntur etiam hæ ex nimio æstu; cutis autem diruptiones in pœnam cederent amarissimæ flagellationis, quia sine personarum delectu, etiam principes & præfectos Iudæorum Ægyptij sæpe consciderant, & grauissima ignominia affecerant. Apta ratio; sed primo loco pro Ægyptiis Iudæi positi sunt, qui non sunt afflicti plaga vesicarum & vlcerum; sed Ægyptij: licèt quiddam simile, nec tamen meritò, passi essent ab Ægyptiis per laborem fornacis, & vexationem flagellationis. In cap. 15.[aa] Exodi promissio similis cum conditione habetur; *Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego enim Dominus sanator tuus* (præueniendo ac præseruando à morbis.) Præterea in cap. 23.[a] eiusdem libri; *Auferam*, inquit, *infirmitatem de medio tui*. In c. 28.[b] libri nostri minatur non custodientibus legem, plagas magnas & persecuentes, infirmitates pessimas & perpetuas; quódque conuerteret in eos omnes afflictiones Ægypti, quas timuerant, &c. Rickelius hoc loco notat communiter quidem Deo temporalem prosperitatem, & sanitatem corporis; non tamen semper, nec omnibus; quoniam Deus iuxta secreta sapientiæ suæ indicia, diuersimodè in suis egit electis; quorum nonnulli tunc erant leprosi, sicut in Euangelio ait Saluator[c], quòd multi leprosi erant in Israël sub Elisæo, & nullus eorum curatus est. Non est semper infirmitas ex peccato; sed interdum pro gloria Dei; vt manifestentur opera illius[d]; atque glorificetur[e] & ad meritorum incrementum, & ad peccatorum præcidendas occasiones.

Auferet à te Dominus omnem languorem.] Præponunt particulam (&) editiones reliquæ. Pro languore sunt in Chaldæa מרעין *marhin*, infirmitates: in Hebræa חלי *choli*, plaga, seu dolor, vel infirmitas, imbecillitas, morbus, ægritudo, cruciatus, qualis parturientium, &c. cui sono & significatione similis choleus; in Græca μαλακία. Hoc nomen Engubinus non tam propriè hic redditum ait; quia laxitatem quidem significat corporis, teste Cornelio Celso potiùs, quàm grauissimas illas ægritudines, quæ vocabulo Hebraico חלי *choli* demonstrantur, de quibus hoc loco scribitur. Mollitiem valet, ac plerumque quidem animi ignauam & effœminatã quæ vocatur etiã mollitia animi, & absolutè mollities, aut mollitia, coniungitque Philosophus[f] μαλακίαν καὶ τρυφὴν, ac docet[g] quòd ἡ τρυφὴ μαλακία τις ἐστι & [h] quod μαλακία ἐστὶ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, *fugere laboriosa*: & synonymè sumpsit Xenophon[i] μαλακίας, ῥᾳθυμίας, ἀθρυπτα, sicut Suidas[k] φυγοπονίας, *fugam laboris*; & νόσος, *morbum*, quem adiungit quoque Hesychius. Plutarchus[l] ἀταραξίαν, *ignauiam*; Isocrates[m] ῥαθυμίαν, *pigritiam*. Latini malaciam de maris vsurpant tranquillitate tanta, vt fluctus omnino quiescant, quasique langueant, nec vlla commoueatur aura, proindéque nec moueri nauigia queant; quas & Lucretius vndas molles cognominat, alióque vnico vocabulo pellaciam, Itali *bonaccia*. Stomachi demum malacia dicitur debilitas & languor, qualẽ prægnantes pati solent & grauidæ[n], cùm defectæ & languẽtes modò hoc modò illud appetũt. Rursus autem μαλακίζεσθαι, inquit Suidas, *ἐν ταῖς νόσοις ταῦτα οἱ Ἀττικοὶ τὰς μὲν γυναῖκας, τοὺς δὲ ἄνδρας ἀσθενεῖν*, *in morbis dicunt Attici mulieres mollescere, seu molles esse, viros autem infirmos esse*. Apud Matthæum[o] coniunguntur νόσος & μαλακία, pro quibus Interpres posuit languorem & infirmitatem, tum quibus Christus ipse curam adhibuit, tum quibus curandis potestatem discipulis tradidit. Vbi per μαλακίαν solus leuior morbus ac lentior intelligitur, lecto non affigens, sed valetudini duntaxat moramenta obiectans, & quo minùs videamur sanitate inculpata præpediens, vt Rhodiginus[p] refert, exactè tradens ea ferè omnia quæ annotauimus. Euthymius lassitudinem corporis morbi

Marginal notes: Grex & armentum. a Valla lib. 4. elegant. c. 14. b eclog. 6. c Epodon ode 2. d in Cæsare c. 81. in Nerone c. 11. e 3. Verr. f 5. Philip. g 1. de arte. h li. 1. ep. 3. i Plaut. Aulul. k idẽ Heautontimor. l Liu. lib. 8. m Plaut. Aulul. scen. 3. 4. 3. n Sueto. in Calig. c. 58. o Plaut. in Pseudo. p Gen. 4. 4. c. 13. 7 cap. 24 10. c. 32. 7. q Gen. 24. 10. r Ezech. 36. 37. 38. Michæ. 7. 14. Zach. 10. 2. 3. c. 11. 7. 2. Machab. 14. 23. Luc. 12. 32. Act. 20. 28 29. 1. Pet. 5. 23. s Deut. 28. 4. Ioel. 1. 18. t Exo. 9. 9. 10 11. u vers. 18. & seqq. x c. 11. 5. c. 12. 2. & seq. Sap. 18. 5. 11. 15. y Ps. 104. 37. z lit. d. aa v. 26. a vers. 25. b vers. 58. & seqq. c Luc. 4. 27. d Ioan. 9. 3. e c. 11. 4. Explanatio. Languor. f 7 eth. cap. 7. g cap. 7. h lib. 3. c. 7. i 8. Pædiæ. k verbo μαλακία. l in Fabio. m ad Philip. n Plin. lib. 23. c. 6. lib. 25. c. 7. o c. 4. 23. c. 9. 35. c. 10. 1. p lib. 6. c. 1.

morbi prænunciam interpretatur. Adde cùm quis etsi non decumbit, languet, ac interdum contabescit. Interpres aliquando transfert languorem vbi est [a] νόσος, rursum vbi μαλακία [b]. Quando Amnon cubuit super lectum suum, & languorem simulauit [c], simulauit verum morbum, qui lecto affigeret. Antiochus decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia [d], εἰς ἀῤῥωστίαν. De seruo centurionis iacente & morituro scribitur quòd langueret [e]: iacebat ad piscinam probaticam multitudo languentium, ἀσθενούντων: Lazarus quoque languens appellatur [f], ἀσθενῶν: paralyticus piscinæ languidus ἀσθενῶν [g]. Languor fortissimus [h] dicitur חֳלִי חָזָק *choli chazak*, ἀῤῥωστία κραταιὰ: pessimus languor pluraliter [i] רָעִים תַּחֲלֻאִים *tachalaim rahhim*, ἀῤῥωστίαις πονηραῖς: languores magni [k] eodem pacto: languor prolixior grauans medicum [l] μακρὸν ἀῤῥώστημα quod σκώπτει ἰατρὸς, id est, quem præcidit medicus: atque aliàs [m] idem nomen redditur vbi est ἀῤῥωστία, vel ἀῤῥώστημα, aut νόσος simul cum ὀδύνη [n]. Pro languoribus nostris, quos verè tulerit Christus, apud Esaiam [o] sunt Græcè & Chaldaicè peccata nostra, αἱ ἁμαρτίαι ἡμῶν, חוֹבָנָא *chobana*, seu debita nostra: apud Matthæum [p] verò eiusdem eamdem sententiam, habetur αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν; *ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit*, Hebraicè חֳלָיֵנוּ *cholaienu* (quod nomen hic habemus) & מַכְאֹבֵנוּ *machobenu*: Græcè οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, *ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet*. Scripsit Propheta directè de peccatis, qui sunt grauissimi animæ languores & morbi; indirectè, atque consequenter de morbis corporis, qui plerumque ex illis oriuntur, aut propter illa infliguntur; & curatio illorum dirigebatur à Christo ad curationem istorum: qui etiam Christus, etsi morbos corporis non tulit ipse, id est, non sensit, vel expertus & passus est; sed ab aliis abstulit: transtulisse illos in se censendus est, ac subiisse; aliquod incrementum doloris dum mortalis vixit potissimúmque in passione, illa de causa tolerando, vt cum aliis obseruauit Gaspar [q] Sanctius noster, inde colligens piam sympathiam erga morbis dolori búsue affectos. Ex dictis autem effici volo languoris vocem & alias affines, non tam arctè accipi quemadmodum Rhodigino & aliis nonnullis placuisse dixi; sed comprehendere graues, difficiles, lethales morbos. Denique quas membro sequenti textus appellat infirmitates pessimas, licèt expositum Græcum nomen μαλακία tantam omnino vim non habeat, vt & languor in primaria significatione, præsertim si quis velit à לָאָה *laah* deriuare, aut à לָהַב *lahab* fatigari, & nimio labore deficere vsque ferè ad insaniam, seu cùm quis quid agat ignorat præ lassitudine, &c. & animus languore corporis, vt Cicero [r] loquitur, nec membris vti, nec sensibus potest.

Et infirmitates Ægypti pessimas.] Omittit Interpres (*omnes*) & vtitur superlatiuo pro positiuo, quo superlatiuo caret editio Hebræa, Chaldæaque: in Græca verò etiam est positiuum epitherum πονηράς: & pro (*infirmitates*) habet νόσους: quæ dicuntur Hebraicè in statu regiminis מַדְוֵי *madue*, id est, *ægritudines*, vt vertunt Vatablus, Pagninus, apostata Munsterus; vel *decubitus*, siue *defluxus*, vt Oleaster, hoc est, ea quæ descenderunt de cœlo, vt grando, & alia, quæ fructus destruxerunt, aut omnia, quæ ab ipso super Ægyptios descenderunt; seu quæ Moses iussu Dei, fluere aut descendere fecit super Ægyptios mala, vel ægritudines, ex quibus Ægyptij defluebant. Confirmat ex themate, דָּוָה *danah*, hoc est, *ægrotare*, & *infirmari*; ac præterea importat fluxum, defluxum, decubitum. In Leuitico [a] mulier in fluxu menstruo dicitur דָּוָה *danah*, quod caponi dixi ab aliis de muliere infirma, vel menstruata, seu habente menses menstruáve; seu patiente fluxum sanguinis, siue menstrui, siue cuiusuis alterius temporis: item eodem verbo significari ægrotare, infirmari, pertæsum esse, mœrore confici, mœstum fieri, languere, vt solet mulier menstrua patiens, & quiuis, cùm ipse, aut quodpiam ipsius membrum, viribus destitutum. Chaldæum nomen in regimine מַכְתְּשֵׁי *machthefe*, valet confusiones, plagas, vulnera.

Quas nouisti.] Græcè in Sixtinis ἃς ἑώρακας, καὶ ὅσα ἔγνως, *quas* (nempe infirmitates) vel *quos* (scilicet morbos) *vidisti*, *& quæcumque nosti*. In Complutensibus, & Regiis codicibus habetur solùm, ἃς ἔγνως, *quas nosti*. Videntur duæ interpretationes; quoniam Hebraicè, Chaldaicéque tantùm est (*quas nosti*) אֲשֶׁר יָדַעְתָּ *aser iadahtha*, דִּידַעְתָּא *didahhtha*. Priùs autem admonui, sensum esse de notitia, quæ Hebræi nouerant inflictas plagas Ægyptiis, non quas ipsi experimentali scientia nouissent, eas ab Ægyptiis tolerando. Nouerant aliqui eorum, quos alloquebatur Moses, tanquam oculati testes: alij plures ab illis didicerant: plurimi autem iam in deserto perierant. Vim habet repræsentata priorum memoria apud eos, qui ea viderint, vel nouerint: quod libro hoc ipso antea non semel factum legimus, præsertim cap. 4. [b] vbi dicitur, quòd fecit Deus tentationes, signa, portenta, pugnam, robustam manum, extentum brachium, horribiles visiones pro Hebræis in Ægypto, videntibus oculis eorum, vt scirent quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. Hic præterea paulo pòst suggeritur mentio plagarum maximarum, quas viderant oculis suis Hebræi, signorum, portentorum, manus robustæ, extenti brachij aduersùs Ægyptios; quódque sic facturus esset Deus cunctis populis, quos Hebræi timebant.

Non inferet tibi.] Iuxta editiones alias, *non imponet eas in te*, aut iuxta Græcum *super te*, ἐπὶ σέ. Alio sensu scribitur in Exodo [c], quod posuit Deus ostenta in manu Moysi vt faceret coram Pharaone: Ibi est idem verbum Hebræum & Chaldæum quod hoc loco, nempe שָׂמְתִּי *sciamthi*, & שַׁוִּיתִי *sciauuethi*: Græcum verò ἔδωκα, *dedi*.

Sed cunctis hostibus tuis.] Particulam (*&*, ו καὶ) aliarum editionum Interpres transtulit per aduersatiuam (*sed*) in quo ipso vsu non infrequenter (*&*) reddidit; vt Psalmo 117. [d] 138. [e] Ecclesiastici 36. [f] & alibi [g], vt in indice phraseon sacræ Scripturæ annotauit Sa noster. Additur Hebraicè & Chaldaicè verbum (*dabit*) cum affixo (*dabit eas*, וּנְתָנָם *nethanam*, יִתְּנִנּוּן *itthenninnun*; Græcè idem quod priore membro ἐπιθήσει, *imponet*) significátque נָתַן *nathan* non solùm dare, sed etiam ponere. Postremò pro hostibus, vtuntur editiones aliæ participio odientium cum pronomine שֹׂנְאֶיךָ *scioneecha*, סָנְאָךְ *soneach*; τοὺς μισοῦντάς σε. De Latino vocabulo hostium nonnihil attigi [h] exponens quid esset propriè hostia, quam [i] volunt hostibus à domitis dictam, vel ad quos pergeretur [k]: & ab hostire, id est, ferire [l], aut æquare, quod hostiis dij æqui redderentur. Hostem constat olim synonymè cum peregrino eumdem

[a] Exo. 15. 26.
[b] Deut. 28. 61.
[c] 2. Reg. 13. 5.
[d] 1. Macha. 6. 8.
[e] Luc. 7. 2.
[f] Ioan. 5. cap. 11. 1.
[g] cap. 5. 7.
[h] 3. Reg. 17. 17.
[i] 2. Paral. 21. 15.
[k] c. 24. 25.
[l] Eccli. 10. 11.
[m] c. 38. 31. c. 30. 17.
[n] Osee 5. 13.
[o] c. 53. 4.
[p] c. 8. 15.
[q] in Esa. 53.
[r] 2. de diuinat.

[a] c. 10. 18.
[b] v. 34. 35.
[c] c. 4. 21.
[d] verf. 10. & seq. & 10. 18.
[e] verf. 11.
[f] verf. 10.
[g] Esa. 64. 5. Thre. 3. 33. Ionæ 2. 7. Matt. 17. 11. Marc. 12. 12. Act. 16. 7. & 27. 21.
[h] in Leuit. 1. 2.
[i] Ouid. 4. Fast. *Hostia & hostis*.
[k] Seruius in Æn. 1 Isido. 6 orig. cap. 19.
[l] Festus.

eumdem fuisse; postea perduelli nomen id inditum; lenitate verbi tristitiam rei mitigante; inquit [a] Tullius: & magis vitatè de illo dici, cum quo publicè bellum [b] est; inimicum, cum quo priuatum odium exercetur. Nam par pari referendo hostire ac æquare censetur inimicus: & in bello vtraque pars æquo pugnat iure, ac ex iusta causa pugnam adeunt, vt quidam prætendunt. Mitto & hospitem pro hoste, vt & ξένος interdum sumi. Vulgaribus linguis hostis vocatur qui peregrinos mercede excipit. Publicos & communes inimicos hoc loco significant hostes, & alia notio admodum rara, nec vspiam vsurpata in diuinis literis. Generaliùs aliquando acceptum hoc idem nomen restringitur nunc ad publicos, nunc ad occultos, quod & de inimicis verum est, qui etiam confunduntur cum hostibus, vel aduersariis, &c.

[a] 1. offic. item Varro 4. de ling. lat. & l. 234. de verbor. signif. Ambros. 1. offic. c. 24. [b] l. hostes. D. de capt. & postlim. reu. & l. Caius. & leg. quos nos hostes. & l. 118. D. de verb. signif.

Vers. 16.] Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec seruies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

Paraphr. PRomittitur amplissima de hostibus victoria, quos Deus ipse in Hebræorum redigat potestatem, vt eorum ditione potiantur, quantumlibet resistant ac repugnent. Sed simul præcipitur, ne per eam occasionem illarum gentium deos, quas subiugauerint, colant vllo modo, vnde in se grauissima redundent damna, extremúsque interitus: atque ne hominibus illis parcant, à quibus induci possent in eam superstitionem, aliorúmque peruersorum morum corruptelam. Agitur autem hîc de habitatoribus terræ Chanaan promissæ Hebræo populo; quorum, vt est in c. 20. [c] nullum Hebræi viuere poterant permittere, ne fortè docerentur ab iis facere cunctas abominationes, quas ipsi operati erant diis suis, & peccarent in Dominum Deum suum. De aliis hostibus alia ratio, vt ibidem [d] traditur. Accedit quòd iidem illi regionum Chanaan incolæ maximis peccatis erant obnoxij, ita vt terra ipsa euomeret eos [e], dignique erant, quos Hebræi tanquam diuinæ iustitiæ ministri, de medio tollerent. Iam sub capitis initium fuerat imperatum, vt percuterentur vsque ad internecionem; vetitúmque ne iniretur cum eis fœdus, nec misereretur eorum, nec sociarentur cum eis coniugia; quia seducerent vt nō sequerentur Deum, sed seruirent diis alienis, irasceretúrque furor Domini, & deleret Hebræos citò. Sicut ergo aliqua gens gerit iustum bellum contra aliam, inquit hoc loco Abulensis, quia destruit suam politiam, vel scit quòd certissimè destruet, nisi expellatur: ita Iudæi poterant iustum bellum gerere contra istos populos, quorum terram accepturi erant; nec parcere eis aliquo modo, ne essent eis in ruinam, dato quòd Deus hoc expressè non mandaret, nec in hoc erant crudeles: quando magis quia Deus tanquam benignus legislator instruxit eos in illo, quod eis vtile erat. Adiice, quod Epiphanius [f] tradit, Palæstinam Semo filio Noë maximo à patre iure concessam, Chananæos iniuria occupauisse, meritóque propterea Deum Semi posteris Hebræis restituisse. Abulensis, Marzilla, Cornelius deuorandi verbo comprehendi volunt cum interfectione hominum, quæ consumptio quædam est; direptionem substantiarum, opum, facultatum, spoliorum. Hoc secundum editio Græca exprimit καὶ φαγῇ πάντα τὰ σκῦλα τῶν ἐθνῶν, *& comedes omnia spolia Gentium*. Neque satis apparet, vt Eugubinus monet, an præcipiat eis Deus, vt omnes illos populos absumerent ac delerent; vt ex his quæ inferuntur apparet (*non parcet eis oculus tuus*) an ita fore vaticinetur (Moses) vt facultates & diuitias eorū populorum adepturi sint. Si prima stat sententia, subdit ille, non rectè fortè in Græcum is locus versus est; si secundo sensui adhæremus, præclara est Græca editio. Placet componi ex ambobus vnum sensum; sicque deuorari dicentur bona externa, id est, acquiri, ac in proprios vsus conuerti; nec parci tum vitæ, tum iisdem illis bonis, ita vt homines interficiantur, gladióque veluti deuorentur, & quæ possidebantur ab eis, in interficientium dominium transferantur.

c vers. 16. 17. 18. d vers. 10. & seqq. e Leuit. 18. 28. f in ancorat. Deuorandi verbum.

Deuorabis omnes populos.] Retuli ex editione Græca, καὶ φαγῇ πάντα τὰ σκῦλα τῶν ἐθνῶν; *& comedes omnia spolia Gentium*: quidque de illa translatione doceat Eugubinus: & quo pacto tum de interfectione hostium (de qua sola Hugo etiam explicat) tū de direptione facultatū ad eos pertinentiū possit exponi. Dictum Græcū verbum, vt & Hebræū אָכַלְתָּ *achalta*, cui ו *ve* præfixum tempus præteritum in futurum mutat; significat simpliciter *comedes*: Chaldæum ותגמר *thegammar*, *consumet*. In cap. 5. [a] extat idem Hebræum verbum, eique simile Chaldæum, Latinum autem (*deuorabit*,) sed Græcum (ἐξαναλώσει, *consumet*.) De Latino [b] alibi dixi non videri sumptum in diuinis literis in bonam partem, vel ad innuendam copiam sicut verbum inebriandi; licèt de agni paschalis intestinis, pedibus, capite dicatur vorari debuisse [c]; quod etiam tamen secundùm alias editiones verbo simplici edendi seu comedendi exprimitur. Vorat propriè deuoratve, qui cibum non confectum seu mansum deglutit: vnde βορὰ esca brutorum, quamuis interdum & humana, & βορὸς, seu βορὸς *edax*, βορώτατος *edacissimus*. Lege quæ notaui de terra habitatores suos deuorante [d]; & de responso Caleb ad eos qui detrahebant de illa, quod cum Dei auxilio possent Hebræi sicut panem habitatores illius deuorare [e].

Explanat. a vers. 25. b in Leuit. 25. 16. c Exo. 12. 9. d Num. 13. 33. e c. 14. 9.

Quos Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Participium Hebræum נֹתֵן *nothen*, & Chaldæum יָהֵב *iaheb*, omni tempori necti potest, vt monui aliàs de similibus. Græcè præsentis temporis verbum est δίδωσι, *dat*. Dare censebatur Deus quod statim daturus erat: dedisse quoque, quod se daturum promiserat, ob promissi certitudinem tantam, ac si iam datum esset, quod promittebatur.

Dare & dedisse Dei.

Non parcet eis oculus tuus.] Secundùm reliquas editiones (*super eos*, aut *in eis*, עֲלֵיהֶם *bhalehem*, עֲלֵיהוֹ *bhalehu*, ἐπ' αὐτοῖς, id est, vitiis illis, eorúmque malis, ne commouearis erga eos misericordia; nec vllo pacto, seu conditione, condones. Omissa notatione verbi parco, quasi partes arceo, hoc est, contineo & reseruo; vnde parcæ, quòd nemini parcant; vel quia parcant, cùm vna dumtaxat filum incidat, aliarum vna vitam det, altera vitæ tractum continuet; sed & harum prima opus cæterarum sustruendo, quoad fatorum iussibus paret, dare vitam videatur; vel à partu: his, inquam, præteritis, eadem phrasi apud Ezechielem [f] Deus; *Ego confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor*. Item [g]; *nunc finis*, ait, *super te, & immittam furorem meum*

Parcendi verbum, & Parcæ vnde dictæ. f c. 5. 11. g c. 7. 3. 4.

in

in te: & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te abominationes tuas: & non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tua in medio tui erunt, hoc est, apparebunt ex pœna, ita vt omnes videant: sed & sæpiùs repetitur ab eodem [a] Propheta formula eadem. In cap. 13. [b] libri nostri; *non acquiescas ei, nec audias, neque parcas ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficias*. In 1. Regum [c]; *cogitaui vt interficerem te: sed pepercit tibi oculus meus*, inquit ad Saulem Dauid. Doluerat videlicet de morte illius, quam suæ subiectam viderat potestati, ac forsitan etiam non sine lacrymis, quas postea eiusdem audita morte, largiter fudit, vestésque scidit [d]. Dixit præterea Holoferni Nabuchodonosor [e]; *non parcet oculus tuus vlli regno, omnémque vrbem munitam subiugabis mihi*. In Genesi [f] quod legimus, *nec dimittatis quidquam de supellectili vestra*, in editionibus aliis est; (*& oculus vester non parcat supellectili, aut vasis vestris*:) vel, (*ne parcatis oculis supellectilibus vestris*.) In Esaia [g], *super filios non parcet oculus eorum*. Vbique verbum חוס *chus* extat, quod, vt notat [h] Pradus noster, non tantùm est misericordiæ interioris, sed gestus exterioris, qui à misericordia promanat: & significat oculos claudere, conniuere ex commotione animi; super alicuius personæ, vel rei indignitate; quo quis dolore perculsus, veniam dat, cessat, abstinet, parcitque illi. Confirmat exemplis allatis hic antea; atque ex iis illud Genesis explicat; non doleatis relinquere pretiosa vtensilia vestra. Addit alia, in quibus est parcendi verbum absque oculis; vt, *parcens* [i] *ille sumere de ouibus & bobus suis*, id est, misericordia motus super nece ouium suarum [k]: *qui parcit virgæ, odit filium suum*; hoc est, qui præ indulgentia erga filium, abstinet à flagello [l]: *peperci nomini sancto meo*, id est, dolui illud exponere ludibrio: *ego* [m] *autem vobis parco*; hoc est, liberos vos dimitto, non sine misericordia, & animi mei sensu vehementi; postremò etiam ex Cicerone: *parcite oculis saltem meis*. Indices oculi sunt præ cæteris membris affectuum, prodúntque maximè quid in animo lateat; & idcirco denominantur boni, simplices, graues, hilares, tristes, seu dolentes, benigni, misericordes, beneuoli, placidi, mites, modesti, æqui, iusti, terribiles, irati, truces, turbati, siue conturbati, pauidi, attoniti, lasciui siue fornicantes, superbi, inuidi, mali, nequam, petulantes, insanientes, pleni adulterij, & delicti, concupiscentes, contemplantes, impudentes, malignantes, minaces, immites, &c. quod eleganter præ aliis Philo [n] demonstrat. Desiderium oculis attribuit Sapiens [o], & Ioannes [p] concupiscentiam vocat oculorum: crebróque vsurpatur quidpiam placere, aut displicere oculis alterius, inuenire aliquem gratiam in oculis alicuius, bonum esse in oculis, esse in oculis, ferre seu gestare, vel habere in oculis: coniunguntur etiam ambulare in viis cordis, & in intuitu oculorum: tribuitur iisdem cogitatio, & pactum; ita vt videantur esse iuxta parœmiam Hebræam [q], *oculi & cor proxenetæ peccati*; res enim externas, inquit [r] Pineda noster, suo veluti lumine contingunt & præparant: ad cor redeuntes, illud alliciunt, eum rebus ipsis id conciliant, conglutinant, intercedunt, mediant, quasi qui aliter nominantur mediatores, intercessores, paranymphi, & vt Basilius [s] loquitur, pronubi ac præuij; immò fenestræ atque cuniculi, vt Saluianus [t]. Quod in cap. 28. [u] nostri

[Margin: a c.7. 9. c.8. 18. c.9. 5.10. c.16. 8. 5. c. 20.17. — b vers. 8.9. — c c.24.11. — d 2.Reg.1. 11.12. — e Iudith 2. 6. — f c.45.20. — g c.13.17. — h in Ezech. 5.11. — i 2.Reg.12. 4. — k Prou.13. 24. — l Ezech.36. 21. — m 1.Cor. 17.28 — *Oculorum epitheta.* — n de vita Abraham & lib. de special. legib. — o Eccle.2. 10. — p 1. epist.2. 16. — q R. Dauid in Psal.101. R. Elias in lex. in verbo שׂר *sar sar.* — r in Eccle. 2.10. — s de vera virginit. — t 3. de prouident. — u v.54.56.]

[A] libri dicitur, *inuidebit fratri & viro suo*; Hebraicè est, *malignus erit oculo*, Chaldaicè, *habebit oculum nequam*, Græcè, *inuidebit oculo suo*: & in Prouerbiis; *qui* [a] *pronus est ad misericordiam, benedicetur*; Hebraicè (*qui bonus est oculo*) Chaldaicè (*qui bonum oculum habet*:) [b] *ne comedas cum homine inuido*, iuxta eosdem editiones (*cum homine mali oculi, aut habente malum oculum*.) Originem oculi arcessunt aliqui [c] ab occulendo, quia tegminibus ciliorum occulatur, lateátque sub ciliis, aut lumen occultum habeat, id est, secretum, intúsve positum: alij, facta nonnulla mutatione, ab ὄκιλλος, quod Dorum idiomate idem est atque ὀφθαλμὸς, cuius postremi etymon ab ὄψ & ἔθομαι, quæ oculum etiam, & videre significant: עין [B] *hhain* verò & oculus, & fons est; ex oculo namque fluunt lacrymæ; ita vt etiam hoc non parcere oculis explicari possit non collacrymari præ misericordia, quæ lacrymas extorquere solet.

Nec serues diis eorum.] Græcum verbum est λατρεύειν: quod sæpiùs admonui, ex vsu præsertim Ecclesiasticorum, accipi pro ea seruitute cultúque qui soli Deo exhibetur.

Ne sint in ruinam tui.] Ex editionibus aliis (quia ruina, laqueus, rete, scandalum, offensaculum, seu offendiculum, stimulus, pungens, aculeus, stiuulus, muscipula, hoc tibi) videlicet erit; quod exprimitur Græcè ἔσται. Sunt autem nomina מוקשׁ *mokes*, תקלא *thakla*, σκῶλον. Primum transfertur ab Interprete alibi quoque [d] ruina, [C] scandalum [e], offendiculum [f], laqueus [g], sudes [h]; à verbo יקשׁ *iakas, irretire, illaqueare, tendere laqueum, offendere*. Græcum σκῶλον Hesychius [i] docet spinæ quoddam genus esse εἶδος ἀκάνθης, & lignum exacutum, ξύλον ὀξυμμένον; téinque molestam, quæ pungat: Hieronymus [k], σκῶλον, & σκάνδαλον, nisi fallor, ait, apud Græcos ex offensione, & ruina nomen accepit: quod adhuc deducunt alij à σκάζω vel σκάω, *claudico*, quoniam obiectum offendiculum cogit claudicare, & ad ruinam tendere. Vt synonyma vsurpat, σκῶλον, πρόσκομμα, σκάνδαλον, σκόλοπα, ῥάβδον ἢ ἀποξυσμένον πάσσαλον, βρόχον, παγίδα. Citat Suidas

> τῷ μὲν ἐγὼ ξύοντος ἀναιδέος (vel ἀναιδῶν, non ἀναιδέστατος) ἐμπήξαιμι σκώλους ὀφθαλμοῖς.
>
> [D] *Huius quidem ego vtinam impudentis (aut impudentibus) infigerem spinas oculis.*

Item de asino ad Lupum,

> ἐκ μοι σκῶλον ἔρυσον, ὅμως κακὸν ἔμπεσεν ὁπλῇ.
>
> *Mihi spinam extrahere; quæ mihi malum incidit in vngulam.*

Denique in Exodo [l]; *vsquequo patiemur hoc scandalum?* ἕως τίνος ἔσται τοῦτο ἡμῖν σκῶλον; Ibi editionum Hebrææ & Chaldææ sunt eadem quæ hîc vocabula. Ruina à ruendo propriè est; cùm parietes domorum diruuntur: ponitur tamen etiam pro morte siue interitu; vel etiam pro quauis pernicie, calamitate, periculo, &c. Ruinæ voce in Psalmo 90. [m] iuxta quosdam pro incursu, quid intelligatur, consule commenta[E]rium nostrum. Inter nomina & symbola fornicationis ac idololatriæ quæ colligit Pineda [n] noster, vnum est laquei seu muscipulæ. Id nomen laquei cum fouea, offendiculo, sudibus dicitur in libro Iosue [o] de Chananæis idololatris: & in quodam Psalmo [p], quòd Hebræi seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum: & in libro Iudicum [q] dicuntur dij alieni esse in ruinam.

[Margin: a c.22.9. — b c.23.6. — *Oculi origo qua.* — c Isid.11. etym.c.1. — *Latria quid.* — d Prou.15. 13. c.13.14. c.18.7. c.20. 25. — e Prou.22. 25. Exo.10. 7. — f Iosue 23. 13. — g Psal.17.6. Ps.63. 6. Ps. 67.23. Psal. 105.36 Ps. 139.6. Psal. 140.9. — h Iob 40. 20. — i in lexico. — k 2.cont. Pelag. — l c.10.7. — *Ruina vox.* — m vers.6. — n 7. de reb. Salom. c.8. — o c.23.13. — p Psal. 105. 35. — q cap.2.3.]

Vers.

Verſ. 17.] Si dixeris in corde tuo: Plures ſunt gentes iſtæ quàm ego, quo modo potero delere eas?

Verſ. 18.] Noli metuere, ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis:

Verſ. 19.] Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & ſigna atque portenta, manúmque robuſtam, & extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus; ſic facies cunctis populis, quos metuis.

PARAPHR. Valdè timidus populus debuit ſæpiùs animari & confirmari; quod ferè ſemper fit commemorando vetera tam inſignia beneficia, & adeò admirabilia opera, quæ per Dei omnipotentiam patrata fuerant, quando educendus fuit de captiuitate duriſſima Ægyptiorum, qui numero, viribúſque præpollebant, & ſumma vi ſæuitiáque aduersùs illum vſi fuerant. *Non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis*, dixit Ionathas filius Saul [a]: & Aſa inuocans Dominum Deum [b]; *Non eſt*, ait, *apud te vlla diſtantia, vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.* Et homo Dei Amaſiæ regi dixit vetans egredi cum exercitu conducto centum millium robuſtorum, centum talentis argenti, quoniam Dominus non eſſet cum Iſraël, & cunctis filiis Ephraim; *quòd ſi*, dixit, *putes in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam conuertere* [c]: & regi Ioſaphat aliiſque Iahaziel; *nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei* [d], &c. & Iudas Machabæus dicentibus, *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati ſumus ieiunio hodie*, reſpondit; *Facile eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci & ſuperbia, vt diſperdant nos, & vxores noſtras, & filios noſtros, & vt ſpolient nos: nos verò pugnabimus pro animabus noſtris, & legibus noſtris; & ipſe Dominus conteret eos ante faciem noſtram: vos autem ne timueritis eos* [e]. Exercitus Saul cum duobus tantùm gladiis victor euaſit [f]: *non enim in gladio & haſta ſaluat Dominus, quoniam ipſius* [g] *eſt bellum.* Rurſum Iudas hortatus eſt commilitones, qui erant ſolùm tria millia ſine tegumentis & gladiis, cùm eſſent caſtra Gentium valida, & loricati, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium; eodem exemplo ac modo, quibus nunc Moyſes: *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. Mementote qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cùm ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo* [h]. Item grauiter admonuit [i] & rogauit ſeptem millia, ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium aduersùm ſe hoſtium multitudinem, ſed fortiter contenderent, ante oculos habentes contumeliam, quæ loco ſancto ab his iniuſtè eſſet illata, & ludibrio habitæ ciuitatis iniuriam, adhuc etiam veterum inſtituta conuulſa: illos quidem armis confidere, ſimul & audacia; ſe autem in omnipotente Domino, qui poteſt vniuerſum mundum vno nutu delere, confidere: meminiſſent auxiliorum quæ facta fuerant erga parentes, vt quando ſub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt [a] (error eſt apud Fabianum [b] Iuſtinianum in numero centum quinquaginta quinque millium;) & in prælio aduersùs Galatas in Babylonia. Macedonibus ſociis hæſitantibus, ſex millia ſoli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis allatum de cœlo. Præterea [c] conſiderans aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem beſtiarum, extendens manum in cœlum, prodigia facientem Dominum inuocauit; qui non ſecundùm armorum potentiam, ſed prout ipſi placet dat dignis victoriam. Suppetunt plures huius generis ſententiæ ac hiſtoriæ ſacræ, eccleſiaſticæque; quas ipſi partim etiam attulimus in commentariis Pſalmorum [d], partim libri præcedentis [e], partim Leuitici [f]: nec deſunt externa teſtimonia, quo pacto pauci contra multos victoria potiti ſint, adiutore præſertim Deo, & qua ratione huius, priuſquam iniretur pugna, imploratum ritè auxilium, numénque propitiatum: de quo ipſo militaria extant præcepta; vt apud Onoſandrum [g] in vniuerſum ἐξαγέτω δὲ τὰς δυνάμεις ὁ στρατηγὸς καθαράς, ἢ ὡς νόμοι ἱεροὶ, ἢ οἱ μάντεις ὑφηγοῦνται καθαρσίοις πᾶσαν, εἴτις ἢ δημοσία κηλὶς ἢ διαμονούμενος ἑκάστῳ συνειδὼς, ἀποδιοπομπούμενος: *educas copias Imperator puras ſine luſtratas, ſecundùm ea quæ vel legibus ſacris ſancita, vel à vatibus præſcripta ſunt; omnem publicæ alicuius maculæ, aut impietatis conſcientiam proiiciens. Veniat in mentem vnicuique*, dicebat in ſua A. Cornelius Dictator cùm in Volſcos pugnaret, concione: *Deos eſſe, qui Romanum adiuuant; Deos qui ſecundis auibus in prælium miſerint* [h]. Meminiſſe autem in primis oportet, quod Saluianus [i] de Gallis Hiſpaniſque per Gothos debellatis, propter ipſorum libidines; ideo Deum ignauiſſimis ſcribit hoſtibus cuncta interdum tradere, vt oſtendat non vires valere, ſed cauſam: neque nos ignauiſſimorum quorumdam hoſtium fortitudine obteri: ſed ſola vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari.

Si dixeris in corde tuo.] Græcè (*in mente tua*, ἐν διανοίᾳ σου.) Valdè frequenter occurrit hæc formula, vt quis dicatur dicere ſeu loqui, eructare, clamare, confiteri in corde ſuo [k]: quod Græco quoque nomine διανοίας exprimitur [l], ſæpiùs [m] autem καρδίας, *cordis*: Clamor in toto corde importat claram prolationem vocis, vt etiam eructare, loqui, dicere, ac ſimilia, vel ſubmiſſiorem ſermonem, quo ſecum quis ſermocinetur: vel etiam internum ſolum. Lege commentarium Pſalmorum.

Plures ſunt gentes iſtæ, quàm ego.] Gentes vocantur גוים *goim*, & numero ſingulari ἔθνος: Chaldaicè *populi*, עממיא *hhamemaia.* Synonymè tamen accipi populos & gentes monui non ſemel, quamuis interdum nonnulla differentia ſit. Comparatiuo carent editio Hebræa & Chaldæa: Græca hìc vtitur poſitiuo πολύ. Notat Abulenſis plures gentes dici ſimul vnitas, non vnamquamque per ſe. Quod incertum eſt, ſi gens vnaquæque ſpectatur ex ſeptem regionibus Chanaan.

a 1. Reg. 14. 6.
b 2. Paral. 14. 11.
c c. 25. 6. & ſeqq.
d c. 20. 14. & ſeqq.
e 1. Mach. 3. 16. & ſeq.
f 1. Reg. 13. 22.
g c. 17. 47.
h 1. Mach. 4. 8. 9.
i lib. 2. 8. 16. & ſeqq.

a 4. Reg. 19. 35. Eſa. 37. 36. Tobiæ 1. 21. Eccli. 48. 24. Machab. 7. 41.
b in Tob. 1. 21.
c 2. Macha. 15. 21.
d in Pſ. 17. & 32. & 43. & 143.
e in c. 14. & 23. & 24.
f in c. 26.
g Strategici c. 5.
h Liuius lib. 4.
i 7. de prouid.
Explanatio.
k Gen. c. 27. 41. Deut. 8. 17. c. 9. 4. c. 15. 9. 1. Reg. 27. 1. Pſ. 4. 5. Pſ. 9. 2. Pſal. 10. 6. 11. 13. Pſ. 13. 1. Pſ. 13. 8 Pſ. 14. 2 Pſal. 26. 8. Pſal. 34. 25. Pſ. 44. 2. Pſ. 52. 2 Pſ. 61. 5 Pſ. 73. 8. Pſ. 110. 2. Pſ. 137. 1. Eccli. 1. 16. c. 2. 1. 15. c. 3. 17. 18. Eſa. 47. 8. 10. c. 49. 21. Iere. 5. 24. c. 13. 22. Thre. 2. 18. Baruch. 6. 5. Oſeæ 7. 2. Abd. verſ. 3. Soph. 1. 12. c. 2. 15. Zac. 12. 5. 1. Machab. 6. 11. Luc. 6. 45. c. 12. 45. Rō. 10. 6. Apoc. 18. 7.
Gentes & populi, pro ſynonymis accipi.
l Gen. 27. 41. Baruch 6. 5.
m Deut. 8. 17. c. 9. 4. c. 15. 9. 1 Reg. 27. 1 Pſ. 4. 5. & aliis locis notatis

Quo-

Quomodo potero delere eos?] Ex Hebræo לְהוֹרִישָׁם *lehorisciam* posset verti *ad eiiciendum*, aut *ad hereditandum eos*) siue (*quomodo potero eiicere*, *aut eiiciendo*, *expellendo ab hæreditate*, *illos in hæreditatem accipere*, id est, illorum terras, & bona. Chaldæum לְתָרָכוּתְהוֹן *letharachuthhon* significat eiicere eos. ἐξολοθρεῦσαι αὐτούς *delere*, seu *perdere eos*. Idem verbum Hebræum in c. 2.[a] redditur Latinè per expelli, Græcè ἀπολέσαι, *perdere*, Chaldæum idem est quod hoc loco.

a vers. 12.

Nolendi verbum.

Noli metuere.] Secundùm reliquas editiones (*non timebis ab eis*, vel *eos.*) Vsitatum porrò Latinis vt verbum nolendi præponãt cùm quid prohibetur, vt crebrò annotaui: eóque verbo libertatẽ voluntatis apertiùs declarari; quamuis eam inesse illo oporteat, cui prohibitio indicitur; quoniã quod vitari nequit, frustrà cauetur. Metuere, ac timere, metus, timórque via differunt, importando opinionẽ magni mali impendentis futuri; ille si paulò remotiùs; iste si iam appropinquet[b]; cum quadam demissione animi ob expectationem illius, quasi παρὰ τὸ μέλλειν, vt philosophatur[c] Iulius Cęsar Scaliger; etsi Iosephus[d] filius (si tamen filius, certè filiis Ecclesię minimè annumerãdus) deriuet metum à μέδω, vnde μέμονα, & μέλω: & prior[e] timorem quòd sit expectatio eorum censuræ, qui in dignitate sunt constituti ἀπὸ τοῦ τιμᾶν, ex quo ἐπιτιμᾶν: alij à δεῖμος seu δεῖμα, quæ sunt à δείδω, hócque à דָּהַם *daham*, *timuit*, siue *territus est*: sed Varro metũ à muro animi, cùm id quod malè casurum putat, mens refugit; ita vt si hæc à se abiẽs, feratur foras, formido fit; si frigescas, horror, tremor si tremas; siue trepidatio; si pectus tundas, pauor, &c. Sed hæc minutiora, vt & quòd metuere seruorum sit, vereri liberorum[f], confunduntur siquidem eiusmodi verba, éstque siue metus, siue timor filialis, quẽ cognominant quoque reuerentialem, & castum, licèt distinguant vereri & metuere[g], vel timere; & nonnumquã valẽt metuere, idẽ quod cauere, vitare, prouidere, curare; quoniã quod nolumus & fugimus, id metuimus: locúsque prouidentię est, cũ sumus à malo remotiores.

Metuere & timere quid differunt.
b Cicero 4 Tuscul.
c exerc. 312.
Metus etymon.
d in coniectan.
e supra.
f Cicer. in Catone.
g Idem pro Quinct. Liuius lib. 39. Donatus in Adrian. Nonius.
h Virg. 8. Æn.

Vota metu duplicant matres, ait ille[h], *propiúsque periclo*
It timor, & maior Martis iam apparet imago.

Inhibetur pugnaturis metus, timórve seu pauor, quus tamen bijuges Martis finxerunt, Græcè δεῖμον καὶ φόβον[i]: quidam[k] timorem, terrorem, tumultum, eiusdem ministros, ὀπάονας, comitésque: nonnulli[l] Iouis fulgure armatum pauorem; timorem fulmine[m]: aliqui prioris filios.

i Gyrald. Syntag. 10. Seruius, & Vrsinus in 3. Georg.
k Nazianz. orat. 2. côtr. Iulianum.
l Nonnus 2. Dionysi.
m Artemid. lib 2. c. 35. & 44.

Sed recordare.] Omisso (*sed*) cum emphasi habent editiones aliæ (*recordando*, aut *recordatione recordaberis*, זָכֹר תִּזְכֹּר *zachor thizchor*, מִדְבַּר תִּדְבַּר *midchar thudchar* μνείᾳ μνησθήσῃ: hoc est, caue ne obliuiscaris, vt alibi[n] dicitur, imperãdo eiusdem rei memoriam, de qua hîc agitur, quod fit præterea cap. sequenti[o], c 5.[p] c. 16.[q] & alibi. Metus ac timor eripit memoriã, consiliúmque. Vnde ille[r],

n Deut 6. 12. c. 9 7.
o v 2. 18.
p vers 15.
q vers. 3.
r Propert. lib. 2. eleg. 29.

——— *hoc vetat me numerare timor.*

Et in timore quæ non videt videre se quis arbitratur,

——— [r] *Vidi procedere longam*
Ante pedes vmbram: nisi si timor illa videbat.

Denique δείματι Euripides[t] tribuit δυσγνωσίαν, timori difficultatem cognoscendi: ita vt eo perculsus

s Ouid. 5. metam.
t in Electr.

——— [u] *neque currentem se, nec cognoscat euntem*
Tollentémve manu, saxúmque immane mouentem.

u Virg. 12. Æn.

Quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis.] Talis priore capite[x] sententia; *serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro; & eduxit nos inde, vt introductis daret terram, super qua iurauit patribus nostris.* Hugo minus angustè sententiam restringit ad mare rubrum.

x v. 21. 22. 23.

Plagas maximas.] Supplendum est (*recordare*) paulò antè positum. De plagæ nomine diximus in Leuitico[a], & obiter de plagij crimine, déque plagiario. Sciunt Grammatici plagam priore producta percussionem, vulnus, ictum esse, quam πληγὴ valet à πλήττω, plagas priore correpta, retia rationibus constantia maculis significare; aut grande linteum, tegiménve, quarum diminutiuum plagulæ: tandem dici plagam agri, vel regionis seu in terra, seu etiam in cœlo, id est, tractũ, spatium, clima, zonam. Scriptura diuina primã & vltimam acceptionem satis sæpe vsurpat. Plangere quoque dicunt quasi plagere à plaga, id est, percutere ac tundere: & luctũ lamentationémve cum percussione capitis, vultus, pectoris, aliorúmve membrorum significat plangor, sed sæpiùs planctus. Lucretius plangere fluctus dixit; Lucilius, & Virgilius[b] litora; Ouidius nuda pectora[c] palmis, humum[d], pectora. Vt verum non sit quod Valla[e] docet, dici per translationem fluctus plangere litora, quasi ad declarandum dolorem in modum lamentationis. In editionibus aliis tentationes hoc loco sunt מַסּוֹת *massoth*, נִסִּין *nissin*, πειρασμούς, & epithetum positiuum magnarum: plagis enim tentauit ac expertus est Deus, an Pharao & populus eius ipsum timerent, ipsique cederent, dimittendo populum, inquit Oleaster: & fuerunt magnæ probationes, ait cum R. Kimhi Munsterus apostata (quæ Latinè pericula etiam vocantur, quemadmodum periclitari, periculũ facere, &c.) quando Ægyptios percussit tantis plagis, vt videret an perseuerarent in sua impietate, aut non. Gallica translatio Gebennensis habet (*selon les experiences*) ignota experimenta, indicátque illa quæ populus Hebræus acceperit in Ægypto de plagis contra Ægyptios. Eugubinus obseruari vult Hebraicè tentationem nõ modò probationẽ quamdam significare, verùm etiam afflictionem, & vexationem. Quod legimus in Iob[f]; *si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat*, pro pœnis Hebraicè est מַסַּת *massath* in regimine; quia pœnis tentat Deus, quod נָסָה *nasah* significat: & magna exigit ac veluti, quoniam מָסַס *masas* est eleuare: atque veluti tributum quod מַס *mas* dicitur, éstque debitum pro peccatis, & quodammodo pro huius vita vsura, in qua tot sunt ærumnę, immò ipsamet vita tentatio, militiáve[g] laboriosissima. In c. 4.[h] libri nostri sententia huic similis continet Latinè tentationes, cum signis, portentis, &c. vbi sunt מַסּוֹת *massoth* נִסִּין *nissin*, πειρασμοῖ: & in cap. 29.[i] *vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius; tentationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa, portentáque ingentia.* Onus apud prophetas[k] Hebraicè מַשָּׂא *massa* sono & notione affini prophetia nominatur, quæ est de malo ferendo, & alicui imponendo, plenáque minarum est, ac tristis[l], nec eos aduersùs quos dicitur, leuare ceruicem sinit. Id premit vt pondus magnum, Græcè ἄρμα, aut λῆμμα *eleuatio*, aut *assumptio*. Dum tentatio atque tribulatio premit & grauat, subleuat, & extollit, dummodo patienter tolererur.

a in c. 26. 21.
Plaga vox.
b 1. Georg.
c 2. metam.
d 4. Fasto.
e 5 elegan. c. 52.
f c. 9. 23.
g c. 7. 1.
h v. 34.
i v. 2 3.
k Esaiæ 13. 17. Ier 23. 36. Nahum 1. 1. Abac. 1. 1. Mal. 1. 1.
l Hier in Esa. 13 & 15. Ier. 23. in Nahum, & Abac. 1.

Quas viderunt oculi tui.] Aliqui viderant qui in exitu de Ægypto non attigerant annum ætatis vigesimum, hi enim perierunt in deserto: alij vidisse

disse censebantur in maioribus suis, qui omnes vnum populum per æquiualentiam, vt dicunt, efficiebant. Ad istam visionem sæpius [a] hoc libro prouocantur velut oculati testes: tamen semel distinctio exprimitur, quam modò dixi. *Cognoscite* [b] *hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia eius, & robustā manum, extentúmque brachium, signa & opera, quæ fecit in medio Ægypti, Pharaoni regi, & vniuersæ terræ eius, omnique exercitui Ægyptiorum*, &c. Subditur adhuc nihilominus, quasi eius distinctionis ratio non haberetur [c]; *oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.* Quamquam illi ipsi, quos tunc Moses alloquebatur, viderant nonnulla huiusmodi opera, quæ fecerat Dominus in solitudine donec venirent ad eum locum in quo tunc erant, vt ibidem [d] dicitur: & quidam, vt dixi, etiam priora, illi, inquam, qui in egressu de Ægypto ad annum vigesimum non peruenerant.

a Deut. 1. 19. 28. 30. 31. c. 2. 30. c. 3. 21. c. 4. 3. 9. 33. 34. c. 5. 23. c. 9. 2. c. 10. 21. c. 11. 2. 7. cap. 29. 2. 3. 17.
b cap. 7. 5. & seqq.
c vers. 7.
d vers. 5.

Et signa, atque portenta.] Sunt Hebraicè אתות othoth, & מופתים mophethim, & similia. Chaldaicè אתיא othaia, & מופתיא mophetaia: Græcè σημεῖα, & τέρατα. In c. 4. [e] sunt eadem nomina, & in c. 6. [f] sed posteriore loco pro portentis prodigia: iterum c. 13. [g] & 26. [h] & 29. [i] & 34. [k] omnia; in 28. [l] prodigia pro portentis. Abulensis hoc loco notat licèt plagarum vox, quæ præcessit, communis esse possit signis & portentis; propriè plagas nominari, quæ in persona lædebant, vt vesicas turgentes, mortem primogenitorum, ranas, sciniphes, omne genus muscarum, seu cœnomyiam: signa, quæ non lædebant in persona, nec demonstrabant maximam potentiam saltem Ægyptiis, vt conuersionem virgæ in colubrum; aquarúmque in sanguinem, quas magi etiam fecerunt, licèt apparenter tantùm: portenta, quæ magis terribilia erant, vt tenebras palpabiles, grandinem nimiam, maris diuisionem. De nominum istorum notione, dicta relege.

e vers. 34.
f vers. 22.
g vers. 1.
h vers. 8.
i vers. 3.
k vers. 11.
l vers. 46.

Manúmque robustam, & extentum brachium.] Manum fortissimam, robustam, fortem, iā priùs [m] legimus, & extentum brachium [n]: quod secundùm extat adhuc inferiùs [o], & alibi, aut excelsum [p]: ac de ipsa formula dictum aliàs. Apparuit Deus liberans populum suum quasi vir pugnator contra Ægyptios [q]; quando autē dedit legē; quasi senex sedens in throno, capite & barba canis, dicénsque; *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ægypto.* Id refellit Abulensis: quoniam cùm lex data est, nullam populus figuram vidit, sed solam vocem audiuit, vt c. 4. [r] dictum est: nec in mari rubro apparuit in figura viri pugnantis, ne idololatriæ præberetur occasio. Pro quasi viro pugnatore (vbi (*quasi*) effectum insinuat à Deo profectum, perinde ac solet à viro pugnatore.) Græcè habetur συντρίβων πολέμους, *confringens bella*, ne fabulas illas nobis persuadeamus, quibus inducuntur dij bellatores inter se pugnantes ac vulnerantes, immò & hominibus ipsis quandoque succumbentes.

m c. 3. 24. c. 4. 34. c. 5. 15. c. 6. 21. c. 7. 8.
n c. 4. 34. c. 5. 15.
o c. 9. 29. c. 11. 2. c. 26. 8.
p Iob 38. 15. Ps. 135. 12. Baruch 2. 11. Actuum 13. 17.
q Exo. 15. 3.
r v. 12. 15.

Vt educeret te Dominus Deus tuus.] Pro prima particula אשר ascer, & ד de reddi posset (*quo*) nempe (*brachio extento*) vel (*quibus*) nimirum hoc, atque omnibus prius dictis, quibus videlicet eduxit te, &c. Græca (ὡς) significat (*sicut, quomodo, vt*) & cum sequenti membro, continente alteram comparationis partem, efficit hunc sensum; *sicut eduxit te Dominus Deus tuus*, scilicet per signa, portenta, &c. *sic faciet cunctis populis*, &c. ὡς ἐξήγαγέ σε κύριος ὁ θεός σου, οὕτω ποιήσει κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι.

Sic faciet cunctis populis.] Addunt editiones aliæ; seu inserunt (*sic faciet Dominus Deus tuus*) Græcè ὑμῶν, *vester*, & in emendatis libris ἡμῶν, *noster*, *cunctis populis* (Græcè *gentibus*, ἔθνεσι,) quæ, vt sæpe dixi, synonymè accipiuntur. Frequens phrasis (*sicut fecit, sic faciet*) aut (*sic fiet ei.*) In c. 3. [a] *Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. Ne timeas: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.* In c. 10. [b] Iosue, *Nolite timere, nec paueatis: confortamini, & estote robusti; sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, aduersùm quos dimicatis.*

a v. 21. 22.
b vers. 25.

Quos metuis.] Iuxta cæteras editiones (*quos tu metuis*, aut *metueris à facie eorum.*) Græca verò constructio vt bona sit, supplendum aliquid est, quia non congruunt genera ἔθνεσι, οὕς, illud neutrius, hoc masculini generis: hoc est, ἐκείνων, aut quid simile *gentibus illorum, quos*, &c.

Vers. 20.] Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint.

EXimit adhuc populo magis metum ab hostibus, promittens, præter manum robustam, & brachium extentum, quorum proximè meminerat, & ad apertam pertinent pugnam, fore, vt si qui eam detrectantes fugiant, vel delitescant, deleat eos Dominus Deus, atque disperdat, immittēdo crabrones seu muscas venenatas, quibus vel interirent per se, vel dum in eos incurrerent, impedirent quominus pugnare possent, faciléque ab aliis occiderētur. In Exodo [c] pollicetur Deus ipse, cunctorum se inimicorū populi Hebræi corā eo terga versurū, emittendo crabrones priùs, qui fugent Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introiret. In libro [d] Iosue; *misi ante vos*, ait Deus, *crabrones, & eieci eos* (Amorrhæos, & Pherezæos, & Chananæos, & Hethæos, & Gergesæos, & Heuæos, & Iebusæos) *de locis suis, duos reges Amorrhæorū, non in gladio, nec in arcu tuo.* In lib. Sapientiæ [e]: *Misisti antecessores exercitus tui vespas.* In cōmentario libri huius Sapiētiæ satis multa dixi; & probaui figuratā locutionē non esse, quod hoc loco existimat Glossa interlinearis, & ordinaria, Rabanus etiā & Hugo; sed de veris animalculis narrationem; quorū nomina etiā, naturámque declaraui. Crabronē eū dicunt esse, quē Hispani & Itali *tauano* appellāt, vel primi *tabarro*, & *moscarda*; secundi *calancone*, Galli *froilō*, aut *foulon*, aut *freslon*, aut *bourdon*: vespā quā hi *guespe*, aut *mouche guespe*, aut etiā *bourdon*. Asperum crabronē (qui apem, vespámque superat magnitudine) cognominat Maro [f]; quod asperè pungat; ictúsque illius, vt scribit Plinius [g], haud temerè sine febri sit, ac ter nouenis punctis interficiat hominē; nec sit vllus, Aristotele [h] teste, absque aculeo; qui tamē in eo genere duces ac reges affirmat esse (quamuis neget Plinius, dubitétque de principe an habeat aculeū:) cognomē verò quoque dat τοῖς σφήκας τῶν ἀγρίων; vtpote qui in montibus generentur, generéntque in montibus, ac locis asperis. Refert præterea idē Philosophus ἀνθρήνας, *crabrones*, σαρκοφαγοῦσι, *carne vesci*, aut ἅπτεσθαι τῶν γλυκέων ὀπωρῶν, *attingere dulcem fructum*: non ἀνθολογοῦσι, *flores legere*. Symbolū maledicentiæ sunt vespæ crabronésve, tumulo hac de causa affixi Archilochi [i]: aduersùs verò morsū eorū inter alia maluæ valent contusa folia, vel succus: vt documēto sit, quoniā à mollitie nomen malua habet, bellicoso mollē opponi, & aduersùs furiosum conferre lenitatē: quóque acerbioribus ille verbis excāduerit, mitiorib. respōsis mitigari; siquidem

PARAPHR.
c cap. 23. 27. 28.
d c. 24. 12.
e c. 12. 8.
Crabro quid.
f 4. Georg.
g lib. 11. c. 21.
h 9. de hist. animal. cap. 42.
i Alciatus emble. 51 & in li. 3. epigr. Græc & Minos in Alciat ex Eurip. 2. Pyth. Stobæo serm. 21. Dione ora. 8.

siquidem μάγιστον ἐστὶν ὀργῆς φάρμακον λόγος [a]: & responsio mollis frangit iram [b]; nec irritare crabrones decet, τὰς σφηκιὰς ἐρεθίζειν: de quo in adagiis ea Plauro [c], Aristophane [d], Xenophonte [e]. Fingit Ouidius [f], cùm crabronum fauos loco apum in vlmi trunco reperisset Silenus, acerbia ab iis punctum ictibus cecidisse.

Millia crabronum coeunt, & vertice nudo
Spicula desigunt, oráque prima notant.
Ille cadit praceps.

Sed adi, si libet, citatum nostrum commentarium ad libri Sapientiæ c.12.[g] Opinioni quam ibidem retuli de crabronibus pro diabolis, Antonius [h] Gueuara consentit, sic etiam de illis intelligens mortem ac diabolú apud Abacuc [i], & Aten apud Homerum, alióſque, id est, noxam, quæ de cœlo deturbata, homines vniuersis malis implicet, menteſque seducat, & perturbet. Existimat etiam Agellius [k] nihil aliud fuisse crabrones, quàm angelos exterminatores, quorum ministerio pernicies ac terror, morbique & mortes Chananæis inferebantur: Seuerianus in huius loci catena meminit allegoricè per crabrones interpretantium vltricium vires occultas, & exitiales dæmonas, quibus Deus vtitur in hostes. Cladem porrò illam tantam Persis illatam per huius generis bestiolas precibus Iacobi Nisibensis Episcopi, præter Theodoretum [l], prodit Nicephorus [m], & historia [n] tripartita. Vocat Theodoretus σκνῖπας καὶ κώνωπας, cinyphes & culices, atque μικρὰ ζωΰφια, minutas bestiolas. Cæterùm τὴν μικρὰν καὶ φιλάνθρωπον παιδείαν τοῦ τῶν εὐσεβῶν προμηθουμένου Θεοῦ καὶ ἰσχὺν, leuem & clementem castigationem piorum curam gerentis Dei, atque potentiam; vnde Sapores rex ignominiam consecutus non victoriam αἰσχύνην ἀντὶ νίκης, reuersus sit ex ea obsidione διὰ τῆς πολιορκίας. Sub Petro Aragonum rege, quando capta est Gerunda per Carolum Siciliæ, & Philippum Francorum reges, ex sepulchro S. Narcissi, quod violare attentauerunt milites, muscarum examen egressum in exercitum, infesto agmine irruit, ingentem cladem intulit, in fugam egit, à cœptis desistere coëgit; anno Domini 1286. vnde prouerbium; *Musca S. Narcissi* [o]. Similes his victoriarum admirabiles modi vilium interuentu ac imbecillium rerum produci hic possent ex varia historia, vt conspiciatur vnus earum ac solus auctor & largitor Deus: cuiusmodi complosio lagenarum Gedeonis [p]; sonitus tubarum Iosue [q]; sonitus pyrorú sub Dauid [r]: extensæ in altum Mosis manus [s]; reptans cum armigero Saulis filius Ionathas [t]: iterum tubarum cantus, hominúmque vociferatio sub Abia rege Iuda contra Ieroboã regem Israel [u]: immissus in Sisaram currúſque illius & vniuersam multitudinem à Deo terror sub Debora [x]: & sub Asa in Æthiopum decies centena millia, currúſque trecentos [y]: decantatio laudum Dei sub Iosaphat [z]: cui similis in Britannia, cùm resonaret *haleluia* Germano Episcopo iubente [aa], & ea hymno, *Veni creator*; *hostem repellas longiùs*, &c. in pugna aduersùs Albigenses, duce Simone Mõfortio [bb]: vehemens exciratus ventus in hostes sub Theodosio Imp. [cc] & his adhuc plura quæ collegit author [dd] theatri humanæ vitæ: huc que reuocari possent visi propugnatores Angeli, vel sancti, vt Iacobus maior, cum Ioanne, Philippus, Georgius, Ambrosius, Agnellus, &c. vt omittam exempla profana, seu vera, seu etiam superstitiosa: quamuis inter illa quæ ad præcedens pertinent genus rerum leuiorum, censeri non debeant. Ad rem potiùs faciunt quæ sunt de necatis à brutis minutioribus immissis à Deo, vt à muribus, soricibus, gliribus, araneis, pediculis, vermiculis, buffonibus, serpentibus.

a Pierius lib.20.c.30. b Prou.15.1. c in Amphitryo. d in Lysistrata. e lib 4. f 3.Fasto. *Crabrones per diabolos.* g ver 8. h in Abac. 3. i cap.3.4. k ibid. l hist. Patrũ c.1. & hist. Eccl lib.2. c.30. m li 9 c.23. n li.5. c.45. o Baron. in notis martyro 18. Maij ex hist. Hisp p Iud. 7.16. & seqq. q Iol.6.5.& seqq. r 2 Reg.5. 22. & seqq. s Exod. 17. 11. t 1.Reg.14. 13. u 2 Par.13. 14. & seqq. x Iud 4 15. y c.14.9.& seqq. z c.20. 19. & seqq. aa Beda de sex ætatib. Polyd. li.8. Bo-fin. lib. 4.decad.1. bb Fulgos.l. 3.c. Egn. l. 9. cc Sozo .7. cap.24. Niceph. 12. c.39 Socra. c.25. Tripar.li. c. 45. dd 3. de c.1. C dia. dd volum. 3. lib.11 pag.1041. & multis seqq.

Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos.] Hebraicè, Chaldaicéque (*& adhuc*, aut, *& etiam* וגם *vegam*, ואף *veaph*) Græcè (&, καὶ.) Collectiuè verò ponuntur numero singulari הצרעה *hatsirhhah*, & ערעיתא *hharabhtha*: pluraliter in editione Græca σφηκίας, sed cum iota in syllaba prima cum mendo apud codices Complutenses ac Regios. Memini antea quibus vocabulis aliæ linguæ vtantur, & quòd cum vespis quidam ferè confundant: lectorémque remisi ad commentarium libri Sapientiæ [a], vbi de re etiam ipsa, necnon de varia ratione Latinum vocabulum scribendi. Deriuant aliqui à cracco, quod est gracilem [b] esse: graciléſque apud veteres Comicos [c] σφηκώδεις cognominabantur, seu adducto, constricto, & angusto ventre præ gracilitate, maciéque, ὑπὸ τοῦ λιμοῦ, ob famem, aliámve causam, iidem qui ἰσχνοὶ, καὶ λεπτοὶ, opponuntúrque τοῖς πίοσι, καὶ γαστρώδεσι, καὶ παχυκνήμοις, pinguibus, ventrosis, crassásque habentibus suras; vtpote, quemadmodum notat Scholiastes Aristophanis [d] Carolus Gerardus, οἱ σφῆκες λεπτοί. Onomatopœiá præfert vox Hebræa, stridorémque animalculi: licèt malint alij deducere à צרע *tsarnahh*, leprosus, & צרעת *tsarahhath*, lepra, quod ictu inficiat in modum lepræ, aut maculas habeat albas & subrufas instar lepræ; aut leprosos præsertim pungat. Chaldæa à ערע *hharahh*, quod est occurrere, indicat occursu in faciem percutere. Verùm plura repetenda non sunt.

Donec deleat omnes, atque disperdat.] Vnicũ verbũ habent editiones aliæ אבד *auod*, עד *venedum*, ἐκτριβῶσι: quæ significãt perire, aut deleri, siue tereri. Adiectum est quoque (*omnes*) ab Interprete.

Qui te fugerint, & latere potuerint.] Iuxta reliquas editiones (*relicti & absconditi à facie tua*, *seu à te*: aut *qui remanserint, & absconditi fuerint*, &c.) Caietanus literaliter interpretans verum muscarum genus; negansque dubitandũ quin effecerit Deus quod hic promittitur seruante populo legẽ eius, nescire se fatetur vbi & quãdo impletum id fuit, nisi quod in Iosue quidem [e] factũ commemoratur, sed non contra quos, & quomodo: sed & ignorari ait an contra eos qui hic vocantur remanẽtes, & occultãtes se. *Quamũuis fugiat quis à facie Domini* [f]; *non effugiet: sed fugientes inuoluemur aquis* [g]; *fugientibus à facie leonis occurret vrsus, ingredientes domum, innitentésque super parietem, mordebit coluber* [h]: *non est fuga, & qui fugerint nõ saluabuntur: si descenderint vsque ad infernũ, inde manus Dei educet eos, & si ascenderint vsque in cœlum, inde detrahet eos, & si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferet eos, & si celauerint se ab oculis eius in profundo maris, ibi mandabit serpenti, & mordebit eos* [i], &c.

Vers. 21.] Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis:

Magna securitas Deum habere propugnatorem potentia sapientiaque magnum, & immensum præsentia; quem nullus effugere valeat, siue quòd ignoretur ab eo, siue quòd nequeat eum debellare ac delere: qui vel solo nutu perterrefacere queat. Columnæ ipsæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius [k]: atque quantumuis alij armis confidant simul & audacia, omnipotens Deus illos, & vniuersũ mundũ vno nutu delere potest [l]. Cognominatur sæpenumero [m]

Ee 2 Deus,

a in c.12. *Crabronis etymon.* b Ἐννεός, & ex eo ἐκλεύς. c Aristoph. in Pluto actu 2. scen. 5. d ibid. *Explicatio.* e c.24. 12. f Ps.138.7. g Exod.14. 27. h Amos 5. 19. i cap 9.1.& seq. Ps.138. 8 & seqq. k Iob.26.11. l 2. Mach. 8.18. m Exod.18. 11. Deut. 10.17. 2.Paral. 16.25. lib. 2. 2. 5. 2. Esd.5. 8. lib.2. 4. 14. cap.9.32. Tob.13. 1. Iudith 16. 16. Iob.33. 12. cap.36. 26. c.37.23. Ps.47. 2. 3. Psal 76 14. Psal 85 10. Psal.88 8. Psal.94. 3. Psal.95.4. Ps 98 2. 3. Psal 134.5. Psal.144 3. Psal.146. 5. Eccl 39.8. c.43.5.31. Esa.12. 6. Ierem 10.6. cap.32. 18. Dan 2.45. c.9.4. c.14. 40. *Paraphr.*

Deus, & Dominus magnus, & interdum iuncto alio epitheto terribilis [a], aliquando maior homine [b]; vt omittam magnum nomen illius, virtutem, fortitudinem, opera, salutem, iram, furorem, indignationem, misericordiam, seu miserationem, iudicia, iustitiam, dulcedinem, gloriam, mirabilia, potentiam, &c. Terribilis quoque seorsim appellatio eadem [c] tribuitur, aut nomini eius, operibus, consiliis, &c. Terribilis adeò dicitur, vt non sit, qui resistat [d], & quidem quoniam auferat spiritum principum, & talis sit apud omnes reges terræ [e]. Quósnam Ethnici vocarent deos magnos, cùm vnum tamen ex eis maximum nominarent, alibi ostendimus. Vnicus verus, & verè magnus est Deus, habens multitudinem omnis magnitudinis [f], sicque magnus nimis, vt magnitudinis eius non sit finis [g]. Deum quoque nonnullos dictum velle notauimus [h], & molliùs proferendo θεὸν à δέος, quòd timorem significat, & quo nomine timoris abstractè appellatus est à Iacob [i], & quod

[k] *Primus in orbe deos fecit timor.*

Et quis est

——— [l] *Cui non animus formidine diuûm*
Contrahitur?

Cultus demum Deo proprij nomen λατρεία ducit originem à λα, *valdè*, & τρεῖν, *tremere*. Rectè iubentur hîc non timeri homines ab illis, qui terribilem hominibus habeant pro se Deum: neque cuiusuis pugnantis contra se manum timent, quos ille ponit iuxta se [m]; non timent mala quibuscum est [n]: eorúmque illuminatio, & salus, & protectio; quamuis consistant castra, prælium [o]: si enim Deus pro te, quis contra [p] te? *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius* [q]. Docere nos ait Cassianus [r] istam sententiam de nostra virtute in certamine aduersùm vitia non confundere.

a 2.Esd.5.5. c.4.14 Psal. 88 8. Eccli. 43.31.
b Iob 33. 12.
c Exo.15. 11. Ps.46.3. Ps.75.8.12. 13.
d Ps.75.8.
e ibid.v.12. 13.
f Ps. 150.2.
g Ps.144.3.
h in Ps. 75. 8.
i Gen. 31. 42 53.
Τοῦ θεοῦ etymon.
k Statius.
l Lucret.
Τῆς λατρείας etymon.
m Iob 17.3.
n Psal.22.4.
o Psal.26.1. & seqq.
p Roma.8. 31.
q Eccl.43. 31.
r colla. 5.c. 14.

Non timebis eos] Hebraicè לא תערץ מפניהם *lo thabbarots mippenehem*, *ne frangaris à faciebus eorum*: vel *non consternaberis*, vel *non stupebis*, *non rigesces*, *non terreberis*, *non expauesces*. Importat vim, impetum, prævalescentiam, qua præditus terrori aliis est. Verbum expauascendi redditur in Iob [s]: cap. 1. [t] libri nostri metuendi & θαυμάζειν: cap. 20. [u] formidandi, & ἐγκλίνειν, *declinare*: cap. 31. [x] pauendi, & φοβεῖσθαι: omisisque aliis locis, apud Esaiam, verbo etiam pauendi [y], & φοβεῖσθαι: vbi etiam ponitur pro מערצכם *mahharats*, *terror*: *ipse pauor vester, & ipse terror vester, nempe Dominus exercituum*. Valet hîc etiam Chaldaicè (לא תתבר *lo thithbar*, *non frangeris*.) videlicet animo: Græcè οὐ τρωθήσῃ, *non vulneraberis*. In 2.Regum [z] (*non te frangat ista res*) iuxta editiones alias est (*non sit malum in oculis tuis verbum hoc*, vel *de verbo hoc*) id est, non displiceat, non despondeas animum, non vexeris animo, &c. In libro primo [aa]; (*confregit Dauid viros suos sermonibus istis*.) Hebraicè & Chaldaicè *auulsit*, *depulit*, *repressit*, *pacauit*, *quietos reddidit*, וישסע *iesciassahh*, פייס *paies*; Græcè *persuasit*, ἔπεισεν. Periti Latinæ linguæ auctores vsurpant frangere hominem vel animum, ingeniúmve vel sententiam cuiuspiam: frangi dolore, metu, malis, molestia: fractum habere animum, humilem, demissum, fracto animo & demisso esse. Vsitatum quoque Græcis probis scriptoribus τρῶσαι τὴν ψυχὴν λόγοις, *vulnerare animam verbis*. Non videtur adeò literalis sensus circa Græcam huius loci phrasim, promitti victoriam sine sudore & sanguine; vt id sibi velit οὐ τρωθήσῃ, *non vulneraberis*. Vulnerari etiam aliquem voce periti dicunt, aut simili alia re per figuram; vt & animum sauciari, atque percelli, &c. Militare præceptum est incutere hosti terrorem. Aduersùs hunc præmonet ac præmunit Deus.

Explanatio.
s c.v.34.
t vers.29.
u vers 3.
x Psal.v.6.
y c.8.12.
z c.31.25.
aa c.24. 8.
Τοῦ frangendi vsus.

Quia Dominus Deus tuus in medio tui est.] Græcè solum (*in te*, ἐν σοί) Chaldaicè *Dominus Deus tuus maiestas eius in te*: aut (*Dominus Deus maiestas eius in te*.) Subauditur autem substantiuum verbum, sicut alibi sæpe. Hoc medium Deus crebrò [a] tenuisse legitur, ac id quodammodo appetiisse, atque promisisse, futurum se videlicet seu habitaturum in medio suorum: tum verò vt contra aduersarios dimicaret erueréque de periculo [b]. Alioquin esse, seu stare, seu habitare in medio, idem tantùm valet aliquando ac palam, publicè, liberè, & confidenter versari alicubi, sine inter aliquos. Abulensis declarat hoc medium Domini, de quo nunc agitur, vt gubernet, & ab aduersariis defendat; vt quamuis in medio sit nationum omnium, ac vbique per essentiam, præsentiam, potentiam: hoc vltimo modo peculiariter esset in medio nationis Hebrææ, defendendo & adiuuando contra gentes alias velut specialis dominus & dux: præterea vt eosdem præ cæteris puniret si peccarent, vt cap.6. [c] vidimus: Deus ipse dixit esse se in medio illorum tanquam æmulatorem ad ipsos delendum eum furore, si irent post deos alienos aliarum gentium: istam loquendi formulam obseruaram ab iisdemmet Hebræis dicentibus Deum esse inter seipsos, si adiuuaret eos, & non esse, si non adiuuaret; vt cùm quærerent aquam [d]; *éstne Dominus in nobis, an non?* vbi Interpres transtulit (*in nobis*) necnon L X X. (ἐν ἡμῖν) cùm editiones aliæ habeant (*in medio nostro*) hîc è contrario editio nostra (*in medio tui*) aliæ (*in te*) vt dixi. Vnde intelligitur non esse semper vim aliquam seu momentum singulare in eo quòd medium tenere dicatur Deus in habitando, &c. quamuis id passim soleat annotari; quódque Christus & medium hoc tenuisse dicatur [e], & cognominetur mediator [f], vixque sese interponens, ac stans oppositus contra Deum pro terra, ne dissiparet eam [g]: media in Trinitate persona, centro simili; soli inter planetas, cordi in animali, arbori vitæ in medio paradisi [h]; arcæ adductæ in medium Hebræorum, vt saluaret de inimicis [i]. Dauidi vncto in medio fratrum [k]; medius inter legem veterem & nouam; atque vbi congregantur duo vel tres in nomine ipsius [l]: & in transfiguratione inter Moysem & Eliam [m]; natus in medio animalium [n]; præsentatus in medio templi [o], in medio doctorum inuentus [p]; transiens per medium persequentium [q]; mortuus in medio latronum [r]; stans post resurrectionem in medio discipulorum [s], tanquam pastor, præceptor, pater, Imperator in medio ouium, discipulorum, filiorum, militum; immo tanquam qui ministraret [t], ac veluti seruiret; quamuis plerumque in conuiuio medius locus honoratior, vt demonstrat Cerda [u] noster.

Medium Domini quid.
a Exo.8 22. c.25 8. cap. 29 45.c.33. 5 Leuit. 26. 32. Num 11. 20. Deut.6. 15.c.10.4. 23 14. Iosue 3 10. 3. Reg. .13. Iudith 6. 15 81.1. Esa.12. Sopho 3 .15. 17. Agg.2. 6. Zach.2.5. 10. 11. c.8. 3. Luc.2.46. c. 22 27.c. 24.36 Ioan. 1. 26. c.19. 18.c.20.19. 26. Apoc 1. 13.c.2.1.c. 5.6.c.7.17.
b Deut. 20. 4.
c vers.15.
d Exo.17.7.
e suprà lit. b.
f 1. Tim.2. 5. Heb. 8.6.
g Ezech.22. 30.
h Gen.2.9.
i 1.Reg.4. 3.
k c.16.13.
l Matth.18. 20.
m Matth. 17 3. Mar.9. 3 Luc.9.30.
n Abac.3.2.
o Luc 2.27.
p ibid. vers. 46.
q c.4 30.
r Ioan.19. 18.
s c.20.19. 26.
t Lucæ 22. 27
u in 1. Æn. v. 693. not. 9.

Deum magnum, & terribilis.] Magnum Rabanus interpretatur Deum, quia omnipotens est, vt suos liberet; terribilé, vt aduersarios iustè iudicet. Græcè κραταιὸς, *fortis*. Alibi [x] reddidit editio Græca φοβερὸν pro נורא *nora*, & Latina terribilem cû aliis epitheris fortis, & magni Dei: & c. sequenti [y] pro solitudine terribili, vbi vox Hebræa eadem quæ hîc, Græca est φοβερά, vt obseruat Euguhin. hoc loco, malens hîc quoque reddi φοβερὸν, eo quòd, inquit, sceleratis,

x 2.Esd.1.5.
y vers.15.

sceleratis apparet Deus terribilis. Ribera [a] noster caplanans verba Ioël, quibus dicitur dies Domini magnus & horribilis: citantur autem à Petro in actibus Apostolorũ [b], magnus & manifestus, ἐπιφανής: prout etiam verterunt apud eumdem prophetam L X X. exemplis aliis sacris ostendit eodem pacto redditum huiusmodi nomen נורא *nora*. & quidquid timorem incutit, aut admirationem, aut reuerentiam, hoc nomine in iisdem sacris literis significari: & quoniam quæcumque in quouis genere magna sunt præter cætera, admirationem commouent, & timorem, aut reuerentiam, rectè illis conuenire נורא *nora*: quo modo terribilia vocamus, vel horrenda, quæ magnitudine aliis præstant, & admirationi sunt, qui etiam horror dicitur, & insignis veneratio, tanquam illustris rei ac gloriosæ. Lege commentarium nostrum in actus [c] Apostolorum: quo etiam loco posterior nobis, noster Gaspar Sanctius, suspicatur dictos L X X. in Ioële legisse non ירא *yara*, quod *timere*, sed ראה *raah*, quod *videre* significat.

a in Ioël. 2. 31. — b c. 2. 20. — c ibidem.

Vers. 22.] Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.

PARAPHR. MAgnus, ac terribilis Dominus in medio populi sui propugnator, sic pollicetur illi de inimicis nationibus victoriam, harúmque excidium, vt id non simul statimve fiat, sed seorsim successuque temporis; ne cùm tot numero Hebræi non essent, vt incolere possent omnes illas regiones, si simul vastarentur, habitatorésque illarum de medio tollerentur, illis in solitudinem redactis & vastitatem, existerent, vt contingit in desertis ac solitariis locis, bestiæ quæ in Hebræos insilirent. In Exodo [d] Deus ipse; *non eiciam, ait, eos à facie tua anno vno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.* Erat Palæstina, vtpote syluosa & montosa, vrsis, leonibus, lupis, vulpibus, abundans; ita vt vulpes vna vice Samson trecentas acceperit [e]. Cedit in malus beneficium nostrum sæpe, quod non tam largè conferri videatur in nos beneficium. Talis prætereà ratio tradita in libro Iudicum [f]; *hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi, quinque satrapas Philisthinorum, omnémque Chananæum, & Sidonium, atque Heuæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal-Hermon, vsque ad introitum Emath; dimisitque eos, vt in ipsis experiretur Israelem, vtrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.* Item causa redditur ibidem [g], *quoniam Israel post mortem Iosue prauaricatus est idololatria, & ego non delebo*; ait [h] Dominus, *gentes quas dimisit Iosue, & mortuus est; vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. Dimisit ergo*, subdit auctor libri, *Dominus omnes nationes has, & cito subuertere noluit, nec tradidit in manus Iosue.* Spiritualibus bellis aptari hæc possunt, in quibus erudiri nos Deus ac exerceri vult ad maius in eum fiduciæ atque humilitatis meritum, & ad virtutum omnium solidiorem constantiorémque acquisitionem, ac ne in desidia otióque à tentationibus seu pugna succrescant sentes, exoriantur bestiæ, præualeant diaboli tentamenta; partæ labore virtutes cum spe certa præmii, suauiores efficiantur & gratiores, gloriosior sit victoria, triumphus illustrior, celebrior apud homines Deúmque laus ac tutior. Perpendit hæc apud Cassianum [a] Daniel docens derelinqui sanctos vtiliter, non vsquequaque μέχρι πρὸς σφοδρῶν, *vsque ad nimietatem*, vel ἕως σφόδρα, *vsque nimis*; quod secundum deprecabitur Dauid [b], vt probentur, & sentiant suam infirmitatem, scientes bonum sibi esse, quod humiliemur [c]: nec iure diabolus queri videatur ac exprobrare illis & Deo, sicut Satan in causa Iob [d] gratis sine *frustrà*, coli Deum, ipso vallante semper eos & protegente: & vt hoc exemplo ex libro Iudicum, dum durat impugnatio, numquã se sentiant auxilio Domini non egere, nec bellandi vsum & exercitia virtutis amittant. Rabani ad hunc locũ & Glossæ similis admonitio; ne pulsis à carne peccatis; exurgant bestiæ iactantiæ, superbiæ, vanæ gloriæ: contingere, vt quibus maiora dona præstat Dominus, quædam minora non tribuat, vt semper eorum animus habeat vnde seipsum reprehendat, miróque modo mens & virtute polleat, & ex infirmitate lassescat: curandum vt expulso vitio, statim virtus plantetur, ne immundus spiritus redeat, & domum vacantem inueniat: Lot qui se in Sodomis continuerat, in monte fornicatione pollutum esse. Ex Gregorio [e] prompta est dicta tropologia de permissione diuina, vt minora quidem viri sancti vitia habeant ad humilitatis custodiam, sicut contigisse narrat Isaac anachoretæ, qui cùm sanctissimus esset, ac miraculis conspicuus, tanta nonnumquam ei lætitia ioerat, vt comprimere non posset, eóque nomine reprehensibilis videretur. Nolebat Scipio Nasica euerti Carthaginem Romæ æmulam, ne tali hoste Romanus populus liberatus, otio ac desidia torpesceret; & quia timebat infirmis animis hostem securitatem; & tanquam pupillis ciuibus idoneum existimabat, immò necessarium tutorem, terrorem, inquit Augustinus [f]; qui prætereà [g] respondet Gentilium calumniæ, conquerentium de felicitatis humanarum rerum per Christiana tempora diminutione: deoique [h] docet nihil esse infelicius felicitate peccantiũ: & Eusebius [i], Cyprianus [k], aliique periculosiùs laborasse libertatem à persecutionibus, præ nimia licentia, Ecclesiam. Exortæ nimirum post persecutiones hæreses, hæreticique successerũt tyrannis: tormentis ac mortibus, corrupti mores. Bestiæ verò censeri peculiariter possunt peccata carnis, quæ prohibentur per alias aut animi, aut etiam corporis molestias & labores; quia malitiæ horæ obliuionẽ facit luxuriæ magnæ [l], Græce κάκωσις, & τρυφή significant afflictionem seu tribulationem, & voluptatem delitiásve. Ideo sancti illi eremitæ fatigabant corpora, & iniuriis etiam animũ quandoque ita vexabant, vt non modò fornicari non liberet, sed ne quidem viuere liceret [m]: atque sic bestiæ fiereot ipsis pacificę [n], nec ascenderet mala bestia [o]: sed percutiente fœdus Deo cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ, tandem dormirent fiducialiter [p]. Crucifixo similem facit Cassianus [q] monachum. Similitudo, præter alias quas affert, est quia non statim moritur qui cruci affixus est, nec mortificatio statim absoluitur, sed paulatim & quasi per partes, cruciante carnem

d c. 23. 29. 30. — Palæstina regio. — e Iud. 15. 4. — f cap. 3. 1. & seqq. — g c. 2. toto. — h [illegible] &

a colla. 4. c. 6. — b Ps. 118. 8. — c ibid. vers. 71. — d Iob. 1. 9. — e 3. dial. c. 14. — f 1. de ciuit. c. 30. — g 1. de cõsensu Euãg. cap. 33. — h epist. 5. — i 8. hist. c. 2. — k de lapsis. — l Eccle. 12. 28. — m Hier. epist. 4. — n Iob 5. 23. — o Esa. 35. 9. — p Osee 2. 18. — q 4. Instit. c. 34. & 35.

carnem spiritu per pœnitentias, negandóque appetitiones, ferendo eam patientia crucem quam Deo placet dare per tribulationes, quam dat Dæmon per tentationes, homines per persecutiones. Et nondum statim finis: sed si qui perseuerauerit, &c. *Ante Carthaginem deletam* (verba sunt Sallustij [a]) *populus, & Senatus Romanus placidè modesteque inter sese Remp. tractabant, neque gloria, neque dominationis certamen inter ciues erat: metus ab hostibus in bonis artibus ciuitatem retinebat. Sed vbi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quæ secundas res amat, lasciuia, atque superbia incessere*, &c. Velleij [b] quoque Paterculi sententia fuit; remoto Carthaginis metu, sublatáque imperij æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum, veterem disciplinam desertam, nouam inductam, in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis ad otium conuersam ciuitatem. Sed & Aristoteles [c] scripsit, quòd *αἱ πλεῖσται τῶν τοιούτων πόλεων, πολεμοῦσαι μὲν σώζονται: κατακτησάμεναι δὲ τὴν ἀρχὴν, ἀπόλλυνται. τὴν γὰρ βαφὴν ἀφιᾶσιν, ὥσπερ ὁ σίδηρος εἰρήνην ἄγοντες: Pleraque ex talibus ciuitatibus, tantisper quidem dum bellum gerunt, salua sunt: potita autem imperio, & principatu, pereunt: nitorem enim suum seu splendorem, instar ferri, perdunt in pace.* Cùm vrbem quamdam vi Lacedæmonij cepissent, Ephori dixerunt *οἴχεται τὸ πάλαισμα τῶν νέων, perijsse luctationem iuuenum*: & aliam subuerti cauerunt, quamuis multum præbuisset negotij, quod *τὴν ἀκόνην τῶν νέων*, iuuentutis cotem esse assererent. Obseruata sunt hæc à Leonardo [d] Coquæo vetere amico, sed iam ex humanis subducto: quæ ad se quemque & ordinem integrum nostrum hactenus variis modis agitatum, vtiliter transferre posse, ac debere non ambigo, sed maiorem in modum suadeo. Documentum aliud Ethnicum idem Cassianus [e] hoc eodem ex loco à Serapione collectum refert de instituendo aduersùm vitia certamine secundùm ipsorum infestationem, & vt vnusquisque vitium quo maximè infestatur explorans, aduersùs illud arripiat principale certamen, quoniam impossibile sit de qualibet passione triumphum quempiam promereri, simul nempe ac perfectè. Idem præcipit [f] Chrysostomus: quod nos ex institutione B. P. N. Ignatij [g] (qui propediem, hoc est 12. die mensis sequentis Martij, qui dies Gregorio Magno dicatus est, & incidet in sabbatum ante Dominicam passionis, catalogo Sanctorum canonicè inseretur cum B. Francisco Xauerio, quibus suum cum Papa Gregorio XV. Cardinales & Prælati suffragium in consistorio libentissimè ac prolixissimè detulerunt feria IV. temporum die 14. mensis huius Febr. anno 1622.) examé particulare appellamus. *Discamus vitia nostra*, inquit Chrysostomus [h], *& vitia nostra recensentes, & tempore corrigamus, & hoc mense vnum, alio aliud; & ita consequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Iacob* [i], *ad cælum perueniemus.* Profert Nigronus [k] noster de quotidiano duplici sed generali examine testimonia & exempla: & de particulari tractat alter de nostris accuratiùs Iacobus [l] Aluares. Hugo Card. in Psalmum 58. tractans illa verba [m] (*ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei;*) explicat, ac si diceretur, si sine pugna tentationum esses, citò superbires, & mei memoriam non haberes, &c. Tum proferens præsentem locum; gentes illæ, ait, quæ filios Israël infestabant, significant tentationes, quæ si pariter deleantur, multiplicantur bestiæ terræ, id est, motus superbiæ, quæ totum fructum terræ nostræ vastant. Quod autem ibidem additur (*disperge eos*) explicat per id quòd hîc habetur postea consumendas à Deo nationes paulatim & per partes; ne veniant in tanta multitudine, vt vinci non possint. Hîc etiam obseruat Seraphinus Capponus fomitem relinqui iustificatis, passiones, tentationes, tribulationes ad exercitium, non quia fomes ipse peccatum sit, vt sentiunt hæretici. Deinde superioris prudentis esse subditis persuadere si quid eis proponendum sit, quod videri queat molestum, vtile id ipsis esse. Rabanus notat de Deo dici, quòd ipse consumet nationes, quia victoria ascribitur illi soli, quando hostes superantur vniuersi. *Victoria vincens mundum fides nostra* [a] *est, qua credimus & confidimus in eo quo iubet confidere, quia ipse vicit* [b], *exiuitque vincens vt vinceret* [c], *per quem & dat Deus victoriam* [d]. Hugo tropologiam hactenus allatam refert ex Glossa, & ex Gregorio, ad obiectionem autem, quod Deus aut omnia peccata dimittit, aut nullum, ideóque non per partes deleantur vitia; respondet non oportere vt in omnibus moralitas vel mysterium sequatur historiam: deinde omnia deleri quoad maculam, sed non quoad reliquias, quæ post remissionem infestant, sed paulatim & successiuè extirpari.

a de bello Iugurth.
b lib. 2.
c 7. Polit. c. 14.
d in Aug. l. de ciuit. c. 30.
e coll. 5. cap. 14.
f hom. 73. ad pop. & hom 82. in Ioan.
g in 1. exer. spiri.
h hom. 82. in Ioan.
i Gen. 28. 12.
k comment. alter in regul. comun. societ. nu. 9. & seqq.
l to. 3. de exterm. ma. li lib. 5. p. 3. c. 5 & seqq. quem etiam lege lib. 1 p. 2 c. 2. nu. 7. & 8.
m vers. 12.

a Ioan. 5. 4.
b Ioan. 16. 33.
c Apo. 6. 2.
d 1. Cor. 15. 57.

Explanatio.

Ipse consumet nationes has.] Abest (*ipse*) in editionibus aliis, locóque eius, est (&c.) inseritur quoque (*Dominus Deus tuus*) cuius repetitio expressa non caret vi affectum demonstrantis erga suos cum potentia ad iuuandum, & defendendum, & castigandum. Nationes autem synonymæ sunt gentibus, & populis, quamuis nonnullum discrimen agnosci queat. Pronomen (*has*) designat veluti digito indicatas, vtpote proximas, ac vltra Iordanem, in cuius iam ripa Hebræi erant. Verbum נָשַׁל *nascal*, & יִתְבָּרֵךְ *ietharech* significant *eiiciet* seu *expellet*, aut *eradicabit*: quod minus est quam, *consumet*, & *καταναλώσει*: quamuis eradicationem comitetur consumptio.

Nationes idem quod gentes & populi.

In conspectu tuo.] Iuxta reliquas editiones (*à facie tua*, seu *à conspectu tuo*) מִפָּנֶיךָ *mippanecha*, מִקֳּדָמָךְ *mikkodamach*, *ἀπὸ προσώπου σου*. Vtrumque futurum erat, vt in conspectu Hebræorum consumerentur nationes, consumptæque amouerentur & eiicerentur à conspectu seu facie, seu præsentia, & oculis eorum, qui propriis oculis eorumdem interitum vidissent, vt aliquoties antea dictum est ad maiorem de victoria certitudinem, gaudiumque. Eadem formula extat [e] alibi de dandis inimicis, aut delendis, aut corruentibus, aut disperdendis, auferendis, percussis, eiectis. Quamquam hoc vltimum in bonam partem accipitur de populo Hebræo à Gentium sedibus, apud quas detinebantur, potenter educto [f], ipsismet videntibus, ac inuidentibus, inuitisque Gentibus.

Paulatim atque per partes.] Verti potuit (*paulatim paulatim*) aut (*parum parum*) geminatur enim מְעַט מְעַט *mehhat*, זְעֵיר זְעֵיר *zebber zebber*, *κατὰ μικρὸν μικρὸν*, quemadmodum in cap. 23. [g] Exodi in eadem sententia, vbi tamen editio nostra ponit dumtaxat semel *paulatim*, & omittit (*atque per partes.*) Vulgò *poco à poco*. In eodem sensu boni auctores vsurpant *κατὰ μικρὸν* absque geminatione pro sensim, paulatim, &c. vt Isocrates, Demetrius, Nazianzenus citati ab auctore

e infra vers. 23. c. 9. 4 c. 28. 7. c. 31. 3. Iol. 3. 10. c. 23. 9 Iud. 20. 35. 4. Reg. 17 18. Esa. 41. 2. Ier. 32. 31. c. 49. 5. Ezec. 20. 14
f Ezech 20. 14
g vers. 30.

auctore Graeci thesauri. Aliquae nationes deletae sunt sub Iosue, aliae sub Iudicibus, quaedam sub Regibus.

Non poteris eas delere pariter.] Consumere eos, nempe Gentium homines (גוים *goim* enim masculini generis est, necnon שממה *bhammemaya*, licèt *iòn* neutrius, & *αὐτοὺς* masculini) significat idem Graecum verbum, quod erat paulò antè *ἐξαναλῶσαι*: & nouum Hebraeum, Chaldaeùmque cum affixo masculino כלתם *challotham*, & שיצאתון *sietsaiebon*. Pro (*pariter*) est in aliis editionibus (*citò*) מהר *maher*, בפריעה *bipbrieabb*, τὸ τάχος, idem quod ταχὺ, ἐν τάχει, διὰ τάχους, κατὰ τάχος, ταχέως, &c. *Pariter* hoc loco valet idem quod vnà seu simul; quo pacto periti scriptores Latini vtuntur eo aduerbio, vt, *Pariter* [a] *cum vita sensus amittitur*: aliquando, quod eodem tempore, vt

— [b] *aperit si multa via vis*

Occumbet pariter.

Ne fortè multiplicentur contra te bestiae terrae.] Graecè plura sunt, ἵνα μὴ γένηται ἡ γῆ ἔρημος, καὶ πληθυνθῇ ἐπὶ σὲ τὰ θηρία τὰ ἄγρια, *vt non fiat terra deserta, & multiplicentur in te*, seu *contra bestiae ferae, siue agrestes*. In Exodo habent omnes editiones haec *omnium ne terra in solitudinem redigatur*, siue *fiat deserta, & cresc. aut* seu *multiplicentur, multaeve sint contra te bestiae terrae.*) Seraphinus Capponus circa (*ne fortè*) quod prae se fert dubitationem, notat non monstrare dubitantem Deum, sed casum de quo agitur, valdè timendum, sicut quando quia benè peritum & experientem audit aliquo de periculo dubitare, concipit & ipse facilius dubitationem. Sed constat ista formula non semper importare dubitationem: Sed *ne fortè* idem esse nonnunquam, quod nequando; vt [c], *attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitae.* Sed & forsitan aliquando non differt ab vtique: vt [d]; *si scires donum Dei*, &c. *tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*, & [e]; *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*: & [f]; *si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Citato loco Exodi Latina editio non habet (*ne fortè*.) Sed tantùm (*ne*:) & aliae non discrepant ab hoc loco nostro: Graeca verò pro bestiis agrestibus habet bestias terrae, τὰ θηρία τῆς γῆς: solùmque per se nomen θηρία satis inuoluit feritatem. Crebrò in diuinis literis nominantur bestiae terrae, agri, saltus: interdum [g] seorsim bestiae & ferae. Docui [h] alibi generale nomen Hebraeum חיה *chaiyah*, & commune ad omnia potissimùm ἄλογα, seu bruta animalia, restringi ad fera, quae Graecè dicuntur θῆρε, & aliis locis θηρία, quòd in illis sit viuacitas maxima, vesaniaûrque alius animalibus: sumi etiam peculiariter pro venenatis, vt indicat contra venena ex venenatis confecta theriaca: praesertim, ex vipera quae θὴρ vocatur, κατ' ἐξοχὴν: vel aduersùs venenata valens, etiamsi, vt quibusdam placet, nulla in sui compositione, admittat venena [i]: bestiam quasi vastiam, id est, vastam & vastatricem: quandoque de piscibus etiam ac volucribus dici serpentibus que; immò & mansuetam bestiam cognominari.

Vers. 23.] Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.

Vers. 24.] Tradétque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorū sub coelo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

CVm paulò antè dictum fuerit, quòd paulatim paulatim, seu sensim, ac per partes nationes hostiles consumpturus esset Deus: intelligi debet quod hic dicitur de illis dumtaxat nationibus seu gentibus, quas decreuerat Hebraeis tradere cùm primùm intrarent in terram promissam. Viuo adhuc Iosue occupata est Iericho, rege ac fortibus viris & aliis omnibus interfectis [a], Hai praeterea eodem modo [b]: item occisi quinque Amorrhaeorum reges [c], Deo dicente quòd nullus resistere posset [d], cùm eorum priùs colla calcata essent [e]: rex etiam Maceda [f], & rex Lebna [g], Lachis [h], Horam rex Gazer; Eglon [k], Hebron [l], Dabir [m], & quidem omnes vno impetu [n]; denique ne singillatim omnes recenseantur protexant in Iosue c.12. reges triginta & vnus [o]. Nihilominus eodem libro [p] scribitur, quòd Iebusaeum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere: & quòd non potuerunt filij Manasse aliquot Chananaeorum ciuitates subuertere, sed coepit Chananaeus in terra sua habitare [q]; & in libro Iudicum [r] quòd arctauit Amorrhaeus filios Dan in monte, nec dedit eis locum vt ad planiora descenderent: postea sub Salomone omnis populus, qui derelictus fuerat de Herhaeis, & Amorrhaeis, & Pherezaeis, & Heuaeis, & Iebusaeis, quos non interfecerant filij Israël, subiugauit Salomon in tributarios [f].

Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo.] Voluerunt L X X. phrasim variare ac interpretari dare inimicos in conspectu nostro, idem esse quod in potestate, vtque manibus nostris comprehendi & occidi queant: siquidem transtulerunt (καὶ παραδώσει αὐτοὺς κύριος ὁ θεός σου εἰς τὰς χεῖράς σου, *& tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas*) vt mox sequenti versu eadem phrasi vtuntur omnes editiones, atque alibi saepe.

Et interficiet illos.] Hebraicè (*& fremitu siue tumultu magno perdet eos*: vel *confractione magna confringet eos*: vel *contritione magna conteret eos*:) vel (*stupore magno reddet attonitos eos, donec*, &c.) והמם מהומה גדלה *vehamam mehumah ghedolah*. Vltima translatio placet Caietano; explicanti sensum esse; vt promittatur per hoc quòd gentes illae, quae destruendae paulatim relinquentur, non insurgent aduersùs Israëlitas interim; quia Deus faciat illas attonitas non parum, sed valdè, vsque ad tempus quo destruentur. Et disponitur, inquit, hoc à suauissimo gubernatore; vt omni ex parte electus populus tutus, sciat quòd ipse est Elohim, suauiter gubernans omnia. Probabilis expositio, cui fauent Chaldaea loci praesentia שגושנון *sciagghiscinnun*, & שיש: quam confirmant verba Rahab, quibus dixit irruisse terrorem Hebraeorum in habitatores Iericho, & clanguisse omnes habitatores terrae [t]: illa etiam Gabaonitarum; *timuimus valdè, & prouidimus animabus nostris, vestro terrore compulsi* [u]; Sed & oratio Achiue ad Assyrios idem suadebat [x]. At interficere plus est longè, quàm attonitum reddere: vt & ἀπωλείᾳ ἀπολεῖ μεγάλῃ, *perdere perditione magna*. Significant המם *hum*, המם *hamam frangere, turbare*, seu *tumultum facere*: & vltimum praeterea המה *hamah* hoc autem locu in המם *hamam* finale ם *mem* videtur signum pronominis pluralis, vt etiam docet R. Kimhi, & persuadet in Chaldaeo שגושנון *sciagghiscinnun*

[a] Cic. Tusc. 1.
[b] Virg. Aen. 10.
[c] Luc. 21. 34.
[d] Ioan. 4. 10.
[e] c. 5. 46.
[f] c. 8. 19.
[g] Dan. 4. 22. 29.
[h] in Leu. 26. & in c. 5. 2. & in ps. 148. 10.
[i] Plin. 14. 20. c. ... Galen. de theriaca, & aliis.

Paraphr.
[a] Ios. c. 6. 21.
[b] c. 8. 22.
[c] c. 10. 11. & seqq.
[d] v. 8.
[e] v. 24.
[f] v. 28.
[g] v. 30.
[h] v. 32.
[i] v. 33.
[k] v. 35.
[l] v. 37.
[m] v. 39.
[n] v. 42.
[o] c. 12. 24.
[p] c. 15. 63.
[q] c. 17. 12.
[r] c. 1. 34.
[f] 3. Par. 8. 7. 8.
Explanatio.
[t] Ios. 2. 9.
[u] c. 9. 24.
[x] Iudith. 5. 5. & seqq.

ghiſcianun paragogicum pronomen, & ſeparatum pronomen Græcum *αὐτὸς*; ſicque radix erit הֻם *hum.* Conſtringere cum tumultu, denotat interficere cum quadam vi. Quòd ſi tollas affixum pronomen, ita tamen vt ſuppleas, erit הָמַם *hamam* ipſummet thema; pro quo etiam editio noſtra ponit interdum [a] occidere, ſeu interficere.

a Exod. 14. 24. c. 23. 37. Eſther. 9. 24.

Donec penitus deleantur.] In textu Hebræo (*vſque ad perdendum eos*, id eſt, vſque dum perdantur, vſque dum perdat eos, עַד הִשָּׁמְדָם *hhad hiſhsmdā.* Hoc eſt quod antea [b] dictum eſt (*vſque ad internecionem.*) Interpres autem noſter aduerbio (*penitus*) exprimere voluit epithetum גְּדֹלָה *ghedolah*, & רַב *rab*, & *μεγάλη*, quod magnam ſignificat ſiue confractionem, ſiue perditionem, ac interfectionem. Siatini codices habent pluraliter *ἐξολοθρεύσῃ*, *perdiderunt*, ſeu *exterminauerunt ie*: alij *ἐξολοθρεύσῃ*: numero ſingulari.

b verſ. 2. & cap. 3. 3.

Tradétque reges eorum in manus tuas.] Singulari numero in editione Hebræa & Chaldæa (*in manu tua*, בְּיָדֶךָ *beiadecha*, בִּידָךְ *bidach*: in Græca (*in manus veſtras*, *εἰς τὰς χεῖρας ὑμῶν*:) quod priore verſo notaui dictum (*εἰς τὰς χεῖράς σου*, *in manus tuas*) pro (*in conſpectu tuo.*) Dat, tradit in manus vincentium Deus hoſtes, & interficit: cùm vires tribuit vt interficiantur ab illis; perinde ferè ac ſi tu ſtrictè ligatum brutum, vel hominem interficeres manu tua. Vt idcirco laus victoriæ debeatur Deo in prioris, ac per ſe, gratiæque ipſi agendæ ſint non ſolùm de viſibilibus, verùm etiam ac multo magis de deuictis inuiſibilibus inimicis, vt nuper admonui cum Paulo [c]. Et ſua tamen vincentibus laus, ac meritum, lætantúrque cùm vident vindictam, & manus veluti lauant in ſanguine inimicorum [d].

c 1. Cor. 15. 57.
d pſ. 57. 11.

Et diſperdes nomina eorum ſub cœlo.] In citatis Siatinis codicibus, *καὶ ἀπολεῖτε τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐκ τοῦ τόπου ἐκείνου*, *& diſperdetis nomen eorum de loco illo*) quem videlicet priùs occupabant. Sic in cap. 12.[e] *diſperdite nomina eorum* (idolorum) *de locis illis.* Verebatur etiam Ioſue in ſua ad Deum oratione; ne deleretur nomen Iſraël de terra ab hoſtibus [f]. Alij legunt hoc loco, *καὶ ἀπολεῖται τὸ ὄνομα αὐτῶν ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ*, *& peribit* (vel *perdet*, nimirum Deus, quia eſt verbum medium, *nomen eorum ſub cœlo.*) In editionibus aliarum linguarum (*& perdes nomen eorum de ſub cœlo*, וְהַאֲבַדְתָּ אֶת שְׁמָם מִתַּחַת הַשָּׁמָיִם *vehaauadtha eth ſcemam mittachath haſcamaim*, וְתוֹבֵיד יָת שׁוּמְהוֹן מִתְּחוֹת שְׁמַיָּא *vethoued iath ſcumhon mithchoth ſcemaya.* Eadem dicendi formula extat in c. 9.[g] *vt deleam nomen eius de ſub cœlo*, & c. 29.[h] *& deleat Dominus nomen eius de ſub cœlo*, & in 4.[i] Regum; *nec locutus eſt Dominus, vt deleret nomen Iſraël de ſub cœlo.* Abulenſis, legens (*diſperdet*,) explicat de Deo, qui reges ita deleturus eſſet, vt non manerent ipſi, nec aliquis de ſemine eorum; aut nomina eorum in tota terra habitationis hominum: quia cùm pater poſt ſe relinquit filium, videtur mortuus quaſi non eſſet mortuus; vtpote ſimilem ſibi relinquens [k]; eſſe autem in ſuperficie terræ, in qua homines habitant, eſt eſſe ſub cœlo; vt idcirco tolli ne ſit quis in illa, ſit tolli ne ſit ſub hoc, & qui moriuntur, quoniam ſepeliri ſolent, non manent in ſuperficie terræ, ſed ſub terra; quæ terra ſecundùm vulgarem opinionem creditur eſſe ſub cœlo immediatè, ac inter cœlũ & terram putatur vulgò nullum corpus eſſe, quia nullum cernitur, exiſtimatúrque inter illa ſpatium vacuum, ſeu inane. Quod vltimum comprobat Virgilij [l], Ouidiuque [m] teſtimonio, accipientium inane pro ſpatio inter cœlũ & terram.

e v. 3.
f Ioſ. 7. 9.
g v. 14.
h v. 20.
i c. 14. 27.
k Eccl. 30. 4.
l eclo. 6.
m 2. metamor.

Plutarchus [a] *τὸ κενὸν* de inanitate aëris vſurpat. Plinius [b] de aëre, maríque. Sed Ariſtoteles [c] docet quod *τὸ κενὸν καλούμενον ἀέρος πλῆρές ἐστι*, *inane quod vocatur, plenum aëris eſt.* Deſcribitur porrò plena internecio per iſtum dicendi modum, accipiendo nomina pro perſonis, vt etiam alibi, atque vt nec memor quis nominum ſit per labia [d] ſua illorum, quos Deus deleri voluerit. Quod eſt omnes vitare ac præcidere peccatorum etiam leuiſſimas, minimaſque occaſiones. Vbi ſimul attendendum, quanta vanitas gloriæ, quam cognominant vanam: quam vanum vocare nomina ſua in terris ſuis [e]; quomodo pereat memoria hominum, quantumuis celebrium, cum ſonitu [f]: denique quòd

Inane pro ſpatio inter cælum & terram.
a 8 ſympoſ. 4. 3.
b 19. c. 1.
c 2. de part. anim. c. 10.
d pſ. 15. 4.
e pſ. 48. 12.
f pſ. 9. 8.

Mors & lapidibus nominibúſque venit.

Grauiſſimæ loco pœnæ cenſetur, perire nomen alicuius [g], & deleri [h], & non celebrari [i], ſed putreſcere [k] *σβεσθήσεται*, *extinguī*, inter bona verò magna quòd permaneat [l], & viuat [m]; honorabile ſit [n], benedictum [o], magnum [p], inextinguibile [q], laudabile [r], ſuaue [s]. Tandem *melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ* [t], *vnguentaque pretioſa* [u], & de illo cura habenda, quoniam magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni [x].

g p. 40. 6.
h Eccl. 6. 4.
i Eccli. 41. 14. c. 46. 13.
i Iob. 18. 17.
k Prou. 10. 7.
l pſ. 71. 17.
m Eccl. 44. 13.
n v. 14.
o v. 17.
p pſ. 98. 3.
q Sap. 10.
r pſ. 112. 3.
s pſ. 134. 3.
t Prou. 22. 1.
u Eccl. 7. 2.
x Eccl. 41. 15.

Nullus poterit reſiſtere tibi.] Hebraicè, Chaldaicè, Græcè non eſt (*non poterit*) ſed (*non ſtabit*, ſeu *non reſiſtet vir*, ſiue *vllus in facie ſeu conſpectu tuo*, aut *contra faciem tuam*) vt ſit impedimento, quominus deleas hoſtes tuos. Iam pridem antea notauimus intelligendum hoc eſſe quantum ad eos, quos ab Hebræis Deus decreuerat ſtatim ſubigendos, quoniam paulò antè dictum eſt quòd non omnes pariter ſeu ſimul delendi eſſent, ſed paulatim ac per partes: & quòd tandem ſuo tempore qui aliquandiu reſtiterant, reſiſtere nequiuerunt. Declarat hoc fuſius Abulenſis [y]. Pugnante pro aliquibus Deo, nullus reſiſtere poteſt: ne eius voluntati reſiſti poteſt [z]. contra verò cùm ſubtraxerit ſe ab impiis, nemo horum inimicis audebit reſiſtere [aa]: quando videlicet efficax eſt voluntas Dei & beneplaciti; voluntati namque ſigni reſiſtitur [bb], ſed quia permittit, indéque demum voluntas ipſius completur iuxta ſapientiæ ſuæ conſilium. Nam cùm ſit ſapiens corde, & fortis robore, *quis reſiſtit ei*, *σκληρὸς γενόμενος ἐναντίον αὐτοῦ*, *durus factus ante eum* (*dura ceruice* [cc] Stephanus vocat) *& pacem habuit* [dd] *καὶ εἰρήνευσεν*, vt legit Aquila, & extat in editione Complutenſi ac Regia: ſed in Siatina, *ὑπέμεινε*, *permanſit*, & ea Symmacho *διέμεινε*, *perſtitit.* De Ieſu ſiue de Ioſue ſcribitur [ee], quòd impetum fecit contra gentem hoſtilem *κατέῤῥαξεν*, *diſrupit*, ſeu *erupit* (hunc impetum dixi verſu 23. denotari per Hebræum verbum, pro quo eſt Latinum interficiendi) & in deſcenſu perdidit contrarios, vt cognoſcerent gentes potentiam eius (*πανοπλίαν αὐτῶν*) quia contra Deum pugnare non eſt facile (*ὅτι ἐναντίον κυρίου ὁ πόλεμος αὐτοῦ*, *quia contra Dominum*, vel *coram Domino bellum eius.* Ferunt in ſuo Sabinos vexi lo notis iſtis S. P. Q. R. ſignificari voluiſſe *Sabinis populus quis reſiſtet?* Romanos iiſdem retentis, *Senatus Populúſque Romanus*; quaſi vellent intelligi ab his poſſe illis reſiſti; quod & factum eſt. Machabæos alij nomen aiunt [ff] accepiſſe à literis, vexillo, quo vtebatur Iudas, inſcriptis מכבי quæ per compendium deſignarent voces illas ex cantico [gg] Moſis מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *michamochah baelim Ihouah*, *quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Sic I. N. R. I. in cruce deſignans IESVS *Nazarenus*

y q. 7.
z Gen. 50. 19. Ioſ. 1. 5. c. 10. 8. c. 21. 44. c. 23. 9. Iudith 16. 16. Iob 9. 13. pſ. 75. 8. Eſa. 47. 3. Ier. 49. 19. c. 50. 44. Rom. 9. 19.
aa Leu. 26. 37.
bb Exod. 10. 4. Iob 9. 4. actuū 7. 51.
cc act. 7. 51.
dd Iob 9. 4.
ee Eccl. 46. 7. 8.
Nota.
ff Sera & Ioſep. Steph. in 1. Mach. Genebr. chron. anno 3912. Io. Merc. de abbreu. Hebr. Sixtus Senē. 1. biblioth. Bar. in notis Martyr. 1. Auguſt. R. Iſaac Benhole. Reuchlinus 3. Cabalæ. Ioan. Fungerus in etymolog.
gg Exod. 15. 11.

caretum vox Iudæorum. Atque id signum denotari putat Balthasar [a] Paes verbis ex 2. Machabæorum [b], *dato signo adiutorij Dei, in prima acie, ipse dux commisit cum Nicanore.* Græcè ibi dicitur σύνθημα θεοῦ βοηθείας. Sed hanc [c] alij volunt fuisse tesseram seu symbolum vocale aut scriptum in taleola tabuláve, nempe DEVS *auxilium*, vel DEVS *auxilium*, quemadmodum apud profanos IVPITER *auxiliator & dux* [d], aut *saluator & dux* [e]: item VENVS [f], vel APOLLO [g], HERCVLES *inuictus* [h]: vel VENVS *genitrix*, *seruator* IVPITER, FELICITAS, LIBERTAS, &c. At tessera propriè seruiebat excubiis vigiliísque militaribus, quibus haud videtur conuenire quod ibi scribitur. Plura de tessera noster Cerda [i], & Lipsius [k].

Donec conteras eos.] Valet *donec*, עַד *hhad*, ἕως idem (*quoad*, *vsqueque*, *quousque*) neque sumitur ἀφοριστικῶς, ita vt iam contriti; & postquam contriti fuerint, resistant; hoc enim fieri nequit. Attuli huius formulæ plura similia exempla, explanans verba Psalmi 109. [l] *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, inter quæ istud etiam loci præsentis erat. Profectò hi de quibus canitur *fiant* [m] *immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus iste*, non erant excitandi postea in hac vita. Isidorus [n] Pelusiota, exemplis nonnullis allatis ait, ὅτι τὸ ἕως πολλάκις καὶ ὅτι τὸ διηνεκῶς ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ εὑρίσκομεν κείμενον, quòd *donec*, sæpe pro *perpetuò*, in diuina scriptura reperimus positum. Traditur idem canon ab aliis. *Cessandum nobis non est, donec vitia conteramus, per Dei gratiam, vt sic pax sit, conteret per Deum pacis velociter satana sub pedibus nostris* [o], qui etiam Deus Pater *ponit inimicos filij sui Domini nostri Iesu Christi, scabellum pedum* [p] *eius*, & Iesus ipse contriuit caput serpentis [q] diaboli seu mater per semen ac filium suum: omnique fideli ob merita eius vt id faciat concessum voluit Hieronymus [r], Chrysostomus [s], & alij. Ista contritio cæteriùs etiam aliquando facta legitur diuino miraculo in idolis; vt quando Sempronius martyr ad Martis productus simulachrum vt illud adoraret, *Conterat te*, dixit, *Dominus Iesus Christus filius Dei viui*: moa enim sensim liquefactum defluxit [t].

a in cant. Mosis ibid.
b c. 8. 23.
c Serarius ibid.
d Xenoph. 3. Cyri pæd. de Cyro.
e idem l. 7.
f Appia. l. 2. de Cæsare in Pharsal. pugna.
Tessera.
g Val. l. 1. c. 5.
h idem de Pompeio.
i in 7. Æn. v. 620. not. 26.
k 4. de mil. Rom. dial. 12.
l v. 5.
m Exod. 15. 16.
n l. 1. ep. 18.
o Rom. 16. 20.
p ps. 109. 1.
q Gen. 3. 15.
r quæst. Heb. in c 3. Gen.
s hom. 18. in Gen.
Sempronius Martyr.
t in actis Nemesij mart. apud Cornel in epist. ad Ro. 16. 20.

Vers. 25.] Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui.

Vers. 26.] Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

PARAPHR. Difficile est victores abstinere à præda, maximè verò rerum pretiosiorum, qualia ferè solebant esse idola Gentium, eorumdémque ornamenta. Seuerius ergo summus quasi belli dux & imperator Deus imperat sub interminatione indignationis suæ, ne quis quæ tantopere abominetur ipse ac execretur, audeat sibi reseruare; sed non minùs abiiciat, immò consumat, quàm fœdissimæ consueuerunt res longiùs amoueri à manibus, oculis, vsu, & in nihilum etiam redigi; vtpote cum falso Deo priùs dicata fuerint; periculúmque sit ne pronus ad idololatriam populus, & in eam aliquando lapsus, relabatur in eamdem. Fuit id sæpiùs inculcandum propter eam quam dixi, ad hoc scelus procliuitatem populi. Nam & hoc ipso capite [a] priùs iniunctum vidimus aras subuerti, cófringi statuas, lucos incidi, sculptilia comburi, quia populus sanctus esset Domino Deo suo, electúsque vt esset ei peculiaris de cunctis aliis super terram. Ex eo loco, vbi argumentum hoc tractatum est, petantur quæ huc faciunt. In catalogo Hebræo præceptorum negatiuorum ista sunt [b], vt commodum nullum percipiatur ab idolis, & supellectili illorum: etiamsi arbor sit plantata iuxta idolum, non sedeatur sub vmbra eius, nec transeatur sub ea si alia pateat via; quòd si transiri debeat, curratur: vasa & vtensilia idolorum vendicari possint, postquam à Gentibus ad profanú vsum tracta fuerint, &c. ex tegumentis idolorum nullum percipi possit commodum. Videtur Glossa interlinearis, eámque secutus Hugo, prohibitionem huius loci accipere ne adorentur & colantur idola. Nihilominus hoc ipsum sic intelligendum est, non quòd citra eum cultum liceret res hîc memoratas vsurpare; sed vt earum caueretur vsurpatio, propter periculum idololatriæ. Nam præcisè vetatur quippiam assumi vel inferri ea idolo in domum. Scribit Augustinus [c] Publicolæ prohibitum esse, ne in honorem alienorum deorum aliqua re vtamur, aut vti existimemur, sic eam accipiendo, vt quamuis animo contemnamus, eos tamen qui nostrum animum ignorant, ad hæc honoranda ædificemus: cùm templa, idola, luci, & si quid huiusmodi, data potestate euertuntur, quamuis manifestum sit, cùm id agimus, non ea nos honorare, sed potiùs detestari, ideo tamen in vsus nostros priuatos dúntaxat, & proprios non debere inde aliquid vsurpare, vt appareat, nos pietate ista destruere, non auaritia: cùm verò in vsus communes, non proprios ac priuatos, vel in honorem Dei veri conuertuntur, hoc de illis fieri, quod de ipsis hominibus, cùm ea sacrilegis & impiis in veram religionem mutantur: hoc Deum intelligi docuisse, cùm de luco alienorum deorum iussit ligna ad holocausta adhiberi [d]; & de Iericho, vt omne aurum, argentum, & æramentum inferretur in thesauros Domini [e]: quod hîc scriptum est in libro nostro, aut esse prohibitionem talium rerum in priuatos vsus; aut ne sic inde aliquid inferretur in domum, vt honoraretur, quia tunc esset abominatio & execratio; non autem cùm talibus rebus sacrilegus honor apertissima destructione subuertitur. Qui editioni summæ Thomæ Aquinatis Romæ editæ anno 1619. præfuerunt, cùm in 1. 2. q. 102. a. 6. responsionem ad 10. argumentum in nullo codice reperissent, quo argumento contra ceremonialia legis veteris obiiciebatur, non fuisse arcendos homines ab argento & auro, ex quibus fabricata fuerant idola; & ab aliis, quæ in idolorum domibus inueniuntur, cùm res eis subiectæ sint hominum potestati; adiecerunt istam solutionem, notantes in margine ea Glossa, & SS. Patribus elicitam esse: videlicet rationabiliter id esse prohibitum, non ex eo quòd res illæ hominum potestati subiectæ non sint, sed quia sicut ipsa idola, ita & omnia illa, ea quibus conflata erant, anathemati subiiciebantur, vtpote Deo maximè abominanda: tum etiam, ne accepto auro, & argento, ex cupiditate facilè inciderent

in

a v. 5. 6.
b n. 45. & 46.
c ep. 154.
d Iud. 6. 26.
e Ios. 6. 19.

in idololatriam, ad quam proni erant Iudæi. Augustini doctrina confirmari potest ex eo, quod hîc habetur (*non assumes tibi, & non inferes in domum tuam.*) Ex alia tamen parte, præceptum de comburendis sculptilibus, videtur omnem etiam cómunem vsum vetare. Tulit Dauid diadema Melchom de capite eius [a], quod erat idolum Ammonitarũm; quoniam lex hîc posita, de idolis Chananæorum est, nec odia sunt amplianda, sed restringenda, vt placet Lyrano [b]. Abulensis [c] tamen, legem volens esse vniuersalem, propter eamdem periculi rationem; putat idola non potuisse retineri, quæ cultum aut memoriam renouarent eorum; sed in ornamentis ipsorum, quales torques, annuli, coronæ, periculum id non fuisse; præsertim forma immutata, vt contigit in corona Melchom: quam etiam coronam idem Abulensis [d] negat idoli fuisse, sed regis Ammonitarum; quod prætere a Caietanus [e] affirmat. Quamquam rursus à priore [f] probatur eam coronam ab idolo ablatam. Adiicit Salianus [g] noster, ex eo sine legis illis verbis expresso, (*ne offendas*) mentem illius videri, non parcendum idolis, quamuis aureis & argenteis, propter materiæ pretium, aut elegantiam formæ; quia sic offendiculo esse possent; sed conflata, atque in alios vsus conuersa, vt in numeratam pecuniam; quomodo non crearent offensionem, retineri potuisse; quæ antea fuit opinio Abulensis, qui adhuc suspicatur coronam idolo impositam non pro illo, sed pro rege factam fuisse. Refellit verò etiam Salianus illud præceptum Hebræi catalogi, quod antea recitaui; satis obseruari præsentem legem, si quis donaria idolorum non sua, sed aliena capiat manu. Sic verò Hieronymus [h] ex traditionibus refert Hebræorum, illicitum fuisse de idolis aliquid appetere auri, vel argenti per legem; Ethai autem Gethæum de gente Philisthinorum, qui venerat ad Dauid in seditione Absalum [i], diadema diripuisse in capite Melchom, vt liceret Dauidi Hebræo de manu hominis capere, quod non licebat de capite idoli. Atqui non erat eo tempore, inquit Salianus, Ethai cum Dauide; sed iam ante decem annos abierat. Petrus Comestor, Lyranus, Rickelius, Hieronymus differentes de re eadem [k], ac noster Pineda [l] aiunt non priùs Dauidi fas fuisse illam coronam vsurpari, quàm igne purificatam, nouúque opere ac forma in Regum diadema constructam, prout & factum à Dauide [m] constat. Alter de nostris Serarius [n] eamdem hanc legem exponit ne sibi quis quidquam ex iis acciperet, suamque in domum inferret, non autem ne Domino sumeret, eiúsque gazuphylacio addiceret. Deinde magis probat omnem vsum prohibitum & priuatum, & publicum, & diuinum, quia id magis eius præcepti fini consentaneum, vt idola maximè exhorrerent ac detestarentur Hebræi: quia per speciem pietatis ac religionis relicta esset ordinaria quædam detestabilium eiusmodi sacrilegiorum occasio, qua vsi milites occisi propterea leguntur in historia Machabæorum [o]. Iacob conuocata omni domo sua abiici iussit deos alienos, eósque ac inaures quæ erant in auribus eorum (vel deorum ipsorum, vel hominum gestantium eas cum imaginibus deorum: vt fieri solitum tradit Clemens [p] Alex. ex Pythagora, & Irenæus [q]) infodit sobter terebinthum [r]. Moses contriuit [s] vitulum, Ezechias serpentem [t]. Scholiastes Caietani notat hoc loco ex Plinio, delatam inde ab Asia luxuriam in templa & simulacra: de tanto etiam ornatu conquestum Lactantium auream fuisse sta-

[a 1 Par. 20. 3. 2. Reg. 10. 30. — b ibidem. — c in 1. Par. 20. q. 12. — d in 2. Reg. 12. q. 29. — e in 2 Reg. 12. & 1. Par. 20. — f 1. Par. 20. q. 8. — g to. 3. annal. an. mũdi 2999. Dauidis 20. n. 35. pag. 557. — h de trad. Hebr. in 1. Par. 20. — i 2 Reg. 15. 19. — k in 2. Reg. 12. & 1. Pat. 20. & primus in hist. Schol. in eamdem locum. — l 1. de reb. Salom. cap. 3. § 10. — m 1. Par. 20. 2. — n in Ios. 6. q. 4. — o l. 2. 12. 40. — p 2. Strom. — q l. 1. c. 25. — r Gen. 35. & seqq. — s Exod. 32. 20. — t 4. Reg. 18. 4.]

tuam Nabuchodonosor: narrare Herodotum magnificentissima ornamenta Beli, Iouis, ac templorum eius. Plura Ioannes Gulielmus Stuckius hæreticus in opere de sacris & sacrificiis Gentilium. Sed caueodus cum aliis malæ sectæ, qui nostrorum templorum & imaginum ornatum, cultúmque improbant, pro quo actum alibi, & præferenda pauperum subsidia necessaria, ornamentis Ecclesiarum; ne cùm hæc adsint, obiici merito possit.

Dicite Pontifices in templo quid facit aurum?

Sculptilia eorum igne combures.] Hebraicè Græcéque (*deorum eorum*, אֱלֹהֵיהֶם *elohehem*, [illegible]) Chaldaicè (*idolorum eorum*, טַעֲוָתְהוֹן *tahbmathhon*, seu *abominationum eorum.*) Versu 7. editio nostra in eadem sententia habet (*sculptilia comburito.* nec additur (*igne*) sicut hic, licèt vtrobique illum exprimant editiones reliquæ, satis verò intelligatur simplici verbo comburendi. De nomine autem sculptilium, & פְּסִילִים *pesilim*, & צַלְמִין *tsalmin*, & [illegible] priùs actum est. [Explanatio.]

Non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt.] In Hebræo; Chaldæóque textu (*quod super ea* עֲלֵיהֶם *bhalehem*, דַעֲלֵיהוֹן *debhalehon.* Quod apostata Munsterus in translatione catalogi præceptorum Hebræorum negatiuorum [a] exposuit de tegumentis: cùm tamen multò magis intelligi debeat de solida materia argenti, & auri, ex qua idola constare poterant, prout & interpres noster intellexit Græcè in emendatis codicibus [illegible], *non concupisces argentum; neque aurum ab eis sumes tibi.* In aliis pro [illegible] est solùm [illegible] absque negatione *accipere*, éstque sensus idem, non concupisces accipere, hoc est, vt accipias. A concupiscétia enim tenditur ad acceptionem. Legit autem Augustinus [b]; *non concupisces argentum, vel aurum illorum, nec accipies inde tibi.* Nec tamen iuxta versionem aliam, sumere ab eis, est sumere dumtaxat tegumenta argentea, vel aurea: licèt non ita passim idola ex solidis istis metallis componerentur, sicut compositus fuerat vitulus ille aureus ex auro [c]. Oleaster, nostrique Cornelius, & Mariana interpretantur de laminis argenteis aureisve, quibus idola cooperiri solebant. *Simulachra Gentium argentum & aurum*, cecinit Dauid [d], Deos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, lapideos numerant Daniel [e], & Baruch [f]: notissimi præter dictum vitulum aureum Aarone permittente [g] factum, duo alij ex eadem materia conflati à Ieroboamo [h]. De vocabulis auri, argentíque secundùm varias linguas dixi aliàs. Aurum volunt nominatum quasi [illegible], vnde [illegible] in compositione, non solùm quia [illegible], sed quoniam sit [illegible], & auroræ ob nitorem simile, & tandem ab אוֹר *or* quod lucem significat. Deriuant argentum ex Græco [illegible], & hoc [illegible], album: זָהָב *zahab*, quasi צָהֹב *tsahab fuluum*: כֶּסֶף *cheseph*, à כָּסַף *chasaph concupiscere.* Vt quod ad hoc vltimum spectat, aptè vetetur ne argentum concupiscatur.

[a in 46. — b ep. 154. — c Exod. 32. 2. & seqq. — d ps. 113. 4. secund. Hebr. — e c. 5. 4. 23. — f c. 6. 3. 29. 38. 50. 54. 56. 63. 70. — g Exod. 32. 1. & seqq. — h 3. Reg. 12. 28. — Aurum & argentum vnde.]

Neque assumes ex eis tibi quidquam.] Hebræa, & Chaldæa editio habent (*& accipies tibi*, seu *assumes*) sed suppleri debet ex priore membro negatio (*non concupisces, & non accipies tibi*, seu *assumes.* Omissa etiam negatione, posset exponi, non concupisces vt accipias. Sic Oleaster cum Pagnino. Sed obstat præfixum ו *ve*, *&*. Propter pronomen verò *tibi*) retuli aliquos velle, prohiberi priuatum vsum. At maius periculum fuisset ex vsu publico. Item sumendo (*quidquam*) propriè, licèt eo

caicant

careant editiones aliæ, colligi dixi à nonnullis, nec mutata quidem idoli forma, fas fuisse partem vsurpare ex eo. Cæterùm siue *quicquam*, siue *quidquam* scribas, non referre, sicut an *quicquid*, vel *quidquid*. Quintilianus de orthographia scribens inter frigidiora numerat, vt quicquid, quartam habeat, ne interrogare bis videamur. Item *quisquam* & *quispiam* pro, *quis*, vnisyllabæ adiectione idem valent quod quis; & vnde ea ceperit adiectio inueniri posse Festus negauit. Valla [a] vult per quempiam non vnum certum aliquem hominem significari, sicut per quemdam aut aliquem; sed quemlibet, nec dubitat in Hieronymo arguere, nisi fortè librariorum ascribatur vitio qui verterint *quiddam* in *quippiam*, quod initio libri de Hebraicis quæstionibus eo modo exorditur; *qui in illis principiis librorum, debeam secuturi operis argumentum proponere, cogor prius respondere maledictis Terentij quispiam sustinens, qui comœdiarum prologos in defensionem sui dabat. Ego dixissem quiddam potius, quàm quippiam: de certo enim crimine loquitur, non de incerto: idem est enim quippiam quod aliquid*, &c.

Quicquid vox.
Quisquā & quispiam pro quis.
a 2. eleg. c. 26. & l. 3. c. 63 & 2. dialect. c. 75.

Ne offendas.] In pluribus codicibus Latinis, vt in Complutensibus, & Regiis, ad has dictiones duas iunguntur aliæ duæ, *propter ea*, *hoc pacto*; (*ne offendas propter ea*) videlicet propter argentum & aurum sculptilium, si assumas tibi quidquam ex eis. Quem sensum faciunt omnino editionum aliarum verba. Hebræa sunt פֶּן תִּוָּקֵשׁ בּוֹ *pen thiunakesbo, ne fortè illaquearis, aut illaquees te in illo :*) vel (*ne impingas in eo*, seu *in ea re*) id est, ne offendiculum patiatis, propter argentum & aurum, quæ tibi debent esse anathema: ne, inquit Caietanus, ad similitudinem cespitantis, offendas in illud argentum & aurum, & cadas consequenter à rectitudine. Chaldæa דִּלְמָא תִתְּקַל בֵּיהּ *dilma thitthekal beh, ne offendas in eo.* Græca μὴ πταίσῃς δι' αὐτῶ, *ne cadas* aut *offendas propter illud.*) Legit Augustinus [b] (*ne excedas propter illud.*) Vnde commodior videretur scribendi ratio in emendatis Latinis Bibliis, (*propter ea*) & non vt modò est in sequenti membro (*propterea quia*) quæ duæ particulæ causales simul necessariæ non sunt, cùm vna sufficiat; licèt eas adhibeant boni Latinæ linguæ auctores, quemadmodum, & (*propterea quod.*) Iam porrò in versu 16. prohibitum fuerat seruire diis alienis; ne essent in ruinam, Hebraicè מוֹקֵשׁ *mokes, laqueum*, vt ibi notatum est. Vetatur hîc argenti, aurique concupiscentia, ex quibus idola constabant, ob eamdem causam: est enim auaritia idolorum quædam seruitus [c], siue simulacrorum [d]; & qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli [e], siue absolutè in laqueum; sed maximè, quem diabolus tendit, licèt diaboli nomen in textu Pauli non habeant passim Græci codices, nec omnes Latini: qui diabolus peccauit per superbiam, quæ in hominibus ex diuitiis oriri solet; vt proinde idem Apostolus [f] præcipi diuitibus velit, non sublime sapere: cùm tamen etiam omnibus aliis vitiis fomitem diuitiæ subministrent, atque desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, sitque radix omnium malorum cupiditas [g] φιλαργυρία, *amor argenti*, sicut Latinè auaritia dici videtur ab auro, quasi auritia. Obiicit Hugo, cùm offensa, seu peccatum inesse hîc dicatur iis, qui argentum aurúmve sculptilium concupiscunt, sibique assumunt, quomodo Iudas Machabæus orauerit pro occisis in prælio, qui in hoc peccauerant [h]; cùm præterea Gregorius [a] quemdam monachum mortuum proiecerit in sterquilinio, quia cum eo inuenit duo minuta (tres aureos habet Gregorij textus:) cui simile exemplum, sed antiquius, narrat Hieronymus [b], vt aliàs retulimus [c]. Respondet fortè illos pœnituisse in bello, vel pœnitere potuisse; sed ante mortem ita subitò non potuisse deponere illa, idque reuelatum Iudæ. Addit Serarius [d] noster non fuisse peccatum eorum, quasi vellent furto illo idola colere; vt putarunt quidam hæretici: sed auaritiæ, quod vel in omnibus, vel certè in quibusdam fortè fuit veniale; non quia legem ignorarint, cùm sub vestibus spolia illa occultauerint, & legem scire tenerentur; sed ratione obiecti aut finis: si verò in aliquibus fuit mortale, eos pœnitere potuisse ante prælium, vel in ipso prælio, adeóque in ipso iam lethalis plagæ, mortísque articulo, cùm occideret eos, Deum quærentes [e]: idcirco non tam grauiter in ipsos animaduersum à Deo, quàm in Achan [f]: si damnatos Iudæi putassent, in patria eos sepulcra illaturos non fuisse, & si in alia intulissent, id scripturam memoraturam fuisse; vt de Iasone [g], & de aliis [h], quæ sepultura quoque asini nominatur [i].

c Eph. 5. 5.
d Col. 3. 5.
e 1. Tim. 6. 9.
f ibid. v. 17.
g ibid. v. 10.
Auaritia quasi auritia.
h 2. Mach. 12. 42.
a 4. dial. 55.
b epist. 22.
c in actuum 5. 5.
d in 2. Machab. 12.
e ps. 77. 34.
f Ios. 7. 25. 26.
g 2. Mach. 5. 10.
h 2. Par. 21. 20. c. 24. 25.
i Ier. 22. 19.

Propterea quia.] Iam dixi commodiorem lectionem Latinam esse (*propterea*) ita vt sola particula causalis sit (*quia*) respondens aliis editionum aliarum כִּי *chi* ὅτι *ore*, ὅτι.

Abominatio est Domini Dei tui.] Addunt editiones aliæ pronomen demonstratiuum (*hæc* הוּא *hu*) vel verbum ἐστί, est: & pro genitiuo datiuus est Græcè κυρίῳ τῷ θεῷ, vel *coram*, &c. קֳדָם *kodam*: & legit Augustinus [k] (*quoniam abominatio est Deo tuo.*) Abominatio dicitur Hebraicè תּוֹעֵבָה *thobbanab*, Chaldaicè מְרַחַק *merachak*, Græcè βδέλυγμα. In [l] Leuitico declaratæ sunt hæ voces; vbi tamen Hebrææ similis est תּוֹעֵבָה *thobbentha*. Ibi docui sic idolum cognominari solere, idololatriámque ipsam. Chaldæum huius loci nomen è רְחַק *rachak*, procul esse siue remotum aut elongatum, significat rem longiùs amouendam & reiiciendam, siue abominandam, & abominationem ipsam, atque præterea præputium, vel menstruum, quæ abominationi erant. Græci vocabuli βδέλυγμα à βδέλλω & βδέω *flatum ventris emitto*, seu *pedo, fœteo, auersor ob fœtorem*, vim alia non adeò exprimunt: & βδελυρὸν Theophrastus [m] ait quid est ὁ βδελυρὸς τοιοῦτος οἷος ὑπαντήσας γυναιξὶν ἐλευθέραις, ἀνασυράμενος δεῖξαι τὸ αἰδοῖον, *impurus, qui si in liberas mulieres incidat, veste subducta, pudenda illis ostendat.* Dixi de iisdem adhuc in commentario [n] Psalmorum. Tandem abominari veteribus erat faustum aliquid & mali ominis deprecari vel auersari: cuius rei formulas Brissonius [o] tradit: item generaliter detestari, execrari: quod ad excommunicationem aptè accommodatur, vt & abominatio, quoniam abominatum dicunt sacris interdictum & ab Ecclesia extorrem.

k ep. 154.
l c. 18. 22.
m in characterib. c. de impurit.
Abominari veteribus quid.
n in ps. 5. 7. in ps. 13. 1. in ps. 118. 163.
o l. 1. de formulis pag. 103. & 104.

Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam.] Loco vocabulorum (*quippiam ex idolo*) repetitur in aliis editionibus תּוֹעֵבָה *thobbanab*, מְרַחַק *merachak*, βδέλυγμα, pro quibus priùs erat, abominatio, ita vt rectè abominatione idolum significari monuerimus: quod ipsum nomen idoli ex Græco est εἴδωλον, de quo præcedentibus libris [p] & aliis [q] actum est, aut de simulacro [r]. *Quippiam* porrò idē est quod *quidpiam*; sed *quispiam* masculinum est. Vide quæ antea dixi de quidquam. Legit Augustinus [s] (*& non conferes execramentum in domum tuam*, quod ex Græco sumptum est, καὶ οὐκ εἰσοίσεις βδέλυγμα εἰς τὸν οἶκόν σου.

p in Leu. 19. 4. c. 20. 2. c. 26. 1. 30. Num. 23. 21. c. 25. 18.
q in Sap. 14. 8. 11. 12. 27. 28. 30. c. 15. 15. in actuū 21. 25. in 1. Pet. 4. 3.
r in ps. 96. 7. p. 113. 4. ps. 134. 15. in actuum 7. 41. c. 25. 20. 29. c. 27. 23. in 1. Ioan. 5. 20.
s ep. 154.

Ne fiat

Ibidem.

Ne fias anathema, sicut & illud est.] Augustinus [a] (*& eris anathema, sicut & illud est.*) Sic etiam Græce καὶ ἀνάθεμα ... Sed ... subintelligitur negatio *in, non*, post καὶ, *&*. De nominibus *anathema*, quod etiam Græcum est ἀνάθεμα, & חרם *cherem*, seu חרמה *chormah*, & Chaldaice חרמא *cherma*, dixi libro præcedente [b], & libro Leuitici [c], videlicet significare rei alicuius consecrationē Deo factam, & aliquando simul cum eiusdem destructione in honorem ipsius: ac primo modo Græcè dici ἀνάθημα, *anathema*, penultima producta, secundo ἀνάθεμα penultima correpta: quamuis promiscuè vsurpentur, sicut συνθημα & σύνθεμα compositum, siue constitutum: neque verum esse, in testamento nouo scribi ἀνάθημα pro execratione, in vetere ἀνάθεμα pro dono, quod sit oblatū Deo: frequentiùs tamen ἀνάθεμα, *anathema*, penultima correpta sumi pro exitiali detestatione, atque punitione peccati. Egi præterea de Græcis ἀνάθεμα & ἀναθεματίζω in commentario [d] actuum Apostolorum, citatis satis multis à me auctoribus adijce de nostris Ioannem Ferdinandum in Scripturarum [e] thesauro, & Ludouicum Ballester in onomatographia [f]. Conuenit proposito ea notio, qua valet ἀνάθεμα, vel etiam ἀνάθημα hominem ἐπάρατον καὶ ἀποτρόπαιον, *execrabilem*, atque à communione cum aliis alienum, caue indignum, dignum autem cuius in cippis publicè proscriptio proponatur, & suspendatur, quique quamprimum de medio tollatur. Detestati transfertur apud Matthæum [g] pro ἀναθεματίζειν (quod magis compositè codices nōnulli habent καταναθεματίζειν) & apud Marcum [h] anathemarizare: & in Apocalypsi [i] pro κατανάθεμα (aliter κατάθεμα) *maledictum*: in Malachia [k] pro percutere tertam anathemate חרם *cherem*, & גמירא *ghemira, exterminatione*, Græcè est ἄρδην, *penitus*. Denique res Deo consecrata, perit eius cuius erat vsibus, aliorúmque omnium siue cōseruetur, siue consumatur; propterea accipitur anathema pro re maledicta & execrata, quæque ab vsu cōmuni auferatur, aut etiam excidatur & perdatur. Vbi antiphrasis quoque locum habet, quemadmodum quando benedicere ponitur pro maledicere, & scortū Hebraicè nominatur קדשה *kedasciah* sancta; & sacra fames à Virgilio [l] pro execrāda; quod Seruius [m] tractum vult à more Massiliensiū, apud quos, cùm vrbs peste laborabat, pauper quispiam diis offerebatur, sacrificabatúrque, anno integro publicis prius nutritus, & puris cibis; deinde sacris ornatus vestibus verbenísque; ac sic per vrbē circumductus cum execrationibus quasi aliorum scelera portaret. Sacros autem homines vocabat, & Græcè ζώας, quos oporteret interfici, eo quòd aliter ad Deos peruenire non poterant: cùm alia animalia diis sacra nefas foret occidere, sed quocumque inueniretur loco, exterminari ac abigi ad illius fines Dei deberent, cui sacra essent. Prioте modo cecinit idem Poëta [n] telis Euandri sacratum à Pateis Halesum. Plura de sacris hominibus Rhodiginus [o], quidve esset sacrari eos cum bonis, citans Liuium, Macrobium, Halicarnasseū: docens item videri sacratas leges cognominatas, vt Festo placuit, quod si quis aduersùs eas fecisset, sacer alicui deorum esset cum familia pecuniáque.

b c.21.3. c c.27.28. *Vocis Anathematis significatio varia.* d in c.23.13. e verbo anathema. f ibidem. g c.26.74. h c.14.71. i 22.3. k c.4.6. *Antiphrasis.* l Æn.3. m ibidem. n Æn.10. o L.12.c.11.

Quasi spurcitiam detestaberis.] Hebraicè שקץ תשקצנו *sciakketz thesciakketsennu*, & Chaldaicè שקצא תשקצניה *sciakkatsa thesciakketsinneh*. Horum vocabulorum significatio allata est in commentario [a] Leuitici pro re quæ polluat, fastidium pariat, nauseabilis sit, abominabilis, execranda, vitanda, despicienda: & abominationem desolationis apud Danielem [b] appellari שקוץ *sikkuts*, & βδέλυγμα: quod creditur idolum esse. Græca huius loci sunt προσοχθιεῖς προσοχθιῶν, *detestatione detestaberis*: apud Augustinum [c] præfixo (*&*) *& offensione offendes*. Spurcitiæ nomine vtitur Interpres adhuc [d] bis, pro quo est טמאה *thumah*, טנופתא *sonetha*, טנפתא *tanphatha* ἀκαθαρσία. Spurcum aiunt à spuo deduci, vt sit id quod auersemur despẽcites: & sumitur præterea pro fœtido, aspero, vehementi. Ad rem facit illud Lucretij [e],

At contra nobis cœnum teterrima cùm sit
Spurcities, eadem porcis hæc munda videtur.

Spurcum vinum, vt id obiter dicam, cognominatum ait Festus, iure Pontificio, cui aqua esset admixta, & sacris adhiberi non poterat, vel igne tactum, vel mustum antequam deferuesceret. Isidorus [f] spurcum quasi spurium & immundum dici vult; scribens de vino. Italis *sporco*, tanquam ab immundo animali significat immundum, ac fœdum, fœtidúmve. Quod ad Græcas voces attinet, important quiddam fastidiosum, displicens, infensum, tædiosum, molestum, graue seu onerosū, seu ad ferendum difficile: nec rarò in libris Regū vt & βδέλυγμα de idolo: scribitque Suidas quod προσοχθίσματα ἡ γραφὴ καλεῖ εἴδωλα: præterea quòd βδέλυγμα est πᾶν εἴδωλον, καὶ πᾶν ἐκτύπωμα ἀνθρώπου οὕτως ἐκαλεῖτο παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, *omne idolum, & omnis effigies hominis sic appellabatur apud Iudæos*. Dixi Psalmo 94. [g] ad id (*proximus fui generationi huic*) vbi est προσώχθισα, de verbo isto προσοχθίζειν: & quosdam exponere per βδελύσσεσθαι, *abominari*: alios per δυσαρεστεῖσθαι, *displicere*.

Et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis.] Hebræa sunt ותעב תתעבנו *vethabheb thethabbhaennu*, & *abominando abominaberis illud*. Præcedente versu erat תועבה *thobhanah*. Recognosce locum illum; sicut & de Chaldæis רחקא תרחקיניה *rachaka therachekinneh*; ibi enim est מרחק *merachak*: item de Græcis βδελύγματι βδελύξῃ: quoniam ibi est βδέλυγμα. Augustinus legit (*coinquinatione inquinaberis abominatione illa.*) Accessunt quidam originem inquinamenti ab inquino, ita vt hæc sit à simplici inusitato quino, vt istud quasi à κοινον aut κοινόω, vt & indidem cœnum, seu à κοινὸν quod commune significat, atque hoc ipsum tum Græcè, tum Latinè, idem aliquando quod immundum: cunire etiam, quod est stercus facere, vnde Festus deducit inquinare. Sordes demum nonnemo deriuat à σορὸς, qui est loculus conditoriúmve in quo defuncti conduntur, siue sepulchrum, capulum, sandapila.

Quia anathema est.] De anathemate non ita multò antè actum est. Sensus verò est, spolia huius generis, inquit Vatablus, perdi, & ad nihilum redigi debere. Quamquam anathema quoddam erat in quo salua res Deo dicabantur, & quasi suspendebantur, vt aliàs quoque notauimus.

a in c.7.21. & c.11.11. b c 9.27.c. 11.31. c ep.154. *Spurcitia, & spurcū vnde.* d Num.19. 13. Matth. 23.27. e lib.6. *Spurcum vinum quod.* f 20.etym. c.3. g v.10. *Inquinamentum & inquino vnde.* *Sordes vnde.*

ARGVMENTVM CAPITIS OCTAVI.

VERSATVR caput hoc in eadem adhortatione Moysis ad populum Hebræum, quam ad eumdem habuerat priore, alijsque antea capitibus: vt diuinam sedulò legem custodiat; tum ob ingentia adhuc accepta beneficia, nominatim cibi cœlestis; quod Manna vocatum est; atque vestium tam diu in deserto absque detrimento conseruatarum: tum propter alia in futurum promissa, cum vbertate terræ Chanaan; cuius iam ingressus possessióque imminebat, tum ob minas, si sui immemores officij, & aduersùs beneficentiam tantam ingrati, præceptis Dei fuerint inobedientes. Posita priùs impedimenta sunt amandi, hîc incitamenta sunt ad idem, vt Lyranus, & Abulensis notant. Posterior [a] *autem, cur toties hæc obedientia commendetur, causam reddit: quoniam erant Hebræi valdè pigri, & nondum assueti iugo legis: nec apparebat in præceptis vtilitas, aut iucunditas, ad quæ bona procliuiores erant: refert verò etiam plurimùm, vt quæ Deus iubet, ac in eius honorem cedunt, summa reuerentia, & attentione excipiantur, atque quàm diligentissimè opere compleantur.*

a q. 2.

CAPVT OCTAVVM.

1. OMNE mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter vt facias: vt possitis viuere & multiplicemini, ingresśique possideatis Terram, pro qua iurauit Dominus patribus vestris.

2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrùm custodires mandata illius, an non.

3. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.

4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.

5. Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te.

6. Vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.

7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarúmque & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi:

8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta nascuntur, terram olei ac mellis.

9. Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur.

10. Vt cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.

11. Obserua, & caue nequando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie.

12. Ne postquam comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis.

13. Habuerísque armenta boum, & ouium greges, argenti & auri, cunctarúmque rerum copiam;

14. Eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis.

15. Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima;

16. Et cibauit te Manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probauit, ad extremum misertus est tui.

17. Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt.

18. Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, colueris que illos & adoraueris: ecce nunc prædico tibi quòd omnino dispereas.

20. Sicut Gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Vers. 1.] Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter vt facias: vt possitis viuere, & multiplicemini, ingreßique possideatis terram, pro qua iurauit Dominus patribus vestris.

PARAPHR.

FAcilior est hic recitatus textus, & ferè hi qui sequuntur; quòd parum discrepent ab iis, quæ hoc ipso libro, & aliis tradita sunt. Admonet Moses nullum prætetiri mandatum ex moralibus, ceremonialibus, iudicialibus debere; quoniam æquè vnius, ac aliorum, & omnium, idem auctor Deus; ita vt qui delinquit in vno, censeatur omnium reus [a], quod attinet ad auctoritatem legislatoris eamdem circa omnia quæ vnius transgressione violatur, cum iactura caritatis, & gratiæ, meritóque beatitudinis; vt docui in commentario Iacobi [b]. Illis adde testimonium Augustini [c], præcipientis vt defleat peccator, etiamsi scilicet videatur vnum dumtaxat patrasse peccatum; & Innocentij Papæ III.[d] qui illud explicat, quoniam in vno offendens, ita æternæ vitæ ianuam non intrabit, ac si peccatis esset omnibus inuolutus. Exemplum dat Glossa decreti [e], in teste; qui addens aliquid de suo, totum testimonium partis mendacio decolorat [f]: in soluendo ieiunium feria quinta nouissimæ septimanæ; qui omnem exhonorat Quadragesimam [g]: in admittente aliquod etiam officiosum mendacium ad scripturas sacras; qui sic tandem facit, vt non remaneat in eis auctoritas [h]. Verùm de hac re plura dicto loco. Promittit porrò seruantibus Dei mandata Moses duplex bonorum genus quod Hebræi plurimi æstimabant, longam vitam, prolisque propagationem, cùm vbertate terræ. Repetit Abulensis discrimen, de quo non semel etiam ipsi meminimus, inter legem veterem nouámque, quòd huius promissio per se ac directè de vita & bonis æternis est: quamuis qui seruabant illam in caritate, posterioris quoque generis bona mererentur.

a Iacobi 2. 1..
b ibidem.
c de pœn. c. 10. & refertur de reg. iuris. c. deficat.
d in conc. Rom. 1. c. 22. & refertur de pœn. d. 5. c. fratres.
e de regul. iur. c deflea.
f 3. q. 9. c. Plura. ex Ambros. de par. c. 12.
g c. non liceat. de cõsec. d. 3. ex Mart. Brac.
h c. si ad scripturas. d. 9 ex Aug. epist. 9.

Explanatio.

Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie.]. Græcè (*omnia præcepta hæc, quæ ego præcipio vobis hodie*, πάσας τὰς ἐντολὰς ταύτας, ἃς ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον.) Emphasim habet pronomen (*hæc*) referturque ad priùs data præcepta, & in posterum danda a Mose, qui, vt aliàs monui, sub mortem magis quodammodo authenticè loquitur tanquam legislator. Aduerbium item (*hodie*) indefinitè accipitur pro præsensi tempore: nec enim vnico die tradi tam multa commodè poterant.

Hodie pro tempore præsenti.

Caue diligenter vt facias.] Iuxta editiones alias (*custodietis ad faciendum.*) Sed Interpres expressit quid sit custodite, nimirum affici veluti ad rem quæ magni fiat, diligentérque custodiatur instar pretiosæ & carissimæ rei. Idem est hic (*caue*) vt Sa notat, quod vide: nec solet id verbum vsurpari absque adiectione negationis, aut alterius vocis, quæ illam, siue prohibitionem, quandámque diffidentiam, vel metum ne quid omittatur, seu secus eueniat quàm vellemus, importet. Exemplum quidem nostro simile in diuinis literis mihi non occurrit: & prima facie caue vt facias interpretaremur, caue ne facias: cum sit sensus, vide, prospice, attende vt exequaris, cautus esto ne omittas, sed vt opere impleas, cautionem & curam tantam adhibe, vt facere non prætermittas; vide ne diligentiam tuam desiderari patiaris; cautè aduerte, ait Rickelius, custodi, & præserua te à transgressione. Iudices olim hac formula (*parum cauisse*) pronunciabant, vt significarent, non fecisse [a]. Iuris item verbum est, quo significatur certum quid aut securum facere; quod multis modis explicatur [b]. Id singulari numero, cui subiungitur etiam pluralis, posset obseruari, vnumquemque tanti facere diuinum redemptionis præsertim beneficium debere, ac si vni collatum sibi esset: & quod præceptum morale ab vnoquoque singillatim obseruandum est; nec sufficit vt obseruetur à communitate.

Caue idem quod vide.
Parum cauisse, olim iudicum formula quid.
Iuris verbum.
a Brisson. 5. de form. pag 538.
b Idem de verb. signif. & alij.

Vt possitis viuere.] Absque (*possitis*) in editionibus aliis (vt viuatis.) Sic in c. 4.[c] (*vt faciens ea, viuas.*) Ibi protulimus testimonia similia ex c. 30.[d] libri nostri, ex Leuitico [e], ex Baruch [f], ex epistola ad Romanos [g], & ad Galatas [h]: egimúsque de differentia vtriusque Testamenti quoad promissa temporalium bonorum & æternorum. Viuendi quoque verbo docuimus alibi, aut etiam vitæ absolutè intelligi vitam incolumem, prosperam, immò interdum etiam genialem. In c. 30.[i] vita iuncta cum bono, morti & malo opponuntur. Aliquando tamen, etsi ad rem minus facit, viuere profani dicunt pro eo quod est valedicere, seu abire, sinere, vel dimittere, sicut Græci χαίρειν, pro ἐρρῶσθαι. Vtrumque coniunxit ille [k],

Cum suis viuat, valeátque mœchis.

Et hoc nostrum sic vsurpari videtur ab alio [l],

— *viuite syluæ.*

c v. 1.
d v. 15 16.
e c. 18. 4. 5.
f c. 4. 1.
g in c. 10. 5.
h in c. 3. 11.
Viuendi vox.
i v. 15.
k Catullus.
l Virg. eclo. 8.

Et multiplicemini] Hoc, vt & præcedens, ac sequentia verba, pluralis numeri sunt, cum tamen initio positum fuerit pronomen singulare (*tibi.*) Vnum ex præcipuis promissis diuinis ad Patriarchas factis fuit seminis eorum multiplicatio, vt stellarum [m] cœli, vt arenæ [n] maris, vt pulueris terræ [o]. In quibus comparationibus nullum per se discrimen esse aliàs admonui; sed per eas ingentem quemdam & innumerabilem numerum indicari, licèt nonnulli nonnullum excogitent de Iudæis & Gentilibus, de prædestinatis & reprobis, &c. De hac multiplicatione sub eadem conditione obseruatæ legis, iterum c. 13.[p] Vnius bona vita in multitudinis redundat bonum.

m Gen. 15. 5. c. 22. 17. c. 26. 4. Exod. 32. 13. Dan. 3. 36.
n Gen. 22. 17. c. 32. 12. Dan 3. 36.
o Gen. 28. 14
p v. 17. 18.

Ingreßique possideatis terram] Solet Interpres cùm occurrunt duo verba, vnum reddere per participium. hic autem iuxta reliquas editiones extat (*& ingrediamini, & possideatis terram.*)

Pro qua iurauit Dominus patribus vestris.] *Nostris*, dicere potuit; sed se iam in viuorum numero mox moriturus non reputat Moses, erátque breui admodum moriturus. Promissionis huius,

ac etiam

ac etiam iuratæ, crebra * mentio fit, ne vllo modo in dubium reuocetur; & nominantur patres, quibus facta fuerat, vt haberentur in veneratione, atque ne suis populus meritis deputaret, sed patrum suorum simul cum liberalitate cum iuramento promittentis Dei: quod imitati sunt in suis canticis pater Ioannis Baptistæ [a], & mater Christi [b]: Paulus [c] verò de tali promisso sæpiùs meminit, in quo includebatur quoque Messias. Cæterùm de Dei iuramento dictum aliàs: perinde præterea esse terram, pro qua iurauit, dicere, aut, quam iurauit: quo secundo modo habetur in editionib. aliis, & [d] alibi etiam in nostra, vel, super [e] qua; & pariter adhuc primo modo [f]; aut de qua [g]. Quod ideirco annoto, vt discamos in huiusmodi synonymis nimis anxiè aut laxè discrimen minimè necessarium scrutari.

* Gen. 22. 16. c. 50. 24. Exod. 13. 5. 11. c. 23. 13. c. 33. 1. Num. 11. 12. c. 14. 16. 17. 23. Deut. 1. 8. c. 4. 31. c. 6. 10. 18. 23. c. 7. 8. 12. 13. c. 10. 11. c. 11. 21. c. 13. 17. c. 19. 8. c. 26. 3. c. 28. 9. 11. c. 29. 13. c. 30. 20. c. 31. 7. 20. c. 34. 4. Iof. 1. 6. c. 21. 43. Iud. 2. 1. 15. Baruc. 2. 34. Mich. 7. 20.
a Luc. 1. 73.
b ibid. v. 55.
c Rom. 1. 2. c. 4. 13. & seqq. c. 9. 4. 8 9. c. 15. 8. 2. Cor. 1. 20. c. 7. 1. Gal. 3. 16. & seqq. c. 4. 28.
d Exo. 13. 5. c. 33. 1. Deu. 30. 18. c. 31. 21. c. 19. 8. c. 28. 11. c. 31. 7.
Paraphr.
e Deut. 1. 8.
f Num. 11. 12. c. 14. 16. 23. Deut. 6. 10. c. 7. 13. c. 26. 3. c. 30. 20. c. 31. 20. c. 34. 4.
g Deut. 6. 18.

Verf. 2.] Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrùm custodires mandata illius, an non.

AD curam quæ exigitur circa custodiam omnium Dei mandatorum, vtque cauti essent Hebræi, ne quod ea eis præterirent, conducere plurimum ducit Moses, acceptorum recordationem beneficiorum, ac nominatim quæ in tam longo adeóque difficili itinere per desertum fuerant experti. Quòd si simul nonnulla interim passi essent, id ait, Deo etiam auctore, non solo tantùm permissu factum, propterea, vt ipsimet, & alij quoque dignoscere possent, & diiudicare, vtrùm ex anima, sincerè, & caritate fidéque ac fiducia non ficta [h], seu sine simolatione ἀνυποκρίτῳ seruarent illius præcepta, vel solùm quamdiu prosperè cuncta succederent, & bonis externis circumfluerent, ac interim etiam verbo tantùm & lingua, non opere, & veritate [i]. Procopius perinde hoc declarans, si Deus ita loquens induceretur, quomodo ad Dauidem locutus legitur [k]; *an putas me alia ratione tecum egisse, quàm vt appareres iustus*: qui Dauid cùm solidus in Deo esset, dixit [l]; *proba me Domine, & cor meum explora*: item [m], *probasti nos, & tentasti nos quemadmodum tentatur argentum*: tales eos esse, qui supra petram domos extruxerunt [n]; quíque per ignem & aquam eluctati, in refrigerium contenderunt [o], & spirituale manna perceperunt; de qua hic statim Denique, si Dei recordatus fueris, in tentationibus reliquis, ait idem Auctor, non facilè collaberis. Existimat Lyranus, declarans tentationem Dei, vt innotesceret aliis ad eorum exemplum, patientia, & ad meritum tentatorum atque patienter tolerantium; sermonem hic esse de bonis illius populi; secundùm regulam autem Isidori, sacram Scripturam frequenter attribuere toti populo, quod ei tamen conuenit ratione vnius partis. Reiicit hoc Abulensis (addens pro eadem regula Ticonium) quoniá totus populus, & quos nunc alloquitur Moses, non est de his qui murmurauerunt post reditum exploratorum, & iam mortui erant [p], ex quo numero non erant illi, quibuscum agebat. Quare propter sua peccata tamdiu priores illi afflicti sunt tam diuturna, & laboriosa peregrinatione; non posteriores. Simul tamen Deus ex illo peccato & pœna, elicere voluit, vt solet, ex malis bona, in eo populo cognitionem propriæ fragilitatis; ne se, quod forsitan persuadebant sibi, iustos falsò reputarent: præseruationem ab idololatria, ad quam facilè relapsi essent, si tam breui ex Ægypto in regionem aliam idololatrarum ingressi fuissent: maiorem animum & liberiorem, ac audaciorem aduersùs hostes qui occurrerent, quem ob illam Ægypti captiuitatem priorem, more seruorum, viliorem, atque timidiorem habuerant: denique, vt in infirmitate virtus perficeretur [a]: & discerent Hebræi piè viui non posse, sine persecutione [b]: per multas tribulationes [c] obtineri terram viuentium debere (Christum ipsum oportuit pati, & ita intrare in gloriam [d] suam, ipsique alio iure debitam) Abraham tentatum esse, & per multas tribulationes probatum Dei amicum factum; sic Isaac, sic Iacob, sic Moysem, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transiisse fideles; qui autem tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminatos ab exterminatore, & à serpentibus periisse [e]; necesse esse, vt qui acceptus est Deo, eum tentatio probet [f]: ipsis Deum consulere, quos esse quàm honestissimos cupit, quàm optimos & excellentissimos esse vult, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortitérque agendi [g]: qui non tentatur nec scire [h], quid nimirum sibi virtutis insit: gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligi, studiosum quando se cuiuspiam offert materia virtutis, res nempe ardua [i]: quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem [k]: quòd accedenti ad seruitutem Dei, standum sit in timore, paratúsque debeat esse ad tentationem [l]; ne in tempore tentationis recedat [m]. Ipsemet diabolus tentandam, & probandam virtutem Iob tribulatione, cum Deo agens, dixit [n]: Simeon reuelandas ex multis cordibus cogitationes, cùm doloris gladius animam Virginis pertransiret [o]: Paulus per hæreses, manifestos fieri qui probati sunt. Præsentiam gratiæ in nobis agnoscere non possumus euidenter: afflictio & vexatio dat intellectum [p]: vt si eam patienter toleremus, illam nobis inesse iudicare probabiliter valeamus. Verùm hac de re pluries alibi dictum est. Salmeron [q] autem noster locum hunc applicat ad præceptum de ieiunio Quadragesimali, quo Ecclesia nos tanquam in peregrinatione quadragenaria per desertum affligit ac tentat, an fideliter Deo seruiamus cum caritate, quæ plus illum diligat, quàm carnem, plùs primogenita beatitudinis, quàm lentis edulium [r], breuis ac vilis voluptatis; plus Ecclesiam præcipientem, quàm falsos Doctores dissuadentes; præterea cohi fide, quæque illi nititur prudentia; qua pluris æstimemus quæ conducant ad animæ salutem, & Deo auctore per Ecclesiam proponuntur nobis, quàm quæ carni placent, suadentúrve ab improbis & perfidis. Attendendum denique quo itinere, via, ratione eduxerit nos Deus de tenebris, transtuleritque in admirabile lumē [s] suum siue communè aliis, siue magis cuique proprium iuxta varios status & conditiones: tum quo pacto idem

h 2. Cor. 6. 6. 1. Tim. 1. 5. Ro. 12. 9.
i 1. Ioan. 3. 22.
k cita. Procop.
l ps. 138. 23.
m ps. 65. 10.
n Matth. 7. 25.
o ps. 65. 12.
p Num. 14. 29 & seqq.
a 2. Cor. 12. 9.
b 2. Tim. 3. 12.
c Actuum 14. 22.
d Lucæ vlt. 26. 46.
e Iudith 8. 22. & seqq. 1. Cor. 10. 9.
f Tobiæ 12. 13.
g Seneca de prou. c. 2.
h Eccl. 3. 4. 9. 11.
i Senec. sup. c. 4.
k Rom. 5. 3.
l Eccli 2. 1.
m Lucæ 8. 13.
n Iob. 1. 9. & seqq.
o Luc. 2. 35.
p Es. 28. 19.
q tomo 5. tract. 54.
r Gen. 25. 31. Hebr. 12. 16.
s 1. Pet. 2. 9.

semitam nostram, & funiculum nostrum inuestigaristue [*].

p.138.3. *Explanatio.*

Et recordaberis.] Propriè hoc verbo significatur memoiisse cum affectu cordis & cum cura, vnde cor quidam deducunt; sed minùs aptè adiiciendo viendi verbum, quasi sit cor vrens; potiúsque affine est, *curo*, Græco κηραίνω aut κηρῶ, quod est ex corde ago, & curo; & κῆρ, *cor*: quamuis alij cor deriuent à κόρος, id est, satietas. Certè quod curæ tibi est, faciliùs recordaris, obliuisceris difficiliùs. Si delectant eiusmodi allusiones ab eadem Hebræa radice est recordari & masculus, nempè à זָכַר *zachar*, quòd in genealogiis & numerationibus fœminarum meotio non fiat, sitque vir monumentum, atque, vt loquitur Apostulus, gloria Dei, & prior quàm fœmina secundùm ereationem, dona, & prærogatiuas, vt alibi [a] notasse me recordor. Virum decet maximè pollere memoria, præsertim diuinæ legis ac beneficiorum; memorémque esse mandatorum Dei ad faciendum [b] ea, priúsque obliuioni dari dexteram propriam [c], ac semetipsum, quàm cœlestem Ierusalem.

Recordandi verbum.

a in ps.8.7. *b ps.118.18.* *c ps.136.5.*

Cunctis itineris.] Ab ire, & itum, aut ito frequentatiuo, iter descendere volunt; viam dici quasi veham, vel tanqoam οἶτος, quæ vicum significat, ad quem via ducit; vel ab eundo: דֶּרֶךְ *derech*, à דָּרַךְ *darach, calcare*, terram videlicet, qua iter est, siue via. Sumitur præterea pro perfectione ipsa. Distinguit Paulus Iurisc. vt sit via qua vehiculum ire possit: alioquin autem sit iter. Semita verò qua angustè itur est, quasi semiiter.

Iter vnde, & quo à via differat.

Per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum.] Sic etiam in cap.29. [d] *adduxit vos quadraginta annis per desertum.* in cap. 32. [e] *circumduxit eum*, vbi describitur modus beneuolentissimæ circumductionis. Cùm autem ibidem dicitur, quòd inuenit Deus populum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis, non est sensus, quòd non etiam adductus illuc à Deo fuerit; sed quòd quasi ibi errantem, immissa columna nubis & ignis direxerit; aut etiam tunc veluti primum omnino sibi addixerit in populum peculiarem, cùm in Ægypto idololatriæ deditus esset; vt suo postea loco declarabitur. Libro priore scribitur [f] quòd circumduxit Dominus populum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. Computandos docui annos illos ex eo tempore quo populus egressus fuerat de Ægypto; non ex eo præcisè quo detraxerat terræ promissæ; propter quod peccatum peregrinatio ad quam damnatus est, fuerit dumtaxat triginta octo annorum; vt cap. etiam x. [g] libri huius nostri exprimitur: vel hos ipsos annos peregrinationis numerari quadraginta, quamuis fuerint solùm triginta octo; quia Scriptura non curat interdum de minimis, nunc addens aliquid, nunc demens particulas, vt integer & rotundus, sicut loqui moris est, numerus existat. Habent editiones exteræ pronomen demonstratiuum (*istis 40. annis*, הַזֶּה *zeh*, דְּנַן *denan*; cuius posterioris Chaldæi vocabuli, prima litera seu syllaba seruit articulo) τοῦτο, nempe τεσσαρακοστὸν ἔτος, *hunc quadragesimum annum*, licèt in Sixtinis hæc desint, nec legat Augustinus [h]: & Hebraicè dictum pronomen singularis numeri cum nomine שָׁנָה *scianah*, id est, *anni*, plurale verò אַרְבָּעִים *arbahhim*, *quadraginta*, constructione in his satis vsitata.

d v.5. *e v.10. & seqq.* *f c.32.13.* *g v.14.* *h q.13.*

Vt affligeret te.] Afflictio, ac pœna propriè pertinuit ad eos, qui de terra promissa detrahendo, murmurauerant: quique in deserto mortui sunt, ætatis viginti annorum & supra, cùm ex Ægypto egressi sunt; vt antea, sæpiúsque dixi. Cæteris fuit pœna quatenus componebant eumdem populum: sed magis reiè tantùm pœnalitas, quæ cessit in vtilitates, quas priùs attigimus: & quarum hîc mox subiunguntur duæ.

Atque tentaret.] Additur (*te*) in editionibus aliis. Quomodo dicatur Deus tentare hominem, & neminem tamen tentare; ac ineentator malorum [a] esse (id est, malorum culpæ;) orarique ne inducat in tentationem [b], & simul etiam vt tentet [c]: qua ratione diabolus eumdem hominem; (est quippe tentator [d], isque qui tentat [e]:) quo pacto idem homo Deum, petatur ex variis locis aliorum commentariorum nostrorum. Tentauisse legitur Deus Abraham, cùm præcepit offerri filium [f]: Hebræum populum, quando iussit manna colligi singulis diebus [g]: eumdem, permittendo falsum prophetam [h]: Ezechiam, cùm legati ad eum Babylonij venerunt [i], veteres Hebræorum patres [k]; Tobiam [l]. At neminem ad peccandum induxit Deus, aut inducere potest; sed nec physicas actiones physicè præfinit, quibus inseparabiliter nexa malitia est; quidquid secus quidam non satis sanè probabiliter opinentur ex Catholicis; vt hæreticos omittam, qui auctorem ipsius malitiæ asserere ore blasphemo non verentur. Permittendo dicitur nonnumquam Deus seducere [m], decipere [n], præcipere vt quis maledicat [o]: præterea vtendo iuxta consilium suum mala alterius actione, quam solus vt mala est, malus facit, ad bonum finem. Qua de re nos alibi.

Deus quomodo tentet.

a Iac.1.13. *b Matth.6.13.* *c ps.25.2.* *d Matt.4.3.* *e 1.Thess.3.5.* *f Gen.22.1. & seqq. Iud.3.22.* *g Exod.16.4.* *h Deut.13.3.* *i 2.Par.32.31.* *k Iud.8.21.22. Sap.3.5.* *l Tobiæ 12.13.* *m Ier.20.7.* *n Ezech.14.9. 3 Reg.22.22.* *o 2.Reg 16.10.*

Et nota fierent quæ in animo tuo versabantur.] Passiuam quoque significationem habet διαγνωσθῇ, & Chaldæum מִדַּע *middah*: eamdem eum actiua Hebræum ידע *iadahath*: & apud Augustinum [p] (*cognita fierent*) apud Cyprianum [q] (*Dominus Deus tuus vexabit te, & famem iniciet tibi, & cognoscetur in corde tuo, si benè custodieris*, &c.) Quæ notitia vel afflictorum ac tentatorum est de seipsis, vel aliorum de illis; non autem Dei: qui si quando eam acquirere scribitur, intelligi debet quatenus eam in aliis per talem tentationem efficit; vt cùm affirmasse narratur de Abraham, eumdem alloquens [r]; *nunc cognoui quòd timeas Deum*, id est, nosse te feci, aut etiam alios: & in cap. 13. [s] nostri libri; *tentat vos Deus, vt sciat si diligatis eum*, hoc est, vt vos scire faciat. Hoc ipsum non semel annotauimus cum Patribus. Porrò quod hîc legimus (*quæ in animo tuo versabantur*) iuxta editiones alias est solùm (*quòd*, vel *quæ in corde tuo.*) De Ezechia traditur quòd cùm ad eum venerunt legati principum Babylonis, dereliquit eum Deus vt tentaretur; & nota fierent omnia quæ erant in corde eius [t]; vel ipsimet regi nota, qui non se satis adhuc probè nouerat, deinde nouit quàm vilis & abiectus fuisset, nimium sibi in semetipso placens, & in opibus suis: vel aliis qui hoc postea resciuissent; vel Deo, prout eadem illi & aliis cognoscenda præbebat. Animum pro corde, hócque sumi pro illo, seu pro mente, vsitatum cuiusuis generis scriptoribus.

p q.13. *q de mortalit.* *r Gen.22.12.* *s v.3.* *t 2.Par.32.31.*

Cyprianus

Cyprianus [a] non tam verba curans, quàm sententiam, profert hunc locum hoc pacto, vt persuadeat non murmurandum in aduersis, sed patienter & fortiter quidquid acciderit, sustinendum. *Dominus Deus vexabit te, & famem inducet tibi; & cognoscetur in corde tuo, si benè custodieris præcepta eius, siue non.* Augustinus [b] legit sententiam totam (*& recordaberis omnem viam per quam duxit te Dominus Deus tuus in deserto, vt affligeret te, & tentaret te, & cognita faceret quæ in corde tuo sunt, si obseruabis mandata eius, an non.*) Notat verò, hic apertiùs dictum, quod alibi genere locutionis obscurum est, vbi legitur: *tentat* [c] *vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum.* Intelligitur enim, ait, positum esse *vt sciat*, pro eo quod est, *vt scire faciat*: quomodo dilucidè dictum est: *vt tentaret te, & cognita faceret, quæ in corde tuo sunt.* Non enim ait, *vt cognosceret*, quod quidem si dixisset; intelligendum erat, cognita faceret. Quando plurima turba in desertum vsque secuta Christum esuriit, Christus Philippum interrogauit, illum tentans, vnde panes emerentur [d].

Vtrùm custodires mandata illius, an non.] Omnia, vt initio capitis dictum: quod est scire, vt habetur cap. 13. [e] vtrùm quia diligat Deum, an non: quoniam qui diligit, mandata seruat [f], & vicissim qui non seruat, non diligit [g]. Fornax tribulationis probat aurum virtutis [h], & cùm animam pertransit doloris gladius, reuelantur ex cordibus cogitationes [i]: pulsatum metallum edit sibi conuenientem sonum, si vas pulses, dignoscis plenumne sit, an vacuum: oblata materia & occasio prodit eo quid in quoque virtutis insit.

a de mort. b q. 13 c c. 13. 3. d Ioan. 6. 5. e v. 3. f Ioan. 14. 15. 21. 23. c. 15. 10. g Ioan. 14. 24. h Eccl. 27. 6. Sap. 3. 6. ps. 16. 3 ps. 65. 10. i Lucæ 2. 35.

Vers. 3.] Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.

PARAPHR. INter insigniora beneficia, magísque necessaria humanæ vitæ victus est, ac vestitus; de isto agitur versu sequenti, de priore in eo, quem præ manibus habemus. Consistit autem in cibo, cui nomen Man, seu Manna, ob admirationem populi, ob nouitatem, qui prorupit in illas voces; *manhu*, מן־הו, *quid hoc?* Non erunt modò plura disputanda, cùm satis multa dixerimus libro præcedente, & libro Sapientiæ, & libro Psalmorum. Proprium est præsentis loci quod ait Moses ex eo tanto beneficio disci, Deum voluisse penuriam famis, atque necessitatem sustentandæ vitæ, si ipse voluerit, subleuari posse, & corpora nostra nutriri seu conseruari, & ad quantitatem debitam peruenire, quæ sunt cibi munera duo potissima; sine vsitato & ordinario cibo, quem significat panis; sed per quamlibet aliam rem, cui placeat Deo nutricandi vim indere: vel etiam omnino absque alia vlla re; verùm per solam illius voluntatem. Id Moses ipse bis (aut etiam ter, vt quidam [k] volunt, de qua re pòstea suo loco) planè incibatus dierum ac noctium quadraginta spatio expertus [l] est, semel [m] Elias, vt omittam his non penitus dissimilia exempla in historiis ecclesiasticis tradita, & quidem vera sed miraculosa, quorum nonnulla colligit Thomas [n] Bosius, non fabulosa, quale apud Plinium [o], Varronem [a], Plutarchum [b] (vt quidem perillustrium intellexit Petrus [c] Victorius de Epimenide Cretensi puero, qui æstu & itinere fessus in specu septem & quinquaginta dormierit annis, vel certè quinquaginta. Hippocrates negat [d] vltra septenium absque cibo viui nisi admodum breui tempore posse: quamuis Plinius [e] velit non esse septimo die lethalem inediam, durasseque testetur & vltra vndecimum plerosque. Simon Portius librum edidit, dicauitque Paulo Papæ III. de puella Germanica quæ totum biennium nihil gustasse narrabatur, & naturalem nititur causam reddere; quam non satis probat: & ex epistola ad Paulum apparet in ecclesiasticis historiis minimè versatum fuisse, cùm præter Christum, Mosem, & Eliam neget vllis orthodoxorum prodi literis vllum vnquam aliquot menses, nedum annos, inedia vitam transegisse. Dauidem ieiunasse per septem dies, ac vt loquitur Cyrillus [f] Ierosolymitanus, εἰς ἑβδόμην ὁλόκληρον ἡμέραν παρατεῖναι τὴν νηστείαν, *in septimum integrum diem protulisse ieiunium*, colligi videtur ex historia [g] sacra Regum, & Daniel tribus hebdomadis ieiunauit [h]: at hic abstinuisse dicitur à lautioribus cibis: de illo non constat, an prorsus ab omnibus: Abulensísque [i] ait, non comedisse solenniter ad mensam astantibus senioribus, sed solùm, & in terra modicum aliquid, quo natura leuiter sustentaretur. Opposuit Christus tentatori, de lapidibus panes fieri petenti, ad sedandam esuriem [k], hoc testimonium, posse nimirum absque panibus necessitati naturæ satisfieri, & absque consueto cibo. Tertullianus [l] hinc infert, nihili fieri debere æternos cibos, quia æquè improbis vt probis, sunt communes: tam nunc in Mose, & Elia ieiunio functis, quique solo alebantur Deo, dedicatam resurrectionem, quando, sublata morte, neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparaturæ grauis erit membris: præterea [m] vim ieiunij in iisdem illis, & in Christo, qui non magis de lapidibus panes, quàm vinum, voluit facere de Iordane. Nouatianus [n] apud eumdem Tertullianum vtitur hoc loco inter alia, vt probet vacandum cibo spirituali. Auctor operis imperfecti in Matthæum [o] obseruat prudentiam in responso Christi; qui non dixerit, *non in pane solo viuo*, sed *in omni verbo Dei*, vt non videretur de se dixisse, sed medicè, *non in solo pane viuit homo*: nec aliud videri, respondere potuisse filium Dei abscondentem se, ne ostenderetur quod poterat; & hominem astutum, id est, sagacem & solertem: (inæstimatæ prudentiæ responsum vocat Maximus [p] Taurinensis, Cyprianus [q] subtilissimum) excusasse se; vt non ostenderetur quod non poterat. Idem Cyprianus, cùmque illo passim alij Enarratores tentationum Christi, præponendum animæ cibum cibo corporis à Christo significatum volunt; præterea Ephrem [r], Isidorus [s] Pelusiota, perpendens quod cum manna, si humanam rationem spectes, parum idoneum esset ad robor corporibus afferendum, & qui tamen eo alebantur, in eadem fortitudine ac robore perstabant, & fortasse maiorem etiam vim consequebantur; ait non alimonia, sed diuino decreto θείῳ ὅρῳ animas & corpora conseruata: & hunc esse sensum sententiæ; *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: ac in eodem Christum diabolicam machinam, tentatorísque vires propulsasse, concussisse, perfregisse, istis verbis vtendo. Clemens [t] Alexandrinus, probans

k Torn. 10 1. annal. pa. 499 & seqq. l Exod 24. 18. c. 34. 28. Deut. 9. 9. 11. 18. 25. c. 10. 10. m 3 Reg. 19. 8. n de signis Eccl. l. 1 in signo 46. & l. 15. signo 18 o l. 7. c. 52.

a in hexagesi b opusc. an sen. ger. sit resp. c 24. varia. lect. c. 1. d lib. de carnib. e l. 11. c. 52. f catech. 2. g 2. Reg. 12. 16. 17. h Dan. 10. 2. 3. i in 2. Reg. 12. k Math. 4. 3. 4. Luc. 4. 3. 4. l de resurr. carn. c. 26. & 61. m de ieiu. cont. Psych. c. 6. & 8. n de cibis Iudaicis c. 5. o hom. 5. p hom. 4. q de ieiun. & tentatione Christi. r tom. 3. pag. 94. ser. de comp. anim. & to. 3. serm. de compunct. & salute animæ p. 150. s l. 3. ep. 341. t 3. pæd. c. 7.

probans pulchrum Christiano viaticum esse frugalitatem, hoc ex loco argumentatur, viro iusto deesse non posse vnde viuat; rarum esse, vt ei panis desit. Similia traduntur à Nysseno [a], qui præterea obseruat, peruertere dæmonem naturæ ordinem, dum Christo lapides obtulit, ac detorsit appetitum à naturali cibo ad ea quæ sunt aliena à natura, voluisse. Irenæus [b] subafflictus ait indicto audientes, vt non contemnerent Deum, manna verò cibatos, vt vim perciperent diuini verbi: Christum vt destrueret diabolum, qui per escam seduxerat esurientem hominem transgredi præceptum Dei [c], præceptum hoc legis protulisse: ac hominis quidem confessione, seu appellatione, excæcauisse diabolum; per paternam autem ditionem, (dictionem) primum eius imperium euacuauisse. Quod testimonium adeò euidens affirmat Ignatius [d], vt id per malitiam solam diabolus videatur oblitus. Chrysologus [e] Patris verbum verbo salutis nostræ orat esuriuisse, non panem: egisse vt homo semper viueret cœlesti verbo, terreno pane non semper: ipsummet vt Dei verbum, in verbo Dei vixisse: vt verè panem [f], non eguisse pane, qui etiam de lapidibus filios posset Abrahæ suscitare [g]. Literalis sensus est, quem Christus quoque videtur intendisse, affertúrque à Chrysostomo [h], & aliis, posse etiam verbo esurientem pasci à Deo. Quod adhuc bifariam intelligi potest. Primùm, quòd collocatio diuina, seu conuersatio cum Deo, valeat perdiu sine cibo conseruare, vt insinuat Tertullianus [i] exemplo Mosis & Eliæ in tam longo ieiunio; quibus non pauci anachoretæ, aliíque sancti similes, vt priùs attigi; & innuitur verbis Esaiæ [k]; *quare appenditis argentum, & non in panibus, & laborem vestrum, & non in saturitate? audite me audientes, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra*, &c. Vbi Leo Castro arbitratur Platonem ex propheta similem doctrinam transcripsisse. Nec vacat probabilitate, quamuis Petrus ab oratione esurierit, & interim pararetur cibus corporalis à Simone coriario [l]; propter ecstasim, ad quam pertractus est, esuriem corporaliter desiisse; & spirituali salutis animarum esurie stimulatum; ita vt post visionem lintei animalibus pleni, in quo iussus est mactare & manducare, videatur statim excepisse Cornelium, nec alio tunc externo cibo vsus; & nihilominus in corpore corroboratus. Fauet Ambrosius [m], docens, cùm soleat fames oratione depelli, esuriisse Petrum non cibum hominum, sed salutem; non vexatum inedia corporis, sed inopia credentium laborasse. Deinde, & quidem magis propriè, hic locus exponitur, quòd suo Deus præcepto solo, vt nuper dicebam, soláque voluntate, supplere defectum cibi materialis potest: & conferre, ac multo etiam meliùs, quidquid ex eo commodi perciperetur. Placet id Euthymio, ac Theophylacto in Matthæum, confirmantibus ex manna, vnde sapor cuiusuis alterius cibi gustabatur, & vires corporibus conferebantur, cùm propriè non esset panis, nec natura sua tales operari valeret effectus; videlicet creatura omnium nutrici gratiæ Dei, seu beneplacito illius deseruiente: nec natiuitatis fructibus homines pascentibus; sed sermone diuino conseruante [n]. Denique alit Deus in fame [o], id est, per famem, vt insinuat Bernardus [p], non solùm quia carnis inedia, est refectio cordis; verùm etiam, quoniam per ipsammet inediam caro nutritur, & impinguatur, vt Danieli contigit, & sociis, tótque aliis, quemadmodum prædixi. Cibat Deus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potat [a]. Omni quoque verbo Iacobus [b] noster Aluares tentationem tribulationémque sumit, per quam cùm Deus affligit, nutrit absque consolatione, & ad omnes virtutes extimulando, cognominari meretur omne verbum. Certè illam subsequi solet consolatio, vt hoc loco Theodoretus [c] notat. Sicut manna post afflictionem datum est, vt ait Philo [d] citans hunc locum; afflictio, propitiatio est. Consolatur Deus in omni tribulatione [e]. Secundùm multitudinem dolorum consolationes diuinæ lætificant animam [f]. Cur Christus primæ tentationi sic responderit, nec lapides in panes verterit, omitto. Si putabat ille filium Dei Christum, hic non egebat cibo: si iustum, poterat vi diuina sine illo viuere, vt Moses & Elias: & vt orationem prætermitteret, suaderi debebat.

a de beatit. orat. 4 — b l. 4. c. 30. & l. 5. c. 21. — c Gen. 3. 1. & seqq. — d epist. 8. ad Philipp. — e serm. 12. & 13. — f Ioan. 6. 35. 41. 48. 50. 51. 58. — g Matt. 3. 9. — h hom. 13. in Matth. — i cont. Psychic. c. 6. — k c. 55. 2. — l Actuum 10. 6. 10. — m serm. 10. de sanctis siue de SS. Petro, & Paulo. — n Sap. 16. 12. 26. — o ps. 32. 19. — p serm. 1. in capite ieiunij.

a Eccl. 15. 3. — b de extrem. mali l. 1. p. 3. c. 8. — c q. 6. — d 2. alleg. legis. — e 2. Cor. 1. 4. — f ps. 93. 19.

Afflixit te penuria.] In reliquis editionibus (*& afflixit te, & esurire te fecit, seu fame affecit.*) Secundum significatur verbo vnico cum pronomine affixo in editione Hebræa & Chaldæa, & in Græca cum separato וַיְעַנְּךָ *vayeannecha*, וַיַּרְעִבֶךָ *vayarhibecha*, καὶ ἐλιμαγχόνησέ σε. Irenæus [g] videtur primum verbum legisse (*subafflixit.*) Generalius nomen est penuria, sed ex eo quod sequitur de dato manna, famem designare intelligitur. A penu vt significat omne esculentum poculentúmque quo vescimur, ἃ εἰς πότον καὶ βρῶσιν συμβάλλεται, seu πάντα τὰ βρώσιμα καὶ πόσιμα [h], seu quidquid necessarium est ad victum quotidianum, & in eum vsum intra certum locum penitiùs reconditur & seruatur: quamuis & ad plura extendant alij, vt Massurius apud Gellium [i], quod iuramentorum causa apparatum esset quibus dominus vteretur: Helius thus quoque & cereos: alij ligna, virgas, carbones: quidam promercalia & vinaria, quæ sint vsui annuo: præterea Suetonius [k] missilia omnium rerum in vulgus, vt aues cuiusque generis, tesseras frumentarias, vestem, aurum, argentum, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia, iumenta, mansuetas feras, naues, insulas, agros: Sed de tribus vltimis tesseræ dabantur; & insularum nomine, domus accipiebantur ab aliis domibus seiunctæ. Si esset origo à πεῖνα, seu πείνη, quæ significat esuriem, & famem, absque restrictione, sed propriè hîc poneretur; vt & ibi.

——— [l] *penuria adegit edendi.*

Paulus Iurisc. penuriam id ait esse quod pæne minus sit, quàm necesse est: alij rerum omnium inopiam, specialiter tamen earum, quæ in penu recondi solent. Hoc ipso cap. paulò pòst [m] penuria est, vbi πτωχεία, mendicitas, quam significat etiam מִסְכֵּנֻת *misckenuth*, & omnino ei simile Chaldæum nomen, de quo suo loco: in c. 28. [n] ἔκλειψις, defectus, eiusdémque notionis חֹסֶר *chosser*, & חֶסְרוֹן *chasruth*: item [o] θλῖψις, afflictio, מָצוֹק *matsok* [p]: & ἔνδεια, egestas, iterúmque חֹסֶר *chosser* atque חֶסְרוֹן *chasruth*. ad hæc [q] ὑστέρημα, priuatio, מַחְסוֹר *machsor*, חֶסְרָן *chusran* [r] ἀπορία, inopia, pro qua maledictiones in editione Hebræa & Chaldæa מְאֵרוֹת *meeroth*, & לְוָטוֹת *levatoth*, benedictio enim copiam solet significare: Sed Hebræum מְאֵרָה *meerah* cum participio מְאָרִים *mearim*, quæ noster Interpres transtulit penuriam, & maledictos, & Chaldæa vocabula לוּטָא *lutha*, & מְלוּטִים *milotim*, idem valent, editio Græca transtulit ἀναλώματα, ἀπόβλησιν,

Explanatio. — g l. 4. c. 30. — Penuria quid, & vnde. — h D. de penu legata. — i l. 4. c. 1. — k in Nerone c. 11. — l Virg. Æn. 7. — m v. 9. — n v. 48. — o v. 55. — p v. 57. — q Iudic. 18. 10. — r Prou. 28. 27. — Benedictio pro copia.

ſbiowſ, *reſpicientes* [a] *reſpicitis*, quaſi non eſſet radix אָרָה *arah, maledicere*, ſed רָאָה *raah, videre*. Magna prorſus, ac vehemens afflictio fames eſt, atque, Baſilio [b] teſte, humanarum caput calamitatum, cuiuſuis generis mortis diuturnam afferens finem; quam & maleſuadam cognominat Poëta [c]; de qua re Cyrillus [d] Alex. Chryſologus [e], alij, nóſque alibi. Serapion apud Caſſianum [f] aliis liberatum ſe creditoribus, diſputans cum Philoſophis dicebat; vni ſatisfacere non poſſe ſoluendo quotidie, nempe gaſtrimargiæ ſtimulis. Quam illi Philoſophi ethicam diſciplinam admirati ſunt in eo, quem idiotam & ruſticum putabant. Cui ſimilem de Serapione Syndonio Palladius [g] narrat hiſtoriam, alios creditores nominante auaritiam, & fornicationem.

a Malach. 3.9.
Famis calamitas.
b hom. 8. in diuites auaros.
c Virg. Æn. 6.
d 1. de ador.
e ſerm. 11.
f coll. 5. c. 31.
g hiſt. Lauſiacæ c. 83.

Et dedit tibi cibum manna.] Vnico verbo in editionibus aliis (*& cibauit te*) וַיַּאֲכִלְךָ *vaiaachilcha*, וּאוֹכְלָךְ *veochelach*, καὶ ἐψώμισέ σε. Inferiùs [h] (*& cibauit te manna*) dicitur iuxta reliquas editiones eodem verbo ſicut hic, & præſentem locum ita etiam citat Irenæus [i]. De nomine manna, quod nunc primùm hac forma occurrit, alibi dixiſſe me antea monui: quod Hebraicè, מָן *man* dicitur, Chaldæa dialecto מַנָּא *manna*, quam imitatur Græca; quamuis alibi [k] noſtra ponat man, vt Hebræa, cæteræ μάννα & מַנָּא *manna*. Panem Angelorū cognominauit Dauid [l] (Hebraicè אַבִּירִים *abirim, fortium*, aut אֵבָרִים *euarim, membrorum*, quia fortes reddebat, & in membris nullo negotio coquebatur, & cœli, pluuiámque voluntariam ſegregatam hæreditati Dei [m]: Chriſtus panem de cœlo [n]: Sapiens [o] Angelorum eſcam, paratúmque de cœlo panem ſine labore. Paulus [p] eſcam ſpiritalem, ſicut & aquam eductam de petra. Nec enim phyſicè, ac per cauſas naturales formatum eſt manna; ſed Angelorum opera, & ſpiritali quadam actione: quæ res etiam duæ ſpiritalem habebant, & myſticam ſignificationem: ac tanto quidem magis iuxta Rabbinorum figmentum apud Burgenſem [q]; quòd ipſimet Angeli eo manna veſcantur: aut quòd lumen diuinum, quo reficiuntur, in illo ſit incorporatum. Omiſſis variis analogiæ modis inter manna & Eucharistiam, quos aliàs attuli: placet aduersùs ſacramentarios annotatio Leonardi [r] Marij; nimis parum expendi ab illis nouæ legis dignitatem: cùm contendunt in Euchariſtia dari dumtaxat panem naturalem, tanquam ſymbolum & pignus corporis Chriſti; hoc autem non niſi per fidem. Oportet noſtra ſacramenta multo præſtantiora eſſe, quàm vetera: præſtantia verò ſymboli ſumitur ex re ſignificata, ſignificandi modo, reipſa, quam ſignificat. Res quidem ſignificata eadem eſt in manna, & Euchariſtia, nempe Chriſtus animæ verus cibus: modus verò ſignificandi longè perfectior fuit in manna, vt legenti conſtabit quæ de illo alibi dicta ſunt, cùm panis noſter nihil habeat ſupra naturam panis: poſtremò erat ipſum manna perfectius quid, quàm noſter panis. Petrus [s] Damiani comparat verbum Dei cum manna: quod audientes, aut legentes dicant *manhu*, dum illius myſteria inquirunt, maximè viri religioſi.

h verſ. 16.
i lib. 4. c. 30.
Manna nomen.
k Exo. 16. 31. 33. Nū. 11. 6. 7. 9.
l Pſ. 77. 20. 24. 25.
m Pſ. 67. 10.
n Ioan. 6. 31. 32.
o Sap. 16. 20.
p 1. Cor. 10. 3. 4.
q in Exo. 16.
r ibidem.
s epiſt. 99.
Verbi Dei cū manna collatio.

Quod ignorabas tu, & patres tui.] Hebraicè, & Chaldaice (*quod ignorabas tu, & ignorabant patres tui.*) Græcè tantùm (*quod non cognouerunt patres tui*, ὃ οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες σου, & apud Irenæum [a] (*quod non ſciebant patres tui.*) Mortui iam erāt præter Moſem, Caleb, & Ioſue omnes qui egreſſi fuerant de Ægypto, cùm eſſent annorum ætatis viginti, & ſuprà. Ex aliis non pauci viuebant, & forſitan Leuiticæ tribus homines. Reſpectu mortuorum nominantur ſoli patres, comparatione reliquorum dicitur (*tu, & patres tui.*) Infrà verſu 16. repetitur eadem ſententia (*& cibauit te manna in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui.*) Quæ tranſlatio congruit cum textu Hebræo, & Chaldæo: cùm tamen Græcus habeat quod hîc omiſit, nimirum (*quod non cognouiſti tu, & non cognouerunt patres tui*, ὃ οὐκ ᾔδεις σὺ, καὶ οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες σου.) Quod cap. 32 [a] canitur Latino ſermone, *inuenit eum in terra deſerta*; Græcè eſt αὐτάρκησεν αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ: *ſufficientia dedit ei in deſerto*: Chaldaicè *tribuit neceſſaria eorum*, סַפֵּק צָרְכֵיהוֹן *piſſek tſarchechon*. Ignorantiam patres, & alij demonſtrarunt illis verbis, ex quibus potatur deinde compoſitum nomen, videlicet מָה הוּא *mah hu, quid hoc?* & vt ſonus eſſet facilior additam literam *nun*, vt diceretur מָן הוּא *man hu*. *Quod cùm vidiſſent filij Iſrael*, inquit liber Exodi [b], *dixerunt adinuicem: Manhu? quod ſignificat, Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Vbi Theodoretus ſcribit ad hunc modum, διὰ τί μάννα ἐκλήθη; οὐδὲν αὐτὸ θεασάμενοι ἀλλήλους ἠρώτων τί τοῦτο; ἐπέθεσαν οὖν αὐτῷ προσηγορίαν, τί τοῦτο; τοῦτο γὰρ ἑρμηνεύει τὸ μάννα. οὐ γὰρ ᾔδεσαν τί ἦν. ἐγένετο οὖν ἡ ἐρώτησις ὄνομα. *Quare manna vocatum eſt? cùm mox conſpexiſſent, inuicem interrogabant; quid hoc? impoſuerunt ergo ei appellationem? Quid hoc? hoc enim interpretatur manna. Non enim ſciebant quid eſſet. Facta igitur interrogatio eſt nomen.* Quæ etymologia ipſimet conſentanea textui, verior cenſenda, quàm à מָנָה *mana, præparauit*, etſi verum eſt quòd parauerit in dulcedine ſua pauperi Deus [c] cibum illum, quódque talis fuerit præparatio eius [d]; ac ſine labore humano [*] vel à מָנָה *manah, numerare ac dimetiri*, licèt etiam verum ſit quòd ſingulis daretur ad dimenſum vnius gomor, colligebatúrque per ſingulas familias iuxta numerum capitum: vel à מִנְחָה *manach*, id eſt, donum ſeu munus, etſi verum quoque ſit fuiſſe diuinitus datum cibum, tanquam eximium donum & munus. Sed hæc aliis locis pridem à nobis notata ſunt cum reliquis quæ ad manna pertinent, vt paulo antè admonui.

a Iib. 4. c. 30.
a verſ. 10.
b c. 16. 15.
Manna etymon.
c Pſ. 67. 11.
d Pſal. 64. 10.
*Sap. 16. 20.

Vt oſtenderet tibi.] Secundùm vim Hebræi & Chaldæi verbi (*vt ſcire faceret te*, לְמַעַן הוֹדִיעֲךָ *lemahhan hodihhacha*, בְּדִיל לְאוֹדָעוּתָךְ *bedil leodahhuthach*. Græcè (ἵνα ἀναγγείλῃ σοι, *vt annunciaret*, aut, *indicaret tibi*) apud Irenæum [e] (*vt cognoſcat.*) In libro Sapientię [f] de hoc eodem beneficio ſcribitur; vt *ſcirent filij tui quos dilexiſti, Domine, quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderint, conſeruat.* Hoc eſt, quòd hîc ſtatim ſequitur.

e lib. 4. cap. 30.
f c. 16. 26.

Quod non in ſolo pane viuat homo.] Futuri temporis verbum, eſt in editionibus aliis יִחְיֶה *ichieh*, יִתְקַיַּם *ithkaiam*, ζήσεται: ex quibus ſecundum editionis Chaldææ, valet; *ſubſiſtet, firmus viribus erit*, &c. Citatur in Euangelio [g] (*viuit*) ſed Græcè (ζήσεται *viuet*) Syriacè חַיֵא *chaie*, quod cum quouis tempore poteſt exponi. In Irenæo legitur nunc [h] *viuit*, nunc *viuet* [i]: in Nouatiano [k] apud Tertullianum (*viuit:*) & in vtroque (*non in pane tantùm.*) Pro modo autem potentiali ſolent Hebræi vti tempore futuro, vt ſit (*viuet*) idem quod viuere poteſt. Panis vocabulo, לֶחֶם *lechem*, לַחְמָא *lachma*, ἄρτος quodlibet cibi & eſcæ genus intelligi tam ſæpe dictum eſt, & iam adeò tritum, vt monere ſit ſuperuacaneum; vt & proprietate ſeu notatione eorumdem. Attamen

g Mat. 4. 4. Luc. 4. 4.
h li. 4. c. 30.
i li. 5. c. 21.
k de cibis Iudaicis c. 5.

quando ad panem adiicitur quispiam alius cibus, in sua ille restricta significatione accipiendus est; vt lentis edulium [a], carnes [b], polenta, & pultes [c]; item vuæ passæ & caricæ [d]: aut aliud quidquam [e]: præterea mel [f], & fricam similam [g]; item caseum [h], & pulmentum [i], &c. Cùm Daniel de suo ieiunio scribit quod panem desiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os eius [k], Hieronymus per panem intelligi docet omne ciborum genus, in quo nihil esset desiderabile, quod gulam irritaret, quod blandiretur stomacho, quod noua aliqua ratione conditum esset, qualia opere artis fieri solent. At de pane præcisè ac propriè sumi eo loco panem suadet carnis subdita mentio, quam æquè vt panem negat Daniel in os suum introiuisse; quemadmodum à nostris Maldonato & Sanctio notatum est.

Sed in omni verbo, quod egreditur.] De ore Dei. Complutenses, & Regij codices habent (*Domini*) cùm tamen sit Dei, passimque cum Domini nomine citari soleat hic locus. Adduot editiones aliæ, & Irenæus [l] (*viuet homo.*) Legit idem Irenæus (*sed & in omni verbo, quod procedit de ore eius.*) Nouatianus [m] (*sed in omni verbo quod proficiscitur ex ore Dei*) Leo [n] Castro conqueritur in Hebræo deesse (*verbum*) quod Christus tamen citans expresserit, necnon in allegoriis, & de concursu in præludia disciplinarum Philo. Toletus [o] quoque noster putat verbi vocé lectam à LXX. Hebraicè: quod ego necessarium non iudico. In Euangelio Lucæ [p] breuiùs recitatur hic locus (*in omni verbo Dei.*) Per (*verbum*) & ῥῆμα, sciunt omnes, hîc, & pluribus aliis locis, intelligi quamuis rem: vt & per λόγον aliquando, & per דָּבָר *dabar*: immò & Græca phrasi, οὐδὲν πρὸς λόγον, *nihil ad verbum*, valet idem quod nihil ad rem. Alibi egimus de istis vocabulis, & quo pacto tribuatur secundæ personæ Trinitatis λόγος & verbum, sed non ita ῥῆμα, vel sermo. Non est consentanea Patribus ac Theologis Laurentij [q] Villauincentij annotatio, quod scribit Ioannes [r]; *in principio erat verbum*, λόγος, explicantis, ea res, illúdve de quo dicturus sum, erat in principio; *& Deus erat verbum*, id est, illa res, de qua loquor. Non negat expositionem de persona secunda: nec id in eo notat Hispanus index expurgatorius, sed quòd nolit dici librum verborum dierum regum Israël, sed rerum gestarum. Hoc loco non habet Hebræa nomen verbi, aut simile; sed tantùm id, *quod egreditur*, seu *procedit*, seu *proficiscitur de ore Dei*, מוֹצָא פִי יְהוָה *motsa phi Iehouah*. In Chaldæa est (*in omni egressione*, aut *omni, quod egreditur à verbo Domini*) בְּכָל כָּל מַפְּקַת מֵימְרָא דַיְיָ *bhal chal apakuth memera da Iehouah*. In Græca ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ, *in omni verbo progrediente per os Dei*. Progressus iste seu egressus, profectio, processio ex Dei Dominiue ore denotare solet voluntarium Dei decretum, vt [s], *à Domino egressus est sermo* (τὸ πρᾶγμα τοῦτο, *res hæc*;) *non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum*: item [t]; *multi requirunt faciem principis; & iudicium à Domino egreditur singulorum*. Ad mysticum pertinet sensum, vt egrediens verbum, aut egressio oris Dei, accipiatur pro doctrina diuina, vt placet multis in Matthæum [u] & Lucam [x]; præterea Leoni [y], Maximo [z], Gregorio [aa], Eligio [bb], Bernardo [cc], Augustino [dd], Rabano [ee], qui addit Eucharistiam: Hieronymo [ff], Ambrosio [gg], Chrysostomo [hh], Procopio [ii]; quamuis velint [kk] aliqui, esse quoque literalem simul cum alio de cibo materiali, & esurie corporali. Fauet citatus Nouatianus, afferens alia eiusmodi Scripturarum testimonia, quibus cibus verus, & sanctus, & mundus doceatur esse fides recta, immaculata conscientia, innocens anima: quisquis sic pascitur, Christo conuesci; talem epulatorem conuiuam Dei esse: istas epulas Angelos pascere; istas mensas martyres facere: dixisse Christum [a], suam escam esse, vt faceret voluntatem eius qui ipsum miserat, & vt consummaret opus eius [b]: præcepisse, vt operaremur non eam escam quæ perit, sed escam permanentem in vitam æternam: clamare Paulum [c], quòd non est regnum Dei potus & cibus, sed iustitia, & pax, & gaudium: & [d], quòd esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc, & has euacuabit (destruet.) Deum ventre non coli, nec cibis, quos Dominus [e] dicit perire, & in secessu, naturali lege purgari: qui per escas Dominum colit (Iudaico more, quem auctor ille insectatur) propè esse vt Dominum habeat ventrem suum. Attendit Procopius in coriandro, cui manna erat simile, quod particulæ illius possunt seminari; sic autem & verbi diuini omnem particulam vtilem animæ esse: quod sit album, & splendorem afferat intelligenti: quod saxo non dissimile, ob soliditatem, & quia cœlestia promittit. Affinis sensus est; vt verbum Dei sumatur pro præcepto, quod qui seruat, Deus illi cibum corporalem suppeditabit; quia iustum non derelinquit, nec sinit vt semen eius quærat panem [f]; vel vt confundatur, sed in diebus famis saturetur [g]; & alatur in fame [h]. Adhuc sensus alius affertur [i] de oratione & contemplatione, quæ communicatur afflictis penuria, id est, iis qui sui abnegatione premuntur, & in illis veteris Adæ desideria deficiunt: talem cibum priùs ab iisdem ignoratum & patribus eorum; quoniam visibilibus assueti, numquam inuisibilem, quo Angeli vtuntur, possibilem sibi arbitrabantur: & tamen experimento discunt se non solo corporeo pane viuere, sed spirituali, quo ad iter virtutis anima roboratur, eiusdémque potentiæ reficiûtur, & corpus ipsum caróque exultant in Deum viuum. Longiùs recedit à literali sensu; in omni, seu per omnem egressionem oris Dei, vt Hebræa sonant, viuere hominem, id est, Christum ipsum per generationem diuinam, qua ex ore Altissimi prodiuit [k]; vt proinde non egeat externo cibo. Quod etiam significari potest iuxta translationem nostram; quoniam Christus est verbum Dei, procedens de ore & intellectu Patris. Obstat particula vniuersalis (*in omni egressione*) aut (*in omni verbo:*) quia vnica est egressio diuina, verbúmque diuinum vnicum. Ad quod respondet Barradius [l] noster, ea particula denotari alios illos sensus, quos attigimus: vel omne Verbum, quod egreditur de ore Dei, esse vnum tantùm Verbum diuinum (æquiualens videlicet multis:) vel verba quædam procedere de ore Dei in tempore; verum diuinum substantiale, viuum Verbum longè diuerso ab aliis modo procedere in æternitate: in omni verbo Dei viuere hominem, tum in verbis quæ procedunt ex ore Dei in tempore; tum, maximéque in Verbo, quod procedit in æternitate: in hoc Verbo, & huius Verbi ope humanitatem Christi sustentatam 40. diebus absque vllo alimento vixisse; victuramque fuisse, si placuisset, per omnes 33. annos: in eodem Verbo diuino homines quoque spiritaliter viuere, quicumque spiritaliter viuunt, &c. Cæterùm licèt

a Gen. 28. 20. b Exo. 16. 8. c. 25. 34. Leuit. 8. 32. Iudic. 6. 20. 21. f. Reg. 25. Exo. 18. lib. 3. 27. 6. Dan. 10. 3. e Leu. 23. 14. Iosu. 5. 11. 1. Reg. 17. 17. c. 25. 18. 1. Par. 12. 40. c. 16. 3. Iudit. 10. 5. d 1. Reg. 25. 18. II. 2. 16. 1. 1. Par. 12. 40. Iudith 10. 5. e 3. Reg. 3. 9. f 3. Reg. 14. 13. g 1. Par. 16. 3. h Iudith. 10. 5. i Agg. 2. 13. k Dan. 10. 3. l lib. 4. c. 21. m de cibis Iud. c. 5. n in apal. pag. 172. & 631 & 691. o in Luc. 4. p c. 4. 4. *Verbum pro re.* q in phrasibus scripturæ verbo λόγος. r c. 1. 1. s Gen. 24. 50. t Prou. 29. 26. u in cap. 4. Chrys. Hil. Hier. Bedæ, Hamon. Druthmaro Lyrano, Carthus. x Ambros. Bonauent. Origen. y serm. 2. de Quadrag. z hom. 4. aa in 1. Reg. cap. 9. bb hom. 3. cc serm. 3. de dedicat. Eccl. dd de vera relig. c. 38. & in Psal. 9. ee hoc loco. ff in Esa. 5. gg epist. 82. hh hom. 21. in Gen. *Mysticus sensus verbi egredientis de ore Dei.* ii hoc loco. kk Barrad. tom. 2. concord. euang. lib. 2. c. 3.

a Ioan. 4. 34. b c. 6. 27. c Rom. 14. 17. d 1. Cor. 6. 13. e Matt. 15. 17. *Verbum Dei pro præcepto.* f Psal. 36. 25. g vers. 19. h Psal. 32. 19. i Iaco. Aluarez, lib. 1. p. 1. c. 1. k Eccli. 24. 5. l suprà.

licèt literaliter significetur pro Dei voluntate, ac iussione posse absque caeteris cibo; aut etiam per quamlibet rem, cui nutriendi facultas communicetur à Deo, vitã sustentari, atque huiusmodi obedientialẽ potentiã insinuet Hebræa vox מוצא *motsa*: præterea, quamuis ea, quibus nunc nutrimur, vim ad nutriendum ea verbo, ore've Dei, hoc est, ex eius voluntate pendeant, sed ita, vt quod per illa fit, per alia fieri possit, quemadmodum nonnulli sententiæ præsentis momentum perpendunt; nihilominus poni debet distinctiõ dictæ potentiæ obedientialis à naturali, nequis arbitretur in causis secundis naturalibus non inesse naturales qualitates efficaces & efficientes: sed solum Deum ad eorum præsentiam operari. Non loquitur propriè, qui ait [a] quòd panis poscat non aliunde habere, quàm ex diuinæ prouidentiæ constitutione. Pascendi vis debetur naturæ panis: etiamsi panis ipse à Deo situm esse ac vim habeat, quam non habet lapis, lignum, scorpius, &c. Nec, quod alij dicunt, simpliciter verum est, per colubros, aspides, basiliscos, durissimos lapides, metalla nutritionem æquè fieri posse, quàm per delicatissimos cibos. Sic Abulensis loquitur: sed refellit nomine tacito Marzilla, scilicet si id earum rerum salua natura intelligatur. Non est sensus, ait Caietanus, quòd homo viuet in omni quod egreditur ea ore Dei absolutè; cùm homo non possit viuere ex ferro & aliis huiusmodi factis à Deo, ineptis ad esum; Salmeroni [b] nostro is, quem diximus literalem sensum esse, non placet, húncque arbitratur esse, de spirituali animæ cibo, qui sit diuina doctrina, contemplatióve, ac præsertim Verbum incarnatum, cui conuenit panem esse verum, & de cœlo [c], & humanitati Christi causa erat, vt in tam diuturno ieiunio pasceretur, & viueret. Argumentatur: quia non poterat esse dubium sine pane viui posse, potuisséque diabolus vrgere, si panem facere non libebat, vt manna Christus faceret, vel coturnices, vel quid tale. Deinde, quia de nulla re corporea, inquit, in Scripturis legimus quòd procedat ea ore Dei; cùm Deus spiritus [d] sit, oportcátque spirituale esse, quod ea ore procedit: sicut id quod in faciem hominis inspirauit [e] Deus, & insufflauit Christus in discipulos [f], erat spiritale: denique ipsamet increata sapientia ex ore Altissimi [g] prodiuit, vt antea dictum est: at nomine panis omnem cibum materialem hîc intelligi non dubito לחם *lechem*, Hebraicè, quamuis cum R. Kimhi [h] Galatinus de solo propriè dicto pane interpretetur: & ita diabolus videtur intellexisse, Christúsque etiam de tali respondisse, sine illo viui posse, ac sufficere ad id quidquid vellet Deus adhiberi: aut si nullius rei opera decerneret per solam suam voluntatem, quempiam in vita conseruari. Sed nec insolens, aut improprium est; vt ea ore Dei, os accipiendo pro decreto intellectus practici & voluntatis, creaturæ qualibet procedere seu prodire dicantur tam corporeæ, quàm spiritales: quamuis Deus sit spiritus; qui simul eminenter omnes res cõtinet, omniúmque in se ideas habet. Nã & Christus exiisse se à Patre [i] dixit, & venisse in mundum: quod ratione humanitatis explicatur. Profectò spiritualia sola non intelligebat in Threnis [k] Ieremias, dicens; *Ex ore Altissimi* (id est, præcepto) *non egredientur nec bona, nec mala*; sed mala externa pœnæ; & bona rerum secundarum siue prosperarum: quia bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo [l] sunt, &c. In Esaia [a]; *quia quod de ore meo procedit, ille mandauit*: item [b], *egredietur de ore meo iustitiæ verbum*. ex [c] *ore meo exierunt, & audita feci ea*. rursus in Ieremia [d]; *facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli*, &c atque similes formulæ significant rem cuiuscumque generis, quæ fiat ex decreto vel mandato. Ex ore demum Dei egreditur, inquit Caietanus, omne quod fit, quoniam ipse dixit, & facta sunt [e].

[a Franci. Brugen. in Matth. 4.] [b tom. 4. 2. p. tract. 12.] [c Ioan. 6. 32.] [d Ioan. 4. 24.] [e Gen. 2. 7.] [f Ioan. 20. 22.] [g Eccli. 24. 5.] [Panis pro quouis cibo materiali.] [h lib. 10. c. vlt.] [i Ioan. 16. 28.] [k c. 3. 38.] [l Eccli. 11. 14.]

[a c. 34. 16.] [b c. 45. 23.] [c c. 48. 3.] [d c. 44. 17.] [e Psal. 148. 5.]

Vers. 4.] Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus; en quadragesimus annus est.

POst beneficium victus ex manna, de quo prior versus fuit, & quod, vt alibi docui, ad potum etiam seruiebat, non hominum dumtaxat, sed iumentorum quoque, ac fortassis præterea ad horum nutrimentum; de vestitu nunc mentio fit corporis totius vsque ad pedes; qui vestitus idem perdurarit & integer absque detrimento iam inde ab egressu de Ægypto per annos quadraginta, nec pedes ambulando tamdiu pérque arenas, & saxa, itinerísque alias difficultates, læderentur. Rabbi Abenezra volt manna talis complexionis fuisse, vt sudorem non gigneret, quo vestes in[?]uererantur. Quod rectè obseruat Abulensis non sufficere; quoniam aliunde vestes atteruntur, præsertim cùm iter conficitur; sed concessam diuinitus miraculosam soliditatem, ne rumperentur: atque vt vnà cum incremento corporum, crescerent in iis, qui paruuli egressi fuerant: postremò non tantùm bonis, verùm etiam malis esse concessum, vt pedes eorum non offenderentur, licèt putent aliqui variorum saporum gustum solos bonos expertos: vt proinde qui narrantur libro præcedente [f] doluisse labore, id est, fatigatione itineris, fuerint & boni, & mali: sed subtritionem pedum soli mali passi sint illa die: absolutè tamen hîc negetur de omnibus, videlicet malis non exclusis, quia Scriptura non curat de tam exiguo tempore; quemadmodum cùm scribitur cap. 29 [g] quòd non defuit aliquid per 40. annos; hîc paulò antè quòd afflicti penuria; & quòd non comederunt panem, nec biberunt vinum [h], cùm tamen celebrassent Pascha in Sinai [i]. Abulensem Cornelius noster transcribit hoc loco, & Magalianus in Cantica Mosis [k]. Lyrani opinio est, solis bonis datum præsens beneficium, solos malos laborem sensisse itineris, qui citato loco memoratur: vbi adhuc eamdem sententiam sequitur, quemadmodum & de saporum gustu pro bonis tantùm. Rickelius pedem non subtritum interpretans de calceamentis (quod facit etiam Hugo, nominans sotulares quibus tegebantur pedes) communes asserit esse, perinde, vt de vestimentis, quòd manserint illæsa; necnon & quòd creuerint iuxta incrementa Hebræorum. Mihi, qui de manna docui aliis locis, exhibuisse quemuis pro cuiusuis arbitrio etiam improbi, saporem; non potest non idem videri de vestimentis & calceis, & pedum incolumitate, sub qua omnis alterius priuationem ægritudinis complecti cum Caietano possumus; vt sic verum sit, non fuisse in tribubus Hebræorum infirmum [l]; exceptione tamen, inquit ille, subintellecta percussionis

[Paraphr.] [f c. 11. 1.] [g vers. 5.] [h vers. 6.] [i Exo. 12. 21.] [k lib. 2. prolusione isagogica 5. n. 84.] [l Psal. 104. 37.]

peccato

peccatorum, qui infra illos annos 40. damnati fuerant a Deo ad mortem. Cum quo tamen adhuc beneficio potest cohærere lassitudo itineris; quam Christus ipse passus legitur [a]: cùm tamen pedes eius non fuerint subtriti, nec morbum vllum passus credatur. Satis communis hac de re consensus est: & auctor de mirabilibus [b] Scripturæ insertus tomo tertio operum Augustini, ait in hoc Dominum non naturā nouam in calceamentis & vestibus condidisse; sed olim conditam conseruasse: quod autem dicitur de incremento vestium, confirmari potest ex eo quod proditum refert Psalmo 21. [c] de tunica inconsutili Christi: prætereà ex vestimentis Apollinis Abbatis, quæ per annos plurimos in solitudine, in qua etiam ei per Angelum afferebatur nutrimentum, non veterauerunt [d], & ex tunica Paphnutij cognomento Cephala, quæ durauit annis octoginta [e]. In cap. 29. [f] inferiùs repetitur idem beneficium. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorū vetustate consumpta sunt.* Eo loco Abulensis disputat vnde vestes calceique possent esse tot millibus paruulorum in desertu natorum: respondétque à vicinis gentibus non videri emptas, vt Rabbini sentiunt; quia ferè hostiles erant: sed ex Ægypto extulisse, ac licèt maiores forent, imminutas contractásque, & accommodatas paruulis, ac rursus cum crescentibus creuisse. Credibilius est dissutas & conscissas, denuóque consutas, & aptè admensas corpusculis: morientium item vestes vsui fuisse qui tot ferè fuerunt quot nati [g]: prætereà ex lino & lana nouas confectas, & ex pellibus animalium. Rursus in 2. Esdræ c. 9. [h] scribitur; *quadraginta annis pauisti eos nihilque eis defuit, vestimenta eorum non inueterauerunt: & pedes eorum non sunt attriti.* Rabanus, & ex eo Glossa; vestimentum vetustate non deficere, tropologicè interpretantur, quia noui hominis conuersatio in nouitate vitæ debet emanare: cuius pes non sit subtritus, quando gressus bonorum operum seruatur illæsus; quia, Scriptura testante [i]; *nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Procopius monet hæc de manna, vestimentis & calceamentis afferri, ne causam seu testimonium hinc haberent, quibus in securitate degere animus est: eo seruatorem in Euangeliis [k] cum viris superstitiosè etiam legem amplectentibus agendo vsum esse, ac dicendo [l], *si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi,* rebus omnibus manifestis eos, volatilia cœli, liliáque agri proponendo, à sollicitudine conuertisse: non eguisse veteres calceamentis, eo quòd pedes eorum nulla itineris asperitate attererentur: habuisse vestimenta nō attrita; item manna; aquam largam ex petra; abundè vniuersa ad vitam: cæterùm superflua sua, & insipida concupiscentia, interitum vsuram sibiipsis fecisse, quemadmodum nos quoque, cùm rebus carnalibus addicti sumus; non [m] enim posse quemquam duobus dominis seruire si ad breue tempus disciplinæ causa, rebus necessariis destituti fuerimus, tum apparere, quantopere omnes res diuinas amplexi simus; satietatem enim patrem contumeliæ esse; contumeliam fastus & superbiæ; hanc lapsus & interitus. Tertullianus [n] has ait figuras nostras fuisse, vt Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conseruatorem, cuius vestimenta & calceamenta protexit. Quo spectat illud Christi; *nónne [o] corpus plus est quam vestimentum?* Pie Seraphinus Capponus elicit hoc loco, numquam senescendum in Dei seruitute, aut illi seruiendum cum desidia, labore, tepore, lamentatione, quamuis per tempus multum ei seruiator: habitus virtutum conseruandos & in opus exercendos; gressus bonarum actionum iugiter ac fortiter continuandos; quoniam quod senescit prope interitum est: imitandos annosos illos & sanctos anachoretas, quorum viridis in virtutum exercitio senectus erat; & cùm consummauisse videbantur, tunc incipiebāt [a]; dicentes non magis sermone quàm re; *nunc* [b] *cœpi*; de quo suos Antonius sedulò serióque admonebat. Moysi post 120. ætatis annos non caligauit oculus, nec dentes illius moti sunt [c]. Dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & vsque in senectutem permansit illi [d] virtus. Ipsemet de se testatus est, octoginta quinque annos natum sic valentem fuisse, vt ante annos 40. atque illius in se temporis fortitudinem vsque in eam diem perseuerasse, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum [e]. At Berzellai octogenarius negauit vigere sensus suos ad discernendum suaue aut amarum [f], &c. Facit verò ad vtrumque corporis bona temperatio, & temperantia. Et quidquid sit de longæuitate vitæ corporalis (cuius exempla Serarius [g] noster profert, & nos alibi) quam quæ iuuant naturaliter; quadam proportione aptari possunt spirituali, quod hic memoratur de vestibus, supra naturæ vires est. Illud prætereà idem auctor rectè considerat, Deum timenti nihil deesse, nec temporale, nec, multóque minus, spirituale, ac etiam vtilia & commoda, non tantùm necessaria, suppeditari, cùm voluerit Deus ipsa quoque vestimenta illæsa tamdiu conseruari. Argumentatur demum, quanti Sanctorum reliquias facere oporteat, quæ pluris æstimanda sunt, quàm vestimenta illa Hebræorum, vtpote vasa & organa sanctarum, Deóque gratarum animarum. Petrus Berconus in moralitatibus ad hunc locum vestimenta non atteri refert ad exteriorem honestatem, & decentiæ perpetuitatem, qua præditos oporteat esse religiosos: calceamenta non attrita, quæ sunt de pellibus animalium mortuorum ad perpetuam in iisdem mortis considerationem & humilitatem. Quamquam quod attinet ad honestatem exteriorem, ea in vestimentis iuxta cuiusque statum ac professionem debet esse: súntque nonnulli qui si non lacera certè, assuta, & pittaciis seu pyctaciis, id est, panni frustulis segminibúsque consarcinata, per modum, vt ita dicam, rapsodiæ, studio paupertatis gestant. Dicebat fratribus Isaac abbas. *Patres nostri, & abbas Pambo, vetustis, & de multis partibus resarcitis vestibus vtebantur: nunc autem pretiosis vestibus vtimini: discedite hinc, deseratis locum hunc* [h]. Franciscus grauissimè reprehendit Eliam (qui adhuc ipso superstite, fuit minister Generalis) quòd veste vteretur pretiosiore, tanquam illegitimum ordinis sui filium [i]. Chrysostomus [k] obseruat (Christum eiusmodi miraculo noluisse vti erga discipulos suos, qui longè admirabiliores erant quàm Hebræi, sed permisisse inopiam & infirmitates, vt eorum abiectio vtilior esset saluti eorum quibus prædicarent.

Vestimentum tuum quo operiebaris.] Duas dictiones vltimas adiecit Interpres: in aliis enim editionibus habetur dumtaxat (*vestimentum tuum,* vel, *vestimenta tua,* שִׂמְלָתְךָ *simlathecha,* כְּסוּתֶךָ *chesuthach,* τὰ ἱμάτιά σου.) Fortasse per illud additamen

a Ioan. 4. 6.
b lib. 2. c. 2.
c vers. 19.
d Pallad. in Lausiaca hist. c. 52.
e Idem cap. 91.
f vers. 1.
g Exo. 12. 37. Num. 26. 51.
h vers. 21.
i vers. vlt.
k Matth. 6. 25. & seqq.
l Ioan. 5. 46.
m Matth. 6. 24.
n de resur. car. c. 58.
o Matth. 6. 25.

a Eccli. 18. 6.
b Psal. 76. 11.
c Deut. 34. 7.
d Eccli. 46. 11.
e Ios. 14. 11.
f 2. Reg. 19. 35.
g in Ios. 14. q. 3. §. 3.
h apud Rosueyd de vitis Patrum auctore Græco incerto lib. 5 libello 6. c. 9.
i Chron. Franc. p. 2. lib 2. c. 29.
k hom. 9. in ep. ad Phil.
Explanatio.

dumentum restringere voluit ampliorem notionem vestimenti seu vestis (vestra enim an vestimentum dicatur in legato, nihil interest [a]:) quamuis Festo vestis vt genus, vestimentum sit vt species; ad amiciendum, præcingendum, induendum, insternendum, iniiciendum, accumbendum [b]: in quibus sunt etiam lintea & stragula [c]. In libro Iosue [d] inter spolia seu prædas, cum substantia, diuitiis, argento, auro, ære, ferro, ponitur vestis multiplex, שַׂלְמֹת הַרְבֵּה *salamoth harbeh*, לְבוּשִׁין סַגִּיאִין *leuuscin saggahun*, ἱμάτισμὸς πολύς: potestque plura denotare quàm indumenta; vt apud Virgilium [*] arte laboratæ vestes, quibus mediis parata conuiuia tecta erant, id est, aulæa: apud Apuleium [e] aureæ vestes, quibus erant intecti lecti: apud Athenæum [f], de conuiuio in quo reclinatoria strata veste purpurea ἱματίοις ἁλουργέσι, & vestes auro erant intertextæ χιτῶνες χρυσοῦφεῖς: & vestes splendidæ ἱμάτια ποικίλα: apud Plutarchum [g] de vexillo militari φοινικοῦς χιτών *punicea tunica*, vel κόκκινος, *coccinea*. Videtur Latinum vocabulum è Græco natum ἐσθής, quod est ab ἕω, cuius eadem significatio cum ἐνδύω, vnde Latinis quoque *induo*; aut a ve & ἐσθής [h]. Hebrææ vocis ratio redditur, quod sinistram significet שְׂמֹאל *semol*, & dextra vestis pars in sinistram iniiciatur: idémque valet literis transpositis שַׂלְמָה *salmah*; quod nomen extat in cap. 29. [i] In eadem sententia. Chaldæum nomen significat generaliter id quod operit a כְּסָא *chasa*, ex Hebræo כָּסָה *chasah*, & in Psalmo 101. [k] Latinè vocatur opertorium cum vestimento; *& omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium*, &c.

Nequaquam vetustate defecerit.] Hebraicè singulari numero (*non veterauit desuper te, & vetustate non est detritum*, vel *corruptum, ruptum, consumptum*, לֹא בָלְתָה *lo balethah.*) Idem iudicium de Chaldæo לָא בְלִיאַת *lo beliiath*. Quæ verba in cap. 29. vbi eadem narrantur, editio nostra reddidit pluraliter (*non sunt attrita vestimenta vestra*; sed ibi Græcum verbum est ἐπαλαιώθησαν, *inueterata sunt*. Hebræa verò & Chaldæa editio sic habet לֹא־בָלוּ שַׂלְמֹתֵיכֶם *lo balu salmothechem*, לָא בְלִיאַת כְּסוּתְכוֹן *lo beliiath chesuthechon*. Item in 2. Esdræ [l] qui libri non extant Chaldaicè, in Hebræo textu, שַׂלְמֹתֵיהֶם לֹא בָלוּ *salmothehem lo balu*: in Græco ἱμάτια αὐτῶν οὐκ ἐπαλαιώθησαν. Vestimento & calceamento inueteratio tribui solet, vel attritio, vel consumptio, vt præter citatum Psalmum 101. [m] in libro Iosue [n], Esaiæ [o], Ieremiæ [p]. Ipso vsu atteritur & consumitur quæuis res, tum verò quæ gestantur vestes vltra lanæ, lini, corij materiam, quæ tinea & alia modi facilè admittit imminutionem & corruptionem. Vulgaribus quoque linguis *vsar, vser, vsé, vsado, vsato* dicitur de rebus quæ dum iis vtitur quis consumuntur.

Et pes tuus non est subtritus.] Hebræa וְרַגְלְךָ לֹא בָצֵקָה *veraglecha lo batsekah*, redduntur ab aliis (*& pes tuus non tumuit*, vel) *non fuit conspersus*, nempe puluere, siue luto; vel (*non fuit compressus, sicut massa comprimitur*: vel *non fuit denudatus* siue *discalceatus*: significat enim בָּצֵק *batsak*, proprie conspergere in massæ modum, quæ intumescit. Sic verò sensus esset, non extitisse turgentes vesicas, quas iter pedestre subeuntes pati solent, cum vlceribus inde consequentibus quando rumpuntur; atque ita pedes subteri, seu deteri. Sed ad hoc nihil facit denudatio, aut discalceatio, immò nec ipsorum calceamentorum detritio: immò integris omnino istis quibus induti sint pedes, hi dictum senute incommodum solent. Atque ita non ageretur de calceamentorum ruptura seu laceratione; ob vetustatē aliamve causam; quamuis ex ea illud nocumentum sequi soleat in pedibus. In cap. 29. [a] exprimuntur calceamenta cum vetustate ipsorum; (*nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt*) vbi priore membro est (*non sunt attrita vestimenta vestra*) & vtrobique idem verbum בָּלוּ *balu*, & בָּלְתָה *balethah*: sed Chaldæum duplex בְּלִיאַת *beliiath*, & יְחִיפוּ *iechephu*; item Græcum ἐπαλαιώθησαν, & ἀπετρίβη. In 2. [b] Esdræ (*vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti*:) in membro secundo est בָּצֵקוּ *batseku*, quod hîc habetur: & pro pedibus, Græcè ὑποδήματα, *calceamenta*, cum verbo, διεῤῥάγησαν, *interrupta sunt*; sed cap. 29. libri nostri non iuxta Græcam solùm editionem sūt calceamenta dicto iam nomine; verùm etiam Hebræa & Chaldæa cum affixo, singularis numeri נַעַלְךָ *nahhalecha*, מְסָנָךְ *mesanach*. Itaque per pedes videntur intelligenda calceamenta, vt quemadmodum vestimenta, sic dicantur vetustate non defecisse, non esse consumpta, atterita, subtrita. Indumenta quidem certè significari aliquando nomine illius partis, quæ tegitur, docet hoc ipso exemplo Gaspar [c] Sanctius noster, afferens alia ex Hispano suo idiomate, vt *cuerpo, cuello, puños, muslos, molleras, pecho, espalda*: ex Latina lingua bucculam; pro eo quod sonat, & pro parte in galea, quæ bucculam munit: sinum pro parte vestimenti, quæ tegit partem corporis inter brachia, aut in ipso brachiorum complexu, id est, vbera, præcordia, pectus: collum, pro colli criniumque ornamentis, hoc est, torquibus & mitris, siue pro collari & crinalibus: thoracem, (quæ vox à Græcis sumpta est) pro munimento, siue tegumento partis à collo ad imum vsque ventrem: apud eosdem Græcos, qui dicto vocabulo bifariam eodem pacto vtuntur, πέζαν pro pede, & ima vestis parte, siue fimbria, quæ pedem operit aut lambit; ζώνην, pro cingulo & media corporis parte quæ cingitur: κόλπον, pro sinu iuxta duplicem priùs dictam notionem: μηρόν pro femore, & eo quo id operitur. Sic præterea obseruat in Scriptura diuinis vestem Hebraicè dici nomine גַּף *gaph*, quod corpus quoque valet: חֵיק *chik*, vt sinum & κόλπον, de quibus diximus; שׁוּל *scul*, fimbria, laciniaque, & pedes, femora, pudenda, quæ illa teguntur; quia vestis pars extrema fimbriata defluit aliquando ad pedes. Item monet Chaldaicè, quod prior notauit Hieronymus [d], per saraballam significari & crura, tibiasve, & braccas, quibus teguntur, atque consequenter etiam femora, quæ à Latinis seminicruralia vocantur. Denique, quod propiùs ad rem nostram facit, ait nonnullos illud ex Threnis [e]; *sordes eius in pedibus eius*, interpretari de pedum indumentis, Hebraicè בְּשׁוּלֶיהָ *besculeha*, *in fimbriis eius*, Chaldaicè בְּשִׁיפּוּלַהָא *besipulaha*, *in oris vestimenti eius*. Eódem postremò spectare arbitratur verba Esaiæ [f]; *semita in pedibus eius non apparebit*, id est, semita labor in calceamentis semper, inquit, recentibus, non apparuit; pedes à callorum duritie & ab vlceribus fuerunt liberi; & calceamenta tam integra à vetustate, ac si numquam antea populus viam illam esset ingressus. Id Chaldæa quoque translatio videtur ibidem indicare, quod חֵילַת אוֹרַח *cheluth orach*, *virtus itineris, in pedes eius non introiuit*. Porrò habes loci nostri

---

[a] l. 23. & 33. D. de auro, arg.
[b] ibid. l. 3.
[c] ibid. & Paulus lib. 3. sent. tit. 6.
[d] c. 22. 8.
Vestium genera varia.
[*] Æne. 1.
[e] lib. 2.
[f] lib. 1. & 5. & 12.
[g] in Bruto. & in Pompeio, & in Fabio.
[h] Iul. Cæs. Scal. de causis ling. Lat. c. 26.
[i] vers. 5.
[k] vers. 27.
[l] c. 9. 21.
[m] vers. 27.
[n] c. 9. 5. 13.
[o] c. 50. 9. c. 51. 6.
[p] c. 38. 11.

[a] vers. 5.
[b] c. 9. 21.
Pedes pro calceamentis.
[c] in Cant. prolego. 9. num. 33. & seqq. & in Thren. 1. 9.
[d] in Dan. 3.
[e] cap. 1. 9.
[f] c. 41. 3.

nostri editio Græca non admittit hanc interpretationem de pedibus, pro calceamentis (οἱ πόδες σου οὐκ ἐτυλώθησαν, *pedes tui non occalluerunt*) pro quo verbo Eugubinus reprehendens meritò aliam lectionem quæ habet ἐλυτρώθησαν (*redempti*) non effugit reprehensionem; cùm legi vult (τετρώθησαν, *confossi & conuulnerati.*) licèt faueat sententiæ ipsi. Editio Sixtina Græca constat his omnibus cum priore membro, τὰ ἱμάτιά σου οὐκ ἐπαλαιώθη ἀπὸ σοῦ, τὰ ὑποδήματά σου οὐ κατετρίβη ἀπὸ σοῦ, οἱ πόδες σου οὐκ ἐτυλώθησαν: *vestes tuæ non inueterauerunt à te: solea tua, siue calceamenta tua non sunt extrita ætate: pedes tui non occalluerunt.* Nec tamen Theodoretus [a] (incorruptarum vestium & calceamentorum sufficientem copiam vocans) legit plura quàm quæ in editione nostra extant, cui similis aliorum codicũ biblicorũ textus Græcus. Chrysostomus [b] etiam, alludens ad præsentem locum, solam facit mentionem, quod Hebræorum τὰ ὑποδήματα οὐ κατετρίβετο, οὐδὲ τὰ ἱμάτια, *atque calcei, neque vestes atterebantur, vsu'ue consumebantur* καὶ ταῦτα ἐκείνην τὴν ἔρημον διοδευόντων, ὅθεν θερμότερα ἐπέκειτο ἡ ἀκτὶς ἡ ἡλιακή, καὶ λίθους αὐτοὺς κατατεφροῦν δυναμένη, *quamquam solitudinem illam peragrarent; vbi ardentiores incidebant Solis radij, qui vel lapides ipsos in cinerem vertere possent.* Quæ dicti beneficij exaggeratio est.

[a quæst. 6.]
[b hom. 9. in ep. ad Phil.]

En quadragesimus annus est.] Iuxta editiones alias (*istis quadraginta annis*) quod valet זֶה *zeh*, & דְנָן *denan*: vel (*ecce, isti.*) Qui numerus refertur ad spatium temporis ex quo victum vestitúmque, de quibus mentio præcessit, prouideret magnificè Deus absque populi Hebræi labore; quæ diuturnitas ad beneficij magnitudinem facit plurimum.

Vers. 5.] Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te:

Vers. 6.] Vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.

[Paraphr.] BEneficiis & castigationibus (quæ ipsæ in beneficiorum censeri numero possunt) Deum intendisse Moses dicit, more benigni ac pij patris, Hebræum populum tanquam dilectum filium (quo ipso nomine illum etiam nuncupauit [e]) erudire atque instituere; vt animum ad illa reflectendo, deliberaret omnino diuinis parere mandatis, demonstratam per hæc perueniendi ad eum, ingredi viam, revereri numen illius, & cum sancto timore cauere ne ipsum offenderet. Ex hoc loco videri possunt imitati Sapiens [d], Paulus [e], Ioannes [f], Iacobus [g] scribentes disciplinam, correptionem, eruditionem, arguitionem, flagella à Deo dati tanquam à patre filium diligente, ac in eo sibi complacente, vnde sanctificatio, fructúsque pacatissimus consequatur, licèt in præsenti videantur non esse gaudij, sed mœroris; tandémque corona vitæ. Filio cæso hæreditas seruatur; seruus male faciens dimittitur, quia exhæredatur: & quia non habet spem, dimittit eum vt faciat quod vult, inquit Augustinus [h]. Atqui de hac re alias dici, déque multiplici tribulationum ac tentationum vtilitate. Et similis rursum sententia Sapientis [i], *qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum,*

[e Exo. 4. 22. 23 Os. 11. 1.]
[d Prou. 3. 11. 12.]
[e Hebr. 12. 5 & seqq.]
[f Apoc. 3. 19.]
[g c. 1. 12.]
[h in Ps. 93.]
[i Prou. 13.]

instanter erudit. Cassianus [a] verò disputans de tentatione in rebus vel prosperis vel aduersis: quódque tripliciter contingat ad probationem, emendationem, punitionem; primum modum nostro isto loco confirmat.

[a coll. 6. c. 11.]

[Explanatio.] *Vt recogites in corde tuo.*] Editiones aliæ habent in futuro tempore (*& scies cum corde tuo*, vel *corde tuo*) quod exponi potest per imperatiuum (*& scias*, &c.) Cor pro mente, intellectúve sumi solet: recogitare autem Interpres posuit, vt crebram exactámque commendari intelligeremus memoriam diuinæ beneficentiæ & correptionis ad hoc vt ipsius obediamus præceptis, quod hic mox subiungitur. Cassianus [b] legit (*& nota fierent quæ in tuo animo versabantur.*) Recogitare aut cogitare in corde & in mente vsurpauit adhuc apud Esaiam [c] Interpres, vbi Hebraicè & Chaldaicè est redire aut reuocare ad cor, Græcè λογίσασθαι τὴν ψυχήν, *cogitare animam*, siue *ratiocinari*: vel in duabus aliis editionibus ponere super cor: in vltima ἀναδέξασθαι τῇ καρδίᾳ, *suscipere corde*, aut λαβεῖν εἰς τὴν καρδίαν καὶ τὴν καρδίαν, *capere in mentem, & cor.* Sic alibi ponere vel apponere ad aliquid, vel in aliquo cor, aut aliquid in corde, siue super cor; item dare cor ad aliquid, vel aliquid in corde, cogitare cor, dicere seu loqui seu confiteri in corde, dicere cor, &c.

[Cor pro mente.]
[b suprà.]
[c c. 44. 19. c. 57. 1. 11.]

[Filiorum disciplina & eruditio.] *Quia sicut erudit filium suum homo.*] Græcè *quidam homo*, seu *quispiam*, τις ἄνθρωπος. Verba autem sunt יְיַסֵּר *ieiasser*, מְיַסְּרֶךָּ *meallepb*, παιδεύσει. De primo, cuius thema est יָסַר *iasar*, docui Psalmo 140. [d] ad illud (*vt erudiret principes sicut semetipsum*) & ad aliud Psalmo 117. [e] (*castigans castigauit me Dominus*) significare non solùm erudire, corripere, castigare, sed etiam ligare, vincire, coërcere, disciplina, legibus, pœna, vinculis, denique re magis quàm verbis corrigere; atque idem valere nomen מוּסָר *musar*, vt & Græcum παιδεία, cum verbo παιδεύειν: Rabbinos quoque verbo יָסַר *iasar* vti, pro eo quod est virgis cædere, ac flagellare, vt solent patres & præceptores pueros. In 6. [f] præterea Psalmo dici plus videri corripere, quam arguere, nempe non verbali tantùm, sed etiam reali coërcitione: quoniam ibi secundo loco sunt יָסַר *iasar*, & παιδεύειν. Eodem loco attigi reprehensionem immoderati magistrorum in discipulos (idémque de filiis multo magis caueri debet) supplicij. Salomon [g] præcipit erudiri filium, nec desperare de bona illius fruge: sed ita, ne ad interfectionem eius ponat pater animam suam, id est, (vt omittam alias expositiones & iuxta editionem istam nostram, vt iuxta alias, quas eruditè colligit Quirinus [h] Salazar noster) ne seuerior sit, & verberibus mactet, aut ei mortem optet. Alioqui ex eiusdem sententia [i] Salomonis, si percusserit pater virga illum, quæ castigatio moderata est, non morietur. De moderatè castigandis pueris lectu omnino dignum Anselmi cum quodam abbate colloquium [k], quæque eadem de re idem in libro [l] similitudinum tradit; de crudelitate verò magistrorum in castigandis adolescentibus Ludouicus [m] Cresollius noster: & quo pacto permittebant parentes pædagogis liberos suos παίειν, ἄγχειν, στρεβλοῦν, *pulsare, obtorto collo premere* ac veluti *præfocare, tormento vexare*: nec patriam solùm potestatem in eosdem habere, sed illam etiam quæ dominorum est in seruos; vt in Chriis docet Libanius. Parentes quidem admonet Paulus [n] (quod magistri erga discipulos dictum sibi

[d vers. 22.]
[e vers. 18.]
[f vers. 1.]
[g Prou. 19. 18.]
[h ibidem.]
[i c. 23. 13.]
[k in vita.]
[l c. 178.]
[m theatri vet. rhetorũ l. 6. c. 6. & 7.]
[n Ephes. 6.]

magis puerent) ne ad iracundiam indignationémve prouocent filios; vt non pusillo animo fiant, ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν: Syriacè, ne angoribus afficiantur, דְּלָא נֶתְבַּלְבְּלוּן *denethbelbelun*: sed educent illos in disciplina, & correptione Domini, ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. Augustinus [a] annotauit, apud Græcos παιδείαν dici, quam Latini vocant eruditionem aut disciplinam, éstque per molestias eruditio, secundùm illud, inquit [b]; *quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Addit verò, à Deo petiisse Dauidem, eum suauitate siue bonitate, quæ χρηστότης nominatur, quæque in Dei consistit caritate & proximi, ac in boni delectatione, non solùm contemnere delectationes cæteras; sed etiam pro Deo quaslibet perferre passiones: & vt sub disciplinæ pressura non possit caritas extingui, sed sicut ingens flamma sub impetu venti quanto magis reprimitur, tanto ardentiùs excitari; tanta demum sit suauitas seu bonitas, vt disciplinam possit patientissimè sustinere. Idem [c] de tormentis discentium puerorum, ærumnosisque discendi viis meminit; necnon Nyssenus [d], Chrysostomus [e], Theodoretus [f], Chrysologus [g]. Dauidi pollicitus est Deus futurum se semini seu filio eius in patrem, & hunc in filium vicissim ipsius; qui si iniquè aliquid gessisset, argueret eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem non auferret ab eo [h]. Legatur sermo 3. ex 1. tomo Ephrem, vbi vrgetur Heli exemplum, qui filios non corripuit, ideóque ipse cum illis tam grauiter punitus est [i], quod aliis exemplis illustrari posset.

a in Ps. 118. concio. 17.
b Prou. 3. 12. Hebr. 12. 6. Apoc. 3. 19.
c 1. confess. c. 9.
d orat. de castiga. & in vita Mosis.
e hom 6 ad pop. & hó. 6. in 1. ad Tim.
f q. 18. in Gen.
g Ser. 101.
h 2. Reg. 7. 14.
i lib. 1. 2.

Sic Dominus Deus tuus erudiuit te.] Participia cum affixo Hebraicè Chaldaicéque מְיַסְּרֶךָּ *meiasserecha*, מְאַלְּפִינָךְ *meallephinnach*, admittunt omnes temporis differentias. Græcum verbum est futuri temporis παιδεύσει, *erudiet*.

Vt custodias mandata Domini Dei tui.] in aliis editionibus (*& custodies.*) Mandata autem, siue præcepta comprehendunt genus triplex ceremonialium, iudicialium, moralium, de quibus sæpe dictum est.

Mandatorũ triplex genus.

Et ambules in viis eius.] Iuxta cæteras editiones (*ad ambulandum*, vel, *vt ambules.*) Viæ verò Domini sunt mandata illius; quoniam per horum custodiam, & ambulando in ipsis, peruenitur ad Dominum. Quæ formula satis aliis locis [k] vsitata, indicat numquam consistendum, sed pergendum, promouendum, proficiendum, quia non progredi, regredi est; non proficere, deficere. Consulantur alibi dicta.

Et timeas eum.] Timens Deum custodit mandata eius, ambulátque in viis illius. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* [l]; *beati qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius* [m]: denique, vt sæpe vidimus, timor amplectitur omnem cultum Dei ac totius legis obseruationem: *& qui timet Deum, nihil negliget* [n], seu, vt alij legunt, *egreditur ad omnia*, aut, *ex egredientur*, id est, benè succedent; aut iuxta vim Arabicæ translationis, *exit ab omnibus rebus iustificatus*; aut occurrunt variæ tentationes certaminaque ea quibus superior euadit, & alacrem se præstat ad omnium virtutum actiones, ita vni studens, vt aliam non negligat, nullum prætermittens siue transgrediens diuinum præceptum; ambulans non in vna, sed in pluribus, immò in omnibus viis vitæ [o]; ad quam qui vult ingredi, seruat mandata [p].

k Gen 18. 19. Exo. 32. 8. Deut. 9. 12. 16. c. 10. 12. c. 11. 22. 28. c. 13. 5. c. 19. 9. c. 26. 17. c. 28. 9. c. 30. 16. c. 31. 29. Iosu. 22. 5. Iudic. 2. 17. 22. Ps. 17. 22. Psal. 24. 4. 9. Ps. 50. 15. Psal. 118. 1. 3. 14. 15. 27. 33. 168. Ps. 127. 1. Prou. 3. 17. c. 6. 6. &c.
Timor Dei.
l Ps. 118. 1.
m Ps. 127. 1.
n Eccl. 7. 19.
o Psal. 15. 10.
p Matth. 19. 17.

Vers. 7.] Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarúmque & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi.

Paraphr.

ERuditio paterna, de qua dictum est, includit cum correptione, procurationem bonorum. Hanc modò, & in sequentibus Moses proponit, describens terræ promissæ vbertatem quantũ ad aquas, ex quibus ea plurimum dependet. Qua in re discrimen magnum erat non tantùm à terra deserta, inuia, inaquosa [a], per quam præcesserat longior peregrinatio; verùm etiam ab Ægypto, vnde populus liberatus eductúsque fuerat; quæ ob eius planitiem, fontibus carebat, vt & Africa seu Libya eidem vicina, ob soli caliditatem, quia sunt meridionales. Prima namque causa efficit, vt exusta terra dissoluatur, & in arenas vertatur: secunda, ne aqua vltra scaturiginis locum ascendat. Quibus adiungitur tertia causa in c. 11. [b] quod in eamdem illam terram Chanaan imbres deciderent, non autem in Ægyptum. Sæpè admonuimus Hebræo populo factam temporalium bonorum promissionem, terræque Chanaan. Causam reddit Gregorius [c], vt quandoque ad æterna sperandà prouocaretur; qui adhuc rudis promissionibus Dei in longinquum non crederet, si à promissore suo non etiam à vicino aliquid percepisset. Confirmat ex Psalmo [d]; *dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt; vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Subdit mox illud de iisdem [e]; *deiecisti dum alleuarentur*, ac in genere prosperitatem Deum dare, vt in æternum pleniùs damnet: & cùm largientem Deũ humana mens boni operis repensatione non sequitur, vnde nutrita piè creditur, inde iustius damnari: quemadmodum cruciato diuiti dictum est [f]; *recepisti bona in vita tua.* Idcirco etenim recepit bona, inquit, in vita sua malus, vt illic pleniùs mala reciperet, quia hìc fuerat nec per bona conuersus, &c. Æstimant multi pluris quàm oporteat si quid causa Dei facere videantur; dicúntque cum Abram [g], *quid dabis mihi?* cum ingrato populo [h]; *in vacuum laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*; & [i] *vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum?* & cũ Petro [k]; *quid ergo erit nobis?* Hugo riuos qui currunt sensu mystico exponit de prædicatoribus, qui discurrunt per mũdum, annunciantes verbum Dei: fontes, qui non mouentur à loco suo, de magistris, à quibus riui manant: campos de actiuis: montes de contemplatiuis: ad quos vtrosque, vtrorumque illorum prædicatio & doctrina fluere debeat, iuxta id [l]: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui; deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.*

a Ps. 62. 3.
b vers. 10. & seqq.
c 3. p. Past. admon. 27.
d Ps. 104. 44.
e Ps. 72. 18.
f Luc. 16. 25.
g Gen. 15. 2.
h Esa. 49. 4.
i Malach. 3. 14.
k Matth. 19. 27.
l Prou. 5. 15. 16.

Dominus enim Deus tuus introduxit in terram bonam.] Pro verbo præteriti temporis vtuntur editio Hebræa Chaldæáque participiis, quæ, vt priùs dixi, admittere possunt omnes differentias temporis: Græca verbo futuri εἰσάξει: & præter terram bonam habet πολλήν, *multam*, intelligens amplitudinem, & numerum prouinciarum, seu gentium & regnorum. Procopius interpretatur fertilitatem per terram bonam; per multam siue

Explanatio.

 amplam,

amplam, longitudinem & latitudinem regionis; quia Ægyptus si ei conferatur, non est tanta. Negare hoc videtur Hieronymus [a], cui tanquam experto credendum, scribitque quòd pudebat dicere latitudinem terræ repromissionis; ne occasionem Ethnicis blasphemandi dare videretur. Facta verò descriptione, per apostrophen Iudæam alloquitur: *Hæc est Iudæa, tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his gloriaris: super his te per diuersas prouincias ignorantibus iactitas. Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute noui.* Attamen subdit non possedisse Iudæos ea promissa terra multas & amplas partes propter suamet peccata. Quo pacto quod Procopius asseruit, accipi potest. De hac introductione in terram illam mentio fuit in præcedentibus [b] capitibus.

a epist. 129. ad Dardanum.

b c.4. 38.c. 8.10.23 c. 7.1.

Terram riuorum, aquarúmque.] Non seiungunt editiones aliæ riuos ab aquis: sed Hebræa ponens in regimine priorem dictionem appellat נַחֲלֵי מָיִם *nachale maim, torrentes aquarum.* Quapropter non est necessaria Hugonis annotatio, vt sint riui aquæ currentes; aliud nomen aquarum generale aquæ stantes; siue Lyrani, Abulensis, Marzillæ, vt riui dicantur de aquis fluentibus ab origine fontibúsque; aquarum communi nomine intelligantur stagna, lacus, paludes. Græcè est ὧ χείμαῤῥοι ὑδάτων, *vbi torrentes aquarum:* Chaldaicè *terra fluens torrentibus*, אַרְעָא נָגְדָא נַחְלִין *arbha nagheda nachlin.* Stantes verò etiam aquæ, seu stagna, lacus, paludes non ita per se conferant ad terræ fertilitatem. In Psalmo 64. [c] *riuos eius inebria: multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.* Irriguam Plinius [d] hanc regionem docet fuisse. Riuus est locus per longitudinem depressus, quò aqua decurrit [e], quasi ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quòd est *fluere.* Vel est tenuis fluor aquæ, non spe, consilióve factus, verùm naturali suo impetu. Vel etiam manu factus est, siue super terram in fossa, siue super [f] specu. Vel riuus dicitur, qui deriuatur ad irrigandum, id est, inducendum aquas in agros [g]. Riuum fluminis Caius [h] Iurisc. vsurpat. Ductus aquæ Vitruuius [i] fieri generibus tribus tradit; riuis per canales structiles, aut fistulis plumbeis, seu tubulis fictilibus. Addit Palladius [k] canales ligneos.

c vers. 11.

d lib. 5. c. 14.

Riuus quid, & vnde.

e Vlp. li. 70. ad edictum seu l. 1. §. 1. D. de riuis.

f Festus.

g Isido. 13. etym. c. 20.

h l. 7. § initi. D. de aqua & aquæ pluuiæ arcendæ(?) — D. de aqua cott. & æstiu. dom.

i lib. 8. c. 7.

k de re rust. lib. 9. tit. 11.

Et fontium.] Fontes per se ac seorsim ponuntur Hebraicè, absque coniunctione: Chaldaicè ante fontes cum particula coniungente, nomen significans scaturitiones וּמַבּוּעֵי עִינָוָן *vmabbubhe bhenauuon, & scaturitiones fontium:* Græcè præponitur coniunctio, & nexus est cum sequentibus, (καὶ πηγαὶ ἀβύσσων ἐκπορευόμεναι διὰ τῶν ὀρέων, καὶ διὰ τῶν πεδίων, *& fontes abyssorum exeuntes per montes, & per campos.*)

In cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi.] Accedit hæc translatio propiùs ad ea quæ modò recitaui ex Græca. Hebræa redderetur sic (*& voraginum*, aut *abyssorum egredientium*, siue *prodeuntiū in valle & in mōte*, וּתְהֹמֹת יֹצְאִים בַּבִּקְעָה וּבָהָר *vthhomoth iotsim babbikhhah vuahar.* Chaldæa similia sunt (*& abyssorum manantium in vallibus & montibus.*) De abysso, quod nomen etiam Græcum est, immò inde sumptum, nempe ἄβυσσος: & Hebraicè dicitur תְּהוֹם *thehom*, egimus alibi, docentes in genere denotare id quod fundo caret, & in aqua, infinitatem quamdam sine fundo, quod vocant Græci βυθὸν, & negat in Græco nomine α, præpositum, significátque quod id nemo βύειν siue δύειν penetrat. Vel si α, habeat vim intendendi βύῃ tegat omnia. Ionicè item dicitur βύσσος, pro βυθός. In Genesi [a] abyssus nō vno modo sumitur, sed vt collegit Ascanius [b] Martinengus vel idea vacui; vel angelica natura nondum formata; vel profunditas imperceptibilis materiæ primæ; vel chaos rude; vel elementorum permistio; vel terræ concauitates; vel profunditas non entis; vel infernus; vel dæmones; vel immensitas aquarum; vel corpora diaphana. Ex quibus acceptionibus optima videtur pro aquarum immensitate. Quod attinet ad campos, hi hoc loco eos designant, qui paruis collibus adiacent; quoniam in planissima terra fontes nō nascuntur, vtpote quòd eleuari nequeat ad æqualitatē suæ originis, vt Philosophus [c] docet: Quæ ratio etiam est, cur in summis montiū verticibus fontes non oriantur. Egimus aliàs philosophicè de fontium fluminúmque origine. At in genere concedendū est, aquæ vim latere in subterraneis specubus: cùm primum secreuit Deus vnum in locū aquas, & terrę cauernis inclusit, simul per meatus occultos corriuatam è mari aquæ magnam copiam in partes aquæ diuersas; vnde manarint fontes omnésque variis in locis, Deo veluti librante fontes aquarum [d], quod quatuor etiam illa paradisi flumina indicāt [e]: subinde nihilominus postea nouos erupisse fontes ac flumina ex aëre vaporibúsque in aquā solutis, vt citatus Aristoteles docuit, sed nimis genericè; ad quod conducūt etiam pluuiales aquæ. Lege [f] Conimbricenses nostros, Pinedam [g], Alcasar [h]. Indicato loco ex Prouerbiis, vbi est quod librauit Deus fontes aquarum, legitur Hebraicè quod roborauit fontes voraginis seu abyssi, בַּעֲזוֹז עִינוֹת תְּהוֹם *babhazoz bhenoth thehom.* Exponit id Salazar noster cum Caietano & Lyrano de facultate impressa multis partibus, vt perennes aquas effunderent, ac per secretos ductus meatúsve terræ directę, opportunis locis erumperent, horum altitudinem depressionémque quasi ad libellam examinando, præsertim iuxta opinionem, quòd aqua ex mari per secretas terræ venas ad fontes perfertur. Sanè quidem libratores Plinius [i] secundus nominat aquarum (alij libellatores) qui publicos aquæ ductus regunt; de quibus mentio præterea est in Codice [k]; & apud Frontinum [*]: dicuntúrque Græcè ζυγοστάται (quod tamen nomen non reperio.) De librationis modo Vitruuius, aliíque. Puteum abyssi nominat Ioannes in Apocalypsi [l]; quartus Esdræ apocryphus [m] liber venas in abysso. Alcasar abyssi notiones exponit pro inferno, quando appellatur cum addito, abyssus terræ, licèt arbitretur literaliter numquam accipi hoc modo in sacra Scriptura, quoniam תְּהוֹם *thehom*, pro quo ponitur, non id significat, sed aquarum multitudinem, vt exemplis 34. ostendit; dicens præterea in aliis vsurpari, metaphora ducta ab ipsa maris profunditate: item confirmans ex thesauro linguæ Hebrææ de dicta notione vocis תְּהוֹם *thehom*, & Græcæ de ἀβύσσου, atque ex Patrum testimonio, præsertim Augustini [n]: ad hæc ait per abyssos terræ [o]; abyssum iacentem deorsum vel subiacentem [p] cum oppositione ad cœlum, intelligi non de omnino subterraneo loco, seu de inferno, sed de profundo aliquo puteo, in quem quis demersus fuerit: aut de fontibus; & hoc quidem pacto in præsenti nostro loco; quoniam ad irrigandam terram, de qua re agitur, apta est cœlestis pluuia, terrestrésque fontes, & putei: postremò abyssum, in quā dæmones ne ire iuberentur, deprecabantur [q], exponit profundum maris, in cuius littore Christus

Abyssus quid.

a cap. 12.

b in Glossa Magna ib. pag 555.

Quid campus.

c 2. meteor. c. 2. & li. 1. c. 13.

d Prou. 8. 27.

e Gen. 2. 10. 11.

f in lib. meteor. tract. 9.

g in Eccl. 1. 7.

h in Apoc. 9. 1. not. 2.

Libratores, seu libellatores qui.

i epist. 258. & 281. aut li. 10. epist. 69. & 70.

k l. 1. de excus. artif.

* lib. 2. c. 6. & 7.

l c. 9. 1.

m c. 4. 7.

n 22. cont. Faust. & in Ps. 41.

o Ps. 70. 20.

p Gen. 49. 25. Deut. 33. 13.

q Luc. 8. 31.

stus erat: & similes alios locos ratione simili declarat. Quod in Prouerbiis [a] habetur (*quando certa lege & gyro vallabat abyssos*) ratione quadam noua explanat Salazar [b] noster. Nam legens cum LXX. (ὅτε ἀφώριζε τὸν ἑαυτοῦ θρόνον, *quando secernebat sedem suam*) & reiiciens sequentia immediatè ἐπ' ἀνέμων, *super ventos*, ad sequentem ibi sententiam; exponens verò sedem Dei, de cœlo empyreo; & putans illos Interpretes opinionem secutos de aquis veris supra cœlos, déque dicto cœlo empyreo supra illas; prætereà, faciens cœlos solidos, empyreúmque immobile: primum mobile motu suo reliquos orbes inferiores secum rapere, ait, ne rapiat etiam empyreum, sicut cùm gyratur rota, non tantùm ea quæ intra illius cadunt sphæram, secum fert, sed etiam quæ extra proximè ipsi adhærent; inter id & primum mobile, magnum aliquod interstitium esse, corpore aliquo liquido repletum, quo vis ac impetus eludatur seu hebetetur primi mobilis, vt illuc non perueniat: hoc autem spatium vocati à Scriptura aquas quæ super cœlos sunt; non quia reuera sint aquæ, sed quoniam ob liquiditatem, eo nomine appellentur: denique hoc sibi velle textum Hebræum (בחקו חוג על פני תהום *bechukko chug hal pene thehom*, *in describendo ipsum*, *siue cùm describeret ipse*, *circulum super faciebus voraginis*, siue *abyssi*) id est, cùm Deus cœlum empyreum, quod sibi ac beatis omnibus in sedem obfirmauit, interiecta aquarum (corpore nimirum dicto, quod propter liquiditatem tali vocatur nomine) abysso, à primo mobili diuulsit, ne pariter cum illo raperetur: atque ioxta nostram editionem (*quando certa lege & gyro vallabat abyssos*,) id est, cùm super cœlestes illas aquas, seu corpus illud aliud liquidum, cœli empyrei complexione concluderet. Hoc pacto vocabulum תהום *thehom* abysso & voragini aquarum propriè conueniens, accommodabitur per quandam extensionem similitudinémve, ad aliud corpus liquidum alterius naturæ nobis adhuc ignotæ.

[a] c. 8. 27.
[b] ibidem.

Vers. 8.] Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olíueta nascuntur, terram olei ac mellis.

PARAPHR. Terræ iam cœpta explicari vbertas ex aquis fœcundantibus, declaratur modò ex fructibus, ad quos proferendos aquæ conducunt, tum ad vitæ sustentationem magis vsitatis necessariísque, vt sunt frumenta, & vineæ, vinúmve; tum etiam ad voluptatem, seu commoditatem, vt sunt ficus, malogranata, oliuæ oleúmve, & mel. Eadem descriptio plerísque aliis locis habetur; necnon & lactis facta mentione; quæ nunc omissa est; quia non ita per se ac immediatè pendet ex soli feracitate, quam nominatim aquæ præbeot; sed mediatè duntaxat & consequenter; quatenus simul producitur herba seu fœnû, quo pasta copiosè saginatáque animalia lac suppeditant. Octo Abulensis hic distinguit, nempe frumentum, hordeum, vineas, ficus, malogranata, olíueta, oleum, mel: cùm tamen non magis differant olíueta & oleum, quàm vineæ & vuæ ac vinum. Quidquid sit, rectè confutat Iudæos reddentes rationem rerum hic præcisè nominatarum, quòd ex illis solis primitiæ dandæ essent. Nã de iisdem rebus, inquir, primitiæ dautur, de quibus decimæ, maximè secundùm consuetudinem antiquissimorum Iudæorum, qui ista iura strictiùs obseruabát,

vt liquet ex Christi verbis id etiam approbantis [a]; *decimatis mentam, anetum, & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* De mystico sensu cognoscere poteris ea aliis locis similibus alibi tractatis. Procopius amplectens simul quæ priore continentur versu, horum loco ait regnum cœlorum, terramque mansuetorum [b] nobis à Christo tribui, cuius torrens ipse quoque Christus est, & quidem deliciarum, quo potat nos [c]; necnon & flumen impetu suo lætificans ciuitatem Dei [d]: qui præterea vitæ se fontem dixit, inuitans ad bibendum, ac promittens fore vt de ventre bibentis flumina fluant aquæ salientis in vitam æternam [e]. Abyssos iudiciorũ [f] Dei interpretatur, profundámque diuitiarum sapientiæ & scientiæ diuinæ venam: aquas per explicatos seu expansos & latos hominum submissorũ fertiliúmque campos erumpere, necnon per montes sublimitate cœlestis speculationis sublatos: illic esse frumentum, quod cor hominis confirmat [g], hordeum, quod inferioris sortis homines, & multos nutrit, sicut Christus illo quinque millia [h]; hoc septem millia satiauit: (non sunt satiata simul septem millia, sed ex septem panibus quatuor millia [i]:) illic veram vitem, id est, Christum, qui eo se nomine nuncupauit [k]: illic oleum sanctorum impinguans capita [l], dulcedinem intus afferens, & circumlambens forinsecus politiæ acerbitatem: illic ficum magna vbertate spiritus suauitatem gignentem, non quæ propter sterilitatem & foliorum inanem ornatum exaruit [m]: illic mel Christi labiorum, in quibus diffusa est gratia [n]; vt & fauum stillare canuntur labia sponsæ [o]. De typo eodem Hieronymus ad Dardanum [p]. Hoc autè loco Glossa moraliter per terram bonam accipi vult militantem Ecclesiam, quæ dicatur terra riuorum, aquarum, & fontium, id est, doctorum in scholis, scholarũ discentium ab ipsis; prædicatorum populis; iuxta illud [q], *deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: montibus designari dicit sacerdotes; câpis laicos; de vtrisque baptismalem fluuium erumpere, quoniam posteriores vice priorum possunt dare baptismum in necessitate: terram frumenti dici, ratione corporis Christi, quod in ea consecratur in pane frumenti, cuius etiam grano ipse se comparauit [r]; vinearum, ratione sanguinis Christi, qui conficitur in vino vitis: hordei, propter sacramentum pœnitentiæ, quæ austeritatem vitæ exigit: ficus, propter dulcedinem mansuetudinis, quæ debet esse in fidelibus, & maximè in prælatis Ecclesiæ: malogranatorum, quia oportet fidelium connexionem esse in caritate: oliuetorum, ob pietatis opera; olei, ob exultationem ac lætitiam [s] internam; mellis, propter degustationem diuinæ bonitatis, siue quia suauis est Dominus [t].

[a] Matth. 23. 23. Luc. 11. 42.
[b] Mat. 5. 5.
[c] Ps. 35. 9.
[d] Ps. 45. 5.
[e] Ioan. 4. 14.
[f] Ps. 35. 7.
[g] Ps. 103. 16.
[h] Ioan. 6. 9. & seqq.
[i] Matt 15. 35 c. 16. 10. Marci 8. 9. 20.
[k] Ioan. 15. 1.
[l] Ps. 22. 5.
[m] Matth. 21. 19.
[n] Ps. 44. 3.
[o] Cant. 4. 10.
[p] epist 129.
[q] Prou. 5. 16.
[r] Ioan. 12. 24.
[s] Ps. 44. 8.
[t] Ps. 33. 9.

Explanatio. *Terrã frumenti.*] Pro frumenti nomine, est Hebræum חטה *chittah*, & simile Chaldæũ חטין *chittin*, & πυρός: in c. 7. [u] דגן *dagan*, עבורא *hibura*, σῖτος. Ibi de Latino vocabulo, vnà cum reliquis Hebræo & Græco dixi, posse plures amplecti species, etiam hordeum, quod hic separatim ponitur. Chaldæum illius loci nomen tradunt propriè significare superioris seu præteriti anni frumentũ: est namque עבר *hhabar*, *præterire*, *transire*, *transgredi*. Sed חטה *chittah*, à חנט *chanat*, *proferre*, *educere*, *protrudere*, *ostendere fructus immaturos*: daghes enim vice literæ *nun* deficientis ponitur, significat frumentum; quòd protrudatur, ac promineat ex folliculis; comprehendetéque dicitur omnia genera, quæ Latina frumenti vox præter hordeum, & le-

[u] vers. 13.

gumina, quæ grana non protrudunt ex folliculis: vel specialiter connepire illi, quod Latini triticum vocant. In 1. Esdræ [a] legitur cuio nun in medio חנטין *chintin*, libri enim Chaldæas siue Syras dictiones habent. Eustathius [b] πυρὸν ait ἄλλο τι εἶναι παρὰ τὸν σῖτον. Homerus citatus à Suida seiungit πυροὺς, ζειὰς, κρῖ, *frumenta, zeas, hordeum*.

a c. 6. 9.

b Odyss. t. pag. 1876.

πυροί τε, ζειαί τε, ἰδ' εὐρυφυὲς κρῖ
λευκόν:
Frumentáque, zéaque, & latè nascens hordeum
Album.

Frumenti etymon.

Etymon assignant vel ἀπὸ τοῦ πυρὸς ab igne; vel ablata litera ρ, à πύος, siue πύον, quòd idem valeat ac πυρὸς; & illud significet primaria notione lac, spongiosámve densitatem lactis primâ à partu, vt Plinius [c] loquitur, & colostrum aut colostra, siue colustrum & colustra nominatur, de qua Plautus [d], Martialis [e], Palladius [f], & alij. Ratio forsitan est, quia igneæ naturæ est, surgitque velut ignis: & lactescit lactisque munere fungitur in adultorum nutricatione. Cæterùm benè notat Suares [g] noster, agens de materia consecrationi panis necessaria, quam ait esse vt sit panis triticeus, licèt sub nomine frumenti varia grana interdum comprehendantur, frequenter absolutè significare solum triticeum, quod etiam loci huius testimonio confirmat.

c li. 18. c. 9.
d in Penulo actu 1. sce. 2.
e lib. 13. epigr. 38.
f de re rustica in Nouembri.
g 3. p. to. 3. disp. 44.

Hordei.] Dicitur Hebraicè שעורה *sehhorah*, Chaldaicè שערין *sehhorin*, Græcè κριθή. Ratio priorum duorum nominum, quæ similia sunt, est à שער *sehhar*, seu שערה *sahharah*, quæ pilum significant; quia veluti pilosum est, ac hirsutum hordeum, siue etiam horridum, quem horrorem valet quoque שער *sahhar*. Isidorus [h] deriuat hordeum, ex eo quod præ cæteris generibus frumenti aridum antè fiat, vel quòd spica eius ordines habeat. Posteriorem notionem sequi videntur, qui absque aspiratione scribunt ordeum, quemadmodum qui ab oriendo deducunt. Aspiratio indicat etiam quemdam horrorem qui in hordeo est, ac importari dixi vocabulo Hebræo, Chaldæóque nomine: quoniam tametsi calamus altior frumento quàm hordeo sit, mordacior est arista hordeo. Sed & quidam hordeum ab hordo deducunt, quod antiquis erat idem ac fœcundum, & dicebatur præterea fordom, indéque fordeum. Distinguit porrò idem auctor triplex genus exaricum (potiùs hexaticum, aut sexaticum) quòd spica eius sex ordines habeat: & aliter vocetur canterinum: distichon, propter duos ordines; appellatur autem etiam calaticum (galaticum;) trimense, quia dum cogit necessitas, vere seminatur, & celeriter colligitur. Mysticè hordeum Petrus [i] Bercorius interpretatur sensum historicum, seu literalem Scripturæ, qui exteriùs rudis est, interiùs quando frangitur, plenus alba suauíque medulla sensus spiritualis: humiles ac simplices, siue humilis & rudis conuersationis exteriùs, intus autem præditos medulla conscientiæ mundæ, & puræ intentionis atque deuotionis; externa & temporalia bona, quemadmodum hordeum datur iumentis, & rusticis hominibus, & pœnæ militaris genus vnum erat hordeo [k] vesci, vt indigni viderentur imbelles communi militum aliorum cibo; reijcerentúrque iuncti iumentis; quæ dicebatur ignominia κριθοφαγίας. Hordearij cognominabantur gladiatores; quorum cibus hordeum erat [l]: hordearium æs, quod pro hordeo, equiti Romano

Hordeum, quid & vnde.
h 17. etym. c. 2. sect. t.

Hordei interpretatio mystica.
i dict. mor. verbo Ordeum, & in reductorio lib. 12. c. 3.
k Sueto. in Augusto c. 24 Liuius lib. 27. Dio lib. 49. Vegetius lib. 1. c. 13. Polyb. li. 6. App. in Illyricis. Front. Plut. in Antonio.
l Plin. li. 18. cap. 7.

dabatur [*]. *Voluptas demum est*, inquit Seneca [*], *posse capere voluptatem ex hordeo.* Addit Bercorius pane hordeaceo vesci Græcos, qui eo delectantur, id est, peccatores (forsitan prædicatores) terendo hordeum Scripturæ per expositionem separata medulla spiritualis sensus, iuncta verò aqua conficiendo panem, hoc est, doctrinam prædicationis, ex qua filij Ecclesiæ nutriantur: in hordeo esse sex ordines, vel duos, citissimè crescere, ob mollitiem, citò rapi ad maturitatem, vere seminari, & colligi; quoniam vir perfectus licèt exteriore conuersatione habitúque sit rudis & humilis; in corde mollis est per pietatem; albus per castitatem; ordinatus etiam per prudentiæ maturitatem cum duplici ordine duplicis caritatis, vel sex ordinibus tot idem operum pietatis: quando seminatur per ingressum religionis, vel conuersionis ad pœnitentiam, citissimè crescit & maturatus per bonam vitam & perfectionem, temperantiam & discretionem; in vere namque iuuentutis seri & conuerti, & statim in æstate, id est, in media ætate perfectum effici & maturum: & qui mollis est, hoc est, pius & benignus, citò maturum fieri & perfectum. Denique hordeo similem facit hypocritam; qui licèt exteriùs sit rudis, & vili habitu tectus quoad fictæ pœnitentiæ austeritatem; interiùs in corde est mollis & delicatus per carnalitatem; ante omnes alios deficit & arescit, nec potest eius ficta perfectio perseuerare; sed per apostasiam, aliúmve modum perit & tabescit. Ad hæc difficiliorem sermonem, literámque ac doctrinam legis veteris, quæ præcedit nouam, quemadmodum ante triticum est hordeum: necnon asperitatem legis eiusdem datæ Iudæis in cibum tanquam iumentis, Clemens [a] Alexandrinus, Origenes [b], Hesychius [c], Aretas [d], Hieronymus [e], Augustinus [f]; vel simpliciorem ac minùs exactam doctrinam, quæ rudiorum cibus, non valentium sensus percipere subtiliores; Ambrosius [g]: vel Iudæos, Hieronymus [h] aut primores Ecclesiæ, qui si peccent, plaustris, & serris triturandi sint. Augustinus [i], aliúsve apud eum: vel è contrario minores in Ecclesia; prout & hordeum tritico imperfectius est, interpretatur. Petrus [k] Cellensis ait panem hordeaceum non pro deliciis apponi, sed tantùm vt seruilis fames releuetur: fauces enim deliciosorum excoriare, ventrem onerare, arterias exasperare; quoniam duro contegitur cortice, & spiculata superficie occurrit comedentium dentibus: quo vilior, hoc ad pascendum familiam vtiliorem esse, quemadmodum viliora quæque officia, vtilia, immò & necessaria sunt; propterea in deserto de quinque huiuscemodi panibus pastam à Domino familiam suam [l]; quem numerum aptat vilioribus eiusdem numeri officiis stercorarij, lignarij, (id est, ligna cædentis) focarij, coqui, ancillæ pannos lauantis. Ioannes [m] Vitalis in quinque dictis panibus considerat conditiones totidem requisitas in pœnitente; splendorem cognitionis, timorem punitionis, dolorem contritionis, pudorem confessionis, laborem satisfactionis; quæ omnes habent exteriùs asperitatem, interiùs suauitatem. Quia verò hordeum paleæ tenacis est, aristæ pungentis, humilis culmi, farinæ medicinalis, per panem hordeaceum, qui voluebatur descendebátque in castra Madian [n]; & in genere per panem hordeaceum docet designatam confessionem, in qua est tenacitas dilectionis,

austeritas

* Festus.
* epist. 18.

Hypocrita hordeo similis.

a 6. Strom.
b hom. 12. in Gen.
c in Leuit. 27.
d in Apoc. 6.
e in Ezech. 4. & 45.
f tract. 24. in Ioan.
g in cap. 9. Lucæ.
h in Esa. 28.
i hom. 6. in Apoc.
k lib. de panib. c. 11.
l Ioan. 6. 10. & seqq.
m speculo mor. Script. verb. Confessio.
n Iudic. 7. 13.

austeritas mortificationis, breuitas humiliationis, medicina nostræ curationis: fieri ea subtili, farina confitendo omnia peccata cum circumstantiis: mali granum inter duas molas spei & timoris; ex mixtione farinæ cum aqua coqui panem, quoniam ea contritione cum gratia, & turbine fit vera confessio: volui, quando de bono in melius proficitur: frangere castra Madian, quia vincit difficultates diaboli, quas ingerit ne fiat confessio: denique ipsam satisfactionem habere rationem panis hordeacei. Frugalitatis nomine celebrantur ab Heraclide in politiis Lacedæmones, quòd triticum, apud illos nemo pinseret, nec tritici vescerentur farina, sed hordei. Narratur etiam in vita Basilij auctore Amphilochio, Iuliano apostatæ in bellum proficiscenti contra Persas, oblatos hordeaceos panes tres pro benedictione à Basilio; cui reddi fœnum præceperit, cùm diceret id esse in compensationem pro pabulo iumentorum quod acceptauerat: cúmque respondisset Basilius obtulisse se quibus vescebatur & sui; illum vnde bruta victitarent sic vltrò irridentem; apostatam eacepisse minitando postquam victor redijsset euersurum Cæsaream Cappadocum, eámque sic aratro proscissuram, vt satis potius, quàm hominum feraa esset.

Ac vinearum.] Singularis numeri est גפן *ghephen*, significans vitem: vineam verò significant כרם *cherem*, in qua sunt plores vites consitæ. Quo pacto dicunt à Noë primò plantatam vineam [a]; sed ante ipsum vites plantatas seiunctas à se inuicem vt arbores alias ad vescendum earum fructu, non ad faciendum vinum, non seriatim & per ordinem, vt significant Chrysostomus [b], & Hieronymus [c]. Fictitius Berosus eumdem facit Noë cum Iano, qui Ianus nomen habuerit à יין *iain*, id est, à vino.

a Gen. 9.20.
b ib. hom. 29.
Noe & Ianus.
c contr. Iouin.

In qua ficus.] De his priore [d] libro physicè, ac ethicè, vt & locis pluribus de vineis & vino. Præter ibi annotata, ficum Isidorus [e] deriuat à fœcunditate; quoniam feracior est, inquit, cæteris arboribus; vtpote cùm ter quatérque per singulos annos generet fructum, atque altero maturescente, alter oboriatur: ita vt etiam caricæ à copia nuncupentur. Addit, athletas ficis ali solitos, priusquam Pythagoras exercitator, ad carnis vsum, qui fortior cibus est, eos transtulisset: à senibus quoque in alimentum sumptas sæpiùs ficus, rugas eorum distendere: tauros ferocissimos ad fici arborem colligatos, repentè mansuescere. Isti plantæ similem Bercorius [f] crucem asserit; quoniam portauit Christum fructum dulcissimum, qui sibi deuotas animas per gratiam in præsenti, & in futuro per gloriam recreat, nutritque, seu in æstate prosperitatis, & in hyeme aduersitatis, athletas, id est, eos qui in prælio tentationum militant, per constantiam roborat & confortat: tauros, hoc est, lascinos homines & superbos, sub ipsa per deuotionem & compassionem, & fidei susceptionem ligatos, domitos reddit, & maturos; vt videre fuit in Principibus, Regibus, Imperatoribus, virtute crucis, sub iugum Christi redactis; de quibus est illud [g]; *cum esses sub ficu, vidi te.* Et quia, Dioscoride teste, ruta cum ficu amicitiam habet, lætiórque illa sub hac est, viridior, melior, cuius vi necatur basiliscus; ait pœnitentem sub cruce plantandum per deuotionem, compassionem, fiduciam, affectionem, implorationē virtutis crucis; vt sic virorem gratiæ, & perfectionis, atque spiritualem lętitiā consequatur ampliorem. Adhæc docet conuenire perfecto viro, ac prælato præsertim, ficum imitari fœcunditate bonorum operum; vt sit humor interior lacteus per castitatem, vnctuosus per pietatem, coagulans per caritatem: contra vitia, more athletarum pugnare, contráque mundanas tribulationes; vtpote cui alimentum, incrementum, robur fructus tales præbeant: sicut lignum ficus Ægyptiacæ submergitur in aqua, iterúmque resurgit [*]; ita iustum in prosperitate, aut voluptate cadere aliquando submergive per peccatum; postquā imbutus his fuerit, per gratiam Dei leuari; quoniam septies in die cadit iustus, & resurgit [a], cùm impius in profundum veniens peccatorum, contemnat [b]; & communiter loquendo, vbicumque ceciderit lignum, ibi maneat [c]: vel improbum descendere per humilitatem quando siccus est ob inopiam; quando madefactus diuitiis & prosperitate, ascendere per superbiam; vel rursus quod iustus in prosperitate ad fundum descendit per humilitatem, aut actiua negotia; iterúmque resurgit per gratiarum actionem, & contemplationem. Præterea obseruat in hac arbore folia lata, aspera, humorem lactis continentia, quo pellita genitalia in libidinem inardescunt (quæ primi parentes illis post lapsum texerint, in signum quòd eæ partes iam contra rationē libidine titillabantur diuisa & varia) oportere verba iusti per caritatem lata esse; aspera per correctionem, instar stimulorum [d]; lactea per dulcedinem & pietatem; diuisa & varia, per discretionem; atque his affectus auditorum inunctos ad operum bonorum generationem inardescere. Vel mundi, tanquam fici, folia esse diuitias; succum delicias; his excitari luxuriam, sterilitatem ex defectu humoris remediatam fimo, aquāque dulci; & ex excessu, perforatione clauorum, applicat ad eos, qui propter inopiam delinquunt [e], aut ob prosperitatem, prodeunte iniquitate ex adipe [f]; curantur autem primi quidem misericordi sustentatione, benignaque consolatione; secundi dura reprehensione, qua moueantur ad sese veluti euacuandos per eleemosynæ largitionem; quo pacto sterilem ficum paterfamilias cùm succidi vellet, agricola circa eam stercora mittenda censuit [g]. Quòd arbor hæc scalptura & incisione fructificet significare vult spirituales fructus affecti in patientia, contritione, pœnitentiæ austeritate, compassione, liberalitate, confessione peccatorum, quibus humor superfluus eiicitur. Alia omitto apud eumdem, similiáque apud Ioannem [h] à S. Geminiano, & syluam allegoriarum, & Pierium [i]. Illud vnum ea postremum [k], quod aliàs attingere me memini [l], decerpo, si ficus genitores nostros gustata, & nos cum illis, traxit in interitum, sicut hunc illa interitum calamitatémque humano generi, & assiduos labores attulit; ominosam quoque Carthaginensium, & Romanorum extitisse imperio. Nam cùm tertio pòst die ficus Carthagine Romam aduecta esset, questus Cato est, non triduo magis procul Vrbe hostes proprias habere sedes [m]. Faber verò quidam Heluetius cui nomen Hellico, remeans in Galliam cum ficu sicca, vua, oleo, vino, feroces illos populos ad transgrediendas Alpes vastandámque conciuit Italiam [n]. Nec omittendum quòd ficus, cùm non floreat, nec se vlla ornamentorū speciosa ostentet luanne, fructus parit dulcissimos; eorum esse symbolū qui magna operantur,

Ficus quid & vnde.
d c.13.20. c.22.5.
e 17. etym. c. 7.
Fici planta cum cruce comparata.
f diction. morali ver. Arbor. & in reduct. morali lib. 12. c. 55.
g Ioan. 1. 48. 50.
* Plin. lib. 13. c. 7.
a Prou. 24. 16.
b c. 18. 3.
c Eccl. 11. 3.
d Eccl. 12. 11.
e Eccli. 27. 1.
f Psal. 72. 7.
g Luc. 13. 8.
h in summa exemplorū, & similitud.
i li. 53. hieroglyph. c. 28. vsque ad finem libri.
k cap. 58.
l in Num. 13. 20.
m Plutarch. in Catone.
n Plin. lib. 12. c. 1. & li. 15. c. 18.

nec præ se magna ferunt aut pollicentur. Talis apud Theophrastum [a] vitis, quæ cùm folia emisisset nulla, nullaque proinde racemorum foret expectatio, fructum germinauit; & oliua similiter fructificans, cùm frondes ei omnes essent excussæ, καὶ ἄμπελος ἄνευ φύλλων ὤν, καρπὸν ἐνεγκεῖν· ἐλαία μὲν φύλλα ἀπέβαλε, ὁ δὲ καρπὸς ἐξήνεγκεν. Extat Ioannis Passeratij carmen encomiasticum de ficu [b], in quo inserit mentionem de nummo, cuius prior meminit citatus Pietius, in quo cum ficu inscriptio erat ambrosiæ nectarisque.

Malogranata.] De his libro [c] præcedente. Delectantur commemoratione huiusce arboris in Cantico [d] Canticorum sponsus & sponsa. His porrò quos ibi protuli, agnoscentibus in illius pomi granulis adeo aptè dispositis caritatem & nexum fidelium, necnon martyrij symbolum, verecundiæ decorum, coniunctionem virtutum, regium imperium: adiice alios qui de complexione omnium virtutum, vel de Christo ipso, & citantur à Michaële [e] Ghislerio. Nyssenus [f] thesaurum spei tanquam proprium animi fructum, vita virtuti consentanea, quasi quodam mali Punici cortice contineri ait: præterea [g], quemadmodum circumfusa exteriùs testa incomestibilis ac dura est; quod autem interius reconditur, visuique ob varietatem colorum, atque collationis ordinem, iucundum est, ac gustu iucundius; ita Christianam viuendi rationem exteriùs duram, atque asperam sensui esse; interiùs optimarum pulcherrimarúmque rerum plenam, tempore suo, cùm matura fuerit, dulcissimam suorum fructuum præstituram fragrantiam, quando agricola poma Punica huius vitæ aperiet, Christus nimirum in iudicio; vt expressiùs declarat Philo [h] Carpathius. Extat Sannazarij de malis Punicis elegás elegia [i], in qua præfert ea opibus & gemmis, quas tanto labore tótque nauigationibus conquirunt mercatores. Sic verò canit inter alia,

Aspice quàm tenui velemus cortice gemmas:
Iam tibi, quidquid habent littora rubra damus;
Seu vis purpureos roseo fulgore hyacinthos:
Infensum Baccho siue amethyston amas:
Ardentes seu quæ terres imitantur, & ignes,
Seu mage diluto lumine chrysolithos.

Deinde quæ inferant diuitiæ incommoda, narrat horum pomorum vtilitates desetibit vel ad intuendum, vel ad degustandum, vel ad pacem amorémque denotandum, quasi hoc ipsa de se loquentia edant elogium;

Pacis opus sumus, & pacati munus amoris
Quod cupit a Satyro Nais amata suo.

Attaxerxi per Persidem equitanti miles malum Punicum maximum in vanoo obtulit: cuius magnitudinem mitanti ac interroganti è quónam horto deptomptum tale donum attulisset, cùm respondisset è domo sua, propriisque agris; rex regiis muneribus eum ornauit, atque ciuitati cuidam præfecit, dicendo posse tali diligentia ex parua reddere ampliorem [k].

Et oliueta nascuntur: terram olei ac mellis.] Iuxta reliquas editiones (*terra oliua, olei, & mellis*) aut iuxta Chaldæam (*terra cuius oliuæ faciunt siue producunt oleum, & ipsa facit mel*) quamuis יצהר *semen*, & שמן *mischa* significent etiam quodnis vnguenti genus. Quare posset videri breuiùs dici debuisse in nostra omittendo (*oliueta nascuntur*) & in aliis satis fuisse terram olei ac mellis: olíueta enim oliuas proferunt, ex his autem oleum conficitur. De oliua oleóque, & de melle dictum alibi. In laudes oliuæ carmina extant Ioannis Passeratij, & Petri Albini; legique possunt quos nominaui agens de ficu, tam de hoc argumento, quàm de ape, cuius mel opificium est, qui quod attinet ad apem in amphitheatro sapientiæ Socraticæ non exiguo numero recensetur. Accuratior est [a] Vlysses Aldrouandus in ape & melle, refértque circa tam admirabilis rei notitiam diu ac plurimum laborasse Aristodemum Solensem, Aristomachum, Phylesium Thasium [b], Menum Samnitem: Lucianum verò appellasse μέλιτταν σοφὴν ζῷον μέλιτος ἐργάτιν, *apem sapientem diuini mellis effectricem* (cœleste donum cognominant Virgilius [c], & Plinius [d]:) etymon censeri ἀπὸ τοῦ μελέτης, *à quadam meditatione*, cura, exercitio, diligentia. Longam vitam comparari Democritum ferunt dixisse ac incolumem, corporis externas partes oleo, melle internas illinendo. Quin & Democritus ipse odore solo mellis quod in vase ad lectulū collocauerat, dies aliquot vixisse memoratur. Denique quod sæpe occurrit ad promissæ terræ faciens commendationem, vt fluxisse lacte melléque diceretur, & vino abundasse, atque oleo, cum frumento; id legimus celebratum quantum ad lac, vinum, mel ab Euripide [e], de saltibus Phrygiis, Lydiísque montibus, ad quos Liber pater sese receperat, & quorum flueret τὸ πέδον γάλακτι, οἴνῳ, μελισσῶν νέκταρι, *solum seu terra lacte, vino, apum nectare.* Legatur Plinius [f] de mellis laudibus. Varro [g] mel Diis & hominibus acceptum affirmat: fauum venire in altaria, mel ad principia conuiuij, & in secundam mensam administrari.

Vers. 9.] Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur.

Copiam & abundantiam rerum ad victum spectantium, quas promissa terra ferret, colligit generaliter ex paulò antè numeratis; ita vt fames, caritas, penuria futura non esset: dúmodo tamen in diuinorū custodia mandatorū perseuerarent; recedentes enim ab ea famē passuros minatur c. 29. [h] & 32. [i] ac propter inobedientiā passos esse constat [k]. Addit res alias vsibus humanis vtiles, præsertim metalla ferri & æris ac similia, quibus coli terra posset, atque alia opera confici artium variarum, vel etiam arma bellis idonea. Mysticè Procopius lapides ferreos aptat sanctis super terram volotatis, & ad tentationes infractis, citans ex nescio quo alio loco, in terram sanctam lapis non importatur, quia lapides eius ferrei sunt: metalla verò æris, ex quo armaturam spiritualem contra vites inimicas certaturi instruxerunt. Glossa interlinearis explicat de doctrina firma, vel sanctis inuincibilibus & eminentibus cum sonoritate prædicationis: vt priora, de fluminibus doctrinæ, frumento Euangelij, hordeo legis veteris; vineis feruentis doctrinæ; ficubus dulcis sapientiæ; malogranatis congeriei virtutum; olíuetorum oleique operum misericordiæ; mellis caritatis; panis eius qui de cœlo descendit. Carthusianus cum præcedentibus hæc applicat ad religiosum statum, in quo affligimur per opera pœnitentiæ, quotidianámque mortificationem, vt penuriam abstinentiæ; datur verò

Marginalia (left column): a 2. de plāt. c. 4. — b in amphithea. sap. Socraticæ pag. 206. — *Malogranata, siue Punica.* — c c. 13. 20. c. 20. 5. — d c. 4. 3. 13. c 6. 10. c. 7. 12. c. 8. 2. — e in Cant. 4. versu 13. — f ora 15. in Cant. — g lib. de vita Mosis. — h in Cant. c. 6. — i lib. 2. eleg. 7. — k Ælian. 2. var. hist. c. 33.

Marginalia (right column): a in Alcyone. — b Plin. lib. 21. c. 9. — *Mellis etymon.* c 4. Georg. — d lib. 11. c. 14. — *Mellis Laus.* — e in Bacch. — f li. 11. c. 12. 14. 15 & li. 22. c. 24. — g 3. de re rust. c. 16. — *Paraphr.* — h vers. 48. & seqq. — i vers. 24. — k 4 Reg. 4. & 6. & 8. & 19. & 20. & 25. & Esa. 38. & Ioel. 1. 2. & seqq. c. 2. 25 Rut. 1. 1 Reg. 21. 2. Esd. 5. Esa. 5. 13. Ier. 14. 12. 15. c. 15 2. c. 14. 10. c. 29. 17. c. 34. 17. Ezech. 5. 12. 16. c. 6. 11. Amos 4. 6. Agg. 1. 6. 10 c. 2. 17. — *Lapidum ferreorum aptatio mystica ex Procopio.*

verò manna Eucharistiæ: vestimenta virtutum non veterascunt: vbi aquæ doctrinæ, sapientiæ, gratiarum; frumentum, hordeum, vineæ scripturarum vtriusquè Testamenti, & spiritualis iucunditatis. ficus, malogranata, olíueta ex delectatione operum bonorum: oleum & mel pietatis, & pacis internæ: lapides ferrei hominum, ex quibus construitur Ecclesia, pérque patientiam omnia sustinent veluti adamas & silex [a]: metalla æris ex montibus effossa, id est, exempla constantiæ, ac efficacia sermonis sanctorum. Glossa ord. in parte morali per lapides ferri simplices vult intelligi ob firmitatem fidei, quæ frequenter magis viget in eis, quàm in literatis: per montes prælatos ac Doctores, qui vt æs & metalla alia, edunt sonum prædicationis, diuinæque laudis. Attamen Ieremiam [b] Deus vt columnam ferream positurum se prædixit.

Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum.] Secundùm reliquas editiones (*terra in qua sine mendicitate*, seu *paupertate comedes panem tuum.*) Mendicitatem valent מִסְכֵּנוּת *mischenuth*. Hebraicè atque Chaldaicè, & Græcè πτωχεία: de quibus vocabulis egi alibi notans ex iis videri sumpta Italica *pitocco* & *meschino*. De penuriæ verò nomine paulò antè [c] dixi pro fame; & alibi de panis, pro quolibet cibi genere.

Et rerum omnium abundantia perfrueris.] In aliis editionib. (*non deficies*, seu *non egebis omnibus*, siue *aliquo in ipsa.*) Quare necessaria non est annotatio Carthusiani, perfrui hîc poni pro vti, cùm sit solo Deo fruendum; ac in ea notione Paulum scripsisse [d]; *ita frater ego te fruar in Domino*, id est, vtar cum delectatione ὀναίμην cum allusione ad Onesimum, de quo agebat. Cui similis ad Romanos [e] formula; *spero quòd prateriens videam vos & à vobis deducar illuc* (in Hispaniam) *si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Eodem sensu idem Apostolus [f] scripsit; *qui præstat nobis omnia abundè, πλουσίως, ad fruendum.* Illa porrò distinctio fruendi & vtendi quam Magister [g], postque illum scholastici, ab Augustino [h] acceperunt, vetustioribus Latinæ linguæ auctoribus ignota est. Cicero namque, & alij frui vsurpant, vt est idem, quod capere vtilitatem, ac voluptatem ex aliqua re: quamuis idem [i] Augustinus locum posteriorem Pauli sic exponat, vt omnia Deus præstiterit temporalia & æterna; sed magis ad fruendum æterna, temporalia tanquam viatoribus, æterna tanquam habitatoribus; temporalia, vnde bona faciamus; æterna, vnde boni efficiamur. Similia locis [k] aliis exempla sunt de fruendi verbo, seu perfruendi: Prudentius [l] Deum inducit loquentem,

> *Sed tamen esse modum voluit, pacisque fruenda*
> *Moribus indulsit, quantum sibi posceret vsus.*
> *Non vt captus homo studiis, & inaniter ardens*
> *Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum.*

Item commune probis & improbis facit frui bonis temporalibus.

> *Sic probus atque reus capitalis criminis iisdem*
> *Sideribus facilisque poli bonitate fruuntur.*

Tandem [m],

> *Felix qui indultis potuit mediocriter vti*
> *Muneribus, parcùmque modum seruare fruendi.*

Grammatici frui propriè synonymum faciunt verbo vesci, à frumine summa parte gulæ. Certè illius status beatorum est, rerum omnium abundantia perfrui, vbi apparenti gloriæ Dei satiantur [n]; consistitque in omnium aggregatione bonorum; ac repletur in omnibus bonis desiderium [a], & in abundantia cœlestium turrium, cum pace in virtute [b]: denique ostenditur ibi omne [c] bonum. Præcedente loci nostri membro indicatur malorum absentia; isto autem præsentia bonorum: quæ duo ad beatitudinem requiruntur; vt nempe gaudium & lætitia obtineantur, fugiat verò dolor & gemitus [d].

[a] Ezech. 3. 9. — *Lapides ferri pro simplicibus.* — *Montes pro prælatis.* — [b] c. 1. 18. — *Explanatio.* — *Penuria pro fame.* — [c] v. 3. — *Panis pro quolibet cibi genere.* — [d] ad Phil. ver. 20. — *Fruor pro vtor.* — [e] c. 15. 24. — [f] 1. Tim. 1. 17. — [g] 1. d. 1. — [h] 1. de doct. c. 3. & seqq. & c. 22. 31. 33. 10. de Trin. c. 10. & 11. l. 11. c. 25. 11. de ciuit. c. 25. l. 35. c. 7. — [i] serm. 5. de verbis Dom. c. 10. — [k] Gen. 38. 16. Deut. 28. 41. c. 33. 23. Esthe. 3. 2. Prou. 7. 1. 32. c. 18. Eccle. 2. 1. 10. c. 5. 17. 18. c. 6. 6. c. 7. 15. c. 9. 9. Sapien. 2. 6. — [l] ps. 2. contr. Symmach. — [m] in hamartige. — *Frui idem quod vesci.* — [n] ps. 16. 15.

Cuius lapides ferrum sunt.] Repetunt editiones aliæ terræ nomen hoc modo (*terra, cuius lapides eius ferrum.*) Fodinas intelligit, ex quibus lapidea eruantur, vnde fit ferrum: siue materia quædam instar luti durissimi, ac tanquam lapis niger, qui per ignem purgatur, solidiórque redditur. Indicatur id in libro Iob [e] (*ferrum de terra tollitur:* quemadmodum & de ære, cuius hic mentio sequenti membro (*& lapis solutus calore, in æs vertitur.*) Vbi Gregorius [f] tropologicè de terra leuari ferrum docet, cùm fortis propugnator Ecclesiæ, à terrena, quam priùs tenuit, actione separatur; sicut à terrenis negotiis Matthæus [g]; cuius lingua quasi acutissimo gladio, Euangelij administratione Dominus in fidelium corda transfixit: & qui infirmus priùs, despectúsque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cœlestia prædicamenta. Lapidem quoque solutum calore, in æs verti ait; quando dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur: & peccator qui priùs insensibilis extiterat, postmodum & per auctoritatem fortis, & per prædicationem sonorus fit. Inter præcipuas res necessarias vitæ humanæ ἀρχὴν, principatum summámve illarum recenset auctor Ecclesiastici [h], cum aqua, igne, sale, lacte, pane similagineo, melle, botro vuæ, oleo, vestimento, ferrum, & quidem tertio loco post aquam ignémque: quæ omnia sanctis in bona; impiis & peccatoribus in mala conuertantur. Ferri quidem necessitas, vt priùs attigi, est ad arandum, & ad omnes ferè artes. Plinius [h], vt alibi [i] retuli, optimum nominat pessimúmque vitæ instrumentum, ferrum: quod pluribus verbis demonstrat: & nos cum eodem & aliis. Citato loco Iob ferrum de terra tolli (Hebraicè & Chaldaicè de puluere, מֵעָפָר *mehhaphar*, & מֵעַפְרָא *mehhaphra*) indicat ferri fodinas non esse adeò profundas, & illius materiam valdè terream, velutique puluerem, qui compingatur & formetur in ferrum. Petrosam aiunt esse, inquit Caietanus, terram feracem ferri: hícque ait significari terram habentem mineras ferri & æris. In benedictione Aser iustà c. 33. [k] ponitur, quod ferrum & æs essent calceamentum eius. Extat in ea tribu Sarepta; quæ nomen id videtur obtinuisse à metallaribus fornacibus; צָרַף *tsaraph* enim idem est quod *conflauit*. Ab iisdem fodinis Libanus celebris erat; vnde cognomen putant Chalcolibano, quæ species electri est, aut orichalcum, aut præstantissimum æris fusilis genus, quia in Libano monte foderetur: quamuis velint alij thus esse quod speciem referat æris: λίβανος namque *thus* valet. Rickelius lapides ferrum interpretatur, quod in soliditate aut valore æquipararentur ferro: aut quia in terris saxosis sint mineræ ferri. Hugoni prior expositio placet, quia duri essent lapides dictæ terræ, ac ædificio apti: posterior, præter Caietanum, quem retuli, est Lyrani, & communis, atque verior: quamuis etiam cognominati muri ferrei, possint significare lapideos, fortissimos, vt quando scribitur, Machabæum cum suis paratos fuisse, vt non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos, penetrarent

[a] ps. 102. 5. — [b] ps. 121. 7. — [c] Exod. 33. 19. — [d] Esa. 35. 10. — [e] c. 28. 2. — [f] 18 mor. c. 16. & 17. & habetur c. ferram d. 50. — [g] Matth. 9. 9. & seqq. Marc. 2. & seqq. Luc. 5. 27. & seqq. — [h] c. 39. 31. 32. — *Ferri necessitas.* — [h] l. 34. c. 14. — [i] in Eccl. 10. 10. — [k] v. 25. — *Lapides pro ferro.*

netrarent [a]. Figuratam illam locutionem imitantur apud Zachariam [b] muri ærei.

[a] 1. Macha. 11. — [b] c.6.1.

Et de montibus eius æris metalla fodiuntur.] Ex editionibus aliis habetur duntaxat (*educes æs*, aut *succides*, seu *excides*, aut *effodies*, תחצב *thachtsob*, תחפר *thachpor*, μεταλλεύσεις). Ad hoc Græcum verbum respiciens Interpres noster duplici vocabulo visus est (*metalla fodiuntur*) exprimendo simul æs quod editiones reliquæ ponunt, Hebræa & Chaldæa נחשת *nechosceth* & נחשא *nechoscha*: Græca χαλκόν: explicaréque videtur per æs diuersa metalla Abulensis, affirmans esse generale nomen ad omnia metalla: cùm alij passim attendentes ad alios textus de solo ære vel chalybe declarent, nec vim faciant in metallorum distincta voce. Equidem æs non reperi genericè sumptum pro metallis: licèt verò aliqui etymon eius tradant ab ארץ *erets*, & γαῖα, quæ terram significant; quòd in terra lateat, & eruatur ex ea (effodiuntur [c] enim opes: ab ope, id est, à terra:) deriuant alij ab auro, cui simile est in colore; vel à splendore æris, Corinthium quidem æs, omnium cõmixtio est metallorum, quod casus, inquit Isidorus [d], primum miscuit, Corintho cùm caperetur, incensa, quando Annibal omnes statuas æneas, & aureas, & argenteas in vnum rogum congessit, & eas incendit: fabríque ex hac commixtione sustulerunt & fecerunt patapsides. Prior de illo ære Corinthio id scripserat Plinius [e], & alij quos noster citat Pineda [f]. At ipsum nomen æris promiscuè metallum quoduis posse significare nondum comperi: sed cum addito æs argenteum, aureum, ferreum: vel per synecdochen pro auro [g]. Æris metalla pro metallis æreis Plinius [h], Virgiliúsque [i] vsurpant: eo autem genitiuo non tam id quod è terra effoditur, quàm venæ, loca, fodina, minera in quibus reperitur, intelligi videntur. Sic enim etiã dicuntur metalla miniaria, plumbaria, argentaria, aurifera, &c. docétque Etymologistes μέταλλον esse τὸν τόπον, ἐν ᾧ χρυσὸς τίκτεται, *locũ in quo aurum gignitur*. Fortassis æris metalla pluraliter innuunt hoc loco tria eius genera regulare, coronarium, caldarium [k]. Etymon autem μετάλλων Eustathius [l] reddit à μετὰ & ἄλλα, nempe διὰ τὸ μετὰ τὰ ἄλλα πάντα ἐπινενοῆσθαι, quia post alia ad vitam necessaria innotuerunt. Sed Plinius [m], quoniam vbicumque vna inuenta est vena argenti, (eadémque de aliis ratio) non procul inuenitur alia: vnde μέταλλα, inquit, Græci videntur dixisse. Quid si deducatur à מטיל *metil*: quod semel extat in libro Iob [n], *ossa eius velut fistulæ æris*, מטיל ברזל *chimtel barzel*. Quod alij vertunt virgam, baculúmve. Inter varios æris vsus triplex potissimum fuit, & ad arma ante ferrum; & ad sacra; & ad pecuniam. De primo ceteros [o] Lucretius,

> *Posteriùs ferri vis est, ærisque reperta:*
> *Et prior æris erat, quam ferri cognitus vsus.*

De secundo Rhodiginus [p] Cerdáque [q] noster cum iis, quos proferunt: fauétque nomen נחשת *nechosceth*, à נחש *nachas*, *augurari*: & eius soni nomen, quod serpentem significat, qui seruiebat auguriis, & incantari solebat: tum præterea, quoniam in templo Salomonis frequentissimè adhibitum est; quamuis etiam & ferrum. Tertius adeò notus est; vt per absolutum æris vocabulum, vt & χαλκὸν, pecunia intelligatur. Addit Isidorus [r] vsum arationis, vasorum, perpetuitatis monumentorum, ac legum: & quòd antè didicimus ex Lucretio, apud antiquos prius æris, quàm ferri vsum cognitum; fuisseque in pretio magis, quam aurum & argentum, quæ duo etiam propter inutilitatem reiicerentur; cùm nunc, versa vice, iaceat æs; aurum summo cesserit honori, iuxta illud [a],

> *Sic voluenda ætas commutat tempora rerum:*
> *Quod fuit in pretio, fit denique nullo in honore.*

Legi possunt quæ de serpente æneo disputaui libro priore, & Sapientiæ [b]. Ceterùm quod hic scribitur de montibus fodi metalla, inde aliqui [c] putant montes appellatos Hebraicè הרים *harim*, quasi concipientes: & grauidi, ac tumentes metallis: atque hoc ipsum istiusmet loci nostri testimonio comprobant. Verùm aliunde passim trahi notationem nominis הר *har* Grammatici volunt, non ab הרה *harah*, quod concipere significat.

Æs varie men. — Etymon æris. — [c] Ouid. 1. metamorp. — [d] l. 16. etym. c. 20. — [e] l. 34 c. 2. & 3. — [f] 5. de reb. Salom. c. 5. §. 11. & in Iob. 20. 24. — [g] l. 159. D. de verb. signif. — [h] l. 7 c. 56. — [i] Georg. 2. — Metallum quid & vnde. — [k] Plin. l. 34. c. 8. — [l] in Iliad. α. & Odyss. α. — [m] l. 33. c. 6. — [n] c. 40. 13. — Æris vsus triplex. — [o] l. 5. — [p] l. 19. c. 20. l. 29 c. 6. — [q] in 1. Æn. v. 445. not. 7 & in l. 4. v. 515. not. 2. — [r] l. 16. etym. c. 19. — [a] l. 5. — [b] c. 16. 15 & seqq. — [c] Agellius in ps. 148. v. 9.

Vers. 10.] Vt cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.

EX enumeratis promissæ terræ muneribus & beneficiis quibus abuti pronum est, munificique benefactoris obliuisci, monet Moses, gratiarum actionem à Deo requiri, & laudem ipsius. Hoc iam priùs monitum traditum est c. 6. [d] Iacob vouit habiturum se Dominum in Deum, si daret ipsi panem & vestimentum [e], quia istorum bonorum copia facilè ad negandum Deum incitat [f]: prodit ex adipe iniquitas [g], ex saturitate mœchia luxuriáque [h], hoc est, infidelitas, ex repletione illorum, repletio dolorum [i]; his abundans contra omnipotentem roboratur [k]: ne videlicet comedentes & saturati obliuiscantur Domini. Eo dicti c. 6. loco disserui de pio ritu mensam consecrandi ante pósque sumptionem cibi. Apostata Munsterus ex auctore libri Arba Tura, & ex R. Racanati, & ex libro centum benedictionum, necnon Oleaster, & Paulus Fagius recensent Hebræorum ipso Christo vetustiorum circa hoc traditiones, quas indicant in genere Euangelia, vt de hydriis [l], de lotione & vnctione [m]. Non erat absque mensa instructa edendum: manus priùs lauandæ & tergendæ. (In Euangeliis [n] habetur crebrò id fieri solitum πυγμῇ certatim ac veluti pugillatim, id est, curiosè, quod valet Syriacè בשליחא *betslaith*: vel si legas πυκνὰ *crebro*,) circa quod præcipiebant, vt stantes lauarent, nulla re innixi; aqua pura esset; tribus vicibus super manus infunderetur, & quidem prima vice sursum leuando digitos, deinceps demittendo; vtramque simul manum lauando, non vnam post alteram; bis autem si quis è cloaca ad mensam accederet: in lotura manuum sinistram substruere dextræ oportebat: benedictiones recitari debebant: aliquid pauperibus dandum de cibis: cauenda voracitas & gulositas, edendúmque cum timore Domini, & cum honestate: mensa non peragenda absque verbis legis: postremò post cibum manus abluendæ. Origenis [o] autem aliis dicto allatis loco adiunge testimonium: *Et videlicet hoc verum, ait, cùm manducamus vel bibimus, si dei memores fuerimus, si terribile nomen eius inuocauerimus: si nosmetipsos, vel cibum & potum nostrum signo venerabilis crucis Christi signauerimus: si ad cœlum oculos nostros leuantes, dicamus* [p]: *Qui das escam omni carni, da etiam nobis cum benedictione hunc cibum sumere: si dixerimus cum synceritate ad Dominum nostrum: Tu dixisti Domine, quia* [q] *si aliquid mortiferum biberimus,*

tuum

Paraphr. — [d] v. 11. 12. 13. — [e] Gen. 28. 20. — [f] Prou. 30. 9. — [g] ps. 72. 7. — [h] Ier. 5. 7. — [i] Esa. 2. 6. — [k] Iob. 15. 25. — Ritus consecrandi mensam ante & post sumptionem cibi cõmendatur. — [l] Ioan. 2. 6. — [m] Matt. 15. 2. Marci 7. 3. Lucæ 7. 38. 46. Ioan. 12. 3. — [n] Marc. 7. 3. — [o] lib. 3. in Iob. — [p] ps. 135. 25. — [q] Marci 16. 18.

tuum inuocantes nomen, non erit nobis molestum. Tu itaque Domine virtutis & gloriæ, auerte veneficam & iniquam operationem à nobis, & ab omnibus cibis nostris. Nisi enim tua misericordia conseruauerit, quomodo possumus effugere tanta pericula ciborum sanè ac potuum, quæ frequenter plus reptum ac serpum, quam maligna ac venenosa bestia? Non priùs discumbitur, ait Tertullianus [a], *quàm oratio ad Deum prægustetur: atque oratio conuiuium dirimit.* Rursum Origenes [b]. *Vbi gratias egimus, pane vescimur: quia vtique oratione & precibus sanctum quoddam corpus conflatur; quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipso vtuntur.* Chrysostomus [c] mensam quæ ab oratione sumat initium, & in oratione desinat, negat vnquam defecturam, sed fonte largiùs, omnia nobis allaturam bona. Solitos testatur Essenos Iosephus [d] cibum voce sacerdotis anteuertere, nec fas fuisse illum gustare, nisi Deo priùs celebraretur oratio: post finem vota repetita: cúmque inciperent & desinerent, quasi datorem victus Deum laudibus decantatum. Turcas id factitare certum est. Extant præterea in rituali Hebræorum variæ super cibos benedictiones ac gratiarum actiones: à quibus nec abhorruit Christus, cùm aliàs, tum in cœna vltima. Paulus [e] quoque nihil ex cibis reiiciendum præcipit, quod cum gratiarum actione percipitur; quoniam sanctificatur per verbum Dei, & orationem. Constat & apud Gentiles in mensa pocula dapésque libatas diis [f]. Formulas Christianas referunt Clemens [g] Romanus, Athanasius [h], Basilius [i], Chrysostomus [k], & vltimus [l] poteos nominat, qui cùm iam comederint, euersa calcibus mensa, gratiis non actis, temulenti consurgunt. Plura de hoc argumento Ioann. Gulielmus Stuckios licèt hæreticus, in antiquitatibus conuiualibus [m]: & longè accuratiùs religiosiúsque Iulius Nigronus noster tractatu ascetico proprio: qui post hæc quæ iam scripseram, venit in manus meas. In eo rem omnem demonstrat lege naturæ seu Gentilium exemplo, afferens Quintilianum [n], Liuium [o], quem citaui; Heliodorum [p], Athenæum [q] de Atheniensibus, & de Naucratitis [r]; Porphyrium [s] de Samanæis gymnosophistis, Nicolaum [t] Trigautium nostrum de Sinis: rursus Athenæű [u] de libationibus gratiarúmque actione. Deinde profert ritualem librum Iudæorum cum Baronio [x], ex 1. [y] Regum de Samuele, qui dicitur comesturus non fuisse, nisi benediceret hostiæ, Chaldaicè *super cibum*: item Aristeam [z], qui tradit iussisse Mosem vt à mensis poculísque inciperent Deum laudare, seu cùm mensæ accumberent: Danielem, qui allato prandio ad se ab Abacuc, videtur egisse gratias, dicendo [aa], *recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te*; vt obseruauit Prudentius [bb]: Christum, qui post cœnam hymnum dixit [cc], vt ipse quoque obseruaui, allatis auctoribus sic intelligentibus, quibus addendus Alcuinus [dd] citans Hieronymum: sed & quòd quater legatur cibis benedixisse, quando quinque panes multiplicauit [ee], & septem [ff]; in vltima cœna [gg]; post resurrectionem [hh]. Quibus Christi exemplis idem confirmant Euangeliorum expositores, atque Concilium Nannetense [ii]. Citat præterea traditionem ex Paulo [kk], & ex vetustiorib. Patrib. præter nominatos à me, Clementem [ll] Alexandrinum, Ambrosium [mm], Hieronymum [nn], Cyrillum [oo] Alexandrinum, Isidorum [pp] Pelusiotam, Sozomenum [qq], de Theodosio Imperatore iuniore; Petrum [rr] Siculum de Manichæis hæreticis, Ephrem [ſſ]. Adiicit

a apolog. c. 39.
b 8. contra Celsum.
c hom. 79. ad pop.
d 2. de bell. c. 7.
e 1. Tim. 4. 4.
f Liuius lib. 39 & alij.
g 7. const. c. 50.
h de virgin.
i epist. 1.
k hom. 57. ad pop.
l hom. 83. in Matth.
m l. 2. c. 36.
n declam. 301.
o l. 39.
p in Æthiopicis.
q l. 2. c. 1.
r lib. 4.
s 4. de abstinen. & esu anim.
t 1. de expe. Sinarũ c. 7.
u l. 1. c. 9. & l. 4.
x in 1 anno 34. n. 65.
y q. 13.
z de 72. Interp.
aa Dan. 14. 27.
bb hymno de hac re.
cc Matt. 26. 30. Marci 14. 26.
dd ep. 106.
ee Ioan. 6. 11.
ff Marci 6. 41. Lucæ 9. 16.
gg Matth. 26. 26.
hh Luc. 24. 30.
ii c. quando autẽ d 44.
kk Actuum 27. 35. 1. Cor. 10. 31. 1. Tim. 4. 4.
ll 2. pædag. c. 4. & 9.
mm 3. de virg.
nn epist. 22.
oo 3. in Ioa. c. 17.
pp l. 1. epist. 384.
qq præfat. hist.
rr hist. Manich. p. 33.
ſſ tomo 2. adhort. 1.

A legem ecclesiasticam, & Concilia: vsum religiosorum, multiplicem rationem: varias formulas: perfectiones in iis requisitas. Chrysostomus [a] porrò hinc infert, nil obesse spirituali si præcedat corporalis cibi sumptio, sed post hanc etiam vacari posse, ac debere verbi diuini auditioni; túncque etiam potissimùm conuenire, vt spirituale conuiuium proponatur, ne post satietatem cibi corporalis, anima torpere, & deses fieri incipiens, μετὰ τὴν πλησμονὴν τῆς σωματικῆς τροφῆς ῥαθυμοῦσα, in perniciem aliquam ruat, & locum det diaboli machinationibus, qui nullo non tempore obseruat num ferire commodè queat.

Vt cùm comederis, & satiatus fueris.] Enunciant B hæc editiones aliæ non causaliter, sed absolutè, ac imperatiuè per futurum tempus (*& comedes*, &c.) Quid importet verò satietas, saturitásve, nempe sufficientem perceptionem cibi citra etiam vitium, & excessum notauimus alibi. Satiari à satis, indicat quantum satis est comedere: licèt aliqui [b] hoc verbum ad omnes sensus attinere dicant. Saturare propriè ad vnum gustum; translatè vtrumque ad animum & ad alia: quidam [c] satis velint notam mediocritatis sumptam ab agricolis post sementem factam, perinde atque si dicant; satis frugibus, non præterea laborandum. Inebriandi verbum similem vsum habet in scripturis diuinis [d], nempe pro eo quod liberaliter & largiter, quantúmque quis voluerit bibere, vt C de conuiuio Assueri proditum [e] est. Quod inde etiam patet, quia dicuntur nonnulli comedisse nec esse satiati; bibisse, & non inebriati [f]. Lege Hieronymum [g] & Augustinum [h].

Benedicas Domino Deo tuo.] Verbum benedicendi, & בָּרַךְ *barach*, & εὐλογεῖν aliis locis declarata sunt. Ad rem facit quòd Hebræi בְּרֵכָה *berachah* vocant piscinam, & fontem exuberantem; atque benedictionis vocabulo vtuntur pro copia & affluentia, sicut & abundantia ab vndis dicatur. Rependi largissimo largitori Deo pro benedictione tali, quæ hactenus descripta, est benedictio, hoc est, effusa laudatio & summa gratiarum actio debet. Psal. 21. [i] cecinit Dauid; *edent pauperes, & saturabuntur; & laudabunt eum qui requi*- D *runt eum*: in [k] Actibus autem Apostolorum narratur quod quotidie perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant primi fideles cibum cum exultatione, collaudantes Deum. Helluones, & gurgites, quorum Deus, non illaudato solùm, sed contempto etiam vero Deo, venter est, sic mihi videntur in ventrem escas cum ingluuie iniicere; quomodo pecuniam. sic in quosdam vt denarium in cloacam cadere Seneca [l] scribit.

Pro terra optima.] Positiua sunt, טוֹבָה *tobah*, טוֹב *tob*, ἀγαθή, sicut in hoc libro priùs [m] aliquoties, & alibi: Hebraicè autem & Chaldaicè עַל *hhal*, valet *super*.

Quam dedit tibi.] Additur Græcè (κύριος ὁ θεός σου, *Dominus Deus tuus*.) Hebræum autem Chal- E dæúmque verbum est etiam præteriti temporis; cùm soleant alioquin editiones hæ vti participiis, quæ omnia tempora recipiunt, vt multoties monuimus.

a hom. 10. in Gen.
Explanatio.
Satiandi verbum.
b Valla 5. eleg. c. 78.
c Iul. Cæs. Scalig. in Theoph. de plantis.
Et inebriandi.
d Cant. 5. 1. Agg. 1. 6. Gen. 43. 34.
e Esthe 1. 8.
f Aggæi 1. 6.
g in Ier. 31.
h q. 144. in Gen.
Benedicendi verbum.
i v. 27.
k c. 2. 45.
l epist. 87.
m c. 3. 25. c. 4. 21. c. 6. 18.

Vers. 11.] Obserua, & caue ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie.

Prospe

Paraphr. PRosperitas pronos reddit ad obliuionem conferentis eam, seu benefactoris: inducitque facillimè in contemptum præceptorum illius. Quod ne contingeret Hebræo populo, sæpiùs Moises commonet [a], distinctam faciens mentionem hic, vt & priùs non semel, mandatorum moralium, iudicialium ad mutuam inter se conuersationem propriè, iuxta peculiares quasdam iuris formas pertinentium, ceremonialium, qua spectant ad cultum Dei. Repetit Abulensis [b] quæstionem de triplici dicto genere præceptorum; considerans duplicem circa moralia in Hebræo populo obligationem, tum ea natura ipsa, quæ illa dictat omnibus; tum ea singulari Dei eadem tradentis Hebræis expressè, auctoritate: cùm reliqua duo genera solos Hebræos præcisè obligarent. Etsi porrò verus, ac sincerus Dei amor, in eum per se tendit vt bonus est: nihilominus quia illum esse, ac bonum esse non cognoscitur, nisi cognoscendo res ab eo creatas, eiusdémque beneficia; idcirco sublata rerum illarum, & beneficiorum memoria, sequitur tolli notitiam Dei quòd sit, atque quòd bonus; & consequenter existit obliuio præceptorum, vt notatur ab eodem Abulense [c]. Ambrosius [d] profert hunc locum cum his quæ sequuntur, aduersùs negligentes, quibus irrepit obliuio imperatorum; aut tumidos & elatos, qui arrogant euentus sibi, & bonum quod agunt: aut eos, qui quæ acciderunt bona, ea sibi propter prudentiam suam, cæterarúmque merita virtutum, iure dclata arbitrantur; propteréaque diuina dignos habitos gratia, quòd nequaquam viderentur indigni, quibus talia diuinis beneficiis prouenirent.

[a] sup c. 4. 9. 11. 31. c. 6. 12.

[b] q. 3.

[c] in expos. textus.

[d] 1. de Abel & Cain c. 7.

Explanatio. *Obserua, & caue.*] Vnicum est editionum aliarum verbum השמר לך *hisseiamer lecha*; לך השמר *isshammer lech*, πρόσεχε σεαυτῷ: legitque Ambrosius [e] (*attende tibi*) quo pacto idem verbum superiùs occurrit Græcè.

[e] supra.

Ne quando obliuiscaris Domini Dei tui.] Chaldaicè (*timoris Domini Dei tui*, ית דחלתא דיי אלהך *iath dechaltha da Iehouah Elahach*.

Et negligas.] Secundùm reliquas editiones (*vt non custodias*) vt Ambrosius [f] etiam legit. Neglectus contemptúsve formalis grauitatem adiungit peccato: negligentia vt omissionem dicit, est vniuersalis conditio cuiusuis transgressionis. Quod in Exodo [g] legimus (*neglexit sermonem Domini*) habetur Hebraicè, Chaldaicéque (*non posuit cor suum ad verbum Domini*) Græcè (*non attendit mente*, &c. μὴ προσέσχε τῇ διανοίᾳ.) Hoc loco negligere mandata neque contemptum seu neglectum formalem necessariò importat, qui ratiùs contingit; neque solam remissionem, aut priuationem actus intensioris, quæ sine peccato potest esse; sed vitiosam negationem debitæ curæ, attentionis, considerationis ad id præstandum quod imperatur; cùm quis re factóque paruipendit, & minùs est sollicitus quàm requiratur ve executioni mãdet imperata. Coniunguntur aliquando [h] negligens & paruipendens: dicitur quoque quis per negligentiam aliquid transgredi, atque delinquere [i]; qui timet Deum nihil negligere [k]; maledictus qui facit opus Domini fraudulenter [l], & negligenter רמיה *remijah*, בנכלה *benichla*, ἀμελῶς: qui namque detrahit de cura studióve quod adhibere debet circa opus Dei, defraudat illum in eo quod illi debebatur. Negligentiam Aquinas [m] ait esse defectum debitæ sollicitudinis secundùm interiorem actum: pigritiam esse tarditatem in exequendis præceptis prudentiæ: torporem remissionem in executione, postquam quis cæperit.

[f] 1. de Abel & Cain c. 7.

[g] c. 9. 21.

[h] Leu. 20. 4.

[i] Num. 5. 6.

[k] Eccl. 7. 19.

[l] Ier. 48. 10.

Negligentia, pigritia, torpor.

[m] 2. 2. q. 54. a. 1. in c. & a. 2. ad 2.

Mandata eius, atque iudicia, & ceremonias.] De his dictum sæpe. Apud Ambrosium legitur vltimo loco (*& iustitias illius*) vt & in textu Græco, καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, pro quibus reddi solent expressiùs iustificationes. Habent autem etiam editiones aliæ pronomen affixum vltimo nomini, & prioribus, necnon & Græca iisdem illis aliis.

Quæ ego præcipio tibi hodie.] Similia sunt in c. 4. [a] & 5. [b] & 6. [c] & 7. [d] & initio capitis nostri sub verbis proponendi, loquendi, mandandi, præcipiendi; & interdum secundùm cæteras editiones sub verbo dandi. Præcipiebat, mandabat, proponebat, loquebatur, dabat Moises præcepta non sua, sed Dei, pro quo legati, & legulatoris munere fungebatur ad populum: præsertim verò iamiam moriturus sic ea suamet persona loquebatur, solitus antea nomen ipsummet Dei explicitè interponere, vt aliàs admonui, & notat Abulensis, docens sic tenaciùs retenturos fuisse auditores quæ dicerentur: qui ipsi maxima ex parte nati in deserto non audierant legem quando primùm immediatè à Deo data est in Sinai; sed mortui erant qui in egressu de Ægypto habebant ætatis viginti annos & supra.

[a] v. 8.

[b] v. 1.

[c] v. 6.

[d] v. 11.

Vers. 12.] Ne postquam comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis.

Vers. 13.] Habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti & auri, cunctarúmque rerum copiam:

Vers. 14.] Eleuetur cor tuum, & non reminiscatis Domini Dei tui, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis.

Paraphr. MVltis verbis hîc & deinceps commendatur memoria diuinorum beneficiorum, ne illis affecti tradant obliuioni benefactorem Deum, & in superbiã extollantur, perinde ac si non is eorum auctor & largitor esset, sed suomet ipsi labore atque industria comparassent sibi. Nominantur in isto textu cum rebus ad victum pertinentibus, & ad habitationem, aliæ res quæ faciunt ad maiorem commoditatem voluptatémque, & in diuitiis censentur, vt sunt armenta bouilli generis, sub quibus iumenta generum aliorum comprehenduntur, vt equorum, mulorum, asinorum, camelorum, &c. item greges ouium, ad quos recensentur species omnes ouilli generis, cum capris, hœdis, atque similibus: præterea argenti & auri metalla, non solùm ferri, ærisque, quorum postremorum facta mentio priùs est, & per quorum quatuor numerum, cæteræ metallorum species possunt intelligi. *Iuxta pascua sua* (id est, quantum abundabant pascuis) inquit apud Oseam [e] Deus, *adimpleti sunt, & saturati sunt, & leuauerunt cor suũ, & obliti sunt mei. Et ego ero eis* (par pari referendo) *quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.* Comedentes & satiati facilè obliuiscebantur Dei: propterea Deus instituit in Eucharistiæ esca memoriam mirabilium suorum [f]; quod ipsum nomen bonam sonat gratiam, & gratiarum actionem: præcepitque Christus, vt quoties eam faceremus sacrificando, aut sumendo, in eius memoriam faceremus,

[e] c. 13. 6.

[f] Ps. 110. 4.

ceremus, siue commemorationem [a]. Tertullianus [b] hunc profert cum aliis veteris Testamenti locum, & ea nono alios contra Marcionem, vt ab eodem Deo vtriusque auctore doceat diuitiarum pericula exponi: præterea, vt persuadeat ieiunia, sed amariùs contra Catholicos, quos cognominat Psychicos. *Mentior, ait, si non Dominus ipse obliuionem sui exprobrans Israeli, causam plenitudini reputat.* Cæterùm paulò antè præmittit, *quotusquisque immemorit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris: nemo ita vt decet, ita vt par est, ita vt vtile est, recordabitur Dei in eo tempore, quo ipsum sibi hominem excidere solenne est.*

a Lucæ 22. 19. 1. Cor. 11. 24. 25.
b 4. contr. Marcion. c. 15.

Explanatio.

Ne postquam comederis, & satiatus fueris.] Sic versu 10. (*vt cùm comederis, & satiatus fueris.*) & in c. 6. [c] (*cùm comederis, & saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini.*) In Ambrosio [d] legitur, (*ne cùm manducaueris, & repletus fueris.*) Eodem pacto apud Tertullianum [e]. De potu nihil exprimitur; quia cibi vehiculum est, ac quorumdam opinione medicorum resoluitur totus in sudores & vrinas; licèt aliqui vitam solo potu protraxisse dicantur, seu illo tantùm vixisse [f]: videatúrque potus, quàm cibi gustatio suauior.

c v. 11. 13.
d 1. de Abel. c. 7.
e 4. cont. Marcion. c. 15.
f Hier. Mercur. de ratione victus in morb. acut. pag. 426. ex Athenæo.

Domos pulchras ædificaueris.] Ex Hebræo טבים *tobim*, reddi potest, *bonas*, quo pacto legit Ambrosius [g]. Tertullianus [h] verò, *magnas*; vel *optimas* [i]. Sed pulchras valet Chaldæum nomen שפירין *sciappirin*, & Græcum καλάς. In c. 8. [k] scribitur domos plenas opum datas, quas non extruxerant Hebræi, sicut ciuitates magnas & optimas, quas non ædificauerant, cisternas, quas non foderant, vineta & olíueta, quæ non plantauerāt. Synonymè plerumque bonum & pulchrum sumuntur, siue καλὴ καὶ ἀγαθή: vsurpant verò etiam Lusitani *belho*, quod pulchrum significat, pro bono. Aliquas Hebræi domos inuenerunt, ait Abulensis, & aliquas de nouo ædificauerunt; & vtræque ad obliuionem Dei illicitiuæ erant. Pulcher masculinè, an pulcer; & pulchrum ne aspiratè scribi oporteat vel pulcrum leniter, non moror. Qui secundum malunt, à polio deducunt: qui primum, à πολύχροος, & contractè πολύχρους multicolor, quia pulchritudo magna pars coloris [l] est: aut πολύχειρ multimanus, hoc est, fortis [m], iuxta id

g supra.
h supra.
i lib. de ieiu. c. 6.
k v. 10. 11.
Bonum & pulchrum plerumque synonyma.
Tò pulchri scribendi ratio.
l Christia. Beceman. in origin. Lat. ling.
m Iul. Cæs. Scal. de causis ling. Lat. c. 12.

—[n] *Satus Hercule pulchro*
Pulcher Auentinus.

Et, [o]

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar.

Certè propriè, aut vulgò accepta pulchritudo, habitui Herculis parum congrua; cuius in tergo leonis pellis, claua in manu: nec Auentino conueniens, qui describitur

n Virg. 7. Æn.
o Idem l. 1.
p lib. 7.

Ipse [p] pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta, cum dentibus albis
Indutus capiti.
Horridus, Herculeóque humeros innexus amictu.

Charisius [q] Varronem negare testatur pulcrum aspirari debere, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio: Seruius [r] refert apud antiquos eam recepisse sepulchrum, orchum, pulchrum. Hoc tanti non est. Sed editio nostra [s] crebrò pulchrum ponit, vbi est טוב *tob*.

q lib. 1.
r in 3. Geor.
s Gen. 3. 6. c. 6. 2. c. 24. 16. c. 41. 22. 26. Num. 24. 5. & alibi.

Et habitaueris in eis.] Postremæ dictiones duæ sunt etiam in textu Græco, legítque Ambrosius [t], additis aliis (*& habitare cœperis in eis*) sed absunt ab Hebræo & Chaldæo; licèt qui hunc transtulit Latinè, illas apposuerit. Non omnis qui ædificat domos, eas etiam habitat, quemadmodum non quisquis plantat, ex plantis fructum carpit, capiemus: *Domos quadro lapide ædificabitis*, inquit Amos [a], *& non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* Item Sophonias [b]; *ædificabunt domos, & non habitabunt; & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.* In c. quoque 28 [c]. libri nostri vna maledictionum est contra legis violatorem; *domum ædifices, & non habites in ea: plantes vineam, & non vindemies eam.* E contrario beatus prædicatur, cui labores manuum suarum manducare conceditur [d]: & vt de fructu manuum suarum plantet, detúrque ipsi [e].

t 1. de Abel c. 7.
a c. 5. 11.
b c. 1. 13.
c v. 30.
d ps. 127. 2.
e Prou. 31. 16. 31.

Habuerísque armenta boum, & ouium greges.] Absque vocabulis armentorum & gregum, quæ alibi docui distingui pro grandioribus & minoribus animalibus, quamuis quandoque synonymè sumantur; in aliis editionibus nominantur boues & oues multiplicati. Græcè cum genitiuis absolutis, καὶ τῶν βοῶν σου, καὶ τῶν προβάτων σου πληθυνθέντων σοι, *& bobus tuis, & ouibus tuis multiplicatis tibi.* Sed legit Ambrosius [f] (*& oues tuæ, & boues tui cùm repleti fuerint.*) Tertullianus [g] (*pecoribus, vel ouibus*) pecora verò Plinius, Quintilianus, & alij vsurpant interdum pro ouibus (*& bubus tuis multiplicatis.*)

f 1. de Abel c. 7.
g 4. cont. Marcion. c. 15. & de ieiun. c. 6.

Argenti & auri, cunctarúmque rerum copiam.] Ex editionibus aliis (*argento & auro multiplicatis tibi, aut cùm multiplicatum fuerit tibi; & omnia quæ tibi erunt, multiplicata.*) Tertullianus [h] exprimit solum argentum, vel pecuniam, & aurū: nec addit quod multiplicata fuerint: supplens videlicet ex præcedentibus. In Ambrosio [i] legitur (*& cùm ære, argento, & auro completus fueris, & omnia possidere cœperis, & plena fuerint horrea tua.*) Vnde obiter discimus, citari nonnunquam scripturas à Patribus, non præcisè secundùm verba, sed secundùm sententiam. De argento, & auro alibi: atque quo pacto argenti vocabulo nonnulli, sicut & æris, omnem pecuniam intelligant. Copiam aliarum rerum dicunt esse, aut facultatem aliquid faciendi: copias dici de exercitu; vel de commeatu & annona; vel de quibuscumque opibus: quamuis copia etiam singulari numero significet quandoque exercitum. Deducunt copiam à cum, & ope; nec in re modica copia est, ait Iulius [k] Cæsar Scaliger. Versu 9. dicebatur rerum omnium abundantia.

h ibidem.
i supra.
Argentū pro pecunia.
Copia vsus, illiusque etymon.
k in Theophr. de plantis.

Eleuetur cor tuum.] Græcè (*eleueris corde*, ὑψωθῇς καρδίᾳ) aut *corde tuo*, in bibliis Complutensibus, Regiis, aliísque (ὑψωθήσεται ἡ καρδία σου:) apud Tertullianum (*exaltetur cor tuum*) apud Ambrosium (*exaltes cor tuum*) quasi posterior legerit ὑψώσῃς voce actiua. Chaldaicè (*& roboretur*, vel *induretur cor tuum*, ויתקף לבך *vesthkoph libbach.*) Indurari, siue obdurari cor dicitur, aggrauari, seu ingrauari, obfirmari, exaltari, seu eleuari, aut subleuari, & efferri, superbum esse; siue altum, durum, indomabile, incrassatum, excæcatum, &c. quæ omnia epitheta cordi conueniunt hominis vtentis prosperitate. Adolescentulus Dauid & contemptus iustificationes Dei non est oblitus [l], sed victoriis iam elatus, post quas & adulter, & homicida fuit [m], & populum numerauit [n]. Cùm roboratus Ozias esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum [o] suum. Nabuchodonosoris post victoriam contra Arphaxat Medorum regem, exaltatum est regnum nimis, & cor eius eleuatum adeò, vt omnes Deos terræ deleri præceperit, vt solus ipse haberetur [p] Deus. Diues Pharao iactabundè dicebat; *Quis est Dominus* [q]? Salomon verebatur ne diuitiis satiatus illiceretur ad negandum, & dicendum, *Quis est*

l ps. 118. 141.
m 2. Reg. 11. toto.
n c. 24. 1. & seqq.
o 2. Par. 26. 16.
p Iudith 3. 13.
q Ex. 5. 2.

est Dominus [a] talis aiebat; *diues effectus sum, inueni idolum mihi* [b]; est enim auaritia idolorum seu simulacrorum seruitus [c]. Altissimo similis fieri volens ad infernum detractus [d] est. Efferens se supra alios homines abiectus est ad bestias [e], dicens Deum se esse & in cathedra Dei sedere, & eleuans cor suum quasi cor Dei, interiit & nihil factus est [f]: & superbè pronuncianti quòd ipse fecisset semetipsum, frenum positum est in maxillis [g] tanquam bestiæ. Antichristum extollentem se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, Dominus Iesua interficiet spiritu oris sui [h]. Rebus prosperè succedentibus pincerna oblitus est interpretis sui Ioseph [i]. In Capharnaum, cuius etymon villa pulchra vel consolationis, febricitat Reguli [k] filius æstu superbiæ; ipsaque Capharnaum peculiari quadam ratione ciuitas Christi [l], vsque ad cœlos exaltata, & in qua tanta fecit Christus [m], vsque ad infernum descendit [n]. Manasses frater Ephraim est; quia obliuio, quam priùs valet nomen, obliuionem, quam posterius, parere solet. Non intelligo, cur Hugo ad hæc verba (*eleuetur cor tuum*) dicat ad fidem, ad mores, ad ceremonias: nisi, *ad*, sumat pro, *aduersus*: eleuatio namque ista in malam partem accipitur.

a Prou.30. 9.
b Osee 13. 7.8.
Auaritia seruitus.
c Gal.4.20. Coloss.3.5.
d Esa.14. 14.15.
e Dan.4.22. & seqq.
f Ezech.28. 2.& seqq.
g c.19.3.4.
h 2.Thess. 2.8.
i Gen.40. 23.
Capharnaū etymon.
k Ioan.4. 46.52.
l Matt.9.1.
m Lucæ 4. 23.
n Matth.11. 23.

Et non reminiscaris Domini Dei tui.] Assertiuè ac positiuè in editionibus reliquis (*& obliuiscaris*) vt etiam legunt sæpiùs citati Tertullianus & Ambrosius: sed secundus in accusatiuo (*Dominum Deum tuum.*) Rectè autem admonet, quòd tunc obliuisceris Dominum, cùm oblitus fueris tui: si autem cognoscas infirmum te esse, cognosces Deum esse super omnia; & immemor esse non poteris, vt ei reuerentiam debitam soluas.

Sui obliuio.

---

*Vers.*14.] Eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis.

*Vers.*15.] Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima.

Paraphr.

Magnitudinem beneficij eú collatione multorum bonorum amplificat, declarando liberationem à multis & grauibus malis, tum educendo ex acerbissima Ægyptiaca seruitute: tum auertendo in itinere per vastum horribiléque desertum, à diris ac venenatis bestiis; tum aquæ inopiam diuino miraculo supplendo. Videtur Enarratoribus quæ hîc afferuntur de serpente, &c. alludere ad narrationem libri [o] præcedentis de morsibus serpentum, quibus iussu Dei serpens æneus in remedium propositus est: eumdémque locum velut eiusdem indicem notæ marginales Bibliorum ascribunt. Id nominatim affirmant Hugo & Caietanus. Indicat hic noster locus ipsū desertum infestum huiuscemodi feris: excitatos autem peculiariter serpentes illos alios ignitos in supplicium eorum qui murmurauerant. Aptari hæc deserti descriptio potest statui sæculari, si cum religioso comparetur, in quo cum sterilitate, ac spinis serpens flatu ardens immodicæ cupiditatis; scorpius carnis fraudulenter blandientis; dipsas diaboli latenter percutientis; nullæ aquæ, quia sitim animæ extinguere nullæ res temporales valent. Lege Iacobum [a] Aluarez nostrum.

o c.21.6.

a tomo 1. l.2.p.1.c.9.

Explanatio.

Eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.] Exposita sunt hæc priùs: & præcedenti textui adiecta.

Qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Sic etiam c.5. [b] & 6. [c] & 7. [d] quibus locis alia similia protulimus & exposuimus.

b v.6.
c v.13.
d v.8.

Et ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili.] Additur Græcè ἐκείνης τῆς (*per solitudinem magnam, & terribilem illam.*) In c.1. [e] vocatur eremus terribilis, & maxima solitudo: in c.2. [f] solitudo magna. Relege dictis locis annotata. Hoc loco Græcè pro (*eduxit te,*) ex priore membro, & ex hoc pro (*ductor tuus fuit*) est idem participium ἐξαγαγών: Hebraicè, Chaldaicéque diuersa מוֹצִיא *motsiach*, & מוֹלִיכְךָ *molichecha*, אַפְּקָךְ *appekach*, & דַּבְּרָךְ *dabberach*. In cap.1. [g] & 31. [h] dicitur Deus ductor הוֹלֵךְ *holech*, מְדַבַּר *medabber*, προπορευόμενος, quod vltimum præeuntem significat, seu præcedentem, vel συμπορευόμενος, *simul progrediens*, in libro autem Iudicum [i] pro (*ductor tuus*) Hebraicè (*egressus est ante te* יָצָא לְפָנֶיךָ *iatsa lephanecha.*) Chaldaicè (*Angelus Domini exiens ad prosperandum ante te,* מַלְאֲכָא דַּיְיָ נָפֵק לְאַצְלָחָא קֳדָמָךְ *malacha da Iehouah napher leatslacha kodamach*: Græcè (*Dominus ibit ante te,* κύριος ἐλεύσεται ἔμπροσθέν σου.) Exodi cap.15. [k] (*dux fuisti*) dicitur Hebræo verbo נָחִיתָ *nachitha*, Chaldæo דַּבַּרְתָּ *dabbartha*, Græco ὡδήγησας. Tandem c.32. libri nostri [l] (*Dominus solus dux eius fuit*) exprimitur per (יַנְחֶנּוּ *ianchennu*) quod idem valet, sicut & ἦγεν: sed Chaldaicè per (*collocare eos seorsum.*)

e v.19.
f v.7.
g v.30.
h v.6.
i c.4.14.
k v.13.
l v.12.

In qua erat serpens flatu adurens.] Hebraicè נָחָשׁ שָׂרָף *nachas saraph*, *serpens adurens*: Chaldaicè אֲתַר חִיוָן קָלָן *athar chewan kalan, locus serpentum vrentium*: Græcè ὄφις δάκνων, *serpens mordens*. In cap.21. [m] missi in populum à Domino igniti serpentes, Hebraicè dicuntur נְחָשִׁים שְׂרָפִים *nachasim seraphim*: Chaldaicè vt hîc: Græcè ὄφεις θανατοῦντες. Hoc loco noster Interpres adustionem flatu docet factam. Cognosce quæ dixi libro [n] præcedente. Basiliscum putant hîc aliqui intelligi. Ioannes [o] Vitalis detractorem mysticè sumit. Glossa in parte morali diabolum, cuius anhelitus prunas ardere facit [p], religionis verò desertum incolentes fortiùs tentat, illos pulsare negligens, quos quasi subiectos tenet.

m v.6.
n ibidem.
Serpēs adurens pro detractore, aliàs pro diabolo.
o speculo morali fol.108.
p Iob.41. 12.

Et scorpio.] Græcè σκορπίος simili voce: Hebraicè עַקְרָב *hhakrab*, & Chaldaicè pluraliter עַקְרַבִּין *hhakrabbin*: quæ nomina posteriorum editionum duarum extant in c.34. [q] prioris libri, necnon Latinè, vbi sermo habetur de loco, cui nomen ascensus scorpionis; licèt Græca retineat Ἀκραβίν. Ibi docui esse præterea genus quoddam tormenti, vt sunt rubi aculeati, virgæ, scuticæ cum glandibus plumbeis: vel militaris instrumenti. Animal hoc loco sine dubio significatur, quod cùm annumeretur serpenti, & mox dipsadi, verosimilius est, vt antè dixi, nunc non agi propriè seu præcisè de serpentibus missis aduersus murmuratores, sed quos illud per se desertum ferret; quamuis tunc, si fuerunt iidem, in maiore copia illos Deus adduxerit, vel etiam, si opus esset, creauerit. Accedit alia notio, pro pisce non à scorpij terreni similitudine in forma, sed quia πλῆξις est pungitiuus, & pungendo feriendóque venenum fundens, vt ex Aristotele refert Athenæus [r]. & indicat Plinius [s]; item alia pro coma plexili puerorum, seu

q v.4.
r lib.7.
s l.32.c.11.

pro

pro crinium cincinno in acumen desinente: præterea pro monticello ex lapidibus congestis ad metam siue limitem, siue terminum agrorum. Denique inter signa cœlestia collocatur scorpius; quod, vt est in fabulis, cùm Orion venans, iactasset se quæ orirentur ex terra, cuncta se interficere valere; terra indignata emisit maximũ scorpium, qui interficere illum conaretur: quo signo denotatur neminem aliqua re sibi debere confidere. Etymon Pagninus petit litera inserta, à עָקֵב *hhekeb, calcaneo*, quia calcatus pungat & feriat: Græci nominis alij a *σκορπίζειν τὸν ἰόν*, quòd iaculetur venenum. Caietanus arbitrans indicari per serpentem in priore membro eos qui missi sunt à Deo contra murmuratores, vt dictum est, obseruat de scorpionibus nouum esse quod hic scribitur, nec sciri quando hæc per eos afflictio contigerit; nec ex contextu haberi quòd simul fuerit cum serpentibus, quia eodem contextu immediatè subiũgitur (*& siccitas, quæ non aqua*) quæ penuria aquæ pluries, inquit, fuit in diuersis locis. Sed nunquã scribitur quòd in loco serpentum. Diligenter porrò ac fusè Vlysses [a] Aldrouandus disputat quæcumque ad hoc insecti genus pertinent, numerans nouem scorpionum genera: nominatim circa Ierosolymam & per totam Syriam scorpiones magnos esse: sub lapidibus plerúmque nasci ac degere, & in locis petrosis, vnde parœmia *ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος εὕδει*, *sub omni lapide scorpius dormit*, vel *ἐν παντὶ γὰρ σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ: in omni etenim scorpius lapide excubat*. Aliam Christus vsurpauit [b]; *numquid pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem*: apud Græcos *ἀντὶ πέρκης σκορπίον*, *pro perca scorpionem*; perca enim laudatissimus piscis est. Mysticè per scorpios Ambrosius [c], Anspertus Cælius Pannonius dæmones accipiunt & hæreticos, incautis venena malorum persuasionum ingerentes. Basilius [d] hypocritas vtentes blanditiis palàm, clàm ferientes veneno: alij virtute vacuom; qui tactus quauis iniuria insilit armatus ira, odio, contumelioso verbo, impudentia. Legendus adhuc idem [e] Basilius, Augustinus [f], Eucherius [g], Gregorius [h], Rupertus [i], Petrus [k] Bercorius. Comparari cum scorpio vinum quoque potest, quod ingreditur blandè, sed in nouissimo mordet vt coluber, & sicut regulus venena diffundit [l]. Orus [m] Apollo [sco]rpium cum crocodilo congredientem hieroglyphicè accipit pro inimicis mutuũ afferentibus exitium: pro eo qui sustulerit alterum si celeriter, crocodilum; si lentè, scorpium. Quin etiam dicitur scorpius ex crocodilo nasci, huiusque caudæ venenatæ aculeo extinguere [n]. Calumniator etiam scorpioni similis est, quoniam illius animalis, Plinio [o] teste, cauda semper in ictu est, nullóque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni atque, vt idem ait, nulli nocet, cui non sit sanguis, id est, quidam quasi famæ vitalis succus. Scorpius item dæmonem denotat, qui virtute à Christo data calcatur [p], ac in aquam baptismi præcipitatus, vim amittit erga baptizatum, sicut aquæ scorpius iniectus præualere nequit, aut sua retinere venena. Designat præterea tentationem ad malum sub specie boni, qua diabolus frequenter seducit religiosos, inquit Glossa.

a 5. de insectis c. 21.
Parœmia de scorpione.
b Luc. 11. 11. 12.
Scorpionum acceptiones mystica.
c 14 Apoc. 9.
d hom. 11. hexa.
e in ps. 28.
f ep. 121. & serm. 29. de verbis Dom.
g de formulis spir. in 5.
h hom. 9. in Ezech.
i in apoc. 9.
k reductor. moralis l. 10 c. 92.
l Prou. 23. 31. 32.
m hier. 33.
n Æl. 11. de anim. c. 33.
o L. 11. c. 25.
p Lucæ 10. 19.

Ac dipsas.] Græca vox eadem absque vltima litera, nempe *δίψα*: Hebraicè צִמָּאוֹן *tsimmaon*: quæ nomina dixi libro præcedente à siti esse imposita, vt & aliud Latinum situla: cuius Hugo rationem reddit per contrarium; quoniam vas quoddã eiusdem nominis aufert sitim; hæc quem mordet, siti perimit. Chaldaicè hoc loco ponitur בֵּית צַחֲוָנָא *beth tsachuana, domus* seu *locus sitis*: & vocem Hebræam hebraizantes pro siccitate siccóve loco interpretantur: significat *δίψα* sitim, bestiam verò *διψὰς*: ita vt non videantur L X X. pro specie serpentis accipere, vt innuit Eugubinus, & a Lapide asserit, éstque in trãslatione Latina, ex Græco reatu L X X. Præter illa quæ citato libro attigimus, vt de militibus Catonis in Libya, qui à dipsadibus morsi, insanóque impetu accurrẽtes ad mare; post epotas aquas salsas in copia, extincti sunt: vt omittã nec situlam Hugonis, nec siticulam Leonardi Marij pro isto animali satis Latinè vsurpari: ex Luciano in dipsadibus, Simon [a] Maiolus refert, viperæ similem, arenis nutriri; violẽto ictu, ac veneno crasso, dolores ilicò inducere intolerabiles, ardores inextinguibiles, & putredines; corpus totum adurere incendio; ictos clamare non secus atque qui sunt in ignem coniecti; torqueri siti inexplebili; & quo plus bibunt, plus potum expetere, cui nec si Nilum aut Danubium bibant satisfiat; nilque aliud esse irrigare sedulò, quàm oleo ignem extinguere velle. Nec dissimile Lucani [b] carmen,

Ecce subit virus tacitum, carpítque medullas
Ignis edax, calidáque incendit viscera tabe
Illi(ictus à dipsade) *vel in Tanaim missus, Rhodanúmque Padúmque Ardet*,

Nazianzenus [c] aduersùs opum amantes siue auaros adhibet similitudinẽ ex hoc genere serpentũ,

διψάς τίς ἐστι τῶν ἐχιδναίων γενῶν
τούτων, ὃς ἡ ἔρημος ἀργύπτη φέρει
ταύτης τὸ τραῦμα, ὡς ὁ κλῆσις λέγει.
τὸ θηρίον γὰρ τοῦ πάθους ἐπώνυμον.
τίτων διψᾷ δ' ὃς τὸν ἰὸν εἰσπεσεῖν
πιρὼν τε ῥεῖθρον, χανδὸν ἐμπίπτων δ' ἴσως
ἕως τὸν ἰσω φύσιν ἐκρήξῃ τέτο,
ἐμοὶ δὲ τὸ ζῆν καὶ τὸ δίψος ἐσχίθη.

Est viperarum quodpiam dipsas genus,
Quas solitudo Pharia (Ægyptia) complures alit.
Ac vulnus eius quale sit, nomen docet:
Huic namque morbus, quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo quisquis hoc ictus fuit;
Aquis repertis, totus in eas irruens,
Quoúsque nimio turgidus potu crepet,
Vita cadente sæua sic cadit sitis.

Temulentam anum Ouidius [d] dipsadem appellat

—est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Describit Ælianus [e] hoc animal, aliáque plura eiusdem nomina vt presteris, causonis, cencridæ, Ammobatæ, Melanuri: itẽ ait in Africa nasci, magis in Arabia (desertum per quod peregrinati sunt Hebræi, in Arabia est.) Denique fabulam recitat, quomodo ab asino remedium aduersùs senectam simul & sitim tolerit. Lege Pierium [f], qui hieroglyphicè declarat hanc feram de effrænata cupiditate; Ioannem [g] Vitalem, qui de eadem, déque ambitione, & auaritia. Epiphanium [h], qui de hæreticis veneno doctrinæ inficientibus interficientibúsque: Glossã huius loci in parte morali, quæ de tentatione circa vitium proprietatis, qua religiosus percussus moritur siti cupiditatis: Glossam interlinearem & Hugonẽ, qui hoc genus venenatæ bestiæ, cum præcedentibus, de varijs hæresum generibus: Rickelium, qui de spiritu auaritiæ ac dæmone instigatore ambitionis vanæque gloriæ; quemadmodum priores feras de libidinosis, & de simulatoribus adulatoribúsque: Procopium, qui de dæmonibus à quibus tentamur post baptismum, tanquam in desertum ad hoc ducti, exemplo Christi: à quo accepimus potestatem calcandi super eos [i].

Et nulla omnino aqua.] Vel ad bibendum, vel ad æstum

Dipsa & dipsas Græce differunt.
a tom. 1. canicula. dier. colloq. 8.
b lib. 9.
c carmine Iambico 22.
d L. 1. eleg. seu 1. am. & 8.
e 6. de anim. c. 51.
f l. 16. c. 27. & seqq.
g Speculo morali seu. fol. 5. b. & fol. 10. a.
h hær. 34. cont. Marcosios.
i Luc. 10. 19. Matth. 4. 1.

ad æstum ex morsibus dipsadis, serpentisve flatu adurentis restinguendum. Qui membri præcedentis Hebræum vocabulum צִמָּאוֹן *tsimmaon*, capiunt de deserti epitheto, quod esset aridum, siccum & sitibulosum, vt Vatablus, Caietanus, Pagninus, & alij hebraizantes; aiunt id hîc magis declarari per aquarum defectum. Erat illa terra deserti, inuia, & inaquosa. Isto exéplo videtur apud Oseam [a] Deus terrere populum suum, ne scilicet poneret ipsum quasi solitudinem, & statueret velut terram inuiam, & interficeret siti בַּצָּמָא *batsama*, ἐν δίψῃ.

[a] c.2.3.

Qui eduxit riuos de petra durissima.] Iuxta editiones alias (*qui eduxit tibi*) iuxta Græcam (*de petra durissima fontem aquæ*) ἐκ πέτρας ἀκροτόμου πηγὴν ὕδατος, iuxta Hebræam Chaldæámque (*qui eduxit aquas*) absque riuis aut fonte. Hac de re actum diuersis locis non semel: monétque Abulensis ex libro de diuisione Terræ sanctæ, manere adhuc in Arabia fontem illum, qui tunc diuinitus excitatus est, de quo tota illa terra, quæ nunc inhabitatur, abundantissimè irrigetur. Circa vocem verò Hebræam חַלָּמִישׁ *challamis*, quæ de petra tantùm dicitur, obseruat Oleaster, significare lapidis duri genus, vt est silex, siue à quo ignis educitur: vnde mirabilius fuerit, ex tali materia eductam esse aquam. Id expendimus libro priore [b], vnà cum nomine hoc Hebræo eodem, & Latino silicis. Glossa interlinearis riuos doctrinæ per allegoriam explicat de petra, qui erat Christus [c].

[b] c.10.11.
[c] 1.Cor.10.4.

Vers.16.] Et cibauit te Manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probauit, ad extremum misertus est tui.

Paraphr. Aliud inculcat eximium beneficium de manna, quod ad cibum pertinebat, sicut ad potum riui aquarum hîc proximè antè nominati: & quo pacto, postquam permisit Deus affligi, tentaríque populum suum; flexus misericordia liberauerit eum, ac singularibus beneficiis affecerit, vt multiplici de hostibus victoria, & possessione optimæ terræ iamiam ineunda. Inter quæ beneficia nó est parui facienda, probatio & tentatio ipsa, per quā in suiipsius cognitionem populus venit, quàm parum patiens, constánsque in Dei cultu & obedientia esset. Non obliuiscitur misereri Deus, neque continet in ira sua misericordias suas [d]. Ingenium, seu mos Dei est in extremo subuenire, contrà quàm ferè contingit in humana amicitia, quæ tunc potissimùm deserit, licèt in initio benefacere videatur. Bonum vinū seruat Deus in fine. [e]

[d] ps.76.10.
[e] Ioan.2.10.

Explanatio. *Qui cibauit te manna in deserto.*] Versu 3. (*dedit tibi cibum manna.*) Vbi eadem phrasis iuxta editiones alias, quæ hîc: sed additur à Græca (*in eremo*, seu *deserto*, seu *solitudine*, ἐν τῇ ἐρήμῳ) quod nostra nunc exprimit cum eadem & reliquis. De manna dictum aliàs. Acutè verò Augustinus [f], enumerans diuina in Hebræos beneficia ab vno vero Deo collata, non à pluribus, vt comminiscuntur Gentiles, ait ab illis Manniam deam pro manna non consecratam; neque Nymphas Lymphásque cultas pro aqua.

[f] 4.de ciuit. c.vlt.

Quod nescierunt patres tui.] Græcè (*quod nescisti tu, & nescierunt patres tui*, ὃ οὐκ ᾔδεις σύ, καὶ οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες σου) quæ omnia erant citato versu 3. secundùm editiones nostram, Hebræam, & Chaldæam; & secundùm nostram quidem (*quod ignorabas tu, & patres tui.*) Græca verò habet ibidem dumtaxat (*quod ignorabant patres tui*) ὃ οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες σου. De hac ignorantia vide loco eodem annotata. Ponitur hîc ignorantia non tantùm vt speculatiuè sumpta, verùm etiam vt practicè pro eo quod est neque vidisse, neque comedisse: quemadmodum è contrario scire ac intelligere sæpe vsurpatur, quatenus valet experiri tum in bonis, tum in malis.

Et postquam afflixit, ac probauit te.] Causaliter in editionib. aliis (*vt affligeret te, & vt probaret te*, seu *tentaret*,) Est enim particula causalis לְמַעַן *lemabhan*, בַּעֲבוּר *bebil*, ἵνα. Affligit Deus inter alias causas, vt probet seu tentet, hoc est, innotescere faciat nobis quid per nos valeamus, quàm fragiles & ad malum proni, &c. aut vt sic mereamur magis: aut vt satisfaciamus pro nostris vel aliorū peccatis: aut vt conformemur Christo, & sanctis adeò multa passis: aut vt exemplo simus aliis patientiæ: aut vt glorificetur Deus: aut vt confundātur aduersarij: aut vt ipsemet diabolus tētator, per victoriam eorum quos afflixerit, tentaueritque, torqueatur: aut vt idem accusare nequeat Deum, quasi gratis ac sine meritis & labore præmia largiatur: aut vt pluris apud alios æstimemur, quorū interest vt bonam de nobis habeant opinionem: aut vt præcidantur peccandi occasiones: aut vt cauti ac intensi simus circa nostras actiones: aut vt abstrahamur ab amore istius mundi, & eorum quæ in illo sunt: aut vt non temerè iudicemus, si quempiam viderimus tribulatione siue tentatione vexatum: aut vt istas patientibus cōpatiamur: aut vt modestiùs & benigniùs nos cum aliis geramur: aut vt gratia vacua non sit, virtutésque otiosæ, deficiente materia, quæ ardua solet esse: aut vt ipsamet victoria vincenti gaudium pariat, & Angelis, & aliis beatis commilitonibus, qui nos præcesserunt, & nos pugnantes spectant, ac iuuant: aut vt hinc liberi euolemus in cœlum, leuiúsve puniamur in purgatorio: aut vt firmior sit fides de futuro iudicio, beatitudine, damnatione, cùm plerumque in hac vita probis aduersa, prospera improbis ac reprobis contingunt. De his & similibus tribulationum, tentationúmve vtilitatibus, egimus [a] aliàs fusè, allatis probationibus ex auctoritate, & ratione: vnde confici proprius ac separatus tractatus potest. Gaudentij [b] Brixiensis lectu digna ad Beneuolum præfatio; qua docet pietatis cultores afflictari per correctionem, purgationem, probationem; probari autem, vt probi ex factis innotescant angelis, vt lætentur; hominibus, vt prouocentur exemplo; diabolo, vt doleat, indignetur, inuideat, ingemiscat, debitè ad amicitiam Dei, & ad regnum cœli, vnde cecidit, è bonorum operum meritis homines esse perfectos; nec tamen audeat quidquam de iudicio Dei causari. Subdit postea, quosdam puniri à Deo emendante, vel emundante, vel ad ampliorem gloriam promouente.

Cur Deus affligat.

[a] in euang. Domin.1. Quadrag.
[b] in biblior. Patrum to.2.

Ad extremum misertus est tui.] Hîc quoque in editionibus reliquis ætiologia est (*ad benefaciendū*, siue, *vt benefaceret tibi*, לְהֵיטִבְךָ *lehetibcha*, τοῦ εὖ σε ποιῆσαι, *in nouissimo tuo*, seu *postremo*, בְּאַחֲרִיתֶךָ *beacharithecha*, בְּסוֹפָךְ *besophach*: vel (*in extremo dierum tuorū*, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν σου.) Clarior est nostra editio, significans quòd tandem post afflictionem, tentationémque, secutura erat misericordia Dei promissam terram concedentis. *Cùm iratus fuerit Deus, misericordiæ recordatur* [c]: *non obliuiscitur misereri, nec continet in ira misericordias suas* [d]: *non delectatur in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem*

Afflictionem misericordia sequitur.

[c] Abac.3.2.
[d] ps.76.10.

tionem & fletum exultationem infundis [a]; *pro certo autem habet omnis qui Deum colit, quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam Dei venire licebit* [b]. *beatus enim qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* [c].

[a Tobiæ 3. 22. b Ibid. v. 21. c Iacobi 1. 12.]

Vers. 17.] Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt.

Vers. 18.] Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

PARAPHR. ADmodum vtilis, immò necessaria ratio, quæ Deum impulit, vt Hebræum populum affligeret, probaretque; nec aliter traderet possessionem, quam promiserat; ne videlicet non Dei potentiæ atque fidelitati in implendo pacto quod liberaliter ac vltrò inierat cum maioribus ipsorum; præterea viribus, quas efficaciter subministrauit, ascriberent boni tanti acquisitionem: sed sibimetipsis, ac propriæ naturalique fortitudini & robori; quod tamen ipsum quantum quantum esset, Deo acceptum referre omnino deberent. Simili de causa propter iram inimicorum populi sui, alioqui pœnis digni, Deus distulit, ne fortè superbirent hostes illius, & dicerent. *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia* [d]. Quædam Deus bella fecit absque hominibus; vt in mari rubro, & in torrentibus Arnon [e], quando Dominus pugnabat, Hebræi verò tacebant, fugientésque hostes fatebantur pugnare ipsum pro eis [f]: vel quando nocte vna sub Ezechia cæsa sunt ab Angelo centum octogintaquinque millia Assyriorum [g], vel quando sub Iosaphat vertit Dominus insidias hostium in semetipsos, & se mutuis concidere vulneribus [h]: quædam maiore ex parte idem Deus, verùm ex aliqua etiam homines, vt quando pugnauit Iosue contra quinque reges, Deus autem immisit lapides magnos grandinis [i]: & postea etiam stare fecit solem, & lunam [k]: vel quando corruerunt muri Iericho, postquam Hebræi per septem dies lustrassent eam; quædam tota per homines exteriùs: attamen Deo suppeditante vires non tantùm vt causa prima & consueto cum aliis secundis causis modo, sed magis peculiari; qualia ferè omnia alia fuerunt contra gentes multo plures & robustiores quàm essent Hebræi [l]. Triplicis bellorum istorum generis victoriam non poterant Hebræi arrogare sibi, vel fortitudini roborique naturali, proprio, ordinario duntaxat, sed peculiares danti vires Deo in corpore; & in animo audaciam, alacritatem, confidentiam: De spirituali pugna victoriáque longè potiore iure caueri debet, ne quis arroget eas sibi, sed gratias agat Deo, qui dat victoriam nobis per Iesum Christum [m] iubentem nos confidere, quoniam ipse vicit mundum [n]. Quamuis de beneficio naturalium virium loquendo, hoc verum sit in vniuerso, inquit Caietanus, quia opus naturæ est beneficium diuinum (quòd ne Pelagiani quidem negabant, immò non aliam ferè gratiam agnoscebant quæ necessaria esset) hîc tamen est sermo de speciali beneficio gratuito, quo Deus vires animi & corporis dedit populo. Quòd si Paulus bonum certamen certasse se scribit [o]; vires ad certandum vincendúmque sine dubio ad Deum refert, & virtutem agnoscit desuper datam sibi, quod ignorans tamen Gentium doctor legem Dei, cuius vox hoc loco est, vt Augustinus [a] annotat, citans ex eodem Apostolo [b]; *Sed in his omnibus superuincimus (superamus) per eum, qui dilexit nos.* Similia satis frequenter leguntur in Augustino, tradente coronari à Deo non merita nostra, sed sua dona [c], cùm tamen coronam iustitiæ reddere dicatur idem Deus [d]. *Disce nunc*, ait Ambrosius [e], *quemadmodum vnusquisque moneatur, ne se ipse auctorem suorum putet bonorum.* Deinde post prolatum loci huius testimonium; *vnde bene Apostolus*, subdit ipse, *quasi legis interpres, non gloriabatur in virtute sua, sed minimum Apostolorum se esse dicebat, & quidquid esset, gratia diuina esse, non meriti sui* [f]; *nihilque nos habere quod non acceperimus* [g]. Ad hæc appellat hanc doctrinam humilitatis & sedulitatis, salutaria præcepta, vtilia instrumenta medicinæ, quibus fibra omnis lethalis vulneris exsecetur. Tum docens illi quoque qui se iustificat, cauendum ne inflletur cordis sui tumore, pro salubri mandato sententiæ alterius profert oraculū, quod extat libri nostri c. 9. [h] ne Gentium consumptionem, & possessionem terræ illorum tribuerent Hebræi aut iustitiæ propriæ, seu bonitati, & æquitati, sed iniquitati earum, & Dei testamento siue promisso facto & iurato patribus ipsorum. Cæterùm arrogantium talium exempla iam antea protuli, atque superbissima Ephraim verba inter alios; [i] *diues effectus sum, inueni idolum mihi*; pro quo vertunt alij rapinam, seu prædam, vel pecuniam, [illegible] an, ממון *mamon*.

[d Deut. 32. 27. e Num. 21. 14. 15. f Exod. 14. 14. 25. g 4. Reg. 19. 35. Esa 37. 36. 1. Mach. 7. 41. Luc. 2. 39. h 2. Par. 20. 22. & seqq. i Ios. 10. 11. k ibidem v. 12. 13. l Exod. 23. 23. Deut. 7. 1. Amos 2. 9. m 1. Cor. 15. 57. n Ioan. 16. 33. o 2. Tim. 4. 7.]

[a de gra. & lib. arb. c. 7. b Rom. 8. 37. c in ps. 102. & ep. 105. & de gra. & lib. arb. c. 6. & 7. d 2. Tim. 4. 8. e 1. de Abel c. 7. f 1. Cor. 15. 10. g c. 4. 7. h v. 4. i Oseæ 12. 8.]

Ne diceres in corde tuo.] Repetendū est ex præcedentibus, quòd afflixit Deus, & probauit; postea verò misertus est; vt per istum ordinem vicissitudinis discerent Hebræi non dicere in corde suo id quod sequitur. Vel certè reiiciendo in sequentem versum, quia etiam in editionibus Hebræa & Chaldæa, negans particula non est, sed coniunctiua; exponemus hoc pacto; *& dices*, hoc est, si dices, *in corde tuo*, &c. *& recordaberis*: siue cùm subierit animū tuum talis cogitatio; fac vt simul recorderis, veniatque in memoriā, atque consideres, &c. similis formula iam priùs [k] occurrit hoc libro, & postea in c. 9 [l]; & 15 [m]. alibique habetur; per quam significatur aliquid adeò abhorrens à ratione, communiue hominum sensu, vt quamuis cogitetur ægrè id quis verbis exprimere audeat. Huius generis est diffidentiam de Deo proferre; vel arroganter merita propria iactare; vel significare voluntatem denegandi quod quis necessitate compulsus, à te commodatò petat: vel negare quòd sit Deus [n]: vel affirmare quòd non sis vnquam mouendus [o]; vel quòd obliuiscatur Deus, nec videat nostra [p]; nec requirat [q], &c.

Fortitudo mea.] Legit Ambrosius [r] *(virtus mea)* sunt autem cum pronominibus hæc aliarū nominum editionum כחי *chochi*, חילי *cheli*, ἰσχύς μου: ex quibus secundum ab Hebræis sumptum, quandoque significat etiam exercitum, & opulentiā, habeturque Hebraicè in mēbro sequenti: vel opes, & quidem à חול *chul, parere*, labore partas: primū vigorem & virorem; vt cùm dicitur aruisse tanquam testa virtus [s] כח *choach* ἰσχύς: sed Chaldaicè [illegible] *pechar, fuemor*. Moses cecinit Deum fortitudinem suum [t]: & Dauid [u], addens quod suam custodiret ad eum [x]. Idem asseruit Esaias [y], & Ieremias [z], & Abacuc [aa]: superbus autem Nabuchodonosor gloriosiùs iactauit Babylonem se magnam ædificasse in robore fortitudinis suæ [bb]. Apud Esaiam [cc] verò quam Latinè legimus fortitudinem,

[k c. 7. 17. l v. 4. m v. 9. n ps. 13. 3. ps. 52. 1. o ps. 10. 6. secundum Hebr. p ibid v. 11. q ibid. v. 13. r 1. de Abel c. 7. s ps. 21. 16. t Exo. 15. 2. u ps. 17. 2. ps. 30. 4. ps. 42. 2. ps. 54. 9. ps. 117. 4. x ps. 58. 10. y c. 12. 2. c. 49. 5. z c. 16. 19. aa c. 3. 19. bb Dan. 4. 27. cc c. 25. 2.]

Græcè est δόξα *gloria*, quoniam de sua fortitudine homines gloriari solent. Fortitudo est Deus pauperi & egeno; ideo laudat illum populus fortis, ciuitásque gentium robustarum timet eundem [a], videlicet quoniam robur ac fortitudinem omnem suam ipsi attribuunt. *Qui se fortes putant propria fortitudine sua, similes phreneticis sunt, qui valentiores sunt sanis; sed quanto maiores vires habent, tanto morti vicinior*, inquit Augustinus [b]. Dedit Deus potestatem suis calcandi super serpentes & scorpiones, de quibus nuper actum, & super omnem virtutem inimici [c]; siue super pericula dæmonum, & hominum, & bestiarum. Sed inuocandus in adiutorium semper Deus [d]. Cassianus [e], *Deo agenda gratia, qui semper nos triumphat*, id est, triumphare facit, *in Christo Iesu* [f]: *operatur in nobis velle & perficere* [g], *vt omnia possimus in eo qui nos confortat* [h].

Et robur manus meæ.] Apud Ambrosium [i] omisso nomine manus (*& potentia mea*) apud Augustinum [k] (*potentia manus mea.*) Plus habet acuminis, quàm necessitatis, aut verisimilitudinis, numero singulari robur manus dici, non verò manuum pluraliter; vt denoteretur dextra, qua pugnatur, vinctúrque sinistra tenendo clypeum ad sese protegendum ac defendendum: vt propterea etiã frequenter in Exodo cùm fit mentio de Deo, tanquam de forti viro pugnante scribatur quòd eduxit filios Israël de Ægypto in manu forti & brachio excelso; nominando vnam dumtaxat manum, brachiúmque; cùm tamen vir fortis pugnet duabus manibus, duobusque brachiis, quia de sola dextra manu & dextro brachio intelligitur. Gladium legimus; in cuius manus tradi dicantur aliqui [l], aut deduci [m].

Hæc mihi omnia præstiterunt.] Iuxta editionem Græcam (*fecit mihi potentiam magnam hanc*, ἐποίησέ μοι τὴν δύναμιν τὴν μεγάλην ταύτην) iuxta Hebræam (*fecit mihi opulentiam hanc*, aut *substantiam*, aut *robur* עָשָׂה לִי אֶת הַחַיִל הַזֶּה *bhasciah li eth hachail hazzeh*) iuxta Chaldæam (*possidere me fecerunt substantias istas*, קְנוֹ לִי יָת נִכְסַיָּא הָאִלֵּין *keno li iath nichsaya haillen*) in Ambrosio [n] & Augustino [o] (*fecit mihi virtutem hanc magnam.*)

Sed recorderis Domini Dei tui.] Augustinus (*memor aberis*) Ambrosius (*in mente tua habebis*) quod secundum reddit sententiam potiùs quàm verbum Græcum μνησθήσῃ: quod respondet Hebræo וְזָכַרְתָּ *zacharetha*, ante quod est ו *ve*, valens &, vertensque præteritum in significationem futuri, & Chaldæo וּתְהֵי דְכִיר *thidchar* futuri temporis, cui etiam præfigitur ו *ve*, pro quo est item Græcè καὶ idem significans.

Quòd ipse vires tibi præbuerit.] Hebraicè (*quod ipse dans est*) aut *fuit virtutem vt facias*, siue, *acquiras opes*) sunt enim duo nomina כֹּחַ *choach*, & חַיִל *chail*, de quibus paulo antè dictum est. Chaldaicè idem habetur cum duobus item vocabulis quæ præcesserunt חֵילָא *chela*, & נִכְסִין *nichsin*: Græcè (*quòd ipse tibi det fortitudinem ad faciendum potentiam*) aut, vt legit Augustinus, *quia ipse tibi dat fortitudinem, & facere virtutem*, ὅτι αὐτός σοι δίδωσιν ἰσχὺν τοῦ ποιῆσαι δύναμιν: quæ nomina duo erant in præcedente versu. *Facere virtutem*, prout Hebraicè dicitur, & Græcè עֲשׂוֹת חָיִל *bhascioth chail*, ποιῆσαι δύναμιν, in Prouerbiis [p] habetur Hebraicè eodem pacto pro eo quod Latinè, *multa filia congregauerunt diuitias*. Chaldaicè *possidentes*, קְנִיאָ *kaneia*: Græcè ἐκτήσαντο πλοῦτον, *possederunt diuitias*) & præterea ἐποίησαν δύναμιν; *fecerunt potentiam.*

Vt impleret pactum suum.] Aliter secundum editiones reliquas, ex quibus Græca emendata præfigit καὶ, & ; (*vt statueret*, vel *stabiliret*, seu *firmaret pactum*, aut *testamentum suum*:) sunt namque verba לְהָקִים *lehakim*, קְיָמָא *kiama*, στῆσαι. & nomina בְּרִית *berith*, קְיָמָא *keiama*, διαθήκη, quæ omnia declarata sunt alibi: & istius pacti mentio fuit prioribus capitibus, & c.9. [a] & alibi. Vltimum locum ex c.9. vbi editio vsurpat de Deo, *vt compleret verbum suum*, sicut extat etiam Hebraicè, citans Ambrosius [b] (*vt restituat testamentum*, ἵνα στήσῃ τὴν διαθήκην) testamentum, ait, perfecta Dei gratia est. Nihil enim imperfectum dat Deus: perfecta autem virtus est, & opera virtutis [c]. Testamentum autem dicitur, quo defertur bonorum hæreditas. Meritò & testamentum dicitur, & diuinum, cùm ea quæ vere bona sunt, attestatione mandatorum cœlestium conferantur. Et testamentum dicitur, quoniam sanguine dedicatum est [d], vetus in typo, nouum in veritate. Quo testamento diuinæ gratiæ pignus tenemus; quia sic dilexit Deus hunc mundum, vt vnigenitum filium suum pro nobis omnibus daret [e]. Vnde perfectionem gratiæ prædicans Apostolus [f], ait: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Sunt Ambrosij hæc omnia; ex quibus vis perspicitur nominis τῆς διαθήκης, atque testamenti in diuinis literis, de qua memini aliis in locis me dicere.

Super quo iurauit patribus tuis.] Breuiùs ex aliis editionibus (*quod iurauit*) quemadmodum & c.1.[g] vbi Latinè *super qua* (terra) *iurauit*: & cap 4. [h] *in quo* (pacto) *iurauit*: & c.6. [i] *Super quo iurauit*. sed cap.7. [k] *iuramentum quod iurauit*: ibidem [l] *pro qua* (terra) *iurauit*. Moneo interdum de his exilioribus, ne quis hæreat, aut arbitretur diuersa, quæ non discrepant, frustráque varios veneatur explicatus aut literales, aut mysticos.

Sicut præsens indicat dies] Vno verbo in editionibus aliis (*sicut hodie*, aut *dies hæc*. & c.6.[m] in nostra. *sicut est hodie*: & aliis [n] *sicut est in præsenti die* [o]. Vbi monitum idem trado, quod proximè ante, variari nonnunquam phrasim circa eamdem sententiam. Referuntur autem hæc, vt notat Abulensis, ad superiora, scilicet quòd Deus præstiterit vires ad faciendum opera fortia, occidendo reges Amorrhæos, & Madianitas, & Amalechitas [p]: ita vt ex iam factis certi omnino deberent esse Hebræi de promissis circa futuram possessionem terræ, atque circa victorias, quæ ad eam obtinendam necessariæ forent.

Vers.19.] Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, colueri̇sque illos, & adoraueris: ecce nunc prædico tibi, quod omnino dispereas.

Ex obliuione acceptorum à Deo beneficiorum, ipsius met Dei nascitur obliuio, & contemptus: atque vt plurimum consequitur superstitiosus alieni, falsique cultus Dei, pluriumve. Nam nulla gens absque aliquo Deo est, vero, aut falso; vt quidem hîc affirmat Abulensis. Quamquam præter particulares atheos Diagoram [q], Melium, Theodorum [r] Cyrenæum, Euemerum [s] Tegeatem, aut Messenium, Polyphemum [t], seu Cyclopem, Callimachum [u], Prodicum [x] Ceum, Hipponem [y], Herostratum [z], Epicurum [aa], re deos sustulit, verbis reliquit, ne in offensionem Atheniensium caderet (inquit Cicero) Sosiam [bb], Dionysium [cc], Phrygem, Protagoram [dd] Abderitem, Selium [ee]; & quamuis Ælianus neget dubitasse

a Esa.25.4. b in ps.58. ep.89.q.2. serm.9.de verb.Apost. c Lucæ 10.19. d ps.69.2. e collat.10. c.10. f 2.Cor.2.14. g Phil.2.13. h c.4.13. i suprà. k de gra. & lib.arb.c.7. l ps.62.11. 1.Machab.7.35. m Iere.18.21. n 1.de Abel c.7. o de gra. & lib.arb.c.7. p c.31.29.

a v.5. b 1.de Abel c.7. *Testamenti.* c Deut.32.4. d Hebr.9.18. e Ioan.3.16. f Roma.8.32. g v 8. h v.23. i v 5.12. k v 13. l v.13. m v.24. n c.4.20. o v 32. p Exod.17. Num.21. & 31. q Cic.1.de nat.deor. Diod. Sicu. l.13. Plut.1. de placitis philos.c.7. & l. de Isid. Sextus Emp. l.4. Maxi. Tyr.serm.1. Arnob.l.2. Lact.l.1.c.2. & lib.de ira Dei.c.9. Ælia. de anim.l. 6.c.40. & l. 2. var. hist.c.31. r Plut.sup. Laert.in Aristippo, & in Bione. Arn. sup. Sext. Emp.sup. Philo lib. quod sit liber qui virtuti studet. s Plutar.& Sext.Empir. sup. t Paraphr. Homer. odyss.9. Eur. u Ibidem. x Sextus. y Ælia. sup. z Idem. aa Cic.1.de natu. deor. Ælia.2.var. hist.c.31. bb Ælia.ibid. cc 1.de nat. Deor. dd Laert.l. 9. ee Mart.l.4. epig.21.

dissensisse Barbaros vt Indos, Celtas, Ægyptios; Cicero [a] quoque de omnibus idem tradit; nihilominus de Callaicis in Hispania, qui etiam Galleci vocantur à Plinio, scribit Strabo [b] asseruisse nullum deum esse, gentem nempe morib. efferam, cultu inhumano & fero, neque more, neque iure vtentem: præterea Melon insulam Cycladum vnam, ea qua Diagoras, ob atheismum deletam ab Atheniensibus, testis Suidas. Si non iste tam crassus error, certè superstitio, idololatria, religio falsa, extitit, vbi semel abiicitur Dei veri veneratio: quo præceps tandem ruit quisquis, vt dixi, deponit memoriam vnius ac solius auctoris cunctorum bonorum, & quæ ab ipso accepit, grato animo non recolit, neque sedula voluntatis eiusdem adimpletione compensare studet. Talibus minatur ac denunciat Moses, si se reddant similes Hebræi, futurum, vt à Deo penitus deleantur; si nimirum alij, quàm ipsi, exhibeant honorem; vel sacrificij, quod propriè soli diuinitati debetur, & exhiberi solet; vel adorationis externæ, cum corporis quodam gestu ex intentione ac proposito declarandi æstimationem internam, diuinum numen esse cui fit; etiamsi alioquin homines interdum inter se honoris causa eiuscemodi se signo ac significatione consalutent. In c.6. [c] seuerissimè iam cautum est, vt non irent Hebræi post deos alienos cunctarum Gentium, ne quando Domini Dei æmulatoris irasceretur furor, & auferret eos de superficie terræ. Item in cap.4.[d] prædicitur fore vt patrantes huiusmodi malum, ad iracundiam prouocent Deum: atque in testes inuocatis cœlo & terra, prædicitur citò perituros esse, ac dispergendos; sed ita vt si quærerent Deum in toto corde & tribulatione animæ, inuenirent eum. Porrò admonet Abulensis non quoties ad idola Hebræi conuersi sunt, confestim disperditos à Deo; sed sæpiùs distulisse, ac expectasse vt resipiscerent; vexando interim aut bello, aut alio cladis genere, aut captiuitate; donec desperata quodammodo esset correctio ac pœnitentia; sicut contigit decem tribubus in Babylonem abactis, vnde non redierunt; & aliis duabus Iuda atque Benjamin, quæ simul cum reliquis post impiissimam Christi necem cùm frustrà per annos quadraginta prædicatum esset ab eisdem Apostolis discipulisque, penitus dispersi sunt, & in hac dispersione ad mundi vsque finem perdurabunt. Extant grauissimæ in inobedientes ac infideles minæ in c.28. libri nostri, & in Leuitici 26.

a in Tusculanis, & libris de leg. & 2. de nat. deor. & de Aruspicum responsis, & alibi.
b lib.3.
c v.14.
d v.25.& segq.

Explanatio.

Sin autem oblitus Domini Dei tui.] In textu editionum aliarum (*& erit, si obliuiscendo*, aut *obliuione oblitus fueris Domini Dei tui.*) Sæpe obliuionem hanc priùs [e] prohibitam legimus. Fabulabantur veteres duo numina contraria Lethes, & Mnemosynæ, obliuionis ac memoriæ: & posteriorem Musarum faciebant matrem, quia scientiarum omnium thesaurus beneficio memoriæ acquiritur.

e c.4. 9.23. c.13. c.8. 11.
Lethes & Mnemosyne.

μνημοσύνας, ait ille [f], ἐκ ζωὸς ὀλυμπίου ἐγλαὰ τίκτε μῶσαι.

f Theognis.

Veræ sapientiæ est, in memoria habere Deum, nec obliuisci omnes retributiones eius [g]: & qui in mente habet illum omnibus diebus vitæ suæ, cauet ne aliquando peccato consentiat, & ne prætermittat præcepta illius [h]. Hæc est pietas ad omnia valens [i], hoc est, ait Bernardus [k], iugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amorem eius, vt nulla vnquam inueniat seruum Dei non dicam dies, sed hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio; vel in experientiæ dulcedine, vel in fruendi studio. Seruat Dei mandata & testimonia, cui omnes viæ ipsius in conspectu sunt [a]: cum Deo mens humana sine intermissione est, cùm in quacumque cogitatione, vel re pia, & diuina versatur, inquit apud Palladium [b] Diocles; dicens quòd mens, quæ recessit à Dei contemplatione, necessariò fit vel dæmon, vel bestia, id est, vel in iram incidit, vel in cupiditatem. Nec dubitauit Isaac [c] Abbas asserere, quòd mori sit, à Deo recedere; vel parum separari, perniciosissimus interitus. Quando non est Deus in conspectu tuo, inquinantur viæ tuæ in omni tempore [d]: cùm obliuisceris factoris tui, ædificas delubra [e]: quando non semper cogitas Deum cogitationum & actionum tuarum inspectorem, euagatur animus tuus, otióque se dat, frequenter irascitur; humanas laudes auidè captat; ad opera spiritualia piger est; actiones tuas ad Dei gloriam non refers; inter orandum mente sæpe distraheris [f]. De Enoc scriptum [g] est, quòd ambulauit cum Deo: Græcè *placuit*, quia placet Deo, qui præ oculis ipsum habet, nec obliuiscitur: de Abraham imperatum ei à Deo, vt ambularet coram ipso, & esset perfectus [h]; hoc est, quod illo modo, seu sic ambulando, illud aliud consequeretur. At de Dei maximè vtili præsentia non semel egi; extántque de eadem tractatus nostrorum Antonij Gaudieo, Latino sermone & accuratior Italico, Virgilij Ceparij; quibus iungi potest Fabianus [i] Iustinianus ex congregatione Oratorij Romani Episcopus Adiacensis in Corsica.

g ps.102.2.
h Tob.4.6.
i 1. Tim.4. 8.
k ad fratres de monte Dei.
a ps.118. 168.
b Lausiacæ hist. c. 83. siue c. 98.
c Cassia. colla. 9. c. 6.
d ps 9.27.
e Osee 8. 14.
f Basil. reg. breu. 21. 28. 34. 37. 196. 201.
g Gen 5.2. Hebr. 11.5.
h Gen. 17.1.
i In Tobiæ c.4 v.6 documento 1. à 3.

Secutus fueris deos alienos.] Pro primis duobus vocabulis, habent editiones aliæ vnicum verbum, significans, *ambulaueris*, siue *abieris*, הָלַכְתָּ *halachtha*, תֵּהַךְ *thehach*, πορευθῇς apud dijs alienis, Chaldaicè *idola populorum*, עַמְמַיָּא טַעֲוַת *tahhuath hhamemaia.* Abulensis exponit vereri ne seruantur alienos deos, quærendo ab eis in dubiis responsum, & faciendo quæ ipsi mandant.

Colueris que illos.] Hebraicè וַעֲבַדְתָּם *vahhauadtham*: Chaldaicè וְתִפְלְחִינּוּן *vethiphlechinnun*: Græcè καὶ λατρεύσῃς αὐτοῖς. De his verbis actum aliàs, & peculiariter de Græco, déque nomine λατρεία: quæ duo vocabula ex vsu Ecclesiastico dixi esse propria cultui, qui soli Deo exhibetur. Cultum hunc Hugo refert hîc ad mentem; in qua nimirum consistit maximè, seu in æstimatione summa de Deo supra omnia creata, & creabilia.

Et adoraueris.] Explicat idem Hugo de corpore, hoc est, de honorifico seu reuerente gestu corporis, quem importat Hebræum וְהִשְׁתַּחֲוִיתָ *histhachauitha*, & Chaldæum תִּסְגּוּד *thisgud*, videlicet humilem incuruationem, siue prostrationem reuerentiæ ac honoris causa, erga principes quidem, magnósque viros: sed potissimùm erga Deum; immò erga hunc solum, quatenus est signum cultus illius interni, de quo priùs dixi. Græcum προσκυνεῖν, vt & simplex κυνεῖν, idem valet quod κύειν, *osculari*, seu *suauiari*, Græcè aliter φιλεῖν, vt Eustathius notat. In adorando enim, Plinio [k] teste, dexteram veteres ad osculum referebant: éstque istius ritus mentio apud Apuleium [l], Lucianum [m], Minutium [n]: immò apud Iob [o]; *Si osculatus sum manum meam ore meo*; & in historia Regum; *Omne os quod non adorauit eum* (Baal) *osculans manum*, indicatúrque

k l.28.c.2. *Adorandi mos apud veteres.*
l apol.1.& l.4. de asino aureo
m de sacrif. de saltat. in encomio Demo sth.
n in Octau.
o c.31.26.

Psalmo 2.[a] *Apprehendite disciplinam*, Hebraicè, *osculamini filium* נַשְּׁקוּ בַר *nascku bar*, aut ex Hieronymo[b]; *adorate purè*; item in[c] Osea *vitulos adorant*, Hebraicè, *osculantur*: ad hæc in Genesi[d], *ad tuis oris imperium cunctus populus obediat*, aliter; *super os tuum osculabitur*, id est, venerabitur mandatum ex ore tuo egrediens: Itaque vel osculabatur quis manum suam; vel alium seu ciuiliter, seu religiosè. Pluries occurrit nobis alibi dictorum vocabulorum explanatio; nécnon Latini adorandi, vel ab ador frumenti genere inter sacrificia vsitato, vel ab oro, vel ex eo quòd ad os admoueret manum colens Deum; vt modò fit in mutuis salutationibus; præterea interdum idem esse, quod sacrificare, necnon & quodcumque religionis opus exercere. Egimus præterea de multiplici corporis gestu quo veneratio religiosa fieret; circumagendo illud, genu flectendo, procumbendo, prosternendo, in faciem cadendo, &c. tam apud idololatras, quàm apud fideles. Ista duo, inquit Abulensis[e], principaliter prohibentur, sacrificare diis alienis, vel humiliare se coram eis; sed primum præcipuè, quoniam soli Deo vero sacrificium offerri solet, aut potest. Licèt autem homines adoremus, capita inclinando coram eis, aut genua flectendo; non tamen eodem modo, hoc est, secundùm magnam illam voluntatis affectionem, de qua Christus[f]; *Deus spiritus est*; & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet: & Michæas[g], dicens quòd non requirit Deus per se vt quis curuet ei genu, offerat holocaustomata & vitulos, arietes, & hircos, aut etiam primogenitum proprium; sed in primis vt faciat iudicium, diligat misericordiam, sollicitus ambulet cum Deo suo. Monet etiam, licèt duo hîc nominatim prohibeantur, prohibita nihilominus alia esse quæcumque aliquo modo redundent in honorem deorum alienorum; vt, exempli causa, ne opifices conficiant idolum, ne mundent templa, ne texant aliquid ad vsum similem, &c.

Ecce nunc prædico tibi.] Editiones aliæ addunt (*hodie*) & habent (*testor*, siue *contestor*, aut *protestor*, הַעִדֹתִי *habhidothi*; הַעֵדֹתִי *ashedoth*, διαμαρτύρομαι:) & Græca (*cælum & terram*, τὸν τε οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. In cap.4.[h] legitur ex omnibus editionibus (*testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse.*) Inde fortasse Græca huc transtulit repetitionem cæli & terræ. Obseruans hoc Engobinus, ait creberrimum esse in editione L X X. vt ex vno loco in alterum pleraque transportentur. In catena Græca M. S. declarat ἀνεπίγραφος quidam, id est, non scriptus, seu absque titulo & incertus, innominatúsve τὰς ἐν οὐρανῷ ποιμένας δυνάμεις, καὶ τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς ἅπαντας, *in cælo factas virtutes, & in terra omnes*, nempe homines. In cap.30.[i] *prædico tibi hodie quòd pereas*, Hebraicè, הִגַּדְתִּי *hig-gadthi*, Chaldaicè חַוֵּיתִי *chauuethi*, Græce ἀναγγέλλω, *annuncio*: & paulò[k] pòst; sicut citato c.4. *testes inuoco hodie cælum & terram*: & vtrobique additur ab aliis editionibus pronomen (*vobis*, ὑμῖν) aut (*in vos*) בָּכֶם *bachem*, בְּכוֹן *bechon*.

Quòd omnino dispereas.] Rectè (*omnino*) quia iuxta editiones alias est per numeri pluralis verbum cum nomine (*quod perditione*, seu *interitu perdemini*, siue *interibitis*, כִּי אָבֹד תֹּאבֵדוּן *chi abod thobedun*, אֲרֵי מֵיבַד תֵּיבְדוּן *are meuad theuedun*, ὅτι ἀπωλείᾳ ἀπολεῖσθε.) Quamquam non semper hæc reduplicatio, seu geminatio verbi similísque nominis auget significationem; nec ab editione nostra exprimitur; vt hoc ipso versu extat dumtaxat (*oblitus*,) sed iuxta editiones alias dicta verbi & nominis ἀναδίπλωσις, siue reduplicatio.

Vers.20.] Sicut Gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Terrer exemplo Gentium, quas Dominus propter earum peccata de medio sustulit: quemadmodum in Leuitici cap.18.[a] dictum est, loquendo de nefandis quibusdam peccatis carnis, quæ ibi vocantur abominationes & execrationes: & cap.9.[b] libri nostri dicuntur quia egerunt impiè, introëunte in illarum terram Hebræo populo, deletæ. Qua in re notat hoc nostro loco Abulensis, non legi punitas alias Gentes propter idololatriam, sed ob alia peccata, vt concubitus masculorum[c], atrocia homicidia, &c. quamuis minùs grauia sint, quàm idololatria: quoniam non ita facilè habetur lumine naturali cognitio de vno ac vero Deo, vt de malitia similium vitiorum: Hebræus autem populus consecutus veram fidem, & electus in peculiarem populum Dei, recedendo ab huius cultu, prouocabat eumdem ad maiorem indignationem instar adulteræ, quæ zelotypum virum maximè offendit; quod zelotypi seu æmulatoris hac de causa cognomen vindicatum sibi à Deo antea vidimus[d]; & sæpissimè[e] apud Prophetas idololatræ Hebræi fornicari seu mœchari dicuntur, meretricisque[f] iis appellatio tribuitur seu adulteræ, aut fornicatæ; aut adulteri: & virgo[g] cognominatur populus idem propter vnius Dei fidelem ac verum cultum: quamuis quandoque vocabula eadem de Gentibus[h] legantur etiam virginis[i]: & meretricis nomen, aut etiam fornicandi non semper in peiorem partem assumi docent nonnulli[k]; sicut nomen hostis, teste, quantum ad hoc, Cicerone[l], quod etsi fortasse de meretrice concederetur, negant autem qui propriè scortum fuisse Raab arbitrantur, præsertim Serarius noster in Iosue[m], & ipsemet in Iacobum[n], vbi alios citaui; tamen de verbo fornicandi non video quomodo admitti possit. Virginis verò etiam nomen licèt aliquando dicatur de corrupta, vt aliàs docui, iuxta proprietatem consideratum tribuitur quibusdam ciuitatibus idololatriæ alioqui deditis: vel ad exaggerationem, quia instar virginis tenerioris, magísque amatæ peculiarem de illis Deus curam habuit, & eas lædentes videntur grauiùs offendisse: vel quoniam adhuc non erant captæ ab hostibus, & quodammodo violatæ, ac passæ veluti alienum torum, id est, iugum; post quod nihilominus retinuerunt idem cognomen. Sic Caspar[o] Sanctius.

Sicut Gentes.] Græcè (τὰ λοιπὰ ἔθνη, *reliquæ Gentes.*) Chaldaicè (*populi*, עַמְמַיָּא *hhamemaya.*) Synonyma sæpe sunt Gentes & populi; vt non semel monui.

Quas deleuit Dominus in introitu tuo.] Hebraice (*perdens*, nimirum est, aut fuit, aut erit, *à faciebus vestris*, מַאֲבִיד מִפְּנֵיכֶם *maauid mippenechem*) Chaldaicè (*transferens est, vel fuit, vel erit à conspectu vestro*, מַגְלֵי מִן קֳדָמֵיכוֹן *magle min kodamechon.*) Græcè (*perdit ante faciem vestram*, ἀπολλύει πρὸ προσώπου ὑμῶν.)

Ita

a v.15. b apol.1.in Ruffi. c c.13.2. d c.41.40. *Adorare idē quod sacrificare.* e q.5. f Ioan.4.24. g c.6.6. h v.26. i v.18. k v.19.

Paraphr. a v.24. & seqq. b v.5. c Gen.19. toto. Es.19.19. & seqq. c.14.4 & seqq Nah. 1.2 1.& 3. d c.4.24.c.5.9. c.6.15. e Esa.34.15.16. Leu.17.7.c.20.5.6. Num.14.33.c.25 1. & seqq. De.31 16.Iud.2 17.c.8.27.33.1.Paral.5.25.l.2.21.11.13. ps.105.39. Esa.23.17. Ier.3.1.6.8. apud Ezec. & Oseam sæpe. Nahū 3.4. f Esa.1.21.c.23.15.16.c.57.3.8. Ier.2.20. c.3.3.c 5.7.c.9.2. Ezech.16.30. & seqq. c.23.44. Nahū 3.4. Oseæ 3 1. g 4 Reg 19.21.Es.23.12.c.37.22. c 47.1.Ier.14.17.c.18.13.c.31.4.21.c.46.11. Thre.1.15. c.2.2.13. Amos 5.2. h Esa.23.17. c.57.3.8. Nahū 3.4. i Esa.23.12.c.43.6. c 46.11.c. 47.1.Ier. 46.11. k Pradus noster in Ezec.16.15. Gasp. Sanctius in Es.23. n.44. & 43.& in c.1.n.53. l 1.offic. m q.3. n in c.2.25. o in Esa 37. n.12.& 13. *Explanatio. Gentes & populi, pro synonymis.*

Ita & vos peribitis.] Pronomen (*vos*) adiecit Interpres. Verum autem testimonium, siue testificationem, vt dicitur priore versu, secundùm alias editiones, iuxta nostram per prædicendi verbum, Caietanus notat esse, quòd Deus gratuitò dat vires, ex hoc quòd relinquentibus Deum Hebræis, perituri sint: inde námque manifestari, quòd ipse est, qui roborat eos. Hæc est ratiocinatio accurata & vera de isto eodem populo quam Achior protulit coram Holoferne [a]; cuius summa fuit non potuisse illi populo resisti, opitulante ipsi Deo ac pugnante pro ipso, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui: quoties autem cumque præter ipsum Deum suum alterum coluit, datum in prædam, & in gladium, & in opprobrium: quotiescumque pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, Deum dedisse eis virtutem resistendi, &c. Constat hoc ex historia Iudicum, Regum, Tobiæ, Esther, Iudith, Machabæorum, & ex libris Prophetarum: nec minùs idem de Christianis affirmari Christianorum cogunt historiæ, quotidianáque experimenta. *Nostris*, ait Hieronymus [b], *peccatis Barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus fugatur exercitus.* Item [c]; *quidquid mali super nos adducitur, nostra peccata fecerunt: omnésque gentes vt tunc adducta sunt contra Ierusalem, sic hodie adducuntur contra Ecclesiam negligentem; vt interficiat Deus eos, & ponat in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas, vt in exemplo sint omnium, atque miracula, præsidem non habentes Deum.* Ambrosius [d] quoque sermone de Barbaris non timendis inserens mentionem de Niniue per pœnitentiam liberata: *Ciuitati*, ait, *non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? Si vis saluus esse, tua potiùs peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus.* Augustinus [e] docens Hebræos omnia, pro quibus tantæ falsorum deorum turbæ Romani supplicandum putauerunt, ab vno vero Deo multo feliciùs accepisse, ait, si non in eum peccassent impia curiositate, tanquam magicis artibus seducti, ad alienos Deos & idola defluendo, & postremò Christum occidendo, in eodem regno, etsi non spatiosiore; tamen feliciore mansuros, & nunc quòd per omnes ferè terras, gentésque dispersi sunt; illius vnius veri Dei prouidentiam esse: vt quòd deorum falsorum vsque quaque simulacra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tanto antè prophetatum: ne fortè cùm legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum. Repetit aliquoties [f] hoc vltimum, obseruántque prætereà Hieronymus [g], Theodoretus [h], Tertullianus [i], Cyprianus [k], & alij: illud autem aliud Tertullianus [l], Cyprianus [m], Minutius [n]. Postremi non est prætereunda sententia; qua respondet obiicienti Iudæis nihil profuisse, quod vnum & ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt: *Ignorantia laberis*, inquit, *si priorum oblitus, aut inscius, posteriorum recordaris. Nam & ipsi Deum nostrum (idem enim omnium Deus est) quando castè, innoxiè, religiosèque coluerunt; quamdiu præceptis salubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti; de egentibus diuites, de seruientibus reges: modici multos, inermi armatos dum fugiunt insequentes Dei iussu, & elementis adnitentibus, obruerunt. Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, vt transeamus veteres, Flauij Iosephi, vel Antonij Iuliani, de Iudæis require; iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse, quod non sit his, si in contumacia perseuerarent, antè prædictum. Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos; nec, vt impiè loqueris, cum Deo suo esse captos; sed vt disciplinæ transfugas deditos.*

a Iudith 5. 5. & seqq.
b epist. 3.
c in Ier. 25.
d serm. 85. veter. edit.
e 4. de ciu. c. vlt.
f in Ps. 58. lib. 1. de cōsensu euāg. c. 14. li. 18. de ciu. c. 46. lib. 3. cont. duas epist. Pelag. c. 4. ep 59. li. 13. cont. Faust. c. 10. lib. 16. c. 21.
g in Esa. 16.
h ora 20. de proud.
i apol c. 21.
k de idolos. vanit
l sup. & cap. 26.
m vbi suprà.
n in Octauio.

Si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.] Pro voce *verbum* est Chaldaicè מֵימַר *memar*: pro (*si*) editiones reliquæ habent (*quia* בְּקֶבֶב *bhekeb*, חֲלָף דִּי *chalaph di*, ἀνθ' ὧν) pro (*inobedientes fueritis*) Hebræa & Græca *non audietis*, aut *non audistis*, לֹא תִשְׁמְעוּן *lo thismehhun*, οὐκ ἠκούσατε; Chaldaicè *non suscepistis*, לָא קַבֵּלְתּוּן *lo kabbeltun*. Inobedientum nomine [a] alibi vtitur Interpres, & inobedientiæ [b]: sæpiùs vocabulis obediendi & obedientiæ, interdum quoque obeditionis. Obedientia porrò eiúsque oppositum, spectari possunt aut generaliter pro cuiusuis præceptis, executione; vel transgressione: aut in certa specie, quatenus attenditur formalis ratio superioritatis & subiectionis, vt docet Aquinas [c], dicens speciale obiectum istius virtutis esse præceptum tacitum, vel expressum: & quòd voluntas superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum: tantóque videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate superioris intellecta: denique quòd obedientia propriè respicit per intentionem, formalem rationem præcepti: inobedientia, quòd actualiter contemnatur præceptum. Illum antem obediendi modum perfectiorem cùm præuenit quis præceptum, vidit quoque Musonius [d] auctor ethnicus, scribens filium, qui quæ decent & conducunt faciat, quamuis sine iussu parentum, morigerum censeri; quoniam parentes filiis benè volunt, ac idcirco ea fieri ab ipsis volunt quæ decora, profuturáque sint: ita vt è contrario timere non debeant ne habeantur immorigeri, si non faciant quod indecorè præcipiant, aut quod honestè fieri debeat, possitve, prohibeant. μηδέ σοι πρόφασις ἔστω τοῦ ἁμαρτάνειν ὁ πατὴρ ἢ κελεύων τι τῶν πράττειν οὐ καλῶν, ἢ ἀπαγορεύων τι τῶν καλῶν. οὐδεμία γὰρ ἀνάγκη σοι τὰ μὴ εὖ προστεταγμένα ὑπουργεῖν: *Neque tibi prætextum sit peccandi pater aut præcipiens quidpiam facere eorum quæ honesta non sunt, aut prohibens aliquid ex iis quæ sunt honesta: nulla enim necessitas tibi, quæ non benè præcipiuntur exequi.* Omitto exempla suspicienda non imitanda eorum qui ex diuino instinctu, & ardore quodam obtemperandi, mandata executi sunt cum diuina lege pugnantia; vt in clibanum succensum ingrediendi [e], aut filium in flumen proiiciendi [f]; aut sese de turri præcipitandi; quod vltimum facere paratos milites Cato suos affirmauit [g]: & Baptista [h] Fulgosius prodit id re ipsa fecisse militem Assassinorum principis cui nomen Vetus in Syria, præsente Campaniæ comite Henrico.

a 3. Reg. 13. 26. 2. Esd. 13. 27. Tit. 1. 10.
b Esther 16. 24. Rom. 5. 19. 2. Cor. 10. 6. Hebr. 2. 2.
c 2. 2. quæst. 104. a. 2. in c. & ad 1.
d apud Ioā. Stobæum ser. 77. pag. 456.
e Sulpit. dialo. 1.
f Cassia instit. 4. c. 27. & 28.
g Plutar. in apopht. Roma.
h lib. 1, c. 1.

ARGVMENTVM CAPITIS NONI.

MISCET Moses læta tristibus, minùs promissa; cùmque sub finem prioris capitis, comminatus esset inobedientibus interitum ei similem, quem Gentes passæ fuerant, ac passuræ erant, propter sua crimina; nunc narrans ingentia quædam beneficia iam à Deo collata, iterum admonet, prout dicto capite præcedente fecerat, ne ascribant illa propriis vel meritis, vel viribus; verùm partim impietatibus Gentium, quas Deus punire iustè decreuerat; partim veteribus diuinis promissis ad ipsorum patres factis, quæ præstari, implerique oportebat. Quod eo magis persuadet; quoniam populus ille maximè rebellis in Deum semper extiterit iam inde ab egressu de Ægypto; tum verò, quando conflatum vitulum adorauit; tum ad sepulchra concupiscentiæ; tum postquam exploratores terræ Chanaan reuerterunt, quam si voluisset ingredi, iamiam ingredi populus poterat: ipse autem Moses pluries intercessit pro populo & indignationem Dei auertit ab illo. Suprà posita, nimirum capite præcedente, fuerunt, ait Abulensis, incitamenta ad amorem per benefacere; hic ponuntur incitamenta per peccata remittere. Hæc ante illum Lyranus vocat incitamenta dilectionis diuinæ ex consideratione misericordiæ Dei portantis patienter peccata populi, ac etiam remittentis.

CAPVT NONVM.

1. AVDI Israël: Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas & fortiores te, ciuitates ingentes & ad cœlum vsque muratas;

2. Populum magnum, atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex aduerso resistere.

3. Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis deuorans atque consumens, qui conterat eos & deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

4. Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc possiderem, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

5. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impiè, introëunte te deletæ sunt: & vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob.

6. Scito ergo quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ ceruici sis populus.

7. Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto vsque ad locum istum, semper aduersum Dominum contendisti.

8. Nam & in Horeb prouocasti eum, & iratus delere te voluit,

9. Quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: & perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.

11. Cùmque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis.

12. Dixitque mihi: Surge, & descende hinc citò: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile.

13. Rursùmque ait Dominus ad me: Cerno

Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit:

14. Dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cœlo, & constituam te super Gentem, quæ hac maior & fortior sit.

15. Cúmque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtráque tenerem manu,

16. Vidissémque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat:

17. Proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro,

18. Et procidi ante Dominum sicut priùs, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis coram Domino, & eum ad iracundiam prouocastis:

19. Timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.

20. Aduersum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.

21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninóque in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit.

22. In incendio quoque & in tentatione, & in Sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum:

23. Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis:

24. Sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi.

25. Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus:

26. Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.

27. Recordare seruorum tuorum, Abraham, Isaac, & Iacob: ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum:

28. Ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine.

29. Qui sunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

Vers. 1.] Audi Israël: Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas & fortiores te, ciuitates ingentes & ad cœlum vsque muratas,

Vers. 2.] Populum magnum, atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex aduerso resistere.

PRomissæ dudum terræ Chanaan possessionem breui ineundam affirmat, cùm esset tunc in ipsa ripa Iordanis, vltra quem ea terra erat, hoc est, vt supputat Abolensis, indicátque ante illum Hugo, post duos circiter menses, & nouem dies, quàm ista Moses cum præcedentibus, & his quæ sequuntur, locutus est. Nam anni quadragesimi mense vndecimo hæc omnia protulit & die prima; vt cap. primo [a] vidimus: populus verò transiuit Iordanem decimo die mensis primi, vt est in cap. 4. [b] Iosue. Beneficij quoque magnitudinem amplificat ex eo quòd eam regionem, illiúsque ciuitates maximè munitas, maximo numero incolerent habitatores fortissimi, quibus non modò ab Hebræis, sed nec ab aliis resisti poterat: vnde fiebat, vt quæ expugnari vi non poterant, ab Hebræis acquisitæ securos redderent aduersus quoslibet alios hostes. Similis eiusdem terræ descriptio præcessit c. 4. [c] vbi vocantur nationes maximæ & fortiores quàm populus Hebræus; & in cap. 6. [d] vbi ciuitates magnæ & optimæ: & in cap. 11. [e] vbi gentes maiores & fortiores, quàm essent Hebræi. In cap. quoque 1. [f] recitantur exploratores retulisse maximam ibi multitudinem esse, & ipsis staturа proceriorem; vrbes magnas, & ad cœlum vsque munitas, & filios Enacim: quibus affinia in prioris libri cap. 13. [g] ex eorumdem exploratorum ore habentur, nempe vidisse se cultores fortissimos, & vrbes grandes atque muratas, populum proceræ staturæ; monstra quædam filiorum Enacim de genere giganteo, quibus comparati Hebræi quasi locustæ viderentur. Tantopere totáque commendari terram illam oportuit, vt eius Hebræos desiderium magis teneret, cùm aliquoties reditum in Ægyptum moliti sint; ac tum maximè, quando acceperunt de illa responsum exploratorum [h], pro nihilo habentes terram desiderabilem [i]. Obseruaui porrò in cap. 1. [k] visum videri Mosem hoc nostro loco hyperbolica oratione, quæ in exploratoribus reprehenditur nimis rem exaggerantibus ad perterrendum populum, vt se ad eorumdem loquendi modum accommodaret; vel certè tam Mosem, quàm illos volgari loquendi formula vsos esse. Nec admodum plura quæ hic annotentur occurrunt.

a vers. 3.
b vers. 19.
c vers. 38.
d vers. 10.
e vers. 23.
f vers. 28.
g vers. 29.
h Num. 14. 1. & seqq.
i Psal. 105. 24.
k vers. 20.

Explanatio.

1 *Audi Israël.*] De nomine Israël actum alibi, & quo pactò conueniat toti populo Hebræo, aliquando post diuisionem regni, diuisionémque tribuum, pro regno constante ex decem. In c. 1. [l] & 5.

Israel, pro toto populo Hebræo.

l vers. 1.

& 5. a & 6. eadem extat prouocatio seu inuitatio vt audiat Israel.

Tu transgredieris hodie Iordanem.] Hebraicè, Chaldaicéque participium est עבר *hhouer* , עבר *hhauer*, quod exponi potest per præsens etiam tempus, cùm admittat participium tempora omnia vt sæpiùs admonui. Græcù verbum διαβαίνεις præsentis temporis est. Imminens transitus haberi poterat pro præsenti: & quia nondum aderat, per tempus futurum explicatur in editione nostra. Aduerbium verò *hodie* interpretantur passim hic pro breui futuro tempore. Caietani Scholiastes Fonseca plures dies ait aduerbiis *hodie* & *cras* significari: quod confirmat illa Christi sententia c , *sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor*, id est, breui erit mea mors; item d, *oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare*, id est, pluribus diebus, non longo tamen tempore: præterea *hodie* sumi pro toto tempore huius sæculi; vt e, *hodie si vocem eius audieritis*: aliquando pro æternitate; vt f, *hodie genui te*. Reperies plura harum notionum exempla in variis commentariis nostris: & in cap. 2. g libri huius affine illud est, *tu transibis hodie terminos Moab*, &c. Idem ferè iudicium, de *hodie* & *cras*, atque de *heri*, & *nudiustertius* pro tempore indefinitè futuro, vel præterito: cùm alioqui per se significent certum, próque illo esse sumendum, ex adiunctis debeat iudicari. Lege Delrium h nostrum.

Vt possideas nationes maximas.] Loco nationum sunt Hebraicè & Græcè *gentes*, גוים *goim*, ἔθνη. Chaldaicè *populi*, עממין *hhamemin*: pro epitheto superlatiuo extat positiuum in dictis aliis editionibus: pro verbo (*possideas*) Chaldæum תרתא *thiracha*, valet *eiicere*. Nationes ipsæ siue gentes, & populi, hominésque possidendi non erant; sed terra eorum, & bona: illi autem eiiciendi, immò & delendi. Attamen possideri dicuntur, quatenus veniunt in potestatem vincentium, vt de eis quod libuerit faciant, vel seruando, vel eiiciendo, vel occidendo. Idem notauimus c. 21. i libri præcedentis, vbi scribitur quod Hebræi ceperunt viculos Iazer, & possederunt habitatores: diximúsque verbum ירש *iaras*, quod est vtroque loco, significare non solùm hæreditare, seu possidere, verùm etiam expellere. Pelli necesse est possessione illum rei quam quis de nouo possidere incipit: & cùm veteres migrare coloni coguntur: aduena dicere potest, *hæc mea sunt* k. Rickelius explicat hoc loco, vt voluntati tuæ traditas habeas ad occidendum,

Et fortiores te.] Græcè cum pronomine numeri pluralis, ἢ ὑμεῖς, *quàm vos*: quo etiam pacto legitur cap. 11. l secundùm omnes editiones cum eodem epitheto, quod etiam est in c. 4. m

Ciuitates ingentes.] Citatis antea locis synonymè appellantur in editione nostra *magnæ*, & *grandes*, cùm cæteræ iisdem vbique vocabulis vtantur; ne quis hæc nostra Latina distinguens, frustrà diuersum quid quærat in singulis.

Et ad cælum vsque muratas.] Eadem omnino dicta sunt c. 1. n secundùm editiones reliquas: vbi nostra pro muratas habet munitas. Ibidem de hyperbolica ista formula egi, & cur non modò exploratores ita locuti fuerint, sed Moses etiam: & qua ratione Scripturæ sacræ, vel profanæ quoque vsurpent eiusmodi figuratam orationem in genere, seu circa res alias. Disputat Abulensis o de vsu istius figuræ in Scriptura sacra, docens imitari modum loquendi vulgarem: velle sic magis commouere, præsertim circa minas, vt quando Christus non remansurum lapidem super lapidem Ierusalem a. Addit comparationes ciuitatum Ægypti minùs incredibilem esse hanc hyperbolem; quoniam erant minùs altæ fortésque, vtpote ex terra atenuta, & carentes copia calcis & lapidum, quorum loco adhibebantur lateres & lutum,..

Populum magnum, atque sublimem.] Chaldaicè pro sublimi fortem legimus, תקיף *thakkiph*: Græcè tria epitheta magnum, & multum, & sublimem, siue procerum, μέγαν, καὶ πολύν, καὶ εὐμήκη. Sublimitatem & proceritatem hanc exploratores retulerant, asserentes b populum terræ illius proceræ staturæ; & quod hic etiam statim indicatur, monstra ibi vidisse de filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati Hebræi, quasi locustæ viderentur. Sublime Latini dicunt quasi supra limum, aut velut limen superius, iuxta illud Ennij c de cœlo.

Aspice hoc sublimen candens, quem inuocant omnes Iouem,

quod aliter Apuleius citat,

Aspice lucè sublime tueri, &c.

Sublimum æthera pro sublimem Seneca d; Lucretius e sublima cœli pro sublimia; sublimam nebulam Sallustius f vsurpauit pro sublimem.

Filios Enacim.] Græcè numero singulari (υἱοὺς Ἐνάκ, *filios Enac*:) Chaldaicè (*filios gigantum*, בני גבריא *bene gibbaraiia*. Lege dicta cap. 1. g vbi etiam nominantur filij Enacim, sicut præterea c. 2. h atque in libro Iosue i. Docui primo loco filios Enacim pluraliter, appellatiuè sumendo, exponi posse homines quasi torquatos, siue torque insignitos, & fortes: filios Enac numero singulari descendentes ab vno, cui nomen fuisset Enac. Theodoretus l hoc loco declarat ἐνακείμ γιγάντων, ἐνιαυτοῦ δὲ γιγάντων τοῦτο φησὶν, inquit, ὅτι λαὸν πολὺν καὶ εὐμήκη, *hoc enim dixit* (Moses) *populum multum*, siue *numerosum*, *& procerum*. Sed prætermittit aliud epithetum μέγαν, *magnum*.

Quos ipse vidisti, & audisti.] Hebraicè, Chaldaicè (*quod* vel *quos tu nosti & tu audisti*.) Significare *quod* & *quos* potest אשר *aser* & ד *de*. Græcum pronomen est οὓς *quos*, οὓς σὺ οἶδας, καὶ σὺ ἀκήκοας, *quos tu nosti*, *& tu audisti*. Emphasim habet repetitio pronominis; duplexque verbū quo notitiæ certitudo affirmatur. Ponuntur autem interrogationes pro negationibus sæpenumero, inquit Eugubinus. Citatus Theodor. monet hoc modo reduci populo in memoriam exploratores, qui retulerant Hebræos in comparatione Chananæorum esse tanquam locustas k. Hugo idē insinuat. Abulensis, eúmque secutus, licèt nomen taceat, Marzilla, locum istum intelligi volunt iuxta regulam quartam Ticonij, quam cum aliis sex, eiusdem auctoris approbat Augustinus l, vt sori tribuatur populo quod conuenit solùm parti, hoc est, vt quòd soli Iosue & Caleb viderant, mortuis iam aliis decem exploratoribus, dicantur Hebræi omnes vidisse: qui tamen tantùm audiuerant. Hoc Ipsum Rickelius & alij tradunt. Oleaster autem & Leonardus Marius cognitos filios Enacim aiunt ab Hebræis in Og, quem ab iis interfectum vidimus cap. 3. m audiuisse de iisdem Hebræos, ab exploratoribus.

Quibus nullus potest ex aduerso resistere.) Interrogatiuè in editionibus aliis (*quis resistet facie*, aut *contra faciem*, aut *ante* seu *coram filiis Enacim*, vel *gigantum*? מי יתיצב לפני בני ענק *mi ithiatsab liphne bene hhanak*: τίς ἀντιστήσεται κατὰ πρόσωπον

Marginal notes (left): a vers. 1. — b vers. 4. — *Hodie, pro breui futuro tempore. Hodie & cras, id est, plures dies. Hodie, pro toto tempore huius sæculi, aliquando pro æternitate.* — c Lucæ 13. 32. — d vers. 33. — e Psal. 94. 8. — f Psal. 2. — g Psal. 18. — h adagial. 10. 1. adagio 34. — i vers. 32. — k Virg. eclo. 9. — l vers. 23. — m vers. 38. — n vers. 28. *Hyperbole.* — o quæst. 1.

Marginal notes (right): a Lucæ 19. 44. — b Num. 13. 33. — *Sublime unde.* — c apud Festum Thyestes: et apud Cicer. 2. & 3. de nat. deor. & apud Probum in Sileno et apud Apuleium lib. de mundo. — d apud Hieron. Columnam in Ennium pag. 410. — d in Medea in fine. — e lib. 1. — f lib. 3. — g vers. 28. — h vers. 11. — i 14. 12. — l quæst. 7. — *Interrogationes nonnunquā pro negationibus.* — k Num. 13. 33. — l lib. 3. de doctr. Chr. c. 31 & seq. — m vers. 1. & seqq.

ἐῶν ἐνάκ; מִיכּוֹל לְמֵיקַם קֳדָם בְּנֵי גִבָּרַיָּא *manicchol lemekom kodam bene ghibaraiia.* Quare non fideliter translatum ex Chaldæo legimus (*tu enim nosti & audisti, quod nullus potest resistere filiis gigantum.*) Caietanus sentit hæc verba audita à populo, vt ab exploratoribus dicta: Oleaster mancam affirmat orationem cum dicta interrogatione, supplendum verò, (*de quibus dicebatur*, aut *de quibus dicebat, quis stabit ante filios Enach?*) Et si de Iudæis, inquit, intelligas, hoc fortè dixerunt, quando ab exploratoribus de eis audierunt. Vertit apostata Munsterus (*de quibus tu nosti, & audisti* (dictum) *quis stabit contra faciem filiorum Enac?*) Arbitratur Mariana noster prouerbium fuisse inter eas gentes vulgatum, *quis stabit coram filiis Enach?* Solus quidem Og restiterat de stirpe gigantum [a], seu superfuerat; sed tandem, vt dixi, ab Hebræis ipsis, quos nunc Moses alloquitur, occisus est. Postea Caleb in Aariath Arbe patris Enach, quæ aliter Hebron appellatur, deleuit tres filios Enac, Sesai, Ahiman, Tholmai de stirpe Enac [b]. Sed vt intelligatur quantum esset robur eorum qui nominabantur Emim, similes dicuntur fuisse filiorum Enacim [c]. Scholiastes Caietani Fonseca ex occasione istorum gigantum, inserit mentinnem de Noë, & Dauid, quos refert nonnullorum sententia gigantes, immanisque magnitudinis fuisse: ac de primo citat Berosum: de secundo probat non multò minorem fuisse quàm Goliath, quia gladios istius vsui fuit ipsi [d]: & adhuc ferè puer, adeò procerus erat vt æquari posset Saüli, arma ei sua offerenti [e]. Sed Augustinus [f] Dauidem cum Golia pugnantem, paruum vocat; & intelligi videtur ex ipsamet historia Regum [g], vbi puer vocatur etiam à Saüle: quamuis putetur 22. tunc annos natus [h]. Saülis autem dicuntur arma; non quæ gestaret ipse, verùm ex armamentario eius prompta, vt & vestes, quas fabulosi Rabbini ipsiusmet Saülis fuisse volentes, sed aptatas diuinitus corpori Dauidis, regiam in eo dignitatem præsagiisse affirmant. In fabulis, quoque computandum, quòd fuerit Noë vel Prometheus, vel Deucalion. Sed hæc præsentis instituti non sunt.

a ibid. v. 11.
b Iosue 15. 13. 14.
c Deut. 2. 11.
d 1. Reg. 21. 9.
e c. 17. 38. 39.
f serm. 4. de verb. Apost. c. 9. & hom. 31. ex li. 50. hom. siue ser. 10. de diuersis c. 4.
g lib. 1. 16. 1. c. 17. 33.
h Salia. to. 3. annal. anno 2971. n. 46.

Vers. 3.] Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis deuorans atque consumens, qui conterat eos & deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

PARAPHR. QVibus promisit transitum in terram Chanaan, breui pòst tempore futurum per Iordanem, iisdem pollicetur fore, vt præeat ante ipsos Deus, demonstrans admirabilem potentiam suá in diuidendo ac exsiccando Iordane, aduersùs autem hostes eorum intra terram ipsam, exhibendo se tanquam ignem, qui efficacissimè, velocissiméque supra cuncta alia elementa vel mixta cunctas res veluti deuorat & consumit. *Ignis ante ipsum præcedet*, canit Dauid [i], *& inflammabit in circuitu inimicos eius*; & apud Ezechielem [k] Deus; *immittam*, ait, *ignem in Magog, & in iis qui habitant insulas confidenter.* Diuinæ signum maiestatis ignis est aduersùs aliquem indignatæ atque concitatæ, dicitúrque effundere Deus quasi ignem indignationem suam [l]; exardescere velut ignis ira eius: ascendere fumus in ira eius [m]; ignis à facie eius exardescere [n]: accendi velut ignis zelus eius [a]: ignis succendi in furore [b] eius: vt ignis indignatio [c] eius: in zelo suo, & in igne iræ suæ loqui [d]: ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma [e]: sic perire peccatores à facie eius, sicut fluit cera à facie ignis [f]: ita persequi inimicos suos in tempestate sua, & in ira sua turbare illos, sicut ignis comburit siluam, & sicut flamma comburit montes [g]. Denique olla succensa quam vidit Ieremias [h], idem valet: cùm etiam definiant iram sanguinis circa cor efferuescentiam: & iram ex igne proficisci doceat Aristoteles [i], largè autem infusa frigida sedari.

i Ps. 96. 3.
k c. 39. 6.
l Thre. 2. 4. Nah. 1. 6.
m Ps. 88. 47.
n Ps. 17. 9.
a Ps. 78. 5. Deut. 32. 22.
b Ier. 15. 14. c. 17. 4.
c Iere. 4. 4.
d Ezech. 38. 19.
e Ioel. 2. 3.
f Ps. 67. 3.
g Psal. 82. 15.
h c. 1. 13.
i sect. 8. probl. in 17.

Explanatio. *Scies ergo hodie.*] Ergo, posuit Interpres loco (*&* וְ *ve*, *καὶ*) quæ particulæ vsum illum quandoque habere possunt, vt [k]; *pondus super se tollet qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris.* Est enim sententia secunda præcedentis illatio. Accipitur autem (*hodie*) sicut priùs, pro breui spatio temporis.

k Eccli. 13. 2.
Τὸ *hodie.*

Quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te.] Chaldaicè (*quia Dominus Deus ipse*, nimirum est, *quod transibit coram te verbum eius*, אֲרֵי יְיָ אֱלָהָךְ הוּא דְעָבַר קֳדָמָךְ מֵימְרֵיהּ *are Iehouah elohach hu dahbarnar kodamach memerreh.* Significat [illegible], *præibit*: quemadmodum & in cap. 31. [l] *Dominus ergo Deus tuus transibit ante te.*) vbi est participium προπορευόμενος: & præterea in editione Hebræa Chaldæáque pronomen הוּא *hu*, sicut hoc loco. Præcessisse in via Deum per desertum vidimus cap. 1. [m] ac se præcessurum promisisse testimoniis aliis comprobauimus, siue per arcam quæ præcedebat proficiscentes, & in qua Deus habitare peculiariter censebatur, siue per columnam nubis, & ignis, siue per Angelum, qui etiam columnam dirigebat.

l vers. 3.
m vers. 33.

Ignis deuorans, atque consumens.] Græcè vnicum epithetum habetur πῦρ καταναλίσκον ἐστὶν, *ignis consumens est.* Hebraicè, & Chaldaicè vnum quoque dumtaxat, sed significans comedere, seu deuorare, אֹכְלָה *ochelah*, & אָכְלָא *achla.* Eodem verò pacto se habet eadem sententia capitis 4. [o] nisi quòd etiam Latinè legitur vnum tantùm participium (*consumens*) *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ibidem plura de hac figurata loquendi formola ex sacris profanísque literis, necnon ex Patribus de ipsamet sententia, prout Deo tribuitur.

o vers. 24.

Qui conterat eos, & deleat, atque disperdat.] In aliis editionibus præponitur pronomen idem quod paulò antè, & quidem ante omnia verba; quod non paruam vim habet, seu emphasim, & energiam, quasi digito vt præsens indicetur Deus; fortassis digitum intendendo ad arcam: vt summa quadam asseueratione auditores confirmentur in indubitata spe auxilij diuini, quod non nisi ab vno illo vero Deo expectari debeat, vel possit; sed id pronunciare affirmatè, confidenter, constanter valeant [o]: *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum*: & [p], *quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.* Quocirca particula (*qui*) non refertur ad ignem, qui Hebraicè, & Chaldaicè fœminini generis est, vt indicat participium eiusdem generis אֹכְלָה *ochelah*, & אָכְלָא *achla*: Græcè autem neutrius, nempe πῦρ καταναλίσκον: pronomina verò הוּא *hu*, & αὐτὸς masculini: nec propriè conuenit igni vt conterat, &c. Ex Hebræo (*ipse disperdet eos, & ipse humiliabit eos ante te, & expelles eos, & perdes eos.*) Ex Chaldæo) *ipse consumet eos, & ipse conteret eos coram*

o Baruch. 3. 36.
p Ps. 47. 15.

coram te, & eiicies eos, & perdes eos.) Ex Græco omnia sunt in tertia persona, & referuntur ad Deum, οὗτος ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς, καὶ οὗτος ἀποστρέψει αὐτοὺς πρὸ προσώπου σου, καὶ ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς, καὶ ἀπολεῖ αὐτούς. In superandis hostibus præcipuæ partes Dei sunt, immò sine ipso aliorum nullæ: aliqua tamen cooperatio solet ab hominibus exigi ac interuenire. Abulensis & Marzilla conterere ad vulnerationem, delere ad occisionem, disperdere ad totalem, vel multiplicem destructionem referunt. Caietanus Hebræa reddit (*ipse destruet eos, & ipse humiliabit eos coram te, & hæreditabis eos, & perdes eos.*) Verbum cum affixo [illegible] *horasthan* admittit significationem hæreditandi, & eiiciendi: sed vltima videtur magis ad rem. Mysticè Hugo interpretatur conterere de contritione pœnitentis; delere de B confessione, disperdere de satisfactione.

a vers. 1. *Ante faciem tuam.*] In cap. 2.[a] est delere à facie aliorum. *Delere ante faciem, idem quod in conspectu.* Delere ante faciem, est idem quod in conspectu, & quasi ad solum aduentum & aspectum: à facie, ita vt non compareant ampliùs.

Velociter.] Beneficij magnitudinem auget quòd conferatur velociter, citò, festinanter: & supplicij, quod non differatur. Secundi exemplum fuit in cap. 4.[b] & 7.[c] éstque inferiùs in hoc ipso capite[d], vbi dimitti petit Deus se vt puniret quamprimùm: item in Leuitico cap. 26.[e] quo loco minatur visitaturum se velociter in egestate, & ardore, &c. opem verò diuinam implorat C David[f] exhiberi sibi citò, velociter, cum festinatione, & acceleratione.

b vers. 26. c vers. 4. d vers. 14. e vers. 16. f Ps. 30. 3. Ps. 69. 1.

Sicut locutus est tibi.] Additur *Dominus* in aliis editionibus. Locutus est autem promittendo, & quidem cum iuramento.

Vers. 4.] Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc possiderem, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

D *Vers.* 5.] Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt: & vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob.

Vers. 6.] Scito ergo quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus. E

PARAPHR. ADeò amplæ de tam opima, & planè optima terra, déque adeò insignibus victoriis promissiones, poterant inducere populum, vt suis eas meritis deputaret, ac sibi deberi existimaret, quasi bonorum operum merces iusta seu præmium essent: cùm tamen in pœnam suæ impietatis & grauissimorum criminum aliorum expelli Deus voluerit dictæ terræ nationes: præ-

A terea simul vt ad Patriarchas iusiurandum quod iurauerat, daturum se possessionem Chanaan, impleret. Posteriorem causam posuerat iam præcedente capite[a] Moses & alibi. Tanti verò momenti est arrogantiam vitare, ac Deo quod suum est in donis & muneribus tribuere, gratóque animo accepta ei cuncta referre; & cum gratiarum actione gloriam ipsi reddere; vt in hoc nostro textu semel ac iterum inculcet Moses, ne persuadeant sibi vllo modo Hebræi habitam rationem in præbendo vires contra hostes, & in tradenda eorum regione iustitiæ ipsorum, & non meræ liberalitatis & gratiæ Dei, qui quod sponte pollicitus est, præstare voluit, eadémque opera punire immunda quædam patrantes peccata.

a vers. 18.

B Cassianus[b] vt probet nihil nos posse aduersùm vitia sine auxilio Dei: nec debere nos in eorum extolli victoria, recitato hoc nostro loco ait: *Rogo quid apertius potuit dici contra perniciosam opinionem, præsumptionémque nostram, qua totum quod agimus vel libero arbitrio, vel nostra volumus industria deputare?* &c. *Nónne hic qui oculos animæ reseratos, & aures habent ad audiendum euidenter expressit? Cùm tibi prosperè vitiorum carnalium bella successerint, & videris te de ipsorum cæno, & conuersatione mundi istius liberatum, non tua id virtuti, nec sapientiæ, prouentu pugnæ atque victoriæ inflatus adscribas, credens te propter labores & studium tuum, & arbitrij libertatem, de spiritualibus nequitiis, vel carnalibus vitiis obtinuisse victoriam. Quibus procul dubio in nullo penitus præualere potuisses, nisi te Domini* C *communisset, aut protexisset auxilium.* Profert verò idem[c] alia plura testimonia, quibus ostendit nihil posse nos, quod ad salutem nostram pertinet, sine adiutorio Dei perficere. Prior Cassiano Ambrosius[d] vsurpat ad idem probandum, hunc locum, cuius pridem antè memini, cum aliis ex Apostolo[e], asserente tanquam legis huius interprete, nec gloriante in virtute sua, minimum se Apostolorum, & quidquid esset, gratiæ diuinæ esse, non meriti sui, nihilque nos habere, quod non acceperimus, vt propterea gloriari non debeamus quasi non acceperimus; præterea monens disci hinc vt humilitatem magis sequamur quàm arrogantiam, sedulitatem affecte-D mus, quàm potestatem: & quòd accepimus salutaria præcepta, neque negligere vtilia instrumenta medicinæ debeamus, quibus fibra omnis lethalis vulneris exsecatur, subiicit, post hæc, inquam, omnia, ista verba: *Ille quoque qui se iustificat, ne infletur cordis sui tumore, & ipse accepit salubre mandatum, in huiusmodi sententiam resultante oraculo: Ne dicas in corde tuo,* &c. Videri potest Ambrosius imitatus Philonem, qui in libro de sacrificiis Abel & Cain, distinguit classes tres circa gratiam Dei peccantium, per beneficiorum obliuionem; per nimiam arrogantiam, bonorum suorum auctores se existimando; ad Deum quidem auctorem sua bona referentium, sed asserentium se suo merito ea consequi. *Horum sin-*E *gulis*, inquit, *resistit sacra Scriptura.* Quod singillatim deinceps comprobat. Vtitur eadem præsentis loci auctoritate Franco[f] Belga Monachus Cluniacensis, qui floruit anno 1109.[g] scribens quòd homo nulla sapientia sua, nulla virtute sua, nullis meritis suis, sed sola conditoris sui gratia, recuperandi gratiam aditum inuenit: Deinde conuerso ad Christum[h] sermone: *Tua Christe*, ait, *gratia hæc omnia operatur, quæ sic gratis omnibus datur, vt nullius vnquam merito, nullius desiderio præueniatur, sed omnes ipsa præueniat, omnibus ipsa*

b colla. 5. c. 15. c 12. inst. c. 17. d 1. de Abel c. 9. e 1. Cor. 4. 5. c. 15. 9. 10. f lib. de gratia Dei tomo 4. g Tritem. de script. & Posseuin. in apparatu. h tomo 12.

ipsa subueniat, omnibus præstet, vt perueniant. Chrysostomus[a] colligit ex his verbis Deum propter Patriarchas populum ex ipsis postea ortum, vocatione ac visitatione dignatum esse. Galatinus[b] adhibet hunc locum & alium ex priore[c] capite, quemadmodum ibi memini, vt doceat populum Israëliticum non esse à Deo peculiariter electum aut ob maiorem quantitatem præ cæteris sine numerum, multitudinémve, quæ ratio exclusa est dicto alio capite; aut propter qualitatem, hoc est, sanctas operationes, quæ hîc excluduntur, sed ob proprietatem quandam insitam & occultam, qualis, v. g. est in magnete ac similibus: hanc autem ait fuisse immaculatam matrem Messiæ ex iis processuram tanquam petram sine manibus excidendam, prout exposuit R. Nehumias filius Haccanæ in epistola arcanorum. Tendunt eò omnia, vt deprimamus arrogantiam tum maximè, quando nobis videmur victoriam reportasse de vitiis, aut passionibus. Quò etiam per accommodationem aduocari potest vtcumque cum Iacobo Aluarez[d] nostro illud ex Prouerbiis; *cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam;* id est[e], ne aliquando quodammodo placari videatur Deus illis defectibus ac imperfectionibus, permittendo vt pullulent & inualescant. Proferunt verò nonnulli quæ hîc dicuntur, vt probent absurdum esse concedere populum Hebræum electum fuisse à Deo ex meritis, siue quòd meruerit electionem suam in populum peculiarem, non est ad rem, quia sermo est de rerum promissionis concessa non propter merita, cùm potiùs meruisset suis peccatis illam amittere. Negari tamen non potest, quin Abraham, Isaac, Iacob, promouerint operibus suis bonis ex Dei gratia factis electionem sui seminis in populum Dei peculiarem, quemadmodum vt in tempore ab eo assumeretur in populum talem. Ex quo colligit Vasques[f] noster, necnon ex similibus aliis, generaliter loquendo seruari eumdem omnino ordinem in tempore & in præscientia; vt quæ in tempore dicuntur dari ex meritis, dicantur quoque præfiniri ac prædestinari ex iisdem. Morale porrò documentum insinuatur in recitato textu; peccatores priuari bonis temporalibus in pœnam, eáque aliis communicari à Deo. Hanc[g] Iob partem hominis impij & hæreditatem violentorum ait esse quam ab Omnipotente suscipiant; vt si comportauerint quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerint vestimenta, iustus vestiatur illis, & argentum innocens diuidat, &c. Hoc pacto domum Aman rex Assuerus dedit reginæ Esther[h].

Ne dicas in corde tuo.] Hæc formula iam declarata est priore[i] c. & in 7.[k] quo pacto vt plurimum quod vetatur dicere in corde sit quidpiam valdè abhorrens non solùm ab auribus, sed quod etiam quis animo intra se concipiat, ac sibimet intus loquatur.

Cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus.] Hebræum הדף *hadoph* significat *expellere*: Chaldæum יְתַבַּר *ithbar*, *confringere*: Græcum ἐξαναλῶσαι, *consumere*. Cassianus[l] legit (*cùm deleuerit eas*) quod additur Græcè (*gentes has*) ἐν τῷ ἐξαναλῶσαι κύριον τὸν θεόν σου τὰ ἔθνη ταῦτα. Ambrosius[m] (*cùm consumere cœperit Dominus Deus tuus gentes illas.*) Augustinus[n] (*cùm consumpserit Dominus Deus tuus gentes illas.*)

In conspectu tuo.] Sic etiam Græcè πρὸ προσώπου σου, *ante faciem tuam*, quo etiam pacto erat apud Augustinum[a]: sed in editionibus aliis (*à facie tua*) מִלְּפָנֶיךָ *millephanecha*, מִן קֳדָמָךְ *min kodmach.*) Id Ambrosius[b] quoque secutus, legit (*à conspectu tuo.*)

Propter iustitiam meam.] Omissum est quod habent editiones aliæ (*dicendo*, aut *dicens*) & Augustinus[c] exprimendo dicens, quod est Græcè λέγων, notat ordinem hunc esse (*ne dicas in corde tuo, dicens.*) quod item participium ponitur ab Ambrosio*. Græca sunt εἴπῃς, & λέγων: Hebræa verò & Chaldæa editio repetunt idem verbum. Quod aliàs contingit non rarò. Hebræa Chaldæaque editio vtuntur ante nomen iustitiæ coniunctione (בְּ *be*, *in*) quæ rectè per (*propter*) reddita est; vt & alibi non semel. Immò Latina (*in*) eumdem vsum sæpe habet[d]; vt, *in te*, vel *in semine tuo benedicentur vniuersæ cognationes*, vel *gentes terræ*[e]; *saluum me fac in misericordia tua*[f]; *non erubescam in me*[g]. Singularis numeri iustitia est in aliis etiam editionibus, sed Græci bibliorum Complutensium, Regiorum, & aliorum codices habent pluraliter τὰς δικαιοσύνας, & præterea citatus Augustinus, atque Theodoretus[h]. Iustitiæ nomine virtus omnis intelligi solet, legúmque omnium obseruatio: plurali autem præsertim numero dicuntur iustitiæ ipsa præcepta & leges particulares: & rursus iustitia singulari modo accipitur non solùm pro speciali virtute, sed etiam pro eleemosyna, vt alibi monui. In Sixtinis Græcis libris habentur hæc omnia, οὐχὶ διὰ τὴν δικαιοσύνην σου, οὐδὲ διὰ τὴν ὁσιότητα τῆς καρδίας σου, *non propter iustitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui.* Sed hæc infrà ponuntur ab aliis.

Introduxit me Dominus.] Legunt Ambrosius, & Augustinus (*induxit.*)

Vt terram hanc possiderem.] Græcè (*terram bonam hanc*, τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν ταύτην.) Quod epithetum omisit Ambrosius legens dumtaxat (*possidere terram istam.*) Augustinus verò expressit (*hæreditare terram bonam istam.*) Hæreditatem importat κληρονομῆσαι, prout sorte adueniat: sed extenditur ad quemlibet possidendi modum.

Cùm propter impietates suas ista deletæ sint nationes.] Ambrosius[l] (*sed propter iniquitates gentium istarum extirpabit illos Dominus a facie tua.*) Quod congruit cum aliis editionibus. Mendosè autem videtur (*sunt*) pro (*sint*) in bibliis Complutensibus, & Regiis legi. De nomine רִשְׁעָה *rishhah*, aliàs actum est. In textu Rickelij sunt *iniquitates*. Sed Hebræum quod dixi benè redditum est, & ἀσέβεια, quæ hîc habetur, valet propriè impietatem.

Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui.] Hîc ponuntur Græcè in codicibus Complutensibus & Regiis, quæ antea recitaui ex Sixtinis, omissis aliis quæ sunt in præcedente membro, quod in iisdem Sixtinis isti subiungitur. In Ambrosio extant hæc omnia (*non propter iustitiam tuam, non propter bonitatem tuam, nec propter æquitatem cordis tui.*) Hebræa nomina sunt צְדָקָה *tsidkah*, & יֹשֶׁר *iosher*, *iustitia*, & *rectitudo*. Caietanus ita etiam vertens refert primum nomen ad opus exterius, secundum ad intima. Notat verò præterea reddi rationem monitionis triplicem: primam negatiuam hîc positam; secundam affirmatiuam de impietatibus gentium; tertiam eiusdem modi, de seruanda fide patribus: per has autem omnes insinuari quòd Deus vt benefaciat populo Israël, seu vt seruet pactum suum cum patribus, non nocet aliis,

[Marginalia: a in Ps. 104. — b lib. 7. cap. 21. — c vers. 17. — d to. 2. de extermin. mali lib. 1. p. 2. c. 2. — e c. 24. 17. — f 3. p. to. 1. disp. 82. c. 3. — g c. 27. 13. 16. — h Esth. 8. 1. — Explanatio. — i vers. 17. — k vers. 17. — l 5. instit. c. 25. — m l. de Abel. c. 7. — n in locution. — a suprà. — b suprà. — c suprà. — * suprà. — d Vide indicem Sa. — e Gen. 12. 3. c. 22. 18. c. 26. 4. — f Ps. 30. 17. — g Ps. 68. 7. — h quæst. 7. Iustitiæ nomine quid intelligi soleat. — l suprà.]

ſed expectat tempus quo iuſtitia exigente humiliandi ſeu delendi ſunt alij: & ſic bona illorum tradit iis quibus vult benefacere. Abulenſis iuſtitias in operibus accedit, æquitatem cordis in rectitudine voluntatis ad benè operandum; & in his duobus omne bonum perfici: ſcilicet in bona rectáque voluntate, & in debita executione. Vocabula Chaldæa זַכְוּתָא *zachutha*, & קַשִּׁיטוּת *kaſſcituth*, eamdem vim habent, ſignificátque præterea ſecundùm veritatem, integritatem, perfectionem. Sed ex Græcis δικαιοσύνη iuſtitiam quidem ſignificat, ſed ὁσιότης ſanctitatem, ſiue vt Scholiaſtes Euripidis τὸ πρὸς θεὸν ἐξ ἀνθρώπων γινόμενον δίκαιον, *id quod ad Deum ex hominibus fit iuſtum*. Quamuis latiùs patere poſſit, quemadmodum & ὅσιος ſignificare non tantùm qui τὰ πρὸς θεὸν exercet, ſed in genere ſanctum, iuſtum, innocentem, nullo ſcelere inquinatum. Apoſtolus præcipiens renouationem ſpiritu mentis eam explicat vt induamus nouum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Vbi priore loco ponitur δικαιοσύνη, deinde ὁσιότης.

a lib. 3. 9. 4.

In hiſtoria[a] Regum ſimplicitas cordis & æquitas dicuntur Græcè ὁσιότης καρδίας καὶ εὐθύτης, *ſanctitas cordis & rectitudo*: Hebraicè תָּם לֵבָב *tham lenab*, & יֹשֶׁר *ioſcer*, *perfectio*, ſeu *integritas cordis & rectitudo*: Chaldaicè קַשִּׁיטוּת לִבָּא *kaſcituth libba*, de quo priùs dixi, & תְּרִיצוּתָא *theritſutha*, quod *rectitudo* exponitur.

Æquitas quid.

Æquitas propriè accipitur pro quodam temperamento, & mediocritate inter ius & licentiam indulgentiámve; cúmque de iure remittitur: & aliter dicitur æquum & bonum, atque ſine coniunctione æquum bonum, Græcè ἐπιείκεια: æquitatem verò animi (eadem ratio cordis) vocant rectam conſtitutionem eius, tranquillámve affectionem, omni vacantem indignatione. Quare hoc loco ὁσιότης *ſanctitas* Græcè pertineret ad Deum; δικαιοσύνη ad alterum: iuxta cæteras editiones iuſtitia ad alterum, rectitudo cordis ad Deum; ſicut & directio[b] cordis, vel abſolutè directio[c]; & recti corde[d], aut rectum cor habentes[e], de quibus in Pſalmis egimus, & in libro Sapientiæ.

b Pſ. 118. 7. Sapien. 9. 3.
c Eſa. 57. 2.
d 3 Reg. 3.
e Pſ. 7. 11. Pſ. 10. 2. Pſ. 31. 11. Pſal. 35. 11. Pſal. 63. 11. Pſ. 72. 1. Pſ. 93. 15. Pſal. 96. 11. 4. Reg. 10. 15. Prou. 27. 21.

Ingrederis vt poſſideas terras eorum.] Hebraicè, & Chaldaice (*ingrediens*) es vel eris: addito pronomine (*tu.*) Græcè (*ingrederis*) in præſent εἰσπορεύῃ) in qua ipſa editione, vt & in aliis duabus ponitur ſingulariter nomen terræ. Nomen porrò terræ vel terrarum aliàs declaratum eſt, quo pacto ſumatur pro habitabili, aut variis partibus eius. Ambroſius[f] legit (*intras poſſidere terram iſtam*) cùm tamen Græca ſint κληρονομῆσαι τὴν γῆν αὐτῶν, *poſſidere terram eorum.*

f 1. de Abel. c. 7.

Sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deleta ſunt.] In editionibus aliis (*ſed propter impietatem*, vel *iniquitatem*, vel *peccata*, בְּרִשְׁעַת *beriſchath*, διὰ τὴν ἀνομίαν, בְּחוֹבֵי *bechoue*, *gentium harum*, vel *populorum horum*, *expellens* eſt, aut erit, vel *diſperdet Dominus Deus tuus eos à facie tua.*) Sunt enim participia in Hebræa, & Chaldæa: verbum autem futuri temporis in Græca ἐξολεθρεύει. Repetit Moſes; & inculcat cauſam eamdem demeriti, & impietatis, ſiue iniquitatis, ſiue multiplicis peccati, propter quod expelli ac deleri voluerit Deus gentes, quarum dabat poſſeſſionem populo Hebræo, vt ſimul intelligeret id aſcribi non poſſe meritis ſuis; ſimul timeret ne ob ſimile demeritum ab ipſo tolleretur conceſſa poſſeſſio. Verſu autem præcedente idem iam dictum fuerat ac iiſdem verbis iuxta editiones alias, ſed noſtra phraſim variauit; & Græca ibi ἀσέβειαν, *impietatem*, hic ἀνομίαν poſuit, hoc eſt, *iniquitatem*, quæ omne peccatum comprehendit.

Et vt compleret verbum ſuum Dominus.] Pro verbo, quod etiam Hebraicè, & Chaldaice, דָּבָר *dabar*, & פִּתְגָמָא *pithgama*, eſt nomen Græcum διαθήκην, *pactum*, *fœdus*, *teſtamentum*. Sic capite[a] priore; *ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit; vt impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauit*, &c. Ibi verò בְּרִית *berith*, & διαθήκη *pactum* ſignificant. Denique implere & complere idem valent; ne quis, quod tam crebrò moneo, hæreat vbi non debet, ac inutiliter verborum ſcrutetur diſcrimina. Apud Ambroſium[b] eſt (*vt reſtitueret teſtamentum.*) Illud non piget ſæpiùs etiam admonere, repeti eaſdem rationes ad frangendam Hebræorum arrogantiam, & acuendam ſollicitudinem diuinam legem ſeruandi.

a verſ. 18.
b 1. de Abel. c. 7.

Quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob.] Hoc ipſum notato præcedentis capitis loco habetur, alibíque ſæpenumero mentio fit de iſto iuramento Patriarchis illis facto, ſiue de pollicitatione ſub eo. Breuiùs habent editiones aliæ (*quod iurauit*) vt etiam legit Ambroſius (*quod iurauit patribus veſtris*). cum pronomine plurali, & omiſſis nominibus Patriarcharum. In cap. 1.[c] eadem phraſis eſt Latinè (*quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus veſtris*) vbi iuxta reliquas editiones eſt dumtaxat (*iurauit*) nec nominantur Patriarchæ: in 6.[d] (*ſicut pollicitus eſt*) quod editiones aliæ ſimpliciter habent (*locutus eſt.*) Pollicitatio Dei ac ſimplex verbum tam certum eſt abſque iuramento, quàm cum illo. Sed aliquando iuramentum exprimitur, quoniam humano more id certius cenſemus, quod per id aſſeritur & confirmatur: omnis enim controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum[e]. Stabilem promiſſionem interpretatur Hugo. Quo autem pacto iuret Deus docui non ſemel; cúrque pollicitatio tribus hîc nominatis Patriarchis facta peculiariter fuerit.

c verſ. 35.
d verſ. 3.

Pollicitatio Dei eſt iuramento.

e Hebr. 6. 16.

Scito ergo quòd non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem.] Apud Auguſtinum[f] (*& ſcias hodie, quia non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam iſtam hereditare.*) In aliis editionibus (*& ſcias hodie, quia non in iuſtitia tua, vel propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dans eſt*, aut fuit, aut erit, vel *dat tibi terram bonam hanc, vt poſſideas eam.*) Futuri temporis verbum (*ſcies*) ponitur pro imperatiuo, ſicut aliàs verba ſimilia: particula (*&*) expoſita eſt per (*ergo*) vt notaui verſu 3. (*Scies ergo hodie*) vbi videtur futuri temporis verbum retinere ſignificationem ſuam quantum ad temporis differentiam. Certitudinem futuræ poſſeſſionis, vt ſæpe dixi, denotat (*dederit*) explicátque Rickelius, quod dare decreuerit. Iuſtitiam ſingulari numero habet editio Hebræa & Chaldæa, ſicut & in ver. 4. vbi etiam Latina: Græca hîc δικαιοσύνας pluraliter ſecundùm omnes codices: ibi quoque ſecundùm Complutenſes, Regios & alios, licèt in Sixtinis δικαιοσύνην ſingulariter. Participiũ Hebr. & Chaldæũ admittunt omnia tempora: tranſlatio Latina præteritum elegit (*dederit*,) Græca præſens δίδωσι. Denique hæc eadem initio appoſuit (*hodie*)

f quæſt. 14.

καὶ γνώσῃ

καὶ γνώσῃ σήμερον, *& scies hodie*, quod aduerbium erat in versu 4. iuxta omnes editiones: prætereà vtitur superlatiuo *optima*, pro positiuo, vt solet non raro. Cæterùm notatu digna & hic est replicatio sententiæ, qua excluduntur merita, & seueriùs cauetur arrogantia. Quòd ingrediatur populus promissam terram, ascribitur, ait Hugo, demerito eiectorum, & promissioni diuinæ, & merito patrum.

Cùm durissimæ ceruicis sit populus.] In Augustino [a] (*quoniam dura ceruice es.*) Exprimitur ab aliis (*es*) in fine, non absque emphasi: superlatiuum verò, sicut paulò antè, pro positiuo est: & peruicaciæ accusatur populus, vt intelligat non solùm defuisse merita, sed etiam adfuisse grauia demerita. De hac peruicacia, contumacia, rebellione sub eadem ista formula duræ durissimæve ceruicis arguitur pluribus in locis Exodi [b] populus Hebræus, ac inferiùs [c] hoc ipso libro nostro: prætereà in Baruch [d], & in Actibus [e] Apostolorum: idémque valet vt neruus ferreus ceruix, cum dorsitie, & fronte [f] ærea indurare ceruicem [g], cui opponitur ponere iugum ferreum super ceruicem [h], non posse illam eleuare, curuare [k], flectere [l]: subiicere [m], deiicere [n], illa minari [o] seu trahi, ascendere super illam [p], supponere [q] eam. Salomon [r] postremò pronunciat quod viro, qui corripientem, dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. His affinia sunt attrita fronte esse, duróque corda [s]: indurare faciem supra petram [t]; quale illud Poëtæ [u] de perfrictæ frontis fœmina,

Illa solo fixos oculos auersa tenebat,
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Caietanus obseruans, longo sermone manifestari primam rationem, videlicet non propter iustitiam populi dari possessionem Chanaan, ait, ad hoc afferri conditionem populi valdè malam metaphoricè significatam, id est, inflexibilitatem. Habentes enim, inquit, ceruicem mollem, flectuntur, & perseuerant in ceruice flexa: habentes autem ceruicem duram, resistunt flexioni; & ceruicis cum capite simul inclinationem potiùs, quàm ceruicis flexionem patiuntur: & proptereà modico tempore perseuerant humiliato capite, hoc est, subiecto diuinis traditionibus. Monet prætereà hanc populi conditionem, tanquam omnium rebellionum, quas Deo fecerunt, radicem, præponi, & pluries repeti. De istis vsurpari potest, *citius frangas quàm corrigas*; quódque concidendæ sint à Deo iusto eorum ceruices [x], quia flecti curuarive nequeunt. Talis quem Iob [y] describit currentem aduersùs Deum omnipotentem erecto collo, & pingui ceruice armatum. Pœnæ genus notat Pineda [z] noster, nósque alibi [aa], fuisse si quem imperio parum obtemperantem magistratus videret, in eius collum inuadere, atque id intorquere; de quo sunt testimonia Liuij [bb], Plinij [cc], Ciceronis [dd]. Ceruicis mollitiam legimus [ee], mollémve ceruicem [ff], rigere horridam ceruicem [gg], rebellem, qua quis onus detrectet [hh], &c. Laurentius [ii] Valla, docens ceruicem esse posteriorem colli partem, vnde origo est omnibus neruis: iugulum anteriorem, vnde vox halitúsque procedit: collum omnes partes in solidum complecti, ait, quoniam neruè, qui corpus erectum ri-

a Suprà. Populus duræ ceruicis cognominatus.
b Exo. 32. 9. c. 33. 3. 5. c. 34. 9.
c c. 31. 27.
d c. 2. 31.
e c. 7. 51.
f Esa. 48. 4.
g Deut. 10. 16. 4. Reg. 17. 14. 2. Paral. 30. 8. c. 36. 13. 2. Esd. 9. 16. 17. 29. Iere. 7. 26. c. 17. 23. 19. 15.
h Deut. 28. 48.
i Iud. 8. 28.
k Eccl. 30. 12.
l c. 38. 19.
m Iere. 27. 11.
n c. 48. 39.
o Thre. 5. 5.
p Baruch 2. 30.
q Rom. 16. 4.
r Prou. 29. 1.
s Ezec. 3. 8.
t Ier. 5. 3.
u Virgil. Æne. 6.
x Psal. 128. 4.
y c. 15. 26.
z ibidem.
aa in Act. 7. 51.
bb lib. 4.
cc de viris illustr.
dd 6 in Verrem, & pro Cluentio.
ee Cicer. in oratio.
ff Lucre. lib. 6.
gg Ouid. 5. Metamorp.
hh Claudia. 2. de rapt. Proserp.
ii 4. Eleg. c. 36.

gidúmque faciunt, in ceruice sunt collocati, dici hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem, more ferocium boum: vel quòd qui ceruice erecta & rigida est, contumaciam quandam, & rigorem mentis præ se fert, tanquam nemini inclinare velit, tali nomine vocari, quasi duri capitis, duræque mentis. Quintilianum [a] prætereà citat scribentem singulari numero neminem ante Hortensium dixisse ceruicem. Iuuerit à nobis annotata cognoscere ad cap. 7. [b] Actuum Apostolorum. Vno verbo Abolensis valdè inobedientem significari vult per durissimæ ceruicis hominem: inobedientiam verò idololatriæ comparatam à Samuele meminit [c], affirmante meliorem esse obedientiam, quàm victimas: videri similem, aut ipsammet iustitiam legalem, quæ præstat aliis virtutibus, vt astra lucifer, quippe omnium amplectens actus, & vitans vitiorum. Verùm obseruare oportet, quamuis modi loquendi, quos indicaui, deterius quid importent, vt & apud alios auctores os durum, durissimúmve, aut ferreum, dura vel ferrea frons; accipi nonnunquam in bonam partem, vt facies Esaiæ sicut petra durissima [d], facies Ezechielis vt adamas & silex, valentior ac durior faciebus & frontibus aliorum [e]; nimirum constanti animo, quem metus non frangat, nec minis cedat.

a lib. 8. c. 3.
b vers. 51.
c 1. Reg. 15. 23.
d Esa. 50. 7.
e Ezec. 3. 8.

Vers. 7.] Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto vsque ad locum istum, semper aduersum Dominum contendisti.

PLurimi referre demonstrat vt planè persuadeat sibi populus propriis meritis tribui minimè debere proximè ineundam promissæ terræ possessionem, vtque numquam hoc de memoria deponat, quo pacto potiùs indignum se illa reddiderit, atque potiùs dignum grauissimo supplicio propter tantam, ac toties repetitam adeò pertinaciter inobedientiam iam inde ab exitu de Ægypto vsque in præsentem locum & diem, vnde meritò Dominus Deus indignari debuerit, & promissionem rescindere, cui non respondit in populo requisita obedientia, & diuinæ legis adimpletio. Augustinus [f], quem citat etiam Hugo, & Rabanus, atque Glossa, quod indicat etiam Rickelius, & alij, notant istos esse, qui proptereà non meruerunt perire in deserto, quia nescierunt dexteram, aut sinistram [g]; & tamen dura iam ceruice appellari, eo quòd illud in Sacramento dictum est, non quia eorum merita commendata sint: *Nam ne quis existimet*, ait, *subitò vituperabiles factos qui meritò fuissent laudati, paulò post eis dicitur; memor eris, ne obliuiscaris, quanta exacerbasti Dominum Deum tuum in deserto, ex qua die existi de terra Ægypti, donec venisti in locum hunc incredulus, perseuerastique ad Dominum.* Tum subdit: *Quod si quidam eorum tales erant, quidam verò fideles & boni, etiam sic non vtique illis datur terra promissionis, qui nesciunt dexteram, aut sinistram; vt hoc sic intelligamus, quasi non offenderint Deum. Nam*

Paraenesis.
f quæst. 14.
g Ionæ 4. 11.

& patres

& patres eorum, qui mortui sunt, nec in eamdem terram intrare permissi sunt, tales inueniuntur fuisse, vt in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus [a], *non omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus eorum peccata commemorat. Similes quippe illos parentibus suis ita euidentius docet, & ipsa Scriptura Deuteronomij; quod consequenter adiungit, dicens (& in Oreb exacerbasti Dominum.) Vbi certè illi exacerbauerunt, qui propter eadem mala merita sua ... sunt in terram promissionis inducti.* Abulensis [b] porrò prudenter monet, memoriam de commissis peccatis bonam esse, quoniam humiliorem & cautiorem hominem reddit, ita vt aliquando permittat Deus suos cadere vt meliores fiant, & alicui indirectè magis cecidisse profuerit, quam stetisse alteri; quoniam qui stetisse se meminit aut torpore deficit, aut inani gloria cadit, nisi Dei gratia specialissimè reuocatur, vt Petro contigit, in quo per totam vitam quotidianus mœrtor mansit, vt Clemens [c] testatur: qui autem peccauit, & se peccauisse oblitus est, omnium pessimus est; quia ex obliuione peccati se iustis æqualem facit. Cauet autem, ne cum periculo in peccata relabendi, meminerit quis peccatorum; quod periculum in iis non est, quæ consistunt in transgressione partis rationalis, vt cùm Petrus recordabatur iugiter negatum à se Christum: nec in illis, quæ pertinent ad irascibilem, quando semel doluit quis quòd peccauerit, verbi gratia, occidendo, &c. nec in iis quæ fiunt per concupiscibilem, quando obiecta sunt spiritualia, vt honor, scientia, fama, fauor, potentia, &c. vel corporalia, sed habitudinem habent ad priora, & ad partem rationalem, vt dominium rerum externarum, ac proinde furtum circa illas. Periculum est in memoria peccatorum, quorum obiecta sunt delectabilia tactus & gustus, quia faciliùs mouent & excitant ad præcedentia peccata repetenda, vel saltem ad delectationem quam vocant morosam. Nam irascibilis tendit ad prosecutionem iniuriæ, quod non est bonum secundùm seipsum, sed potiùs durum, terribile, cum tristitia coniunctum, quæ cùm abest, necnon & ira, non mouemur, sicut quoties occurrit memoriæ obiectum delectabile secundùm tactum & gustum, maximè verò secundùm tactum, cuius delectatio maior ac vehementior est. Præcipit verò circa memoriam peccatorum ex gustu, vt de iis vtiliter doleamus, ne insistamus in consideratione particulari circumstantiarum, quàm lauti essent cibi, vel delicata pocula, quantámve capiebamus in ipsis voluptatem, &c. sed generatim dumtaxat quòd in quantitate, qualitate, tempore, conditione seu statu personæ nostræ, & in similibus offenderimus: nec verò diutiùs in eiusmodi cogitandis rebus immoremur, cùm quandoque ingesta nolentibus recordatio & ad peccandum incitans permolesta sit, vt quidam Mariam Ægyptiacam inducit carmine sic deplorantem post transactos in solitudine viginti nouem annos in summa victus & vestitus austeritate:

Pisces Ægypti, humique cupido relicti
Me miseram tangunt, & ea vehementius angunt.

De venereis periculosior cogitatio, inuitis etiam interdum obuersans: vt de se testis est Hieronymus Eustochio scribens: præsertim si quis priùs immodica exarsit erga peculiarem personam concupiscentia; quod exemplis profanis idem Auctor ostendit: quibus adhuc plura possent addi. Denique præstat ne in genere quidem recogitare talia, maximè cùm insurgere sentitur vel leuiter libidinis titillatio. Nam

[a] *Et loca sæpe nocent: fugito loca conscia vestrò*
Concubitus: causas mille doloris habent.

Legendus idem cùm de incestu Amnon [b] disserit. Iacobus [c] autem Aluarez vtiliter memoriam peccatorum moderandam scribit proficientibus & perfectis, licèt nonnulli etiam ex postremis eam frequentauerint & retinuerint, vt Dauid [d], Petrus [e], Paulus [f], Magdalena [g], Augustinus [h]; nostri Ignatius, (hoc anno 1622. Martij die 12. relatus canonicè in Sanctorum numerum cum S. Francisco Xauerio etiam nostro, atque Sanctis Isidoro Agricola, Teresia quæ discalceatos Carmelitas reformauit, Philippo Nerio fundatore Oratorij) Franciscus Borgia, de quo canonizando deliberant Rotæ auditores. His iungi posset Ephrem, & similes compunctioni deditissimi: quódque Antonius suadebat delicta libello notari, vt vel ad ipsas literas erubescentes caueremus, quemadmodum confunditur quisque ad præsentiam aliorum, misceri meretrici [i]. Nam ferè memoria ista pusillanimitatem inducit, erubescentiam, ac timorem, quæ impediunt petitionem magnarum virtutum, & donorum pro se, próque aliis. Affert ex libro Hermæ, cui titulus Pastor, Angelum iubentem ei qui peccata Domino confitebatur, vt desineret pro illis orare, sed oraret pro iustitia, vt acciperet partem ex ea in domo sua: ex Ricardo [k] Victorino, docente, quod quasi flante vento Spiritus sancti fauillæ peccatorum tanquam asstatum combustarum per ignem doloris pœnitentiæ tolluntur, quando reatus nostri formido, suspicióque absorbetur, & per spem veniæ ab omnis confusionis nigredine conscientiæ nostræ area mundatur, ita vt veraciter Domino psallere possimus [l]; *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* De propitiato quidem peccato non debes esse sine metu [m], cùm nescias vtrùm amore, an odio dignus sis [n]: potes tamen in pia fiducia, citra exactam certitudinem, tranquillè acquiescere: & si subrepat superbiæ, vel ambitionis tentatio, ad memoriam præterita reuocare peccata: immò & ex diuino quodam instinctu, meminerunt sanctissimi viri cum securitate, atque cum iucunda gratiarum actione, tuendo ingentem modum debiti remissi, ac sic proinde ampliùs Deum diligendo, & verecundiam, pudorémque sanctum concipiendo, vt Chrysostomus [o] de Paulo agens (videtur autem similis dictorum aliorum ratio Sanctorum) loquitur. Alioqui Pinufij verum est à Cassiano [p] recitatum responsum, quod Germano dedit, postquam, exemplo Dauid [q], vtile satis ac necessarium dixisset, adhuc agentibus pœnitentiam, recordari peccatorum; dúmque adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur (erubescentes nempe, cùm videmus nullum fructum [r]), sed damnum) necessarium esse, vt igneo conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat; ad obliuionem demum perueniri per obliterationem vitiorum, atque affectuum

Marginal notes:
a 1. Cor. 10. 1.
b q. 3. & in comment. textus.
Memoria peccatorum vtilis.
c in itinerario.
a Ouid. 2. de remediis amoris.
b in 2. Reg. 13.
c to. 2. de extermin. mali lib. 1. p. 1. c. 8. §. 5.
d Ps. 37. 18. 19. Ps. 50. 5.
e apud Clementem & alios.
f 1. Tim. 1. 12.
g in vita.
h in confession.
i lib. 1. vitarum Patrũ c. 8. apud Rosweyd. pg. 50. & Sozo. lib. 1. cp. 13.
k l. de erudit. interior. omin.
l Esa. 38. 17.
m Eccl. 5. 8.
n Eccl. 9. 1.
De venereis cogitatio periculosa.
o 1. de compunct. cordis sub fine.
p colla. 20. c. 7.
q Ps. 37. 19. Ps. 50. 5.
r Rom. 6. 21. citat male Fonseca in Schol. Cai. ad hunc locũ, ep. ad Ephes.

affectuum pristinorum, & perfectam cordis, atque integram puritatem; ut & excocta omni labe sordium, cum suspiriis mœstis, ac gemitibus, mereamur audire [a]; *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo*; item [b], *deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*; prætereà [*]: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor*. Sic autem funiculis peccatorum, quibus constringebamur [c], absolutis quisque nostrûm, Domino cum omni gratiarum actione canet [d]; *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*.

Memento, & ne obliuiscaris.] Inseruit coniungentem particulam Interpres. Legit Augustinus [e] (*memor eris, ne obliuiscaris.*) Affirmatio cum negatione continet maiorem vim ad magis confirmandum; quemadmodum [f], *Confessus est, & non negauit*; item [g], *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: *indicauit* [h] *ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo*. *omnia* [i] *quæ in domo mea sunt viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis*: *omne* [k] *verbum quodcumque responderit mihi* (Dominus Deus) *indicabo vobis; nec celabo vos quidquam*. Idiotismus hic Hebræus est; sed aptè vsurpatus in re grauiore, quoniam, Platone [l] teste, δὶς καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖ, *bis ac ter quod rectè habet repetere sermone oportet*.

Quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum.] Iuxta editiones alias diceremus (*ea quæ, siue quæcumque, vel quanta*, אֵת אֲשֶׁר *eth asser*, : זֹאת *zoth de, ita.*) Quod habemus (*ad iracundiam prouocaueris*) vnico verbo dicitur in reliquis editionibus הִקְצַפְתָּ *hiktsaphtha*, אַרְגֵּזְתָּא *argaheztha*, παρώξυνας: de quibus verbis actum alibi est. In Augustino [m] recitatur (*quanta exacerbasti*, &c.) In cap. 4. [n] erat (*vt eum ad iracundiam prouocetis*, לְהַכְעִיסוֹ *lehacbhiso*, לְאַרְגָּזָא *leargaza*, παροργίσαι. Sequenti versu nostri capitis eadem repetuntur quæ in isto, Latinè autem solum verbum (*prouocasti*:) in 18. (*ad iracundiam prouocastis*.) Sed secundùm editionem Hebræam, & Chaldæam sicut cap. 4. citato, secundùm Græcam per verbum loci huius παροξύνειν: in 22. versu sicut hîc; sed cum simplici vnicóque verbo Latino prouocandi. In cap. 32. [o] idem verbum Latinum erat & Græcum, Hebræum autem, Chaldæumque diuersum, יַקְנִאֻהוּ *iakniuhu*, אַקְנִיאוּ *akniu*. Multa alia exempla: & prouocare solitariè sumptum in bonam partem sumi constat, nec importat iram; vt quando aquila prouocare dicitur ad volandum pullos suos [p]: sermo [q] prouocare misericordiam: Deus [r] prouocando magnificare nos: Prophetæ [s] ad pœnitentiam prouocare; prouocatio [t] caritatis. Admonet porrò Rickelius, quòd inuariabilis & super tranquillissimus Deus ad iracundiam prouocari dicitur, non per passionis commotionem, sed quorum ad affectus, effectúsque similitudinem, dum propter vitia hominum exercet rigorem iustitiæ in tantum, quòd furor ei attribuatur. De hoc dixi sæpiculè.

In solitudine.] Apud Augustinum [u] (*in deserto*) quæ synonyma sunt, sicut eremus, vt toties vidimus vtentem indifferenter his vocabulis Interpretem.

Ex eo die quo egressus es ex Ægypto.] Perinde est diem masculinè vel fœmininè poni, licet grammaticè nonnihil distinguantur. Legit enim Augustinus (*ex qua die.*) Nec refert quod Græcum verbum plurale sit ἐξήλθετε, & Augustinus ita legat (*existis*:) aut quòd editiones aliæ, itemque Augustinus habeant terram Ægypti: quamuis in emendatis Græcis nominetur tantùm Ægyptus, & non terra Ægypti. Iam verò antè docui cum Augustino & aliis, quo pacto generalis ista querimonia congruat iis quos præsentes Moses alloquebatur. Veruntamen, ait Rickelius, ista & subsequentia dicuntur ad populum istum, non quòd isti personaliter egerint, sed patres eorum, qui ob suos excessus ita fuerunt prostrati. Est autem consuetudo loqui de populo aliquo quasi de vno aggregatiuè, cui secundùm diuersas partes suas diuersa conueniunt.

Vsque ad locum istum.] Habent editiones aliæ, & Augustinus, nisi quòd hîc vtitur verbo singulari (*donec venistis in locum hunc.*) Frequenter peccauerant in eremo, ait Rickelius, etiam antequam venerunt ad Sinai. Locus erat in campestribus, siue planitiebus Moabitarum, contra fanum Phogor, ad litus Iordanis, vbi tunc loquebatur Moses, vt cap. 3. [a] vidimus.

Semper aduersum Dominum contendisti.] Hebraicè, & Chaldaicè (*rebelles fuistis cum Domino, aut coram Domino*, מַמְרִים *mamrim*, & מְסָרְבִין *mesarebin*: Græcè ἀπειθοῦντες διετελεῖτε τὰ πρὸς κύριον, *increduli perseuerastis quæ ad Dominum.*) & apud Augustinum (*incredulus perseuerasti quæ ad Dominum*) licet in quibusdam codicibus eiusdem legatur (*perseuerastique*) non sine mendo: videturque Augustinus legisse ἀπειθῶν, διετελεῖτε, si retineatur translatio prior eiusdem. Incredulus autem aut increduli quæ ad Dominum, dicuntur, qui quæ ad eum pertinent, siue ad legem cultúmque illius, non ita credunt, vt exequantur, & obediant, quod est rebellare, rebelléssve esse: significat autem etiam ἀπειθεῖν inobedientem esse, imperium detrectare; non obtemperare; non solùm fidem non habere; quæ acceptio vsitatior est in diuinis literis: in quibus redditur ἀπείθεια *incredulitas* [b], *diffidentiaque* [c]; ἀπειθεῖς, *increduli* [d]: vel *inobedientes* [e], vel *incredibiles* [f] (qui sunt iidem ac increduli;) ἀπειθεῖν, *incredulum* [g] *esse*, *non credere* [h], *non acquiescere* τῇ ἀληθείᾳ, *veritati* [i], *infidelem* [k] *esse*; sed multò rariùs de inobedientia; quæ tamen loco nostro conuenit. In cap. 21. [l] libri quoque nostri qui vocatur filius contumax & proteruos, Græcè nominatur ἀπειθὴς καὶ ἐρεθιστής, Hebraicè loco posteriore מוֹרֶה *moreh* ex eodem themate participij hic positi מַמְרִים *mamrim*: éstque qui non modò persuaderi sibi non sinat, nec sit dicto audiens, verùm etiam reluctetur & contradicat; quod peius est, vt Philo [m] docet, proferens illud testimonium. Cæterùm quod scribitur semper populum aduersùs Dominum contendisse, quamuis ad[d]iderit (*semper*) editio nostra, quo carent aliæ, non est hoc intelligendum, inquit Rickelius, quòd indesinenter omni die & hora tot annorum, contra Deum contentiosè locuti sint; imò interdum benè se habuerunt, siquidem in Exodo [n] respondisse leguntur; *cuncta quæ locutus est Dominus faciemus*; & libro eodem [o] habetur, quòd obtulerunt munera Domino mente deuota; sed quod omni tempore orta occasione alicuius notabilis aduersitatis,

Marginalia (left column): a Ier. 31. 16. — b Esa. 44. 22. — * c. 43. 25. — c Prou. 5. 22. — d Ps. 115. 17. sec. Hebr. — *Explanatio.* — e quæst. 14. — f Ioan. 1. 20. — g ibid. v. 3. — h 1. Reg. 3. 18. — i Esa. 39. 4. — k Ier. 42. 4. — l in Philebo. — m q. 14. — n vers. 25. — o vers. 16. — *Prouocandi verbum.* — p ibid. v. 11. — q Iudith 8. 12. — r Sapien. 18. 8. — s Thr. 2. 14. — t Hebr. 10. 24. — u quæst. 14.

Marginalia (right column): a vers. 19. — *Increduli qui.* — b Rom. 11. 30. 32. Col. 3. 6. Hebr. 4. 11. — c Ephes. 2. 2. c. 5. 6. — d Luc. 1. 17. Act. 26. 19. Tit. 3. 3. — e Rom. 1. 30. 2. Tim. 3. 2. — f Tit. 1. 16. — g Ioan. 3. 37. Act. 14. 2. Hebr. 3. 18. c. 11. 31. 1. Pet. 3. 20. — h Act. 19. 9. Rom. 10. 21. c. 11. 30. 31. 1. Pet. 2. 7. 8. c. 3. 1. c. 4. 17. — i Rom. 2. 8. — k Rom. 15. 31. — l vers. 18. — m de temulentia. — n cap. 19. 8. — o c. 35. 21.

contra Deum & Mosem irreuerenter locuti sint, exempli causa, prius quàm transirent mare rubrum, visis Ægyptiis, contumaciter & irrisoriè dixerunt ad Mosen [a]; *forsitan non erant sepulchra in Ægypto; ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine?*

a c. 14. 11.

Vers. 8.] Nam & in Horeb prouocasti eum, & iratus delere te voluit.

PARAPHR.

DEinceps exemplis probatur, quod proximè dictum est, contendisse populum semper aduersùs Dominum; videlicet oblata occasione. Sunt autem tria exempla maximè notabilia, quæ diuersis temporibus occurrerunt: quando populus vitulum conflauit & adorauit; quando carnes concupiuit in loco, cui ab hac re, atque à punitione, nomen inditum est; Sepulchra concupiscentiæ; quando detrahens de promissa terra cum exploratoribus inde reuersis, noluit ad eam ascendere. Primum exemplum pluribus verbis exponitur ab hoc versu ad 22. vsque. Annotatur in Bibliis ad marginem ex libro Exodi c. 17. [b] & 29. [c] & 31. [d] & 32. [e] in quorum primo narratur murmurantibus ob sitim Hebræis, eductam de petra aquam; in reliquis cùm ascendisset Moses ad Deum legis tabulas ab eo accepisse: sed in vltimo integro capite conflatio vituli, & adoratio cum subsecuta punitione populi continetur; quódque Dominus appellat populum duræ ceruicis, dimitti petierit à Mose, vt irasceretur furor ipsius contra eos, & deleret eos, faceretque illum in gentem magnam, &c. De hac historia egimus in aliis commentariis tum Psalmorum [f], tum aliorum [g] librorum. Glorationem amolitur Hebræorum, ait Procopius, faciens mentionem promissionis ad Abraham; indicans completas iniquitates Amorrhæorum; omnia peccata iam inde ab egressu de Ægypto attingens, non quidem iuxta seriem, sed quasi in summa.

b vers. 6.
c vers. 5.
d vers. 18.
e vers. 15.
f in Ps. 105. 19. 20.
g in Act. 7. 41.

Nam & in Horeb.] Monui non semel scribi rectiùs Horeb aspiratò, quàm Oreb leniter, quia Hebrææ vocis חרב *Choreb* prima litera ח *heth* aspirata est; simúlque de ipso monte dixi. Interpres præposuit particulam (*nam*) quæ causalem vsum potest hîc habere; vt reddatur causa, cur dictum sit populum semper contendisse aduersùs Dominum. Seruire verò etiam dici potest soli anteoccupationi: aut idem esse ac *equidem, certè, atqui*, &c. Emphasi non caret (*&*) in editionibus omnibus, significans (*etiam*) vt etiam illic, vbi tot diuinæ maiestatis atque potentiæ, & liberalitatis edita fuerant argumenta, non sit veritus populus, Deum prouocare per idololatriam.

Explanatio. Horeb rectius scribi quàm Oreb, & cur.

Prouocasti eum.] De hoc verbo egi versu præcedente; vbi translatio nostra habet ad iracundiam prouocare, quod in editionibus aliis vnico verbo dicitur eodem quod hîc. Exprimunt hîc etiam aliæ Dominum, pluralitérque verbũ vsurpant (*prouocastis*, הקצפתם *hiktsaphthem*, הרגזתון *arghezthun*, παρωξύνατε: & Chaldæa (*prouocastis coram Domino*) id est, quasi in faciem eúmque contemptu.

Et iratus delere te voluit.] Hebraicè (*& iratus est Dominus in vobis*, seu *in vos*, *contráque vos*, *ad perdendum*, siue *delendum vos.*) Græca idem significant καὶ ἐθυμώθη κύριος ἐφ' ὑμῖν ἐξολεθρεῦσαι ὑμᾶς. Chaldæa (*& fuit ira à conspectu Domini in vos, ad consumendum vos.*) Vbi paronomasia est inter nomen iræ רגז *regaz*, & præcedentis membri verbum הרגזתון *arghezthun*. In Exodo [a]; *dimitte me dixit Dominus, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, Hebraicè, & Chaldaicè *consumam eos*, ואכלם *achallem*; ואשיצינון *ésceisinun*. Græcè, *conteram eos*, ἐκτρίψω αὐτούς. Contritionis atque consumptionis populi loco, successit postea contritio consumptióque vituli.

a c. 32. 10.

Vers. 9.] Quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: & perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

PARAPHR.

IRam suam Deus ac indignationem, voluntatémque delendi populum declarauit Mosi postquam ascenderat in montem Sinai vt legem ab ipso acciperet lapideis tabulis insculptam, decalogum continentem; quod contigit peracto ieiunio dierum quadraginta, totidémque noctium absque vllius aut cibi gustu, aut potus: eadem verò opera declarauit Deus dictæ legis obseruantiam exigi tanquam conditionem pacti inter ipsum & populum: Hoc est quod cap. 4. [b] scriptum legimus; nempe ostensum à Deo pactum suum, quod præceperat vt facerent, & decem verba, quæ scripserat in duabus tabulis. Quod pactum in Exodi cap. 19. magis fusè ac distinctè declaratur, prolato etiam consensu populi facturum se cuncta quæ locutus esset Dominus. De tabulis legis lapideis [c], déque ieiunio Mosis actum satis alibi.

b vers. 13.
c ibidem.

Quando ascendi in montem.] Ascendit Moses in montem ad Deum, mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, déque monte à Domino vocatus, retulit populo, quæ Dominus referri præceperat; & cùm populus consensisset; iterum in ipsomet monte didicit, qua ratione disponendus esset populus ad legem recipiendam, eidémque populo ad eum descendens renunciauit: tertio pòst die, signis terribilibus editis, & auditis, visísque à populo, aduocatus est Moses in cacumen; & rursus, Dei iussu, descendens, imperauit, vt intra certos terminos infrà, populus sese contineret: sic autem demum Decalogi legem idem populus intelligibili voce diuina pronunciatã audiuit; & cùm similibus terrerentur signis iis, quæ præcesserant, alia per Mosem ipsum, prout petierant, acceperunt præcepta, non immediatè à Deo, siue ab Angelo, Dei repræsentante personam: ad extremum, vltimo secessus quadragenariique ieiunij die, tabulas duas testimonij lapideas scriptas digito Dei accepit Moses; quo ipso die, compulit eum Dominus ad populum descendere, idololatria vituli adorati contaminatum, ac tunc tabulas confregit, vitulúmque contriuit vsque ad puluerem, &c. Extant distinctè omnia ista in Exodi cap. 19. & 20. ac post alia capita, in fine 31. & in sequent. 32. & 33. rursus autem in 34. de aliis tabulis lapideis duabus instar priorum, cùm pariter Moses fuisset in monte cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes panem non comedens, & aquam non bibens. In cap. 24. [d] præceptum scribitur Mosi ascendere ad Dominum in montem, ibique esse, vbi daret tabulas lapideas; is verò ascendisse cum Iosue.

Explanatio. Ascensio Moysis in montem.

d vers. 12.

Legum tabula.

Vt acciperem duas tabulas lapideas.] Ascendisse dicitur vt acciperet, non quia ea intentione præcisè ascenderit, vel quòd esset accepturus præmonitus fuerit; sed quoniam cùm ascendisset, accepit. Certè non constat præsciuisse se accepturum esse. *Duas* non habent hic editiones aliæ, licèt id nomen reddiderit, qui Latinitate Chaldæam donauit; sed omnes in cap. 4.[a] & in Exodi c. 31.[b] & 34.[c] de quibus primo loco disputaui, rursúmque nominantur ab omnibus in 5.[d] in c. sequenti[e] libri nostri, videlicet post primas immediatè à Deo datas. Seuerus in Catena Græca

a v. 13.
b v. 18.
c v. 1. & 29.
d v. 22.
e v. 1. 3.

Cur lapideæ.

M.S. lapideas legis tabulas fuisse scribit; vel quia lex insensibilibus, & lapideis hominibus dabatur (duræ ceruicis durissimæ ve, ac instar nerui ferrei, vocatum nuper vidimus:) vel potiùs *ἵνα καὶ λίθοις διαχαράκτοις, καὶ δακτύλῳ θεοῦ γεγραμμένοις, τῶν λίθων καὶ ἀναισθήτων ἀποστήσῃ θεῶν*, *vt lapidibus duntaxat insculptis, & digito Dei scriptis, à lapideis & ab insensibilibus diis auerteret lex Deúsve sic legem proponens.* Augustinus[f] priores tabulas digito Dei scriptas, & tamen à Mose fractas, ait designasse gratiam Dei, qua indigni facti sunt reuertentes corde in Ægyptum, & facientes idolum: posteriores ab homine excisas & scriptas, denotasse illos, qui de suis operibus gloriantur, non de digito Dei, hoc est, de spiritu Dei. Præterea docet repetitione legis nouum Testamentum significari; per priorem vetus, quod confractum & abolitum est; maximè quoniam data est secundò lex nullo terrore, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum. Item vetus Testamentum in prioribus tabulis indicatum scribit, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit, & potiùs populum lex reum fecit: in secundis nouum, quoniam homo nunc per adiutorium Dei, pérque caritatem, legem facit, digito Dei, hoc est, spiritu Dei intus in corde scribente, non foris in lapide, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus[g]. Sed quia iuxta editionem Græcam, videtur c. sequenti[h] haberi, quòd ipse quoque Deus tabulas secundas scripserit; immò & c. 34. Exodi[i] secundùm eamdem; & tamen easdem secundas excisas à Mose: obseruat idem Doctor, indicari cooperationem ad gratiam Dei quæ fit ab hominibus noui Testamenti: Item gratiam quæ frangi censetur in eo qui amittit illam; & opera, in quibus gloriabantur Iudæi, vt propterea manu Mosis scriptæ dicantur tabulæ posteriores: denique lapideo diptychio, vt ipse loquitur, lapideum cor illius populi insinuatum dici; vel etiam Christum, qui fuit eidem lapis offensionis, & petra scandali, in se stabilis & firma, in dicto populo stoliditatem innuens. Quod paulò fusiùs declarat. Attingit eamdem allegoriam Origenes[k] de duplici Testamento vetere ac nouo in tabulis primis & secundis præfigurato: Nyssenus[l] tabulis prioribus cor humanum significatum vult cum lege naturali, quæ fractæ sint, Adam peccante; alias esse, quas fecit filius Dei factus homo præfiguratus à Mose, qui eas dolauit; & in quibus Spiritus sanctus scripsit veluti digitus Dei: Clemens[m] Alexandrinus cœlum terrámque in tabulis Dei digito scriptis considerat, ac simul prophetiam duorum Testamentorum. Thomas[n] Iorgius interpretatur insitum naturale lumen intellectus ad cognoscendum Deum, & innatam summi boni cupiditatem, quæ duo in singulis hominibus indelebilia sunt; quamuis insit nonnullis defectus in aspectu eo modo quo senum caligant oculi, quemadmodum Isaac[o], nec valeant scripturam legere[p] præ

f q. 166. in Exod. & q. 15. in Deut. & l. 15. cōtr. Faust. c. 4.
g 2. Cor. 3. 3.
h v. 1.
i v. 1. & 28.
k hom. 9. in Gen. & in ep. ad Rom. c. 3.
l de vita Moysis.
m 6. Strom.
n in ps. 13.
o Gen. 27. 1.
p Dan. 5. 8.

nimia prosperitate, quibus necessaria sunt vitrea perspicilla ad perspiciendam illius vitream fragilitatem; & alius in affectu, ob nimiam malitiā. Veri bonique insertam naturaliter cupiditatem Boëtius[a] tradit. Dauid[b] signatum super nos lumen vultus Dei, vt non sit necesse dicere, *quis ostendet nobis bona?* Cicero[c] omnibus innatum & in animo quasi insculptum esse deos, quales sint, varium; esse, neminem negare. Rursum Augustinus[d] notans legem scriptam digito Dei in lapide propter duritiam Iudæorum, ait Christum digito suo scripsisse in terra[e], quia fructum quærebat. Sed quia in templo scribebat lapidibus strato, licèt fursan puluéribus obducto, eamdem duritiem innuere volebat, quódque legislatorem non intelligerent.

a 3. de consolat.
b ps. 4. 7.
c 2. de nat. deorum.
d tract. 33. in Ioan.
e Ioan. 8. 8.

Tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus.] Deest Domini nomen in editione Græca codicum Complutensium & Regiorum: in Sixtinia verò illud est, ac præterea pronomen relatiuum *ἃς* pertinens ad *τὰς πλάκας, tabulas*: in aliis *ἥν* iungendum cum *διαθήκης, pacto*, siue *testamento*, siue *fœdere*. Vocantur quoque tabulæ testimonij[f]: & dicitur in eis ostensum pactum Domini[g]: & cognominantur synonymo vocabulo tabulæ fœderis[h], atque testamenti[i]. Mitto pacti originationem, quam tradit Iul.[k] Cæsar Scaliger, à *πάω*: quoniam in pacato, non in hostico pascebant: quasi etiam nostrum pasco descendat à *πάω*, *sequor*, sicut *ὀπάω*, quod est *ὁμοῦ πάω*, *simul sequor*. Æolicè autem decurtando, tollendóque aspirationem, & addendo *κω*, euaserit *πάκω*: ac inde paa, paco, non modò pactum. Pactum Iurisconsulti[l] definiunt duorum aut plurium placitum, consensum atque conuentionem; & distinguere solent à contractu, pactum, inquam, quod nudum cognominant, státque in puris finib. conuentionis, ac præter consensum & conuentionem, nihil ei extrinsecus accedit, non stipulatio, non chirographum, non scriptura vlla, non rei interuentus; & aliter appellatur pactum conuentum, &c. Lege Paulum[m] Comitolum nostrum. Hic quidem interueniunt multa; vt nudum censeri pactum non possit.

f Exod. 32. 15. c. 34. 29.
Pacti etymon.
g Deut. 4. 13.
h hic c. 9. n. 15.
i Hebr. 9. 4.
k de ling. Lat. c. 25.
Pactū quid.
l Vlpia. de Pact. l. 1. & de pollicit. l. 3.
m de contr. p. 2. c. 23.

Et perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus.] Magis propriè iuxta verbum Hebræum אשב *esceb* futuri temporis, sed præteritum significans ob ו *va* præfixum, & Chaldæum cum simili particula ואתיב *vethibeth, habitaui*, seu *mansi*: Græcè *ἐπεγενόμην, perstiti*. Exodi c. 24.[n] & 34.[o] *fuit ibi cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; vel *dies & noctes*: idémque numerus hoc ipso capite nostro inferiùs[p] repetitur, & in sequenti[q]. Cùm autem primo loco Exodi[r] narratur, postquam iam ascenderat Moses cum Iosue in montem Dei, habitasse ibi gloriam Domini, montémque Sinai nube tectum esse sex diebus, & septimo vocatum Mosem de medio caliginis, computandi sunt sex dies intra quadraginta, bísque includi, nempe à die septimo vel octauo tertij mensis vsque ad 17. quarti, quo die mensis quarti 17. Hebræi in Kalendario ponunt descensum Mosis de monte, fractionémque tabularum cùm vidisset adoratum vitulum, atque ob eam causam seruari ab ipsis ieiunium[s]. Certè probabile non est, vt Abulensis[t] notat, omissurum fuisse Mosem sex dies, quando proponit hoc loco Hebræis labores pro ipsis præstitos, cum ieiunio tam diuturno: plúsque valuisset commemoratio 46. dierum, vt contineret ingratitudinem eorum. Serarius[u] noster admittit 46. dies. Magalianus[x] idē asserit.

n v. 18.
o v. 28.
p v. 18. 25.
q v. 10.
r c. 24. 12. & seqq.
s d. 17. c. ieiunium ex Hier. in Zacha. 8.
t ibid. q. 21.
u l. 1. Iosue c. 4 q. 14.
x append. de actis Iosue sect. 4. annotat. 3.

sed sex in iugo montis inferiore, alios 40. in superiore quibus tantùm ieiunauerit. Quadragenarij numeri mysteria prolata sunt aliàs, ac tot dies noctésque ieiunauit Elias [a] & Christus [b], licèt Lucas [c] non exprimat noctes; & apud Marcum [d] Syra editio, accipiendo diem vt componitur ex horis 24. non vt à nocte distinguitur, & huic duodecim horæ assignãtur, totidémque diei [e]. Noctiũ porrò expressa mentio fit; quia solis noctibus ieiunium solebat, & id alioqui factum videri posset, vt notat in Matthæi c.4. Glossa interlinearis, Anselmus, Christianus Druthmarus, Euthymius, Haimo, Paschasius Ratbertus.

a 3.Reg.19.8.
b Matth.4.2. Marci 1.13.
c c.4.2.
d c.1.13.
e Ioan.11.9.

Panem non comedens, & aquam non bibens.] Efferuntur hæc in aliis editionibus per verba præteriti temporis. Eadem abstinentia repetitur versu 18. & in Exodi c.34. [f] Nominibus porrò panis & aquæ integer victus humanus ordinariis describi solet, & parsimonia pelsci temporis; & nominatim per panem quiuis cibus intelligi, etiam manna, quo in solitudine vtebantur Hebræi. *Initium vitæ hominis ἀρχὴ, præcipuum, siue principalis, summa, caput, aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem*, inquit auctor [g] Ecclesiastici. Augustinus [h], & Hieronymus [i] docent nomine panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum significari: ac posterior quidem explanans apud Esaiam [k] robur panis, & robur aquæ: & confirmans nostræ historiæ sententiam. Priore [l] capite declarans quo pacto non in solo pane viuere dicatur homo, hoc est, non in solo cibo materiali, docui Mosem, Eliam, Christum, & si qui alij memorentur longiore tempore quàm ferat humana, & naturalis conditio, cibum corporeum omnino nullum sumpsisse, vi quadam diuina id adeptos esse. Qua in re Macarius [m] senior Ægyptius præfiguratam notat gloriam resurrectionis, vt & in splendente eiusdem vultu Mosis, in qua dos erat claritatis, cùm impassibilitate absque vlla cibi corporalis indigentia, escam spiritalem gustando, qua nunc in hac etiam vita fidelium animæ vescantur ex parte. Nilus [n] item Abbas quòd octoginta diebus nihil cibi Moses acceperit, nulla humana ratione declarari posse scribit, solui autem diuina ratione quæstionem [o]; *non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* De Iosue, si quis affirmet, quando Mosem comitatus est prima vice in montem, cum Mose, ac tanto tempore quanto is ieiunauit, ieiunauisse, idem ferendum iudicium erit. At non ieiunasse, sed manna illic decidente victitasse; & aqua ex riuulo scaturiente, communior opinio est: de qua Serarius [p], & Magalianus [q] nostri in Iosue; in annalibus Salianus [r]; & in Exodi c.24. Cornelius item noster, ac præterea Leonardus Marius. Hoc priuilegium patres passim solis dant Mosi, Eliæ, & Christo, quod attinet ad eos, quorũ sacræ literæ meminerint, quamuis de aliis tradant historiæ ecclesiasticæ, vt dicto capite priore huius libri & alibi, memini, cùm enarrarem Euangelium de ieiunio tentationibúsque Christi. De Mose quæri potest, an bis tantùm vel etiam ter eodem quem diximus modo ieiunauerit. Præter primum quadragenarium ieiunium, de quo hîc scribitur, sequentibúsque versiculis duobus; & secundum, de quo versu 18. atque c. sequenti [s]: & narrantur in Exodi cap.24. [t] & 34. [u] simul cum tabulis bis datis: infrà hoc ipso capite, post memoratum contemptum terræ promissæ cum aliis rebellionibus, testatur Moses iacuisse se coram Domino suppliciter pro populo, quem delere comminatus fuerat, deprecantem, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Lyranus Hebræos consectatus, tres quadragenas agnoscere videtur; vt prima fuerit pro primis tabulis, secunda pro venia idololatriæ vituli, tertia quando placatus Deus præcidi præcepit secundas tabulas. Citat etiam quendam Andream in Leuitici c.23. Attamen fatetur, opinionem communiorem esse de duabus duntaxat, ita vt vna eadémque fuerit: in qua Moses orauit pro remissione idololatriæ, & pro secundis tabulis. Ambigit Leonardus hoc loco de quatuor, existimans tres peractas in Sinai, & videri quartam significari versu 25. post murmur aduersus promissam terrã in Cadesbarne: quamuis definiat [a] solùm tres, volens eo versu, sequentibúsque contenta, pertinere ad ea, quæ iam narrata fuerant facta in Sinai [b]; sicut & quæ sequenti [c] capite repetuntur. Ter quadragenos dies positos in monte à Mose, sentiens noster Salianus [d], testem adhibet, præter vniuersam Hebræorum scholam; Hugonem, & Caietanum in Exodum, Marzillam in hunc locum, Genebrardum in Chronologia, Adrichomium in theatro terræ sanctæ; quosdam è sectariis: qui verò saltem probabile id putent esse, Lyranum hîc, & nostrum Sa, Riekelium tum hoc loco, tum in Exodi c.34. auctorem historiæ scholasticæ in Exodum [e], Abulensem in eiusdem libri c.33. [f] Torniellus [g] negat Hebræis, tres in Sinai quadragesimas actas, sed tantùm duas; tertiam verò in Cadesbarne: colligitque tertiam hoc ex loco nostro versu 25. vsque ad finem. Et quamuis fateatur, exponi postremum locum cum Hugone, Caietano, & aliis multis, de iisdemmet diebus quadragesimæ secundæ, de quibus versu 18. scribitur, interponendo postea breuem recapitulationem eorum, quæ contigerant ad sepulchra concupiscentiæ, & in Cadesbarne: conuenientius multò arbitratur quod initio posuit; quia nihil obstat, quo minùs hic ordo, quem textus præ se fert, retineatur: & quæ in eo sunt, aptè congruunt iis, quæ cap.15. Numerorum memorantur de minis Dei, déque oratione Mosis ad illum pro populo. His adde nostrum Marianam, & Oleastrum hoc loco; qui tertiam quadragenam eo modo asserunt quo alij, id est, in Cadesbarne pro rebellione, qua Hebræi noluerunt intrare terram, ob quam decreuit Deus eos in deserto mori: multa verò suis locis omissa, Oleaster monet, postea suppleri. Mariana non omnino affirmat; sed fortè repetitionem esse secundi ieiunij, de quo c. sequenti rursus fit mentio. Eundem Oleastrum citat, & sequitur Hieronymus Baptista [h] de la Nuza; & cum Cyrillo [i] Alexandrino obseruat, quia post conceptum masculi, die quadragesimo anima infunditur, Mosem ieiunasse per tot dies: vt qui tanquam mater portabat Hebræos in sinu [k], quos conceperat semine verbi Dei ex tubo loquentis, eniteretur eosdem multis doloribus & anxietatibus: quia verò per peccatum adorationis vituli simul cum intemperantia, vitam amiserant non tantùm animæ, sed etiam corporis, quòd Deus eos delère decreuisset; quasi in ventre curæ ac sollicitudinis suæ denuo resumens, per illud spatium dierum ieiunando, efformaret, iterúmque parturiret, donec formaretur in ipsis Deus [l], in gratiam eos recipiens: quod videatur imitari Ecclesia, Quadragesimalis institutione ieiunij curando, vt peccatores post baptismum mortui, veluti in ventrem ipsius iteratò introëuntes [m], renascantur; & vita Iesu manifestetur in eorũ carne mortali [n], & apparente Christo per

f v.18.
Panis & aquæ nomine quid significetur.
g c.29.28.
h in Exod. q.165.
i in Esa.3.
k c.3.1.
l v.3.
m hom.5.
n libro asce.
o Deut.8.3.
p l.1. Ios. q.17. & 18.
q append. act. Iosue sect.4. ann.3.
r tom.1. anno 2544. n.423.
Quadragesimæ Mosis quot.
s v.10.
t v.12.18.
u v.1.28.
a hic & in Exod.34.
b v.18.
c v.10.
d tomo 1. annal. anno 2544. num. 627.
e c.77.
f q.3.
g tomo 1. annal. anno 2544.
h tract.1. euangelici 1.p.§.29 & 30.n.95. & seqq.
i 8.& 15. de ador.
k Num.11.12.
l Gal.4.9.
m Ioan.3.4.
n 2.Cor.4.10.

per resurrectionem in noua vita immortali, exhibeantur tanquam ea mortuis viuentes [a]. Ad hæc tres quadragenas ieiuniorum comparat cum totidem annorum vitæ Mosia; & quòd per primam ieiunij admissus est ad diuinæ collocutionis familiaritatem, constitutúsque legislator: per secundam, videre meruit Deum facie ad faciem, iterùm legem accipere, veniam populo impetrare; per tertiam, Deum placatum reddere, sedare itam illius, populo vitam acquirere. Subtiliter sanè hæc dicuntur, posità sententia de tribus quadragenis Mosis ieiuniis, quam videtur Cyrillo etiam Alexandrino auctor ille ascribere: qui tamen Cyrillus vnius dumtaxat, & quidem primæ, meminit; qua Moses Israëlis populum ea Ægyptio errore ad vitam secundùm legem ducendam, iterum quodammodo parturierit ac reformarit. Christus autem simili ratione ieiunans, reformauerit nostram naturam ad sanctificationem; quæ ab initio in homine primùm formato, per intemperantem appetitum, peccati transgressionísque macula fuerat inquinata. Magister [b] historiæ scholasticæ meminit opinionis Hebræorum de tribus Mosis quadragesimis: atque fieri posse vt ob hoc tres in anno Ecclesia proponat: licèt alij dicant quia Moses, Elias, Christus ieiunarunt tot diebus. Refert præterea obseruari quatuor à quibusdam, propter duas Mosis, vnam Eliæ, vnam Christi. Equidem propendeo magis in duas tantùm quadragenas ieiunatas à Mose, quas etiam solas disertè in Scripturis sacris reperio, & à Patribus admissas lego; nimirum post quas bis tabulas legis obtinuit, & in quarum secunda iram Dei à populo deprecatus auertit: ita vt preces Mosis paulò infrà descriptæ, non differant ab iis quas Exodi liber post idololatriam vituli fusas prodit à Mose pro populo. Mitto tres Quadragesimas S. Francisci, hoc est, præter ordinariam, vnā ante festum Assumptionis in honorem B. Virginis, alteram post illud festum in honorem Angelorum, præsertim Michaëlis [c]. Tertullianus cùm Montanistæ tres quotannis plenas obseruarent septem septimanarum, duas obseruari voluit & quidem Xerophagiorum, exceptis Sabbatis & Dominicis [d], damnans qui non obseruarent velut psychicos, hoc est, animales: quo nomine damnatur hic error ab Eusebio [e], Theodoreto [f], Sozomeno [g], Nicephoro [h], Hieronymo [i]. Alioquin ea voluntate ieiunasse tres Quadragesimas pios nonnullos refert Amalarius [k], non ante Pascha solùm ea traditione Apostolica, verùm etiam ante festum S. Ioannis, siue post Pentecosten, & ante natiuitatem Domini. Micrologus [l] autem recenset secundam pro pœnitentibus. Magis particularia exempla talium seueriorum ieiuniorum extant in historiis ecclesiasticis, Patrúmque vitis, & apud Palladium [m], Theodoretum [n], Nazianzenum [o], Cyrillum [p] Ierosolymitanum, Hieronymum [q], Augustinum [r], paulóque recentiora profert Thomas [s] Bozius. Celebre nomen Simeonis Stylitæ qui 28. Quadragesimas integras absque cibo & potu transegit [t]. Nec dissimilia narrantur ab externis Philone [u], & Luciano [x]. De variis Quadragesimis consulatur Ioannes [y] Filesacus, & Alphonsus [z] Ciaconius, de quibus & nos ipsi dum dissereremus de ieiunio Christi. Hugo meminit hoc loco quosdam quatuor quadragenas facere in anno propter duas Mosis, vnam Eliæ, vnam Christi.

a Rom. 6. 13.
b in Exod. c. 77.
Auctoris mens.
c Bonau. in Vita.
d Tertul. de iein. cont. Psychicos. c. 15.
e 5. hist. c. 17.
f 3. de fabul. hæret.
g 7. hist. c. 19.
h 4. hist. c. 22.
i ep. 54 ad Marcell.
k 1. de diu. offic. c. 36. & l. 4. c. 37.
l obseru. Eccles. c. 31.
m hist. Laus.
n hist. philothea.
o epist. ad Hellenium.
p catech. 2.
q epist. 15.
r ep. 56 & lib. de mor. Eccl. c. 31. & 33.
s de signis Eccle. l. 11. c. 46. l. 15. c. 2.
t Theodor. sup. c. 26. de Simeon.
u de supplicibus.
x in Philopatr.
y tract. de Quadrag. c. 2. & 3.
z tract. de ieiun.

Vers. 10.] Dedítque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.

DE primis tabulis duabus est sermo, quas finito ieiunio primo dierum ac noctium quadraginta, Moses accepit, secúmque detulit de monte descendens: in quibus inscriptus erat decalogus tam aptè, tantáque cum auctoritate, ac si Deus ipsemet suo digito eum exarasset; id est, decem præcepta tum ad Deum & cultum eius pertinentia, tum ad proximum, & iustum cum illo conuictum, vt iam pridem docui cap. 4. [a] vbi est, quòd Domino iubente, congregatus est populus, vt audirent sermones eius; quódque ille accessit ad radices montis Horeb, qui ardebat vsque ad cœlum, erántque in eo tenebræ & nubes, & locutus est Dominus ad eos de medio ignis decem verba, quæ scripsit etiam in duabus tabulis lapideis. Quæ omnia fusiùs narrantur in Exodo [b], & à nobis dicto illo capite 4. libri nostri nonnihil declarata sunt: necnon in 5. [c] vbi repetitur locutū Dominum in Horeb facie ad faciem cum populo de medio ignis & nubis & caliginis, voce magna quæ continentur in Decalogo, nihil addendo ampliùs, & scripsisse ea in duabus tabulis lapideis quas tradidit Mosi. Idem adhuc habetur cap. 10. [d]

Dedítque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.] Secundas tabulas ipsemet Moses comparauit sibi, & excidit seu præcidit, dolauítque, vt est c. sequenti [e], & in Exodo [f]. Vltimo loco primùm habetur promissum à Deo, quod ipse Deus scriberet: deinde quòd Mosi Deus præcepit, vt scriberet; is autem scripsit in tabulis verba fœderis decem. De primis in Exodi libro eodem [g] narratur, quòd legem ac mandata scripsit Deus in tabulis lapideis: & has dedit scriptas digito Dei [h]. Dixi priore versu cum Augustino [i], videri ex contextu duorum librorum citatorum, id est, Exodi, & nostri, colligi primas dumtaxat tabulas à Deo scriptas, siue ab Angelo, qui Dei personam referret, atque quem inde Augustinus mysticum sensum eliceret, vt & alij, de materia tabularum lapidea; quódque nihilominus secundæ, quatenus denotant nouum Testamentum, censeantur scriptæ digito Dei, non quidem exteriùs, sed interiùs in corde, quod gratiæ cooperator & Spiritui sancto per digitum Dei significato: præterea quòd secundas Deus promisisse dicatur scripturum, & Moses tamen scripsisse. Priuilegium fuit primarum tabularum, vt conficerentur à Deo & scriberentur: secundas voluit Deus humano labore parari, aut etiam scribi, vt magis præ se fert textus; ne primis fractis propter idololatriam, viderentur leges non concupitæ, sed obtrusæ, ac proinde magis deinceps studiosè custodirentur: sciréntque omnes amissam ob culpam, Dei gratiam non sine labore recuperari, ac per quandam dedolationem, & excisionem amoris rerum omnium, quæ Deo aduersantur, vt efficiatur mens coram Deo tanquam tabula rasa, cui solùm inscribantur quæ ipsi placent. Hugo admonet si quis de secundis tabulis velit asserere scriptas etiam digito Dei, sensum esse, quòd à Mose sint scriptæ, dictante Spiritu sancto, qui est digitus

PARAPHR.
a v. 10. & seqq.
b c. 19. 16. & seqq. c. 20. 1. & seqq.
c v. 2. & seqq.
d v. 2. 4.
Explanatio.
e v. 1. 3.
f c. 34. 1. & seqq. & v. 27. 28.
g c. 24. 12.
h c. 31. 18.
i in Exod. q. 166. & in Deut. q. 15.

Dei, sicut Baruch ex ore Ieremiæ scripsit [a]; & Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis [b], id est, postulare nos facere. Pro nomine Dei habetur hoc loco nomen Hebræum אלהים *elohim:* quod Caietanus interpretans Deum vt iudex est significare, obseruat quadrare proposito, quoniam legislatoris officium est, scribere leges. Et quia idem nomen Angelo quoque tribuitur; posset quis opinari eum hîc intelligi: opera enim Angeli scriptæ tabulæ sunt, qui Dei repræsentabat personam. Cæterùm digito Dei Spiritum sanctum intellexit, non modò Augustinus, quem nominaui, & hymnus ecclesiasticus cognominans dexteræ Dei digitum: sed passim etiam qui explicant verba Christi [c], *si in digito Dei eiicio dæmonia*; & præterea Anastasius [d] Sinaita, qui simul vtitur eo Christi testimonio, inséritque consubstantialem esse Patri & Filio, qui Filius vocatur manus, quemadmodum connaturalia sunt inter se & corpori manus digitique; immò & procedere Spiritum sanctum à Patre & Filio, &c. Idem annotârunt Ambrosius [e], Augustinus [f], Idacius [g]: docétque Ambrosius [h], quod Iudæi digitum Dei non legunt, sed ferrum: atramentum vident, non spiritum Dei: Ecclesia nescit atramentum, sed spiritum: ideóque Paulus nouit scribere non atramento, sed spiritu [i]. Tum exclamat; *O sacrilegum, ô ineptum populum Iudæorum! homo spiritu Dei scribit, & homo sub lege nutritus; & illi volunt Deum atramento scripsisse, non spiritu.* De Spiritu eodem sancto satis trita allegoria est digitus Dei, quem Pharaonis magi esse affirmauerũt in tertio signo in quo ipsi defecerant [k]: item de digitis Mosis aut sacerdotis, aut Christi, aut scribentis in pariete, & aliis apud auctorem Syluæ allegoriarum: & in hieroglyphicis apud Pierium. Digito autem scripsisse Christum in terra [l] notat Ambrosius [m]; vt quando de alterius iudicamus peccato, nostri meminerimus. Atqui figuratè digito Dei scriptum dicitur, quod eius vi, solóve imperio; quemadmodum tribuuntur eidem more nostro aures, oculi, brachium, facies, nasúsve, ad innuendas actiones auditionis, visionis, percussionis, itæ; digitis namque scribimus, quemadmodum dictis instrumentis illas actiones aut exercemus, aut ostendimus. Quandoque digitus idem valet quod manus, & vtrumque idem quod robur ac potentia Dei, vt docent Ambrosius [n], Euthymius [o], & alij: nonnumquam minorem potentiam, siue minoris declarationem potentiæ, vt cùm cœli dicuntur opera digitorum [p] Dei, Eusebio [q] interprete; atque Chrysostomo [r], Didymo [s], Euthymio [t]; vel appensa tribus digitis moles terræ [u]; ad eum modum, quo scribitur dictum à Christo [x]; *digito suo nolunt ea mouere*, aut [y]; *ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas*; & à Roboam [z], *minimus meus digitus grossior est lumbis patris mei.* Sed quoniam exquisitiora opera digitis fiunt, & scriptio inter illa censetur, istum hîc vsũ habere iudico, quod asseritur digito Dei scriptas tabulas, sicut & in Exodo [aa]. Plura reperies in commentatio nostro Psalmi 8. [bb] Est porrò eandem notandum cùm hîc scribit Moses (*deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei*) nomen vltimum esse positum loco pronominis (*eius vel suo.*) Obseruauit hunc idiotismum Hebræum in genere [cc] Augustinus; vt nomina pro pronominibus ponantur. Sic, exempli adhuc gratia, duo & duo (animalia) ingressa scribuntur [dd] ad Noë in arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus Noë, id est, sicut præceperat ei: item [ee], *in die hostiæ Domini visitabo super*

a Ier. 36. 27.
b Rom. 8. 26.
Digitus Dei quis.
c Lucæ 11. 20.
d l. 1. de rectæ fidei dogmat.
Filius manus nomine exprimitur.
e 3. de Spiritu S. c. 2.
f de catech. rud. c. 23. & serm. 6. de verb. Apost. c. 3.
g contra Varimadũ.
h de Noë c. 13.
i 2. Cor. 3. 3.
k Exo. 8. 19.
l Ioan. 8. 6.
m 3 de Spiritu S. c. 3.
Digito Dei scriptum, locutio figurata.
Digitus quandoque idem quod manus, & vtrumque idem quod robur ac potentia.
n 3. de Spiritu S. c. 6.
o in ps. 8.
p ps. 8. 4.
q ibid. in caten.
r ibidem.
s ibidem.
t ibidem.
u Es. 40. 12.
x Matth. 23. 4.
y Lucæ 11. 46.
z 3. Reg. 12. 10.
aa c. 31. 18.
bb v. 4.
cc in ps. 67. in id, rex virtutum.
dd Gen. 7. 9. 16.
ee Sopho. 1. 8.

principes, &c. hoc est, in die hostiæ meæ; ipsemet enim Dominus loquitur. Hoc aliter Grammatici explicant, esse vti antecedente pro relatiuo.

Et continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte.] Pro (*continentes*) editio Hebræa, Chaldæaque habent (*super eas*, עליהם *ghalehem*, עליהון *ghalehon*; Græca (*in eis*, ἐπ' αὐταῖς.) Omnia verba restringuntur ad decem, quæ nimirum audiuit populus immediatè à Deo, seu ab Angelo in Dei persona: quæque disertè decem fuisse scribitur in cap. 4. [a] & 10. [b] libri nostri, & in 34. [c] Exodi. Mons autem erat Horeb, seu Sinai, ad cuius radices in occursum Dei Moses de loco castrorum eduxerat populum [d]. Alia locutus est Deus Mosi soli, sed quæ ille populo edicere deberet; vt sic etiam locutus dici possit Deus populo, id est, mediatè. Vtrumque Hugo docet; sed præstat sensus de locutione immediata Decalogi.

De medio ignis.] Sic prius c. 4. [e] & 5. [f] posteáque c. 10. [g] & colligitur ex Exodo [h]: licet in hoc loco nostro Sixtini codices non habeant ἐκ μέσου τοῦ πυρός, *ex medio ignis*; quod omnes habent aliis indicatis locis.

Quando concio populi congregata est.] Breuiùs apud alias editiones, *in die cœtus, congregationis, synagogæ, Ecclesiæ*, ביום הקהל *beiom hakkahal* ביומא *beioma* דקהלא *dikhala*, ἡμέρᾳ (præponunt Complutensia, & Regia Biblia ἐν) ἐκκλησίας. Interpretatur Vatablus diem comitiorum, quo congregatus est populus, vt audiret conditiones pacti, quod inire cum illo volebat Deus. Narratur id fusè in Exodo [i]. Eadem phrasis est inferiùs c. 18. [k] Latinè, & secundùm alias editiones (*quando concio congregata est*) vbi nomen populi omittitur: & in 2. Esdræ [l], *congregaui aduersum eos concionem magnam*, vbi est קהלה *kehalah*, & ἐκκλησία. Nec alibi extat concionis nomen: semel autem dumtaxat [m] verbum concionandi, Græcè δημηγορεῖν, *loqui ad populum*. Syriacè *cum turba* עם כנשא *hham chenascia*. Concio à conciere descendit, quasi dicatur congregata conuocatáque multitudo. Sumitur præterea pro suggesto vnde verba fiunt, pro oratione ipsa quæ habetur ad multitudinem, non tantùm istam. Gellius [n] docet concionem habere esse verba facere ad populum sine vlla rogatione; cum populo agere, rogare quid eum quod suffragiis suis aut iubeat, aut vetet. Tubis argenteis ductilibus conuocari debuisse multitudinem vidimus libro priore [o]: quemadmodum

[p] *Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,*

inquit Propertius, pro quo non rectè Persium citat Isidorus [q]: vtebantur in aduocanda concione accenso, vel cornicine [r]; quorum ministerio non dissimile præconis, vel apparitoris: dicebatur ab acciendo accensus, quòd acciret ad concionem siue illicium, siue conuentionem; quamuis Alexander [s] ab Alexandro accensi proprium velit ad concionem; præconis ad comitia vocare; quod meritò noster improbat Bulengerus [t] de his post alios disserens diligenter. Præconis mentio est in Genesi [u], qui clamabat vt omnes coram Ioseph genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti: in Exodo [x], qui crastino die solennitatem Domini futuram, & qui [y] clamabat voce magna (Hebraicè *transire fecit Moses vocem*, nempe vel tubæ, vel etiam animatum sonum) ne vir aut mulier quidquam afferret vltrà in opere Sanctuarij: in Iosue [z] plurium, qui etiam clamabant ad procedendum ante arcam: in historia [aa] Regum vnius vel collectiuè plurium, qui insonabant receptum exercitui; in Daniele [bb], qui clamabat

a v. 13.
b v. 4.
c v. 28.
Mons hic quis.
d Exod. 19. 16.
e v. 12. 15. 33. 36.
f v. 4. 22. 26.
g v. 4.
h c. 19. 18. & 20. 18.
i c. 19. 10. & seqq.
k v. 16.
l c. 5.
m Actuum 12. 21.
Concio vnde.
Pro suggesto sumitur, & oratione ipsa.
n l. 13. c. 14.
o c. 10. 2. 3.
p Prop. l. 4. elegia 1.
q 17. etym. c. 4.
r Varro 4. & 5. de ling. Lat.
s l. 2. c. 27.
t 6. de imp. Rom. c. 16. & 17.
u c. 41. 43.
x c. 32. 5.
y c. 36. 6.
z c. 6.
aa 2. Reg. 2. 28. 36.
bb c. 3. 4.

mabat valenter vt adoraretur statua Nabuchodonosor.

Vers. 11.] Cúmque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis.

PARAPHR. DAtæ à Deo legis in tabulis duabus lapideis beneficium, tanti faciens Moses, tum verò etiam ob circumstantiam adeò longi dierum quadraginta, totidémque noctium ieiunij; & magno æstimari volens à populo, quem sibi ea Deus ratione singulariter deuinxit, atque peculiarem ac eximiè dilectum populum, tanquam per huiuscemodi pactum, fecit, sæpiùs Moses repetit & inculcat; ac nunc quidem tertiò in istomet capite, in quo bis [a] antea meminit; & adhuc bis in præcedentibus 4.[b] & 5.[c] vt omittam alia duo loca eiusdem nostri [d] capitis; & de secundis tabulis caput sequens [e]; eum Exodo [f] de vtrisque. Valeret item circumstantia illa diuturnioris abstinentiæ sine cibo potúque, ad commendandos Mosis pro populo susceptos labores; simul & ad exprobrandam ingratitudinem ac inobedientiam populi, tam facilè violantis & perfringentis legem, tanto eum apparatu ipsiusmet Dei, & adeò seria præparatione Mosis concessam. Idem Christianos attendere oporteret circa legem euangelicam, quam Christus non nisi post simile tulit in monte, quadragenarium ieiunium: & sanguine proprio sanciuit, præter, non solùm triennales à baptismo labores, verùm etiam annorum priorum triginta iam inde ab exordio incarnationis. Nec aliter sentire ac æstimare de suis religiosos legibus constitutionibúsque conuenit, quas non sine multis meditationibus, precibus, sacrificiis, lacrymis, pœnitentiis, reuelationibus fundatorum, vt noster de suis S. Ignatius affirmabat, acceperunt. Similis alios etiam Ethnicos legislatores impulit causa, vt ad maiorem auctoritatem atque commendationem, comminiscerentur & persuadere niterentur diuinis ac miris protsus modis dictatas sibi leges tradisásque, quas subditis proponerent ac ferrent. Minos ascribebat suas vel Ioui, vel Mercurio: Lycurgus Apollini: Zamolxis Vestæ: Numa Ægeriæ. Demosthenes [g] appellabat εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, *legem inuentum & donum deorum.*

[a] v. 9. & 10.
[b] v. 13.
[c] v. 22.
[d] v. 15. & 17.
[e] c. 1. 2. 3. 5.
[f] c. 24. 12. & 31. 18. c. 32. 15. 16. 19. c. 34. 1. 4. 28. 29.
[g] orat. 1. in Aristogit.

Explanatio. *Cúmque transissent quadraginta dies, & totidem noctes.*] Editiones aliæ habent (*& fuit*, seu *factum est à fine*, sine *post finem quadraginta dierum, & quadraginta noctium*, מִקֵּץ *mikkets*, מִשֹּׁף *missoph*: vel *per quadraginta dies*, &c. διὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας. Reprobat id Eugubinus, quia διὰ, hoc est, *per*, non rei finem, inquit, sed intermedium spatium significat.

Duæ tabulæ priores. *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas.*] Hebraicè Chaldaicéque hic & alibi (*tabulas lapidum*, לֻחֹת הָאֲבָנִים *luchoth haauanim*, לוּחֵי אַבְנַיָּא *luche aunaija.*) Sic solet illis linguæ substantiuum nomen, poni pro adiectiuo. Hæ primæ tabulæ fuerunt; secundas Moses ipse comparauit sibi, excidit, dolauit, & quorumdam sententia etiam scripsit, de qua te c. sequenti.

Tabulæ fœderis. *Tabulas fœderis.*] Versu 9. vox pacti erat: in Exodo [h] testimonij: pro fœdere vel pacto sunt nomina בְּרִית *berith*, קְיָמָא *keiama*, διαθήκη: pro testimonio עֵדוּת *hheduth*, סָהֲדוּתָא *sahadutha*, μαρτύριον,

[h] c. 31. 18. c. 32. 15. c. 34. 26.

Latini autem nominis fœderis notationem c. 7.[a] vimque posuimus.

[a] v. 2.

Vers. 12.] Dixítque mihi: Surge, & descende hinc citò: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, fecerúntque sibi conflatile.

PARAPHR. DEinceps ad 22. vsque versum reuocat in memoriam vetus peccatum idololatriæ, cùm populus vitulum fecit sibi, absente Mose, ac diutiùs in monte cum Deo commorante, vt adoraret illum: de quo peccato monitus ab eodem met Deo, ac descendete ad præuaricatorem populum iussus fuerit. Extant hæc prolixiore sermone in Exodo [b]; & inter alia quòd Mosi Deus dixerit, *Vade* [c], *descende: peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti: recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt; Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

[b] c. 32. 7. & 8.
[c] v. 7. 8. 9.

Explanatio. *Dixítque mihi.*] Chaldaicè etiam (לִי *li*, *mihi*:) Hebraicè, & Græcè (*ad me* אֵלַי *elai*, πρός με): in omnibus autem illis tribus infertur Dominus יְהוָה *Iehouah*, κύριος.

Surge, & descende hinc citò.] Deest in editionibus aliis coniunctio, cuius quoque absentia maiorem insinuat celeritatem ac festinationem: addunt verò in fine, (*hinc* מִזֶּה *mizzeh*, מִכָּא *miccha*, ἐντεῦθεν. Ex Exodo [d] recitaui paulò antè; *Vade, descende*, &c. vbi aliqui codices interponunt particulam coniungentem (*vade, & descende.*) Editio autem Græca habet (*Vade, celeriter descende*, βάδιζε, τὸ τάχος κατάβηθι) & in Sixtinis codicibus additur (*hinc*, ἐντεῦθεν) sicut hic. Caietanus, atque illius nomine suppresso, Marialla, obseruant circa verbum (*surge*) insinuari, quòd non stabat Moses coram Deo; sed vel genu flexus, vel prostratus erat. Atqui alibi [e] docui, surgere, קוּם *kum*, ἀναστῆναι, celeritatem quandam & alacritatem agendi denotare nonnumquam, non semper situs positionísve mutationem: vt [f]; *Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum; surge* [g], *fac nobis deos*; quod Aaroni populus dixit, volens vitulum adorare, de quo hic agitur: *Surgite* [h], *benedicite Domino Deo vestro.* His locis est verbum קוּם *kum*, & ἀνάστητε. Latinè diceremus *age*, & *agedum*, vel *agite*, & *agitedum*, *eia*, *heus*, &c. Quod etiam valet apud Hispanos, *alto*; cui synonymum est, *ea*, vel *ea pues*, &c. quæ animum alicui faciunt; cúmque velut erigunt, vt quidpiam alacriter aggrediatur. Idem iudicium de particula Italica *su*, & *su tosto*, & *or su*, aut *or via*: & de Gallica *or sus*, *or auant*, &c. Procidisse ante Dominum postea [i] Moses, & iacuisse ante Dominum, seu coram Domino narratur; sed non prima vice, quando primas tabulas accepit; quo etiam tempore non ascenderat per se, vt pro peccatis populi precaretur, sicut postquam ille vitulum adorauerat. Augustinus in locutionibus [k] Exodi tractans recitata verba, *surge, fac nobis deos; sedens*, ait, *loquebantur: an potius locutio est notanda: propter quod sæpe dicitur* [l]; *Exurge Domine*; aut [m], *surge Deus, iudica terram.* Caietani [n] opinio est, Dei verba ironicè accipienda & humano more, ad Mosem lætum euntem & descendentem cum tabulis, quasi diceret; vade, descende, quia diruit populus tuus quidquid boni constructum erat

[d] c. 32. 7.
[e] in Actus 9.
[f] 1. Par. 22. 16.
[g] Exod. 32. 1.
[h] 2. Esd. 9. 5.
[i] v. 18. 25.
[k] ad c. 32.
[l] ps. 43. 23.
[m] ps. 81. 8.
[n] in Exod. 32.

erat in eis. Cæterùm ex eo quòd citò surgere & descendere iubetur Moses, quia peccauerat populus, elicit Hieronymus [a] Guadalupensis morale documentum, vt summa diligentia conetur is, quorum interest, alios extrahere à peccato, & quidem quàm primùm; simul etiam, vt qui sibi conscius est mortaliter peccasse, non differat ex eo exire ac liberari, saltem per contritionem; quidquid sit de obligatione præcepti contritionis, de qua idem auctor disputat, & de tempore quo elici debeat. Audi, inquit, quid dicat Moyses sibi à Domino præceptum: *Surge, & descende hinc citò*, &c. Non ait Deus *descende lentè*, aut *pedatim*, seu *pedetentim*, sed *citò*: quia quàm celerrimè danda est opera, vt vulnus peccati sanetur. Citat ea Esaia [b] nomina Messiæ; *accelera spolia detrahere, festina prædari*, & ex Paulo [c], *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*; ea variis aliis locis, in quibus comparatur peccatum cum colubro, scorpione, vipera, aspide, basilisco siue regulo, &c. quorũ ictus venenati mortem inferunt, nisi remedium illicò afferatur. De periculo graui mortis, & quando ingruit præceptum confessionis, aut administratio sacramenti, vel receptio, non est dubium, quin contritio requiratur, aut saltem attritio cui coniungitur sacramentum supplens defectum contritionis. Verùm hoc scholis permittatur.

Quia populus tuus.] Omisit Interpres noster expositionem vocabulorum שחת *schacheth*, חבל *chabbel*, ἠνόμησε: quorum duo prima significant *corruptus est*; vltimum *iniquè egit, deliquit, peccauit*. Extant eadem aliarum editionum verba, & nostra (*peccauit*) in Exodo cùm recitatur eadem sententia. Corruptum verò esse populum, aut corrupisse se continet allusionem ad fornicationem, siue adulterium, fide violata coniugali: quæ allusio familiaris est in diuinis literis pro idololatria, vt non semel notauimus. Quòd porrò alloquens Deus Mosem de populo idololatra non (*populus meus*) dicit, sed (*populus tuus*) emphasim magnam habet, vt & quod sequitur (*quem eduxisti*) cùm solitus esset populum suum appellare, & legem dando pronunciasset; *Ego* [d] *sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*. Indignus iam erat hoc nomine, propter peccatum adeò graue, dignus autem repudio; vtpote fornicati à Deo [e]; in adinuentionibus suis [f], & cum diis alienis [g]: & postulantes vitulum, ac impetrantes dixerant [h]; *hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Dicebatur populus Mosis vel cognatione carnis, vel affectu sollicitudinis, & dilectionis; vt etiam videretur peccatum populi in ipsummet Mosem redundasse, sita populus in illum quoque peccasse, inquit Caietanus [i]. Quem Caietanum non rectè Leonardus Marius intellexit, mirari se scribens quid ei venerit in mentem, cùm dixit (*significanter dicit Deus populus tuus, hoc est, tam dilectus à te, ad cumulum criminis*) vt etiam ipsum Mosem peccasse significetur. Tantùm enim abest, vt hac phrasi Deus Mosi suum aliquod peccatum exprobret; vt potiùs contra eum, tanquam fidelem subditorum suorum pastorem excitet; vt pro eis vigilet, & deprecetur. Fefellit Marium omissa particula (*in.*) Significanter autem dicit (*populus tuus*) ait Caietanus, ad cumulum criminis, nempe populi: vt etiam in ipsum Mosem peccasse significetur, scilicet populus. Hieronymus in Danielem [k] (pro quo lapsu memoriæ quidam [l] citant commentarium in Ezechielem) explanans apud dictum prophetam verba Gabrielis; (*Septuaginta* [a] *hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam*) hoc annotat loci nostri opportunum intelligentiæ. Quia, inquit, propheta dixerat, *Eduxisti* [b] *populum tuum, & nomen tuum inuocatum est super ciuitatem tuam, & super populum tuum*, propterea ex persona Dei loquitur Gabriel. *Nequaquam populus Dei est, sed populus tuus; nec vrbs sancta Dei sed sancta vt dicis, tibi.* Mox subdit. Simile quid & in Exodo [c] legimus, quando Deus loquitur ad Moysen; *descende; peccauit enim populus tuus*, hoc est, non populus meus, quia me deseruit. Gregorius [d] eodem pacto exponit (*peccauit populus tuus*) ac si diuina vox, inquit, Mosi diceret, qui in tali peccato lapsus est, iam meus non est. Eadem Theodoreti [e], Aquinatis [f], Chrysostomi [g] Eusebij [h], quos citat Sanctius [i] noster, expositio: licèt hic malit apud Danielem eiusmodi mutationem pronominum factam non propter odium aut offensionem populi, quia iam satis fuerat pœnarum ab eo exactum; & iam Deus statuerat illum ornare, & habere pro suo, & suum appellauerat, loquens de reditu ex captiuitate; sed ad ostendendam singularem Dei beneuolentiam in Danielem, vt in eius gratiam tam vellet esse munificus in populum illum: præterea quoniam non benè conuenit ciuitatem despectam ac repulsam, nominari à Deo sanctam. Malim ipse pluribus assentiri etiam circa Danielis locum; & quidquid sit de illo, iidemmet de hoc nostro docent quod diximus, ac in confirmationem quoque & exemplum adducũt, Eusebius ac Theodoretus; & passim alij tum in Danielem, tum in Exodum, tum in hunc locum nostrum; vt Glossæ, Lyranus, Rickelius, Pererius (qui Tertullianum [k] citat præter alios) Pinius, Abulensis, Marzilla, Cornelius, Sa, &c. Abulensis addit hoc loco; quoniam præerat Moses populo spiritualiter & temporaliter: item vt sic moueretur ad orandum pro eo tanquam pro re sua. Similis adhuc formula in Ezechiele [l], *& vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui*: item [m]; *& tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui* Sic præterea vocat Deus solennitates non meas, sed vestras [n]; Sabbata, neomenias, calendas, festiuitates, non meas, sed vestras [o]. His ipsis locis quæ indicaui notatur idem ab Enarratoribus, tum verò à Sanctio, & Prado nostris. Idcirco inferiùs in Cantico [p] cognominatur gens adultera, & infideles filij.

Quem eduxisti de Ægypto.] Græcè (*quos eduxisti de terra Ægypti*) Quo ipso modo extat in Exodo [q] οὓς ἐξήγαγες. Idem verbum Græcum, & Latinum, & Chaldæum est in ea sententia, qua populus de Mose, ipsiúsque murmurans absentia, dixit, *Moysi* [r] *enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*; item, in alia, qua populus de vitulo: *hi* [s] *sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; sed vtroque in loco, est Hebræum verbum העלה *hahhalah*, *ascendere facere*; Græcum in vltimo ἀνεβίβασαν, pro quo legit Tertullianus [t] (*exacerunt.*)

Deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis.] Iuxta editiones alias est, *recedere*, siue *transgredi de via*: & pro verbo (*demonstrasti*) est (*precepi*) cum affixo Hebræo, & Chaldæo, cum separato Græco צויתים *tsiuuithim*, פקדתנון *pakkedthinnun*, ἐνετείλω αὐτοῖς *præcepisti*. In Exodo [u] (*recesserunt citò de via, quam ostendisti eis*) vbi editiones reliquæ phrasim eamdem habent quæ hîc est. Sed omnes, etiam Græca (*præcepi*) in prima persona. Vt sit mirum qui Latinè transtulit Chaldæam vtrobique posuisse

[Marginal notes, left: a in Oseæ 1. obiter ad mores. — b c.8.3. — c Rom.16.20. — d Exod.20.2. c.29.46. & alibi sæpe. — e ps.72.27. — f ps.105.39. — g Iudic.2.17. — h Exod.32.4. — i ibidem. — k In c.9. — l Lud. Ydelia in Exodi 32.]

[Marginal notes, right: a Dan.9.24. — b v.15. & seqq. — c c.32.7. — d 20 mor. c.8. vel 6. — e in Dan.9. — f ibid. sed huius cõm. non legi. — g or.2. cont. Iud. — h 8. de demonstrat. euang. c.2. — i in Dan.9. — k cont. Iudæos. — l c.3.11. — m c.13.17. — n Mal.2.3. — o Esa.1.13.14. — p c.32.20. — q c.32.7. — r v.1. — s v.4. — t contr. Iud. c.1. — u c.32.8.]

fuisse in secunda persona (*præcepisti.*) Vtrumque verum est, & Deum, & Mosem præcepisse, sed Mosem vt Dei ministrum. Præceptum autem fuerat de vno tantùm Deo vero colendo, cauendáque idololatria, seu alienorum & falsorum deorum cultu, datam in Decalogo [a]. Versu 16. vidisse se Moses ait quod populus deseruerat velociter viã Dei, quam is eis ostẽderat. Glossa interlinearis & Hugo, insinuari notant per aduerbium (*velociter*) leuitatem Hebræorum: per (*viam*) Christum, qui se viam esse asseruit [b]: per (*demonstrasti*) quod essent inexcusabiles. Literaliter via significat doctrinam, & legem Deum colendi quæ est via vitæ. Celeritatem in contemptu obseruat Caietanus. In psalmo 105 [c]. canitur; *citò fecerunt; obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius: & fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile: & mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum: obliti sunt Deum, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Ibi docui pro (*citò fecerunt, obliti sunt*) alios reddere (*festinanter obliti sunt*, seu *citò fecerunt vt obliuiscerentur, festinauerunt obliuisci, nondum recordati sunt, citò finem imposuerunt cultui Dei.* Hebræa eo loco sunt מִהֲרוּ שָׁכְחוּ *miharu scachechu*: Græcè vnico verbo ἐτάχυναν, *festinauerunt.* Visa nimirum illis nimis longa Mosis absentia. Ibidem nonnihil de studio perseuerantiæ in bono egi: ac inter alia, miratum retuli Paulum [d], quòd Galatæ sic tam citò transferrentur ab eo, qui vocauerat ipsos in gratiam Christi. Insulsius porrò admodum est R. Salomon fingens vitulum illum conflatilem animatum fuisse, ambulasse, comedisse, ideóque Aaronem ei altare erexisse. Citatus Psalmus qua se tuetur, oppositum efficit; appellans similitudinem vituli comedentis. Rabbinum illum Lyranus & Abulensis confutant. Inde porrò discitur quanti referat vt non absit prælatus, quantumuis videatur cum Deo, pro suarum ouium agere negotiis, & vicarios idoneos relinquere, quales Aaron & Hur.

a Exod. 20. 3. & seqq.
Via pro Christo.
b Ioan. 14. 6.
c v. 13. 19. 20. 21. 22.
d in Actuum 7. 41. ps. 77. 58. ps. 105. 19. 20.

Fecerúntque sibi conflatile.] Non habent editiones reliquæ particulam coniungentẽ; & sine illa videtur oratio, vt ita dicam, dissoluta, magis insinuare cõmotum, indignatúmque iustè animũ Dei aduersùs tam nefandum crimẽ idololatriæ. Vitulus conflatilis erat, qui etiam hîc paulò pòst [e] exprimitur nominatim: vt & in Exodo [f] à Deo ipsũ Mosem alloquẽte: vbi præterea inseritur [g], dixisse quòd populus adorauerat, atque immolans ei hostias dixerat; *isti sunt dij tui, Israël, qui te eduxerũt de terra Ægypti.* De vitulo illo, déque vocabulis עֵגֶל *hhegel*, cui simile Chaldæum עֵגַל *hhagal*, & μόσχος: item de מַסֵּכָה *massechah*, seu מַתְּכָה *mattecha*, & χωνευτὸς, conflatile & sculptile, egimus alibi [h]; quódque ideirco Hebræi deos suos appellauerint, quia iam voluntate in Ægyptum redire decreuerãt, vbi tale idolũ adorabatur. Quod Hieronymus in citatum epistolæ Pauli ad Galatas locum, reprehẽsos quòd sic tam citò transferrentur siue transponerentur, notat non eiusdẽ reatus esse, transferri ab aliquo difficulter, & citò trãsferri; vt in martyrio non eadem pœna plectitur, qui absque colluctatione & tormentis, statim prosiliuit ad negandũ; & ille, qui inter eculeos, fidiculas, ignésque distortus, compulsus est quod credebat negare; hoc, inquam, ad propositũ transferri potest; quòd scilicet Hebræi tam citò, tanta facilitate deseruerint viam diuinæ religionis, translatíque sint ad vitulũ adorandũ. Miratur eleganti, ac fuso sermone, Laysius Legioensis, enarrans eumdẽ Apostoli locũ, quàm citò, id est, quàm leuibus de causis, mortales cũcti, iustitia deserta, quæ vna totius beatæ vitæ rationẽ continet, ad scelus, in quo sũma miseria est, omnia sua studia conuertant, quamque leni impulsu se deiici à recti studio, & à constantiæ statu patiãtur. Profert in exemplũ Hebræos, qui maximis à Deo, & maximè recentibus beneficiis affecti, quòd ad breue tempus eos liquisset Moses, ab amore Dei ingratè recesserunt: eosdem rursus, qui pauorũ & timidorum audito sermone hominũ robora corporum Chananææ gentis laudantiũ, se abalienauerunt à Deo [a]. Addit captum subito ac fortuito aspectu alienæ vxoris Dauidem [b]; Petrũ vna ancillæ voce de constantia deiectum [c]. Nec alia desunt exẽpla. Nec omittenda Hieronymi annotatio Danielem [d] declarantis, cùm recitat verba Nabuchodonosor, *deos meos non colitis.* Alij, ait, hãc dicũt Scripturæ sanctæ consuetudinem, vt vnum idolũ appellet pluraliter; vt est illud in Exodo [e] de vitulo, *isti sunt dij tui, Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti*; & in Regum volumine Ieroboam ponẽs aureum vitulũ in Bethel, idola fecisse narratur [f]. Econtrario multa dæmonia singulari numero appellantur; vt in Esaia [g]; *inclinat se, & adorat illud, & votum faciens, dicit; Deus meus es tu.* Denique obserua, Chaldaicè dicto loco Exodi verti (*isti timor tuus*) אֱלָהָךְ דְּחַלְתָּךְ *illen dachlathach*) id est, *dij quos colere & timere debes.* Alioqui Deus etiã verus cognominatur timor & pauor noster [h], vt aliàs admonuimus. Sed stupiditas ac stoliditas magna aurum timere, non Deum, (θεὸς & Deus dici nonnullis videtur quasi δέος timor) qui flatum & animam hominis habet in manu sua & potestate, potéstque eum corpore perdere in gehennã [i]. Nugas enim dixi esse, quòd vitulus ille aureus fuerit animatus; nec si ei se spiritus inseruisset, huius potentia vllo modo cũ Deo vero comparanda. In Psal. 15. [k] *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt:* Theodotio legit εἴδωλα pro infirmitatibus: & celeritatis nomine quidam [l] notant intelligi idololatriã, quoniam homines nullo consilio, nulla rationis mora interposita, nullo pondere iudicij retardati, præcipites ad idololatriam decurrerunt, carnis voluptate capiente: atque hoc sibi velle quod hîc scribitur Hebræos viam velociter deseruisse. Plura in commentario nostro eiusdem Psalmi.

Conflatile illud quod.
e v. 16.
f c. 32. 8.
g ibidem.
h in Actuum 7. 41. ps. 77. 58. ps. 105. 19. 20.
a Num 13. 33. 34. c. 14. 1. 2. 10.
b 2. Reg. 11. 2. & seqq.
c Matth. 26. 69. & seqq. Luc. 22. 56. 57. Ioan. 18. 25. Marc. 14. 66. & seqq.
Vnum idolũ plurali numero appellari, & e contra, multa numero singulari.
d c. 3. 14.
e c. 32. 4.
f 3. Reg. 12. 28.
g c. 44. 17.
h Gen. 31. 42. 53. Esa. 8. 13.
i Matth. 10. 28. Lucæ 12. 5.
k v. 4.
l Agellius ibidem.

Vers. 13.] Rursúmque ait Dominus ad me: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit:

Vers. 14.] Dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cœlo, & constituam te super Gentem, quæ hac maior & fortior sit.

Similia, immò eadem recitantur Exodi cap. 32. [m] his verbis: *Rursúmque ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* In his primùm considerare oportet, quanti sit apud Deũ momẽti viri iusti deprecatio, vt etiam Iacobus [n] monuit exemplo Eliæ [o]. Resistit iusti oratio ipsimet Deo; quamuis Iob [p] scribat illius iræ neminem resistere posse: quemadmodum & restitit Aaron [q], Phinees [r], Dauid [s]. Verùm omnes sancti, qui iræ Dei obuiant, inquit Gregorius [t], ab ipso accipiunt, vt contra impetum percussionis eius opponantur: atque cum ipso se erigunt contra ipsum, qui deprecandi ausum præbet: sed cùm superna

Paraphr.
m v. 9. 10.
Iusti apud Deum deprecatio quanti sit.
n c. 5. 17.
o 3. Reg. 17. 1. & seqq.
p c. 9. 13.
q Num. 16. 45. Sap. 18. 21.
r Num 25. 7. 8 ps. 105. 30.
s 1 Par. 21. 15.
t 9 moral. c. 11. & 12.

perna eiusdem indignatio sese medullitus mouet, hanc oppositam humana nõ retinet. Sic enim Moses exorare pro se ingressum in Chanaan nõ valuit [a]: nec Dauid iram Dei contra se temperare, fugiens ab Absalone filio [b]: nec Elias, in fuga à Iezabele [c]. Vnde prohibitus est Ieremias orare pro populo, & obsistere [d] sibi, & negauit Deus si starent Moses, & Samuel exauditurum se pro eudẽ [e]: vel si Noë, Daniel, Iob [f]: licèt hoc vltimo orante pro suis amicis, promiserit Deus remittendum peccatum eorum [g]. Multa huc spectantia reperies in Psal. 105. commentario nostro. Ex alia verò tamen parte rursus queritur apud Deum ipsum Esaias [h], non esse qui inuocet nomen illius, qui cõsurgat, & teneat eum: immò apud Ezechielem [i] Deus, non esse qui ascendant ex aduerso, & opponát murum pro domo Israël, vt stent in prælio, in die Domini: & cùm quæsiuisset virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra illum in terra, ne dissiparet eam, non inuenisse [k]. Chrysostomus [l], timorationes quãram vim Sanctorũ habeant declarans, eadem opera prudẽter admonet vt pro sua quoque parte laborent qui se aliena velint intercessione iuuari, tractátque exẽpla omnia quæ attigimus. Secundo loco Iuliani apostatæ occurrendum est calumniæ, qui, Cyrillo [m] Alexãdrino teste, arguebat Deum Testamẽti veteris inconstantiæ. Nõ decreuerat Deus absolutè, ac simpliciter Hebræos punire: sed si nullus interueniret, intercederet, interponeret se deprecatorẽ. Simul autem Cyrillus docet demonstrari Dei benignitatem, qui flectatur precibus; & quantũ gratia valeant iustorum preces apud eum; qui se illis flecti sinat: & quo pacto in ipsum cadat ira; sed tardè, ac ita vt sit facillimus ad eam deponendã, atque ad promptè miserendum; quod, inquit, ostẽdit, admonito Mose, vt quamprimùm descenderet ad populum, qui peccauerat idololatria. Denique obiicit Iuliano Cyrillus, Homerum, veluti argumentans ad hominem, vt dicũt; qui Homerus concinit mutabiles etiam & deos ipsos esse. Procopius [n] obseruat amico colloquio cohortantem Deum, ne cunctari Moses velit supplicare pro populo: non enim Deum latuisse non ausurũ propter delicti acerbitatem: præsertim cùm nunc etiam pauido pectore orasse narretur. Ambrosij [o] sententia celebris est, hortantis vt nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. *Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.* Non cadit mutatio in Deũ, & in decreta eiusdem nonnullis hyperbolis conditione supponitur. Idem porrò Ambrosius [p] ait Mosem impetrasse: immò & Ieremiam, licèt prohibiti viderentur orare. Tandem innuitur cauendam in ira præcipitationem, eo quòd interpellet Mosem Deus, & ansam præbeat cohibendæ diuinæ iræ.

a Deut. 3. 26.
b 2. Reg. 15. & 16. & 17.
c 3. Reg. 19. toto
d Ier. 7. 16. c. 11. 14. c. 14. 11.
e c. 15. 1.
f Ezech. 14. 14. 20.
g Iob 42. 8.
h c. 64. 7.
i c. 13. 5.
k c. 22. 30.
l hom. 1. in 1. epist. ad Thess.
m l. 5. contr. Iulianum.
n in Exod. 32.
o in c. 1. Lucæ.
p 1. de pœn. c. 8.

Explanatio.

Rursúmque ait Dominus ad me.] Particulam (*rursum*) non habent editiones reliquæ, sed solùm (*& locutus est mihi, seu ad me Dominus, dicens,* aut *dicendo.*) Eodémque pacto in Exodo [q], vbi legimus (*rursúmque ait Dominus ad Moysen.*) Ibi Caietanus notat ista distinctione sermonis diuini innui quòd Moses audito tanto scelere populi ingemuit ratione diuinæ iniuriæ, & mali in populo. Hoc approbãs eodem loco Leonardus Marius vt prudenter notatum, intercessisse moram aliquam volt, in qua Mose audito, ac penitus apud se examinato populi peccato, de eo coram Deo erubuerit, ac simul ingemuerit, nullis interim adiunctis verbis, prout, inquit, solet fieri, hominibus inexpectato, & graui aliquo malo oppressis, atque in illius consideratione ad stuporem vsque defixis. Non displicet, hócque inferiùs confirmabitur testimonio Ruperti.

q c. 32. 9.

Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit.] Hebraicè (*vidi populum istum, & ecce populus duræ ceruicis iste*) Chaldaicè (*notus est coram me populus hic, & ecce populus duræ ceruicis hic*) Græcè additis nonnullis, λελάληκα πρὸς σὲ ἅπαξ καὶ δὶς λέγων, ἑώρακα τὸν λαὸν τοῦτον, καὶ ἰδοὺ λαὸς σκληροτράχηλός ἐστι, *locutus sum ad te semel & bis. Vidi populum hunc, & ecce populus duræ ceruicis est.*) in Exodo [a] legitur iuxta nostram editionem (*cerne quòd populus iste duræ ceruicis sit.*) & iuxta Hebræam, Chaldæámque sicut hîc: sed iuxta Græcam id omittitur. De hac autem phrasi egimus versu 6. nostri huiusce capitis; vbi Latinè cum superlatiuo est (*cùm durissimæ ceruicis sis populus.*) indomitam superbiam explicant hoc loco Glossa interlinearis, & Hugo: alij incorrigibilitatem: Caietanus in Exodum inflexibilitatem ad obediendum: & quòd non cederet populus ille præcepta Dei, non emolliretur tot beneficiis, nec agnosceret eum vt benefactorem; & quòd quamuis idem populus aliquando quasi violentia beneficiorum coactus, subiiceret caput Deo; citò tamen tanquam dura ceruix, rediret in statum suæ duritiæ, erectique capitis contra Deum. Verùm consule dicta versu illo sexto.

a c. 32. 9.

Dimitte me.] Hebraicè הֶרֶף מִמֶּנּוּ *hereph mimmennu, cessa à me*, id est, permitte me quod volo agere, nimirum punire populum istum, prout mox sequitur; *noli me precibus remorari*, vt loquitur Glossa interlinearis. Et allusio nonnulla est, quædámque quasi paronomasia, inter vltimum nomen membri præcedentis, quod ceruicem significat, videlicet עֹרֶף *hhoreph*, & verbum istius הֶרֶף *hereph in hiphil*, à רָפָה *raphah*, scripto segol siue pathach paruo, vt Grammatici loquuntur, pro pathach magno sub litera ה *he*, ac suppressa alia litera ה *he* in fine. In Exodo [b] quod legimus etiam (*dimitte me*) habent aliæ editiones (*& nunc dimitte me*) Græca per verbum ἔασον, sicut hîc: Hebræa per הַנִּיחָה *hannichah, quiescere fac.* Chaldæa vtrobique dimissionem istam sic explicat (*& nunc dimitte deprecationem tuam à facie mea, seu à conspectu meo.*) Cui vltimæ interpretationi similis prohibitio est facta Ieremiæ [c] (*noli orare pro populo iste*) vt antea quoque meminimus. Vta autem Hebræi textus in Exodo potest esse; sine me vindictã sumere, vt quiescam; quemadmodum contingit iratis postquam sese vlti sunt, atque vt Itali dicũt *doppe che si sono sfogati.* Sic intelligit Oleaster [d] id Esaiæ [e]; *heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*; reprehendítque declarantes quòd velit ibi Deus significare, se post vindictam consolatione egere; atque ita ostendere se inuitè, nec sua sponte punire. Expositioni illi fauent verba apud Ezechielem Deo attributa; *& complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.* Item quod extat in c. 8. [f] libri nostri. *Et sicut antè lætatus est Dominus super vos, benè vobis faciens, vósque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens*, &c. Istis testimoniis vtitur Forerius in Esaiam, vt particulam (הוֹי *hoi, heu*) doceat nõ dolentis esse, sed insultantis. At passim in posteriore notione accipitur & alibi, & in eo loco Esaiæ; in quo insinuat Deus grauitate se compulsum peccatorum, vt puniret populum. Sicque cùm satisfactum esset iustitiæ conquiesceret, ac veluti consolationem caperet, leuatus quodam

b sup. v. 10.
c c. 7. 16. c. 11. 14. c. 14. 11.
d in Exod. 32.
e c. 1. 24.
f c. 5. 13.
g v. 63.
Τὸ Heu, insultantis vox.

dam quasi humore noxio & biliofo. In eodem sensu Zacharias ᵃ onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requies eius coniungit: significans ex onere, id est, ex punitione, capere Deum requiem, tanquam degrauatum onere molesto, & eiecto veluti per vomitionem, pernicioso veneno, quod quodammodo peccatores, thesaurizant et intra pectus irati Dei ᵇ, & ceu mari compressis ventis, æstu, fluctibus, procellis tranquillato. Imponitur nimirum iræ finis, ait Philosophus ᶜ, cum vltio aduenerit: minuit vindicta dolorem: nihil vindicta iucundius, ne vita quidem, vt quidam senserunt: lætatur etiam iustus visa vindicta. Nec abest à vero, petere Deum vt quiescere sinatur, id est, non obiter, leuiter, exiguo tempore punire, sed penitus, vt non sit amplius redeundum; sed fit, vt adhuc loquitur Esaias ᵈ, transitus virga fundatus, quam requiescere faciat Deus. Theodoreto ᵉ videtur indicari hac Dei petitione benignitatem ipsius. Nam qui ad aliquid agendum ira ducitur, iis etiam, inquit, indignatur, qui illum admonent: & nemo expectat monentem vt irascatur; sed vt mitigetur potiùs; ac proinde, *dimitte me*, idem est, quod cohibe me, quia cùm Moses ignoraret iniquitatem populi, hanc Deus illi patefecit, atque vt pro eo intercederet, excitauit. Idem scripsit Prosper ᶠ hoc sermone. *Pius Dominus dat intercedendi tempus, cùm dicit; sine me. Non enim Deus ex hominis, sed homo ex Dei voluntate pendet.* Præterea Hieronymus ᵍ, Rupertus ʰ verbo illo vnico (*dimitte me*) ait innui breuiter, quid Moyses ageret. Psalmistam ⁱ vehementiùs expressisse, & dixisse, vt disperderet si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos. *Per nimiam humilitatem significat*, inquit, *Moysen Deum tenuisse, dicendo(in confractione.) Confractio namque nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo, & Domino vniuersæ fortitudinis principe res fortis est, & valida; ita vt illa laborante quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere non valeat, regina virtutum agente, ne refutetur ipsa, & vincente pro sua reuerentia.* Id recitaui ac plura Psalmistam enarrans.

Vt conteram eum.] Causaliter etiam reddi potest ἐξολοθρεύσας. Sed Hebraicè, atque Chaldaicè præponitur coniunctio verbi futuri temporis ואשמידם *veasmidem*, ואשיצינון *veasetsinnun*.) In Exodo ᵏ (*vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.*) Hoc vltimum hic sequitur pluribus verbis.

Et deleam nomen eius de sub cælo.] Citato loco Exodi Hebræum verbum cum affixo אכלם *achallem* significat, *consumam eos*: Chaldæum idem est, quod hic priore membro: Græcum *conteram* ἐκτρίψω: hic autem rursus Hebræum ואמחה *emecheh* cui Chaldæum simile, Græcum ἐξαλείψω, quæ propriè significant deletionem. In c.7. ˡ occurrit eiusmodi phrasis (*disperdes nomina eorum sub cælo*) Græcè in tertia persona ἀπολεῖται, *perdet*, aut iuxta emendatos codices ἀπολεῖτε, *perdetis*. Ibidem annotata repete, aut si non legisti, aut si non meministi, lege aut recole. Augustinus ᵐ, legens (*sine me, & conteram eos*) exponit, conteremem, nisi diligerentur abs te; vt eo modo admoneremur, inquit, cùm merita nostra nos grauassent ut dibgamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. De hoc actû hic priùs, & in Psal. 105. ⁿ paulò etiam antè indicato.

Et constituam te super gentem.] In reliquis editionibus (*faciam te in gentem.* אעשה אותך לגוי *ebbesch otheche legoi*, לעם לך עביד אנא *ebbed iat ach lechham*, *ποιήσω σε εἰς ἔθνος*.) Quo nomen pactò extat in Exodo etiam secundum editionem nostram (*faciámque te in gentem.*) In libro Numerorum ᵇ, *te autem faciam principem super gentē*, &c. Item sæpius in Genesi extat eadem phrasis faciendi in gentem magnam, de Abrahā ᶜ, quod ei à dicitur esse patre multarum gentium ᵈ, & poni in gentibus, crescéreque vehementissimè ᵉ; ac esse in gentibus ᶠ; præterea de Ismaële, quia semen Abrahæ erat, licèt ex ancilla ᵍ; deinde Iacob in Ægypto ʰ. Ex his & similibus locis colligimus tum propagationem, tum præfectuam intelligi super gentem, qualis mox describitur.

Quæ hac maior & fortior sit.] Hebraicè *fortem*, seu *robustam*, & *multam præ illa*, vel *præ illo*.) Epitheta sunt גדול עצום *bhatsū*, & ורב ממנו *thak bh*, & *fag-ghi*: Græca verò ad nomen ἔθνος neutrius generis tria sunt *μέγα*, *ἰσχυρὸν*, *πολὺ*, *magna*(gens) *fortis*, *multa*, & pronomen demonstratiuum cum particula cōparatiua est singulare *μᾶλλον ἢ τοῦτο*, *magis quam hoc*. In Exodo ⁱ tantùm est (*in gentem magnam*) in Numeris (*super gentem magnam, & fortiorem quam hæc est*; vel *magnam & multam magis quam hæc.*) Theodoretus ᵏ isto promisso prædici ait quæ ad nos pertinent: quia quod tunc non est factū, post aduentum Saluatoris nostri completū est. Ex huiusmodi promissi reiectione, quod nempe Moses populum saluum vellet, quamuis robore ac numero minorem, cognita est fides eius ac beneuolentia: quámque mercenarij potius cognominādi sint & non pastores, qui maioribus oblatis Ecclesiis minoribus renuntiant ob pinguiores prouentus: sed illud mysterium agnoscen. qu que Damianus ˡ (confirmánsque verbis Apostoli ᵐ: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: Sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, ait: *Moysi fane oblatum est à Deo, si præuaricatorem populum vellet dimittere, & diuinæ exponere vltioni, ipsum quidem fieri posse in gentē magnam: sed ille renuit. Quare? Ob nimiam profectò dilectionem, qua illi fortiter deuinctus populo tenebatur: & quoniam non requirebat quæ sua sunt, sed Dei honorē, & non quod sibi vtile foret, sed quod multis.* Tum subdit, *Et ille quidem sic. Ego autem consilio secretiori puto hoc munus diuinitus pro sui magnitudine seruatum sponsæ, vt ipsa potius, & non Moyses, mitteretur in gentē magnam. Non enim oportebat amicum sponsi præcipere sposæ benedictionem: & propterea non quidem Moysi, sed nouæ sponsæ, cui dicitur; Ite ⁿ in mundum vniuersum; prædicate Euangelium omni creaturæ; ipsa, inquā, prorsus missa est in gentem magnam*, &c. Vrget hoc idem exemplum Chrysostomus ᵒ, vt persuadeat habentibus animarum curam, ac fungentibus patrū, & magistrorum officio, vel etiam agricolarum. *Est namque absurdum*, inquit, *vt prauorum filiorum pater nolis, nisi eorum quos genuit pater appellari: nos autem discipulos quotidie nunc hos, nunc illos mutamus, erga nemine amicè familiariterque affecti.* Ambrosius ᵖ iis qui præsunt cōmendat hoc exemplo dilectionem erga eos, placiditatem mētis, animi benignitatem, bonitatem, mansuetudinem morum, simplicitatem animi, moderationem præceptorum, affabilitatē sermonis, verborum honores, patientem sermonum vicem, modestiæ gratiam: quæ omnia incredibile sit quantum procedant ad cumulum dilectionis, & non solùm in priuatis, sed etiam in ipsis regibus facilitas blandæ affabilitatis profusiùs plurimū legatur; superbia, verborumque obstinatione tumorem, ita vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret.

a c.9.1. b Rom.2.5. c 4.ethic.5. d c.30.32. e in Exod. q 67. f p.s. de promiss. & prædic.4. g in Ezech. 13. h lib.4.in Exod. c.24. i ps.105.23. k c.32.10. l v.24. m q.149. in Exod. n v.23.

a c.32.10. b c.14.12. c c.12.2. d c.17.4.5. e v.6. f c.18.18. g c.21.13.& 18. h c.46.3. i c.32.10. k q.67. in Exod. l serm.36.in Cant. m Actuum 13.46. n Marci vlt. 15. o hom.12. in Ioan. p 1.offic.c. 7.

Vers. 15.] Cúmque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtráque tenerem manu:

Vers. 16.] Vidissémque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat;

Vers. 17.] Proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.

ANte ista, oratio videtur præcessisse Mosis (in cuius sancto pectore etiam ex persecutione quam patiebatur à populo, caritas ignescebat, inquit Gregorius [a]) ad Deum pro populo, recitata in Exodo [b]. Moyses autem orabat Dominum Deum suum (quasi iam non esset ampliùs peculiaris populus Dei, pro quo tamen orabat; vel ex singulari affectu suum vocat, qui communis omnium erat) dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum (non meum, vt dixisti [c], sed adhuc tuum, quoniam etiamsi peccauerint, tui sunt [d], nec quisquam facilè destruit quæ fecit) quem eduxisti de terra Ægypti, (non ego, vt irato similis paulò [e] antè asseruisti:) in fortitudine, & in manu robusta? (quod minimè mihi conuenit, nec decet opus tantum frustrari suo fine.) Ne quæso, dicant Ægyptij: (infensissimi nomini tuo, gloriæque, sic periclitaturæ, & cultorib. tuis, licèt hi nunc defecerint) callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra (si vt modò minatus [f] es, deleas illos) quiescat ira tua (nec iubeas, vt dimittam te, vt irascatur furor tuus contra eos [g]) & esto placabilis super nequitia (quæ sanè dissimulari nequit) populi tui (tui, inquam, adhuc nihilominus populi.) Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum (quorum apud te merita valent plurimùm, nec ad mea ipsius attendas demerita, populíve) quibus iurasti per temetipsum (qua asseueratione certior nulla, & in qua præstanda fidelem futurum te non ambigimus, esséque debere omnes persuadent sibi) multiplicabo semen vestrum (ita vt non ex alio semine alia gens, quantumuis maior aut fortior, expectanda, expetendáue sit) sicut stellas cœli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Admodum efficacia sunt hæc argumenta; ex diuinæ gloriæ periculo, ex diuino promisso, ex meritis aliorum: quibus argumentis vsi sunt postea Iosue [h], Dauid [i], Azarias [k]: Sed & Aaron, iuramenta Patrum & testamenta commemorans [l]: quin & ipsemet Deus offensus blasphemia in nomen suum eorum qui vexabant populum suum; propter hoc [m], inquit, sciet populus meus in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Habet porrò acumen quod quidam [n] circa Patriarcharum commemorationem obseruat, quasi diceret Moses: Si populus hic incendio perire meretur, ecce Abraham eorum pater, qui tui amore in Vr Chaldæorum in ignem proiectus est; si gladio, ecce Isaac, qui pro te immolari paratus fuit; si exilio, en Iacob tanquam exul, tibi, & patri obediens fugit in Mesopotamiam. Sed præterquam quod tam crebrò vsurpatæ de horum trium meritis mentioni ratio ista non satis congruit, fabulam Hieronymus [o] meritò vocat,

Paraphr.
a 17. moral. c. 7.
b c. 32. 11. 12. 13. 14.
c ibid. v. 7.
d Sap. 15. 2.
e Exod. 32. 7.
f ibid. v. 10.
g Ibid.
h Ios. 7. 9.
i ps. 25. 11. ps. 78. 6.
k Dan. 3. 36. 43. 44.
l Sap. 18. 22.
m Esa. 52. 5.
n Lud. Ystella in Exod. 32.
o trad. Heb. in Genesim.

quod in ignem à Chaldæis missus Abraham dicitur, quia noluerit ignem adorare: de qua re Salianus [a] noster, ac Genesis expositores, qui eductionem de Vr interpretantur de loco sic appellato; quod cùm significet ignem, scribatur in [b] Esdra Abraham eductum esse de igne, posito, vt sæpe fit, significato seu etymo nominis proprij, pro nomine ipso: aut ignis nomine sumpto, vt denotat tribulationem. Post orationem factam à Mose, priusquam de monte descenderet ad populum, quem peccauisse admonuerat Deus, in recitato textu narratur descensus eiusdem Mosis ex eodem monte, ad eumdem idololatram populum, cum tabulis duabus lapideis, Decalogum insculptum continentibus, quas acceperat à Deo: quódque, cùm deprehendisset speciatim peccati rationem circa vitulum aureum, quem sibi populus conflauerat, adorauerátque, iratus valdè illas ipsas tabulas coram populo confregerit, & proiecerit. Inseritur autem istius rei narrationis in eodem Exodo [c] mentio, quo pacto placatus Dominus fuerit (Hebraicè *pœnituerit eum*) ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum suum, id est, ne penitus deleret, quod etiam dumtaxat petiisse Moses visus est, non autem vt omnis pœna condonaretur, vt iudicat Pacianus [d]. Tum additur, *Et* [e] *reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua* (vtráque) *scriptas ex vtráque parte* (hinc & inde, ac ex vtráque superficie, vt legi possent commodè à stantibus vtrinque,) *& factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris* (abfuerat enim diu à populo, nec tunc videtur adfuisse cum Mose, quando is didicit genus peccati: vel suspicari potuit ortum in castris dissidium, quæcumque demum occasio fuerit.) *Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam* (militare præceptum est, ac mos in conflictu vociferari cum iubilatione & barritu [f], tum ad hostes perterrefaciendos, tum ad suos confirmandos) *neque vociferatio compellentium ad fugam* (quæ victis conuenit;) *sed vocem cantantium ego audio* (vel sensuum viuacitate discernebat, vel ex iam accepto oraculo de populi peccato, cognoscebat.) *Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros: iratúsque valdè, proiecit de manu* (vtraque, qua tenebat illas, & *manibus* pluraliter habet editio Græca ἔῤῥιψεν ἀπὸ τῶν χειρῶν αὐτοῦ) *tabulas, & confregit eas ad radicem montis.*) Hugo [g] S. Victoris verùm ex humano affectu, an ex diuino instinctu hoc fecerit, ait non patere. Equidem de secundo non ambigo, ob mysterium, quo significabatur abolendam legem veterem, euangelicámque substituendam, vt annotarunt Ambrosius [h], Augustinus [i], & alij; sed etiam, quia, vt acutè respondet Theodoretus [k], cùm tabulæ eiusmodi dotalium instrumentorum formam haberent; sponsa verò, id est, populus Hebræus, in ipso limine thalami nuptialis (velociter hîc dicitur viã deseruisse ostẽsam à Deo, ac etiam promissam) ad committendũ adulterium (per idololatriam) declinauisset, iure dotales literas Moses effregit. Rationem aliam reddunt idem Ambrosius [l], Hieronymus [m], Basilius [n], quoniam indignum erat, vt ebrio populo lex daretur. Accedit quòd populo, quem Deus delere penitus intendebat, profuturæ tabulæ non erant. Certè nusquam legitur Mosem de tabularum fractione accusatum, aut reprehensum, qui omnino fuisset si in ea se peccasset.

Sed

a tom. 1. annal. anno 2006. n. 2. & 3.
b l. 2. 9. 7.
c c. 32. 14.
d epist. 3. de pœnit. ad Sympronia.
e Sup. v. 15. & seqq.
f Cæs. 3. de bello ciu. & 7. comment. Cassiod. l. 1. varia. ep. 13. Diod. l. 15. Plutarc. in Crasso: Philo de vita Mosis: Tacitus de mor. Germ. Liui. l. 1. 4. 25. 30. 34. Pol. l. 12. Onosander strate. c. 29. Leo Imp. de bellico apparatu c. 12. n. 70. & 106.
g in Exod.
h de Noe & arca c. 13. & epist. ad Romulum.
i q. 144. in Exod.
k ibid. q. 68.
l de Elia & ieiu. c. 6.
m 2. cont. Iouin.
n orat. de ieiu.

Sed quod attinet ad ebrietatem, quæ fractioni dederit occasionem tabularum, supponit is modus loquendi Hebræos vinum bibisse. Quæ Augustini [a] opinio est, ac Philonis [b], probaturque verbis Exodi [c] iuxta Græcam translationem φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω, *vocem præcinentium vinum ego audio*, quod legimus Latinè, *vocem cantantium*. Quamuis autem reprehendat Eugubinus mentionem vini, deprauatúmque asserat textum: tamen agnoscit Philo, & Augustinus. Licet præterea cap. 29. [d] libri nostri negetur Hebræos panem comedisse, vinúmque ac siceram bibisse; responderi posset ordinariè; vinum verò ex oppidis vicinis comportatum. Ex alia parte si hoc admittatur, non defuissent qui crebriore vectatione vini lucrum facerent: atque item citato loco negat Moses præcisè vini vsum & panis. Tandem vox Græcè dicitur præiuentium vinum, id est, similis voci ebriorum. Reuereor auctoritatem assecensium, nec improbabile duco, vinum ex Ægypto allatum adhuc durasse, quando vitulus adoratus est; vel allatum à Iethro ex oppido Madian: quamuis non adeò copiosum; sed quod tamen, præsertim à locupletioribus, posset vsurpari, quando vitulus adoratus est. Lege Barradium [e] nostrum. Hebræorum commentitia causa est, cùm de monte descendisset Moses, vidisse scripturam tabularum obliterari, adeò vt nullum remaneret vestigium, proptereáque vt omnino inutiles confregisse. Refert id Abulensis hoc loco, & in Exodum [f], & improbat loco posteriore [g], ac nominatim quod R. Salomon dicebat Mosem iratum, quia videbat literas ipsas per aërem volitantes: siue de solis figuris intelligat absque materia, quod impossibile est; siue de particulis tabularum, quibus literæ insculptæ erant, quod adhuc grauis dicitur; nec eo concesso, propterea Moses ad iram commotus fuisset. Ambrosius [h] docet fractas tabulas, non scripturam deleram, tropologicè monens, ne tabula mentis, animi, cordis frangatur, diuidatur, comminuatur, fidésve deficiat, vnitatem diuinitatis in Trinitate nó credendo. Difficile est fractis tabulis non etiam fractam scripturam, siue literas, & characteres. Intellexit forsitan Ambrosius de scriptura secundùm sententiam sumpta, non materialiter de literis insculptis: quæ literæ quamuis deletæ non sint propriè per fracturam, quoad vsum tamen perinde est ac si deletæ fuissent. Docet præterea idem Abulensis, non Iosue, sed ipsummet Mosem tabulas portasse; quoniam sanctissimæ erant, vtpote à Deo scriptæ, continentésque præcepta à Deo data, per quæ populus viueret: ita vt nefas esset ab altero contingi, quàm ab illo, cui traditæ fuerant immediatè. Deinde Iudæos increpat; qui confingunt Mosem fragmina tabularum, ex valdè pretioso lapide, vendidisse, ac plurimum ex eorum venditione locupletatum esse: Opinatur autem in secretissimo aliquo loco, reuerentiæ gratia, occultasse: vel in quadam arca reposuisse, hoc est, in illa, quæ præcedebat castra, cùm mouerentur itinere trium dierum [i]. Rursus reprehendit nonnullos ex Catholicis, comminiscentes ex ea parte fracturam tabularum contigisse, vbi extabat præceptum de Sabbato: quia quantum ad eum diem, erat ceremoniale, præter quod alia remansura erant, ad ius naturale pertinentia. Quid enim, inquit, assererent illi de tabula, in qua nihil præcipiebatur de Sabbato? Obseruat postremò confractas tabulas ad radices montis, quoniam ibi pri-

a q. 51. in Deut.
b 3. de vita Mosis.
c c. 32. 18.
d v. 6.
e 4. de per. Hebr. c. 12.
f in c. 32. in tert. comm. & q. 28. 29. 30.
g q. 29.
h 3. de Spiritu S. c. 2.
i Num. 10. 33.

mùm vidit vitulum, & chorus; eóque sacrilegio maxime irritatus, eóque indignatus est, ac indignissimum tanto tabularum munere, quarum præcipuum præceptum violatum esset, populum iudicauit. Porrò quia eodem loco Deus de monte clamans in voce tubæ, protulerat Decalogi præcepta; scilicet veluti accedendo vsque ad radices montis; idcirco non decuit, vt tabulæ, quarum fœdus nefarius ille populus confregerat, vltra dictum locum transirent. De ieiunio propter fractas tabulas indicto à Iudæis, prius nunnui, éstque in eorum Kalendario, mensis quarti die 17. seu 41. ab ascensu Mosis in montem, & à sexto die mensis tertij. Id à Zacharia [a] ieiunium quarti (qui respondebat Iunio nostro, appellabatúrque Tammuz) appellari dicunt, nominante cum ieiunio quinti, quo mense prohibiti sunt Hebræi montem ascendere, sed per annos 40. vagari, propter murmur contra terram promissam [b]: & cum ieiunio septimi, ob cædem Godoliæ [c], templúmque incensum: & cum ieiunio decimi, quo mense audiuit Ezechiel, aliíque in captiuitate Babylonica, Ierusalem captam esse, ac templum incensum. Quamuis aliter alij de istis ieiuniis sentiant.

a c. 8. 19.
b Num. 14. 33.
c 4. Reg. 25. 25.

Cúmque de monte ardente descenderem.] Habent editiones aliæ (*& reuersus*, aut *conuersus*, seu *verti me, & descendi de monte, & mons ardebat*, siue *ardens erat igne.*) Dicendo (*verti*) insinuat, inquit Caietanus, quòd versus ad cacumen montis fuerat, loquens cum Deo. Vertit enim se, subdit ipse, versùs montis descensum. Ardentem autem igne montem suspicari se scribit, non vero igne, sed ignis specie; qualis ignis fuerit qui ardebat in rubo [d]; vt propterea hoc speciali miraculo Moses in monte ardente igne fuerit incombustus. In Exodo [e] (*& reuersus est Moyses de monte.*) Hebraicè, (*& respexit*, vel *vertit se, & descendit Moses de monte.*) Vbi primum verbum cum seruili litera coniungente, mutantéque significationem futuri in præteritum est וַיִּפֶן *vaiiphen*: hîc in prima persona וָאֵפֶן *vaaphen*: Chaldaicè ibi est וְאִתְפְּנִי *vetithpeni*: hîc וְאִתְפְּנֵיתִי *vethpenethi*: Græcè ἐπιστρέψας, & ὑποστρέψας. Quod attinet ad ignem, quo ardebat mons (& quidem vsque ad cœlum, iuxta Græca Biblia Sixti, καὶ τὸ ὄρος ἐκαίετο πυρὶ ἕως τοῦ οὐρανοῦ) posset accipi de fulguribus & fulminibus hinc inde circa montem: & si in ipsomet spatio, per quod Moses descendebat, intelligamus, non minùs miraculo deputabimus, quòd Moses in eo absque vlla noxa versaretur, quàm in rubo, quem ignis ambiebat. Vtrobique autem non speciem solam ignis, ac similitudinem dumtaxat; sed veram flammam fuisse, communior opinio est; cui admiratio Mosis suffragatur, qui cùm apparuisset ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videret quòd rubus arderet, & non combureretur, dixit; *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* [f]. Legatur Abulensis [g]. Ea de re cecinit Sedulius [h].

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec iuncta calori
Materies alimenta dabat; nec torrida vi-
uens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blandita lambebant robora flamma.

De simulacro ignis potiùs interpretere prodigia, regium quid præsagientia in Iulo seu Ascanio [i], Seruio Tullo [k], & similibus. De linguis igneis

Explanatio.
d c. 3. 2. 3.
e c. 32. 5.
f Exo 3. 2. 3.
g ibid. q. 3. & 4.
h l. 1 operis Paschalis.
i Virg. Æn. 2.
k Plin. l. 2. c. 107. Plut. de fortu. Rom.

nosse si cupis, quæ super Apostolos in Pentecoste consederunt, consule disputata in commentario Actuum Apostolorum [a]: siue linguarum imagines essent, quæ tribuuntur animalibus, siue lumina splendoresve instar flammarum dispersi, ad eum modum, quo quod extremum acutúmque est, linguam solent appellare, vt scopulos summos, ac inuios [b]; & apud librum Iosue [c] lingua respiciens meridiem: & in Esaia [d] vocatur lingua ignis deuorans. Iosephus [e] parũ bona fide, nec salua Scripturæ sacræ auctoritate, tradit, sollicitos de Mosis absentia Hebræos cùm alij deuoratum à bestiis dicerent; quidam raptum à Deo (addit R. Salomõ dæmonis arte visum quasi feretrum defuncti) vicem suam doluisse, quòd tali præside ac patrono orbati essent; aduentu autem suo Mosem tota castra ingenti gaudio repleuisse, cùm significaret diuinam illis prouidentiam adesse. Non consentit historia diuina, referens absente Mose, conflatos deos, cùm contemptim loquentes dicerent Hebræi [f]; *Moysi huic viro ignoramus quid acciderit.* Ita præferuidus Moses, ac tabolas diffringens, tum vitulum; huiúsque cultorum viginti tria millia trucidans, castra gaudio qua ratione repleuisse censeri potest? Cur etiam in rei adeò lugubris monimentum, Synagoga mensis quinti celebrat ieiunium, de quo dixi.

a in c. 2. 3.
b Cæs. 3. de bello Gall.
c c. 15. 2.
d c. 5. 24.
e 3 ant. c. 4. vel 2.
f Exod. 32. 1.

Et duas tabulas fœderis.] Admonui non semel cognominatas has tabulas synonymè pacti, & aliquando testimonij.

Vtraque tenerem manu.] Aliter in aliis editionibus (*in duabus manibus meis erant.*) Cur eas non Iosue portaret, sed Moses, antea dixi. Videntur autẽ paruæ fuisse, quas gestare Moses posset, ac intra exiguam arcam testamenti ponere: ita vt eam suo pondere non frangerent. Suspicatur Oleaster tabulas fuisse separatas, non ligatas, ad modum libri: aut quamuis non fuerint ligatæ, ita dispositas, vt facilè ad modum libri claudi possent: aut fieri posse, vt ligatas duabus manibus Moses attulerit. In dextera Dei canitur ignea lex fuisse [g], ob efficaciam legislatoris immediati: at mediatus legislator, aliique ambabus eam tenere debent manibus, vt opere impleant, siue res aduersæ offerant sese, siue prosperæ; denique omni conatu; ac totis viribus, non in corpore tantùm, sed etiam in animo; tam coram Deo, quàm coram hominibus.

g Deut. 33. 2.

Vidisséмque vos peccasse Domino Deo vestro.] Hebraicè, Chaldaicéque (*& vidi, & ecce peccastis Domino Deo vestro*, aut *coram Domino Deo vestro*) Græcè (*& videns quòd peccauistis coram Domino Deo vestro.*) Maius quoddam πάθος præ se ferunt primæ editiones duæ; maiorémque, ob rei nouitatẽ, ac indignitatem, admirationem, indignationémque. Nec vi caret pronomen (*vestro*) ad exprobrandam summam ingratitudinem, infidelitatem, impietatem, quódque non puduisset Hebræos præferentes bruti idolum affirmare: *hi* [h] *sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quasi verò qui colebatur summa veneratione in Ægypto Apis vitulus, non maluisset, ac debuisset cultoribus suis Ægyptiis fauere, Hebræos egressu prohibendo, vnde tantam illi vtilitatem capiebant: vel ob tot clades seu plagas illatas Ægyptiis propter Hebræos, de Hebræis pœnas repetere: vel efficere vt ab ipsismet Hebræis coleretur intra Ægyptum. Alioqui nostrum Dominum Deum verè dicere Moses potuit, quem longè magis quàm quiuis alius, agnoscebat etiam pro suo; nuperriméque in monte tamdiu, & adeò familiariter versatus cum ipso fuerat.

h Exod. 32. 4.

Et fecisse vobis vitulum conflatilem.] In Sixtinis Græcis Bibliis extat *fusile*, seu *conflatile* χωνευτὸν, absque nomine μόσχον, *vituli*. Conflatus fuerat vitulus de inauribus aureis vxorum, filiorúmque, & filiarum [a], vt habet editio nostra: quamuis Ambrosius [b] neget de viris: mysticè autem dempta dicat fidei signacula (fides enim ex auditu [c], ac simile quid posset dici de abscissa Malchi auricula [d]:) & mulieribus quidem, ne iterum Eua vocem serpentis audiret [e]: quia verò sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus, conflatam imaginem sacrilegij; quoniam qui malè audit, conflare sacrilegium solet. A viris tamen gestatas inaures colligitur aliunde [f]. Volebat hac ratione Aaron vituli dissuadere fabricationem, amore pretiosæ mercis, priuatione rei adamatæ, dolore diuulsionis. De modo istius operis actum alias [g], quid fuerit vel coniiciendo aurum in formulá, ac postquam effusum est, expressa vituli similitudo sit: vel conflando aurum per ignem in massam, quam deinde Aaron, scalpello formauerit, effigiaueritque in vituli similitudinem (idcirco etiam sculptile vocatur γλυπτὸν, & in Exodo [h] nominatur חֶרֶט *cheret* atque, γραφίς, *calum*, *scalpellum*, & *celte*;) tẽpus conterendo, vt interim descendens Moses, populi refrænaret impetum, insaniámque; nõ autem, quòd magorum operâ, qui permixti populo erant, præsertim ex Ægyptiis, vnà egressis cũ Hebræis, præter omnium expectationem extiterit imago vituli, id est, vitulini capitis, quod Serapis apud Ægyptios denotaret, quia sciot bos est, appaim aut appim facies. Verùm hæc notatio Hebræa est: boúésque fœminas Ægyptiis maximè sacras fuisse tradit Herodotus [i], & à Ieroboam vitulas fabricatas cultásque Iosephus [k] tradit, in quo item sexu meminerunt de iisdem L X X. in historia [l] Regum. Quidquid sit de sexu, integro corpore suadet repræsentatum vitulũ vitulámve; quoniá Apis Ægyptius bos integer erat, corpore nigro, cum alba in tergo macula, vt rectè ratiocinatur noster Salianus [m], ad fœmininum inclinans sexum, qui in solo capite vix discerni potest: ita vt qui de capite loquuntur, per id totum intelligant: nec verisimile videatur caput ex auro, reliquas partes ex viliore materia, ideóque caput sæpiùs nominatim celebratum. Iosephus tacuit hanc idololatriam.

Vitulus vnde conflatus.
a ibid v. 2.
b ep. 56. ad Romulum edit. vet.
c Rom. 10. 17.
d Ioan. 18. 10.
e Gen. 3. 13.
f c. 35. 4. Iud. 8. 24. 25. 26.
g in Actuum 7. 41 & in ps. 105. 19. 20.
h c. 3. 4.
i lib. 2.
k 8. antiq. c. 3.
l 3. Reg. 12. 28. & seqq.
m tomo 2. annal. anno 2544 num. 608. & 609.

Ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat.] Eadem phrasi verso 12. Deum dixisse Mosi narratur (*deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis.*) Vbi, sicut hîc, erat secundùm alias editiones verbum præcipiendi. Inseritur autem quoque hoc loco ab aliis editionibus nomen Domini. Non ostenderat solùm Deus, demonstraueráтve, verùm etiam præceperat, & quidem pacto interposito: attamen viris piis sola significatio ac nutus voluntatis diuinæ instar præcepti potest, ac solet esse; quamuis reuera præceptum non sit.

Proieci tabulas de manibus meis.] Editiones reliquæ (*& apprehendi in duabus tabulis, & proieci eas à duabus manibus meis*, vel, *& accipiens duas tabulas.*) Versu 15. dictum est, quòd de monte Moses descendens, duas tabulas fœderis vtraque tenebat manu. Illas ipsas quas tenebat, dicitur nunc apprehendisse, ac nouo quodam gestu attrectasse, seu corripuisse, vt frangeret proiiciendo. In [n] Exodo est, quòd iratus valdè proiecit de manu, siue de manibus suis, duas tabulas, & confregit eas sub monte, siue ad radicem montis, aut in humilioribus locis montis.

n c. 32. 19.
Tabula vbi confracta.

Confro

Confregique eas in conspectu vestro.] Hebraicè & Chaldaicè (*ante oculos vestros.*) De ista confractione actum priùs est, necnon de literis characteribúsve qui erant iis insculpti: & de loco in quo confractæ sunt tabulæ, eúrque ac laudabiliter etiam. In detestationem tanti sceleris confregit Moses tabulas in conspectu populi, vt compunctione moueretur, inquit Abulensis. Ropertus[a] autem ait quòd confringendæ duræ ceruicis populi præsagium in tabulis lapideis præcurrit: quia sicut illæ confractæ sunt confringente Moyse: sic lapidea Iudæorum corda confracta sunt, & reprobata, accusante Moyse; quemadmodum dicitur[b], *Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis.*

a in Exo. li. 4. c. 26.
b Ioã. 5. 45.

Vers. 18.] Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis:

Vers. 19.] Timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.

Paraphr.

BEne admonet Abulensis, eúmque tacito nomine secutus Petrus Vincentius de Marzilla, quæ continentur hoc textu, non contigisse immediatè post fractionem tabularum legis, sed postquam contriuisset Moses vitulum, ac viginti tria millia occidisset ex idololatris, immò postquam etiam priùs facta oratione ante descensum de monte pro populo Dominus placatus fuerat, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersùs illum, nempe vt prorsus deleret illum. Totius narrationis ordo ac series in Exodi cap. 32. continetur. Et quidam post cæsa illa viginti tria millia gladiis Leuitarum, quos hoc nomine Moses laudauit & benedixit (collata in perpetuum sacerdotalia dignitas à Deo illi tribui est;) altero mox die locutus is ad populum scribitur[c]. *Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* Reuersúsque ad Dominum, ait: *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Tum subiicitur Domini responsio: *Qui[d] peccauerit mihi, delebo eum de libro meo* (non te, qui non peccasti:) *tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Omitto alia, quæ minùs propria sunt contextui nostro, & aliis locis declarata sunt, ac nominatim de libro vitæ, de quo deleri Moses petebat. Hunc dicunt esse librum prædestinationis, siue salutis: aut scientiæ diuinæ practicæ, versantis circa eos qui regunt, ex quorum numero mallet non esse: aut veluti catalogi viuentium præsentem vitam, quam pro populo cuperet perdere: ita vt primo modo præferret gloriam Dei, quæ in venia populo danda consistebat ex amore amicitiæ in Deum, propriæ felicitati, ex amore concupiscentiæ erga seipsum. Ex recitatis verbis intelligitur, non ita placatum Deum priùs fuisse, vt omnem pœnam condonaret; sed solùm vt non perderet populum totum, quemadmodum fuerat comminatus. Vnde inferat quisque, quantam debeat de peccatis concipere pœnitudinem, quantum de diuina iustitia metum, cùm semel placato Domino, adhuc Moses, post aliquot myriadum punitionem, ambigeret, an posset Dominum deprecari. Hæc porrò est secunda quadragesima, qua Moses ieiunauit in monte, quæ successit ei, qua finita descendit cum tabulis ad idololatras, illas frangens, vitulum comminuens, aliquot idololatrarum millia puniens.

c vers. 30. 31. 32.
d v. 33. 34.
Liber vitæ, de quo hic Moses, quis.

Explanatio.

Et procidi ante Dominum sicut prius.] Græcè (*& deprecatus sum coram Domino secundo sicut & priùs*) Prostrationem important verba Hebræum & Chaldæum præfixa coniunctione וָאֶתְנַפַּל *vaethnaphal*, ואשתטחית *veisthattechith*: Græcum ἐδεήθην indicat indigentiam, vel metum: quæ duæ res facilè inducunt orationem demissam; est autem δέομαι etiam *indigeo*, & δέος *metus*, à quo ipso nomine, vt non semel dixi, nomen Deus aliqui deriuant, qui maximè metuendus est: δέησιν quoque deprecationem rectè interpretantur, quæ propriè est de auertendo malo, quod timetur, vt apud illum qui canebat[a],

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem:

nunc sub ratione boni apprehendens, siue vt malorum maiorum leuamentum: nunc tanquam malum. Quamquam oratio procidentis magis propriè vocatur ἱκετηρία & supplicatio, ducta Græci nominis notione ab oleæ ramo lana obuoluto, quem gestare manibus supplices consueuerant, & quidem πρηνεῖς, vt loquitur Synesius, id est, proni, ac vultu in terram deiecto. Gestus hic procedentium adorationis causa, occurrit alibi[b] non raro: ipséque Christus orans Patrem, procidit in faciem suam[c]. De hoc nos etiam aliis in locis[d].

Deprecandi verbum.
a Ouid. 1. de Ponto. eleg. 2.
b Gen 24. 52. 1. Reg. 25. 23. Iudith 13 30. Esther 8. 3. Ps. 71. 9. Ps. 94. 6. Esa. 44. 19 c 46. 6. Dan. 3. 11
Mat. 2. 11. c. 18. 26. 29. c. 26. 39. Mar. 3. 11 c. 5. 22. 33 c. 7. 25. c. 14. 35. Lucæ 5. 8. c. 8. 28. 47 Act. 10. 25 c. 16. 29. Apoc. 4. 10.

Quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens.] Versu 9. eadem scripta sunt de prima vice, qua primæ legis tabulæ datæ sunt. Ibi egimus de quadragenariis Mosis ieiuniis, an fuerint solùm duo, vel etiam tria, immò & quatuor: diximúsque communiorem opinionem esse de solis duobus, quando primas tabulas accepit, & quando secundas; ita vt quæ hic habentur spectent ad secundum, in quo pro vituli idololatria, & aliis populi peccatis Moses deprecatus est. Tenet hanc quoque sententiam Barradius[e] noster, obseruans non dicere Mosem se ascendisse in montem, & procidisse ante Dominum statim post confractas tabulas; intelligendum autem, quòd ascenderit, & procideret aliquot pòst diebus, cùm secundas tabulas accepit. Et quia hîc deinde[f] adhuc additur tot diebus ac noctibus iacuisse Mosem coram Domino, vbi narratæ sunt rebelliones populi ad sepulchra concupiscentiæ, & ad Cadesbarne, argumentatur Barradius, si concedatur Oleastro tertia quadragesima, concedendam quoque quartam, cùm videlicet distinctæ sint rebelliones, earúmque tempora & loca: vt proinde oporteat ea verba intelligi de secunda per recapitulationem. Monet Hugo, vt legamus vsque ad illud (*peccatum autem vestrum*, &c.) quod est versu 21. & prætermissis aliis, vsque ibi, (*quibus eum suppliciter*, &c.) quod est in 25. tunc incipiamus tenere seriem literæ: sic autem construendo literam, non cogendos nos per

Quadragesima Mosis.
c Matt. 26. 39.
d in Act. 10. 25. Psal. 71. 9. Psal. 94. 6.
e itinerar filiorũ Isr. lib 4 c. 8.
f vers. 25.

textum hic dicere, quòd Moyses fuerit cum Domino tribus quadragenis; quod tamen, inquit, dicunt quidam, forte propter hoc, quod bis dicitur hic 40. diebus, & 40. noctibus.

Propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis] Secundum alias editiones (*super*, aut *propter omnia peccata vestra, quæ peccastis*, vel *pro omnibus peccatis vestris, quæ peccastis faciendo*, seu *ad faciendum malum coram Domino*, seu *in oculis Domini ad irritandum eum.*) Græcè (*coram Domino Deo nostro*, seu, *ante Dominum Deum nostrum*, ἔναντι κυρίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν. In quibus vltimis Græcis vocabulis, ac præsertim pronominis primæ personæ, vis inest, qua demonstratur cũ caritate in proximum, amor in Deum, cuius iniurias per aliorum peccata, pro quibus orabat, Moses reputabat suas, quia contra Deum ac Dominum communem. Formula autem illa prouocandi Deum ad iracundiam, occurrit priùs non semel in isto capite [a], ac in 4. [b] Abulensis circa mentionem omnium peccatorum, notat Mosem orasse non tantùm pro remissione peccati adorationis vituli, sed etiam pro murmurationibus, quas ab exitu de Ægypto contra Deum habuerant; quia iustitia Dei exigit, vt nullum peccatum maneat impunitum: Deum verò non semper moueri ad puniendum, sed expectare vt misereatur [c]: nisi aut valdè magna sint quæ statim vindicanda sint, vt seditio Core, Dathan, Abiron [d], aut sæpiùs iterata; aut multa, vt colligitur ex Amos [e]: quando non statim punit, differre nihilominus punitionem, quemadmodum dicitur de adoratione vituli, Exodi cap. 32. [f] *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum*, quod paulò pòst contigisse aiunt, præter antea occisa viginti tria millia à Leuitis Mose impellente, per pestem aliove diuino modo: non autem tamdiu pòst, quando perierunt omnes à viginti annis & suprà in deserto [g]: vel in captiuitate Babylonica, vel Romana; vel aliàs postea; vel in die iudicij: vel eo ipso die, quo sic locutus est Deus; sed, vt dixi paulò pòst, prout indicant verba ibidem statim sequentia; *percussit ergo Dominus populum pro reatu populi.* Addit, quia peccatis prouocant Deum ad iram peccatores, dici vasa iræ [h], sicut & omnes nascuntur filij iræ [i]: nunc Mosem deprecari ne Deus puniret pœna temporali, quam illaturus erat præcipuè propter idololatriam vituli, sed simul quoque ob alia, quæ mouebant vt citiùs puniret. Hebraicè, Chaldaicéque peccatum numero singulari est. Sed potest exponi collectiuè.

a vers. 7. 8.
b vers. 25.
c Isa. 30. 18.
d Num. 16. 1. & seqq.
e cap. 1. 3 & seqq.
f vers. 34.
g Num. 14. 29.
h Roma. 9. 22.
i Ephes. 2. 3.

Timui enim indignationem, & iram illius.] Græcè (*& timidus sum*, καὶ ἔμφοβός εἰμι.) Quasi dicat, adhuc etiam nunc timeo & cohorresco vel sola memoria illius temporis, quo memini tantoperè iratum Deum, & commotum. Quamuis autem placatus Deus fuisset, ne deleret populum totum, poterat Moses timere, ne maior eius pars deleretur, vt rectè annotat Caietanus. De vocabulis ὀργὴ & θυμός, אף aph, & חמה chemah, dictum alibi. Hebræa propriè denotant nasum, & calorem, quoniam iræ commotio apparet in naso, fitque cum quadam sanguinis efferuescentia, & feruore Philosopho est ζέσις περικαρδίου. Indignatio est commotio animi ex indignitate, seu ex dicto factóve contra rei aut personæ meritum, vt Iulius [k] Cæsar Scaliger docet, refellens Ludouicum [l] Viues, asserentem componi ex ira & contemptu indignationem. Nam potest quis ei, quem non contemnit, irasci: & si sermo sit de contemptu, quo contemnatur ab alio is, qui irascitur, non potest passio irascentis componi ex re, quæ est in alio; quamuis alius sit causa, cur ille indignetur. Præterea dictum vel factum contra rei aut personæ meritum, oriri potest ex odio, non ex formali contemptu, licet in ampliore notione dici contemptus queat. Cùm indignaris ob indignitatem alterius, quia indigno, dignitas, aut quid simile confertur, est νέμεσις, de qua Aristoteles [a]: existere verò etiam potest ex opinione, quam is qui indignatur, apud alium credit esse, iudicantem quòd ipse sit indignus colloquio suo, aut aliqua alia re, proptereáque dedignari; quod contemptum includit, & inuidiam nonnullam, ac tristitiam. Affectus huic affinis est zelus, cùm indignaris de his, quæ fiunt indignè contra eum qui est carus tibi, vel irasceris in eum quem amas, si lædaris ab eo, aut si læsũ sit quod amas: qui amor potest esse vel cõcupiscentiæ, vel amicitiæ. Plura alij disputantes de passionibus, ac nominatim Ioannes [b] de Salas noster, & nos ipsi variis locis; vt & qua ratione irasci Deus ac indignari dicatur, seu eidem ira, indignatio, furor, zelus inesse, videlicet impropriè tantùm, siue figuratè, ac propter effectum similem ei, quem propriè iratus operatur: qua ipsa de re idem Salas [c]. Versatur propriè ira circa vindictam arduam, difficilémque; non est autem arduum & difficile Deo vindicare. Videtur includi præterea in irascente vindictæ appetitus ob diminutionem boni proprij: quod conuenire non potest Deo, vtpote nulla amittenti bona. Ipsummet diabolum iræ nomine appellari obseruat Hieronymus [d]: quoniam in 2. Regum cap. 24. [e] Græcè scribitur καὶ προσέθετο ὀργὴ κυρίου ἐκκαῆναι ἐν Ἰσραήλ, καὶ ἐπέσεισε τὸν Δαβὶδ ἐν αὐτοῖς, λέγων, *& apposita est ira Dei succendi in Israel, & incitauit Dauid in eos, dicens.* Vbi participium λέγων *dicens* masculini generis, respondens iræ, videtur persuadere iram poni pro diabolo: cuius diaboli filius est peccator: & præterea iræ natura dicitur [f], & ex patre diabolo [g]. Attamen dicto illo loco Sixtini codices & alij habent προσέθετο ὀργὴν κύριος, *adiecit iram Dominus*: atque ita λέγων *dicens*, refertur ad κύριον *Dominum*; quamuis furias Ethnici vt numina confinxerint. Vsurpant denique indignationem aliqui pro ira diuturnitate firmata, proximéque ad amentiam accedente. Nihilominus alibi [h] legimus indignationem; vbi est קצף ketseph, cum חמה chemah, & אף aph, quæ vltima duo hîc habentur ordine inuerso pro indignatione & ira, sicut & Græca ibi θυμὸς & ὀργή, hîc ὀργὴ & θυμός. Quæ propterea noto, vt discamus accipi pro synonymis plura vocabula, nec in iis proprietatem exactè semper seruari. Cæterùm eximia Mosis caritas in hac sententia elucet, cum propriæ fiducia conscientiæ ac innocentiæ: quia timuit non sibi, sed populo, nec sua doluit causa, sed populi; cùm maiorem & meliorem pro illo alium populum offerret ipsi Deus.

Indignatio quid.
k exerc. 313.
l 3. de anima. c. de indignat.
a 2. rhet. c. 9.
b in 1. 2. trac. 9 disp. 3 sect. 7 nu. 141. & seq.
c ibid. num. 146. & seq.
Diabolus ira nomine exprimitur.
d in epist. ad Eph. 2.
e vers. 1.
f Eph. 2. 3.
g Ioan. 8. 44 & 1. ep. Ioan. 3. 8.
Indignatio pro ira diuturna.
h Deut. 29. 28.

Qua aduersum vos concitatus delere vos voluit.] Non habent editiones aliæ (*voluit*) sed concitatus, irritatúsque est Dominus in eos, vt consumeret, perderet, deleret. Audiuimus [i] dictum à Domino ad Mosem; *dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, & constituam te super gentem, quæ hac maior & fortior sit.*

i vers. 14.

Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.] Chaldaicè, Græcéque (*etiam in tempore hoc*, siue *illo*, אף בזמנא ההיא aph bazimna habi, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ.

Supponit

Supponit iste loquendi modos, priùs aliàs Mosem orasse pro populo, & exauditum esse: videlicet ad mare rubrum, quando Ægyptij persequentes populum submersi sunt, dicente ad Mosem Deo [a]; *quid clamas ad me?* Vbi Chaldaicè habetur; *suscepi orationem tuam*: quasi diceret, satis oratum est; impetrasti. De quo clamore Ambrosius, & alij apud Lipomanum [b], & recitat Iosephus [c] orationem Mosis. Ieiunans autem Christus 40. diebus noctibúsque, videtur exauditus pro peccato gulæ primorum parentum transfuso in omnes homines, próque varia idololatria, & aliis peccatis.

a Exod. 14. 15.
b ibid. in catena.
c 2. antiq. c. 14 vel 7.

Vers. 20.] Aduersum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.

Paraphr.
d c. 32. 20. & seqq.

NArratur in Exodo [d], postquam combussisset ac contriuisset Moyses vitulum vsque ad puluerem, & sparsisset hunc in aquam, & dedisset ex eo potum filiis Israël, dixisse ad Aaron: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum*; & pro se Aaron respondisse; *ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum. Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi. Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.* Negari nequit, nonnihil excusationis pro Aarone admitti posse, aduersùs quem populus congregatos, imperauit ei (dum Moysis cum Deo colloquentis moras non potest ferre, vt loquitur Cyprianus [e]) tanquam famulo, vt surgeret, & faceret sibi deos: ille verò tergiuersatus exigendo res pretiosiores, inaures nempe, ac annulos, vt de prioribus testatur Scriptura ipsa [f], de posterioribus Tertullianus [g], & Ambrosius [h]; vt sic auerteret à sacrilega petitione: & aliquandiu in formando vitulo, & altari construendo, immorans: atque, si credimus, territus interfectione per suffocationem ingestis in guttur sputis Hur cognati, quòd consentire noluisset. At à peccato liberari non potest; vt frustrà conatus est Franciscus Monceius in suo Aarone purgato, simul & populum ipsum volens à peccato eximere: qui liber in classem prohibitorum librorum Romæ relatus est, quemadmodum aliàs monui. Vehementer iratus aduersùs Aaron Deus non esset; nec voluisset eum conterere; nec pro illo frater Moses deprecatus esset, nisi peccauisset. Idem in eodem auctore reprehendit separato quodam quidam libro, & in Exodum noster Cornelius, ac Leonardus Marios, itémque de nostris Salianus in annalibus. Vide, inquit Antonius Fonseca Scholiastes Caietani hoc loco, manifestissimè Aaron in vituli conflatione peccasse. Cyrillus [i] Ierosolymitanus disertè scribit non modò peccasse populum in adoratione vituli, sed etiam Aaronem: citátque tanquam verba omnia Moysis, καὶ ἐπὶ Ἀαρὼν ἐγένετο ὀργὴ κυρίου, καὶ ηὐξάμην ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ συνεχώρησεν αὐτῷ ὁ Θεός, *& super Aaron facta est ira Domini, & rogaui pro ipso, & condonauit illi.* Inde verò argumentatur placandum Deum, Iesu pro nobis orante: eúmque propter crimen non veruerit Deus illum ad summum sacerdotium peruenire (nec-

e de bono patien.
f ibidem.
g cont. Iudæ. c. 1.
h ep. 54 ad Romulum.
i catech. 2.

dum enim id obtinebat) non veriturum vt qui ex gentilibus venit, salutem consequatur. Ambrosius primum [a] quidem neque excusare se posse, neque condemnare audere. Deinde [b] tamen apertè damnat, dicens se de sacerdotum silere delictis nolle. Augustinus [c] ponit Aaronem dignum supplicio fuisse, sed occulto Dei iudicio quibusdam parcere Deum ad tempus, vt aliis punitis, commutentur in melius: licèt etiam doceat [d] quòd errante popolo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus, eo modo quo postea Salomonem non credibile ait esse, errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: & antea Euæ Adamum non tanquam verum loquenti seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Theodoretus [e] Aaronem à venia non prorsus quidem alienum asserit: clementiam verò diuinam obsecrauisse, ne pœnas daret, atque hoc Mosem præsentis loci verbis patefecisse, quæ sic recitat; *deprecatus sum Dominum pro Aarone fratre meo, & non est mortuus.* Procopius [f] veniam delicto Aaronis datam ait, tum propter alia, tum in primis, propter Sanctos ex eius lumbis prodituros. Chrysostomus [g] comparans cum peccato Heli sacerdotis Aaronem; licèt populi tanti resistere insaniæ non potuerit, parum abfuisse dicit quin periret, nisi fratris patrocinium Dei iram auertisset. Hieronymus [h] peccata fletu purgari, lamentisque ablui inter alia exempla Petri qui Christum negauerat, Dauid, Achab, Manasse, Aaronem producit, cuius, inquit, sacrilegium; ob conflatum ex auro vituli caput (sic multi de capite scribunt, vt in eo vtrumque sexum adorare liceret, qui ex capite talis animalis non discernitur, & in Ægypto bos Apis colebatur, & vacca Isidis; alij de integro animali) fraternæ correxere preces. Bernardus [i] quamuis vt doceat contra pietatem non esse propter multitudinem aduersantium iusta & sancta desideria non perfici, cum Samuele, qui inuitus Saülem inunxit [k], & Dauid, qui quod volebat, construere templum non valuit propter bella, quibus erat implicitus [l]; afferat Aaronem, qui sceleratis tumultuantis populi, contra voluntatem suam caloribus cessit; quasi non magis peccauerit quàm alij duo: attamen alicubi scribere dicitur, eum post idololatriam esse receptum in summum sacerdotem: quemadmodum Petro collata Pontificia dignitas est post Christi negationem; vt compati subditis peccantibus disceret, peccantes verò veniæ spem conciperent. Martinus Papa I. [m] in genere definit, vt si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & præuaricationis peccato deprehensus fuerit obnoxius, omnimodo prohibeatur cum manibus lutulentis, atque pollutis, mysteria nostræ salutis tractare. Gratianus [n] autem id explicans, nisi sequatur pœnitentia, probat hoc ipso Aaronis exemplo, qui post conflatum vitulum, etiam in summum sacerdotem consecratus est; vt & Dauid, qui post adulterium & homicidium, spiritum prophetiæ recepit & in proprio gradu remansit: & Achab, qui post mortem Naboth, per pœnitentiam humiliatus, in regia sede remansit: & Petri, de quo diximus: & Pauli, qui Stephanum lapidauit, & tamen a Deo in Apostolum electus est: & multorum, qui ab hæresi ad vnitatem catholicæ fidei reuertentes, in suis ordinibus sunt recepti; alij verò ad episcopalem

a epist. 56.
b 1. apolog. Dauid cap. 4.
c q. 148. in Exo.
d 14. de ciuit. c. 31.
e q. 66. in Exod.
f in Exo. 32.
g 4 de sacerd.
h epist. 30.
i epist. 83.
k 1. Reg. 8. 6. & seqq.
l 1. Paral. 22. 8.
Petro dignitas Pontificia collata post Christi negationem, & cur.
m epist. ad Amandum & refertur d. 50. cap. si post.
n ibidem.

palem etiam gradium promoti, vt Augustious, & alij complures. Ioannes [a] de Anania Archidiaconus; non est dubium, inquit, quod Aaron in conflatione vituli peccauit; citansque Gratianum [b] eumdem, affirmantem in cultura vituli consensum populo adhibuisse, atque sic tune caritateto amisisse; aliàs, inquit, incongrue hoc exemplum induceretur; potius enim debuit mortem incurrere, quàm malo consentire. Idem sentit Ioannes Monthalomos in promptuario iuris [c], proferens quos modò citaui. Aquinas [d] ait Aaronem punitum fuisse, non populum dumtaxat, ob vituli adorationem: quamuis non pœna manifesta, sicut populus punitus est; in signum quòd prælati non debent puniri manifestè, sed occultè, propter scandalum vitandum: pœnam autem Aaronis fuisse in ipso, & filiis eius, quod in sacrificio vitulæ rufæ mundi efficiebantur [e]. Simul refert illud Augustini antea positum de occulto Dei iudicio, quòd quibusdam parcat ad tempus, vt in melius commutentur, aliis punitis. Abulensis [f] agnoscit peccatum in Aaroне, sed timore ductus, fabricauerit vitulum, cùm debuisset omnia mala pati potius, quàm consentire; quamuis non crediderit, neque coluerit vt Deum: ideirco non bibisse de aqua, in quam proiecti fuerant pulueres vituli combusti, & non fuisse aliquod signum sceleris in eo appàrens, sicut in cæteris. Pœnam præterea fuisse dicit [g], quòd mortui fuerint eodem anno filij eius Nadab & Abiu, permissi ob demeritum patris, incurrere in peccatum offerendi aliorum ignem, propter quam temporalem pœnam, licet euaserit æternam, Aaron valdè cruciatus fuerit. Paulus [h] Burgensis fatetur grauiter peccasse peccato scandali, quatenus occasionem præbuit idololatriæ, potius ad eam Hebræis; nec per ironiam id factum interpretaturis, quemadmodum cùm Elias clamare iubebat voce maiore sacerdotes Baal, quasi hic eorum deus in diuersorio esset, aut loqueretur, aut dormiret, excitique deberet [i]. Caietanus [k] peccasse Aaronem affirmat quòd nollet perdere primatum; & insanaisse magis quàm alios, tribuendo incommunicabile nomen idolo, ac statim vt vidit vitulum ædificando ei altare, & dicendo, festum Iehouah cras. Consentit Scholastes eiusdem Fonseca, & Lipomanus, estque planè communis ac recepta opinio.

Explanatio. *Aduersum Aaron quoque vehementer iratus.*] Recitati priùs ex Cyrillo [l] Ierosolymitano Græcè aliter, quàm hic esse, nempe καὶ ἐπὶ Ἀαρὼν ἐγένετο ὀργὴ κυρίου, *& super Aaronem facta est ira Domini*; cùm hoc loco sic extet, καὶ ἐπὶ Ἀαρὼν ἐθυμώθη κύριος σφόδρα. Ex tanta verò ista Dei ira, peccatum Aaronis rectè cum aliis paulò antè argumentabamur; quòd vitulum fecisset, quamcumque tandem mentem in ea re habuerit. Fecisse autem non rectè negat Monebius [m] in Scriptura tradi; cùm postremis verbis capitis 32. Exodi habeatur; quòd percussit Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron: & in versu 4. quòd fecit ex inauribus vitulum conflatilem, formauitque opere fusorio.

Voluit eum conterere.] Adeò iratus est Deus, vt contritus esset Aaron. Profectò contritione dignus non erat, si peccato, & quidem graui carebat: nec grauiores contra populum Deus minas protulit ob idololatriæ peccatum, licet Aaronem idololatria formali peccauisse non credatur; quemadmodum nec primum euangelicæ legis Pontificem Petrum peccato infidelitatis, quando Christum negauit.

Et pro illo similiter deprecatus sum.] In editionibus aliis (*& oraui etiam pro Aaron in tempore illo.* Apud Cyrillum καὶ ηὐξάμην καὶ περὶ αὐτοῦ, καὶ συνεχώρησεν αὐτῷ ὁ θεός, *& rogaui pro ipso, & condonauit ei Deus.* Quo modo deprecatus est similiter pro Aarone Moses Deum, vt nempe deprecatus fuerat pro populo; si non peccauerat vt populus? qua ratione condonauit Deus, si nulla culpa erat quæ condonaretur?

Vers. 21.] Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninóque in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit.

Quod antea [a] narratum est de tabulis legis lapideis confractis, idem modò narratur de vitulo aureo: quem non simpliciter confregit Moses; verùm etiam postquam iniectum igni penitus deformauit, redegit quasi molendo, in pulueres, hos autem proiecit in subiectum montis Horeb torrentem; ex eiusdem aqua præcipiens omnes bibere. Expressit hoc vberius in Exodo [b] cum reliquis, proxime post confractionem tabularum, Arripiénsque vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel. Omnia hac ratione impietatis abolere vestigia Moses voluit, nihilque reliquum esse, quod coli superstitiose posset, vt notauit Ambrosius [c]. Typhum illum, inquit, dissipauit Ægyptium, & altitudinem extollentem se contempsit æternæ legis auctoritate. Vnde & Dauid [d] ait: *& confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani.* Itaque absorbuit populus omnem perfidiam, ac superbiam; ne eum absorberet impietas & arrogantia. Melius est enim, vt vnusquisque præualeat carni, & vitus eius, ne dicatur de eo, quia denotauit eum mors præualens [e]; (κατίσχυσεν ὁ θάνατος ἰσχύσας;) sed dicatur magis: *deuorata* [f] *est mors in victoria*, &c. Et de Domino dictum, *de torrente* [g] *in via bibet.* *Quo acetum accepit* [h], *vt absorberet vniuersorum tentationes.* Sic ille. Quò spectare possent animalia in linteo, quæ Petrus mactare, & manducare iussus est [i]: vt aliàs [k] expositum est, de consumenda impietate, & impiis in melius trasmutandis. Sed opposito sensu priùs Iudæis, fructum viarum suarum comesturi erant Iudæi, & calicem perpetuæ infœlicitatis; qui coram Pilato postea clamarunt de sanguine Christi, vt esset super se, & super filios suos [l]: vt notat Lipomanus [m]. Augustinus designari vult per vitulum, impios tanquam diaboli corpus, quorum ipse sit caput, autem esse, quia videntur idololatriæ ritus velut à sapientibus instituti: hanc sacrilegam societatem comburi illo igne quem Christus veniens misit in terram [n]: vt quoniam non est qui se abscondat à calore eius, dum in eum eredunt gentes, igne virtutis eius, diabolica in eis forma soluatur: communi, quia ab illa mali conspirationis conflatione discissæ, verbo veritatis humiliantur: comminutas in aquam mitti, vt eas Israelitæ, id est.

Marginal notes:
a in d. 32. c. 51. post, 32. &c. Conflatione verbo conflatum.
b ea parte eo consensum, arcum, de pœnit. d. 2. § opponitur.
c verbo Aaron litt. q.
d in 4. d. 46. art. 2. q. 2. quæstiuncula 4. ad 5.
e Num. 19. 8.
f in Exo. 32. q. 33.
g hoc loco.
h in Exod. 32.
i 3. Reg. 18. 27.
k in Exod. 32.
Explanatio.
l Catech. 2.
m lib. 2. c. 3.
Paraphr.
a vers. 17.
b c. 32. 20.
c ep. 56. ad Romulum.
d Psal. 28. 5.
e Eccl. 5. 8. secundum LXX.
f 1. Cor. 15. 54. Osee 13. 14.
g Ps. 109. 7.
h Ioan. 19. 29. 30.
i Act. 10. & 11. 13.
k ibidem.
l Matth. 27. 25.
m in Catena Exo. 32.
n Luc. 12. 49.
Impios vituli nomine designari ait August.

est, Euangelij prædicatores ex baptismo in sua membra, hoc est, in Dominicum corpus transferant; quorum Israëlitarum Petro de ipsis gentibus dictum est (hoc iam ipse norauerat) *Macta, & manduca*. Si ait, *macta & manduca*, quare non etiam, inquit, *concide, & bibe*? Rursus, missum [a] considerat vitulum in ignem, vt forma ipsa priùs confunderetur: minutatim comminutum, vt paulatim consumeretur; datum in potum, vt adoratores diaboli, fierent corpus Christi, & membra [b]; iuxta illud etiam reiteratum de Petro; quasi ei dictum sit; *occide quod sunt, & fac quod es*; id figuratum etiam esse in serpente Moysi; qui magorum virgas absorbuit [c]: & significatum in Psalmo [d]; *tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum*: quia deuoratur à gentibus quæ credunt, corpus diaboli. Imitatur Augustinum Rupertus [e], etsi eum non nominet, citans quoque illum Psalmi locum, & dicens; Capita draconis, siue vituli, hoc est, diaboli cultum, à Deo confractum, in puluerem redactum, in potum datum; quia eos qui ex parte, vel regno erant diaboli, per pœnitentiam confractos, & in puluerem humilis conscientiæ redactos, Ecclesiæ suæ per baptismi aquam incorporauit. Nyssenus [f], quemadmodum tunc omnino ea materia, quæ hominum peccato subministrabatur, deleta est, sic per Christum, omnem circa simulacra errorem docet esse ablatum; & ampliùs principium pietate, Christi fidem profitentium, impietati seruientia idolorum templa deleta: & quæ sancta fuerunt apud impietatis mysteria, quasi aquam instabilem delapsa fluxisse, atque illorum ipsorum, qui cultu simulacrorum insaniebant, ore imbibitam; cùm partim templa sua diruerunt, partim in sacros vsus transtulerunt. Illustrari idem potest lapillo illo, qui statuam Nabuchodonosor descendens de monte euertit, ac in puluerem redegit [g]: item exemplo Ezechiæ serpentem æneum conterentis [h]. Hieronymus [i] quem tacito nomine transcribit Rupertus [k], vituli puluerem, quem adorauerat Israël, in contemptum superstitionis in potum accepisse populum scribit, vt disceret contemnere quod in secessum proiici videret. Affert præterea de ventre, qui est receptaculum ciborum, in scorto Madianitide sacerdotali pugione confixo; quare significetur vniuersos hominum labores, momentanea blandimenta gulæ, stercoris fine condemnari, & ostendi mentibus consecratis Deo, totum quod curamus, quod voramus in secessum proiici, & quòd, vt ait Apostolus [l], *esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & illas destruet*. Ad istam fortassis attendens ingluuiem Ecclesia feria quarta Cinerum vitulum nostrum, qui pridie magis lasciuierat, redactum in puluerem potandum præbet ori memoriæ, intellectúsque conceptis istis verbis; *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Non inflat hic potus, aut languore afficit, vt quem Hebræis idololatris Moses propinauit, ne barbam capillúmve aureum, sicut tunc euenisse ferunt, sed verè auream animam reddit, & in Dei conspectu pretiosam. Cauendum, ne pro vno, existant duo vituli: vt sub Ieroboam contigit, dicente; *Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, quorum vnum adorandum collocauit in Bethel, alterum in Dan. [m] Quia enim in puluerem redacti non sunt, suos cultores veluti cornibus eiecerunt in captiuitatem. *Nam ambulauerunt filij Israel in vniuersis peccatis Ieroboam quæ fecerat, & non recesserunt ab eis, vsquequo Dominus auferret Israel a facie, sicut locutus fuerat in manu seruorum suorum prophetarum: translatúsque est Israel de terra sua in Assyrios* [a]. Contritio pœnitentis comparari potest cum vituli contritione; & similium aliorum, de quibus postea.

Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum arripiens.] In editionibus aliis appositiuè (*peccatum vitulum*) quod Interpres noster exposuit per particulas (*id est.*) Licèt vitulus ille aureus, esset res inanimata, in qua non potest esse peccatum; vocatur tamen, inquit Lyranus, peccatum populi; eo quòd populus peccauerat, ipsum faciendo, & colendo. Quam Abulensis nominat materiam circa quam, vel incitatiuum ad peccatum; cùm propriè peccatum voluntaria actio sit. Non solùm erat effectus peccati, sed factus, inquit Caietanus, ad peccandum: & notat eiusmodi phrasis vsum frequentem esse. Addi potest, tum pro pœna peccati, tum pro oblatione seu hostia pro illo, sumi peccati nomen, vt alibi vidimus. Fecisse dicuntur Hebræi vitulum; quia petierant fieri sibi deos, siue deum, & aurum inauritum annulorúmque postulati ad fabricam illius dederant; quamuis Aaron quoque fecisse dicatur [b], vt nuper monui contra Moncetum; cùm propriè fabri soli fecerint.

Igne combussit.] Sufficiebat (*combussit*) quod etiam solùm verbum extat in simili sententia Exodi [*]: quamuis editiones aliæ vtrobique duo vocabula exprimant: Editio nostra nunc vno, nunc duplici vtitur variis aliis in locis, & verbo ardendi pro verbo comburendi. Retuli priùs ex Augustino [c], per combustionem seu missionem vituli in ignem, formam ipsam eius confusam. Cùm autem aurum propriè non comburatur, sed liquefiat in igne ac expurgetur, Abulensis [d] deputat miraculo, quòd liquefactum non sit, sed verè combustum, ac in cineres puluerésve conuersum: aut adhibitas quasdam herbas, quæ talem effectum in auri conflatione commixtæ operatæ fuerint, vt non liquesceret, sed redigeretur in cineres: aut opera similium herbarum redactum esse in carbonem, deinde veluti in mortario contritum in pulueres tenuissimos. Rectè porrò admonet hæc omnia facta circa vitulum, vt in eo punirentur Hebræi, in quo peccauerant, ac peccasse in illo cognoscerentur: alioqui potuisse occultari, vbi nulli vnquam vtilis esset ea materia; quemadmodum fecit Iacob, de idolis sepertia apud familiares suos, fodiendo subter terebinthum, post vrbem Sichem [e]: cùm fortassis priùs cófregisset, aut liquefecisset, sicutnunc factū legimus: & de serpente æneo Ezechias fecit [f]. De illis aliis idolis Caietanus [g] sentit vt accelerarct Iacob discessum eatuisse commoditate consumendi ea igni, & ideo abscondisse sub terra. Abulensis [h] factam vult magnam fossam, in qua omnem metallicam materiā idolorum Iacob deiecerit priùs liquefactam; quæ penetrauerit in profundum per viscera terræ, vt inde à nemine posset accipi, nec semel dicatum cultui dæmonum, ad vsus vnquam hominum transferri. Quod tùm verisimile sit, fictitium est quod historiæ Scholasticæ [i] magister tradit, multis pòst sæculis à Dauide fuisse idola illa reperta, & in vsum ædificandi templi Ierosolymitani collata.

Et in frusta comminuens, omnínoque in puluerem redigens.] In aliis codicibus (*omnino quoque*) iuxta editiones autem reliquas (*& confregi, & comm-*

Marginalia: a in Ps.73. b 1.Cor.6.15. c Exo.7.9.12. d Ps.73.14. e Lib.4. in Exo.c.26. f apud Lipoman. in Catena Exod. 32. g Dan.2.34.45. h 4.Reg.18.4. i epist. 128. ad Fabiolam. k supra. l 1.Cor.6.13. m 3.Reg.12.29. — a 4.Reg.17. Explanatio. Peccatum vitulum. b Exo.32.4.35. * sup. v.20. c in Ps.73. d in Exo.32. e Gen.35.4. f 4.Reg.18.4. g in Gen.35. h ibidem. i in Gen. c.83.

comminui, seu *contriui vehementer*, seu *bene*, *quasi in mola*, siue *pilo*, aut *mortario*, *donec fieret minutum quid*, *& sicut puluis*) Græcè καὶ κατέκοψε αὐτὸν, καὶ κατήλεσε (in Sixtinis omisso καὶ,) κατελάσας σφόδρα, ἕως οὗ ἐγένετο λεπτὸν, καὶ ἐγενήθη (in aliis ἐγένετο) ὡσεὶ κονιορτός, *& confregit eum*, *& comminuit* (vel, *comminuens*) *vehementer*, *quoadusque factum est minutum*, *& fuit sicut puluis*. Chaldæa שְׁפִית *sciapheth*, & שׁוּפִינָא *sciophina* significant comminuere in pilo. Hebræum אֵכֹת *eccboth* à כָּתַת *chathath* (non à נָכָה *nachah*, vt Oleaster docet) *conterere*, & טָחוֹן *tachon*, *molere*, & הֵיטֵב *heteb* verbum sumptum aduerbialiter, bene. Dentes molares vocantur טוֹחֲנוֹת *tochanoth* [a], ἀλήθουσαι: & quòd manna frangebant Hebræi mola dicitur Hebraicè טָחֲנוּ בָרֵחַיִם *tachenu barechaim*: quibus similia Chaldæa: Græca verò ἤλεθον ἐν τῷ μύλῳ. Mariana noster confirmat significationem vocabuli טָחוֹן *tachon*, quam attuli, ex Hispano *tahona* (aliter *atahona*) pro molendino, vbi molari petra iumento circumacta, molitur. Refert prætereà, quod Onkelos vocem *tahom* pro lima acceperit: séque in quodam Hebræo inuenisse, hac sententia (*comminuit eum tahon*, *id est*, *lima*, &c.) In Exodo [b] legitur (*& contriuit vsque ad puluerem.*) Vbi est verbum יְשַׁחַן *isthan*, & שָׁף *sciaph*: additúrque, *donec fuit minutum*, דַּק *dak*, & דַּקְדַּק *dakkik*: Græcè κατήλεσεν αὐτὸν λεπτόν, *contriuit illum minutum*. Crebris tunsionibus, redactum vitulum, combustum priùs herbæ beneficio, velut in carbonem, postea contritum Abulensis [c] existimat, tanquam in mortario. Asa rex confregit simolacrum turpissimum Priapi, & combussit in torrente Cedron [d]: è quo torrente ignem sponte erupisse, omniáque in cinerem redegisse Hebræi comminiscuntur. Iosias locum de domo Domini eductum foras Ierusalem in conualle Cedron (vbi torrens etiam erat) combussit, & redegit in puluerem, & proiecit super sepulchra vulgi [e]: & currus Solis combussit igni [f] (de his nostri Serarius [g], Pradus [h], Villalpandus [i]): & altaria quæ erant super tecta cœnaculi Achaz quæ fecerant reges Iuda, & altaria, quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit, & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron [k]: & altare, quod fecerat Ieroboam (cum vitulis aureis) destruxit, combussit, comminuit in puluerem [l]. De Ezechia antea memini confregisse serpentem æneum [m]. Sub Ezechia sacerdotes extulerunt omnem immunditiam ex vestibulo domus Domini, & Leuitæ asportauerunt ad torrentem Cedron foras [n]: & destruxerunt altaria quæ erant in Ierusalem, atque vniuersa in quibus idolis adolebatur incensum subuertentes proiecerunt in torrentem Cedron [o]. Carpit Leonardus Marius Chimicos hoc loco, asserentes pro defensione auri potabilis, factam contritionem istius vituli per distillationem: arbitratur autem per limationem potiùs, & serrarum molis ductatum rasionem. At Michaël [p] Maier hæreticus arte Chimica qua callebat, facile Mosem putat aurum combussisse, ac in puluerem redegisse, cùm aurifabri toties in igne vrant, cementent, purgent, liquefaciant, macerent: alij in vitrariis furnis per aliquot menses liquefactum stare permittant, & absque notabili diminutione aut mutatione suæ substantiæ exemptum inueniant: & aurum non satis magnum remaneat in massa, nec fluat vt plumbum, aut aqua, immò per annum & ampliùs, torreri possit absque eo quòd in puluerem redigatur: & ad vehementem ignem dum fluit, sic maneat homogeneum, liquórque quasi perennis durationis: Mosem proinde quia non aquis acribus, vel additamentis aliis, sed igne vsus est, eiusmodi artificium adhibuisse quod nostrates ignorent aurifabri, sciant soli in his exercitati Chimici, Chimicam artem habuisse communicatam sibi à Deo: vel comparatam siue studio proprio, siue ex doctrina Ægyptiorum, siue ex traditione aut Iosephi, aut Abraham, quorum alterutrum faciunt Hermetem illius artis peritissimum. De Maria sorore Mosis idem affirmat, librúmque ab ea de hoc argumento compositum. Respondet verò [a] impugnantibus Chimicam, eo quòd cùm aurum destrui non possit, longe minùs construi posse videatur: falsum esse quòd nequeat destrui, sicut & vitrum.

a Eccl. 12. 4.
b c. 32. 20.
c ibidem.
d 3. Reg. 15. 13. 2. Paral. 15. 16.
e lib. 4. 23. 4. 6.
f ibid. v. 11.
g in 4. Reg. 23.
h in Ezech. 3. de visi. 4. sect. 10. pag. 41.
i to. 2. p. 2. 6. Ezech. li. 3. c. 12. in cap. 40. pag. 221.
k vers. 12.
l vers. 15.
m ibid. cap. 18. 4.
n 2. Paral. 29. 16.
o c. 30. 14.
p in symbolis aureæ mensæ lib. 2. pag. 60. & seqq.
Ars Chimica vnde.
a lib. 11. p. 546.

Proieci in torrentem, qui de monte descendit.] Repetunt editiones aliæ *puluerem*: & Hebræa Chaldæáque cum pronomine, *puluerem eius*. In Exodo [b] (*quem*, nempe puluerem, *sparsit in aquam*, *& dedit ex eo potum filiis Israel.*) Hebraicè & Chaldaicè (*super faciem aquæ*) Glossa [c] ordinaria, quam recitat quoque Rickelius, refert ex Hebræis, quòd filij Israël bibentes aquam, vituli puluere infectam, qui commiserant idololatriam, in barbis puluerem auri præferebant; eóque signo rei, vel immunes sceleris apparebant, & rei interficiebantur. Rupertus [d] attingit opinionem, quod prominentibus labiis publicati vel deprehensi sint rei, ne indiscretè, sed cum iudicio punientur. Lyranus [e] recitat R. Salomonem, dicentem quòd istæ aquæ potatæ, erant nociuæ culpabilibus, causando in eis inflationem, & languorem sicut aquæ in sacrificio zelotypiæ ostendebant culpam mulieris, vel innocentiam [f]. Facit præterea mentionem alterius opinionis, quòd color auri remansit circa ora eorum, qui erant culpabiles, ita vt barbæ viderentur aureæ. Abulensis [g] docet Hebræos in tanta multitudine plusquam sexcentorum millium, qui nec ausi sunt Leuitis resistere, in se cum gladio irruentibus, adeò reueritos Mosem, vt præbitam aquam aureo puluere infectam, inuiti biberint. Deinde, quod ex R. Salomone memoratum est, attribuit R. Abraham Abenezra, sed generaliter quantum ad quandam ægritudinem, exemplo aquæ zelotypiæ. Quantum verò ad colorem aureæ barbæ, ait qui magis deliquissent, magis eo insignitos fuisse. Vult etiam [h] Aaronem, & Leuitas bibisse; nec tamen in iis dictum signum esse deprehensum; ac nominatim in Aarone: quoniam destinatus erat summus sacerdos: & quamuis peccauerit, penè coactus peccauit. Caietanus [i] fatetur ignorare se, quorsum sparsi fuerint pulueres, hoc est, parum ex iis, super faciem aquarum, vt ex Hebræa editione vertit, in ipsamet actione, qua pocula sumebantur ad potandum, quoniam si diutiùs puluis in aqua mansisset, non fuisset, inquit, in superficie, & consequenter non fuisset bibitus. Eiusdem Scholiastes Fonseca rationem reddit; ne nimia superstitione ad impietatem abuterentur Israëlitæ, putantes non esse illis licitum illius aquæ potum, ob idoli pulueres in aquam sparsos. Oleaster [k] existimat Mosem voluisse vt idololatriæ veluti nauseam induceret, pulueribus eos idoli satiare; quemadmodum carnium flagrantes desiderio, vsque ad nauseam, donec per nares exirent, postea carnibus impleuit [l]. Item vt sibi persuaderent, nihil reli-

b c. 32. 20.
c ibidem.
d lib. 4. in Exo. c. 27.
e ibidem.
f Num. 5. 12. & seqq.
g ibid. q. [illegible]
h q. 32. & 33.
i ibidem.
k ibidem.
l Num. 11. 20.

quatuin

quiatum idoli fui superesse, quas deinceps colere possent, quemadmodum eadem de causa corpus Mosis occultatum [a] est. Barradius [b] noster Abulensem [c], & Clarium [d] non probat, ex aqua torrentis, in quem pulueres coniecti fuerant, Mosem accepisse, dedisseque populo vt biberet; quia sic non bibisset populus pulueres, sed solùm aquam, in quam illi proiecti essent: præterea Caietanum, nomine torrentis interpretantem aquã ex torrente haustam, ita vt indicetur in aqua torrentis pura, non in aqua maledicta datum potum; arbitratur partem pulueris in torrentẽ proiectam, alteram in potum datam, vel pulueres omnes proiectos in locum torrentis minimè profundum; postea collectos, ac potum ex iis præbitum: vel miraculosè cum toti proiecti fuissent in torrentem, eiectos ab aqua velut execrabiles; tunc verò ex iisdem collectis propinatũ Hebræis. Causas porrò attingit dati eiusmodi potus, antea significatas à nobis, vt discernerentur idololatræ aut inflatione, languoréve inde consecuto: aut aureo in barbis colore: item vt nulla superessent idololatriæ vestigia; vtque contemneretur idolum, cuius epoti pulueres abirent in secessum; denique vt præfiguraret destructionem idololatriæ per legem Christi, & per quemdam quasi potum meditationis de lasciuia & superbia nostra tanquam vituli, salutarem mentis contritioné, & emendationem. Sanè inflationi quam rei patiebantur post haustam cum pulueribus aquam, nimirum, vt opinor, in ventre, affinis ea quam adultera ex potu aquæ zelotypiæ, vt Philo [e] sentit, eo quòd puram marito vuluam non seruasset: idololatra verò phrasi Scripturæ non semel à me annotata, cognominatur fornicator & adulter. Monceius [f] eumdem putat idololatras, de quibus agimus, euentũ consecutum: idque insinuari, cùm scribitur quòd Moses vidit populum illa nudatum, quia spoliauerat eum Aaron, propter ignominiam sordis, id est, similis putrefactionis in similibus partibus pudendis, ne vestibus implexa illuuies infectiores redderet, morbúmque & ægritudinem augeret: vel etiam vt simul cum ea tabe, proderetur cum quodam pudore, idololatriæ peccatum; & cognosceretur si hostes ingruerent, posse nudos deprehendi & vinci, vel à suis interfici perinde ac si hostes essent, occidi, quod & postea factum est Mose imperante. Atque huc allusisse vult figmentum Apionis, de inguinum vlceribus die sexto, postquam euaserant Hebræi de Ægypto: vt ea de causa quieuerint die septimo, quemadmodum scripsit Iosephus [g]; quam Tacitus [h] vocat scabiem; famulatem sui, à cuius idcirco vsu abstinuerint: Manetho, Chæremon, Lysimachus, lepram [i], cui remedium laxatio vestium seu dissumentum, aut etiam nudatio, de qua postea in Leuitico [k]; cùm illud quidquid est, circa nonagesimum diem factum fuerit. Confirmat, quia idololatria, ob similitudinem, quam dixi, cum fornicatione, adulterioque, sordium, inquinamenti, spurcitiei, immunditiei vocabulo solet designari [l]: tum præterea, quoniam apud Michæam [m] scribitur, quòd propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima: & quia Ioram eiusmodi tabe seu computrefactione alui, & herniorum, intestinorúmque, seu vitalium, & viscerum, propter idololatriã, diuinitus percussus [n] est: & apud Oseam [o] iungitur talis peccati dictæ pœnæ putredinis, tinea, id est, lumbrici, siue vermes, aut pediculi, quibus interiit Herodes magnus, regnũ, quod Christo debebatur, sibi vindicans, ideóque in biennes pueros desæuiens: & Herodes Agripa, cõsalutantes se Deum, vtque faueret propitius, rogantes, audiens ac minimè repellens. Addit, cùm infectos illos castris abire oporteret, æquè ac leprosos: immò qui ipsi etiã, quorumdã opinione, leprosi essent, ex tanto numero velut præcipui auctores, contumaciùs ad tria millia intra castra constitisse, in quos Moses Leuitas immiserit vt interficerẽt; propterea que in textu Hebræo Exodi [a], & multis versionibus, ac in Philone, censeri tria dũtaxat millia, cũ in editione nostra exprimantur viginti tria, & in quibusdam eiusdem codicibus, triginta tria millia. Tandem quod scribitur ablatis Baalim & Astaroth, seruiisse filios Israël Domino soli, Samuelem autem congregasse eos in Masphat, vt oraret pro ipsis, & aquã haustã effudisse in cõspectu Domini, & ieiunauisse in die illa, atque dixisse; peccauisse se Domino [b], interpretatur cum nescio quo alio homiliasta recente [c], Samuelé, more maiorum post abiecta idola, ad experimentũ vocasse, quod hactenus dictũ est; cúmque in eam rẽ iam hausta aqua esset, populũ renuisse illud subire, quod promiscuè omnes se peccauisse faterentur; adeò vt discernendis reis ab insontibus, dicerent nullo experimento esse opus; sed aquam corã Domino, seu arca fœderis, effunderent, pœnã deprecantes, ieiunióque & cõfessione eã redimentes. Poterat Monceius grauiorem citare auctorem Hier. [d] referentem ex Hebræorũ traditione, quòd corã Domino in eamdé aquam maledicta congesta sint: & sicut in lege mulier zelotypa hausta aqua probabatur [e]: ita & tunc idololatræ aqua illa probari fuerint, hi videlicet qui se idola coluisse penitus denegabant: præterea, quòd quicũque idololatra aquam illam gustasset, labia eius ita sibi adhærebãt, vt nequaquã ea abinuicem separare posset, hócque iudicio deprehensus interficiebatur; quod significet verba illa (*iudicauitque Samuel filios Israel in Masphat*) id est, morti tradidit: item, quòd Moyses hoc modo idololatras, qui sibi vitulum fecerant probauerit, quando arripuit vitulum, & combussit, & contriuit vsque ad puluerem, sparsit in aquã, & dedit ex eo potũ filiis Israël. Atqui de interfectione historia Regũ, vel alij nullum verbum: effundi aquam non est potari: cùm omnes illi essent idololatræ, non erat opus delectu. Vnde alij explicabant effusionem aquæ fuisse symbolum remissionis peccatorum, ac ablutionis ab iisdem, quomodo aqua sordes eluuntur: aut signum mutati propositi, velle se posthac mundos esse, vtque nihil supersit idololatriæ; aut quoddam quasi sacrificium seu libationem: aut metaphoricè sumi pro magna vi lacrymarum, & cordium instar aquæ effusione, vt nihil simulauerint, sed prorsus omnes suas cupiditates patefecerint: aut genus mundationis seu purificationis, per peculiarem baptismatis modum, qualis erat aquæ in quam cineres vaccæ rufæ coniiciebantur, &c. Leonardus [f] Marius, reiiciens opinionem de crimine manifestato per epotam aquam, cui pulueres vituli permixti erant, seu ex languore inde orto, seu ex colore aureæ barbæ: quia nec Scriptura indicat, nec Philo, aut Iosephus: & nonnullis barba naturaliter flauebat; aliquibus barba non erat, fœminæ ac pueri omnino carebant: ait reos abundè distinctos esse ac proinde occisos, qui in delicto flagranti deprehendebantur, aut comessantes & ludentes in honorem vituli: inter quos quia non erat Aaron, sed iam resipuerit, occisus non fuerit, alioqui morte dignior, quàm multi ex aliis.

Marginal notes (left column):

a Deut. 34. 6.
b 4 itinera. Hebr. c. 14.
c suprà.
d in Deut. 9.
e de special. legib.
Idololatra fornicator & adulter cognominatur.
f 2. Aaron purgatio c. 8. 9. 10.
g 1 cont. Apion.
h lib. 5. hist.
i apud Iosephũ sup.
k c. 13. 45.
l Deut. 7. 26. c. 29. 16. 3. Reg. 15. 12. Mich. 2. 3.
m c. 2. 10.
n 2. Paral. 21. 12. 18.
o c. 5. 12.

Marginal notes (right column):

a c. 32. 28.
b 1. Reg. 7. 4.
c Frãciscus Hernãdes.
d quæst. siue trad. Hebr. ad 1. Reg. 7.
e Num. 5. 24. 25.
Effusio aquæ remissionis peccatorum symbolum.
Pro magna vi lacrymarũ, & cordiũ effusione.
f in Exo. 32.

Nudationem autem populi, spoliationémve ab Aarone factam (quam textus Græcus dissipationem vocat) & constitutionem eius inter hostes, explicat de gratia diuinæ protectionis ablata ob idololatriam; non de priuatione inaurium, aut pileorum, in quibus ante illud peccatum, esset inscriptum nomen יהוה *Iehouah*: nec tantùm quòd populus esset otiosus; ita vt facilè possent idololatræ occidi ab aliis, qui se vt hostes gererent erga violatores. Facilis est hæc opinio; nec opus est laborare in reddenda potus aquæ cum pulueribus aureis ratione alia, quam in contemptum vituli, vt ex Ambrosio [a], Hieronymóque [b] dictum est, consentítque hoc loco etiam Marzilla: & tacitas minas punitionis mox affuturæ, iuxta parœmiam; cùm quis minatus alicui fore vt iniuriam, aut crimen quod machinatus est, ipsemet bibat, vt notauit Ystella [c]; siue ad bibendum duntaxat ironicè inuitatus populus à Mose fuerit; siue etiam compulsus, vt biberet, quod placet nostro Cornelio, & Abulensi.

a epist. 56.
b epist. ad Fabiolam.
c In Exodi 32.

Vers. 22.] In incendio quoque & in tentatione, & in Sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum.

Vers. 23.] Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis.

Vers. 24.] Sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi.

Paraphr. HÆc sunt alia exempla rebellionis Hebræorum in Deum, & Mosem, quæ Moses tamen profert, non vt contra seipsum, sed contra Deum: sunt autem omnia declarata in libro præcedente [d] aliquot locis: præter illam, quam concitauerant Core, Dathan, Abiron, Hon aduersum Moysen, & Aaron [e], & præter alias, quas complectitur Moses in genere, asserendo semper fuisse rebelles ex quo tempore nosse illos cœpisset tanquam ipsorum dux & princeps. Nam cùm vexarentur Hebræi nimiis operum oneribus in Ægypto, grauiter conquesti sunt de Mose & Aaron, quasi præbuissent Pharaoni gladium, vt occideret eos [f]. Deinde in mari rubro grauissimè indignati, exprobrabant Mosi; *forsitan non erant sepulchra in Ægypto; ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis? multo enim melius erat seruire eis, quam mori in solitudine* [g]. Postea in Mara cùm aquæ essent amaræ [h]. Præterea in deserto Sin murmuratores, dixerunt ad Mosen & Aaron: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame* [i]. Tandem prioris libri c. 14. [k] ipsemet Deus conqueritur per decem vices tentatum se ab Hebræis, qui non obedierint voci eius. Vbi per decē intelligi posse diximus idem quod frequenter: vel propriè decem vices: nempe ad mare rubrū (omissa illa quam posuimus factā in Ægypto:) ad aquas amaras in Mara: cùm defecit cibus, cùm reseruauerunt manna vsque in crastinum contra præceptum Dei: quando contra idem præceptum Dei collegerunt manna in sabbato [a]: quando in siti petierunt aquam: cùm adorauerunt vitulum aureum; cùm murmurauerunt ob laborem itineris: quando flagitauerunt carnes in sepulchris concupiscentiæ: quando de terra promissa, auditis exploratoribus, detrectauerunt. Grauitas peccati Hebræorū cognoscitur ex tot præcedentibus peccatorum similium punitionibus; quódque multo grauior post illa peccantibus pœna debeatur: quēadmodum septuplo grauior pœna interfectori Cain decreta est; interfectori autem Lamech septuagies septies maior [a]. Rectè item disponitur populus ad accipienda bona præsentia, per commemorationem malorum quæ commiserant, & quibus tamen non obstantibus accepturi bona erant, præsertim si pœniteret ipsos.

d c. 11. 1. & seq. c. 14. 1. & seq. 22. & seq. c. 21. 4. & seqq.
e ib. c. 16. 1. & seqq.
f Exo. 5. 20. & seqq.
g c. 14. 11. 12.
h c. 15. 24.
i c. 16. 2. 3.
k vers. 22.
a Exo. 16. 20. 27. 28.
a Gen. 4. 15. 24.

Explanatio. *In incendio quoque.*] Vertunt quidam vt nomen loci proprium, & in Tabera, siue Thabhberah, quod Hebraico charactere scribitur תבערה, vt Pagninus, & Vatablus. Non reperi apud topographos, descriptorésve locorum terræ sanctæ, hoc nomen. Lyranus, Caietanus, Oleaster, Abulensis, Marzilla, Cornelius, Mariana, Sa interpretatur de igne, qui narratur deuorasse magnam partem populi murmurantis, propter laborē itineris [b]. Hugo vel de eodem igne, vel de illo qui excitatus est propter Core & socios, murmurantes contra Aaron [c]: Isidorus Clarius, & Leonardus Marius secundū. Sed prima opinio vt communior, sic melior.

b Num. 11. 1.
c ibid. c. 16.

Et in tentatione.] Vt nomen quoque loci propriū Massa reddunt, quod scribitur מסה *massah*, citati Pagninus, & Vatablus, quemadmodum præcedēs, videlicet ex euentu conflagrationis quantum ad illum; quantum ad istum, tentationis. Posteriorem eum Lyranus esse vult, in quo ad aquas contradictionis murmuratū est [d]. Quæ opinio communis est; quamuis dubitet Caietanus de tentatione etiam pro aqua in Raphidim [e]: cùm tamen solus prior locus nomen sit sortitus tentationis.

d Num. 20. 2. & seqq.
e Exo. 17. 1. & seqq.

Et in sepulchris concupiscentiæ.] Adhuc id nomen tanquam proprium ab iis quos antea citaui exprimitur ex Hebræo קברות התאוה *kiuroth hatthaauah*, seu *kibroth-hataaua*. Ratio nominis est, quia ibi sepultus est populus, qui desiderauit carnes, vt cap. 11. [f] prioris libri dictum est.

f vers. 4.

Prouocastis Dominum.] Græcè παροξύνοντες ἦτε κύριον τὸν θεὸν ἡμῶν, *irritantes fuistis Dominum Deum nostrum*. Addit emphasim pronomen & nomen Dei, vt intelligatur factam iniuriam, & prouocarunt ea Dominum Deum communem. De prouocandi verbo, cui adiungitur interdum ad iram, egimus antea [g].

g v. 7. 8. 18.

Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens.] Inseritur in editionibus aliis (*Dominus*.) Habetur autem hoc in cap. 13. & 14. libri præcedentis.

Ascendite, & possidete terram, quam dedi vobis.] In editione Græca δίδωμι, *do*. Quam promiserat tunc dabat, & per Hebræos stabat quominus eam statim intrantes possiderent, post reditum exploratorum, quos illuc Deus miserat. Etsi autem citato loco non habentur Dei expressa verba, quibus præciperet vt ascenderent & possiderent terram; tamen in eum finem exploratores miserat: & cùm ex his alij murmurarent aduersùs illam, Caleb eos compescens dixit; *Ascendamus, & possideamus terram.* idémque postea cum Iosue hortatus est, ne rebelles essent contra Dominum: cùm autem contra Dominum præceptum ascendere cœpissent, percussi, concisique sunt.

Et contempsistis imperium Domini Dei vestri.] Hebraicè (*& exacerbastis os Domini Dei vestri*, ותמרו

vatthamrû

vattbamrupbe.) Chaldaicè (*& rebelles fuistis super verbum*, &c. על מימרא דיי הויתון מסרבין *vesaurabhun bhal memera*) Græcè *& incredulè fuistis*, vel *obedientes non fuistis verbo*, καὶ ἠπειθήσατε τῷ ῥήματι. Illud siue verbum, siue imperium quomodo sit accipiendum, dixi paulò antè. De peccato ex formali expressóque contemptu aliàs egi, neque constat in populo tale fuisse, quamuis dicatur pro nihilo habuisse terram desiderabilem [a].

a Psal. 105. 24.

Et non credidistis ei.] Græca καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ, possunt idem valere quod priora membri præcedentis, καὶ ἠπειθήσατε τῷ ῥήματι: significat enim ἀπειθεῖν & non obtemperare, seu imperium detrectare, & fidem non habere, siue non credere. Hebræum autem, Chaldæum, & Græcum huius loci verbum Latinè propriè translatum est ולא האמנתם *velo heemanthem*, ולא הימנתון *velo hemanthun*, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε.

Neque vocem eius audire voluistis.] Simpliciùs iuxta reliquas editiones (*& nō audistis vocem eius.*) Tot modis ac formulis dicendi vtēs Moses exaggerat & amplificat summam inobedientiam & ingratitudinē populi, qui quadraginta iam retro annis poterat inire possessionem opimæ ac optimæ terræ. In c 1 [b] libri nustri exprobratur hoc idē; quo pacto Moses Domini nomine iusserit vt populus terram quam præ oculis habebat, videret, ascenderetque, ac possideret eā absque vllo timore aut cunctatione: rogante populo, ac Mose approbante, eū simplici ac soli Domini verbo fidere oportuisset, missi fuerunt exploratores: populus ascendere noluerit, sed incredulus ad sermonem Domini, murmurauerit: iratus Dominus prædixerit morituros murmuratores in deserto: interfecti fuerint ab hostibus, hi qui Domino prohibente ascendere voluerant. Nota porrò phrasis ac trita, vt audire vocem alicuius sit exequi id quod dicitur & obedire; non audire sit non obedire.

b vers. 19. & seqq.

Audire vocem alicuius, & non audire quid.

Sed semper fuistis rebelles, à die, qua nosse vos cœpi.] *Rebelles cum Domino, corā Domino, in his qua ad Dominū spectat*, habent editiones aliæ: Græca *à qua die cognitus fuit vobis*, nimirum Dominus, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγνώσθη ὑμῖν: aut in correctis bibliis, ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς, &c. Explicari autem potest, ab eo tempore quo cœpit vobis benefacere, ac vobis innotescere per tot tantáque beneficia: quod est intolerandæ ingratitudinis. Nosse autem Dominum, notúmve esse Domino, idem valet quod affici ab eo beneficiis, & scientia approbationis importat collationem bonorum; quemadmodum è contrario, nesciri seu ignorari à Deo est destitui beneuolentia beneficientiáque ipsius. Tempus ex quo Moses nosse populū cœpit, dixi esse quo cœpit regimen illius. Proprium ac veluti connaturale, hæreditariúmque Hebræis peccatum est dura ceruix, rebellio, pertinacia, obstinatio; vt eis exprobrauit Stephanus [c] dura ceruice, & incircumcisis cordibus, sempérque Spiritui sancto resistentes cognominans, sicut & patres eorum. Dixerat Ieremias [d] de eodem populo, *à sæculo confregisti iugum, rupisti vincula; & dixisti: Non seruiam.*

Nosse Dominum, idem quod affici ab eo beneficiis.

c Act. 7. 51.

d c. 2. 2.

Vers. 25.] Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus.

Paraphr.

IVxta opiniones de quibus nuper egimus, aut hîc insinuatur tertium quadragesimale ieiunium celebratū à Mose; quando populus in Cadesbarne noluit obedire: aut secundum post fractas tabulas, comminutúmque vitulum. Secunda verior videtur, ita vt præsens versus, quique sequuntur, non spectent ad eum qui præcessit immediatè, vel ad historiam eorum quæ in Cadesbarne facta sunt; sed regrediatur Moses per repetitionem ad illa quæ contigerant in Horeb, siue Sinai, nec different quæ hîc dicūtur ab iis quæ versu 18. continentur: quæ autem interserta sunt, velut per parenthesim ponantur, vt acriùs reprehendantur Hebræi, eorúmque peruicacia & ingratitudo demonstretur: atque sic ieiunium hic scriptum ac oratio pro populo, fuit ante incendium, tentationem, sepulchráve concupiscentiæ, atque missos exploratores. Docet porrò Abulensis, in tam longo ieiunio sine cibo & potu, Mosem sustentatum esse diuinitus, ex quadam redundantia gloriæ, atque cœlestium consolationum: cum quo tamen simul sentiret dolorem, habebátque anxiam curam de populi salute; pro cuius idololatriæ peccato precabatur. Affert exempla pœnitentis, qui cum dolore de peccatis, gaudet ob spem veniæ ac vitæ æternæ: & meditantis passionem Christi; qui hinc dolet compatiendo, hinc gaudet ex fructu illius; quem vtrumque affectum & effectum ipsamet mater eius assistens Filij sui passioni, experta in se sit. De Christo, tempore passionis suæ, magis recepta sententia est, suspendisse omnem delectationem, quæ ex beatitudine animæ suæ naturaliter secutura fuisset; non autem ipsammet beatitudinem, siue visionem Dei; vt quidam existimauerunt.

Et iacui coram Domino.] Versu 18. (*& procidi ante Dominum*) iisdem verbis dicitur secundùm editiones alias quibus hoc loco ואתנפל לפני יהוה *vaethnappal liphne Iehouah*: ואשתטחית קדם יי *vesthattechith kodam Iehouah*: καὶ ἐδεήθην ἐναντι κυρίου: ex quibus Hebræa & Chaldæa significant iacere, procidere, prosterni coram Domino: Græca deprecari, siue orare coram ipso.

Explanatio.

Quadraginta diebus ac noctibus.] Eodem pacto in citato versu 18. sed præterea exprimendo, quòd panem non comedit, & aquam non bibit. Quoties autem id fecit Moses, siue bis tantùm, quod magis certum est; sine ter, vt aliquo modo probabile est; siue etiam quater, quòd minimè probatur, vt antea dictum est; credi potest somno quoque abstinuisse, qui requiritur magna ex parte ob cibi digestionem, nec Deum permisisse vt corporis vires dissiparentur ob mentis ingem contentionem.

Quibus eum suppliciter deprecabar.] Hebræum, Chaldæúmque verbum significant iacere, procidere, prosterni; quoniam est idem quod paulò antè, videlicet התנפלתי *hithnappalthi*, & אשתטחית *esthattechith*: Græcum ἐδεήθην, *oraui*. Suppliciter deprecari magis expressè declarat vim dictorum verborum significantium habitum seu gestum iacentis, procidentis, prostrati in oratione. Aduerbio (*suppliciter*) Interpres non vtitur alibi quàm hîc; nomine supplicationis bis [a]; supplicis semel [b]; illud Græcè vocatur ἱκετεία vel ἱκεσία, vel ἱκετηρία, de quo prius, éstque quasi ἀπὸ τοῦ ἱκέσθαι, aut *venire*. Demissionem important illa vocabula, necnon supplicandi verbum, etiam infra plicas, quasi manibus ac genibus complicatis; nomen quoque supplicij. Quamquam de vltimo docet Isidorus [c] propriè dici, non quo quis punitur: sed qui ita damnatur, vt bona consecrentur, & in publicum redigantur, & de cuius damnatione delibatur aliquid Deo.

a 2. Mach. 3. 18 Hebr. 5. 7.

b Sopho. 3. 10.

c lib. 5 c 7.

Deo. Mitto supplicationem pro processione ad sacra, & supplicia pro certis sacrificiorum generibus; aut pro pœnis. Pro supplice, qui genua submittat, flectat, plicet, Horatius [a] eleganter genibus minorem appellat: quia qui supplicat, minor redditur à genibus ad pedes: aut quoniam supplex aduoluebatur genibus alterius, quibus inesse quandam religionem putabant [b], atque misericordiæ consecrata esse, vt genio frontem, fidem dextræ [c], μικρὸν πρὸς οὖδας, γόνυ ἀμφιτίθων χειρὶ [d] *solo procumbens, genu amplectens manu.* Plura exempla collegit noster Cerda [e] procumbendi ad genua, pedésve, mentum, apprehendendi mentum, (quod solis erat Græcis in vsu) adorandi. Obiicere vel abiicere caput eùm supplex ad limina venit, Virgilius [f] dixit, Silius [g], affligere, aut affigere squallentia corpora terræ. In c. seq. [h] ait Moses stetisse se in monte sicut prius, &c. si ad corporis habitum referas, dices partim prostratum genibúsve nixum, partim stantem, partim sedentem tam diuturnum tempus Mosem in oratione posuisse; siquidem hoc ipso capite [i] nostro quod legimus (*perseuerans in monte quadraginta diebus*) in Hebræo est (*sedi*) quamuis stare & sedere plerúmque solam præsentiam dicant, non situm, seu positionis modum.

- a li. 1. epist. 32.
- b Plin. lib. 11. c. 45.
- c Seruius in 3. Æne.
- d Eurip. in supplam.
- e in 3. Æne. vers. 587. not. 1.
- f 8. Æne.
- g lib. 2.
- h vers. 10.
- i vers. 9.

Ne deleret vos vt fuerat comminatus.] In editionibus aliis (*quia dixit Dominus vt deleret*, siue *perderet vos.* Dixerat comminando, & verbis minæ continebantur: quod Interpres voluit exprimere. Minas porrò intelligit non in Cadesbarne factas, sed in monte Sina.

Vers. 26.] Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.

Paraphr.

RECitat Moses hinc ad finem vsque capitis, orationem quam habuit ad Deum pro populo adoratore sacrilego autem vituli; quæ in Exodo [k] etiam scribitur tum antequam descendisset de monte, vbi ab ipsomet Deo certior factus est de idololatria; tum postquam vbi descendit, confregisset tabulas legis, vitulum comminuisset, ex idololatris per Leuitas quasi viginti tria millia interfecisset. Istis porrò verbis similia sunt illa Exodi: *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta?* Abulensis [l] hoc loco negat sciri certò posse verùm plura his verba Moses dixerit in illo secessu ac ieiunio tam longo dierum & noctium quadraginta: ait autem non videri fuisse plura, quamuis nulli rei vacaret, quæ ipsum distraheret, immò intentus esset orationi prono etiam prostratóque corpore; tum quia Scripturæ plura non recitant: tum quia Sanctorum orationes ferè solent esse succinctæ verbis, deuotione autem amplissimæ: tum quia licèt Christus docuerit oportere semper orare & numquam deficere [m]; cauit ne orantes multiplicarent verba, sicut Ethnici faciunt, putantes quòd in multiloquio suo exaudiantur [n]; idcóque præscripsit breuem orandi formulam [o] contentam oratione quam Dominicam cognominamus; & breuitatis causam reddidit, quia scit pater noster cœlestis quid opus sit nobis [p]: tum quia qui multa loquitur, errat frequenter; & oratio propriè est ascensus mentis in Deum, à qua consulit Christus ne cessemus; in verba verò prorumpere non est tantæ necessitatis. Deinde probabilius existimat, semel dumtaxat prolatam à Mose orationē eandem, toto tempore quo prostratus iacuit, donec surgere iussus est, ac sibi nouas tabulas præcidere: Christum ter eamdem breuem orationem repetisse [a], quoniam interruperat, quamuis tertia demum vice prolixiùs orauerit: in horis Canonicis orationem propriè sumptam pro petitione breuem esse, vt patet ex iis, quæ dicuntur in hunc cuiuslibet horæ: laudes diuinas proliciores, aut narrationes de gestis Sanctorum: nihilominus non prohiberi, ne vti possimus quibusdā orationibus longioribus, præsertim, quas composuerunt Sancti, quæque dulcedine verborum mentes ad cœlestium amorem pertrahunt; quia non ad petendum, sed ad incendendum dicuntur. Sunt hæc omnia probabilia, quibus adiici posset vsus breuium illarum, sed frequentium orationum, quas iaculatorias nominant, & varios animi affectus exprimunt, aut etiam aliquid petunt, de quibus Cassianus [b], Augustinus [c], alij, extátque vnius de nostris tractatus de hoc argumento, hoc est, de orationibus iaculatoriis [d], & alterius de piis affectibus collectis ex Psalmis [e].

- k c. 32. 1. & seqq.
- l q. 5. & 6.
- m Lucæ 18. 1.
- n Mat. 6. 7.
- o ibid. v. 9. & seqq.
- p ib. v. 8. 32. Oratio, ascensio mentis in Deum.
- a Matth. 26. 39. & seqq. Marci 14. 35. & seqq. Luc. 22. 42. & seqq.
- b 2. collat. c. 10.
- c epist. 121. ad Probam.
- d Anton. de Palinghem.
- e Ioan. Renaudinus.

Et orans dixi.] Paulò fusiùs iuxta editiones alias (*& orans ad Dominum*, vel *coram Domino, & dixi.*)

Domine Deus.] Græcè bis *κύριε, κύριε, Domine, Domine*: Hebraicè אֲדֹנָי יְהוִה *Adonai Iehouih* quæ Caietanus legit *Adonai Iehouah*, ac si diceret, inquit, Domine mi fons essendi: quo familiari ac blādo loquēdi modo pluries vsus est Moses, quasi ad placandum Deum humano blandientis more, teneritudinem affectus insinuando. Vertit Pagninus, *Domine, Domine*: & secundum יְהוִה *Iehouih*, est pro אֱלֹהִים *olohim*, vt puncta testantur, cùm in præcedente אֲדֹנָי *Adonai*, sint puncta quæ solent poni sub יְהוָה *Iehouah*: quod etiam legi solet ab Hebræis, proferríque Adonai.

Ne disperdas populum tuum.] Non est hîc שַׁחַד *sciachad*, vt asserit Oleaster, erátque versu 14. & 19. in hiphil, & pro eo Latinè *conterere*, aut *delere*, Græcè ἐξολοθρεῦσαι, sicut & hîc, sed תַּשְׁחֵת *thaschcheth*, quod sæpiùs exponitur *corrumpere.*

Et hæreditatem tuam.] Causam istius appellationis tradit Abulensis; quoniam populus ille firmiter manebat, id est, manere debebat, apud Deum, sicut hæreditas vel possessio apud eum cuius est: reliqui autem populi falsis numinibus applicabantur: apud quos etiam constanter manebant; quo nomine reprehenduntur in Ieremia [f] Hebræi, quia mutarant gloriam suam, hoc est, Deum verum in arca testamenti peculiariter præsentem, colíque solitum, in idolum. Quamuis porrò adorasset populus ille idolum vituli, disperdíque meruisset, ac disperdere Deus illum decreuisset, negans iam populum suum; Moses tamen pro eodem orans, appellat adhuc populum Dei, immò & hæreditatem eius, vt sic faciliùs flectat Deum & exoret. Idem cognomen Hebræi populi, vt dicatur hæreditas Dei, multis [g] aliis locis habetur: quamuis aliquando tribuatur Leuitis magis [h] peculiariter: vicissímque appelletur Deus hæreditas nunc populi totius, nunc magis singulariter Leuitarum. Nam & Deus vtrosque possidebat veluti propriam hæreditatem, sed magis Leuitas: & assumebat ad participationem propriorum bonorum tum spiritualium quæ in ipsius consistebant religione cultúque, in quo Leuitæ propiùs versabantur: tum temporalium, id est, terræ sanctæ, ex qua Leuitis attributa

- f c. 2. 11.
- g Deut. 9. 29. c. 32. 9. cap. 33. 4. 1. Reg. 10. 1. c. 26. 19. 14. 16. Psal. 19. 6. Iob. 3. 8. 31. 33.
- h Num. 18. 9. c. 18. 20. Deut. 18. 1. 2. Ios. 18.

tributa erant iura multa, quæ Deo peculiariter debebantur. Itaque Deus erat hæreditas, & alij simul erant ipsius hæreditas: iidem hæreditabant Deum, bonáque ipsius, & ab eo hæreditabantur tanquam peculium ipsius.

Quam redemisti.] Hoc pacto censetur Deus possessor hæreditatis, quam quasi pretio soluto iterum sibi comparatit, cùm ipso naturæ iure ipsius esset: cúmque propter peccata populus ille se quodammodo subtraaisset aliquoties à Dei dominio, nouo eundem beneficiorum quasi pretio iterum iterúmque emerat. Pretij solutionem, & quidem ad eximendum à seruitute, siue captiuitate denotat λυτρόω, vnde & lytrum Latinitate donatum nomen pro eiusmodi pretio. B

Vendere & redimere Dei quid.

a 3. Reg. 21.20.25.1. Mach.1.16. b Rom.7.14.

Vendere seu venumdare dicitur Deus, quem à sua reiectum misericordia tradit puniendum iustitiæ ministris; talísque venumdari vt faciat malum [a], aut sub peccato [b]: redimere quem quasi erutum inde liberat, vel etiam præueniens: vt contigit B.Virgini præseruatæ ab originali culpa, captiuitatéque diabolica, quod fieri cùm potuerit, factum persuadet redemptio ac præseruatio à veniali, de qua nullus ambigere potest: nobilior verò redemptionis modus efficere ne quis in vllam incidat seruitutem, nullum incurrat malum. Sed & Latinè interdum idem est redimere, quod simpliciter emere; vt [c], *est qui redimat multa modico pretio, & restituens ea in septuplum*; vbi est ἀγοράζων, *emens*, agitúrque de contractibus humanis. C

Redimere idem quod emere simpliciter.

c Eccl.20.12.

In magnitudine tua.] Hoc significatur Hebraicè per בְּגָדְלְךָ *begodlecha*: sed Chaldaice בְּתֻקְפָךְ *bethukpach*, *in fortitudine tua*: Græcè ἐν τῇ ἰσχύϊ σου τῇ μεγάλῃ, *in fortitudine tua magna.* In cap.3. [d] *Tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuā*, Græcè *fortitudinem tuam*, τὴν ἰσχύν σου Et cap.5. [e] *Ecce ostendit nobis Deus noster maiestatem & magnitudinem suam*; pro quibus Græcè est solùm δόξα, *gloria.* Eodem substantiuo nomine magnitudinis vtitur Scriptura locis [f] aliis absque addito, cui respondet Græcè δόξα, *gloria* [g]: aliquando [*] ὕβρις, *iniuria*, & Hebraicè גאון *gheon*, *superbia*: vel μεγαλοπρέπεια, Hebraicè תפארת *thiphereth* [h]: vel μεγαλωσύνη [i], vel μέγεθος [k], vel κράτος [l], vel μεγαλεῖον [m], vel ὕψος [n], vel μεγαλειότης [o]. Loco D nostro congruit virtus, vis, robor, fortitudo cum quadam excellentia, insignísque gloriæ demonstratione.

Magnitudo quid.

d v.24. e v.24. f 1.Par 17.21.c.29.12. Esther 1.4 c 9 2. Iob 36.14 c.36.19.c.37.4 Ps.70. 8.Ps. 144 3.6.Ps. 150.2. Sap. 6.8.c. 9.10. 2.15.2.Eccl. 2.23.c.18.4.c.43.16. Ezech.31.c.7. Dan.4.19.1 Mach. 9.22.Lucæ 9 43.Hebr. 8.1.2.Pet. 1.16. g Sap.9.10. * Iob 37.4. h Ps.70.2. i Ps.144.3. 6.Ps.150.2. Eccl.2.23. cap.18.4. Dan 4 19. 3.Mach.9.22.Heb.8 1. k Sap.6.8. l Ibid.c.15.2. m Eccl.43.26. n Eccl.38.27. o Luc.9 43. 2.Pet.1.16. p Exo.32.4. q Ibid.v.7.

Quos eduxisti de Ægypto.] Non ego, non vitulus quem adorauerant: quorum secundum adoratores impiè dixerant [p]; primum Deus ironicè vel indignanter iam non suum, sed Mosis nominans populum [q]. Græcè ἐκ γῆς αἰγύπτου, *ex terra Ægypti.* In textu Latino Complutensi & Regio (*quos eduxisti*) omissa Ægypti mentione.

In manu forti.] Græcè (*in manu tua forti, & in brachio tuo excelso*, ἐν τῇ χειρί σου τῇ κραταιᾷ, καὶ ἐν τῷ βραχίονί σου τῷ ὑψηλῷ. Similes formulæ præcesserunt in capitibus [r] aliis de manu fortissima, & robusta, ac extento brachio. Repete quæ locis E illis annotata sunt.

Vers. 27.] Recordare seruorum tuorum, Abraham, Isaac, & Iacob: ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum:

PARAPHR.

NOn solùm ex humilitate, vt notauit Abulensis, rogat Deum per merita patrum suorum, & communium toti populo, non per suamet propria; verùm etiam vt Deo suggerat antiqua iisdē ab ipso facta promissa, & veluti exigat horum complementum, ac ne impedimento velit esse, quantumuis grauia demerita peccatáque contumacis, ingrati, impij, seu sacrilegi, & idololatræ populi. Sic ipso capite [a] priùs: *Neque enim propter iustitias tuas, &c. sed vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob.*

r Exo.3.19 c. 6.1. c.13.9 c.32.11. Deut.4.34 c.5.15. c.6.21. c.7.19.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

a vers.5. b vers.13. c 2.Esd. 13.29 Ps. 118.49 Ps.171. 1.Thre 5.1. Tob. 3.3. Iud. 16.28. 2 Esd 1.8.c.5 19.c.6 13.14.22.31. Iudith 9 12. Esth 14.12. Esa. 38 3. Baruch.3.5. 1.Macha.7.38.

Recordare seruorum tuorum.] Nihil refert, quòd Græcè post nomina trium Patriarcharum, ponatur cognomen seruorum. In Exodo [b] orans etiam pro populo Moses, dixit: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, &c.* Aliàs quoque oratur Deus, vt recordetur, B siue memor [c] sit, aut ne meminerit [d]: & aliquando dicitur, quòd est recordatus [e], aut recordabitur [f]: nonnumquam quòd oblitus [g], aut non oblitus [h]. In Deo propriè non est memoria, aut obliuio; sed præsens ac immutabilis perpetuáque scientia: more tantùm nostro dicuntur de illo quæ notata sunt, & plura similia, demptis imperfectionibus, quemadmodum sæpiùs admonui. Cæterùm tribuitur Abraham, Isaac, & Iacob epithetum seruorum Dei tam hîc & citato Exodi loco, quā alibi, sed separatim. Ac primus quidem Ita cognominatus ab ipsomet Deo videtur Abraham [i] fuisse. Fratres Ioseph petierunt ab illo, vt sibi seruis Dei patris eius parceret [k]. Moses appellauit seipsum seruum Dei [l]; & Deus illum [m]; C & alij eundem [n]: rursum Deus Caleb [o]: Iosue item sic vocatus [p] est: necnō Dauid vel à seipso [q], vel ab aliis [r], vel à Deo [s]: præterea Salomon à seipso [t], Ahias ab aliis [u], Iob à Deo [x], sæpe quoque apud Prophetas aliqui alij, populúsque integer Hebræus; immò & impij reges à Deo, vt Nabuchodonosor [y]. In aliis ratio appellationis bona & honorifica est, quia Dei parent voluntati, spontéque subiiciuntur illi, sicut & Angeli: immò & Christus ipse quantum ad humanam naturam, propter quam alibi docui serui Dei cognomen eidem congruere. In Nabuchodonosor ac similibus causa est, quoniam vtitur iis Deus vt administris iustitiæ suæ ad puniendum Quo pacto Leuiatha vocatur seruus Dei [z], & per illum designa D tus dæmon, vt obseruauit Gregorius [aa]; docens præterea [bb] licèt sēper iniqua sit voluntas ipsius, nunquam tamen potestatem eius iniustam. Eodem sensu nominatur spiritus Dei, sed cum addito nequā & malus [cc]. Lege quæ annotaui de Dei seruitute in commentariis Actuum [dd] Apostolorum, Psalmorum [ee], epistolæ Iacobi [ff], & quæ alij ibidem, vel in epistolas Pauli, in quibus præfatur se Iesu Christi seruū; considerantes præstantiam dignitatémque huiusmodi tituli: simul, quomodo comparatione libertatis, quæ beatis tribuēda est, omnes etiam sancti seruos hîc se nuncupēt. Græcè sunt hîc θεραπόντες, quo nomine putāt significari Martis ministros, seu satellites, aliter ὁπλοφόρους, *armigeros*, item ea amicis officiosissimos, & ad E præstandum obsequium paratissimos: denique cultores, ac nominatim quidem Dei, quos etiam Græcè θεραπευτὰς Philo [gg], & Dion. [hh] vocant.

Explanatio.

d Ps.78.8. e Gen 8.1. c.19 29 c. 30.22. Exo. 2.24. c 6.5. Ps 9 13. Ps. 77.39 Psal. 97.3. Psal. 102.14. Tobiæ 1.13.

Serui Dei dicti.

f Gen.9 15. 16. Leu.26. 42.45. g Psal 9 32. Ps.12 2. Ps. 41.10. Psal. 73.19 23. Psal 76.10. Esa.49 14. 15 Thre.5. 20. Ose 4. 6. h Ps.9.12. Eccl.35 9. i Gen.26. 24. k c.50.17. l Exo.4.10. cap 14.31. Num.11. 11. Deut.3. 24.c 34 5. m Num.12. 7.8.Iosue 1. 2 7. n Ios.1.1.c. 11 15. 3. Reg. 8. 33. lib.4.18 12. cap.21.8.1. Paral. 6.49. cap. 17. 4. Iudith 4 13. o Num. 14. 24. p Iosue 24. 29. q 1. Reg. 23.11.lib. 2. 7. 19. & seqq. Psal. 18.12.14 & sæpe in aliis Psal. r 3 Reg.3. 6. cap.8.24. 26.28 66. s 2.Reg.3. 18.cap.7.5. 8 lib.3 11. 13. 32. 34. 36.38. cap. 14.8 l.4.8. 19.c.19 34. c. 20.6 &c. t 3.Reg.3.7.

Abraham, Isaac, & Iacob.] Aliquando [ii] vltimus prioribus adiunctus, exprimitur nomine Israël; vtpote quòd eadem persona duplici hoc nomine vocaretur: à posteriore quoque cognomen seu appellationem tribuens toti

u 3.Reg.15.29. x Iob 1.8.c.2.3.c.42.7.8. y Ier. 25.9.c. 27.6.c.43.10. z Iob 40.20.25. aa 33.mor.c 18. bb lib.2.c. 10. cc 1.Reg. 16.14.15. dd in cap.18. ee in Ps.115 7 vel 16. ff in cap.1.1. gg de vit. supplicum. hh Eccles.hier.c.6. ii Exo.32.13.

populo Hebræo: & primò assignatur epithetum dilecti, secundò serui, tertiò sancti. Sic loquitur Daniel [a], orans ne auferat Deus misericordiam propter illos tres. Interdum [b] Iacob appellatur seruus, Abraham verò amicus. Amicus Dei, ac dilectus peculiariter dici potuit Abraham, quia de illo dixit Deus [c]; *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Vnde illud Christi de suis discipulis [d], *Iam non dicam vos seruos, sed amicos; quia quæcumque audiui a patre meo, nota feci vobis.* Isaac quod optimi serui est, obedientissimus fuit, libentissimè morti sese offerens in victimam [e], vt obseruarunt Iosephus [f], Ambrosius [g], Augustinus [h], alij. Iacob sanctus dicitur, & quia in ipso alio nomine, quod accepit diuinitus, gerit nomen Dei, nempe in Israël, siue idem sit quod videns Deum, siue potens contra Deum, aut præualens Deo; & quoniam prælatus ac prælectus est, repudiato Esau, quem Paulus [i] profanum, quasi sancto oppositum, cognominauit; sanctum enim Hebræi dicunt id quod electum & segregatum est Deo, vt hostias, certum locum, certum tempus; & quia religiosius coluit Deum aris & votis.

a Dan 3.35. b Esa. 41.8. c Gen. 18.17. d Ioan. 15.15. e Gene. 22.3. & seqq. f 1. antiq. c. 14. g 1. de Abel. c. 10. h serm. 46. de temp. i Hebr. 12.16. *Sanctum apud Hebræos quid.*

Ne aspicias duritiam populi huius.] Additur Græcè ante ista εἰς ὤμοσας κατ' σεαυτοῦ, *quibus iurasti per teipsum.*) Populus duræ ceruicis cognominatus est bis, priùs hoc ipso [k] capite, vbi alia testimonia protulimus: duritia quoque cordis de populo eodem dicitur à Christo [l], nec non & de discipulis non credentibus eum resurrexisse [m]. Eodem spectant indignatio dura [n], superbia duritiæ [o]; duritia quam confringit lingua mollis [p], vir durus & pessimus [q], mens dura [r], cor durum [s], collum durum [t], spiritus durus [u], durus populus [x] Israël, dura peccata [y]; quæ ferè omnia istve similia possunt exponi ad eum modum quem dictis locis nostri capitis attulimus: & Paulus [z] eum duritia coniungit impœnitens cor, quibus thesaurizet quis iram sibi. Cor durum Origenes [aa] ait esse, cùm mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis diuinæ non recipit: Bernardus [bb], quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens; cui præteritorum præter solas iniurias, nihil omnino præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendum prospectio, seu præparatio est; denique quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Consule quæ dixi Psalmo 94. [cc] ad ea verba; *nolite obdurare corda vestra.* Abulensis duritiam interpretatur indomabilitatem, vel in malis consuetudinem. Nec emphasi caret pronomen demonstratiuum additum populi (*populi huius.*)

Populus duræ ceruicis cognominatus. k v. 6. 13. l Mat. 19.8. Marc. 10.5. m Marc. 16.14. n Gen. 49.7. o Leuit. 26.19. p Prou. 25.15. q 1. Reg. 25.3. r Psalm. 28.14. *Cor durum quid.* s Eccl. 3.27. t c. 33.17. 46.12. u Esa. 27.8. x c. 48.4. y Ier. 30.14.15. z Rom. 2.5. aa ibidem. bb 1. de cõsidera. cc vers. 8.

Et impietatem.] Legit Abulensis *iniquitatem*, declarans malitiam deprauationémve interiorem, aut peccatum grauissimum adorationis vituli. Hæc propriè impietas est prodita, etiam exteriùs: quam Græcum nomen plurale significat τὰ ἀσεβήματα, *impietates*, & singulare Hebræum cum affixo רִשְׁעוֹ *rishho*, & Chaldæum חוֹבֵיהוֹן *chouehon*: quamuis Hebræum reddatur aliquando [dd] Latinè iniquitas, Græcè ἀνομία, vel etiam ἀσέβημα: & רָשָׁע *rascahh*, peccator [ee], aut iniquus [a], sed à Hieronymo impius. Hugo hoc loco explicat impietatem in Deum.

dd Ps. 5.5. Ps. 44.8. ee Ps. 28.2. Ps. 49.16. Ps. 111.10. a Ps. 103.35.

Atque peccatum.] Peccatum quoque valet cum pronomine affixo חַטָּאתוֹ *chattatho* · *peccata eorum*, חַטָּאתָם *catachon*, ἁμαρτήματα αὐτῶν: quod Hugo, postque illum Marzilla, ait referri ad proximum, contra quem peccetur. Abulensis declarat de opere malo exteriore, quia malitia magis dicat modum habitus vel formæ inhærentis, peccatum verò modum actus: vel de minùs graui malo, minore errore & tentatione.

Vers. 28.] Ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine.

Ratio ad exorandum Deum, attingit ipsius met Dei honorem, qui nisi pareat, sed pro populi impietate, peccato, duritia puniat, eúmque vt meretur, deleat, existimabitur ab Ægyptiis, ex quorum grauissima captiuitate ipsum liberauit, non potuisse in terram quam promiserat, vel quam promissam ipse sibi iactabat ab illo, introducere, sed quasi nollet manibus eorum apud quos captiui detinebantur perire, voluisse in desertum deductos ibi occidere. Hoc est quod in Exodo [b] similis oratio Mosis continet, *Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra.* Ipsimet Hebræi cùm oriretur aliqua in deserto tribulatio, idem obiiciebant murmurantes, nimirum eductos se de Ægypto, vt interficerentur seu morerentur [c]. Efficax visum est hoc idem argumentum, ne Dei contemneretur nomen & honor, Iosue [d], Dauidi [e], Azariæ [f]. Qua de re actum quoque aliàs.

Paraphr. b c. 32.12. c Ibid. c. 14. 11.12. c. 16. 3. cap. 17.3. Num. 11.1. & seq. c. 14. 1. & seqq. c. 20.2. & seq. cap. 21.4.5. Deut. 1.27.

Ne fortè dicant habitatores terræ.] Hebraicè (*ne fortè dicant terra*, פֶּן יֹאמְרוּ הָאָרֶץ *pen iomeru haarets.*) Terra ponitur seorsim quandoque pro incolis & habitatoribus eius; vt cùm promittit Deus non futurum diluuium dissipans terram [g]; & arcum in nubibus fore signum fœderis inter ipsum & terram [h]: cùm ingredi dicitur quis viam vniuersæ terræ [i], nempe moriendo: turbare terram [k], commoueri terra à facie Dei [l]; consurgere terra aduersus aliquem [m]: Deus rex magnus super omnem terram [n]: vocare terram [o]; terra iubilare ei [p]: & laudare illum [q], &c. item cùm quis iudicare terram [r], vel suscitare [s]: terram sustinere sermones alicuius [t]: quispiam esse sal terræ [u]; tolerabilius esse terræ Sodomorum & Gomorrhæorum [x], &c. Quamquam concedenda etiam sit aliquando prosopopœia, per quam res inanimatæ animatarum ac intelligentium quoque personam induere videntur.

Explanatio. Terra pro incolis. d Iof. 7.9. e Ps. 78.10. Ps. 113.2. secund. Hebr. f Dan. 3.43.44. g Gen. 9.11. h Ibid. v. 13. i Iof. 23.14. 3 Reg. 2.2. k 1. Reg. 14.29. l 1. Par. 16.30. m Iob 20.27. n Ps. 46.3. o Ps. 49.1. p Ps. 65.2. q Ps. 68.35. r Sap. 1.1. s Esa. 49.8. t Amos 7.10. u Mat. 5.13. x c. 10.15.

De qua eduxisti nos.] Sic breuiùs & clarius, quàm iuxta reliquas editiones (*vnde eduxisti nos illinc.*) Cæterùm personam suam coniungit Moses cum populo; & aliquando seiungit secundùm varios affectus. Intererat verò nunc priore modo loqui; quoniam ipso Deus fuerat vsus ad educendum populum ex Ægypto.

Non poterat Dominus.] Inseritur ab aliis editionibus (*dicendo*, vel *dicentes*) per vsitatum pleonasmum.

nasmum Hebraicè מִבְּלִי יְכֹלֶת יְהוָה *mibbeli secholeth Iehouah*, *à non posse*, (seu *propter non posse Dominum*; vel, *à non potestate Domini*) id est, quia non potuit Dominus, vel potestas non fuit Domino. Est enim יְכֹלֶת *secholeth* aut verbũ infinitiui modi, à יָכֹל *iachal*, pro יָכֹל *iachol*, quod ipsum יָכֹל *iachol* est etiam formæ præteriti: aut nomen verbale quemadmodum de יְשֹׁנֶת *senoscets* à יָשַׁן *iasan* traditur. Eadem phrasis extat libro [a] priore, vbi legimus in editione nostra, *non poterat introducere populum*, &c. Nescio an Moses intelligat Ægyptios ita de Deo obloquentes, ipsum appellaturos fuisse nomine ineffabili Iehouah: nisi forsitan quòd aliquando de illo quidpiam inaudiuissent, irrisuri credantur.

a c.14.16.

Introducere eos in terram, quam pollicitus est eis.] Habent editiones aliæ (*dixit* דִּבֶּר *dibber*, מִלֵּל *mallel*, εἶπεν.) Quando loquitur Deus de re quam velle se dare significat, tam certò loquitur, quàm si polliceretur. Quo ferè sensu imperium Domini dicebatur paulò [b] antè, quod editiones aliæ vocabant verbum. Etymon Latini verbi omitto, à pollice & licendo, quòd qui licebatur, digitum tolleret. Veteres Grammatici docent quòd pollicemur sponte, siue vltrò; promittimus rogati, ita vt pollicitatio dici solest solius offerentis promissio. Confunduntur tamen notiones. *Nec mehercule*, ait Cicero [c], *minus ei prolixè de sua voluntate promisi, quàm eram solitus de mea polliceri.* Legi hac de re postea Lælium [d] Bisciolam nostrum. Deo conuenit potiùs dicta notio pollicendi, quia gratis, vltrò, sponte, liberaliter etiam non rogatus, ac priusquam rogetur offert, inuitat, promittit, &c. Promittendi verbum & promissio in præsenti proposito Scripturæ [e] vsurpant.

b v.23. Pollicendi verbum, eiusque etymon.
c l.7. epist. fam. epist.5.
d tom.1. hor. subsciu. l. 7.c.11.
e Num.10. 29. Deut.10. 9. Ios.9.24.

Et oderat illos.] Hebraicè (*& ab odio eius*, וּמִשִּׂנְאָתוֹ *vmissinatho*) id est, propter odium quo prosequebatur nos. Vnde colligi potest in alio membro יְכֹלֶת *secholeth* esse nomen, sicut est nomen in regimine à שִׂנְאָה *sinah* à verbo שָׂנֵא *sana* odisse. Ipsosmet Hebræos quando murmurantes noluerunt ascendere ad terram promissionis dixisse legimus cap.1. [f] *Odit nos Dominus; & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.* Eo loco est etiam nomen idem huius loci Hebræum. Ibidem verò docui propriè Deum non odisse vllum, quatenus ipsius opus [g] est, sed quatenus operatur iniquitatem [h]. Adde illum qui obseruat vanitates [i]: præterea oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, eum qui seminat inter fratres discordias [k]. item execrameorum erroris [l], solemnitates peccatorum [m], cultum deorum alienorum [n], domos superborum [o]: qui malum contra amicum suum cogitat, & iuramentum mendax diligit [p]: facta Nicolaitarum [q], id est, illicitas libidines; impium impietatemque eius [r]. Valent hæc omnia contra illos, qui cum Manichæis Deum facinnt causam & auctorem malorum, nec verentur asserere æquè auctorem fuisse traditionis Iudæ, atque confessionis Petri fuit.

f v.27.
g Sap.10. 25. c.11.25.
h psl.5.6.
i psl.30.
k Prou.6. 16. & seqq.
l Eccl.18. 28.
m ... 1.13. & seqq. Am. 5.21.
n Ier.44.3. 4.
o Amo.6. 8.
p Zach.8. 17.
q Apoc.2.6.
r Sap.14.9.

Idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine.] Particulam primam rectè adhibuit Interpres; quæ latet in aliarum editionum alia particula, præcedentibus membris conuenia מִבְּלִי *mibbeli*, & מִן *min* מִדַּלֵּת *middeleth*, & מִדֵּי *midde*, ... τὸ μὴ, & τὸ μοῦ; quæ significant eo quòd non, & eo quòd.

Vers. 29.] Qui sunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

Efficax postrema ratio; quasi diceret Moses, vt Caietanus considerat: Considera quòd ipsos semel elegisti, & effecisti populum tuum, & hæredem tuum, & redemisti: vt quamuis ipsi non mereantur; tua tamen opera erga eos merentur, vt miserearis eorum. Iam prius [a] admonui Mosem Deo suggessisse in oratione pro populo, hunc esse populum Ipsius, & hæreditatem ab ipsomet redemptam in magnitudine sua, & quem eduxerit de Ægypto in manu forti.

Paraphr.
a v.26.

Qui sunt populus tuus, & hæreditas tua] In cæteris editionibus (*& hi populus tuus*, &c.) Quod citato loco declaratum est, ac nominatim cur diceretur hæreditas Domini.

Explanatio.

Quos eduxisti in fortitudine tua magna.] Exprimitur Græcè (*de terra Ægypti*, ἐκ γῆς αἰγύπτου.) Io Exodo [b] (*quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna.*)

b c.32.11.

Et in brachio tuo extento.] Sic antea [c] brachium extentum cognominatum vidimus in simili sententia: & aliàs excelsum, quod propriè valet Græcum nomen ὑψηλὸς: nec ita benè vim Hebræi נָטוּי *natus* reddit, vt Eugubinus quidem sentit. Nam hac phrasi Hebraica, inquit ille, vehementissimus ictus significatur, quem brachio esporrecto incutimus. Addit verò per brachium excelsum, vt LXX. transtulerunt, intelligi posse vim diuinam, fortitudinem admirabilem, ac prodigiosam, cœlestem excelsámque virtutem: in his non multum discriminis esse; nec scrupulosiùs tractanda ac perquirenda. De multiplici acceptione brachij apud sacras literas fusè disserit Rutilius [d] Benzonius pro fortitudine siue robore, pro Dei virtute gubernatiua, vel operatiua; pro Ecclesia, pro prædicatore, pro auctoritate, pro Christo ipso, pro tyrannide, violentáve potestate: item pro brachio formationis, expugnationis, liberationis, protectionis, congregationis, portationis, gubernationis, amplexationis. Petrus [e] Bercorius brachium pro potentia & fortitudine, distinguit in diuinuio & humanum, illud attribuit Filio Dei, cuius velut ossa sit deitas, medulla anima, caro, reliqua substantia carnea; per ossa iustitia designetur, per carnem clementia: puniat verò, redimat, defendat: posterius vt dextrum, sit spiritualis potentia; vt sinistrum sæcularis; primum defensiuum, secundum defectiuum, idque tripliciter, quoniam aridum, fluidum, inualidum. Addit brachia superiora sanctorum Ecclesiæ triumphantis; Inferiora iustorum militantis, tum diuitum, tum pauperum, quorum hi iuuantur ab illis: interiora virtutum intra animam latentium: exteriora operum corporis extrà manantium; vt quemadmodùm lethale in ægro signum denudatio dilaceratióve brachiorum suorum, sic in peccatore, quando per iactantiam opera sua bona vel mala denudat, & publicat.

c c.4.34. c. 5.15. c.7.19.
Brachij acceptio multiplex.
d in cant. Magnif. l.3. c.14.
e repertor. mor. verbo brachium.

bucar. Denique bina brachia de gemina interpretatur caritate: quam si perdat & quasi sua illa sepeliat brachia, pessimus euadat, perinde vt sine suis cancer sepultus efficitur scorpio,

a Ouid. 15. metamorp.

Concaua littoreo si demas brachia cancro;
Cætera supponas terra de parte sepulta:
Scorpius exibit, caudáque minabitur vnca.

Colligit postremò auctor sylnæ allegoriarum significationes mysticas de vi gubernatiua Dei, aut Deo; vi operandi, virtute miraculorum; diuinitate in Christo; Christo ipso, aut virtute eius; donis Spiritus sancti, Ecclesia, sanctis, Apostolis & prædicatoribus; proximo, operibus, facultate sacrificandi, dignitate, solatiis diuinæ gratiæ, fortitudine seu fulcimento, vindicta, vi diaboli, discipulis hæreticorum, antichristo, violentia tyrannidis, &c.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI.

REDIT Moses ad narrationem de secundis tabulis, quam priore capite posuerat, dum persuadere vellet quoties Hebræi rebellassent aduersus Deum, & hic à se pro peccatis eorum exoratus fuerit: ita vt possessionem optimæ terræ ineundam ascribere nec debeant, nec possint meritis propriis. De tabulis autem secundis refert inclusas à se fuisse in arcam religionis causa & venerationis: atque inde oblata occasione, quo pacto destinata fuerit Leuitica tribus ad munera sacra, maximè ad circumgestandam arcam. Deinde memorans iniunctum sibi denuò ducis officium, vt eo rectè fungatur, admonet Dominum in primis timendum, eiusdémque præcepta executioni mandanda, cùm sit adeò in seipso excellens, & erga populum suum beneficus; ac idcirco planè dignus, quem ex corde colat, diligentérque imitetur, & quidem nominatim benè peregrinis faciendo.

CAPVT DECIMVM.

1. IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem: faciésque arcam ligneam,

2. Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponésque eas in arca.

3. Feci igitur arcam de lignis setim. Cúmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.

4. Scripsitque in tabulis, iuxta id, quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

5. Reuersúsque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ huc vsque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.

6. Filij autem Israël mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, vbi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius.

7. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Ietebatha, in Terra aquarum atque torrentium.

8. Eo tempore separauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius vsque in præsentem diem.

9. Quam ob rem non habuit Leui partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.

10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudiuitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.

11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, vt ingrediatur, & possideat Terram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis.

12. Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua:

13. Custodiásque mandata Domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene sit tibi?

14. En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt:

15. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis Gentibus, sicut hodie comprobatur.

16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius:

17. Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui

qui personam non accipit, nec munera.

18. Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.

19. Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in Terra Ægypti.

20. Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies: Ipsi adhærebis, iurabísque in nomine illius.

21. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui.

22. In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

Vers. 1.] In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciésque arcam ligneam:

Vers. 2.] Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas antè confregisti, ponésque eas in arca.

Paraphr. PEndet huius intelligentia loci ex opinionibus de Mosis ieiunio in monte per dies & noctes quadraginta; vtrùm bis tantùm, an etiam ter, contigerit; quod enim quater, longiùs abest à probabilitate. Videtur porrò iuxta communiorem & veriorem de solis duabus quadragesimis, tempus nunc indicari secundæ; quando post confractas primas tabulas, ob idololatriam populi, Moses ad precandum pro illo in montem se contulit eumdem, vbi primam celebrauerat. Igitur Mosi hac secunda vice in monte cum Deo versanti, præcepit Deus, vt tabulas primis similes ex lapide appararet: quibus eamdem legem ipsemet Deus inscriberet: illas verò Moses postea in arca collocaret, de qua iam antè primi ieiunij tempore, cum aliis ceremoniis, formam præscripserat. In Exodi c. 25.[a] arcæ forma describitur: in 34. narratur iniunctum Mosi post peccatum adorati vituli, & alia inde consecuta, vt præcideret duas tabulas lapideas instar priorum, & ascenderet manè in verticem Sinai solus: in 37.[b] habetur arcam confectam à Beseleel. Lyranus, & Abulensis[c] refellunt meritò R. Salomonem affirmantem quòd arca, cuius hic mentio est, non fuit illa celebris, quam fabricauit Beseleel, cognominata fœderis, testamenti, testimonij, immò & Dei; atque intra Sancta sanctorum Inclusa; quoniam hîc paulò[d] pòst ait Moses, cùm descendisset de monte, posuisse tabulas in arcam, quam fecerat, quæque eo vsque, cùm nempe loquebatur, annis ferè quadraginta ab illo tempore, quo eas acceperat, & ibi posuerat, adhuc intra illam erant. Responderi posset priùs positas in arcula, quam fecerat Moses, dum Beseleel aliam construeret. Sed præferenda sententia communis, dicendúmque Mosem hoc libro narrantem ea quæ per annos 40. contigerant, ordinem exactè non seruasse: atque de tabulis nouis loquendo, inseruisse obiter præceptum de arcæ fabricatione; quamuis ad primos 40. dies pertineret. Capite præcedente de tabulis legis lapideis primis ac secundis quæ diximus, ad præsentem locum transferri possunt. Repetit autem Glossa in parte morali, per primas quæ fractæ sunt, designatum vetus Testamentum, quod factum est irritum, quantum ad ceremonialia præcepta & iudicialia; per secundas, quæ remanserant integræ, nouum, quod est permansurum (id pridem antè retulimus ex Augustino[a]:) in primis hominem nihil operatum, sed in secundis; quia tempore veteris Testamenti, Deus non erat homo, sed tempore noui: secundas positas in arca de lignis imputribilibus, quia lex euangelica imponitur animæ quæ immortalis est, atque per gratiam à putrefactione peccati conseruatur; seruare autem debet illam per veram & firmam fidem caritate formatam; deputatos Leuitas ad eam portandam, id est, Sacerdotes euangelicos, & maximè curam animarum habentes, per exempla bonæ vitæ, & hortamenta sanæ doctrinæ, & opera misericordiæ. Præcepto tabulas in arca condendi, Hugo instrui nos dicit; vt diligenti memoria verba sacræ Scripturæ custodire studeamus: per ligna imputribilia & incremabilia, quòd doctores legis & prædicatores, in quibus quasi in arca lex debet custodiri, debent semper esse intus virides per sinceritatem conscientiæ, rectitudinémque intentionis; & exteriùs fortes contra incentiua vitiorum. Adde censeri tabulas frangi, quando aliquod præceptum per præuaricationem infringitur: reparari, quando fractioni præcepti opponitur fractio contritione cordis: poni in arca ornatissima, intráque Sancta sanctorum, cùm diligentissimè custodiuntur: obtineri ab ascendente seu secedente in montem per contemplationem, cum oratione, atque ieiunio: ferentis, id est, exequentis, vultum animæ splendore fulgere gratiæ: in cuius tabulis cordis carnalibus, hoc est, quia flexibilis & humilis, tanquam in epistola[b] Christi, scripta lex est. Cæterùm ex eo quod arcam fieri Deus imperauit pro tabulis legis, sequitur probabilem satis opinionem esse, de qua egimus alibi, fuisse solas tabulas in arca; virgam, & vrnam, quæ continebat manna, de quibus videtur etiam affirmare Paulus[c], iuxta ipsam; cùm in 3. Regum[d], & in 2.[e] Paralipomenon scribatur, quòd nihil aliud erat in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto. Certè arcæ parua dimensio non facilè admisisset virgam quæ longior erat: vtpote qualis pastorum, vel peregrinantium. Constabat namque arca longitudine duorum & semis cubitorum, latitudine cubiti & dimidij, altitudine cubiti & semissis[f]. Est plurium epistolæ ad Hebræos Interpretum hæc opinio, de cuius auctoritate canonica prorsus immeritò dubitant quidam, inter alias causas, propter istam; & Caietanus malè asserit auctorem illius non esse assecutum quæ scribuntur in Exodo & in libro Numerorum de manna ad hoc propositum pertinentia: nec alij consentaneè Paulo loquuntur, scribenti de tabernaculo, cum agere de templo, seu de tempore, quo id iam exercitatum erat; agit enim de tabernaculo Moysi. Lex Dei est in corde iusti[g]; tanquam in arca, quando incorruptum est per puritatem: & deauratum per caritatem: adhibendo manna quod iuxta arcam erat, & virgam, hoc est, gratiam nutritoris Christi, ipsummétque corpus eiusdem; & errorum conuenientem castigationem.

Explanatio. *In tempore illo dixit Dominus ad me.*] Dixi tempus

[a] v. 10. & seqq.
[b] v. 1. & seqq.
[c] q. 1.
[d] v. 5.
[a] q. 15.
[b] 2. Cor. 3. 3.
[c] Hebr. 9. 4.
[d] c. 8. 9.
[e] c. 5. 10.
[f] Exod. 25. 10.
[g] ps. 36. 31.

tempus illud fuisse, quando Moses in monte orabat diebus illis 40. post idololatriam populi. Quare non probo quod Marzilla sentit, id contigisse, postquam completa secunda quadragena descenderat in castra, ibique construxerat tabernaculum quoddam ad breue tempus mansurum; ad cuius tabernaculi ostium spectante populo, cum Domino sit locutus, mandatúmque ibidem acceperit de conficiendis secundis tabulis. Quæ recitantur in ecclesiastico officio ex Euangeliis cur vt plurimum ordiamur ab illis verbis (*in illo tempore*) ex aliis historiis factis, quibus epistolæ nomen generaliter tribui solet, ab istis (*in diebus illis*) quodam loco annotauisse me memini.

Dola tibi duas tabulas lapideas.] In Exodo [a] (*præcide*) eùm tamen editiones reliquæ vtantur verbis quæ hic sunt פסל *pesal*, quod est idem in Hebræa, & Chaldæa, atque λάξευσον: & prætetea verti potuisset (*sculpe*) vel (*excide*) quod vltimum idem Interpres ibidem posuit paulò [b] pòst pro eodem Hebræo verbo, à quo Chaldæum non differt, próque Græco Hieronymus [c] λαξευτήριον *dolatorium* exponit. Pronomen autem (*tibi*) nullam peculiarem vim habet; sed vt in aliis ex Hebræo idiotismo additur. Quare ineptè R. Salomon explicat in tuum commodum; quasi ex quadam sapphiri vel iaspidis massa, quam Deus denuò condiderit, & Mosi ostenderit, dolauerit is tabulas; ex fragmentis verò illius valde ditatus fuerit, quemadmodum ea primarum tabularum, quas confregerat. Idem figmentum aliorum Hebræorum de lapide smaragdino. Durum verisimile est lapidem fuisse siue siliceum, siue marmor. Neque admodum probabilis coniectura Caietani dictum (*dola*, seu *præcide tibi*) non (*mihi*) id est, non indigeo tua dolatione, sicut nec tuis tabulis: prima siquidem vice ego tabulas dedi, & dolaui, & scripsi, tanquam ex me operans; modò autem tuis precibus operaturus, volo vt doles tu tabulas; ego autem scribam. Dictæ formulæ Oleaster in c. 34. Exodi ad hoc propositum affert aliquot exempla; quod alias ipsi quoque fecimus. Tabularum porrò nomine lapides appellari notat Abulensis ob similitudinem cum tabulis ligneis, quibus id nomen propriè competit, quoniam erant longiores quàm latiores, & parum profundi, vt facilè gestari possent: & quidem vna Mosis manu vnus, alter altera, vt ipse putat. Deducit Iulius Cæsar [d] Scaliger tabulam à taba quod non extat, & à τείνω, *extendo*, quoniam tabulata in ædibus extendebantur. Vnde tabulæ seu tabellæ ligneæ, in quibus olim scribebatur, & tabellarius epistolas perferens, & tabellaria lex, qua populus iubebatur tabella suffragium ferre: tabularium quoque ac tabellarium, de quibus noster Lælius [e] Bisciola. Fortassis porrò inter scribendum de mysticis rationibus, quæ spectant ad ceremonias, excidit Aquinati [f], vt quia dum ageret de arca, meminerat priùs tabularum legis, quæ lapideæ erant, arcæ impositam tabulam, cui nomen propitiatorium, diceret esse lapideam; cùm sine dubio esset lignea, vel aurea tota. Ac fieri potest, vt ex manuscriptis hic error corrigi queat, sicut fecisse se profitentur qui summam Romæ anno 1619. minimis voluminibus edendam curarunt. Cæterùm qui se primis tabulis vltrò ac liberaliter à Deo datis, reddiderunt per idololatriam indignos Hebræi, vi propterea Moses eas confregerit, proprio labore iubentur nouas parare & impetrare, sicque in posterum post pœnitentiam diligentiùs custodire. Tale quid euenit nonnunquam diuina dona peccando amittentibus, deinde verò pœnitendo recuperantibus, maioreque cura conseruantibus. Potuit proculdubio Deus reparare fractas easdem tabulas: & quod aliqui arbitrantur fecisse, diuinitus exarare, seu sculpere in tabulis nouis. At non facilè ad miracula recurrendum: operamque humanam adhiberi Deus etiam vult: & vt non viderentur leges tanquam inuitis obtrudi; sed maximè volentibus concedi: sicque iidem easdem tanto studio impetratas, maiore etiã sollicitudine custodirent. Qua in re Cyprianus [a], aliúsve considerat quòd populus prior secundùm carnem ambulans & viuens, diuinis colloquiis & spiritalibus mandatis ostensus est indignus: Testamenti nouí veritas indissolubilis permansit, eo quòd ablatam gratiam humiles susceperant, & filius hominis inter pauperes spiritu inuenit sibi domum, in qua caput reclinaret: sicque meritò reprobatos visibiles tabulæ inuisibilis Dei indiearunt contemptores, & ampliori dignos honore incarnati Verbi credulos auditores, & deuotos veneratores.

Sicut priores fuerunt.] Adiecit verbum Interpres: & primas æquè reddere potuit, prout extat in editionibus aliis, quarum Hebræa & Chaldæa carent comparatiuis; Græca hic vtitur positiuo. In Exodo [b] (*instar priorum*) vbi editiones aliæ omnino sicut hic. Priores autem, seu primæ fuerunt lapideæ; videtúrque præceptum Dei de secundis esse, vt ea eodem lapide, forma, & quantitate eadem cum illis constituerentur, quæcumque demum lapidis species esset; quam fingere R. Salomonem dixi fuisse sapphirinam.

Et ascende ad me in montem.] Citato Exodi loco [c] (*esto paratus manè, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque, & oues non pascantur è contra.* Quando primas tabulas dedit Deus, admissus est populus intra certos terminos montis, siue ad radices illius: & audita sunt tonitrua, clangor buccinæ, tremor montis; Angeli vox tubalis Decalogum proclamans: visa fulgura seu lapides ignis, fumus, caligo, pluuia & procella; Aaron verò cum Mose ascendit [d]. Nunc ista desunt; vt & tunc iniuncta populi sanctificatio ante triduum, per vestimentorum lotionem, & continentiam ab vxoribus; quia indigni erant ob idololatriam tam illustribus signis; tam satis dispositi, per tot millium interfectionem, confractas primas tabulas, contritúmque vitulum, ad legem denuò recipiendam: prima etiam vice nimiùm territi, petierant vt Moses ipse loqueretur, non Dominus, ne fortè morerentur [e]. Videtur autem Deus pridie dixisse Mosi in monte, sub matutinum tempus; vt descenderet in castra, ibique tabulas præcidi ac dolari curaret: iussóque populo in castris consistere, ipse rediret sequenti nocte, vt se manè cum tabulis Deo sisteret, & ab ipso Decalogum in iis exaratum, reciperet. Quamquam Caietanus & alij velint illud manè non esse diei immediatè sequentis, quia plus temporis exigeret dolatio lapidum, sed vt præparatis tabulis non quacumque hora, verùm matutina, ascenderet in montem. Magna requiritur ad gratiam recuperandam diligentia, vigilantia, seu vigiliarum anticipatio ad deprecandum Dominum pro delictis [f].

Faciésque arcam ligneam.] Hic quoque est (*tibi*) iuxta cæteras editiones vsitato Hebræo idiotismo: nec propterea denotat commodum inde à Moyse

Marginalia (left column): a c. 34. 1. — b v. 4. — c epist. ad Sanctam sub fin. — Tabula pro lapidibus. — d de ling. Lat. c. 31. Tabula vnde. — e tom. 1. l. 20. c. 26. — f 3. q. 102. a. 4. ad 6.

Marginalia (right column): a de Spiritu S. — b c. 34. 1. — c v. 2. 3. — d Ibid. c. 19. 12. & seqq. vsque ad finem, & c. 20. 18. Hebr. 12. 18. — e Exod. 20. 19. — f Psal. 76. 5. Prou. 8. 34. Eccl. 39. 6.

Moyse reputandum, vt de lapideis tabulis comminiscebatur R. Salomon, quas eadem phrasi Moses iussus est dolare, siue præcidere sibi. De hac arca lignea facienda nullum verbum in Exodo, quando distinctè narratur datum de secundis tabulis præceptum, sed seorsim priùs valde accuratè, quatenus eam significat, quæ tabernaculi intra Sancta sanctorum erat includenda; nec aliam pro tabulis antea factam, superiùs docui. Quoniam autem obiter dumtaxat arcæ istius hic mentio fit, disputationem de illa prætermittemus, ad Exodi enarratores lectorem remittendo; vel qui de templo tractant. Certè ligna Settim, hoc est, speciem cedrorum maximè duram & compactam, in Arabiæ desertis orta, fortassis vbi Israel initiatus est Beelphegor [a], corruptionis propemodum experta & ἄσηπτα, *imputribilia*, concedo; non ita verò, vt hoc loco Hugo asserit, incremabilia. Hieronymus [b] fortissima vocat, & imputribilia, & incredibilis leuitatis ac pulchritudinis, similia spinæ albæ colore & foliis. Abulensis hoc loco recitat ex R. Salomone, quem etiam sequitur; plantatum hoc lignum à Iacob in terra promissionis, præuidente inde conficiendam arcam: cùm descendit in Ægyptum, radices illuc comportasse, ac ibi plantasse: egressos Hebræos secum detulisse. Reiicit præterea dicentes natum apud montem Sinai: aut quod paulò antè indicatum est, vbi Hebræi fornicati sunt cum Moabitis & Madianitis.

Settim quod ligni genus.

a Num. 25. 3. ps. 105. 28.

b in Esa. 41. & in Ioel. 3. & in Mich. 6.

Et scribam in tabulis.] Quia versu 4. habetur quod scripsit Moses, vt & in Exodo [c], vbi tamen etiam ipsemet Deus dixerat se scripturum, respondet Hugo ex aliorum opinione, quòd scripsit Dominus auctoritate, Moyses ministerio. Sed quia dici posset eadem ratione quòd scripserit Dominus iudicia, & omnia alia quæ sunt in lege, cùm eius auctoritate scripta sint, respondet Dominum per Angelum dictante, Mosem scripsisse: cùmque legitur (*scribam*) exponendum scribi faciam dictando; cùm (*scripsit*) id est, scribi fecit. At in Exodo [d], cùm inducitur Deus, præcipiens Mosi vt scribat verba, quibus & secum, & cum Israel pepigerat fœdus, agitur de ceremonialibus præceptis proximè ibi antè datis, & propterea de aliquo libro, nō de tabulis. Sed cùm statim [e] subditur quòd postquam fuisset Moses cùm Domino in monte quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedens, & aquam non bibens, scripsit in tabulis verba fœderis decem, id est, Decalogum, atque inde descendens tenebat duas tabulas testimonij, videtur de ipsomet Domino intelligi quod scripserit; licèt de Mose interpretentur Augustinus [f], & Cyprianus seu alius auctor operum cardinalium [g] Christi, necnon Hugo [h], Rickelius [i], Mariana [k] noster, Marzilla [l], Magister [m] historiæ scholasticæ. Quamuis enim proximus de Mose præcesserit ibi sermo; tamen Hebræo more, sæpe vel verbi suppositum intelligitur, vel aliquod remotius adsciscitur, præsertim si notum est, aliásve nominatum. Quia ergo capitis illius initio Dominus dixerat se scripturum legem in tabulis, quod ipsum hîc repetitur (non est autem verum apud LXX. esse initio dicti cap. 34. Exodi, *scribes*, vt ait Rickelius, est enim γράψω: quamuis hîc sit γράψεις in Sixtinis bibliis:) sequitur dicto alio loco Exodi verbum (*scripsit*) referri debere ad Deum: quòd idem verbum hîc versu 4. clarè pertinet ad eumdē (*scripsitque in tabulis iuxta id quod scripserat verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos*, &c. Tuentur hanc sententiam Caietanus, Oleaster, Lyranus (licèt meminerit aliarum opinionum) Abulensis, Ystella, Sa, & Cornelius noster, Leonardus Marius, Vatablus in Exodi c. 34. ibidémque sic intelligi posse Conradus Pellicanus hæreticus fatetur, & alij, iterúmque idem repetit hoc loco Abulensis. Quin etiam Hieronymus [a] fauet, scribens quòd nec secunda conscriptio tabularum absque ieiunio potuit impetrari: & quod ebrietas perdiderat, inedia repetit: ex quo ostendatur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti [b].

c c. 34. 28.

d c. 34. 27.

e v. 28. 29.

f Ibid. q. 166. & hic q. 15.

g tract. de Spiritu S.

h in Exod. 34. & hic.

i ibidem.

k in Exod. 34.

l ibidem.

m in Exod. c. 77.

a 2. contra Iouin.

b Gen. 3. toto.

Verba quæ fuerunt in his quas antè confregisti.] Iuxta editiones alias (*in tabulis primis.*) Infert porro Abulensis, Mosem non peccasse, tabulas priores frangendo; quia Deus faciens mentionem de illa fractione, non redarguit eum: solitus quoties aliquod peccatum recolit, id redarguere; quemadmodum præcedente capite legimus de peccato Israëlitarum colentium vitulum, & de peccato Aaron fabricantis illum.

Ponésque eas in arca.] Arcam istam diximus non fuisse distinctam ab arca fœderis: sed obiter de arca fœderis mentionem fieri, quoniam in ipsa tabulæ legis poni debebant.

Vers. 3.] Feci igitur arcam de lignis Settim. Cúmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.

QVod præceperat Deus, vt in arca tabulæ lapideæ posteriores legis ponerentur, prioribus similes, executum se dicit: sed suo postea tempore, id est, cùm iam scriptas recepisset in monte, dolatas priùs. Nec improbabile est de primis idem futurum fuisse, si non frangerentur, hoc est, vt in eamdem arcam includerentur, eáque ipsa de re datum à Deo præceptum cum reliquis ceremonialibus, quæ protulit Deus prima vice in eodem monte, quando illas tradidit. Quo autem pacto Moses tabulas dolare potuerit, respondet Abulensis, aut quia Deus in deserto parauit instrumenta: aut potiùs, quòd in castra descenderit; quoniam iniunctum est ei vt ascenderet solus, quemadmodum antea diximus. Docet præterea similes fuisse posteriores tabulas prioribus quantum ad materiam, figuram, quantitatem, res inscriptas ex vtraque parte, seu intus & foris, ac quidem in vna tabula tria præcepta, quæ spectabant ad Deum; in altera septem, quæ ad proximum.

Paraphr.

Feci igitur arcam.] Illatiuam particulam vsurpauit Interpres pro coniungente: quæ tamen illi vsui seruit nonnumquam. Fecisse autem dicitur Moses; quia fieri curauit per opificem, siue is fuerit Beseleel, siue alius; sed ille potiùs, præsertim posita communiore opinione, quòd sit sermo de arca fœderis. An tantisper quo tempore dolatæ sunt tabulæ, arca dicta fœderis fabricata fuerit, nescimus. Si fabricata non est, interim condi tabulæ potuerunt in aliquo honesto loco, seu loculo. Sed arca quam fecit, fierive curauit Moses, non differt ab arca fœderis, vt iam non semel monui.

Explanatio.

Arca, idem quod arca fœderis.

De lignis Settim.] Hebraicè שִׁטִּים *scittim*, & Chaldaicè cum litera *nun* in fine שטין *scittin*: quæ vocantur Græcè ἄσηπτα, *imputribilia*. De istis lignis antea dixi: & sub nomine Settim sæpiùs alibi

a c.25.5.10. 15.25.28.c. 30.15.16. 31.37.c.27. 1.6.c.30.1. 5.c.35.7. 24.c.36.20. 31.36 c.37. 3.4.10.15. 25 18.c.38. 3.6.

Ligna Setim.

b c 41.19.

alibi meminit scriptura in Exodo [a] non geminando literam tertiam: editio autem Græca semper vertit eo nomine quod modò retuli. Quod ligni genus diximus paulò antè recitatu quid alij sentiant. Bagnious in thesauro inter cedri species optimá scribit esse, atque memoratas antea aliorum sententias opinionesque. Numero singulari apud Esaiam [b] est שטה *scittah*, ubi vertitur ab Interprete *spina*; & à Hieronymo qui putatur idé cum illo, at, vt priùs dixi, quemadmodum & in Loëtis c.5. esse genus arboris in eremo Arabiæ, spinæ albæ, simile colore & folijs, non magnitudine: cùm tam grandis reperiatur, vt latissima ex illis tabulata cædantur; nec inueniatur in locis cultis & in Romano solo. Antea item significaui, mihi non placere quod Hugo appellet ista ligna incremabilia, si simpliciter id accipiatur. Alioqui ex Onetense [c] Simon [d] Maiolus prodit in noui orbis litoribus reperiri ligna intra mare excisa, tanta duritie, vt ossea videatur, colore nigerrima, lapideo cortice, quæ igni admota, numquam aliter ardere possint, quàm pisciom abdomine addito. Vt omittá quis gallinaceis perfusa ligna non ardere, immò nec vestem [e], aut si alumine oblinantur [f]; præterea Conem arborem, quæ nec igni, nec aqua corrumpi potest [g]; laricé, ex qua tabulæ tegulis affixæ flammam repellunt; & quamuis amburantur, carbonem non efficiút [h]. Ex Hieronymo, & Vincentio Bellouacensi narrat Simon Maiolus [i] altaria quod fieri Deus iussit, ligna de paradiso fuisse, illa nempe ipsa quæ Setim vocantur, igne vicino eremata non esse, sed puriora reddita: cùm etiam amianthon genus ligni quàto plus arserit, tanto mundius inueniatur. Nec amianthum reperire potui, nec Hieronymi, aut Vincétij locum: & quod præcipitur de altari, non est in cap.27. Leuitici, vt Maiolus ex Hieronymo ettat, sed Exodi: nec ligna Setim videntur ligna paradisi fuisse.

c 10. hist. c.11. d tom.1. dierum canicul.collo. 21.

e Plin.l.29. c.3. f Gell.l.15. c.7.ex. Q. Claud.annal.19. g Plin.l.13. c.22. h Ibid. l.17. c.7. etym. i supra.

Amiáton lignum.

Cùmque dolassem duas tabulas lapideas.] In Exodo [k] (*excidit ergo duas tabulas lapideas.*) Vtrobique idem verbum est Hebræum Chaldæúmque פסל *pasal*, & Græcum λαξεύειν: & duas exprimunt omnes editiones, licèt Græca Sixtinorum codicum hic omiserit. Vtrumque fecit Moses, fierive curauit, vt & præciderentur, seu exciderentur tabulæ & dolarentur. Græcum verbum propriè lapidibus qui poliuntur conuenit: quia λαξεύω componitur ex nomine λᾶας contractóque λᾶς, quod lapidem significat, & ξέω, *polio*, & *scalpo*. Quomodo id factum antea dixi.

k c.34.4.

Instar priorum.] Ita etiam in Exodo [l] (*instar priorum, & quales antea fuerant.*) Ex quo Moses primas tabulas & earum scripturam conspexit, potuit iuxta earum exemplar formare, ac scribere alias, inquit Rickelius [m]; & ad maiorem superbi ingratique populi humiliationem, datæ sunt ei secundò tabulæ ab homine factæ atque descriptæ. Supponit à Mose scriptas, quod antea minùs probaui.

l sup. v.1. & 4.

m ibidem.

Ascendi in montem.] Sic iusserat Deus, vt nimirum, præcisis tabulis, ascenderet statim manè in montem Sinai, vsque ad verticem, exclusis omnibus à toto monte, prohibitisque etiam bobus & ouibus pascere iuxta [n] illú. Erat matutinum tempus ad spirituales actus aptius, volens Deus gloriosiore forma Mosi apparere quàm prima vice; ac nondum satis placatus Aaroni populóque noluit alium admittere: Moses diligentissimè obediens, de nocte consurgens ex castris aliòve loco infra montem, in hunc ascendit.

n ibid.v.2. 3.

Habens eas in manibus.] Hebraicè (*& duæ tabulæ* *in manu mea*) Chaldaice eodem modo: quod translationis ex ea editione in Latinum auctor non bene ad verbum reddidit (*& duas tabulas lapideas habebam in manu mea*) Græce (*& duæ tabulæ in duabus manibus meis*, καὶ αἱ δύο πλάκες ἐπὶ ταῖς δυσὶ χερσί μου. Vna vnam, alteram tabulam altera tenebat manu. Ac licet vna contineret sola præcepta illa ad Deum pertinentia: tamen verbis facilè æquabant alia septem alterius quæ spectabant ad proximum. Et cùm gestarentur manibus, non valde graues, & non magnas admodum oportuit esse, cùm in arca non etiam magnæ quantitatis poni deberent.

Vers.4.] Scripsitque in tabulis, iuxta id, quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

Exhibuit Moyses reuersus in montem præcisas ac dolatas tabulas lapideas Deo, prout fieri Deus imperauerat: tunc autem Deus vt est in Exodu [a], descendit per nubem, & stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini; quo transeunte coram eo ait: *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est, qui reddis iniquitatem patrum filijs ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Moa oarratur quòd Moyses festinus curuatus est pronus in terram, & adorans, ait: *Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum (populus enim duræ ceruicis est) & auferas iniquitates nostras, atque peccata, nósque possideas.* Deinde subditur larga promissio propitiati Dei, cum aliquot præceptis iudicialibus, & ceremonialibus, quæ scribi etiam à Moyse voluit, videlicet in libro separato. Tandem post mentionem scripti Decalogi in tabolis describitur descensus Moysi de monte Sinai, tenentis tabulas, & ex facie radios quosdam eiaculantis, qui in similitudinem cornu extabant: licèt ipse id initio non deprehenderit, sed postea, cáque de causa velamen obtenderit, quando populum alloquebatur, qui tantum splendorem ferre nó valebat. Non possunt hæc omnia singillatim núc accuratiùs declarari. Probabile porrò est, verba illa (*Dominator Domine*, &c.) ab ipsomet Deo, siue ab Angelo in eius persona, prolata esse. Nam cap.33. [b] eiusdem Exodi, pollicens Deus, ostensurum se Moysi omne bonum, ait (*& vocabo in nomine Domini coram te*, &c.) & in c.14. [c] libri Numerorum, orans Moses Deum; *Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut iurasti, dicens: Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullúmque innoxium derelinquens: qui visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem;* allusit absque dubio, ad Exodi citatum locum. Sed & ibidem [d] post illa verba, *Moses curuatus pronus & adorans orasse dicitur Dominum.* Eadem demum verba in editionibus alijs tertiæ personæ sunt, non in secunda: inquiendo ab alio prolata, & non à Mose orante. Quamquam qui Mosi tribuere vellet, dicere posset, Deum transeuntem coram Mose, illa primùm protulisse, Mosem eadem repetiisse. In iisdem verbis notantur duodecim velut epitheta, quibus vult Deus ipse appellari & inuocari; dicúntque habitu

Paraphrasis.

a c.34.5.& seqq.

b v.19.

c v.17.18.

d Exod.34. 8.9.

habitudinem ipsius ad homines, eorúmque salutem. Numerant alij sic, vt dicant primum & secúdum esse potentiæ, proxima septem misericordiæ, decimum diuinæ maiestatis, cui omnes sumus rei: duo vltima iustitiæ. Sed omissa singulorum enucleatione, circa illud (*nullus apud te per se innocens est*) Abulensis [a] optimè notat hoc modo B. Virginem asseri absque originali peccato fuisse, videlicet non per se, sed ex speciali priuilegio. Spectamus auctoritate Pontificia Gregorij XV. cuius super hac re decretum fauens 2. Iunij anni huius 1622. prodiit, futorum breui, vt nulli aliter liceat loqui, nec publicè, nec priuatim, nec intra claustra cũ claustralibus, nec extrà; sed omnes, ablata omni, vt ita dicam, vmbra schismatis (neque enim adhuc vllo modo dici schisma debet, quòd à sũmo capite permittitur,) idem dicant in Ecclesia, sapiant, & sentiant: nisi perpauci malint adhuc intus dissentire, quasi sibi scientiam reseruantes, plúsque se cæteris sapere arbitrantes, ne dicam præsumentes, quod post editum nouum aliud eiusmodi decretum, de nullo catholico timendum est. Verùm prætermissis dictis omnibus post hæc memoratur eodẽ libro Exodi [b], quod fuit in monte Moyses cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem; quod Græcè in Complutensibus, Regiis, aliísque biblijs legitur (*& scripsit verba hæc in tabulis fœderis: verba decem*, καὶ ἔγραψε τὰ ῥήματα ταῦτα ἐπὶ τῶν πλακῶν τῆς διαθήκης, τοὺς δέκα λόγους) in Sixtinis correctis (καὶ ἔγραψεν ἐπὶ τῶν πλακῶν τὰ ῥήματα ταῦτα τῆς διαθήκης, τοὺς δέκα λόγους, *& scripsit in tabulis verba hæc fœderis verba decem.*) Verba fœderis dicũtur quoque in editione Hebræa & Chaldæa: vocantur autem rectè tum tabulæ fœderis; tum verba decem fœderis: imò & alia plura eodem capite priùs [c] contenta. Etsi autem verbum (*scripsit*) tam ibi, quàm hîc referri possit ad Deum, & ad Mosem: tamen ostensum est versu 2. videri satius esse, vt ad Deum referatur. Lyranus in Exodum existimans hoc idem, probat, quia non videtur verisimile, quòd Moyses ascendens in montem ad orandum Dominum, & vacandum contemplationi, portaret secum instrumenta ad sculpendum cum sonitu & malleatione. Potuit Deus, vt Rickelio [d] contrariam sectanti sententiam (licèt nostra quoque ipsi non displiceat.) concedimus, efficere vt instar mollissimæ ceræ cederent lapideæ tabulæ Mosi scribenti, quemadmodum multis, inquit, sanctis in nouo Testamento fecit saxa & rupta, ad suscipiendum signacula crucis (adde ad imprimenda proprij corporis vestigia) cedere tanquam ceram. Non item repugnat asserere solas apponente manus Mose ad scribendum, subitò miraculosè formatas literas, sicque quodammodo Mosem scripsisse & Deum. Nec adeò dedecuisset instrumenta deferre, iisque insculpere characteres in monte, vt etiam admittit Abulensis [e], qui nobiscum sentit; quamuis ederetur strepitus nonnullus: qui tamen in castris non exaudiretur procul remotis; nec Mosem ea res distraheret, cùm & parui momenti foret; & in eum finem ascendisset, vt scriberetur in tabulis: idque in Dei præsentia, vt plus auctoritatis haberent apud populum. Atqui magis expedita respondendi ratio est iuxta sententiam priùs probatam, quòd solus Deus in tabulis præcisis priùs, dolatisque à Mose, scripserit, siue personã Dei repræsentãs Angelus: ita vt quod in sæpiùs citato Exodi loco [f] dicitur Mosi (*scribe tibi verba hæc, &c.*) intelligatur de pluribus antea ibidem recitatis, non autẽ de decẽ, siue de Decalogo. Ludouicus [a] Ystella eandem nostrã opinionem secutus dicit quosdam minùs cautè trepidare, & interpretari Mosem decem verba seu præcepta dici scripsisse in tabulis vel instrumento aliquo, vel quod manum apponens ad scribendum, continuò scriptas miraculosè conspexerit: cùm de re hac nulla possit esse dubitatio; quoniam apertè Deuteronomij 10. dicitur has secundas tabulas scriptas fuisse digito, id est, opere Dei. In c. 9. [b] dicitur hoc, non in 10. nec de secũdis, sed de primis tabulis, vt planè cõstat ex contextu, vbi narratur præceptũ Mosi, vt surgeret, & descẽderet, quia populus vitulum adorauerat.

a ibid. q. 8. b c. 34. 28. c v. 27. d ibidem. e ibid. q. 2. & 3. f c. 34. 27.

Scripsitque in tabulis.] Sæpiùs monui, verbum hoc tertiæ personæ referri ad Deum. Quamuis autem de se Moses scribat non rarò in tertia persona; tamen requirit contextus id quod dixi: & quoniam sequẽtibus versibus de seipso scribit sæpiùs in prima persona. Nihil autem refert, quòd sit in editionib. aliis (*scripsit super tabulas.*) Inter alia quæ de Iudæis mentitur Diodorus [c] Siculus, illud vnum est, quod Antiochus Epiphanes captis Ierosolymis, adiens Sancta sanctorum, in iis lapideã statuam viri barba promissa, tenentis manib. librũ, insidentisque asino repererit, quam putabat Mosis esse; qui vrbem & condidisset, & gentem fundasset, & odiosas omnibus gentibus leges tulisset. Ierosolyma non vidit Moses, ac ne locum quidem, vbi condita sunt. De asino calumnia est. Libri loco tabulæ rectiùs ei appingi solent, quemadmodum liber legislatorib. aliis ac nominatim ordinum religiosorum. Alioqui præter tabulas à Deo scriptas & Mosi traditas, ipsemet Moses libros scripsit, ac nominatim eum, in quo iussum dixi scribere plura præcepta ceremonialia, & iudicialia.

Iuxta id quod prius scripserat.] In reliquis editionibus (*secundùm*, seu *iuxta scripturam primam*, כַּמִּכְתָּב הָרִאשׁוֹן *chammichthab harischon* : כִּכְתָבָא קַדְמָאָה *chichthaba kadmaah* : κατὰ τὴν γραφὴν τὴν πρώτην. Ex quibus non potest ambigi de vera scriptura intelligatur, an à Deo, an à Mose facta, quoniam priorem à Deo factam expressit caput præcedens [d]. Sed ex editione nostra sequitur scripsisse Mosem eo modo quo scripserat Deus.

Verba decem.] Græcè τοὺς δεκαλόγους. Vnde compositum nomen Decalogi, de quo aliàs egimus.

Quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis.] Sic est ad verbum in priore capite [e]: nisi quòd pro decem, dicuntur omnia verba: quæ non fuerunt plura quàm decem; reliqua verò non Deus ipse locutus est, sed Moyses.

Quando populus congregatus est.] Idem (*quando concio populi congregata est*) secundùm editiones autem alias vtrobique (*in die congregationis.*) Illa dumtaxat vice congregatus est populus vniuersus ad immediatè audiendum Deum: vt meritò absolutè cognominari possit dies congregationis.

Et dedit eas mihi.] Repetunt Domini nomen editiones cæteræ. Dedit verò secundas has tabulas, aut potiùs reddidit, postquam illas Moses à se excisas dolatásque attulisset in montem, quemadmodum iniunctum ei fuerat, & in iisdem idem Dominus, opera scilicet Angeli, literas quæ Decalogum exprimerent, insculpsisset.

a ibidem. b v. 10. Explanatio. c lib. 34. d v. 10. Decalogus. e v. 10.

Vers. 5.] Reuersúsque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ huc vsque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus:

PARAPHR. a c.34.29.& seqq.

IN [illegible]odo [a] habetur, quòd cùm descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere: & postquam aduocatis primùm Aaron atque principibus synagogæ, quibus locutus est, deinde venissent etiam omnes filij Israël, iis que præcepisset cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai, posuit velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum & loquens cum eo auferebat, donec exiret ad alios, qui videbant vt priùs faciem illius esse cornutam, sed neque operiebat eam, quoties nimirum loquebatur etiam priuatim ac domesticè, vt arbitratur Abulensis [b], Marzilla [c], Marius [d], nostríque Bellarminus [e], Cornelius [f], Salianus [g], ac fauet Ambrosius [h] satis apertè, vtens comparationib. ex sole, igne, gemmis, quæ quosdam transfundunt rebus radios. Nec desunt in Sanctis aliis exempla similia: vt in Ignatio nostro, Sancti honoribus aucto à Gregorio XV. Martij die 12. huius anni 1622. Græcè autem citato Exodi loco legimus quòd δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *resplenduit aspectus cutis faciei suæ*. & Chaldæa translatio, quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus eius: & in officio de transfiguratione quòd glorificata est facies Moysi. Vnde corrigi debent picturæ & sculptilia, quæ vera cornua ipsi appingunt: figurata namque locutio est sicut de cornibus altaris ac similium: cúmque Hebræa vox cornua propriè significet, leuis suspicio est in editione nostra pro corusca cornutam suppositam esse; figmentum vero Rabbinicum visam faciem cornutam præ macie ex longiore ieiunio, sicque terrori fuisse. Translationem Græcam secutus Paulus [i] argumentatur à minore ad maius pro euangelica lege: *Quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius*, διὰ τὴν δόξαν (quod eo loco significat δεδόξασται) *quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus* (qui viuificat, litera verò occidit) *erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur: & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur. sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti, cùm legitur Moyses, positum est super cor eorum. Cùm autem conuersus fuerit* (populus ille) *ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hæc omnia Pauli possunt esse loco luculenti ad recitatam Exodi historiam commentarij tum literalis, tum mystici secundùm allegoriam. Gregorius [k] namque tropologiam elicit, vt auditori prædicator se attemperet, alta contegendo, vixque paucis aperiendo. Discimus prætereà donorū propriorum spiritualium Sanctos interdum ignaros esse: illuminationibus, & apparitionibus nouis fidere inferiores non debere; sed consilio, ductúque superiorum regi, quemadmodum, ad Moysen radiatum accessit Aaron, tum synagogæ principes: tandem reliqui filij Israël: non decere coram Deo velata orare facie seu capite, saltem publicè: quod Apostolus [a] quoque præcepit viris, licèt in vetere Testamento tecto capite sacra peragerentur, necnon & à Gentilibus: lumen diuinum initio terrere, postea consolari, contra quàm faciat transfigurans se in Angelum lucis [b] angelus malus. De his copiosiùs qui vel Exodum explanant, vel Paulum. Quod verò attinet ad ea quæ recitato textu nostro continentur, Moses narrat, cùm descendisset de monte, gestans secundas tabulas, in arca se illas inclusisse, quemadmodum Deus imperauerat. Quod non est confestim factum, & simul ac descendit: si, vt nuper constituimus, arca illa diuersa non fuit ab ea, quæ cognominata est fœderis, testimonijve, atque Dei, seu Domini, & magis per otium construi debuit à Beseleel. Hoc persuadent postrema verba, quibus ait Moses tabulas fuisse in arca vsque ad illud tempus, quo loquebatur, qui erat annus vltimus peregrinationis in deserto, id est, quadragesimus. Interim, vt etiam priùs moniti, in honesto aliquo loco, siue loculo, reposita fuerunt: nisi quis contendat breui spatio compactam arcam fœderis, postea verò magis elaboratam vel probabilem existimet cum nonnullis opinionem illam de distincta arca.

b in Exod. 34.
c [illegible]
d [illegible]
e 1. de reliq. sanct. c.4.
f in Exod. 34.
g to.2. annal. anno 2544. num. 712.
h in ps. 118. octon. 17
i 2. Cor. 3. 7. & seqq.
k 3. p. Past. c. 5
Tropologia pro [illegible] [illegible].
a 1. Cor 11. 4. 7. 14. 16.
b v. 14.

Reuertúsque de monte descendi.] Multoties enim montem illum priùs ascenderat, & descenderat, vt constat ex Exodi cap. 19. & 24. & 32. & 34. vt notat Abulensis. Descendit autem tenens duas tabulas, videlicet secundas, testimonij, ignorans quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis [c] Domini; per quod consortium intelligitur visio Domini; quando in foramine petræ vidit Moses gloriam eius transeuntem, lucéque immensa coruscantem, & huiusmodi fulgoris particeps factus est simul cum illustriore diuinarum rerum cognitione; quæ veluti redundabat in faciem; cùm antea vocem loquentis per Angelum percipiens, nihil nisi nubem, ignem, caliginem vidisset. Conciliabat id autem Mosi auctoritatem, & legi quam in tabulis descriptam afferebat, ita vt non ampliùs contemptim diceret populus [d]: *Moysi huic viro, qui nos eduxit, nescimus quid acciderit.* Existimant Salianus [e] noster post Abulensem [f], atque Cornelium [g] nostrum, & Leonardus [h] Marius verba quæ habentur Exodi c.33. [i] (*cúmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebátque tergum Moysi donec ingrederetur tentorium*) significare per anticipationem populi eximiam reuerentiam erga Moysem, quam illi conciliauerat dictus fulgor, ita vt comitarentur oculis transeuntem, nec valentes ferre lucem faciei, tergum intuerentur.

Explanatio.
c Exod. 34. 29.
d c.32.1.
e to.2. annal. anno 2544. n.713.
f in Exod. 33.
g ibidem.
h ibidem.
i c.33.8.

Et posui tabulas in arcam, quam feceram.] Arcam dixi non semel diuersam non fuisse ab illa celebri, quæ intra Sancta sanctorum collocata est longè post: quámque fecisse dicitur Moyses, quia fieri curauit per Beseleel.

Arca qualis fuerit.

Quæ hucusque ibi sunt.] Iuxta reliquas editiones (& *fuerunt ibi* שָׁם וַיִּהְיוּ *vaihiu scam*: וַהֲווֹ תַמָּן *vehauo thamman*: καὶ ἦσαν ἐκεῖ. Addidit Interpres (*hucusque*.) Vnde colligitur sermonem esse de illa celebri arca, quæ cùm Moses loquebatur iam dudum fabricata erat. Ex eo quod tantùm dicantur fuisse ibi, non ita id apertè deducitur. Alterius loci quæstio est, quam attingit Abulensis hoc loco, vbinam nunc sit arca illa, de qua scribitur in historia [k] Machabæorum, quòd

Arca de qua in historia Machabæorum, vbi nunc sit.
k l.2.c.2.4. & seqq.

quòd Ieremias iussu diuino responso ad se facto, cum tabernaculo, & altari incensi condi in speluoca montis Nebo, & obstrui ostium; prædicens locum ignotum futurum, donec congregaret Deus populum suum, &c. Consule Serarium [a] nostrum, cuius opinio verisimilis est, sub mundi dumtaxat finem inueniendam; vt Iudæi viso complemento prophetiæ, magis ad verissimam arcam Christum, atque verissimum tabernaculum Ecclesiam adducantur, inuitantibus Enoch & Elia. Legendus item Castro noster in Ieremiam [b], & Sances [c]: præterea Ribera de templo [d]: & rursus Abulensis [e]; Villalpandus [f] quoque noster, qui meritò refellit asserentes in triumphali arcu Titi Romæ cerni arcam insculptam: cùm in ea sint solùm, vt ipse etiam inspexi, mensa panum propositionis cum duobus vasis, tubæ quarum vsus in iubilæo, candelabrum: denique Ludouicus [g] Tena, & Ioseph [h] Stephanus. Etsi verò quod scribit Ioannes [i], visam arcam testamenti in cœlo, significet propter ipsorum scelera detractam veram à Iudæis legis obseruationem: quo pacto cecinit ille [k] quòd

Vltima cœlestum terras Astræa reliquit:

aut sibi ostensa quædam arcana, sed nondum penitus reserata, tamen potest etiam insinuare, sic occultatam materialē arcam, ac si cœlo recepta esset.

Sicut mihi præcepit Dominus:] Vt poneret tabulas legis in arca illa, de qua diximus: de nulla verò alia re in eadem ponenda extat eiusmodi præceptum: nec aliam præter dictas tabulas positas intra illam fuisse, superiùs docuimus.

a ibid q 17. & seqq. b in c.3.n.20. c ibid.v.16. d l.2 c.2. e in Exod. 25 q 14. f tom.2.in Ezech.l.5. disp.4.c.70. g in c.9. ep. ad Hebr. difficult.5. n 13.&seqq. & isag. scri. l.2.difficult. 16. sect.10. h in 1.Mac. 4.48. & 49. i ap.11.19. k Ouid 1. metamorp.

Vers.6.] Filij autem Israël mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, vbi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius.

Vers.7.] Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Iete batha, in Terra aquarum atque torrentium.

PARAPHR.

INterrupta serie orationis priùs inchoatæ, vsque ad versum decimum exclusiuè, propter Leuiticam tribum, quia de arca proximè facta mentio fuerat, licèt etiam per hysteron proteron, occasione tabularum, quas Deus in arca poni præceperat, inseritur narratio mansionum quarumdam, ac illius nominatim, in qua destinata est tribus Leui, cuius caput erat Aaron, vt sacra curaret, maximè circa omnium summæ venerationis arcam: & quo pacto eidem tribui à reliquis in dictum finem segregatæ ac selectæ, proindéque partem in terræ diuisione non habituræ, assignata sint iura earum oblationum, quas Domino ipsi fieri oportebat: Aaroni autem in Pontificatu post mortem eius, filius Eleazar successerit. Caietano placet insertā de morte Aaron narrationem, quia de peccatis populi actum erat, vt intelligatur causam mortis Aaron fuisse peccatum ipsius ad aquas contradictionis. Profitentur porrò idem Caietanus cum Scholiaste Fonseca, & Oleaster, & Leonardus Marius, aliique post Lyranum, implicatum esse hunc textum difficultatibus multis; quia profectio ex Beroth in Mosera, inquit primus, non habetur in catalogo mansionum in c.33. libri præcedentis: & Mosera longè distat à loco vbi mortuus est Aaron. Præterea videtur, ait Oleaster, mansio in Mosera eadem esse cum mansione in monte Hor, quæ fuit trigesima quarta, differtque à Moseroth, loco vigesimæ septimæ, quod etiam Caietanus affirmat.

Filij autem Israël mouerunt castra ex Beroth.] Hebraicè, & Chaldaicè proferendum *Beeroth* בארת quamuis Græcè scribatur Βηρώθ. Idem verò nomen extat alibi [a]. Adrichomius [b] ait esse locum mansionis vigesimæ octauæ, alitérque appellatum Beneiachan, quod in libro priore [c] vocatur Beneiaacan ab editione nostra, ponitúrque post Moseroth: docet præterea [d] vrbem olim Heuæorum eodē nomine dictam, ac deinde tribus Benjamin, denique occupatam à Dauide, vnde tulerit æris vim magnam ad vsum tēpli, & à qua cognominati fuerint Berothitæ [e]. Hugo negat Beroth esse mansionem, sed locum quemdam in deserto inter Cadesbarne & Hor. Abulensis vult Beroth filiorum Iacan, non differre à Beneiaacan; sed hìc additam illam vocem, quæ significat puteos. Caietanus locum iuxta Cadesbarne, quamuis in catalogo mansionum taceatur. Oleaster omissam hāc mansionem in catalogo aliarū; secundùm aliquos verò eamdem fuisse cum mansione in mōte Hor; quamuis ibi denominetur à monte, quoniā in eo obierat Aaron, nēpe in mansione trigesima quarta, quæ dicta est etiā Mosera, & non Museroth, qui fuit locus mansionis vigesimæ septimæ. Mariana noster, & Sa, & Cornelius post Abulensem, & Vatablum videri nō differre Beroth à Cades, de qua in c.20.[f] Numerorum: eiusdem enim loci diuersa quandoque nomina esse, & negat Cornelius distinctè, eamdem esse mansionē cum illa, quæ libri eiusdem c.33.[g] nominatur Beneiaacan. Leonardus Marius vltimæ assertioni oppositam tenens, eadémque esse cum Beneiaacan mansione vigesima septima, cùm in Cades fuerit trigesima secūda, trigesima tertia in Hor siue Mosera, vbi mortuus est Aaron; asserit inditum nomen Beroth, ob puteos, quos ibi habebant filij Iacan, de quibus tamē ignoretur qui fuerint, aut quis ipsemet Iacan. Idem sentio de ignoto Iacan eiúsque filiis, ac præterea consentio Andreæ [h] Masio diuersi loci nomen in aliis scripturis antea indicatis ad marginem, qui pertinebat ad tribum Benjamin, à puteis quoque impositum esse: postremò iuxta ea quæ dixi [i] priore libro, videtur diuersa mansio ab ea quæ ibi dicitur Beneiaacan.

Filiorum Iacan.] Sic meliùs scribitur, quàm aspiratè *Iachan*, & adhuc rectiùs scriberetur *Iaacan*, vel *Iahhakan* ex Hebræo יעקן. In c.33.[k] libri prioris scribitur vt integrum nomen *Beneiaacan*: ita vt videri posset Beroth ex membro hìc præcedente esse nomen cum isto eiusdē loci, cùm tamen diuersas māsiones fuisse ibi docuerimus; vbi simul de notatione vocabuli: & varia scribendi ratione.

In Mosera.] Eodem libri prioris loco [l] ostendi Mosera & Moseroth esse diuersarum nomina māsionum: & videri Mosera non differre ab Hor, vbi mansio 34. fuit: cùm fuerit in Moseroth 27. vel in Hor propriè mortuum Aaronem, in Mosera, qui locus erat parum dissitus, reliquum populum fuisse ita vt ex vtroque denominari posset mansio eadem. Hìc porrò Sixtini libri Græci habent, *μισαδαί*: cuius reddere nequeo rationem.

Vbi Aaron mortuus, ac sepultus est.] Bis in reliquis editionibus ponitur aduerbium loci, in principio, & in fine. In cap.20. & 33. Numerorum dicitur Aaron mortuus in Hor. Abulensis cōfutat

Explanatio. Beroth quid. a Ios.9.17.c.18.25. 2.Reg.4.c. 23.1.Par.11. 25.1.27. 39. b thea.terr. sanctæ in Phatan.n. 25. c c.33.31. d in Benjamin n.32. e 2.Reg.4. 2.3.5.9.c. 23.37.1.Paral.11.39. f v.22. g v.31.32. h in Ios.9. 17. i c.33.31. k v.31. l v.30. Mons Aaronis.

R.Salo

R. Salomonem, dicentem quod in Hor quidem Aaron mortuus, ac sepultus est: sed in Mosera ita planxerunt eum, ac si ibidem mortuus fuisset & sepultus, simul deplorando deleras in quodam conflictu Leuitarum cum aliis aliarum tribuum fugientibus, quinque familias ex eadem tribu Leui: quoniam omnes postea recensentur sub Dauid [a]: & nimis impropriè dicitur quis mortuus & sepultus, vbi plangitur. De morte Aaron egimus [b] altiùs, quæ contigit anno ætatis eius 123. Qui confundunt Mosera & Moseroth Rabbini errant asserentes Aaronem in Moseroth mortuum, quæ fuit mansio 27. cùm plane sit certum 10 34. mortuum esse.

a 1. Par. 16. toto.
b Num. 20. 29.

Pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius.] Sacerdotio fungi significant כִּהֵן *techahen*, & ἱεράτευσε: sed Chaldæum שַׁמֵּשׁ *scammes*, ministrare. Priuilegio ætatis, inquit Glossa interlinearis & Hugo, successit Eleazar patri suo, cùm alij duo fratres Nadab & Abiu sublati essent, & minimus ætate Ithamar esset: de qua successione actum quoque alibi [c], & de aliorum morte [d].

c Ibidem.
d Leu. 10. 1. & seqq.

Inde venerunt in Gadgad.] Hebraicè גֻּדְגֹּדָה *gudgodah*, vbi litera vltima index est motus ad locum; pro qua præponitur, Chaldaicè articulo scruiens לְ *le* לְגֻדְגֹּד *legudgod*: & Græcè præpositio εἰς γαδγάδ. Semel tantùm præterea nominatur hic locus libro præcedente [e]: *profectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad*, vbi Hebræa & Chaldæa editio habent חֹר *ghidgad*, non autem גֻּדְגֹּד *gudgod*. Vnde Abulensis in commentario huius nostri textus hoc & sequens ait esse nomina propinquorum locorum monti Hor, quæ loca sub ista nominibus non nominentur in libro Numerorum. Eo loco libri prioris notaui arbitrari Vatablum scribentem in Deuteronomij locum qui est præ manibus, alio nomine mansionem illam 29. in Gadgad, appellatam Oboth, de quo in c. 21. [f] Numerorum: Oleastrum monere ignorari quæ mansio fuerit Gudgodah (meliùs dixisset Gudgod, vt ea dictis constat) & aliquos velle fuisse in Sina vel propè. Consentit in synonymo nomine Oboth Marzilla, & Sa noster; nec discrepat Cornelius. Præter Gadgad, montem in deserto, vbi castrametati sint filij Israël, Hieronymus [g] nominat Gadgada, vbi aquarum torrentes essent. Suspicatur Adrichomius [h] voluisse id scribere de Ietebatha, quod ipse profert Ietabata. Sed Hieronymus [i] exprimit seorsim Ieibata, formans Hebræos characteres יָטְבָתָה, qui adiectis punctis proferuntur hoc modo יָטְבָתָה *Iatebathah*, aut *Iotbathah*. Legit Abulensis hoc loco Ethabata, & sicut de priore nomine, affirmat locum significare propinquum monti Hor, & fortè fuisse in confinibus Amorrhæorum & Moabitarum, quia hic vocatur locus aquarum & torrentium, in finibus autem illis accessit unt Israëlitæ ad torrentes Arnon, & puteus ibi erat, super quo fecerunt canticum [k]. Marzilla idem asserit quod hæc esset terra, quæ ob torrentem Zared ac puteum miraculosè paratum à principibus multitudinis filiorum Israël, vocari soleret terra aquarum atque torrentium. Caietanus docet in genere demonstrari per hunc & priorem locum, tempus mansionis moræ populi iuxta montem Sinai. Hugo ait nec Gadgad esse mansionem, sed locum in mansione, vel duplex nomen eiusdem mansionis Salmona; nec item Ietabatha, sed locum in mansione Phinon, vel etiam eidem nomen duplex fuisse: vel Ieabatha fuisse in Ieabatins, quæ fuit tertia mansio ab Phinoo. Certè vt cum aliis antè

e c. 33. 32.
f v. 21.
g de locis Hebraicis ex lib. Num.
h thea terræ sanctæ in Pharan. a. 45.
i supra.
k Num. 21. 17.

dixi, & c. 33. Numerorum non ita facilè ferri de his iudicium potest. Hoc quidem loco particula (*inde*) videtur ad Beroth referenda, non ad proximè nominatam Mosera, vbi nempe dictum est esse mortuum Aaronem: si mansio 27. fuit in Beroth, 28. in Gadgad, 29. in Ietebatha, 30. in Hebrona, 31. in Asiungaber, 32. in Cades, 33. in Hor siue Mosera, vbi Aaron mortuus.

In terra aquarum atque torrentium.] Editiones aliæ habent *terram torrentium aquarum*, siue *vbi essent torrentes aquarum*, נַחֲלֵי־מָיִם *nachale maim*: נחלין דמין *nachlin demayn*, χείμαῤῥοι ὑδάτων: *terram vbi torrentes aquarum*, iuxta codices Complutenses, Regiosque: sed secundùm alios γῆ χειμάῤῥου: vel γῆ χειμάῤῥων: iuxta Sixtinos γῆ χειμάῤῥου. Possent exponi omnes cum Vatablo: licèt χείμαῤῥοι de solis dicantur torrentibus. Non video qua ratione conueniat huiusmodi terra loco, qui esset propinquus monti Sinai, vel monti Hor, præsertim secundùm opinionem de torrente Zared, proinde miraculoso in Arnon. Torniellus [a] volens esse nomina diuersarum mansionum, rationem dat cur posterior Ietebatha dicatur fuisse in terra aquarum atque torrentium, quia erat prope mare: prior in deserto Pharan inops & in solo arenoso siccoque.

a in annal. anno 2548. n. 2.

Vers. 8.] Eo tempore separauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius vsque in præsentem diem.

Vers. 9.] Quam ob rem non habuit Leui partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia, ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.

Paraphr.

Hunc diximus antè causam fuisse, cur insereretur mentio mansionis loci, in quo Aarō mortuus est, eique successit filius Eleazar, quia de arca mentio fuerat, in qua tabulæ positæ fuerant iussu Dei: videlicet quoniam huic arcæ portandæ per desertum & custodiendæ cum reliquis omnibus muneribus sacris Leuiticam tribum, cuius princeps Aaron erat, Deus præfecit; atque vt liberiùs & diligentiùs ea munera obiret, ab aliis oneribus illam exemerat, inter quæ non leue est colendi terram: & idcirco prouentus assignauerat eam rerum quæ debebantur Deo, absque certa parte terræ, quam totā diuidi voluerat inter alias tribus. Vidimus hoc priùs in libro præcedēte [b]. Cæterùm separatio ista huius tribus ad ministerium sacrū facta est saltem secundùm promissionem & designationem, quando filij Leui occiderunt ea adoratoribus vituli quasi viginti tria millia, dicente Moyse [c], *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & in fratre suo* (idololatræ igitur & ex ea tribu aliqui fuerant) *vt detur vobis benedictio*. Quæ potiùs redintegratio vocanda est cum Caietano ad priùs dictum illius ministerium, nempe cùm id Mosi Deus cum ipso in monte prima vice versanti mandasset [d], executioni mandatum est per dictam occasionem: quemadmodū diu pòst confirmauit, quando Phinees ex eadem tribu interfecit fornicatios & idololatras [e]. Hoc pacto conciliari possunt opiniones Caietani, quòd hæc fuerit secunda separatio,

b c. 1. 49. & 3. 6. & c. 18. 2
c Exod. 32. 28. 29.
d Ibid. c. 28. 1. & seqq.
e Num. 25. 7. & seqq.

primæque confirmatio: & Abulensis, quæ etiam est Marzillæ, Leonardi Marij, apostatæ Munsteri, ac eiusdem farinæ Conradi Pellicani; quòd illa omninò prima, ita vt quæ hîc dicuntur nectantur dictis versu quinto de positis tabulis secundis in arca: & Hugonis de dicto tempore sub Phinees. Cornelio nostro vtraque visa probabilis opinio Caietani & Abulensis. Hic porrò R. Salomonem, cui Lyranus adhæret, confutat affirmantem, quòd licèt Leuitæ in monte Sinai separati fuerint, postea hîc iterum sint separati: & sicut prioris separationis causa fuit, quia cæteris adorantibus vitulum, ipsi non adorauerunt (immò adoratorum 23. millia occiderunt) ita posterioris, quoniam aliis fugientibus de castris ad Ægyptum, ipsi non fugerunt, sed confligendo fugientes reduxerunt; item R. Abenezra, quòd facta sit noua institutio, quia fortè tempore intermedio non ministrauerat tribus Leui in solitudine. Vtrumque fictum & falsum est; nec enim de fuga & conflictu illo quisquam meminit; & Leuitæ semper ad id vsque tempus arcam portauerant, & in sacris aliis ministrauerant. Neque tamen obstat dictæ opinioni quòd mortuo Aarone facta sit noua quædam confirmatio Leuitici ministerij, vt contingit in mortibus maximorum quorumdam magistratuum, vt aliqua de statu populi & ministrorum innouentur: non exprimi huc loco eiusmodi ordinationem, siue dispositionem tanquam secundariam; sed vt potiùs omnino primam, quemadmodum argumentatur Abulensis. Nam potuit, immò debuit innouatio, si admittitur, planè similis esse primæ institutioni. Illud in memoriam reuocandum, quòd hanc Deus causam tradit solam vbique, cur Leuiticam tribum sibi elegerit, vt esset loco primogenitorum totius [a] populi. Philo [b] arbitratur solam Leuiticam tribum vindicasse iniuriam Dei, & accepisse præmij loco cultum ceremoniasque ipsius. Alios non ambigo præter Leuitas abstinuisse ab idololatria, vt Iosue, tribus Ephraim cum aliquot sodalibus, vt Caleb, tribus Iuda, cum non paucis etiam ea eadem tribu; & iam antè [c], vt dixi, destinata erat ministerio sacro tribus Leui: & illa verba [d] (*consecrastis manus vestras hodie Domino*, &c.) præterquam quòd Hebraicè, Chaldaicéque, per modum imperantis enunciantur; quasi ante cædem; sensum istum efficiunt; vt quemadmodum sacerdotes per sanguinem hostiarum consecrabantur, tingendo pollices manuum, & dextri pedis, extremúmque auriculæ dextræ, sic & illi pro præcipua & maxima parte Leuiticæ tribus homines, occisores idololatrarum, visi essent consecrasse manus suas in sanguine illorum, & quasi acceptabile instar sacrificiū Deo obtulisse, cùm quidam [e] etiam dixerit nullam Deo gratiorem victimam cæde impij esse: & apud Esaiam [f] isto sensu nominetur victima Domini in Bosra: & in Leuitico [g] super blasphemum lapidandum iubeantur imponi manus tanquam super victimam.

Vtinam, ait ille, *cruorem capitis inuisi Deo*
Libare possem, gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud vlla amplior
Potest, magisque opima mactari Ioui
Quàm rex iniquus.

Quem imitatus poëta Italus Ludouicus Dulcis in Didone tragœdia,

—perche nissun liquore
E à Deo piu grato, è vittima piu cara,
Che quella d'vn tiran crudele & empio.

Qua tamen in re summa opus est cautione cùm sit periculi plenissima, & crimini proxima. Accedit, quòd consecratio ministratióque sacerdotalis non toti tribui Leui tributa est, sed soli Aaroni cū filiis; & Paulus [a] Aaronem testatur à Deo vocatum, non à Mose. Allusit forsitan Moses in veritatis verbis ad id quod iam diuinitus in monte didicerat de Leuitis, credíque potest Mosem si ab eo penderet electio, à sacerdotio fratrem repulsurum fuisse, propter idololatriæ infamiam, quam idololatriā permisit, si non consensit, cùm impedire posset ac teneretur. Sic noster Salianus [b]: cui tamen simpliciter non concederem, quòd nemo Catholicus sacerdotium Leuitis à Mose concessum dixerit in præmium, propter occisos idololatras. Dixit id Ludouicus Ystella, Cornelius noster, Leonardus Marius in Exodi c. 32. posterioréque duo in c. 33. [c] Deuteronomij, & ibidem, non solùm hoc loco Marzilla; in quo illo loco Deuteronomij, quia Leuitæ in vltione de idololatris, nec patri, nec matri, nec fratribus, nec filiis pepercissent, benedicuntur à Moyse dicente, quod ideo ponerent thymiama in furore Domini (id est, ad sedandum furorem eius) & holocaustum super altare ipsius. Potuit esse vtrumque, vt in delato sacro ministerio mererentur Leuitæ ob tam egregium facinus confirmari; quod postea de Phinee singulari modo dictum est.

Eo tempore.] Quod fuerit illud tempus, antea docui, nempe quo erat populus adhuc in Sina, primo anno ab exitu de Ægypto; quamuis non sit improbabile de tempore illo in quo mortuus est Aaron.

Separauit tribum Leui.] Additur ab aliis editionibus *Dominus* (*separauit Dominus*.) Regij codices Latini & Complutenses, & alij non pauci habent in prima persona (*separaui*) non sine mendo: quoniā tertiæ personæ sunt הִבְדִּיל *hibdil*, יַפְרִישׁ *aphres*, *διέστειλε*: quam adiectum Domini nomen etiam planè importat. Separatio ista admonet, nihil in ordine hierarchico plebeium, populare, commune cum studio atque vsu & moribus multitudinis esse debere; quoniam non potest obseruari à populo, qui nihil habet separatum à populo, dispar à multitudine; nihil in eo populus miratur, in quo sua recognoscit, nihil aspicit quod vltra se inueniat; in eo quem reuerendum arbitratur, offendit, quæ in se erubescit; vt scribit Ambrosius [d]. Quod Psal. 4. [e] legimus (*mirificauit Dominus sanctū suum*) ibi docui ab aliis reddi, *segregauit*, siue *separauit*: & proprium sanctorum Deóve dicatorum esse, vt segregati cognominentur, vt de Apostolis dicitur, dicitque Paulus de seipso.

Vt portaret arcam fœderis Domini.] De muneribus Leuitarum circa hoc præcipitur libro Numerorum [f], atque circa tabernaculum. In c. autem 31. [g] libri nostri habetur quòd scripsit Moyses legem, & tradidit eam sacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini: & præcepit Leuitis, qui portabant eam, vt librum quendam ponerent in latere eiusdem. Iosue item ait ad sacerdotes, vt tollerent arcam fœderis [h], vtque ingressi partem Iordanis; starent in ea [i]; idémque onus portandi repetitur aliquoties ibidem [k].

Et staret coram eo in ministerio.] Græcum verbum *λειτουργεῖν* in commentario Actuum Apostolorum [l] exposui: quódque nonnumquam [m] de ciuilibus magistratibus nomen *λειτουργῶν* vsurpetur (immò & *διακόνων* [n]) ac de illo qui cuipiam in necessitate succurrat [o]: item de deportatione distributionéque eleemosynæ *διακονίαν λειτουργίας* [p]:

rursus

a Num. 3. 12. 13. 40. 41. c. 8. 16.
b 3. de vita Mosis.
c Exod. 28. 1.
d Exod. 32. 29.
e Seneca Herc. fur. actu 4.
f c. 34. 6.
g c. 24. 14.

a Hebr. 5. 4.
b tomo 1. annal. sacro. anno 2544. n. 682.
c v. 8. & seqq.
Explanat.
d l. 3. epist. 80. ad Iren.
e v. 4.
f c. 3. & 4. & 8. & 10.
g v. 9. 25. 26.
h Ios. 3. 6.
i v. 8.
k v. 13. 14. 17. c. 4. 9. 10. 16. 18. c. 6. 6. 12. c. 8. 33.
l in c. 13. 2.
m Rom. 13. 6.
n Ibid. v. 4.
o Philip. 2. 26.
p 2. Cor. 9. 12.

rursus de obsequio alteri exhibito λειτουργίαν: de Angelis administratoriis spiritibus λειτουργικὰ πνεύματα, etymon esse: quasi dicas λήϊτον ἔργον, *publicum opus*; tandem ex adiunctis iudicari debere an pro sacro sumi debeat ad quam significationem vsu iam ecclesiastico accommodata & applicata est liturgia, nimirum pro Missa. Prodiit post me Iustinianus noster in Pauli epistolas, qui [a] ex vetere Testamento [b] addit omnia officia Leuitarum, vt ianitorum, vocabulo λειτουργίας appellata: immò de illis qui ad vsum reipublicæ pecuniam conferrent verbum λειτουργεῖν, & præterea διακονεῖν: interdum [c] de sacrificio non simpliciter λειτουργίαν, sed λειτουργίαν θυσιῶν: apud Nazianzenum [d] synonymè accipi λειτουργίαν & ἡγεμονίαν, *ministerium & principatum*: in canonibus [e] λειτουργίαν & λειτουργεῖν de ministerio cuiusuis ordinis & muneris aliquo modo sacri, quale est sermonem ad populum facere: sicut Paulus [f] nominat seipsum λειτουργὸν τοῦ χριστοῦ, *ministrum Christi*, & ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, *sanctificantem, & quasi sacrificantem Euangelium*, siue *consecrantem*, quasi prædicatio Euangelij res esset sacra, velutique victima Deo gratissima: non quòd in ea re tantùm sacerdotij Christiani consistat ratio, vt ineptissimè colligunt hæretici; quemadmodum non ideo non erat propriè dictum sacerdotium in lege vetere, quia passim leguntur in Psalmis & Prophetis sacrificia metaphorica iustitiæ, misericordiæ, laudis, contriti cordis. Denique Suidas docet λειτουργίας esse ὑπηρεσίας καὶ δημοσίας, *munera, ministeriáue publica*: notationem esse à λήϊτον, *publicum*, & ἔργον, *opus*, vt paulò antè dixi: λειτουργικὴν κυρίως μὲν τὴν ἱερατικὴν, καταχρηστικῶς δὲ τὴν δουλικὴν, *liturgicam propriè quidem sacerdotalem, abusiuè autem seruilem*. Pisidem quoque citat

ὅπως ὑφίζῃ τῆς χρείας, καὶ τόκων
ἅπασαν ἁπλῶς ψυχικὴν λειτουργίαν.
Vt sustineas debitorum & vsurarum
Omnem generaliter in animo versantem operam ministerij.

Vel,

Omne ministerium in animo versans, & animum crucians.

Placet porrò magis Scholiastæ Suidæ eiusdem Æmilio Porto deriuatio ἀπὸ τοῦ λεΐτου, καὶ τὸ ἔργον: & λεΐτον contractè dici à λήϊτον: hoc διὰ τοῦ λεὼ ὅ ἐστι λαοῦ, & ἰτὸν τουτέστι βαῖνον, *quòd it per populum, quódve publicum est*: quemadmodum λεῖτον ἐκ τοῦ λεΐτου contractum ἃ διὰ τοῦ λαοῦ βαίνοντα ἄχια, *per populum venient ærumna*. Vocant aliquando Græci Patres ipsammet sacram communionem nomine τῆς ἱερουργίας καὶ λειτουργίας, ἡμεῖς δὲ, inquit Theodoretus [g], τοῖς ἔνδον ἀπονέμειν λειτουργίαν ἐτάχθημεν, θυμίαμα, καὶ λυχναίων φῶς προσφέροντες τῷ θεῷ καὶ τὴν μυστικὴν τῆς ἁγίας τραπέζης ἱερουργίαν. *Nos autem intus liturgiam distribuendam curamus, suffitum, & lumen lychnorum offerentes Deo, & mysticum sanctæ mensæ sacrificium*. Legi apud Plinium [h] secundum λειτόργιον non leue: quod Scholiastes Caietanus interpretatur officium pertinens ad rempublicam, & ibi tenue ac leue ministerium, siue negotiolum, vel paruum opus; inde recentiores (immò & antiquiores) λειτουργίαν sacrificium publicum dixisse, quam Missam vulgò Christiani appellamus: & λειτουργὸν significare ministrum procuratoris. Sed λειτόργιον alibi non reperi, suspicatúrque Caietanus legendum λειτουργίαν.

Ac benediceret in nomine illius.] Græcum verbum ἐπεύχεσθαι significat orare: benedicere enim populo ex Leuitis sacerdotes debebant in nomine Domini, seu inuocando nomen ipsius ex proprio munere, bene illi precando: & benedicere in Domino alicui, est bene precari, beneficiisque ei propter illum impetrare. *In quo qui benedictus est*, ait Esaias [a], *super terram benedicetur in Deo amen*: atque *in Abraham*, id est, in semine eius, quod est Christus, *benedicentur omnes gentes* [b]. Formula benedictionis ponitur libri Numerorum cap. 6. extremo. Hanc expositionem Oleaster iure meliorem censet, quàm extendendo ad omnes Leuitas, per benedicere, intelligere, laudibus attollere: hoc enim aliis præter illos, potest esse commune. Suspicari posset quis in illis verbis Exodi [c] (*manus vestras, &c. vt detur vobis benedictio*) intelligi ius benedicendi, quod Leuitis daretur, siue munus ministerij sacri ex quo sequebatur, vt ipsis benefaceret. Sic benedictio actiuè atque passiuè sumeretur. De actiua Hugo accipiens, vt sacerdotibus conuenit, citat ex Gregorio [d]: *qui necessitate tenemur summa scire, compellimur summa ministrare*.

Vsque in præsentem diem.] Indicant hæc verba iam à valde multo tempore, hoc est, à 40. ferè annis, factam sacri ministerij & collatam tribui Leuiticæ institutionem.

Quamobrem non habuit Leui partem, neque possessionem cum fratribus suis.] Græcè *non erit*, οὐκ ἔστι. Non fuerat data seu assignata pars possessióve Leuitis (qui per Leui intelliguntur, eadémque Græca lingua hic λευῖται vocantur, ne quis personam singularem sumat, aut singulares quoque personas in fratribus, sed tribum integram cum aliis tribubus comparatam, quia nondum erant diuisæ partes atque possessiones terræ promissæ, ad quam adhuc non peruenerant: & cùm peruenirent, nulla tribui Leuiticæ dari debebat. Itaque proposito conuenit tempus vtrumque tum præteritum, tum futurum. Paulus [e] Burgensis probat ex hoc loco consilium de desertione rerum temporalium esse vtile ad Deo inhærendum, & implicitè contineri in veteri Testamento: licèt ob debilitatem intellectus populi qui erat in eo non tradatur ita expressè. Eiusmodi paupertatem notat in Scripturis antiquis deprehendi pertinere ad illos, qui ad cultum diuinum singulariter deputantur, vt libetiùs & expeditiùs vacarent.

Quia ipse Dominus possessio eius est.] Pars etiam, non solùm possessio, sed in hac illa continetur, aut cùm sint synonyma, sufficit altera: particulam verò causalem apposuit Interpres: *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel*, ait Deus [f]. Lege præterea Leuitici cap. 18. & libri nostri item cap. 18. & Ezech. cap. 44. Vltimo ex his loco Dominus ipse ait de Leuitis, *Non erit eis hæreditas: ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis in Israel: ego enim possessio eorum*. Infert Hugo reditus Domini, hoc est, ecclesiasticas decimas, primitias & huiusmodi, esse possessionem illius: & profert Hieronymi verba explanantis illud Ezechielis [g]; *non accipiet princeps de hæreditate per violentiam*. Qui ditior est sacerdos, quidquid plus habuerit, non filiis dare, sed pauperibus, & sanctis patribus, qui vincant merita liberorum. Verùm hæc Hieronymi notanda planè sententia, cuius allata pars in Hugone cum mendo est: *Ergo qui ditior est sacerdos quàm cùm venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare* (adde affines alios & consanguineos) *sed pauperibus, & sanctis fratribus, & domesticis fidei*,

Marginalia:
Liturgia pro Missa.
a tract. de apostolatu disp. 1. c. 2.
b 2. Par. 35. 3. & seqq.
c 2. Mach. 3. 3.
d in apolog.
e cano. 29. Apost. conc. Ancyr. ca. 1.
f Rom. 15. 16.
g lib. de diuinis script.
h lib. 2. ep. 11. & 12.
Benedicere in Domino, idem quod bene precari.
a c. 65. 16.
b Gen. 12. 3. Gal. 3. 16.
c c. 32. 29.
d in Ezech. 14. hom.
e scrutin. script. p. 2. dist. 4. c. 4.
f Num. 18. 20.
Possessio Domini quid.
g c. 46. 18.

qui vincunt merita liberorum: vt reddas ea quæ Domini sunt Domino suo, &c. Ante Hieronymum scripserat Vrbanus I. vt alios omittam: *Ipsæ res fidelium quæ Domino offeruntur, non debent in aliis vsibus, quàm ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Quo autem pacto possessio viri fidelis Dominus sit & portio, adeò elegãter & copiosè Ambrosius [a] demonstrat, vt perlegendum omnino putem, non hic obiter & ex parte referendum. Exclamat initio: *Quàm rarus in terris, qui possit dicere: portio mea Dominus, quàm alienus à vitiis, quàm segregatus ab omni labe peccati*, &c. Denique verum vocat ministrum altaris, Deo non sibi natum, nomine dignum Leui, cuius notionem affert, ipse mihi assumptus, ipse meus, tantum assumptus mihi, pro me. Sed perge legere cætera, vbi & loci præsentis vtitur testimonio.

Possessio viri fidelis quæ. | a in Psal.118. octona 8.

Sicut promisit ei Dominus Deus tuus.] Promittere reddit editio nostra, loco verbi quod in aliis dicere, seu loqui tantùm significat: & Græce est (*Dominus Deus vester, καθὼς ὁ Θεὸς ὑμῶν.*) Promissio extat in citato loco libri præcedentis. Docui autem priùs Dei simplex dicere vim habere promissionis, immò & iuramenti promissiuij. Promissionis huius causam reddit Marzilla in præmium zeli circa idolòlatrarum interfectionem. Qua de re priùs dixi.

Dicere Dei vim promissionis habet.

Vers. 10.] Ego autem steti in monte, sicut priùs, quadraginta diebus ac noctibus: exaudiuítque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.

PARAPHR.

REdit ad interruptum sermonem, vt notant de nostris Sa, & Cornelius, ac repetit id quod narrauerat partim priore capite [b], partim in isto per primos versus, de tabulis secundis, quas retulit de monte postquam secundò etiam ieiunasset, sicut quando primas accepit, quadraginta diebus, totidémque noctibus. Vnde iuxta rectum ordinem poni deberet hic versus ad initium præsentis capitis. Nec, vt pridem constituimus, indicatur ter fuisse Mosem in monte per dictum spatium temporis ieiunando, ita vt istis verbis insinuetur quadragesima tertia. Duæ solum quadragesimæ fuerunt, hæcque nunc repetita non differt ab illa, cuius facta mentio est in citato capite [c] præcedente. Marzilla post Caietanum, Abulensem, & nonnullos Rabbinos, quorum Lyranus meminit, tertiam quadragenam hic agnoscunt, quod idem Lyranus, post Hugonem, & alij referunt: nimis verò asseueranter tenet Caietanus. Ratiocinatur Hugo quòd à tertia mensis Iunij quando ascendit Moses prima vice vsque ad nonam diem Septembris, quando vltima vice descendit, non possunt inueniri tres quadragenæ dierum. Tuetur eandem opinionem de duabus tantùm quadragesimis ut communiorem Toruellus [d], quia bis tantùm tradit Scriptura motam tot dierum: & si addatur media inter eas quæ tabulis bis habitis conueniunt, eo quòd inseritur post primam mentio de oratione pro populo in monte, sequeretur tot admittendas quadragesimas quot vicibus, quæ plures fuerunt, ascendit simili de causa.

b vers.18.& 15. | c v.18.25. | d ann. sacr. anno 2544. num.54.

Ego autem steti in monte.] Chaldaicè (ואנא קימית *beturam quem, fui stans.*) Ille alio loco dicitur procidisse ante Dominum atque iacuisse coram Domino. Vbi notaui nunus fieri posse, vt partim steterit erectus, partim procideri, seu iacuerit: & in Exodo [a] scribitur, *curuatus pronus in terram adorauerit.* Quamquam stare non raro solam indicat præsentiam, non autem firmi positionem, ve. Quodam Psalmo [b] stetisse canitur Moses in confractione in conspectu Dei.

Explanatio. | a c.34.8. Standi verbum. | b 105.23.

Sicut prius.]. Omisit hæc editio Græca: aliæ habent (*sicut diebus primis.*) In priore [c] capite (& *procidi ante Dominum sicut prius.*) Græcè (*δεύτερον καθάπερ καὶ τὸ πρότερον, secundo sicut & prius.*) Per quę verba innuitur tempus quadragesimæ secundæ post tabulas primas fractas, in fine cuius in tabulis aliis à Mose iussu Dei præparatis, eadem scripta sunt quæ in primis. Nullius porrò momenti videtur quòd hic dicatur Hebraicè (*sicut diebus primis*) non autem quemadmodum antea (*sicut prius*;) quasi sic significetur, vt ait Caietanus, sicut duabus aliis vicibus: atque hoc modo indicentur tres quadragesimæ, vna ad suscipiendas tabulas de manu Dei, secunda ad placandum Deum pro scelere populi; tertia vt Deus scriberet in tabulis, nempe secundis, præcepta Decalogi.

c vers.18.

Quadraginta diebus ac noctibus.] Quibus vt expressum est citato [d] loco de hac secunda vice, nec non & de prima [e], nec panem comedit, nec bibit aquam.

d vers. 18. | e vers.9.

Exaudiuitque me Dominus etiam hac vice.] Aliter distinguunt editiones aliæ, videlicet referendo tres vltimas dictiones ad sequens membrum (*etiam hac vice, seu in illo tempore, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, noluit Deus te, vósve perdere.*) Hæc exauditio pro populi peccato non est distinguenda ab oratione vel tempore tabularum secundarum: sed sub finem quadragesimæ secundæ, in qua orauit Moses iterum pro illo peccato adorati vituli, præcisas dolatásque tabulas alias detulit in montem, & simul placauit Deum, exauditúsque est, simul retulit scriptas à Deo: cùm iam prima vice eumdem placasset ex parte, tum quando de dicto peccato monitus in monte orauit, tum quando descendens de monte, post confractas tabulas primas, contriuitque vitulum, & interfecta nigiota tria millia, rursus id fecit [f].

f Exo.32. toto.

Et te perdere noluit.] Repetunt editiones cæteræ (*Dominus*) & Græca vtitur pronomine plurali (*ὑμᾶς, vos.*) Noluit Dominus penitus perdere, licèt nonnullam voluerit sumere vindictam, vt sæpiùs notatum est.

Vers. 11.] Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, vt ingrediatur, & possideat Terram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis.

ILlustrari locus hic potest ex alio Exodi [g], vbi postquam Leuitas interfectores idololatrarum laudasset Moses, facto altero die locutus narratur ad populum: *Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* Tum recitata oratione Mosis, vt dimitteret eam noxam, aut si nollet, deleret illum de libro suo, respondisse Dominus dicitur: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo: tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te.* Pertinent hæc ad tempus quadragesimæ secundæ, quo,

PARAPHR. | g c.32.29. & seqq.

quo, vt antè dixi, oratione Mosis placatus Deus, illo modo respondit, & secundas tabulas scriptas à se reddidit: & adhuc orare pergenti promisit seipsum, & non Angelum dumtaxat præcessurum, & ambulaturum cum populo; eáque beneuolentiæ ac beneficentiæ signa exhibiturum, quæ ante populi peccatum cœperat exhibere [a]. Egebat populus ille valdè timidus, & ad seditiones admodum pronus, egregio ac forti duce; qualis cùm esset Moses, toties tamen aduersùs eum rebellauerunt, & alium sibi ducem creare voluerunt. Iussit Deus vt Moses talis ac tantus dux præcederet populum, vt ingrederetur hic, & ille videlicet simul cum eo, atque possideret terram patribus promissam cum iuramento: attamen sicut ex eodem populo quàm paucissimi ad illam terram peruenerunt, propter nouum peccatum detractionis contra ipsum [b], partímque propter vetus peccatum adorati vituli, sic Mosi denegatus est ingressus in eamdem, ob peccatum cuiusdam diffidentiæ ad aquas contradictionis [c]. Moyses tempore quo lex data est, ait Abulensis, & stetit cum Domino in monte orans, & recipiens tabulas, nihil peccauerat in Deum, propter quod priuaretur ingressu terræ Chanaan; & si sic durasset, ipse ingressurus fuisset in eam, & introducturus illum populum Hebræorum; nec erat dignum quem alium præfici, vt præcederet ipso viuente, qui tantæ dignitatis extiterat, vt Deo familiarissimus in verbo & visione [d] esset, & non fuit delusorium mandatum Dei ad eum: quia si sic permaneret, infallibiliter præcessisset, atque terram illā ingressus fuisset. Sed quia conditio humana defectibilis valdè mutatur, maximè secundùm liberum arbitrium, Moyses post ferè 39. annos dum starent in Cadesbarne ad extrahendum aquas de petra, non benedixit Domino sicut debuerat, accensus zelo contra populum rebellem: ideo incurrit quandam culpam satis leuem: ex qua tamen Deus priuauit illum ingressu terræ promissionis trans Iordanem, ne gauderet de ea. Hoc modo Abulensis.

[a] c. 33. toto.
[b] Num. 14. 23.
[c] c. 20. 12. Deut. 1. 37. c. 4. 21.
[d] Num. 12. 6. 7. 8. Deut. 34. 10. 11. 12.

Explanatio. *Dixítque mihi.*] Additur in editionibus aliis (*Dominus.*)

Vade, & præcede populum.] Hebraicè & Chaldaicè (*surge, vade, vt proficiscaris coram populo.*) Simile quid in Exodo [e] (*tu autem vade, & duc populum istum.*) Hic verba sunt קוּם לֵךְ *kum lech*: & קוּם אזל *kum ezel*, & βάδιζε ἄπαγε: ibi לֵךְ נְחֵה *lech necheb*: אֱזַל דַּבַּר *ezel denar*. βάδιζε καὶ ὁδήγησον. Sed rursus hoc loco in Hebræa Chaldæáque editione plus est quàm in nostra, nempe (*vt proficiscaris*, aut potiùs, *ad profectionem*, לְמַסַּע *lemassah*, למטול *lematul.*)

[e] c. 32. 34.

Vt ingrediatur, & possideat terram.] In textu Hebræo, & Chaldæo pluraliter ac in futuro (*& ingredientur & possidebunt.*) quod imperatiuè sumi potest iuxta consuetum idiotismum illarum linguarum; atque ita exponitur Græcè, καὶ εἰσπορευέσθωσαν, καὶ κληρονομείτωσαν, *& ingrediantur, & possideant.*

Quam iuraui patribus eorum vt traderem eis.] Nunc plurali numero vtitur Interpres in pronominibus, cùm posuerit priùs non modò nomen populi cum reliquis editionibus, verùm etiam verba numeri singularis (*ingrediatur, & possideat.*) Tam sæpe verò iurati promissi sui mentionem facit Deus, vt ingressum & possessionem Chanaan populus non ascribat suis meritis, sed ipsimet soli Deo, qui tam asseueranter dignatus est promittere, aut si quod humanum meritum interuenit, id in partes transferretur, quibus Deus promisit immediatè: præterea discerent homines fideliter præstare quod promittunt, præsertim si accedat iuramentum, & si Deo ipsi aliquid promittant.

Vers. 12.] Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua:

Vers. 13.] Custodiásque mandata Domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene sit tibi?

Paraphr. POstquam meminit Moses de suamet ad Deum pro peccatis populi oratione, quódque fuerit exauditus, renouatis tabulis legis secundis, cùm primis indignos reddidissent sese, ac fractæ proinde fuissent, & renouata promissione de ingressu in terram Chanaan, quod beneficium tanti fiebat ab Israëlitis: conuerso ad hos sermone, ait pro his omnibus nihil aliud exigere Deum, quàm vt ipsum timore & amore prosequantur; ac quanta maxima possit cura & diligentia nitantur ex toto cordis, & animi conatu adimplere quæcumque genera præceptorum in Domini Dei sui nomine, persona, auctoritate proposita, siue sint moralia, siue iudicialia, siue ceremonialia. Declarata sunt satis ista locis aliis priùs, præsertim cap. 6. [a] vbi extat celebre illud præceptum de Deo diligendo ex toto corde, anima, fortitudine: & similia loca declarata sunt aliorum librorum. Præterea in cap. 5. [b] inducitur ipsemet Deus, dicens: *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis, & filiis eorum in sempiternum?* Rursus cap. 6. [c] *Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam: vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui*, &c. Ea dictis ad ea loca repeti etiam debet varia distinctio timoris, & quo pacto vera perfectáque dilectio Dei possit exerceri in hac vita. Lucem afferre possunt Michææ [d] verba, *quid dignum offeram Domino?* &c. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Comparat in illius loci commentario Hieronymus quæ ibi dicuntur cum istis: & ait quod quærit à nobis Dominus, & necessariam habens nostram salutem, poscit accipere, quod danti prosit. Augustinus [e] tractat diligentiùs hoc argumentum, quòd scilicet nostris Deus non egens externis rebus, requirat cultum internum præcipuè: quæcúmque verò in ministerio tabernaculi siue templi multis modis de sacrificiis leguntur diuinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam, referuntur. Talia sunt in Clemente [f], Irenæo [g], Tertulliano [h], Theodoreto [i], Thoma [k]. Præ se fert autem dicendi modus loci præsentis facilitatem, cùm parum esse id significetur

[a] vers. 5.
[b] vers. 29.
[c] vers. 1. & seqq.
[d] c. 6. 6. & seqq.
[e] 10. de ciu. c. 5. & 6. & ep. 5. & 49. q. 3.
[f] 6. constit. c. 20.
[g] li. 4. c. 31.
[h] ad Scapulam c. 2.
[i] ser. 7. therapeut.
[k] 1. 2. q. 102. a. 3. & 2. 2. q. 81. a. 7.

fecerit quod petit à populo Dominus Deus eius: quia etiam nihil videatur amore facilius, præsertim cùm bonum perfectum & summum in se, ac nobis vtile proponitur; timeat verò quisque illum sine difficultate, cui sciat inesse iustitiam, odium peccati, potestatem ad puniendum. Petiit Christus vilem aquam à Samaritana [a]: dæmon lanceolis extrahendum sanguinem [b]: filiorum ipsorum immolationem [c], pretium animæ tuæ. Procopius commentario loci nostri obseruat ei similem esse illum Ioannis [d], quo protestatur Dei mandata grauia non esse; & Christi [e], quòd iugum eius suaue sit, & onus leue. Idē annotatur in catena Græca M. S. ex Gregorio Nysseno. Parum præterea est id quod petitur, quodcunque illud sit, si cum infinitis comparetur debitis erga Deum, innumerabilibus beneficiis in nos; peccatis maximis & plurimis quibus offensus est, beatitudine, quam promisit; damnatione, quam comminatus est; his quæ nostra causā docuit, fecit, passus est Christus. Et nihilominus amare ex toto corde animáque, vt oportet, absque impedimento soli beati possunt: sed admonemur interim, ait Augustinus [f], quo spem præmittere, & quid fide exposcere, & ad quid nos extendere deberemus. Deo vt est summum bonum, debetur amor; timor vt dominus; vt principium omnia excedens, honor, seruitus, obedientia. Perpendit citatus porrò Irenæus [g], quo modo Deus non indigens homine, ab hoc exigat, & præcipiat ei dilectionem, profuturam ipsimet homini, & quæ illum gloriosum efficiat, vtpote qui Dei gloriam nullo modo posset percipere, nisi per eam obsequentiam, quæ est erga Deum, quæ præterea est vita & longitudo dierum [h] hominis. Id speciatim etiam scribit [i] de Abrahamo, quem Deus in amicitiam assumpserit, non propter indigentiam, vtpote antequam ille fieret existens [k]: sed vt ei donaret æternam vitam. Affirmat eodem modo [l] de nobis vt salutem nobis tribuat; quemadmodum qui in lumine est, non lumen illuminat, sed illuminatur. Quo exemplo vtitur quoque Augustinus [m], ac eius qui fonti non prodest dum ex eo bibit. Athanasius [n] autem obiicienti minorem esse petentem datore, ὁ δὲ πατὴρ τὸ αἰτοῦντα δίδωσι, respondet; *Si igitur Patrem petentem inuenias in veteri Testamento, quid mihi hic quæso dices?* Citat mox hunc nostrum locum: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas ipsum?* &c. Hilarius [o] docens quotiescúmque de timore Domini in Scripturis est sermo, nunquam eum solitarium relinqui tanquam sufficientem nobis ad consummationem fidei; sed subiici multa aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio & perfectio intelligatur: præterea quòd nobis timor Domini omnis in amore sit, metúmque eius dilectio perfecta consummet, probat hæc loci præsentis testimonio: concluditque timorem non esse in metu, sed in obedientia, & timoris testimonium esse obsequelam.

Et nunc Israel, quid Dominus tuus petit à te?] Apud Irenæum [p], & Hilarium [q] (*postulat*) apud Hieronymum [r] (*quærit.*) Petere siue postulare significat propriè שאל *scaal*, תבע *thauabh*, αἰτεῖν, quærere autem aut requirere דרש *daras*, & ζητεῖν, quæ sunt in Michæa [s] *quid Dominus requirat à te*) vbi Chaldæum verbum est etiam sicut hîc תבע *thauabh*.

Nisi vt timeas Dominum Deum tuum] De Dei timore dictum sæpe. Illius Cornelius affert hîc

a Ioan. 4. 7.
b 3. Reg. 18. 28.
c Ezech. 23. 39.
d 1. epist. 5. 3.
e Matt. 11. 30.
f de spiritu & lit. c. 26.
g li. 4. c. 31.
h Deut. 30. 6.
i cap. 27.
k Ioan. 8. 58.
l cap. 28.
m 10. de ciuit. c. 5.
n de comm. essen. Patris, &c.
o in Ps. 127.
Explanatio.
p li. 4. c. 31.
q in Psal. 127.
r in Michæ. 6.
s c. 6. 8.
Timor Domini.

istos affectus, vt coerceat animam à concupiscentiis, & incitet ad omne bonum: vt sit initium sapientiæ & pietatis, immò consummatio eorumdem: vt si sit filialis, non sit aliud quam amor Dei: vt det constantiam in tentationibus & aduersis: vt pariat Dei fauorem, bonaque omnia: vt gignat cordis gaudium.

Et ambules in viis eius.] Græcè (*in omnibus viis eius*, ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ) quomodo legunt Hieronymus alibi [a], & Hilarius [b] ac Irenæus [c]: quod etiam habetur in editione Hebræa & Chaldæa: sed addit vltima (*quæ recta sunt coram eo*) בכל ארחן דתקנן קדמוהי *bechol orchan dethaknan kodamoibi.* In cap. 11. [d] & 19. [e] exprimitur ab editione quoque nostra *ambulare in omnibus viis Domini*: Chaldaicè item, *quæ recta sunt coram eo*: sed in cap. 26. [f] & 28. [g] iuxta omnes, *ambulare in viis*, cum eadem additione Chaldaicæ (*quæ recta sunt coram eo*;) in 30. rursus eodem pacto, nisi quòd sola Græca habet (*in omnibus*, &c. Sub mortem suam hortatus est Dauid Salomonem obseruare custodias Domini Dei sui, vt ambularet in viis eius, vt custodiret ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia [h]. Eadem suggessit Deus, pollicens longos dies [i]. & vt id omnes facerent orauit in dedicato à se templo [k]: & quia id ipse non fecit, scidit Deus regnum illius [l]. Frequentatur eadem phrasis in Psalmis [m] ambulandi in viis vel iudicus Domini, vel in lege, præterea in Esaia [n], Ieremia [o], Baruch [p], Ezechiele [q], Osea [r], Zacharia [s], Machabæis [t] de lege, præceptis, testimonis, iudiciis, nomine Domini. Progressum profectúmque indicant hæc omnia, & vt nunquam in exercitio consistamus virtutis; quemadmodum & vsitatissimum in noui Testamenti libris ambulandi verbum, præcipuè Pauli [u] epistolarum, necnon Ioannis [x]: quod in deteriorem quoque partem accipitur de ambulante secundùm carnē [y], secundùm hominem [z], in astutia [aa], secundùm sæculum [bb], in vanitate sensus [cc], inordinatè [dd], inquietè [ee], in luxuriis, desideriis, violentiis, comessationibus, potationibus illicitis, idolorum cultibus [ff], post carnem in concupiscentia immunditiæ [gg], &c. Tam in malo, quàm in bono sisti non potest in hac vita quæ via est, & per quam perpetuò peregrinamur.

Et diligas eum.] Timori iungendus amor Dei: qui etiam timor si sit filialis, nequit esse absque caritate, quæ solum seruilem foras mittit qui pœnam habet [hh]. Sed cùm imperfecti timent, amant perfecti, suo modo vtrique satisfaciunt, & ad posteriorum perfectionem caritatis procedunt per timorem adhuc imperfectum priores.

Ac seruias Domino Deo tuo.] Græcum verbum est λατρεύειν, de quo antea dictum est accommodari ad proprium soli Deo honorem cultúmque, sicut & nomen τῆς λατρείας: pertinéntque ad virtutem religionis, quæ post theologales perfectissima est. Gallicè *le seruice diuin* significat Missæ sacrificium, & officium ecclesiasticum siue canonicas horas.

In toto corde tuo, & in tota anima tua.] Lege cap. 4. [ii] & 6. [kk] Integritas ac totalitas hæc inter alia potest significare, ne cum Deo vno & vero alij colantur dij, qui non possunt non esse falsi. *Diuisum est cor eorum*, inquit Oseas [ll], *nunc interibunt: ipse confringet simulachra eorum; depopulabitur aras eorum.* Diuisum cor a lege interpretatur paraphrastes Chaldæus: Lyranus partim idola colendo, partim Deum; sicut Elias

dicebat

a in Mich. 6.
b in Psal. 127.
c lib. 4. cap. 31.
d vers. 22.
e vers. 9.
f vers. 17.
g vers. 9.
h 3. Reg. 2. 3.
i c. 3. 14.
k c. 8. 58.
l c. 11. 31. 32. 33.
m Ps. 77. 10. Psal. 80. 14. 1. 88. 31. Ps. 118. 1. Ps. 127. 1.
n c. 2. 3. cap. 42. 24.
o c. 26. 4. c. 32. 23. cap. 44. 10. 23.
p c. 1. 18. c. 3. 13. cap. 4. 13.
Ambulandi verbum.
q c. 5. 6. 7. c. 11. 12. 20. c. 16. 47. c. 18. 9. 17. c. 20. 13. 16. 19. 21. c. 33. 15. c. 36. 27. c. 37. 24.
r c. 14. 10.
s c. 3. 7. c. 10. 12.
t li. 1. 6. 24.
u Rom. 4. c. 8. 4. c. 13. 13. c. 14. 1. 1. Cor. 1. 2. ep. 4. c. 12. 18. Gal. 5. 16. 25. Ephes. 2. 10. c. 4. 1. c. 5. 2. 6. 15. 10. c. 2. 6. c. 4. 5. 1. Thes. 2. 12. c. 4. 1. 12.
Amor Dei.
x 1. ep. 1. c. 2. 6. ep. 2. v. 4. 6. ep. 3. v. 3. 4.
y Rom. 8. 1. 4. 2. Cor. 10. 2. 3.
z 1. Cor. 3. 3.
Latriæ nomen.
aa 2. Cor. 4. 2.
bb Eph. 2. 2.
cc c. 4. 17.
dd 2. Thess. 3. 6.
ee vers. 11.
ff 1. Pet. 4. 3.
gg 2. epist. 2. 10.
hh 1. Ioan. 4. 18.
ii vers. 29.
kk vers. 5.
ll c. 10. 2.

dicebat claudicare in vtramque partem, qui cum Deo colebant Baal [a]. Et pro (*ipse*) qui Deum significat per hostes idola confracturum; R. Salomon legens (*ipsum*) explicat de corde: quoniam separatio a Deo causa illius fuit subuersionis & interitus: alij de diuisione in cultu circa diuersa idola: quidam aliis modis qui non sunt ita ad rem, vt quando per diuisionem regni inter Roboam & Ieroboam introducta est vitulorum adoratio: aut cùm discordia orta est inter regem Osee & populum, illo iubente dimitti idola, hoc repugnante, vnde secuta captiuitas, &c.

a 4. Reg. 17. 2.

Custodiásque mandata Domini.] *Dei tui* additur, Græcè τοῦ θεοῦ σου: legiturque à non semel citato Hieronymo. Irenæus enim & hoc, & id quod sequitur, omittit: Hilarius habet *præcepta eius*. Per mandata porrò intelligi possunt & moralia, & iudicialia præcepta: quia sequenti membro nominantur ceremoniæ. Generale nomen est מִצְוֹת *misuoth*, & ἐντολαί.

Et ceremonias.] Græcè καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, *iustificationes eius*, vt legit quoque citato loco Hieronymus: de quibus vocabulis egimus aliàs.

Quas ego hodie præcipio tibi.] Idem Hieronymus (*quæcumque ego mandabo tibi hodie*, quasi legisset in futuro verbum Græcum, nempe ἐντελοῦμαι, & non vt nunc est ἐντέλλομαι in præsenti ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον.

Vt benè sit tibi.] Lege annotata cap. 4. [b] 5. [c] 6. [d] de ista formula, quæ alibi [e] sæpiùs reperitur: cui similis est bene agi cum aliquo. In mensa & inter scyphos & pocula, vt libare diis dapes, & benè precari moris fuisse Liuius [f] scribit, iactari consueuerat hæc vox BENE. Profert Brissonius [g] exempla non pauca ex Plauto, Tibullo, Ouidio, Nonio, Terentio, Persio, Cicerone, &c. de eadem voce, & de his BENE SIT: præterea de verbo BENEDICERE, cui contrarium MALEDICERE, vt idem valet quod malè precari. Rectè autem notat Abulensis particulam (*vt*) non dicere finem, sed consecutionem; quia non est Deo seruiendum ex ea intentione vt benè sit nobis; videlicet solùm ac per se.

b vers. 40. c vers. 6. 28. 29. 33. d vers. 3. 18. Tò Bene. e Gen. 12. 13. c. 40. 14. Num. 11. 15. Deut. 12. 25. 28. c. 15. 16. c. 19. 13. c. 22. 7. c. 28. 63. Ruth 3. 1. 3. Reg. 25. 24. [illegible] 1. Eccl. 53. 19. c. 12. 3. Ier. 7. 23. c. 1. c. 22. 15. c. 32. 39. c. 38. 20. c. 40. 9. c. 42. 6. c. 44. 17. Dan. 3. 30. Oleæ 2. 7. 1. Macha. 8. 23. Ephes. 6. 3. Ly. ve. f lib. 19. g lib. 1. de form. pag. 90. & seqq.

Vers. 14.] En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt:

Vers. 15.] Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis Gentibus, sicut hodie comprobatur.

Paraphr.

NE quis ambigeret, quin benè posset esse à Deo illi, qui seruiret ipsi; quod proximè dictum fuerat: & vt intelligeretur Deum non exigere ab illo seruitutem, quòd ea egeat; vel in eum finem peculiariter elegisse populum Hebræum tanquam magis idoneum præstandæ dictæ seruituti, docet Moses in ditione huius Dei cuncta esse posita, cœlos omnes, ac terram, intermedia, & iisdem contenta, nominatim autem omnes hominum nationes, cùm Gentes coram Deo quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputentur: & insulæ quasi puluis exiguus; & quasi non sint, sed nihilum & inane [h], tantæ verò sit Deus maiestatis, vt Libanus (qui thus profert) non sufficiat ad succendendum (in honorem illius,) animalia ad holocaustum [a]. Theodoretus [b] pro innumeris & amplissimis beneficiis dilectionem & obsequium exigi obseruat: sed ne forte opinarentur sacrorũ ritus institutos à Deo, quia nidore delectaretur, aut aliquo suffitu indigeret, adiecit; *en Domini tui cœlum & terra*, &c. Vnde planè sequitur delectus dilectionísque diuinæ circa populum illum Hebræum non posse causam ascribi, nisi mero beneplacito Dei omnipotentis nullo prorsus homine, nulla omnino re indigentis. Quod tanto magis auget huiusmodi pretium beneficij; eóque affectos obstringit magis ad tam beneuolum beneficúmque ac potentem Dominum timendum, amandum, eiúsque voluntati, & cunctis mandatis sine vlla penitus exceptione vel tergiuersatione obediendum. Deprecanti pro præuaricatore illo populo Mosi responsum est à Deo, non defuturam gentem aliam maiorem, fortiorem, & nimirum meliorem loco Hebræorum, si hos, vt eorum exigebant peccata, deleret [c]. Conterere potest multos, & innumerabiles, & stare facere alios pro eis [d]: nec imputabit quis ei si perierunt nationes quas fecit [e]: *si peccaueris, non ei nocebis: si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, nihil facies contra eum: si iustè egeris, nihil donabis ei, nihilque de manu tua accipiet: hominem, qui similis tui est, nocebit impietas tua; & filiũ hominis iuuabit iustitia tua* [f]; cùm cœli & terræ sit Dominus, nõ in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia [g]: αὐτάρκης est sibi sufficiens, quod etiam valet שַׁדַּי *sciaddai*: Deus ac Dominus noster est, quia bonorum nostrorum non eget [h]: οὐ χρείας ἕνεκα ὁ θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον, *non necessitatis causa Deus fecit* [i] *mundum*: natura Dei [*]

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Priùs quoque cum Irenæo & Augustino demonstratum est Deum in suam amicitiam asciuisse Abraham & alios gratis, spontè, liberaliter. Ipsemet Christus protestatus est, quòd non illum discipuli, sed illi à se electi fuissent [k]: & præ aliis dilectus Ioannes [l] affirmauit in hoc esse caritatem, non quasi nos Deum dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos [m].

h Esa. 40. 15. 17.

a ibid. vers. 16. b quæst. 7. c Exo. 32. 10. Num. 14. 12. Deut. 9. 14. d Iob. 34. 24. e Sap. 12. 12. f Iob 35. 5. & seqq. g Act. 17. 25. h Psal. 16. 2. i Theodor. ex Socrate apud Platonem. * Lucret. lib. 1. k Ioan. 15. 16. l c. 13. 23. c. 19. 26. c. 21. 7. 20. m 1. Ioan. 4. 10.

En Domini Dei tui cœlum est.] Quamuis formam numeri dualis habeat apud Hebræos cœli nomen שָׁמַיִם *sciamaim*: crebrò reddi solet per nomen numeri singularis; quidquid sit de notatione quasi à שָׁם *sciam*, & מַיִם *maim*, ibi *aqua*, ita vt ibi censeantur esse veræ aquæ, aut ex veris aquis compacti cœli, seu ex materia earum conditi. Deus cœli cognominatur sæpiùs Deus, ac præcipuè quando comparatur cum falsis diis, vt aliàs annotaui.

Explanatio.

Deus cœli cognominatus Deus.

Et cœlum cœli.] Potuit quoque reddi (*cœli cœlorum.*) si ad Hebræam editionem attendatur, in qua, vt dixi, formæ dumtaxat dualis est שָׁמַיִם *sciamaim*. Et aliquam tamẽ esse differentiã oportet, cùm hîc nominatur cœlum cœli, proximè verò antè cœlum? Opinio est, per cœlum cœli, primum ac summum intelligi; quod aliter appelletur Empyreum: & ab Apostolo [n] tertium cœlum, & factum asseretur primo die à Deo cum terra, cúmque aquarum mole, seu abysso: die autem secunda cœlum octauum, cum orbibus vicinis: & astra die quarto: per cœlos cœlorum, orbes supra sphæram ignis & aëris, qui duo interdum cœli vocantur: per aquas super cœlos,

Cœlum cœli quid.

n 2. Cor. 12. 2.

veræ aquæ ſuper aëreas regiones eleuatæ. Hac de re alibi nonnihil egi, déque Aſtronomis, vndecim cœlos diſtinguentibus, præter duodecimum Empyreum. Lege alios commentarios, præcipuè Pſalmi 148.[a] & Geneſis Enarratores, tractatoréſque de opere ſex dierum, quos ibidem citaui, quibus adde poſthumum tractatum ſummi Theologi noſtri Suareſ. Concedo Chryſoſtomo[b], ex numeri pluralis cœlorum nomine, argumentum neceſſarium non colligi, quòd ſint plures; quia Hebræa lingua, vt eſt dictum, eo ſolùm numero, ſiue duali, vtitur ad exprimendum cœleſte corpus. Sed aliunde pluralitas eruitur ex diuinis Scripturis, & ratione. Noſter Sa hoc loco, notans pro cœlo cœli, legi poſſe cœlos cœlorum, interpretatur cœlos cœlorum, cœlos altiſſimos: aut cœlos qui apparent per cœlum, ſeu cœlos, per cœlum cœli, ſiue cœlos cœlorum, eos qui ſuprà apparentes ſunt. Mariana per cœlum cœli; cœlóſve cœlorum omnes cœlos, aut præcipuos: Cornelius cœlos vaſtiſſimos & altiſſimos, qui omnes inferiores orbes ambiunt: Lyranus, Abulenſis, Rickelius, Marſilla cœlum Empyreum nobis inuiſibile, quod per antonomaſiam dicitur cœlum; in priore membro per cœlum, id quod ſydereum eſt atque viſibile: Caietanus per cœlos eos qui ſunt inferiores; per cœlos cœlorum, qui ſuperiores: Vatablus ret cœlos hìc poni incrementi cauſa, quaſi dicat cœlos vaſtiſſimos qui ſeſe latiſſimè porrigunt; vel per cœlos cœlorum omnia quæ in eis ſunt: Oleaſter per cœlum cœlorum id quod ſupremum eſt: aut per cœlum aërem: per cœlum cœlorum firmamentum, vel aſtra cœlorum, quemadmodum de terra dicitur ſtatim, *& omnia quæ in ea ſunt.* Hieronymi[c] myſtica interpretatio iſtius ac ſimilium locorum, cùm ſcribit, non more Iudaico accipi debere, vt Deus vllo claudatur loco, & in cœlo tantùm habitet: qui vbique diffuſus eſt, à quo omnia continentur: ſed excelſa & cœlos, ſanctos meritò intelligi atque virtutes.

a verſ.4.
b hom.4.in Gen.
c in Eſa.57.

Terra.] Per cœlum cœlóſque vt opponuntur terræ tanquam alteri extremo, comprehendi ſolent ac debent media omnia ignis, aër, aqua.

Et omnia quæ in ea ſunt.] Proculdubio illa etiã quæ in dictis medijs corporibus, immò & in cœlis ſiue aſtra ſint, ſiue beati ſpiritus. *Fecit Deus cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt*[d]; *ipſius ſunt cœli, ipſius eſt terra, orbem terræ, & plenitudinem eius ipſe fundauit; aquilonem & mare ipſe creauit*[e]; ipſemet ſuum affirmat eſſe orbem terrarum & plenitudinem eius; omnes feras ſiluarum, iumenta & boues, volatilia cœli, & pulchritudinem agri, ita vt non egeat quaſi eſuriens externis ſacrificiis, ſed requirat vt immoletur ſacrificium laudis[f].

d Pſ.145.6.
e Pſ. 88.12. 13.
f Pſ 49.10. & ſeqq.

Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos.] Hebraicè & Chaldaicè (*verumtamen*, vel, *dumtaxat tamen in patribus tuis adhæſit*, vel *complacuit*, vel *voluit*, vel *elegit*, *Dominus vt diligeret eos.*) Hebræum חָשַׁק chaſcak, valet concupiſcere, deſiderare, amare, diligere, complacere, adhærere, complecti, coniungi alicui, propenſo animo eſſe in aliquem, in aliquo voluptatem, ſeu oblectationem capere. In cap. 7. 8 ſimili ſenſu dicebat Moſes (*vobis iunctus eſt Dominus:*) vtrubique verò eſt προείλετο, *prælegit:* hìc autem pro *patribus tuis* textus Græcus habet *patres noſtros*, πατέρας ἡμῶν. Conglutinata dicitur anima Sichem cum Dina, quam vi virgineã

g verſ. 7.

oppreſſerat[a]: quod verbo Hebræo דָּבַק *dabak* adhærere exprimitur; & Græco προσέχειν, *intendere*, & Chaldæo אִתְרְעִיאַת *ithrabha*, *complacere*. Item anima Ionathæ animæ Dauid, quem diligebat quaſi animam ſuam[b], Hebraicè נִקְשְׁרָה *nikſcerah* ligata, Græcè συνεδέθη, quod idem ſignificat; vt etiam Chaldaicè אִתְחַבְּבַת *ithchabbebath*; præterea conglutinatus in terra venter[c] דָּבְקָה *daukah*, ἐκολλήθη, דְּבִקַת *dinkath*. Similis phraſis eſt, qua dicitur homo adhærere vxori[d], per idem verbum דָּבַק *dabak*, & προσκολληθήσεται: vel adhærere Domino[e]. Sed alijs omiſſis, cum verbo Hebræo, Chaldæo, Græco iſtius loci noſtri, Emor dixiſſe ſcribitur de filio ſuo Sichem, quòd anima illius adhæſiſſet animæ Dinæ חָשְׁקָה *chaſkah*, אִתְרְעִיאַת *ithrehbiath*, προείλετο. Amicitias non rectè conglutinari Cicero[f] dixit vtilitate; conglutinari verò teſtimoniis[g]: voluntates conſuetudine[h]. Terentius meretricios amores nuptiis: rurſum prior conglutinari concordiam[i]. Conuenit Terentiana formula facto illi de Dina quod attigi: ſitque coniunctione & commixtione corporum nõ conglutinatio, ſed vna caro[l]; cor autem vnum & anima vna per caritatem[m], immò & vnus ſpiritus cum Deo per adhæſionem cum ipſo[n], actíque ſpiritu ipſius[o] aliqui dicuntur. Amoris vim vnitiuam eſſe & concretiuam ſcribit Dionyſius[p] ἑνωτικὴν καὶ συγκρατικήν. Explicat Aquinas[q] in Deo huiuſmodi vim abſque compoſitione, in quantum vult bonum ſibi, quod non eſt aliud quàm ipſe; & aliis referendo & veluti aggregando ad ſeipſum. Præterea docet[r] poſſe aliquem diligere ſeipſum, etiamſi amori tribuat dictam vim Areopagita; quoniam ſicut plus eſt eſſe vnum, quàm vniri; ita amor magis eſt vnus ad ſeipſum, quàm ad diuerſa, quæ ei vniuntur: Patrem verò illum vſum vnitione & concretione; vt oſtenderet deriuationem amoris à ſe in alia, ſicut ab vno deriuatur vnitio. Hanc porrò vnitatem amoris creati denotant honeſta inter homines oſcula, amplexuſque: tritum & illud; ibi potiùs animam eſſe vbi amat, quàm vbi animat: item quòd ex duobus hominibus conflarit vnum Vulcanus. Diſſoluere amicitiam Dei erga illum quem amat, nullus poteſt, nec eum qui amatur, diuellere, ac ſeparare nihil valet[s], niſi velit. Melior Deus faber Vulcano, quàmque faber ille, qui apud Eſaiam[*] percutiens malleo, confortat eum qui cadit, dicens, *glutino, bonum eſt: & confortat clauis, vt non moueatur. Mihi adhærere bonum*[t] *eſt. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos, ſic*, ait Dominus in Ieremia[u], *agglutinaui mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Iuda, vt eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* Sed ſubdit quòd non audierunt, id eſt, non obedierunt; ac ideirco lumbare computruit, quod ſuper lumbos ſuos iuſſu Dei poſuerat Propheta[x]. Queritur idem Deus, quòd cùm non obliuiſcatur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ, populus tamen eius oblitus ſit ipſius diebus innumeris[y]. *Caueat ergo*, inquit Hieronymus[z], *qui poteſt dicere; mihi*[aa] *autem adhærere Deo, bonum eſt, ne fortè per negligentiam ab illius renibus ſeparetur (aſſumptus videlicet ſingulari admodum beneficio ab illo adhuc illotus, non maceratus aqua, ſeu madefactus, adhuc aſper ineptuſque vt illius agglutinaretur lumbis) & tranſeat Euphratem, & detur in poteſtatem regis Aſſyri, & nequaquam in ſolidiſſima petra, ſed in foramine petræ corrupta atque vitiata, hoc eſt, in hæreticorum ſordibus & vitiis* (adde ſo, vel ſacro, vel ordine religioſo

a Gen.34. 23.
b 1.Reg.18. 1.
c Pſ. 43 26.
d Gen.2.24. Matt. 19.5. Marc.10.7. Epheſ.5.31.
e Deut.4.4. c.11 22.c. 13.4.c 30. 20 & alibi.
f de Amicit.
g lib. 7. ad Attic. ep 8.
h lib.11.fam. ep epiſt 16.
i in Andr. act. 3.
k 1. ad Att. ep.17.
l Gen.2.24. Matt. 19.5. 6. Marc. 10 8.
m Act. 4 32.
n 1. Cor.6. 17.
o Rom.8. 14.
p de diuin. nom.c.4.
q 1.p. q.20. a.3.ad 3.
r q.60. a. 3. ad 2.
s Rom.8. 35.39.
* Eſa.41.7.
t Pſ. 72. 28.
u c.13.11.
x Ibid.v.1. & ſeqq.
y c.2.32.
z in Ier. 13.
aa Pſal. 72. 28.

coniuncte

coniuncte Deo in sæcularibus curis) *occupetur, & in tantam veniat putredinem, vt in vsum & cunctorum Domini vltrà redire non possit.* Vt non meliores quàm qui profecissent in monasteriis expertus erat Augustinus [a], ita nec peiores quàm qui ceciderunt in iis. Quemadmodum iustitia cingulum lumborum Christi dicitur, fidésque cinctorium renum eius [b], quoniam tam cum inuncte ipsi erant, vt cingulum ei qui præcinctus est; sic nos oportet succinctos esse [illegible] lumbari baltheo, subligaculo in veritate [c], id est, ipsa veritate, qui est Christus [d]; immò indui ipsummet Dominum Iesum Christũ [e]; quos Petrus [f] de lumbis mentis loquẽs succingi etiam præcipit. Notabiles Elias [g] & Ioannes Baptista [h] cinctu lumborum zonaque pellicea, & de quodam olim dictum, *Cauete ab homine male præcincto.* Agglutinatam sibi Christus naturam humanam hactenóque hypostaticæ vnionis astrictam non dimittet, sed velut in pontificia veste [i] vniuersos nos depictos coniunxit sibi. Et cùm veluti quereretur se à Patre derelictum (Matth. 27.46. Ps. 21.1.) in tantam vnitatem Dei & hominis naturæ inquit Leo (Ser. 17. pass.) conuenit, vt nec supplicio potuerit diuini, nec morte disiungi. In passione quidem desiit Christus esse homo, sed à corpore animaque verbum diuinum separatum non est; quemadmodum quod cõglutinatum est si diuidatur, defert secum frusta, quasi prioris indiciũ adhæsionis; nec enim auellitur, nisi quod inhæret, infixum, innexum est ei à quo vt auferatur, auellitur, inquit Tertullianus (de carne Christi c. 20.) Semen Abrahæ apprehendit Christus (Heb. 2. 16.) ἐπιλαμβάνει vt solent qui persequuntur auersos ἀποστρεφομένους, inquit Chrysostomus, eúmque, vt solent, imitati Theophylactus, OEcumenius, Euthymius, aliique; & omnia faciant vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant: Angelos non apprehendit fugientes cadentésque tanquam fulgura (Lucæ 10. 18.) describit Anacreon (carm. de amo.) amorem nihil iaculis iactis proficientem, vt sibi quendam deuinciret, ac proinde seipsum in illum immittentem, ac penetrantem, sicque suum reddentem. Conclude vero

τί γὰρ θωρηξόμεσθα ἔξω μάχης ἔσω μ' ἐχούσης;

Nam cur paramur extra; cùm prælium sit intus.

Sit dilectus tuus sibi, tuique [k] illi. Tene, nec dimittas [l]. Non dissimilis Dei querimonia verbis Oseæ [m] refertur. *Quasi vuas in deserto inueni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum: ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Circa verba præsentis loci nostri noster Iacobus [n] Aluares format piam quandam contemplationem de amabilitate Dei; qui cùm sit sublimis & excelsus, ideóque dignus timeri & amari, descenderit ad nostram vtilitatem, nósque ad suam extulerit celsitudinem & maiestatem. Non posse id comprehendi docet illud [o]; *sic Deus dilexit mundum*, &c.

Elegitque semen eorum post eos.] Effectus dictæ conglutinationis & amoris Dei erga patres Hebræorum, seu Patriarchas, præsertim Abraham, Isaac, Iacob, fuit vt in gratiam eorum benefaceret posteritati. Sic etiam priùs c. 4. [p] *Dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos*; de qua electione prætere in c. 7. [q] & 14. [r] & 26.

Id est, vos.] Interpres adiecit (*id est*) quod alibi facit non tarò. Nec emphasi caret pronominis expressio; quasi hi quos alloquebatur Moses inter electos præelecti essent, quia in deserto perierant ii qui ab annis ætatis viginti & supra egressi fuerant ex Ægypto [a].

De cunctis Gentibus.] Populos habet Hebræus textus; & Chaldæus עממיא [illegible] *balhammim*, [illegible] *bluemematia*: Græcus ἔθνη, *gentes*. Populi enim & gentes plerúmque sumuntur vt synonyma. Vnde c. 7. [b] in omnino simili sententia; *te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Magna dignatio, singulare priuilegium, beneficiũ eximium, vt qui dominus omnium gentium ac populorum est, vnam gentem populumque vnum suum peculiariter velit dici & esse. Reflectat ad se quisque similem cogitationem, quòd inter tot myriadas infidelium, Iudæorum, hæreticorum è Christianis natus sit; inter adeò multos Christianus ad peculiarem vocatus Dei seruitutem, &c.

Sicut hodie comprobatur.] Breuiùs iuxta reliquas editiones (*sicut dies hæc*, aut *die hac*, aut *secundùm diem hanc.*). Antea & præcedentibus [c] capitibus (*vsque in præsentem diem; sicut est in præsenti die, sicut cernitis in præsenti die, sicut præsens indicat dies, sicut est hodie*) & iterum c. 29. [d] (*sicut hodie comprobatur.*).

a Num. 14. 36. Deut. 1. 35.

Gentes & populi pro synonymis.

b vers. 6.

c c. 13. 14. c. 4. 4. 20. 38. c. 8. 18. c. 6. 24. c. 10. 8.

d vers. 28.

Vers. 16.] Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis ampliùs.

MAgna peruersitas, nec vllo modo ferenda ingratitudo, electum à Deo tam singulariter populũ, & a cæteris cunctis populis adeò multis discretum signis, illustribúsque diuini amoris, ac beneficentiæ argumentis: insuper præterea, sacratúmque circumcisionis, seu præcisi præputij charactere, in colẽdo Deo vero nihil à præputiatis distare: nec à corde, animóque remouere superfluas curas, desideria, concupiscentias; immò præterea instar indomiti iumẽti legis ipsius detrectare iugum: flectique tot beneficiis, promissis, pœnis, minis ad obtemperandum nolle. *Circumcisionem sensibilem præterit*, ait Procopius; *cùm tamẽ præputium ferrent: siquidem Iosue in Galgalis circumcidit eos; Iosue cordis circumcisionem vt digniorem loco eius ponens.* De priore dicendi formula consule quæ dixi in Leuitico [e], & actibus [f] Apostolorũ: de posteriore quæ c. præcedente [g]. Ad priorem pertinet adhortatio Ieremiæ [h]: *circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, & habitatores Ierusalem.* Præterea quòd incircumcisos vocet [i] auribus: sicut & Stephanus [k] simul cum corde: & de corde Ezechiel [l]. Primo autem Ieremiæ loco notat Hieronymus legere Symmachum (*purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrorum.*) Tũ, *Vbi sunt*, inquit, *qui in cogitationibus dicunt nõ esse peccatum, cùm omnia vitia iuxta euangelicam veritatem, de corde procedant* [m]? Iustinus [n] ex hoc, & similibus locis argumentatur carnalem circumcisionem per se intentam à Deo non fuisse, sed in signum, vt essent Hebræi ab aliis Gentibus discreti; & vt soli paterentur quæ nunc meritò patiũtur: & vt regiones ipsorũ ad solitudinẽ redigerentur, ciuitates igni vastarentur; fruges illorum in conspectu eorum alieni consumerent; neque quisquã eorum Ierosolymã ingrederetur; quoniam alia nota non est, per quam præ cæteris mortalibus agnoscantur, quàm ista in carne ipsorũ circumcisio. Idẽ traditur ab Irenæo [o], qui legit duritiã cordis, quòd hinc discamus circumcisionẽ non quasi consummationem iustitiæ, sed in signo datã vt cognoscibile perseueraret genus Abrahæ;

Paraphr.

e c. 19. 23. c. 26. 41.

f c. 7. 51.

g v. 6. 13.

h cap. 4. 4.

i cap. 10. 6.

k Act. 7. 51.

l c. 44. 7. 9.

m Matt. 15. 18. 19.

n contr. Tryph.

o li. 4. c. 30.

a epist. 137.

b Esa. 11. 5.

c Ephes. 6. 14.

d Ioan. 14. 6.

e Rom. 13. 14. Gala. 3. 27.

f 1. ep. 1. 13.

g 3. Reg. 3. 5.

h Matt. 3. 4. Marci 1. 6.

i Exo. 28. toto.

k Cant. 1. 13. c. 2. 16. c. 6. 2. c. 7. 10.

l Cant. 3. 4.

m c. 9. 10.

n to. 3. li. 3. p. 3 decad. 7. contempla. 67.

o Ioan. 3. 16.

p vers. 37.

q vers. 6. 7.

r vers. 2.

s vers. 18.

& quòd secundùm carnem circumcisio circumcisionem præfigurabat spiritalem, & non manufactam [a]. Attamen aliæ postea præter Iudæos infideles nationes circumcisione vsæ sunt. Tertullianus [b] notat hic circumcisioni præfecti cordis præputiationem, quoniam apud Deum facta circumcisio cordis est, non carnis; spiritu, non litera [c]; & Ieremias quem citaui ad circumcidendum præputia cordis inuitat, sicut & Moyses; *circumcidemini* (sic legit ipse) *duricordiam vestram.* Contra Iudæos [d] verò disputans, prouidentiam Dei dicit fuisse dandi circumcisionem Israël in signum vnde dignosci posset. Ambrosius [e] recitans præsentem locum; *Circumcidite duritiam cordis*, perfectam circumcisionem scribit esse spiritalem; & mandati cordis intelligibilis circumcisionem cum circumcisione carnis sensibilis, illam in veritate, istam in signaculo; denique animi & corporis abstinentiam. Addit Ægyptios quartodecimo anno circumcidere solitos mares & fœminas, quòd ab hoc anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua sumant exordia: legislatorem in solis maribus exegisse, quoniam ad mixtionis vsum vehementiores sunt; & licitos putant abstinendo ab adulteriis, meretricios vsus: cùm præter coniugium nec viro liceat, nec fœminæ misceri alteri. Denique ait libidinis furorem circumcisione retundi. Quod medici quoque docent, proli videlicet & libidinis incitamentis nocere. Is qui sub eiusdem nomine auctor est commentariorum in epistolam ad Romanos [f], scribit, quòd circumcisio non habet laudem apud Deum, sed cordis circumcisio laudabilis est apud illum; atque hoc primum dixisse Moysem; *Circumcidite duritiam cordis vestri*; deinde Ieremiam [g]; *circumcidite præputium cordis vestri*, loquendo Iudæis idola sequentibus. Philo [h] ait lege hac nos admoneri excindere superflua mentis germina, & cauere ne ceruix dura sit, hoc est, refractaria, datáve opera dorent ad ruditatem noxiam: sed omissa intractabilitate natiua & perniciosa, flectatur ad ea quæ decet, obsequendo naturæ legibus. In catena Græca M.S. scriptum reperi σημειωτέον ὅτι καὶ Μωϋσῆς ἐν κρυπτῷ θέλει γίνεσθαι περιτομὴν ἐν καρδίᾳ, *annotandum quòd & Moses in abscondito vult esse circumcisionem in corde.* Galatinus [i], & præsentis & Ieremiæ citato testimonio, probat circumcisionem tempore Messiæ non carnalem, sed spiritalem futuram fuisse: præterea libri nostri c.30. [k] *circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Profert Rabbinorum quoque eadem de re sententias, & ex Scripturis præputium quadruplex in aure [l], in ore labiisve [m], in corde [n], in corpore [o]: cúmque prima tria spiritualiter tantùm accipi possint, ideo esse de triplici circumcisione. Aliàs dixi de circumcisione, an gratiam conferret in lege vetere, remitteretque peccatum originale, vel esset signum dumtaxat; quo qui careret, deleretur non de populo beatorum, sed de externo illo Hebræorum. Quæ opinio satis indicatur à citatis Patribus, item à Chrysostomo [p], & ab aliis, quos profert, sequitúrque noster Bellarminus [q], necnon Vasques [r], Iustinianus [s], Ystella [t], Delrius [u], Caietanus [x], & alij apud Vasques. Eo quidē charactere cùm nudatus senex sub Domitiano, deprehensus esset Iudæus, pendere tributum compulsus est [y]: & Iudæi quidam arte medica (de qua Celsus [z], & Epiphanius [aa], Iosephus [bb]) adducebant seu reducebant

a Col. 2. 11.
b 5. contr. Marc. c. 13.
c Rō. 2. 29.
d lib. contr. Iudæos.
e 2. de Abr. c. 11.
f in c. 2.
g c. 4. 4.
h lib. de victim. offer.
i lib. 11. c. 7.
k vers. 6.
l Ier. 6. 10.
m Exo. 6. 12. 30.
n hic à Ier. 9. 26. & Deu. 30. 6.
o Gen. 17. 10. & seqq.
p hom 29. & 49. in Gene.
q li. 1. de sacram. c. 12. prop. 5. & lib. 2. c. 14. & seqq.
Præputium quadruplex.
r 1. 2. disp. 130. c. 2. & disp. 184. c. 3. & in ep. ad Roma.
s in epist. ad Rom. c. 4.
t in Gen. 17.
u ibidem.
x ibidem.
y Sueton. in Domit.
z li. 12. c. 6.
aa de pond. erib.
bb 12. antiq. c. 6.

præputia, vt etiam indicat historia Machabæorum [a], & Paulus [b]; quamuis negent posse fieri Origenes [c], Hieronymus [d], Caietanus [e]. Idē porrò Celsus indicat, quod aliàs dixi, posse cum glande nuda nasci aliquem, quem vocant Græci λειπόδερμον, vt Dioscorides [f] agens de quadam planta, quæ χρησιμεύει πρὸς ἐπαγωγὴν ἐπὶ τῶν μὴ ἐκ περιτομῆς λειποδέρμων, *vtilis est ad inducendum glandi pellem in iis qui natura, non circumcisione crati sunt.* Gregorius [g] magis tropologicè declarans illud Iob [h]; *accinge sicut vir lumbos tuos*, vt qui priùs luxuriam vicerit corruptionis, luxuriam restringat elationis, ne de patientia vel castitate superbiens, tanto peius intus ante Dei oculos luxuriosus existat, quanto magis ante oculos hominum & patiens, & castus appareat, profert præsentem locum; *circumcidite præputia cordis vestri*, id est, postquam, inquit, luxuriam à carne extinguitis, etiā superbiam cogitationum resecate. Superbiam eodem caueri modo Ioannes [i] Vitalis hoc loco obseruat, quæ ita obdurari soleat per obstinationem, vt flecti nō possit per humilitatem. Pertinet hoc potiùs ad secundum textus nostri membrum de indurata ceruice. Confirmat porrò Senecæ [k] testimonio hortantis, vt antè animum formare incipiamos & recorrigere, quàm indurescat prauitas eius: nec indurata tamen desperanda; quoniā nihil sit quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura; cùm etiam robora in rectum quamuis flexa reuocari queant: curuatas trabes calor explicet, & aliter natæ in id fingantur quod vsus noster exigit: eo faciliùs animum excipere formam, flexibilem, & omni humore obsequentiorem. Eodem spectat Horatius [l],

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator;
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit;
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Si sub inuido superbum, sub inerte comprehendas auarum, capitalia septem vitia ibi deprehendes. Quamquam nonnullorum adeò durum ingenium est ranquc in prauum induruit, vt frangas potius quàm corrigas [m]. His opus malleo petras conterente [n], scissione cordium, non vestimentorum [o].

Circumcidito igitur præputium cordis vestri.] Illatiuam particulā expressit Interpres pro connexiua, ו, ve, quæ coniunctio nonnumquā posita eiusdem illatiuę vsum habet. Quid sit præputium non ignoratur: est nempe pellis, quæ glandē, siue summā colis, penisve, aut virilis membri partem tegit. A præputando deriuant; eo quòd Iudæi præputarent, id est, præscinderent. Refellunt aliqui [p]; quoniam syllaba secunda longa est in præputio: idque nomen vsitatum videtur priusquam sciretur à Iudæis partē illam præsecari solitam: & originē tradūt, vt sit quasi προπόσθιον, quia πόσθη pellem valet qua glans pudendi virilis integitur. Plura immutantur in notatione posteriore: nec afferetur exemplū vsurpatæ vocis præputij, nisi de Iudæis. Forsitan per antiphrasin putum dicitur, id est, purum membrum, quod honeste nominari nō solet, sicut Hispanicè *puta* meretrix, Italicè *puttana*, ac muliebre pudendum *pota*; Gallicà *putain*. Denique propter Iudæos excogitatum præputij nomen probabile est, sicut apellæ, & recutiri. Apud Ieremiam [q] quem citaui, est, *circumcidimini Domino, auferte præputia cordium vestrorum.* Vbi Græcè pro præputiis quæ vocantur Hebraicè עָרְלוֹת *bhorloth*, pluraliter, sicut hic numero singulari & in regimine עָרְלַת *bhorlath*, ponitur σκληροκαρδία, *agritia cordis*, quemadmodum & hoc loco: Chaldaicè

a li. 1. c. 1. 16.
b 1. Cor. 7. 18.
c 4. periarchon.
d 1. cōtr. Iouin. & in Esa. 52.
e in 1. Cor. 7.
f li. 4. c. 157. & quidem citat auct. thesau. Græ.
g 18. mor. c. 4. vel 7.
h c. 38. 3.
Curanda superbia.
i speculo mor. script. verbo superbia.
k epist. 50.
l lib. 1. epist. ep. 1.
m Quintil. lib. 1. c. 3.
n Ier. 23. 26.
Explanatio loci 2. 15.
Præputium quid, & vnde.
p Christ. Becman. in origin. Lat. linguæ.
q c. 4. 4.

Chaldaicè *ibi impietas cordis vestri*, רישע לבבכן *resschabh libbechon*: hic *insipientia*, טפשות *taphscuth*. Duritiam quoque cordis legunt quos retuli hunc locum recitantes Irenæus & Ambrosius; Tertullianus autem duricordiam. Pro præputio *ἀκροβυστία* transtulerunt LXX. in Leuitico [a], *auferetis præputia eorum*, nempe lignorum pomiferorum: & quam editio nostra mentem vocat incircumcisam [b]; & Hebræa cor præputiatum ערל *bharel*, itémque Græca per nomen *ἀπερίτμητον*, *incircumcisi*: sed in codice Samaritico *ἀκροβύστου*, *præputiati*, declaratur à Chaldæa eo modo quo hic per טפשא *taphscia*, quod significat crassum, obesum, stultum, qua de re dixi locis illis Leuitici. Lactantius [c] præter alios antea probatos, spiritualiter accipiens præceptum circumcisionis, vt significaretur nudandum esse pectus, id est, aperto & simplici corde oportere nos viuere, rationem physicam quoque reddit; quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Subdit insinuatum eo mandato præceptum confessionis & pœnitentiæ; quamuis non satis disertè de externa & auriculari loquatur confessione. Vt synonyma ponuntur incircumcisus & immundus [d]; minatúrque Dominus fore vt quis moriatur morte incircumcisorum [e]. Porrò metonymicè apud Paulum non semel circumcisio pro Iudæo sumitur, pro Gentili præputium: nec minùs ad ignominiam Iudæus nominat nos ערלה *bherlah*, præputium, siue præputiatos & incircumcisos, quàm nos illos circumcisos aut apellas [f], curtos, recutitos [g], verpos [h]. Abassini tamen si Christiani cum baptismo circumcisionem vsurpatunt non impio animo, inquit Nicolaus [i]. Godignos noster, ac meus dum viueret suauissimus in Domino amicus & collega, atque vt antiquatam tenerent legem, sed mente planè pia, & ab omni libera superstitione, atque vt Christum patientem optimum nostra causa circumcisionis dolorem, notámque subeuntem imitarentur: aut quod ea consuetudo ab antiquissimis temporibus remanserit, cùm nondum Christum, vllámve veri Dei legem agnouissent; vt de Colchis, Macrombus, Syris, Phœnicibus in Asia; de Incatanis, Totonibus, Mexicanis, Acuzamilensibus in nouo orbe; de Ægyptiis & Æthiopibus in Africa probati auctores memoriæ prodiderunt. Addunt aliam alij causam, vt se profiteantur à Dauide originem trahere, sicque nobilitatem ostentent sui generis. Gulielmus [k] Reginaldus (citans Genebrardum, Franciscum Aluarum, Maffeium nostrum, Postellum, Medinam) ob vltimam rationem excusat, sicut si sanitatis gratia abstinerent aliqui à carne porcina: ob imitationem Christi Caietanus [l], & Medina [m]; sed damnat Sotus [n], Suares [o], Valentia [p], quos citat & sequitur Thomas [q] à Iesu: nihil definiens an oporteat Ecclesiam Romanam id approbare, vel saltem permittere; sed cum Caietano remittens ipsiusmet Ecclesiæ iudicio. Posterioribus adde Iosephû [r] Angles, & nostros Salmeronem [s], Iustinianum [t], Ioannem de Salas [u]. Equidem secluso scandalo, non auderem prorsus damnare, nec satis efficaciter videntur argumentari obiicientes hoc admisso fas etiam fore clamis manus pedésque perfodere, spinis terebrare caput, Eucharistiam sumpto cibo sumere: lethalia sunt illa: vltimum disertè prohibitum, citráque periculū flagellis cædere seipsum imitandi Christi causa honestum est. Si tamen commodè possit, abolenda esset huiusmodi circumcisionis consue-

[a] c. 19. 23.
[b] c. 26. 41.
[c] l. 4. c. 17.
[d] Esa. 52. 1.
[e] Ezech. 28. 10.
Circumcisio pro Iudæo. Præputium pro Gentili.
[f] Hora 1. ser. saty. 5.
[g] Martial. lib. 7. epigr. 29. Sido. carm. 22.
[h] Martial. lib. 7. epigr. 81.
[i] lib. 1. de Abassinorū reb. c. 24.
[k] 2. Turcocaluinismi c. 9.
[l] 3. p. q. 37. a. 1.
[m] 1. 2. q. 103 a. 3.
[n] 2. de iust. q. 5 a. 4.
[o] 3. p. q. 37. p 1 2. disp. 7. q. 7. puncto 7.
[q] Thes. Sap. lib. 7. p. 1. c. 52.
[r] 4. de essen. sa. bapt. a 9.
[s] in epist. ad Galat. disp. 31 ad 3.
[t] ibid. to c. 5.
[u] 1. 2. q. 103. tract. 14. disp. 5. sect. 7.

tudo. Ex circumcisione porrò cordis ducit Pererius [a] noster argumentū aduersùs nostri temporis hæreticos, per iustificationē hominis non ei auferri peccata, sed eadem manere quæ priùs erant, non tamen imputari ei ad condemnationem, nec eius animo infundi iustitiam, per quā verè sit ipse iustus: sed extrinsecus tantùm dici & fieri iustum per Christi iustitiā ei quodammodo imputatam. Hæc doctrina tollit è medio, inquit, circumcisionem cordis, toties, tantúmque laudatam in sacris literis. Si enim in homine iustificato manent eadem peccata semper, dum hic viuit; ergo non est circumcisus ab istis. Sicut enim corporalis circumcisio fit auferendo & resecando particulam quandam carnis; ita spiritualis fit auferendo vitia, maláque cupiditates animæ, intellige quæ veram habeant rationem peccati, & ab his vacuam eam, purámque reddendo.

Et ceruicem vestram ne induretis amplius.] De ista phrasi monui dixisse me iam priùs. In 4. Regum [b] dicuntur Iudæi non audiuisse missos prophetas, sed indurauisse ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Aliis præterea [c] locis idem dicendi modo est: hortabatúrque Ezechias ne indurarent ceruices suas sicut patres eorum, sed traderent manus Domino [d]: & auctor Ecclesiastici [e], vt pater curuet ceruicem filij in iuuentute, tundátque latera eius dum infans est, ne fortè induret, & non credat, & sit dolor animæ patris. Eadem vis indurandi cor, & faciē, seu obdurandi: quod qua ratione tribuatur etiam Deo, vt scilicet indurare dicatur, aliàs declaratum est. Vtrumque fit simul vt non obduret Deos indorétve, quin id ipsemet homo liberè in seipso faciat, ac proinde meritò admoneatur ne induret ceruicem, ne cor [f] obduret.

[a] in ep. ad Rom. c. 2. disp. 17. nu. 106.
[b] c. 17. 14.
[c] 2 Par. 30. 8. c. 36. 13. 2. Esd 9. 16. 17. 29 Ier. 7. 26 c. 17. 23. c 19. 15.
[d] 2. Paral. 30. 8.
[e] c. 30. 12.
[f] Ps. 94 8. Heb. 3. 8. 15. c. 4. 7. 13. Deut. 15. 7.

Vers. 17.] Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.

AD cor molliendum [g], circumcidendum, imò frangendum, scindendum [h], conterendum [i], humiliandū [k] sub Deo, atque ad ceruicem flectendam [l], curuandam [m], subiiciendam [n], deiiciendā [o], supponendā [p] plurimi refert considerare attributa diuina: quòd omnes quorquot habentur & dicuntur ab aliis gentibus dij, vel Domini, superet interuallo infinito, secundùm essentiæ dignitatem & excellentiam potentiæ, quibus illos infra se habet vt inferiores atque subiectos, & secundùm potentiam, qua resistere possit & debellare, si fortè populo aduersarentur; secundùm terrorem, quo eosdem, illorúmve cultores ne nocere tentent impediat, secundùm absolutam independentiam à qualibet creatura, & omnimodam sibimetipsi sufficientiam, propter quas nec vllius personæ respectum habeat cuiusuis demum sit conditionis: nec muneribus corrumpi queat, cùm nulla prorsus re indigeat; denique neque prece, neque pretio dimoueri ab æquo & recto possit, sed cui voluerit dominia regnáque dare, & à quo placuerit auferre. De his quæ pertinent ad præsentem locum diximus non vno loco alibi, id est, de Deo magno, & quos distinguerent Ethnici nominatim Deos magnos, itémque quo pacto in Deum non

Paraphr.
[g] Iob 23. 16.
[h] Ioel. 2. 13.
[i] Ps. 50. 19.
[k] ibidem.
[l] Eccl. 38. 19.
[m] c. 30. 12.
[n] Ier. 27. 12.
[o] c. 48. 39.
[p] Roma. 16. 4.

 eadat,

cadat, nec valeat cadere acceptio personarum.

Quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium.] Hebraicè primo loco est יְהוָה *Iehouah*, deinde ter repetitum אֱלֹהִים *Elohim*: postea bis plurali etiam forma אֲדֹנִים *adonim*: Chaldaicè יְהוָה *Iehouah*, bis numero singulari אֱלָהּ *elah*, semel אֱלֹהִין *Elohin*; tum pluraliter מָרֵי *mare* significans dominos, sed bonoris causa dictum de vno, & מַלְכִין *malchin*, quod significat reges. Græcè κύριος, & θεὸς, & θεὸς τῶν θεῶν, & κύριος τῶν κυρίων. De his Hebræis nominibus alias actum est: primum est essentiæ; secundum potentiæ ad sustentandum; tertium vim iudicandi & gubernandi. Et verò putant aliqui singularis formæ primum vel secundum, iunctum tertio pluralis, denotare vnam in tribus personis essentiam. Vocatur in Psalmis [a] Deus deorum Dominus; Deus deorum, & Dominus dominorum; Rex magnus super omnes deos; stans in synagoga deorum, & in medio deos diiudicans [b] Paulus [c] cognominat beatum & solum potentem δυνάστην, *dynastam*, Regem regum, βασιλευόντων, *regnantium*, & dominum dominantium: Ioannes Christum Dominum dominorum, & Regem regum [d]: quique haberet in vestimento, & in femore suo scriptum: *Rex regum, & dominus dominantium* [e]. Vbi quod Chrysostomus [f] obseruat in Paulo, quoties Deum nominat, debitam ei reddere commendationem & gloriam; id in aliis ferè potest obseruari: atque hinc discere licet ex eodem Patre; si memoria iusti cum laudibus [g] est; longè magis mentionem Dei fieri à nobis debere, cum commendatione & laude. De Christi autem super omnes reges regno, & dominio super omnes dominos, vt est homo intelligi debet, atque quatenus data est ei à Patre omnis huiusmodi potestas [h] cum subiectione, & cum conditione vt tradat regnum Deo & Patri [i]. Isidorus [k] Pelusiota istarum appellationum de Deo causam reddit, quia ipsemet vocat Nabuchodonosor, & Dauid seruos suos; illum ἀπὸ τῆς δεσποτείας μόνον, *dominationis dumtaxat ratione*; istum ἀπὸ τῆς πολιτείας, *ob vita rectam institutionem*. Apud Palæstinos mos fuit, vt non solùm aliqui vocarentur reges, sed quidam etiam rex regum, ad quem tanquam ad sapientissimum, sanctissimum, iustissimum, incorruptissimum prouocatio seu appellatio esse posset ex aliorum tribunalibus, cuique concederetur causas & lites inferiorum regum componere: quod fortasse indicabant nomina Melchisedec, & Adonibesec, quæ regem, aut Dominum iustitiæ significant: item cognomen metropolis Ierusalem quo dicebatur ciuitas iustitiæ ac iusti [l]; quemadmodum Dauid [m] Deum appellauit iustitiæ suæ Deum, id est, supremum iudicem. Artabanum testatur Plutarchus [n] regem magnũ appellatum, qui duplici vsus est diademate, vt Heliodorus [o] scribit; Pompeium verò regi Parthorum denegasse regis regum appellationem [p], quam ei tribuit Suetonius [q], & Diodorus [r], vt & Sapori Capitolinus [s], atque Marcellinus [t], Alamandras [u] Cabadi, Tygrani idem Plutarchus [x] regi Armeniorum. Simandio & Sesostri Ægyptiis Diodorus [y]. Phraates Parthorum rex scribens ad Augustum [z]. Plinius [aa] regibus Orientis. Hoc sensu Pineda [bb] noster, qui hæc annotauit, interpretatur vocari Iob virum seu regem magnũ inter omnes Orientales [cc]. Sed plura Brissonius [dd] de Persici regis epithetis, vt diceretur μέγας βασιλεύς, *magnus rex*, & βασιλεὺς βασιλέων, *rex regum*, interse-

a Ps. 49. 1. Ps. 94. 3. Ps. 135. 2. 3.
b Ps. 81. 1.
c 1. Tim. 6. 15.
d Apoc. 17. 14.
e c. 19. 16.
f hom. 3. de incompreh. Dei natura.
g Prou. 10. 7.
h Matt. vlt. 18.
i 1. Cor. 15. 24.
k lib. 3. ep. 394.
l Esa. 1. 21.
m Ps. 4. 1.
n in Laconicis.
o lib. 6.
p Idem in Pompeio.
q in Calig. c. 5.
r lib. 55.
s in Sapore.
t lib. 17.
u Procop. li. 1. de bello Persic.
x in Lucullo.
y lib. 1. c. 1.
z Dio in Augusto.
aa li. 30 c. 3.
bb in Iob 1. 3. n. 17. & 18.
cc Iob 1. 3.
dd de regno Persar. li. 1.
Iob vir magnus inter omnes Orientales.

rens mentionem eorũ quos Pineda nominauit ex ipso, vt apparet, mutuatus, vel Alexandro [*] ab Alexandro cum Tiraquello: & addit pari fastu Antonium Orientis imperium inter liberos ex se & Cleopatra susceptos partitum, eos voce sua, regum reges renunciasse [a]: præterea in sacris literis Artaxerxem nominari regem regum [b]; necnon & Nabuchodonosorem à Daniele [c]. Recitat rursus idem Pineda [d] ex Eupolemo apud Eusebium [e], literas Vaphris regis Ægypti ad Salomonem, quibus ei tribuit regis magni titulum: suspicans eumdem esse cum titulo regis regum, ac fere reperiens dicta in Iob de rege magno, regéque regum, adiectis testimoniis Strabonis [f] de Troianis; de Agamemnone Ciceronis [g]. Quæ tamen ipsa erant apud citatum Alexandrum, déque Homero cognominante Agamemnonem ἀνδρῶν ἄνακτα: & apud Trebellium de Sapore rege. Theodoretus [h], póstque ipsum Procopius, ait deos hoc loco vocari iudices: atque horum deorum hîc Deum dici, non autem falsorum deorum. Sed in catena Græca M. S. ex eodem additur de falsis etiam intelligi, qui scilicet adorentur pro veris licèt falsi sint. Potest quoque comparatio fieri respectu Angelorum, quibus deorum quoque appellatio tribuitur. Quouis autem ex dictis modo capiatur hic locus, indicat vnicum verum Deum.

Deus magnus.] Psalmo 94. [i] dicitur Deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos. Quæ dixi priore membro huc faciunt, videnturque synonymè accipi Deus magnus siue Dominus, & Deus deorum, Dominúsve dominorum. Repetenda quoque monui alibi dicta de Diis magnis, maiorúmve Gentium: apud Gentiles sex mares numerabant, Iouem, Neptunum, Martem, Mercurium, Vulcanum, Apollinem; totidem fœminas, Iunonem, Vestam, Cererem, Venerem, Dianam, Mineruam. Tritum illud Virgilianum [k],

——*feror exul in altum*
Cum sociis, natóque, Penatibus, & magnis Diis.

Quo pacto etiam loquitur Ennius [l]: & apud [m] eumdem Virgilium numina magna deûm, aut numina magna, aut magni Diui. Super hac re [n] Cerda noster aduocat annotationẽ Turnebi [o] & Passeratij [p]: póstque coniecturam suam de voce Italorum (*mangiare*) & Hispanorum (*maniar*) potuitque addi Gallorum (*manger*) vt ductæ sint à Tellure, cùm dicta est Magna Dea; quoniam ex Varrone adducit Augostinus [q] eã dici matrem, quòd plurima pariat; magnam, quòd cibum pariat; etsi quis, ait Cerda, ducat à verbo, *mando*.

Et potens est.] Hebraicè גִּבֹּר *ghibbor*, Græcè ἰσχυρὸς: sed in citato loco epistolæ ad Timotheum primæ [r], vbi dicitur solus Deus potens, est δυνάστης, *dynasta*, vsitata etiam Ciceroni vox: Solus autem est Deus potens eo modo, quo beatus, immortalis, habénsve immortalitatem, bonus, &c. nempe per se & essentialiter, cùm eadem epitheta aliis tributa reperiantur. Varro [s] ex Samothracum initiis docet deos magnos habitos Cœlum & Terram, siue Saturnum Opémque: & ex Augurum libris quosdam diuos potentes, in Samothrace θεοὺς δυνατούς. In trisagio canitur *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*, ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος: qui hymnus Deo conuenit vni in substantia, trinóque in personis, vel vni Deo substantialiter & absolutè considerato, ita vt repetitio ad emphasim spectet, non ad personarum distinctionẽ, quemadmodum

* li. 1. c. 18.
a Plutarch. in Anton.
b 1 Esd. 7. 12.
c c. 2. 37.
d 5. de reb. Salo. c. 3. num. 3.
e 9 de præpar. c. vlt.
f lib. 12.
g 9. epist. famil. ep. 14.
h quæst. 8.
i vers. 3.
Dij magni apud Gentiles mares sex, totidémque fœminæ.
k 3. Æne.
l 5. annal.
m lib. 2.
n in 3. Æn. v. 1. not. 12.
o lib. 25. c. 21.
p in Prop. lib. 2. eleg. 34
Tellus Magna Dea dicta.
q 7. de ciu. c. 24.
r c. 6. 15
s 4. de ling. Lat.

τρισμέγιστος, τρισμάκαρες, ter maximus, ter beati; quod Galli imitantur vsurpantes *tres grand, tres-heureux*, & similia. Plutarchus [a] certè scribit *τὸ δὲ πολλάκις εἰώθαμεν καὶ τρὶς λέγειν, ὡς τὸ τρισμάκαρες, numerum multiplicem solemus notare sæpe ternario numero. vt cùm dicimus, ô ter felices.* Item [b] *ἡ δὲ τριὰς πλῆθος, ὡς τρισμάκαρες, ternarius multitudinem significat, vt ô ter beati.* Quò spectat illud Philosophi [c]: *τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ, tria omnia esse, & ter ipsum omni ex parte*; quódque secundùm Pythagoricos, vt idem [d] refert, *τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται, τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος, ipsum omne, & omnia tribus sunt definita: finis etiam, medium, atque principium ipsius omnis numerum habent; hæc autem trinitatis.* In quo sensu nihil obstat per se de Christo solo eundem hymnum vsurpare, vt quidem Deus est, substantialiter intelligendo, vt autem homo, per quandam participationem, sed excellentiorem omnibus aliis creaturis. Error est, accipiendo de Trinitate, addere cum Petro Cnaphæo *ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς* (*qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*) quasi Deus ipse in se passus esset. Cuius hæresis auctores Theopaschitæ dicti sunt: non autem de Christo, qui reuera crucifixus est idem Deus & homo. Hoc obiter, de quo alij plura vt Stephanus [e] Durantus, & Ioannes [f] Meursius.

a de Iside & Osiride.
b 1. de placitis philosoph.
c 1. de cœlo c. 1.
d ibidem.
e 3. de ritib. eccl. c. 31. n. 28. & seqq.
f Glossar. Græcobar. verbo [illegible].

Et terribilis.] Idem epithetum tribuitur Deo sæpiùs [g], iungendo etiam cum epitheto magni, & aliis, vel nomen gloriosum & terribile, & cui resisti non possit, & sit terribilis apud omnes reges terræ, auferénsque spiritum principum, & super omnes qui in circuitu eius sunt, & super omnes deos. Terribilitas ista, horribilitásve importat venerabilitatem, admirabilitatémque, sicut cùm etiam dicuntur terribilia opera Dei adeò, vt in multitudine virtutis eius mentiantur ei inimici ipsius [h] præ magnitudine potentiæ eius, quantumuis animo sint auersi, attamen fidem ac seruitutem simulent, & considerantes opera illius expauescant [i]. Quod in Mosis cantico legimus [k], *terribilis atque laudabilis*, extat Hebraicè נוֹרָא תְהִלֹּת *nora thehilloth, terribilis laudibus*, id est, cuius laudes horrori sunt omnibus, omniúmque laudantium etiam Angelorum vires exuperent, & non solùm ad amorem incitent, verùm etiam admirationem ac venerationem extorqueant: & laudari velit Deus cum timore, id est, reuerentia, quæ vocatur formidolosa laudatio [l], Hebraicè, *super Deum formidandum laudatio*, vel *decor, gloria, ornamentum*, עַל־אֱלוֹהַּ נוֹרָא הוֹד *hhal eloha nora hod*: & iuxta Symmachum *ἐπὶ δὲ θεοῦ φοβερὸς αἶνος, de Deo autem terribilis laudatio.*

g Exo. 15. 11. Deut. 7. 21. c. 28. 58. 2. Esd. 1. 5. c. 4. 14. c. 9. 32. Ps. 46. 3. Ps. 75. 8. 12. 13. Ps. 88. 8. Ps. 95. 4. Ps. 98. 3. Ps. 110. 9. Eccl. 43. 31. Dan. 9. 4.
h Ps. 65. 3.
i Abac. 3. 2.
k Exo. 15. 11.
l Iob 37. 22.

Qui personam nõ accipit.] Chaldaicè (*in cuius conspectu non est acceptio personarũ*, דְלֵית קֳדָמוֹהִי מַסַב אַפִּין *deleth kodamohi missab appin.* Græcè (*qui non admiratur personam, ὅστε οὐ θαυμάζει πρόσωπον.* Idem de Deo asseritur pluribus aliis locis [m], quòd non accipiat personam cuiusquam, non sit acceptor personarum, non sit acceptio personarum apud ipsum: quod alibi quoque declarauimus. Abulensis [n] hoc loco rationem illam communem reddit; quoniam cùm acceptio personarum sit contrà iustitiam distributiuam, solùm est in iis, vbi requiritur dignitas ad distributionem, & distribuens habet regulam ad sic vel sic distribuendum: si tamen dignitas personæ cui distribuitur, dependet ex voluntate distribuentis, non potest esse acceptio personarum, vt si aliquis iudex debet distribuere, &c. at si aliquis de bonis suis distribuere velit, & alicui minùs honesto det, non dans magis honesto, non accipit personam: sic autem se habet electio ad gloriam: si autem Deus iustè operantem damnaret, & male operantem saluum faceret, personarum acceptor esset; quia legem iam posuit, vt qui bona egerint, eant in vitam æternam: qui mala, in ignem æternum. Hebræis accipere seu sumere faciem, vel respicere in faciem est, à iusto deflectere ob aliquam qualitatem, quam spectes in aliquo, vt patriæ, consanguinitatis, nobilitatis, auctoritatis, potentiæ, formæ, opulentiæ, aut quid simile, quod ad rem de qua agitur nihil facit, maximè si fiat in iudicio, & vbi non gratia, sed iustitia locum habet. In gratuitis quidem locum non habere acceptionem personarum docet Augustinus [a]. Id reprehendens Dauid, *Vsquequo*, ait [b], *iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* & apud Marcum [c] Pharisæi cum Herodianis dixerunt Christo; *nec enim vides in faciem hominis, sed in veritate viam Dei doces.* Pro quo apud Matthæum [d] habetur respicere personam. Significat *πρόσωπον*, vnde *προσωποληψία*, & faciem, & personam: sed propriè tantùm faciem פָּנִים *panim.* Affine illud Ioannis [e]; *nolite secundùm faciem iudicare*; sed Græcè *κατ' ὄψιν.* Nomen *πρόσωπον* sumunt etiam Græci [f] pro externa specie & larua: pro ea hominis parte, quæ oculis obiicitur: Latini [g] eodem pacto: necnon pro statuis humana specie, ex quibus è fontibus aqua effluit [h]; item pro eminente dignitate, vel numero: denique generaliter tam Latina vox quàm Græca pro quouis homine etiam seruo [i]. Meritò iudicem semicæcum depingunt, quod hominum non aspiciat facies: oculis paulo minus clausis librorum cumulo circumiecto, veritate de collo propendente, ceu hæc solùm inspici deberet [k]: iustitiam autem oculatissimam, oculo vegetissimo, acie perspicaci, & cuncta perspiciente, aspectu formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate; omnium speculatricem, atque vindicem [l]; quamuis quidam [m] sine capite apud Ægyptios effictam dicant.

Acceptio personarum nulla apud Deum.
m 2. Paral. 19. 7. Iob 34. 19. Sap. 6. 8. Eccl 35. 14. Esa. 41. 2. Matt. 22. 16. Luc. 20. 21. Act. 10. 34. Rõ. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. Petr. 1. 17.
n quæst. 7.
Accipere, seu sumere faciem, vel respicere in faciem Hebræis quid.
a 2. contr. duas epist. Pelag. c. 6. & 7.
b Ps. 81. 2.
c c. 12. 14.
d c. 22. 16.
e c. 7. 24.
f Pollux li. 2.
g Gell. lib. 13. c. 28.
h Vlpia. l. fundi nihil. § fin. D. de act. empt.
i Brisso. in lexico iuris.
Iudex semicæcus depingitur, & cur.
k Rhodig. lib. 23. c. 14. ex Diodoro.
Iustitia oculatissima.
l Idem lib. 19. c. 26. ex Chrysippo & Platone.

Nec munera.] Numero singulari munus habent siue donum editiones reliquæ, שֹׁחַד *sciochad*, שׁוֹחֲדָא *sochda*, *δῶρον.* Simul vetat Deus accipere personam & munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum [n]. De Deo scribitur [o] ex sententia Iosaphat regis Iuda iudices ad iudicandum iustè adhortantis ipsiusmet Dei exemplo: *non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Plus est etiam non cupere munera, quàm acceptare seu accipere. Eo tamen loco editiones aliæ habent dumtaxat acceptionem muneris, vel accipere munera מִקַּח שֹׁחַד *mikkach sciochad*, *λαβεῖν δῶρα.* Munus Iulio [p] Cæsari Scaligero est quasi murus, onúsque muris reficiendis, vbi primùm vnum in locum è vicis conuenissent ad condendum oppidum: vnde munimenta; quod onus cùm remittebatur virtutis ergò, donum dicebatur. Deriuant alij à מִנְחָה *minchah*, vt sit propriè munus, quod offertur, siue *δῶρον*, siue officium: Iurisconsulti [q] munus aiunt esse quod necessariò subimus lege, more, imperióve eius, qui iubendi habet potestatem: dona, quæ nulla necessitate, iure, aut officio,

Accipere munera & personam Deus prohibet.
m Alex ab Alex lib. 4. c. 12. Gyral. de diis Gẽt. Syntag. 2.
n Deut. 9. 16. c. 27. 25. Exo. 23. 8.
o 2. Paral. 19. 7.
Munus quid, & vnde.
p de ling. Lat. c. 31.
q D. de verb. signifi. l. 214 ex Vlpiano.
Dona quid.

sed sponte præstantur, quæ si non præstentur, nulla reprehensio est, & si præstentur, plerumque laus est: in hue tamen ventum esse, vt non quodcúmque munus idem quod donum accipiatur; at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. Mitto notiones alias pro officio, aut funere, aut spectaculis, &c. tum præterea quæ locis aliis disserui contra munerum acceptionem in iis qui ex munere, id est, officio ius dicere, ac reddere tenentur. Ridiculum, sed verum earmen,

Munegracum munera faciunt rectissima curua.

Vbi retrugradè legendo argentum reperies in *munegra*, aurum *in munera*. Apud Thebanos absque manibus imagines iudicum erant, summique inter istos oculi conniuebant; vt nec munera capienda significaretur, nec accipienda persona [a].

Imagines iudicū absque manibus, summique inter istos oculi conniuentes.

a Plutar. de Isid. & Osir.

Vers. 18.] Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.

Vers. 19.] Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in Terra Ægypti.

Paraphr.

DEscribitur adhuc Deus tum quoad ea quæ sunt iustitiæ, tum quoad ea quæ sunt gratuitæ collationis, vt in his duobus vniuersum tegimen summatiè intelligatur, inquit Caietanus; & vt hæc essent populo tamquā regulæ & exempla imitanda, adiungit Moses monitionem communem omnibus, vt exemplo Dei ament peregrinos, prætet rationem, quam aliàs dixerat, videlicet *quia & vos peregrini fuistis*. Quantæ sit Deo curæ hominum genus ab humano auxilio destitutorum, pupillorum, siue orphanorum, viduarum, peregrinorum, seruorum, scripturarum testimonia multa loquuntur [b]; vt nos ipsi etiam in quibusdam vidimus, præsertim in Psalmorum & Iacobi commentariis. Iob autem de iisdem quoque maximè sollicitum fuisse ipse de se scribit [c], nominans seruum, & ancillam, pauperes, viduas, pupillos, peregrinos. Rationem item Scriptura peculiariter de peregrinis rectè tractandis præcipiens, eamdem quam hic tradit alibi [d], quòd peregrini fuissent Hebræi in terra Ægypti: de seruis, quòd & ipsi seruiuissent ibidem [e]: rursus hoc idem de aduenis, pupillis, viduis [f]. Plurimi refert, ad memoriam reuocare pristinam conditionem, vilitatem, ærumnam, vt ad altiorem euectus gradum statúmve compati discas, ex his quæ passus fueris. Sed quod aliàs [g] recitaui ex Platone [h], dignum repeti, ab iis potissimùm coli deos, qui *τῆ ὀρφανῶν ἐρημίας*, *orphanorum orbitatis*, *αἴσθησιν ἔχειν*, *sensum habent*, id est, illis compatiuntur. Pater orphanorum canitur [i] Deus: & religionem Iacobus [k] hanc mundam affirmat, immaculatámque apud Deum & Patrem, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Enarrans eum locum, itémque actus Apostolorum, déque diaconorum agens ordinatione demonstraui quantopere iam inde à primis Ecclesiæ temporibus in viduarū aliarúmque miserabilium personarum procuratione rectores eiusdem incubuerint. Medijs deinde sæculis Gelasius Papa sectatus pium morē, immò vetusta præcepta quæ indicaui; *Licet*, ait [l], *omnibus de nobis sperantibus, non debeamus inquantum possumus, nos negare; plus tamen viduarum, & orphanorum causas impensius dicimus exequendas, quas tueri a nobis, vel ab omnibus diuina manifestat assertio.* Item [a], *defensionis propria desolatis, inquit, auxilio, & qui suis actibus adesse, pro ætate infirmitatis non possunt, exoratum Pontificem decet subuenire; quia pupillis tuitionem etiam diuinitas iussit impendi.* Clemens [b] viduas & orphanos in altaris figuram existimari vult, quemadmodum virgines honorari in figuram thuribuli, & incensi: codémque vocabulo altaria cognominat viduas Ignatius [c]; fortassis quia per ea quæ ipsis tribuuntur placatur Deus, sicut offeruntur in altari sacrificia. Videtur qui iuste facit viduæ & pupillo, disputare posse cum Domino [d], vt indicat Tertullianus [e], velutique contendere de paterno patronalive iure, cuiusnam competiat magis: atque idem Tertullianus pupilli & viduæ nomina in Scriptura sæpe repeti, vt significentur qui magis despecta sunt humilibus, eo magis curæ esse Deo. Munet [f] Sapiens ne attingas paruulorum terminos, & ne agrum pupillorum introëas, quia propinquus illorum fortis est, & ipse contra te iudicabit causam illorum. Vbi propinquo est גואל *goël*, παρεκα, *parokà*, ἀγχιστεὺς, *redemptor*, vindex, quique iure propinquitatis potest redimere possessionem ab alio venditam præ paupertate [g]; aut in is se periculum suscipit. Potest verò hic intelligi Deus ipse, quem etiam [h] Philo genti suæ assignat ex singulari priuilegio, tanquam curatorem pupilli tutorémve: & qui ve iudex ac magistratus prætutor, & procurator, si loqui sic liceat, est. Isidorus [i] tandè Pelusiota observat Deum gaudere appellari patrem orphanorum, & iudicem viduarum, & in sublimibus dominationis nomen occultare, cùm videlicet seruos suos nominat Nabuchodonosor & Dauid; in humilibus autem curæ & sollicitudinis; illorum se dominum esse asserendo, horū patrentem. *Quacirca nemo, inquit, pupillos iniuria afficiat, patrem cogitans; nec viduam opprimat, iudicem ob animum sibi proponens: nec alium quemquam fraudet, incorruptum illum iudicem animo & cogitatione versans*, ἢ ἀδ ἰσχὺν κριτὴν ἀπερισπαστως.

a epist. ad Anast. episc.
d. 87. c. defensionis.
b 2. const. c. 30.
c epist. ad Tharsen.
d Esa. 1. 17. 18.
e 1. ad vxorem c. 8.
f Prou. 23. 10. 11.
g Leuit. 25. 25. Ruth 3. & 4.
h de magistratu.
i 3. epist. ep. 394.

b Exod. 22. 21. c. 23. 29. Deut 14. 29. c. 16. 11. 14. c. 24. 17. 19. 20. 21. c. 26. 12. c. 27. 19. Psal. 10. 18. sec. Heb Ps. 67. 6. Ps. 81. 3. Psal. 145. 9. Prou. 23. 10. Eccl. 4. 10. c. 35. 17. Esa. 1. 23. c. 10. 2. Ierem. 5. 28. c. 7. 6. c. 22. 3. c. 49. 11. Ezech. 22. 7. Zach. 7. 10. Mal. 3. 5. 2. Mac. 3. 10. cap. 8. 30 Iacobi 1. 27.
c Iob 31. 13. & seqq.
d Exo. 23. 9.
e Deut. 15. 15.
f c. 24. 18. 22.
g in Ps. 10. sec. Hebr.
h 11. de legib.
i Ps. 67. 6.
k c. 1. 27.
l ep. ad Ger. & Pet. epis. copos. d. 87. c. Licet.

Facit iudicium pupillo.] Græcè προσηλύτῳ καὶ ὀρφανῷ *proselyto*, seu *aduenæ*, seu *peregrino*, & *orphano*, siue *pupillo*. De pupillo quid ab orphano propriè differat, alibi docui, quódque sumantur crebrò synonymè; itēm quis sit proselytus, aduena, peregrinus: quorum duo posteriora nomina sæpe confunduntur: primum capi solet pro illo qui ex gentili fieret religione Iudæus. Dicitur ὀρφανὸς ab ὄρφνη, *tenebra*, quòd erepto parentibus quasi consistens in luctu, sub alterius cogatur tutela esse & cura: quod conuenit quoque pupillo, id est, qui paruulo adhuc & impubi parentes decedunt: quamuis hunc aliqui dici veliot qui nun habeat patrem; illum, qui nec matrem. Liberior etymologia Hebræi nominis יתום *iathom*, à תמם *thamam*, quòd parentes eius consumpti sint.

Explanatio.
Pupillus.
Orphani etymon.

Et vidua.] Aliàs docui Hebræis vocari אלמנה *almanah*, ab אלם *alam*, quasi mutam, quòd mortuo viro loqui pro se non valeat: aut ab eodem verbo veluti colligata sileat, nec gaudeat vociferationibus, tripudiis, canticis, χήρα, quia non gaudeat χαίρει τὸ μηκέτι χαίρειν, sed omnibus deliciis, oblectamentisque careat. Viduam velut iduam, id est, diuisam, ab iduo *diuido*, quoniam à viro diuisa est. Quamquam dicitur interdum vidua, quæ maritum adhuc habet, & quæ numquam habuit; immò & quæ virgo est, nec experitur venerem. Iauolenus

Vidua.

Iauolenus [*] viduam docet vel quæ nupta fuit, dici, vel nunquam nupsit, à ve & duo; quod sit sine duitate. Sic Poetæ plantas viduas [a] cognominant, vel cælibes [b], vt vites, platanos, id est, solas. Viduas virgines vocat Seneca [c] filias adhuc viuentis Clytemnestræ, cùm tamen Ferrandus [d] Adduensis rationem det, quòd matre carerent: item viduam ante thalamos [e]. Plerumque vsurpatur de illa cuius maritus mortuus est [f], quamuis nonnumquam dictis modis, vel de ea cuius maritus abest, vel quæ maritum inutilem, vel senem nacta sit. Plura Delrius noster in Senecam [g], citans varios auctores; ac in his Alciatum [h], Cotaruuiam [i], Gellium [k]. De Græco vocabulo χήρα, & masculino χῆρος Lexicographi eadem ferè tradunt vt Suidas de viduo, qui post primam coniugem amissam, non ducat secundam: Hesychius de illo qui non habet vxorem, éstque etiam cælebs: & latius adhuc de quolibet, qui sit ὀρφανός, ἢ ἀπορφανός, ἢ χήραν ἔχων τινός, *orphanus, priuatus quapiam re, vel necessitatem illius habens.*

Amat peregrinum.] Hebraicè גר *gher*, Chaldaicè גיורא *gyora*, Græcè προσήλυτον. Quæ omnia declarauimus alibi. Verbum verò Chaldæum רחם *rachem* importat misericordiam, amorémque, vt ita dicam, visceralem, siue ex visceribus misericordiæ. Amat sine dubio Deus pupillum & viduam: hoc tamen peculiariter de peregrino affirmatur; voluitque Christus & adhuc hîc nobiscum versans in peregrini forma, quamuis iam immortalis, apparere ac excipi [l]; &, vt est in historiis ecclesiasticis, non semel eadem forma sese exhibere [m], vt omittã per hospitalitatem placuisse quosdam, vt scribit Paulus [n] (iuxta emendatos codices *latuisse* aut nesciendo quos exciperent, aut eorum beneficio latendo inter inimicos) Angelis hospitio receptis, quales Abraham [o], & Lot [p], qui posterior latuit inter Sodomitas. De Christiana hospitalitate consule dicta in actus Apostolorum, & in 3. Ioannis epistolam. Hic Caium laudat [q] (incertum an idem fuerit cum illo, quem Paulus [r] hospitem suum vocat, & vniuersæ Ecclesiæ, etsi alij legunt *vniuersa Ecclesia*) quòd fideliter faceret, recipiens peregrinos, hoc est, quòd rem fideli atque Christiano dignam operaretur; siue peregrinarentur aliqui religionis causa ad pia loca; siue compulsi necessitate, præsertim quam persecutores pellendo inferrent, siue vt disseminarent Euangelium. Contesseratio hospitalitatis vigebat inter primos Christianos, qua fideles peregrini dignoscebantur, vt excipi possent; de qua Tertullianus [s]: cui apud ipsosmet Gentiles similis tessera hospitalis, de qua Plautus [t]. Qualis esset Christianorum tessera, non constat, Eucharistiam fuisse, quamuis hæc interdum hospitibus mitteretur, verisimile non est. Successit illi signo, quo abutebantur nonnulli, vt Philosophus ille apud Lucianum [u], vsus formatarum literarum, ex Niceni Concilij decreto. Iulianus verò apostata ne in hac parte vinceretur à Christianis, quos per ludibrium Galilæos appellabat, Xenodochia construi præcepit [x], hæcque ipsa Christianorum hospitalitas Pacomium ad eorum religionem pertraxit [y]. Persequi nos hospitalitatem, & sectari vult Paulus [z], id est, omni studio exhibere. Porrò Galatinus [aa] ex hoc loco & similibus probat quòd Gentiles Messiam recipientes essent à Deo diligendi, Deique populus electus futurus: quia dicitur hic diligi à Deo, & Deus præcipere vt diligantur. Profert ad idem testimonia Rabinorum; & confert scripturas varias, in quibus eadem honorifica epitheta tam de conuersis ex Ethnicis, quàm de Hebræis dicuntur.

Et dat ei victum atque vestitum.] Pro victu Hebraicè, Græcéque est *panis*, לחם *lechem*, ἄρτος: Chaldaicè *cibus, esca, alimentum, nutrimentum*, מזון *mazon*: quod panis etiam generaliter comprehendit. In libro [a] Ecclesiastici traditur *initium* (ἀρχή, præcipuum, principatus) *vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Victũ aliàs [b] reddit Interpres vbi sunt אכל *ochel*, *cibus*, עבורא *hhibura, frumentum*, βρώματα, *esca*: vel vbi vita חיים *chaym*, ζωή, & *cibus* מכולתא *mechultha* [c]. Aliquando [d] Græcè ponitur βίος, *vita*: vel τροφή [e], *nutrimentum*: & iterum [f] vbi ζωή. Iacob vouit votum fore sibi Dominum in Deum, ac dedicaturum ipsi lapidem in titulũ, & decimas oblaturum, si custodiret illum in via, & daret panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, vtque reuerteretur prosperè ad domum patris [g] sui. Salomon tantus rex tribui sibi petiit tantùm victui suo necessaria [h]: Hebraicè & Chaldaicè ali pane demensi sui, seu portionis suæ: Græcè constitui sibi τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη, *necessaria & sufficientia.* Videlicet sub pane non cibus dumtaxat cum potu, sed vestis quoque comprehenditur; quemadmodum & alimentorum nomine cibaria, vestis, habitatio, teste Iaboleno [i]. Certè cùm sit victus à verbo viuere, quidquid ad tuendum conseruandúmque hominis vitam necessarium est, amplectitur, etiam vestimentum, stramentum, tegumentum, habitationem, ministerium famulorum ac seruorum, omnis generis ministratores, vt dispensatores, insularij, villici, atrienses, lectores, operarij rustici, coci, vnctores, cubicularij, sarcinatores, agasones, muliones, medici, balneatores, vt & quæ curandi corporis gratia adhibentur, vt pharmaca [k], &c. Denique victus omne id valet quod esui, potui, cultui, & vitæ necessitatibus seruit, vt placet Isidoro [l], sicut & alimentum, vt Vlpiano, Caio, Iaboleno [m]. Perspicuitatis causa distinctè ponuntur victus & vestitus, seu alimenta & vestimenta quæ Seneca [n] vocat cibaria & vestiarium. Sic etiam Paulus [o], asserens quæstum magnum esse pietatem cum sufficientia, vult vt habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, διατροφὰς καὶ σκεπάσματα: potéstque per nomen secundum intelligi etiam domicilium: licèt Hieronymus [p] legat *victum & amictum.* Eodem Apostoli loco ad idem propositum vtuntur Cyprianus [q] (legens *exhibitionem & tegumentum*) Hieronymus [r], Chrysostomus [s], Bernardus [t]. Postremus scribit quidquid præter necessarium victum & vestitum de altario quis retineat, suum non esse, sed rapinam sacrilegiúmque. De frugalitate; quam hic designant victus vestitúsque, mitto plura dicere. *Quæ corpori seruiunt, eatenus adhibeantur*, ait Epictetus [u], *quatenus animo sunt vsui, veluti cibus, potus, amictus.* Hoc sibi vult panis quotidianus, quem nos à Patre nostro qui in cœlis est, petere Christus docuit [x]; cum quo præcepto citatum ex Paulo confert Chromatius [y].

Et vos ergo amate peregrinos.] Iuxta reliquas editiones (*& amabitis peregrinum*) Hic amor inuoluit vniuersum officium hospitalitatis, de quo egi alibi. Exemplum extat apud Senecam [z] Macedonis cuiusdam. *Naufragus, ait, in possessiones cuiusdam Macedonis expulsus est: quod vt Macedoni illi nuntiatum est, accurrit, spiritum eius recolligit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, affectum, semianimémque* (afflictum semiuiuúmque) *recreauit, diebus*

Marginal notes (left column): * l. maritus. §. Viduam. D. de verbor. signif. a Catull. carm. nupt. Hora. lib. 1. ode 13. l. 4. ode 15. b Hora. l. 2. ode 15. c in Agam. acta 2. v. 195. d 1. explicationum c. vlt. e ibid. acta vlt. v. 988. f c. Vidua d. 34. g in Troad. acta 1. v. 13. h in l. mal. D. de verb. signif. i pract. quæ. c. 7. n. 2. k l. 2. c. 15. *Peregrinum.* l Luc. vlt. 15. m Greg. hom. 23. in Euang. & Paulus de Angelis l. 5. de eleemos. n Hebr. 13. 2. o Gen. 18. 3. p c. 19. 2. q v. 5. r Rom. 16. 23. *Contesseratio hospitalitatis inter Christianos, & Gentiles.* s de præscr. c. 20. t in Cistella, & in Pænulo. u in Philop. x 6. tripar. c. 29. & Iulia. epist. ad Arsacium. y Euseb. 9. hist. c. 7. z Rom. 12. 13. aa l. 9. c. 53.

Marginal notes (right column): *Victus & vestitus.* a c. 29. 28. b Gen 42. 7. c Prou. 27. 27. d Marc. 12. 44. Luc. 21. 4. Eccl. 29. 29. c. 51. 4. e Iacobi 2. 15. f Eccl. 40. 30. g Gen. 28. 20. 21, 22. h Prou. 30. 8. *Panis nomine quid cõprehẽdatur, & alimentorum.* i l. 6. D. de alimen. & cibar. k lexicon iuris. l citat Delrius in Thyest. act. 3 v. 62. m l verbo victus, & seqq. de verbor signif. l. legatis. & l. vi aliment. D de alim. vel cib. leg. n 3. de ben. c. 21. o 1. Tim. 6. 6. 8. p 2 coor. Iouin. q in ora. Domin. r sup. & ep. 27. s hom. 54. & 55. ad pop. hom. 7. & 16. in actus Apost hom. 74. in Ioan. t epist. 2. u enchirid. c. 23. x Matth. 6. 11. y ibidem. z l 4 de benef. c. 37.

triginta impensa sua curauit, refecit, viatico instruxit. Euagrius [a] siue Ruffinus vt oculatus testis narrat in Thebaide Oxyrynchios obseruatiè perstudiosè sicubi tota ciuitate peregrinus apparuisset aut pauper, certatimque accurrisse vt præoccuparent, abducerent, necessaria ministrarent. Idem de suis Cursieis adiacentibus testatur Episcopus Fabianus Iustinianus imitantibus Abraham, Lot, Rebeccam, Rahab, Matthæam, Zachæum, &c. Inter signa operáque hospitalitatis lotio pedum visitata est, ac Rustico Hieronymus iniungit monacho inter alia, vt hospitum pedes lauet. Quod obsequium præstitum Vlyssi à Penelope coniuge, quamuis ignara quis esset, simúlque cœnam lautam exhibitam tanquam peregrino prodit Homerus [b]: & ab Ethnica fœmina præfecti vrbis Hulugost in Germania Vdalrico & Albino prædicationis causa eò diuertentibus, Setarius [c] noster. Factitatum ab anachoretis prodit Roffinus [d], & vt ante omnia oratio fieret (qui mos durat apud Carthusianos) & vt aduenientes adorarent, vt certum esset in aduentu hospitum aduentum Domini Iesu haberi, qui dicit [e]; *hospes fui, & suscepistis me*; quo modo & Abraham suscepit eos, qui homines quidem videbantur, Dominus autem in eis intelligebatur [f].

Quia & ipsi fuistis aduenæ in Ægypto.] Editiones aliæ (*in terra Ægypti*) & aduenæ non differunt à peregrinis: súntque hic eadem nomina in editionibus Hebræa & Græca quæ in membro præcedente גרים *gherim*, & προσήλυτοι: in Chaldæa habitatores דיירין *tairin*. Sicut volebatis tunc vobis bene fieri, ait Abulensis, ita & istis bonum faciatis. Sic in Exodo [g]; *Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti.* Sed & in Leuitico [h] præcipitur. *Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: sed sit inter vos quasi indigena: & diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti.* Faciliùs decipi & opprimi peregrinus potest, inquit Caietanus [i]; & Hebræi despiciebant reliquas gentes; propterea exemplum à seipsis olim peregrinis in Ægypto adiungitur. Idem prior obseruauerat Rabanus. Illud quod ibi sustinuistis, debet vos inducere; ait Lyranus [k], ad hoc quòd dulciter eos tractetis. Ideò meliùs scitis, inquit Rickelius, qualiter disposita sint corda peregrinorum, & quòd facilè contristentur desolatáque fiant, si ab indigenis durè tractentur, & propria infirmitas ac passio debent hominem prouocare ad condolendum, subueniendúmque indigentibus ac infirmis. Quæ volumus, inquit glossa [l], vt faciant nobis homines, eadem illis faciamus: & quæ nolumus fieri, non faciamus. Tobiæ [m] sententia hæc est, à Christo plurimum approbata [n]; tanti verò etiam facta ab Alexandro Seuero, vt eam sæpe vsurparet, publicis in locis palatióque præscriberet, per præconem vulgari præciperet [o]: Antoninus verò eiusdem apophthegmatis occasione quod Christianos frequentare acceperat, Christi vitam perscrutatus, statuam ei vel ob eam solam doctrinam statuit. Ad propositum propiùs faciunt illa ex Menandro,

Ξένος πεφυκὼς τοὺς ξενοδόχους σέβε,
Hospes natus, hospites cole:
Ξένοις ξένιζε, καὶ σὺ γὰρ ξένος γ' ἔσῃ,
Hospites hospitare, & tu enim hospes eris.

Pertinet eodem Ecclesiastici [p] monitum; *intellige quæ sunt proximi tui ex teipso*; & quod vt compateretur nobis, Pontifex noster Christus tentari voluit per omnia [a]. Dixi etiam in commentario Leuitici [b] videri Augustino, aut alteri auctori libri de vita Christiana [c], Deum voluisse populum præceptis misericordiæ, pietatis, iustitiæ, aliarúmque virtutum erudiendum, priùs in externa patria peregrinum & captiuum esse, vt compati aliis posset. Citat ex libro [d] Sapientiæ; *docuisti populum tuum per talia opera, quoniam oportet & iustum esse, & humanum.* Sed consule dictum commentarium nostrum.

Vers. 20.] Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies: ipsi adhærebis, iurabísque in nomine illius.

ADeò nexa sunt præcepta caritatis in proximum & in Deum, vt meritò alia aliis subnectantur: vt subindicat hoc loco Rabanus, docens vnum ex alio amorem gigni, amorem Dei ex amore proximi, amorem istius ex illius amore. Imperatur nunc timor Dei, maximè filialis, quo caueantur peccata; cultus adoratióve latriæ ipsi soli debitæ, per quam obediatur præceptis, fiántque bona opera: adhæsio, & coniunctio intimæ caritatis, cum fiducia: protestatio religiosæ seruitutis, iurando in ipsius nomine, quando iurare contingat, & non per idola, numénve falsorum Deorum. De his actum est non semel. Et quidem quod ad vltimum spectat, benè monet Abulensis contra nonnullos Iudæos, colligentes hinc imperari iuramentum, esséque non minus frequentandum, quàm alia opera latriæ: non tradi præceptum; sed modum iurandi, quando exigit recta ratio, vt quis iuramento vtatur. Nam & cùm canitur [e], *irascimini, & nolite peccare*, sensus est, inquit, si irati fueritis, insurgentibus in vobis talibus motibus, nolite peccare, nec deducatis ad executionem percutiendo, vel malum dicendo, &c. In cap. 6. [f] eadem sententia præcessit; *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis; non ibitis post Deos alienos, &c.* In cap. 23. [g] Exodi; *Per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Ea dictis cap. 6. petenda quæ ad præsentem de iuramento spectant locum, & quantum ad rem, & quantum ad dictionem.

Dominum Deum tuum timebis.] Mutantur subinde numeri, complectuntúrque hic numero vnius intelliguntur, qui pluraliter paulò antè nominati sunt: & futuri temporis verbum accipitur pro imperatiuo, vt valdè sæpè aliàs, ac nominatim in simili citato loco capitis 6. [h] Timor vim habet retrahendi à re quæ displiceat, & idcirco præceptum istud aptè applicatur ad abstinendum à malo; sicut sequens ad id quod bonum est operandum.

Et ei soli seruies.] Executioni mandando mandata ipsius, bonáque opera faciendo. Eadem extant dicta cap. 6. ac vtrobique Græcum verbum λατρεύσεις: quod vsu Ecclesiastico factum est proprium cultui qui soli Deo exhibetur & debetur, vt aliquoties annotaui. Sed neutrobique habetur (*soli*) Hebraicè, Chaldaicéve: verùm duntaxat Græcè; quam lectionem Interpres noster secutus est; vt & Euangelistæ [i]. Lucas Brugensis in notationibus profert diuersos codices pro vtraque lectione vtriusque capitis: & videri Epanorthotæ legendum cap. 6. (*soli*) in isto demendum. Subtiliter Philippus [k] Abbas Bonæ-spei ordinis Præmonstra

monstratensis obseruat vnum verum Deum verè nonnullos aliarum nationum præter Hebræos coluisse, ac huius rei typum fuisse polygamiam, qua vni viro fas erat plures habere vxores, licet non vni vxori viros multos; quoniam non licuit vnquam vlli nationi vel animæ pluribus diis famulari.

Ipsi adhærebis.] Chaldaicè (*& timori eius adhærebis*, [Hebrew] *veladchalteh tihtabk arab.*) Iure adhæsio ista exigitur, & asentit timori potest, quo quis timeat separari ab eo, quem amat maximè, & in quo fiducian omnem collocauit, quia, vt antè dictum est [a], Dominus conglutinatus fuerat patribus istius populi. Ibi erat verbum Hebræum [Hebrew] *chascak*, Chaldæum [Hebrew] *ísaur*: hic Chaldæum quod retuli, Hebræum [Hebrew] *tidbek*: Græcum eo loco *προείλετο*, in hoc *κολληθήσῃ*. Denotant prioris illius sententiæ verba internum Dei amorem & electionem, cuius non alia per se causa, quàm beneplacitum ipsius: præsentis autem coniunctionem ac vnionem ab extrinseco factam, id est, per donum creatum, licèt intrinsecus receptum, ac per modum quemdam collæ sine glutios, quod Græco verbo insinuatur. Adhæsio hæc sequenti [b] capite consistere dicitur in custodiendo & faciendo Dei mandata, diligendo eo, ambulando in omnibus viis eius; cap. 13. [c] in sequendo ipsum, timendo, mandata custodiendo, audiendo vocem eius, ipsi seruiendo: c. 30. [d] in diligendo eum, obediendo voci eius: libri Iosue c. 22. [e] in custodiendo attentè, & opere complendo mandatum & legem quam præceperat Moyses famulus Domini; in diligendo illum, ambulando in viis eius, obseruando mandata illius, seruiendo in omni corde, & in omni anima: ibidem c. 23. [f] in fortiter ac sollicitè custodiendo cuncta scripta in volumine legis Moysi; non declinando ab eis neque ad dexteram, neque ad sinistram; non iurando in nomine deorum Gentium, nec seruiendo eis, nec adorando illos. Ezechias dicitur adhæsisse Domino, non secedendo à vestigiis eius, faciendo præcepta eius quæ præceperat Dominus Moysi, & quod erat bonum coram Domino: sperando in eo, & delendo idololatriam, sapienter se agendo in cunctis, ad quæ procedebat; ita vt etiam Dominus esset cum eo [g]. Animam suam David cecinit post Deum adhæsisse [h], bonúmque sibi fuisse adhærere illi, ponendo in eodem spem suam [i]; item adhæsisse testimoniis eiusdem [k]. Esaias [l] describit adhærentes Domino, qui colant eum, diligant nomen eius, sint ei in seruos, custodiant sabbatum, nec polluant, teneant fœdus eius. Paulus [m] adhærentem Domino, vnum ait esse spiritum. Cæterùm admonui in sæpius memorato loco capitis sexti extare iuxta editionem solam Græcam verba quæ hic leguntur (*ipsi adhærebis*) siue (*ad ipsum adhærebis*, *πρὸς αὐτὸν κολληθήσῃ*.) Fortassis hinc illuc LXX. transtulerunt, quod alibi non semel ab iisdem factum notauimus.

Iurabisque in nomine illius.] Dicto toties cap. 6. [n] (*per nomen*) licèt editionum aliarum phrasis eadem planè sit. Vbi monui non differre iurare in Deo, & per Deum; in nomine, & per nomen; omnibus denique modis istis idem significari, quamuis aliter videatur Philoni [o].

a v. 15.
b v. 22.
c v. 4.
d v. 20.
e v. 5.
f v. 6. 7.
g 4 Reg. 18. 3 & seqq.
h ps. 62. 9.
i ps. 72. 28.
k ps. 118. 31.
l c. 56. 6.
m 1. Cor. 6. 17.
n v. 13.
o de Abel, & Cain, & 2. allegor. legis.

---

* *Vers. 21.*] Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Colere Deum, eiúsque obedire mandatis, perhonorificum est, atque planè dignum & iustum, cùm is laudem mereatur secundùm se, & laudabiles reddat cultores suos apud cunctas alias gentes, dum considerant qualem Deum illi colant, quali ab eo lege instituti sint, qualia in ipsos beneficia contulerit; nominatim verò ante egressum de Ægypto, in ipso egressu, in progressu per desertum: ita vt non possint quin exclament; *En* [a] *populus sapiens, & intelligens, & gens magna*, &c. *beatus populus, cuius Deus eius.* Recognosce dicta illis locis.

PARAPHR.

a Deut. 4. 6.

Ipse est laus tua.] Græcè (*gloriatio*, *καύχημα*.) Gloriam suam David [b] appellauit Deum, & asseruit esse gloriam virtutis sanctorũ [c], cupere que, vt ei sua cantetur gloria, ne côpungatur [d], ac pœniteat: nominauit quoque Deum laudem suam [e] atque fortitudinem: sicut & Moses [f], ac Esaias [g] in canticis suis: & rursus Dauid [h] laudem Israël: quemadmodum idem sæpiùs appellat eumdem Deum illuminationem suam, salutem, spem, patientiam, expectationem, &c. Iacob quoque Deum timorem patris sui Isaac [i]: seniores viginti quatuor coronas deponentes ante thronum agni, dignum pronunciant accipere gloriam & honorem [k], vtpote quoniam iusti accipiunt coronas, non dant, inquit Caius [l] Papa; & vt ait Ambrosius [m], in Christi corona coronæ omnes sunt. Hoc ipsum suspendi solita post victoriam armorum anathemata, triumphantiúmque coronæ testantur: in protestationem nempe quòd per Deum, siue per Christum à Deo datur victoria [n]; quique gloriantur, in Domino solo gloriantur [o]. Quin etiam antiquitas nullam, nisi Deo, datam coronam Plinius [p] meminit: post triumphum verò Ioui vel templis dicatas coronas [q], quod præterea tradunt Plinius [r] Iunior, Pacatus [s], Dio [t], Seneca [u], alij. Cæterùm pro laude seu gloriatione quæ suot hoc loco, id est, [Hebrew] *thehillah*, [Hebrew] *thuschabcha*, *καύχημα*: Exodi autem 15. [Hebrew] *Zimrah* carmen sine canticum, quod cum instromento musico canitur; iterum Chaldaicè [Hebrew] *thuschabcha*, sed Græcè *σκεπαστής*, *protector*: in Psalmo 117. [y] [Hebrew] *zimrah* & [Hebrew] *thuschabcha*, sed Græcè *ὕμνησις*: in Esaiæ cap. 12. [z] eadem aliarum editionum, sed Græcæ *αἴνεσις*. Est Deus laus nostra, gloria, honor, quia obiectum circa quod hæc versari debent, is quem laudare, glorificare, honorare debeamus: præterea propter quem laus, gloria, honor, nobis communicatur ab aliis: à quo laus nobis erit in iudicio, gloria & honor; & nunc quæcumque solida potest esse communicatur, consistens potissimum, vel fundata in virtute; quoniam, vt dixi, gloria [aa] virtutis sanctorum est; &

—[bb] *sunt hic etiam sua præmia laudi*:

hoc est, rebus gestis, virtutique bellicæ; quemadmodum apud alium [cc],

Non ego sum laudis, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.

Item [dd],

Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros.

In Psalmo 8. [ee] quod canitur; *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, habetur Hebraicè *fundasti fortitudinem*, [Hebrew] *issadtha hoz*: & ex translatione Aquilæ *ἐθεμελίωσας κράτος*, *fundasti potentiam*, & V. editionis *κατηρτίσω ἰσχύν*, *constituisti vim*, siue *fortitudinem*. Ponitur nimirum consequens pro antecedente: & idem nomen abstractum, epithetúmque substantiuum actiuè & passiuè: vt sic

Explanatio.
b ps. 3. 4. ps. 61. 8.
c ps. 88. 18.
d ps. 29. 13.
e ps. 117. 14.
f Exod. 15. 2.
g c. 12. 2.
h ps. 21. 4.
i Gen. 31. 42. 53.
k Apoc. 4. 10. 11.
l epist. ad Felicem.
m in ps. 118. octonar. 15.
n 1. Cor. 15. 57.
o c. 1. 31.
p l. 16. c. 4. & Carolus Paschalius l. 4. de coronis c. 9.
q l. 15. c. 30.
r in paneg.
s in paneg. Theodosij.
t de Domit.
u de consol. ad Albinum c. 10.
y v. 14.
z v. 2.
aa ps. 88. 18.
bb 1. Æne.
cc Prop. l. 1. eleg. 6.
dd l. 3. eleg. 14.
ee v. 2.

sit laus is quem laudo, & à quo ego laudor.

Et Deus tuus.] Repetitur cum emphasi pronomen in aliis editionibus (*& ipse Deus tuus*, והוא אלהיך *vehu elohecha* והוא אלהיך *vehu elohach*, καὶ αὐτὸς θεός σου.

Magnalia.

Qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia.] Græcè τὰ μεγάλα, καὶ τὰ ἔνδοξα ταῦτα, *magna, & gloriosa hæc.* Quod pronomen demonstrandum aliæ quoque habent editiones duæ: quasi Moyses ea prius recensuerit singillatim. Pro magnalibus potuit verti magna, Græcè μεγάλα, Hebraicè גדלות *ghedoloth*, Chaldaicè רברבתא *rabrabtha*: qua voce magnalium vtitur aliquot aliis locis [a] Interpres noster; vbi tamen aliquando editiones aliæ habent *salutem*, siue *saluationem*, aut *redemptionem*, ישועה *iescuhhah*, σωτηρίαν, פורקנא *parkana*; vt in Exodo [b]; *nolite timere: state & videte magnalia Domini*: interdum [c] Græca μεγαλειότητα; *magnificentiam*, & pro Hebræo vocabulo נוראות *noraoth*, quod hîc etiam extat, & redditur per terribilia, ibi autem per horribilia, ponitur [d] Græcè ἐπιφάνεια, *claritas*, cui hoc loco synonyma videri possunt ἔνδοξα, *gloriosa*, deducendo נוראות *noraoth*, vel à ירא *iare*, *timuit*, vel à ראה *raah*, *vidit*; vt quæ visenda sunt, sint etiam aspectu horrenda & gloriosa. Nonnumquam præterea [e] vbi magnalia sunt, Græcum nomen extat μεγαλεῖα; & iterum μεγάλα: aliquando [g] δόξαι, *gloria*: interdum [h] θαυμάσια, *mirabilia*, quorum loco extant in editione nostra magnalia operum; & pro magnalibus honoris μεγαλεῖον δόξης [i]: denique pro magnalium, & μεγαλείων nomine, Syra [k] editio transfert miranda תהדמרתא *thedmeratheh*. Magnalia porrò non facilè reperias apud alios auctores: sed non absimile vocabulum negotiatoris magnarij apud Apuleium [l] pro magno negotiatore, clarôque in obeundis magnis mercaturis: & à nomine maior pro magnus dicitur maialis de sue [m], à magnitudine, seu ab αὔξῃ. Videtur nonnullis B. Virgo ex hoc loco mutuata in suo cantico [n]; *fecit mihi magna qui potens est*. Minùs Latinè magnalia dici notat Maldonatus [o] noster: solere autem L X X. vocare miracula μεγαλεῖα ex Hebræorum imitatione, qui res magnas & admirabiles גדלות *ghedoloth* appellant. Exempla paulò antè in margine annotauimus. Riberæ item nostri annotatio vera & vtilis pro altero ex nominibus quæ hîc sunt, nempe terribilia, est, ad illud Ioël. cap. 2. [p] *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*; quod citans Petrus [q], loco posteriore ponit manifestum, Græcè ἐπιφανῆ, quo significatur etiam illustris & clarus. Cùm similem translationem cernsset ex 2. Regum [r], vbi pro horribilibus est נוראות *noraoth* & ἐπιφάνειαν: & ex Esaia [s] pro mirabilibus, quæ Græcè sunt ἔνδοξα, *mirabilia*, Chaldaicè פרישן *periscian*, *manifestationes*; docet eo nomine Hebræo quæcumque timorem incutiunt, aut admirationem, aut reuerentiam in sacris literis significari: & quia quæ in quouis genere magna sunt; præter cætera admirationem commouent, & timorem, & reuerentiam, rectè iis conuenire nomen illud: eo modo quo quæ magnitudine præstant, vocantur terribilia seu horrenda. Confirmat Virgilij auctoritate nominantis monstrum horrendum, ingens [t], horrendas ambages [u]; horrendum [x] dictu, id est, nouum & admirabile; horrendum syluis [y], hoc est, venerandum. Præterea, quoniam in Exodo [z] quod legimus terribilis atque laudabilis & primo loco est נורא *nora*, Græco aduerbio θαυμαστῶς, *mirabiliter* dicitur in cap. 7. [aa] Deuteronomij, pro *Deus terribilis* κραταιός, *fortis*: in Ezechielis c. 1. *aspectus crystalli horribilis*, Chaldaicè חסין *chasin*, *fortis*: vt & hoc loco pro נוראות *noraoth* est חסינתא *chasintha*, *fortitudines*, licèt in biblica translatione reddatur *terribilia*. Eodem vtcumque facere potest, quòd horreri, pauere dicantur a probis auctoribus Latinis Græcisque tum profanis, tum sacris, seu ecclesiasticis res in sacro honore vel religione habitæ, vt luci, nemora, sacramenta, potissimùm Eucharistiæ, templa, iuramenta. Extat de his animaduersio cum exemplis apud Cerdam [a] nostrum. Quæ Deus edidit in gratiam Hebræorum magna siue magnalia & magnifica, fuerunt simul terribilia terrore, seu horrore quodam diuino. Abulensis magnalia interpretatur potentia solius Dei facta: terribilia, quoniam Ægyptiis patientibus dura: vel prima de bonis quæ conferebantur Hebræis, secunda de malis, quæ inferebantur Ægyptiis.

Quæ viderunt oculi tui.] Sic aliquoties priùs [b] hoc libro. Quod est aduocare testes oculatos, non absque emphasi, si minùs omnes immediatè de omnibus, saltem de aliquibus; mediatè autem etiam de aliis per maiores suos in deserto mortuos. Id aliqua ratione innuitur versu sequenti.

a Exod. 14. 13. Deut. 11. 2. 2. Reg. 7. 21. 23. 1. 4. 8. 4. 1. Par. 17. 19. ps. 70. 19. ps. 105. 21. Sapien. 18. 24. Eccl. 1. 35. c. 17. 7. 8. 31. c. 18. 3. 5. c. 36. 2. 13. c. 42. 21. Luc. 1. 49. 2. Mach. 3. 34. Act. 2. 11.
b c. 14. 13.
c 2. Reg. 7. 21. 23. 1. Par. 17. 19.
d 2. Reg. 7 23.
e 4. Reg. 7.
g pl. 70 19.
Eccl. 17. 11. c. 18. 3. c. 42. 21. 1. Mach. 3 34.
f 1. Par. 17. 19. ps. 105. 21.
g Sap. 18. 24.
h Eccl. 17. 7. c. 18. 5.
i ibid. c. 17. 11.
k Act. 2. 11.
l 1. de asino aur.
m 2. de re rust. c. 4.
n Lucæ 1. 49.
o ibidem.
p v. 31.
q Act. 2. 20.
r c. 7. 23.
s 5. 64. 2.
t Æne. 4.
u l. 6.
x l. 3 & 8.
y l. 7.
z c. 15. 11.
aa v. 21.
a in 7. Æn. v. 59. not. 3. & l. 9. v. 382. not. 2.
b c. 3. 21. c. 4. 3. 9. c. 7. 19.

Vers. 22.] In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

Paraphr.

Magnum quid sanè, ac inter magnalia magnificáque opera Dei, & admiranda computari meritò debet; quòd in tam exiguo numero Ægyptum ingressi Hebræi, adcò breui tempore 215. circiter annorum, in tantam excreuerint multitudinem; vt quasi germinantes multiplicarentur, roborarentur, implerent terram: tantóque terrori forent Ægyptiorum regi; vt conquereretur populum illum esse multum, fortiorémque Ægyptiis: proinde opprimendum, ne magis multiplicaretur, & ingruente contra Ægyptum bello, adderetur inimicis, expugnatísque Ægyptiis egrederetur de terra [c]. Ex hac Ægypti terra, Hebræorum egressa sunt sexcenta ferè millia peditum, virorum, absque paruulis (adde præterea mulieres) & vulgus promiscuum innumerabile [d]. Recensita item sunt postea pugnatorum sexcenta tria millia quingenti quinquaginta, omissis Leuitis [e]; deinde sexcenta millia mille septingenti triginta [f].

Explanatio.
Anima pro animali.

In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum.] Animas accipi pro animalibus, & iuxta contextum nunc de brutis, nunc, sicut hîc, de hominibus, frequenter admonuimus: notátque Gregorius [g], quemadmodum è contrario totum pro parte accepit Magdalena, dicens [h]; *Tulerunt dominum meum*; quæ solum corpus quæsitura venerat: Augustinus [i] verò à parte meliore totos homines nominari. Cùm Christus respondens obseruantibus an Sabbato curaret, interrogauit an liceret eo die animam saluare [k], animam aliqui sumunt pro toto homine: alij volunt indicasse sanitatem corporis conferre solitum Christum pro animæ salute, quam simul etiam dare soleret. Aliquando nomine carnis totus quoque homo intelligitur. Quas duas notiones & carnis & animæ tradit Concilium Toletanum X V. citans Augustinum. Hoc sensu, eadémque sententia scribitur Exodi cap. 1. [l] quòd erant

c Exod. 1. 9. 10.
d c. 12. 37. 38.
e Num. 2. 32. 33.
f c. 26. 51.
g 3 moral. c. 9.
h Ioan. 20. 13.
i 7. de Trin. c. 4.
k Luc. 6. 9.
l v. 5.

erant animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta, & in cap.7.[a] Actuum Apostolorum, quòd Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque; & in cap.46. Genesis[b], quòd cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius; absque vxoribus filiorum eius, fuerunt sexaginta sex, & filij Ioseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ: omnésque animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, septuaginta, connumerando videlicet duos filios illos Ioseph Ephraim & Manasse, simúlque patrem horum Ioseph, & istius patrem Iacob. Quòd si adiciantur ex Manasse Machir, ac nepos Galaad: ex Ephraim Sutalaam & Iaam, ac ex Sotalaam Edem, existunt septuaginta quinque, quot Stephanus citato Actuum loco numerauit. Cæterùm quidam codices Græci habent hoc loco ἐν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε ψυχαῖς, *in septuaginta & quinque animabus.* Iosephus[c] numerum septuaginta posuit: & Hieronymus[d] testatur ita quoque hic scriptum à LXX. Huius hac de re sententiam libet integram transcribere, quòd vice commentarij nihil meliùs afferri possit, quamuis & nos eadem de re in commentario[e] Actuum Apostolorum nonnihil diximus. Ponit primùm ex c. 46. Genesis, secundùm translationem LXX. hæc verba: *Omnes ergo animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob Ægyptum, & quæ exierunt de femoribus eius, absque mulieribus filiorum Iacob, animæ sexaginta sex: filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in Ægypto, animæ nouem. Omnes ergo animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob Ægyptum, septuaginta quinque.* Mox subdit. *Quòd, excepto Ioseph, & filiis eius, sexaginta sex animæ, quæ egressæ sunt de femoribus Iacob, introierunt Ægyptum, nulla dubitatio est. Ita enim & paulatim per singulos supputatus numerus approbat, & in Hebrais voluminibus inuenitur: Hoc autem quod in LXX legimus:* Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in Ægypto, animæ nouem, *sciamus in Hebræo pro nouem esse duas. Ephraim quippe & Manasse, antequam Iacob intraret Ægyptum, & famis tempus ingrueret, nati sunt de Aseneth filia Phutiphares in Ægypto. Sed & illud quod suprà legimus:* Facti sunt autem filij Manasse, quos genuit ei concubina Syra Machir, & Machir genuit Galaad. filij autem Ephraim fratris Manasse, Suthalaam, Ethaam: filij verò Suthalaam, Edem, *additum est; siquidem id quod postea legimus, quasi per anticipationem factum esse describitur. Neque enim illo tempore, quo ingressus est Iacob Ægyptum, eius ætatis erant Ephraim & Manasse, vt filios generare potuerint. Ex quo manifestum est, omnes animas quæ ingressæ sunt Ægyptum, de femoribus Iacob, fuisse septuaginta; dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repererunt in Ægypto tres animas; Ioseph scilicet cum duobus filiis: septuagesimus autem ipse fuerit Iacob. Hanc rem ne videamur aduersum scripturæ auctoritatem loqui, etiam Septuaginta interpretes in Deuteronomio (hoc loco) transtulerant; quod in septuaginta animabus ingressus est Iacob in Ægyptum. Si quis igitur nostræ sententiæ refragatur, scripturam inter se contrariam faciet. Ipsi enim Septuaginta interpretes, qui hic (nempe Genesis 46.) septuaginta quinque animas per πρόληψιν (anticipationem) cum Ioseph, & posteris suis Ægyptum ingressas esse dixerunt, in Deuteronomio (hoc loco, licèt, vt dixi; quidam codices habeant 75.) septuaginta tantum intrasse memorant. Quod si è contrario nobis id opponitur, quo modo in actibus Apostolorum in concione Stephani dicatur ad populum, septuaginta quinque animas ingressas esse Ægyptum: facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere aduersus eam scripturam, quæ iam fuerat gentibus diuulgata. Et utique maioris opinionis illo dumtaxat tempore Septuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus, & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obseruandum, quòd vbicumque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis vtantur, quæ iam fuerant in gentibus diuulgata: licèt plerique tradant Lucam Euangelistam, vt proselytum, Hebræas literas ignorasse.*

a v.14.
b v.26.27.
c 2. antiq.
d quæst. in Gen. ad c. 46.
e in c.7.14.

Sic ille. Eadem ferè traduntur ab Augustino[a], licèt interdū velle videatur mysticum nescio quid Interpretes LXX. prophetica quadam libertate in numero 75. intendisse. Mysterium quidem Ambrosius[b], quamuis legat 75. excogitauit remissionis, quia post tantam duritiam, post tanta peccata haberentur indigni Hebræi, nisi donaretur his remissio peccatorum. Petrus[c] Bongus ait in numero 75. esse confinium sensibilis naturæ, insensibilisque, senioris iunioris que, corruptibilis incorruptibilisque: vt designent 70. secundam quinque, necnon & mundum sensibilem, cuius etiam speciem teneat Ægyptus, in qua dicuntur animæ 75. descendisse: quemadmodum & Abraham amator sapientiæ futurúsque perspicacior, discussa caligine, sensuum regionem, cui nomen Charra, relinquendam censuit natus annos 75. Retento numero 70. Agellius[d] circa illud ex cantico Mosis[e] maiore (*constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel*) refert ex Græco quodam auctore diuisos per orbem post diluuium quando linguæ confusæ sunt, eodem numero fuisse quot filios Iacob seu nepotes; ac tot terminos populis attributos, quot fuerunt isti qui descenderunt in Ægyptum. Præterea Hebræos ait adiicere voluisse Mosem eo loco ostendere, non populi meritum fuisse; vt sibi illum pro suo deligeret Deus, sed diuinæ benignitatis gratiam; cùm illi pauciore longè numero essent, vt vix singuli cùm ingressi sunt Ægyptum, eum numerum conficerent, quem gentes multitudine maxima redundantes conficiebant. Cæterùm Hugo circa descensum in Ægyptum præter literalem sensum loci decliuis, mysticè notat facilem esse descensum Auerni, siue inferni.

Numeri LXXV. nonnullorū interpretatio.
a quæst. in Gen. & 16. de ciu. c. 40.
b de Ioseph. c. vlt.
c de myst. num. circa 75.
d in Cant. Mosis Deut. 32.
e Deut. 32. 8.

Et ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli] Hebraicè, & Chaldaicè omisso (*ecce*) *& nunc posuit te Dominus Deus tuus sicut stellas cœli in multitudinem.* Græcè, *nunc autem fecit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli multitudine.* Astra pluraliter duntaxat vsurpauit Interpres noster hoc loco, & infrà cap. 28.[f] & suprà cap. 4.[g] semélque tum in Iob[h], tum in Esaia[i]: sed quandoque sunt ἀστέρες, hîc & alibi ἄστρα. Synonymè sumuntur sæpiùs astra, sidera, stellæ, vt cap. 4.[k] vbi notaui aliquos velle ἀστέρα dici de vna stella, ἄστρον de pluribus simul, quæ signum vnum cœleste componant, vt leonem, vrsam, libram: quod etiam de sidere astróque asserunt comparatis cum stella. Lege citatum ibidem Isidorum[l]. Hîc quidem astra oportet pro stellis singulis accipi, cùm assumantur ad multiplicationem seu multitudinem denotandam, quod non conuenit signis, quæ constant ex pluribus stellis: ad quod etiam ipsum

f v. 62.
g v. 19.
h c. 38. 7.
i c. 14. 13.
k Deut. 4. 19.
l etymol. c. 59.
Astra pro stellis.

ipsum significandum cap.18. [a] vsurpatur nomen idem astrorum: alibi [b] autem stellarum. In cap.1. docui non esse satis certam, ac solidam distinctionem in promissione, quæ facta est Abrahæ, de multiplicando ipsius semine instar stellarum & arenæ, per stellas indicari bonos & electos; malos ac reprobos per arenam. Relegendus eius loci commentarius, vbi simul de numerabilitate aut innumerabilitate stellarum. Hieronymus [c] recitans præsentem locum ex translatione L X X. *in septuaginta animabus descenderunt patres vestri* (Græcè ἑβδομήκοντα) *in Ægyptum; nunc autem facti estis vt stellæ cœli in multitudine*, docet non esse hîc positum exemplum terrenæ multitudinis, sed cœlestis, quæ virtutibus fulgeat, & plena sit luminum; super quam multitudinem Ægypti adducuntur fortissimi gentium, vt disperdant terram, &c. Sed mysticum hoc est, vt antea monui. De stellarum verò innumerabilitate, quæ præterea asseritur à Ieremia [a], legendi Eusebius [b], Basilius [c], Augustinus [d]; Plato [e], Aristoteles [f], Seneca [g], disputatores physici, & astronomici.

a v.62.
b Gen. 15.5. c. 22. 17. c. 26. 4. Exod. 32. 13. Deu. 1. 10. 1. Par. 27. 23. 2. Esd. 9. 23. Dan. 3. 36.
c in Ezech. 30.

a c. 33.
b 7. de præp. c. 5.
c hom. 6. hexa.
d 16. de ciu. c. 27.
e in Timæo.
f 2. de cœlo t. 61. & lib. de mundo.
g 6 quæst. natur.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS VNDECIMI.

CVm iam inde à cap. 6. multa Moses attulerit, quibus populum induceret ad amorem Dei, quoniam ex abundantia cordis os loquitur [a], *zelo diuini amoris accensus, vt Rickelius obseruat, atque fraternæ dilectionis crediti sibi gregis affectu mirabiliter inflammatus, non cessat populum suum hortari, ac varijs modis ad diuinæ obseruantiam legis inducere; beneficia Dei recolendo, promissa replicando, prospera pollicendo, aduersa minando, omnipotentiam, iustitiam, maiestatem, pietatem, amabilitatem declarando; eamdem sententiam frequenter nunc sub iisdem, nunc sub alijs verbis resumendo, vt tandem cordibus duris indelebiliter imprimatur. Meminit autem peculiariter, vt Hebræos terreat, pœnarum, quæ inflictæ fuerant Pharaoni cum vniuerso exercitu; præterea Core, Dathan, Abiron: inserit promissionem terræ Chanaan cum hostium victoria; præferendo terram illam Ægyptiacæ: minas quoque interponit, commendando diligentem legis obseruationem, vtque filios suos diligenter eandem doceant. Atque ita hinc spe ingenia nobiliora excitat ad bonum; hinc metu viliores animas deterret à malo vrgétque ad boni prosecutionem.*

a Matth. 12.34. Luc. 6.45.

CAPVT VNDECIMVM.

1. AMa itaque Dominum Deum tuum, & obseruа præcepta eius & ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore.

2. Cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnam eius & robustam manum, extentúmque brachium,

3. Signa & opera, quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, & vniuersæ terræ eius.

4. Omníque exercitui Ægyptiorum, & equis, ac curribus: quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cùm vos persequerentur, & deleuerit eos Dominus vsque in præsentem diem.

5. Vobísque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum.

6. Et Dathan, & Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus & tabernaculis, & vniuersa substantia eorum quam habebant in medio Israël.

7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.

8. Vt custodiatis vniuersa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis introire, & possidere Terram, ad quam ingredimini.

9. Multóque in ea viuatis tempore; quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem.

10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut Terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.

11. Sed montuosa est & campestris, de cœlo expectans pluuias.

12. Quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.

13. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra.

14. Dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum,

15. Fœnúmque ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini.

16. Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatísque Diis alienis, & adoretis eos:

17. Iratúsque Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatísque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

18. Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.

19. Docete filios vestros vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris.

20. Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ:

21. Vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in Terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis quamdiu cœlum imminet terræ.

22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis eius, adhærentes ei.

23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis sunt.

24. Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. A deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate vsque ad mare occidentale erunt termini vestri.

25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem:

27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

28. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis.

29. Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal:

30. Qui sunt trans Iordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in Terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul.

31. Vos enim transibitis Iordanem, vt possideatis Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt habeatis & possideatis illam.

32. Videte ergo vt impleatis ceremonias atque iudicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

Vers. 1.] Ama itaque Dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius, & ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore.

Admodum perspicua sententia est, quam Enarratores Latini, particulam eius illatiuam attendentes, appellant conclusionem ex dictis tum priore capite, tum præcedentibus aliis inde à cap. 6. vt dixi. Non habent editiones reliquæ hîc eiusmodi particulam, sed coniungentem duntaxat: pro qua tamen rectè poni potuit illa, cùm eiusdem vsum omnibus linguis nonnumquam habeat. Amorem porrò proponit Dei, obseruaturis legem ipsius, licèt via naturæ seu generationis præcedere timor soleat: quoniam absque amore obseruari lex cum merito nequit; *plenitudo legis dilectio*[a] *est*, *ex hac pendet lex & prophetæ*[b]. Nihil, ait siue Hieronymus[c], siue Paulinus, imperiosius est caritate. Quod autem iniungitur obseruatio præceptorum, ceremoniarum, iudiciorum atque mandatorum, exponi potest quantum ad tria prima, de triplici genere multoties declarato moralium, ceremonialium, iudicialium, ita vt nomine postremo significetur ipsummet genus ad alia illa superiùs. Rickelius volt hîc distingui aliquo modo præcepta & mandata, quamuis communiter pro eodem sumantur, vt, auctore Hieronymo, prima sint quæ obligant absolutè, secunda quasi medio modo se habeant inter consilia & præcepta. Nihilominus existimat per præcepta hoc loco intelligi iussa legis naturalis; per mandata ipsum decalogum. Atqui decalogo continetur lex ipsa naturalis; distinctionem verò illam, cuius auctor sit Hieronymus, apud illum non reperi: sed præfatione in Marcum quæ ipsi tribuitur cum commentariis, alium distinguendi modum mandata à præceptis, testimoniis, exemplis; vt sit in præceptis iustitia, in mandatis caritas, in testimoniis fides, in exemplis perfectio. Equidem non satis intelligo quid sit inter consilia & præcepta obligans modo medio. Neque satis video, cur Hugo præcepta interpretetur disciplinæ; mandata naturæ. Eiusdem vel Hieronymi[d], vel Paulini, recepta distinctio est mandatorum siue præceptorum, prohibentium & iubentium; imperantium otium, vel studium; coërcentium animum, aut incitantium; vt in primis fecisse, in secundis non fecisse, culpabile sit. Negatiua & affirmatiua Theologi nominant: docentes, quod & hîc ornatur à Rickelio, negatiua obligare semper & ad semper, quia prohibentur vitia quæ semper vitanda sunt; affirmatiua semper, sed non ad semper, quoniam pro loco & tempore, aliisque circumstantiis, cùm sint de bono faciendo, cui non possumus esse semper intenti. Adde nec debere nos cuiuis operi bono semper vacare, cùm non semper concurrant, vel concurrere quoque valeant necessariæ omnes circumstantiæ. Quapropter cùm nunc præsenti sententia obseruanda dicuntur omni tempore præcepta, ceremoniæ, iudicia, mandata; solùm significatur nullum excipi tempus oportere, quo quis ea non obseruet, quando nimirum, & qua ratione debent obseruari: nullam exceptionem faciendam, nec, vt admonet idē ille

Paraphr.

a Rom. 13. 10.
b Matth. 22. 40.
c epist. 14. ad Celantiam.
d supra.

ille scriptor epistolæ ad Celantiam ex arbitrio nostro eligendum, quæ potissimum Dei mandata faciamus, quæve quasi vilia ac parua despiciamus. Disputans noster Suares [a] de materia legis veteris & præceptorum eius, asserensque quarta propositione, comprehendisse nonnulla sub solo consilio, vt de sacrificiis voluntariis, & de votis, aut de reddendo vestimento antè Solis occasum ei, a quo pignoris locum acceptum fuerat [b]; ait id probari posse, inter quosdam, præsentis loci sententia, in qua mandata distinguuntur à præceptis, ceremoniis, iudiciis: placet tamen illi, vt mandata hic sumantur non pro legibus diuinis, sed pro præceptis, quæ per homines, Dei ministros dari contingeret omni, siue quouis tempore, annumerari verò potuerint cum legibus Dei, quia lex ipsa præcipiebat obedire Pontificibus & ministris Dei. Confirmat Aquinatis [c] testimonio, sentientis per mandata intelligi non leges datas à Deo per seipsum, sed per homines, atque id nomen ipsum præ se ferre: quamuis attulisset idem Doctor prius expositiuncem de mandatis vel prohibitis non vt simpliciter debitis, sed propter melius; quæ ita etiam vocentur, quia quandam inductionem habent ac persuasionem, & quia etiam sub Hieronymi nomine [illegible] distinctionem de qua diximus, mandatorum à præceptis, ceremoniis, iudiciis. Probat præterea Suarés consilia mandatorum vocabulo propriè non intelligi, quia nunquam reperitur huiusmodi acceptio in scriptura; immò tota lex vocatur mandatum [d], & lex mandatorum [e]. [illegible]sque Hieronymus mandati exemplum dat verba Christi; *Mandatum* [f] *nouum do vobis, vt diligatis inuicem*, quod est rigorosum præceptum, inquit Suares; videturque ille intelligere mandati nomine præceptum affirmatiuum faciendi aliquod bonum; præcepti autem nomen accommodare ad negatiuum, quale est, vt idem loquitur, diuertere à malo. Monet postremò Suares, etsi Aquinas insinuet eam sententiam de consiliis per vocem mandatorum, abutendo simul verbis; cùm scribit esse præcepta vel prohibita, & distingui tamen velit à præceptis ipsa præstare vt iam dictum est, in mandatis præcepta intelligere quæ subinde ab hominibus auctoritate præditis dareneur. Reiicit adhuc idem in 3. p. 8 distinctionem allatam mandati à præcepto, vt per id significetur sola directio, regula, ordinatio, commendatio rei melioris, non autem rigorosum præceptum; qua distinctione vtuntur negantes Christo datum præceptum, sed mandatum duntaxat. De propriè dicto præcepto exponi solent verba Christi [h], *hoc mandatum accepi à Patre*: & [i] *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic* [illegible] & [k], *Patris mei præcepta seruaui*, quibus loc[is] [illegible] nomen ἐντολὴ & ἐντολὰς atque verbum ἐν[τέλλ]ομαι. Sed breuior ac facilior via est, quam [illegible] que po[illegible] vt mandata hoc loco sint nomen generis ad præcepta sumpta pro moralibus, & ad ceremonias, atque iu[dicia]. In editionibus [illegible] huius loci nostri d[illegible]r vice nominis præceptorum *custodiæ* · [Hebrew] *mishmaroth* φυλάγματα vel nu[illegible] *custodia* [Hebrew] *matrath memerel* [cu]*stodiam verbi eius* vice ceremoniarum [Hebrew] *[illegible] kath*, δικαιώματα, *iustificationes*, [Hebrew] [illegible] *pacta eius*: vice iu[illegible] quæ etiam Hebraica nomino significant [illegible]um affixo [Hebrew] *mi patau*, & Chaldæa [Hebrew] *denoh*, Græce [illegible] *mandata*, si-

ue *præcepta*: vice mandatorum nominibus Hebræo & Chaldæo cum pronomine significantibus generaliter mandata siue præcepta מצותיו *mitsuothau* פקודוהי *pikkodohi*, Græco autem iudicia, κρίσεις. Quocirca in illis nominibus certa distinguendi ratio iniri nequit, licet ter eorum accumulatio faueat distinctioni præceptorum moralium, ceremonialium, iudicialium, quorum veluti genus denotetur per vltimum editionis nostræ, id est, per mandata.

Ama itaque Dominum Deum tuum.] Dixi particulam inferentem ab Interprete pro coniungente positam, atque in ea vim nonnullam Enarratores attendere. Promiscuè idem Interpres vtitur verbis amandi & diligendi, quamuis in editionibus aliis idem verbum vnum retineatur. Amo dici quidam volunt ab *aqua simul*, *vna*, & à עמם *hhamam*, quod significat coniunctionem, vel à חמה *chamah*, *incaluit*, *arsit*: sicut ἀγαπάω, quod hic eatat, à עגב *hhagab*, *amore flagrauit*. Plus dicunt esse diligere quàm eligere, quasi bis eligere; sed plus amare quàm diligere, quasi dilectio sit incoctus tantùm amor [a]. *Vt scires*, ait Cicero [b], *eum à me non diligi solùm; verùm etiam amari*: & [c], *Clodius valdè me diligit; vel (vt ἐμφατικώτερον dicam) valdè me amat.* Hebræum אהב *ahab*, cui simile אוה *aua*, & אוה *auah* auidum amorem denotare possunt.

Et obserua præcepta eius.] Argumentum certum amoris voluntati eius quem ames obtemperare. *Si diligitis me*, ait Christus [d], *mandata mea seruate*: &, *si quis diligit me, sermonem meum seruabit* [e]. &, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me* [f]; & *qui non diligit me, sermones meos non seruat* [g]. *Grandem rem obtines*, inquit Hieronymus [h], *aliusue, vera dilectio*: & *qui perfectè amatur, totam sibi amantis vindicat voluntatem.* Sed in aliis editionib. pro præceptis custodiæ sunt, & verbum custodiendi *& custodies custodiam* vel *custodias eius*, ושמרת משמרתו *veshamartha mishmartho* *& custodies custodiam verbi eius*, ושמרת משמרת מימרה *vethittar matrath memereh* · καὶ φυλάξεις τὰ φυλάγματα αὐτοῦ. Non legi alibi vocabulum Hebræum aliter quàm pro excubiis, vigiliis, stationibus militaribus, & ad harum similitudinem, quas etiam habebant Leuitæ in tabernaculo. Denotant hoc loco verbum cum nomine sollicitam curam diligentiamque, ne omittatur executio præceptorum Dei: quia *beati qui audiunt verbum Dei*, præceptúmque, *& custodiunt illud* [i]. Atque ad hoc vsui erant, quamuis superstitiosiùs excogitata, phylacteria, de quibus aliàs egimus. Denique innuit hæc dicendi formula quanti sit facienda lex Dei, & vt aurum, thesaurus, valetudo, & quiduis aliud quod plurimum æstimemus, ab omnibus contrariis & impedimentis custodienda.

Et ceremonias.] Dixi extare in aliis editionibus cum pronomine חקתיו *chukkothau*, קימוהי *keiamohi*, τὰ δικαιώματα αὐτοῦ · quæ voces alibi declaratæ sunt de præceptis ceremonialibus. Cùm parentes Ioannis dicuntur incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus [k] Domini, significantur seruasse iustitiam moralem per primum, per secundum legalem & ceremonialem. Sic exponit Toletus [l], mandata referens ad mores, iustificationem iustitiæ siue ad ceremonias: iudicium ad politiam humanam, testimonium ad promissiones diuinas: de quibus primis esse illud [m]; *Si in iudiciis meis non ambulaue-*

rint,

Explanatio.

Amandi verbum.

[a] de legib. 9. c. 4. [b] Exod. 22. 26. [c] 1. 2. q. 99. a. 5. [d] Malac. 2. 14. [e] Ephes. 2. 15. [f] Ioan. 13. 34. [g] 10. 1. disp. 43. sect. 2. & 3. [h] Ioan. 10. 18. [i] c. 14. 31. [k] c. 15. 10.

[a] Iul. Cæs. Scalig. exer. 317. [b] l. 13. epist. 48. [c] lib. epist. ad Brutum ep. 1. [d] Ioan. 14. 15. [e] ibid. v. 23. [f] ibid. v. 25. [g] ibid. v. 24. [h] epist. 14. [i] Lucæ 11. 28. [k] Lucæ 1. 6. [l] ibid. ann. 10. [m] ps. 88. 31.

runt, si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: de vitiium [a], *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; de omnibus [b] *testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos; iudicia Domini vera iustificata in semetipsis.*

a psl.92.5.
b psl.18.8.

Iudicia.] Idem valent etiam cum pronomine מִשְׁפָּטָיו *misphatau*, דִּינוֹהִי *dinohi*: sed Græcè τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, *mandata eius*: significántque mandata siue præcepta iudicialia.

Atque mandata.] Generale nomen est, vt & Hebræum, Chaldæumque item cum pronomine מִצְוֹתָיו *mitsuothau*, פִּקּוּדוֹהִי *pikkodohi*, comprehendens tres præcedentes species præceptorum, mandatorúmve moralium, ceremonialium, iudicialium, vt nominatim notat Abulensis: licèt alij de consiliis aut præceptis humanis, aut alio modo interpretentur, vt retuli. Græcum autem nomen κρίσεις iudicia significans, ne de iudicialibus mandatis siue præceptis accipiatur, exponetur etiam vt commune dictis speciebus; quoniam cum iudicio traduntur, & iudicium de illis ferendum est, vtrùm obseruata, vel violata fuerint. Nec improbabile tamen est per primum nomen præceptorum, vel Hebræum, Chaldæúmque custodiarum seu obseruationum, vel singulari numero custodiæ siue obseruantiæ, intelligi genus ad illa sequentia, quæ custodiri obseruarique debeant, ita vt per vltimum intelligantur moralia, per duo media ceremonialia, atque iudicialia præcepta. Indicat id Sa noster & Vatablus.

Omni tempore.] Iuxta cæteras editiones (*omnibus diebus*) quia numquam cessandum ab obedientia legis, cuius, vt docui, negatiua præcepta obligant semper & ad semper; affirmatiua semper, non ad semper. Id antea expositum est, quódque aliqui mandata de humanis accipientes omne tempus interpretentur pro quouis in quo illa ferri contingeret, diuersa ab iis quæ Deus immediatè tradidisset, aut à Mose tradi voluisset. Discere præcepit idem Hebræos, ac filios docere, ipsum timere omni tempore quo viuerent super terram [c]: custodire quoque vniuersa mandata ipsius omni tempore [d].

c Deut.4.10.c.14.23.
d c.5.29.

Vers.2.] Cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia eius, & robustam manum, extentúmque brachium.

Paraphr.

AD amandum Deum filiósque obseruanda præcepta omnia seu mandata mouere plurimùm debet ac solet acceptorum ab ipso memoria beneficiorum, siue immediatè nobis collata sint, siue maioribus nostris, in nos autem redundent, atque in nobis persenserint. Hoc agitur præsenti & sequentibus nonnullis versibus, incipiendo ab admirandis operibus, quæ gesta sunt circa Hebræi populi de captiuitate durissima Ægypti liberationem, quæ opera non viderant ij, quos nunc Moses alloquebatur, sed patres seu maiores eorum in deserto mortui spatio 40. annorum. Licèt verò non pauci adhuc vidissent ex iis, qui egressi fuerant infra ætatem 20. annorum, in qua ætate constituti, non fuerant condemnati ad moriendum in deserto: tamen ex his ipsis nati non viderant. Suadet porrò à conditione propriarum personarum, inquit Caietanus, quæ sunt testes de visu tot mirabilium operum Dei, vt ex hac disparitate inter filios eorum, & ipsos, & conuincantur, & accendantur ad amandum Deum, & seruandum mandata eius. Inculcatum hoc vidimus prius [a] isto libro, vt nempe veluti oculati testes mirabilium Dei operum prouocarentur: quod & paulò pòst [b] in capite hoc reperitur. Inde quoque Christus exaggerauit beneficium discipulorum, qui vidissent suis oculis, quod nec reges, nec prophetæ, quàmuincumque desiderassent, videre [c] potue[runt]. Monet porro Procopius denuò Mosem res in Ægypto gestas inculcare, & ab obliuione populum conari sedulò asserere; quemadmodum scribebat Paulus Philippensibus [d] eadem scribere sibi quidem non pigrum, ipsis autem esse necessarium, ἀσφαλὲς, tutum, securum, quódque eos constitueret extra periculum. Conducit quædam repetere; quoniam

a c.1.19.30.31.c.2.30.c.3.21. c.4.3.9.33 34.c.5.23.c.7.19.c.9 2. c.10.21.
b vs.
c Luc.10.23.
d Philip.3.

—[e] *decies repetita placebunt:*

e Hor.de arte.

Quo pacto in extrema senectute iterans Ioannes illud, *filioli diligite vos inuicem*, dignam se interantibus respondit sententiam, *Domini præceptum est, & si solum fiat, sufficit.*[f] Talis & parœmia Græca δὶς ἢ τρὶς τὰ καλά.

f Hieron.de script. eccl. in Ioannem.

Cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri.] Futuri temporis verba in aliis editionibus transtulit nostra imperatiuè, vt sæpè alias (*& cognoscetis hodie, quod non filij vestri.*) Caietanus explicat suspensam sententiam vsque ad 7. versum (*oculi vestri viderunt, &c.*) considerabitis hodie, quòd non filij vestri (qui non viderunt subiuncta opera Dei) vos nempe, qui oculis vestris vidistis illa. Alij apud Oleastrum, quoniam non cum filiis vestris loquor: aut, non cum illis paciscitur Dominus pactum hoc, aut non cum iis loquitur. Insinuat [illegible] Vatablus; vt scire ac intelligere ostendam [illegible] opere ipso, id quod ipsimet viderant, non h[illegible], & quos idcirco alloquebatur Moses potissimùm, non filios. Eodem recidunt omnia: & cognoscere idem est hic quod considerare in memoriam reuocando.

Explanatio.

Cognoscere idem quod considerare.

Qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri.] Editiones reliquæ priore membro ponentes per se *quæ*, vt *quod*, vel *quia non filij vestri*) in isto iungunt duo verba (*qui non cognouerunt, neque viderunt, &c.*) & Græca numero singulari habet (*Domini Dei tui.*) Disciplina dicitur hoc loco מוּסַר *musar*, אֻלְפָנָא *vlpana*, παιδεία. Primum nomen Pagninus vertit eruditionem: Oleaster post Munsterum hæret [illegible] & Vatablum (qui vtitur etiam disciplinâ) [illegible] castigationem, quoniam, inquit Oleaster de punitione [illegible] de eruditione Æ[illegible] pri[illegible] sermo est: & [illegible] *iasar* castigare significat, quod exemplis prob[illegible] quibus [illegible] possunt & de illa castigatione Ægypto[illegible] Pharaonis, interpretatur etiam [illegible], & [illegible] alios: quamuis Abulensis, Vatablus, & ex nostri Sa, Corneliúsque de illa qua Hebræ[illegible] post egressum ex Ægypto quando murmurauerunt vel adorauerunt vitulum, &c. tanquam adhuc pueros, quod παιδεία magis insinuat. Chaldæum autem nomen doctrinam, quæ verbis tradi potest atque verberibus: ita vt de his vulgò etiam disciplinæ vox vsurpetur. Non repetam quæ de disciplinæ nomine docui

g Prou.19.19 Ier.31.18.

Disciplina vox.

cat in Leuitico [a] & Sapientia [b], & Psalmis [c]. Augustinus [d] παιδείαν docet propriè esse per molestias eruditionem; proptereaque tractatores ecclesiasticos vertere sæpe id nomen disciplinam, hoc est, molestam & laboriosissimam instructionem.

a c.26.23. b c.6.12. c ps.2.12. ps.17.37. ps.49.17. ps.118.66. d in ps.118. concio.17. e v.21.

Magnalia eius.] De hac voce dixi priore [e] capite: vbi Græcè sunt τὰ μεγάλα, sicut hîc: & Hebræum nomen idem quod hoc loco: nisi quod ibi est plurale, hic singolare גדלו *godlo*.

Et robustam manum, extentúmque brachium.] Omnit ad vtrumque nomen brachij & manus pronomen (*eius*) Interpres. De his autem etiam egimus præcedentibus [f] capitibus.

f c.3.24.c. 4.34.c.5. 15.c.6.21. c.7.8. 19. c. 8.17.c.9.26.

Vers.3.] Signa & opera, quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, & vniuersæ terræ eius.

Paraphr. DIsciplinæ, robustæ manus, extenti brachij Dei effecta enumerantur deinceps; versu autem isto plagæ decem quas intulit ad liberandum populum Hebræum, toti Ægypto, regique ipsius Pharaoni. De his non est modò disputandum, & alibi oblata occasione disputauimus vel hoc ipso libro, vel in præcedentibus duobus, vel in Psalmis, vel in libro Sapientiæ, vel in actibus Apostolorum, vel in Canonicis Catholicísve epistolis. Opportuna verò Abulensis admonitio est, plagas illas ita communes fuisse toti Ægypto, vt omnes passim habitatores comprehenderent, non tamen Hebræos siue in terra Gessen, quæ ipsis ad habitandum propriè attributa fuerat, siue in alijs terris per Ægyptum, vbi permixti Gentilibus viuebant. Probatur id facilè ex Exodi cap.8. & 9.& 10.& 12. affirmátque Augustinus [g]. Addit Pererius [h] noster excipiendos videri aduenas & peregrinos, qui aliis ex regionibus in Ægyptum varias ob causas venerant: præterea si qui Ægyptiorum nihil peccauerant in Hebræos: quamuis fieri secùs quoque potuerit, cùm in generali punitione alicuius gentis vel ciuitatis boni simul cum malis affici soleant calamitatibus iisdem. Adhæc existimat [i], contra mentem Augustini [k], qui habitabant in terra Gessen vnà cum Hebræis Ægyptios plagis comprehensos, vtpote qui Hebræos æquè ac alij, & forsitan magis insectarentur. Quòd autem hîc exprimitur Pharaoni regi signa & opera facta, causa est quoniam quæ fiunt in alicuius ditione, ad eum spectant, cuius ille dominium habet, & lædi censetur, qui læditur in rebus suis, & maximè in filiis: ex quibus carissimus esse primogenitus solet: tandémque ipsemet submersus est, vt sequentia loquuntur.

g q.26. in Exod. h in Exod. 7.disp.12. n.74. & 75. i n.78. k in Exod. q.44.

Explanatio. *Signa & opera.*] Habent editiones reliquæ coniunctionem ante signa atque pronomen (*eius*) post vtrumque nomen: pro operibus quæ Hebraicè significant eum pronomine מעשיו *maahasau*, & Chaldaice עובדוהי *hhobadohi*, sunt Græcè τὰ τέρατα αὐτοῦ, *prodigia eius*. Quid signa & prodigia significent, alibi vidimus. Ex adiunctis rectè iudicauerunt L X X. operum loco prodigia ponere. In Psalmo 43. [l] opus quod operatus est Deus dicitur de similibus operibus, quibus debellando gentes introduxit Hebræos in terræ promissæ possessionem.

l v.2.

Quæ fecit in medio Ægypti.] In tota etiam Ægypto, non exactè ac præcisè in medio dumtaxat eius. Vt hîc in medio, sicut & alibi, non sit aliud quàm intra. Sic videlicet dicitur Ephrem habitasse in medio filiorum Heth [a], dominari quis in medio inimicorum [b], & similia non pauca. Quo pacto operatum Deum salutem in medio terræ [c], ad literam exposui [d] palàm, & in conspectu omnium, & quidem nominatim quando populum de seruitute Ægyptiaca eduxit adeò multis & magnis editis prodigijs: quod præsenti loco nostro indicatur. Talia, habitare in medio populi [e], transire per medium aliquorum [f], effundere sanguinem in medio ciuitatis [g], ducem esse in medio [h], id est, inter alios, palàm, securè, absque impedimento, confidenter, sine metu. Vnde quandoque vertit Interpres noster (*inter eos*) quod in aliis est (*in medio*) vt; *Satan* [i] *affuit inter eos*; &, furtem mittere eum aliis [k], iuxta editiones reliquas (*in medio eorum*) Nec fortassis aliud per se valet, stetisse Christum in medio discipulorum, quàm inter illos. Eodem sensu canitur Psalmo 134. [l] *Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius.*

a Gen.23. 10. b ps.109.2. c ps.73.12. d ibidem. e 4.Reg.4. 13. f Luc.4. 30. g Ezech.24. 2. h c.12.12. i Iob.1.6. k Prou.6. 14. l v.9.

Pharaoni regi.] De hoc nomine quod commune fuit pluribus Ægypti regibus, egimus aliis in locis. Quomodo facta intelligantur illi signa, & opera hîc paulò antè docuimus. In cap.6. [m] signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto facta memorantur contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu Hebræorum. In cap.7. [n] iubentur Hebræi recordari quæ fecerit Dominus Deus eorum Pharaoni, & cunctis Ægyptiis, plagas maximas, quas viderant oculi eorum, & signa, atque portenta, manúmque robustam, & extentum brachium, vt educeret eos.

m v.22. n v.18.19.

Et vniuersæ terræ eius.] Monuimus quoque qua ratione plagæ terram vniuersam Ægypti, eiusdémque habitatores comprehenderint.

Vers.4.] Omníque exercitui Ægyptiorum, & equis, ac curribus: quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cùm vos persequerentur, & deleuerit eos Dominus vsque in præsentem diem.

Paraphr. PRior versus ad plagas illatas intra Ægyptum videtur pertinere: hic ad submersionem vniuersi exercitus Ægyptiorum in mari rubro cum equis & curribus eorum, ac ipsorum rege Pharaone quando egressos ex Ægypto Hebræos, licèt obtenta venia, persequebantur, nullo ex iis viuo relicto. In Psalmo 135. [o] describitur hoc idem; *qui diuisit mare rubrum in diuisiones, & eduxit Israel per medium eius: & excussit Pharaonem & virtutem* (exercitum) *eius in mari rubro*; in 77. [p] *interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in vtre: & inimicos eorum operuit mare*: in 105. [q] *increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto: & saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici: & operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.* Aliis præterea in locis narratur eadē historia [r]. Cognosce quæ commētati sumus ad indicata in margine loca ex libris Numerorum, Psalmorum, Sapientiæ, atque alios, qui vel eadem explanauerunt, vel alia librorum aliorum, præsertim Exodi.

o v.13 14. 15. p v.13 53. q v 9.10. 11. r Exod.14. 1010,& c. 15. in cant. Nu.21.14. Ios.2 10.c. 4 23.2. Esd. 9 9 10.11. Iud.5.11. 12.13 Sap. 10.18.19. 20 c.14 3 c. 19.7.8.9 Es. 51.10 1. Mach.4 9.

Omnique exercitui Ægyptiorum] Editiones aliæ (*& quæcumque fecit exercitui Ægyptiorum*) Græca verò habet δύναμιν. Cecinit Moses [a] exercitum Pharaonis proiectum in mare, atque currus. Emẽdati codices Græci habent καὶ ὅσα ἐποίησε τὴν δύναμιν τῶν αἰγυπτίων, *& quæ*, siue *quæcumque fecit virtutem Ægyptiorum.* Augustinus in locutionibus notat hoc interpretes nostros quosdam Latinos minùs intelligentes, noluisse dicere virtutem, sed virtuti, vel exercitui: quoniam id quod ait Græcus δύναμιν, nonnulli exercitum intellexerunt. Sed elegans, inquit, locutio est (*quæ fecit virtutem eorum*): intelligendum quid eam fecit: quoniam ad nihil eam redegit. Ab exercitio seu exercitatione denominatum constat exercitum.

Et equus.] Pronomen (*eius*) exprimitur in exteris editionibus: Græca post currus ponit τὴν ἵππον, *equitatum*, vel *equites.* Masculino genere ὁ ἵππος equum significat. Sic apud Herodotum χιλίη ἵππος, *mille equites*, vel μυρία, *decem millia:* apud Thucydidem διακοσία, *ducenta*: apud Xenophontem ἵππος εἰς χιλίαν, *equitatum*, aut *equitatus circiter mille hominum*: apud Æschinem περσικὴ ἵππος, *Persicus equitatus.* Collegit hæc exempla Græci thesauri auctor. Aliter τὸ ἱππικὸν, *equitatum* dicunt. *Equum & ascensorem proiecit* Deus *in mare* [b]: & hauddubiè cum equis equites, vt & cum curribus vectores perierunt. Quamuis autem equitem vsurpent interdũ Latini pro equo [c], & quadrupedem etiam equitem [d], id est, equum dicant, immò & equum, qui sub homine graditur, equitare [e], non solùm hominem qui equo vtitur: tamen equum pro equi insessore sumi non memini, licèt currus vsurpet Virgilius [f] pro equis, domitari currus, aut infrænari dicens. In cantico [g] Mosis quod legimus *ingressus est eques Pharao*, Hebraicè & Græcè est *equus*, סוס *sus*, ἵππος, Chaldaicè *equitatus*, סוּסְוָת *susuauath*: monétque Iansenius [h] in antiquis codicibus esse (*equus Pharao*) accipiendo Pharao in genitiuo casu, & equum pro equis ac equitibus. At ibidem additur (*cum curribus & equitibus eius*) & initio eiusdem cantici equus ab ascensore distinctus ponitur. An passim vsi equis Hebræi, tum verò in bellis, & equitandi quis vsum adinuenerit, alibi [i] docui; & antiquiorem esse, quàm vel hippocentauros, siue centauros, vel Neptunum cognominatum propterea hippium, vel Amazonas, vel Bellerophontem, vel in Græcia Ixionem, id est, in Thessalia regione illius; qua de re Lælius [k] Bisciola noster. Sed in cap. 17. [l] libri nostri rursus videndum quo pacto regi equorum inhibita multiplicatio esset.

Ac curribus.] Collectiuè ponitur singulare nomen Hebræum cum pronomine רִכְבּוֹ *richbo*: Græcè sunt τὰ ἅρματα, aliàs ὀχήματα. De curruum quoque inuentione [m] alibi dicta consulere potes; vbi nonnihil attigimus de falcatis seu ferreis ferratisve ad perturbandas hostium acies comparatis. Tertullianus [n] Trochilum Argiuum currus auctorem facit, opúsque suum dicasse ait Iunoni: & alios memorat quadrigæ inuentores, sed ad spectacula. Vehiculi genera plura sunt cisij, essedi, petoriti, carri, carrucæ, carpenti, pilenti, arceræ, plaustri, rhedæ, sarraci, epirhedij, vel epirhedi, couini, arcimæ, thensæ, lecticæ, de quibus Alexander [o] ab Alexandro & Scholiastes Tiraquellus. Ex his quædam vehicula, siue currus bellici, ἅρματα πολεμικά, siue πολεμιστήρια erant & militares, non ad viam duntaxat faciendam, aut onera conuehenda. Describit illius generis esseda [a] Iulius Cæsar: *Genus hoc est ex essedis pugnæ*, inquit. *Primo per omnes partes perequitant* (de Britannorum agit pugnis, etsi Belgæ quoque ac Galli in suis eadem adhiberent) *& tela coniiciunt, atque ipso terrore equorum* (qui erant exercitati agitandis in prælio essedis, quod insinuat Virgilius [b], Belgica vocans esseda; *Belgica vel molli melius feret esseda collo*) *& strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: & cùm se inter equitum turmas insinuauere, & ex essedis desiliunt, & pedites præliantur. Aurigæ interim paulatim è prælio excedunt, atque ita se collocant; vt si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant: ac tantùm vsu quotidiano, & exercitatione efficiunt, vt in decliui, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iuga insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint.* Britannos Mela [c] bigis dimicare solitos prodit, & curribus Gallicè armatos, eósque Couinos Lucanus [d] appellat; sicut couinarium, qui huiusmodi agit equum, Tacitus [e]. Existimat Abulensis hoc loco sermonem esse de curribus falcatis, quas & quadrigas nominat, à quatuor equis: hósque equos armatos fuisse dicit, ac in frontibus habuisse longos & acutissimos enses: rotis verò etiam affixos multos curuos in modum falcium: Insedisse cuilibet currui milites quatuor vel quinque inde iaculis vtentes: currus illos planioribus tantùm locis vtiles extitisse (id Vegetius [f] etiam tradit) ideò nunc in vsu non esse. Addit magni valoris fuisse, quoniam magni reges non poterant habere nisi 400. vel 500. de his mentionem sæpe fieri in libro Regum. In illius libro primo [g], vt omittam sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum erat quod Pharao tulit cum ducibus exercitus contra Hebræos qui euaserant [h], lego Philisthiim congregatos ad præliandum contra Israël cum triginta millibus curruum: in 2. [i] quod occidit Dauid de Syris septingentos currus: in 3. [k] quòd Salomon muniuit ciuitates curruum, id est, in quibus reseruarentur currus bellici, inquit Lyranus [l]: & quod habuit mille quadringentos currus [m] (indicatur id etiam in c. 1. Cant. [n] *equitatui meo in curribus Pharaonis*) quos emit à negotiatoribus illius (*assimilaui te amica mea*) nempe vt adeò mihi cara sis quàm res illæ, tam fortis meus in te amor, quàm sunt eædem, & vicissim vt castrorum acies ordinata [o]. Rursum Dauid spe diuina plenus; *hi in curribus* [p], ait *& hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Sed falcatos currus exprimit sola Iudicum [q] historia: profanæ autem historiæ scriptores Curtius [r] ac Liuius [s], & qui de militia præcipiunt Ælianus [t], atque Vegetius [u]; quos Lucretius [x] cognominat falciferos; Valerius [y] Flaccus falcatos; Græci ἅρματα σιδηρᾶ, *currus ferreos*, siue *carpenta & plaustra ferrea*, vt etiam loquitur Scriptura [z]; vel ἅρματα, vel τέθριππα, aliis δρεπανηφόρα, *currus falciferos*, vt Lucretium quoque locutum modò retuli. Sic Suidas [aa], Arrianus [bb], Diodorus [cc]. Ex citatis autem aliis auctoribus Curtius præsertim quadrigas falcatas hoc pacto describit. *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant; vtrinque à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant. In aduersum alia deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & alia in arrum*

Explanatio. — Equorum vsus. — Curruum repertor. — Vehiculi genera.

[a] Exod. 15. 4. — [b] Exod. 15. 1. — [c] Virg. 3. Georg. — [d] Enn. in 7. annal. apud Gell. l. 18. c. 5. — [e] Lucil. apud Gell. sup. Vide etiam Macrob. l. 6. c. 9. — [f] 7. & 12. Æn. — [g] Exod. 15. 19. — [h] ibidem. — [i] in Eccl. 10. 7. — [k] to. 2. hor. subsecitu. l. 12. c. 4. — [l] v. 16. — [m] in ps. 67. 18. in Act. 8. 28. — [n] de spectac. c. 9. — [o] l. 2. c. 30.

[a] 4. de bello Gall. — [b] 3. Georg. — [c] l. 3. c. 6. vel 4. — [d] 3 Pharsal. — [e] in vita Agricolæ. — [f] l. 3. c. 24. — [g] c. 13. 5. — [h] Exod. 14. 7. — [i] c. 10. 18. — [k] c. 9. 19. — [l] ibidem. — [m] sup. v. 26. — [n] v. 8. — [o] c. 6. 3. 9. — [p] ps. 19. 8. — [q] c. 1. 19. c. 4. 3. 13. — [r] l. 4. — [s] l. 7. dec. 4. — [t] c. 22. — [u] l. 3. c. 24. — [x] l. 5. — [y] l. 6. — [z] 2. Reg. 18. 32. 1. Par. 20. 3. Ios. 17. 16. 18. Amos 1. 3. — [aa] voce δρεπανηφόρα. — [bb] 2. de gestis Alex. — [cc] colib. 17.

ram demissa: quodquid obuium concitatis equis fuisset, amputabatur. Suidas, *in ipso falciferarum quadrigarum rotarum*, inquit, *orbe medio, seu in axe, erant acutæ falces circumcirca: illis autem hostem inuadentibus accedebat vt ordines perturbarentur; & qui in eas incidebant, miserabiliter peribant: falcibus enim agitatis, alij quidem per pedes, alij verò per arma prehensi, trahebantur longè diúque, & interficiebantur.* Has Dario fuisse testatur, cùm Alexander bellum ipsi faceret. De hoc eodem genere currus profertur à Thoma [a] Dempstero auctoris incerti de rebus bellicis talis descriptio. *Huiusmodi pugnacis vehiculi genus, quo armis præter morem videtur instructum, reperit Parthicæ pugnæ necessitas. Sed hoc singulis benè munitis iunctis equis, duo viri, vestitu & armis, ferro diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt; cuius posterior supra currum pars cultris in orbem extantibus communitur; videlicet ne facilis à tergo cuiquam præbeatur ascensus: falces verò acutissimæ axibus eiusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus innexi funes, pro arbitrio duorum equitum, laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces; qualia vero huiusmodi machina funera hostibus immittant, vel quas turbatis ordinibus strages efficiant, dicent melius qui vsu bella cognoscunt.* Sic ille anonymus. Apud Rhodiginum [b] leges ἅρματα πολεμικὰ καὶ δρεπανηφόρα, *currus bellicos falciferósque, seu falcatos:* Libyes ex curribus pugnasse, sicut apud Homerum heroes, duobus ad illos adhibitis equis, etiamsi Hector audacia præstans quatuor vteretur: currum inscendere solitum parabaten siue anabaten, hoc est, aurigam, & hopliten, id est, armatum: Synoride vsos alios in bello, quæ biga erat currúsque non plenus, sed ex duobus iunctos equis, alio nomine δίφρος, quasi διφόρος, *duos ferens:* quadrigam plerumque fuisse qui dicebatur falcatus currus. De instructione curruum bellicorum præcipit Leo [c] Imperator. De hoc item argumento nonnihil Serarius [d] noster, déque arte curribus obsistendi ex Curtio [e], Frontino [f], Plutarcho [g]: de vsu eorumdem apud Persas Brissonius [h], proferens eosdem auctores quos citaui cum descriptione; ac illum ipsum auctorem anonymum, cuius opus de rebus bellicis Notitiæ imperij subiicitur, & quē prolatum retuli à Dempstero: Idem porrò huius rei inuentum Semiramidi regibúsve Assyriis tribuendum censet si Ctesiæ habeatur fides quem laudat Diodorus [i]; Cyro, si Xenophonti [k]; Macedonibus, si Hesychio [l]. Præterea tropologiam currus, de qua copiosè Bernardus [m], de malitia, cuius rotæ quatuor sint, sæuitia, impatientia, audacia, impudentia; equi duo, terrena potentia, sæcularis pompa; aurigæ, tumor, & liuor. Item de curru elationis potentiæ temporalis, cuius auriga tumor præsumptionis & audaciæ, habens equum propriæ confidentiæ; rotæ præceps mobilitas vanitatis, & felix successio prosperitatis: de curru altitudinis conuersationis & vitæ; cuius auriga sermo commonitionis diuinæ, equus votum perseuerantiæ; rotæ horrenda terribilitas tormentorum & mira delectabilitas præmiorum: de curru celsitudinis contemplationis & gratiæ; cuius auriga amor cœlestis patriæ; equus desiderium beatitudinis & vitæ, rotæ improbatio gloriæ mundialis, & diuinæ reuerentia maiestatis. Primum attribuit Pharaoni in quo sit mortuus [n]; secundum Eunucho reginæ [o] Candacis; tertium Eliæ [p]. Philo [q], Origenes [r], Augustinus [s], Gregorius [t] per currum Pharaonis mysticè

a Paral. ad Ioan. Rosinum lib. 1. c. 10.
b lib. 21. c. 34.
Instructio curruum.
c de bellico apparatu c. 6. nu. 26. & c. 14. nu. 81. & seqq.
d in Iudic. c. 1. pag. 27.
e lib. 4. de Alex.
f lib. 2. c. 3.
g de Eumene, & in Lucullo, & parall.
Tropologia curruum.
h 3 de regno Persarū pag. 229.
i lib. 2.
k lib. 6. Cyri pæd.
l in lexico.
m serm. 39. in Cant. & in senten.
n Exo. 15. 4.
o Act. 8. 28.
p 4. Reg. 2. 11.
q de migr. Abr.
r hom. 15. in Iosue.
s in Ps. 19.
t in 1. Reg. 8.
Currus Pharaonis interpretatio mystica.

interpretantur superbiam volubilis sæculi, fastum mundanæ elationis, honores, & modum quo mala inferuntur; lasciuiam, libidinem, superbiam, leuitatem, dæmones etiam & affectus animæ; item persecutores fidelium Imperatores Rupertus [a]: præterea in anima peruersa gulam, fornicationem, iram, superbiam Nyssenus [b]. Plato ab Eugubino [c] citatus currui similem hominem faciebat equorum duorum furoris & cupiditatis, quorum ratio regeret habenas. Distinguunt alij [d] triplicem currum luxuriæ, auaritiæ, superbiæ: primi rotas esse gulam, mollitiem vestium, otium, turpitudinis libidinem: secundi pusillanimitatem, inhumanitatem, contemptum Dei, mortis obliuionem: tertij sæuitiam, impatientiam, audaciam, impudentiam.

Quomodo operuerint eos aquæ maris rubri.] Iuxta editionem Hebræam, & Chaldæam (*quomodo inundare fecit*, videlicet Deus, vel *natare aquas maris rubri super facies eorum*, aut *in facie eorum*, הֵצִיף *hetsiph*, אַטֵּיף *atteph*: iuxta Græcam (*inundauit aqua*, ἐπέκλυσε ὕδωρ.) *Reuersa aqua operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis* [e]: *flauit spiritus*, siue *ventus*, *& operuit eos mare* [f]: *submersi sunt in mare rubro, abyssi operuerunt eos* [g]: *inimicos eorum operuit mare* [h]: *operuit aqua tribulantes eos: ingressus est equus Pharao cum curribus & equitibus eius in mare rubrum, & reduxit super eos Dominus aquas maris* [i]. Id expositum est alibi, & quod esset mare rubrum, cúrve ita nominatum; atque quo pacto visi iamdiu pòst fuerint in illo mari rubro tractus curruum, rotarúmque orbitæ, vt meminerunt Diodorus Tharsensis [k], Gregorius Turonensis [l], Paulus Orosius [m]. Cæterùm Pharao Ægyptius imperator, vt loquitur Tertullianus [n]; quia populum Dei aliquando afflictum, diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus periit: Decuit quoque aquis suffocari, qui mares iisdem suffocauerat Hebræorum [o], quemadmodum priùs versæ in sanguinem fuerant, & quasi ad potandum præbitæ propter sanguinis innocentis effusionem; vt per quæ peccauerat, per hæc & torqueretur [p]: ac eductus ex aquis Moses, quod ipse suo nomine significat, causa esset aliquando interitus Pharaonis in aquis, quemadmodum obseruauit Augustinus [q].

Cùm vos persequerentur.] Addunt editiones aliæ (*post vos*, aut *à tergo vestro*, אַחֲרֵיכֶם *acharechem*, בְּתְרֵיכוֹן *betrechon*, ἐκ τῶν ὄπισθεν ὑμῶν: quamuis in emendatis Græcis codicibus sit pronomen primæ personæ, ἡμῶν, nempe καταδιωκόντων αὐτῶν ἐκ τῶν ὄπισθεν ἡμῶν. Narrantur Ægyptij persecuti vestigia præcedentium vsque quo reperirent Hebræos in castris super mare [r]: licèt quod habet editio nostra de vestigiis, in aliis extet dumtaxat de persecutione post illos. Itaque in vestigiorum nomine constitui vis non debet.

Et deleuerit eos Dominus.] Cùm persequentes Ægyptij Hebræos ingressi essent per medium maris, & Moses extendisset manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibúsque illis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus, reuersæque aquæ operuerunt currus, & equites cunctis exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis [s]. *Disce*, ait Tertullianus [t], *Christum expugnatorem*

a 2. in Exo. c. 31.
b de vita Mosis.
c in Ps. 44.
d Balthas. Paëz in canticū Moysi ver. 3. 4. 5. annot. 6. & & seqq.
e Exo. 14. 28.
f c. 15. 10.
g vers. 5.
h Ps. 77. 53.
i Exo. 15. 19.
k ibid. in catena Lipoma.
Pharaonis mors.
l 1. hist. Fra. cap. 10.
m 1. hist. c. 10.
n de pudic. c. vlt.
o Exo. 1. 16.
p Sap. 11. 17.
q serm. 89. de temp.
r Exo. 14. 9.
Interitus exercitus Pharaonis.
s ibid. v. 23. 27 28
t 4 contr. Marc. c. 20.

 spiritus

spiritualem hostiam spiritualiter armatum, & spiritualiter bellicosum intelligendum. Nam hic mundus per equum; diabolus per ascensorem significatur. Nota verò etiam analogia inter mare rubrum & baptismum, ac quo pacto submerguntur peccata in baptismo; quod Augustinus [a], Bernardus [b], Nyssenus [c], aliique declarant, post Paulum [d] qui baptismum in mari vocat.

Usque in præsentem diem.] Aliter (*usque in diem hunc*; aut, *usque in hodiernum diem*, עַד הַיּוֹם הַזֶּה *hhad haiom hazzeh*, עַד יוֹמָא הָדֵין *hhadioma haden*, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Dixit Moyses ad populum; *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultrà videbitis usque in sempiternum* [e]. Putat Hugo non solùm de Ægyptiis sermonem esse, sed etiam de aliis. Ex antecedentibus tamen & consequentibus satis liquet de Ægyptiis dumtaxat agi, qui submersi dicuntur.

Analogia maris rubri & baptismi.

a 12 cont. Faust. c. 29. & tract. 11. in Ioan.
b serm. 39. in Cant.
c de vita Mosis.
d 1. Cor. 10. 2.
e Exo. 14. 13.

Vers. 5.] Vobísque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum.

Paraphr. PAucis verbis multa continentur, in gratiam Hebræorum gesta mirabiliter à Deo, postquam ex Ægypto liberati miris quoque modis, annorum 40. spatio peregrinati sunt in deserto. Quia verò ad amorem Dei, & obseruantiam mandatorum hortatur Moyses populum; ideo, ait Hugo, ostenso quanta fecerit inimicis eorum propter eos, ostendit quanta beneficia præstiterit eis. Peti debent illa ex præcedentibus libris Exodi, Leuitici, Numerorum; & ex his, quæ in commentario duorum postremorum diximus, vel etiam Psalmorum, libri Sapientiæ, Actuum Apostolicorum.

Explanatio. *Vobísque quæ fecerit.*] Videlicet, cognoscite, quæ ignorant filij vestri, nec viderunt, vt versu 2. dictum est: ac nomen præterea Domini suppleri debet, quod versu erat præcedente.

In solitudine.] A mari rubro usque ad eum locum, in quo erant Hebræi, quando Moses hæc loquebatur. Hæc solitudo cognominatur c. 8. [f] magna atque terribilis, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ. Per eamdem fuerunt 41. mansiones, de quibus actum est priore libro.

f vers. 15.

Donec veniretis ad hunc locum.] Is describitur initio libri præsentis, & in fine capitis tertij vocatur vallis contra fanum Phogor: qui locus pertinebat ad regum Amorrhæorum ditionem.

Vers. 6.] Et Dathan, & Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus & tabernaculis, & vniuersa substantia eorum quam habebant in medio Israël.

Paraphr. INter plures alias diuinas animaduersiones siue punitiones admirabiles, quas exercuit Deus in deserto, illam de industria videtur Moses voluisse nunc recensere, quæ pertinuit ad seditiosos ambitiosósque detrectantes subesse imperio Mosis & Aaron. Erat enim Moses non multò pòst ex hac vita migraturus; & sibi iam successorem Iosue designauerat, Aaroni autem Eleazar filius in summo sacerdotio successerat; verendumque erat, ne pro more, post obitum Mosis Hebræi aduersus illos rebellarent. Historia ipsa in cap. 16. & 26. Numerorum declarata est; vbi nominantur præterea Hun ex immediato patre Pheleth, de filiis Ruben, & Namuel ex Eliab: Core autem de filiis Leui. Sed nunc omittitur Core de tribu Leui, quia iam Eleazar fungebatur Pontificatu, vt dixi.

Explanatio. *Et Dathan, atque Abiron.*] Repetunt editiones reliquæ (*& quæ fecerit*, vel *fecit*, nempe Dominus, וַאֲשֶׁר עָשָׂה *veascer hhasah*, לְדָתָן *vedabhanad*, καὶ ὅσα ἐποίησε. Appellantur cap. 26. [a] principes populi.

a vers. 9.

Filius Eliab.] Sic in cap. 16. [b] libri præcedentis; sed in cap. 26. [c] vt etiam hic paulò antè notaui, annumeratur Namuel filiis Eliab.

b vers. 1.
c vers. 8.

Qui fuit filius Ruben.] Non quòd Ruben genuerit ipsum immediate, alioqui, vt Abulensis ratiocinatur, sequeretur Dathan & Abiron quando desertum introierunt, ætatis annos circiter 150. habuisse, vel etiam 165. Siquidem Ruben cùm primùm ingressus est Ægyptum, erat 48. annorum. Ergo filius Ruben dicitur eo modo, quo Asa rex filius Dauidis [d], necnon Ezechias [e], & Iosias [f]; Elisabeth de filiabus Aaron [g]; quoniam de genere illorum quorum filij nominantur. Erat Ruben primogenitus inter filios Iacob, ideóque qui ex illa tribu erant, ægrè ferebant principatum politicum esse in tribu Leuitica, cuius erat Moses, simul cum sacerdotali, quem gerebat ex eadem tribu Aaron frater Mosis.

d 3. Reg 15. 11.
e li. 4. 18. 3.
f c. 22. 2.
g Luc. 1. 5.

Quos aperto ore suo terra absorbuit.] In cap. 16. [h] libri præcedentis dirupta scribitur terra, & aperiens os suum deuorauisse illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; illi verò descendisse viui in infernum operti humo, & periisse de medio multitudinis: in cap. 26. [i] aperiens terra os suum deuorauisse Core: rursus de Dathan & Abiron, quòd aperta terra deglutiuit & operuit eos, vt canitur in Psalmo 105. [k] Quæ qua ratione intelligi debeant dictis locis declaratum est, simulque quo pacto metaphoricè tribuatur terræ os atque absorptio & deglutitio, quod Abulensis adhuc hìc explicat; obiter fabulam Iudaicam reiiciens, de qua & nos cum ipso in libro priore, quòd creauerit Deus initio cum aliis decem coæuis in die sexto, cùm sol vellet occidere ad intuitum horizontis ante principium sabbati. Ibidem quid videatur de miserabilium salute vel damnatione asseri probabiliter posse, ac verùm tali genere mortis aliqui perierint. Existimat Ribera [l] noster, viuos mittendos Antichristum, & Pseudo-prophetam in stagnum ignis subitò raptos à dæmonibus, spiritu oris Christi, hoc est, iussu illius, acerbius autem id esse, quàm si prius morerentur; quod item de illis insinuat, de quibus hìc agitur. Quamuis tandem de vtrisque affirmet in ipsa via absorptionis mortem expertos, & experturos, quia statutum est omnibus hominibus semel mori [m]. Lege Thomam [n] Maluendam de Antichristo.

h vers. 30. & seqq.
i vers. 10.
k vers. 17.
l in Apoc. 19. 20. n. 34. *Antichristus & Pseudo-[illegible] genera mortis perirant.*
m Hebr. 9. 27.
n l. 10. c 15. Domum quid.

Cum domibus] Chaldaicè (*& homines domus eorum*, וְיָת אֱנָשׁ בָּתֵּיהוֹן *veiath enos battheheu.*) Domus, ait Abulensis, vocatur hìc non ipsa compositio ex parietibus, & tecto, atque fundamento; quia in deserto nihil tale habebant, sed congregatio omnium domesticorum, scilicet

...i & vxores cum tota familia: quemadmodum etiam domus Iacob[a] Hebræus omnes significat, & domus Assaraci[b] Romanos descendentes ab Assaraco Troiano patre Anchisæ, ex quo Æneas: domus Aaron[c] tribum Leuiticam; domus Dauid[d] descendentes ab illo; domus[e] Zabdi particularem familiam ex qua erat Achan: domus quælibet constans ex viro, vxore, seruo, vel boue aratore[f]. Quæ sunt sex domus acceptiones, quæ multis adhuc exemplis testimoniisve omnis generis Scriptorum comprobari possunt: & præterea vt comprehendat rem familiarem. Sed & domus seruitutis pro Ægypto sumitur[g], in qua Hebræi serui tamdiu detenti sunt.

a Psal. 113. 1. b Virg. Æn. 3. c Psal. 113. 10. secund. Hebr. d Luc. 1. 27. e Iosue 7. 17. 18. f Arist. 1. polit. c. 1. ex Hesiodo. g Exo. 20. 2. Deut. 5. 6. c. 6. 12. c. 7. 8. c. 8. 14.

Et tabernacula.] His conuenit etiam nomen domus, sed extemporiæ, de ramis arborum, vel pannis vel pelle, quæ vocantur etiam vmbracula, scenæ, tentoria, papiliones, &c. Ex his duo nomina vltima cum tabernaculis extant in cap. 16. libri præcedentis, vbi eadem ista narratio fusiùs habetur: vmbracula in Leuitici c. 23.[h] scenas non legimus in Scriptura, sed scenopegiam[i] festum tabernaculorum, & scenofactoriam[k] artem, à Græco nomine σκηνῶν, quod hic est, alibique sæpe; vbi alia illa vocabula Latina; & Hebraicè אהליהם *ohalim*, & Chaldæum משכניהון *mischeneiun*.

h vers. 42. i 1. Machab. 10. 21. lib. 2. c. 9. 18. Ioan. 7. 2. k Actuum 18. 3.

Et omnem substantiam eorum.] Oleaster circa Hebræam vocem יקום *iekum*, si radix sit קום *kum*, *surgere*, *stare*, ait mirari se quare exponatur per substantiam aut opes, licet hoc dicant R. Abraham[l] & R. Dauid[m]; sed omne stans aut quod stabat sub pedibus eorum (quæ tres vltimæ dictiones pertinent ad id quod sequitur in textu) id est, sub potestate, &c. quoniam in יקום *iekum* litera postrema non est nota pronominis affixi, sed de ipsa radice nominis. Hoc admitto, sed ita, vt nihilominus nomen substantiæ rectè positum contendam, aptéque suppletum pronomen (*eorum*.) Repetitur idem nomen adhuc tantùm in Genesi[n], & quidem bis, vertitúrque sicut hic substantia, & intelligitur de viuente (*delebo omnē substantiam quam feci de superficie terræ, & deleuit omnem substantiam quæ erat super terram ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli*, explanatque de animalibus perfectis solet, quæ stent, consistant, eíleque subsistens ac firmum, id est, perfectum habeant. Græcè ibi est ἐξανάστασιν, aut ἀνάστασις & ἀνάστημα *suscitatio*, vt etiam legit Augustinus[o], vel resurrectionem exponens deletam omnem suscitationem, id est, conditionem, vel creaturam. Legit quoque Ambrosius[p] resurrectionem, addendo, carnis. Iuxta istam notionem sensus loci nostri esset de omnibus animalibus illorum seditiosorum, vt cum iis absorpta fuerint. Manifestatur noster testatur in vno Hebræo nomine כל חי על האדמה *chol chai bhal haadamah*, *omne quod viuit in terra* confirmátque testimonio quod attuli ex Genesi. Verùm id Græco nomine ὑπόστασις, quod hic est, non video quo pacto intelligatur: etsi quoque non satis suppetat exemplum pro facultatibus, fortunis, opibus, supellectile, patrimonio, sustentamento, pro quibus nomen substantiæ non modò Interpres noster vsurpat crebrò, sed alij præterea probi auctores, aut substantiæ facultatem facultatésve, aut substantiam hæreditatis, vt Quintilianus[q], Firmicus, Iurisconsulti[r] Græcè dici solent τὰ ὑπάρχοντα vel αἱ ὑπάρξεις vel τὰ ὄντα siue ουσία, vel ἡ οὐσία. ut cap. autem 16.[s] libri prioris substantia horum, quam terra deuo-

l in Gen. 7. m lib. radicum. n c. 7. 4. 23. o in locut. Gen. p de Noe & arca c. 13. q in declam. lib. 4. c. 2. & 13. lib. 5. c. 1. r l. Qui testamentum D. de proba. l. Tutor. D. de suspectis tutorib. l. 51. D. de pet. hær. l. ... §. vsuras D. de cont. ... & ... act. l. 14. §. pa... D. de bon. libert. l. 3. §. nunc videamus D. de susp. tuto. l. 4. C. qui ... ced. poss. l. 48. §. pen. D. de admin. tut. l. fin. C. de ve bor. si... s vers. 32.

tauisse dicitur, sunt τὰ κτήνη, iumenta, siue pecora. Lege quæ dixi cap. 2.[a] actuum Apostolorum, & cap. 3.[b] epistolæ Ioannis.

a vers. 45. b vers. 17.

Quam habebant in medio Israel.] Chaldaicè & Græcè *quæ cum illis*, videlicet erat, *in medio totius Israel*, דעמהון בגו כל ישראל *debhimmehon bego chol Israel*. τὴν μετ' αὐτῶν ἐν μέσῳ παντὸς Ἰσραήλ. Hebraicè *quæ in pedibus eorum in medio totius Israel* אשר ברגליהם בקרב כל ישראל *ascer beraglehem bekereb chol Israel*. Explicat, vt antè dixi, Oleaster omne, quod stabat erátve sub potestate, iuxta id[c], *omnia subiecisti sub pedibus eius*, &[d], *egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi*. Hebraicè ברגליך *beraglecha*, *sub pedibus tuis*, Chaldaicè דעמך *debhimmach*, *qui tecum*. Græcè ὅ σὺ ἀφηγῇ, *quem tu ducis*, id est, cui præes, quem gubernas, cuius dux es. Meritò præfert hanc expositionem illi alteri, de omni supellectile quæ videbatur esse sub pedibus eorum, vt non solum eos, domósque ipsorum siue familias atque tabernacula terra deglutiuerit, verum etiam supellectilem, quæ erat, vel quasi erat sub pedibus illorum. Eugubinus reprehendit LXX. legens apud eos ὑπάρχουσαν, quam etiam in quibusdam codicibus reperi, & promissionem valet, non ὑπόστασιν, de qua dixi. Non videtur ad rem promissio ὑπάρξεις: substantia & ὑπόστασις insinuant id quod subest ac sustentat. Quid autem sit esse in medio repete ex dictis, versu 3. Cæterùm sæpiùs occurrit in diuinis literis punitio quædam rerum ratione, sensu, vita carentium, quoniam ad eos pertinent, qui ratione præditi, contra rationem ac Deum ipsum peccantes, digni sunt, qui in suis quoque rebus puniantur. sic verò etiam percipitur, quanto maior illos pœna maneat, propter quos eæ res quodam modo puniuntur.

c Psal. 8. 8. d Exo. 11. 8.

Vers. 7.] Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.

IAm inde a versu 2. sententia pendens hic, vt cum Caietano tunc notaui, terminatur: vt sit sensus inde incoando. Cognoscetis, considerabitisque, vel cognoscite, & considerate hodie, quod filij vestri non possunt, sed vos qui oculis vestris opera Domini magna & admiranda conspexistis. Fauet initio textus ætiologica particula in editionibus aliis.

Paraphr.

Oculi vestri viderunt.] Modò monui de præposita causali dictione, quæ est כי *chi*, ὅτι *ote*, *sed*, ... ratio redditur, quare versu 2. inuitati sunt ad cognoscendum siue considerandum ea quæ ex rerum gestarum memoria repetitā proponuntur. Sed & aliquoties prius[e] hoc libro notata est emphasis formulæ, qua dicitur quis videre oculis suis, cùm alioquin videndi verbum per se satis ... denotet: præterea quanti momenti sit insigne beneficium fuisse ...

Explanatio.

e c. 3. 21. c. 4. 3. 9. 34. c. 7. 19. c. 10. 21.

Omnia opera Domini magna] Quod versu 2. dicebatur Hebraicè & Chaldaicè cum affixo singulari numero absolutè, *magnum eius*, גדלו *gadlo*, רבותיה *reuuteh*, Græcè pluraliter τὰ μεγάλα, *magnalia*; siue *magna*: hic dicitur opus magnum seu opera magna, מעשה הגדל *mahhasch hhaggadol*, עובדא רבא *bhouuda rabba*, τὰ ἔργα τὰ μεγάλα.

Quæ fecit.] Græcè additur in Sixtinis libris (ὅσα

(ὑμῖν σήμερον, *in vobis hodie*) in Complutensibus, & aliis absque præpositione (ὑμῖν σήμερον, *nobis hodie*. Versu 5. *vobisque quæ fecerim in solitudine, hoc est, in gratiam vestram*.

Vers. 8.] Vt custodiatis vniuersa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis introire & possidere terram, ad quam ingredimini.

Vers. 9.] Multóque in ea viuatis tempore, quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem.

PARAPHR. AD hoc redire iubentur in memoriam præteritorum beneficiorum, quorum partem viderant ipsi, vt simul memores in eum finem à Domino fuisse collata, ad certá spem concipiendam terræ optimæ tam fetió & certò, quam si iuramentum intercessisset promissæ, aliquando adipiscendæ præstarent quod ab illis Dominus exegerat, ipsique asseuerantem pollicitus fuerant, nempe vt omnia eius præcepta diligenter seruarent. Similis Christi sententia fuit de vita beata consequenda, seu de ingrediendo ad eam; *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: & Psalmographi, quem Petrus transcripsit, *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos: prohibe linguam tuam a malo*, &c. Non est Euangelium nuda, simplex, absoluta æternæ vitæ promissio, absque conditione obseruationis mandatorum Dei, vt falsò sibi blandiuntur hæretici: nisi quatenus ipsamet mandatorum Dei obseruatio promittitur Euangelio, siue gratia per quam obtineri queat. Refellit Maldonatus noster Caluinum illa Christi verba quæ eitaui interpretantem quasi deludentis bonum & supplicem adolescentem, qui quid boni faceret vt haberet vitam æternam, quod is legalium obseruatione inflatus consideret Decalogi mandatis quæ Christus respondendo proposuit, legalia per se non continentur, sed moralia. Hoc autem loco nostro sub vniuersis mandatis comprehenduntur procul dubio non legalia tantum siue ceremonialia, sed iudicialia, sed etiam moralia. Hic tamen temporalium, quæ sub expressè promittuntur, non cadunt per se sub meritum de condigno, vt vocant, sed tantum de congruo, tamen hoc ipsum meritum est, & promissio temporalium typus fuit promissionis spiritualium ac æternorum, quæ gratiam possimus ... de con[illegible] ... Irenæus ex pluribus locis testamenti veteris, quibus virtutú opera commendantur, & mandantur, colligit Deum propter Hebræorum ... non sacrificia ... holocaustomata per se; sed fidem, obedientiam, iustitiam ... docetur ab Augustino, & aliis, vt alibi demonstrauimus. Quin etiam Plato ... Deus ad bona ... non ad animam ... *pius & iustus* ... mul ... esse quàm si respicit ... ad ...

[Margin: a Matth. 19. 17. b Psal. 33. 13. c 1. epist. 3. 10. d in Matth. 19. 17. e ibid. v. 18. f lib. 4. c. 32. g to. de ci... h in Alcib. 2.]

Explanatio. *Vt custodiatis vniuersa mandata illius.*] Secundùm editiones alias, *& custodietis*) in Hebræa verò est numeri singularis, מצוה *mitsuah* idque cum per se, vt & Chaldæum ... *chaph kedtha*, & in Græco ἐντολὰς quodlibet mandati seu præcepti genus continet tum propter præpositionem nomen generalitatis, communitatis, vniuersitatis.

Quæ ego hodie præcipio vobis.] Hebraice atque Chaldaice, *tibi* לך *lecha*, & לך *lach*. Recitabat diuina præcepta iam aliis in libris tradita, & repetebat, breuiter ... vt sua ... Hoc sensu aliquot locis huius libri prius dixit Moses se præcepisse; & adhuc in aliis, ... atque sequentibus capitibus.

[Margin: c. 1. 16. 18. c. 3. 18. 21. c. 4. 2. 40. c. 6. 1. 6. 8. 1. 11. c. 10. 13. b ... 13. 21. 27. c ... 14. 22. 28. 32. c. 13. 18. c. 15. 5. 11. 15. c. 19. 7. ... 18. 21. c. 27. 1. 10. cap. 11. 13. 15. c. 3. 1. 8. 11. c. 31...]

Et possitis introire & possidere terram ad quam ingredimini.] Loco ... habent editiones aliæ (vt לשׁון *lemahhan*, ... *bedil*, ...) Hebræa & Chaldæa (*vt confortemini, & intretis, & possideatis terram, ad quam vos transitis*, seu *transeuntes estis illuc, ad possidendum eam.*) Græce ... ζῆτε, καὶ πολυπλασιασθῆτε, καὶ εἰσελθόντες, aut ... ἵνα ..., καὶ κληρονομήσητε τὴν γῆν, εἰς ἣν ὑμεῖς διαβαίνετε τὸν Ἰορδάνην ἐκεῖ κληρονομῆσαι αὐτήν, *vt viuatis, & multiplicemini, & ingressi*, vel *ingrediamini, & hereditetis terram in quam transitis Iordanem, illuc hæreditare eam.* Denique verbum *possitis* nulla editio alia habet.

Multóque in ea viuatis tempore.] In Hebræo Chaldæoque textu ... *prolongare aetatis dies super terram*, in Græco ... μακροημερεύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, *vt longæui sitis*, seu *longos ac multos dies transigatis*, & μακρόβιοι, *longa vita sitis*, μακροχρόνιοι, *longi temporis*: quod vltimum nouum ... cap. 5. vbi Latinè, *in longo viuas tempore* Hebraice Chaldaiceque sicut hic: quemadmodum & cap. 22. & 25. vbi quidem ... longo viuere tempore ... Græco nomine ... quo significatur multis viuens diebus. Longæuum quoque ... transtulit Interpres & pro eadem phrasi ... Hebræa & Chaldæa. Cuius loco habet Græca μακροχρόνιοι ... alias longæuum ille & præfecturis ætatis aut progressionis, quod secundum ceteras editiones & sententiæ, ac processisse seu prouectum esse diebus, Græce προβεβηκότες ... ἡμέραις ... In cap. 32. sub longæui dicuntur & μακροχρόνιοι, quo Hebraicè רבים *rabbim*, quod nomen iodisserens est ad quantitatem molis, vel numeri, applicatur que ab Interprete ad numerationem dierum, annorum, & temporis, longitudinem ætatis: ... Hebræis ad magnitudinem honoris dignitatisve: quæ ibidé est etiam vis Chaldæi ... *raurbanin*. Apud auctorem Ecclesiastici quod legimus, *rami illius longæui*, habetur Græce οἱ κλάδοι αὐτῆς μακροημερεύσουσι, *rami illius longitudo dierum*, quæ longitudo in Psalmo 9. vocatur μακρότης ἡμερῶν, ארך ימים *orech iamim*, ... *orechuth iomin*. Omnes in Lexicographi quos quidem viderim, vocant illa μακροημερεύειν & μακροημέρευσιν, & μακροήμερος, quod postremum extat in cap. 4. nostri; in ... sentent ... *permaneat multo tempore super terram*, ὅπως μακροήμεροι γένησθε quæ Hebraice & Chaldaice phrasi eadem exprimitur: quemadmodum & in comminatione contra inobedientes: *non habitabitis in ea longo tempore*, sed Græcè οὐχὶ πολυχρονιεῖτε ἡμέρας ἐπ' αὐτῆς, *non multis morabimini diebus in ea*. Ex hoc autem loco nostro ... que certatis & simul ... colligitur quanti fieret olim ante aduentum Christi, ac priusquam pateret in cœlum aditus, longum vitæ præsentis spatium cum temporalibus ceteris bonis.

[Margin: d I. vers. 4. e vers. 7. f vers. g Pro. 10. h Iosu 13. 1. i c. 32. 9. k c. 1. 23. l vers. vlt. m vers. 40. n vers. 26.]

Quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris.] Iuxta reliquas editiones (*quam iurauit Dominus*

Dominus patribus vestris dare illis.) Iurana dare, pollicetur eum iuramento. De hoc iurato promisso, iuramentóve promissione dictum capitibus [a] præcedentibus, vbi & alia similia ex aliis libris allata testimonia: & de quibus patribus intelligatus.

Et semini eorum.] Chaldaicè (*& filiis eorum*; ולבניהון *velibnehon*) quod omisit qui Latinè Chaldæa transtulit: Græcè (*& semini eorum post eos*, καὶ τῷ σπέρματι αὐτῶν μετ' αὐτούς.) sic etiam c. 5. [b] *super qua iurauit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorum post eos.*) Vbi Hebraicè est (*post eos*) non autem hîc, & Chaldaicè præterea (*filiis eorum*) quemadmodum hîc, ibíque Latinè redditus.

Lacte & melle manantem.] Præponunt editiones aliæ (*terram*) Descriptio ausem hæc vbertatis ac fœcunditatis eiusdem in cap. 6. [c] præcessit, repetitúrque, vt ibidem diximus, deinceps hoc ipso [d] libro: & iam habebatur prioribus [e] libris, & adhuc extat in aliis [f]. Ionathas virgam intinxit in fauo vltrò oblato [g]; Ioannes melle vescebatur syluestri [h]; Samson reperit in ore leonis mortui fauum mellis: ob pascuorum bonitatem lactis plurimum exprimebatur ex pecore in ea terra. Sed pridem docui, lactis mellísque nominibus vbertatem terræ significari, etiam ab auctoribus profanis; quorum nonnulla testimonia collegit Delrius noster in adagialibus [i], vt Euripidis, Virgilij, Tibulli, Ouidij, Senecæ, &c. confirmás præterea terræ copiam dictæ terræ aduersùs Strabonem [k] sterile fuisse, saxosum, aridum Hierosolymæ solum, nec ea loca æmulationi obnoxia, dignáve pro quibus contenderetur; auctoritate Taciti, Plinij, Iosephi [l]; immò & hostis Iudæorum Rabsacis, qui verbis regis sui promittebat Ierosolymitanis; *transferam* [m] *vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram oliuarum, & olei, ac mellis.* Negauit Hieronymus [n] riuos lactis & mellis, quales poëtæ fingunt, non autem fertilissimam fuisse atque abundantissimam terram: Hesychius [o] nimis angustè quod de lacte & melle dicitur, ad aquarum refert dulcedinem: promissionem verò de resurrectione interpretatur, hoc est, de cœlesti terra promissionis, terra viuentium, regione viuorum, anagogico videlicet sensu. Nam frustrà sperant Iudæi in aduentu sui Messiæ futuram eiusmodi fœlicitatem terrenæ Ierusalem; quæ fuit etiam error Iudaizantium Chiliastarum, siue Millenariorum, vel Milliasiorum; vt Papiæ apud Eusebium [p], Nicephorum [q], Hieronymum [r]; Irenæi apud eumdem Eusebium; Tertulliani, Victorini, Seueri, Apollinaris, Lactantij, Irenæi etiam apud Hieronymum, Nepotis apud Eusebium [s]; quos omnes refert Ribera [t] noster, addens Iustinum; de tempore post iudicium in vniuersa terra, quod & Augustinus [u] aliquando opinatum se testatur quantum ad spirituales delicias. Huius fabulistam Coquæum lege, & Pamelium [x] Tertulliani.

[a] vers. 8. c. 4. 31. c. 6. 10. 18. 23. c. 7. 8. 12. 13. c. 10. 11.
[b] vers. 8.
[c] vers. 3.
[d] c. 26. 9. 15. c. 27. 3. c. 31. 20.
[e] Exo. 3. 8. 17. c. 13. 5. c. 33. 3. Leu. 20. 24. Nũ. 13. 28. cap. 14. 8. c. 16. 13. 14.
Lac & mel pro vbertate terræ.
[f] Iosue 5. 6. Eccl. 46. 10. Ier. 11. 5. c. 32. 22. Bar. 1. 20. Ezech. 20. 6. 15.
[g] 1. Reg. 14. 27.
[h] Matt. 3. 4. Marci 1. 6.
[i] Iudic. 14. 8.
[k] lo. 1. adag. 61.
[l] l. 15.
[m] 4. antiq.
[n] 4. Reg. 18 32. Esa. 36. 17.
[o] ep. 129.
[p] 3. de exe. Ier. c. 6.
[p] 3. hist. e. 22. lib. 7. c. 20.
[q] l. 3. c. 14.
[s] de Script. eccles. in Papia.
[t] l. 7. c. 19.
[u] in apoc. 20. n. 17 & deqq.
[x] 2 de ciu. c. 7.
a paradoxo 14.

Vers. 10.] Terra eorum, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ:

Vers. 11.] Sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluuias.

Vers. 12.] Quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.

Terræ promissæ bonitas, vbertas, fertilitas, abundantia per lac mélque proximè antè declarata, opponitur hîc Ægypto, vbi Hebræi diu seruierant. Discrimina autem causa redditur, quòd in terram Chanaan imbres decideret, qui terræ efficere solens fœcunditatem maiorem, quàm è terra surgentes aquæ, quibus ferè solis Ægyptus irrigatur, ita vt peculiari quodam modo Deus immissis opportunè toto anno imbribus, videatur magis illi fauere quàm Ægypto, cùm in hac aquæ non sine labore deducendæ & deriuandæ sint. Docet Abulensis [a] Nilo irrigari meridianam tantùm Ægypti partem: aquilonarem vltra mare rubrum in qua rarò pluit, irrigatione laboriosa egere; immò & nonnullas alias partes versùs meridiem esse, ad quas pertingere nequeat inondatio Nili, sed irrigari fluuiis adiacentibus ea Nilo artificiosè continuatis. Ait præterea alueis deduci Nilum per planam Ægypti terram; eum verò etiam inuodate in principio, finéque cuiusuis mensis (id Albertus [b] prior duceretat) licèt modicè; copiosius autem bis in anno, hoc est, circiter medium mensis vsque ad medium Iulium, quando sol subit signum cancri vsque ad signum leonis exoriens; rursus cùm intrat sol Virginis gradum primum, quousque ad Libram perueniat (sphingis symbolo significabatur, quæ parte superiore virginem, leonem refert inferiore) circa medium Augusti. Adhæc de Gessen, vbi olim Hebræi habitauerant in Ægypto, seu de Ramesse vltra mare rubrum versùs partem Septemtrionalem oppositam Nilo, qui veniebat à meridie, tradit non potuisse ad eam Nilum transire, ideóque illuc aquas duci oportuisse vt contingit in hortis; quemadmodum hic asseritur, intelligendo ac insinuando per se locum præteritæ habitationis. De Nilo extat tractatus Ioannis Baptistæ Scortiæ nostri. Is nominatim refellit [c] opinionem recitatam Abulensis de tempore inundationis; quia constet non fieri nouas aquas in Ægypto in fine cuiúsque mensis: & æstiuo tantùm tempore contingere, præsertim in Canicula; decrementum dum sol existit in Virgine; illúdque hieroglyphicè denotari figura leonis, in quam figuram efformati deinde sunt canales tubulve, qui per terebrata foramina eructant aquam. Bedam quoque reiicit initium Maio tribuentem; referens alios de Cane; cùm sol primam leonis partem ingreditur, vsque ad Arcturum item circa principium Cancri. Siue porrò sit etymon Nili νέα ἰλύς, *nouus limus*, quotannis delatus ab eo, siue à Nileo Ægypti rege, vt omittantur alia nomina Ægypti, quod huius prouinciæ solùm factum ab illo dicatur, deferente limum è superioribus Æthiopiæ partibus; item Oceani, quia dum inundat, speciem refert eius, aut septem marium, ob totidem ostia; ac aquilæ propter velocitatem cursus; Osiris, Siris, Vessus, Dyris, Tacuis, Abacuin, Melonis, Iouis Ægypti, Siebor, Astaboris, Astapasis, Astapi, quæ tamen tria vltima videntur diuersorum fluminum nomina: & siue eum Geone idem habeatur; quia inundat, & Syris *gob*, est fluendo inundare siue diuersus; omissa

PARAPHR.
[a] q. 4. & 5.
Irrigatio Nili.
[b] s. d. c. 17. a. 4.
[c] l. a. c. 5.
Nili etymon.

omissa quoque literali arithmetica 365. de qua Heliodorus [a], quia N. valet 50. E. 5. I. 10. Λ. 30. O. 70. Σ. 200. vt proinde annum hieroglyphicè significet: ipsius origo nonnullis prorsus ignota visa est; aliis ex paradiso terrestri seu fonte illius, vnde alij fluuij Ganges, Euphrates, Tygris profluxerint, confundendo Nilum cum Geone, aut vt quidam autumant, cum Euphrate, aut Phisone (quæ non sunt adeò probabilia) vel ea Atlante Mauritaniæ monte: vel ex palude quapiam inter vrbem Elephantinam, & Syenem: vel ex litore incipientis maris rubri; vel ex parte vltra tropicum Cancri: vel ex loco edito in Æthiopia, quæ opinio melior. Fluit Nilus à meridie in Septemtrionem ad 24. stadiorum millia per 700. circiter insulas, quarum præcipua Meroë, calidissimam plagam temperans, cùm etiam ob adeò longum fluxum humorisque ac vaporis attenuationem, & quia consumuntur à sole vehementissimo, non edat auras. Ostiis constat septem iuxta communem sententiam, Sebennetico, Bolbitino seu Bolbitico, Pothamitico, Mendesio, Tanitico, Palusiaco, Heracleotico, siue Canopico, quod præcipuum est; quamuis [b] nonnullus nouem, vel etiam duodecim assignet. Maalmum cum Istro facit Aristoteles [c], Diodorus [d], Gellius [e], Strabo [f], Seneca [g], aliique: & vocator à Nazianzeno [h] πέλαγος ποταμῶν, *fluuius instar maris exundans*: vbi enim totus simul fluit; magnæ profunditatis est, ac decem millibus passuum latitudinis; quamuis ei præferatur hac in re Indus, & Ganges, atque in nouo orbe Otelianus, Zaites, Argenteus fluuius. Aqua ipsius inter fluuiales maximè salubris ad potum, vtpote fœlici cœli orta aspectu, vena larga, quàm minimas recipiens niualium, aut noxiarum, mixtarúmque aquarum fluxiones; fluens cursu celeri, ideóque non amarescens calore Solis, ob longissimum tractum attenuata & concocta, vt idcirco citò permeet, nec ventrem grauet; iucunda, dulcis, facilè sitim extinguens, nullam molestiam afferens, quamuis frigida bibatur vtilis ad concoctionem digestionémque, corpus concinnum, robustum, benè coloratum efficiens. Sed quia limum defert, eo quòd alueus glarea & sabulo masculo haud satis abundat; aquam eius in vasis aliquantulum subsidere oportet. Animantes fœcundat, quia nitrosa est locum conceptionis abstergens, idoneúmque ad conceptum reddens, custodiens partum, ac prohibens abortum. Agris fertilitatem confert tantam, vt Ægypti cor ab Oro [i] cognominetur; ab Herodoto [k] ἐργάτης quasi agricola & arator: à Nazianzeno [l] frugum parens, quod etiam testabatur simulacrum sub nomine quoque Serapidis modium gestans in capite, & cubitum mensuram aquæ; nec exedat, vel abradat, sed sua pinguedine vires adiiciat, & illato limo arenas iungat & saburret, simúlque irriget ac fœcundet: inundans eo tempore, quo maximè vsta caloribus terra vndam altiùs trahit, ac tantum haurit, quantum siccitati annuæ sufficiat; atque cùm turbulentus fluat oblimans limo pingui. Incrementi siue inundationis (quam certo tempore fieri dixi, licèt ea quoque conueniat Euphrati [m], Nigro in Aphrica flumini [n], fonti in insula Delo [o], alteri in Apollonia Ponti [p], ac fluuio Pegusiæ vltra Bengalam Indiæ [q], & nonnullis Ponti fluminibus [r]) caussa triplex traditur, symbolicè totidem designata hydriis; natura Ægyptiæ terræ, quæ ex se effundat aquam: Oceanus, ex quo aqua dilabatur in illam: imbres ad austrinas Æthiopiæ partes decidentes. Postquam cœpit inundatio, quo tempore priùs indicatum est, durare censetur vt plurimù ex verosimiliore sententia, dies quadraginta, vel insuper quinque, ac totidem decrescere, ita vt Ægyptus operiatur aquis, & exsiccetur ad 90. aut 100. dies. In Nilo spem suam habet Ægyptus, proindéque aut sterilis annus, aut fertilis est, prout ille magnus influxerit aut parcior; ac nemo aratorum aspicit cœlum, inquit Seneca [a], & Tibullus,

Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida, nec pluuio supplicat herba Ioui.

Rarissimæ námque ibi pluuiæ sont, aut etiam nullæ, si verum scribit Plinius [b], Philo [c], Mela [d], vt & de terra iuxta Babylonem Strabo [e], Plinius [f] de montibus Hircaniæ: singularique prouidentia quasi vicarium suum Deus Nilum eo loci induxit, vt Aristides [g] loquitur, Lucanúsque [h] insinuat, etsi hic potiùs rem in casum conicere videatur: & vim indidit ei simul dicto modo incrementi decrementique; quod Abulensi [i] concedimus. Inter varias tamen causas secundas incrementi, illa optima de aquis pluuiis eo anni temporibus cadentibus in Æthiopia, quod nostræ respondet hyemi, nempe à Iunio seu à fine Maij, ad Septembris initium. Sic mist sis aliis auctoribus, refert In Antonio Athanasius; & confirmat Anastasius [k] Nicenus, prænunciasse dæmones incrementum, eùm viderent in Æthiopia (quæ Indiæ quoque nomine latiùs accepto quandoque intelligitur) pluuias fieri. Hæc ferè ex citato Scortia nostro carptim; & ille non nulla ex alio de nostris Nicolao [l] Godigno veteræ suaui amico & collega meo. Auctores plurimos laudat Scortia, quibus adde Apollonij Scholiastem [m]: & de causa pluuiarum Æthiopicarum Theophylactum [o] Simocattam; & de ipso argumento toto Raderum [o] nostrum, Conimbricenses [p] nostros, Cerdam [q], Barradam [r]; prætetea Thomam [f] Maluendam, qui postremus valdè copiosè. Præponit nihilominus terram Chanaan Moses, ob imbres quibus irrigatur; quia humana potest arte fluuius extra alueum longiùs protrahi; quod conatos aliquos historiæ produnt; vt de Alphonso Albukercio noster Maffeius [s]; qui si vixisset, Nili fluenta nouo & spatij longè breuioris alueo, Abassinis adiunantibus, in Arabicum sinum auertere, ac totam Ægyptum Turcis reddere prorsus infructuosam cogitauerat. Quapropter leuiora Sultanum tributa peregrinis Abassinis religionis ergò in terram sanctam venientibus imperare testatur Laurentius [u] Ananias, quàm Christianis aliis; quòd illi facili & breuiori alueo Nilum deriuare in mare rubrum possint, ne in Ægyptum descendat. Immò tantus hic fluuius, ætate Galieni, totus exaruit [x]; qui sub Constantino [y] & Theodosio [z] Christianissimis Imperatoribus, sublata superstitione, qua colebatur, largius quàm antea & vtiliùs, contra metum, & desperationem Ethnicorum fluxit. Atqui solius Dei est, ligare aquas in nubibus suis [aa]; auferre stillas pluuiæ, & effundere imbres ad instar gurgitum, & sic dare escas multis mortalibus [bb]: dare pluuiam super faciem terræ, & irrigare aquis vniuersa [cc]: dare pluuias temporibus suis [dd], à quo petendæ sunt [ee]; vt alibi [ff] pluribus ostendi. Altera præferendi ob aquas, Ægypto Chanaanitidem, ratio est, in hoc ipsomet nostro textu expressa, certè indicata; quooiam aquæ cœlestes, seu pluuiæ, meliores sunt,

a 9. Æthiop. ΝΕΙΛΟΣ pro anno. Nili origo.
b Annibal Rossellus li. 5. in Pimādrū Trismegisti comm. 11. dialo. 5.
c 1. meteor. c. 2.
d lib. 1. c. 3.
e lib. 10. c. 7.
f lib. 15.
g 4 nat. qq. c. 2.
h orat. 34.
i lib. 1.
k lib. 2.
l orat. 32.
m Plin. lib. 5. c. 26.
n Idem ib. c. 8.
o Idem lib. 2. c. 103.
p Idem lib. 31. c. 4.
q Ioan. Pet. Maffe. 36. hist. Ind.
r Theoph. apud Sen. 3. natur. q. c. 26.
a 4. nat. qq. c. 2.
b lib. 6.
c 1. de vita Mosis.
d lib. 1. c. 5.
e lib. 16.
f lib. 31. c. 5.
g orat. Ægyptiaca.
h lib. 10.
i in Gen. 26. q. 2.
k q. 23. in Script.
l 1. de hist. Abassin. cap. 17.
m lib. 4. ad vers. 269.
n 7. hist. Mauriciana c. 17.
o in Mart. de spectac. epig. 3.
p in Meteo. tract. 9. cap. 10.
q in Georg. 4. vers. 287. not. 1. & li. 3. v. 10 not. 14. & lib. 9. Æne. v. 25. not. 11. & 32.
r lib. 1. itinerar. Hebr. c. 1.
f de paradisi volupt. c. 29. vsque ad 38.
s 5. hist. Ind.
u tract. 3. fabricæ mundi.
x Niceph. lib. 6. c. 19.
y Euseb. 4. de vita Constant. c. 25. Socra. lib. 1. c. 14.
z Rufi. 2. hist. cap. 30. Sozom. lib. 7 c. 20. Niceph. lib. 12. c. 37.
aa Iob 26. 8.
bb c. 36. 27. & 31.
cc c. 5. 10.
dd Leuit. 26.
ee Zacha. 10. 1.
ff in Leuit. 26. 4.

sunt, dummodo silente decidant cœlo, absque ventorum procellis, tonitruorum impetu, ne multas habeant exhalationes raptim collectas, aut quasi exustas incendiis: tenuiores enim sunt, leuiores, dulciores, concoctu faciliores, sole sursum eleuante dumtaxat quod est dulce ac tenuissimum; præsertim verò si nocturnæ sint & aquiloniæ, ac valdè frigidæ [a]. De hoc Dei beneficio per pluuiam egimus alibi, & quo pacto quædam quasi clauis eius ipsi tribuatur, cum claue cibationis, sepulchrorum siue resurrectionis; sterilitatis siue fœcunditatis [b]. Ex aliis locis [c] præter allatos de singulari hoc diuino dono testimonia; *Numquid sunt in diis Gentium qui pluant, aut cæli possint dare imbres? nónne tu es Dominus Deus noster, quem expectauimus? tu enim fecisti omnia hæc. Qui vocat aquas maris, & effundit super faciem terræ; Dominus nomen est eius. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur, vt impleret inuiam, & desolatam, & produceret herbas virentes?* Sic sunt spiritualia terrenis comparata beneficiis, licèt omnium sit auctor Deus, verbóque suo inebriat animam (quæ est vt terra sine aqua [d]) infundit eam, germinare facit, non reuertitur vacuum ad ipsum [e]. Ægypti terra typus est infidelium atque peccatorum, qui terrenis aquis terrenarum rigantur, & sapientia humana, non aqua sapientiæ salutaris [f], quæ desursù [g] est. Falluntur qui maiores reputant sæculi delicias, quàm Deo seruientium, & benignis ac beneficis Dei oculis magis respici inuisique, qui plana incolunt aquis illis dictis redundantia, quàm qui montosa & ardua cœlestes aquas expectantia & recipientia, denique à Deo magis dependentia. Petrus [h] Damiani Bartholomæi nomen quod Syrum vult esse, non Hebræum, interpretans filium suspendentis aquas, id est, Dei, qui prædicatorum suorum mentes ad cœlestia contemplanda suspendit, vt feraciùs vberiúsque imbrem cœlestis eloquij aliis transfundant, & citans locum præsentem, ait, quod sæcularis prudentia quasi coluber per humum serpit, & huc illúcque lubrica varietate declinat: diuina verò sapientia de cœlestibus intonat: hortus designat scientiæ carnalis lasciuiam, sicut is quem Achab ex vinea Naboth [i] fecit: de cœlo pluuias expectare, esse sapientiæ cœlestis imbre perfundi. Confirmat exemplis Pauli ad tertium cœlum rapti [k], & Petri in excessum, seu ecstasim [l], vnde tanquam nubes ad nos magnæ & aquis diuinis grauidæ redierunt. Addit Philosophos dicere spatium aëreæ crassitudinis non ampliùs quàm decem stadiis à terra distendi (maius alij constituunt) quæ nobis aliquando Solis lumen subtrahit & pluuias fundit: nubes spirituales cœlorum celsa transcendere, & lumen veri Solis non auferre, sed ostendere. Qui sæcularibus desideriis ac negotiis intenti sunt, cœlum, vt de Ægyptiis dixisse Senecam retuli, non aspiciunt; & vt Tibullum, non supplicant Ioui, hoc est, Deo: id illis terra est, quod probis cœlum; sicut Philo [m] id Nilum scribit Ægypto præstare, quod aliis regionibus cœlum: pluuiam voluntariam segregat Deus hæreditati suæ [n]; pluens alioqui super malos, non tantùm super bonos [o], quantum ad externam aquam, & quantum ad spiritualem gratiæ sufficientis. Puerilem Israëlem Procopius bonis his externis regi notat, & sæpiùs quidem terram ob incolarum pietatem inspicere: at spiritualem terram spiritualibus & cœlestibus imbribus humectare, nec vllam ex mundi sapientia terrenam sub pedibus eius, propter depressionem ac abiectionem terræ huius, partem capere: Ecclesiam Deum ab initio anni electi iugiter vsque in finem inspicere, & imbris instar Dei verbum delapsum, super omnes qui habitant in ea. Eadem sunt in catena Græca m. s. ex Apollinario, qui longè præcessit Procopium. Glossa opponit in Ægypto, terráque promissionis vitam malorum, quæ deliciis carnalibus irrigatur & vitiis pullulat, & bonorum quæ montuosa est per cœlestem conuersationem [a]; campestris per exercitium bonæ actionis; expectans de cœlo pluuias diuinæ gratiæ, tum pro hac vita temporaneam, tum serotinam pro futura, quoniam gratiam & gloriam dat Deus [b].

a Aëtius li. 3. Theophr. 2. de causis plant. c. 1. 3. 4. 8. Hipp. lib. de aëre, aquis, & locis. Gal. 3. de ratione victus.
b Paraphr. Ierosol. in Gen. 36.
c Ier. 10. 14. Amos 5. 8. Iob 38. 25.
d Ps. 142. 6.
Terra Ægypti infidelium typus.
e Isa. 55. 11.
f Eccl. 15. 3.
g Iac. 3. 17.
h Ser. 5. de S. Barthol.
i 3. Reg. 21. 2.
k 2. Cor. 12. 4.
l Act. 10. 10.
m de prodigiis.
n Psal. 67. 10.
o Mat. 5. 45.
a Phil. 3. 20.
b Ps. 83. 12.

Terra enim ad quam ingrederis possidendam.] Omisit Interpres (*tu*) & (*illuc*) & (*eam*:) nec rectè qui Chaldæa transtulit posuit (*vos*:) eiusdem verò linguæ, vt & Hebrææ participium, noster atque Græci rectè reddiderunt per verbum præsentis temporis; quia imminebat ingressus, quo Moses prohibitus erat.

Explanatio.

Non est sicut terra Ægypti, de qua existi.] Pluraliter in aliis editionibus: sed in Complutensibus, Regiis aliísque nonnullis codicibus ἐκπορεύεσθε, *egredimini*, quod Sixtini ἐκπεπόρευσθε, *egressi estis*. Redundanter autem habent editiones aliæ (*quam* vel *vnde egressi estis illinc.*) Exiuerant quos alloquebatur Moses ex Ægypto, non immediatè de Ægypto, sed mediantibus parentibus, qui perierant pro maxima parte, ac ferè omnes in deserto, nec Ægyptiacæ terræ qualitates experti fuerant.

Vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irrigua.] Ex reliquis editionibus ad verbum reddi debet (*qua*, seu *in qua*, *seminabis*, id est, si seminaueris, *semen*, aut *quando seminaueris semen*, ὅταν σπείρῃς τὸ σπέρμα, *& potabis*, siue *irrigabis*, vel *potaueritis*, *irrigaueritisue in pede tuo*, aut *pedibus*, *sicut hortum oleris*:) potare namque valent הִשְׁקִיתָ *hiskytha*, מַשְׁקֵה *masketh*, ποτίζων. De cultu hortorum agunt rei agrariæ seu rusticæ tractatores, ac nominatim Columellæ in libro decimo extat de illo carmen proprium: vbi quod ait neglectum quondam veteribus hortorum cultum, non omnino verum. In agro vel in vrbe horti locus est, aut prope vrbem, domúmque [c], vbi pomœrium, id est, post mœnia, murósve, seu in suburbio; quod indicant & Romanorum suburbani horti, de quibus Dio [d], Martialis [e], alij; & Salomonis, de quibus Iosephus [f], & liber Cantici [g] canticorum (licèt in vrbe quoque habuisse dubitandum non sit;) & Naboth, de quibus historia [h] Regum; in quo arbores & olera oriuntur: licèt veteres acciperent pro villa, quòd in villis apti ad bella viri oriuntur: quo pacto absque aspiratione scribendum esset, nisi à participio vel nomine ortus discrimen quæreretur; quo magis admissum est, quàm quod Valla [i] posuit inter hortum & hortos, vt ille sit in quo satiuæ quæuis herbæ oriantur, isti sint arboribus consiti, atque ad voluptatem comparati: nec enim semper sic se habet. Describit etiam Virgilius hortorum culturam in 4. Georgicon, & potos nominat riuos. Ibi Cerda noster alios plures laudat, nósque ipsi nonnihil diximus explanantes Ecclesiasten [k] scribentem fecisse se hortos sibi & pomaria, & conseuisse ea cuncti generis arboribus. Suidam ibi retuli παράδεισον ut Græcum facere vocabulum, quod alij Persicum, vt deriuet à futuro verbi δέω, quod est δεύσω, vndè verbale δεῦσος, mutato

c Pallad. 2. de re rust. c. 34.
d lib. 47.
e lib. epig. 49.
f 8. antiq. c. 4.
g c. 6. 10.
h 3. Reg. 21. 2.
i 3. elegan. c. 2.
k in c. 2. 5.
Paradisi etymon.

mutato υ, in ι, *rigo*, & locus qui rigatur. Sic verò Poëtæ [a] dicunt, quòd irriguum bibant violaria fontem, vel sparsos succos: quòd prata riuos bibant [b]: quòd hortus sitiens aquas bibat irriguas [c]. Plinius [d] quòd palma gaudeat riguis, toto anno bibere amet. Græcis quoque ποτίζειν est rigare, vt apud Paulum [e] *Apollo rigauit*, ἐπότισεν: apud Athenæum [f] ποτίζειν ὕδατι ἀκράτῳ, *rigare lactucas mulso*: & ποτιζομένη γῆ est *terra irrigata*, ἐπίρρυτος, vliginosa: & οἶνον πίνειν, *bibere* de re herbacea: vt etiam contra βρέχειν, *rigare*, teste Athenæo eodem, de homine, pro eo quod est bibere, necnon βεβρεγμένος, *irrigatus*, id est, potus. Eumdem illum locum Ecclesiastæ Pineda noster post nos enarrans, plura de Salomonis hortis disserit. Demonstrat quoque agricolationem rege dignam esse, quod antea ipse attigeram exemplo Adami adhuc innocentis, & aliorum deinde principiū virorum. Hunc laborem & quasi seruitutem non iniucundam, irrigatio deriuatióque aquarum importet, cuius hîc mentio fit; significatur verò phrasi editionum aliarum de pede pedibúsve quibus ea efficiatur: vt R. Salomon explicat, exprimens שֶׁל רֶגֶל *bhamel* laborem. Videntur Vatablus & Munsterus apostata exponere de deriuatione quocumque vellent, ac in quemlibet locum, quem inambulare pedibus liberet. Citat enim Munsterus ex Psalmo 8. [g] *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: Non inde tollitur labor, in comportanda scilicet aqua vel deriuanda, quem agnoscunt in hac formula prætered reliqui, eum expendentes: atque significati volentes, vt loquitur Caietanus, oportere pedibus ire ad irrigandum, deducendo per riuos, ac etiam ligone siue sarculo quod pede figitur; & illud pedis officio agitãdo, claudere meatus aquæ & aperire. Quò spectat etiam fossio ad areolas, riuos, aiueolus, & sulcos, pedis opera, qua serrum premitur, vt glebam findat. Lege Marianam nostrum & Cornelium, Oleastrum item, & Eugubinum. Vltimus laudat nostrum Interpretem, quod totam orationis formam eleganter immutauerit, ac nominatim pedes omiserit, cùm satis habuerit laboriosam significare deriuationem. Nego tamen, quod ille contendit, debuisse à L X X. quibus solet esse infensior, omitti pedes, quia & absurdam & obscuram faciant orationem Græcam. Quidquid sit de obscuritate, quam ignaros Hebræorum idiotismorum pati necesse est; absurda oratio dici non debet vel potest, quæ reddat fideliter Hebræam dictionem. Mariana talem idiotismum profert Hispanicæ linguæ suæ *agua de pie*, de illa quæ in areas per riuos deducitur. In Psalmo 77. [h] quod scribitur, *conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent*, Augustinus [i] pro imbribus emanationes aquarum verti debuisse vult, quæ ibidem vocantur τὰ ὀμβρήματα, & scaturigines dicuntur ab imo aquas ebullientes quasi ex ὑπὸ & βρύειν *simul fluere*. Vertit quoque ibidem Hieronymus Hebræam vocem נֹזְלֵיהֶם *nozelim*, per fluenta, alij per riuos. Immò Psalmo 104. [k] vbi repetitur eadem plaga, est, quòd conuertit Deus aquam eorum in sanguinem: cùm videlicet fodientes Ægyptij, sanguinem pro aquis inuenerunt. Lege commentarium nostrum; vbi varias alias translationes attuli de aqua lacuum, vel de stagnis, vel de puteis: sed & de pluuialibus quoque aquis: prætereà docui ὀμβρήματα quidem de aliis quàm de istis vltimis, reperire me adhuc nequiuisse: imbrem tamen vsurpatum quandoque pro quouis humore aqueo. Denique pauci admodum ac rari imbres si qui fortè eisset, nis collecti erant, non officiunt sententiæ negantis Ægypto pluuias in vniuersum. Lege Pererium [a]. Cæterùm hortos restringunt hîc editiones aliæ ad olera, herbásve satiuas, quia singulari numero vocatur גַּן הַיָּרָק *gan hairak*, ייי *ghinnath iarka*, κῆπος λαχανίας, sicque Olympiodorus κῆπον distinguit apud Ecclesiastem [b] à nomine παραδείσου, vt illis comparata loca intelligantur ad olera, istis ad alias plantas, arboréfque. Olera in deliciis Hebræos habuisse, testis Achab, hortum olerum facere sibi volens de vinea Naboth [c]: testes de Ægyptiis Hebræi ipsi suspirantes in deserto ad olera Ægyptiaca [d]. Quin etiam ab alendo olus deduci aiunt, quod eo homines alerentur, priusquam repertæ fruges fuissent, aut carnium inductus vsus [e]. At nomen horti latius patere constat ex dictis: Hebræum verò à גָּנַן *ganan protexit* vel *obumbrauit*, indicat potiùs locum vmbrosum consitum arboribus: & κῆπος cognominatur πολυδένδρεος [f], *multiarboreus*, & Panormum Athenæus [g] totam appellatam κῆπον scribit, quia plena δένδρων ἡμέρων, *arboribus iucundis*: Denique Suidas docet κῆπον esse tum δένδρων, tum λαχάνων, *& arborum & olerum*.

Sed montuosa est, & campestris.] Pluribus editiones reliquæ (*at terra, in quam vos transeuntis, vel ingrederis illuc, ad possidendum eam, terra montuosa* seu *montium, & campestris*, siue *camporum* aut *vallium*.) Valles habitudinem dicunt ad montes, iustáque vim Hebræi nominis בִּקְעָה *bekabbath*, à בָּקַע *bakahh*, *rupit* seu *scidit*, quia valles sunt veluti ruptoræ quædam ac scissiones inter montes. In c. 1. [h] vocantur quædam Amorrhæorum loca montana & campestria; in c. 1. [i] vrbes montanæ: alibi [k] ciuitates montuosæ: & simpliciter montana [l]. Ob altitudinem seu situm altum istius terræ, cognominatur excelsa [m], & profectio ad eam, ascensus [n]. Cùm etiam canitur, vt suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam [o], de regno Israëlitico exponitur, quod abundat montibus & collibus, eiúsque capitis fundamenta in montibus [p].

De cœlo expectans pluuias.] Secundùm reliquas editiones, *ad pluuiam cœli bibes aquam*, aut *bibet*: quod ex Chaldæo transferens reddidit (*bibetur.*) Hebræa sunt לִמְטַר הַשָּׁמַיִם תִּשְׁתֶּה מָּיִם *limtar hasschamaim thisthheb maim*: Chaldæa similia לְמִטַר שְׁמַיָא תִשְׁתֵּי מַיָא *limtar semaiia thisthe maiia*: Græca ἐκ τοῦ ὑετοῦ τοῦ οὐρανοῦ πίεται ὕδωρ. Constat cœlum hîc sumi pro aëris regione, vnde pluuiæ decidunt. Verbum autem primarum duarum editionum futuri temporis, potest esse secundæ personæ masculini generis: túncque esset (*ad pluuiam cœli bibes aquam*) vt Pagninus & Oleaster transferunt, id est, tu ô Israël, habitutus de cœlo aquam, quò terræ tuæ infundantur; vel ex cisternis bibes aquam, quæ cœlesti pluuia implebuntur. Potest prætereà esse tertiæ personæ fœminini generis, hûncque sensû efficere, quòd ipsa terra bibitura esset aquas de cœlo siue pluuiales. Placet hoc aliis etiã hebraizantibus, éstque consentaneum editioni Græcæ, cuius verbum πίεται, *bibet* personæ tertiæ refertur ad γῆ, *terram*: & nostræ, in qua ipsa quoque terra dicitur de cœlo expectans pluuias: & duriusculè diceretur quis bibere aquam de cœlo, quia terra irrigata per eam profert olera, fruges, fructus; aut quia cisternæ aquis implentur, ex quibus bibatur. Potuit Interpres exprimere terram bibentem, sicut & antea potatam; quod non fecit, vt ab aliis tamen auctoribus vsurpatum nomen vtro-

qua

[a] Virg. 4. Georg. Claudian. 3. de rap.
[b] Virg. ecl. 3.
[c] Ouid. t. de Ponto eleg. 9. Tibull. li. 1. eleg. 2.
[d] li. 13. c. 4.
[e] 1. Cor. 3. 6.
[f] lib. 1.
[g] vers. 8.
[h] vers. 44.
[i] ibidem.
[k] vers. 29.

[a] in Exo. 7. disp. 13. q. 5.
[b] c. 2. 5.
[c] 3. Reg. 21. 2.
Olus vnde deductum.
[d] Num. 11. 5.
[e] Isido. 17. etym. c. 10.
[f] Homerus
[g] lib. 1.
[h] vers. 7.
[i] vers. 37.
[k] Iosue 33.
[l] Num. 13. 30. Deut. 1. 24. Iosue 2. 22. c. 9. 24. c. 10. 40. Luca 1. 39. 65 &c.
[m] Deut. 32. 13.
[n] Aba. 3. 16. Num. 13. 31. 32. c. 14. 40. 44. Deut. 21. & seqq. c. 9. 23. cap. 17. 8.
[o] Psal. 71. 3.
[p] Psal. 86. 1.

que modo vidimus. Addere possumos ea Scriptura [a] epithetum sitientis terræ, vel areæ [b]: quamuis etiam terræ siris intelligi possit, in qua ob aquæ penuriam, sitiant animalia. Situm hanc aridæ terræ [c], ac expectationem pluuiæ quasi hiante ore [d], Iob egregiè declarat, viens ea comparatione de seipso. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Nec dissimilia maioris cantici Mosis prima verba, & præfatio in c. 32. libri nostri, vt suo tempore perpendetur. *Expectant onagri Deum in siti sua* [e]; & ab eodem omnia, *vt det illis escam in tempore* [f]; oculi omnium sperant in eum, & ille dat escam illorum in tempore opportuno [g]. Aristoteles [h], vt aliàs [i] memini, citato Euripide, docet quòd imber quidem amat tellurem madefactam, cœlum verò imbris plenū vt cadat in terram: & cùm permiscentur, cuncta generare ac nutrire quibus viget viuitque humanum genus. Versus ipsos recitaui ex Athenæo [k]. Nec dissimilis inebriatio terræ [l]. Quamuis porrò expectaret regio Chananitis de cœlo pluuias, quasique sitiret, ac biberet cadēres, non deerant ei riui, fontes, abyssi fluuiorum, aquæ de terra; cùm hoc ipso nomine in c. 8. [m] commendatam viderimus. Mysticè rigantur montes doctorum de superioribus, vt de fructu operum ac doctrinæ ipsorum satietur terra [n]: & tanquam imbres emittant eloquia sapientiæ suæ [o]. Sæcularis hominis terra plana est, ac deliciis plena, sed non absque laboriosa molestiáque quasi sulcorum sectione, atque aquarum deriuatione, quas appellaueris meritò aquas contradictionis, iurgij, &c. spiritualis autem viri terra, quamuis ardua, dura, aspera, abstinentiis, & aliis afflictationibus constans, cœlesti aqua irrigatur, diuináque consolatione, & meriti fœcundatur incremento. Ad probaticam piscinam expectabantur aquæ motus per Angelum [p]: de cœlo expectatur gratiæ pluuia, vísque ac efficacia illius.

a Esa. 44. 3. cap. 53. 2. Ezech. 19. 13.
b Ioël. 1. 20.
c Ier. 2. 6.
d c. 29. 23.
e Ps. 103. 11.
f ibid. v. 27.
g Ps. 144. 15.
h 5 eth. c. 1.
i in Ps. 103. 13.
k lib 13.
l Ps. 64. 10. Eccl. 39. 28.
m vers. 7.
Locus mysticus.
n Ps. 103. 13.
o Eccli. 39. 9.
p Ioan. 5. 3.

Quam Dominus Deus tuus semper inuisit.] Repetunt editiones aliæ nomen (*terra*) in initio, & in fine addunt pronomen (*eam*) & (*semper*) ponunt post verbum; immò id iungunt sequenti membro: pro (*inuisit*) autem Græcum ἐπισκοπεῖ significat visitare, superintendere, superinspicere, vnde nomen Episcopi, de quo aliàs; ac satis benè declaratur verbo inuisendi, quod Abulensis ait significare cum desiderio videre, sicut similis formæ capesso, facesso, &c. important desiderium: insinuare autem a Deo dilectam fuisse terram illam super alias, quod maiora in eam beneficia declarabant. Visitare & visitatio plerumque in bonam partem sumuntur, déque beneficiis à Deo collatis: interdum tamen etiam in malam, & de pœnis ac suppliciis, vt sæpenumero aliis in locis obseruauimus. Ad rem est prior acceptio, qua etiam dicitur Deus visitare terram, & inebriare [q] eam, vineámque suam respicere de cœlo Deus virtutum conuersus, & videre, & visitare [r]. Hebræum autem huius loci nostri דֹּרֵשׁ *dores*, & Chaldæum תָּבַע *thabahh*, valent quærere ac requirere, quasi cum cura Deus quæreret terram visitando per singulas partes, ac pro singulis anni tempestatibus prouideret congruentem pluuiam, ventum, frigus, calorem, &c. Hoc si posset homo agricola, quod facit Deus pater verus agricola [f], facere deberet: id spiritualiter oportet vt faciat cui dominicus Ecclesiæ ager, vineáve traditur ad excolendum. Talem vim habet in Iob [s] יִדְרְשֵׁהוּ *daras* (*non requirat eum Deus desuper*) id est, non curet, & si fieri possit, terra-

Episcopus vnde Inuisendi verbum.
q Ps. 64. 10.
r Ps. 79. 15.
f Ioan. 15. 1.
s cap. 3. 4.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

hat concursum suum; nec, quod ibidem additur, computet in diebus anni, vel numeret in mensibus.

Et oculi illius in ea sunt à principio anni, vsque ad finem.] Carent editiones aliæ particula (*&:*) particulam verò (*semper*) iungere videntur Hebræa, vt indicat accentus, post תָּמִיד *thamid*, & Chaldæa membro præcedenti, quod etiā de Græca potest dici διὰ παντὸς, si comma seu virgula ipsi supponatur. Habent præterea eædem (*Domini Dei tui*) & bis anni nomen. Sedulam, diligentem, valdè peculiarem curam Dei, prouidentiámque denotat hæc phrasis, erga terram Chanaan, quemadmodum alibi erga alia, præsertim in Psalmis. Paulus Burgensis contra R. Salomonem, quem sequitur Lyranus, arbitratur bonitatem terræ Chanaan supra Ægyptum, non ex ipsa earum natura esse, verùm ex peculiari quodam Dei beneficio; simpliciter autem esse meliorem Ægyptum; quoniam in Genesi [a] comparatur paradiso Domini: propter sterilitatem quoque Chanaan Abraham descendit inde in Ægyptum [b], ac deinde Iacob cum filiis [c]: faciliùs quoque desunt pluuiæ, quibus eget Chanaan, quàm tanti fluminis Nili irrigatio. Immò quòd montuosa, & campestris, expectánsque de cœlo pluuiam dicitur, existimat non pertinere per se ad commendationem terræ; sed ad incutiendum Dei timorem, ac persuadendum vt ei obediatur, à cuius extraordinaria quadā beneficentia pendeat promissæ terræ fœcunditas. Fauet Hugo, inferri volens ibi plurimùm coli Deum debere, vt det pluuiam temporibus suis. Rickelius nihil definit; refértque alibi Lyranum prætulisse Ægyptum eorum etiam testimonio, qui terras illas lustrassent: licèt autem ex alia parte, aliquando sterilitas fuerit in Chanaan, ait simpliciter pusse fertiliorem esse; atque id videri magis consonum Scripturæ, cùm in ea toties lacte ac melle manans cognominetur, bona, optima, præcipua, egregia, ferax frugum principalium: denique, quoniam laudando bonitatem terræ, inducitur populus ad amandum Deum; simul verò ad timendum, ne si non obediat, subtrahat Deus pluuias, ex quibus bonitas eiusdem pendet. Posterior mihi quoque sententia magis placet, quæ scilicet præponit terram Chanaan; prout etiam exploratores disertè testificati sunt: ita vt ea bonitas naturalis fuerit, & à Deo auctore naturæ indita, quamuis incolæ abusi sint, vt contigit Pentapolitanis & aliarum regionum optimarum pessimis habitatoribus. Fatendum simul tamen est, propter peccata interdum reddi terras steriliores, ac nominatim illam, quam Iudæi inhabitauerunt, non solùm quam priùs Sodomitæ cum reliquis ea Pentapolis. Demonstrat Thomas Bozius plagas terrarum magis habitabiles redditas, ac meliores effectas post ortum cultúmque Christi [d]: quæ per se feraces erāt, steriles euasisse defetto illo; quidquid sit de varia naturali cœlestium virtutum circulatione, concursu, aspectu, & similibus causis ex physiologia petitis [e]. De beato post secundum Christi aduentum terrarum statu ex errore Chiliastarum quem sequitur Lactantius [f], quod producit Erythrææ Sibyllæ carmen, ad primi tempus, & à nobis alibi [g] recitatum est, in quo sumus, aptari potest.

> καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει·
> καὶ γὰρ γῆ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
> δώσουσι καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισιν
> οἴνου καὶ μέλιτος γλυκεροῦ, λευκοῖο γάλακτος
> καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.

Ægyptus Paradiso comparata.
a c. 13. 10.
b c. 12. 10.
c c. 46. 1. & seqq.
Peccatorum pœna.
d de signis eccl. li. 15. c. 15 & li. 22. c. 6.
e ibidem.
f lib. 7. c. 24.
g in Ps. 64. 12.

Et tunc sanè gaudium magnum Deus hominibus dabit:
Etenim tellus, & arbores, & innumera pecora terra
Dabunt fructum verum hominibus
Vini & mellis, & candidi lactis
Et frumenti, quod est hominibus optimum omnium.

Ponit, è contrario, Deus, & *terram in salsuginem à malitia inhabitantium in ea*, sicut & *flumina in desertum, exitúsque aquarum in sitim*.[a] *Luget terra, & herba omnis regionis siccatur, propter malitiam habitantium in ea: consumitur animal, & volucre, quoniam dicunt* (homines) *non videbit* (Dominus) *nouissima nostra*[b]: maledictio confidentis in homine vna est, vt sit quasi myricæ in deserto, nec videat cùm venerit bonum, id est, pluuia; habitétque in terra salsuginis & inhabitabili[c]. Vt ergo benigni ac benefici oculi Domini sint super te, fac tui semper sint ad illum[d]. Vidit Christus Matthæum, & conuertit[e]; Petrum respexit, & ad lacrymas pœnitentiæ adduxit[f]: oculos futuros & cor promisit Dominus super templum[g]; monti cognomen *Dominus videt, videbiturve* inditum, vbi filium illi obtulit Abraham[h]: *respiciunt oculi eius in pauperem, interrogántque palpebra eius filios hominum*[i], ecqua nimirum re indigeant; *respicit oculus eius in bono hominem marcidum egentem recuperatione, plus deficientem virtute, abundantem paupertate: erigit eum ab humilitate ipsius, & exaltat caput eius; & mirantur in illo multi, & honorant Deum*[k], orandus à resistentibus dexteræ suæ custodire nos vt pupillam oculi[l]; quoniam tangi arbitratur pupillam oculi sui, cùm quis eos tangit, quos ipse diligit[m]; quo pacto custodiuisse populum suum dicitur[n]. Boni ominis apud Ægyptios erat, si basilisci simulacrum aperuisset oculos[o], quanto magis apud orthodoxos oculi Dei veri apertis; præsertim cùm genuinus animatúsque basiliscus ex oculis lethiferum venenum iaculetur? Circumlatam ferunt olim Bacchi statuam, vt aliàs[p] memini, ad procurandum vini prouentum; quod etiam insinuari videtur illis versibus[q].

Implentur vallésque caua, saltúsque profundi:
Et quocumque Deus circum caput egit honestum.

Illustrat Cerda[r] noster similibus testimoniis Catulli, auctoris hymnorum Græcorum qui dicitur Homerus, Arnobij[s], & de Phœbo Callimachi describentis eum oculis collustrando pascentem:

οὐδέ κε βυβώτιες τελέθοιεν πλείονες αἶγες
δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων
βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν, οὐδ' ἀγέλακτοι
οἶεν
Pascua plena virent, nec sunt sine mollibus hœdis
Inter oues capræ, quas vultu respicit æquo
Phœbus oberrantes, nec sunt sine lacte bidentes.

Eodem præterea loco dixi de Triptolemo per orbem curru vecto, vt artem doceret seminandi. Nihil deterius quàm proiici à facie Dei, oculorúmque illius[t] (tametsi alio modo præoptandum, vt auertat faciem à peccatis nostris[u]) oportérque vt auertente ipso faciem, cõturbemur[x], omnia turbentur[y]. Postremò quid hîc sit mysticè initiũ anni & finis, dictum priùs ex Procopio. Glossa gratiam interpretatur omnibus diebus vitæ nostræ subsequentem nos[z]; & ab initio bonæ voluntatis vsque ad perfectionem operis, dando velle & perficere[aa].

a Psal.106.33.34. b Ier.12.4. c c.17.6. d Psal.24.15. e Mat. 9.9. f Luc. 22.61. g 3.Reg.9.3. h Gen.22.14. i Psal.10.4. k Eccl.11.13. l Psal.16.7. m Zacha. 2.8. n Deut.32.10. o Pier.li.24. c.17.ex Philone, & Grect. p in Psal.64.12. q 2.Geor. r ibidem. s lib.2. t Gen.4.16. Psal. 30.23. Psal.50.13. u Psal. 50.11. *Initium anni & finis quid, mysticè.* x Psal.29.8. y Psal.103.29. z Psal.22.6. aa Philip.2.13.

Vers. 13.] Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra.

Vers. 14.] Dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum.

Vers. 15.] Fœnúmque ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini.

Paraphr.

Beneficio peculiaris prouidẽtiæ suæ circa pluuias quibus terra fœcundetur fruituris, necessariam veluti conditionem imponi asserit obedientiam ex amore integro, & quanto fieri potest perfecto animæ conatu. Id crebrò admodum inculcat Moses, non imperitè, vt admonet Fonseca scholiastes Caietani: sed quia in tot mansionibus, ac tam longo annorum 40. spatio diuersis vicibus adhortationes absimiles habitas credendum est; quibus etiam puerilis adhuc populus, vt à Procopio cognominatum nuper vidimus, ac rudis, toties vrgeri debebat; & ad officiũ spe metúve bonorum & damnorum temporalium pertrahendus. Factitatur id etiam apud Prophetas; vt, exempli causa, apud Esaiam[a]; *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, & apud Ieremiam[b], *non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiã temporaneam & serotinam in tempore suo; plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.* Quibus verbis vltimis insinuatur præcedens formula de Deo inuisente semper, & oculos habente super terram ab initio anni vsque ad finem; atque sic benedicente coronæ anni benignitatis suæ[c]. Denique in Leuitico[d]; *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis.* Tradunt porrò Rabbini, in suis thephilim siue phylacteriis duodecim pasuah siue versus scribendos, quinque ex c.6. libri nostri, hoc est, à 4. vsque ad 10. exclusiuè, qui apud illos prolixiores sunt: & ex isto nostro c. septem, ab isto versu vsque ad 21. exclusiuè.

a c.1.19. b c.5.24. c Psal.64.12. d c.26.3.

Explanatio.

Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis.] In aliis editionibus (*& erit si audiendo*, vel *auditu audieritis*, &c.) sed in Græca (*omnia præcepta eius*, πάσας τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ) & (*quæcumque ego præcipio tibi hodie*, ool.) Mandata & erant Dei & Mosis; illius vt summi legislatoris, istius vt mediatoris ac ministri: sæpius tamen in hoc libro Mosem sua dixisse mandata obseruauimus, quæ sic volebat altiùs imprimi, vt à se moribundo prolata. Perinde etiã est siue pronomen sit singulare collectiuè sumptũ pro pluribus, siue plurale.

Vt diligatis Dominum Deum vestrum.] Græcè (*vt diligas Dominum Deum tuum*, ἀγαπᾶν κύριον τὸν Θεόν σου.) Dilectio, amor, caritas in Deum commendatur inprimis ac sæpe, & consequenter in proximum, quia *in his tota lex pendet & prophetæ*[e]: *& qui diligit proximum*, videlicet propter Deum, *totam legem impleuit*[f], *plenitudóque legis est dilectio*[g], *atque in vno verbo isto instauratur*[h]. Quo tamen simul pacto lex vetus cognominetur timoris & seruitutis; euangelica filiorum Dei, & amoris, alibi declaratum est: nempe quoniã gratia conferebatur veteribus ex meritis Christi, & adoptio filiorum, ac ius hæreditatis per habitudinem ad illum, &c.

Et seruiatis ei.] In textu Græco deinceps vt priora, numero singulari exprimuntur. Verbum autem λατρεύειν sæpiùs monui cum nomine λατρείας ex vsu Ecclesiastico factum proprium

e Matth. 22.40. f Rom.13.10. *Lex vetus & noua quomodo cognominata.* g ibid.v.8. h ibid.v.9.

seruitut

seruituti atque cultui, qui soli Deo exhibetur. Alioqui ab ampliore notione vtriusque vocabuli, latrones Festus & Seruius deriuant, aut etiam à λάτρον καὶ βάτρον, aliàs λάτρον, quæ mercedem significant, qua quidam seruiebant, & lateribus (quod est aliud etymon [a]) dominorum assidebant, & ad sua latera habebant ferrum: & à latere, vel latenter aduersarios adoriebant. Quæ deinde significatio immutata est, vt tyranni, parasiti, &c.

In toto corde vestro, & in tota anima vestra.] Græcè (*tuo & tua.*) De hac phrasi prioribus capitibus [b] actum est, quáque ratione in hac vita possit diligi Deus in toto corde; & quid intersit inter dilectionem ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, atque similia.

Dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam.] In editione Græca (*terræ tuæ*) in Hebræa & Chaldæa (*& dabo* ונתתי *venathatthi*, ונתן *veettthen.* Vbi supplendum (*dicit Dominus*) aut quid tale, notátque Caietanus loqui Mosem in persona Dei. Omnes verò tres habent (*pluuiam in tempore suo temporaneam & serotinam*, בעתו יורה ומלקוש *behhitthoioreh vmalkos*: בעדניה בכיר ולקיש *behhiddaneh bacchir velakis*: καθ' ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. Legit Augustinus [c] (*& dabit pluuiam terræ tuæ in tempore suo matutinam & serotinam*:) & dubitans an per matutinam intelligatur anni tempus primum; notat minùs Latine dici serotinum, nec tamen meliùs de Græco ὄψιμον exprimi potuisse: quamuis vulgo dicatur serotinum quod tardiùs quàm oportear, factum sit. Apud Hieronymum quoque alibi [d] legitur matutina & serotina pluuia. Opportunitatem significant primæ dictiones, quæ sequuntur quasdam quasi species opportunitatis: quarum præterea mentio sub his ipsis nominibus est apud Ieremiam [e], Oseam [f], Ioëlem [g]: sæpiùs [h] serotini tantùm imbris: interdum serotinæ animaliũ admissuræ [i]; frugum [k], terræ [l]; nonnunquam [m] fructus temporanei & serotini, quamuis ibi alij imbrem malint, vt in commentario notauimus, vnde huc accersenda complura, non frustrà transcribenda tum literalia, tum mystica. Generalis opportunitatis pluuiæ promissio, vt temporibus suis detur, habetur inferiùs c. 28. [n] & in Leuitici c. 26. [o] Eo etiam loco dixi quæ conferant præsenti, vt & in aliis commentariis [p]. Temporanea seu matutina pluuia vel imber, erat apud Hebræos, qui Octobri circiter mense descendebat, mandatis iam terræ seminibus; serotinus is qui fruges ad maturitaté perducebat Aprili, aut Maio mense. Lege Hieronymum [q]. Hugo autem hoc loco exponens temporaneam autumno vel hyeme vt iacta semina putrefiant, & nutriantur; serotinam vere vel æstate ad incrementum segetum: admonet sic etiam accipi à Glossa, nimirum pro principio & fine anni, vt sit ver initium: apud prophetas pro illa quæ cadit mense Septembri vel Octobri, & pro illa quæ in vere. Affert præterea sensus mysticos de gratia in præsenti & futuro: de lacrymis pro incolatu præsentis miseriæ, & pro dilectione patriæ, sicut duplex irriguum Axæ [r], &c. Rabanus post Gregorium [s] temporaneam pluuiam interpretatur de dato legis intellectu priore tempore; serotinam de prædicatione peractæ iam incarnationis: & quando in eleuatione manuum crucifixi Christi fuit sacrificium vespertinum [t]. Procopius de doctrina per prophetas, & de illa quam Christus ipse sua met præsentia tradidit: negari vtramque Iudæis perfidis, qui ob idololatriam exularunt

a Varro 6. de ling. Lat.
b c. 4. 29. c. 6. & 5. c. 10. 12.
c in locutionib.
d in Prou. 16.
e c. 5. 24.
f c. 6. 4.
g c. 2. 23.
h Iob 29. 23. Prou. 16. 15. Ier. 3. 3. Amos 7. 1. Zacha. 10. 1.
i Gene. 30. 41.
k Ier. 20. 9. 32.
l Ier. 2. 31.
m Iac. 5. 7.
n vers. 12.
Pluuia matutina & serotina quæ apud Hebræos.
o vers. 3.
p in Ps. 67. 10. Ps. 146.
s Act. 14. 16.
q in Amos 4.
r Iudic. 1. 15.
s 20. moral. c. 2.
t Ps. 140. 2.

in Babylone, nunc orbe vniuerso, quia Christum crucifixerunt. Hieronymi [a] quoque allegoria est de vtroque Testamento; vel [b] quando prima credendi in Christum semina suscepimus, & quando maturis virtutum frugibus ablati de hac vita, in dominico horreo recondimur: clementiam regis imbri serotino comparari [c]; quia quòd fructum vitæ benè agentes percipimus, non hoc nostri libertas arbitrij, sed superni facit irrigatio doni.

Vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum.] Editiones aliæ habent verbum numeri singularis, & singulis nominibus addunt pronomen (*tuum*:) pro particula verò causali vtuntur coniungente (*&*) Græcè εἰσοίσεις significat *inferes*, quasi in horrea vel in cellas. Tribus porrò istis frumento, vino, oleo victus hominum necessaria magis vel opportuna comprehenduntur, vt pluribus aliis locis docui. Philosophatur multis hoc loco Abulensis de necessitate humoris aquei ad generationem plantarum ex terra, necnon caloris, quæ comparat cum passiuo fœminæ semine, marísque actiuo: promittere tamen potius aquam Deum, quàm calorem (id & ego aliàs [d] notaui) quia calor Solis non solet suis deesse temporibus, dum certa obit signa per anni statas tempestates. Quòd si quando deficiat, non ita, inquit, deficit, vt non sit; sed quia ob nimiam aquarum inundationem, non potest digerere; aut ab aquis formatiua seminis vis præfocatur. Aquæ autem sæpiùs deficiunt, ac interdum ad longum tempus vel propter hominum peccata, vel propter causas alias naturales. Reuocat Christus diuinæ prouidentiæ generales causas circa hominum sustentationem, quòd oriri faciat Deus solẽ suum, & pluat super omnes bonos & malos, iustos & iniustos [e]. Ad quod allusio nonnulla videtur in Prouerbiis [f]; *in hilaritate vultus regis* (Hebraicè & Chaldaicè, *in lumine vultus*) *vita, & clementia eius quasi imber serotinus.* Ecclesia quidem vt impetret serenitatem, hilaritatem vultus sui Deum impertiri petit. Caietanus monet quamuis assertiuè promittatur pluuia colentibus Deum, non tamen assertiuè prædici priuationem pluuiæ, si non colerent eum: vt intelligamus Deum esse pronum magis ad benefaciendum bonis, quàm ad puniendum malos. Addere potuit quod paulò antè retuli, pluere super iustos & iniustos [g]. At paulò [h] pòst subditur hic comminatio de claudẽdo cœlo, pluuiisque descensuris, ita vt non det terra germen suum, in c. item 28. [i] inter maledictiones recensetur cœlum æneum, terráque ferrea: vt & Leuitici c. 16. [k] cœlum sicut ferrum, & terra ænea. S. Franciscus tom. 1. opusc. nuper editorum in oratione pro obtinenda paupertate. *Scio, ait, quòd testamentum vetus noui fuit figura. Illis promisisti; quia omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. Calcare est ostendere; paupertas omnia calcat; ergo omnium est regina.*

Fœnúmque ex agris ad pascendum iumenta.] Hebraicè, Chaldaicéque (*& dabo herbam, seu fœnum in agro tuo iumentis tuis*) Græcè (*& dabit pabula in agris tuis pecoribus tuis*, καὶ δώσει χορτάσματα ἐν τοῖς ἀγροῖς σου τοῖς κτήνεσί σου.) In Psal. 146. [l] *qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum: qui dat iumentis escam ipsorum*; & paulò antè; *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam*; de qua re vltima paulò antè actum est. In eo Psalmo notaui ab Interprete nostro adiecta esse (*& herbam seruituti hominũ*) post LXX. καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων. Idipsum erat in Psal. 103. [m] & vtrobique

a in Eccle. 11.
b in Prou. 16.
c Prou. 16. 15.
d in Leuit. 26. 4.
e Matth. 5. 45.
f c. 16. 15.
g Matth. 5. 45.
h vers. 17.
i vers. 23.
k vers. 19.
l v. 8. 9.
m vers. 14.

dicta de vocabulis iumentorum, fœni, herbæ, חָצִיר *chatsir*, עֵשֶׂב *hheseb*, χόρτον, χλόην atque de re ipsa, prodesunt huius loci nostri intelligentiæ tum literali, tum mysticæ. Ibi notaui עֵשֶׂב *hheseb* omnem herbam significare, etiam olera, segetes, legumina. Apud Lucam [a] *fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*, accipiunt aliqui de frumento, quia veri fœni nullus vsus in clibano. Idem est in Matthæo [b]. Sed verissimam herbam potest ibi significare demessam & arefactam, quæ in ignem iniiciatur, ad clibanum furnúmve succendendum. Augustinus [c] fœni appellatione in Scriptura, frumentum significari ait. At pascuntur iumenta fœno propriè sumpto, de qua pastione hîc agitur. Pascit Deus passeres siue aues [d]; vetat alligari boui trituranti os, ipsique cura de illis [e] est, iumenta saluat, non tantùm homines [f], pepercit ciuitati Niniue etiã propter iumenta [g]; recordatus non solum Noë, sed animantium intra arcam, adduxit spiritum, siue ventum, super terram, & imminuit aquas [h].

Et vt ipsi comedatis & saturemini.] Pendent hæc ex sequentibus iuxta editionem Græcam, vt scilicet qui comederint vsque ad satietatem, caueant ne à Deo recedant, &c. Hebræa verò & Chaldæa simul cum nostra, sententiam hoc loco terminant (*& comedes, & saturaberis.*) Coniunguntur sæpenumero [i] comedere, siue edere, siue manducare, siue vesci & satiari, siue saturari, vt denotetur non vitiosa cibi repletio, sed sufficiens vel etiam abundans: quemadmodum quando est defectus, dicitur quis comedere, &c. sed non saturari [k]: vt & nonnumquam [l] bibere aquam, nec satiari. Quod vltimum quia rarius est, rariórque aquæ penuria; idcirco crebriùs iunguntur comestio & satietas. Comedit, bibitque peccator, sed non satiatur; sicut illa,

Quæ lassata viris, numquam satiata recessit.

Semper dicens, affer, affer [m]: nec valens de siliquis porcorum satiare seu implere ventrem [n], similis vaccis, quę cùm alias pingues deuorassent, non contentæ pascuis, macilentæ remanserunt [o]. At quos pascit Christus, saturantur, & reliquias referunt [p]: comedunt in saturitate [q], replent animam suam [r]: esurientes tamen adhuc, sitientésque [s] absque fastidio vel pœna.

a c.12.28. b c.6.30. c in Ps. 72. d Matth.6.26. c.10.29.30. Lucæ 12.6. e 1.Cor.9.9.10. f Ps.35.8. g Ionæ 4.11. h Gen.8.1. i Deut.6.11. c.14. c.8.10. 12.29. Rut. 2.14. 2.Par. 31.10. 2.Esdr.9.25. Iob 36.12. Psal. 21.27. Psal. 77.24. Ioel. 2.26. Agg. 1.6. Matth. 14.20. c.15.37. Marc.6.42. cap.8.8. Luc.9.17. k Leuit.26.26. Esa.9.20. Oseæ 4.10. Mich. 6.14. l Amos 4.8. m Prou.30.15. n Lucæ 15.16. o Gen.41.19. p Matt.14. q Leuit.26.5. r Prou.3.10. s Eccl.24.29.

Vers. 16.] Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatísque Diis alienis, & adoretis eos:

Vers. 17.] Iratúsque Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatísque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

PARAPHR. Opportunum monitum cauendi diligentissimè à cultu superstitioso, & ab idololatria, postquam incidit mentio de copia victus. Ob hanc enim, vel certè cum hac vituli adoratio contigit [t]: & Salomon verebatur ne satiatus illiceretur ad negandum, & diceret; *quis est Dominus?* ideóque sola victui necessaria petebat [u], vt cap. 6. annotaui [x], vbi gemina ista sententia est, exceptis minis, de negandis pluuiis terræque prouentu: & satis multa huc spectantia collegi, *cum comederis & saturatus fueris, caue diligenter*, ait eo loco Moses, *ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te*, &c. *non ibis post Deos alienos*, &c.

t Exo. 32.1. & seqq. u Prou.30.8.9. x vers.12.

Cauete.] Præmonuit textus Græci postrema in priore versu verba his vetenda, καὶ φαγὼν, καὶ ἐμπλησθεὶς, *& cum comederis, & cum repletus fueris*, πρόσεχε σεαυτῷ, *attende*, vel *caue tibiipsi*; aut in bibliis Complutensibus, Regiis, aliisque προσέχετε ἑαυτοῖς, *attendite*, aut *cauete vobisipsis*. Pluralis numeri sunt הִשָּׁמְרוּ *hishameru*, & תִּשָּׁמְרוּ *tisshameru*; addito pronomine cum articulo לָכֶם *lachem*, לָכֶן *lachen*. Iurisconsultorum proprium est cauere [a].

Ille sæpe loco capitur consultus amore,

Quique alios cauit, non cauet ipse sibi.

Sed in vitium vertit hoc verbum, sicut & cauillandi, quòd id hominum genus factitat. Vt rarè Lucilius plus vult esse, quàm cauere. In proposito autem nulla nimia cautio, custodia, deuitatio.

Explanatio. Cauendi verbum.

Ne fortè decipiatur cor vestrum.] Magna in eo cautione, vt ditat, opus; quoniam, vt ait ille [b],

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet:

Et omni custodia custodiendum cor ex quo vita procedit [c], reféttque plurimi in re tanti momenti non decipi cor [d], quo toto diligendus Deus, & quod si diuidatur, præsens necessariò sequitur interitus [e]. Seruatorem animæ tuæ Deum nihil fallit [f]: sed fallis ipse nonnumquam teipsum [g] fallacia seu deceptione diuitiarum [h], & peccati [i]: fallitque potest cor tuum super muliere [k], multa stultitia [l], itineribus impiis [m], spiritu fornicationum [n], in quo continetur idololatria, & idola ipsa decipientia [o], superbia tanquam vino [p], &c. Cæterùm hoc loco pro decipiendi verbo, quod etiam valet in futuro יִפְתֶּה *iphtheh*, & יִשְׁבֶּה *ishbeh*; quamuis mallet Oleaster verti (*ne fortè declinet cor vestrum*, nempe à recto.) Græcum est πλατυνθῇ, *dilatetur*. Eugubinus ita etiam interpretatur Hebræum, & quidem consentaneè etiam ad Græcum; atque sic alibi Hieronymum interpretari solere, vt in filio Noë Iapheth [q]: & hac locutione significari cordis tumorem, superbiam, audaciam, arrogantiam, contumaciam, quæ ex nimio rerum fœlici successu oriri solent, cùm qui premitur cladibus, humilis iaceat, abiecto, demissóque animo sit. Hebræum verbum exponit Hieronymus alibi sicut hîc, pérve synonymum seducendi, & similia: per dilatandi non alibi quod sciam, quàm circa dictum nomen Iapheth יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *iapth Elohim le-Iepheth*, vbi perfectum verbum in hiphil esset יַפְתֶּה *iaphtheh*. In qua significatione Pagninus notat Thargum frequenter vti. Decipi significaret expressiùs πλανηθῇ: & suspicarer id verbum à LXX. hic primùm esse positum, nisi destitueter codicis vel auctoris omni alio testimonio: & nisi animaduerterem eodem vsos in illa sententia [r]: *nec lactes quemquam labiis tuis*, μηδὲ πλάτυνε σοῖς χείλεσιν, vbi est Hebræum verbum וַהֲפִתִּיתָ *uahaphithitha*. Notat in locutionibus ad hunc locum Augustinus dilatandi verbum in malo intelligi, ad noxiam prosperitatem significandam. Alioqui constat in bono quoque sumi. Admonuit Christus [s] vt attenderemus nobis ne fortè grauarentur corda nostra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.

a Ouid. b Plaut. Captiu. scen. 2. actu 2. c lib. 26. d Prou. 4.23. e Oseæ 10.2. f Prou.24.12. g Iac. 1.22. h Matth. 13.22. Marci 4.19. i Hebr 3.13. k Iob 31.9. l Prou.5.23. m c. 12.26. n Os.4.12. o Amos 2.4. p Abac.2.5. q Gen.9.27. r Prou.24.18. Dilatandi verbum. s Luc. 21.34.

Et recedatis à Domino.] Domini nomine carent editiones reliquæ, contentæ verbo recedendi, vel transgrediendi, siue præuaricandi, סַרְתֶּם *sarethem*, παραβῆτε. Omne mortale peccatum inuoluit recessum auersionémque à Deo; sed magis expressè ac formaliter peccatum idolo

idololatriæ. Talis recessus exciuit hostes in Hebræos [a]. Pronunciat væ Deus recedentibus a se [b], ac vicissim à quibus ipse recesserit [c].

Seruiatisque Diis alienis, & adoretis eos] Idola populorum vocat Paraphrastes עַמְמַיָּא *bhamamaya*. Rarus atheus, quique adeò insipiens sit, vt dicat in corde suo, non est Deus [d]: præsertim qui Dei veri veram notitiam & cultum habuerit.

Iratúsque Dominus.] Intensiorem iram dictio editionum aliarum significat (*iratus est nasus Domini in vos* חָרָה אַף־יְהוָה בָּכֶם *charah aph Iehouah bachem*: וְיִתְקַף רֻגְזָא דַיְיָ בְּכוֹן *vithkaph rugza dalehouah bechon*: θυμωθεὶς ὀργῇ κύριος ἐφ' ὑμᾶς.) Ita verò in Deum quo pacto cadat sæpiùs dictum. Ab irato autem illo immitti sterilitates, nec ignorarunt Gentiles, vt qui Apollini Delphico musicos ludos instituerunt, quibus placaretur ira eius, qua putabant afflictas esse sterilitate Græciæ regiones, oraculo etiam ad id faciendum admoniti [e]. Eamdem terram Deus vocat immundam & compluram in die furoris [f]; aridior namque terra sentibus ac feris repletur, ac infrugifera est. L X X. verò pro immunda dicunt non irrigatam ἡ βρεχομένη. Ex eadem iusta ira Dei prouenit vt pluat super vnam ciuitatem, & non super aliam [g]. Imprecatus est Dauid montibus Gelboë, vt nec ros, nec pluuia venirent super eos [h].

Claudat cœlum, & pluuia non descendant.] Hæ sunt minæ de denegandis pluuiis ab irato Deo, propter peccata; quod nuper negatum à Caietano monui, asserente proniorem illum ad benefaciendum promisisse dumtaxat, minatum non esse. Paruo interuallo distat hic locus ab illo. Eadem porrò res exprimitur duplici formula, quod claudet Dominus cœlum, & quòd pluuiæ non descendent, siue, vt est in editionibus aliis, non erunt. Aliter exponitur alibi [i] per cœlum æneum vel ferreum: per clausas cataractas cœli, cum fontibus abyssi; hócque prohibitas pluuias [k] de cœlo. per clausum cœlum & non pluere propter peccata [l], per continere [m] cœlum; per prohibere stillas pluuiarum [n]: per mandare nubibus ne pluant [o]: per ligare nubes vt non erumpant [p]; & contrario sensu per cœlum, quod det pluuiam [q]; per cataractas cœli apertas [r]; per Deum, qui det de cœlo pluuias [s]; per cœlos dantes rorem suũ [t]; per Deum qui aperiat thesaurum optimum suum cœlum [u]; per emittere nubes [x]; per exaudire cælos [y] quasi cupientes ex se pluuias demittere. Legi possunt commentarij nostri variis locis, præsertim Iacobi [z], & Leuitici [aa], & Actuum [bb] Apostolorum: ex quibus, & similibus aliis multis liquet cœli nomen accipi pro aëre, vel nubibus.

Nec terra det germen suum.] Græcè (*fructum suum*, τὸν καρπὸν αὐτῆς: ex editionibus aliis (*prouentum suum*, יְבוּלָהּ *iebulah* עֲלַלְתַּהּ *bhallalthah*.) Eadem omnino phrasis in eadem sententia Leuitici cap. 26. [cc] γεννήματα pluraliter: licèt etiam ibidem [dd] ponatur Græcè (σπόρος, *semen*:) Chaldaicè cum affixo (אִבֵּהּ *ibbeh*, *fructus eius*.) Generalior notio proposito magis congruit: terráque non tam dat, quam reddit semen, fructum, germen; quia vt plurimum ex concepto semine, vel æquiualenti alia ratione, cum solis & aquæ concursu, producit; & quæ in terram quodammodò abierunt, ac eius veluti facta sunt, inde cum fœnore redeunt. Vnde nomen reditus, vt & prouentus, à redeundo & prouenlendo, atque vt quibusdam placet, quamuis minùs rectè, redditus à reddendo. Reditus prima breui vsurpat Ouidius [ee],

a Iudith. 5. 17. 19.
b Os. 7. 13.
c c. 9. 12.
d ps. 13. 1.
e Aug. 18. de ciuit. c. 12.
f Ezech. 22. 24.
g Amos 4. 7.
h 2. Reg. 1. 21.
i Leuit 26. 19. Deut. 28. 23.
k Gen. 8. 2.
l 3. Reg. 8. 35 2. Paral. 6. 26. c. 7. 13. Luc. 4. 25.
m Eccl. 48. 3.
n Ier. 3. 3.
o ——— 5. 6.
p Iob. 12. 15.
q Iacobi 5. 18.
r Gen 7. 11. Mal. 3. 10.
s Actuum 14. 17.
Cœlum pro aere, vel nubibus.
t Zach. 8. 12.
u Deut. 28. 12.
x Iob. 26 8.
y Os. 2. 21.
z in c. 5. 17.
aa in c. 26.
bb in c. 14. 17
cc v. 4.
dd v. 20.
ee 2. de Pōto. eleg. 3.

At reditus iam quisque suos amat.

Item,

Aut [a] populi reditus positam componit ad hastam.

Denique huc facere potest quod cecinit de nuce,

Annua cultori poma referre suo.

Sed aliarum rerum quàm ex terra immediatè nascentium reditus ac prouentus est. In illis autem peculiarem dictam rationem indicant Dei verba in Osea [b], *exaudiam, exaudiam cœlos* (quasi ad pluendum inhiantes) *& terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum* (quæ terræ mandata sunt ad prouentum reditúmque ac redditum) *& hæc exaudient Iesrahel*, quia in spe arat qui arat [c], spésque alit agricolas, expectantes pretiosum fructum terræ [d].

Pereatisque velociter.] Lege c. 4. [e] & 7. [f] & 8. [g] & 9. [h] vbi velox eiúsque interitus minaciter prædicitur: hoc autem loco videtur ea inedia oriturus, seu ex penuria, ob defectum pluuiarum, de quo mentio proximè fuit.

De terra optima.] Posulua sunt in aliis editionibus טֹבָה *touah*, טָבְתָא *tautha*, ἀγαθῆ. Idem superlatiuum optimæ terræ relege c. 3. [i] & 4. [k] & 6. [l] & 8. [m] & 9. [n] Acuit adeò crebra commendatio terræ ingens eius desiderium, simul cum vehementi studio eamdem conseruandi, per ad hoc requisitam diuinorum mandatorum exactam custodiam.

Quam Dominus daturus est vobis] Græcè (*dedit*, δίδωσι) Hebraicè & Chaldaicè (*dans*, נֹתֵן *nothen*, יָהֵב *iaheb*) nimirum vel fuit, vel est, vel erit. Dabat, dederat, daturus erat: secundum promittendo; primum ob promissi certitudinem mòaque futurum complementum; secundum quia præcesserat indubitata promissio; tertium, quia nondum tradita erat possessio. Hoc aliàs quoque notauimus.

a l. 4. Fast.
b c. 2. 21. 22.
c 1. Cor. 9. 10.
d Iacobi 5. 7.
e v. 26.
f v. 4.
g v. 20.
h v. 3.
i v. 25.
k v. 21.
l v. 18.
m v. 10.
n v. 6.

Vers. 18.] Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.

Paraphr.

HOc, ac sequentibus duobus versibus cupidissimus Moses boni populi sui, quem breui relicturus erat, nec tanto fruiturus bono, quia nonnihil peccauerat, & memor conditionis quam Dominus exigebat vt lex seruaretur, quódque interiissent ferè omnes in deserto ex iis qui egressi fuerant de Ægypto ab annis viginti & suprà, quoniam conditionem non adimpleuerant; maiorem in modum commendat dictæ legis custodiam, tanquam rei maximè necessariæ, pretiosæ, caræ, iucundæ, honoratæ, quæ in corde semper versetur quantum ad affectum; in animo quantum ad memoriam & considerationem; in manibus, quantum ad applicationem promptam faciléimque circa cuncta opera; in oculis, quantum ad æstimationem rei ex qua voluptas honórque percipiatur. Iam in c. 6. [o] eadem fere adhortatio præcesserat: vt essent verba legis in corde, docerentur illa filij; meditatio de iis continua esset ambulando, dormiendo, consurgendo; ligarentur quasi signum in manu, essent ac mouerentur inter oculos: scriberentur in limine & ostiis domus, &c. Caietanus colligit ex hac repetitione, ad literam intelligenda ista cõsilia, ad literam saltem vt in brachiis tanquam ornamenta quædam

o v. 1. & seqq.

dam inscripta gestarentur, inter oculos versanda ad excitandum amorem Dei, sicut de fimbriis in angulis vestium io c.15. Numerorum [a], de quibus quoque meminit Matthæus [b] sub vocabulis phylacteriorum & fimbriarum. Cætera hic in sequentibus, & dicto c.6. tradita per metaphoram interpretatur: de aliis illis consiliis nihil absurdè esse concedere; ac in genere, quod præter præcepta, quædam etiam consilia Hebræis tradita fuerint. Hoc ipsum non multò antè docui, & de tota sententia in eodem illo cap.6. satis multa disserui.

a v.38. b c.23.5.

Explanatio. *Ponite verba mea in cordibus.*] Præfigitur (&) in aliis editionibus, quod posset explicari per (*ergo, igitur, itaque, quare*, &c.) Græca omisit (*mea*) & cum reliquis habet eor numeri singularis cum pronomine (*vestrum*) quod in nostra deest. Poni dicuntur verba in cordibus: & corda in verba [c]: Græcè hoc loco, ἐμβαλεῖτε τὰ ῥήματα εἰς τὴν καρδίαν ὑμῶν: ibi προσέχετε τῇ καρδίᾳ ὑμῶν ἐπὶ πάντας τοὺς λόγους, *attendite corde vestro ad omnes sermones*. Eiusdem formulæ ponendi cor in aliquo, aut in aliquid, aut in aliqua, aut super, siue supra, aut erga, extant alia exempla [d]; item ponendi in corde, vel super cor [e]: præterea ponendi cor absolutè [f], vel apponendi [g]. Et quia cor nunc ioentem seu intellectum memoriámve significat; nunc voluntatem, attendendum vtra nostro magis congruat loco qui occurret. Huic intellectus & voluntas conuenire possunt, quamuis posteriorem dumtaxat Abulensis, & Marzilla intelligant; animos in sequenti membro, et priore. Sed mox dicam id nomen etiam de corde præcisè sumi posse.

c Deut.3.46. d 1 Reg.25.25. Iob.7.17. Ezech.40.4. c.44.5. Agg.1.5. 7. c.2.16.19. *Cordis nomen.* e 2.Reg.19.19. ps.47.14. Prou.24.32. Agg.2.19. Malac.2.1. Lucæ 1.66. c.9.44. c.21.14. f Esa.41.22. Dan.6.14.

Et in animis vestris.] Iuxta cæteras editiones (& *super*, siue *in animam vestram*, וְעַל נַפְשְׁכֶם *vehhal naphschem*: וְעַל *vehhal naphschem*: καὶ εἰς τὴν ψυχὴν ὑμῶν. Animi Latinum nomen posuit Interpres c.8. [h] vbi editiones aliæ cor; quemadmodum alius locis [i]: interdum [k] toto animo cognoscere, ab aliis dicitur in toto corde & in tota anima: nonnumquam animum non esse cum alio, & confiteri omnem animum [l]; quod per cor declarant editiones aliæ; idem est, quod non affici, & non aperire quid quis tum cogitet, tum velit. Sed & aequo animo esse per nomina נֶפֶשׁ *nephes* atque ψυχῆς expressum reperitur [m]: æquo animo [n] per cor Hebraicè & Chaldaicè quod bene se habeat, Græcè per esse suipsius γνώμῃ ἰσῶν. seruire corde perfecto & animo voluntario [o], per לֵב *leb* & נֶפֶשׁ *nephes*, καρδίαν & ψυχήν. Itaque, vt omittam alia, hoc loco ponere in animis posset synonymè idem valere quod priùs in cordibus, & vtrumque idem quod in parte intellectiua appetente; quemadmodum quando dicitur promptus animus voluntatis [p], facere quid ex animo [q]. Non est illud perpetuum discrimen apud Latinos; vt anima sit vitæ, animus consilij, illa qua viuimus, sentimus, mouemur aliorum ritu brutorum; hic quo homines sumus, intelligimus, sapimus, volumus. Animi gratia fieri quid asseritur, id est, pro voluntate, affectu, delectatione: appellatur vnanimis, qui & Græcè ἰσόψυχος eiusdem voluntatis. Sed si corda sumimus priore membro pro parte appetitiua rationali, rectè distinctionis causa, animos hic accipiemus pro intellectiua. Animum & affectum Vatablus exponit, quasi corde significetur animus, anima affectus. Legem Dei habebat Dauid in medio cordis [r]: eloquia diuinæ sapientiæ custodiri præcipiebat in medio eius-

g ps.61.11. h v.2. i Exod.35. 5. Deut.17. 17. Iud.16. 15.18.1. Reg.14.7. 2.17.8. k Iosue 23. 14. l Iud.16. 15.18 m 2.Reg.1. 10. c.22.2. n 3.Reg. 21.7. o 1.Par.28. 9. p 2.Cor.8. 11. q Eph.6.6. r ps.39.9.

dem Salomon [a] sapientissimus.

a Prou.4.21.

Et suspendite ea pro signo in manibus.] Non refert singulare nomen manus editionum aliarum; quod habet etiam nostra in cap.6.[b] vbi phrasis & sententia prorsus eadem est; sed Latine ligandi verbum, quod propriè respondet verbo Hebræo קָשַׁר *kaschar*, & Chaldæo קְטַר *ketar*: Græcè verò vtrobique est ἀφάψετε. Confule dicta eo loco. Equidem verò haud vtm statuerim in suspendendi verbo; quasi suspendere in manibus, intelligendo operari (quod non abnuo) sit operari cum timore, ac tremore; quoniam id quod suspenditur, adhuc pendet, nec tamen cadit, vt quidam [c] ratiocinatur; quod est pendere animo, inquit, ac timorem habere, verùm placeant opera sua Deo, nec tamen cadere, id est, non retrahi ab operando, sed potiùs sollicitari; quoniam qui timet, nihil negligit [d]. Mereatur laudem ab acuta pietate auctor ille; sed suspensio hæc propriè pendula non est, mobilísque, si ad aliarum editionum attendamus dicta verba, quæ important strictam ligationem, quæ etiam ligatio c.6. vt dixi, expressa est ab Interprete nostro. Denique qui literaliter hunc locum intelligebant Hebræi, sua illa thephillim stringebant ad manus, ita vt non mouerentur: quamuis aliis vterentur dependentibus mobiliter ex fronte ante oculos; vt e.eodem 6. vidimus. Ioannes [e] Vitalis Cardinalis tropologicè præsentem, sequentésque de prædicatoribus interpretatus versus, non sufficit, ait, habere verba Domini in codice per lectionem, nec in ore per prædicationem; sed debent esse in cordibus, per meditationem (corda pro mentibus accipit) in animis, per affectionem; in manibus, per operationem; inter oculos vt dirigamus nostram intentionem; & doceamus alios per instructionem.

b v.8. c Seraphia. Capponus. d Eccl.7.19. e Spec. moralis script. de prædicat. fol.266.6

Et inter oculos vestros collocate.] In c.6.[f] (& *mouebuntur inter oculos tuos*.) Vbi nihil differunt verba editionum aliarum ab illis quæ hic sunt: nisi quod Græcè hoc loco est singularis numerus ἔσται ἀσάλευτον: in eo pluralis ἔσονται ἀσάλευτα. Prætet ibidem annotata, & literaliter, & mysticè conferre huc potest locus ex Prouerbiis [g], in quo Sapiens hortatur ad auscultandum sermones suos, vtque ad eloquia sua inclinetur auris nostra; ne recedant ab oculis nostris, & vt custodiantur in medio cordis nostri. Mentis oculos præsertim intelligit eiusdem attentionem, voluntatis affectum; denique tot modis amorem sapientiæ, ac præceptorum de moribus commendat, in similitudinem bullarum super cor, annulorum in digitis, frontalium schedarum præ oculis, de quibus c.6. vtque non modò quis dedecori sibi minimè ducat vel erubescat studiosum sapientiæ ac virtutis esse, sed vt rem perhonorificam gestet in oculis, & præ oculis habeat, & amet vt oculos suos. Nec displicet coniectura nostri Salazar [h], indicari studium lectionis, cùm præcipitur ne recedant ab oculis, vtque sint, collocenturve inter oculos illa eloquia, ob eximiam lectionis vtilitatem, de qua ipse ex Plutarcho [i], Ambrosio [k], Gregorio [l], (qui Augustini suadet lectionem) Chrysostomo [m].

f v.8. g c.4.20.21.22. h in c.4. Prou. num. 164. i in mor. k in ps.118. octon.12. l l.8.ep.52. m in ps.44.

Vers.19.] Docete filios vestros vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris.

Eadem

Paraphr. a v.7.

EAdem hæc omnia in cap.6. sunt, licèt ordine non eodem. Et quidem isti versui respondet ibi ille [a] (*& narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.*) Differentia est, quod in recitatis aliis verbis monentur patres narrare filiis, sed iidemmet patres meditari, &c. hîc autem vt filios doceant meditari: & quidem iuxta vim editionis Græcæ, vt est in codicibus Complutensibus & Regiis, illos ipsos sedentes in domo, ambulantes in via, accubantes & surgentes καὶ διδάξετε αὐτὰ τὰ τέκνα ὑμῶν λαβεῖν αὐτὰ καθημένους ἐν οἴκῳ, καὶ πορευομένους ἐν ὁδῷ, καὶ κοιταζομένους, καὶ διανισταμένους. *Et docebitis ea filios vestros, vt percipiant illa sedentes in domo, & ambulantes in via, & accubantes, & assurgentes.* At verò Sixtini codices Græci efficiunt alium sensum; vt doceant patres filios suos, vnusquisque dum sederit ipse in domo sua, &c. quod est etiam consentaneum textui Hebræo & Chaldæo. Sunt autem Græca hoc modo ibi, καὶ διδάξετε αὐτὰ τὰ τέκνα ὑμῶν λαλεῖν ἐν αὐτοῖς καθημένου σου ἐν οἴκῳ, καὶ πορευομένου σου ἐν ὁδῷ, καὶ καθεύδοντός σου, καὶ διανισταμένου σου. Vbi facilis mutatio fuit λαλεῖν, quod retineri debet, in λαβεῖν: & vt ex duabus dictionibus seu participio singulari cum pronomine, quæ retinenda etiam sunt, nempe ex καθημένου σου, componeretur vnicum participium plurale καθημένους, & sic de aliis: pro καθεύδοντός σου autem, quæ in vnius compositionem venire non possunt, assumptum est in aliis illis codicibus κοιταζομένους, eiusdem significationis cum καθευδομένους, si hoc vti dicti codices voluissent. Hebræa & Chaldæa sic redderentur (*& docebitis ea filios vestros ad loquendum*, siue *vt loquantur in eis*, seu *de eis*, seu *in ea, in sedere te*, id est, dum sederis tu, *in domo tua*, &c. Quæ ad rem porrò ipsam spectant, c.6. allata sunt: de litera nonnihil adhuc superest seorsim annotandum.

Explanatio. b v.7.

Docete filios vestros.]. In c.6.[b] (*narrabis*) Græcè *προβιβάσεις, præscribes, præmonebis, propones, præ oculis pones*, &c.) Hebraicè cum affixo ושננתם *scinnantham*, *repetes ea, inculcabis, acues, reuolues, iterabis, replicabis*, &c. In Hebræo catalogo affirmatiuorum præceptorum duodecimum est. Docere quisque tenetur filium suum legem & præcepta Dei. Et nedum filium, sed & nepotem. Et hoc præceptum etiam sapientibus quibusque datur, qui tenentur docere legem discipulos. Et qui iam à patre suo non est edoctus, tenetur ipse quo modo potest, illam discere. Et qui alium docet legem scriptam, potest accipere mercedem, non autem qui docet legem ore acceptam. Sic ibi.

Vt illa meditentur.] Dicto cap.6. (*& meditaberis in eis*) pro quo, vt ibidem dixi, habent editiones aliæ loquendi verbum, sicut hîc. De meditandi quoque verbo relege eodem loco annotata.

Quando sederis in domo tua.] Obscurior sensus, an docendi filij à patre meditari seu loqui de diuinis verbis præceptisve, dum pater sedet, sicque de sequentibus membris. Vel potiùs vt ista faciant simul cum patre, quando is sedet, &c. atque ita ipse suo exemplo doceat eos meditari seu loqui quando sederint, &c. Quid autem valeat sedere in domo, cognosces ex commentario dicti 6. capitis.

Et ambulaueris in via.] Synonymum viæ est iter: quod secundum nomen extat in eadem sententia citati loci.

Et accubueris.] Pro hoc ibi est (*dormiens*) Græcè (κοιταζόμενος) quod etsi etiam habetur hîc in Biblis Complutensibus & Regiis pluraliter in accusatiuo κοιταζομένους: in Sixtinis est aliud participium singulare in genitiuo casu, cum pronomine καθεύδοντός σου, Hebraicè, Chaldaicéque nulla ambobus in locis differentia. Accubare significat positionem iacentis vel ad dormiendum, vel ad conuiuandum pro illo more in lectis conuiuandi, quod præterea est recumbere, & accumbere, & discumbere, vel simpliciter ad quiescendum, vel ad miscendum corpus cum alio, quod aliter præterea dicunt concumbere, immò & dormire. Vltimo modo scribitur vna filiarum Lot dormiuisse cum patre & accubuisse, alia dormiuisse, & concubuisse [a]: penultimo quòd greges ouium accubabant iuxta puteum [b]. De conuiuio præter alia exempla, tritum est Christi in domo Pharisæi [c], licèt in eadem narratione sit verbum accumbendi [d]; hócque cum illo admittat significationes alias easdem; minùs tamen vltimam, vt scilicet accumbere sit rem habere cum aliquo, quod vsitatiùs dicitur concumbere. Sæpe autem discerni nequit vtrum verbum sit; quoniam & accumbo & accubo habent præteritum accubui, &c. Tam amplus ferè vsus Hebræi שכב *sciachab*, nisi quòd non ita propriè est dormire, quod potiùs dicitur ישן *iascian*, Græcè κοιτάζειν est esse in cubili, seu decumbere: & κοίτη cubile lectúsve: & aliquando concubitus [e]: quamuis actum istum exercere verbo illo significatum non occurrat. Huic loco accubare seu accumbere pertinet vniuersè ad quietem quam iacens in lecto capit, cui opponitur sequens verbum surgendi.

a Gen 19. 33.35. b c.29.3. c Lucæ 7. 37. d v.49. e Rom 9. 10. & alibi.

Atque surrexeris.] Emendati libri Græci habent, vt dixi, non διανισταμένους, quemadmodum Complutenses ac Regij, sed διανισταμένου σου, *surgente te*. In Psalmo 138.[f] sessio & resurrectio, designare dicuntur hîc præcedentem sessionem & resurrectionem; semita ambulationem in via; funiculus, pro quo Hieronymi translatio habet accubationem, quia est רבעי *ribhi* cum affixo, & quibusdam placet σχοῖνον, qui redditur *funiculus*, poni pro tegete aut storea ex iunccis palustribus, proindéque pro cubatione aliis legendum κοίτην. Qua de re ibi Agellius, nósque ipsi.

f v.2.

Vers.20.] Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ.

Paraphr. g v.9.

IAm priùs in c.6. [g] eodem pacto (*scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.*) Ibi contuli vtrumque locum, exponens vocabula rémque ipsam: nec hærendum hic videtur, dempto vno: quod Græcè pluraliter habetur γράψετε, *scribetis*, præcedente loco γράψεις, *scribes* numero singulari. Ad hunc locum habet Augustinus [h] id quod in illo citaui, refértque Hugo. *Quid est quod præcepit Moyses, commendans verba Domini, & ait: Scribetis ea super limina domorum vestrarum, & ianuarum vestrarum; cùm hoc secundùm proprietatem nemo fecisse Israelitarum commemoretur vel legatur; quia nec quisquam potest; nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commendatio est sicut multa dicuntur?* Sic ille. Per hyperbolicam commendationem exprimitur, inquit Hugo, diligentia custodiendi.

h q.17.

Explanatio.

Scribes ea.] Dixi Græcè esse *scribetis*, γράψετε.

Super postes & ianuas.] In cap. 6. *in limine & ostiis*. Ibi actum de his & similibus vocabulis.

Domus

Domus tuæ.] Vtrobique Græcè sunt αὐλαὶ τῶν οἰκιῶν καὶ τῶν πυλῶν, *limina domorum & portarum*; sed hîc plurale pronomen ὑμῶν, ibi singulare σου.

---

*Vers.*21.] Vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in Terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis quamdiu cœlum imminet terræ.

PARAPHR. Hic fructus diligentis custodiæ diuinorum verborum siue præceptorum aliquoties iam priùs propositus ac promissus; vt iuramento Dei promissa terra possideatur tam certò atque tamdiu ab Hebræis, quàm certus, constans, & immutabilis est supra vniuersam terram cœli motus, & ordinatione Dei perseuerans dies [a], & statæ anni tempestates per omnino ratam orbium cœlestium reuolutionem: ita vt cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescant [b]. Quare Hebræi si non peccassent, vsque ad mundi finem possedissent regionem Chanaan.

a p.118.9.

b Gen.8. 22.

Explanatio. *Vt multiplicentur dies tui, & dies filiorum tuorum.*] In aliis editionibus (*vestri & vestrorum*) Eiusdem phrasis multiplicandi dies vel annos aliqua alia exempla sunt; vt, *sicut* [c] *palma multiplicabo dies*: vt [d] *multiplicentur tibi anni vitæ.* Longitudo dierum [e], longæuitas seu longæuum [f] esse, longitudinitas [g] vitæ, longi dies [h], longi anni & tempora [i], longiturni dies [k]. In bonis maximis censebatur longior vita quando ex mortali transitus ad beatam non dabatur. Hinc alibi pluribus declaratum. Aliquos tamen tæduit vitæ [l] ac incolatus prolongati [m], petierúntque animæ suæ vt morerentur [n]: immò maledicere visi sunt diei natiuitatis suæ [o], præ vehementia præsentium ærumnarum: eùm posset eo etiam tempore ad moriendi desiderium incitare, si non obtinenda felicitas, quæ in aduentum Christi differebatur, certè necessitas quædam hîc Deum offendendi saltem leuiter, pericula grauiorum criminum, ipsa grauiora crimina conspecta in aliis, piorum persecutiones, &c. Egimus de pio ac iusto breuioris vitæ desiderio cùm alibi, tum ad ea Psalmi 119. [p] verba; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Problema est in hoc etiam statu legis euangelicæ, optabiliúsne sit diu, an parum viuere; quoniam hinc amor inseparabilis coniunctionis cum Deo visio, remotis peccandi obstaculis, &c. inde desiderium laborandi magis pro Deo, & merita accumulandi, consequentésque gloriæ cum gratia plures gradus. In gratiam beneficiúmque publicum seruat Deus nonnullos egregia doctrina, probitatéque præditos; si credimus Origeni apud Aquinatem [q] considerantem cur se Paulus Philemoni scribens vocet; tarò vtilis doctor inuenitur in Ecclesia (id alia occasione retuli hoc ipso libro priùs alicubi) quin sit longæuus. Affert Aquinas exemplum de Petro & Paulo; quos violenta mors abstulit, præter quos liceret alia exempla proferre, vt Ioannis Apostoli, & celebrium Ecclesiæ Doctorum, &c.

c Iob.29. 18.
d Prou.4. 10.
e pf.20.5. pf.22.6. pf. 90.16. pf. 92.5. Prou. 3.16. Thre. 5.20.
f Exod.20. 12. Eph.6.3.
g Bar.3.14.
h Prou.28. 16.
i Bar.6.2.
k c.4.31.
l Iob.9.21. c.10.1.
m pf.119. 5.
n 3.Reg.19. 4.
o Iob.3.1. Ier.20.14. 1.Mach.2.
p v.5.
q in epist. ad Phil. lect.1. in fine.

In terra quam iurauit Dominus.] De hoc iuramento promissorio, promissóve iurato incidit crebra mentio; indicans tarditatem populi in credendo, vtpote cui toties ingerenda sit memoria iuramenti diuini, nec satis videatur simplex promissum, aut semel iterúmve didicisse iuramento id esse firmatum.

Patribus tuis.] Iuxta reliquas editiones (*vestris.*) Patres autem, vt sæpe notatum est, fuerunt rum patriarchæ illi tres; tum hi ex quibus nati illi quos nunc Moses alloquitur.

Patres qui.

Vt daret eis.] Primus patriarchis non nisi in filiis; patribus eorum, quibuscum tunc agebat Moses in seipsis, nisi peccando se indignos reddidissent.

Quamdiu cœlum imminet terræ.] In reliquis editionibus (*sicut dies cœli super terram*) id est, quamdiu durabunt dies, secundùm commensurationem, mensuram, interuallum, durationem. Sic in Psalmo 88. [a] *& ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.* Ibi confirmantes eum locum per istum adiecimus ex Ecclesiastico [b] (*factum est illi* (Aaroni) *in testamentum æternum, & semini eius sicut dies cœli.*) ex Ieremia [c], *si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo* (*cunctis enim diebus terræ nox & dies non requiescent* [d]; *& ordinatione Dei perseuerat dies* [e]) *& pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes ministri mei*, rursus ex alio psalmo, nempe 71. [f] vbi perpetuitas regni Salomonici, nisi per eum stetisset, vel potiùs Christi Ecclesiæ comparatur cum sole & luna, quæ perpetuò manent. Monuimus quoque non sequi ex præsenti hoc loco nostro, cùm cessabunt dies, motúsque cœlestis, fore vt non ampliùs immineant cœli terræ, quasi cœli ac terra destruantur; sed quod non eo modo quo nunc imminebunt. Adiice ex Baruch [g]; *orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cœli super terram*, hoc est, non quidem perpetui, sed quantum ferebat conditio status, longi, constantes, vitæ vicissitudinibus quàm minimè obnoxij: postremò similis vita vitæ cœlicolarum quantum fieri potest, in tranquillitate ac fœlicitate. Illustrat in adagialibus Delrius [h] noster simili dicendi formula, poëtæ Senecæ in Oedipo, Oetæo, Troade. Propiùs ad rem facit locus secundus [i],

a v.30.
b c.45.19.
c c.33.20. 21.
d Gen.8. 22.
e pf.118.9.
f v.5.
g c.1.12.
h cen.1.adag. 124.
i actu 4. in chor.

> *Nulla te terris rapiet vetustas:*
> *Tu comes Phœbo, comes ibis astris.*

Simili porrò phrasi Ouidius [k] cecinit de aëre super aquam terrámque,

> *Imminet his aer, qui quanto est pondere terræ*
> *Pondere aquæ leuior, tanto est grauior igne.*

Item, quod

> [l] *Collis apex medijs subiectis imminet aruis.*

Et,

> [m] *Imminet æquoribus scopulus.*

k 1.Metam.
l l.7.
m l.4.

---

*Vers.*22.] Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, adhærentes ei;

*Vers.*23.] Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis sunt.

PARAPHR. Insistit Moses ac vrget accuratam vniuersorum Dei mandatorum, quæ ipsius nomine tradebat, executio-

executionem ex eiusdem Dei amore, atque studio adhærendi illi, tum voluntatum coniunctione perfecta, tum firma fiducia, sine dubio enim consecuturos promissam terram quantumlibet resistere conentur habitatores eius secundùm naturales vires & numero & robore longè superiores. Lege c.4.[a] & 7.[b] & 9.[c] *Oportet ad industriam*, inquit Procopius, *legis quoque accuratam imitationem accedere, atque ipsa ad victoriam, à gentibus spiritualibus ac sensibilibus reportandam sufficiet. Nam & nobis certamen cum imperiis, ac potestatibus, & principibus tenebrarum est.* Deinde proferens Christi verba[d]; *sine me nihil potestis facere*, subdit; *Validiores namque nobis sunt, & habitant à deserto* (spectant hæc ad sequentia) *ad Antilibanum, & Euphratem vsque, in animis ignorantia Dei laborantium, idolisque addictorum:* Dictis locis & aliis actum de gentibus Chananæorum iuxta mysticum quoque sensum.

a v.37. b v.1. & seqq. c v.2. d Ioan.15.5.

Explanatio. *Si enim custodieritis mandata.*] Non respondent Græca verbis aliarum & editionis nostræ, licèt non discrepent sensu. Nam in Hebræa & Chaldæa est (*quoniam si custodiendo custodieritis*) in Græca (*& erit si auditu audieritis*, καὶ ἔσται ἐὰν ἀκοῇ ἀκούσητε.) Additur in aliis (*omnia*) & (*hæc.*) Abulensis[e] ait, quis sequitur (*& feceritis ea*) referri posse custodire ad mandata negatiua, quia custodire est cauere ne quid fiat; facere autem ad affirmatiua; vt diuertamus, siue declinemus à malo, & faciamus bonum[f]: vel primum ad cogitationem & propositum; secundum ad executionem. Posteriorem verò expositionem quæ amplectitur genus vtrumque negatiuorum & affirmatiuorum, priori anteponit, quia relatiuum (*ea*) in his quæ sequuntur (*& feceritis ea*) exigit vt verbum vtrumque custodire & facere referantur ad idem. Hoc etiam probo; déque vi verbi custodiendi, quæ cuiuis præcepto communis est, non semel admonui. In 3. Regum[g] legitur secundùm emendatos codices, *& obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius; & præcepta eius, & iudicia, & testimonia*, &c.) Vbi quod in aliis codicibus habetur (*& obserua vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & custodias ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia.* Vbi primo loco cum paronomasia est in editionibus aliis (*custodi custodiam*, משמרתו ושמרת *sciamarsha mismerteh*, את משמרת ושמרת *ishmar ath mattarath* φυλάξεις αὐτοῦ τὴν φυλακήν. Ipsum Dei mandatum præceptúmve (synonyma namque sunt) est custodia illius, id est, dignum quod custodiatur, &c.

e q.5. f Ps.33.15.1.Pet.3.10. g c.2.3. h c.4.8 c.5. i c.6.6.c.7. 11.c.8.1.c. 30.13.c.11. 8.13. j c.4.4. k c.24.33. l Ios.8.32.c. 23.6 c.24. 25.3.Reg.2. 3.4.4.14.6. c.23.25.2. Par.8 13.c. 23.18.c.30. 16.c.31.3.c. 35.12.1.Es. 3.2.c.6.18. c.7 6.1.2.8. 1.c.10.14. c.13.1.Tob. 7.14.Baruc. 2.2. Dan.9. 11.13 c.13. 3.62. Marc. 12.26 Luc. 2.22.c.5.14. c.24 44. Ioan.7.23. c.8.5.Act. 13.38 c.15. 1 5 c.15. 23.1.Cor. 9.9.Hebr 9. 1.9.c.10.18.

Quæ ego præcipio vobis.] Græcè additur σήμερον, *hodie*. Sic priùs aliquoties[b], adiecto quoque (*hodie*) in omnibus editionibus: & sua cur mandata præceptáve dicat Moses, & se mandare vel præcipere annotauimus. Non habebat potestatem condendi legem, inquit Abulensis. Sed ipse eam recitabat populo, & ab eo videbatur recipere populus, cùm à nullo ante eum reciperet aut audiret. Quo modo Deus apud Malachiam[i] ait, *mementote legis Moysi serui mei*, & in Ecclesiastico[k]: *legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum*: multisque[l] aliis locis eodem nomine appellatur, aut liber legis Moysi, aut præceptum, aut liber, aut volumen, aut mandatum, aut mos, &c. quæ declarantur per hoc quòd legem Deus Moysi dedisse dicitur, léxque per Moysem data, &c. Alioqui lex eadem, quæ per Moysem data est, cognominatur lex Dei ac Domini, eámque dedisse scribitur sæpenumero.

A *Et feceritis ea.*] Dixi relatiuo pronomine indicari ad idem pertinere vt custodiat quis & faciat mandata, nec propriè hoc ad affirmatiua, illud ad negatiua referri debere.

Vt diligatis Dominum Deum vestrum.] Et hoc notatum: cur cùm diligendus esset in lege etiam vetere Deus, nouæ attribuatur dilectio amórque; illi timor, & seruitus.

Et ambuletis in omnibus viis eius.] Omittens *omnes* Chaldæa paraphrasis, explicat vias quæ rectæ sunt coram eo, דתקנן קדמוהי *dethakkenan kodamohi*. Lege cap.8.[a] & 10.[b] Ambulari potest in omnibus viis Domini, ac incedi in omnibus mandatis & iustificationibus illius sine querela[c]: immò salus illius gratia & amicitia, nullum præceptum violari propriè valet: sed qui delinquit in vno, factus est quátum ad hoc, omnium reus[d], vt aliàs[e] ostendimus. Monet id quoque Abulensis; simul autem, ne quis ex hoc assumat occasionem peccandi; quia multum refert semel vel multotiés peccasse. Nam qui semel peccauit, faciliùs reducitur ad bonum, & gratiam consequitur; si verò damnetur, minore supplicio afficitur.

a v.6. b v.12. c Luc.1.6. d Iacob.2.10. e ibidem.

Adhærentes ei.] Secundùm reliquas editiones (*& adhæreatis ei.*) De hac adhæsione c.4.[f] & 10.[g] Vtique habent editiones aliæ verba eadem præter Græcam, quæ c.4. vtitur participio προσκείμενοι: alibi verbo κολλᾶσθαι, aut προσκολλᾶσθαι. Adhæsionem attendit Abulensis in constantia boni operis, ac ne quis ex motu inanis gloriæ, inuidiæ, similisve vitij: aut ob quamlibet tentationem, & laborem recedat à viis Domini.

f v.4. g v.20.

Disperdet Dominus omnes gentes istas.] Deest coniunctio ante verbum in editione nostra. Gentes istas veluti digito demonstrat, vel tanquam benè notas per pronomen demonstratiuum designat. Sunt autem septem Hethæorum, Gergezæorum, Amorrhæorum, Chananæorum, Pherezæorum, Heuæorum, Iebuzæorum. Memini c.9.[h] in simili sententia Caietanű reddere והורשתם *veborasthem, & hæreditabis eos*, pro quo est disperdere, & ἐξολοθρεύσει. Idem diceret de loco nostro, In quo וירישתם *virisltham*, & ἐκβαλεῖ, *eiiciet*. Sed quamuis admittat eam notionem Hebræum verbum, non consentit verbis aliarum editionum modò dictarum, nec verbo Chaldææ cum coniunctione ויתרך *vitharech*, & præterea cum affixo ויתרכינון *vethebarechinnun, eiiciet eos.*

h v.3.

Ante faciem vestram.] Eodem pacto superiore loco; explicátque in hoc Vatablus, sub aduentum vestrum, siue vt primùm adueneritis, simul ac comparueritis, ad solum vestri conspectum. Abulensis antequam omnino intraueritis.

Et possidebitis eas] Id est, terram eorum, ait idem Abulensis; nam gentes nullo modo poterant possidere, quia mandauerat Deus vt occiderentur[i]. Sic nono[k] capite possessuri dicuntur Hebræi nationes.

i c.7.16. Num.33.53. k v.1.

E *Quæ nationes maiores & fortiores vobis sunt.*] Eodem modo ibidem cognominantur maximæ & fortiores. Multitudine ac viribus erant superiores, vt ibidem dictum est, atque alibi.

Vers. 24.] Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. A deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate vsque ad mare occidentale erunt termini vestri.

Describitur

PARAPHR.

DEscribitur amplitudo terræ promissæ quæ continebatur intra septem præcipuas gentes nationesve Chanaan; quia terram Moab, & Ammon, per quas transiebant Hebræi, possidere vetiti fuerant, vt c.2.[a] dictum est. in c.1.[b] Iosue repetitur eadem ac iisdem ferè verbis sententia. *Omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. A deserto & Libano vsque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hebræorum vsque ad mare magnum contra Solis occasum erit terminus vester.* Meridionalis pars erat desertum Sin seu Pharan: partem Septemtrionalem terminabat mons Libanus: Euphrates erat versùs Orientem: mare occidentale aliter vocabatur mediterraneum. Hos omnes terminos occupaturi ac possessuri erant Hebræi tempore suo; quod contigit sub Dauide & Salomone[c], vt notant Lyranus, Abulensis, Rickelius, Sa, Marzilla: quod tamen de plena possessione verum non est, sed tantùm quoad aliquas partes de exacto vectigali siue tributo, obstantibus peccatis plenæ possessioni. De amplitudine totius regni Hebraici seu Iudaici alibi actum est, atque quo pacto Dardano scribens Hieronymus[d] eiusdem angustias describat. Falluntur quos refert Lyranus[e] ac refellit, postque ipsum Abulensis[f], Serarius[g] noster, alij, interpretatos quod hîc habetur ac in simili citato loco Iosue, promissam sibi terram totam habitabilem, & quodammodo id esse completum sub Salomone, cui facti fuerint omnes reges terræ tributarij, & cuius vultum vniuersa terra videre desiderabat[h]; & cui reges Tharsis & insulæ munera obtulerunt, reges Arabum & Saba dona adduxerunt, & quem adorauerunt omnes reges terræ[i]. De regno Christi locus psalmi exponi solet, vt in eiusdem vidimus commentatio[k]: Salomonem iam senem hostes oppugnarunt: desideratus est vultus eius addiscendæ sapientiæ ipsius causa, vt nominatim de regina Saba proditur[l]: allata munera non tributi nomine, sed titulo beneuolentiæ, quod eadem regina Saba fecit. Topographi longitudinem terræ sanctæ siue Chanaan, siue Palæstinæ assignant 67. leucarum, latitudinem 16. & alicubi 18. alij primam 120. secondam 26. leucarum: quidam primam 53. dumtaxat, &c. intra videlicet hic positos terminos, quibus similes in Exodo[m]; *ponam terminos tuos a mari rubro vsque ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium.* Habebat enim ad meridiem terra promissa mare rubrum quasi limitem; ad occidentem mare Palæstinorum siue mediterraneū, ideóque sæpe in Scriptura per mare significatur occidens; versùs Orientem deserta Arabiæ inter hanc & Ægyptum: ad Septentrionem Euphratem, qui per antonomasiam nominatur absolutè fluuius. Dominicus[n] Bannes meritò confutat Ioannem Genesium Sepuluedam contendentem debellari posse omnes Gentes titulo solo idololatriæ: probantem verò ex isto loco quasi detur Hebræis potestas possidendi vniuersum orbem. Inde autem videtur admittere[o] illationem de occupatione prædæ in bello iusto.

a v.4. & seqq.
b v.3.4.
c 2.Reg.8.3.1.3.4.6.10. & seqq. 1. Par.8.7.
d ep.129.
e in Ios.1.
f ibid.q.22.
g ibid.q.6.7.8.9.
h 3.Reg.10.24.
i psal.71.11.
k 3.Reg.11.14. & seqq.
l 3.Reg.10.1.2.Par.9.1.
m c.23.31.
n in 2.2.q.10 dubit.4. post 6.conc.
o ibid q.40.a.1.dub.19.

Explanatio.

Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.] Citatus ex Iosue[p] locus in editione nostra (*omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam*; iuxta editiones alias exprimitur iisdem verbis quibus hic noster, excepto vltimo (*erit*) pro quo ibi est (*dedi eum* נְתַתִּיו *nathathiu* יְהִיבְתֵּיהּ *iehibtheh*) vel (*dabo, δώσω αὐτὸν*) & potuit hic quoque verti כַּף רַגְלְכֶם *chaph raglechem*, quod vtrobique est, *vestigium pedis vestri*, Græcè τὸ ἴχνος τοῦ ποδὸς ὑμῶν:) Chaldaicè (*planta pedis vestri*, פַּרְסַת רַגְלְכוֹן *parsath raglechon.* Vox כַּף *chaph* accommodatur manibus & pedibus: ac interdum de manibus redditur per volam aut palmam, immò synecdochicè per manum: de pedibus per plantam, vel etiam illa eadem figura per pedes. & alia figura catachresis per manus acceptas pro pedibus vt de brutis dicuntur, quemadmodum in Leuitici c.11.[a] *quod ambulat super manus ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, &c.* עַל כַּפָּיו *hhal chappau*, ἐπὶ χειρῶν αὐτῶν, עַל יָדָיו *hhal iedaiu*, quam item figuram vsurpant de vrsis ac simiis Oppianus[b], Plinius[c], Galenus[d], &c. Lege Leuitici commentarium. Calcandi porrò verbum דָּרַךְ *darach*, πατεῖν, *militare*, bellicum, vincentis, triumphantis est, vt[e], *conculca anima mea robustos*; *calcabit*[f] *Dominus super excelsa terræ.* Atque id hoc loco innui vult Pineda[g] noster. Verùm etiamsi admittatur in aliis eiusmodi notio, videtur hîc simplex introitus ingressúsve in terram denotari, quamuis armis quoque aliquando fuerit opus. Nam quòd terra calcata, id est, debellata à te tua sit, nihil mirum. in cap.1.[h] audiuimus dicentem Deum de Caleb; (*ipse videbit eam terram, & ipsi dabo terram quam calcauit, & filiis eius*) vbi est דָּרַךְ *darach*, sed Græcè ἐπέβη, *ascendit*, vel *iniit*, & in c.14.[i] Iosue de eodem Caleb (*terra, quam calcauit pes tuus*) דָּרְכָה רַגְלְךָ *darechah raglechah*, Chaldaicè *planta pedis tui*, פַּרְסַת רִגְלָךְ *parsath riglach*: Græcè (*ad quam ascendisti*, ἐφ᾽ ἣν ἐπέβης) *erit possessio tua & filiorum tuorum in æternum.*) At vi, bello, armis Caleb non occupauerat terram. Rursus in libri nostri c.2.[k] *neque enim dabo vobis de terra quantum potest vnius pedis calcare vestigium*, עַד מִדְרַךְ כַּף־רָגֶל *hhad midrach chaph reghel*, עַד מִדְרַךְ פַּרְסַת רֶגֶל *hhad midrach parsath regal*, οὐδὲ βῆμα ποδός. Citaui eo loco alium locum ex actibus[l] Apostolorum (*non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis*, οὐδὲ βῆμα ποδός: & alia protuli ad rem præsentem vtilia. Eodem potest spectare quod Psalmo 59.[m] docuimus in illud; *in Idumæam extendam calceamentum meum* (licèt quidam exponant de hostilium conculcatione, seu subiugatione hostium colla eorum calcando) & quòd possessio initi diceretur pedum positione: & quod inferiùs cap.33.[n] cùm ferrum & æs calceamenta vocantur, insinuari velint aliqui armis obtinendam possessionem: & quòd cedens iuri de vxore ducenda, calceamentum de pede tollebat[o], amittens simul ius possessionum, quæ tali mulieri innexæ erant. Nec proposito non congruit ibidem tradita tropologia Hugonis; calceamentum extendi à iusto in Idumæam, quando calcat contemnítque mundum, & quidem mortis memoria, corio designata; quæ benè munit pedes affectuum; ita vt quidquid calcat, meritò suum censere valeat; tanquam subditum sibi, subiectum, suppositum, substratum, quantiuis æstimentur ab aliis, vt sunt opes, honores, dignitates, deliciæ, &c. Sic illi primi discipuli pedibus Apostolorum facultatum pretia supponebant[p]: de quo ritu nos in eorumdem historia[q]. Apostolis quoque licuit quas conuerterant singuli, quasi in eas extensis calceamentis, suas quodammodo ac suæ subiectas ditioni auctoritatique peculiari reputare. Videri potest Paulus id innuere scribens Corinthiis[r]; *nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos: vsque ad vos* enim

p c.1.3.
a v.27.
b de anim.
c l.8.c.36.l.11.c.44.
d 6.anat.c.1.
Calcandi verbum.
e Iud.5.21.
f Miche.1.3.
g In Iob.9.
h v.36.
i v.9.
k v.5.
l c.7.5.
m v.10.
n v.25.
o Deut.25.5.& seqq. Ruth 4.5.& seqq.
p Actuum 4.35.
q ibidem.
r 2.Cor.10.13.14.

enim peruenimus in Euangelio Christi. Bernardus[a] magnos audere magna docens, & quæ audent obtinere, confirmat hoc quasi verbo promissionis; *quemcumque locum calcauerit pes vester, vester erit. Magna si quidem fide*, ait, *magna meretur: & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Videtur similem sententiam Albertus[b] Magnus ex Bernardo mutuatus de pede spei. Illustrat verò Bernardus exemplis Moysi qui petiit ostendi sibi Deum[c]; Philippi, Patrem[d]: Dauid faciem Domini requirentis[e]: Thomæ, nisi sua manu tangeret vulnus, & fossum latus, credere recusantis[f]: quibus omnibus pro voto ac desiderio satisfactum est. Iterum Bernardus[g] producto eodem hoc loco; *pes vester*, inquit, *vtique spes vestra est* (paronomasiam quandam habent pes & spes) *& quantumcumque illa processerit (tanquam pes) obtinebit: si tamen in Deum tota figatur, vt firma sit, & non tota titubet. Quid timeas aspidem, aut basiliscum, quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expauescat? nimirum cui datur super hæc ambulare, illaque conculcare[h]: datáque potestas calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, vt nihil noceat[i].* Origenes[k] locum isti similem in libro Iosue explanans, obseruat quasdam aduersariarum potestatum gentes diabolicas esse, aduersùs quas nobis certamen geritur, & agones in hac vita desudantur. *Quantascumque ergo*, inquit, *ex iis gentes pedibus nostris subdiderimus, quantoscumque in certamine vicerimus, ipsorum regiones, ipsorum prouincias, & regna Iesu* (Iesum qui & Iosue ad nostrum Iesum applicat) *nobis distribuente capiemus. Tale*, ait, *regnum Luciferi qui de cælo cecidit[l]; & vinci passi ac subiici pedibus nostris, conterente eum Domino sub illis[m], atque consequenter locum illius accipi in cælis; quà non potest intrari ab otiosis, negligentibus, oscitantibus, dormitantibus.* Adiicit iram suæ gentia Angelum habere, eodémque pacto superbiam, auaritiam, libidinem, &c. quæ vitia nisi vicerimus, déque terra nostra exterminauerimus, nullo modo plenitudinem repromissæ hæreditatis accepturi simus. Affectu amoris diuini Theodoretus[n] asserit omnia simul terrena contemni, conculcari autem omnes voluptates corporis, despici opes, gloriam, honorem, valetudinem, &c. His extant similia ex Apollinario in catena Græca m. s. Addi potest vt singulari beneficio Dei, & prona etiam hominum locupletum voluntate ac potentum, qui sponte propter Deum calcant externa hæc bona, iis non modò non egeant, sed etiam abundent, atque centuplum in hoc etiam tempore consequantur[o], ac qui terrenis affectibus siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quo plus in eius amorem profecerit, eo plures inueniat, inquit Beda[p], qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantiis. Denique Christus exaltatus à terra, traxit omnia ad seipsum[q]: Maria amicta sole, & lunam habens sub pedibus[r], omnium sublunarium domina est, immò & cœlestium. Franciscum depingunt aliqui pede calcantem mundum; quod maximè facit studens paupertati spiritus, hac ratione cõterens caput serpentis[s], quod est superbia vitæ cum concupiscentia carnis oculorúmque[t].

A deserto.] Per absolutum deserti nomen intelligitur id quod & vastissimum erat, & Hebræis notissimum, atque cognominatum Pharan, Sin, Cades: designátque hîc meridionalem plagam.

a serm. 32. in Cant.
b lib. de adhærendo Deo.
c Exod. 33. 13.
d Ioan. 14. 9.
e ps. 26. 8.
f Ioan. 20. 25.
g serm. 15. in ps. 90.
h ps. 90. 13.
i Luc. 10. 19.
k hom. 1. in Iosue.
l Esa. 14. 12.
m Rom. 16. 20.
n orat. de carit.
o Marc. 10. 30.
p hom. de S. Benedict.
q Ioan. 12. 32.
r Ap. 12. 1.
s Gen. 3. 15.
t 1. Ioan. 2. 16.
Desertũ pro plaga meridionali.

A Libano.] Græcè est ἀντιλιβάνου, quemadmodum c. 1.[a] & 3.[b] vnde repetenda quæ huc spectant. Terminus erat, plagáve Aquilonaris.

A flumine magno Eufrate] Scribi debuit (*Euphrate*) sicut alibi sæpiùs. Magni epithetum non habent editio Hebræa & Chaldæa, sed bis nomen נְהַר נְהַר *nahar nehar*, נַהְרָא נַהְרָא *nahra nahra*, quæ ingeminatio augmentum denotat: Græcè bis repetitur ποταμός, & præterea μεγάλου epithetum. De repetitionis variæ vsu Martinus Cantapetrensis[c], & Salmeron[d] noster ex Patrum sententia cum exemplis. De ipso Euphrate flumine actum est c. 1.[e] cùique cognominetur magnum tum hîc, tum alibi[f]. Memorabile est quod à Cyro siccatum tantum flumen proditur tum Tygri, aut miraculo id etiam factum, vt ea ratione posset Babylonem facilè inuadere. Secundum de vtroque affirmat Aquinas[g]: primum de Euphrate Xenophon[h] & Herodotus[i], quos citat Pererius[k], quibus Orosium[l] adde citatum item ab Alcasar[m] nostro, & Zonaram[n], Theodoretum in Ieremiæ c. 50. Lyranum, aliósque ibidem: refert verò Herodotus[o] id priùs à quadam Babylonis regina factum fuisse. Illud porrò quod de siccato Euphrate dictum est, insinuatum Aquinas[p] vult verbis illis Esaiæ[q]; *aperuit Dominus ante Cyri faciem ianuas*: Antonius[r] Gueuara, etiam quoque Xenophontem, ac Herodotum, ab eodem Esaia, cùm scribit[s]: *qui dico profundo, desolare, & flumina tua arefaciam*; & à Ieremia[t]; *siccitas super aquas eius erit, & arescent; capta est ciuitas, & vada præoccupata sunt, & paludes succensæ sunt igne.* Quin etiam iidem prophetæ, ob amplitudinem huiusce fluminis (quod absolutè interdum per nomen fluminis intelligitur[u]) mare appellant, attingentes adhuc Babylonis ruinam[x]: *onus deserti maris; ascende Ælam, obside Mede, Babylon posita est mihi in miraculum; pone mensam, contemplare speculam; comedentes & bibentes; consurgite principes, arripite clypeum. Desertum[y] faciam mare eius, & siccabo venam eius, & erit Babylon in tumulos.* Huius latitudinem Xenophon[a] esse ait plusquam ad duo stadia, profunditatem tantam, vt nec duo quidem viri alter super alterum stantes, super aquam emineant. Sed vincitur ab aliis magnitudine, vt a Nilo, de quo nuper dixi; quem tamen etiam retuli exaruisse aliquando sub Galieno, vt scripsit Nicephorus[aa]. Tygrim non videtur quare coniungat Aquinas[bb], cùm absit longissimè à Babylone. De tanto autem siccati repentè fluminis Euphratis miraculo nullum verbum qui de gestis Cyri scripserunt: nec ab Aquinate memoratur vt miraculum, sed tanquam in historia traditum.

Vsque ad mare occidentale.] Hebraicè אַחֲרוֹן *acharon*: posterius, vltimum, nouissimum: quia terminus vltimus terræ sanctæ à parte occidentali: vel relatiuè ad alia maria, inquit Oleaster post Abulensem, nempe Tyberiadis & mortuum; quæ cùm sint orientalia, priorem locum obtinent in enumeratione terminorum, qui ab orientali parte solent incipere. Aliter vocari notat Eugubinus mare Ægyptium & Cyprium: atque ab Ægypto attingere Assyriam totam. Appellatur præterea mare mediterraneum; necnon Palæstinorum, quia horum ciuitates erant sitæ ad litus illius, inquit Abulensis. Glossa interlinearis desertum attribuit meridiei: Libanum septemtrioni: flumen Euphratem Orienti: mare autem occidentale mediterraneum cognominat,

a v. 7.
b v. 25.
c 5. hypo. c. vlt.
d to. 1. prol. 10. quinq. 2. can. 13.
e v. 7.
f Gen. 15. 18. Ios. 1. 4. Ap. 9. 14. c. 16. 12.
g 3. de regi. Prin. c. 7.
h 7. Cyri pæd.
i l. 1. § 34 & 35.
k lib. 6. in Dan.
l lib. 2. c. 6.
m in Apoc. 16. 12. not. 2.
n 2. annal.
o supra.
p c. 45. 1.
q supra.
r in Abac. 2. n. 135. & seqq.
s c. 44. 27.
t c. 50. 38.
u Ios. 23. 3. Reg. 21. ps. 71. 9.
x Esa. 21. 1. 4.
y Ier. 51. 36.
a supra.
aa lib. 6. c. 19.
bb supra.

pro quo Tyrrhenum mendosè ponitur apod Hugonem; apud Rickelium verò simul eum mediterraneo Tyrrbeuum: boc enim nomen est maris particolariaio Italia. In Psalmo 71.[a] & in Zaebatiæ cap.9.[b] dominatus à mari vsque ad mare, intelligitur à mari rubro vsque ad mediterraneum: sicut à flumine fluminibúsque vsque ad terminos terræ seo orbis terrarum, à flumine Euphrate, qui Orientalis est Iudæis, & quadam ex parta Septemtrionalis. Sed Christo soli propriè tale vaticinium conuenire in dicti psalmi commentario demonstratum est.

a v.8.
b v.10.

Erunt termini vestri.] Sic quoque Græcè (τὰ ὅρια ὑμῶν) Hebraice, & Chaldaicè singolari numero (*terminus vester*, גְּבֻלְכֶם *gheuulchem*, תְּחוּמְכוֹן *thechumechon*.) Sed periude est.

---

*Vers.*25.] Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

PARAPHR.

NE desperaret popolus, vt ipsius maiores tot retrò annis, deterriti ab exploratoribus, propterráque in deserto mortui[c], obtenturum se adeò amplam terram, à magis oumerosis fortioribúsque gentibus inhabitatam, iubet bono animo Mosea esse; quoniam Dominus Deus eius perterrefacturus esset illas, & effecturus, vt quam calcaret ipse terram, faceret suam, quemadmodum paulò antè promissum est eiusdem nomine, de terrore autem atque formidine, hostibus iniiciendo, multò antè. *Terrorem meum*, ait Deus in Exodo cap.23.[d] *mittam in præcursum tuum*, &c. Vbi mentio de crabronibus. Et c.2.[e] libri nostri: *hodie incipiam mittere terrorē atque formidinem in populos qui habitant sub omni cælo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Ibi satis multa de re vocabulísque tractauimus, allatis quoque diuersis aliis diuinarum literarum testimoniis; profanarum verò præterea tum sententiia tum exemplis: quibus iungi possunt dicta Leuitici c.16.[f] de pauore iniiciendo inobedientibus Hebræis reperi autem superuacaneè nou debent.

c Num.13. & 14.
d v.27.& seqq.
e v.25.
f v.36.

EXPLANATIO.

Nullus stabit contra vos.] In reliquis editionibus (*non resistet quisquam*, aut *non stabit vllus coram facie vestra*; *non statuet se contra faciem*, vel *coram vobis*, לֹא־יִתְיַצֵּב אִישׁ בִּפְנֵיכֶם *lo itiatseb is biphnechem*: לָא יִתְעַתַּד אֱנָשׁ קֳדָמֵיכוֹן *lo ithhhatthad enos kodamechon*: οὐκ ἀντιστήσεται οὐδεὶς κατὰ πρόσωπον ὑμῶν. Eadem phrasis c.7.[g] & 9.[h] & alibi.

g v.24.
h v.2.

Terrorem vestrum, & formidinem dabit Dominus Deus vester.] Græcè (*imponet* ἐπιθήσει.) De terrore atque formidine cum aliis nominibus synonymis lege cap.2.[i] Terrorem & formidinem vtrobique intelligere oportet, non quo corriperetur populus, sed quo alij metuentes ipsum: sicut terror ac tremor hominum dicitur esse super animalia[k], &c. aut irruere timor alicuius, pauórque in aliquem, seu inuadere aliquem, vel Dei, vel aliorum. Nam & dare scribitur Deus pauorem in cordibus populi sui inobedientis[l], vt ante dixi. Petens à timore inimici eripi animam suam[m], intelligit de illo quem incutit inimicus, non qui sit in inimico. Consule illius loci commentarium meum. Augustinus autem in locutionibus ad præsentem locum, legens (*timorem vestrum & tremorem vestrum imponet Dominus Deus vester super faciem vniuersæ terræ*) non timorem, inquit, & tremorem, quo ipsi timent & tremont, sed quo timentur, & alios tremere faciunt. Distinctio Abulensis non videtur vera; vt terror sit timor non valdè magnus; formido magnus timor, qui hominem stupidum vel immobilem reddat. Augustinum audiuimus vtentem boc loco nominibus aliis timoris & tremoris. Procopius obseruat hominibus & dæmonibus nihil esse terribilius quàm iustum; cum quo feræ quoque agrestes, diuinæ imaginis notam agnoscentes, paciscuntur.

i v.25.
k Gen.9.2.
l Leu.26.36.
m ps.63.2.

Super omnem terram.] Ex aliis editionibus (*super faciem omnis terræ.*) Metonymicè terra sumitur pro habitatoribus: nec enim terretur propriè terra, vel formidat. Valdè vsitata est ea terræ acceptio, vt significet habitatores ipsius. Sic exempli gratia, ingredi viam vniuersæ terræ[a], est more aliorum hominum mori; turbari terram[b], vel moueri seu commoueri[c], consurgere[d], vocari[e], iubilare[f], laodare[g], suscitari[h], sustinere sermones[i], audire[k], &c. hoc est, homines.

Terra pro habitatoribus.

a Iosu.23.14. 3.Reg.2.2.
b 1.Reg.14.29.
c 1.Par.16.30. ps.45.7. ps.95.9. Ioel.3.16.
d Iob.20.27.
e ps.49.1.
f ps.65.2. ps.97.4. ps.99.1.
g ps.68.35.
h Esa.45.8.
i Am.7.10.
k Ier.6.19.
l v.27.28.

Quam calcaturi estis.] Hic est idem verbum omnium editionum quod in versu præcedente absque nomine pedis, aut vestigij pedis. Significatur verò introitus in terram, cuius habitatores terrendi sint; ita vt resistere nequeant. Glossa interlinearis terrenitatem calcari dicit, ne superbiat.

Sicut locutus est vobis.] Additur Græcè κύριος, *Dominus*. Locutus verò id narratur Deus in Exodi priùs citato c.23.[l] *terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingrederis: cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius qui fugabunt Heuæum*, &c.

---

*Vers.*26.] En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem:

*Vers.*27.] Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

*Vers.*28.] Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis.

PARAPHR.

PRæmij spe, timoréque pœnæ allici homines soient, præcipuè minùs perfecti, quos honesti amor; vel veneratio diuinæ majestatis, eiúsve beneficia quæ contulit, ac semper confert, non permouent. Idcirco vaticinatur Moses populo tradl duróque prospera & aduersa, quæ ex Deo benedicente & maledicente pendēt, id est, bona, vel mala largiente, prout sese ad illius præcepta morigerū vel immorigerum præbuerit. Tali admodum aculeato, vrgentéque sermone vtitur Moses adhuc c.30.[m] *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum*, &c. *Testes inuoco hodie cælū & terrā, quòd proposuerim vobis vitā & mortem, benedictionem & maledictionē.*

m v.15.& seqq.

Elige

Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, &c. Probant efficaciter hæ sententiæ libertatem arbitrij nostri ad bonum & malum (colligit id hoc loco Glossa interlinearis) vt & illa inter alias ista sua [a]. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, &* (nempe si volueris) *in perpetuum fidem* (fidelitatem) *placitam* (Deo) *facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi, quoniam multa sapientia Dei*, (in condendo homine libero) *& fortis in potentia* (vt reddat cuique prout ipse promisit, ille autem meruerit) *videns omnes sine intermissione* (ita vt nullus ac nihil latere ipsum possit.) Cæterum promissis suis conditionem præfert similem crebrò adhibet, dummodo ipsi pareant; vt inferius c.19. [b] Iosue 24. [c] Esaia 1. [d] (vbi exprimitur si voluerint, aut noluerint) 4. Regum 21. [e] Procopius hoc loco vitam & mortem cum benedictione comparans & maledictione, ait vitamque etiam insinuatam per ignem, per quem oracula prolata sunt; vt obedientes lumen sint habituri, inobedientes ipsum ignem, id est, ardorem eius.

a Eccl. 15. 14. & seqq.
b v. 8.
c v. 20.
d v. 20.
e v. 8.

Explanatio.

En propono in conspectu vestro hodie.] Hebraicè & Chaldaicè (vide ראה *reeh*, חזי *chaze*: additurque in editione vtraque & in Græca pronomen *ego*,) sumi autem (*vide*) pro (*en* seu *ecce*) alibi notatum est. Loco verbi (*propono*) in iisdem editionibus aliis est (*dans* נתן *nothen*, יהיב *iaheb*) vel (*do* δίδωμι.) Proponere se hodie dicebat Moses, quia amplius victurus non erat, qui tamen paulò post mandauit [f] vt ponerent cùm intrarent in terram promissionis: nec sensus est, ait Abulensis, quòd ipsemet poneret; quia ponere benedictionem & maledictionem super aliquem est potestatem habentis, cùm sit idem ac bona dare, maláque infligere; sed ponere erat idem ac prænunciare siue pronunciare; quemadmodum priùs in cap. 4. [g] atque cap. 30. [h] Denique proponere in conspectu populi, est proponere in arbitrio & libera electione, ait Leonardus Marius: sicut terram esse coram aliquo [i], est esse in illius arbitrio ac potestate, item, quod aliter dicitur terram coram aliquo esse, vt vbicumque ipsi placuerit, habitet [k].

f v. 29.
g v. 25 & seqq.
h v. 19.
Proponere in conspectu populi quid.
i Gen. 13. 9.
k c. 20. 15.

Benedictionem, & maledictionem.] Pluraliter in editione Chaldæa benedictiones & maledictiones, ברכן ולוטין *birchan vlnatin*. Felicitatem & infelicitatem, prospera & aduersa his vocibus denotari, notissimum est. Tertullianus [l] ex hoc loco quem sic recitat (*ecce posui ante te*, &c.) argumentatur aduersùs Marcionem ab eodem Deo, & benedictionem esse posse & maledictionem; vt non sit distinguendus Deus veteris Testamenti vt auctor maledictionis; qui ipse Filium quoque tradidit maledictioni [m]; sed in gratiam nostri.

l 5. cont. Marcion. c. 3.
m Deut. 21. 23.

Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri.] Benedictiones pluraliter sunt in editione Chaldæa, sicut priùs ית בִּרְכְתָא *iath birchatha* pro *obedieritis*) habent editiones aliæ (*audieritis* תשמעון *thishmeuhn*, ἀκούσητε) aut (*receperitis* תקבלון *thekabbelun*. Idem sensus; audire namque apud Latinos non infrequenter eamdem vim habet, quam obedire, quique recipit & acceptat mandata, iis obedire censetur.

Audire, est quod obedire.

Quæ ego præcipio vobis hodie.] Mandata Domini Dei erant, quæ tamen præcipiebat Moses: sed illius nomine, ac auctoritate, vel potiùs denunciabat, quemadmodum de benedictione atque maledictione dictum est.

Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri.] Omisit Interpres initio (*&*) Chaldæus pariter, vt antè vsurpauit (*benedictiones* ולוטין *lewatin*) Græci codices Complutenses & Regij compositum εἰσακούσητε, cuius eadem significatio atque simplicis ἀκούσητε. Expressa repetitio mandatorum momentum continet, cùm potuisset breuiùs dici (*si non obedieritis.*)

Sed recesseritis de via.] Et hoc facit ad magis declarandam inobedientiam, quamque refugiat obedientia mandatorum diuinorum; cùm ea esset vnica & necessaria via consequendi promissam terram, multo autem magis gratiam, & æternam felicitatem. Vt propterea sæpe per nomen viarum intelligantur Dei mandata; quæ volens ad vitam ingredi seruare debet [a]. Aberrationem significat hoc loco πλανηθῆτε.

Viarũ nomine mandata Dei intelligi.

Quæ ego nunc ostendo vobis.] Nunc positum est pro (*hodie*) quod æquè hic est vt antea, editiones reliquæ habent (היום *hayom*, יומא *ioma*, σήμερον:) & ostendo pro (*præcipio*) quod erat priore versu in aliis editionibus, מצוה *metsaueh*, מפקד *mephakked*, ἐντέλλομαι. Fortassis data opera vsus est Interpres hoc verbo; vt intelligeretur præcipere Mosis nihil aliud fuisse, quàm ostendere quæ præcipiebat Deus: Eodem pacto in Exodo [b] (*recesserunt cito de via quam ostendisti eis*) Hebraicè & Chaldaicè præcepi eis צויתם *tsiuuithem*, פקדתינון *pakkedithinnun*; sed Græcè in Sixtinis Bibliis (ἐνετείλω, *præcepisti*) licèt habeant alia (ἐνετειλα, *præcepi*:) Sed & cap. 9. [c] libri nostri quod legimus (*vidissemque*, &c. *deseruisse velociter viam eius Domini*) (*quam vobis ostenderat*) scribitur ab aliis per verbum præcipiendi צוה *tsiuuah*, פקד *pakked*, ἐνετείλατο. Eodem loco paulò antè [d] (*deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis*) iuxta editiones Hebræam & Chaldæam (*præcepisti eis*, צויתם *tsiuuithem*, פקדתינון *pakkedithinnun*) iuxta Græcam (*præcepisti*, ἐνετείλω.) Vt de Deo dicitur quòd ostenderit, quamuis reuera præceperit, ibi [e] notaui solam significationem quamuis voluntatis Dei viro pio instar præcepti esse solere.

a Matth. 19. 17.
Nunc, pro hodie.
b c. 32. 8.
c v. 16.
d v. 12.
e v. 16.

Et ambulaueritis post deos alienos.] Ambulandi verbum respondet recessui seu aberrationi de via recta, per quam incedentes colunt Deum verum religione, atque obseruatione mandatorum eius, transeundo ad aliam peruersam viam, per quam ambulantes colant falsos deos. Id expressiùs Græca denotant, πορευθέντες λατρεύειν θεοῖς ἑτέροις, *ambulantes vt coleretis deos alios*; siue *alienos*. Ambulare post deos, occurrit sæpiùs in vetere Scriptura, vix semel iterúmque in bono sensu [f]: in noua aliquoties ire post Christum [g].

f 4. Reg. 23. 3. Oseæ 11. 10.
g Matth. 4. 19. c. 16. 24. Marci 1. 17. Luc. 9. 23. c. 14. 27.

Quos ignoratis.] In editionibus aliis (*non cognouistis*, לא ידעתם *lo iedaahthem*, לא ידעתון *lo iedaathun*, οὐκ οἴδατε. Ignorabant alium esse præter vnum verum Deum: nec alius antea notus fuerat iis saltem qui tunc viuebant, & non interfuerant adorationi vituli: nullus mirabilia operatus fuerat per quæ innotesceret. Vel denique iuxta institutionem rectam quæ tradita ipsis fuerat, alium nosse, credere, colere non debebant. In cap. 29. [h] cauetur ne quando possit Hebræis obiici, quòd seruierint diis alienis, & ado

h v. 26.

& adorauerint eos quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi, id est, dedicati, nec antea coluerant eos: aut qui nihil iis tribuerant, nullàque ab iis beneficia acceperant: aut qui nequibant ipsis benefacere; aut quibus dati non sunt in custodiam, famulatum, hæreditatem; sed subtraxerunt se sacrilegè, alienis se subiiciendo. In c.32.[a] queritur Moses, immolatum dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant; nouis quoque & recentibus, quos non coluerant patres eorum. In aliquot demum aliis locis libri nostri [b] coniunguntur dij alieni & qui ignorantur: necnon & apud Danielem [c] semel, qui & alienum iungit Deo cognito [d]. *Ego Dominus Deus tuus*, ait ipsemet apud Oseam [e], *ex terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & saluator non est præter me. Ego cognoui te in deserto, in terra deserta.* & in quodam Psalmo [f]: *Audi populus meus, & contestabor te Israel si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.*

a v.17.
b 13.2.6. 13.c.28.64.
c c.11.38.
d v.39.
e c.13.4.5.
f psl.80.9. 10.11.

Vers. 29.] Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal.

Paraphr. Benedictionem atque maledictionem, quas versu 26. proponere se Moses dixerat, proponendas ac recitandas ait postea suo tempore, cùm populus iam ingressus fuerit promissam terram: in monte Garizim benedictionem siue quæ ad eam spectant; maledictionem quæque pertinent ad illam, in monte Hebal; distributis in vno sex, totidem tribubus in alio, quæ ad illa, & ad ista cùm pronunciabantur à Leuitis, respondeant, *Amen*; prout fusè continetur cap. 27. & 28. libri præsentis; & executioni mandatum narratur sub Iosue 8.[g] Procopius Garizim interpretans montem redemptorum, aut abscissionem habitationis eorum: Gebal (sic enim legit) montem frustratum, seu dolorum ipsorum, ait non absurdè benedictiones super illo positas, super hoc maledictiones. Adiice quod Garizim amœnus & fertilis esset, Hebal aridus, & inamœnus ac saxosus. Deinde sitos docet ab orientali parte Iericho vltra Galgal: Samaritas Sicimis vrbi, quæ & Sichem, eos putare adiacere; vbi Christus apud puteum cũ muliere Samaritana disseruit [h], nuncque Neapolim vocari: ac Samariam; quia mons quem dicunt Garizim, Somer, qui filium habuit nomine Someron, appellabatur. Adhæc notat nomen istud vltimum post tempus, quo coloniæ ductæ sunt in eam terram à rege Assyriorum, robur adeptum esse. Præterea scribit ea viciniis gentibus, quæ cor Samaritanorum peruerterant, natum esse, vt orantes quocunque terrarum tractu aut situ, preces suas fundentes, ad eum montem respicerent: gentium enim septuaginta sacrificulos cognito quòd Esdras, qui quoniam legem Dei idololatras lapidare præcipientem, tenebat, idola abominaretur, aduentasset, circa moram ædium sublimium idola conuulsisse, ac in cauerna quadam montis Garizim abscondisse: cùm autem idola subens ibi iacerent, quamuis id ignorarent, eo conuersos adorasse; super eodem quoque monte templum extruendo, vota in illo sua fecisse. Quærit postea, quo pacto, cùm dicti duo montes Neapoli adiacentes, altissimi sint, & quidem Garizim sexcentorum millium & vnius graduum, potuerit exaudiri benedictio & maledictio: cùm etiam vterque ab Oriente Iericho situs fuerit, vbi Galgala, quæ ab ea distat ad secundum lapidem; Sichima siue Neapolis ad septemtrionem occasúmque Iericho vergat magis, ac ad quinquagesimum secundum lapidem inde distet. Videntur ex his nonnulla ab Epiphanio [a] sumpta. Abulensis collocat populum in vallibus inter illos montes, & in latere Garizim Berbel: Garizim ferè vna leuca à Sichem; Hebal modicùm vltra versùs Orientem, quasi leuca & media: ambos ab Ierusalem circiter vndecim leucis. Totius rei gestæ series ex citatis c. 27. & 28. libri nostri, atque ex cap. 8. Iosue hæc fuit; omnibus ad nominatos montes conuenientibus, altare excitatum est, lapides duodecim erecti, calcéque incrustati: lex iis inscripta: sacrificatum in altari: Senæ in vno tribus, in alio totidem erant; siue iuxta vnum aliúmque in valle media cum arca Sacerdotes, quos recitare oportebat formulas benedictionum maledictionúmque, ita vt responderi posset ab aliis *Amen*, quorum pars foret iuxta Sacerdotes in radice montium, pars in superiori eorum dorso. Serarius [b] noster citans Benjamin Tudelensis itinerarium, tuetur communem opinionem de qua dixi, Garizim constituentem prope Sichem, alio nomine Neapolim: quia Scriptura [c] disertè statuit Garizim iuxta Sichem, ac Iosephus [d], & plures alij: refellit verò post Masium [e], Mercatoris sententiam, propè Hai fuisse, hancque vrbẽ in edito Garizim iugo: Accuratiùs tractandũ c.27. & 28. de benedictionibus & maledictionibus: sed assentiendũ Serario, prætereáque Barradio [f] nostris, qui recedũt ab Eusebio auctore libri de locis Hebraicis, quem Hieronymus Latinè conuertit, neganti Garizim & Hebal propinquos fuisse vrbi Sichem, siue Neapoli Syriæ. Nititur Sa noster conciliare vt duplex fuerit mons Garizim: vnus prope Iericho, alius prope Sichem. Sed probare non potest. Falsum est autem adeò distare Garizim à Sichem, vt se inuicem Hebræi audire non possent. Nam Ioatham in vertice montis Garizim huius, eleuata voce clamauit, & dixit; *Audite me viri Sichem* [g]. Videlicet si exaudiri potuit à viris Sichem, oportet montem illum haud adcò dissitum esse. Meminit controuersiæ Samaritanorum & Iudæorum Iosephus [h], quod hi solùm in Ierusalem, illi etiam in monte Garizim sacrificandum arbitrarentur; quod etiam proditur in Euangelio Ioannis [i] à muliere Samaritana obiectum Christo: & de templo ibidem constructo ad similitudinem Ierosolymitani, testis idem Iosephus [k], indicatúrque in historia [l] Machabæorum, quamuis viuente Christo iam euersum esset, dirutum ab Hircano. Adoratum in eo monte causabatur Samaritana à patribus; vel quia Iacob conualescens ibi à claudicatione, vt loquitur Hieronymus [m]; iuxta illum habitans, altare struxerat [n], seu in parte agri iuxta Sichem, quam emerat: vel quia priùs Abraham propè Sichem [o]: vel quoniam, si Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio in Ioannis cap. 4. creditur, illuc Isaac vt sacrificaretur adductus est, communior namque opinio est de Moria, qui sit etiam idem cum monte Caluariæ: vel quia sub Iosue quando prolatæ sunt benedictiones maledi

g Iol.8.30. & seqq.
h Ioan.4.7. & seqq.
a hær. 9.
b in Iof.8. q. 14.
c Iud.9.7.
d 4.antiq. c.vlt.l.5.c. 3.l.11.c.15. & vlt.
e in Iof.1.
f to.2.l.4. c.10.
g Iud.9.7.
h 12.antiq. c.13. de bello c.12.
i c.4.9.
k 13. antiq. c.8 l.13.c. 17.
l 1.2.6.2.
m in tradit. in Gen.
n Gen.33. 20.
o c.12.6.& seqq.

maledictionésque, simul circa eumdem locum sacrificatum est. Quanquam quod ad hoc vltimum spectat, in Hebal altare erectum [a] scribitur, non in Garizim; quasi iam tunc præsignificaretur orbandum altari templum Garizim, veluti vanum cassúmque. Cyrillus [b] Alexandrinus ait Samaritanos opinatos in solo monte Garizim Deum adorari, seu ipsi sacrificari debere; orta inde ridiculosa religione, vt ipse loquitur, quia in monte illo data benedictio legitur.

a Deut.27.5. Ios.8.30.
b 3 in Ioan. c.90.

Explanatio.

Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus] Præponitur (*& erit*, וְהָיָה *vehaiah*, וִיהִי *vihe*, καὶ ἔσται.) Deum ac Dominum populi vocat, non communem sibi cum illo; & collectiuè vtitur numero singulari, vsus paulò antè plurali: quæ duo præ se ferunt peculiarem affectum Dei; quódque is ipse dicatur introducturus.

In terram ad quam pergis habitandam.] Ire seu proficisci simpliciter significant בָּא *ba*, עָלִיל *bhalel*, διαβαίνειν: pergere autem iter peragere: licèt etiam aliquando idem qood absolutè iter facere. Possidere, & quidem veluti titulo hæreditatis valent cum affixo pronomine Hebraicè, & Chaldaicè לְרִשְׁתָּהּ *leristhah*, לְמֵירְתָהּ *lemerethah*, & Græcè cum separato κληρονομῆσαι αὐτήν. Habitatio stata, firma, immobilis, inuoluit possessionem hæreditariæ similem. Redundat denique in dictis editionibus aduerbium loci שָׁמָּה *sciammah*, תַּמָּן *thamman* ἐκεῖ.

Pones benedictionem super montem Garizim.] Verti potuit (*dabis*) sicut versu 26. vbi est (*propono*) quia ibi est נֹתֵן *nothen*, יָהֵב *taheb*, δίδωμι: hîc וְנָתַתָּה *nathattah*, תִּתֵּן *thitthen*, δώσεις. Posituri erant benedictionem super montem Garizim, vt & maledictionem super montem Hebal Sacerdotes, reliqui responsuri dumtaxat, *Amen*: tamen & quia hoc ipsum responsum quædam quasi pars earundem erat; & quia quod fieri debebat per sacros ministros populi, toti populo tribui potest, rectè eidem populo datum ea de re præceptum dicitur. Priùs dixi amœnitatem montis Garizim in hortis & fontibus, vt Benjamin [c] Tudelensis testatur, & alij, opportunam fuisse ponendæ, seu dandæ ac pronunciandæ benedictioni: præterea super illum montem, hoc est, partim in eius dorso, & iuxta illum, id est, partim ad radicem eiusdem, dispositas sex tribus, nempe Simeon, Leui, Iudæ, Issacbar, Ioseph seu Ephraim, & Benjamin, qui liberarum filij erant: postremò ibi constructum templum, simile Ierosolymitano. Id postea iussit Antiochus contaminari & appellari à Ione hospitali, sicut Ierosolymitanum à Ioue Olympio [d]. Zeno autem Imp. in eiusdem vertice construxit B. Virginis templum [e]. Iam verò quod attinet ad nomen Garizim, scribitur etiam Hebraicè גְּרִזִּים *Garizim*, & Græcè γαριζίν, & aliquando χαριζίν: apud Iosephum γαριζεί, apud Epiphanium [f] χαριζίν: apud Photium [g] à Damascio ἀργάριζος, componendo ex הַר *har*, quod est mons, & ex γάριζος: in itinerario Pourdegalensi Agaresen, pro Argaresen, aut Hargaresen, ob eamdem causam compositionis. Retuli priùs ex Procopio etymon istius nominis, vt Garizim significet montem redemptorum, vel abscissionem habitationis eorum. Hieronymus de nominibus Hebraicis huius libri, legens Garizim diuisionem exponit (idem tradit Beda) vel aduenam. Scribens autem Eustochio [h], ait ex latere montis Garixim, prope Sichem, quem locum errantes vocent Sichar, dicebatúrque suo tempore Neapolis, extructam Ecclesiam fuisse circa puteum Iacob, super quo residens Dominus, siticulosque & esuriens, Samaritana fide satiatus [a] est. In גְּרִזִּים *Garizim* non deprehendo montem, nisi componatur cum הַר *har*, vt dixi, quod montem valet: multo minùs redemptos, aut aduenam, aut habitationem. Thema גָּרַז *garaz* excidere siue succidere significat, vnde גַּרְזֶן *garzen* securis: גֵּר *gher*. Et quidem aduena, peregrinus, incola, proselytus, ac inter Iudæos ex Gentili receptus, quasique adoptatus. Sed quid hoc ad גְּרִזִּים *Garizim*? Infaustus postea fuit ob diras imprecationes Ioathami [b], qui destinatus fuerat à Mose benedictionibus: deinde verò propter Idololatriam, de qua priùs meminimus; qualis vituli quem posuit Ieroboam in Bethel [c]; vbi quondam Iacob dormiuerat [d]. Sic discimus eumdem locum, ex sacro profanum effici, ac vice versa.

c in itiner.
d 2. Machab. 6. 2.
e Procop. 5. de ædif. Iustiniani.
f hæres. 9.
g in biblioth.

Nominis Garizim significatio.

h epist. 27.

a Ioan. 4. 7. & seqq.
b Iud. 9. 7. & seqq.
c 3 Reg. 12. 29. 32.
d Gen. 28. 31.

Maledictionem super montem Hebal.] Hebraicè עֵיבָל *bhebal*; Græcè γαιβάλ in correctis libris, in aliis γεβάλ: apud Iosephum γίβαλος. apud Latinos interdum Ebal, aut Gebal: quæ variatio contingit similibus nominibus incoatis ab aspirata litera ע *bhain*, vt videre est in Gomorrha; & pro Hai ex עַי *bhai* legitur γαὶ, *Gai*, Aggai, hócque vltimum propter ה *ha* præpositum ad notam demonstrationis. Proprium nomen viri extat iisdem characteribus Hebræis, Græcè autem γαιβὰλ aut γεβάλ: Latinè Ebal [e]. Aliquando עוֹבָל *bhobal*, quod Græcè ἐβάλ, vel γεβάλ: Latinè Ebal, aut Hebal [f], cùm idem adhuc scribatur עֵיבָל *bhebal*, & ἐβάλ, Latinè Hebal [g], licèt in Sixtinis Græcis desideretur. Semel [h] in iisdem Sixtinis est ταιβάλ, in altis ἰβάλ: vtroque modo non sine mendo. In Psalmo 82. [i] Gebal ex גְּבָל & γεβάλ est, sed alio modo scriptum in exordio. Ibidem inter alias varias opiniones, retuli visum Ortelio, esse nomen montis nostri Hebal, nec displicere Adrichomio. Hoc moneo nonnunquam, quia non parua in propriis nominibus scribendis discrepantiæ occurrit. In cap. 27. [k] præcipitur, vt in eo monte lapides erigantur, & fiat altare, atque sacrificia, & scribantur super lapides verba legis: quæ deinde sub Iosue peracta sunt [l]: tacitè verò suggerunt quibus modis amoliendæ à nobis sint maledictiones. R. Nehmannus à Masio [m] citatus locat Garixim ad meridiem; Hebal ad aquilonem; ille prospera denotat, hic aduersa: proindéque illi benedictio, huic maledictio aptè attributa est. Monui priùs ob ariditatem ac sterilitatem, visum hunc montem aptum proferendis maledictionibus; traditam quoque notationem nominis à Procopio, montem frustratum, aut dolorum ipsorum. Voraginem veterem Glossa interlinearis interpretatur: Beda scribendo Gebal; vallem veterem, voraginem exterminantem, præruptum, deficiens; Hieronymus [n] Ebal vallem veterem, vel aceruum lapidum; item [o] voraginem veterem. Ex radice עָיָה *bhaiah* עִי *bhi* cumulum, aceruum, tumulum significans, necnon desolationem & solitudinem, & ex בָּלָה *balah* veterascere construi possunt quædam ex etymologiis allatis: Cumulus, aceruus, tumulus instar montis habet, locique prærupti: vetustas innuit sterilitatem, defectum, dolores, exterminationem. Vallem & voraginem non reperies nisi scribas גֵּיבָל *ghebal*, & deriues à גַּיְא vel גֵּי *ghe*, quæ vox id valet. Vnde גֵּיהִנֹּם *ghehinnam* vallis Hennom, quam dicunt Gehennam locum damnatorum, de quo aliàs.

e Gen. 36. 23. 1. Paral. 1. 40.
f Gen. 10. 28.
g 1. Par. 5. 22.
h 1. Par. 1. 40.
i v. 8.
k v. 4. & seqq.
l Ios. 8. 30. & seqq.
m ibidem.
n de nom. Hebr. ex Genesi.
o ex Deut.

Verſ. 30.] Qui ſunt trans Iordanem, poſt viam quæ vergit ad Solis occubitum, in Terra Chananæi, qui habitat in campeſtribus contra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem tendentem & intrantem procul.

Paraphr. DEſcriptio eſt dictorum Garizim & Hebal montium, quantum ad ſitum trans Iordanem, in ipſa Chanaan terra promiſſionis. Pendet huius intelligentia ex enucleatione partium textus ſingularum.

Explanatio. *Qui ſunt trans Iordanem.*] Interrogatiuè legitur in editionibus aliis (*nónne hi, non ecce hi*, &c. הֲלֹא הֵמָּה *halo hemmah*, הֲלֹא הִנֵּה *halo hinnen*, *ὑκ ἰδὺ ταῦτα.*) Qua interrogatione affirmat, inquit Vatablus. Sic in libris Regum, & Paralipomenon crebrò; *nónne hæc ſcripta ſunt in libro verborum Regum Iuda*, &c. Atque vt aliis exemplis ſuperſedeam, Chryſoſtomus [a] obſeruat in rebus quã certiſſimis id fieri ſolere. Cæterùm particulam (*trans*) accipi pro (*vltra*) rectè annotat Abulenſis, & quidem reſpectu loci, in quo Moſes erat cum populo. Aliquoties [b] antè poſitum vidimus pro (*citra*) ita vt eſſet trans per comparationem exiſtentium in Chanaan.

a hom 21. in 1. ad Corinth.
Trans, pro vltra.
b c.1.3.5.c. 3.8.c.4.41. 46.47.49.

Poſt viam quæ vergit ad Solis occubitum.] Circumloquitur Interpres quod breuiùs extat in aliis editionibus (*poſt viam occubitus*, ſiue *occaſus Solis.*) Hanc viam Abulenſis affirmat valdè celebrem eſſe, quoniam generaliter appellatur via; directè autem tendere à Iordane versùs mediam frontem Occidentis terræ Chanaan: & ad partem ſiniſtram eſſe montes Garizim ac Hebal, coniunctos valle media, atque ſic magis in parte meridiana, quàm in boreali. Senſus verò poteſt eſſe; quòd ſi irent ad occaſum Solis, venirent ad illos montes.

In terra Chananæi.] Eiuſdem Abulenſis annotatio vera, quam attingit Marzilla, hîc accipi Chananæum pro vna de ſeptem gentibus totius terræ Chanaan, quæ habitabat versùs partem meridianam illius, id eſt, versùs mare, circáque Iordanem: Græcè ἐν γῇ χαναάν.

Qui habitat in campeſtribus.] Emendati codices habent τὸ κατοικῶν, ſupple ἔθνος, *gens*: alij ὁ κατοικῶν, nempe Chananæus. Monet idem Abulenſis, quia quidam codices habent (*in campeſtribus Moab*,) illa campeſtria non eſſe in ipſa terra Moab, ditionis Amorrhæorum: de qua non ſemel mentio libro priore [c] fuit, necnon ſub nomine planiorum; ſed terram quandam magnam planam deſcendentem à montibus, quibus clauditur terra Moab, & in quibus eſt Iordania, & aliqua terra promiſſionis vltra Iordanem. Sed meritò præfert lectionem noſtram quæ non habet (*Moab*) ſicut nec textus aliarum editionum: tunc verò ſenſum ait eſſe, quòd Chananæus habitabat in quadam parte terræ promiſſionis, quæ eſt campeſtris & plana. Hebraicè הַיֹּשֵׁב בָּעֲרָבָה *haiioſceb bahharaah* ſignificant habitantem in planitie: idémque valent Chaldæa יָתֵיב בְּמֵישְׁרָא *iatheb bemeſcera*: Sed Græca ὁ κατοικῶν ἐπὶ δυσμῶν reddi debent *habitans ſuper Occaſum*, aut *in Occaſu*: pro quo occaſu Solis paulò ante vtebatur eadem editio vocabulis δυσμῶν adiecto ἡλίου: Sed Hebræa Chaldæáque alia erant, nempe מְבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *mebo haſcemes*, מַעְלֵי שִׁמְשָׁא *mahhlane ſcimſcia*. Occidentem dicunt מַעֲרָבָה *mahharabah*. Sed עֲרָבָה *hharabah* planitiem in qua ſint paſcua pecori paſcendo apta. Itaque Interpres noſter tranſtulit meliùs quàm Græci; quod ab Eugubino non animaduerſum miror, cui propoſitum videtur tranſlationem L X X. reprehendere, ac noſtram illi præferre.

c c.32.1.c. 26 3.63.c. 31.12.c.33. 48.49.c.35. 1.c.36.13.

Contra Galgalam.] Id eſt, è regione מוּל *mul* לְקַבֵּל *lakobel*, aut propè, ſeu contiguè, ac iuxta, ἐχόμενον, *ex oppoſito, è regione*. Apud Marcum [a] proximi vici Græcè dicuntur ἐχόμεναι κωμοπόλεις: apud Lucam [b] ſequens ſiue poſtera dies ἡ ἐχομένη, apud Paulum [c] ἐχόμενα τῆς σωτηρίας, *vicinora ſaluti*. Significat ἔχεσθαι cum genitiuo inter alia, hærere alicui, coniunctum & proximum eſſe, proximè ſequi: ἐχόμενος, *proximum, contiguum, coniunctum*: ἐχομένως, *proximè, contiguè, deinceps*. Aduerbio autem Latino (*contra*) vt eſt idem quod è regione, vtitur ſæpe Scriptura, & in cap. 1. [d] contra mare rubrum, id valet, vbi eſt מוּל *mul*, & πλησίον *propè*. Tritum illud [e], *ite in caſtellum quod contra vos eſt*. Cùm ſit duplex acceptio Græci ἐχόμενον, vel propè, vel è regione, poſterior propoſito conuenit, congruítque cum Hebræa dictione מוּל *mul*, & Latina (*contra*) ita vt ſit ſenſus, Chananæum, qui habitabat circa montes Garizim & Hebal fuiſſe è regione Galgalæ, non autem iuxta illam; quoniam erat iuxta Sichem, cho nomine Neapolim, vt antea diximus. Illam aliam notionem ſecutus Euſebius in libro de locis Hebraicis, quem Latinum fecit Hieronymus, tradidit opinionem quam reiecimus, quòd eſſent dicti montes prope vrbem Hai, hæcque ipſa vrbs in edito iugo Garizim, cuius opinionis aſſertorem cum ſuis argumentis affert Serarius [f] noſter poſt Maſium. Euſebij verba ſunt. *Sunt iuxta Hierichum duo montes vicini contra ſe inuicem reſpicientes, è quibus vnus Garizim, alter Gebal (Hebal) dicitur. Porrò Samaritani arbitrantur hos duos montes iuxta Neapolim eſſe. Sed vehementer errant. Plurimum enim inter ſe diſtant; nec poſſunt inuicem benedicentium ſiue maledicentium inter ſe audiri voces, quod Scriptura commemorat. Tum ſubdens iuxta Golgol qua & Galgal, eſſe montes Garizim & Gebal, ait. Errant igitur Samaritani, qui iuxta Neapolim Garizim & Hebal montes oſtendere volunt: cùm ipſos iuxta Galgal eſſe Scriptura teſtetur.* Similia in Epiphanio [g] habentur, qui videtur montes eoſdem collocare vltra Iordanem prope Hierichuntem; non iuxta Galgal, ſed contrà, è regione ipſius erant illi montes. Cæterùm Galgala, & aliter Galgal Hebraicè גִּלְגָּל *ghilgal*, Græcè γαλγάλ: & aliquando pluraliter Galgala Galgalorum, & Galgala Galgalæ ſingulari numero; præterea Gilgal, & Galgalis, & Golgol, ciuitas fuit diſtans à Iordane 50. ſtadia, à Iericho 10. [h] Ibi poſitis caſtris, poſt tranſitum Iordanis, Hebræos in deſerto natos Ioſue circumcidit, Paſcha celebrari curauit; duodecim lapides è Iordanis eductos alueo collocauit; ibidem ceſſauit manna, cùm de frugibus terræ comediſſent: Ioſue iuſſus eſt ab Angelo excalceari, quòd eſſet locus Sanctus [i]: manſit fixis tabernaculis populus totos primos quinque annos: cùm inde arca in Silo tranſlata eſſet [k], ac ibi vſque ad Eli manſiſſet per annos 351. vt aliqui ſupputant; quando ex Silo adducta eſt in caſtra pugnantis Iſraël contra Philiſthæos [l], & poſita

a c.3.38.
b c.13.33. Actuum 20. 15.c.21.26.
c Hebr.6.9.
d v.1.
e Matth.21. 2.
f in Ioſ.8. q 14.
g hær.9.
h Ioſeph 5. antiq. c.1.
i Ioſ.4. & 5.
k Ioſ.18 1.
l 1.Reg.4. 3.

& posita in Cariathiarim [a], postea in Masphat [b]; seducta rursus est in Galgala, ibique hæsit toto tempore regni Saul [c], qui & ibi vnctus est: electo autem Dauide in Nube [d]: vnam è sedibus tribus iudiciariis ibidem Samuel constituit [e]: Elias ac Elisæus eo loco consederunt [f], incipiente Aod iudice tertio à Iosue, iam erant ibi idola [g]: ob loci celebritatem idola multa cœperunt coli, diabolo semper id agente, vt in locis Deo dicatis colatur, & diuinos quantum potest ad se honores transferat, inquit Hieronymus [h]. Vnde apud Oseam [i], *nolite ingredi in Galgala*: & [k], *omnes nequitia eorum in Galgalis*. Denique pertinuit ad tribum Iuda [l] vel Benjamin [m]. Etymon porrò tradit Iosephus libertatem & ablationem, quia transgressi Hebræi fluuium, tandem se & ab Ægyptiis, & ab ærumnis in deserto exantlatis liberatos existimabant, necnon ab opprobrio præputij per circumcisionem [n]. Hieronymus [o] explicat Galgal rotam vel reuelationem: & [p] Galgalis volutabrum: iterum [q] Galgala volutationem & reuelationem: Beda Galgal rotam & reuolutionem; Galgala collem præputiorum, aut circumcisionis: item rotam vel reuolutionem eius, vel volutabrum, vel innolutationem: Galgalia vt nomen in recto casu, rotam viri, reuolutionem assumptionis, vt in casu obliquo, volutabris, reuolutionibus, rotis, inuolutationibus. A verbo גָּלַל *galal* voluere, reuoluere, inuoluere, deuoluere, circuere, formatur, geminata prima litera, גִּלְגֵּל *ghilghel*, eiusdem notionis: & nomen גַּלְגַּל *galgal*, sphæra, cœlum, rota ob volubilitatem: præterea similia alia ob affinem significationem. De isto nomine Magalianus [r] noster refert loco impositum, qui priùs vocabatur ager Ierieho: ab eo die, quo circumcisi sunt Hebræi nati in deserto, cognominatū collē præputiorū: Caietano [s] videri Ghilgal dicendum, quia Iosue [t] tunc dixit; *hodie reuolui opprobrium* (abstuli) *Ægypti à vobis*: Lyrano [u], & Abulensi [x] rotam significare, vel circulationem; quia pellicula; quæ per circumcisionem abscinditur, vocatúrque præputium, habet figuram circularem: ab eodem themate Galilæam appellatam, Christúmque cognominatum Galilæum quasi rotatorem & reuoluentem, destruendo idololatriam, mundique potentiam: Apostolis vt etiam Galilæis dictum [y], *quid hic statis*, &c. cùm ipsorum esset voluere mundi totam, immutare cultum, conuertere ad Christum: eidem loco aliud etymon siue Galgala, siue Ghilgala pro ablatione competere, propter ablatum opprobrium, vt dictum est: item illud quod ex Hieronymo affert [z] Carthusianus siue Rickelius, vt significet sancti reuelationem, quia in eo illuminati sanctificatique sunt Hebræi: præterea quod Iosephum de libertate tradidisse meminimus, se ea de causa quam reddidisse retulimus: cœtui religioso, qui velut intra terram promissionis est, accommodari vocabulum Galgala; quoniam ibi cultro mortificationis præciditur Ægypti, hoc est, mundi, a quo exierunt, opprobrium, & amputatur quod suspicantur homines mundani opprobrium, non esse iucunda iudicia Dei [aa], siue præcepta, & consilia; carere diuitiis, aspernari voluptates, vestibus indui sordidis, contemni ab aliis: ibi summam ac verissimam libertatem obtineri: ibi totæ instar circumagi religiosos per obedientiam, &c. Fauet vltimæ tropologiæ Gregorius [bb] volens designari per Galgalam ad

[a] c.7.1. [b] v.5. & seqq. [c] c.11.8. c.13.14. c.15.21. c.15.12. & 33. [d] c.21. [e] c.17.16. [f] 4.Reg.2.1. c.4.38. [g] Iud.3.19. [h] in Osee 4. [i] c.4.15. [k] c.9.15. [l] Ios.15.7. [m] c.18.21. [n] Ios.5.9. Ioseph 5. antiq.c.1. [o] de nom. Heb. ex Deut. [p] ex Iosue. [q] ex 1.Reg. [r] in Iosuam. [s] ibid. [t] ibid.v.9. [u] ibid. [x] ibid q.66. [y] Act.1.11. [z] in Ios.1. [aa] Ps.118.39. [bb] in 1. Reg.12.

quam Samuel Saulem iussit descendere, obedientiam perfectam, quæ vt rotam partim deprimit, partim eleuat. Opposito quodam sensu potest designare statum coniugatorum, & inuolutos sæculi negotiis tanquam in rota; in quibus circumcisio fieri debeat, vt concupiscentiæ reprimantur: & si fieri possit quæ omnino prauæ sunt velut Agag [a] concedantur.

Iuxta vallem tendentem, & intrantem procul.] Hebræa sunt אֵצֶל אֵלוֹנֵי מוֹרֶה *etsel alone moreh*. Caietanus exponit *iuxta arbores Moreh*, aitque esse nomen loci, seu syluæ, cuius mentio facta est Genesis 12 [b], narrando progressum Abrahæ, cùm primò venit in terram Chanaan, quòd transiuit vsque ad locum Sichem, vsque ad quercum Moreh: fuisse namque quercetum notissimum, quod hic appellatur, arbores Moreh. Oleaster docet Elone locum esse, in quo quercuum multitudo est, déque illo pariter in dicto capite Genesis scribi: significare verò Elone arborem fortem: Moreh nomen loci noti esse; quamuis Gerundensis putet esse nomen viri, quemadmodum & Mamre, Munsterus [c] autem Elone non arbores (castaneas iuxta nonnullos) significare, sed nomen loci seu planitiei. Eugubinus, describi dicens locum hic à Hieronymo, qui propriis oculis has terras contemplatus fuerat, redditam sententiam ait potius, quàm verba Hebræa (*iuxta quercus Moreh*) & alibi nominari conuallem illustrem à verbo videndi, quod est רָאָה *raah*: vel quia LXX. vocant ὑψηλήν, *excelsam*, πλησίον τῆς γῆς ὑψηλῆς, *iuxta terram excelsam*, id est, conspicuam. Verùm nec hîc, nec Genesis [d], est γῆ, *terra*; sed δρῦς, *quercus*; prout idem agnoscit in Genesi. Ibi verò recitat opinionem, quod quæ in illo libro dicitur quercus Moreh, Hebraicè אֵלוֹן מוֹרֶה *allon moreh*, Græcè δρῦς ὑψηλή, *quercus excelsa*, ab editione nostra *conuallis illustris*, fuit vrbs alio nomine Mamre, & Hebron, videri tamen diuersis nominibus res diuersas significasse: vertisse verò Hieronymum à רָאָה *raah*, *aspexit*, pro Moreh, quod est verbale à מַרְאָה *mirah* passiuo, illustrem, quasi dicas prospectum, spectabile, perspicuum, vtpote in quo loco apparuit Deus Abrahæ, præcipiens vt iret in terram visionis: id sibi velle ὑψηλήν, *excelsam*, nempe ob prospectum & visionem: præterea conuersum nomen אֵלוֹן *allon* significans quercum, Græcè δρυὸς, in conuallem à Hieronymo, quia videbat esse synecduchem, per quam quercus vniuersam conuallem indicaret quercubus frequentem, prout Hieronymus metipse oculis deprehenderat. Eamdem synecdochem agnoscit Cornelius noster post Abulensem hîc, & Masium in Iosue 8. & 24. vallémque quercubus refertam, prout Hieronymus viderat: & Moreh dici, id est, monstratoris, seu monstrabilem, magnam, pulchram; illustrem, vt in Genesi cognominatur, atque protensam inde à Galgala ad magnam partem terræ promissionis; & in qua valle sit Hebron, & Sichem, & ilex Mambre; Hieronymum autem quia vallis magna erat, pluráque loca continens, ne nomina confunderet, non appellasse ab ilice Mambre, sed vallem tendentem & intrantem procul. Idem sentit Marzilla, & Leonardus Marius, denotari dicens per tendentiam quòd vallis esset plana & ampla seu spatiosa. Mariana noster opinatur, qui vocatur in Genesi Mambre; hic appellari Moreh; ac dici locum iuxta quercus More: Hieronymum pro

[a] 1.Reg.15.33. [b] vers.6. [c] hic & Gen.12. [d] c.12.6.

quercubus hoc loco vertisse vallem ; posuisse verò rendentem & intrantem à יָרָה sarab, quod est iacere, seu proiicere. Addit Masius [a] eidem loco postea nomen adiectum vt appellaretur Elon Mutzab, quercus, seu terebinthus, seu abies statuæ, quia Iosue paulo ante mortẽ sanciens fœdus cum populo, statuam sub illa posuerat. Alia celebris quercus fuit sub qua sepulta est Debora nutrix Rebeccæ ad radices Bethel, vocatúmque est nomen loci illius, *Quercus fletus* [b].

a in Iosu. 24. 26.

b Gen. 35. 8.

Vers. 31.] Vos enim transibitis Iordanem, vt possideatis Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt habeatis & possideatis illam.

Paraphr. NE dubitarent Hebræi de promissæ terræ possessione, cuius loca quædam distinctè expressa fuerant, montes nimirum Garizim & Hebal, aut de ponendis siue dandis benedictionibus super illum, & maledictionibus super istum, quod vt fieret quando ingressi essent, præceperat Moses, non contentus tam sæpe priùs affirmauisse, certos nunc omnino reddit fore vt id consequerentur quod promiserat nomine Dei. Scripta quoque diuina noui testamenti seu Euangelij crebram continent mentionem de futuris æternis bonis ac fœlicitate, multóque magis quàm de pœnis; ita vt priorum etiam prægustum quendam insignem Christus in sua transfiguratione præbere voluerit [c]; de secundis monuisse dumtaxat satis esse duxerit; quemadmodum obseruatum est à Chrysostomo [d]. Solatio maximo est ac fortissimo spes pollicitationis hæredibus, scientibus immobilitatem consilij Dei, quod interposito iureiurando is qui mentiri non potest, confirmauit, éstque sicut anchora animæ tuta ac firma, & incedens vsque ad interiora velaminis (quia facit vt conuersatio nostra sit in cœlis [e], eóque nos conducit; licèt ibi non sit) vbi præcursor pro nobis (sicut Iosue in promissam terram) introiuit Iesus [f]. Refert verò plurimũ vt per intercessionem B. Virginis, aliorúmque Sanctorum, in primis autem aduocati nostri Iesu apud Patrem [g], qui introiuit pro nobis, digni efficiamur promissionibus tantis, atque illius fide & opere in quem speramus esse gratia eiusdem adiuti, connitamur.

c Matt. 17. 1. & seqq.

d hom. 57. in Matth.

e Philip. 3. 20.

f Hebr. 6. 17. & seqq.

g 1. Ioan. 2. 1.

Explanatio. *Vos enim transibitis Iordanem.*] Participia Hebræũ & Chaldæum עֹבְרִים *bhouerim* עָבְרִין *bhourin* admittere possunt præsens ac futurũ tempus; transeuntes estis, vel transeuntes eritis, siue transitis, aut transibitis. Græcũ verbum διαβαίνετε, *transitis*, præsentis temporis est. Mox transituri, videbantur tunc transire. De aliis loquitur Moses, non de seipso; quia transiturus non erat, sed paulò pòst citra Iordanem, promissámque terram moriturus, vt sæpe dictum est.

Vt possideatis terram.] Iuxta reliquas editiones (*ad intrandum vt possideatis*) vel (*intrantes vt possideatis*, εἰσελθόντες κληρονομῆσαι.) Valet hæc inculcatio verborum cum ea quæ sequitur, ad futuræ possessionis certitudinem, atque ad acuendum desiderium illius.

Quam Dominus Deus vester daturus est vobis.] Hebraicè Chaldaicéque (*dans*, נֹתֵן *nothen*, יָהֵיב *iaheb*,) videlicet, est, aut erit; siue dat, vel dabit daturúsve est. Græcè (*dat* δίδωσιν) & additur (ἐν κλήρῳ πάσας τὰς ἡμέρας, *in forte*, vel *in possessione, per modum sortis, omnibus diebus*.) Omnes dies idem sunt quod semper, dummodo per ipsos non stet.

Omnes dies, idem quod semper.

Vt habeatis & possideatis illam.] In Hebræo atque Chaldæo textu (*& possidebitis eam & habitabitis in ea*) in Græco emendato (*& habitabitis in ea*, καὶ κατοικήσετε ἐν αὐτῇ: in aliis, καὶ κληρονομήσετε αὐτὴν, καὶ κατοικήσετε ἐν αὐτῇ; *& possidebitis*, seu *hereditabitis eam, & habitabitis in ea*.) Videntur ἐν κλήρῳ quod proximè præcessit, & κληρονομήσετε duæ interpretationes. Accumulatio autem tot verborum ad idem efficit, vt præmonui, firmam persuasionem, ardentémque cupiditatem obtinendi promissam terram.

Vers. 32.] Videte ergo vt impleatis ceremonias atque iudicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

Paraphr. APta & necessaria ex dictis adhortantis illatio, si velint ingredi promissam terram, in eáque semper manere, conueniens quoque ad ea quæ sequenti capite, & aliis aliquot deinceps continentur, dispositio ac præparatio vt attentiùs libentiúsque diuina præcepta excipiantur, ac diligentiùs exactiúsque impleantur.

Explanatio. *Videte ergo.*] Sunt hæc Interpretis: aliæ enim editiones habent (*& custodietis*, &c.) Sed, vt dixi, aptè, necessarióque infert Moses, ac vt rem summi momenti videndam & considerandam, atque semper habendam præ mentis oculis proponit. Similis vsus verbi (*videte*) Græcè & Latinè in Exodi cap. 31. [a] cap. 2. [b] libri nostri Latinè, & alibi. Posset nihilominus hoc loco (*videte*) respondere verbo quod significat in editionibus aliis (*custodite*,) וּשְׁמַרְתֶּם *vsmarthem*, וְתִטְּרוּן *vetitrun*, καὶ φυλάξεσθε.

a vers. 13.

b vers. 4.

Vt impleatis.] Secundùm cæteras (*ad faciendum*, siue vt *faciatis*, לַעֲשׂוֹת *labhasoth*, לְמֶעְבַּד *lemebhbad*, τοῦ ποιεῖν.) Plus valet implere quam facere. Sed verbo præcedente custodiendi cura studiúmque insinuatur non quomodolibet faciendi quæ præcipiuntur, sed ita vt plenè, ac sine defectu executioni mandentur.

Ceremonias atque iudicia.] Ad hæc duo genera reuocari docet Abulensis initio sequentis capitis, quæ in illo, & in aliquot traduntur. Sunt in reliquis editionibus אֵת כָּל־הַחֻקִּים וְאֶת הַמִּשְׁפָּטִים *eth chol hachukkim veeth hammisspatim* יָת כָּל קְיָמַיָּא וְיָת דִּינַיָּא *iath chol kejamaia, veiath dinaia*, πάντα τὰ προστάγματα αὐτοῦ, καὶ τὰς κρίσεις ταύτας, *omnia præcepta eius, & iudicia hæc*. De istis nominibus actum aliàs. Eugubinus explicat instituta & ordinationes de his quæ spectant ad agendum, & decorum, & probitatem potius quàm de ritibus, quibus in religione vterentur; quia probitas sine ritibus esse, inquit, potest; at ritus sine probitate minimè. Probat hoc Esaiæ testimonio; digreditúrque in reprehensionem eorum qui dediti ritibus externis, probitatem negligunt. Atqui plurima sunt in sequentibus de ceremonialibus, iudicialibúsque præceptis: & quamuis προστάγματα genus potius quàm speciem significent: κρίσεις peculiariter significant iudicialia præcepta, & aliarum editionum vocabula cum nostræ vocabulis dictam duplicem speciem denotãt. Quamquam si respiciamus ad huc-

úsque

úſque in iſto & prioribus dicta capitibus, multa de moralibus præceptis fuerunt.

Quæ ego hodie ponam in conſpectu veſtro,] Dandi verbum vſurpant aliæ editiones; Hebræa & Chaldæa per participia נתן *nothen*, & יהב *iaheb*, Græca per præſens *δίδωμι*. Lege verſum 26. & 29. vbi proponere ac ponere legimus loco verbi dandi editionum reliquarum. Denique correcti libri Græci habent *ὅσα*, *quacumque*; alij *ἃς*, referendo ad proximè præcedentes *ἐντολῶν*: omnes verò in præcedente membro poſt προστάγματα pronomen *αὐτοῦ*, *ipſius*, videlicet Domini Dei non ita multò ante nominati. Erat namque ille auctor eorum; Moſes dumtaxat promulgator. Ex hoc & ſimilibus loquendi modis quibus Moſes dixit ſe ponere, ſeu dare præcepta quæ hodie fieri deberent, Galatinus [a] refert R. Iehoſuam filium Leui collegiſſe, huiuſmodi præcepta, nimirum ceremonialia & iudicialia, tunc ſub lege vetere ſeruanda fuiſſe, illorum autem obligationem atque obſeruationem in aduentu Meſſiæ ceſſaturam fuiſſe.

[a] li. 11. c. 2.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DVODECIMI.

TANQVAM bonus legislator, doctor, concionator; ac morum peritus informator descendit Moses ad particularia praecepta tum ad religiosum Dei cultum spectantia, seu ad ritus ceremoniásque sacras; tum pertinentia ad ciuilem hominum inter se conuersationem, quæ vocari solent iudicialia præcepta. Cauetur ergo in isto capite, vt non vbilibet in lucis, ac montibus; verùm in loco quem Deus designauerit, ipsi offerantur victimæ, decimæ, primitiæ, vota, dona, primogenita; & ibidem in conspectu illius liceat epulari: permittitur tamen carnes animalium non immolatorum quouis in loco manducare; dummodo eorum sanguis prorsus effundatur, nec vllo modo siue sit ex immolatis, siue ex aliis animalibus comedatur; neque Gentilitij vlli ritus vsurpentur. De his ipsis rebus in Leuitici libro disputatum est, vt proinde paucioribus nunc opus videatur.

CAPVT DVODECIMVM.

1. HÆc sunt præcepta atque iudicia, A quæ facere debetis in Terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradietis.

2. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.

3. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola B comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.

4. Non facietis ita Domino Deo vestro:

5. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis.

6. Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. C

7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

8. Non facietis ibi quæ nos hîc facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.

9. Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

10. Transibitis Iordanem, & habitabitis in Terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis

11. In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vouebitis Domino.

12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filij ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Leuites, qui in vrbibus vestris commoratur. neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos.

13. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris:

14. Sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.

15. Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, occide, & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile: siue mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capream & ceruum, comedes.

16. Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

17. Non poteris comedere in oppidis tuis

tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & sponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum:

18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus & famula, atque Leuites, qui manet in vrbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.

19. Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo versaris in terra.

20. Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua.

21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet.

22. Sicut comeditur caprea & ceruus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur.

23. Hoc solùm caue, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus:

24. Sed super terram fundes quasi aquam,

25. Vt benè sit tibi & filiis tuis post te, cùm feceris quòd placet in conspectu Domini.

26. Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus:

27. Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris.

28. Obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cùm feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui.

29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum:

30. Caue ne imiteris eas, postquam te fuerint introëunte subuersæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam.

31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.

32. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

Vers. 1.] Hæc sunt præcepta & iudicia, quæ facere debetis in Terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris.

PARAPHR. PRoponitur summa eorum quæ deinceps tractanda sunt, videlicet de præceptis ceremonialibus atque iudicialibus, ex quorum obseruatione cùm peruentum fuerit ad promissam terram, quod breui futurum erat, pendeat sua firmáque habitatio in eadem, immo perpetua, nisi, inquam, transgressio eorum obstaret. Alioquin, in deserto, sabbati vacatio seruari debuit [a], léxque de leprosis [b], & patientibus fluxum sanguinis, aut seminis [c]; blasphemus lapidatus est, & similia iudicialia, ceremonialiáve seruari potuerunt, quæ sine templo commodè poterant.

[a] Exo. 16. 23. Num. 15. 32. [b] Num. 12. 10. & seqq. [c] c. 5. 2. & seqq.

EXPLANATIO. *Hæc sunt præcepta atque iudicia.*] Habet editio Græca initio (*καὶ*) correcta secundo loco *αἱ κρίσεις*: aliorum codicum *τὰ κρίματα*. In fine capitis prioris erant eadem vocabula חֻקִּים *chukkim*, & מִשְׁפָּטִים *mispatim*, קִימַיָּא *keiamaia*, & דִּינַיָּא *dinaia*: *δικαιώματα* & *κρίσεις*, cui posteriori synonymum est nomen *κρίσεις*. Videtur autem, vt dixi, significari præcepta ceremonialia & iudicialia; quia de moralibus per se actum est capitibus præcedentibus. [d]

[d] Leuit. 24. 10. & seqq.

Quæ facere debetis.] Iuxta reliquas editiones, (*quæ custodietis ad faciendum*, siue *vt faciatis*) quæ phrasis erat in fine capitis præcedentis. Ea nomine præceptorum colligit Lyranus obligationem. Eamdem apertiùs indicant ista verba.

In terra, &c.] Infert Abulensis [e] dictam obligationem non fuisse in deserto; quia deerant ibi ea quæ Deus mandauit offerri: quia neque circumcisio (quæ tamen erat velut ianua rituum reliquorum) propter periculum ex continuo itineris motu (quæ causa mouit Mosem ne filium circumcideret antequam Deus expressè præciperet [f]) cùm etiam incerti essent vbi & quamdiu consistendum esset: non ob alias friuolas causas Rabinorum, quas ille confutat. Quamquam, quod attinet ad periculum, non videtur tantum in infantibus, qui alienis brachiis gremióve gestari poterant: & Vasques [g] noster ratiocinatur, existimans omissā circumcisionē iussu Dei, ex eo solùm tempore, quo populus murmorauit contra terram promissam, & quidem in filiis dumtaxat bellatorum eorum, qui murmurauerant, idque in pœnam incredulitatis & opprobrium donec illi viuerent; quod erat liberos eorum haberi similes præputiatis Gentilibus: nec enim defuturam fuisse per 101 annos moram si non necessaria esset, quam Deus ipse imperaret.

[e] quæst. 1. [f] Exo 4. 25. & seqq. [g] 3. p. disp. 164 c. 1. & 2.

Quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi.] Secunda persona siue singularis, siue in textu Græco emendato pluralis *ὑμῶν* (mendosa namque lectio est Complutensium, Regiorum, & aliorum quæ habet *ἡμῶν*) & secundo loco *ὑμῶν*, insinuat, vt sæpiùs annotaui, affectum Dei erga populum, quódque Moses non erat intraturus in terram promissam. Paulò tamen antè hic pluraliter dixerat Moses (*quæ facere debetis*, siue *custodietis*

studentis ad faciendum :) vt intelligamus variationem numeri plerúmque nullam vim peculiarem continere. Patres verò comprehenduntur tum ex quibus geniti erant, hi quos alloquebatur Moses, propter peccata verò sua perierant in deserto, maximè propter detractionem contra terram illam, in quam intrare noluerant [a]; tum primos illos patriarchas Abraham, Isaac, Iacob. Denique pro verbo futuri temporis (*daturus est*) Hebræa & Chaldæa editio vtuntur verbo præteriti temporis נָתַן *nathan*, & יְהַב *iahab*, Græca verbo præterito ἔδωκεν. Dederat Deus cum iuramento etiam promittendo: dabat, quia instabat tempus præstandi quod promiserat: daturus erat, quoniam nondum acceperant quod promissum sibi fuerat.

a Num. 14. 22. 23.

Vt possideas eam.] Græcus textus loco verbi posuit cum eo quod præcessit δίδωσιν ἐν κλήρῳ, *dat in sorte*: quæ pro possessione quoque accipitur, quam duæ aliæ editiones distincto vocabulo exprimunt.

Cunctis diebus.] Nisi obstent peccata, vt toties disertè in similibus promissis adiectum est, atque à nobis obseruatum.

Quibus super humum gradieris.] Viuere significat participium cum pronomine pluralis numeri אַתֶּם חַיִּים *atthem chaiim*: permanete ac stare אַתּוּן קַיָּמִין *atthun kaiamin*: viuere ὑμεῖς ζῆτε. Vitæ apertissimum argumentum est motus gressúsque animalis: nec tamen occurrit aliud exemplum huiuscemodi translationis, vt pro vita gressus ponatur. Humus hîc & terra synonymè accipiuntur, sicut אֲדָמָה *adamah* quod nunc legitur, & אֶרֶץ *erets*, quod paulò antè, cùm vtrobique sit γῆ, & אַרְעָא *arha*: & non rarò humus redditur vbi est אֶרֶץ *erets*, quemadmodum terra, vbi אֲדָמָה *adamah*. Dicitur nomen Hebræum propriè significare terram, quæ colitur, agrúmve frugibus & arboribus consitum: & à colore russo, sicut & primus homo Adam, denominari. Humum ab ὑμεῖ, *pluo* deriuant aliqui [b], vt sit terra compluta; vel à χυμὸς, *humor*, ac *liquor*, quem etiam חֵמַת *hamat*, valet, & χαμαὶ esse idem est quod *humi*. Lege dicta cap. 4.[c]

Gradi pro viuere.

Humus pro terra.

b Iul. Cæs. Scal. de causis ling. Lat. c. 26.

c vers. 22.

Vers. 2.] Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.

Vers. 3.] Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.

PARAPHR.

VT certus cultui diuino locus designetur, excludendus priùs superstitiosus, ac falsorum deorum religioni dicatus, cum omnibus aris, statuis, imaginibus ibi collocatis, hoc est, in montibus, collibus, nemoribus, nullo horum relicto vestigio, vel monumento; sed penitus cuncta delendo, vt ne nomen quidem supersit, omnísque tollatur occasio iterum excitandæ seu renouandæ idololatriæ. Simile præceptum in cap. 7. traditum [d] iam fuerat de aris subuertendis; confringendis statuis, lucis succidendis, sculptilibus comburendis, nec reseruanda eorum materia argentea & aurea; vllâve idoli parte in domum inferenda: quod præceptum violantes ac sub tunicis habentes de donariis idolorum iustè cæsos pij Iudæi pronunciauerunt [a]. In catalogo Hebræo præceptorum negatiuorum tertium amplectitur ea quæ hoc loco traduntur, qui etiam nominatim citatur. Dicto cap. 7. satis multa disserui proferens talia ex Exodo [b], & Numeris [c]; & aliis locis; præterea vel exempla, vel testimonia, quibus docemur quatenus ista sint licita, nec tamen Iconomachis siue Iconoclastis fauean. Egi simul de vocabulorũ, quæ hic extant illorum locorum vocabulis similia, propria notione vsúque: item de Gentilium more circa sacrificia in montibus, collibus, lucis: & quæ fuerint Excelsa, de quibus tam crebra mentio in diuinis literis. In parte morali Glossa ordinaria superbos idololatrare dicit super montes excelsos: super colles ambitiosos: luxuriosos subter ligna frondosa, lucósque, quia latibula quærunt ad exercitium sui peccati: primos humiliatione subuerti, vt factus est Nabuchodonosor [d]; secundos contemptu omnium mundanorum, vt contigit Matthæo [e]: vltimos castitate, cuius exemplum extitit Magdalena [f]. Nec hinc patrocinium quærant qui opinantur solo titulo falsæ religionis posse infideles bello peti, vel ob peccata contra legem naturalem.

d vers. 5. 25. 26.

a 2. Mach. 12. 40. 41.

b c. 23. 24. 34. 13.

c c. 33. 52.

d Dan. 4. 31. & seqq.

e Matt. 9. 9.

f Lucæ 7. 37. & seqq.

Subuertite omnia loca.] *Perditione perdetis*, vsurpant editiones aliæ, aut (*perdendo perdetis* אַבֵּד תְּאַבְּדוּן *abbed theabbedun*, אַבָּדָא תְּאַבְּדוּן *abbada theabbedun*, ἀπωλείᾳ ἀπολεῖτε.) Quæ formula plerumque vim continet, vt plane id faciendum significetur de quo scribitur. Generale nomen locorum non sumitur in rigore philosophico pro superficie ambiente, sed pro quouis receptaculo, & spatio vel constructo, vel omnino naturali, quod ad certum vsum designetur, vt hic ad exercitium religionis. Ex hoc integro præcepto Cyrillus [g] Alexandrinus confutat vt insanam, planéque puerilem opinionem eorum, qui credebant caprum emissarium mandato diuino in cultum dæmonis cessisse; quoniam sic Deus sibimetipsi contrarius esset, qui hîc, ac toties alibi vetuit seuerissimè vlli alij præterquam sibi sacrificari, omnem verò idololatriam inhibuit.

Explanatio.

g Ad Acaciam de capro emiss. & refertur in conc. Ephes. tom. 6. c. 28.

In quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos.] Inseritur aduerbium loci post verbum (*coluerunt*) in aliis editionibus, nempe (*illic* שָׁם *sciam* תַּמָּן *thamman*, ἐκεῖ:) sed in Græca correcta deest nomen Gentium ἔθνη: cùm alij codices habeant ἐκεῖ τὰ ἔθνη. Et quoniam Hebræa editio non habet, *illic*, inquit Auctor notarum ad editionem LXX. Sixtinam, fieri fortasse potuit ex ἔθνη, ἐκεῖ. Fallitur Auctor ille, quoniam, vt modò recitaui, est שָׁם *sciam* aduerbium loci, vt & Chaldæum תַּמָּן *thamman*. De verbo Græco λατρεύειν frequenter monui vsu Ecclesiasticorum Scriptorum accommodatum soli veri Dei cultui. Quod in futuro legimus (*possessuri estis*) Græcè est κληρονομεῖτε in præsenti: quod vtrumlibet tempus admittere possunt participia Hebræum & Chaldæum. Possidere autem Gentes intelligitur de terra & rebus earum, non de hominibus neque titulo seruitutis, neque nomine tributi; quoniam Gentes Chanaan, seu homines incolas gentium septem illius regionis, tenebantur Hebræi occidere, vt videbitur cap. 20. [h] licèt Gabaonitis parcitum sit ob iuramentum fraude illorum ab Hebræis extortum [i]; & contra dictam prohibitionem de non seruandis

h vers. 16.

i Iosue 9. 15. & seq.

Chana

Chananæis, tribus Ephraim [illegible] ex illis habuerit [a], quos & acerbe per Angelum Deus reprehendit [illegible].

Super montes excelsos, & colles.] De istis locis, in quibus [illegible] celebritas obiit vili etiam pij, deinde [illegible] quæ pie simpliciter appellarentur excelsa, non tacetiam quæ alibi [d] tradidi, legique possum de excelsis Natalis [e] Comes, Pineda [f], Ribera [g], Pererius [h], Cerda [i]. Mitto vulgares notationes per antiphrasim, montis à non mouendo, & collis a collo, quod sit quasi collum montis inter cacumen eius & partem eius inferiorem existens. Tradit has glossa, simul cum etymo loci, officij, belli, libitinæ, parcæ; iuxta versus illos,

Lucus, & officium, bellum, libitináque, parca:
Ista per antiphrasim dicuntur nomina, monsque.

Deriuant alij collem à colendo, postquam colli loca superiora cœpta sunt: aut è Græco κολώνη siue κολωνὸς montem non à mouendo tantum, sed etiam à monendo, aut manendo, aut à μένος, quòd solus maneat, nec abeat. Leuiora sunt hæc.

Et subter omne lignum frondosum.] Lignum accipitur pro arbore, quam hic valet δένδρος, vt alibi sæpe; notátque Eugubinus, cum LXX. soliti sint lignum etiam reddere, id est, ξύλον, pro arbore, nunc arborem, hoc est, δένδρον, transtulisse: Addit, quòd Gentes suis diis arbores consecrabant (transcribit hoc, nomine tacito. Cornelius) vt omnes penè docent historiæ, præsertim Dianæ, quam nemoribus delectari opinabantur: & quod sæpe in historiis legitur martyrum, eos esse ad aliquam arborem ductos, vt ibi deos adorarent, eisque nonnullas radicitus ad eorum orationem euulsas. Huc faciunt quæ de loco c. 7. [k] attulimus. Videtur dæmon hominibus, exemplo arboris initio vetitæ, per quam genus humanum perdidit [l], hominibus persuadere voluisse, arboribus plerisque inesse vim, quam primæ illi ab eodem decepti primi parentes inesse crediderunt; atque ea ratione in iis coli & adorari. Notæ Dryades, quas velut numina Ethnici opinati sunt in arboribus contineri, nominatim in quercubus: apúdque Gallos Druydæ arbores in primis colebant: denique, Plinio [m] teste, arbores fuere numinum templa, priscóque ritu simplicia etiam rura, præcellentem arborem Deo dicabant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quàm locos & in eis silentia ipsa, inquit, adorabant. Refert præterea dicatam Ioui esculum, Apollini laurum, Mineruæ oleam, Veneri myrtum, Herculi populum: & Syluanos Faunósque, ac dearum genera syluis attributa. De lauro Apollinis seu Phœbi testimonia complura Cerda [n] noster profert ex Aristophane, Virgilio, Ouidio, Seneca, Euripide, Lucretio, Lucano, Cedreno: de olea Mineruæ ex Thucydide: in genere de cultu quercus apud Celtas ex Maximo Tyrio; de quadam arbore pino, quam excidit Martinus, nihil in ea religionis esse asserens ex Sulpitio in eius vita [o]. Celebre item Dodonæum oraculum, è quercu reddi solitum, cuius auctoritate transmissus ad alios plurium deorum à Græcis cultus, vt ait Herodotus [p]. Questus est Deus aliquando de iis, qui consolabantur (Hebraicè incalescebant, ardore videlicet ac furore venereo) in diis, eos colendo subter omne lignum frondosum [q]; & sub illo prosternebantur velut meretrix [r]: simúlque reprehensa sunt sacrificia in montibus seu in excelsis [s], & qui ea ibi celebrabant [a], [illegible] qui abstulerunt excelsa [b]. Verum Deus [illegible] aut [illegible] non potest [illegible] amœnitate [illegible] omnino nec fas [illegible] ad vitiorem arborum [illegible] omnium excrement. [illegible] est [illegible], sed tellutis, vt potius [illegible] pondus sisuchisteræ ctò [illegible] & pios [illegible] intentione [illegible] contra [illegible] conueniunt ex latebris secur [illegible] quumque occasionem quærentibus pateat loca, & oculis exposita, quæ introgressi & videri ab aliis, & videre alios possunt, sacris maximè apta sunt & accommodata. Talis tamen religionis aliquod apud nonnullos vestigium exstitit Christianis, cùm adhuc in vestibulis ædium quarumdam sacrarum arbores plantatæ visantur. Quo modo alia retinentur ex Gentilibus detinata, vt oscula liminum, teste Chrysostomo [d], Februa lumina, teste Nazianzeno [e], &c.

Dissipate aras eorum.] Codices Complutenses, & Regij habent (*earum*) quod referri videtur ad gentes: pronomen autem (*eorum*) respicit deos. Quamuis & pronomen masculinum in simili sententia cap. 7. [f] non possit necti, nisi eum gentibus, id est, cum hominibus illarum gentium, de quibus agitur in eo loco, & isto. Ara quid ab altari differat, & quo pacto ferè semper accipiatur in partem deteriorem à sacra Scriptura, diceres ex annotatis ad eumdem locum septimi capitis, vbi præterea de sensu mystico quòd vitia omnia extirpanda sint, quemadmodum illius ac piis lofias contriuit statuas, succidit lucos, repleuit loca eorum ossibus mortuorum. Succisio lucorum, qui nullius vtilitatis sunt & obscuri, designat, vt scribit Philo [g], vitia animæ noxia, obscuros ac tetros mores profligandos: repletio ex ossibus mortuorum interitu perpetuo damnare oportere, ne vnquam resurgant, &c.

Et confringite statuas.] Omittitur pronomen quòd addunt editiones aliæ. De his cap. 7. [h]

Lucos igne comburite.] Ibidem est (*succidite*) etiam cum pronominis repetitione secundùm reliquas editiones sicut hic. Sed Græcè quidem vtroque in loco ἐκκόψετε, *succidetis*: priore autem loco Hebraicè תְּגַדֵּעוּן *thegaddeóhun*, Chaldaicè תְּקַצְּצוּן *thekatsetsun*, quæ significant succidere; hic תִּשְׂרְפוּן *thisrephun*, & תּוֹקְדוּן *thokedun*, quæ comburere, quod plus est quàm succidere. Combustio ad radices vsque penetrat: succisio non ita.

Et idola comminuite.] Hebraicè, *sculptilia deorum eorum concidetis*, וּפְסִילֵי אֱלֹהֵיהֶם תְּגַדֵּעוּן *pesile elohehem thegaddeóhun*. Chaldaicè (*imagines idolorum eorum*, צַלְמֵי טַעֲוָתְהוֹן *tsilme tahhauathehun*. Græcè (*sculpta deorum eorum comburetis igni*, τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν αὐτῶν κατακαύσετε πυρί.) Nescio cur sic translatum sit à LXX. & in priore membro ἐκκόψετε, quod magis conuenit isti. Pro Græco item nomine γλυπτῶν, quod sculptilia significat, potuit poni non simile Latinitate donatum nomen idolorum, sed sculptilium, sicut cap. illo 7. [i] cum in eodem [k] ponatur nomen idoli, quod textus Græcus non habet, sed eius loco βδέλυγμα, *abominatio*. Vitulum aureum vidimus cap. 9. [l] igne combustum à Moyse, & in frusta comminutum: & in c. 33. [m] Numerorum imperatum confringi titulos, statuas comminui, atque omnia excelsa vastari. De vocabulo Idoli dixi alibi non semel. Gentiles quasdam

[a] Ib. d. c. 10.
[b] Iudic. 2. 2.
[c] quæst. 8.
[d] in Leuit. 26. 30. & in Num. 22. 41.
[e] Cassi etymo.
[f] 7. de reb. Salom.
[g] in Osee 4. n. 14. & 25.
[h] in Gen. 21. num. 15.
[i] in 3. Æn. v. 521. not. 20.
[k] vers. 5.
[l] Gen. 3. toto.
[m] lib. 12. c. 1.
[n] in Æn. 3. v. 90. not. 3.
[o] c. 10.
[p] lib. 7.
[q] Esa. 57. 5.
[r] Ier. 2. 20. & 3. 6. 13.
[s] ibidem.

Lignum pro arbore.

[a] 3. Reg. 22. 43.
[b] 4. Reg. 18. 4. & 23. 8.
[c] 4. 5. de mon.
[d] in 2. Cor. 13. 30.
[e] orat. 2. adversus Iul.
[f] vers. 5.
[g] l. alleg. legis.
[h] vers. 5.
[i] vers. 5.
[k] vers. 26.
[l] vers. 21.
[m] vers. 52.

Ara & altare differunt.

quasdam imagines seu idola colebant non in se, verum quatenus repræsentabant alium; cuiusmo vi ette N bis h ouuslor fuisse [a], vt seirce omnis gens quo Deus x erat, nec æter ltus [b] al , qualem appatet fuisse statuam Da gon [c]. Vn pollet ma species intelligi per statuas nda per idola.

a Dan. 3.1. & seqq.
b Iudith 5. 29.
c 1.Reg.5.

Di perdite nomina eorum de locis illis.] Singulariter in editionibus aliis *nomen* & (*de loco illo.*) De regibus illarum Gentium in c.7. [d] *disperdes nomina eorum sub cœlo* quod iuxta reliquas quoque editiones dicitur singulari numero (*nomen.*) Ibi formulam istam expen mus, exemplisque illustrauimus. Adiice ex saia [e], *perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem.*

d vers. 24.
e c.14.22.

Vers. 4.] Non facietis ita Domino Deo vestro:

Vers. 5.] Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis.

PARAPHR.

VT præcidatur occasio idololatriæ, & liberæ pro cuiusque arbitrio religionis cultúsque, quam Græci [illegible] nominant, in montibus, col bus, locis frondosis, siue lucis nemoribusque, decernit certum vnum locum esse debere, quem eligeret Dominus, designaréque, in quo solo fas esset sacrificare, vt magis constaret grata Domino sacrificia esse. Nec propterea tamen sequitur vnicum semper futurum fuisse, sed si plurea loca essent, aut aliqoando mutarentur, aut particulares a qui non in communi loco sacrificarent, n l horum fieri potuisse absque peculiari Dei permissione vel præcepto. Nam tabernaculum cum arca diu stetit in Silo [f]: deinde, vt quibusdam placet, in He on vel certè (quia non cunque sacrificatur est, ibi tabernaculum erat, vt in Ramatha [g], Massphat [h], Bethleem [i], sic etiam in dicto loco Hebron [k]) in Nube [l]: tum in Gabaon [m], denique post moram breuem trium mensium in domo Obededom [n]: in ciuitate Dauid [o]. & in templo quod Salomon construxit [p]. Adhæc in area Ornan Dauid altare extruxit iussu Dei [q]. Samuel in excelso immolauit [r]. Elias contra Pseudoprophetas [s]: ab Israëlitis vt idem Elias indicat [t]. In libri nostri cap. 16. [u] vetatur immolari phase in qualibet vrbium, quas Dominus Deus dedisset eis, sed in loco quem elegisset, vt habitaret nomen suum ibi. In Leuitici cap. 17. [x] cauetur, ne quisquam siue de domo Israël, siue aduena, offerat holocaustum, siue victimam, nisi ad ostium tabernaculi testimonij adducat, vt offeratur Domino. Et ibidem paulò [y] antè præcipitur, vt ad ostium tabernaculi offeratur victima. In Exodi cap. 20. [z] iubentur offerri holocausta & pacifica in omni loco, in quo memoria esset nominis Dei. Id tanta religione obseruabant Iudæi vt longissimè etiam positi conuerterent inter orandum oculos ad templum quemadmodum Ezechias ægre vertit se ad parietem, qui templum respiciebat [aa], & Daniel in Babylone orabat versus templum [bb]. Quia verò Rubenitæ & Gaditæ citra Iordanem altare ædificauerant, Israëlitæ reliqui religionem immutatam conquesti sunt [*]. Theodoretus [*] angustam ait fuisse terram possessionis, quippe n non eas fuerit 9 leucas longitudinis aquilone ad austrum, nec latitudinis ab ortu d occasum em d dum alias dictum est, vt facile vel ipsi pigri ad ædem consecratam adeundam quod an anno fieri debebat, excitari possent. Quin etiam ferunt vallem quæ tendebat in te m siccam & aridam priùs fuisse, illácque tum tanquam per vallem lacrymarum, iuxta id [a], *ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit*, vbi Hieronymus *transeuntes in vallem fletus, fontem ponent eam, benedictionem dabit legislator*, vbi Pagninus *operiet pluuia.*) Vnum Deum decebat vno in loco coli solemniter, ait Philo [b] & Iosephus [c], vt annotauimus in Leuitici commentario, admonentes hoc esse priuilegium legis euangelicæ, vt in omni loco possit offerri Deo oblatio munda [d], quod & Christus confirmauit in dialogismo cum Samaritana [e], colligentes præterea ritè ac rectè nihilominus certum locum sacris perficiendis (tametsi orari vbique possit, leuando puras manus [f], nec ad hoc quærendus mons necessariò altus, & solitarius, vt admonet Augustinus [g], nósque alibi) apud Christianos destinari & consecrari, vt ex ipso isto præcepto veteris legis argumentatus est Felix Papa IV. [h] Immò Apostoli verba quæ attigi, si de solemnibus precibus accipiantur, exponuntur per comparationem ad veterem legem quæ assignabat solam Ierusalem. Verùm plura nos loco dicto ad em propositum. Augustinus porrò Donatistæ respondens Fulgentio [i], lucem præsent similem, qui sequitur, obiicienti pro restricta & clanculatia Donatistarum Africana Ecc sia, subtiliter valdè ac solidè huic in modum it. *Audi quis sit locus electus, & quæ tribus Domini prædicata. In Psalmo* 131. *habes.* Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam præelegi eam. *Item in Psalmo* 121. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël. *Hic est locus electus, hic mons sanctificatus, hæc ciuitas super montem posita, ita vt abscondi non possit: hæc radix catholica, hæc vitis fructifera, longè lateque diffusa, quæ in Ecclesiastico* [k] *clamat, & dicit.* In Sion fundata sum, & in Ierusalem potestas mea. *Etenim oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem. Rectè me argueres, si in hac hæreditate manerem. At cùm in hac Dei Patris hæreditate non maneas, in hac Christi regis tribu non milites, cur desertor corripis militem, cur reus increpas innocentem? Et ego dico tibi. Attende tibi, ne offeras in omni loco, hoc est, in omni hæresi, & dicas, & hic Deus, & ibi Deus est: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, hoc est, in tribu eius, ibi offeres holocaustomata tua, & ibi facies omnia quæcumque præcepta sunt tibi. hoc fac & viues.* Sunt Augustini hæc omnia, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ notam spectant, non propriè ad locum sacrificij. Rabanus autem idololatriæ occasionem hic amputatam

f Ios. 18.1. Iudic. vlt. 2.
g 1.Reg.7. 17.
h ibid. v. 5. & seqq.
i cap.16.2.
k 2. Reg. 25.7.
l 1 Reg.21. 1.
m lib.3.3. 2.Par.1.3.
n 2.Reg.6. 11.
o ibid.v.12. & seqq.
p lib.3. 8.1. & seqq.
q 1. Paral. 21.18.
r 1.Reg.7. 9.
s 3.Reg.18 23. & seqq.
t c.19.14.
u vers.5.6.
x vers.8.9.
y v 3.4.5.
z vers.24.
aa Esa.38.2.
bb Dan.6. 10.
* Iosue 22. 10. & seq.
* q.6. in lib. Iudic.
a Ps.83.6.
b 2. allegor. leg.
c 4. antiq. c. 8. & 2. cõt. Apio.
d Malach. 1. 11.
e Ioan. 4.21. & seqq.
f 1. Timo. 2. 8.
g tract. 15. in Ioan.
h de consec. d. 1. c. 2. §. Iudæi.
i lib. cont. Fulg. c.18.
k c.24.15.

putari monens, vt vbi religio integra existebat, ibi & cultus congruus exhiberetur; adiicit mysticè nimirum nullum sacrificium, nullum munus Deo acceptabile fore extra Ecclesiam Catholicam, quia ipse est locus quem elegit Dominus vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo. Chrysostomus[a] huc ait Dauidem respexisse primis Psalmi 134. vobis; *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum: qui statis in domo Domini, in atriis Dei nostri*, loco veluti affigendo, nec sinendo resilire, vt omnis impietatis & simulacrorum interitus fieret. Theodoretus[b] circumscriptionem loci docet pro populo fuisse propensiore ad idololatriam: piis & scopum scientibus legis quemlibet locum consecratum ad Dei cultum, sicut cùm Elias in Carmelo sacrificauit. Quod factum vt & aliorum aliis in locis sacrificantium Deus miraculis confirmauit, ne quis offenderetur, ac ne illorum fama periclitaretur, inquit Abulensis[c]. Iterum Chrysostomus[d] rationem loci vnius dat, vt eo destructo, intelligeretur legem totam destrui ac Synagogam, quemadmodum confracta phiala iussu medici, ex qua sola ægrotum bibere præscripserat, satis perspicitur nolle medicum vt ægrotus bibat. Aquinas[e] quærens vtrùm adoratio requirat determinatum locum, definit requirere ad quandam decentiam, quemadmodum & alia corporalia signa non propter Deum ipsum, sed propter adorantes, & quidem ex consecratione spiritualem deuotionem concipi docet ab orantibus, vt magis exaudiantur, vt patuit in Salomone templum ædificante[f]; item ex mysteriis, aliísque sanctitatis signis ibi contentis: postremò ex concursu multorum adorantium. Anacletus[g] Papa profert hunc locum nostrum pro sacrandis Deo locis. Clemens[h] Romanus hinc probat iustè Iudæos propter impietatem in Christum factos captiuos per Romanos. *Nullo enim modo*, inquit, *possunt, qui inter gentes dispersi sunt, omnia perficere quæ lex iubet. Siquidem vetat eos Moyses aram extra Ierusalem collocare, & legem extra terminos Iudææ legere.* Quanquam hoc vltimum non satis intelligo, quo pacto legem extra Iudææ terminos legere non valeant. Illud autem Oseas[i] apertè prædixit, quod nempe dies multos sederent filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim: quia videlicet extra Ierusalem horum vsus illicitus erat. Iustinus[k] quoque martyr facit idem argumentum, isto præcepto satis indicatum cessaturam aliquando ceremoniarum celebrationem. In Concilio Aquisgranensi sub Paschali Papa I. & Ludouico[l] Imp. auctoritate huius eiusdem loci, simul cum loco prioris capitis[m], in quo benedictio maledictioque proponitur, & ex libro Numerorum[n], ac Iosue[o] de ciuitatibus, quas Leuitis attribui præcepit Deus; infertur quantum crimen sit Ecclesiastica bona diripere; & quòd si ea siue quæ Dominus præcepit, siue ea quæ eius populus sua sponte offerre voluisset, non alibi, nisi in loco, quem Dominus elegisset, vt esset nomen eius in eo, offerri iubebantur; proculdubio ea quæ Ecclesiæ sanctæ sunt collata, non alienis, sed eiusdem Ecclesiæ suis vsibus applicanda. In Concilio Parisiensi, sub Gregorio Papa IV. & Ludouico[p] Imp. decernitur ad Ecclesiam orandi gratia frequenter conuenire debere, tum testimoniis aliis diuinarum literarum exemplísque[q]: & propterea quòd caro & sanguis Christi ibi conficiatur & percipiatur, ac tam euidentibus oraculis, ibidem Deus inhabitare & exaudire polliceri dignatus est, & Pontifices sub tanta inuocatione illam Deo dedicant: tum verò etiam ob illa, quæ hic habentur. *Non igitur*, ait, *sicut se habet quorumdam reprehendenda, & emendanda consuetudo, propter ædiculas, quas sibi ad votum suum construunt; ibique Deo sacrificium offerri posse & debere contendunt, templa per sacerdotum ministerium nomini diuino dicata, penitus sunt negligenda, ac relinquenda; præsertim cum Dominus dicat in lege, Ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in illo loco holocausta ac victimas vestras.* Subdit mox quod paulò pòst[a] hic adhuc scribitur. *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum.* Profert deinum ex Concilio Laodiceni[b] canonem quòd non oporteat in domibus oblationes ab Episcopis & presbyteris fieri. Renouatum istud à Tridentino[c] Concilio videtur, ne patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum sacrificium à sæcularibus aut Regularibus quibuscumque peragi. Minùs id mirabitur, qui Platonem[d] leget, vetantem in particularibus domibus sacella fieri; quòd non possent ea dignitate & decoro curari, vt curantur communia. ἱερὰ μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω. θύειν δ᾽ ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινι, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων: καὶ τοῖς ἱερεῦσί τε, καὶ ἱερείαις ἐγχειριζέτω τὰ θύματα; οἷς ἁγνεία τούτων ἐπιμελής. συνευχέσθω δὲ αὐτός τε καὶ ὃς ἂν ἐθέλῃ μετ᾽ αὐτοῦ συνεύχεσθαι. ταῦτα δὲ γιγνόμενα τῶνδε χάριν ἔστω. ἱερὰ καὶ θεοὺς οὐ ῥᾴδιον ἱδρύεσθαι, μεγάλης δὲ διανοίας τινὸς ὀρθῶς δρᾶν τὸ τοιοῦτον. *Sacella nemo in priuatis ædibus possideto. Cum alicuius animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito, & sacerdotibus hostias, quibus sane harum rerum cura demandata est, prebeto. Simul autem ipse preces fundito: & quicumque cum ipso precari voluerint, eo simul apprecandi facultas esto. Hæc verò idcirco fiant; quia sacella & Deos instituere non est facile. Est enim maximi ingenij hæc rectè constituere.* Paulus Papa V. domesticorum oratoriorum ad Missas facultatem concedendi sustulit omnibus aliis, sibique ac Sedi Apostolicæ reseruauit, instituta quoque Cardinalium super hac re congregatione, qui quod inter se deliberauerint referant Pontifici. Constat id ex literis Cardinalis Horatij Lancelloti datis eiusdem Pontificis iussu die 10. Martij anni 1615. ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos. Legantur de loco celebrationis Missæ potissimùm Ioannes[e] Stephanus Durantus, & noster Ioannes[f] Baptista Scortia. Copia tot templorum, & sacellorum, & altarium, & sacrificiorum per vniuersum orbem, incomparabile Dei nostri beneficium, inæstimabile priuilegium nostrum; cùm nec incomprehensibilis desineret liberalitas esse, si vno solùm in loco ac semel dumtaxat in anno, Missæ sacrificioni interesse liceret, ac eiusdem communione participem fieri, vt piissimè simul ac verissimè ratiocinatur Thomas[g] de Kempis. Confert nihilominus ad coniunctionem maiorem animorum conuenire statis diebus in locum eundem sacrum, vel ad metropolim

[a] in Psal. 134.
[b] q. 15. in 1. Regum.
[c] in Leuit. 27 q. 4.
[d] hom. 1. cont. Iudæ.
[e] 2. 2. q. 84. a. 3.
[f] 3. Reg. 8. toto.
[g] epist. 1.
[h] 6. constit. c. 24.
[i] cap. 3. 4.
[k] cont. Trypho.
[l] li. 1. c. 37.
[m] vers. 28.
[n] c. 35. 2. & seqq.
[o] c. 21. 2.
[p] li. 2. c. 11.
[q] 2. Paral. 7. 12. Luc. 24. 53. Act. 2. 46. c. 3. 27.

[a] vers. 13.
[b] cap. 58.
[c] sess. 22. decr. de obseruandis & euit. celeb. Miss.
[d] 10. de legib.
[e] 2. de ritib. Eccl. c. 6
[f] 2. de Miss. sacrif. c. 13.
[g] 4. de imit. Christi c. 1.

polim Ecclesiam, vel ad parœcialem; de quo quibusdam in Conciliis monita erant: vel etiam anno Iubilæo ad Vrbem: & hoc quidem vltimum ad honorem debitum summo hierarchæ Ecclesiæque capiti deferendum; & quod Philo [a] ac Iosephus [b] antea etiam de itinere Ierosolymitano dixerunt, vt sepositis curis, vacetur tranquilliùs Deo; amicitiæ concilientur inter nationes differentes; principes Apostolorum Petrus & Paulus, ad quorum limina celebris peregrinatio est, deuotiùs colantur. Legantur varij tractatus de anno Iubilæo, tum verò Iacobi Cardinalis S. Georgij, qui fuit nepos Bonifacij Papæ VIII. [c] cuius tempore annus centesimus erat, deinde sub Clemente VI. 50. sub Vrbano VI. 33. sub Paulo II. 25. Tunc suspensio est indulgentiarum aliarum, & variorum priuilegiorum, vt dictum iter libentius suscipiatur. Incidi post hæc annotata in Franciscum Mendoçam nostrum disputantem in erudito commentario librorum Regum [d], an licuerit olim extra tabernaculum sacrificare, cúrque in vno tantùm id fieri oporteret. Cæterùm ex hoc diuino præcepto colligere licet, quo sensu apud Ieremiam [e] neget Deus locutum esse se cum patribus Iudæorum, & non præcepisse eis in die qua edoxit eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum. Videlicet sensus est, noluisse vt haberet vim præceptum id, nisi postquam peruenissent ad terram promissam, sicut neque circumcisi sunt in deserto, neque pascha celebrauerunt; & si qua sunt facta sacrificia, vt Exodi 24. [f] Leuitici 8. [g] & 9. [h] Numerorum 7. [i] non pertinebant ad quotidiana, statáque sacrificia, sed pro tabernaculi dedicatione, aut consecratione sacerdotis. Quòd si aliquando alia præter hæc facta sunt, quod probabilitate non caret, cùm pietati ac religioni congruat, voluntatis religiosæ libero studio id factum est.

a 2. alleg. legis. b 4. antiq. c. 7. vel 8. c 10. 6. Bibl. Patrum. d in c. 3. v. 3. annot. 6. sect. 1. & 2. e c. 7. 22. f v. 5. & seq. g vers. 14. & seqq. h v. 2. & seq. i v. 1. & seq.

Explanatio.

Non facietis ita Domino Deo vestro.] Chaldaicè (*coram Deo vestro* קדם יי אלהכון *kodam Iehouah elohachon.*) Breui admodum oratione (quam etiam distincto versu concluserunt satis inæqualiter, vt in aliis aliquando, qui Scripturas sacras in eiusmodi partes diuiserunt) amplectitur negationem præcedentium Moses, ne more Gentium absque delectu celebrent quouis in loco sacrificia, in montibus, collibus, locis frondosis. Vis autem permagna est in eo quòd vocat Dominum Deum ipsorum; quem scilicet more cæterorum falsorum deorum tractare non debeant. Obseruat Caietani Scholiastes Fonseca sub vocabulis Baal & Astharoth totum examen falsorum deorum complecti sacram Scripturam, quia Baal significat dominum, maritum, magistrum: Astharoth pluraliter denotare potentiam, robur, vim: & fortassis per hæc veri Dei à vetustioribus Chananæis & Phœnicibus attributa denotata, postea priscæ religionis ignaros ad idola deriuasse.

Baal & Astaroth.

Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris.] In Sixtinis codicibus Græcis est *ἐν μιᾷ τῶν πόλεων ὑμῶν, in vna ciuitatum vestrarum*: in aliis *ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν ὑμῶν, ex omnibus tribubus vestris*: aut *ἐν μιᾷ τῶν φυλῶν ὑμῶν, in vna tribuum vestrarum.* Rectè Abulensis monet non de singulis duodecim tribubus locum vnum eligendum, sed ex locis omnium vnum, seu de vna tribu quam malles. Nam in Silo tabernaculum fuit, quod erat tribus Ephraim siue Ioseph. Sed repulit postea Deus tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit [a]. Citat idem Abulensis eum locum: quem tamen exposuimus cum aliis non tantùm de translatione tabernaculi ex vno vnius tribus loco in locum alterius tribus, verùm etiam de regia dignitate translata ex vna in aliam tribum. Rabbi Hizkuni ad præsentem libri nostri textum obseruat Deum noluisse in eo exprimere locũ de quo loqueretur, eo quòd Maiestas diuina quieuit in multis locis, vt Silo, Nobe, Gabaon, templo Salomonico: debétque aliquis, inquit, docere discipulum suum per modum breuitatis. Pineda [b] verò noster existimat Deum hîc locutum de vnico & præfixo loco, id est, de templo Ierosolymitano, quem locum fortè non designauerit Moysi: sed postea Dauidi reuelauerit, qui sollicitus erat vt inueniret locum ei, tabernaculum Deo Iacob [c]: dicendo quòd filius ipsius ædificaturus esset domum nomini eius [d]. Is fuit Salomon, qui etiam dixit cogitare se ædificare templum nomini Domini Dei sui, sicut locutus fuerat Dominus Dauid patri suo [e]. Deus item ipse affirmauit elegisse se Ierusalem ciuitatem, vt esset nomen suum ibi [f]: & de Deo idem Dauid [g], *elegit Sion, elegit eã in habitationem sibi*: tũ idemmet Deus apud eumdem [h]; *hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Rursus ab eodem dictum legimus [i]; *elegi locum istum mihi in domum sacrificij.* De aliis locis, in quibus prius stetit arca cum tabernaculo credi potest, à Deo electa esse, vel per prophetam, vel per Angelum, vt sentit Fonseca Scholiastes Caietani: id tamẽ non ita clarè vt de loco templi Salomonici expressum reperitur, qui locus situs dicitur partim in sorte Iuda, partim in sorte Beniamin. Sacerdotes tempore Machabæorum dixerunt; *tu Domine elegisti domum istam vt esset domus orationis populo tuo* [k]. Ante diuisionem quidem terræ sanctæ non legitur electus locus, quia voluissent omnes illum in sua sorte habere, inquit Oleaster, nec nisi tempore Dauid; quoniã adhuc vigerent bella, non adeò tutum erat sedes suas relinquere, vt ad locum designatum conuenirent. Rationi primæ occurri posset, posita Dei designatione, quemadmodum tempore Dauid omnes acquieuerũt, quòd scilicet intelligerent voluntatem Dei. Indicat Iosephus [l] datum Dauidi præceptum de templo construendo in designato loco: quod alij voluntario solùm eiusdem studio tribuunt, vt nostri Serarius [m], Pineda [n], Salianus [o]: indicátque Dominus ipse; *quòd* [p] *cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè fecisti*, hoc ipsum mente tractans, & laudans consilium, pollicénsque præmium; *per cuncta loca*, inquit, *quæ transiui cum omnibus filiis Israel, numquid locutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi vt pasceret populum meum Israel, dicens. Quare non ædificastis mihi domum cedrinam* [q]? &c. In mente Dauidem habuisse ac Nathan prophetam quod hîc scribitur de loco eligẽdo, verisimile est, cùm tam ardenter Dauid de illo doceri appeteret. Nolebat solùmmodo extruere, ait Chrysostomus [r], sed etiam in loco aptissimo, & Domino valdè conuenienti; & opus ei erat inquisitione; tanta erat animi vigilantia. Scriptum etiam est quod cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid in area Ornan Iebusæi [s]. Quæ demonstratio videtur nonnullis facta, quando monuit eum Gad de altari in area illa

a Ps. 77. 67. 68. b 5. de reb. Salom. c. 4. c Ps. 131. 5. d 2. Reg. 7. 13. 1. Paral. 22. 10. 11. e lib. 3. Reg. 5. 5. f c. 11. 36. g Ps. 131. 13. h vers. 14. i 2. Paral. 7. 12. k 1. Mach. 7. 37. l 7. antiq. c. 13. vel 10. m in 2. Reg. 7. n 5. de reb. Salom. c. 5. o to. 3. annal. anno 2990. n. 48. p 3. Reg. 8. 18. q 2. Reg. 7. 2. r in Ps. 131. s 1. Paral. 21. 28.

illa construenda post visum Angelum cum euaginato gladio [a]: alias quando iam antè tradita ipsi fuerit descriptio fabricæ ac exemplaris, videlicet statim postquam conceperat votum de templo ædificando [b]. Lege citatum priùs Pinedam, quæque diximus ipsi enarrantes Psalmum 131. [c] in quo canit Dauid quanto desiderio teneretur ædificandi templum.

Vt ponat nomen suum ibi.] Sic ad verbum Hebraicè, non sine paronomasia eleganti לָשׂוּם אֶת־שְׁמוֹ שָׁם *lasciumm eth scemo sciam.* Græcè (*ἐπονομάσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ* [illegible], *ad cognominandum nomen suum illic vt inuocetur*; vel, *vt adnominetur nomen eius ibi, & inuocetur.* Chaldaicè (*vt collocet maiestatem suam ibi*, לְאַשְׁרָאָה שְׁכִנְתֵּיהּ תַּמָּן *leasraah scechinteh thamman.* Versu 11. similis phrasis, *vt sit nomen eius in eo*) Hebraicè (*vt habitet*, לְשַׁכֵּן *lesciacchen*) Chaldaice sicut hic (*vt collocet*) Græcè (*vt inuocetur*, ἐπικληθῆναι.) Versu 21. (*vt sit nomen eius ibi*) Hebraicè (vt ponatur) Chaldaicè (*vt collocet*) Græcè (*vt inuocetur.* Sic exponit Hugo præsentem locum nostrum de loco, in quo sit templum ad inuocandum nomen Dei, quod fauet coniecturæ nostri Pinedæ priùs allatæ de templo. In c.14. [d] (*vt in eo nomen illius inuocetur*) Hebraicè (לְשַׁכֵּן *lesciacchen, vt habitet*) Chaldaicè (*vt collocet maiestatem suam ibi*) sicut hoc loco: Græcè ἐπικληθῆναι, *vt inuocetur.* In c. 16. [e] (*vt habitet nomen eius ibi*) quod significatur Hebraicè per לְשַׁכֵּן *lesciaccben*: Chaldaicè (*vt collocet maiestatem suam ibi*) Græcè (*vt inuocetur.*) In c.26. [f] *vt ibi inuocetur nomen eius*) Hebraicè (*habitet*) Chaldaicè (*collocet* aut *habitare faciat maiestatem eius ibi*) Græcè (*vt inuocetur.*) In aliis [g] libris legitur nomen Dei vel alterius esse in aliquo loco, poni, habitare, fieri, habitare. Locis Deo dicatis in honorem ipsius vel Sanctorum accommodata nomina imponi solent aut Dei, Christive, aut Sanctorum; & quod præcipuum alicubi templum erat, olim Dominicum appellabatur, Græcè *κυριακόν*; quemadmodum dicata Deo dies vocatur Dominica & *κυριακὴ*: & vulgaribus quibusdam linguis adhuc nominatur Domus: quam quondam etiam dicebant *οἶκον Θεοῦ, domum Dei*: ostenditque [h] Ioannes Stephanus Durantus accipi synonymè Dominicum & Ecclesiam, pro loco consecrato: quod nomen Dominici, ait Eusebius [i], nō ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino impositum est. Sed falluntur qui in Bethel, quod significat domum Dei, & vbi Iacob erexit altare [k], templum ædificatum arbitrantur; quoniam ab Ierusalē distat milliaribus multis; quamuis persæpe [l] nomine domus Domini templum designetur: aliquando Ecclesia vniuersa [m], vel beatorum [n] habitatio. Domum Domini, Græcè *οἶκον τοῦ κυρίου*, pro templo vsurpat Concilium Grangrense [o]; Latinè Tertullianus [p], & alij. De vsu ædificiorum sacrorum Tertulliani Scholiastes Pamelius [q] agit, & qui scribunt de controuersiis; nósque non vno loco, maximè in actibus Apostolorum.

Et habitet in eo.]Hebraicè לְשִׁכְנוֹ *lescichno, ad inhabitandum eum, vel, vt inhabitet ipsum*: vel, si pro לְ *le* legatur וְ *ve, & tabernaculum suum*, nempe ponat, cum nomine, de quo dictum est: ita vt שְׁכֵן *scechen* sit nomen. Videtur hoc vltimum secutus paraphrastes Chaldæus transferens לְבֵית שְׁכִנְתֵּיהּ *leneth scechinteh, domum maiestatis suæ.*) In quodam Psalmo [a] cum domo Dei coniungitur locus habitationis eius מְקוֹם מִשְׁכַּן *mekom mischan*, Chaldaicè *locus paratus tabernaculo gloria*, vbi est quoque מִשְׁכַּן *mischan*: Græcè *τόπος σκηνώματος*. *Non habitat Deus in manufactis templis* [a]; & admirans dicebat Salomon ædificato iam templo: *Ergóne* [b] *credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui?* Deus ipse, vt alia prætereeam, cœlum sedem, terram scabellum pedum suorum vocans: *quæ est, inquit, ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus* [c]. Affirmat præterea quòd cœlum & terram implet [d]. Id cecinit quidam [e] poëta,

——— *Iouis omnia plena.*

Et alius [f],

Estque Dei sedes nisi terra, & pontus, & aer,
Et cœlum, & virtus superos, quid quærimus vltrà?
Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moueris.

Nun est Deus quodcumque vides, quocumque moueris, sed ibi est. Verùm alibi plura, cúrque certo loco Deus habitare peculiariter asseratur ob singulares quosdam effectus vt reddendi responsa, exaudiendi, admittendi proprium cultum, &c. Quod attinet ad vetus tabernaculum, templúmve, Hugo Dei habitationem interpretatur in seruitoribus suis.

Venietis.] Ex Hebræo (*quæretis & venies illuc*, תִדְרְשׁוּ וּבָאתָ שָׁמָּה *thidrescim vuatha sciammah.*) Ex Chaldæo (*quæretis & venietis illuc*, תִּתְבְּעוּן וְתֵיתוֹן לְתַמָּן *thithbebhun vethethun lethamman.*) Ex Græco (*& inquiretis, & intrabitis illuc*, καὶ ἐκζητήσετε, καὶ εἰσελεύσεσθε ἐκεῖ.) Denotat ista formula intensum studium ac vehementem cupiditatem locum talem Sanctum sacrúmque ac Deo dicatum visendi atque frequentandi. Quod valet ad comprobandum religiosum ac pium vsum sanctarum peregrinationum, de quo aliàs egimus, & integrum de eo tractatum Iacobus Gretserus noster separatim edidit, post Bellarminum item nostrum, & alios qui de rebus controuersis cum Hæreticis disputant.

Vers. 6.] Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium.

Nisi cum aliquo dispensaretur, vt aliquando factum antea retulimus, adiri debebat sacrificij causa, vel oblationis iniunctarum decimarum primitiarúmve, atque primogenitorum ex animalibus: vel rerum siue sponte, siue ex voto, destinatus à Deo locus, de quo priùs dictum est. Ter in anno conuentus hic imperabatur ad festum azymorum, ad Pentecostem, ad festum tabernaculorum, vt dicetur cap. 16. [g] habetúrque in Exodo [h]. De distincto triplici genere sacrificiorum ex animalibus holocausti, & pacifici, & pro peccato, actum est in libro Leuitici, docendo primi hostiam seu victimam totam ad solius honorem Dei incendi debuisse, solámque pellem ad sacerdotem pertinuisse: in secundo rogatum Deum vt aliquid

Margin notes (left column): a 2.Reg.24. 14.15.16. b cap.7.1.& seqq. c v.1.& seq. d vers.13. e vers.2.6. 11. f vers.2. g 3.Reg.8. 16.29.c.9.3.11.36.c.14.21.di 4.21.7.c.23.27.2.Paral.6.6.c.7.16. cap 33.7.1.Esd.6.12.li.2.1 9.&c. h 1.de ritib. Eccl.c.1. i ora. de laudib. Cōstantini. *Dominicum & Ecclesia synonymè, pro loco consecrato.* k Gen.28.17.22.c.35.7. *Domus Domini pro templo.* l Exo.23.19.c.34.26. Deut.23.18.c.25.13.Ios.9.23.Iudic.18.31.c.19.18.c.20.26. 2.Reg.1.24. c.3.15.c.5.11.lib.2.22.20.c.14.10. lib.3.5.1.c.5 3.c.6.1 & seq.c.7 & 8. & 9.& 10. & 14.15.& li.4.sæpe, & in Par.& li. Esdræ.Tob.14.7 Ps.5.8. Ps.22 5.Ps.25 8.Ps.26.4.Psal.19.1. Ps.41.5. Ps.51.10.Ps.54.15. Ps.83.5. 51.Ps.71.14. Ps.91.5.Ps.115.19. Ps.117.26. Ps.121.8.9.Ps.133.2.Eccl.4.17. Esa.2.2.3.c.22.15.c.37.1.c 38.20.22.c.60.7.c.66 20. Ie.7.2 c.19.14 c.20.1.2.c.26.2.7.9 10.18.&c.27 & 28 & 29 & 33 & 35.& 35.& 38 & 41.& 51.& 52. Thre.2.7. Baru.h 2.16.Ezech.8.14.16.c.9.3.6.c.10.19.c.11.1.& c.41.& 42 & 43.& 44 & 45 & 46.& 47.Dani.1.2 Oseæ 8 1.c.9 8.15.Ioel.1 9.13.14.16.Amos 2.8 Nahum 1.14.Sopho.1.9. Agg.1.2.4.8.9.14 c.2 4. 8.10. Zacha.1.16.c.7.2 3 c.8 9.c.12.7 c.14.20.21.Matt.12.4.c.21.13.Marc.11.17.Luc 19.9.Ioan.2 16.17. m 1.Tim 3.15.Heb.3.6.c.10.21.1.Pet.2.5.c.4.17. n Ioan 14 2. o can.5. p de idolol.c.7. q ibid. num. 29. & in Cyprian.de orat. & de eleem. & in liturgicis to.1. pag 58.& seq.item pag. 80. vsque ad 96.& pag 124.139.145.150.152.

Margin notes (right column): a Ps.25.8. a Act.7.48.49.c 17.24. b 2.Paral 6.18. c Esa.66.1.2. d Ier.23.24. e Virg.eclo.3. f Luc. lib.3. *Tabernaculum vetus, id est, habitatio Dei.* PARAPHR. g vers.16. h c.23.14.c.34.23.

coufertet, aut pro collatis actas gratias, ex eo autem ad honorem eiusdem Dei cremandos renes fuisse, cum toto adipe, aruina, reticulo: cedente in vsum sacerdotis armo & pectusculo, cæteris carnibus pertinuisse ad offerentem, qui comederet eas intra tabernaculi atrium: in tertio oratum pro peccato siue delicto, adhibitis variis ceremoniis. Decimæ assignabantur Leuitis, ita tamen vt decimam eorumdem partem soluerent summo sacerdoti: primitiæ sacerdotibus.

Explanatio. *Et offeretis in loco illo holocausta.*] (*Vestra*) addunt editiones aliæ. Offerre dicuntur & qui deferunt ac donant, & qui sacrificant. Vtrumque sententia videtur comprehendere. De nomine réque ipsa holocausti dictum alibi.

Et victimas vestras.] Chaldaicè (*victimas sanctas vestras*, vel *victimam sanctitatis*, seu *sanctificationis vestræ*, נִכְסַת קוּדְשֵׁיכוֹן *nischath kudscechon*) Græcè (*sacrificia vestra*, τὰ θυσιάσματα ὑμῶν.)

Quæ nomina, vt & Hebræum cũ affixo זִבְחֵיכֶם *zibchechem* communia esse possunt cuilibet generi sacrificiorum etiam holocaustorum, quæ priore membro nominata sunt. Cùm tamen hic seorsim ponantur vt ab holocaustis distincta, censentur pertinere ad alia duo genera pacificorum, & pro peccato, siue delicto. Ex quo genere animalium sacrificari possit, dictum alibi.

Decimas.] Sixtini codices Græci hoc omittunt: quod tamen extat in Complutensibus, Regiis aliisque, καὶ τὰς δεκάτας ὑμῶν, immò & in textu Hebræo Chaldæóque וְאֵת מַעְשְׂרֹתֵיכֶם *veeth mahhserothechem*; וְיַת מַעְשְׂרָתְכוֹן *veiath mahhserothechon*. Ex quibus rebus decimæ forent dictum alibi: & in Ecclesia quis harum vsus. Argumentum est, ait Hugo, quòd Ecclesiæ parochiali debemus facere oblationes nostras, & decimas reddere.

Et primitias manuum vestrarum.] Hebraicè וְאֵת תְּרוּמַת יֶדְכֶם *veeth therumah iedechem*, *& eleuationem manus vestræ*. Munsterus apostata exponit contributionem vel donationem: & in cap. 25. Exodi docet sumi aliquando pro primitiis, interdum pro ritu quodam oblationis, vt quòd armus & pectusculum in altum coram Domino leuaretur. Citat denique Hebræos, asserentes esse idem ac מִנְחָה *minchah*, donationem & contributionem, atque voluntariam separationem de externis rebus. Consensit Oleaster hanc hoc loco esse acceptionem, siue pro omni munere farinaceo, quod cum hostiis & carnibus offerri solebat. Scribit hoc loco Mariana noster pro voce *therumah* semper Hieronymum vertere primitias. Id non ita esse multis testimoniis ostendi potest, maximè ex libro Leuitici, cuius commentarium nostrum consule in indice vocum Hebraicarum. In Exodi cap. 30. [a] reddit Hieronymus de media parte sicli quæ offertur Domino, vbi est תְּרוּמָה *therumah* אַפְרָשׁוּתָא *aphrascuth*, εἰσφορά: in cap. 29. [b] de victimis pacificis quæ offeruntur Domino, vbi eadem nomina Hebræum & Chaldæum, sed Græcum ἀφαίρεμα: in c. 25. [c] de his quæ accipi deberent, vbi Græcum ἀπαρχή, *primitia*: in cap. 29. [d] de armo arietis separato, vbi ἀφαίρεμα: in cap. 36. [e] de eo quod offerebatur pro sanctuario, vbi ἀπαρχαί. In cap. 29. [f] Prouerbiorum auarus dicitur Hebraicè אִישׁ תְּרוּמוֹת *is therumoth*, Chaldaicè *iniquus*, עַוָּלָא *hhaunala*, Græcè eodẽ pacto παράνομος. Quasi dicas ex Hebræo virum munerum, quíque ea diligens etiam quæ ex sacris offerantur, peruersè agat vel iudicet: & vendicans sibi ea quoque quæ Deo sunt debita, fiscóque prouentus Ecclesiasticos applicat, ac magnas oblationes altari obligatas, vt rectè declarat Rodolphus Buynus [a]. Eidem Hebræo nomini solet respondere dictum Chaldæum אַפְרָשׁוּתָא *aphrascuth*. Sixtini libri habent hoc loco post θυσιάσματα, *sacrificia*, omissis decimis, vt dixi, τὰς ἀπαρχάς, *primitias* (quod omittunt alij) sed absque manibus manúve, cuius editio Hebræa Chaldæáque nominatim meminerunt. Sunt verò primitiæ manuum, vel manus ex iis rebus quæ labore comparantur, de quibus egimus aliàs: vel quæ manibus offeruntur.

a ibidem.

Primitiæ manuum quæ.

Et vota.] Additur (*vestra*) in reliquis editionibus. De his in cap. 27. Leuitici, & cap. 30. Numerorum. Non rectè autem Eugubinus ait vota hìc à LXX. vocari ἑκούσια. Diuersum quid sunt εὐχαί, quæ hoc loco ponuntur, & ἑκούσια, quæ sequenti membro, sicut & aliarum editionum vocabula differentes res denotant. Quamuis autem vota soleant esse de voluntariis ac spontaneis, ad quæ lex non obligat; tamen postquam suscepta sunt, obligant, distinguuntúrque à rebus, quas quis absque voto liberè, vltrò, sponte donat. Seorsim habet textus καὶ τὰς εὐχὰς ὑμῶν, καὶ τὰ ἑκούσια ὑμῶν.

Vota vltrò suscepta obligatoria.

Atque donaria.] Secundùm alias editiones *& voluntaria*, seu *spontanea vestra*) in quibus nec legis, nec voti debitum erat. Donariorum vocabulum teperies adhuc in Exodo [b], Numeris [c], Paralipomenis [d], historia [e] Machabæorum: sed indefinitè pro donis muneribúsve, non exprimendo quòd sponte fiant, licèt ratio eorum huiusmodi conditionem inuoluere videatur, & illam exprimant huius loci nomina נְדָבוֹת *nedboth* & ἑκούσια. Laurentius [f] Valla donaria negat locum repositorium donorum esse, quamuis dicat Seruius vbi dona oblata sunt, sed ipsamet dona, quæ videlicet offeruntur Deo. At de loco Virgilius [g] capiendus, siue de templis, quemadmodum quandoque puluinaria de iisdem.

Donaria.
b c. 25. 35. c. 35. 22. 29. c. 36. 3. c. 38. 24.
c c. 18. 29. c. 31. 50.
d li. 1. 29. 17.
e li. 1. 3. 30. li. 2. 2. 13. c. 12. 40.
f 1. Elegan. c. 6.
g 3. Georg.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boues Iunonis, & vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Nisi contentum poni contendas pro continente. Gellius [h] donariis consecrata intelligit, quæ templis. Apuleius [i] de Iunonis apud Samum fano loquens, donarium deæ perquàm opulentum nominat. Ouidius [k] eodem sensu cecinisse videtur,

h lib. 2. cap. 10.
i 2. Florida.
k 3. Fasto.

Si tua contigimus manibus donaria puris.

Macrobius inter deorum dona, quæ vocat donaria, & generaliter ornamenta, clypeos, coronásque numerat. Iurisconsulti [l] synonymum donatiuo faciunt donarium: vel cuilibet dono, vt vasis, vestis [m], &c. vel Imperatoris in milites, vt congiarium in populum [n]: vel præcipuæ cuiuis rei quæ etiam alicui detur [o]. Illam verò aliam acceptionem loci agnoscit præterea Siponiinus [p], Cornelius Fróto, & alij. Sed hìc & aliis locis diuinarum Scripturarũ sola congruit prior. Volũtaria oris sui quæ Dauid [q] orat fieri beneplacita, dicuntur נִדְבוֹת *nidboth*, τὰ ἑκούσια, iisdem nominibus quæ hic sunt. Ibi veteres exponentes de spontaneis oblationibus & sacrificiis, aut hymnis, laudibus, gratiarũ actionibus, precibus, omnibus bonis operibus sponte ac vltrò susceptis. Inde verò etiam intulimus, quod & hinc possumus, arbitrij libertatem: & ex voce Hebræa quæ principatum insinuat, quàm sit excelsi ingenij ac voluntatis proprium sponte seipsum Deo suáque offerre.

l Paul. de re milit. leg. qui excubias.
m C. de sacros. eccl. l. sancimus.
n Bud. in l. penult. de re milit.
o Alciat. 4. par erg. cap. 13.
p in cornucop.
q Psal. 118. 108.

Primogenita boum, & ouium.] Ante ista textus Græcus habet (καὶ τὰς ὁμολογίας ὑμῶν, & *confessiones vestras.* Suspicatur collector notatum ad Biblia Græca edita iussu Sixti V. cùm absint ab Hebræa & à vulgata nostra editione(quod etiam de Chaldæa verum est) vnà cum proximè præcedentibus τὰ ἑκούσια ὑμῶν, *spontanea vestra*, duas esse eiusdem sententiæ interpretationes & quia inferiùs [a] repetitur idem nomen ὁμολογίαν, vbi est idem nomen Hebræum נדבת *nidboth* quod hic habetur, & pro quo sunt in priore membro τὰ ἑκούσια, *spontanea*: Est quidem ὁμολογεῖν inter alia consentire & concedere: atque hoc in sensu ὁμολογία potest significare liberam atque voluntariam & spontaneam concessionem, Græcè ἑκουσίαν. Valet etiam ὁμολογεῖν pacisci, & ὁμολογία pactionem, vnde forsitan Gallorum *homologuer.* Sed hæc notio accedit potiùs ad vota, quæ spectant ad aliud præcedens membrum. Primogenita porrò masculina boum & ouium, non sola Domino addicta erant, sed aliorum præterea animalium etiam hominis; sed immolari non poterant nisi ex bobus & ouibus, sub quibus comprehenduntur quidquid est bouilli ouillique generis, necnon & caprini: primogenitum autem hominis redimi debebat siclis quinque. Lege dicta c.3. libri præcedentis.

a v.17.

Vers.7.] Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos, & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

Paraphr. EX victimis oblatis in holocaustum nihil cuiquam licebat comedere, quia totæ igni consumebantur, excepta pelle, quæ sacerdoti cedebat: si offerrentur pro peccato aut delicto, & inferretur de sanguine intra tabernaculum ad altare thymiamatis; nimirum pro sacerdotia, vel multitudinis, vel principis peccato seu delicto, non poterant ab vllo comedi, sed comburi extra castra: si pro priuata persona, sanguis non inferebatur intra tabernaculum; sacerdotes autem comedere debebant in loco tabernaculi siue sanctuarij, omnésque de genere sacerdotali masculini sexus, non autem is qui obtulerat. Votiuæ victimæ si essent mundæ, immolabantur, fuso sanguine per cornua altaris, crematóque adipe: carnes verò totæ ad sacerdotes pertinebant: si simpliciter donarentur, integrum dominium ad eosdem transibat. Cùm fiebat pacificum sacrificium, omnis adeps adolebatur, renes cum cauda, & duo renunculi incendebantur, armus dexter & pectusculum spectabant ad sacerdotes; reliquæ carnes erant pro offerentibus, quos oportebat eas comedere in atrio tabernaculi coram altari holocaustorũ, vbi Deus esse peculiariter censebatur. De his actum in libro Leuitici, & nonnihil in libro Numerorum. Pollicetur autem per Mosem Deus obseruantibus legem de oblationibus atque sacrificiis in loco duntaxat quem ipsemet elegisset, prosperum in omnibus successum, & beneficam prouidentiam auxiliúmque circa omnia quæ ipsi aggrederentur: Augustinus [b] quærit, quomodo inbeatur vt decimationes omnium fructuum, & primitiua pecora non manducentur, nisi in ciuitate, vbi templum sit: cùm eas Leuitis dari lex præciperet, sic autem fraudari viderentur iure

b q.18.

A suo sacerdotes & Leuitæ. Quia verò non subiicit responsionem, respondet Hugo, singulis annis Hebræos de omnibus bonis suis decimas ad opus Leuitarum separare debuisse; primogenita ad opus sacerdotum: iterum decimare nouem partes, decimam verò vnam conuenientes Ierusalem ter in anno in Pascha, Pentecoste, Scenopegia deferre, siue secundas decimas, secundas primitias, secunda primogenita, vnde epularentur ibi coram Domino cum Leuitis: præterea de tertio in tertiũ annũ tertias decimas, primitias, primogenita, quæ expenderent duobus annis media in vsus pauperum & peregrinorum: de decimis autem secundis hoc loco sermonem esse. Adiice de his B ipsis, atque etiam de primogenitis agi cap.14. [a] Sed non presè ac propriè ibi sumi decimas & primogenita, quæ hoc modo Leuitis debebantur & sacerdotibus; verùm vt præter illa debita duplicis generis exactè accepta & secundùm proprietatem in quantitate ac in primogenitura, seponerentur de bonis aliis, déque animalibus portio pro cuiusque facultate & arbitrio, ex quibus qui detulissent, comederent cum Leuitis; quod fas non erat de prioribus decimis atque primogenitis, quorum ius integrum erat Leuitarum & sacerdotum; & ad quorum solutionem compelli poterant; non ita ad posteriorum siue decimarum siue primogenitorum in minùs propria significatione acceptorum, ac solùm vt quid C eximium præcipuúmve seu melius significant, ad similitudinem priorum in propriâ significatione sumptorum. In Hebræo catalogo præceptorum negatiuorum [b] ista sunt spectantia. Qui vel parum comederit aut biberit de decima secunda, extra murum Ierusalem vapulabit. Deut.12. Erant enim decimæ illa secundæ sublimis quædam substantia ממון קדש *mammon ghcdulah*, quæ nec vendi, nec commutari in rem aliam potuit. Et sunt hic sex præcepta: videlicet quòd non erat edendum de frumento, vino, & oleo, quæ loco decimarum obuenerunt, extra Ierusalem, in immunditia, aut tristitia; nec potuit commutatio earum fieri. Sacerdos comedens primitias extra Ierusalem, vapulat. Sic ibi. Posset hic porrò commemoD rari quod genus lætitiæ in celebrandis festis religio permittat, siue intra Ecclesias, siue extra, siue in animo, siue etiam in corpore quoad victum, vestitum, &c. quoad ornamenta Ecclesiarum, voces instrumentáque musica.

a v.22.23.

b in 359. vsque ad 365.

Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri.] Id est, de hostia pacifica in atrio tabernaculi coram altari holocaustorum seu sacrificiorum, vbi singulari modo censebatur Deus esse, cui sacrificabatur. Comedere in conspectu Domini admonebat gratitudinis & modestiæ ac temperantiæ, typúsque quidam erat sumendæ Eucharistiæ. Solemne quoque Gentilibus fuisse conuiuari & epulari in sacris suis, aliàs notaui: & colligitur ex c.32. [c] libri nostri, ex Exodo [d], actibus [e] Apo E stolorum, 1.Cor.8. [f] Iusti porrò epulantur & exultant in conspectu Dei, & delectentur in lætitia [g]: quod est esse iucundum secundùm faciem sanctorum [h], hoc est, in conspectu sacrorum, antéque templum. Hugo argumentum elicit quod confratriæ possunt fieri in Ecclesiis; videlicet quia intra atrium conueniebant, & ibi comedebant ante altare holocaustorum.

Explanatio.

c v.38.
d c.34.15.
e c.15.20.
f v.4. & seqq.
g ps.67.4.
h Iud.16.24.

Ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum.] Lætati est prosperari: mittere manum ad aliquid est operari, quia instrumentum est manus omnium instrumentorum. Græcum verbum

Lætari, pro prosperari. Mittere manum ad aliquid, pro operari.

a in ps.67.4. & Leu.23.40. b v.12.

εὐφρανθῆναι ostendi alibi [a] exponi per epulari, & apud profanos quoque auctores pro cœna gaudium sumi. Paulo inferiùs [b] epulari coram Domino Deo dicitur iisdem verbis שָׂמַח *samach*, חָדָה *chada*, εὐφρανθῆναι, quæ hic eatant, & pro quibus ponitur lætari. Latior notio huius loci de prosperitate in cunctis operibus labore proprio susceptis. Nisi malis restringere ad opera agriculturæ, & alia, vnde cibus comparatur, quia mentio præcessit de comestione. Alioqui mitti manus dicitur ad sortia [c], ad eripiendum [d], ad affligendum [e]. quod vltimum nonnullus haud ita rectè de missione exercitus exposuisse [f] aliàs admonui. Idem valet extendere in aliquid manum: & hostem deplorat Ieremias [g] manum suam misisse ad omnia desiderabilia, videlicet vt diriperet. Parœmiali sermone dicitur cui prosperè succedunt omnia, quidquid manu moliatur, ad quiduis eam applicet, fœlicem exitum sortiri.

c Exod.32.19. d ps.143.7. e Actuum 12.1. f ibidem. g Thren.1.10.

Vos, & domus vestræ.] Chaldaicè (בְּנֵי *bene*, id est, homines domorum vestrarum) hoc est, vxores, filij, familia cuncta. Frequens hæc domus notio non in diuinis tantùm literis, verùm etiam apud scriptores externos.

Domus, pro tota familia.

In quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.] Singulari numero vtuntur editiones aliæ: significatur autem quamuis mittantur manus ad laborem, ex Dei benedictione, id est, beneficio potissimum pendere laboris fructum: benedicere namque Dei, vt sæpissimè moneo, benefacere est. Operibus manuum suarum benedixisse Deum Satanas ipse malignè testatus [h] est. Id Polychronius [i] ad rem refert agrariam. Intellexit res alias quascumque, ac negotia: ita vt voluntas Dei in manu eius (Iob) dirigeretur [k]. Quod aliter dicitur Deus facere, benedicendo ingredientem & egredientem [l], custodiendo introitum & exitum [m]: omnia quæcumque quis faciat prosperando [n]. Lege loci vltimi commentarium nostrum: & alterius psalmi [o] in quo Deus oratur, vt opera manuum nostrarum dirigat super nos.

Benedicere Dei quid.

h Iob.1.10. i ibid. in catena. k Esa.53.10. l Deut.28.6. m ps.120.8. n ps.1.3. o ps.89.17.

Vers. 8.] Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.

Paraphr.

CAuet ne quis pro arbitrio, cùm peruentum fuerit ad promissam terram, sacras ceremonias vsurpet, cùm circa res alias, tum præsertim circa oblationes & sacrificia; sed vt præscriptas exactissimè seruent, ac nominatim, ne alibi sacrificia celebrent, quàm in electo assignatoque loco à Deo: in deserto quædam in quibusdam sacris ritibus facta esse, prout occasio tunc tulit, & humano iudicio pro circumstantiis agi posse aut debere visum est; in posterum cuncta ex præscripto diuinæ legis singillatim ac distinctè peragenda, nihilque prætermittendum. Falsum est quod R. Salomon, quem citant Lyranus, & Abulensis [p]; videturque Oleaster consentire & Mariana noster, tradit, licuisse in deserto vbi liberet offerre oblationes voluntarias, vt holocausta, hostiásque pacificas etiam extra tabernaculum: immò & per annos 14. intra terram promissam, qui ad quietam possessionem obtinendam necessarij fuerunt. Nam in Leuitico [q] minatur Deus interitum Israëlitæ, & aduenæ seu proselyto, peregrinóve apud Israëlitas, qui obtulerit holocaustum siue victimam, non ad ostium tabernaculi: ex sacrificiis autem solùm necessaria sunt quæ vouentur, aut quæ pro peccato seu delicto dantur: voluntaria verò holocausta, & hostiæ pacificæ esse possunt. Hic etiam inferius [a] cauetur, ne quis offerat holocausta in omni loco, sed in eo quem elegerit Dominus: & cap.16. [b] ne phase immoletur, nisi etiam in loco quem idem elegerit. In Leuitico [c] præcipitur vt ingressi terram promissam cùm messuerint segetem, ferrent manipulos spicarum primitias messis ad sacerdotem. Denique ratio eadem cuiuslibet sacrificij quoad hoc: ne videlicet daretur occasio idololatriæ, nisi vno certo in loco, cùmque præscriptis ceremoniis fieret. Accedit, quòd in deserto non leguntur facta sacrificia, nisi publica & communia, primo anno exitus de Ægypto in monte Sinai [d]; iterum anno secundo in consecratione tabernaculi, sacerdotumque [e]; factæ præterea oblationes principum eodem anno [f]; túncque celebratum phase [g] cum omnibus ceremoniis suis. Vt plurimum verò loca sacrificiis aliis minùs apta erant, ac deerat sufficiens materia similæ seu farinæ dedicatæ atque vini. Itaque non solùm passim non sacrificabatur iuxta ritus legis, sed nec omnino sacrificabatur: sicut nec decimæ primitiæque soluebantur, nec festa obseruabantur, vel circumcisio, &c. vt benè demonstrat Abulensis [h]. In hoc sensu dicuntur singuli tunc quod sibi rectum videbatur fecisse, id est, nimisisse ceremonias & ritus in lege imperatos, adhibendo quos pro tempore, loco, circumstantiis, ratio dictabat conuenire, sacrificia item illa publica, quæ recensui fecisse in diuersis locis. Iuxta eumdem sensum fortasse intelligi possent alterius auctores opinionis, ac Theodoretus [i]; tribuuntur autem eadem Seuero in catena Græca m. s. qui scribit in omnibus locis, in quibus tentoria fixerant, obtinuisse sacrificia, ædificatis altaribus ex rudi lapide, antequam constructum esset tabernaculum: postea in isto, sed in vnaquaque mansione, hoc est, vt ego interpretor, indifferenter modò in hac, modò in illa: sed illis tamen tantùm vicibus, quas indicatu dixi à scriptura. Per eam verò occasionem singuli offerre poterant quæ volebant; & eo modo quo volebant, atque sic de singulis etiam verum est quod hic asseritur, quod sibi rectum visum est fecisse, videlicet circa ritum, modúmque sacrificandi, cùm non posset à lege assignatus obseruari. At ea in re peccauisse quamuis insinuet Procopius, non credo.

p q.4. q c.17.4.9. a v.13. b v.5.6. c c.23.10. d Exod.24.4.& seqq. e c.29.4.& seqq. Leu.8.& 9.& 10. f Num.7.1.& seqq. g c.9.2.& seqq. h q.4. i q.9.

Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie.] In editionibus aliis (*iuxta omnia quæ*, &c.) Accommodatè sumenda sunt omnia de iis quorum præcessit mentio, hoc est, de oblationibus ac sacrificiis. Suammet verò cum reliquis personam coniungit, & conciliandæ beneuolentiæ causa, vtque faciliùs persuadeat: & quia in dictis rebus præcipuæ ipsius partes fuerant, nec nisi ipso vel auctore, vel approbatore quidquam in eo genere fieri potuerat. Hodie autem significat vniuersum tempus ab egressu de Ægypto vsque ad illud quo Moses loquebatur.

Explanatio.

Singuli quod sibi rectum videtur.] Hebraicè & Chaldaicè (*omne quod rectum in oculis suis*, כָּל־הַיָּשָׁר בְּעֵינָיו *chol hayasciar behbenau*, כָּל דְּכָשַׁר בְּעֵינוֹהִי *chol dechasciar bebhenohi*) Græcè *quod placitum est coram se*, τὸ ἀρεστὸν ἐνώπιον αὐτοῦ. De nomine Græco lege commentarium actuum [k] Apostolorum, primæque Ioannis epistolæ [l], vbi Budæum [m] citaui, cum quo sentit Franciscus [n] Conanus. Deriuant alij arrestum apud Gallos nomen sententiæ supremi

k in c.6.2. c.12.3. l in c.3.22. m in Pand. l.fin. D. de senator. n l. comm. iuris ciu. c. vlt. n.9.

Arrestum unde. a Exod. 15. 26. b Iosu. 9. 25. Iud. 17. 6. c. 21. 24. 2. Reg. 18. 4. 3. Reg. 15. 11. c. 22. 43. 4. 4. 20. 30. c. 12. 2. c. 14. 3. 2. Par. 18. 1. c. 26. 4. c. 27. 2. c. 31. 20. c. 34. 2. c 1. Reg. 1. 23. 3. 18. d 1. Reg. 14. 36. 40. c. 24. 5. Iud. 14. 3. 7. e c. 17. 6. c. 18. 1. c. 21. 24. f 1. 2. g 1. Polit. c. 3. h l. 1. de hæres. & in anacephal.

supremi tribunalis ab *ἀρρέστων* incorruptum inuiolatúmque. Quibusdam videtur merè Gallica vox impedimentum significans, aut interdictum, ne res aut persona loco, statúve suo moueatur. Eadem formula vt facere dicatur quia quod rectum est coram alio, vt coram Deo, alibi [a] occurrit: vel quod cuipiam bonũ & rectum videatur [b]; vel facere bonum in oculis [c], vel quod videtur aut placet in oculis [d]. Maximè autem similis est nostro modus loquendi ex libro Iudicum [e]; *in diebus illis non erat rex* (id est, dux, princeps, iudex, rector, magistratus) *in Israel, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Oculi præ aliis membris animi sensa produnt: idcirco quod iudicat quis bonum, id bonum in suis esse oculis dici solet. *Maximum anarchia malum, anomiámque omnis habet anonomia*, inquit Herodotus [f], & *τὸ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, τῶν ἀναγκαίων ἐστι, imperare & imperari ex necessariis est*, ait Aristoteles [g]: barbarismum verò Epiphanius [h] ab Adami morte vsque ad Noë vocat, quia deerat princeps, & quilibet iuxta propriam opinionem procedebat, pro propria ratione pergebat, sibiipsi lex erat.

Vers. 9.] Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

Paraphr. PRopterea in deserto non sunt obseruati quidam ritus & ceremoniæ, quia ibi non suppetebant necessaria, sed requirebant fixam sedem, pacatámque possessionem terræ promissæ vltra desertum, vbi constitueretur certus ac determinatus locus, ad quem conuenirent sacrificij perficiendi causa, & eorum quæ spectabant ad illud. Contigit nihilominus postea intra ipsammet terram promissionis variis de causis, vt locus mutaretur, verbi gratia, ex Silo in Nobe, deinde in Gabaon, tum in Ierusalem, vt priùs quoque dictum est, sed & vt interdum separato in loco à tabernaculo suo arca poneretur. Abulensis [i] refert ex nonnullorum opinione, 14. annis ab ingressu in Chanaan arcam cum tabernaculo positam in Silo, vbi manserit vsque ad Heli per annos 344. tunc seorsim à tabernaculo arcam in castra delatam in Cariathiarim siue Gabaa, relicto tabernaculo in Nobe [k]; postea migrasse in Masphat [l], rursus in Nobe [m], deinceps in Gabaa [n]; in domum Obededom [o], in domum Dauid [p], in templum Salomonis, vbi firmiter mansit vsque ad captiuitatem Babylonis, quando arcam cum nonnullis aliis Ieremias abscondit [q]. Negat verò arcam in Masphat fuisse; quamuis ibi sacrificatum fuerit ex priuilegio, sicut & aliis in locis, in quibus non erat arca, vel tabernaculum; & aqua fusa in conspectu Domini, id est, coram altari tunc excitato: item negat fuisse in Nobe, quamuis concedat extitisse eo in loco altare ac tabernaculum, & sacerdotes, & panes propositionis: quoniam de Cariathiarim non est mota, donec Dauid transtulit eam in domum Obededom. Tractat eadem de re Abulensis in Exodi c. 20. [r] addens annis 89. mansisse arcam segregatam à tabernaculo: & reperit quòd arca apud Philisthæos, à quibus capta est, mansit 7. mensibus: cùm reducta transisset per Bethsames, adductam in Cariathiarim in Gabaa, vbi hæsit per totum tempus Samuel & Saol, id est, per 47. aut 48. annos, adiiciendo annos 7. primos regni Dauid in Hebron; qui paulò pòst confecto bello contra Philisthiim, reduxit eamdem ex dicto loco, primùm in domum Obededom: deinde lapsis fere tribus mensibus, in domum suam, vbi hæsit annis circiter 32. regni eius, & per nouem Salomonis: qui tandem collocauit in templo; in quo mansit cum tabernaculo vsque ad captiuitatem Babylonis & Ieremiæ, vt dictum est. Quod attinet ad tabernaculum, fuisse dicit cum arca in deserto, & in Silo vsque ad bellum primum contra Philisthæos, quando extra illud arca in castra comportata est, in Silo remanente tabernaculo; quod Samuel inde in Nobe transtulit: qua ciuitate à Saüle deleta, translatum est in Gabaon, vbi mansit vsque ad Salomonem; qui cum arca intulit id in templum, vsque ad Ieremiam; qui cum arca abscondit cortinas & altare incensi, quæ ad tabernaculum pertinebant, reliquis ex eodem remanentibus in Ierusalem, & partim translatis in Babylonem, vt vasis aureis & argenteis; partim confractis, vt vasis æreis, & columnis, cum alia supellectili ex eadem materia, quæ in massas redacta missa sunt ad eamdem ciuitatem: tabularis & ligneis Cherubim, similibúsque rebus combustis, cùm tanto pòst Cyrus, captiuitate soluta, remiserit vasa illuc transportata, quæ illata sunt in templum restauratum, iis quæ destructa fuerant, similibus refectis, arca excepta. Tandem docet sacrificia secundùm legem ordinariam fieri debuisse, vbi erant tabernaculum & arca quando simul erant; quando erant separatis in locis, in his etiam separatim fieri potuisse, sed opportuniorem locum fuisse, vbi esset tabernaculum; quia intra illud erant altaria holocaustorum, & thymiamatis. Probat exemplis sacrificiorum factorum seorsim in vno, & seorsim in alio loco: prætereà quoniam de vtroque, hoc est, de arcâ, & de tabernaculo dicitur quod nomen Domini in iis inuocatum est, quódque in tali loco vbi esset hæc inuocatio, fieret sacrificium. Adiicit de sacrificiis in Hebron, Masphat, Bethleem, Ramatha & aliis locis, peculiare vel præceptum Dei fuisse, vel priuilegium concessum sanctissimis viris, Samueli, Dauidi, Eliæ. Videntur hæc mihi omnia verosimilia. Huc autem pertinet quod nuper dixi, in præcepto isto de vnico loco ad sacrificia, respectum præsertim habitum ad templum, quod erat aliquando in Ierusalem à Salomone construendum. Cæterùm Seraphinus Capponus eruit salutare monitum; quamdiu suo se quis tegit capite iudicióve, requiem cordis habere non posse; ac proinde obedientiæ bonum eximium esse; quoniam quidquid agat obediens, rectum esse ambigere nequit, & longè gratius Deo esse: & meritò cum terra promissionis religiosum statum comparari. Extendit hoc idem ad bona opera extra Ecclesiam velut extra terram promissionis facta, quæ meritum non habent, nec animo pacem veram conciliant; quia qui ea operantur, non spiritu Dei aguntur, sed suo; non spiritu Christi, qui ad se venientium animabus requiem promisit [a], ipse verus obediens, ac non suam, sed patris voluntatem faciens.

i q. 5. k 1. Reg. 7. 5. l ibid. v. 5. m c. 21. 1. n 2. Par. 1. 3. 2. Reg. 6. 4. o ibid. 2. Reg. 6. v. 10. p ibid. v. 12. q 2. Mach. 2. 4. r q. 40. & seqq. a Matth. 11. 29.

Explanatio. *Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem & possessionem.*] Pro (*vsque in præsens tempus*) in aliis editionibus est (*vsque nunc.*) Requies מְנוּחָה *menuchah*, *κατάπαυσις*, Chaldaicè *domus quietis*, בֵּית נְיָחָא *beth neiacha*, significat locum fixum,

fixum, ac firmum, in quo consistatur, & habitetur permanenter; non ampliùs vagando & peregrinando, seu tanquam in diuersorio, hospitio, tabernaculo, itinerario. In eadem acceptione requies videtur alibi [a] accipi, videlicet pro stata, pacataque habitatione, vnde non sit ampliùs migrandum, pro qua non sit laborandum vel pugnandum, quæ post peregrinationem, laborem, aut fortassis etiam bellum, comparata sit. Quin etiam eodem sensu vocatur quies Dei [b], vbi nempe ipse quodammodo conquiesceret, propter constitutum arcæ ac tabernaculo locum, in Ierusalem, quam auctor Ecclesiastici [c] appellat ciuitatem requiei Dei, & sanctificationis eius; quia ibi erat templum, pérque cultum externum declarabatur sanctitas illius: & illum locum ipse peculiariter elegerat præ aliis, in quo habitaret, ac requiesceret. Comparans Ieremias [d] reditum ex captiuitate Babylonica in Chanaan, cum beneficio primi itus eam ex Ægyptiaca ingressus; *inuenit*, ait, *gratiam in deserto populus, qui remanserat à gladio: vadet ad requiem suam Israel.* Possessionem adipisci is non videtur, vt c.3. [e] ex Iurisconsultis [f] docui, qui ita nactus est, vt eam retinere non possit. Elicit Hugo aliam esse legem peregrini, aliam ciuis: eséque quasi argumentum, quòd peregrini & laborantes possint comedere bis in Quadragesima.

a Exod.33.14. Deut.3.20.c.25.19. Ios.1.13.15. Ruth.1.9. c.3.1. 2.Par.6.41. psal.94.11. psal.131.8.14. Eccl.36.15. Isai.32.18. Hebr.3.11.18. c.4.1.3.5.8.10.11. b 2.Par.6.41. psal.131.8.14. Eccl.36.15. c c.36.15. d c.31.2. e v.10. f l. Non videtur D. de acqui. posse. l. sequitur. §. tunc in possessionem, & §. si Dominus D. de vsucap.

Quam Dominus Deus vester daturus est vobis.] Hebraicè, & Chaldaicè (*quam Dominus Deus tuus dans tibi*) quod participium, vt sæpiùs admonui, admittit præsens tempus, in quo est δίδωσι, & futurum, quod habet editio nostra: quod vtrumque verum est, quatenus qui statim daturus est, iam dare censetur, & qui nondum dedit, propriè adhuc sit daturus. Sed Græcum pronomen ἡμῶν, vt dicatur Dominus Deus noster, non congruit cum pronomine secundæ personæ, nec plurali in nostra, nec in aliis singulari.

Vers. 10.] Transibitis Iordanem, & habitabitis in Terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis:

Vers. 11.] In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vouebitis Domino.

Paraphr.

EXponit Moses in quo consistat requies possessionis promissæ, vt nimirum non sit ampliùs metus vllus ab hostibus, sed omnibus circumquoque debellatis aut deditis, in dicta possessione tutò permaneatur: ac ad locum à Deo singulariter electum deferantur victimæ, decimæ, primitiæ, munera tum votiua, tum spontanea. Prædictio prophetica Mosis est de populo, non etiam de seipso, qui prohibitus iam erat Iordanem transire [g], futurum vt non modò transiret Iordanem, in cuius ripa erat, verùm etiam obtineret vltra flumen illud terram toties promissam. Iosue quidem certè cùm de suis ad oppidum Hai cæsos 36. animaduertisset, scissis vestimentis suis, pronus cadens in terram coram arca Domini (siue illa esset à tabernaculo separata, quod contigisse aliàs antea dixi, siue intra tabernaculum) vsque ad vesperam, cum omnibus senibus Israël, & misso puluere super capita (de quibus supplicum ritibus actum alibi) dixit. *Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem flumen, vt traderes nos in manum Amorrhæi, & perderes?* (potuit id Iosue sibi persuadere à Deo factum, salua fidelitate promissi, quod inuolueret conditionem; dummodo peccata populi non obstarent) *vtinam vt cœpimus, mansissemus trans Iordanem* (optare licet malum quod præteriit, numquam extitisse; quoniam boni rationem quamdam habet, quemadmodum pœnitens optat non peccasse.) *Mi Domine Deus quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem* [a]? &c. Atqui filij Israël præuaricati fuerant [b]; quemadmodum & postea propter similem causam non sunt consecuti possessionem vniuersæ promissæ terræ, nisi vsque ad ætatem Salomonis [c], vt vacare posset ædificationi domus Dei [d]; quam præuaricationem Angelus etiam exprobrauit [e]. Quamquam & alia simul accessit causa, vt armis exercitati non torperent otio [f].

g sup.c.4.21. a Ios.7.6.& seqq. b ibid.v.1. c 3.Reg.5.4. 2.Par.8.7. Eccl.47.14.15. d Eccl.47.15.

Transibitis Iordanem.] Præponitur (&) in editionibus aliis. De se verò Moses c.4. [g] dixit iratum Dominum iurauisse, quòd non transiret Iordanem, nec ingrederetur terram optimam quam daturus erat aliis; sed se moriturum in ea humo, in qua loquebatur, nec transiturum Iordanem, sed ipsos transituros, & possessuros terram egregiam.

Explanatio. e Iud.2.1.& seqq. f ibid.c.3.1.2. g v.21.22.

Et habitabitis in terra.] Parum erat transire Iordanem, ingredique terram, nisi daretur etiam habitare in illa, vt priùs verbis Iosue retuli. Promissio illa tam absoluta, etsi aliquando peccatis interturbata fuerit, attamen Deus non penitus abiecit eam, nec irritum fecit pactum suum, etiam cùm Hebræi essent in terra [h] hostili: donec planè facta est plaga eorum desperata, quemadmodum post aduentum Christi, quem despexerunt & crucifixerunt.

h Leu.26.44. 28.33.

Quam Dominus Deus vester daturus est vobis.] Iuxta editiones alias (*hæreditare*, seu *possidere faciens*, videlicet erit, aut *hæreditare, possiderève faciet vos*, מַנְחִיל *manchil*, מַחְסִין *machsin*, κατακληρονομῶν.) Toties ac tot modis istud promissum repetit, ingerit, inculcat Moses, vt populum confirmet; atque ad cupiditatem promissæ terræ, promittentis verò tam liberaliter, & asseueranter Dei, inflammet.

i v.15. k Deut.25.19. Ios.1.13.15. Esa.14.3. c.58.11. Esth.2.18. 2.Reg.7.1.11. 1.3.5.4. c.8.56. 1.Par.22.18. c.23.25. l 2.15.15.

Vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum.] In editionibus reliquis (*& requiescere faciens*, vel *faciet*, וְהֵנִיחַ *vehenniach*, וְיָנִיחַ *veiiniach*, καὶ καταπαύσει.) De vocabulo Latino hostium egi c.7. [i] quódque synonymum nonnumquam sit inimicis, nec de publicis dumtaxat, sed & de priuatis dicatur. Hoc loco publici intelliguntur: & requiescere ab hostibus indicat requiem versus præcedentis. Dare requiem, & requiescere facere, est efficere vt nulla sint bella, nullus Satan, nec occursus malus [k]; idémque valet requiem habere, vel terram quiescere à prælijs [l].

Dare requiem, & requiescere facere, quid. l Ios.11.23. Iud.3.11.30. c.5.32. c.8.28. 2.Par.14.1. c.20.30. Zach.1.11.

Et absque vllo timore habitetis.] Hebraicè בֶּטַח *betach confidenter*, quod valet etiam Chaldæum (לְרוּחְצָן *leruchtsan*:) Græcè (*cum securitate*, μετ' ἀσφαλείας.) Magni faciendum beneficium absque timore, & terrore, confidentérque habitare ac requiescere [m]: quod aliter describitur parœmialiter

m Prou.1.33. c.28.1. Ezech.34.28.

per ha

per habitare absque timore vllo sub vite sua, & sub fico sua [a], vel comedere de vinea sua, & de ficu sua, & bibere aquam de cisterna sua [b], vel sedere subter vitem suam, & subtus ficum suam, ita vt non sit qui deterreat [c]; vel vocare amicum suum subter vitem, & subter ficum [d]: vel plantare vineas, bibere vinum earum, facere hortos, & comedere fructus eorum [e]. Timor Domini sanctus nunquam deponendus: verùm orandus etiam, *vt sine timore* (seruili) *de manu inimicorum nostrorum* (peccati, carnis, diaboli, mundi, ita vt superentur facilè) *liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris* [g], possidendo portas inimicorum nostrorum [h].

a 3. Reg. 4. 25. b 4. Reg. 18. 31. Esa. 36. 16. c Michæ. 4. 4. d Zach. 3. 10. e Am. 9. 14. f Ps. 18. 10. g Lucæ 1. 75. h Gen. 22. 17.

In loco quem elegerit Dominus Deus vester.] Videtur hæc ex sequentibus pendere, præsertim secundùm alias editiones; vt sit sensus idem qui priùs de loco destinato ad oblationes, atque victimas deferendas (*& erit locus*, &c. *illuc feretis omnia*, &c. Terram quidem totam Chanaan elegit Deus pro populo suo, próque cultu suo, & pollicitus habitationem quietam & securam in ea; tamen electio per se intelligitur de loco cultus diuini: & securitas requiésque absque timore ab hostibus eò referebatur, vt ad locum illum conueniri posset. De habitatione in ipsomet loco dicato cultui interpretatur etiam Abulensis; verùm ad illud tempus quo religionis causa conueniretur ad illum ter in anno ex lege [i], præterea de Leuitis, qui magno numero aliquando habitaturi erant in loco sanctuarij, sicut contigit sub Dauide [k]. Propter templi locum dicitur ciuitas quoque Ierusalem à Deo [l] electa, & idem dici potest de tota regione Iudæa [m].

i Exod. 23. 14. c. 34. 23. Deut. 16. 16. k 1. Par. 23. & 24. & 25. & 26. l 3. Reg. 8. 16. 44. 48. c. 11. 13. 36. c. 14. 21. 4. 21. 7. c. 23. 27. 2. Par. 6. 5. 6. 34. 38. c. 7. 12. 16. c. 12. 13. c. 33. 7. m 2. Esd. 1. 9. n Matth. 4. 5. o Ps. 75. 2.

Vt sit nomen eius in eo.] Hebraicè, & Chaldaicè (*vt habitet*, vel *habitare faciat nomen suum in eo*) Græcè (*vt inuocetur nomen eius illic.*) Lege versum 5. vbi de loco cultus diuini eadem dicuntur: licèt, vt hîc paulò antè dixi, terra tota electa esset à Deo: cognominetúrque sancta, peculiariter autem ciuitas Ierusalem [n], quia in ea communiter colebatur verus Deus ab omnibus habitatoribus ipsius, notúsque in Iudæa erat, & in Israël magnũ nomen eius [o]. In alijs aliqui pauci erant cultores veri Dei, vt Iob & amici eius; & post istos alij, vt de Brachmanis vetustioribus, déque Socrate, & Platone quidam arbitrantur. De loco eodem pro terra tota promissionis dicit Deus ipse in Exodo [p]: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui.* Nec enim ad vnum adeò angustum locum omnes introduci poterant. Rectè nihilominus Abulensis de loco ad cultum ipsum Dei destinato quæ hîc dicuntur accipi vult, quia statim subditur illuc conferenda holocausta, hostias, decimas, &c. Quæ etiam repetitio est sententiæ priùs [q] positæ, in qua locus eligendus dicebatur de cunctis tribubus, id est, vnus peculiaris pertinens ad vnam ex tribubus, vt poneret Deus nomen suum ibi, & habitaret in eo.

p c. 23. 20. q v. 5. 6.

Illuc omnia quæ præcipio conferetis.] Addunt editiones reliquæ (*ego*) quod non caret emphasi: & Græca (*hodie*, σήμερον) Præcipiebat verò Moyses, denunciando præceptum Dei: non quòd obligaret ad res omnes conferendas, quæ hîc deinceps numerantur; sed vt offerre volentes, in locum illum deferrent: quemadmodum superiùs declaratum est. Etsi autem, vt paulò antè dixi cum Abulense, verba hæc insinuant locum peculiarem deputatum sacris ritibus; non obstat quin per synecdochen de tota regione, tota quam is esset, interpretemur: vt nempe conferrentur in eam oblationes & victimæ, quatenus in certum locum qui pars eiusdem foret.

Holocausta, & hostias, ac decimas.] Recensita sunt eadem versu 6. ac vtrobique adiecto pronomine possessiuo secundùm reliquas editiones (*holocausta vestra, & hostias vestras*) Chaldaicè (*hostias sanctificatas vestras, ac decimas vestras*) & Latinè pro hostiis victimæ sunt. Quamuis porrò agnoscant quidam discrimen, de quo alibi [a] meminimus inter hostiam victimámque,

[b] *Victima quæ cecidit dextra* (malè aliqui ferro) *victrice vocatur,*
Hostibus a domitis hostia nomen habet.

tamen hæc licenter confudit auctoritas, inquit Seruius [c]. Cuius exemplum hîc habemus, vt modò notaui, & alibi sæpe. Quod sacrificij genus esset holocaustum, nemo ignorat: hostiæ victimæve nomine duplex comprehenditur, pacificum, & pro peccato seu delicto, quæ sunt etiam non semel declarata; sicut & de decimis legitimis & spontaneis, prædialibus quasique prædialibus, & personalibus & mixtis: peculiariter in Leuitici cap. 27. [d] & Numerorum c. 18. [e] de quibus agitur quoque c. 14. [f] libri nostri, saltem de quadam earum specie. Superiùs versu 6. erant αἱ δεκάται, hîc τὰ ἐπιδέκατα, quemadmodum & c. 14. [g] Sed idem significant. Agens porrò Abulensis [h] hoc loco de decimis prædialibus & personalibus, admonet ea Scriptura colligi, ad personales Iudæos obligatos non fuisse.

a in Leu. 1. 2. b Ouid. 1. Fasto. pro quo citat Abulensis Hebrardũ. c in 1 Æn. *Holocaustũ. Hostia.* *Decimæ.* d v. 30. e v. 21. & seqq. f v. 22 & seqq. g v. 22. h q. 7.

Et primitias manuum vestrarum.] Versu 6. aberat Græcè nomen manuum, quod hîc habent codices Complutenses, Regij, & alij. Coniungunt autem nonnulli cum decimis, ita vt & hæ, & primitiæ dicantur esse manuum; quæ in 2. Esdræ [i] vocantur operum hominum. Probabilius tamen est ad solas pertinere primitias, vt & inferiùs versu 17. vbi Græcè ponuntur immediatè post ὁμολογίας. In quibusdam codicibus Græcis sequitur καὶ τὰ δόματα ὑμῶν, *& data* seu *dona vestra*: & ita Theodoretus [k] videtur legisse, admonens cæteros interpretatos τὰ ἑκούσια, *spontanea*. Vnde colligit collector notarum ad Sixtina Biblia Græca ἑκούσια, δόματα, ὁμολογίας videri esse diuersorum interpretum. Sed pro ὁμολογία debuit scribi εὐλογία: quæ versu 6. habetur, & versu 17. de qua in 6. diximus. Abulensis obseruat in primitiis quantitatem certam iniunctam non esse: quamuis traditio fuerit apud Hebræos, vt qui plurimum offerebant, offerrent quadragesimam; qui paucum, sexagesimam: inter illas duas licuisse quodcumque quis vellet offerre. Meminit traditionis Hieronymus [l]. Omitto primitias spicarum die secunda azymorum [m]; panum in Pentecoste [n]; panum quos hebdomatim pinsebant [o], messis & vuarum collectis fructibus mense septimo: quæ acceptio vltima conuenit absolutè nomini primitiarum in Scriptura.

Primitiæ. i c. 10. 37. k q. 9. l in Ezech. 45. m Leu. 23. 10. n ibid. v. 17. o Num. 15. 21.

Et quidquid præcipuum est in muneribus quæ vouebitis Domino.] In fine est pronomen (*vestris*) Græcè (ὑμῶν) pro præcipuo est in eadem editione, Hebræaque (*electum*, ἐκλεκτὸν מִבְחַר *mibchar*) in Chaldæa (*pulchrum*, seu *pretiosum*, שְׁפַר *sciphar.*) Huiusmodi res, ac personæ meliores & perfectiores cognominari solent electæ, vt sepulchra [p], currus [q], principes [r], viri [s], vrbes [t], abietes [u], Iacob [x], sancti [y], &c. Sed ad rem faciunt quæ in libro Numerorum [z] appellantur donaria optima & electa, vbi est simile vocabulum Chaldæum isti quod hîc extat. Hebræum חֵלֶב *cheleb*, pinguedinem significans,

p Gen. 23. 6. q Exod. 14. 7. r Exo. 15. 4. s 2. Reg. 6. 1. c. 23. 14. t 4 Reg. 3. 19. u c. 19. 23. x 1. Par. 16. 13. y Tob. 13. 10. z c. 18. 29.

significans, adipémve. Græcum verò duplex *τῶν ἀπαρχῶν τῶν ἡγιασμένων, primitiarum sanctificatarum.* Vinum præcipuum in historia Esther [a] simul cognominatur magnificentia regis dignum, Hebraice (*vinum regni abundans secundum manum*, id est, facultatem, seu potentiam vel imperium regis, יין מלכות רב כיד המלך *ien malchuth rab chejad hammelech*) Chaldaice (*dignum quod biberetur à rege, iuxta regia manus liberalitatem*) Græce οἶνος ἡδύς, *vinum dulce*, quod editio nostra in Ezechiele [b] vocat pingue, Hebraice, ac secundùm Græcos de Chelbon, quasi dicas, Hieronymo [c] expositore, lacteum; putatúrque esse, quod nominant Athenæus [d], Strabo, Hesychius, Eustathius Chalybonium, nascique dicunt in Damasco, sed perperam apud Suidam Chalydonium. Bella præcipua apud Esaiam [e] aliqui [f] exponunt cum tympanis & citharis, quibus Assyrij expugnandi essent, non quæ geruntur armis, sed sacrificia, quæ cum illis instrumentis offerebantur: atque id genus bellorum præcipuum videri, præcipuámque dimicandi rationem: alij victoriam illustrem, quæ comparatur pugnandi modo glorioso, soléreque enim tympanis, choris & sistris celebrari, vt contigit in transitu maris rubri [g], in truncato Goliath [h]; in deuictis Ammonitis à Iephthe [i], &c. Fauet expositioni primæ תנופה *thenaphah*, quæ vox tribui solet victimæ in sacrificio eleuatæ ac agitatæ, vt sæpe vidimus. Verùm iuxta posteriorem, quæ communior est, insinuatur illustris victoria, qua victor hostem, vt leo taurum, agitat quaquauersum: vel quasi iam certus de victoria, ipsa manuum eleuatione ouat, exultat, triumphum, etiam inter pugnandum, agit. Chaldaicè dicitur bellum forte תקיפא *thakkipha*. Terram promissam fluentem lac & mel præcipuam terrarum omnium cognominatam Latinè legimus in Ezechiele [k], Hebraicè צבי *tsebi*, *ornatam, elegantem, desiderium*, id est, desiderabilem *præ omnibus terris*, Chaldaicè (*gloriosam*, aut *laudabilem* תושבחתא *thushbachtha*:) Græcè (*fauum*, κηρίον) Significatur hoc loco nostra quæ offeruntur Deo præsertim ex voto, de quo mentio etiam fit, debere esse præcipua, selecta, pretiosa, quantum fieri potest optima & opima, quasi adipalia, lactea mellea, perfecta, sine macula & defectu. Hoc de victima votiua præcipitur in Leuitico [l]; *bouem & ouem, aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex eis solui non potest.* Vbi cognosce quæ commentati sumus ad mores.

a c.1.7.
b c.27.18.
c ibidem.
d l.1.c.22. vbi Casaub. citat alios.
e c.30.32.
f Franc. Forerius ibid.
g Exod. 15. 20.
h 1.Reg.18. 6.
i Iud.11. 34.
k c.20.15.
l c.22.23.

Vers.12.] Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filij ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Leuites, qui in vrbibus vestris commoratur. Neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos.

PARAPHR. Cvm conuenissent in locum electum à Deo ad sacros ritus Hebræi, non solùm ter in anno ea lege in [m] Paschate; Pentecoste, festo tabernaculorum, sed etiam alias ea libera deuotione, comedere debebant coram Domino de oblatis victimis, id est, coram altari holocaustorum, & non in alio loco profano, cum familia quisque sua, etiam cum famulis & ancillis. Quanquam lex ad ter conueniendum solos masculos obligaret, non autem fœminas siue vxores siue filias aliòve modo affines, siue ancillas. Quocirca quando cum duodennis Iesus iret cum parentibus per omnes annos in Ierusalem in die solenni Paschæ [a], fecit id B. Virgo ex deuotione, non ex obligatione. Quod alijs præterea duobus festis obseruasse credendum est, vnaque cum ipsum eumdem puerum Iesum, vt Beda [b] sentit & alij, canitque Iuuencus,

Ad templum læti puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

Locus meminit de solo Paschate ex occasione eius quod narraturus erat de Iesu remanente in Ierusalem parentibus redeuntibus ac inscijs, posteáque inuento inter doctores in templo post triduum, cùm audiret illos & interrogaret, vsque ad stuporem eorum qui audiebant super prudentia & responsis eius. Sed & Iesum, quamuis ob minorem ætatem non teneretur, venisse cum parentibus quoties illi profecti sunt, non dubito.

m Exod.23. 14 Deut. 16.16.
a Lucæ 2. 41.42.
b ibidem.

Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro] Interpretis est (*ibi*) qui omisit (*&*). Pro (*epulabimini*) erat versu 7. (*lætabimini*) respondéntque iisdem verbis aliarum editionum, quæ significant lætari, vt eodem versu notauimus. Genebrardus autem enarrans id Psalmi 67. [c] *iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*, docet alibi alludi ad solemnitates, in quibus epulabantur coram Domino, in templi locia de pacificorum carnibus & libaminibus. Hoc ipsum ibidem suggessimus, hicque antea dicto 7. versu. Vnde item sequitur festis diebus hilariùs conuiuari fas esse, atque nitidiùs & ornatiùs vestiri: vt adhuc infertur ex 2.Esdræ [d], ex Tobiæ 2. [e] ex Esthere 9. [f] præterea ex Leone [g], Bernardo [h] & alijs.

Vos, & filij ac filiæ vestræ] Pronomen apponitur etiam filijs. Filias autem & omnem sexum fœmininum dixi legem non affecisse imperantem vt in anno ter ascenderetur ad templum, sed masculos dumtaxat, & quidem hos doli præceptíque capaces. Hinc autem, ac ex illo parentum Iesu, ipsiusmétque Iesu exemplo, discitur, quanti referat, vt filij filiæque a parentibus doceantur frequentare templa, & in pietatis ac religionis operibus consuescer. Deinde ad eiusmodi festiua conuiuia inuitandos ordine quidem recto primùm coniunctos, præsertim si sint pauperes, vt fecisse Tobiam narratur [i], qui, vt est in translatione LXX. filio imperauit adduci de tribu sua, siue de fratribus egentes, quósque ad prandium, timentes Deum: quod & Christus de pauperibus inuitandis insinuauit, omissis amicis, fratribus, cognatis, vicinis diuitibus, ne fortè reinuitent, & fiat retributio [k]. Lege Chrysostomum [l] de præferendis ad mensam nostram pauperibus, de necessarijs autem vt præferantur si egeant, Ambrosium [m], & Augustinum [n]: hoc enim est carnem suam non despicere [o], operaríque bonum ad omnes quidem, sed maximè ad domesticos [p] fidei, & suorum domesticorum curam habere [q], vt his vsus testimonijs Nicolaus Papa I. Bulgaris respondit de ordine seruando in eleemosyna facienda. Vxores hoc loco non nominantur, quoniam rei familiaris ac domesticæ absentibus præsertim viris, ad illas cura pertinet; vt plurium probat auctoritate Tiraquellus [r], exprimens custodiam rerum victui necessariarum in domum illatarum, vt fructuum, segetum, vestium, infantium nutritionem: quod & in vniuersum colligitur ex præceptis quæ Saræ Raguel dedit, quam tradidit vxorem iuniori Tobiæ [s]; atque ex Pauli [t] præcepto

c v.3.
d c.8.10.
e v.1.
f v.22.
g serm 3.de Quadrag.
h serm. 1 de festo omnium sanct.
i Tob.2.2.
k Lucæ 14. 12.
l hom.1.in ep.ad Col.
m 1. offic c. 30.
n 1.de doct. c.28.
o Es.58.7.
p Gal.6.10.
q 1. Tim.5. 8.
r l.10.conn. n.1.& seqq.
s Tob.10. 13.
t ad Titum 2.4.& seqq.

præcepto eadem de re. Tritum quoque symbolum [illegible] picta Veneris quæ calceatæ testudine [illegible] quod illustrat [illegible] taquellus [a], & post illum Claudius Minos ad Alciati emblema 195. Quo [illegible] præterea mos Ægyptiarum mulierum [illegible] calceos non tendi, vt se domi [illegible] continerent: item apud alios consuetudo [illegible] bendi nouam nuptam in pelle lunata consi[illegible] stremo apposita in fano Sangi ad statuam C. Cæciliæ sandalia eorum fuso [b].

a sup.n.16.

b Plut præc. coniug. in 31. & 3.

Ancillæ. Famuli.

Famuli & famula.] (*Vestri & vestræ*) in aliis editionibus. Ancillæ non tenebantur lege conueniendi ter in anno, sed famuli, vtpote sexus masculini, qui ad totam reliquam legem obligabantur, quia & ad circumcisionem, vt est in Exodi c.12. [c] & de consequenti obligatione vniuersæ legis ex circumcisione affirmat Apostolus [d]. Mercenarij alia ratio, quia non est sub absoluto dominio & potestate illius cui locat operam suam. De famulabus ergo quas lex non obligabat, intelligitur quod si nihilominus venirent cum suis dominis sine tribus præscriptis temporibus, siue aliis ex sola deuotione, debebant epulari cum illis, quia Dei lætitia erat, vt loquitur Abulensis; immò & Nehemias & Esdras [e] de simili re agentes. De seruis famulisve humaniter tractandis egimus alibi: quoque familiæ magis partes, quam domini vocentur, vt etiam obseruauit Tertullianus [f]: & qui dicuntur serui, sint etiam, vt Seneca [g] loquitur, quem transcribit Macrobius [h], contubernales, immò humiles amici, conserui, cum tantundem in vtrosque liceat fortunæ. Celebris facilitas & humanitas Martini adhuc militis ergo seruum, cui vice versa seruiebat, calceamenta detrahebat detergebatque, cibum vna capiebat, sæpius quoque ministrabat, vt fratrem diligebat, vt dominum colebat [i]. Non patiebantur vetere es Romani mensam vacuam tolli, sed aliquid semper in ea edulij famulis relinquebant eorumque proli, vt non tam eis quod sumerent, quàm quod eis domini impartirentur, gratum foret [k]. Apud eosdem mense Martio venas matronæ iisdem apponebant, sicut mense Decembri Saturnalibus, illæ vt principio anni honore tali ad promptius obsequium inuitarent: hi vt gratiam perfecti operis quodammodo exsoluerent [l]. Videri porrò quadam ratione potest communis illa de sacrificatis cibis epulatio typus nonnullus Eucharisticæ communionis, quæ communis est omnibus fidelibus cuiuslibet conditionis, sexúsque nullo discrimine habito. Hac de causa communionem Græcè κοινωνίαν appellatam puto ab ista communitate, non solùm quia nobis coniunctionem [illegible], cum Deo conciliat, nósque regni ipsius consortes [illegible] participes, κοινωνούς, efficit, vt scribit Isidorus [m] Pelusiota.

c v.44.

d Gal 5.3.

Mercenarii.

e 2.Esd.8.10.

f apol c.34.

g epist.47.

h l.1.c.11.

i Sulpit. in vita.

k Plutar. 7. conui. quæ. 9 4.

l Macrob. supra.

Communio quare sic dicta.

m l.1. epist. 115.

Leuites.

Atque Leuites.] Numero singulari Leuites occurrit sæpiùs iuxta formam Græcam nominis λευίτης, qui Hebraicè Chaldaicéque dicitur לֵוִי *Leui*, quod d[illegible] cum est nomen eius qui Leuiticæ tribus caput fuit: & accipitur aliquando pro iis qui ex ea sunt: sed & pro Matthæo, qui alio nomine magis honorifico, quódque ipse sui sitá asciuerat, quia publicanus erat, vocatus est Leui [n], Græcè λευίς; flectendo ad formam aliorum nominum (quod honoris causa de illo scribentes Marcus & Lucas expresserunt, ipse de se ipso humiliter Matthæi retinuit) cum non differat ab eo quo vnus de patriarchis vocatus est Leui. Leuitam quoque legimus interdum [o]. Vt plurimum accipitur pro sacris ministris ordinis inferioris infra sacerdotes: nonnumquam vt etiam illos complectatur. Lege præfationem libri Leuitici [a], vbi præterea docui quandoque sumi simpliciter pro eo qui esset de tribu Leui, licet adhuc hæc sacro ministerio destinata non esset.

n Marci 2.14. Lucæ 5.27.29.

o Iud.17.9. c.18.3 2. Par.3 .12. Luc. 10.32.

a c 4

Qui in vrbibus vestris commoratur.] Mendosè legitur in Complutensibus, Regiis que Bibliis (*commorantur:*) est enim numeri singularis (*Leuites*, λευίτης, לֵוִי) vt antea vidimus. Adiecit Interpres dictum verbum: cum editiones eæ quæ habeant duntaxat (*qui in portis vestris* seu *intra portas vestras*, בְּשַׁעֲרֵיכֶם *bescaharechem*, aut *in parietibus*, seu *vrbibus vestris*, *intra ve parietes siue vrbes vestras*, בְּקִרְבְּכֶם *bekirbechem*, ἐστὶ τῶν πόλεων ὑμῶν. Græcè quidem sic extat in codicibus Complutensibus & Regiis: at in Sixtinis ὁ ἐπὶ τῶν πυλῶν ὑμῶν, *in portis vestris*. Erant Leuitis assignatæ vrbes, vt dictum est in Leuitico [b], & Numeris [c] siue ad habitandum, siue ad aliunt præterea dominij modum, sed non absolutum, vt idcirco hic dicatur, (*qui in vrbibus vestris commoratur:*) & quoniam fas erat Leuitis commorari in aliis vrbibus præter assignatas, licet non eodem iure, quo in istis. Rursom commendatur erga Leuitem eadem hæc beneficentia inferiùs in præsenti capite [d], & cap. 14. [e] & 16. [f] & 18. [g] & 26. [h] Præter causam quæ hic subiicitur, illa etiam est, quod propiùs id genus hominum attingit Deum ipsum, ac maiorem venerationem meretur, quia res diuinas tractat, & plus valet apud eumdem auctoritate, facit itaque, si suo respondeat statui & gradui potest exaudiri, & prospera omnia impetrare. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, & quicumque potum dederit vni ex minimis istis*, ait Christus [i], *calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli* (quia Christi [k] estis; id est, pertinetis ad Christum) *amen dico vobis non perdet mercedem suã.* Michas quamuis idololatra, fœliciter sibi omnia & prospera pollicitus est à Deo, quòd haberet Leuitici generis etiam conductum sacerdotem [l], quem licèt iuuenem, & pauperem dignabatur titulo parentis & sacerdotis sui, offerens præterea per singulos annos (Hebraicè, Græcéque dies, quæ nimia summa) decẽ argenteos; vestẽ duplicem, vestiúmve par, vel hyemalis & æstiuæ, vel domesticæ & forensis; vel quotidianæ & festiuæ, ad victũ necessaria. Etsi verò eumdem illum Leuitem planum, inopem, famelicum, iuuenem temerarium, leuem & ambitiosum traxit, immò præcipitauit in apostasiã & idololatriam delatus is honor mercésque, quod eidem quoque postea obiectum à Danitis est [m]; attamen Michæ iudicium probandũ est de ordine Leuitico, & spes in speciem non vana, nec frustrãda; nisi ad sua sacrilegia hominem perduxisset, cui nec veri quidem Dei esse sacerdotem licebat. Vt ferri nequeat quod Frãciscus Monceius in aureo [n] vitulo suo scripsit, quem Indicis congregatio Romana proscripsit, ephod ac theraphim ij si Michæ causam prosperitatis, fortunæ, quæstus fuisse. Legendus Chrysostomus [o] de ingenti tum temporali tum spirituali fructu, quem reportat qui Ecclesiam constituit, edocatque magistrum, diaconum, sacerdotalem ordinem. Præfatione ad librum suum quintum Statius, qui bona fide deos colat, amare & sacerdotes affirmat.

b c.25.32.33.

c c.35.& seqq.

d v 18 19.

e v.27.

f v 11.14.

g v.8.

h v.11.12.13.

i Matth. 10.41 42.

k Marci 9.40.

l Iud.17.13.

m c.18.19.

n l.1.c.19.

o hom.18. in actus Apost.

Neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos.] Hæc est illa ratio alia, cur tam opere, adeóque sæpe commendetur beneficentia in Leuitas; quia excludebantur à sortitione terræ promissæ; quod sæpius vidimus hoc & prioribus

duobus libris. Quamuis autem è sacrorum ac tabernaculi victimis oblationibusque reditus ad Leuitas peruenirent, pendebat id ex populi pietate ac religione in Deum, quæ non semper eadem erat. Nehemias quidem questus est partes Leuitarum datas non fuisse, & fugisse vnumquemque in regionem suam de Leuitis, & cantoribus, & de his, qui ministrabant [a]. Videri etiam potest adolescens ille Leuita, de quo paulò antè meminimus, necessitate quadam compulsus peregrinatus vt habitaret vbi posset, vtiléque sibi perspiceret [b]. Paulus [c] Burgensis, vt alicubi alibi monui, consilium Euangelicum de desertione temporalium contentum fuisse aliquo modo asserit in Leuitis; & hos diuites non fuisse, quoniam cùm eorum tribus esset pars decima tertia totius populi, non habebat possessiones sicut aliæ: proptereaque solitos Leuitas in Scriptura [d] connumerari cum pauperibus, peregrinis, orphanis, viduis. Optandum porrò vt in tanta multitudine ministrorum Ecclesiasticorum seruetur vbique exactè decretum Tridentini [e] Concilij, post alios canones [f], ne quis admittatur ad ordines absque titulo sufficienti vel beneficij, vel patrimonij, vel status religiosi siue per solemnem professionem, siue per emissionem & admissionem votorum post nouitiatum, etiam absque professione. Vilescit dignitas tanta ludibrióque exponitur sordida coactáque mendicitate: dedecérque pannosos, laceros, planos, mendicaculorum instar per orbem Christianum sacerdotes errare Christianos. Hîc digredi non incommodè liceret in munificentiam Principum Christianorum circa reditus Ecclesiasticos, vel sæcularium clericorum, vel religiosorum. Consule notas signáve Ecclesiæ apud Thomam Bozium, & Gretseri nostri tractatum de Imperatorum, Regum, ac Principum Christianorum in sedem Apostolicam munificentia.

[a] 2. Esd. 13, 10.
[b] Iud. 17. 8. 9.
[c] scrut. scri. p. 2. distinct. 4. c. 4.
[d] Deut. 14. 29. c. 16. 11. 14. c. 26. 12. 13.
[e] sess. 21. c. 2. de refor.
[f] c. non liceat. c. Episcop. c. cum secundum Apostolũ, de præbendis & c. si Episcopus, de præbendis in 6.

Vers. 13.] Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris:

Vers. 14.] Sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.

Paraphr. IDem præceptum iam priùs datum hîc repetitur; ac velut magni momenti ad cauendam idololatriam, conseruandámque orthodoxam religionem, & verum Dei vnius cultum, crebrò inculcatur. Erat natio Hebræorum pronior ad idololatriam, eráque per orbem disseminanda vltra promissæ terræ fines: & hi ipsi fines contigui Gentilibus: propterea sæpiùs admoneri debuit de graui & admodum probabili periculo. Vt autem persuaderetur magis Hebræis ne alibi quàm vno certo in loco sacrificia celebrari, & deferri oblationes vellent, ac solemnes perfici ritus, certos facere solet Moses de loco, fore vt eum Deus eligat ac designet, dato nimirum, inquit Abulensis, signo aliquo mirabili, aut per Prophetam annunciando, vt magis afficerentur ad colendum Deum. Modum præcisè nescimus: talem verò aliquem fuisse non ambigimus: cuius generis exempla complura, de sacris ædibus nostris afferri possunt: ex quibus insigniora Sanctæ Mariæ Maioris, quæ cognominatur ad Niues in Vrbe [g]; & S. Michaëlis Archangeli ad Gargani Apuliæ montis radices, quem incolunt Sipontini [a]: & ædicula marmorea intra mare, quod ad tria milliaria recesserat, in templi formam, intúsque area lapidea reperta, vbi Clementis corpus conditum erat, & iuxta illud anchora qua mersus fuerat [b]: & in Aragonia montium Deiparæ à Iacobo Apostolo excitatum sacellum cui cognomen à columna [c]. Consule de aliis Catechismum historicum nostri Antonij Dauroultij.

[g] 5. Augusti.
[a] 8. Maij.
[b] 23. Nouemb.
[c] ex traditione, de qua recens auctor Hisp.

Explanatio. *Caue.*] Hebraicè הִשָּׁמֶר לְךָ *hisscamer lecha*, cui similis Chaldæa paraphrasis אִסְתַּמַּר לָךְ *histhammar lach*; quæ propriè linguis vulgaribus redderentur (*guardati, guardate, gardetoi*) Græcè πρόσεχε σεαυτῷ. Lege caput præcedens [d], & 8. [e] & 6. [f] quibus locis Interpres vertit, *caue diligenter*; vel *obserua & caue*; quamuis editiones reliquæ vnico vtantur verbo. Nec verò refert mutatio numeri ex plurali, qui priùs erat, in singularem collectiuè sumptum. Procopius obseruat subinde illud ingeminari πρόσεχε σεαυτῷ, *attende tibi ipsi*; quod exteri traductum in γνῶθι σεαυτόν, *nosce teipsũ*, tritum ceu peculiare prouerbium verterunt: tale adhuc in Scriptura, sapientes esse qui seipsos norunt: &, *si cognoueris teipsam pulchra mulierum*: hoc sedulò Deum inculcare, vt qui non nesciat peccati cumulum in ipso propositi motu augeri: sensatam enim orationem esse eius, qui oculos in se conuertit, à quo alienus est oculus eius qui foras prospicit.

[d] v. 16.
[e] v. 11.
[f] v. 12.

Ne offeras holocausta tua.] Sub holocaustorum nomine (quæ dicuntur Hebraicè עֹלֹת *hholoth*, hícque cum verbo תַּעֲלֶה *thahhaleh* per quamdam paronomasiam) intelliguntur quælibet alia sacrificia, hostiæque, seu victimæ, vnde versu sequenti hostias posuit Interpres loco eiusdem Hebræi nominis, cui Chaldæum simile, Græcúmque τῶν ὁλοκαυτωμάτων. Lege quæ annotaui in libro Leuitici, necnon sub finem Psalmi 50. & in 39. versum 7. de notione holocausti tum propria, tum magis communi. Præcedente versu erant seorsim holocausta & hostiæ.

Holocausta idem quod hostia.

In omni loco quem videris.] Cauere ne quis offerat in omni loco, idem est ac in nullo; quod magis indicat sequens exceptio. Alioqui præ se fert iste loquendi modus, quòd possit in aliquo quamuis non in omni, & quidem etiamsi dicta exceptio non exprimeretur. Multa sunt huius eiusdem formulæ in Scripturis exempla. Omnis autem locus quem viderit, denotat vel obuium quemque, vel qui placeret, ac proprio iudicio eligeretur.

Sed in eo quem elegerit Dominus.] Græcè (κύριος ὁ θεός σου αὐτόν, *Dominus Deus tuus ipsum*.) Quo pacto hæc electio fieret, antea indicauimus.

In vna tribuum tuarum.] Versu 5. (*de cunctis tribubus vestris*) id est, vt ibidem dixi, in vno loco vnius tribus; quòd hîc apertiùs declaratur per vnam tribuum. Emendati codices Græci habent eodem modo ἐν μιᾷ τῶν φυλῶν σου, *in vna tribuum tuarum*: sed Complutenses & Regij τῶν πόλεων, *vrbium*. Congruit autem prior Græca & nostra translatio cum Hebræa & Chaldæa editione.

Offeres hostias.] Priùs monui hostias hic synonymè poni pro holocaustis, quod secundum propriè significant nomina loci vtriusque in reliquis editionibus, nempe עֹלֹת *hholoth*, עֲלָוָתָךְ *hhalauath*, ὁλοκαυτώματα. Offerre autem accipitur vt significat deferre ac tradere sacerdoti qui sacrificet: quod est suo modo sacrificare, videlicet per alium: Sic in canone Missæ sacerdos dicit (*pro quibus tibi offerimus*, vel *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus*, &c.)

Hostia pro holocaustis.

Offerendi verbum.

Quæ

Quæ verba etiamsi ad sacerdotes referat Innocentius III. [a] & Gulielmus [b] Durantus; quia cùm sacerdos offert pro populo, pro se quoque offert: tamen ad alios prætetea referunt passim alij; nec diffitetur idem Innocentius: docentes offerri ab aliis voto, seu fide, deuotione, oratione, quod offertur à sacerdotibus ministerio ac intercessione. In quo sensu Deus ad amicos Iob dixit [c]; *sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis*, videlicet vt sacerdos: vbi etiam holocausti vocabulum non adeò arctè sumitur; cùm nondum distinctio illa sacrificiorum per legem introducta esset: & עֹלָה *holah* ab eleuando atque ascendendo potest significare quodlibet sacrificium & oblationem, tamque super altare eleuatam, sacerdotisque manibus alte sublatam, siue animal, siue aliud quidpiam esset. Eò alludens veluti exul canebat [d], *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Ad idem facit quod scribit Augustinus [e] in terra captiuitatis constitutos nec ferre oblationem ad altare Dei posse, nec inuenire ibi sacerdotem, per quem offerant Deo. Lege Ioannem Stephanum Durantum [f], & Ioannem Baptistam [g] Scortiam nostrum, ac Bellarminum [h].

a 3. de myst. Missæ c.6.
b in ration. diuini offic.
c Iob.42.8.
d ps.140.2.
e ep.122.
f 2. de ritib. Eccle. c 32.
g de sacrif. Missæ l.4. c 9.
h 2. de Missa c.21.

Et facies quæcumque præcipio tibi.] Deest (*ego*) & (*tibi*) & ea editione Græca (*hodie* ἐντέλλομαι.) Versu priore (*illuc omnia quæ præcipio conferetis.*) Vbi etiam editiones aliæ habebant (*ego*) & Græca (*hodie.*) Subaudit verò Abulensis omnia ibi expressa, nimirum decimas, primitias, donaria, vota, præter sacrificia seu hostias, & holocausta, siue cum istis.

Vers. 15.] Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, occide, & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile: siue mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capream & ceruum, comedes.

PARAPHR.

QVia priùs dictum est comedendas victimas in loco tantùm vno, quem elegisset Dominus, atque in conspectu Domini; videlicet ante altare holocaustorum, quod in ea eundem locum esset constitutum; occurrit Moses dubitationi, vetuisseneca carnium esus foret aliis in locis; negans vetitum, siue de animalibus legaliter immundis quantum ad sacrificia; cuiusmodi sunt quibus defectus inest ex sua specie, quia offerri omnino nequeunt, vt ceruus & caprea, &c. cùm ad sacrificia offerri solùm possent animalia bouilli, & ouilli, & caprilli generis; siue de immundis ex casu, vt si bos, ouis, capra, quæque sub his continentur peccarent in excessu aut defectu, de quibus in Leuitico [i]. Ibi animal immundum magis propriè dici solet respectu comestionis, quod fas non est comedere, quamuis consequenter ac multo minùs liceat sacrificare: ac maculatum respectu sacrificij, quod non possit sacrificari, licèt comedi non prohibeatur, sicut nec prohibetur esus aliorum animalium quæ non sunt immunda ratione comestionis, licet sint maculata, id est, peccantia, vt dicebamus, vel in excessu,

i c.22.20. & seqq.

vel in defectu. Aduertere Caietanus nos iubet morem fuisse celebrando conuiuia, sacrificare, proptereáque in locis conuiuiorum solitum sacrificari: conari verò Mosem abolere hunc morem, declarando quòd sacrificia quæcunque, & similiter oblationes eorum quæ debentur Deo, in vno dumtaxat loco offerantur; conuiuia autem propria celebrent vbi volunt, absque sacrificio tamen. Vellem indicasset consuetudinis istius apud Hebræos aliósve aliquod ex literis diuinis testimonium. Augustinus [a] porrò Adimanto hunc locum obiicienti esse contrarium Christi verbis [b]; *ne grauentur corda vestra crapula* (sic enim recitat) *& vinolentia, & curis sæcularibus*: & Apostoli [c], *bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum*; respondet hic non ad immoderatam voracitatem pertinere quod dicitur, *secundùm desiderium animæ tuæ* (legit hoc modo) *occide & manduca omnem carnem, quando sequitur iuxta voluptatem quam dedit tibi Dominus.* Immoderatam enim voluptatem, inquit, non dedit tibi Dominus; sed quanta sustentationi naturæ, salutique sufficiat. Quisquis autem sequitur immoderatam voracitatem, suum vitium sequitur, non eam voluptatem, quam dedit Dominus; & ideo non est contrarium quod in Euangelio positum est; *non grauentur corda vestra*, &c. Cùm enim quisque non replet nisi eam voluptatem, quam Dominus dedit, id est, modestam, atque naturalem, non grauatur cor eius cruditate, & vinolentia, & curis sæcularibus. De carne autem non manducanda, & non bibendo vino quod ait Apostolus, non quia illa immunda arbitratus est, hoc præcipit, sicut isti (Manichæi) existimant, & errantes in errorem præcipitant, quibus talia persuaserunt: sed cùm ipse posuerit causam cur hoc dixerit, non est nobis hæc interpretanda, vel exponenda sententia. Subdit prolixè textum eiusdem Apostoli, scribentis omnia esse munda secundùm fidem, & ei esse immunda qui putat esse immunda; & tunc esse ab eis temperandum, cùm per offensionem accipiuntur, id est, cùm aliquis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam, &c. Adiicit existimasse Manichæos, cùm ad hominis cœnam quæque animalia præparantur, immolationem esse, ac proinde protulisse alium locum Pauli [d]; *non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum*; sed frustrà; quoniam lex in isto textu nostro non loquitur de immolationibus, sed de cibis, qui pertinent ad hominis alimentum, & de escis, quas sibi præparat. Tandem docet, quòd de quibusdam carnibus non manducandis Iudæis præceptum est, & immundæ sunt dictæ, ad significationem valere hominum immundorum, qui per figuras in veteribus scripturis sunt designati; & ad quasdam hominum immunditias significandas, quæ in societatem corporis Christi, id est, in Ecclesiam stabilem, & sempiternam non recipiuntur. Cæterùm de vsu esus carnium quando cœperit, & quatenus licitus aut illicitus sit, alibi docui. Conciliationem verò illam ex Augustino allatam Seraphinus [e] Cumiranus, nomen eius reticens, affert. Sed illud ex textu quem citat, & in quo vim tantam facit Augustinus (*iuxta voluptatem quam dedit tibi Dominus*) non extat: verùm (*iuxta benedictionem*) vt postea dicemus; & prudenter a Cumirano, qui tacito Augustini nomine, locum eius transcribit, omittitur.

a contr. Adim. c.14.
b Luc. 21. 34.
c Rom.14. 21.
d 1.Cor.10. 21.
e concilíat. commun. loc. tom 1. conciliat. 64.

Explanatio.

Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, occide & comede.] Hebraicè (*tantum,* vel *attamen*, רק *rak*, *in omni desiderio animæ tuæ mactabis, & comedes carnem.*) Primum verbum תִּזְבַּח *thizbach* potest reddi *sacrificabis*, aut *offeres ad sacrificandum*: & Rabini exponunt, vt meminit apostata Munsterus, nihil offerendum, nisi quòd totum sit desiderabile; quod si in pecus offerendum inciderit macula aliqua, debere illud redimi alio pecore; posséque de redempto manducare tam immundum hominem, quàm mundum æquè ac si esset ceruus aut caprea, quæ non sunt animalia immolatitia; & tamen quia munda sunt, ab omnibus comedi possunt. At communis expositio vult absolutè sermonem esse de carnibus non oblatis seu deuotis Deo, quæ possint comedi intra vrbes, ac in locis vbi morarentur, siue tales carnes essent mundæ ad sacrificium, siue immundæ & maculatæ, sed non ex numero earum quas nominatim prohibitum erat manducare. Fauet apertè antea citatus Augustinus; docens textum nostrum non loqui de immolationibus, sed de cibis qui pertinent ad hominis alimentum, & ad escas quas homo sibi præparat. Qui vertunt dictum Hebræum verbum (*offeres*) vt quem nominaui, non sine vituperio nominandus Munsterus, labuntur in Rabbinicam illam falsam & à proposito alienam expositionem. Græcum verbum θύσεις Augustinus translatum legit (*occide*) quod est idem ac (*occides*:) quod auctor translationis in Bibliis Complutensibus, Regiísque, & apud Andream Cratandrum reddit (*sacrificabis*) alius in Sixtinis (*mactabis*:) quæ duo vltima verba iuuant expositionem quam reiecimus: vt & Hebræum antea prolatum verbum. Vltimum namque propriè est mactare ad sacrificandum, & sacrificare. Græcum eodem pacto, Chaldæum autem תִּכּוֹס *thecos* idem ac præterea occidere absolutè. Non possum proferre exemplum dictorum verborum pro simplici occisione; tamen credendum Interpreti, & quia contextui magis conuenit; & de Chaldæo docent Lexicographi. Denique quia de mactatione sacrifica priùs actum fuerat, significatur verbis aliarum editionum animalia perinde occidi posse ad manducandum priuatim, vt solent ea quæ mactantur ad sacrificium. Galli quidem suum illud (*tuer*) quod occidere significat, à θύειν, vt alia pleraque à Græcis, mutuari videntur; vt quidam opere proprio de vtriusque linguæ comparatione demonstrarunt. Mariana noster Hebræa & Græca voce propriè significari docet sacrificare: sed meliùs Hieronymum accepisse in significatione occidendi. Neque enim in aliis locis, inquit, sacrificare poterant, nisi in Hierosolymis. Ergo hîc agi de esu carnium concludit, quæ Deo non offerebantur. Totius porrò loci nostri translatio Chaldæa congruit Hebræo textui. Græca sic se habet, ἀλλ' ἐν πάσῃ ἐπιθυμίᾳ σου θύσεις, καὶ φαγῇ κρέα, *sed in omni cupiditate*, siue *desiderio tuo mactabis* (occides,) *& comedes carnes.* Quod Augustinum recitare dixi *secundùm desiderium animæ tuæ occide & manduca.* Quæ verba respondent etiam Græcis vers. 20. ἐὰν ἐπιθυμήσῃ ἡ ψυχή σου ὥστε φαγεῖν κρέα, ἐν πάσῃ ἐπιθυμίᾳ τῆς ψυχῆς σου φαγῇ κρέα, *si cõcupierit anima tua ad manducandũ carnes, in omni cupiditate animæ tuæ manducabis carnes.*

Iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi, in vrbibus tuis.] Pro *vrbibus*, & Græcè, pro *omni vrbe*, sunt Hebraicè portæ, Chaldaicè parietes vel vrbes, sicut versu 12. Eugubinus translationem hanc vocat meritò longè illustriorem, sinceriorem, & quæ minùs nos in errorem, falsámque sententiam inducere possit, cùm portas pauci valeant intelligere quid hîc sibi velint. Hoc autem potest necti vel cum priore membro de occidendo, comedendo; vel ad benedictionem Domini Dei quam docet in quouis loco diuerso ab illo, qui vnicus destinandus erat sacrificiis, & in quo carnes comedere liceret. Iuxta benedictionem verò quam Dominus dedit, comedere est prout ille copiam talium carnium fecerit, ac pro sua quisque facultate, vel maiore, vel minore, secundùm opes cuiusque. Nihil tritius quàm Dei benedictionem poni pro beneficio, siue dono illius, cuius dicere facere est, vt etiam iam sæpe annotaui, ac proinde dici benedictionem dari, mandari, accipi, seu suscipi, surripi, prohiberi, poni vel esse super aliquem, quempiam ea repleri, &c. Simili autem phrasi scribitur versu 10. vt offerat quis oblationem spontaneam manus suæ iuxta benedictionem Domini Dei sui, siue prout ille benedixerit, Græcè *secundùm quod potest manus eius, & prout benedixerit Dominus*, &c. καθ' ὅτι εὐλόγησε: & verso 17. sicut hîc, κατὰ τὴν εὐλογίαν σου, ἣν ἔδωκέ σοι *secundùm benedictionem tuam, quam dedit tibi*: hoc autem loco κατὰ τὴν εὐλογίαν κυρίου τοῦ θεοῦ σου, ἣν ἔδωκέ σοι. Nescio quid legerit Augustinus loco aliquoties recitato (*iuxta voluptatem quam dedit tibi Dominus.*) Benedictio voluptatem non significat, quamuis parere illam valeat & soleat.

Benedictio Dei, pro illius beneficio.

Siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile.] Hoc & id quod sequitur secundùm editiones alias, non de animali comedendo, sed de homine, qui comedere posset, exponitur; nec aliter exponi potest, quia tertiæ personæ verbum habent Hebræa & Chaldæa singulare cum affixo pronomine יאכלנו *iochelennu*, יֵיכְלִינֵּיהּ *iechelinneh*, Græca plurale φάγονται αὐτό: & præterea in masculino genere ὁ ἀκάθαρτος ἐν σοὶ καὶ ὁ καθαρὸς, *immundus in te & mundus*, ἐπὶ τὸ αὐτό, *pariter*; quod obscuriùs vertitur in Complutensibus & Regiis Bibliis, (*super idem.*) Editionis nostræ sensus est comedi posse animal, quod immundum sit respectu sacrificij, cui scilicet seruire nequeat ob defectum, quem de suo Interpres addens explicat per maculatum & debile. Non enim significatur per maculatum quod habet pellem variam, sed cui aliquod inest peccatum vel in defectu, vel in excessu, vt si plura membra, aut pauciora, si cæcum, claudum, &c. quemadmodum Leuitici cap. 22. dictum est. Alioqui solet distingui immundum, & maculatum, vt hoc dicatur oblationis immolationísque respectu; illud respectu comestionis ordinariæ. Cæterùm infrà versu 22. eadem prorsus sententia & verba editionum reliquarum redduntur à nostra (*& mundus & immundus in commune vescentur.*) Eugubinus præfert editiones loci præsentis aliàs nostræ, quia polluta & immunda, inquit, non comedebantur. At de pollutis immundísve respectu comestionis non agi notatum est. Galatinus [a] ait, licèt Iudæi nostri temporis dicant immundum hîc vocari animal cæcum, debile, claudum, &c. quódque immolari non poterat; iuxta priscorum tamen traditionem de omni immundo intelligendum esse, quod quidem in diebus Messiæ mundum ad comedendum futurum erat, vt carnes etiam porcinæ. Quod, inquit, agens de istis carnibus,

Immundum & maculatum differunt.

[a] lib. 11. c. 12.

& ex

& ex nomine ipso porci planè datur intelligi, nempe חזיר *chazir*, à חזר *chazar*, *reuerti*, quoniam porcus ad vsum comestionis hominum reuersurus erat. Quidquid sit de hoc, loci præsentis pertinet sententia per se ad tempus legis antiquæ, quamuis antiqui aliqui Iudæi eo modo forsitan interpretentur, quo Galatinus dixit, indéque argumentum trahi possit contra Iudæos ex concessis ab eorum Rabbinis.

Sine mundum, hoc est, integrum, & sine macula, quod offerri licet.] Interpres quoque apposuit explicationem mundi per omnes dictiones post (*mundum*) opponens iis quas etiam priore membro adiecerat post (*immundum*) videlicet (*hoc est maculatum & debile*) & vltimæ dictiones (*quod offerri licet*) denotant species animalium quæ sacrificari possunt.

Sicut capream, & ceruum comedes.] Id est, eo modo, quo exempli causa, licet tibi comedere hæc animalia, quæ sacrificari quidem non possunt, possunt autem comedi, nec immonda sunt quantum ad comestionem, poteris comedere non modò quoduis aliud animal ex eodem genere comestibilium, verùm etiam ex iis quæ offerri seu sacrificari queunt, sed sunt maculata & imperfecta, & ideo non sacrificantur. Eorumdem istorum duorum animalium exempla traduntur ad idem propositum rursus alibi [a]: & cum aliis quæ comedi [b] possunt. Abulensis peculiariter ista nominari obseruat, quia magis constabat, non debuisse sanguinem ipsorum effundi ante altare, vtpote quæ venatione capi soleant: & præcipiatur in Leuitico [c] vt eiusmodi animalium effundatur sanguis, terráque cooperiatur. Capram legit mendosè Rickelius, declarans coniungendo eum ceruo significari animal immolatitium, qualis est capra, manducari potuisse absque eo quòd immoletur, & non immolatitium, cuiusmodi est ceruus. Simili errore Ludouicus Ystella [d] probans aliquando in Scriptura per hœdum figurari Christum, vt & per caprum emissarium in Leuitici c. 19. (dici debuit 16.) confirmat verbis Cantici canticorum [e], *fuge dilecte mi similis esto* (assimilare) *capra.* Caprea ibi est sicut hic, צבי *tsebi*, צביה *tsebia*, *δορκάς*: quod item animal velocissimum est, non ita verò capra; ob quam fortasse similitudinem locis aliis præter illa quæ modò attuli, coniunguntur, vt & quia venatica [f] sunt, & propter dictam velocitatem cum caprea, Asael cursor velocissimus comparatur [g], & quidam alij [h]. In Prouerbiorum [i] libro ceruæ gratissimæ copulatus gratissimus hinnulus à nonnullis exponitur de capra: quamuis ab aliis de ibice, aut de pullo equi, aut cerui. Excusari possent legentes caprum, quia caprea siue dorcas est capra syluestris seu fera, αἲξ ἄγριος, & αἴγαγρος, vt Aldrouandus [k] docet, fusè tractans omnem eiusmodi physiologiam, vt & cerui; in qua non vacat immorari. Capreæ vsum in cibis prodit ille optimum esse, ob constitutionis tenuitatem, concoctionis facilitatem, excrementorum paucitatem, & quod propter irrequietum motum exercendique se assiduitatem, syluaticum qui syluestribus inhæret, saporem amittit. Prodest etiam in cibo torminosis siue dysentericis. Inde præterea præsens remedium oculis visuíque ve est caprea. Græcè δορκὰς, ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, *videre*, acutissimi visus. Dicunt verò dorcada marem esse, fœminam capream: & confundunt alij nomina, vt & damæ: De ceruina carne scribit [l] inter epulas quæsitum honorem eius, vtpote teneræ, concoctúque facilis, propter motus frequentiam, & tutum præstare a febribus videatur, si mane edatur, maximè si ex vulnere ceruus perierit. Sed plura modò non afferam; vt nec de mysteriis, quæ apud eumdem reperies, & auctorem syluæ allegoriarum, & enarratores aut psalmorum, aut Cantici canticorum, in quibus incidit mentio de iisdem, aut Epiphanij physiologum, aut Petrum Berchorium, aut Ioannem à S. Geminiano, & similes. Procopius admonet à quibusdam asseri capream & ceruum mundiora reliquis animalibus esse: contrarium tamen innui; quoniam ea quæ vitæ mundioris erant non comedebant: sensum verò esse, quòd hi qui oue, aut boue, aut aliquo eius generis vesci valebant, idipsum quo sanctificaretur, ad altare deferebant, atque ita tandem vescebantur: capream & ceruum afferre non licuisse. In catena Græca m.s. tribuit Eusebio Emisseno, quòd eandem ex quibusdam opinionem referat, sed non quòd contrarium innuitur, verùm, quod rationem afferret. Eusebius τὸ δὲ αἴτιον λέγει (non ἐναντίον) οἱ γὰρ καθαρώτερον ζῶντες τότε, ταῦτα οὐκ ἤσθιον, *causam verò dicit, qui namque puriùs viuebant tunc, hæc non comedebant.*

a infrà v.22. c.15.22.
b c.14.5.
c c.17.13.
d in Exod. 12.
e v.14.
f 3.Reg.4.22. Cant.2.7. 9.17. c.3.5.
g 2.Reg.2.18.
h 1.Par.12.8.
i c.5.19.
k 1. de quadrup.bisulc. c.10.
l c.27.

Vers.16.] Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

PARAPHR.

IDem hoc præceptum seu prohibitio sanguinem comedendi pluribus infrà verbis habetur versu 23. & 24. hoc solùm caue, vt sanguinem comedas. *Sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus: sed super terram fundes quasi aquam, vt benè sit tibi.* In Leuitico [a] prolixiùs adhuc vetatur sanguinis esus, & cum admodum grauibus minis; adhibita præter eam rationem, quòd pro anima sit, & hæc in eo sit, id est, inde plurimum pendeat, quoniam dedit illum Deus, vt super altare in eo expiarent pro animabus suis, essétque pro animæ piaculo. Ac ne de sanguine solùm victimarum dicta lex acciperetur, ibidem additur de sanguine feræ vel auis venatione aut aucupio captis, quibus vesci liceret, vtque sanguis illius terra operiretur. Denique eodem loco idem asseritur de vniuersæ carnis sanguine, cuius videlicet etiam licitus esset esus. Consulat lector qui hac de re doceri à nobis vult, quæ diximus eodem libro Leuitici in cap.3. [b] & 7. [c] & 17. [d] & 19. [e] & in Actuum Apostolorum c.15. [f] alios præterea in eadem loca, & in Genesis cap. 9. [g] & in 1. Regum 14. [h] qui causas diuersas afferunt, quarum capita sunt horror homicidij, typus expiationis per Christum, obedientiæ quoddam quasi tributum. Vltimæ exemplum fuit in pomo vetito: postea in circumcisione carnis, & arborum; in abiiciendis fructibus primorum annorum, in primogenitis aut sacrificandis, aut redimendis, &c. Sanguinem & potare & comedere vetitum æquè, dixi animatum propriè non esse, quamuis vt in corpore anima conseruetur, pernecessarius cùm primis sit animali quod constet sanguine: hoc vt præcipuo redemptionis nostræ instrumento ac pretio Christum voluisse vti, ac sibi hypostaticè coniungere; immò & potandum exhibere: esum

a c.17.10.& seqq.
b v.17.
c v.26.27.
d v.10.& seqq.
e v.26.
f v.19.
g v.4.
h v.32.

esum brutalis sanguinis initio Apostolos prohibuisse, cum suffocato, & idolothytis, vt facilius ea Ethnicis conuersi cum iis in societatem coirent qui conuertebantur ex synagoga, postea cessasse huiusmodi obligationem coalita iam firmitérque consistente Ecclesia. Carnem ante diluuium non quidem passim manducatam, & omnino forsan à religiosioribus de familia Seth: nec tamen id vetitum, & forassis alios manducasse; ac etiam Cain, qui pepercisse dicitur in sacrificio pinguioribus, non ob solum lac & lanam, quæ non raro à macilentiore pecore meliora præbentur. De hoc ita ratiocinatur Caietanus [a]. Illud porrò de Christi sanguine ad potandum exhibito, quòd à præsenti præcepto excipiatur, notauit cum Augustino [b] Rabanus [c], & ante vtrumque auctor operis de Christi operibus cardinalibus in sermone de cœna Domini, Cypriani scriptis insertus. *Noua est huius sacramenti doctrina*, inquit ille inter cætera, *& scholæ Euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiqua auctoritas districtissimè interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium* [d] *præcipit (& quidem sub interminatione) vt bibatur. In quibus mandatis hoc maximè discernere debet Christiana religio, quod sanguis animalium à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantùm habeat viuificationis effectum, & vita eorum finem habeat, & sine vlla reuocatione terminum constitutum. Ideóque ad obtinendam æternitatem non potest proficere quod semel obrutum non surgit vlteriùs, nec ei aliqua superest virtus, quod sine vlla spe præcisis radicibus mors penitus exsiccauit*, &c. Dignus locus integer qui perlegatur. Rursum [e] Augustinus, ne videatur quod à Christo dicitur [f] nocere non posse animæ ab homine occidente corpus; & ab Apostolo [g], quòd caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, si sanguis est anima, his quæ hîc & deinde eodem capite ac similibus locis dicuntur aduersari, occurrit sermonem esse de anima pecoris, cuius pecoris permittitur esus, sanguinis autem prohibetur. Quia etiam negat vsquam in Scriptura pronunciari, quod sanguis sit anima. Tum videt fatuam opinionem transmigrationis animarum humanarum in brutorum corpora. Postremò si admittatur propositio quòd sanguis sit anima, explicat per figuram, quia sit signum animæ, id est, vt ipse interpretor, eam inesse dum includitur venis demonstret, extractus autem illam priùs in corpore fuisse, atque ab illo pependisse. Verior & communior opinio est, sanguinem nullum esse formaliter animatum: quod præter alios, probat Franciscus de Riuiere tractatu manuscripto quem nondum Papa Sixtus IV. composuit de sanguine Christi, qui separatus post effusionem manserit absque hypostatica vnione. Sed fusiùs & accuratiùs post alios argumentum hoc totum de Christi sanguine prosecutus est Franciscus Collius collegij Ambrosiani Doctor. Illud porrò quod dicebatur ab Augustino de bruto solo asseri animam in diuinis literis esse sanguinem, Chrysostomus [h] insinuat; scribens quod priùs de puluere seu limo corpus hominis formatur [i], & post vitalis datur illi virtus, quæ scilicet est animæ substantia: & idcirco de brutis dicebat Moses; *Sanguis eius anima eius est*, in homine autem substantia quædam est incorporea & immortalis multo interuallo corpus excellens, & tanto quanto corporeis eioiuent incorporea.

a in Gen. 9.
b in Leu. q. 57.
c ibid. in c. 17.
d Ioan. 6. 54.
e cont. Adimantum c. 13.
f Matth. 10. 28.
g 1. Cor. 15. 50.
h hom. 13. in Gen.
i Gen. 2. 7.

Absque esu duntaxat sanguinis.] In reliquis editionibus (*attamen sanguinem non comedetis.*) Bibitur quoque sanguis & potatur, sicut & lac vtroque sumitur modo. Prohibentur verò æquè ambo circa sanguinem, vt aliàs admonui eùm prohibitionis pares causæ sint, & in potu aliqua ratione efficaciores; qualis feralis immanitas & bestiarum, *τῶν σὺν τῇ βρώσει τῆς σαρκὸς ἀναλίσκόντων τὸ αἷμα ὧν τὰς σάρκας ἐσθίουσι, in laniatu carnis lambentium sanguinem eorum, quorum carnes edunt*, inquit Iustinus [a], aliúsve. Vetatur ergo & carnis esus, è qua sanguis nondum plenè distillauit, qua in re deliquerunt Israëlitæ tempore Saülis [b]: & iam effusus atque ad esum collectus vt hodie fit in botulis & lucanicis: & vt ex Hebræis autumant nonnulli, ne membra viuis animalibus excisa comedantur. Error Pythagoræorum, & Manichæorum atque aliorum fuit nefas esse occidere animal, eóque vesci: cui assentitur Ouidius [c],

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aues tuta mouere per aera pennas;
Et lepus impauidus mediis errauit in agris.
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.

Quod execrans paulò antè, inquit:

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestóque auidum pinguescere corpore corpus:
Alteriúsque animantem animantis viuere leto.

Et adhuc superiùs.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora.

Subiicit varia rerum aliarum genera, in alimentum humanum peccommoda: & docet tigridum, leonum, luporum, vrsorum esse dapibus gaudere cum sanguine, Cyclopúmve ritum imitari. Risit autem salsè acutéque Comicus Alexis eiusce modi placitum ab animatis abstinendi:

Qui primus dixit nullum sapientem
Animato quoquam vesci, sapiens is erat.
Ego enim nunc redeo e foro, nullo empto
Animato. Pisces coemi mortuos
Magnos: caruncculas agni, ad vescendum pinguis
Non viuentes. Non enim fiat Quid aliud? Professo
Deceptiunculam perspicuam conseclans. Harum si emptorum
Monstrarit quis aut vacuum, aut animo præditum,
Me iniquum esse confitebor, & legem violare.

Eruditè admodù Gulielmus Hamerus in Genesis c. 9. de carnis & sanguinis apud veteres abstinentia differit in medium adductis ex profanis & ecclesiasticis testimoniis exemplísque. Ex posteriore classe legendus contra Iouinianũ Hieronymus [d], Epiphanius contra Manichæos. In priore ponit coniurationis Catilinariæ socios, fœdus gustato humano sanguine sancientes [e]: & Scythas id inter se celebrando, pollices colligatos vulnerantes, profluentémque inde sanguinem lambentes; necnon cæsorum hostium sanguinem potantes: Heliogabalum abscissa è viuis calcanea camelorũ, & è gallinaceis gallis cristas demptas, ad imitationẽ Apicij, sæpiùs comedentem [f]: comitiales morbos olim humano hausto sanguine curatos [g]. Recitat Henricus [h] Canisius epistolam Euanti seu Euantij abbatis (quem alij Episcopũ Viennensem vocant, qui tamen Gregorio Papa, quẽ citat, antiquior est) cõtra eos ex Christianis in Cæsaraugustæ quibusdam partibus, qui sanguinem animaliũ immundũ esse

Explanatio.
Esus & potus sanguinis interdictus.
a q. 145. ad orthod.
b 1. Reg. 14. 32. & seqq.
c 15. Meta.
d lib. 2.
e Sallust.
f Lamprid.
g Plin. l. 28.
h tomo 5. antiq. lect.

esse indicabant, carnem verò mundam. Ait Iudaico more literam secutos occidentem, cùm tamen à suilla carne non abstinerent, sicut Iudæi, & à similibus in lege vetitis, aliáque non seruarent eorumdem præcepta: quæ iam ad tropologiam motúmque informationem translata sunt: de quo sensu Nouatianus [a], Theodorus Abucata, & Atethas [b], & alij: in antiquis canonibus [c] eiusmodi abstinentiam iniunctam, & in actibus [d] Apostolorum, quando Ecclesia ex circumcisione & præputio ad fidem congregabatur; & adhuc non solido cibo, sed lacte nutriebatur [e]. Tandem ridiculum esse, concludit, carnes mundas, quas Deus creauit, vsque ad nauseam deuorare, & sanguinem illarum carnium quasi immundum respuere. Quasi Deus carnem creauerit immundam, & sanguinem carnium, qui vtique nutrimentum & salus carnis est, fecerit immundum. Ad cap. 9. apologetici Tertulliani Rhenanus, quem sequitur Pamelius, annotat non ita diu esse, quòd Christiani vescantur suffocato & morticina carne; quoniam Betanus seu Beda, & Rabanus in pœnitentiario, sed & quotquot de hac re supra 400. annos scripserunt, certum pœnitentiæ tempus præscribunt, si quis Apostolicam de hac re legem fuerit præuaricatus. Leo Imp. [f] quo tempore ea ceremonia abstinendi à sanguine in Græcia incipiebat vsu contrario aboleri, seuerissima lege reuocauit, ac prorsus interdixit botulos, distentáque sanguine farcimina, sub pœna publicationis bonorum, & post acerba flagra, detonsionémque fœdam cutemtenus, exilij perpetui.

a li. de cibis Iudaicis.
b in opusc. tom. 4. Bibl. Pat. q. 39.
c can. Ap. 61.
d c. 15. 20.
e 1. Cor. 3. 2.
f in constit. Imper. nu. 58.

Quem super terram quasi aquam effundes.] Idem repetitur versu 24. & cap. 15. [g] Effundi aliquid sicut aquam, aliquot locis aliis [h] dicitur, vt hominem totum, cor, iram, sanguinem, denotat cum impetu & copia, ita vt nihil resideat; quemadmodum contigit in effusione aquæ ex vase, non ita verò liquoris alterius. Cùm sub Saüle populus ex ingenti victoria defatigatus, oues, boues, vitulos mactans in terra, comedisset cum sanguine, Saül adduci præcepit ab vnoquoque bouem suum & arietem, occidique super saxum grande, túncque futurum vt comederent sine sanguine [i]. Quamquam in eo peccatum velint Hebræi, teste Hieronymo [k], quia contra legis præceptum comederit ante sacrificium vespertinum, ante quod comedi non poterat, si factum esset homicidium ab eis aut in suis, aut in exteris: vel quoniam victimis mactatis non obtulerat sacerdotibus ad sanctuarium, adipem & sanguinem, iuxta legis præceptum. Nec desunt qui affectant idolis sacrificasse. At communior veriórque opinio, præ fame & festinatione carnes comedisse à sanguine minus depuratas, quod Iosephus [l] scribit ϖρὶν ἢ τὸ αἷμα καλῶς ἀπονίψαι, ϰ̓ τὰς σάρϰας ποιῆσαι ϰαθαράς, *priusquam sanguinem rectè perpurgasset, & carnes fecisset mundas*, nempe à sanguine. Durior expositio, comedere cum sanguine, id est, ante oblatum sacrificium vespertinum: & Saül prouidit peccato, iubendo singulari pecora super saxum, non, vt priùs, in terra, siue humi; vbi sanguis concrescebat in artubus, nec è venis effluere poterat. Non etiam lex occidenda omnia animalia offerri coram sanctuario præcipiebat, quod fieri etiam non poterat: sed quæ Deo offerenda erant, & à laicis vbilibet occidenda non erant. Nec magis aptè dicitur comedere cum sanguine, hoc est, non offerre adipem & sanguinem sacerdotibus priusquam comedatur: cùm præterea illo modo debuisset rex iubere eis offerri; nec ad rem fuisset saxum ingens aduolui; & sanctuarium non erat ibi, scilicet in Aialon, sed in Nobe: arcam verò etiam fuisse eo in loco, eductam ex Gabaa Benjamin quando hostem Israëlitæ fugientem quanta maxima poterant celeritate persequerentur, verisimile non est. Postremò inepta interpretatio est de idololatria, & absque causa scelus graue populo impingit; quem & sors prodidit innocentem, & rex ob id eum non reprehendit, aut remedium præscripsit; sed ob longe leuius peccatum, quod necessitas famis quodammodo extorsit, vt obseruauit Abulensis [a]. Disputat de his rectè noster Salianus [b]; & paulò breuiùs Serarius [c], item Claudius [d] Rangolius ex ordine Minimorum.

g vers. 23.
h Gen. 49. 4. Psal. 21. 15. Thr. 2. 19. Oseæ 5. 10. Ps. 71. 3.
i 1. Reg. 14. 32. & seqq.
k trad. Hebr.
l 6 antiq. c. 7.

a in 1. Reg. 14. q. 26.
b to. 3. annal. anno 2964. n. 95. & seqq.
c in 1. Reg. 14.
d ibidem.

Vers. 17.] Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & sponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum:

Vers. 18.] Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus & famula, atque Leuites, qui manet in vrbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.

Vers. 19.] Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo versaris in terra.

PARAPHR.

IDem ferè præceptum iam priùs datum est quinto versu & deinceps per alios aliquot: sed quàm Deo cordi esset, ipsa repetitio, vt in similibus aliis, demonstrat: & præterea expressa mentio fit de decimis frumenti, vini, & olei. De his dubitationem proponit Abulensis post Lytanum, & Magistrum [e] historiæ Scholasticæ; quem non nominat, quoniam videri posset licuisse has comedere in loco, quem elegisset Dominus, nimirum in quo tabernaculum esset, vel arca; quod redundaret in damnum Leuitarum & sacerdotum quibus debebantur, vt in cap. 18. libri præcedentis habetur. Nec verò id semel duntaxat factum est post ingressum terræ promissionis, vt quidam putauerunt; quoniam alioqui non fuisset ista lex, inquit, seruata, nisi semel: & eo anno nihil habuissent Leuitæ & sacerdotes vnde viuerent, quia solùm de stipendiis sanctuarij sustentabantur: & nondum, vt ait Magister, Dominus locum sibi elegerat in terra promissionis. Quare distinguis decimationes duplices cuiuslibet anni; primas de fructibus terræ, vel gregibus armentísque, quas integras Leuitis dabant, & hi eorumdem decimas summo sacerdoti: secundas de nouem partibus remanentibus, quæ insumebantur pro itinere ter in anno ad locum sanctuarij, & pro oblationibus sacrificiísve in eodem, & vt ex iisdem ibidem comederent, inuitando quoque Leuitas.

e in Deut. c. 5.

Quod etiam fiebat de primitiis tum primis tum secundis. Adduntur tertiæ decimæ, quæ de triennio in triennium separabantur, vt darentur eleemosynæ nomine pauperibus, viduis, pupillis, Leuitis. De primis mentio est in libri Numerorum cap. 18. [a] & Malachiæ cap. 3. [b] de secundis hoc loco, & cap. 14. [c] de tertiis eodem cap. 14. [d] & Tobiæ 1. [e] Id benè monet Abulensis aduersùs Lyranum, negantem in Scriptura extare dictam distinctionem, sed solùm vnam decimam quolibet anno, & aliam quouis tertio; & idcireo non recipientem quas diximus secundas. Rickelius tametsi distinctionem triplicis generis decimarum admittit, concedit in Scriptura non haberi, sed ex vera traditione Hebræorum, quam recitat citatus Petrus Comestor historiæ auctor Scholasticæ, & approbat Hugo Cardinalis; sed & Theodoretus [f] proferens etiam Iosephi testimonium. Obseruatur autem à Theodoreto [g], cùm Doctor impietatis (satanas) humano generi gulæ & voluptatum illecebris subiugato, festis dæmonum ludicra permulta miscuisset, Deum ab illo errore liberare voluisse populum suum, leges de his quæ pertinent ad festa scribendo, sacrificia permittendo, instrumenta musica tolerando, iubendo epulas; vt talibus illectamentis idolorum cultum impium amputaret. Eadem in catena Græca m. s. leguntur; sed nescias distinctè quo auctore. Allata verò decimarum distinctio recipitur communiter, meminitque Aquinas [h], colligens ex locis allatis, docénsque quòd secundæ, quæ reseruabantur ad sacrificia offerenda, locum in noua lege non habent, cessantibus legalibus victimis: tertiæ verò, quas cum pauperibus comedere debebant, in noua lege augentur per hoc, quòd Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus iubet exhiberi: *quod* [i] *superest date eleemosynam*; & quoniam ipsæ etiam decimæ, quæ ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in vsus pauperum dispensari, postquam scilicet suismet satisfecerint.

a vers. 21. 26.
b vers. 10.
c vers. 22. & seqq.
d v. 28. 29.
e vers. 1.
f q. 10. & 13.
g quæst. 10.
h 2. 2. q. 87. a. ad 4.
i Luc. 11. 41.

Non poteris comedere.] Non posse idem est quod non licere, & non debere, vt explicat etiam Augustinus in locutionibus ad hunc locum: & sæpiùs ea notio locum habet in prohibitionibus, ac in iis rebus quas fieri æquum, rationíve consentaneum siue per siue, siue ob legem quæ vetet. Hanc notionem tradit Nazianzenus [k], cum aliis, vt quando vires deficiunt certo tempore, sed suo affuturæ; de opposito eius quod sæpe contingit: de eo à quo nostra voluntas abhorret: de eo quod solus Deus potest: de eo quod nulla omnino ratione fieri potest. Isidorus [l] Pelusiota similia docens, confirmat exemplo admodum affini huic quod versamus, éstque in cap. 16. [m] libri nostri: *non poteris immolare phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Non poteris*, inquit, οὐ δυνήσῃ, *positum est* ἀντὶ τοῦ μὴ ἐξόντος, μηδὲ ἐγχωροῦντος, μηδὲ συγκεχωρημένου, μηδὲ ἐνδεχομένου, *pro eo quod non licet, non concessum ac permissum est.* Probat verò quoniam aliis in ciuitatibus Pascha celebrare possent: *nam & nunc faciunt quidem, sed legem prævaricantes*, καὶ γὰρ καὶ νῦν ποιοῦσι μὲν παρανομοῦντες δέ. Quare definit (*non poteris*) idem esse quod οὐκ ἔξεστί σοι, οὐ προσοίσεις, οὐ ποιήσεις, *non licet tibi, non efferes, non facies.* Simili pacto explicat illud [n], *nos non possumus quæ audiuimus, & vidimus non loqui*, οὐκ ἐνδέχεται, ἀντὶ *ἀγρίκου, non decet, nec fas est.* Hoc est, vt dici solet, posse physicè, non moraliter. Mitto alia exempla in eodē auctore. Quod autem asserit suo quoque tempore Iudæos Pascha celebrasse aliis in ciuitatibus, non legi apud vllum alium: & apud Pelusiotam qui eum transtulit Billius, id omisit; ob eamdem fortassis causam, sed omittere tamen pro fidi officio interpretis minimè debuit.

Explanatio. Non posse, idem quod non licere, & non debere.
k ora. 36. siue 4. de Theolog.
l lib. 3 ep. 385.
m v. 5. 6.
n Act. 4. 20.

In oppidis tuis.] Versu 12. sunt vrbes in editione nostra: in aliis eadem nomina quæ hîc, ex quibus Hebræum significat portas; Chaldæum muros aut vrbes: Græcum has, siue oppida, siue ciuitates, inter quæ Latina quamuis nonnullum discrimen agnosci possit, vt synonyma plerumque sumuntur. De oppidi vocabulo aliàs dixi, scribique à nonnullis opidum cum vnica litera p.

Decimam.] Antea monui ex triplici quasi genere decimarum hoc esse secundum, quod scilicet non erat iuris Leuitici, sed ex separatis rebus ad deferendum in locum vbi esset sanctuarium, vtque ibi comederentur ab illis ipsis qui detulissent.

Frumenti, & vini, & olei tui.] Pronomen possessiuum singulis hisce nominibus singillatim apponitur. Nominantur autem tres istæ res tanquam præcipuæ magísque vsitatæ in victu humano: cùm alioquin ex aliis præterea rebus decimæ colligerentur, vt alibi monui, notatque Abulensis citans Matthæi cap. 23. [a] de cimino, menta, aneto.

a vers. 23.

Primogenita armentorum & pecorum.] Iuxta reliquas editiones (*boum tuorum & ouium tuarum*) sub quibus comprehenditur istorum vterque sexus, ac ætas: & exempli loco nominantur ista, cùm alia præterea offerri deberent; & hominis redimi quinque siclis; asini oue commutandum; ouis, bouis, caprarum redimi non posset, sed immolari oporteret [b]. Quia porrò primogenita, de quibus in isto membro, & quæ sequuntur votiuæ ac spontaneæ oblationes, primitiæque comedi nō poterant ab offerentibus, sed ad Leuitas sacerdotésve totæ pertinebant, idcirco Abulensis prohibitionem, ne comedatur extra locum sanctuarij, & in oppidis, seu vrbibus aliis, interpretatur factam toti populo, vt comprehendit etiam Leuitas sacerdotésque; sed quantum ad istos dumtaxat, qui soli poterant de dictis rebus comedere: decimas autem, de quibus in præcedenti membro, de secundis decimis, quas, pro vt dictum est, ipsimet offerentes poterant comedere, quæ distinctio non reperitur in aliis, vt scilicet dicantur primogenita prima & secunda, & sic de reliquis. Pars Israël, inquit, decimas & cætera quæ hîc dicuntur, portabat; & pars eius, scilicet sacerdotes, comedebant ea. At posita distinctione, quam idem auctor agnoscit de decimis primis & secundis, hicque secundas, vt ipse facit, intelligendo, non soli Leuitæ sacerdotésve comedebant secundas, sed ipsimet offerentes, qui tamen & illos inuitabant. Primas autem decimas, quæ totæ erant Leuitarum, poterant Leuitæ quolibet in loco comedere. Conuenit quoque Caietanus impetari comestionem in sanctuario de votiuis & spontaneis, non de primogenitis quæ debebantur sacerdotibus, nec de decimis, quæ Leuitis. Verùm secundas decimas iam sæpiùs dixi debitas non fuisse Leuitis: illis autem aliis debitis iungendæ sunt primitiæ.

b Exo. 13. 13. Num. 18. 27.

Et omnia quæ voueris.] Hebraicè Chaldaicéque

que (*& omnia vota tua quæ voueris seu voueris*) Græcè pluraliter (*& omnia vota quæcumque voueritis*, καὶ πάσας τὰς εὐχὰς ὅσας εὔξησθε. Votiuum, id est, votiuarum seu voto promissarum rerum mentio fit superiùs [a], itémque munerum quæ quis vouisset Domino. Vnde, ac ex aliis locis plerisque colligitur votorum nuncupationem laudabilem ac gratam Deo esse.

a v. 6. 11.

Et sponte offerre volueris.] Versu 6. quæ dicuntur in editione nostra donaria, vocabulo Hebræo & Chaldæo eodem appellantur quod hîc extat, sed Græco τῶν ἑκουσίων quod spontanea significat. Hoc autem loco statim post præcedens membrum legimus Græcè καὶ τὰς ὁμολογίας, *& confessiones*; quæ dicto etiam illo versu habentur. Vt suspicio sit ἑκούσια & ὁμολογίας, esse synonyma. Consule versus eiusdem annotationem.

Et primitias manuum tuarum.] De his eodem verso, & in 11. quibus in locis pronomen est secundùm omnes editiones, & in isto secundùm Græcam, quemadmodũ in priore præterea membro, atque in penultimo idem numerus extat. Abulensis notat vocabulo primitiarum, vt Hebraicè hic & alibi dicitur nomine significante segregationem vel eleuationem, denotari res meliores, ac selectas.

Primitiæ, pro re meliori.

Sed coram Domino Deo tuo comedes ea.] Nuper exposui de quibus personis ac rebus intelligi debeat comedendi verbum; nempe vt populus non comederet quæ essent Deo penitus addicta seu ministris eius, vt vota, & primogenita, primitias, sed decimas secundas, differentes à primis, quæ primæ Leuitis debebantur, & postquam oblatæ essent, vbique comedi ab ipsis poterant: item de spontaneis victimis siue pacificis quorum ad aliquam partem, cùm suam sacerdotes acciperent: per ministros autem illos sacros, qui pars populi erant, dicta illa rerum alia genera Deo consecrata, & iisdem iure integro attributa. Denique nihil ex enumeratis deferri poterat extra locum sanctuarij ad oblationem, nec vt post oblationem comederetur extra eumdem, prout vario generi personarum de variis rebus oblatis comedere licebat, quemadmodum dictum est. Rickelius verò notat cùm comedendi verbum vsurpatur de vino & oleo prius sub initium textus prohibendo, nunc imperando, accipi prout includit potare, cùm ista propriè non comedantur, nisi fortè vt cibo admisceantur. Vulgò quidem manducare dicimus, cùm assidemus mensæ, in qua cum cibo potus sumitur. Et quamuis Græci conuiuium appellant συμπόσιον, quasi dicas combibium atque compotationem, quod valet πότος, & pluraliter πότοι: quemadmodum & Hebraicè מִשְׁתֶּה misstheh: tamen vocatur quoque ἑστίαμα, συσσίτια, εὐωχία, quorum duo prima deriuantur ab ἑστιᾶν comedere, & à σῖτος, cibus, vltimum ab ὀχὴ item cibus (alij ab εὖ ἔχειν, benè habere, deducunt) & interdum לֶחֶם lechem, quod est nomen panis, extenditúrque ad omnem cibum. Apud Latinos epulum & comessatio idem important, ac si illud sit edipulum ab edendo, siue à comedendo.

Comedendi verbum.

Conuiuium.

Epulum & comessatio.

In loco quem elegerit Dominus Deus tuus.] Addunt (*sibi* לוֹ *lo*, בּוֹ *beh*, αὐτῷ) aliæ editiones: quod videri potest esse pro eo quod in simili sententia dicitur versu 5. & 11. (*vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo; vt sit nomen eius in eo.*) Constructio tamen Hebræa est (*eligere in eo*) id est, eum, atque sic in translatione Sixtinorum Bibliorum ex Græco textu redditur (*in loco, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus illum.*)

Tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus, & famula.] Singula singulis nominibus affigunt pronomina editiones aliæ: quæ nomina cum suis item pronominibus pluraliter extant verso 12. sed Latinè famuli, quod nomen synonymè ponitur cum seruo.

Atque Leuites qui manet in vrbibus tuis.] Ante ista Græcus textus Bibliorum Sixti addit (καὶ ὁ προσήλυτος) omittens Leuitem, ac de proselyto subiungens (ὁ ἐν ταῖς πόλεσιν ὑμῶν) *qui in ciuitatibus vestris*. In codicibus Complutensibus & Regiis (καὶ ὁ λευίτης, καὶ ὁ προσήλυτός σου, *& Leuites, & proselytus tuus.*) Abest proselytus ab Hebræo Chaldæóque textu. Pro vrbibus eadem in iis linguis nomina quæ versu 17. & aliis ibidem citatis.

Et lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo.] Vnicum verbum habent editiones reliquæ idem quod in versu 7. (*lætabimini*) de quo ibidem diximus. Reficiendi verbum occurrit aliis locis; vt cùm dicuntur greges refecti [a], aliqui reficere cibo & potu corpora [b], siue aliquos [c]: aut expleto ieiunio reficere [d] se: aut vesci ad reficiendum [e]: aut aliqui reficere [f] lassum; præterea laborantes & oneratos [g]: vel propter imbrem & frigus & laboriosam nauigationem [h]: adhæc refici dicitur spiritus [i], & viscera [k]: refectio quoque siue refectionis locus [l] vsurpatur, aut aquæ [m]; tempus item [n] refectionis. Reficere greges est iuxta editiones alias adaquare [o]: reficere cibo potúque corpora, est benefacere, ac vt ita dicam bonificare cor [p]: vel etiam cibare & potare, seu dare comedere & bibere [q]: reficere absolutè, facere potum, id est, conuiuium & cœnam magnam, ποιῆσαι πότον [r]: vesci ad reficiendum, in fortitudine ac viribus, hoc est, ad vires reficiendas בִּגְבוּרָה bigburah, ἐν δυνάμει [s]: reficere lassum, aut requiescere facere, aut requiem dare esurienti, τὸ ἀνάπαυμα τῷ πεινῶντι [t]: reficere laborantes & oneratos, id est, requiescere facere ἀναπαύειν [u]: reficere madefactos, frigentésque, accenso igne, hoc est, conuocare ad calefaciendum, aut excipere προσελαβόντο [x]: reficere spiritum, id est, quiescere facere ἀναπαύειν [y]: reficere viscera, eodem pacto [z]. Ad hæc refectio appellatur Græcè κατάλυμα, diuersorium, Syrochaldaicè domus conuiuij vel habitationis, בֵּית מַשְׁרֵיא beth masreia: aqua refectionis, requietum aut requietis ἀναπαύσεως, & מְנוּחוֹת menuchoth [aa]: tempus refectionis καιρὸς ἀναπαύσεως [bb] quietis, est quo somnus capitur. Hæc omnia virium refectionem important per alimenta, per calefactionem, per somnum, aliúmve quietis modum; quæ aliter dici recreatio solet: quasi sic quis denuo veluti fiat, creetúrque, se renouetur, nouus euadat, in pristinum statum restituatur. Reficere vires cibo [cc] Liuius dixit: quadrupedum refectibus panē ex hordeo tradi Plinius [dd]: Celsus [ee] refectionem ipsam cibi sumptionem, scribens de tussi laborantí, laterum doloribus, quæ in refectione maneat. Denique frequentantur passim ab aliis scriptoribus reficere ac refectio in hac significatione. Pro loco vbi cibum sumendo vires reficiantur eo modo dicitur apud Marcum [ff], quo cœnatio pro illo in quo cœna sumitur. Sed non æquè refectionis vt cœnationis siue cœnaculi in bonis auctoribus in dicta notione reperitur exemplum; sicut neque refectorij, quo passim sic vtuntur Ecclesiastici, præsertim religiosi, qui in suis regulis vtuntur hoc nomine, vt Carthusiani, Dominicani, &c.

Verbi reficiendi vsus varius.

a Gen. 29. 3. b Iud. 19. 22. c 2. Par. 28. 15. d Iudith 6. 20. e Eccl. 10. 17. f Esa. 28. 12. g Matth. 11. 28. h Act. 28. 2. i 1. Cor. 16. 18. 2. epist. 7. 13. k ad Philem. v. 20. l Macc. 14. 14. m Ps. 22. 2. n Eccl. 40. 5. o Gen. 29. 3. p Iudic. 19. 22. q 2. Paral. 28. 15. r Iudith 6. 19. 20. s Eccl. 10. 17. t Esa. 28. 12. u Matth. 11. 28. x Act. 28. 2. y 1. Cor. 16. 18. 2. epist. 7. 13. z ad Philem. v. 20. aa Psal. 22. 2. bb Eccl. 40. 5. cc lib. 7 de bello Macedon. dd li. 18. c. 7. ee li. 4. c. 6. ff c. 14. 4.

&c. Extat hoc nomen in iure Canonico[a] ex Innocentio III. præcipiente vt in oratorio, refectorio, & dormitorio continuum semper silentium obseruetur. Lege[b] Iulium Nigronum nostrum, & quæ dixi Psalmo 22.[c] Vt autem si vim spectes vocabulorum, cubile ipsum posset refectorium nominari, quoniam canimus

[d] Somno refectis artubus
Spreto cubili surgimus;

nihilominus ad locum sumendo cibo accommodatum est; quoniam per istam sumptionem ac nutritionem vires potissimùm reficiuntur. Quo etiam nomine admonemur in cibo virium quærere refectionem, non voluptatem, quæ alliciens ad intemperantiam, vires frangit, non reficit. Didicisse se à Deo scribit Augustinus[e], dum reficimus quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accederet: ne cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungens se tanquam pedissequa periculosa iucunditas plerúmque præire conetur, vt eius causa fiat, quod salutis causa se facere vel diceret, vel vellet. Obseruat Abulensis[f] allicere Deum voluisse ad cultum suum suauitate epularum percipiendarum; atque ita etiam Christum publicanorum peccatorúmque conuiuiis hac de causa interfuisse[g]: ac dignum esse tale exemplum quod quis imitetur, muneribus quoque infideles ac peccatores alliciendo ad conuersionem, immò & coniugio cum infideli sub conditione vt conuertatur. Admirabilis fuit nostri S. Francisci Xauerij, nuper Sanctorum catalogo, hoc est, 12. Martij huius anni 1622. à Gregorio XV. adscripti, cum fundatore ordinis nostri Ignatio, cúmque Isidoro Madritano, Philippo Nerio, Teresia, hac in re dexteritas.

In cunctis ad quæ extenderis manum tuam.] Sic priùs versu 7. (*lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum vos & domus vestra in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.*] Ibi eadem phrasis est editionum aliarum. Significatur autem promitti quæ dicta sunt exequentibus tantam fœlicitatem prosperitatémque, vt ad exitum bonum perducat quidquid negotij susceperit, & ad quod manus ac animum applicauerit.

Caue.] Adde potuit (*tibi*) & reddi (*attende tibi*, πρόσεχε σεαυτῷ) quemadmodum versu 13. quem relege.

Ne derelinquas Leuiten in omni tempore, quo versaris in terra.] Hebraicè & Chaldaicè (*omnibus diebus tuis super terram tuam*, aut *in terra tua.*) Græcè (*omni tempore quo vixeris in terra*, πάντα τὸν χρόνον ὃν ἂν ζῇς ἐπὶ τῆς γῆς. Habet vim pronomen possessiuum primatum duarum editionum, ad insinuandum quòd extra terram suam siue peregrinando, siue quia captiui tenerentur, non tenebantur hac lege, immò nec poterant seruare: vt etiam notant Abulensis atque Rickelius; licèt de pronomine sileant. Hugo autem in hac tanta cura de Leuitis notat magnam, vt ipse loquitur, curialitatem, id est, vrbanam liberalitatem; vt velit quibus sors inter alios non fuerat, alij prouiderent: quemadmodum & Paulus affirmat Dominum ordinauisse (permittédo accipere ab offerentibus) qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere[h]; & qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat communicare in omnibus bonis[i]. Leniticæ tribus erat cum sacris doctrinam quoque legis exhibere, hácque de causa, non solùm quia possessionem non habebat sicut aliæ tribus, ab aliis tribubus sustentari debebat. Prosper[k] quidem scripsit de Euangelio eos tantùm viuere posse, qui aliunde non haberent vnde vitam tueri queant. & [a] canon Apostolicus permittit Episcopo se bonis ecclesiasticis sustentare si fortè indigeat; quod Antiochenum[b] etiam Concilium definit. Quod tamen haud ita præcise accipiendum est, cùm licèt præmium propriè vita æterna sit, militans tamen Deo veluti stipendia possit accipere[c], & alitari seruiens de eodem viuere[d]: & sit dignus operarius mercede sua[e]: & quamuis Leuites non haberet possessionem inter alios, tanta posset aliunde acquirere, ac ad eam peruenire fortunam, vt sacris non egeret prouentibus. Mysticè Ambrosius[f], legens (*attende tibi*,) *ne derelinquas Leuiten per omne tempus quod vixeris super terram*) & docens præcepta legis spem futurorum bonorum deferre, ait hunc Leuiten esse, qui venit ministrare[g]; (*Leuites minister sacrorum erat*) & sacerdos est in æternum[h]. Sed non declarat quid sit hunc Leuiten non derelinquere. Possumus dicere esse ministros rerum sacrarum propter ipsum honore prosequi, obsequio, beneficio, atque illum qui sponte abdicans sese propter eumdem omnium possessione, ipsi vni vacat. Omitto quæstionem de ordine benefaciendi, an, quod quærit Aquinas[i], sit magis benefaciendum his qui sunt nobis magis coniuncti: & quo sensu Christus docuit, vt faciens prandium aut cœnam, non vocet amicos, fratres, cognatos[k]; nempe ea intentione vt reinuitent; non quòd cæteris pauperibus præferri non possint, vel etiam debeant. Hoc quidem loco iubetur, vt Leuites non derelinquatur: sed priùs[l] mentio facta est de filiis, & seruis. Rabani tropologia est indignum esse valdè vt diuina dona nostris viribus ac beneuolentia ascribamus, nec Dei, sed nostram laudem quæramus: quoniam affectus veræ humilitatis atque innocentiæ locus est quem elegit Dominus: & generaliter omnibus præceptum est, filio, filiæ, &c. coram Domino lætari ac refici, in synceritate omnia bona agendo, semper gaudendo in Domino[m], in illo gloriando[n].

[a] c. cùm ad monasterium, de statu monachorum.
[b] comment. ascet. in regul. comm. societ. reg. 26 n. 28.
[c] vers. 2.
[d] feria 2. ad matutinum ex Ambrosio.
[e] 10 confess. c. 31.
[f] quæst. 12.
[g] Matth. 9. 11. c. 11. 19. Marc. 2. 15. 16. Luc. 5. 30. cap. 7. 33. 34. c. 15. 2.
[h] 1. Cor. 9. 14.
[i] Gala. 6. 6.
[k] 2. de vita contempl. c. 9. 10. 11. 12.

[a] can. 41.
[b] can. 25.
[c] 1. Cor. 9. 7.
[d] ibid. v. 13.
[e] Matt. 10. 7.
[f] in Ps. 118. octon. 16.
[g] Lucæ 22. 27 Marci 10. 45. Mat. 20. 28.
[h] Ps. 109. 4.
[i] 2. 2. q. 31. a. 3.
[k] Lucæ 14. 12.
[l] v. 12. & 18.
[m] Phil. 4. 4.
[n] 2. Cor. 10. 17.

Vers. 20.] Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua.

Vers. 21.] Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet.

Vers. 22.] Sicut comeditur caprea & ceruus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur.

PARAPHR. Replicatur præcedens præceptum de carnibus comedendis, occasione nimiæ distantiæ à loco, ad quem alioqui deferri animalia debuissent, vt comederentur in conspectu Domini; qui locus erat vnicus electus à Deo & deputatus ad oblationes atque sacrificia: vbi scilicet sanctuarium collocatum esset, id est, tabernaculum cum

arca, vel alterum horum seorsim, prout antea diximus. Hinc infertur à Cornelio nostro congruum fuisse, vt si animal immolabile, quod non ad immolandum, sed ad comedendum occideretur, non distaret procul à dicto loco, occideretur ad ostium sanctuarij, vt sanguis coram Deo funderetur, & adeps ipse adoleretur. Id innuit vult illis verbis (*vt sit nomen eius ibi.*) Ex quo prætèrea fieri, inquit, videtur, huiusmodi animalia ferè occidenda fuisse à sacerdotibus, quorum ingens erat turba: & quibus pro honorario animalium ab ipsis occisorum, pars aliqua daretur. In Leuitico [a] vetatur comestio adipis sanguinísque ex oue, & boue, & capra. Sed horum, & quæ sub his continentur animalium, occisionem illo modo faciendam à sacerdotibus, equidem difficile iudico: nec tanta semper fuit, aut esse semper multitudo sacerdotum potuit, quæ tot mactandis animalibus sufficeret: Oleaster asserit, postquam de sanguine ad altare deferendo dixit, quasi in cap. 17. Leuitici statutum id esset, monet ibi de sacrificiis sermonem esse. Abulensis docet statutum fuisse; vt si quis vellet occidere aliquod pecus, adduceret ad ostium tabernaculi, vt sacerdos immolaret illud Domino, scilicet sanguinem eius & adipem: si autem locus esset distans, non potuisse compleri. Certè non minùs adeps deferri debuisset, quia æquè illius esus prohibitus erat, & imperatum, vt Deo per concremationem consecraretur. Itaque cùm animalia immolationi apta, occidebantur in solum vsum eius, vbicúmque occiderentur, non oportebat manu sacerdotis occidi; nec vt sanguis adépsve deferrentur ad sanctuarium, etiamsi id non procul distaret; sed vbiuis fundi sanguis debebat, & adeps extrahi: ita verò, vt sanguis omnino comedi non posset: adeps extra sacrificium seu ex animali non sacrificato posset, quemadmodù in Leuitico [b] docui. Nondum prodierat Cornelius noster in Leuiticum, cùm ipse scriberem in eumdem librum. Eo libro [c] ille sentit; nefas fuisse Iudæis edere adipem animalium quæ poterant immolari, quamuis actu non immolarentur; sed aliorum quæ munda erant ad esum, non ad sacrificium, per legem potuisse: quamuis vt exactiùs priorem obseruarent, abstinerent etiam ab isto, & abiicerent; atque id adhuc facere perhiberi. Leonardum quoque Marium postea legi [d] eamdem de adipe tradentem sententiam, necnon quòd si occiderentur vsualiter animalia sacrificabilia in loco tabernaculi, debebat adeps Deo immolari. Petrus Vincentius Marzilla prohibitionem adipis, accipit de illo dumtaxat, qui solebat Deo immolari & erat super renes, ilia, &c. non qui inter partes carnis; quamuis stulti Iudæi moderni ab eo etiam abstineant. Persisto in opinione mea; adipis esum inhibitum non fuisse animalis; quod extra sacrificium manducari posset. Aliis causis, quas alibi attuli, de prohibito esu sanguinis & adipis, omissis; Mariana [e] noster istam reddit; quia pessimi nutrimenti sunt: voluitque iis Deus eos abstinere quæ nocent, eáque ipsi offerri, id est, propter eum hoc fieri. Noua causa, cui passim affertur opposita, quòd eæ res videantur gustui suauiores, præsertim adeps à carne non secretus. Innuit Eucherius [f] tamen, loquens de morticino, quoniam caro illius morbida est, nec apta ad salutem corporis, cuius causa sumimus alimentum.

[a] c.7.23.25.26.27.
[b] in c.3.17.
[c] ibidem.
[d] ibid. & in c.7.
[e] in c.3.
[f] in Gen.9.

Explanatio.

Quando dilatauerit Dominus terminos tuos.] Hebraicè גבלך *ghebulecha* numero singulari: quod Vatablus exponit non modò terminum, sed etiam regionem. Posterioris notionis exemplum non facilè occurrit, etsi doceat Pagninus accipi non solùm pro limite contiguo, verùm etiam pro toto spatio alicui definito, quaqua versùs patet: atque figuratè pro toto patrem; cùm integrum agrum שדה *sadeh* valeat, גבול *ghebul* partem, seu confinium.

Loqui Dei promissere est.

Sicut locutus est tibi.] Loqui Dei, promissio est; vt cùm dixit Patriarchæ Iacob [a]; *dilataberis ad Occidentem & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem*; Fitque mentio dilatationis eiusdem in Exodi cap. 34. [b] & libri nostri cap. 19. [c] Similique dicendi formula Iabes petiit benedici sibi à Domino, & dilatari terminos suos [d]: & Iapheth imprecatus est pater Noë, vt iuxta etymon nominis ipsius, dilataret eum Deus, & habitaret in tabernaculis Sem, esséque Chanaan seruus eius [e]: & Isaac effosso puteo, pro quo non contenderunt sicut pro aliis duobus quos appellauit calumniam, & inimicitiam, nomen eius vocauit Latitudo; dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram* [f] Maximum scelus dilatare terminum dissecando prægnantes [g], vt sic in earum filiorúmque hæreditatem ingrederis. Hoc non promittit Deus, licèt permittat interdum.

[a] Gen.28.14.
[b] vers.24.
[c] vers.8.
[d] 1.Par.4.10.
[e] Gen.9.27.
[f] c.26.22.
[g] Amos 1.13.

Et volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua.] Plura sunt in aliis editionibus (*& dices, comedam carnem*, vel *carnes*; *si*, aut *quando desideraueris anima tua vt comedas carnem*, seu *carnes*, *in omni desiderio animæ tuæ comedes carnem*, vel *carnes*. Versu 15. *Si autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit*;) quem locum consule. Indicat vterque locus ardentem appetitum concupiscentiámque carnium in populo Hebræo; de qua in Exodo [h], & in libro Numerorum [i]. Multis Abulensis disputat quo pacto animæ tribuatur desiderare, cùm actiones sint suppositorum, ipsa verò in corpore non sit suppositum: & quo modo ab eadem vna anima humana sint actiones tanquam à forma, & principio quo homo agit, non solùm Intellectuales, verùm etiam vegetatiuæ & sensitiuæ. Vsitatus est omnibus Scriptoribus hic loquendi modus, vt animæ tribuant quaslibet actiones, quas propriè & philosophicè loquendo, suppositum operatur.

[h] c.16.3.
[i] c.11.4.

Locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit.] Indicari putant opinionem suam illi qui sentiunt animalia immolatitia, si quis vesci vellet iis absque interuentu immolationis, debuisse occidi ad ostium tabernaculi, & quidem à sacerdotibus qui sanguinem ibi funderent, & adipem cremarent. Nimis id onerosum & operosum videtur etiam in locis non dissitis valde à loco sanctuarij, immò & in loco seu ciuitate, vbi sanctuarium esset. Videtur sermo esse de illis animalibus, quæ quis sponte decreuisset offerre in sacrificium, sed quia longiùs aberat à loco, in quo solo sacrificari poterat, & interim tenebatur desiderio de illis comedendi, facere hoc ei fas esset, seruata conditione de qua mox, vt pretium talium animalium deferret ad locum sanctuarij. &c. Vnde non propterea sequitur, in loco ipso sanctuarij, si quis eiusdem generis animalia comedere vellet, quæ non destinasset sacrificio; illa occidi debuisse ante ostium tabernaculi, & à sacerdotibus: quamuis fundi sanguis domi debuisset, cuius esus ex omni animali omnino prohibitus

erat; adeps autem comedi posset, iuxta probabilem sententiam, quam secuti sumus. Caeterum quod scribi apostata Manlherus factum est, in deserto facta quotidie sacrificia pacificorum, quia tabernaculum erat praesens, & sic non debuisse Hebraeis esum carnis, cum illa possent ab omnibus comedi, qui erant mundi. Saepiùs ostensum est in deserto sacrificia ordinarie facta non esse; initio autem istius capitis satis indicatur legem de iisdem non obligasse, nisi cùm peruentum esset ad terram promissionis.

Occides de armentis & pecoribus quae habueris.] Pro (*armentis & pecoribus*) habent editiones aliae, boues & oues, quemadmodum versu 17. & pro (*occides*) sicut in 15. verrunt alij (*sacrificabis*) & pro (*quae habueris*) in aliis editionibus est (*quae dederit tibi Dominus Deus tuus.*) Quamuis autem siue sit occidendi verbum, siue sacrificandi, posset exponi per sacerdotem id fieri debere; tamen occisio simplex proposito conuenit, & occisionem non oportuisse à sacerdote fieri, iam aliquoties asserui. Repete dicta citatis aliis versibus.

Sicut praecepi tibi.] Codices Latini Complutenses & Regij habent (*praecepit.* Praecepit Dominus per Mosem: Moses Domini auctoritate ac nomine. Praeceptum praecessit in hoc ipso capite [a]: quod posita voluntate comedendi obligat quantum ad modum de sanguine fundendo, &c. Alioqui sola permissio erat, non iussio de animalibus comedendis.

Et comedes in oppidis tuis.] Hebraicè *in portis tuis* בשעריך *bishharecha*) vt non semel priùs [b]: & Latine nunc oppida ponuntur, nunc vrbes, eadem nimirum notione, quamuis distincta significatio esse possit, vt dixi [c].

Vt tibi placet.] In Hebraeo, Chaldaeóque textu *in omni desiderio animae tua*, בכל אות נפשך *bechol auuath naphschecha*, בכל רעות נפשך *bechol rahhuath naphschech*) in Graeco (*secundùm desiderium animae tuae* κατ' τὴν ἐπιθυμίαν τῆς ψυχῆς σου.) Permissio his verbis & similibus tum priori, tum 15. versus, adeò larga & liberalis, indicat Dei bonitatem accommodantis se ad populi carnalis desideria carnalia. Eamdem phrasim editionum caeterarum transtulit nostra inferiùs [d] codem modo: item quod iuxta alias dicitur animam satiari, seu impleri [e].

Sicut comeditur caprea & ceruus, ita vesceris eis.] Id est, inquit rectè Abulensis, sicut capra caprea dici debet & ceruus sunt animalia immunda ad offerendum, & ideo effuso sanguine, & nulla alia solemnitate praemissa, comedi possunt: ita animalia quaecunque volueris, poteris comedere in oppidis tuis, sine aliquibus ceremoniis praepositis. Vnde fit, vt adeps comedi potuerit, in aliúmve vsum transferri: quod etiam verum putamus non solùm in loco procul remoto à loco sanctuarij, sed etiam vbi ipsum erat, & animal quamuis ex se sacrificabile, occidebatur domi ad vsum priuatum. Quae de te actum alias.

Et mundus & immundus in commune vescentur.] In versu 15. secundùm reliquas editiones extant eadem verba omisso (*in commune*) in omnibus praeter Graecum, quae habet ἐπὶ τὸ αὐτό, hic autem [illegible] in quo hic etiam est יחדו *iachdau*, [illegible] *chachada*. Sed ibi editio nostra sumit vel [illegible] de animali [illegible] edendo, non de illo qui [illegible] edere possit, ad declarationem immundi & immundi siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile; siue mundum, hoc est, integrum, & sine macula quod offerri [illegible]. Efficiebatur quis immundus legaliter per tactum mortui, vel animalis mortui, vel mulieris menstruatae, & in fluxu sanguinis vel seminis, aliisve modis, de quibus in Leuitico [a]. Arcebatur immundus à comestione immolatorum.

Vers. 23.] Hoc solùm caue, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus:

Vers. 24.] Sed super terram fundes quasi aquam;

Vers. 25.] Vt benè sit tibi & filiis tuis post te, cùm feceris quòd placet in conspectu Domini.

De sanguine non comedendo quodcumque animal comederetur, etiam non immolatitium, repetitum praeceptum iam hîc priùs [b] datum, & aliis locis quae ibidem retuli; vixque occurrit quid praeterea nunc notetur. Adiicitur pollicitatio praemij custodientibus & obedientibus: vt significetur quanti aestimerent id praeceptum, quod hoc modo, ac tam saepe commendatur, & aliquamdiu praeterea iussu Apostolici [c] Concilij seruatum est in Ecclesia. Cyrillus [d] Alexandrinus sanguinis effusionem in altari, etiam praesentem locum, animae vult designare oblationem, vitaeque sanctae ac Deo gratae suauem odorem, quia sanguis animae seu vitae figuram gerit.

Hoc solum caue.] Hebraicè (*tantum robora te*, seu *confortare*, id est, firmus esto, robustus, constans, viriliter caue, imprimè fortiter & apprehende animo tuo, ac firmiter retine: רק חזק *rak chazak*) Chaldaice eodem modo (לחוד תקיף *lechod thekeph*) Graece πρόσεχε ἰσχυρῶς, *attende*, aut *caue fortiter*, seu *valde*. Praecepti grauitas indicatur, & quantopere seruari Deus id vellet, vt antè dixi. Idem importat Latinè (*solum*) quasi comparatione aliorum praeceptorum hic traditorum hoc vnum solum aestimeretur, id est, plurimi prae caeteris fiat. Sic in aliis contingit aliquando praecepta ita commendari, ac si vel sola, vel magis quàm alia iniungantur. *Ante omnia*, inquit Iacobus [e], *fratres mei nolite iurare*; quia inter peccata linguae, de quibus egerat, videbatur id maximum, vtpote contra reuerentiam Deo debitam: vel quia propter consuetudinem iurandi, maiore opus erat diligentia & cautione. Tale peccatum gulae, cui dediti erant Hebraei & idololatriae ad quam proni; & [illegible] crudelitatique, a qua non satis abhorrebant: quae inter alias causae fuerunt inculcandi toties praecepti eiusdem. Petrus [f] verò ante omnia [illegible] mutuam in nobismetipsis charitatem continuam habere hortatur. Perpendens Oleaster vim verbi Hebraei significantis (*roborari*) admonet vt quisque admittatur, ac neruos omnes & vires intendat circa illius expugnationem peccati, a quo magis impugnari sentit.

Ne sanguinem comedas.] Sub comestione ponitur quoque comprehendi diximus versu 16. & quidem cuiusuis animalis, quo vesci liceret.

Sanguis

Marginal notes:
[a] vers. 15. & 19.
[b] v. 12. 15. 17. 18.
[c] vers. 17.
[d] c. 14. 26.
[e] c. 13. 24.
Adeps posse comedi.
[a] cap. 12. & 14. & 15.
Paraphr.
[b] vers. 16.
[c] Actuum 15. 20.
[d] hom. 11. de festis Paschalibus.
Explanatio.
[e] c. 5. 12.
[f] 1. ep. 4. 8.

Sanguis enim eorum pro anima est.] Iuxta reliquas editiones (*quia sanguis ipsi anima*, nempe est). Græcè (*sanguis eius τὸ αἷμα αὐτοῦ.*) In Leuitico [a] (*anima omnis carnis in sanguine est*) quod ab aliis editionibus dicitur (*anima omnis carnis sanguis eius est*) Restringit sententiam Abulensis [b] ad bruta, quorum deficit anima, sanguine deficiente, non autem hominis anima, quæ separata existit vt suppositum, éstque immortalis. Atqui non minùs dependet hominis vita, & præsentia animæ in corpore illius à sanguine, quàm vita bruti, & animæ eius præsentia, quamuis non existat separatim à corpore, nisi anima humana, de qua Poëta [c],

Purpuream vomit ille animam.

Et,

——— [d] *vitam cum sanguine fudit.*

Repete quæ dixi versu 16. vbi remisi etiam ad alios commentarios meos. Ibidem verò præterea retuli ea Augustino [e], sermonem similibus in locis esse de pecoris duntaxat anima: negasse item vspiam pronunciari in Scriptura, quòd sanguis sit anima. Quod vltimum de nostra editione conceditur, non de aliis, quas paulò antè monui eo modo pronunciare. Cùm verò idē Doctor, admissa ea lectione, ait dici quòd sanguis est anima, quia signum est animæ, ac eo sensu dictum à Christo [f]; *hoc est corpus meum*, cùm signū daret corporis sui, ne hoc secundum dixisse intelligatur, quasi sit in Eucharistia non ipsū Christi corpus, sed signū solum ipsius, respondēt Catholici variis modis, quos refert noster Bellarminus [g]: vel ex Manichæorum loqui sententia, & refellere ex eorum dictis, qui Christo tribuebant solam corporis apparentiam & signum: vel signum accipere non nudum, sed cum quo res significata coniuncta sit, nec enim sanguis signū est animæ absentis, sed præsentis, quam, vt idem [h] loquitur, continet. Amplectitur porrò lex prohibitionē esus sanguinis tum à carne separati, tum cum ipsa admixti, vt cùm animal suffocatione occiditur, aut contusione, alióvemodo absque sanguinis effusione; item adhuc viuentis & palpitantis animalis, crudæve carnis quæ adhuc sanguine madet, aut vix fieri potest quin aliquid in ea sanguinis remaneat. Critiæ opinio fuit apud Aristotelem [i], quòd sanguis anima sit: Empedoclique opinio eadem tribuitur: cùm ne animatum quidem esse, communior ac verior opinio habeat, vt alibi docui, ac nuper citato versu 16. quamuis animæ vehiculum censeatur, & de re nobis impensè cara per parœmiam dicatur αἷμα καὶ ψυχή, *sanguis & anima*, quibus argentum coniungit Antiphanes;

τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα, καὶ ψυχὴ βροτοῖς:

Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus.

Ægyptiis accipiter symbolū sanguinis fuit, quoniam is aquam omnino non bibit, sed sanguinis solo suctu sitim leuat, quo vno & anima ipsa nutriri quodammodo videtur, ait Pierius [k] post Horum [l] Apollinem. Hic præterea scribit accipitrem Ægyptiacè *Βαιήθ Baieth* dici, esse autem *Βαΐ bai* animam; *ἠθ eth* cor: & hoc ex Ægyptiorum sententia animæ *σύζυγον* ambitum siue septum: atque hic illo nomine significari animam *ἐγκάρδιον*, *cordatam*. Tropologicè Thomas [m] longius virum sanguinum docet esse non solùm qui proximum vulnerat, aut interficit corporaliter, sed etiam qui spiritualiter, scilicet ad peccatum inducendo; hoc autem sensu pro anima sanguinem censeri, & qui aufert animam homini, quasi sanguinem eius fundere; immò & offerre dæmonibus, exemplo eorum de quibus canitur, quòd immolauerunt [a] filios suos & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

[a] c. 17. 14.
[b] q. 12.
[c] 9. Æne.
[d] lib. 2.
[e] cont. Adimant. c. 13.
[f] Matth. 26. 26.
[g] 2. de Eucha. c. 24.
[h] q. 57. in Leuit.
Esus sanguinis tum à carne separati, tum cum illa admixti prohibetur.
[i] 1. de anima. t. 32.
Accipiter sanguinis symbolum fuit Ægyptiis.
[k] lib. 21. c. 57.
[l] cap. 7.
Vir sanguinum quis.
[m] in Ps. 5.

Et idcirco non debes animam comedere cum carnibus.] Passiuè in textu Græco (*non comedetur anima cum carnibus, οὐ βρωθήσεται ἡ ψυχὴ μετὰ τῶν κρεῶν.* Potest sensus esse, vt nec inclusus intra animalis carnes comedatur, nec à carnibus extractus comedatur sanguis cum illis, aut etiam sine illis; denique vt nullo modo: quod magis indicant sequentia.

Sed super terram fundes quasi aquam.] Repetitur ante ista in aliis editionibus ad maiorem vim (*non comedes*, aut *non comedetis illum.*) Versu autem 16. erat (*super terram quasi aquam effundes* vel *effundetis.*) Typum confessionis peccatorum agnoscunt hac in re Augustinus [b], & Isidorus [c], vt eiecto sanguine manducare, sit vitam pristinam quasi suffocatam in conscientia non tenere, sed habere tanquam effusionem per confessionem: etiamsi (addo ego) rubore tanquam cruore suffundi oporteat. Seraphinus Capponus considerans in effusione ista typum sanguinis Christi aliquando fundendi à Iudæis; rationem comparationis attendit, quòd aqua fundi soleat absque vllo scrupulo, non vinum, oleum, &c. quod vt vilissima res habeatur, quòd spargatur nullo mensuræ habito respectu, quòd effusam colligere nemo curet; & si quis curet, stultus habetur. Applicat sigillatim ac explicat piè omnia.

Vt benè sit tibi, & filiis tuis post te.] Adhuc ante ista editiones aliæ repetunt iam quartò eamdem prohibitionem: & Græca quidem prima vice (*caue fortiter ne comedas:*) Secunda passiuè (*non comedetur*) tertia pluraliter (*non comedetis*) nunc (*non comedes eum.*) Quæ tanta repetitio in editione nostra vtiliter profectò expressa esset. Phrasis autem recitati textus aliquoties antea hoc libro [d] posita & exposita est. Patres benè agentes non solùm merentur sibi misericordiam Dei, sed etiam filiis suis, inquit Abulensis, & aliàs ostensum est: & spiritualiter quoque verum est, quamuis pro carnali illo populo soleat intelligi temporaliter.

Cùm feceris quod placet in conspectu Domini.] Hebraice (*rectum in oculis Domini.*) Chaldaicè (*rectum coram Domino*) Græcè (*bonum & placitum coram Domino Deo tuo*, τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀρεστὸν ἐναντι κυρίου τοῦ θεοῦ σου.) De hac quoque formula non semel actum: & indicat quanti æstimaret Deus abstinentiam à sanguine.

[a] Ps. 105. 37. 38.
[b] 12. cont. Faust. c. 22.
[c] in Gen. 9.
[d] c. 4. 40. c. 5. 6. 29. 33. c. 6. 3. 18. c. 10. 13.

Vers. 26.] Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus:

Vers. 27.] Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris.

Simile iam priùs isto capite præceptum datum est, vt extra locum à Deo electum ad sacrificia, votiuæ oblationes non fiant; postquam verò ibi factæ fuerint, carnibus victimarum vesci liceat: sed sanguine antea fuso ad basim altaris. Ea pacificarum hostiarum carnibus comedere poterant qui eas detulissent immolandas; non autem si penitus, ac simpliciter eas vouissent. Quare quod

Paraphr.

Tt de

de sanctificatione per votum hîc præcipitur, de particulari voto intelligi debet, atque determinato; quo quis voueret non absolutè, sed vt fieret sacrificium hostiæ pacificæ.

Explanatio.

Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino.] In Hebræo, Græcóque textu pro (*quæ sanctificaueris*) habetur (*sancta tua*, קָדָשֶׁיךָ *kadascecha*, τὰ ἅγιά σου) & pro (*autem*) verti potuit (*cæterum, veruntamen*, &c. רַק *rak*, לְבַד *lebad*, πλὴν) Chaldaicè sunt (*decima sanctificata tua*) מַעְשְׂרֵי קֻדְשָׁךְ *mahhsere kudscach*. Sed latiùs patent decimæ, quàm hostiæ, videtúrque aliquando per hanc speciem genus intelligi, hoc est, quælibet species oblationum: quamuis hîc paulò pòst distincta mentio fiat de hostiis. Restringit Abulensis sanctificationem ad votum, siue ad illa quæ quis per id sanctificaret Domino, id est, applicaret ipsi; sed ita vt quantum ad hostias votiuas, de quarum carnibus comedere liceret ei qui detulisset votum ad sacrificium, votum non sit absolutum, quemadmodum dixi. Quamquam, quod alibi antea notaui, posset exponi, si votum esset absolutum, vt sacerdotes ad quos pertinebant hostiæ integræ, pro arbitrio comederent illas. Sed prior expositio melior; aptiúsque cohærens cum sequentibus. Sanctificationis porrò etiam in persona laica cùm quidpiam separaret ac applicaret ad cultum Dei, plura sunt alia similia exempla de sabbato [a], ieiunio [b], primogenitis [c], bello [d] seu prælio, & aliis, quæ vel dicantur à Deo ipso, vel ad quæ quis per quædam bona opera se præparet; vel quæ facienda promulget.

a Exo. 20. 8. Deut. 5. 12.
b Ioël. 2. 14. c. 2. 15.
c Exo. 13. 2.
d Ioël. 3. 9. Michæ. 3. 5.
e vers. 24. & seqq.

Tolles, & venies ad locum quem elegerit Dominus.] Nisi locus multùm distaret, vt versu 18. indicatum, & clariùs exprimitur c. 14. [e] tunc enim poterant res votiuæ vendi & comedi in loco proprio, pretium autem in locum electum afferri.

Et offeres oblationes tuas.] Textus Græcus addit prioribus ante ista (ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ, *vt inuocetur nomen eius illic.*) Lege versus [f] præcedentes. Verba verò versus præsentis iuxta reliquas editiones sic habent (*& facies holocausta tua.*) Quæ sumi propriè possunt, sumíque de victimis quas quis vouisset immolandas per totalem concremationem, quod holocausti vocabulo significatur, licèt nonnumquam extendatur ad alias formas sacrificiorum. Verbum autem faciendi, quo vtuntur editiones aliæ, idem valere quod sacrificare apud profanos etiam auctores, alibi monuimus.

f v. 5. 11. 21.

Facere & sacrificare idem esse.

Carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui.] Id est, quorum caro & sanguis offeretur super altare Domini Dei tui. Græcè de carnibus tantùm (*carnes offeres super altare Domini Dei tui*) τὰ κρέα ἀνοίσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον κυρίου τοῦ θεοῦ σου. Non offerebatur sanguis, nisi per effusionem: non effundebatur autem super altare; sed quatuor illius cornua eo liniebantur, & reliquus sanguis ad basim effundebatur: quamuis antequam datæ leges essent de ritibus sacrificiorum, semel fuerit effusus super altare; quando confirmatum est pactum legis inter Deum & Israël [g]. Notauit id Abulensis. Sed in particula (*super*) vis poni non debet, cùm statim sequenti membro sit (*in*) pro עַל *hhal*.

g Exo. 24. 9. & seq. Hebr. 9. 18. & seq.

Sanguinem hostiarum fundes in altari.] Potuit, vt modò dixi, verti sicut membro priore super altare: ita vt annotatio præcedens Abulensis necessaria non videatur; quoniam (*super altare*) idem potest esse ac (*in altari*) tum hîc, tum in alio Exodi citato loco: vbi quamuis nondum lata esset de sacrificiis, probari nequit aliter tunc factum, quàm quod postea lex præscripsit. Denique in præsenti textu nostro Græcè legitur προσχεεῖς πρὸς τὴν βάσιν τοῦ θυσιαστηρίου, *fundes ad basim altaris*. Nec sanè vel decens, vel commodum fuisset, infici altare sanguine, &c.

Carnibus autem ipse vesceris.] De victimis pacificis, quia de holocaustis, aut pro peccato delictóve offerens non comedebat: sed carnes de pacificis omnes, detracto adipe, cum renibus siue lumbis in incensum Dei ad altare; & armo dextro atque pectusculo pro sacerdote [a].

a Leuit. 3. & 7.

Vers. 28.] Obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cùm feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui.

Paraphr.

Commendatur hoc velut epilogo eorum quæ dicta sunt exacta intelligentia: & obedientia; proposita sæpiùs antea memorata spe prosperitatis in omnem etiam posteritatem; si diuinæ studerent placere ac satisfacere voluntati circa ea quæ præcipiebantur; nominatim verò cauendo idololatriæ occasionem omnem; qualia erat adeo sæpe prohibita seuerissimè comestio sanguinis; ex qua facilis in illam lapsus erat, quæ sequentibus versibus magis distinctè vetatur.

Explanatio.

Obserua & audi.] Primum notat attentionem, inquit Abulensis; secundum consensum; vt diligenter attendantur ea quæ dicuntur, & audiantur siue exaudiantur cōsentiendo: quia nihil prodest auditio, cùm non sequitur exauditio: nec *auditor legis iustificatur, sed factor* [b], *qui audit Dei verba, & facit ea, assimilatur viro sapienti, ædificanti domum supra petram* [c]: *beatus qui scit, & facit* [d]: *qui audit, & custodit* [e], *seruátque* [f]: *sciens* autem, & *non faciens, vapulabit multis* [g]: *sciens facere bonum, & non faciens, peccatum est* [h] *illi*: non exitur de Ægypto, id est, de peccato, nisi in manu Moysi, per scientiam legis: & Aaron, per sacrificia, id est, opera, quibus placetur Deus, inquit Origenes [i]. In auditu auris populus obediuit Deo; filij alieni mentiti sunt, ac inueterati, claudicauerúntque à semitis suis [k], id est, Iudæi, moribus tanto parente Deo dignos se non exhibentes. Expressit id magis editio Græca, verbum hîc tertium adiiciens: φυλάσσε, καὶ ἄκουε, καὶ ποιήσεις, *obserua, & audi, & facies*. Plura in commentario Iacobi. Capite verò libri nostri 5. [l] audiuimus Mosem inuitantem ad audiendum, discendum, opere quæ audita essent complendum.

b Rom. 2. 13. Iacobi 1. 22. 23.
c Matth. 7. 24.
d Ioan. 13. 17.
e Lucæ 11. 28.
f Apoc. 1. 3.
g Lucæ 12. 47.
h Iac. 4. 17.
i hom. 27. in Num.
k Ps. 17. 45.
l vers. 1.

Omnia.] Addunt editiones aliæ (*verba* הַדְּבָרִים *haddebarim*, & יָת פִּתְגָמַיָּא *iath pithgamaia*, τοὺς λόγους,) hoc est, sermones de agendis & vitandis; aut res ipsas; pro quibus crebrò verba Hebræo idiomate vsurpantur.

Quæ ego præcipio tibi.] Dei sine dubio nomine ac auctoritate, vt sæpe monui, obseruans quoque cur ita potiùs plerumque Moses loquatur in hoc libro, eóque tempore quod morti suæ propinquū erat frequenter repetere ista Mosem Abulensis monet, quia sciebat istum populum pigrum ad obediendum mandatis Dei, & exequendum ea.

Vt benè sit tibi, & filiis tuis post te.] Omittuntur postremæ dictiones duæ in textu Græco: quas tamen priùs [m] in eadem habet sententia. In cap. 5. [n] abest ab omnibus editionibus. Propter bonos patres benedicit ac miseretur filiis Deus vsque in mille generationes, siue in millia [o].

m vers. 25.
n vers. 28.
o Exo. 34. 7. Deut. 5. 10.

In

In sempiternum.] Citato cap. 5. idem extat, & עַד־עוֹלָם *hhad holam*, Hebraicè, & Chaldaice; Græcè aotem ἕως αἰῶνος. Magnum tempus, non autem vita æterna significatur: quia pater, quantumcumque bonus sit, numquam meretur pro filio, ioquit Abulensis, vitam æternam, nisi cùm filius bonus est; & tunc ipse pro se meretur; quamois indirectè possit mereri, vt Deus dirigat filium eius in viam salotis æternæ. Addi posset de puero qui baptismum consecutus moritur. Sed alterius loci hæc disputatio est.

Cùm feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui.] Versu 25. erat dumtaxat (*quod placet*) Hebraicè atque Chaldaicè (*rectum*) Græcè τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀρεστόν, (*bonum & placitum*) hic autem iuxta editionem Hebræam, Chaldæamque (*bonum & rectum*) iuxta Græcam (*bonum & beneplacitum*, τὸ καλὸν, καὶ τὸ εὐάρεστον.) Vtrúmque apud Deum idem esse Abulensis docet, non apud nos: quia non amamus semper quæ sunt bona simpliciter, sed quæ videntur nobis: Deus autem, qui regula æterna est, & non deficit ab eo quod secundùm se est verum & bonum, semper vult id quod est bonum. Ad hoc Paulus [a] cum obsecratione per misericordiam Dei adhortans, huc alludere videtur, vt exhibendo corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, neque conformantes nos huic seculo, sed reformati in nouitate sensus, per tales quasi dispositiones eo perueniamus, vt probemus quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθόν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον. Voluntas quippe Dei non præcipit, nisi bona sibi placita, & perfecta, id est, irreprehensibilia: iubet autem Ecclesiasticus [b] vt quæ ille præcipit cogitemus semper: & canit Dauid [c] beatum cuius in lege Domini voluntas est, meditatúrque in ea die ac nocte, memor mandatorum eius ad faciendum ea [d].

a Rom. 12. 1.2.
b c. 3. 22.
c Ps. 1. 2.
d Ps. 102. 18.

Vers. 29.] Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & posséderis eas, atque habitaueris in terra earum:

Vers. 30.] Caue ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subuersæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam.

PARAPHR. QVia tempus implendi præcepta hactenus tradita, vt initio capitis ac deinceps non semel dictum est, erat cùm peruenisset Hebræus populus ad terram promissam; & pulsis inde gentibus idololatris, eamdem possedisset; metui autem poterat, ne periculis belli defunctus, victoria potitus, bonis earum perfruitus, obliuisceretur Dei: cauere iubet Moses vt non admittat cogitationem, multóque minùs voluntatem discendi falsos ritus ac superstitiosas ceremonias gentium, quos illæ coluerant, siue ab aliquibus ea iis qui adhuc superessent, siue ex aliis propinquis gentibus, siue ex ritualibus libris aut historicis rerum huiusmodi consequi notitiam vellent. Inde collegit Abulensis illicitum tunc Hebræis fuisse legere Gentilium libros, continentes deorũ ceremonias: nobis licere, quoniam non est occasio iu nobis idololatriæ, sicut in illis; immò expedit ea iis quæ foris sunt habere testimonium; quemadmodum & Apostolus [a] aduersùs Athenienses poëtarum vsus est auctoritate. De hoc alibi egimus, & quo pacto teste [b] Clemente Alexandrino, idem Paulus hortatus est ad lectionem Sibyllinorum oracolorum & Hydaspis, seu Hystaspis; Iustinus [c] verò meminit constitutam pœnam à Gentilibus aduersùs lectores dictorum librorum; quod ex rescripto Valeriani Imp. apud Vopiscum quidam [d] colligunt (quamuis reprehendantur potiùs qui perinde ab illorum lectione abhorrebant patres conscripti, ac si Christianis impiis atheísque similes forent:) & ea apostatæ Iuliani conatu licèt irrito, de quo Marcellinus, eos flammis tradendi. De Sibyllis noster Bulengerus [e] post alios.

a Act. 17. 28. 29.
b 6. Strom.
c Apolo. 2. ad Anto.
d Baro. to 1. annal.
e 4. de ratione diuinationis.

Explanatio.

Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas.] Ex Hebræo (*cùm succiderit Dominus Deus tuus gentes, quas tu ingrediens*) nimirum eris, seu ingredieris (*illuc ad possidendum eos à facie tua.*) Vbi posita hac interpretatione vltimi verbi cũ litera seruili prima לָרֶשֶׁת *larescheth*, illud aliud quod sequitur מִפָּנֶיךָ *mippanecha*, *à facie tua* transpositum est, pertinétque ad primum יַכְרִית *iachrith*: nec enim satis aptè dicitur (*vt possideas à facie tua.*) Quod si רֶשֶׁת *rescheth* explicetur, vt potest, expellere, quo etiam pacto intellexerit Chaldæus paraphrastes, reddens תָרֵיךְ *tharacha*, sensus erit (*cùm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes siue populos, ad quos tu ingredieris, vt eiicias eos à facie tua.*) Quamquam videtur superuacaneum dicere (*cùm disperdiderit Deus vt eiicias.*) Disperdere plus est quàm eiicere: & qui disperdidit, eiecit; non vt eiiceret disperdidit. Congruit editio Græca ἐὰν δὲ ἐξολοθρεύσῃ κύριος ὁ θεός σου τὰ ἔθνη εἰς ἃ (mutatur genus neutrũ in masculinum, aut subintelligatur τὰ ἔθνη τῶν ἀνθρώπων) εἰσπορεύῃ ἐκεῖ κληρονομῆσαι τὴν γῆν αὐτῶν ἀπὸ προσώπου σου (*si autẽ disperdiderit Dominus Deus tuus gentes ad quas ingredieris illuc, vt possideas terram eorum a facie tua.*) Vbi etiam transpositio est; quia ἀπὸ προσώπου σου non debet iungi immediatè cum κληρονομῆσαι, sed cum ἐξολοθρεύσῃ. Interpres noster sententiam rectè disposuit. Disperdere autem ante faciẽ populi Hebræi gentes, est efficere vt consistere non valeant: & quamuis resistant, vel interficiantur, aut terga vertere compellantur: siue ab hominibus fugati, siue à crabronibus [f]. Marianã nostrum legi postea idem annotasse de ordine perturbato in oratione iuxta reliquas editiones, cui meritò nostram præfert: & quòd יָרַשׁ *iaras* significet tum possidere hæreditaréque, tum expellere, quam posteriorem notionem secutus Paraphrastes Chaldæus sit propter ordinem literæ.

Disperdendi verbum.

f Exo. 23. 28. Deut. 7. 20. Iosue 24. 12.

Et posséderis eas, atque habitaris in terra earum.] Gentes dispersę non possidentur propriè, sed quatenus iis pulsis, earum terra occupatur. Sic priùs [g] aliquoties. Habitatio in terra cum possessione, importat pacificam, vt dici solet, possessionem: & per possessionem in terra gentium intelligitur quod diximus de possessis gentibus ipsis.

g c. 9. 1. c. 11 23. c. 12. 2.

Caue.] Addunt editiones reliquæ (*tibi*) & Græca habet, vt antea non semel πρόσεχε σεαυτῷ, *attende tibi ipsi*, quam adeò crebram repetitionem admonitii priùs obseruatam à Procopio, perinde ac si exteri, hoc est, Ethnici traduxerint inde suum illud γνῶθι σεαυτόν, *nosce teipsum*.

Ne imiteris eas.] Hebraicè פֶּן־תִּנָּקֵשׁ אַחֲרֵיהֶם *pen thinnakes acharehem*, *illaquearis post eas*, vel *impingas*, seu *offendas post eas*, *ne*

capiaris velut præda) vltimum insinuat R. Salomon per תִּנָּקֵשׁ *thinnakeſ* :) penultimum paraphraſis Chaldæa per (תִּתַּקַּל *thittakal.*) Explicant præterea nonnulli perire : Græcè μὴ ἐκζητήσῃς ἐπακολουθῆσαι αὐτοῖς , *ne exquiras ſequi eas.* Exponitur aliquando Hebræum verbum per comprehendendi [a] , vim faciendi [b] , inſidiandi [c]. Senſus Interpretis eſt , ne imiteris eas, id eſt, caue ne imitando eas, diſperdaris ſicut illæ ; & ſi earum facta ſubit animus imitari , earum (vt Ciceroniané loquar) exitum perhorreſce.

a Pſ. 9. 17.
b Pſ. 37. 13.
c 1. Reg. 28. 9.

Poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ.] Quod in aliis editionibus eſt (*à facie tua*) hoc noſtra declarat (*te introeunte*) atque idem eſt ac, ad conſpectum tuum, cùm primùm fueris ingreſſus, vbi comparueris, præſentémque te exhibueris. Quibus modis in ſimili ſententia variis in locis eadem formula exponenda eſt.

Et requiras ceremonias earum.] Hebraicè (*deos eorum* לֵאלֹהֵיהֶם *lelohehem*) Chaldaicè *idola eorum*, (לְטַעֲוָתְהוֹן *letahhauathehon.*) In codicibus Græcis poſt præcedens membrum ſequitur , omiſſo iſto, λέγων , *dicens* , &c. in Complutenſibus & Regiis (οὐ μὴ ἐκζητήσῃς τοὺς θεοὺς αὐτῶν, *nõ exquires deos eorum*) Pro diis aut idolis poſuit editio noſtra ceremonias, quæ videlicet ſint propriæ Gentilium, deorúmque quos colebant. Requiſitio inſinuat voluntatem ac ſtudium vſurpandi , non tantùm ſciendi : quod ſecundum per ſe malum non eſt, niſi ob periculum ſecundi. Hebræi ſuperſtitiones didicerunt ex commiſtione inter Gentes , didiceruntque opera eorum , vt canitur in Pſalmo [d] ; *non diſperdidit gentes quas dixerat Dominus illis.* Sed poſtea Gentes de libris legis ſcrutati ſunt ſimilitudinem ſimulacbrorum ſuorum [e] : Tertullianúſque [f] ab iiſdem ex iiſdem ſacris literis deos hauſtos exiſtimatum tradit , quod exemplis demonſtrat Ioſeph [g] Stephanus , & auctoritate præterea Clementis [h] Alexandrini , Chryſoſtomi [i] , Ioſephi [k] ; præterea Serarius [l] noſter, citans Hieronymum [m] , Clementem [n] Romanum, Bedam [o], Rupertum [p] , Ioſephum [q] : item de noſtris Pineda [r] , agens de lucis nemoribúſque quæ ad imitationem Patriarcharum diis Ethnici conſecrarunt. Præmonitus iam fuerat populus in Leuitico [s] cauere mores & legitima ſeu leges ac ritus Chananæorum : & in Exodo [t] , ne adoraret deos, nec coleret eos , nec faceret opera illarum gentium , ſed deſtrueret & confringeret ſtatuas deorum, ſeruirétque Domino Deo ſuo : & Ieremias [u] longè pòſt admonuit, ne iuxta vias Gentiũ diſcerent , quarum leges vanæ ſunt. Suum quæque prouincia Gentilium peculiarem habebat deum cum propriis ceremoniis , etiamſi alios deos ac ritus admitteret : cúmque , occupata Iudæa, relictos à victore Aſſyrio rege Aſſyrios , leones deuorarent , renunciatum eſt, cauſam eſſe, eo quòd ignorarent ritum Dei terræ illius [x]. Simiam Dei diabolum vocat Auguſtinus [y] , quódque ſacrificium exigeret negat, niſi vero Deo deberi ſciret [z].

d Pſ. 105. 35.
e 1 Mach. 3. 48.
f de anima c. 2.
g in 1. Machab. 3. 48.
h in parǽn.
i hom. 2. de aſcenſ.
k 12. antiq. c. 2.
l in 1. Macha. 3.
m in Ezec. 25.
n 1. recogn.
o q. 27. in libros Regũ.
p lib. 6. in Gen. c. 15.
q ſuprà.
r 7 de reb. Salom. c. 10. §. 2.
s c. 18. toto.
t c. 23. 24. 25.
u c. 10. 2. 3.
x 4 Reg. 17. 26.
y tract. 7. in Ioan.
z 1 cont. aduerſa. legis & propheta. c. 18.

Dicens.] Sic etiam Græcè (λέγων :) in editionibus aliis (*dicendo* לֵאמֹר *lemor*, לְמֵימַר *lememar.*) Quod paſſim alibi obſeruatur. Dicere autem intelligitur , vel mente tantùm & deliberatione; vel externo quoque ſermone ; vel & hoc & illo modo.

Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos , ita & ego colam.] Pro primo verbo Hebræum יַעַבְדוּ *iahhbedu* futuri temporis loco præteriti ſignificat ſeruire; vt & participium Chaldæum פָּלְחִין *palechin*; Græcum ποιοῦσι , *faciunt* : pro ſecundo quod eſt idem cum primo , reperitur Græcè idem quoque verbum ποιήσω : Hebraicè & Chaldaicè verbum aliud valens etiam facere אֶעֱשֶׂה *ehheſeh* , אַעְבֵּד *ehhbed.* Colere Latinis habet plures notiones, ſed primaria eſt venerari & adorare, vt & nominis cultus pro adoratione ac veneratione , quæ λατρεία vocatur à λατρεύειν , de quibus dictum alibi. Ruſticum etiam verbum eſt , vt & agricultura , vnde transfertur ad animum, qui excoli dicitur doctrina, literis, &c. Vt enim ager, quamuis natura fertilis, ſine cultura eſſe non poteſt, ſic, inquit M. T. [a] neque ſine doctrina animus. Cùm autem populus dicere dicitur , quòd ita coleret, ſicut gentes coluerant deos ſuos , exponi poteſt, aut quòd deos colerent gentium ; aut quòd ſuum ceremoniis, quibus illæ coluerunt ſuos. Hoc ſecundum ſequitur Marzilla poſt Abulenſem ; & hic id probat, quia vetantur Hebræi requirere ceremonias Gentium : & ſequenti verſu facere ſimiliter Domino Deo ſuo. At pro ceremoniis deos habent editiones aliæ : & vtrumque cauetur, ſed in primis plurium deorum cultus.

a Tuſcul. 2.

Verſ. 31.] Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt diis ſuis, offerentes filios & filias , & comburentes igni.

PARAPHR.

IDololatriæ prohibitio inculcatur : & vt Hebræi abhorreant ab iis quæ Deus tantopere auerſatur ac abominatur ; inter quæ immolatio fuit filiorum & filiarum, quos in honorem idoli Moloch comburebant, vt Leuitici c. 20. [b] vidimus, & in c. 18. [c] in quo [d] præterea enumerãtur aliæ abominationes circa luxuriam, ſeu execrationes, propter quas terra euomuerit habitatores. In genere autem abominatio bis modis contingere poſſet, vel relicto Dei veri cultu religioſo cum colere ceremoniis nefandis quibus Gẽtes deos ſuos colebant : vel omiſſo penitus cultu veri Dei, deorum falſorum cultum admittere : vel ſimul cum vero Deo ac legitimis ceremoniis eius , venerari deos alios propriis eorumdem ceremoniis. Hi qui erãt de Sepharuaim Hebræi comburebant filios ſuos igni Adramelech, & Anamelech diis Sepharuaim ; & nihilominus colebant Dominum , &c. & cùm Dominum colerent , diis quoque ſuis ſeruiebant iuxta conſuetudinem Gentiũ, de quibus tranſlati fuerunt Samariam [e]. Exprobrat Deus apud Ieremiam [f] , quòd Gentes non mutauerant deos ſuos, qui certè non erant dij ; populus verò ſuus mutauerat gloriam ſuam (id eſt, Deum glorioſum, vel gloriam, quam ex Dei veri cultu conſequebatur) in idolum. Compertum non habeo , nec oſtendi facilè puto poſſe, adhibitas ab Hebræis ad veri Dei cultum Gentilitias ſuperſtitioſas ceremonias, quibus idololatræ vterentur. Nec ita promptum eſt docere , habitum ſemel pro Deo aliquem, poſtea veluti exauctoratum & honore diuino priuatum, eiúſve ſolitam venerationẽ penitus omiſſam. Solùm lego cautum apud Athenienſes & Romanos, ne quis nouas introduceret religiones, proptereáque damnatum Socratẽ Athenis, Chaldæos & Iudæos vrbe pulſos [g] : Harpocratem verò cum ſuo cynocephalo, Liberũ patrem, Serapidem, Iſim illorũ aris Romanos exegiſſe, ac diuinis coli honoribus vetuiſſe [h] : ſæpéque actum in ſenatu fuiſſe de Ægyptiorũ [i] , & Iudæorũ [k] (Chriſtianos in his cõprehendebãt) ſacris ceremoniiſque vrbe pellẽdis, quòd

b verſ. 2.
c verſ. 21.
d c. toto.
e 4. Reg. 17. 31. 33
f c. 2. 11.
g Seruius in Æn. 8. in id Veterũ ine ignota deorum.
h Tertull. apolog. c. 6.
i Seruius in Æn. 7. Necdũ etiã geminos, &c.
k Idem in li. 8 ſuprà.

quòd turpium religionum, & nouarum superstitionum causa & seminarium forent. Triginta millia deorum in orbe terrarum fuisse culta OEnomaus tradidit post Hesiodum, de quo etiam Eusebius[a]; & ea his trecentos Ioues Varro ex Orpheo, ac Tertullianus, quos Rhodiginus[b] citat cum versibus Hesiodi[*],

τρὶς γὰρ μυρίοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ ἀθάνατοι ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων:

Ter enim decies mullene sunt in terra multum altrice Immortales Iouis custodes mortalium hominum.

id est, ex hominibus factos deos, vt Proclus exponit. Tot monstra Minutius[c] deorum esse ait, quot nomina: Plinius[d] maiorem cœlitum populum, quàm hominum; aliquantos Aurelius[e] Victor in cœlestium numerum relatos ægrè exequuis dignos.

Non facies similiter Domino Deo tuo.] Chaldaicè (*coram Domino Deo tuo*, קדם יי אלהך, *kedam Iehouah Elohach.*) id est, non deseres illum pro aliis diis: non coles eum cultu, ritúque seu ceremonia, qua coluntur dij alij. Non fecit taliter Deus omni nationi[f]: nullo modo decet more deorum aliarum nationum coli, sed si non maiore vt par esset, pari certè diligentia coli, qua suos Gentes deos coluerunt, qua nos aliquando exhibuimus membra nostra seruire iniquitati ad iniquitatem; vt ad infirmitatem carnis nostræ Paulus[g] sese accommodans, loquitur. Habenda præ oculis mentis hæc sententia, & sermone quoque vsurpanda, cùm incidet quæpiam offensæ diuinæ cogitatio (*non facies similiter, siue Domino Deo tuo.*) Valet eadem sententia vt caueantur Iudaici ritus omnes, non solùm aliorum infidelium, quibus nimirum nunc Deus coli non vult: vt hæreticorum non modò dogmata, ceremoniæ, libri, sed ipsæ eorum dicendi formulæ vitentur. Error fuit cum lege vetere obseruandam Euangelicam.

Omnes enim abominationes quas auersatur Dominus, fecerunt diis suis.] Abominatio singulari numero est Hebraice תועבה *thohbauah*: sumitúrque interdum pro[h] idolo quod est abominabile. In priore acceptione transtulit etiam exerationes[i] Interpres noster. Distinguuntur verò hic dij seu idola. ab abominationibus.

Offerentes filios & filias, & comburentes igni.] Interpretis est (*offerentes*) qui omisit (*diis suis*) Combustio filiorum & filiarum fiebat in honorem idoli cui eo modo offerebantur & sacrificabantur; & deorum immediatè mentio prius facta fuerat. Emphasim præterea habet cum ætiologia in aliis editionibus (*quia &, siue etiam*) vt intelligatur pes maximam istam abominationem quanta sit aliarum execratio ac turpitudo, vt in sacrificiis Priapi obscœnissimis, &c. Notat Caietanus per futuri temporis Hebræum verbum ישרפו *isrephu* significari perseuerantiam in huiusmodi ritu: Chaldaicè participium est מוקדין *mokedin* recipiens omnia tempora: Græcè verbum præsentis temporis κατακαίουσι. De ritu ipso monui egisse me alibi. Videri potest cui tale actam infandum fiebat sacrificium Moloch, è numero deorum fuisse, quos una mali essent, Labeo, vt meminit Augustinus[k], propitiari affe- rebat cædibus & tristibus supplicationibus, vt è contrario bonos obsequiis læris atque iucundis, qualia ludi, conuiuia, lectisternia: quam deorum distinctionem Arnobius[l] ridet, ppriméque ratione computat, quia frustrà eiusmodi naturam immutare tentabatur. Aeuré autem, simul veréque, Diodorus[m] Siculus, facta mentione, post Platonem[a], de filiis Saturno sacrificatis. Carthaginensibus, conducibilius futurum fuisse scribit, vt Critiam initio, aut Diagoram (atheos) legum sortirentur latores, ac deorum nullum arbitrarentur, aut dæmonum, quàm huiusmodi obire sacra: præstare namque deos non credere, quàm crudeles opinari & sanguinarios. De hoc toto sacrificiorum crudeli genere consule Alexandrum[b] ab Alexandro cum Tiraquello, qui complura exempla proferunt victimarum humanarum, ac nominatim igne crematarum, de quibus Cæsar[c], & Strabo[d]: sed tandem Romanos coss. Cneo Cornelio Lentulo, & Pub. Licinio Crasso cauisse ne hominem immolare. aut humano sanguine litare cuiquam liceret[e]. *Dæmoniacum est*, ait hoc loco Procopius, *naturalem affectionem erga acceptam sobolem conculcare. Omnia creauit Deus vt essent, ita quoque generationes vt mundum conseruarent. Nec est Plutonis regia super terram, verùm diaboli inuidia in mundum mors intrauit*[f]. Quidam verò considerant Deum obedientia contentum Abrahæ prohibuisse ne reipsa filium occideret ac immolaret, vt discerent homines hominum immolationem non exercere. Ratiocinatur eo modo Ambrosius[g], atque Iephthe[h] hoc debuisse colligere Deum nolle humanas immolationes, cùm ne quidem in eis quas ipse mandarat, ipsum opus permittere voluerit.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

Vers. 32.] Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

PARAPHR.

NE quis vnà cum ceremoniis à lege præscriptis ad vnius ac veri Dei cultum pertinentibus, alias vellet seruare à Gentilibus mutuatas, edicit præcisè ne alias præter illas quas acceperint admittant & vsurpent, aut si quas processu temporis addendas in adminiculum iam traditarum, censuerint, qui pro auctoritate id possunt, eadem ratione accepent, velut in prioribus inclusas; ex imperatis verò nullam demant paruique faciant. Hæc est istius præcepti communis & vera expositio similis ei, de qua suse disseruimus c. 4.[i] ad illa verba (*non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*) & cap. 5.[k] *custodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed per viam quam præcepit Dominus Deus vobis ambulabitis.*) Docet hoc loco Rickelius per hoc non prohiberi aliquid fieri ad cultum & reuerentiam Dei vltra debitum seu præceptum; sed vt nihil fiat contrarium diuinis præceptis; & nihil corrupitium diuinæ Scripturę addatur, atque diuinis mãdatis verè & sapienter intellectis; cùm tamen addi possint rationabilia instituta, atque consilia, & declarationes catholicæ, exhortationésque caritatiuæ. Abulensis ait non vetari opus supererogationis, seu supra id ad quod obligamur; sed ne quid fiat cõtra legẽ, aut minùs quàm mander lex. Exemplum dat, si lex mandet ieiunium vnius diei, & ieiunet quis tribus, non malè facere, sed benè; malè autẽ si die Dominico, quo prohibitum sit ieiunare; vel si ideo abstineat, vt noceat vitæ, sufficientia detrahendo, &c. Non abest hæc sententia, similésque diuinæ traditioni; quoniam huiusmodi traditio nihil addit verbis præceptisve Domini; immò minuúntur Dei verba & præcepta, quando traditio dicta subtrahitur, quæ cõtinetur potiùs in latitudine diuini verbi; quod in scriptũ

Opus supererogationis non prohiberi.

Tt 3 &ita

Marginal notes: a 5. de præp. c. 7. — b li. 22. c. 3. — * in Theog. — c in Octauio apud Arnob. — d lib. 2. c. 7. — e in Aurelia- no. — f Ps. 147. vlt. — g Roma. 6. 19. — h Exo. 8. 26. Ezec. 7. 20. Matt. 24. 15. Mar. 13. 14. Dan. 9. 27. — i Leuit. 18. 27. — k 2. de ciu. c. 11. — l lib. 7. — m lib. 20. — a in Protagora. — b lib. 6. cap. 26 & Tiraq. commentar. 1. præfa. nu. 59. — c de bello Gall. — d lib. 4. — e Plin. lib. 30. c. 1. — f Sapien. 2. 24. — g 3. de virg. — h Iudic. 11. 34. & seqq. — i vers. 2. — k v. 32. 33.

& traditum diuiditur, & de tradito mentio fit in scripto: & illi ipsi qui traditioni locum denegant, vtuntur traditione, & alioqui nec prophetis post Moysen, nec Apostolis post Euangelistas scribere quidpiam licuisset: & si nude quæ hic dicuntur sumantur; politicæ nullæ leges possent addi: circumcisio ipsa vsurpanda esset: instirui nequiuisset festum Mardochæi [a], Iudith [b], dedicationis templi [c]; non potuisset Dauid condere legem vt æqua pars esset in prælio remanentium ad sarcinas & descendentium [d], &c. vt demonstraui aliis in locis. Quamqoam longè alia ratio sit noui Testamenti quàm veteris; vt quia vetus vnius tantùm populi erat, facilè potuerint leges certo numero ferri, vetarique tum additio, tum detractio. Denique qui asserunt nullum verbum Dei esse nisi scriptum, doceant vbi hoc ipsum legerint in Scriptura. Et si addant intelligi de verbo Dei ad salutem necessario, ostendant vbi scriptum sit, nullum verbum Dei præter scriptum esse ad salutem necessariom. Nec minùs abutuntur Hebræi quàm hæretici, dictis sententiis; vt si qoa ratio colligat ex aliquo Scripturæ testimonio aliquid aduersùs ipsorum errores, quod expressè non habeat, causentur nihil addendum, &c. Sic R. Dauid in Psalmum 14. vsuram exigi ab aliis quàm ab Hebræis probans, tuetur se loci præsentis auctoritate; contra quam faciant qui vetitam vsuram à fratre in cap. 25. [e] libri nostri, extendunt. Etsi verò Nyssenus libro testimoniorum de aduentu Domini aduersùs Iudæos videatur ad Christi doctrinam ista restringere, cui nihil addi aut demi debeat: nihilominos id in eo sensu quem dixi accipiendum est; cùm ipsemet iusserit audiri Doctores suos, & promiserit fore, vt Spiritus S. plura suggereret, videlicet, communiter proponenda per legitimos pastores. Tharasius Constantinopolitanus in synodica ad Ioannem presbyterum epistola, quæ recitatur in nomocanone, atque sub initium Conc. Ephesini II, propter id qood scribitur hîc & similibus locis legendas & intelligendas Scripturas iuxta Patrum doctrinam, non secundùm propriam voluntatem, quoniam Deus ab illis, quasi à montibus æternis mirabiliter illuminat [f]. Eiusdem synodi canon primus decernit sacros canones omnino seroandos, quia Spiritu Dei conditi sunt, cui nec addere quid liceat, nec detrahere. Augustinus [g] Fausto obiicienti accipiendam à nobis legem non esse, eo quòd sit mala; & Iesum se illam soluere venisse significasse per illum modum loquendi; *an [h] putatis quia veni soluere legem?* cùm si bona esset, adimpleri non posset, nec etiam solui, vtpote nec ei addi, nec detrahi, vt hîc dicitur, respondet hoc de verborum adiectione non intelligi: sed plenitudinem legis esse caritatem [i], quam Dominus & exhibere, & donare dignatus est, mittendo fidelibus suis Spiritum sanctum, diffundendo illam per istum in cordibus nostris [*]: Christum non addendo quæ deerant, sed vt fierent quæ scripta sunt, non soluisse, sed adimplenisse. Vtrumque demum hæc verba & similia extendantur ad vniuersam Scripturam, ne inde adhuc aliqui [a] colligant nihil in ea redundans esse aut diminutum; sunt propriè de ceremoniis legis veteris, próque tempore eiusdem.

a Esther 9. 18. & seqq. 3. Macha. 15.37.
b Iudith vlt. 31.
c 1. Mach. 4.54.
d 1. Reg. 30. 23.24.25.
e vers. 19.
f vers. 75.5.
g 17. cont. Faust. c. 1. & 6.
h Matth. 5.17.
i Rom. 13. 10.
* cap. 5.5.
a Salmeron to. 1. prol. 1.

Explanatio.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino.] Secondùm reliquas editiones (*omne verbum*) Chaldaicè *præceptum* תַּפְקֵידְתָא *thaphkeditha quod ego præcipio tibi* (Hebraice & Chaldaicè *vobis*) Græcè (*σήμερον, hodie*) *hoc custodietis* (Græcè *custodies φυλάξῃ, ad faciendum.*) Vbi non est (*tantùm*) in quo tantam vim faciunt qui negant opera supererogationis, noua præcepta, traditiones, &c. vt vidimus.

Nec addas quidquam.] In aliis editionibus (*ad illud*, aut *super illud*, aut *præter illud*) Chaldaicè in plurali (*non addetis.*) Hebræum verbum singulare est תֹסֵף *thoseph*, & sequens præpositio cum affixo עָלָיו *hhalau.* Editionem Hebraicam veteris Testamenti non esse prorsus incorruptam, vt contendont hæretici, prouocantes ad illum primigenium, limpidissimum, sincerissimum fontem; equidem fateor; & inter varias causas, quòd ea lingua sit ignotior, proptereáque facilius corrumpi scripti illa libri potuerint, quàm Græca & Latina, citra quorum correctionem Hieronymus, & eruditissimi alij laborauerunt; item ob similitudinem quorumdam characterum eiosdem linguæ; & rationem punctorum, quorum inuentio Hieronymo recentior est. Sed quod attinet ad errandi periculum si absque punctis legamus, exemplum nonnulli [b] afferunt ex loco Deuteronomij 4. [c] qui nostro similis est. Si quis, inquiunt, illud Deuteronomij 4. vbi iam legimus לֹא תֹסִפוּ עַל־הַדָּבָר *lo thosiphu hhal baddauar, non addetis ad verbum*, minima facta mutatione, ita legeret לֹא תֶחְסְרוּ עַל הַדָּבָר *lo thasaphu hhal baddauar, non deficietis super verbo*, nónne hac ratione insanus eorum clamor, quo hunc locum in nos velut fortissimum telum contra inuocationem sanctorom, cultom imaginum, legem ieiunij, continentiæ, &c. intorquent, penitus conticesceret? Et omnino sic legi posset, nisi volgata editio aliter legendum significaret. Adde Græcam quoque editionem quæ habet *οὐ προσθήσετε.* Idem dici posset de loco præsenti si pro תֹסֵף *thoseph* numeri singularis, legeretur תַּחְסֹף *thasuph.* Vetat Salomon [d] addere quidquam verbis Dei, ne arguaris, & inueniaris mendax; si nempe ex proprio sensu ea coneris interpretari, &c.

Nec minuas.] In cæteris editionibus (*ab eo*) in Chaldæa pluraliter (*non minuetis*) לָא תִמְנְעוּן *lo themnehhun.*

b Adā Taner. disp. de verbo Dei thesi 48. Gretser. pro Bellarm. to. 1. lib. 2. c. 2.
c vers. 2.
d Prou. 30. 2.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMITERTII.

DIVINVS verus cultus vt consistat, non sufficit de illo eiusque ritibus præcepta tradi, quod priore capite factum est; sed coërcendi sedulò ac seriò superstitiosæ religionis auctores vel suasores, quicumque illi sint: siue scientiam eximiam sanctitatémve prætexentes, vt veri, sed mali prophetæ, aut etiam pseudo-prophetæ; siue cum coniunctione sanguinis, amorem salutis nostræ prætendentes; siue ingentis vtilitatis iactura sese offerat; qualis esset integræ ciuitatis, quæ forsitan idololatriæ consentiret: parcendum enim non esse nec illis, nec istis; & istam quidē flammis absumendam, cum omni supellectile; ita vt nullus ex ea quidquam sibi valeat vsurpare. De pia seueritate hac agitur in capite hoc; vt quemadmodum prouocatus est in præcedente populus mentione beneficiorum à Deo collatorum, ad cultum ipsius; ita intelligatur nunc quid faciendum sit, inquit Hugo, si quis aliquem trahere voluerit ad colendum idola.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1. SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum,

2. Et euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis:

3. Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrùm diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

4. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis.

5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de Terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui,

7. Cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt, ab initio vsque ad finem terræ,

8. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum,

9. Sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum.

10. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis:

11. Vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quippiam huius rei simile.

12. Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13. Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & seruiamus diis alienis quos ignoratis:

14. Quære solicitè & diligenter: rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam,

15. Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora.

16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus, non ædificabitur ampliùs,

17. Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicétque te sicut iurauit patribus tuis,

18. Quando audietis vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

Vers. 1.] Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum,

Vers. 2.] Et euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis:

Vers. 3.] Non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

Tanarna. IN hac satis plana apertáque sententia quantum ad literalem intelligentiam ipsius, offerunt sese nonnullæ difficultates de vario genere prophetandi, ex quibus vnum est per somnia: de differentia signi & portenti: an vera prædictio & prophetia fieri possit per prophetam non modò malum, sed etiam falsum: verùm ad comprobandum falsum dogma: quo pacto vera prædicenti, & secuto prædictionis euentu credi non debere hic dicatur; & tamen c. 18. [a] signum falsi prophetæ tradatur, si quod prædixerit in nomine Domini; non euenerit. Deúsne cooperetur ad falsi Prophetæ miraculum quod edatur non in comprobationem mendacij: quid sit à Deo aliquem tentari: quid in toto corde & in tota anima diligere Deum. Aliquot istarum difficultatum alibi alia occasione, ac ferè omnes expeditæ sunt: attingentur verò adhuc seorsum in partium textus distincta explanatione. Cyprianus [b] aduersùs schismaticos vtitur hoc loco, hortans ne sinant Christiani, vt se illi errare à Domini viis faciant; ab Euangelio Christi rapiant, de Ecclesia tollant; sed pereant sibi soli, qui perire voluerunt; extra Ecclesiam soli remaneant, qui de Ecclesia recesserunt: Tertullianus [c] hinc refellit hæreticos dissuadentes martyrium.

a v. 21. 22.
b epist 39.
c in Scorp. c. 2.

Explanatio. *Si surrexerit in medio tui prophetes.*] Valet (*in medio tui*) Hebræum בְּקִרְבְּךָ *bekirbecha*) Chaldaicè (*inter te*, בֵּינָךְ *benach*) Græcè (*in te*, ἐν σοί.) Nec aliud est (*in medio tui*) quàm (*inter vos*) & ex vobis ipsis, ex populo tuo, cui fides libentiùs adhibeatur, quàm si esset alienus. Surgere etiam nil aliud est, quàm existere, aut in publicum prodire, vel in actum procedere, vt Rickelius notat, & nos aliàs, patétque ex Ioanne, quo inter natos mulierum non surrexit propheta maior [d]: ex Christo, qui propheta magnus surrexit [e]. Legit porrò cum emphasi Tertullianus quem citaui (*sed etsi prophetes ipse exsurrexerit in te.*) Prophetes forma Græca, pro propheta, sicut Leuites & Leuita, quid significet, nemo nescit. De falso autem propheta id nomen absolutè etiam positum dici nonnumquam, docet Hieronymus [f]: & videre est apud Ieremiā [g], Ezechielem [h], Zachariam [i], historiam Regum [k]: constátque ex Hanania, qui fuit propheta falsus, apud Ieremiam [a]. Caietanus hoc loco asserit sumi prophetam non de falso, sed de malo: Hebræi & Lyranus de falso: Marzilla de vtroque; quoniam potest verus propheta dono Dei abutens, alios decipere: & contingere potest, vt quod falsos prædicit, eueniat, & vt quis optimè coniectando vates habeatur. Abulensis [b] prophetam hîc accipit pro malo; quoniam ad malum incitat: & tamen eiusmodi prophetiam ait à Deo esse posse ad aliquod bonum; licèt qui eam accipit, conuertat ad malum, vt Balaam [c], & Caiphas [d]. Addit fieri potuisse, vt edita à quopiam veram prophetiam alius audiens, antequam aliis ea innotesceret, vulgaret, ac se pro vero propheta venditans, induceret ad alienos colendos deos: aut vt eiusmodi prophetiam à dæmone, vel Angelo sumptam, in dictum prauum finem referret; siue notitiam ab altero illorum, comparatam naturali eorumdem perspicaciore lumine, quæ minùs peritis prophetia videretur; licèt quandoque falli contingat, causarum naturalium ordine impedito, aut voluntatibus immutatis, à quibus euenta prædicta pendent: propriè verò prophetiam esse de re, quæ naturaliter sciri seu præcognosci non possit. Idem iudico de somnia vidente, vt verus censeri propheta possit, aut falsus, illis modis, quos dixi, nec simpliciter de solo falso hic intelligatur, vt Marzilla tamen contendit; cùm de propheticis veris ac diuinis somniis testentur Scripturæ cum eorumdem interpretatione: ac tanquam vera species diuinationis vna numeretur per somnium, vt alibi docui. In libri prioris cap. 12. [e] Deus ipse dicit; *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*; & pollicetur apud Ioëlem [f], quem Petrus [g] citauit, inter dona Spiritus sancti quòd senes somnia somniarent, iuuenes visiones viderent. De signis, portentis, admirandis operibus quæ similia sint miraculis, quin opera præsertim dæmonum fieri queant, ambigendum non est: concedítque Iustinus [h], aliúive de Apollonio Tyanæo; & in vniuersum Augustinus [i], atque Aquinas [k].

Surgendi verbum.
d Matth. 11. 11. Lucæ 7. 29.
e Lucæ 7. 16.
f in Ier. 27. & in Ezech. 13 & in Os. 4.
g Thren. 2. 14.
h c. 13. 2. & seqq.
i c. 13. 4.
k l. 3. 18. c. vlt.
a c. 28. toto.
b q. 8.
c Num. 23. & 23 & 24.
d Ioan. 11. 41.
e v. 6.
f c. 2. 28
g Actuum 2. 17.
h q. 24 ad orthod.
i 3 de doct. Christ c 7. & 8 & l. 93. quæst. q 79.
k 1. p q. 114. a 4.

Aut qui somnium vidisse se dicat] Cum participio & verbo eiusdem thematis in editionibus aliis (*aut somnium somnians*, אוֹ חֹלֵם חֲלוֹם *o cholem chalom*, אוֹ חֹלֵם חֲלֹמָא *o cholem chelma*: ἢ ἐνυπνιαζόμενος ἐνύπνιον. Vbi obiter nota, videri Gallos suam illam coniunctionem (*ou*) quæ (*vel* siue *aut*) significat, ex Hebræa אוֹ *o*, quod posset etiam *ou* proferri ablato puncto, vel mutato, mutuatos. Itali verò Hispanique ad idem significandum dicunt *o*. Deinde qui se dicat vidisse somnium posse verè dicere, & verus propheta esse, vt antè dixi; nec quia dicere dicatur, propterea censendum non verè dicere. Postremò, quamuis videndi verbum visionibus tribuatur à Ioële, ac Petro citatis: & somniandi somniis; aliæ autem quoque editiones hic habeant somnium somniantem; nihilominus ab Interprete potuisse iungi somnio verbum videndi. Nam conuertitur aliquando nomen visionis cum omni prophetia, sicut quiuis propheta cum vidente [l]: etiamsi propriè vt distincta species conueniat plerumque visio vigilantibus, vel mentes moneat ac illustret imaginibus, vel oculis eas obiiciat: somnium sit quando dormienti ostenduntur futurorum euentus siue id fiat per imagines, siue per internam solam locutionem illustrationémve: & excellentiorem prophetiæ modum sentiat Aquinas [m] esse per visionem, quam per somnium secundùm se; contrà verò, quando in somnio

Ou, Gallorum vnde.
l 1. Reg. 9. 9.
Visio & somnium.
m 2. 2. q. 174. a 4.

A ſomnio abſque vlla viſione imaginaria loquitur Deus, futura manifeſtans. Neque tamen abſolutè propheta habetur, qui ſemel iterumve illuſtratur in ſomniis, vel interno ſermone; vel ſpecie obiecta, præſertim ſi non intelligat quid oblatæ portendant ſpecies, vt Pharao, Nabuchodonoſor, Caiphas. Sed nec ſi intelligat continuò id nomen meretur, maximè ſi de iuis dumtaxat, non de communibus rationibus admoneatur. Lege quæ ſcripſi in commentario libri Actuum Apoſtolorum [a], & libri Numerorum [b]; atque alios ibidem, & præterea in Ioëlem [c]. Legit porrò Augustinus [d] (ſeu ſomniator ſomnians) Tertullianus [e] (ſomnium ſomnians.)

a in c.2.17.
b in c.12.6.
c in c.2.28.
d q.19.
e Scorp.c.2.

B *Et prædixerit ſignum atque portentum.*] Habent editiones aliæ (*& dederit tibi*, אֵלֶיךָ *elecha*, וְנָתַן *venathan*, וְיִתֵּן לָךְ *veuthen lach*, καὶ δῷ σοι:) pro (*atque*) vtuntur particula (*vel*, אוֹ *o*, ἢ) quæ tamen interdum non disiungit; ſed coniunctionis habet vſum. Dare ſignum aut portentum plus eſt quàm prædicere. Prophetia de Scripturæ interpretatione, de diuina laude, de patratione miraculi dicitur, denique quia propheta hæc omnia præſtabat, & eius etiam vita ſanctior ſolebat eſſe; prophetia ei tribuitur, qui ad prophetæ ſimilitudinem aut loquatur, aut operetur, aut viuat. Corpus Eliſæi mortuum ſcribitur prophetaſſe [f]; & oſſa Ioſeph poſt mortem [g]; non quòd humanam vocem ediderint, ſed quoniam eùm ſunt exportata, cognitum eſt verè fuiſſe prophetam. Quod

f Eccl.48.14. 4 Reg. 13.21.
g c.49.18.

C hîc ſequitur indicat prædictionem verbis expreſſam: licèt ſimul poſſit intelligi res aliqua ſeu factum, quemadmodum contigit in Eſaia, Oſea, Ezechiele, & ſimilibus, quibus imperata ſunt quædam prodigij, portentíve ſimilia. De ſigno & portento, pro quo Tertullianus [h] legit oſtentum, lege cap.4. [i] & 7. [k] Signum ſumi vult Abulenſis hoc locò id quod ſignificet prophetam dicere veritatem, & à Deo dicere, non ſit valdè mirabile, nec prædictio magni boni malíve; aut de re quæ citò veniat, & immediatè monſtretur: portentum de re valdè mirabili, vel longè pòſt futura, quaſi portentum dicatur à procul tendendo.

Signum & portentum.
h in Scorp. c.2.
i v.34.
k v.19.

D *Et euenerit quod locutus eſt.*] Breuiùs, quàm in reliquis editionibus (*& euenerit ſignum*, vel *portentum, quod locutus eſt ad te.*) Veritas prædictionis ex euentu cognoſcitur generaliter loquendo, vt etiam aſſeritur cap.18. [l] libri noſtri, & in Ieremiæ c.28. [m] Requiritur præterea ad hoc vt fides habeatur prædicenti, ſitque quod proponit; ne id aduerſetur propoſitis à Deo, & doctrinæ ipſius, aut voluntati iam certò perſpectæ. Talis apud Ieremiam Hananias, cuius etiam prædictio fuit falſa; nec ſolùm fide indignus erat, quia inducebat ad malum. Illa quæ à diuinantibus non ſecundùm Deum dicuntur, ſi acciderint quæ dicunt, non accipienda ſic, ait Rabanus, & Gloſſa ex eodem, vt fiant, quæ præcipiuntur ab eis, quæ co-

l v.22.
m v.9.

E luntur ab eis. Chryſoſtomus [n] extendit huius loci præceptum ad eum qui etiam faciat miracula, poſt quæ idololatriam ſuadeat, quoniam amantis eſt, etſi exanimes ad vitam reuocent qui conantur ab amato diſtrahere, nequaquam ab amato deficere. Inſtrui Theodoretus [o] nos ait, non attendendum ſignis, quando is qui dedit illa, contraria pietati docet. Immò Paulus [p] anathema imprecatur ſibimetipſi, & coapoſtolis, aut Angelo de cœlo euangelizanti præterquam quod euangelizauerat. Vbi hypotheſis eſt rei impoſſibilis, quoniam Angelus bonus confirmatus eſt in gratia;

n ora.6.cõt. Iud. ſeu ho. 3v. ad pop. vlt. edit.
o q.12.
p Gal.1.8.9.

A Deúſque falſum nuncium mittere non poteſt: & illud (*præter*) ſignificat non quod ſit diuerſum, ſed aduerſum, & contrarium, etiamſi minimum videatur, vel indirectè dumtaxat aduerſetur. Similis hyperbole in pluribus verbis 1. epiſtolæ ad Corinthios cap.13. [a] *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. quibus caritatis excellentia commẽdatur: & in epiſtola ad Romanos c.8. [b] cùm certũ ſe Apoſtolus aſſerit quod neque Angeli, neque principatus, neque virtutes poſſint ipſum ſeparare à caritate Dei; horum enim potius eſt ad amorem Dei incitare. Idem iudicari poteſt de prædictione cui reſpondeat euentus circa rem cuius naturaliter haberi notitia nequeat; quamuis enim

a v.1. & ſeqq.
b v.38.

B eueniret eam tradi à prauo propheta ſuadente contraria pietati, credi ei non debet, vt ex Theodoreto retuli.

Et dixerit tibi.] Editiones aliæ tantùm (*dicendo*, aut *dicens.*)

Eamus, & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis.] Hebraicè (*eamus poſt deos alienos, quos non nouiſtis, & ſeruiamus eis*) Chaldaicè (*poſt idola populorum*) Græcè, *eamus & ſeruiamus diis alienis, quos non nouiſtis*, πορευθῶμεν καὶ λατρεύσωμεν θεοῖς ἑτέροις οὓς οὐκ οἴδατε. Apud Tertullianum [c] (*eamus & ſeruiamus deis aliis quos non ſcitis.*) Temeritas ac ſtultitia eſt, adorare quod neſcias [d]. Deo derelicto qui ſe tot modis ac tam admirandis eſſe verum Deum demonſtrauit, & conuicit. Maledictio in-

c Scorp.c.2.
d Ioan.4.22.

C dicitur cap.11. [e] ambulantibus poſt deos alienos quos ignorant, & recedentibus de via ſibi oſtenſa, nec obedientibus mandatis Domini Dei ſui. Idem repetitur inferiùs [f] iſto capite de diis alienis quos ignorabant ipſi & patres eorum, & cap. 28. [g] & c.32. [h]

e v.28.
f v.6.13.
g v.64.
h v.17.

Non audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris.] Græcè (*non audietis*, οὐκ ἀκούσεσθε) id eſt, non exaudietis, non credetis, non acquieſcetis, non recipietis, quod vltimum ſignificat Chaldæum verbum תְקַבֵּל *thekabbel.*) Pro ſomniatore habent editiones aliæ ſomniantem ſomnium, ſicut & verſu primo: atque ita etiam legit [i] Cyprianus poſt Tertullianum [k]; & verſu 5. fictor ſomniorum appellatur; vbi tamen in aliis editionibus nullum

Somniator & ſomniã.
i epiſt.40.
k ſuprà.

D diſcrimen eſt. Cùm autem ibidem interficiendus dicatur non minùs propheta quàm fictor ſomniorum, ſiue ſomnians ſomnium, ſomniatórve, ſequitur vtrumque in malam partem ſumi. Et quia prophetam hîc de vero ſumi dictum eſt, idem affirmari de alio debet, quòd etiam non ſit fictor, nec falſus ſomniator, niſi quatenus quod verè ſomniat refert in malum finem ac deceptionem; quemadmodum & verus propheta veráque prophetans. Malè ſonat nomen ſomniatoris apud Ieremiam [l], cum nominibus prophetæ, & diuini, & auguris, & malefici; quos vetat audire: & apud Zachariam [m], qui cum diuino coniungit: & apud fratres Ioſeph cognominantes eum ſomniatorem [n]; licèt probus eſſet, veráque, ſed illis ingrata,

l c.27.9.
m c.10.2.
n Gen 37.19.

E ſomniaret. Vidimus in Leuitico [o] damnari obſeruationem ſomniorum. Iſidorus [p] poſt Gregorium [q], ſex modos ſomniorum tradit, multáque de toto iſto argumento Auguſtinus in proprio libro de diuinatione per ſomnium, necnon in opere de Dei [r] ciuitate, & alibi, aliíque quos in Leuitici commentario commemoraui, vbi ex Rabano quoque dixi de ſex illis modis. Iſidorus autem de immiſſo ſomnio à dæmonibus loquens, monet quandoque non aliter euenire quàm oſtenditur; & vt in multis fallant, interdum & vera pronunciare: ſed quamuis ita accidat, contemnendum, ne fortè

o c.19.26.
p 3.ſentẽt. c.6.
q 8.mor.c.18. & 4.dialog.c.48.
r l.22.c.22.

fortè de illusione procedat: recolendo testimonium scripturæ dicentis; *si dixerint vobis, & ita euenerit, non credatis.* Verus propheta credens falso prophetæ interfectus est à leone [a]: quod & plerisque sæpe numero contingit, qui vel ad superstitiosa recurrunt, vel tentationi obediunt, vt insinuat Chrysostomus [b], argumentans si talia monita Iudæis data sunt, multo magis nos ad maiorem sapientiam inuitari, quibus resurrectionis ostium apertum est, præceptúmque ne in rebus præsentibus figamur amorem, sed spes omnes ad vitam futuram transferamur. Hinc præterea colligit [c], quamuis arte dæmonum morbi curentur nonnumquam, ob locellum breuis temporis periculum æternarum pœnarum subeundum nó esse; immò nec si mortuus eo modo suscitetur, leprosus mundetur, debilis sanetur, signo autem edito quispiam πλανήσει σε εἰς ἀσέβειαν, *inuitet te ad impietatem. Ne propter signi euentum*, inquit, *obedias*, μὴ πεισθῇς διὰ τὴν ἔκβασιν τοῦ σημείου. Non omni spiritui credendum, sed probandi spiritus an ex Deo sint [d], attendendúmque à falsis prophetis [e]: in his quæ fide creduntur, ac longo temporis firmata consensu sunt, passimque & publicè recepta, inanis excusatio est, qua quis à falsis se deceptum causetur prophetis: sed hi quibus illi prophetant, erunt proiecti præ fame & gladio, &c. [f] Vincentius [g] Lyrinensis de Tertulliano scribens, quòd magna fuerit post mutatam sententiam, in Ecclesia tentatio; ait quòd contra Mosis præceptum exurgentes in Ecclesia nouellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum nouitij dogmatis somnia, veras prophetias asseuerando, meruit vt de se quoque & scriptoris suis Ecclesiæ Dei diceretur; *si surrexerit in medio tui propheta*, &c. *non audies verba prophetæ illius, quia tentat vos Dominus Deus vester, vtrùm diligatis eum, an non.* Tum infert de Origene, Tertulliano, ac similibus. *His igitur tot ac tantis, cæterisque eiusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus euidenter aduertere, & secundùm Deuteronomij leges, luce clariùs intelligere debemus; quod si quando aliquis Ecclesiasticus magister à fide aberrauerit, ad tentationem id nostram fieri prouidentia diuina patiatur, vtrùm diligamus Deum, an non, in toto corde, & in tota anima nostra.* Eadem ratione [h] Cardinalis Hosius perdoctus, ac admodum pius, coniungens prioribus Cyprianum errantem circa hæreticorum anabaptismum, colligit non credendum vni alicui, quãtalibet doctrina, & eloquentia polleat, quantacumque etiam sanctitate, & auctoritate sit prædìtus, contra cómunem totius Ecclesiæ sensum & consensum aliquid adferenti, etiamsi quamplurima diuinæ legis oracula proferat; etiamsi nihil nisi scripturas, nisi verbum Dei, nisi Euangelium crepet, &c. & quidquid ab aliquo contra omnes nouum & inauditum ante hac adferri senserit quis, non ad religionem, sed ad sui potiùs tentationem id intelligat pertinere, sibique dictum illud existimet; *si surrexerit in medio tui prophetes, & prædixerit signũ atque portentum, & venerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus, & sequamur deos alienos*, hoc est, extraneas quasdam opiniones; quæ ab Ecclesiæ traditione sunt alienæ (quas propterea deos vocat Propheta, quòd haud aliter eas colunt & obseruant hæretici, quàm suos deos Ethnici) *non audies verba prophetæ illius*, &c. Lege quoque Michaëlẽ [i] Medinam. Similis doctrina de semper æmulanda consuetudine Ecclesiæ, ac præferenda cuiuscumque doctoris auctoritati etiam vel Augustini, vel Hieronymi, quam tradit Aquinas [k]. Cui doctri-

a 3. Reg 13. 21. & seqq.
b orat. 6. cont Iud.
c orat. 1.
d 1. Ioan. 4. 1.
e Matth. 7. 15.
f Ier. 14. 16.
g contra hæreses c. 24.
h de fide & symb. c. 19.
i 5. de recta in Deum fide c. 8.
k 2. 2. q 10. a 12.

næ conformatiuum se nosse non dubito circa immaculatam conceptionem B. Virginis ab originali peccato præseruatæ, si adeò generalem consensum in Ecclesia cerneret, atque celebrari hac de re festum ab illa: adeo enim probat sanctificatam antequam nasceretur ex vtero, quia celebrat Ecclesia ipsius natiuitatem [a]: & propterea immunem factam ab omni actuali etiam veniali, quia in Filij dedecus redundasset, si aliquod peccatum commisisset [b]; quod sanè dedecus longè maius ex originali sequitur contracto, à quo eam Filius potuit sine dubio præseruare. Cyrillus [c] Alexandrinus adeò turpe ait esse crimen diuinationis mendacis, studiúmque vaticiniorum ψευδομαντείαν καὶ τὸ ἀφορίζειν κληδονισμοῖς: vt mirandum sit ab iis Deum quandoque veri quidpiam sinere enunciari, hócque ipso veluti tentamento, eorum qui se diuino cultui mancipauere, fidei firmitate explorare.

Quia tentat vos Dominus Deus vester.] In Sixtinis Græcis, *Dominus Deus tuus vos*, οὐ ὑμᾶς. Explanantes [d] Iacobum præcipuè, præter aliorum librorum commentaria, docuimus quo pacto ille neminem tentare dicatur à Iacobo; hîc autem, & alibi tentare. Abulensis [e] disputat ea de re hoc loco; definiens quòd non tentat per se directéque ad malum, immittendo videlicet desiderium rei venereæ illicitæ, iræ immoderatæ, furti, mendacij, &c. quod Iacobus ait Deum esse intentatorem malorum, nosmet verò ipsos à concupiscentia nostra tentari; ad quod etiam conducunt obiecta externa, & dæmonum hominúmque instigationes: quámuis tentet pœnis & vexationibus, vnde captant homines peccandi occasionem, vt euadant; quemadmodum si ab alio inferantur, fit vt odium in eum concipiant, maledicant, &c. immò & illi ipsi qui infligunt, intendere possunt alienum peccatum; quod non potest Deus; dæmones autem intendunt semper, & quidam etiam peruersi homines nonnumquam. Sed quandò inflictio pœnæ siue à Deo, siue ab homine, iusta est, atque ob demeritum, tentatio propriè vocanda non est; etiamsi, inquit, impatienter quis ferat, alteriúsve peccati ansam arripiat. Magis propterè nomen sortitur tentationis, cùm Deus directè afficit aliquem aliqua pœna, vt ad perfectiorem virtutem promoueat, vel celebriorem apud alios faciat. Videtur Moses loqui de permissione prauæ suasionis, propter finem modò dictum; si fortè tunc aliquod populi grauius peccatum non id demereretur in pœná: ea qua pœna propter peccatum illata, si nempe populus illud habebat, simul innotesceret, non diligi Deum à populo, & an per eam occasionem resipiscens, ad eius amorem conuerteretur, abominans idola; vel obstinato animo horum cultum amplecteretur. Tale illud in c. 2. [f] libri Iudicum, vbi Deus iratos peccatis populi, negat se deleturum gentes, vt in iis experiretur, vtrum custodirent viam Domini, id est, vnde securum erat vt id cognosceretur. Lege Ambrosium [g], Augustinum [h], Theodoretum [i] de tentato Abraham à Deo: ex quibus Augustinus [k] aliam tractans quæstionem, interpretatur Deum tentare, quoniam tentari sinit. Item [l] quod secundùm tentationem quæ decipit, neminem tentat, sed secundùm eam quæ probat. Vrget porrò præsentem locum Cyprianus [m] vt persuadeat non murmurandum in aduersis, sed patienter & fortiter quidquid acciderit sustinendum.

Vt palam fiat.] Vt palàm fiat vel Deo, vel populo, vel aliis. Hebraicè, & Chaldaicè (*ad sciendum*,

a 3. p. q. 27. a. 1. sed contra.
b a. 4.
c hom. 14. de festis Paschalib.
d iac. 1.
e q. 2.
f v. 20. & seqq.
g 1. de Abr. c. 8.
h q 57. in Gen. & 16. de ciu. c. 32.
i q. 72. in Gen.
k l. 83. quæ. q. 79.
l tract. 43. in Ioan.
m de mortalit. & de exhort. martyr. c. 9. & 3 ad Quirinum c. 15.

dum, לָדַעַת *ladahhath*. לְהוֹדִיעַ *lenoddabh*.) Quod eapom poreft, vt feiatur:& vt fciant alij;& quidem priore modo, vt feire faciat alios, cùm nihil eum lateat. Eadem æquiuocatio Græci textus (τῷ εἰδέναι, ad fcendum,) Hugo cum Gloffa, quæ eft Augustini [a]; vertens è Græco (*tentat vos fcire*, declarat tentando vos facit feire) fed, vt dixi, non eft tectrićta fignificatione Græcæ phrafis. Rickelius legit ac exponit, (*vt palàm fciat*) id eft, ab alis euidenter feiri faciat. Io Tertulliano [b] eft (*vt fciat*.) Auguftinus crebrò citans hunc locum, legit (*vt fciat*) nimirum Deus; Cyprianus quoque paulò aute citatus, & Gregorius [c]. Primus [d] declarans eo modo, quem dixi, confirmánfque vulgaribus exemplis, quibus dicimus diem lætum, quòd lætos faciat, frigus pigrum, quòd pigros; & addens innumerabilia huiufmodi fiue in confuetudine loquendi, fiue in fermone doctorum, fiue in Scripturis fanctis reperiri, fcribit, quòd id hæretici non intelligentes qui veteri teftamento aduerfantur, velut ignorantiæ vitio notandum putant eum de quo dicitur (*tentat vos Dominus Deus vefter*) quafi in Euangelio [e] de Domino fcriptum non fit, *hoc autem dicebat tentans eum; nam ipfe fciebat quid effet facturus*. Si enim nouerat eos eius quem tentabat, quid eft, inquit, quod voluit videri tentando? Sed profectò illud factum eft, vt ipfe fibi notus fieret qui tentabatur, fuámque defperationem condemnaret faturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent, exiftimauerat. Profert [f] exempla alia, de foffa cæca, non quæ oculos perdidit, fed quia latendo non videntes, eadere facit: de triftibos lupinis [g], boc eft, amaris, non quia ipfi fint triftes, quia guftati contriftant, hoc eft, triftes faciunt. Tum concludit, quòd qui in talibus quæftionibus cognofcendis laborant, in foluendis talibus quæftionibus non laborant. Gregorius [h] vfitata facri eloquij locutione videre Dei dici docet, videre nos facere; ficut iufto viro Dominus dicit; *nunc* [i] *cognoui quòd timeas Deum*:& Ifraëlitæ præmonentur; *tentat vos Dominus Deus vefter, vt fciat fi diligatis eum*, id eft, vt feire vos faciat. Tentare quippe Dei eft, inquit, magnis nos iuffionibus interrogare: feire quoque eius, eft noftram obedientiam noffe nos facere. Tranflatio noftra huc loco vitauit difficultatem (*vt palam fiat*) quod aliter quàm de Deo fumi poteft, qui fcientiam acquirat.

Vtrum diligatis eum, an non.] Vltimæ duæ dictiones appofitæ funt ab Interprete; is autem omifit (*Dominum Deum veftrum*.) Cognitio ifta fecundum eos qui legunt priore membro (*vt fciat*) fpectat ad Deum, explicatúrque, vt dixi, ab iifdem, quia feire facit vel alios, vel ipfofmet quos tentare dicitur. Neutri tamen omnino certam habere fcientiam poffunt & indubitatam, nifi per reuelationem, fed probabilem opinionem, quod quis diligat Deum, quando conftans eft in tentatione fiue tribulatione: per quam opinionem dicatur palàm fieri, vel quis euidenter fcire, hoc eft, euidentia tanta, quanta moraliter haberi foler ac poteft, intra tamen terminos opinionis, quæ non excludit omnem dubitatem. Certè alium de alio certitudinem exactâ habere nullus docuit, licet Catharinus exiftimauerit talem poffe iuftum habere de fuamet iuftitia, quæ omnem dubitationem excludat; quod alibi confutaui. Profectò fi qua ratio fuadet nos Deo gratos & amore illius dignos, quod fciri negat Sapiens [k], maximè tolerantia voluntaria tribulationum, & refiftentia in tentationibus. *Qui non tentatur*

quid [a] *fcit? virtus in infirmitate perficitur* [b].

In toto corde, & in tota anima veftra.] Idem eft cum præpofitione (*ex*) & pronomen affigunt editiones aliæ cordi, non tantùm animæ. Cyprianus [c] legit (*fi diligitis Dominum Deum veftrum ex toto corde veftro, & ex tota anima veftra, & ex tota virtute veftra*) addens quinque poftremas dictiones, feu tranfcribens ex alio loco eiufdem libri noftri [d], vbi eft fortitudo, & apud Euangeliftas virtus [e] & vires [f]: quod fatis eo loco declarauimus, vt & cap. 11. [g] Tertullianus legit (*vt fciat fi ex toto corde veftro, & ex tota anima veftra timeatis Deum*.)

Verf.4.] Dominum Deum veftrum fequimini, & ipfum timete, & mandata illius cuftodite, & audite vocem eius:ipfi feruietis, & ipfi adhærebitis.

ET quidem femper, & verò tum præcipuè, Dominum ac Deum verum firmiter, & immobiliter colendum affirmat, cum timore mandatorum, & nominatim ceremonialium diligenti cuftodia, religiofa obedientia, diligenti perpetuóque obfequio, cùm exiftet qui quouis quantumlibet fpeciofo prætexto fanctitatis, prophetiæ, mirandorum operum, perfuadere conetur apoftafiam, atque falforum deorum cultum. Sequi Dominum, colere eft, ac pro Deo & Domino habere, eacquúque affirmatiua præcepta; timere, nihil aduerfus negatiua committere, mandata cuftodiri, quæ dicti vtriufque generis funt magni facere velut pretiofum thefaurum & faluti perneceffarium medium, audire vocem, obedire fimpliciter, vbi vel de nuda conftiterit Dei voluntate, quamuis nulla proponeretur violantibus pœna: ipfi feruire feruitutis proprio modo qui eft latria, tes opere, facto; ipfi adhærere intimo cordis affectu, & propofito conftantiffimo numquam fe ab eo auellendi. Ad hunc ferè modum ifta declarat Abulenfis: licèt Hugo feruitutem affignet caritati, fidei adhæfionem. Alij [h] in verbo (*fequimini*) bonam feu iuftam viuendi rationem vniuerfe agnofeunt, quam timor comprehendat; qui confiftat in cuftodia mandatorum quantum ad executionem: in Dei audienda voce, omnia eius verba fano intellectu percipiendo: in feruitute per humilitatem cùm quis omnia illa fecerit: adhærere per perfeuerantiam. In primo quibufdam [i] placet indicari initium boni operis; in fecundo continuationem; in tertio perfeuerantiam vfque ad extremam; in quarto lumen fidei & confenfum: in quinto fpem retributionis: in vltimo vinculum caritatis.

Dominum Deum veftrum fequimini.] Hebraicè, Græcéque (*poft Dominum Deum veftrum ambulate*) apud Tertullianum [k] (*poft Deum veftrum abibitis*) Chaldaicè (*poft timorem Domini Dei veftri*.) Gloria magna eft fequi Dominum [l]; & ad hoc fæpe Chriftus inuitauit [m]: difcipulique nattantur eum fecuti [n]. Celebre illud vnius de feptem fapientibus, & ab Ambrofio [o] commendatum apophthegma, ἕπου θεῷ, *fequere Deum*, quod facto, ait ille, præuenit Abraham, & fecutus Deum exiuit de terra fua [p], vbi fcilicet vigebat idololatria.

Et ipfum timete.] Timor quidem, fi filialis fit, non eft fine amore, totúmque etiam Dei cultum includere folet: tamen cùm de amore antea mentio præceffe

Marginal notes (left): a q. 19. — b Scorp. c. 2. — c 19. mor. c. 5. vel 7. & b 28. c. 5. — d 2. de ferm. in monte c. 6. — e Ioan. 6. 6. — f tract. 43. in Ioan. — g Virg. 1. Georg. — h 19. moral. c. 5. vel 7. *Videre Dei quid.* — i Gen. 22. 12. — *Tentare Dei quid.* *Scire eius quid.* — k Eccl. 9. 1.

Marginal notes (right): a Eccl. 34. 9. 11. — b 2. Cor. 12. 9. — c de exhor. marty. c. 8. — d c. 6. 5 — e Marci 12. 30. — f Lucæ 10. 27. — g v. 13. — *Paraphr.* — *Sequi & timere Dominum, audire eius vocem, cuftodire mandata, illum audire, ipfi feruire & adhærere quid.* — h Seraph. Cappon. hoc loco. — i Marzillæ. k Scorpiaci c. 2. — l Eccl. 23. 38. — *Explanatio.* m Matth. 8. 22. & 9. 9. & 16. 24. c. 19. 21. Marci 2. 14. c. 8. 34. c. 10. 21. Lucæ 5. 27. c. 7. 23. 59. c. 18. 22. Ioan. 1. 43. c. 21. 19. — n ibid. & alibi. — o lib. 1. de Abraham. c. 2. — p Gen. 12. 1.

præceſſerit, vt per ſe diuerſus nunc ſumi videtur A cum omni amplitudine ſua. Tertullianus [a] diſtinguens duo præcepta diligendi Deum, & timendi; ait illo diligendum Deum vt patrem piè, patrem nempe clementia, poteſtate blanda, qui malit miſericordiam, quàm ſacrificium, pœnitentiámque peccatoris, quàm mortem: iſto timendum vt dominum neceſſariè, & quidem Dominum diſciplina, poteſtate ſeuera, quia nolit peccatum, & peccatores ſui iam non pœnitentes: legem vtrumque definite, aliud obſecutori proponendo, aliud exoibiratori.

a 5. cont. Marcion. c. 13.

Et mandata illius cuſtodite.] Idem ſignificant præcepta quæ legunt alij. Huc exigit amor ac timor Dei. Nam *qui diligit, Dei mandata ſeruat* [b]: *qui timet, in mandatis eius cupit nimis* [c], *& ambulat in viis illius* [d]. Abſunt autem iſta à Sixtinis Græcis Bibliis.

B

b Ioan. 14. 15.
c pſ. 111. 1.
d pſ. 127. 1.

Et audite vocem eius] Verbum eius ponit Paraphraſtes Chaldæus מימרה *memereh*. Hoc eſt in auditu auris obedire [e]: nec audiendo obdurate cor [f], ſed exaudire, auditáque opere præſtare.

e pſ. 17. 45.
f pſ. 94. 8. Hebr. 3. 8. 15. c. 4. 7. 13.

Ipſi ſeruietis.] Verbum Græcum eſt δουλεύσετε magis generale, quàm λατρεύσετε: quod ſecundum ſoli Deo attribui ſolet vſu ſaltem ſcriptorum Eccleſiaſticorum ac Theologorum: qui δουλείαν & δουλίαν ſanctis aſſignant, aliud illud verbum, & nomen λατρείας proprium Dei eſſe volunt. Deſunt verò hæc in codicibus Græcis emendatis.

C

Et ipſi adhærebitis.] Eodem modo in cap. 10. [g] & 11. [h] vbi eſt verbum Græcum κολλᾶσθαι & προσκολλᾶσθαι, *glutinari*, & *agglutinari*. Lege ibidem dicta, & de conglutinandi verbo in c. 10. [i] Hoc loco eſt (προστεθήσεσθε) quod Tertullianus [k] tranſtulit (*adiiciemini*) propriè iuxta vim eiuſdem: poſsétque adhuc reddi (*apponemini*) & quidem meliùs. In libris Græcis aliis pro αὐτῷ ante verbum, eſt πρὸς αὐτόν.

g v. 20.
h v. 22.
i v. 15.
k in Scorp. c. 2.

Verſ. 5.] Propheta autem ille, aut ficto[r] ſomniorum, interficietur: quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro, qui eduxit vos de Terra Ægypti, & redemit vos de domo ſeruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

D

Paraphr.

VT executioni mandari poſſint quæ modò dicta ſunt de Deo ſequendo, obediendo, adhærendo; docet amputandum impedimentum prophetæ aut ſomniatoris, quantumuis à Deo permiſſi ſiot ad tentationem; qui hoc diſſuadeant; ſuadeant verò falſam religionem, cultúmque falſorum deorum: nec vereantur id facere, non ignoratos ea (de medio enim Hebræi populi exiſtere dictum eſt) tot ac tam magnis beneficiis deuinxiſſe & obligaſſe verum Deum ſibi Hebræos; præſertim de durißima Ægyptiaca ſeruitute liberando & redimendo. Immo ipſamet Dei permiſſio de qua dictum eſt, huc etiam ſpectat, vt palàm fiat an eum vt par eſt diligentes, de medio tollant illos qui retrahere nitantur ab hac dilectione. Videtur Abulenſis falſitatem prophetiæ atque ſomnij hîc agnoſcere, dicentium ſe vidiſſe audiſſéve in vigilia, aut per ſomnium aliquid à Deo recepiſſe: quoniam alioqui non incitarent ad colendum deos

E

gentium; nec poteſt verus propheta veritatem cum falſitate proferre. Marzilla verum prophetam admittit, ſed mendacem ſomniatorem. Vterque vera prophetaſſe ac ſomniaſſe poteſt: ſed in peruerſum finem hæc Dei dona detorſiſſe; quemadmodum nuper docui. Nec video quid interſit inter ambos: & ratio cur interfici debeant hîc affertur, quia conati ſunt auertere à Domino, & à via quam præceperat: non propterea quòd illorum prophetia vel ſomnium falſa fuerint. Rabanus quæ toto capitulo aguntur contra idololatras ait eſſe maximè contra hæreticos, qui præcidendi ſint non ſecus quàm oculus, manus, pes ſcandalizans. Tertullianus [a] locum hunc integrum profert, vt probet idololatriam vitandam vſque adeò vt idololatras interfici, & loca exterminari Deus iuſſerit; videlicet qui idololatriæ euaſerint per apoſtaſiam: qualis de quo hîc ſcribitur: vel ſi Deus peculiariter imperaſſet, vt de terra Chanaan quam dederat Hebræis in poſſeſſionem. Ibidem verò docet ad officium hæreticos compelli non inlicitum dignum eſſe: duritiam vincendam, non ſuadendam. Eodem vti teſtimonio aduersùs ſchiſmaticos Cyprianum [b], pridem antè monui. Argumentatur hinc præterea [c], & exemplo Mathathiæ, qui interfecit, memor huius præcepti, eum qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat [d]; ſi ante aduentum Chriſti circa Deum colendum, & idola ſpernenda hæc præcepta ſeruata ſunt; quanto magis poſt aduentum Chriſti ſeruanda eſſe, quando ille veniens non verbis tantùm nos hortatus ſit, ſed & factis, poſt omnes iniurias & contumelias, paſſus quoque & crucifixus, &c. Valent quæ hîc habentur & in ſequentibus pro iuſta hæreticorum etiam per mortem punitione. Qua de re alibi.

a in Scorp. c. 2.
b Epiſt. 40.
c de exhort. marty. c. 5.
d 1. Mach. 2.

Propheta autem ille.] Prophetes dicebatur verſu primo, & legit adhuc ita hunc locum Tertullianus [e].

Explanatio.

e Scorpiaci c. 2.

Aut fictor ſomniorum.] Verſu eodem primo (*aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat*) & verſu 3. vocatur ſomniator: cùm tamen iuxta cæteras editiones verti debeat ſomnium ſomnians. Tertullianus [f] ſomnium ſomniantem, & ſomniatorem. Quamuis porrò ſomniator, fictórque ſomniorum malè ſonent, falſaque & conficta ſomnia proferentem inſinuent, nihilominus retinendo fictoris vocabulum (quod etiam in bonam partem circa res alias accipi poteſt [g]) is qui verum ac diuinum quoque ſomnium refert ad fallendum fictoris meretur nomen, quia fingit ad hoc immiſſum, ad quod nullo modo eſt, ac ne immitti quidem potuit.

f ibid.
g Eſ. 29. 16. c. 45. 9. c. 64. 8.

Interficietur.] Valet id etiam Chaldæum יתקטל *ithketel*: ſed יומת *iumath*, & ἀποθανεῖται *morietur*, vt legit etiam Tertullianus [h]. Iudicis interuentu ſententiáque tales interfici, non auctoritate oportebat priuata; quod inferiùs adhuc magis patebit. *Si corporis cædes cæde mutua reſtituitur, quanto magis*, ait Procopius, *id faciendum eſt, ſi quis animum corpore, ſeruatoris teſtimonio præſtantiorem, interficiat?* Subdit nullam dæmonibus habendam fidem, etſi vera aliquando dixerint: quia non ob veritatem dicunt, ſed vt mendacia commiſceant; & decreta diuina ex ipſa ſacra Scriptura accuratiſſimè licet cognoſcere: & Chriſtus [i], ac Paulus [k] non ſinebant ea loqui, quamuis elogia ipſorum proferrent: quoniam hæc à rudibus diſcerni non poſſunt.

h in Scorp. c. 2.
i Marci 1. 34. Lucæ 4. 41.
k Actuum 16. 18.

Quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro.] Hebraicè auerſionem, ſiue defectionem,

ſiua

siue præuaricationem, siue rebellionem contra Dominum Deum vestrum סרה *sarah*, סטיא *satia*, Græcè πλανῆσαί σε, *vt errare faceret te*. Inter mutuò sumptas à Græcis voces planus est priore correpta à πλάνος, quam [a] Gellius inter insolitas numerat, quibus vsus sit Laberius Mimus: licèt vsurparit prætetea Cicero [b], Horatius [c], Plinius [d], Tertullianus [e], alij, pro impostore insigni versutia prædito, qualis Planus nomine fertur apud citatum Horatium, vt Acron sentit; sed alij adiectiuum aiunt nomen esse, qui vt veheretur vehiculo, crus fregisse fingebat, sed cum postea verè fregisset, reuehique rogaret, non est ei creditum; pro sycophanta, pro scurra, pro erone, & vago, pro præstigiatore, seu pro eo qui spectantibus imponendi artem profiteretur, vt apud Alexandriam Cephisodotus, Pantaleon, Matreas [f], aliique apud alios. Inde non adeò Latinum implanandi verbum, & nomen implanatoris quo Cyprianus vtitur, alioquin non inelegans, non solùm Interpres seu editio Latina Biblica 8. Lege Rhodiginum [h], auctorem thesauri Græci, sed apud Lælium [i] Bisciolam nostrum, quem postremò consului, longè plura. Rectè auertere redditum hîc ab Interprete: quia πλανᾶν est errare, ac aberrate facere. Vertit Tertullianus [k] *ad seducendum*, retenta proprietate verbi eiusdem Græci: seducere namque est seorsim ducere. Inscriptione ἀπλάνη gloriatur Montmorenciorum in Gallia nobilissima, vetustissima; & in Catholicis familiis, ob fidem constanter & ἀπλανῶς retentam, nulli secunda; cui familiæ iam inde à puero plurimum debere me animo gratissimo præ me fero, & palàm profiteor.

a l.16.c.7.
b pro Cluc.
c l.1.ep.17.
d l.35.c.10.
e 3.contr. Marc.c.6.
f Athen.l.1. c.16.l.14.c. 3.&c.
g Eccl.15. 11.c.34.&c.
h l.13.c.7.
i tom.1. subsecin. hora.l.8.c. 11.
k Scorp.c. 2.

Qui eduxit vos de terra Ægypti.] Græcè (σε, te) subinde commutantur numeri. Hoc autem beneficium, vt pluries annotaui, sæpissimè repetitur: nunc valdè opportunè: quoniam indignum est siuere se seduci, aberrareque à Deo, qui eduxerit tam benignè, cúmque potentia tanta de grauissima longissimáque captiuitate.

Et redemit vos de domo seruitutis.] In textu Græco est etiam singulariter (σε, te) immò etiam in Hebræo & Chaldæo; qui plurali numero vtebantur in præcedente membro: in Græco autem solùm (*ex seruitute*, ἐκ τοῦ δουλείας) quæ dicitur in Hebræo domus seruorum, aut seruientium בית עבדים *beth bhauadim*. Redemisse porrò eur dicatur Deus, lege cap.7. [l] Dedecet non timeri eum qui pertriuerit, ac prostrauerit, demersérítque sæuos dominos tyrannósque: non seruiri illi, ab iis, quos asseruerit in libertatem, & cui seruire seruientibus honorificum, vtile, iucundum est. Optima ratio aduersùs tentationes, reducere ad memoriam beneficia Dei; sicut Ioseph negabat peccare posse in dominum suum consentiendo impudicæ vxori eius, à quo acceperat plenam eutam cum potestate totius rei domesticæ [m].

l 1.8.
m Gen.39. 8.9.

Vt errare te faceret de via] Iterum numeri mutatio est in singularem ex plurali. Plus autem insinuant verba reliquarum editionum quàm errare facere, nempe depellere ac vi expellere & eiicere, להדיחך *baddichacha* לאשתעיותך *asthbayuthach* vitamque cum affixo, ἐξῶσαί σε Via porrò significare solet viuendi modum, rationem, ac institutum vitæ siue conuersationis; præcepta quibus peruenitur ad vitam, & per quæ incedendum semper absque cunctatione.

Quam tibi præcepit Dominus Deus tuus.] Editiones reliquæ adiiciunt (*vt ambulares in ea*, ללכת בה *lalechet bah*, למהך בה *limhech bah*, πορεύεσθαι

A ἐν αὐτῇ.) Præcepit Dominus partim immediatè siue per Angelum qui repræsentabat personam illius in tradendo Decalogo; quem populus ipsemet audiuit, partim mediatè per Mosem.

Et auferes malum de medio tui.] Græcè in plurali (καὶ ἀφανιεῖτε τὸ πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, & *delebitis malum ex vobis ipsis*) quamuis correcti libri habeant singulariter (ἀφανιεῖς, *delebis*.) Significat Hebræum בערת *bibbartha* præteriti temporis pro futuro, exterminabis, eliminabis, excindes, immò & succendes ac in nihilum sic redigeś, quod sonat ἀφανιεῖς, ex ἀφανίζω: Chaldæum verò תפלי *thephalle* separabis, secernes, discernes, agitatáque causa & facta diiudicatione, decernes. Malum autem substantiuè ponitur in textu Græco: רע *rabh* in Hebræo, sicut & in Latino nostro, sumi potest in masculino quoque genere: in Chaldæo exponitur de operante malum עביד בישא *bhaued deuis*, seu debis. Malum substantiue interpretatur Abulensis de consilio idololatriæ, quod persuaderetur, nisi de medio tolleretur is qui daret illud: aut quia valdè turpe ac deforme est, quòd aliquis ita malus, inquit, maneat inter alios rectè viuentes. Thomas [a] Aquinas ait quòd Caiphas secundùm istam legem, quasi Christus subuerteret gentem Iudæorum, expedire dicebat vt vnus moreretur, ne tota gens periret [b], atque vnius hominis salutem pro communi republica oportere contemnere. Citat hunc locum, (*& auferes malum de medio populi tui*) quamuis populi nomen hîc non sit; & ex 1. Cor. 5. [c] *auferte malum ex vobis*, τὸν πονηρὸν, *scelestum*; quod nomen in masculino genere sumptum aliqui de diabolo interpretantur in oratione Dominica (*sed libera nos a malo*, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.) Auferri porrò malum de medio, quod repetitur aliquoties in isto libro [d], denotare dicitur velle Augustinus à quodam [e], scribens in istud caput, capitale supplicium, cui in Ecclesiastico iudicio anathematis sententia quadam ex parte respondeat: sed testimonium Augustini est in q.39. ad eumdem librum: & adhuc in retractationum libro 2. c.17. Idem tamen etiam alibi [f] exponit Pauli locum pro malitia, quasi sit τὸ πονηρὸν, præcipitátque exui veterem hominem [g]. In quo sensu intellexit prætetea Pacianus [h], atque Tertullianus [i]. Sed videtur Apostoli mens alludentis ad hunc nostrum locum, vt abstineant fideles ab improborum hominum consuetudine, vtque isti remoueantur ab illorum societate dum resipiscant, non autem penitus ac in perpetuum, & negata iis pœnitentia, vt eiusmodi loco abuteus asserebat Tertullianus [k], & Donatistæ schismatici, teste Augustino [l]: vnde & scortatorem de quo loquebatur, post peractam pœnitentiam sacris ac fidelium testitui societati voluit idem Paulus. Ecclesia vtebatur vtitúrque potius dicta segregatione, quàm interfectione, quæ in synagoga imperabatur: quia, vt ait Chrysostomus [m], maiore fideles nunc egent patientia, prouocati ad maius certamen; & faciliùs impunitate scelerum corriguntur; veteres verò illi ad flagitia maiora per eam incitabantur. Non est communicandum peccatis alienis: nec ideo tamen præcidendus locus pœnitentiæ [n]: & pœnitentia concessa, expedit interdum corpus etiam gladio auferre, atque de medio malum hominem, & mali periculum, ne serpat ad alios, & vt exemplo id cauere discatur, auferre. Qua de re vtraque citato loco Augustinus, memorans traditum Satanæ [o] Corinthium in interitu carnis, vt spiritus saluus fieret [p]: Ananiámque ac Saphiram interfectos.

a in Ioan. 11.lect.7.
b Ioan.11. 50.
c v.13.
d c.17.7.12. c.19.13.c. 21.5.21.c. 22.21.22. 24 c.14.7.
e Iustinus in 1.Cor.5.13.
f 3.contr. Parm.c.1.& 2.
g Ephes.4. 22.
h epist.3.
i contr. Hermogen. c. 31.
k de pudic. c.18.
l 3.contr. Parm.c.1.
m in 1.Cor. 5.
n 1.Tim.5. 22.
o 1.Cor.5. 5.
p Actuum 5.1.& seqq.

Verſ.6.] Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, ſiue vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus, & ſeruiamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui,

Verſ.7.] Cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul ſunt, ab initio vſque ad finem terræ;

Verſ.8.] Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miſerearis & occultes eum, ſed ſtatim interficies.

Paraphr.

QVod priùs dixerat de propheta, & ſomniatore, déque malo auferendo, eùm ad defectionem, apoſtaſiámve quis incitaret, & ad cultum deorum falſorum; ne quis affectu immoderato, nimióve in coniunctiſſimos amore, ſi qui forſitan tales eſſent, duceretur; præciſè iubet; vt in tam graui cauſa, quæque ad honorem Dei pertinet maximè, locus neceſſitudini vinculóve carnali, quantumuis arcto, nullus detur, ſiue ſit criminis tàti ſuaſor frater vterinus; ſiue filius, aut filia; ſiue cariſſima vxor; ſiue quiſpiam alius amiciſſimus, quíque interdū cuiuſuis alterius quantumlibet coniuncti & neceſſarij amicitiæ præponitur, nec minùs quàm nos ipſimet intimo amore diligitur; ſed tali quicumque demum ſit, non modò non acquieſcatur, vel etiam ad aures oratio eius de hac re admittatur, ſed, amputata omni ſympathia & commiſeratione, in publicum puniendus proferatur. Abulenſis [a], cùmque ſecutus Marzilla, ſentiunt licèt pater vel mater filium aut filiam incitarent ad idololatriam, non debuiſſe, nec potuiſſe huius legis vi accuſari ab iſtis; quoniam ferinum videtur contráque ius naturæ vt parentum interfectionis filij ſint auctores, ad quam interfectionem accuſatio refertur, ac ita quidem vt accuſans exhiberet ſe primum in interficiendo, manus capiti eius imponendo, ac mox lapidando. Qua etiam de cauſa in Exodo imperatum [b] eſt filiis Leui, vt occideret vnuſquiſque fratrem, amicum, proximum idololatram, non tamen vt parentes. Etſi verò laudans Moſes factum dixerit, quòd conſecrauerant manus Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre [c], de parentibus non meminit: & in cap.33. [d] libri noſtri laudantur iterum Leuitæ, quòd vnuſquiſque dixerit patri ſuo & matri ſuæ, *neſcio vos*: non autem dicitur quòd accuſauerit aut interfecerit. Nec refert, inquiunt, quòd maior ſit parentum in filios amor, quàm horum in illos; habetur namque hac in re ratio potiſſimùm ac per ſe reuerentiæ honoriſque, quem filij parentibus debent; cui valdè repugnat ipſorum interfectioni operam dare: propter quod reuerentiæ honoriſque debitum, prohibetur ſub pœna mortis in eodem Exodi [e] libro, ne filij parentes percutiant, iiſve maledicant, non autem viciſſim ne id parentes erga filios faciant. Debent diſſuadere filij quantum poſſunt parentibus idololatriam (idémque iudicium de hæreſi, infidelitate quacumque, & ſimilibus peccatis) & ſi timent ſubuerſionis propriæ periculum fugere, inquit Abulenſis; atque ſic præponere amorem Dei, amori parentum; ſed non ita vt teneantur etiam denunciare & accuſare, cum hoc lex non exprimat, cui nihil addendum, & leges pœnales reſtringendæ; & plus debeatur, poſt Deum parentibus, quàm vlli alij, quátumuis arcto amicitiæ vinculo aſtringatur. Idem aſſerit Abulenſis, ſi contingeret vt ad filium, qui fungeretur iudicis officio, deferretur pater vel mater pro capitali crimine, debere namque vel officium relinquere, vel remittere ad alios iudices; cùm etiam non approbetur paſſim ab omnibus tanta Bruti ſeueritas amore patriæ tecta, laudiſque comparandæ auiditate, filios occidentis, quòd Tarquiniorum amici de reducendis ad vrbem regibus tractauiſſent [a]. Certè haud adeò indecore à patre cæditur filius; licèt magna oporteat eſſe vitia atque peccata filij, quibus incenſus parens potuerit, ait Cicero [b], animum inducere, vt naturam ipſam vinceret, vt amorem illum penitus inſitum eiiceret ex animo, vt denique ſe patrem eſſe obliuiſceretur. Comprobatur eadem opinio exemplo Aſæ regis Iuda laudatiſſimi, qui matrem ſuam Maacham amouit ne eſſet princeps in ſacris Priapi [c], non autem interfecit; nec interficere potuit, etiamſi ſollicitaret alios ad idololatriam, quod tamen feciſſe non legitur, inquit idem Abulenſis [d]: qui aliis pluribus [e] locis eandem ſententiam in genere tradit. Mitto Aaronem, qui ante iſtam legem propoſuit vitulum adorandum [f]: nec tamen à filiis occiſus eſt. Citat ſequitúrque Abulenſem Iacobus [g] Simancas, ſed ita vt quamuis non teneatur, poſſit filius occultè hæreticum patrem iudicibus indicare, præſertim inſanabilem, poſtquam cætera omnia tentauerit: debeat verò interrogatus ab inquiſitoribus: aut ſi perniciosa ſit hæreſis patris reip. Ioſeph [h] Stephanus diſputans de Mathathia idololatram Iudæum interficiente ſecundùm iudicium legis, vt Scriptura loquitur, fuſiùs tractat iſtam controuerſiam, ac demum ſentit exceptionem admittendam non eſſe; quoniam in ſimili præcepto cap.17. [i] vir & mulier nominantur in genere, id eſt, etiam pater & mater, vt exponit Turrecremata [k]. Concedit verò locum exceptioni dandum, ſi admoniti parentes de erroribus reſipuerint: ſed vbi non viget fides religióque catholica, nec perſuaderi populi poſſunt vt parentes deferant, cauendum ne id exequendo plus longè noceatur; nunc quod opinatus eſt Abulenſis tutò retineri. Caietanus hoc loco docet patris mentionem non fieri, vel quia non præſumitur huiuſmodi ſcelus ſuaſionis in parentibus: vel quia maior eſt amor ad filium, quàm ad patrem, in lege non miſerendi filij, clauditur lex non miſerendi patris. In eadem ſententia eſt Alenſis [l], Henric. [m] Lupus [n], Nauarrus [o], Alphonſus [p] Caſtro. Cornelius noſter exiſtimat c.33. [q] libri noſtri, reuera occiſos adoratores vituli à propriis filiis; quoniam ibi laudantur, eo quòd tunc dixerint patri vel matri, *neſcio vos*; idque faciendū interpretatos filios tum ex zelo ſuo, tum ex expreſſo Moſis præcepto, qui citato loco nominat patrem & matrem; propriè videlicet, nō per ſolam exaggerationē, vt intellexit Abulenſis. Fauet Hieronymus [r], Ripario ſcribens, vt quoſuis criminoſos puniat, proferénſque præſentem locum: & Cyprianus [ſ] adhibens eundem, vt probet idololatras puniendos. Accedit comparatio; quoniam patrem patriæ proditorem, aut necem principi machinantem prodere filius tenetur [t], atque ſic bonū commune priuato præferre.

Lege

a q.3.

b c.32.27.

c v.29.

d v.9.

e c.21.15.17.

a Liuius l.2. Virg. Æn.6. Halicarn. l.5. Val. Max. l.5.c.8.

b pro Roſcio.

c 3.Reg.15.13.

d ibidem q.25.

e in Ioſ.7.q.69 Matth.6 q 65.ad4. & q.66.c.10.q.137.c.19.q.211 & in Deut 33.q.4.

f Exod 32.4.5.

g Cathol. init.tit.29.num.37. & ſeqq.

h in 1 Machab.2.24.25.

i v.2.

k 23.q.5.c. ſi audieris.

l p.3. præcepto 4.q.33.

m eodem præcepto ſerm.5.

n c. per veſtras, de dona in. vir. & vxo.§.75.

o in c.inter verba 11 q 3.

p 2.de hær. pun. c.vlt.

q v.9.

r & refertur c regi.23. q.5.

ſ de exhort. marty.c.5. & refertur 24 q 5 c.ſi audieris.

t Cic.3.de offic.

a l.19. sect. 4 n.24.
b de censur. a.p.disp.5. dub.2.
c in 2.2 q. 70 a.1.controuers.2.
d tract. de hæresi q. 188. §.8. n. 147. & seqq. e q.191.n. 37.
f 4.q.5.c.si testes §.lege Iulia publicorum.
g c 13.2. & seqq.

Lege de nostris Reginaldum [a], & Stephanum [b] de Aula: item Michaëlem [c] Salon, & Prosperum [d] Farinacium, qui docet admitti vxorem etiam contra maritum in crimine hæresis: præterea [e] filios sponte reuelantes nullas pœnas incurrere, quas alioqui filij hæreticorum incurrunt. Mitto magis generalem quæstionem de accusatoribus ac testibus, quinam ad ea cogi possint, vel non possint, quive admitti, aut non admitti: qua de re in decreto [f], vbi citatur ex iure ciuili lex Iulia, de vi. Porrò quòd Zacharias [g] Deum dicentem inducit; *& erit in die illa, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra: & erit cùm prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini; & configent eum pater eius, & mater eius genitores eius, cùm prophetauerit*, &c. hoc, inquam, præsertim quoad posteriorem sententiam per allusionem ad præsentem locum communiter exponitur. Arbitrantur autem nonnulli, reipsa contigisse in regno Iosiæ, posteàque sub Machabæis, vt cùm populus resipuit ab errore; in filiis censuerint plectendum morte falsum vaticinium. Sed nulla de filiis mentio aduersùs parentes: quamuis in Euangelio [h] imperetur spirituale odium patris & matris qui religioni aduersentur: illud verò intelligendum seruato iuris ordine, per accusationem, vel testificationem aduersùs parentes impios. Ibi rectè colligit Ribera noster iustissimè occidi hæreticos, idque Deo placere: tropologicè verò, multos esse pseudoprophetas in nobis, vt hæreticos, & fallaces magistros; consanguineos quoque & amicos, qui nos specie amicitiæ à religione suscipienda, & à perfectione vitæ auocant, & à laboribus pœnitentiæ ad vitam traducunt molliorem, etiamsi in peccata non inducant; sed multo magis illos, qui peccandi nobis auctores, aut socij, aut instrumenta sunt: item censeri posse pseudoprophetas, quando tacentibus aliis, eiusmodi tamen rerum cogitationes sentimus; cùm nobis iusti videmur, perfecti, honore digni, cùm cæteros præ nobis contemnimus; cùm longam nobis vitam pollicemur, &c. si veri prophetæ auditores ac discipuli sumus, discendum cuiuis talium pseudoprophetarum opere ac veritate, potiùs quàm verbo & lingua, *non viues*, acquiescendum ei nullo modo, non audiendum, non parcendum vt misereamur, & occultemus, sed statim interficiendum; non occultanda talia consilia patri spirituali, confessario, sapienti magistro, prudenti Deúmque timenti amico, lapidibus obruendum pseudoprophetam, qui voluit abstrahere te à Domino Deo tuo eductori de terra Ægypti ac domo seruitutis; lapidibus nempe sumptis ex sacra Scriptura, consiliis, & verbis Christi, quorum, inquit Nyssenus [i], est adeò pulcher iactus, vt & hostem interimant, & ab eius qui iacit manu non separentur. Monet adhæc saccino pallio pseudoprophetam operiri, vt est apud citatum Zachariam [k], immò & ouium vestimento, vt ait Christus [l], vt mentiatur & fallat, &c. Lectu digna integra tropologia dicti auctoris. De præcipua verò quæstione, placet si non imminet periculum subuersionis, non teneri filios ad id quod quæritur; quod tandem satis innuitur primis verbis textus (*si tibi voluerit persuadere*, &c. Huc adducari posset disputatio de bello aduersùs infideles, an sola infidelitas causa iusta sit id inferendi, verùm si velint impedire prædicationem Euangelij, &c. Verum de his & similibus alibi actum est. Obuium porrò generale documentum, vt quod Procopius notat, fide violata, valeat natura, valeat cognatio; quoniam qui amat patrem aut matrem plusquam Christum, non est eo dignus; & vnusquisque se à proximo custodire debet, & in omni fratre suo non habere fiduciam; quia *omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet: & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur* [a], &c. Rabanus [b] ex Gregorio notat oppugnare diabolum vehementiùs per eos qui sunt magis necessitudine coniuncti; vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis gladius ad intima rectitudinis eius munimina irrumpat. In Lateranensi Synodo sub Martino I, Secretario 3. recitatur in epistola Deusdedit Calaritani Episcopi locus hic aduersùs hæreticos, vt nempe damnentur.

i hom.7.in Eccl.
k c.13.4.
l Matth.7. 15.
a Ier.9.4.5.
b ibidem.

Explanatio.

Si tibi voluerit persuadere.] Hebræa כִּי יְסִיתְךָ *chi iesithecha*, explicat Varablus (*si clanculum sollicitauerit te*) vel (*si voluerit suadere*) Oleaster (*si incitauerit.*) Pagninus eodem pacto, aut (*si seduxerit.*) Significat סוּת *suth* incitare, seu concitare, & suscitare, & exsuscitare: stimulare siue extimulare, remouere ab vna sententia, seu propellere & extrudere ad aliam. Vertit aliquando Interpres seducere [c]; incitare [d], concitare [e], commouere [f]. Chaldæum verbum cum affixo יִמְלְכִינָךְ *imlechinnach* valet, consilium dederit, & quasi consilio rexerit ac præualuerit; quod est persuadere: quasi regia quædam vis insit ei, qui alterius animo veluti dominetur, persuadeat, cúmque quò vult ducat, regat, dirigat, quod est longè nobilius regnandi genus, quàm dominaat in corpora. Græcè (ἐὰν δὲ παρακαλέσῃ, *si autem adhortatus fuerit.*) Cyprianus [g] post Tertullianum [h] (qui aliam partitionem secutus aliud capitulum vocat diuersúmque ab eo, ex quo recitauit verba contenta his versibus prioribus) (*quòd si rogauerit te.*) Vtrumque significatur verbo illo, ac præterea consolari & rogare per modum aduocari. Vnde παράκλητος Latinè *paracletus*, de quo nomine alio loco dixi.

c Ier.38.22.
d 1.Reg. 26.19.
e l.3.21.25.
f Iob.1.14.
g de exhor. man.c.5.
h Scorp.c. 2.

Frater tuus filius matris tuæ.] Græcè (*frater tuus ex patre tuo, vel ex matre tua*, ὁ ἀδελφός σου ἐκ τοῦ πατρός σου, ἢ ἐκ τῆς μητρός σου. Tertullianus [i] habet (*frater tuus ex patre vel matre.*) Cyprianus [k] legit solùm (*frater tuus*) quod fratris commune nomen est siue idem pater sit & mater, siue alter duntaxat: Filiúsque matris, quem vterinum vocant, potest esse ex eadem tantùm matre, non ex eodem patre. Filij vterini seu fratres ex eorum nati vtero, solent se magis diligere vt Ioseph, & Benjamin [l]. In Leuitico [m] dicitur soror filia patris, vel filia matris: & ab à Hieronymo [n], vt ibi monui, atque ab Augustino [o]; soror ex patre, vel ex matre: vbi etiam Abulensis notat multo magis comprehendi sororem ex vtroque parente: quod ambo item illi Patres exprimunt. Simile præceptum ei quod illo Leuitici loco est, habetur cap.27. [p] libri nostri, ibidémque nominatur soror filia patris, vel matris. Alibi [q] præterea descriptio fratrum est, vt dicantur filij matris, aut sugentes vbera matris [r]. Exaggerat amorem quòd ex eodem vtero nascantur aliqui, vt patet ex cõtraria querimonia Dauid *sedẽs aduersùs fratrem tuum loquebaris*,

i ibidem.
k Suprà.
l Gen.43. 29.30.c.45. 12.
m c.20 17.
n cont.Heluid.
o in locum. Leuit.& q. 75.
p v.22.
q Iud.8.19. Cant.8.6.
ps.49.20.
r Cant.8.1.
ps.49.20.

& aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, & alterius apud Salomonem [a], *filij matris meæ pugnauerunt contra me*; tametsi eo loco matrem aliqui sumi velint pro patria, vt cum Ierusalem matrem nostram vocat Apostolus [b], fratres pro tribulibus: alij matrem pro synagoga ex qua fratres essent, non item ex Deo patre, quam repudiauerant Iudæi. Cui sententiæ affinis is Ieremiæ [c]; *nam & fratres tui & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce.* Qui tamen locus exponitur de populis qui affinitate seu cognatione attingebant Iudæos, eisque propinqui erant.

a Cant. 1. 6.
b Gal. 4. 26.
c c. 12. 6.

Aut filius tuus, vel filia.] Omisit Interpres (*tua*) quod expressit Tertullianus [d] & Cyprianus [e]. Crescit oratio, sicut & amor erga filium filiamve maior esse solet, quàm erga fratrem aut sororem: de qua sorore in priore membro mentio facta non est, nisi velis sub fratre comprehensam, quod fieri etiam hîc potuisset de filia. De patre autem & matre quid sit sentiendum antea admonui, cur videlicet non nominentur; & vtrùm nihilominus hac lege contineantur. Cui vacaret, proferre posset exempla in vtramque partem ascendentium & descendentium, seu maiorum & minorum, parentum & filiorum, quid contulerint inuicem sibi ad eruditionem & institutionem tum politicam, tum religiosam, quamuis accipi potiùs ab inferioribus debeat, & à superioribus tradi: sub inferioribus verò censendi famuli & famulæ: æquales, fratres, & quodam modo coniuges; in quibus quoque non caremus dicti generis exemplis.

d Scorp. c. 2.
e de exhort. marty. c. 5.

Siue vxor quæ est in sinu tuo.] Vel iuxta Hebræum textum (*vxor sinus* siue *gremij tui*) quæ nimirum dormire solet in illo, seu ad latus, in quo est sinus, seu inter brachia, vbi idem est: aut quam amplecti soles; aut quam soles facere, vt illa quæ sinu gestas. Apud Tertullianum [f] (*aut mulier quæ in gremio tuo est*;) sumit enim pro vxore nomen mulieris, sicut & Galli nomen *femme*, Hispani *muger*, Græci γυνή, &c. Sarai dixit ad Abraham de Agar; *ego dedi ancillam meam in sinum tuum* [g], vt nempe commisceretis ei: in cap. 28. [h] libri nostri scribitur quòd homo delicatus & luxuriosus valdè inuidebit fratri suo & vxori quæ cubat in sinu suo; & tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo, qui cubat in sinu suo, super filij & filiæ carnibus. Ouis item paruula dormiens in sinu pauperis designabat Vriæ vxorem [i]. Idem sibi volunt vxores quæ priùs erant domini Dauidis, datæ Dauidi in sinu ipsius [k]: adolescentula Abisag dormiens in sinu Dauid ad fouendum & calefaciendum eum [l], licèt illam non cognouerit [m]. Sapiens [n] vetans complexus alienæ, prohibet ne quis foueatur in sinu illius ἐν ἀγκάλαις, *in vlnis*. Appellatur quoque vxor alicuius, mulier sinus eius [o]. Sed Chaldaicè Agar data dicitur in manu Abram, id est, ritu stipulationis, aut in potestate: hoc autem loco, citatóque cap. 28. libri præsentis, & cap. 7. Michææ vocatur vxor fœderis קימא *keiama*. Delrius [p] noster putat dictis locis agi non tantùm de nuptiali accubitu; sed alludi ad morem priscum conuiuiorum; quo solebant vxores aut liberi in ima lectuli parte accumbere in viri vel parentis sinu; confirmans testimonio Plutarchi [q], & Liuij [r]: præterea allati priùs ex 2. Regum [s] loci, de oue in sinu dormiente, quæque filiæ loco esset: ad hæc Lucæ [a] de sinu Abrahæ, in quo electi ac dilecti conquiescebant, & Lazarus veluti conuiuans, non micas iam desiderans: deinde vnigeniti Filij Dei in sinu Patris [b], ob amoris artissimum vinculum, non propter solam consubstantialitatem: adhæc Ioannis discumbentis in sinu Iesu [c]; quia teneriùs, virginitatis gratia, diligebatur, dilectusque cognominabatur [d]; cùm Petrus dignior foret, eáque de causa digniorem facilè in illa cœna obtenturus locum, id est, medium, non imum, in quo tamen imo quidam Petrum constituunt, Ioannem in medio; cùm imus assignaretur tenerioribus affectu; qui, quod capite ad sinum vsque medij pertingebant, dicebantur in medio sinu recumbere. Post digressionem verò de sinu conuiuiali, & matrimoniali, sinus notiones alias tradit pro secreti fide, dilectione, cura, rei caræ absconsione intima [e]. De oratione in sinu conuersa, consule Psalmi 34. [f] commentarium meum. De somno in sinu sponsi declarant quidam illud ex cantico canticorum [g]; *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: cuius in complexu iacentis caput sponsus læua sustentet, dextera molliter amplectatur. Vnde etiam colligitur, sponsam à dextris sedere sponsi, honestiore nimirum in loco, vt canitur Psalmo 44. [h] nec enim aliter læua sub capite posset esse, quando sponsa, quæ dormiens inducitur ac innixa super dilectum, in sino recumbit sponsi. Cæterùm orationi præteritæ accessio fit vxoris mentione, quæ vna caro est cũ viro, huicque cõiunctissima.

f suprà.
Mulier pro vxore.
g Gen. 16. 5.
h v. 54. 56.
i 2. Reg. 12. 3.
k ibid. v. 8.
l l. 3. 1. 2. 3.
m v. 4.
n Prou. 5. 20.
o Eccl. 9. 1. Michææ 7. 5.
p tomo 1. adagial. in 125.
q 1. Symp. q. 1.
r l. 39.
s c. 12. 3.
a c. 16. 23.
b Ioan. 1. 18.
c c. 13. 23.
d c. 13. 23. c. 21. 7. 20.
Sinus notiones variæ.
e Iob 23. 12. c. 31. 33. Ps. 34. 13. Pro. 17. 23. c. 21. 14.
f vers. 13.
g c. 2. 6. c. 8. 3.
h v. 10.

Aut amicus, quem diligis vt animam tuam.] Hebraicè, Chaldaicéque (*qui vt anima tua*) nimirum est: Græcè (*æqualis animæ tuæ*, ἴσος τῇ ψυχῇ σου) quo item pacto legit Cyprianus [i] (*qui æqualis est animæ tuæ.*) Tertullianus [k] (*qui animæ tuæ par est.*) Conglutinationem animæ cum anima Scriptura [l] tradit: nósque hoc libro declarauimus: dicitúrque anima Ionathæ animæ Dauid conglutinata, ita vt diligeret eum quasi animam suam [m]; & qui quæreret animam ipsius, quæreret quoque suam [n]. Hortatur Sapiens, vt seruus sensatus & fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua, quasique fratrem sic eum tractes [o]: ne si tibi sit mulier secundùm animam tuam, proiicias eam [p]: vt cùm viro sancto assiduus sis, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei; cuius anima sit secundùm animam tuam [q]. Blandientium est etiam vocari quempiam à quopiam animam suam, vt apud Ciceronem [r], *vos meæ carissimæ animæ, quàm sæpissimè ad me scribite*; &, *considerandum* [s] *vobis etiam atque etiam anima mea, diligenter puto quid faciatis.* De illis præterea, quos priuato quodam & singulari amore prosequimur, dicimus animæ nostræ partem siue dimidiũ esse.

Ah [t], *te meæ si partem animæ rapit*
Maturior vis, quid moror alteram?

Item,

Et [u] *serues animæ dimidium meæ.*

Pythagoricum quoque & Aristotelicum apophthegma est quòd amicus sit μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν ἐνοικοῦσα, *vna anima in duobus corporibus inhabitans.* rursus Aristotelis [x] quòd ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ, *amicus alter ego*: quod M. T. etiam [y] vsurpat: & ille, ὅταν θελῶμεν σφόδρα φίλον εἰπεῖν, μία, φαμὲν, ψυχὴ ἐμὴ καὶ ἡ τούτου, *quando volumus valdè amicum dicere, vna, dicimus, anima mea, & huius*, & ex Pythagora τὰ τῶν φίλων κοινὰ: τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι, καὶ μίαν ψυχὴν, τὸν φίλον εἶναι ἕτερον αὐτὸν: *amicorum communia omnia: amicitiam*

Amicitia.
i de exhor. mart. c. 5.
k Scorp. c. 2.
l Gen. 34. 3. 8. 1. Reg. 18. 1.
m 1. Reg. 18. 1. c. 20. 17.
n c. 22. 23.
o Eccl. 7. 23. c. 33. 31.
p ibid. c. 7. 28.
q c. 37. 15. 16.
r l. 14. epist. 16.
s Epist. 15.
t Hora. 2. carm. ode 17.
u l. 1. ode 3.
x 2. ethic.
y in Lælio, & 7. epist. in 5.

tiam æqualitatem eſſe, vnámque animam, amicum alterum ipſum. Sapiens[a] affirmat quod vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit quàm frater: Item[b] *ſi amicus permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis, ὡς σύ, ſicut tu:* &[c], *qui inuenit illum, inuenit theſaurum; & ei nulla eſt comparatio;* &[d], *non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius:* &[e], *eſt medicamentum vitæ & immortalitatis:* &[f], *qui metuunt Dominum, inuenient illum: & habet*[g] *amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicitia illius.* Denique vt infinita omittam alia, quæ de amicitia dici poſſent, non defuit qui præciperet[h]

ἴσον θεῷ σοὺ τοὺς φίλους τιμᾶν θέλε:
Honora amicos tuos, tanquam honorares Deos.

Vt non immeritò in poſtremum locum coniicere poſſimus coniectum hîc amicum qui ſit talis quem diligat quis vt animam ſuam. Hoc enim propriè nihil maius dici poteſt, ſuperátque amorem fratrum, filiorum, vxoris, immò & parentum; quamuis recta ratio ordinem alium conſtituat ſecundùm æſtimationem. Dubitat Plutarchus[i] rectène dictum ſit ab Heſiodo,

μηδὲ κασιγνήτῳ ἶσον ποιεῖσθαι ἑταῖρον:
Nec fratri facias æqualem prorſus amicum;

tamen aſſerit amicitiam rem dulciſſimam ſanctiſſimámque eſſe, qua vna poſt ſolam virtutem nihil homini melius vel natura, vel caſus, vel ſtudium dedit: ac licèt dulces fatendi ſint parentes, aui, filij, fratres, vxores; poſſe amareſcere, nec ideo parentes, fratres, filios eſſe deſinere: at amicum ſolum, dum ſit verus, dulcem & carum eſſe non deſinere. Chryſoſtomi eadem alicubi[k] ſententia, aliquando apparuiſſe amicos meliùs ac ſynceriùs affectos, quàm fratres inuicem, & quàm filios in parentes; & qui fuit genitos opem non tuliſſe; qui autem eum non cognouit, adfuiſſe, atque opem tuliſſe. Tandem iuxta tritum ſermonem, anima ibi magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, *καὶ ἐν ἀλλοτρίῳ σώματι ζῇ, in alieno corpore viuit,* vt ait citatus Plutarchus[l].

Clam dicens] Cyprianus[m] (*latenter.*) Quamuis non eſſet adeò publica & manifeſta idololatriæ perſuaſio, & impudens, poterat occulta & clancolaria plurimum nocere, ac interdum plus quàm illa. Meminit Staphylus[n], Lindanus[o], Prateolus[p], Clanculariorum ex Anabaptiſtica ſecta; ſatis eſſe ſi ipſimet clam quid credát, ſciant, palam confiteri opus non eſſe: quíque nulla intrantes templa, domi ſe ſuóſque docent, aut in hortis; vnde & Hortenſes cognominantur. Sapienter hiſce annis indictum Apoſtolica auctoritate ſeu Pontificia, publicè ſilentium: deinde etiam priuatim, quia illud non ſufficiebat, circa doctrinam & opinionem abhorrentem ab omnino communi, quòd B. Virgo in originali peccato ſit concepta.

Eamus, & ſeruiamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui.] Verſu 2. (*eamus & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis.*) Vbi editiones quoque reliquæ conueniunt: niſi quòd Hebræa & Chaldæa habent hîc dumtaxat (*eamus*) & non (*poſt*) item pluraliter ſicut & Græca (*quos non noviſtis:*) nulla verò ex iis addit (*patres.*) In cap. 32.[q] *noui recentéſque* (Dij) *venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Difficile erat clàm, latentérque cultum nouum ſuadere. Refert Cyprianus[r] citans præſentem locum hæc ſolùm verba (*eamus & ſeruiamus Diis aliis, Diis Gentium,* omiſſis aliis quæ hîc poſuimus, quæque continentur ſequenti verſu. Apud Tertullianum[a] (*Eamus & ſeruiamus Deis aliis quos non ſcis, nec patres tui.*)

Cunctarum in circuitu gentium quæ iuxta vel procul ſunt, ab initio vſque ad finem terræ.] Pro initio & fine repetunt editiones aliæ nomen extremi קצה *ketſeh*, סוף *ſuaphe* ἄκρ. Ponunt etiam rurſus nomen Deorum, aut idolorum. In Tertulliano[b] eſt (*ex Deis nationum quæ circumcirca proximè ſunt, aut longè*) in Cypriano[c] autem, vt dixi, hæc omittuntur, ac ſolùm ponitur (*Diis gentium.*) Generaliter prohibitam vult idololatriam cuiuſcumque falſi Dei ſiue qui à Chananæis culti fuiſſent, quorum terram ingreſſuri non erant Hebræi, ſiue à quibuſlibet aliis quantumuis remotæ regionis, ad morem magis quam ad rem, non quòd ea religio Deo grata eſſet, vt apud Auguſtinum[d] loquitur Seneca, citantem librum ipſius contra ſuperſtitiones; ſed quia in metu & officio ſic populi continebantur, vt dixiſſe Pontificem Scæuolam[e] idem teſtatur; & ſtaret, floretétque reſpublica, copiis referta, victoriis glorioſa, pace ſecura. Initio coaluit religione vnica, nec paſſus eſt Senatus euulgari Numæ libros quos defoſſos repererat, quòd priſtinæ repugnarent religioni[f]: poſtea ex deuictis vrbibus numina earum euocauit[g]. Cecinit id Prudentius diſputans contra Symmachum[h].

Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
Sanguinis Hectorei populum, probo, tempore longo
Non multos coluiſſe deos; rariſque ſacellis
Contentum, paucas poſuiſſe in collibus aras.
Innumeros poſt deinde Deos virtute ſubactis
Vrbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
Et captiua domum venerans ceu numina vexit.

Non acquieſcas ei, nec audias.] Græcè (*οὐ συνθελήσεις αὐτῷ, non conſenties ei*) vt legit Cyprianus[i]. Tertullianus[k] (*ne velis ire cum illo.*) Fortaſſis legeret *συναλθήσεις* paululum immutatis literis. Pro vltimis vocabulis prior (*& non exaudies eum,*) poſterior (*& ne exaudieris eum.*) Inhibetur internus animi conſenſus voluntáſque: & ne quis talem auſcultet, ſed vocem & ſalutationem refugiat. Poſſet quoque primum reddi (*non voles illi*) videlicet bonum.

Neque parcas ei oculus tuus.] In editionibus aliis apúdque Tertullianum & Cyprianum ſæpiùs citatos (*ſuper eum*) id eſt, ne impertiaris externum prorſum fauorem, miſericordiam, auxilium. Oculi enim videntes alicuius miſeriam ſolent, inquit Oleaſter, ad miſericordiam prouocari. Eadem phraſi dixit Dauid Saüli, quem poterat ſi vellet, occidere, *Ecce*[l] *hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca: & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* Extat præterea ſæpiùs in Ezechiele[m]: item cap. 7.[n] libri noſtri; adhæc in libro Iudith[o], Eſaiæ[p]. Ex illo cap. 7. noſtri libri repete quæ ſatis fusè diſſerui. In apocrypho Eſdræ libro 4.[q] dicitur dextera non parcere.

Vt miſerearis.] Videtur expoſitio præcedentis membri, quaſi quòd non parcat oculus, idem ſit atque non miſereri. Seiungunt editiones aliæ (*non parcet oculus tuus ſuper eum, & non miſereberis in eo.*) Diſtinguit quoque Tertullianus[r] (*non parcet oculus*

Marginal notes (left column): a Prou. 18. 24. — b Eccl. 6. 11. — c v. 14. — d v. 15. — e v. 16. — f ibid. — g v. 16. — h in ſenten. Tragicis & Comicis. — i de amore fraterno. — k hom. 1. in ep. ad Col. — l in M. Anton. — m de exhor. mart. c. 5. — n lib. de Lutheranorum conc. — o Dubitácij Dialogo 2. — p in elencho hæreſum. — q v. 17. — r de exhor. mart. c. 9.

Marginal notes (right column): a Scorp. c. 2. — b ſuprà. — c ſuprà. — d 6. de ciu. c. 10. — e l. 4. c. 14. — f Liuius, Val. & alij. — g Macrob. l. 3. c. 9. — h l. 2. — i ſuprà. — k ſuprà. — l 1. Reg. 24. 11. — m c. 5. 11. c. 7. 4. 9. c. 8. 18. c. 9. 5. 10. c. 16. 5. — n v. 16. — o c. 2. 6. — p c. 13. 18. — q c. 15. 22. — r Scorp. c. 2.

 oculus

a de exhor. mart. c. 5.

oculus tuus super eum, nec misereberis.) Cyprianus[a] autem omittit. Oleaster inter verbum præcedentis membri חוס *chus*, & præsentis חמל *chamal* non agnoscit discrimen: eandémque Paguinus in thesauro videtur vtrique tribuere notionem: nisi quòd חוס *chus* sit quasi חשׂף *thasab tegere*, denotétque obtegere oculos genis seu occludere & conniuere, vt fit cùm alicui rei aut personæ parcitur: חמל *chamal* affectu siue commiserationе moueri in aliquem, licèt aliter mereatur. Græcè in libris Sixtinis *οὐκ ἐπιποθήσεις ἐπ' αὐτῷ, non desiderabis super eum*: sed in Complutensibus & Regiis *οὐκ ἐλεήσεις ἐπ' αὐτῷ, non misereberis super eum.*

Et occultes eum.] In cæteris editionibus separatim (*& non occultabis eum*) quod citati Tertullianus, atque Cyprianus legunt (*nec*, aut *& non celabis eum.*) Non modò neganda misericordia est, ne talis iuuetur consilio, aut ope, vt liberetur à morte; verùm etiam occultatio, vel ne peccatum quis eius excuset, imminuat, extenuet; dissimulet, obtegat; cúmve in tuto clam subducat vt non capiatur: vel vt non protegat. Scribit Oleaster solere Iudæos non statim rapere damnatum ad supplicium, sed ad diem noctémque seruare, immò vsque ad supplicij horam, vt interea si quis pro eo afferre aliquid posset, liceat ei adire iudicem: hoc autem beneficium negari ei qui prouocasset populum ad idololatriam: atque hac de causa dici à nonnullis tantopere festinatum circa mortem Christi, quoniam pseudopropheta habebatur. De dicto quidem more non constat: in Christi morte festinatum docet Euangelica historia, nec habitam rationem festi, quod grauior causa dilationem pati non videretur: aut quia concitatior erat plebis ardor amentiáque, & potestas vigebat tenebrarum, id est, diaboli, religionem omnem contemnentis. Infert Hugo peccatum hæretici non occultandum; citans præterea ex Ezechiele[b]: *cúmque viderint os hominis* (obduratum) *statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud*, item ex Matthæo[c]; *dic Ecclesiæ.*

b c. 39. 15.

c c. 18. 17.

Sed statim interficies.] Hebraicè, Chaldaicéque (*sed occidendo*, vel *occidens occides eum*, כִּי הָרֹג תַּהַרְגֶנּוּ *chi harog thaharghennu*: אֲרֵי מִקְטַל תִּקְטְלִינֵּיהּ *are miktal thiktelinneh.*) Ex qua formula colligit Ioseph[d] Stephanus, propriis manibus eius quem pseudopropheta seducere vellet, occidendum fuisse, si crimen exigeret. Consecutio necessaria non est; nec aliud valet occidendo occidere, quàm omnino occidere, siue propriis id quis manibus faciat, siue per alium iuris ordine seruato. Abulensis certè declarat vt quis accuset, quia per seipsum non potest interficere, ac paulò pòst hic subditur vt populus totus occidat; quod non potest, inquit, intelligi, nisi de publicè cõdemnato. Si quod præcipitur, vt accusator super caput rei lapidãdi primus manus ponat, manibus propriis occidere est, concedo, sed id præcisè non importat occidendo occidere, vt dixi. Rickelius item notat præcedere debuisse accusationem, diiudicationem, probationem, nisi reus fateretur, aut euidentia facti esset pro testimonio. Hunc sensum de ordine viáque iudicij & accusationis, denunciationísve, L X X. secuti sunt, reddentes loco (*statim interficies*) *ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς περὶ αὐτοῦ, annuncians annunciabis de eo*, siue *illo*, vt legunt quoque Tertullianus[e], Cyprianus[f], Deusdedit[g] Calaritanus; id est, quàm primùm deferes, denunciabis, accusabis, vt scilicet damnatus interficiatur.

d in 1. Macha. 2. v. 24. & 25.

e Scorp. c. 2.
f de exhor. marty. c. 5.
g in concil. Lateran. sub Mart. I. secret. 5.

Vers. 9.] Sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum.

Vers. 10.] Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo seruitutis:

Vers. 11.] Vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quippiam huius rei simile.

PARAPHR.

TAntum abest vt pseudopropheta seductor, quantauis necessitudine sit coniunctus tibi, audiri debeat, vel ei parcere possis, vel dissimulate peccatum ipsius; vt ilicò in ius vocare te illum oporteat, datáque mortis sententia; & decreto supplicio lapidationis, primum iacere lapides in eum, sequente post te populo, qui lapidibus hominem obruat; communísque Domini vlciscatur iniuriã aduersùs eum qui à cultu tam potentis, támque benefici Dei, ac liberatoris de seruitute Ægypti durissima, non dubitauerit abstrahere te; vnde cæteri simul tali exemplo & animaduersione discant, nihil vnquam tale audere; sed vehementer perhorrescant. Maximo malo, quod est velle à Deo abstrahere hominem, pœna debetur maxima, inquit Abulensis; ab omni autem populo infligenda, vt communis Domini vindicetur iniuria: & inflictio pœnæ vtilis est aliis, vt arceantur metu à peccando: vt à punito tuti reddantur: confert pœnam toleranti, vt si citra mortem sit, emendetur: si mors inferatur, peior non euadat, nec plura in inferno luat: conducit ad rectum ordinem instituendum, vel restituendum, cui peccatum repugnat. Memini non semel Tauri Philosophi distinguentis apud Gellium[a] *τιμωρίαν* cùm animaduertitur in aliquem ob tuendam læsi *τιμήν*, dignitatem, honorem, auctoritatem: *νουθεσίαν* vel *κόλασιν*, vel *παραίνεσιν*, cùm pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, vt is qui fortuitò deliquit, attentior fiat, correctiórque: *παράδειγμα*, cùm propter exemplum necessaria est animaduersio, vt cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur; ita vt etiam Latinè exempla pro maximis grauissimísque pœnis dicantur. Sed ex Platonis Gorgia idem Gellius duas solas puniendi causas refert propter corrigendum, & propter exempli metum, *τιμωρίαν* accipiendo promiscuè pro omni punitione, quasi secundam pœnæ sumendæ causam omnino paruam contemptúque dignam censuerit: aut rei quam dicebat, hoc est, pœnæ post vitæ tempus capiendæ, non necessariam. At illa mihi causa de sarciendo honore præsertim Dei, & quidem etiam in futura vita, plurimi videtur facienda. Et si verum dixit Seneca[b] quòd omne pœnæ genus remedij loco admouetur: & in omni animaduersione seruandum, vt altera adhibeatur vt emendet malos, altera vt tollat: item[c] vt qui punitur, emẽdetur; vt pœna eius cæteros meliores reddat: vt sublatis malis, securiores cæteri viuant. Boëtius[d]

a l. 6. c. 14.

b 1. de ira c. 16.
c 1. de clem. c. 22.
d 4. de consol. prosa 4.

improbos

improbos iudicat infelicissimos, quorum malitiam saltem mora extrema non finit: feliciores supplicia luentes, quàm si eos nulla iustitiæ pœna coërceat: corrigi vtique prauos mores: ad rectum supplicij terrore deduci; cæteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi: infeliciores tamen esse impunitos, etsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli; quia per se mali miseri sunt; miseriores si nec id iis bonum accedat ex pœna, quæ ratione iustitiæ bona est; mala verò ipsa impunitas iniusta. Quod ex eodem Platonis Gorgia petitum videtur. Augustini [a] item sententia est, cùm in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum esse quod impunita non est: quia hoc est iustum, & omne iustum procul dubio bonum; nec quisquam de vitiis naturalibus, sed de voluntatiis pœnas luit. De lapidationis porrò pœna egimus in commentatio Actuum [b] Apostolorum, Leuitici [c], Numerorum [d], ac de ritu imponendi manus super lapidandi caput.

a 11. de ciu. c. 3.
b in c. 7. 58.
c in c. 20. 2. & seq. & 27.
d in c. 14. 13. 14. 35.

Sed statim interficies.] De his verbis diximus præcedente versu in fine, tum quod ad variam lectionem attinet, tum quod ad rem ipsam.

Explanatio.

Sit primùm manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum.] In Tertulliano [e] (*manus tua erunt in eum in primis ad occidendum; & manus omnis populi in nouissimis.*) In Cypriano [f] (*manus tua erit super eum in primis interficere eum, & manus omnis populi postremò.*) Hæc sonat Græcus textus, καὶ ἡ χεὶρ σου ἔσται ἐπ' αὐτὸν ἐν πρώτοις ἀποκτεῖναι αὐτόν, καὶ ἡ χεὶρ παντὸς τοῦ λαοῦ ἐπ' ἐσχάτῳ. Sed Biblia Sixtina habent αἱ χεῖρες pluraliter, & priore loco plurale verbum ἔσονται. Rationem istius titus petas ex citatis alus commentariis nostris. In cap. 17. [g] libri præsentis in simili præcepto de lapidando idololatra est, vt eductum ad portas ciuitatis manus testium prima interficiat, & manus reliqui populi cæterma mittatur. Hinc rectè Abulensis argumentatur, quod dictum est statim interficiendum fuisse Pseudoprophetam seductorem, intelligi debere ordine seruato iuris. Manum verò esse vel mitti (quod est verbum Interpretis) super aliquem, notat idem Abulensis; aliquando in partem bonam accipi, vt cum facta scribitur manus Domini super Eliseum vt propheteret coram Ioram [h]. Adde factam manum Domini super Ezechielem [i]: & super virum dexteræ Dei [k]. Cæterùm abuti videtur loco isto Christophorus [l] Sanctotisius, quasi esset de supplicio ignis, quo plecti iustè hæreticos probat. Cùm Scribæ & Pharisæi adduxissent in adulterio deprehensam ad Iesum, vt iuxta legem lapidaretur, & perseuerantet interrogarent quid ipse diceret, dixit; *qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat* [m]. Ibi Maldonatus videtur non recipere opinionem quòd in criminibus quæ maximè lædere rempublicam poterant, iidem qui primi peccatum deprehendissent, & accusatores, & testes, & iudices essent, & si lapidandi rei essent, ipsi in eos primi lapidem mitterent; huc que Christum allusisse; nec enim id vllo testimonio probari; sed si eò Christus alludere voluisset, dicturum non fuisse, *qui sine peccato est vestrùm*; sed, *qui primus eam in adulterio deprehendit*, ne quid contra consuetudinem Iudæorum legémve faciendo, ansam nouarum contra se calumniarum daret. Respondere nihilominus potest cùm ea præsenti loco, & ex cap. 17. satis apertè colligatur mitti primùm debuisse reum manus ab eo, aut certè licuisse,

e Scorp. c. 2.
f de exhor. marty. c. 5.
g vers. 7.
h 4. Reg. 3. 15.
i c. 1. 3.
k Ps. 74. 18.
l in Mat. 7. pag. 625.
m Ioan. 8. 3. & seqq.

qui detulisset seu denunciasset, ad eos locutum Christum qui deprehensam adulteram adduxerant, vt quia plures erant, primus id faceret, qui sibi sine peccato esse videretur. Fabricius [a] quidem Paulutius perhumanus amicus noster iuxta ordinem legiand à Christo dictum sentit: Brugensis [b] non perpetuò obseruatum, permissum autem à Christo; & congruere vt testes secundùm quos iudicatur, primi sint, quo maior sit in testimoniis religio, ac ne quis temerè lingua damnare audeat, quem proprijs manibus occidere indicet sibi non liceret. Petrus [c] Vincentius Marzilla benè obseruat; quamuis dici posset hic in priore parte significari manum testis esse debere super seductorem, approbando sententiam interfectionis; quia præcipuus auctor eius fuerit: quemadmodum cùm quis hostiæ capiti quam offerret, manum imponebat, reliqui populi manus super eumdem, ad percutiendum; sicut quando Abraham eleuauit suam super filium Isaac, vt immolaret [d]: nihilominus de vtrisque intelligi lapidationem; quoniam in cap. 17. [e] quod prius quoque citauimus, præcipitur simili sententia, vt manus testium prima interficiat, & manus reliqui populi extrema mittatur. Vatablus sic etiam explicat & passim alij.

a comment. in Euang. c. 84.
b in Ioan. 8.
c hoc loco.
d Gene. 22. 10.
e vers. 7.

Lapidibus obrutus necabitur.] Secundùm editionem Hebræam, & Chaldæam (*& lapidabis eum in lapidibus, & morietur*, nempe erit, siue *moriatur*) id est, ita vt moriatur: secundùm Græcam (*& lapidabunt eum in lapidibus, & morietur*, καὶ λιθοβολήσουσιν αὐτὸν ἐν λίθοις, καὶ ἀποθανεῖται.) Vbi est paronomasia verbi & nominis: in aliis editionibus verba omnino diuersa à nominibus סקל *sakal*, & רגם *regam*. Tertullianus [f] (*& lapidabitis eum, & morietur.*) Cyprianus [g] (*& lapidabunt eum, & morietur.*) Alibi exstat eadem phrasis obruendi lapidibus [h], vel opprimendi [i]: & absolutè lapidandi [k], & lapidandi lapidibus: & mittendi lapides [l]: aliquando [m] autem additur sic vt moriatur qui lapidatur, aut vt mortuus lapidetur. Fertur à nonnullis capitalis hoc etiam tempore sententia, vt quis ita suspendatur ut stranguletur ita vt moriatur. Hugo cum Glossa interlineari tropologicè lapides accipit de duta obiurgatione, fortique sententia: & affert ex Ecclesiastico [n]; *in lapide luteo lapidatus est piger*. Deus dedit [o] Calaritanus de paternis, robustis, & probabilibus verbis veritatis, atque dogmatibus.

f Scorp. c. 2.
g de exhor. marty. c. 5.
h Leuit. 20. 27. c. 24. 23. Num 15. 35. 36. Deut. 17. 5. c. 22. 21. 24. Exo 8. 26. c. 21. 28. 29.
i Exod. 19. 13. c. 21. 32. Leu 24. 16. 23. Num. 14. 10.
k Exo. 17. 4. Leu. 20. 2. c. 24. 14. Ios. 7. 25. 3. Reg. 30. 6. lib. 3. 12. 18. c. 21. 10. 14. 15. 2. Par. 10. 18.
l Eccli. 22. 1.
m Mich 4. 21. Mat. 21. 35. c. 23. 37. Luc. 13. 34. c. 20. 6. Ioã. 8. 5. c. 10. 31. 32. 33. c. 11. 8. Act. 5. 26. c. 7. 58. 59. c. 14. 5. 19. 2. Cor. 11. 25. Hebr. 11. 37. c. 12. 20.
n Eccli. 22. 1.
o in concil. Later. sub Mart. I. ieretario 3.

Quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.] In editionibus aliis (*quæsiuit*:) quo modo etiam Tertullianus atque Cyprianus legunt, vtentes præterea verbo (*auertere*:) quòd vt minus est quàm abstrahere, ita plus quærere, quàm velle. Versu 5. affinis formula (*vt vos auerteret à Domino Deo vestro.*) Vbi Hebraicè & Chaldaicè sunt nomina rebellionis siue præuaricationis; Græcè verbum πλανῆσαι, *errare facere*: hic ἀποστῆσαι, *auertere*, quasique apostatam facere. Vsus est Interpres abstrahendi verbo, vbi est ἀφέλκω, & faciendi apostatare [p], vbi ἀποστῆσαι: nomine verò apostatæ [q], & inutilis, vbi ἀνὴρ ἄφρων καὶ παράνομος, *vir insipiens & iniquus*, Hebraicè אדם בליעל איש און *adam belisahbal is auen, homo Belial* (de quo postea) *vir iniquitatis*, Chald. גבר נש שלמא גברא עולא *bar nas teluma gaura bhaula, filius hominis calum niator vir iniquitatis*: apostatæ simpliciter [r], vbi Græcè verbum παρανομεῖ, *inique agis*, Hebraicè dictum nomen Belial, Chaldaicè nomen רשיעא *rasschha, impius*: denique nomine gentium apostatarum

p Deut. 13. 13.
q Prou. 6. 12.
r Iob 34. 18.

a Ezec. 2. 3.

statrienm[a], vbi גּוֹיִם הַמּוֹרְדִים goim hammoredim, הֲמַמְרִים סַרְבָּנַיָּא hhamemaua sarbanaia, παραπικραίνοντες, rebelles, aut amaricantes. Generaliter ἀποστάτης, apostata significat eũ qui deficit facitve secessionem qui, defector est siue desertor ac transfuga. Sic *initium superbiæ hominis est apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius*[b]: &, *mulier ac vinũ apostatare faciunt sapientes*[c]. Dionysius, teste Budæo[d], appellat ἀποστατικὴν πληθὺν, *fugitiuas copias*; & Nazianzenus ἀποστατικὰς δυνάμεις, *transfugas virtutes*. Hic[e] verò cognominat Iulianum Imp. apostatam; quoniam defecit à religione Catholica. Quæ acceptio extenditur ad religiosi habitus desertorem. Iuxta præcedentem verò notionem requiritur vt quis nomen Christianum penitus deserat, ac omnino recedendo à fide semel conuertatur ad sectam falsam, vt Iudaismi, vel Paganismi; aut etiam ad atheismum; siue dicendus is sit etiam hæreticus, nec specie differant hæresis & apostasia, siue solùm differant secundùm magis & minùs: possitque talis defector nominari verus hæreticus: de qua re disputant Theologi ad 2.2. quæst. 12. art. 1. præterea Canus[f], & alij. Secundo modo apostata est, qui recedit à monasterio animo ac voluntate iugum obedientiæ in perpetuum excutiendi, ac deserendi religiosum institutum, siue dimittat habitum religiosum, siue non dimittat; religiosum, inquam, institutum propriè sumptum, quale est non solùm per professionem solemnem, verùm etiam per simplicia vota in societate nostra post biennium nouitiatus emissa, vt decidit Gregorius XIII[g]. Sed his omissis nihil grauius, molestius, perniciosius contingere potest, quàm vt quis abstrahat te à Deo tuo; quemadmodum nihil gratius, iucundius, melius, quàm te adhærere Deo tuo[h]. *Scito & vide*, ait Ieremias[i], *quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Michas ablatis idolis suis cùm ei diceretur, *quid tibi vis? cur clamas?* respondit; *Deos meos quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi est*[k]? Salubris admodum cogitatio aduersùs peccandi cogitationem consiliúmve, abstrahi peccato te à Domino Deo tuo, eripi per id illum tibi: & cùm si quis intentato ad iugulum gladio minaretur mortem, nisi vel negares Deum, quodvis aliud crimen admitteres, paratum te mori profitearis potius quàm consentire: cur non idem respondes constanter tibi ipsi, cùm subit cuiusvis suggestio peccati?

Apostata quis.

b Eccl. 10. 14.

c cap. 19. 2.

d cõm. ling. Græc. pag. 473. & 474.

e ora. 1. cõt. Iulianum.

f 12. de locis c. 9.

g extrau. Ascendente Domino.

h Ps. 72. 28.

i c. 2. 19.

k Iudic. 18. 23. 24.

Qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Similia præcesserunt versu 5. prætereuntur autem à Tertulliano & Cypriano recitantibus præsentem locum.

Vt omnis Israel audiens, timeat.] Nec versiculum hunc Patres illi proferunt. Complutenses ac Regij codices habent (*vt &*) Hebræus Chaldæusque textus (*audient & timebunt*) Græcus (*& omnis Israel audiens timebit*, καὶ πᾶς Ἰσραὴλ ἀκούσας φοβηθήσεται.) Ipsa per se tam atrox publicè illata pœna metum incutit, éstque, vt antè docui, παράδειγμα & exemplum; sed tanto magis eo modo illata qui hîc dicitur, nimirum à toto populo, qui sic sæuiendo in alium, horrorem faciliùs concipiebat. Causa similis traditur cap. 17.[l]

l vers. 13.

Et nequaquam vltrà faciat quippiam huius rei simile.] Secundùm reliquas editiones, *& non addent* (Græcè ἔτι, *adhuc*) *ad faciendum iuxta verbum hoc malum in medio tui* (Græcè ἐν ὑμῖν, *in vobis.*) Vbi rem Interpres pro verbo posuit, quam significationem habet frequenter verbum Hebraicè, nec rarò sic etiam ab eodem Interprete exponitur. Non vltrà facere, seu non addere ad faciendum de omni Israël dicitur, quamuis vnus tantùm id fecisset de quo hic agitur, hoc est, seducere ac abstrahere à Domino Deo aliquem voluisset: quoniam quolibet velut membro populi peccante censebatur vniuersus populus peccare: & si quis alius postea peccaret, addere peccatum nouum. Alioqui propriè idem met qui priùs peccauit, iterum peccando, addere dicitur peccatum, seu adiicere[a], aut eiusdem, aut diuersæ rationis.

a Iob 34. 37. Eccl. 5. 29. c. 5. 8. c. 19. 13. 14. c. 20. 1. Esa. 1. 5. c. 30. 1. Osee 13. 2. 1. Par. 28. 13.

Vers. 12.] Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

Vers. 13.] Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & seruiamus Dijs alienis quos ignoratis:

Paraphr.

QVod præceptum antea fuit de vno aliquo pseudopropheta seductore, atque idololatriam suadente lapidando, id nunc de pluribus præcipitur istis ac sequentibus versibus, vt si compertum fuerit reipsa commissam idololatriam, seuerissimè in totam ciuitatem animaduertatur, quemadmodum dicti sequentes versus distinctius explanant. Tertullianus[b] porrò paraphrasticè videtur locum hunc sic descripsisse post citatam præcedentem sententiam. *Subiicit etiam*, ait, *de ciuitatibus, si quam ex his constitisset suasu iniquorum hominum transisse ad Deos alios, vt interficerentur omnes incolentes eam, & deuotamenta fierent vniuersa eius, & colligerentur omnia spolia eius in omnes exitus eius, & igni cremarentur cum omnibus vasis suis, & cum omni populo in conspectu Domini Dei. Et non erit habitabilis*, inquit, *in æternum, non reædificabitur ampliùs, nec adhærebit quidquam manibus tuis ex deuotamento eius, vt auertatur Dominus ab indignatione iræ suæ.*

b Scorp. c. 2.

Explanatio.

Si audieris in vna vrbium tuarum.] Græcè (*si autem* ἐὰν δὲ.) Cyprianus[c] dicens, hîc dici nec ciuitati parcendum, etiamsi vniuersa consenserit ad idololatriam (*aut si audieris in vna ex ciuitatibus.*)

c de exhor. mart. c. 5.

Quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum.] Additur in editionibus alibi (*ibi*, שָׁם *scham*, שָׁמָּן *thamman*, ἐκεῖ) & Cyprianus legit (*inhabitare te illic.*)

Dicentes aliquos.] *Aliquos* adiecit Interpres, & Hebraicè, atque Chaldaicè est (*dicendo*) לֵאמֹר *lemor*, לְמֵימַר *lememar*, Græcè λεγόντων, legitque Cyprianus tantùm (*dicentes.*) Idiotismus Hebræus est (*audire dicendo*) hoc est, audire cùm dicitur, aut dicentes.

Audire dicendo quid.

Egressi sunt.] Omittit Cyprianus hoc & sequentia vsque ad (*eamus*, &c.) Benè verò Abulensis monet non dici egressos, quasi de terra recesserint; quia si recessissent, non subuertetent terram, prouocando ad idololatriam; sed surgere, vel magis propriè incipere; & egredi ac surgere in sacra Scriptura secundùm morem loquendi Hebraicum, significare inceptionem alicuius actus in eo, qui antè non faciebat aliquid tale. Exempla verbi surgendi multa dicit esse (tale initio istius capitis) de verbo egrediendi esse illud

Egredi ac surgere quid in Scriptura.

in

in Exodi cap. 2. [a] vbi scribitur egressus post hæc vir de domo Leui, & accepisse vxorem stirpis suæ, quæ concepit & peperit filium, id est, vxor Amram filium Mosem; qui Amram egressus dicitur, id est, cœpisse cognoscere vxorem suam, quam à multis antè diebus non cognouerat. Philo Biblicus ait significari quòd tunc vxorem acceperit, quamuis Pharao nolle videretur, sed Hebræos opprimere. Quamquam ex loco Exodi verbum Hebræum præfixa coniunctione וילך *vaielech*, & Chaldæum ואזל *vaazal*, significat *abiit*, & Græcum ἦν, *erat*: nec (*post hac*) sunt in aliis editionibus.

Filij Belial.] Præponunt editiones aliæ (*viri*) & pro *filij Belial*; quod Hebraicè scribitur בליעל *beliiahhal*, dicuntur Chaldaicè (*filij impietatis* בני רשעא *bene risciehha*) Græcè absque vocabulo filiorum (*viri iniqui*, ἄνδρες παράνομοι.) Iniquos Tertullianus [b] videtur interpretatus: Græcúmque nomen valet exleges, perditos, sceleratos; peruersos, prauos, &c. Abulensis Hebræum de mutuùm apostatis, ita vt Belial sit apostata, & huius filij multum apostatæ, sicut filius inobedientiæ vocatur inobediens: dicantúrque apostatæ, qui à religione vel cultu Dei incepto retrocedere faciunt. Adde qui, vt antè dixi, retrocedunt ipsi: omisso nomine apostatæ, de quo satis nuper actum, vsurpat nomen Belial editio nostra pluribus [c] aliis locis. Eugubinus hoc loco notat quid eo nomine significetur numquam serè Interpretem in edendo explicuisse: ac solitum ea nomina, quorum multiplex dubiáque sententia sit, ea vt habentur Hebraicè non immutare, vt est, inquit, nomen ligni Sethin; ne si vno modo transferret, respuere aliorum in eo sententias videretur. Tum subiicit nomen Belial alios velle significare hominem inutilem à בלי *beli non*, & יעל *iahhal prosunt*: quosdam opinari esse nomen dæmonis à בלי *beli*, & יעל *iahhal ascendet* (ex עלה *hhalah*, videlicet elidendo literam vltimam futuri יעלה *iahhaleh*, vel ex עלל *hhalal*, quod idem valet) quia nos ascendere sursum non permittit (adde quoniam numquam proficit, aut prospera vtitur fortuna, aut assurgit ad virtutem; & diabolus vnde descendit numquam ascender, quidquid Origenes dixerit.) Adhæc ait à Hieronymo interdum exponi filios Belial, id est, filios diaboli: atque in hoc omnes ferè Hebræos consentire; vt nempe denotentur homines maligni, pessimi, impiissimi, quibus tanquam suorum scelerum ministris vtatur diabolus. Omisit aliam deriuationem à עול *hhol* iugo cum negatione בלי *beli*, vt sit impatiens iugi, iniugis, indomitus, excutiens iugum legis (quo iugi nomine lex vocari solet [d], & à Rabbinis iugum cœli) *confringens iugum, dicénsque, non seruiam* [e], &, *quis est Dominus* [f]? &, *nescio Dominum* [g]; quod contumacis peccatoris verbum est: præsertim verò eius, qui ab initio in veritate non stetit [h], velut apostata rebellis Domino. Hieronymus [i] porrò Belial tribuit diabolo, explicatque apostatam, præuaricatorem, absque iugo hoc vltimum editio nostra expressit in libro Iudicum [k]: citans ex Apostolo [l]; *quæ communicatio Christi ad Belial*: addensque vbicumque LXX. posuit filios pestilentiæ, in Hebraico scribi filios Belial: & quod in Psalmo [m] canitur de mysterio S[illegible]tis; *filius iniquitatis non apponet nocere ei*, in H[illegible]o dici filium Belial. At ibidem monui fo[illegible] lapsum in Hieronymo memoriæ fuisse, quoniam non est בן־בליעל *ben beliiahhal*, sed בן־עולה *ben hhaulah*. Apud Nahum [a], *non adiiciet vltra vt pertranseat in te Belial* [b], idem declarat præuaricatorem, Græcéque ἀποστάτην, hócque valere בליעל *beliiahhal*, vbi Chaldaicè plurali numero sunt impij רשיעין *rasscihhin*. Tandem quod ex eodem retuli paulo antè reddi à LXX. filios pestilentiæ pro filiis Belial, repetens [c], docet intelligi diabolum per pestilentiam, licèt plurimi pro Belial corruptè in Apostolo [d] Belian legant (quidam codices Hieronymi habent Beliar:) significare autem sine iugo & ab Aquila transferri apostatam. Filios Belial plerúmque in citatis superiùs locis reperimus à LXX. exponi υἱοὺς παρανόμων, *filios iniquorum*, & à Paraphraste Chaldæo *filios impietatis*, בני רשעא *bene risbha*: vel pro vna de filiabus [e] Belial θυγατέρα λοιμήν, *filiam pestilentem*; υἱοὶ λοιμοί, [f] *filios pestilentes*: nonnumquam pro viro Belial [g] ἄνδρα παράνομον, *virum iniquum*; & Chaldaicè גבר רשיע *ghebar rasciahh*: vel ἄνδρα λοιμόν, *virum pestilentem* [h]: pro torrentibus [i] Belial χειμάῤῥοι ἀνομίας: *torrentes iniquitatis* (ibi versio Psalmi 17. Hieronymi habet *diaboli*, & apud Treuetum Belial:) filios diaboli [k], & υἱοὺς παρανόμων, *filios iniquorum*, vbi sunt Hebraicè filij Belial: viros diabolicos [l], vbi Hebraicè quoque filij Belial, sed Græcè ἄνδρας ἀποστασίας, *viri apostasia* seu *rebellionis*. Item pro verbo Belial editio nostra habet verbum iniquum [m]: cùm qui mente pertractat præuaricationem [n], vbi est יעץ בליעל *iohhets beliiahhal*, βουλευόμενος ἐναντία, *consultans contraria*: impia cogitatio [o], ibi דבר בליעל *dabar Beliiahhal*, ῥῆμα ἀνόμημα *verbum, quod est iniquitas*. Denique in 2. epist. ad Corinthios cap. 6. [p] *quæ conuentio Christi ad Belial?* scribitur Græcè Βελιάλ, sed Syriacè סטנא *satana*. Disputant de hoc nomine ex nostris accuratè Ioannes [q] Ferdinandus, Franciscus [r] Ribera, Martinus [s] Delrius, Ferdinandus [t] Quirinus de Salazar, Ludouicus [u] Ballester, Ioannes [x] Pineda, Benedictus [y] Iustinianus: ex aliis tum lexicographi Hebræi, tum qui Scripturas indicatas ad marginem explanauerunt: & Thomas [z] Maluenda in opere de Antichristo. Egimus & nos nonnihil in Psalmum 17. & 40. & ex aliis præterea lectu dignus est in cap. 6. Prouerbiorum Iansenius. Placet etymologia, quam dixi traditam ab editione nostra in libro [aa] Iudicum, id est, sine iugo; & recipitur communiter à בלי *beli non*, & עול *hhol*, *iugum*, ex עלל *hhalal*, quia Hebræi quando iugum imponitur, dicunt ascendere super collum bestiæ. Nec dissimilis notatio Oleastri hoc loco & Maluendæ à בלי *beli non*, & על *hhal super*, pro illo qui nullum supra se fert, nec patitur superiorem. Vnde sequitur בליעל non esse ipsum sibi radicem quinque literarum, vt Marinus [bb] Brixiensis docuit. Deinde rectiùs scribi בליעל *Belihhal* tribus syllabis, quàm בליעל *Beliiahhal* quatuor: semper enim vt trisyllabum acceperunt omnes Græci, & Latini, quamuis reperiatur quandoque scriptum Græcè non solùm Βελιάλ, vt scribi debet, sed etiam Βελιάρ, & Βελιάς, atque hoc vltimum Leo [cc] Castro dici velit, quasi בלי אור *Belior*, hoc est, sine lumine, & de diabolo, qui cognominatur princeps potestásve, aut rector tenebrarum [dd]. Ad hæc vbi agitur in annotatis locis immediatè de personis capi posse Belial pro diabolo, & filios Belial pro imitatoribus eius, quos ex patre diabolo Christus cognominat [ee]: cùm de rebus vt torrentes Belial (Latinè iniquitatis [ff]; verbum Belial (*iniquum* [gg]) cogitans aut dans consilium Belial

a verf. 2.
b Scorp. c. 2.
c Iudic. 19. 22. 1. Reg. 1. 16. c. 2. 12. c. 10. 27. c. 25. 17. li. 2. 16. 7. c. 20. 1. c. 22. 5. li. 3. 21. 10. 2. Paral. 13. 7. Nahum 1. 15. 2. Cor. 6. 15.
Belial quis.
Filij Belial qui.
d Eccli. 51. 34. Iere. 2. 25. Thre. 3. 27. Os. 7. 16. Mat. 11. 29. Act. 15. 10.
e Ier. 2. 20.
f Exo. 5. 2. Prou. 30. 9.
g Exo. 5. 17.
h [illegible] 8. 44.
i in [illegible] 7.
k c. 19. 22.
l 2. Cor. 6. 15.
m Ps. 88. 23.

a c. 1. 15.
b ibidem.
Diabolum pestilentia nomine exprimi.
c in c. 6. ep. ad Ephes.
d 2. Cor. 6. 15.
e 1. Reg. 1. 16.
f c. 2. 12. c. 10. 27. c. 25. 17. 2. Paral. 13. 7.
g li. 2. Reg. 16. 7.
h cap. 20. 1.
i c. 22. 5. & Ps. 17. 5.
k 3. Reg. 21. 13.
l ibidem.
m Ps. 40. 9.
n Nahum 1. 11.
o Deut. 15. 9.
p Nahum 1. 15.
q in Thes. script. verbo Belial.
s in Nahum 1. n. 44. & 45.
t tomo 1. adag. in 126.
t in Prou. 6. 12. nu. 82. & 83.
Tò Belial etymon.
u in onomatogra. verbo Belial.
x in Iob 34. 18. nu. 5.
y in 2. Cor. 6. 15.
z li. 1. c. 3.
aa c. 19. 22.
bb in area Noë.
cc vlt. apol. c. 243.
dd Ephes. 6. 12. Col. 1. 13.
ee Ioan. 8. 44.
ff 2. Reg. 22. 5. Ps. 17. 5.
gg Ps. 40. 9.

Belial (*mente pertractans prævaricationem* [a]) retinere habitudinem ad eumdem, à quo immittuntur, aut suggeruntur tentationes, verba & consilia iniqua, proindéque diabolica. Concedo autem Maluendæ [b] conuenire posse ad nomen Antichristi, cui Sibyllas [c], aut Epiphanium [d] tribuere asserit: at non verborum Apostoli [e], *quæ conuentio Christi ad Belial?* adeò legitimam interpretationem, aliis omissis, esse de illo, vt nullus cordatus ambigere possit, cùm è diametro, inquit, apponat Belial Christo, id est, Antichristum. De diabolo longè plures Apostolum intellexerunt, quibus certè cor non defuit. Discendum tandem, Christi siue filios siue fratres esse qui iugum tollunt ipsius mitis & humilis [f]; mites humilésque: diaboli filios & sodales qui regem super vniuersos filios superbiæ [g], sectantur superbi, & à Deo apostatant per superbiam [h]. De vtrorúmque filiorum discrimine citatus Delrius [i] ex Cæsario [k] Arelatensi, Macarióque [l]. Cæterùm suspicor in Nahum [m] quia LXX. transtulerunt (*διότι οὐ μὴ προσθήσουσι τοῦ διελθεῖν εἰς παλαίωσιν, quoniam non vltrà apponent vt pertranseant in vetustatem*) vbi editio nostra habet (*quia non adiiciet vltrà vt pertranseat in te Belial*) pro hoc nomine siue pro בְּלִיַּעַל *beliahhal*, illos legisse seorsim בְּלִי *beli*, quod vetustatem significat à בָּלָה *balah*. Beda quidem in interpretatione nominum exponit Belia vetustum dominum, non absque Domino, puteum eius, in clamore eius, in malis commutationem ipsius. Belial autem absque iugo, vel absque Domino: & Beliar cæcum lumen, cæcam angustiam, vetustatem deficientem, absque continentia. Sed istarum notationum rationem reddere nolo, nec facilè reddi aut approbari posse, saltem de aliquibus arbitror, vt quæ nomen Domini, putei, clamoris, commutationis, & similia tradunt.

De medio tui.] Chaldaicè (*de inter te* מִבֵּינָךְ *mibbenach*) Græcè (*ex vobis*, ἐξ ὑμῶν.) Versu 1. (*in medio tui*) Hebraicè, Chaldaicéque sicut hîc (Græcè ἐν σοί, *in te*.) Molestissimum grauissimúmque domesticum & intestinum malum; & cùm ex nobis ipsis exurgunt viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se [n], & cùm inimici nostri sunt domestici [o]. Lege commentarium meum in actus Apostolorum.

Et auerterunt habitatores vrbis suæ.] Græcum ἀπέστησαν indicat apostasiam suadere & defectionem, de qua priùs dixi. Hebræum cui præfigitur coniunctio וַיַּדִּיחוּ *vaiiaddichu* expulsionem: præteriti verò significationem temporis declarat Vatablus per sollicitationem verbis factam: Pagninum sit vertentem Oleaster per expulsionem aliorum à suo sensu sententiáque: Oleaster ipse per impulsionem; quæ scilicet suasione fit. Sixtini codices Græci habent τοὺς κατοικοῦντας τὴν γῆν αὐτῶν, *habitantes terram eorum*: alij τὴν πόλιν, *ciuitatem eorum* · quod congruit Hebrææ Chaldææque editioni עִירָם *hhiram*, קַרְתְּהוֹן *karthehon*: immò & Græcis omnibus libris initio versûs 12. *si audieris in vna vrbium tuarum*, ἐν μιᾷ τῶν πόλεών σου.

Atque dixerunt.] Breuiùs in textu Hebræo Chaldæóque (*dicendo*) in Græco (*dicentes*) λέγοντες.

Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoratis.] Præteriti temporis est verbum editionum reliquarum: vt & versu 2. in simili sententia. Legit Cyprianus [p] (*Diis aliis quos non nosti.*) Cæterùm hic est personarum commutatio quam dicunt enallagen; quoniam (*eamus & seruiamus*) apostatarum vox est (*quos ignoratis*) Dei, Mosisve: dicerent enim apostatæ (*quos scitis celebres esse apud Gentes.*) Fusè ac doctè hoc loco Abulensis [a] disputat, quomodo poterat cognosci, quòd Deus ille Israël verus Deus, & alij qui non erant dij, cognosci vt dij falsi, vel non vt dij Summa est, haberi cognitionem potuisse ex effectis admirandis, ac singularibus beneficiis, quæ videbant ab eo fieri, & conferri, qui se ipsorum Deum asserebat; fieri autem & conferri non potuisse ab illis, quos Ethnici colebant pro diis: immò Deum illum suum iudicium fecisse in diis Ægyptiorum sicut in ipsis Ægyptiis [b], videlicet comminuendo idola eorum, quod & fieri præcepit de idolis aliarum Gentium [c]: illúdque Hieronymus [d] ex Hebræorum traditione scribit reipsa contigisse in Ægypto, quando populus Hebræus inde egressus est, necnon apud Eusebium [e] Artapanus, quod Comestor [f] præterea scripsit, siue motu terræ, siue ictu fulminum omnia templa destructa esse, Hebræique addunt, vt Lyranus [g] refert, Abulensis [h] Caietanus [i], Pererius [k], Ystella [l], Salianus [m]; lignea idola putrefacta, metallica resoluta & fossa, lapidea comminuta. Quamquam de Lysimacho Iudæorum hoste Iosephus [n] testatur, affirmasse Mosem Iudæorum eamdem ducem, his auctorem fuisse tunc in Ægypto, vt deorum & altaria quotquot inuenirent, euerterit, idque illos strenuè factitasse, & vrbem à se conditam ex re Ἱερόσυλα nominasse: postea verò probri vitandi causa Hierosolyma vocauisse. Fictitium id est, calumniosúmque, vt nec verosimile quod adiicit Artapanus [o], etsi ad rem non ita facit, omnes domos concidisse. Ad idolorum dictam euersionem allusum ab Esaia [p] volunt; *ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti*, &c. Sed futuræ rei prædictio est.

a Nahum 1. 15.
b 2. de Antichristo c. 3.
c 2. & 3. oracul.
d in vita Danielis.
e 2. Cor. 6. 15.
f Matt. 11. 29.
g Iob 41. 25.
h Eccli. 10. 14.
i to. 1. adag. io 126.
k hom. 18.
l hom. 5.
m c. 1. 15.
n Act. 20. 30.
o Mat. 10. 36.
p de exhort. martyr. c. 5.

a q. 4.
b Exo. 12. 12.
c Num. 33. 52. Deut. 7. 5. & 25. 5. cap. 12. 2. 3. Ex. 23. 24.
d ep. 127. ad Fabiolam de mansion. in 1.
e 9. de præpar. evang.
f hist. Schol. in Exo cap. 17.
g in Ex. 12.
h ibidem.
i ibidem.
k in c. 11. n. 7.
l in c. 12.
m 1. annal. anno 2544. num. 132 & 133.
n 1. cont. Apion.
o Salian. sup. citat.
p c. 19.

Vers. 14.] Quære solicitè & diligenter: rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam,

Vers. 15.] Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora.

PARAPHR.

QVoniam agitur de totius alicuius vrbis euersione, atque habitatorum eiusdem interfectione, cum consumptione rerum cunctarum, quæ ad illos pertinerent; ne tam seuera animaduersio temerè fieret, inauditaque, ac indicta, & diiudicata causa præcipitur diligens, & exacta inuestigatio, certáque & indubitata de idololatriæ crimine cognitio, ita vt planè constet reipsa executioni esse mandatum à ciuitate tota, siue à rectoribus ipsius publicè, qui ciuitatem repræsentant. De pseudoprophetis seductoribus, qui fortè suasissent, sed non persuasissent, iam dictum satis priùs [q] fuerat. Contra tribum Ruben, & Gad, dimidiámque partem tribus Manasses, quia ædificauerant altare magnum citra Iordanem, quod videbatur idololatriæ indicium (& aliunde etiam nefas erat excitari altare in loco quem Deus non elegisset) totus Israël congregatus est sponte & vltrò cùm certi nuncij id detulissent;

q v. 1 & seq.

tulissent; & nihilominus antequam dimicaret contra illos, misit decem principes totidem tribuum, cum Phinee filio Eleazari sacerdotis, vt dissuaderent idololatriam quam existimabant perpetratam propter illud altare, quod etiam sacrilegium cognominabant [a] (ἀποστάτας γενέσθαι ἀπὸ κυρίου, *ita vt apostatæ fierent à Domino*;) seu vt, quod Iosephus [b] scribit, inquireretur an aram, de qua constabat, ædificassent ad idololatriam: quòd si ad hanc, vt quamprimùm ab ea reuocarentur per monitionem, reprehensionem, obiurgationem: si persisterent contumaciter in impietate, bellum indicerent. Successit ex sententia inquisitio, & accepta collaudatáque responsio; ita vt, quod obiter notandum, non ampliùs ara sacrilega nominanda fuerit, nec affirmandum, sicut memoriæ lapsu fecit Petrus [c] Blesensis; ideo iram Dei vniuersaliter desæuiisse in populum. In dissimili causa similiter conuenit totus Israël contra viros Gabaa, qui Leuitæ vxorem fornicando occiderant, pugnauerúntque contra eos vsque ad deletionem ferè vniuersæ tribus Benjamin [d]. Iob causam quam nesciebat diligentissimè inuestigabat [e]: & Daniel stans in medio, fatuos pronunciauit filios Israël, quod non iudicantes, neque quod verum erat cognoscentes, condemnassent filiam Israël [f]. Iunguntur frequenter in Scriptura veritas, & iudicium [g]; iustitia & iudicium [h]; misericordia & veritas [i], quæ dicuntur etiam custodire regem [k]; & in rationali Pontificis quod iudicij cognominabatur, inscripta erant doctrina & veritas [l]; & è collo summi sacerdotis Ægyptij, qui iudex simul erat, imago ἄγαλμα pendebat sapphiro insculpta, cui nomen veritas [m]. Veritatem dies aperit, ait Seneca [n]: potest pœna dilata exigi; non potest exacta reuocari.

> [o] *Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.*

Vnde decreto Tiberij cum senatusconsulto ante diem decimum damnatis vita eripi non poterat [p]: & suasione Ambrosij suspendi pœna debebat post condemnationem per 30. dies lege Theodosiana [q]. Sophoclis est prioris mébri sententia.

> ἅπανθ' ὁ μακρὸς, καὶ ἀναρίθμητος χρόνος
> φαίνει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.
> *Hæc cuncta voluens ordo longi temporis*
> *Occulta prodit, atque prodita occulit.*

Interrogauit Deus, *Adam vbi es?* & præsens cum præsente egit, ac veluti disceptauit [r]: *descendit vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam* [s]; deinde dixit; *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum* [t]: *descendit, & vidit, vtrùm clamor Sodomorum & Gomorrhæ opere completus esset, an non esset ita, vt sciret* [u]. Designant hi loquendi modi lento gradu incedentem Dei vindictam, & non temerè ferendum de quoquam iudicium, vt obseruant Philo [x], Chrysostomus [y], Ambrosius [z], Gregorius [aa], Rupertus [bb], Procopius [cc], Glossa [dd] interlinearis. Sed bono principi non expectandum; immò præueniendum, & inquirendum à suis, quid agatur, cùm nemo audeat publicis interpellationibus accusare, quorum violentias alij timent, alij patiuntur, inquit Ferrandus [ee] Diaconus.

Quære solicitè, & diligenter, rei veritate perspecta si inueneris certum esse quod dicitur.] Hebraicè *& quæres & inuestigabis*, seu *scrutaberis*, *& interrogabis bene*, *& ecce*, id est, si veritas, *certum siue rectum*, *& ratum verbum*, hoc nempe quod

a Iosue 22. 10. & seqq. b 5. antiq. c. 1. vel 4. c ep. 106. d Iudic. 20. 46. & seqq. e Iob 29. 16. f Dan. 13. 48. g Ps. 110. 7. h Ps. 88. 14. 15. i Prou. 3. 3. c. 20. 28. k c. 20. 28. l Ex. 28. 30. m Ælia. 14. var. hist. c. 34. n 2. de ira c. 22. o Iuuen. Sat. 6. p Tacitus 3. annal. Dio Cass. lib. 57. q l. si vindicari C. de pœn. r Gen. 3. 9. s Gen. 11. 5. t vers. 7. u c. 18. 20. 21. x de confus. ling. y hom. 30. in Gen. & 45. ad pop. z de parad. c. 14. & in [illegible] 2. de [illegible] ser 48. epist. 13. aa lib. 6. ep. 178. bb in Gen. 18. cc Explanatio. dd Idem. ee ad [illegible] mitem Reginũ reg. 3.

audisti) Chaldaicè eodem ferè modo, sed pro (*bene*) est יָאוּת *iauth diligenter*: alia verò verbi epitheta sunt *verum & certum*, vel *veritas certa* קְשׁוֹט כֵּיוַן *kusta chevan*) Græcè sententia eadem (*& quæres, & interrogabis, & scrutaberis valdè, & ecce verus manifestò sermo factus est*, καὶ ἐτάσεις, καὶ ἐρωτήσεις, καὶ ἐξερευνήσεις σφόδρα, καὶ ἰδοὺ ἀληθὴς σαφῶς ὁ λόγος γεγένηται) aut secundùm alios codices γένηται. In editionibus aliis ponitur pro (*si*) particula (*ecce* הִנֵּה *hinneh*, הֵא *ha*, ἰδοὺ) *ecce veritas, aut verum, certúmve verbum*. Capite 19.[a] in simili sententia, *cúmque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium*, habent editiones reliquæ (*& ecce testis mendacij* seu *mendax* aut *iniustus*, הִנֵּה *hinneh*, הֵא *ha*, ἰδοὺ.) In Iob [b], *ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in angelis suis reperit prauitatem; quanto magis hi qui habitant domos luteas*, &c.) id est, si qui seruiunt ei, &c. Cæterùm ponderanda omnia verba quibus declaratur qualis esse debeat veritatis cognoscendæ in iudicio ratio. Hebræa sunt דָּרַשׁ *daras*, חָקַר *chakar*, שָׁאַל *sciaal*, quibus adiungitur הֵיטֵב *heteb*: Chaldæa תְּבַע *thebaah*, בְּדַק *badak*, שְׁאֵל *sceal*, & post hæc יָאוּת *iauth*: Græca, ἐτάζω, ἐρωτῶ, ἐρευνῶ vel ἐξερευνῶ cum σφόδρα. Primum verbum Hebræum importat interrogationem cum quadam cura, solicitudine, diligentia, vnde מִדְרָשׁ *midras*, liber in quo inquirenda digeruntur, & Rabbinicè prætera scholam significat. Secundum valet scrutationem penitiorem, vnde חֵקֶר *cheker*, & מֶחְקָר *meckar*: *magnitudinis eius non est finis* [c]; *in manu eius sunt omnes fines terræ* [d]. Tertium quamlibet quidem petitionem significat, sed potest insatiabilem quodammodo innuere, sicut & שְׁאוֹל *sceol* inferni nomen, vt est in Prouerbiis [e]. Est autem additum dictis verbis הֵיטֵב *heteb* à יָטַב *iatab*, idem quod מְאֹד מְאֹד *meod meod*, *valde valde*, seu *vehementissimè, exactissimè, diligentissimè, aptissimè*, vt patet ex aliis locis [f]. Ex Chaldæis primi significatio est pro inquisitione etiam ad pœnam, vnde תָּבוֹעַ *thaunah*, *vltor, vindex, censor*; & תְּבִיעָא *thabiha*, *vltio, vindictáque*: secundi pro scrutatione, quasi per rimam, fracturam, scissuram, tirptutam: hoc enim בֶּדֶק *bedak* etiam nomen significat: tertij eodem modo quo Hebræi quoque loco tertio positi: ac secundùm vtramque linguam prætera pro consilij petitione, seu consultatione, disputatione siue diiudicatione. Vox יָאוּת *iauth*, *congruenter, decenter, conuenienter*, exponi solet. Græcorum primum ἐτάζω, deriuatum ab ἐτεόν, *verum*, quasi dicas ἐτεάζω, veritatem inquirere denotat, simúlque βασανίζω, *quæstione ac tormento vti*; ἐρωτῶ, *interrogo*, ἐρευνῶ, *indago*, & *inuestigo* veluti scrutando sectandóque vestigia. Denique σφόδρα, est *valdè*. Citato loco [g] Iob; *causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam*, Interpres adiectione aduerbij, verbi Hebræi, quod est ibi, & de quo dixi, vim expressit, nempe חָקַר *chakar*; & Græci ἐξιχνιάζειν, *inuestigare*, & Chaldæi פַּשְׁפֵּשׁ *pasipes*, *palpare*.

Et abominationem hanc opere perpetratam.] Græcum verbum γεγένηται iungi debet cum sequentibus τὸ βδέλυγμα τοῦτο ἐν ὑμῖν, *facta est abominatio hæc in vobis*, vt congruat translatio cum textu Hebræo & Chaldæo, necnon cum nostro. Alioqui necti posset præcedentibus καὶ ἰδοὺ ἀληθὴς σαφῶς ὁ λόγος γεγένηται, *& ecce verus manifestè sermo factus est*, siue *verum verbum*, id est, crimen quod delatum est. Qui sensus multo magis elicitur, si legatur cum aliis γένηται, *fuerit*. Tunc verò

a vers. 18. b c. 4. 18. 19. c Ps. 144. 3. d Ps. 94. 4. e c. 30. 16. f Deut. 9. 21. c. 17. 4. Ionæ 4. 9. g c. 29. 16.

verò seorsim ponetur τὸ βδέλυγμα τοῦτο ἐν ὑμῖν, *abominatio hæc in vobis*, nimirum est, aut appositiuè, *& ecce verum manifestè factum est* vel *fuit verbum, quod est abominatio hæc in vobis*. Porrò factam abominationem & opere perpetratam requiri videbatur ad hoc vt adeo grauis pœna infligeretur, quæ mox hìc subiicitur, nec sufficiebat solus consensus, quemadmodum admonet Abulensis. Operis autem perpetratio non in vna re consistit: & de iure communi conatus proximus delicto in atrocioribus æquè punitur ac si consummatum fuisset [a], tamen si ex statuto delictum quodpiam certa pœna puniatur, qui non perfecerit, non ea pœna punietur, sed alia mitiori, inquit Tiraquellus [b] alios allegans.

a l. si quis non dicam. C. de Episc. & cler. & l. 23. qui cum telo. & duabus legibus sequent. C. de sicariis: & 36. q. 2. c. si quis non dicam.
b pract. de pœnis temperādis aut remitt. causa 57. & seq.
c de exhort. mart. c. 5.
d Scor. c. 2.

Statim percuties habitatores vrbis illius.] Græci Sixtini libri pro vrbe habent terram, γῆν, non πόλιν, sicut versu 13. cùm vtrobique consentiat editio nostra cum Hebræa & Chaldæa. Nostræ itē est aduerbiū (*statim*) quo voluit, opinor, declarare vim geminati verbi in editionibus aliis (*percutiendo*, vel *percutiēs percuties*, aut *delens occidēnsve delebis occidēsve*, ἀναιρῶν ἀναιρήσεις πάντας, *omnes*) quod abest ab aliis editionibus. Legitur apud Cyprianum [c] (*interficiens necabis omnes qui sunt in ciuitate*) Tertullianus [d] paraphrasticè recitans hunc locum scribit hìc dici, si quam ex ciuitatibus constitisset suasu iniquorum hominum transisse ad deos alios, vt interficerentur incolentes eam. Dicta replicatio indicare etiam solet id quod omnino fieri debet: quod autem eiusmodi est, quamprimùm potest, fieri debet: probato autem iam satis crimine, vt dictum est, & quia id perniciosum ac periculosum est, rectè Interpres intellexit puniri statim oportere. Omnes percuti lex imperat si ciuitas communiter in idololatriæ crimine versatur per defectionem à religioso Dei cultu. Sed præcisè ob idololatriam inferri bellum nequit, nisi promulgatio Euangelij impediatur; de qua re in 2. 1. [e] & alibi actum est. Quod si etiam innocentes ex quapiam tali ciuitate liberari possint, vetari hoc loco non puto. Contingit porrò mitiùs agi quando multitudo deliquit, vt pluribus ex iure canonico testimoniis probat citatus Tiraquellus [f] iuxta tritum etiam versum.

e q. 10. a. 8.
f causa 47.

Ob populum multum crimen pertransit inultum.

Vnde militaris quoque decimatio, cùm totus deliquit exercitus. Dei præcepto quod fit, legis humanæ terminis non definitur, & ipse omnium vitæ necísque absolutum habet dominium ac potestatem.

In ore gladij.] Cyprianus [g] (*cæde gladij*) quod Græcè significat ἐν φόνῳ μαχαίρας. De hac phrasi consule dicta in cap. 21. [h] libri præcedentis, ibique citatis adde Cornelium nostrum in Exodi cap. 17. [i] & Leonardum Matium, vbi primùm ea occurrit. Hoc loco nostro Eugubinus ait vehementer sibi placere quòd L X X. (quibus alioquin iniquior solet esse) hanc similitudinem Hebraicam immutarint: nec enim Hebræorum translationes adeò elegantes esse in nostra, & Græca lingua. Deprehendi tamen vsum Interpretem nostrum eadem phrasi, vbi non extat apud alias editiones, sed anathematizare vel destruere [k], aut quid aliud satis diuersum [l]. Græcè nonnumquam esse [m] esse ἐν στόματι ῥομφαίας, ἐν στόματι ξίφους [n], ἐν στόματι μαχαίρας [o]. Haud profectò facilè similem reperire aliis in linguis dicendi formulam. Accedit nonnihil tamen eò Plautinum [p] illud Militis gloriosi,

g de exhort. mart. c. 5.
h vers. 24.
i vers. 13.
k Deut. 20. 17.
l Iudith 2. 15. c. 7. 17. c. 15. 7.
m Iof. 6. 21. Iud. 1. 8. 25. c. 4. 15. c. 18. 27. c. 20. 37. c. 21. 10. 1. Reg. 15. 8. c. 22. 19. li. 2. 15. 14. li. 4. 10. 25.
n Iosue 10. 28. 30. 32. 35. 37. 39.
o c. 19. 47. Eccl. 28. 22. Ier. 21. 7.
p in Mil. glor. act. 1. sce. 1. sub initiū.

Nam ego hanc machæram mihi consolari volo
Ne lamentetur; néve animum despondeat,
Quia se iam pridem feriatam gestitem,
Quæ misera gestit fratrem (alij fartum, vel farctum, vel fractum, vel frattem) *facere ex hostibus.*

Quasi dicat nugando, si *fratrem* retineas) gestire machæram facere hostem ὅμαιμον, *consanguineum*: quam ipsam machæram non modò πρὸς τὸ μάχεσθαι, *pugnare dictam* voluit, sed etiam παρὰ τὸ χαίρειν αἵματι, quasi sit αἱμοχαιρα quòd gaudeat sanguine. Ad idem facit versus Nonni

αἵματί τε μεθύουσα, κρεωφάγε τε μαχαίρας.

Vbi cognominatur machæra carniuora, seu carnem comedens. Quod Scriptura verbo deuorandi [a] solet declarare: & Esaias [b] scribit Domini gladium inebriatum in cœlo, repletum sanguine, incrassatū adipe, de sanguine agnorum & hircorum, de sanguine medullatorum arietum. Quæ inebriatio sanguine facta & occisorum cruore, sagittis tribuitur in maiore cantico Mosis. [c].

a Deut. 32. 42. Esa. 1. 20. Iere. 2. 30. c. 12. 12. c. 46. 10. 14.
b c. 34. 5. 6.
c Deut. 32. 42.

Et delebis eam.] Verbum Hebræum החרם *hacharem* significat velut anathemate delere: quod etiam exprimitur Græcè ἀναθέματι ἀναθεματιεῖτε αὐτήν, *anathemate anathematizabitis eam*. Chaldæum גמר *gammar* valet consummate ac penitus delere. Quid autem sit anathema declaratum alibi. Apud Hebræos [d] hæc est formula; *anathema & res denota est quidquid illud sit, quo ego tibi prosim, aut quam vtilitatem ex me capias*. Hinc nefas erat iuuare vlla re: videtúrque traditio de qua Christus [e]; *munus, siue corban, quodcumque est ex me*, &c.

Anathematis formula apud Hebræos.
d tract. de iuram. & votis.
e Mat. 15. 5. Marc. 7. 11.

Ac omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora.] Repetitur in editionibus aliis (*in ore gladij.*) Pecora verò nominatim exprimuntur, non exclusis animalibus domesticis, quæve solent esse in ciuitatibus, vt nullus comederet ea, in detestationem, inquit Abulensis. Græcè in Complutensibus, Regiisque codicibus καὶ πάντα τὰ κτήνη αὐτῆς ἐν στόματι μαχαίρας, *& omnia pecora eius in ore gladij*. Sed hæc desunt in Sixtinis.

Vers. 16.] Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus, non ædificabitur ampliùs.

Paraphr.

MAgnum & graue hoc anathema, execratio admodum acerba, seuera valdè animaduersio idololatriæ in aliqua ciuitate perpetratæ; vt cum habitatoribus & pecoribus interfectis, res quóque aliæ ac vniuersa supellex penitus delerentur, flammis in mediis ciuitatis plateis supellex cremaretur; ipsamet ciuitas succenderetur: omnia denique consumerentur in Domini Dei honorem: & ex dirutæ ciuitatis parietinis & congerie excitaretur veluti monumentum. Sic postea Iosue ciuitatem Hai succendit, & fecit eam tumulum sempiternum [f]: & ciuitatem Iericho cum omnibus quæ in ea erant, sed absque auro, & argento, & vasis æneis, ac ferro; imprecando, ac maledicendo ei, qui denuo illam reædificaret [g], vel etiam aliam sub eodem nomine. Incensio talis & consumptio, non censebatur Domino Deo fieri tanquam sacrificium siue

f Iof. 8. 28.
g c. 6. 24. 26.

siue holocaustum, siue pacificum, siue pro peccato aut delicto, sed genus quoddam oblationis, inquit Abulensis [a], quatenus erat ei grata, quæ vouere etiam poterat, vt libro vidimus priore [b], de populo, qui, si victoriam consequeretur de Arad rege Chananæo, vouit deleturum se vrbes eius; & exauditus est. Cuius rei argumentum præterea est, quoniam, vt paulò antè dixi, ex Iericho consecrata sunt Deo vasa auri, argenti, æris, & quidquid ferri erat. Gratum erat igitur Deo, vt idololatris mors infligeretur in vindictam iniuriæ suæ: & quod populus ob amorem Dei, abdicaret se, ac priuaret dominio, non modò hominum idololatrarum, sed etiam rerum earum, quas alioqui belli iure poterat sibi vendicare; vt sic etiam, terrore concepto magis absterreretur à simili peccato: denique vt ea ratione tam exactè obediret, ac præferret obedientiam victimis, quam his multo pluris Deum æstimare Samuel Sauli respondit [c]. Alibi [d] disputatum quando in bello liceat etiam fœminas, pueros, senes decrepitos, & alios insontes interficere, iumenta etiam & pecudes interficere, vestes & inanimas alias res prorsus delere. Verè quidem quidam cecinit,

Quid meruere boues, animal sine fraude, dolóque?
Et quid oues & aues? quid apes? quid equi? quid aselli?
Quid vestes, postes? quid aromata, balsama, palmæ?

Sed quia his creaturis ad creatoris abutuntur iniuriam impij, meritò succenduntur, euertunturque, quasi eo illæ abusu contagioso impuratæ sint: punitur etiam iuste quis, non in se duntaxat, sed & in rebus suis: indéque mortalium oculis ingens Dei ira magis obijcitur, ac vehementior ad exhortenda fugiendáque vitia terror incutitur. Cyrum Xenophon inducit; vt Masius [e] annotat, præcipientem vt non modò plurima hostibus castella eriperentur, verùm etiam plurima in eorum ditione compararentur: qui enim secus faciat, nihil differre ab illis, qui per vastum pelagus nauigando, non magis vndarum partem tenent quàm percurrunt, quam quæ ab iis intacta relinquuntur. Obseruauit item noster Serarius [f] monitum à Crœso Cyrum, Herodoto [g] teste, parcere ædificiis quæ in aliena ditione occupabat quasi iam suis: ex Seneca [h] poëta quod nemo vastat sua: ex Quinctio apud Liuium [i] quasi suæ iam ditionis rationem habere debere qui alienam obtinent. Messanios villas demolitos non esse; non succidisse arbores Lacedæmonios, quoniam eum iam suum agrum ducebant. Atqui Deus iustis de causis quas attigi, præcepit aliquam ciuitatem deleri: nec quo primùm tempore Hebræi Chananæam inibant, satis repressis hostibus, tutò poterant locos munitos relinquere, qui esse iisdem possent receptui: eos verò tenere præsidiis priusquam belli pars magna confecta esset, suammet augere fiduciam fuisset, Dei minuere; nec valdè etiam commodè id fieri adhuc poterat. In catalogo Hebræo negatiuorum præceptorum sunt ista [k] ex isto loco deprompta; *reædificari non debet ciuitas quæ ad idololatriam defecit; sed commutari potest fundus in hortos. Incitare nullus debet alium ad culturam idolorum. Diligi non debet sollicitator huiusmodi. Audiri non debet sollicitator. Defendi non debet, nec parcendum est ei. Non est excusandus tam incitans quàm incitatus.*

[a] q. 5. [b] c. 21. 1. 2. 3. [c] 1 Reg. 15. 22. [d] Num. 31. 17. [e] in Ios. 8. [f] ibid. in c. 6 q. 38. [g] lib. 1. [h] in Theb. [i] lib. 32. [k] præcept. neg. 25. vsque ad 30.

Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius.] Pro supellectili (quod nomen [a] alibi exposui) sunt τὰ σκῦλα, spolia. pro plateis διόδοι, (quæ propriè significant vias quibus per aliquem locum iter fit, vel transitus:) καὶ πάντα τὰ σκῦλα αὐτῆς συνάξεις εἰς τὰς διόδους αὐτῆς: quæ in translatione Sixtina redduntur (*& omnia spolia eius congregabis in plateas eius:*) in Complutensi & Regia (*in transitus eius*). Tertullianus [b] rationem loci sententiam, ait hic scribi, vt interficiantur omnes incolentes ciuitatem, quæ transisset ad deos alios, & deuoramenta fiant vniuersa eius, & colligerentur omnia spolia eius in omnes exitus eius, & igni crementur cum omnibus vasis suis, & cum omni populo in conspectu Domini Dei. De nomine plateæ quo vtitur Interpres aliquoties [c], constat ea Græcis sumptum pro via latiore in vrbe, seséque militari, prætoria, consulari, qui & vicus vocatur: & nonnunquam pro area, in qua conuenire populus solet: varijque hoc loco Vatablus Hebræum nomen cum affixo רחבה *rechobah*, forum eius. A latitudine hoc dicitur sicut & πλατεῖα à πλατὺς, atque פתח *pethaah*. Nonnunquam [d] ἐπαύλεις, villa leguntur, vbi plateæ in editione [e] nostra. Hinc plateæ loca marmorum crustis inducta, aut pauimenta tessellatis emblematis, & insertis variata: Constantinus Magnus παλαιὰν ἀγορὰν, vt Zonaras scribit, forum in ea motem tabulis instratum construxit. De his noster Bulengerus. Cæterùm congregatio supellectilis in medio platearum seu fori vt concremaretur pertinuit ad exemplum; sicut incensio magicorum librorum Ephesi coram omnibus tempore [g] Apostolorum.

Et cum ipsa ciuitate succendes.] Succendi censetur ciuitas, quando comburuntur, quæ flammis consumi possunt soléntve; quamuis quædam remaneant vel intacta, vel non consumpta. Tumulus quidem certe, cuius mox mentio fiet, constare debebat ex ingenti aliqua materia, cumulóve lapidum & similium rerum. Adiecit Interpres (*cum ipsa*) propter supellectilem, pro qua editiones aliæ habent spolia, quæ iterum repetunt. Quibus aut hominibus, aut rebus inferatur cremationis pœna, enumerat Serarius [h] noster: & quidem criminosorum species 10. rerum quæ tanquam instrumenta criminum fuerint, septem.

Ita vt omnia consumas Domino Deo tuo.] Dictæ aliæ editiones, vt modò dixi, repetendo spolia hoc modo habent (*& omnia spolia eius penitus ante Dominum Deum tuum*) vel Hebraicè, & Chaldaicè (*Domino Deo tuo*) sicut est in editione nostra. Quod efficit sensum istum, vt in honorem Dei ea incensio fieret. Fieri autem ante Dominum, seu coram illo, solet significare fieri in tabernaculo, seu ante arcam: quod sanè credibile non est fieri tunc debuisse, cum supellex combureretur: & in mediam plateam de industria tabernaculum comportari oportuisse. Ex Tertulliano [i] priùs retuli, colligenda fuisse omnia spolia ciuitatis in omnes exitus eius, & igni cremenda, cum omnibus vasis suis (significantur hæc per supellectilem) & cum omni populo in conspectu Domini Dei. Cum omni populo ambigi potest quid significare Tertullianus voluerit; an vt cùm spolia & vasa cremarentur, simul etiam populus cremaretur; an vt coram populo ea crematio perficeretur.

[a] in Leu. 8. 10. c. 13. 59. Num. 3. 31. c. 4. 32. cap. 19. 18. c. 31. 9. [b] Scorp. c. 2. [c] Mat. 6. 5. c. 7. 13. c. 12. 19. Luc. 10. 10. c. 13. 26. cap. 17. 21. Act. 5. 15. Apoc. 11. 8. c. 21. 21. c. 22. & in vet. Test. sæpe. [d] Lamprid. in Heliogabalo. [e] Ps. 143. 14. [f] in Anast. Bibl. lib. 3. de templis cap. 39. [g] Act. 19. 19. [h] in Iosue 7. q. 32. [i] Scorp. c. 2.

Secundum velle debuit, quia prius imperatum est, vt populus hostilis interficeretur, & quidem in ore gladij. Fortassis respectum habuit ad Græcum aduerbium *πανδημεὶ* (corrupte *πανδημεί.*) quod significat cum vniuersi populi multitudine seu frequentia. Loco istius aduerbij Græci Hebræum est, כָּלִיל *chalil*, & Chaldæum גְּמִיר *ghemir*, *penitus*, *funditus*, *prorsus*, *omnino*, *in vniuersum*, *totaliter*, *perfectè*, quæ combustioni ciuitatis, & spolij applicantur: Græcumque isto modo transtolerunt in Bibliis Complutensibus, Regiis, Sixtinis, nempe aut *funditus*, aut *penitus*. Oleaster ex Hebræo legi notat dupliciter; vel (*combures igni ciuitatem & spolium eius*) vel, (*congregabis ad medium plateæ eius, & combures igni ciuitatem, & omne spolium eius, totum Domino Deo tuo erit*) secundùm priorem lectionem ait iuberi vt spolium igni comburatur in medio ciuitatis, & detur Domino, quod est impossibile. Communis expositio est, spolium siue prædam totam comburi debuisse Domino Deo, propter Dominum Deum, in honorem Domini Dei, in anathema ipsius; quemadmodum iam priùs declaraui.

Et sit tumulus sempiternus.] Idem valent Hebraicæ voces וְהָיְתָה תֵּל עוֹלָם *vehaiethah thel hholam*, Chaldaicè autem additur ad תֵּל *thel*, aliud nomen חֲרִיב *charib*, vt sit tumulus destructionis. Declarat Abulensis quòd primùm occidebantur homines & pecora (alia etiam animalia) intra ciuitatem: deinde deiiciebantur muri & vniuersa domorum congeries super mortuos; & sic tota ciuitas videbatur vnum sepulchrum omnium mortuorum. Hoc ipsum indicat Vatablus suppleri volens nomen lapidum: siue aliunde comportarentur; siue sufficerent qui ex ruinis dirutæ combustæque ciuitatis existebant: siue componeretur de industria tumulus ex congerie lapidum, vt fecit Iacob [a], licèt non in sepulchrum, eùm comederit ipse aliique super eum, & à fœdere cum Laban cognomen testis habuerit; siue consurgeret per se ac eleuaretur (quod תֵּל *thel* à תָּלַל *thalal* sonat) ex destructione, quam dictum Chaldæum חֲרִיב *charib* significat: atque ita sepulchrum vocari posset, quia occisorum cadauera ruinis illis obruta tectaque essent. Sed ibi tumulus vocatur Hebraicè מַצֵּבָה *matsebah*: תֵּל *thel* verò etiam [b] interdum sumitur vt & tumulus, pro colle: qui aliter vocatur גִּבְעָה *ghibhhah* & *βουνὸς* [c]: aliquando [d] sepulchrum significat tumulus קֶבֶר *kever*, *τάφος* aut *μνῆμα*, Græcè hoc loco *καὶ ἔσται ἀοίκητος εἰς τὸν αἰῶνα*, *& erit inhabitabilis in sæculum*, seu *in æternum*: vel, vt legit Tertullianus [e] (*& non erit habitabilis in æternum*) vel vt Cyprianus [f] (*& erit sine habitaculo in æternum.*) Eadem phrasis est in Iob [g] (*habitabit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos* (alij *cumulos*) *sunt redactæ*: Græcè secundo loco *εἰσέλθοι δὲ εἰς οἴκους ἀοικήτους*, *ingrediatur autem domos inhabitatas.* In Iosue [h] (*qui succendit vrbem* (Hai) *& fecit eam tumulum sempiternum*, תֵּל עוֹלָם *thel hholam*, *ἔθηκεν αὐτὴν χῶμα εἰς τὸν αἰῶνα ἀοίκητον*, *posuit eam tumulum in sæculum, seu in æternum inhabitabilem.*) In Esaia [i] (*posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur.*) Ibi pro tumulo est גַּל *gal*, & *χῶμα*. In Ieremia [k] (*erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor & sibilus: eo quòd non sit habitator.*) Hebraicè לְגַלִּים *legallim*, Græcè *εἰς ἀφανισμὸν*, *in desolationem.* Nec dissimilis descriptio apud eundem [l] qui Michæam [m] quoque citat, *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit*, *εἰς ὀπωροφυλάκιον*, *in pomorum custodiam. & mons domus in excelsa siluarum.* Talis præterea vastitas euersæ ciuitatis, in cuius solo sal dispergeretur [a]; qui mos fortasse ortus est ex supplicio Sodomorum [b], quando terra frugifera in salsuginem versa [c] est; quod Deus hoc [d] libro minatur: & apud Sophoniam [e]; vsitatúmque apud Hispanos testis Abulensis [f], ac de Mediolano prodit [g] Sigonius, de aliis alij quòd aratrum victores impresserint, quippe

> ——— [h] *altis vrbibus vltimæ*
> *Stetere causæ cur perirent*
> *Funditus, imprimerétque muris*
> *Hostile aratrum exercitus insolens*;

præterea [i] de nato sub ortum caudæ scorpionis, stellarúmque ipsi suffragantium,

> *Aut sternet positas vrbes, inque arua reducet*
> *Oppida, & in domibus maturas reddet aristas.*

Id euersæ Carthagini contigit, vt non Caius Iurisco. sed Modestinus Pandect. lib. 7. tit. 9. leg. 21. meminit; & in M. Antonio accusat Cicero [k], ac in genere tradit Macrobius [l], Seneca [m], Lucanus [n]. Et cecinit alius flebiliter,

> ——— [o] *campos vbi Troia fuit.*

Item,

> [p] *Iam seges est vbi Troia fuit.*

Plura in Alexandrum Tiraquellus [q].

Quod verò attinet ad tumulos, cumolósve, atque aceruos parietinarũ, vel potiùs ruderum ex illis ac domibus dirutis, multitudo eorũ arguit euersæ vrbis magnitudinem. Ex monte testaceo, qui Romæ visitur Arias [r] Montanus argumentum in primis efficax collegit pro Romanorum potentia, vrbísque insigni amplitudine; vtpote cùm tota illa adeò ingens moles exiguis constet hydriarum, vrceorum, vrnarum, cantharorũ fictilium fragmentis seu testulis, quarum materia nec incendio, nec diuturnitate corrumpi solet, vt columnarum, pyramidum, &c. Annotat porrò idem auctor, ex incendio Iericho ruinas superfuisse, ac tumulum excreuisse, non tamen sempiternum: & cauisse Iosue ne denuo ædificaretur [s]; sed diu pòst instauratam ex eadem integra lapidum atque laterum materia. At Hai ciuitatis saxa, lapides, lateres, ligneas trabes, portas exustas penitus & comminutas, vt ineptus ædificationi locus relinqueretur, essétque sempiternus tumulus; materia illa omni primùm dissipata, & comminuta: deinde in montem testaceo similem congesta, cuius carbones & cineres (qui perenniter durant) Dei aduersùs impios seueritatem visentibus prædicarent. Denique, si Troia aliquando extitit, & excisa dirutáque est, quod negant aliqui, quoniam ruinarum eius vestigium non proferatur; suspicatur incensam, euersam, comminutam, lapidũ cinerúmque reliquias longè ac latè dispersas, vt solũ, quod antè dictum est, campi superessent, vbi Troia fuit. Assentitur in ratione tumuli Hai noster Magalianus [t]. Restauratam tamen etiam Hai diu pòst innouari libris Esdræ [u], & Ieremiæ [x] quidam [y] volunt. Suo tempore Philo [z] narrat monumenta extitisse inenarrabilis cladis Ierosolymitanæ, ac ostensas ruinas in Syria mistas cineri, & sulphuri, lambentibus hæc interdum flammis tenuibus, sicut fit in reliquiis incendij *καθάπερ διασμυχομένου πυρὸς*. Tumulum cognominare potuit.

Non ædificabitur amplius.] Græcè (*non reædificabitur amplius*, *οὐκ ἀνοικοδομηθήσῃ ἔτι*) quo pacto legit etiam Tertullianus [aa]: Cyprianus [bb] verò (*reædificabitur etiam nunc.*) Exemplum dat Abulensis

---

a Gen. 31. 46. & seqq.
b Iosf. 11. 13. c. 18. 18. c. 22. 10. 11.
c 2. Reg. 2. 25.
d Ib. c. 3. 32. 2. Par. 34. 4. Iob 10. 19. Ezech. 33. 13. c. 37. 12. cap. 47. 8. 1. Mach. 11. 4.
e Scorp. c. 2.
f de exhort. marty. c. 5.
g c. 15. 28.
h c. 8. 28.
i c. 25. 2.
k 51. 37.
l c. 26. 18.
m c. 3. 12.

a Iudic. 9. 45.
b Gen. 19. 24. 28.
c Psl. 106. 34.
d c. 29. 23.
e c. 2. 9.
f in Iud. 9. q. 45.
g 13. & 14. de regno Italiæ.
h Hora. l. car. ode 16.
i Man. li. 4.
k Philip. 2.
l li. 5. c. 19.
m 1. de clemen.
n lib. 7.
o Virg. 7. Æn.
p Ouid. ep. 1. Heroid.
q li. 6. c. 14.
r in Iosf. 8.
s Iosf. 6. 26.
t in Iosf. 8.
u li. 1. c. 2. 28.
x lib. 2. 7. 23.
y c. 49. 3.
y Sal to. 1. annal. anno 2584. num. 139.
z 1. de vita Mosis.
aa Scorp. c. 2.
bb de exh. marty. c. 5.

lensis in reo læsæ maiestatis, cuius ædes funditus euertuntur, nec in eo solo exercitari ædificium potest. Priùs retuli sub interminatione maledictionis prohibitam reædificationem Iericho [a], & vt obseruauit Arias, tum ne eadem vel antiquo, vel alio nomine eodem loco vrbs restitueretur; tum ne vrbs alia quocumque loco ædificaretur indito nomine Iericho: quia eiusdem vrbis restitutio, ruinæ in perpetuũ decretæ monumentum deleret: nomen verò illius alij impositum, memoriam confunderet illius, cuius famam perpetuam, vsum autem nullum fore decernebatur. Quia porrò aliquot pòst sæculis Hiel de Bethel ædificare ausus est Iericho, luit pœnas quas Iosue imprecatus fuerat [b]: *in Abiram* enim *primitiuo* seu *primogenito suo fundauit eam, in Segub nouissimo suo posuit portas eius* [c], id est, amisit maximum natu ex liberis suis quando fundamenta iecit; & minimum, cùm iam opere absoluto, ad ianuarum deuenit locationem. Existimat verò Abulensis [d] imprecatum Iosue dicto modo; quoniam hoc loco Moses anathemati subiecit ciuitatem. At non videtur anathematismus iste illud etiam comprehendere; sed adiectum à Iosue diuino instinctu. Notauit id Serarius [e] noster; afferens præterea similes vel imprecationes, vel prohibitiones, ne semel excisæ hostium vrbes iterum excitarentur, vt Troia, Carthago, Numantia, Corinthus ex Tullio [f], Plutarcho [g], Appiano [h], Paterculo [i], Orosio [k], Zonara [l], Horatio [m], Isocrate [n]. Adde Tyrum, de qua Ezechiel [o] prædixit non ædificandam vltrà: quamuis ædificata postea serò fuerit, sed non tam splendidè, ac rursus ab Alexandro expugnata. De Babylone vaticinatus est Esaias [p] subuertendam sicut Sodomam & Gomorrham; non habitandam vsque in finem; non fundandam vsque ad generationem & generationem; non ponenda ibi tentoria ab Arabe, nec requieturos pastores ibi, sed bestias, dracones, struthiones pilosos, vlulas, sirenes. Ieremias [q] similia prænunciauit, fore desertam & inhabitabilem, in qua nullus habitet; nec transeat per eam filius hominis. Quod reipsa contigisse scribit Hieronymus [r]; & Pausanias, qui addit de Mycenis in Græcia, Thebis in Bœotia, aliis in Ægypto, & aliarum ciuitatum obliteratã gloria. De hac re Petrus [s] Faber docens ciuitatum quoque mortes esse vel naturales, per terræmotum, eluuionem, &c. vel occasione belli. Nominatim Zonaras tradit quòd ἐναγὲς ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαί τινα, *execrandum iudicatum fuit quemquam Carthagine habitare.* Isocrates refert Ionum psephisma publicum, quo eos execrabantur, qui deorum fana, & delubra Persarum ignibus inflammata reædificassent. Satis profectò non est, vt mysticum quid ad mores proferamus, iniquitatem euulsisse; conitendum, ne nouam architectemur semel dirutam ciuitatem. *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo.* [t] Consolatoria quadam ad Ciceronem Seruius Sulpitius [u] epistola, documentum sanè optimum elicit ex ruinis ciuitatum. *Quæ res mihi non mediocrem*, inquit, *consolationem attulit, volo tibi commemorare: si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cùm ab Ægina Megaram versùs nauigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina; ante Megara; dextra Piræeus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt: nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum cogitare; Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet: cùm vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant? Visne tu te Serui cohibere, & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus.* Tale & illud;

> [a] *Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt.*
> *Mors etiam saxis nominibúsque venit.*

Lege Lipsum [b].

Item,

> [c] *Non indignemur mortalia corpora solui,*
> *Cernimus exemplis* (vt Populoniæ) *oppida posse mori.*

Cæterùm hoc loco per vetitam reædificationem ciuitatis, quæ idololatriam admisisset, relicto vero Dei cultu, vrbs diaboli, Babylónque magna, inquit Rabanus, designatur, cum qua reges terræ fornicati sunt, & in quam declamat Ioannes [d]; *Cadet aliquando, nec resurget, aut reædificabitur.*

a Iosue 6. 26. — b suprà. — c 3. Reg. 16. 34. — d in Iosue 6. q. 60. — e ibid. q. 53. — f 1. de offic. & ora. pro domo. — g in Gracchis. — h in Punicis. — i lib. 2. — k histo. — l tomo 2. — m li. 3. Ode 3. — n in paneg. — o c. 26. 14. — p c. 13. 18. & seqq. — q c. 51. 29. 43. — r in Esa. 13. — s 1. Semest. cap 8. — t Gal. 2. 18. — u apud Cic. lib. 4. ep. 5.

a Aus. epig. 34. — b 1. de constantia c. 16. — c Rutilius Numatianus in itinerar. — d Apoc. 18. a. 21. & seq.

Vers. 17.] Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: vt auertatur ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicétque te, sicut iurauit patribus tuis.

VT, exerceretur magis populus idololatriam, iubetur abstinere penitus ab earum rerum vsurpatione, quæ pertineant ad ciuitatem, ob idololatriæ crimen combustam, cum omnibus quæ in ea sunt, vsque ad pecora, & cuncta supellectili; ita vt nihil non consecretur Deo ritu anathematis; qui ea ratione placandus est ne propter commissam à ciuitate idololatriam, aut si quid quis rerum dictarum furetur, sæuiat in populum Hebræum vniuersum; sed huius misertus, & numero crescere faciat, & muneribus, iuxta vetera promissa patribus eiusdem facta cum iuramento. Cùm contra mandatum Dei, vt Iericho esset anathema, & omnia quæ in ea erant, excepta Rahab, & iis qui degebant in domo eius [e]; Achan aliquid furatus esset de anathemate, nempe pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulam auream quinquaginta siclorum; ideóque infœliciter primùm populus aduersùs Hai pugnasset; oraculóque, ac sortibus deprehensus fuisset; luere pœnam cremationis, tum lapidationis coactus est manibus populi totius; atque cuncta quæ illius fuerant igne consumpta sunt; & aceruus magnus lapidum super eum congregatus, auersúsque furor Domini ab Hebræis, vocato nomine loci illius [f], Vallis Achor.

Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua.] Tertullianus [g] (*nec adhærebit quidquam manibus tuis ex deuotamento eius.*) Cyprianus [h] antè hæc reticuit. De vocabulo anathematis, quod Græcè scribitur vel ἀνάθεμα, vel ἀνάθημα, & Hebraicè חרם *cherem*, monui cap. 7. [i] egisse me, libri prioris c. 21. [k] & Leuitici 27. [l] & Act. Apost. c. 23. [m] Vltimo loco quod Interpres transtulit (*deuouerũt*) Græcè est (ἀναθεματίσωμεν) Syriacè חרמו *acharemu*, ita vt aptè Tertullianus pro anathemate denotamentum posuerit. Hugo hoc loco, anathema docet aliud esse quod suspendebatur in templo, vt gladius Goliæ in tabernaculo [n]; aliud quod omnino comburebatur & comminuebatur,

Paraphr. — e Iosue 6. 17. — f c. 7. toto. — Explanatio. — g Scorp. cap. 2. — h de exhor. mart. c. 5. — i vers. 26. — k vers. 3. — l vers. 28. — m vers. 12. — n 1. Reg. 17. 54.

vt spolia Iericho. Narrat verò de quadam meretrice conuersa per quendam eremitam, quæ combussit quidquid stupro acquisierat; dicens quòd fortè melius fuisset dare pauperibus: sed in detestationem peccati factum id esse. Nollet Oleaster exponi חרם cherem per anathema, quia hoc importet separationem; illud succisionem, vel exterminium. Hanc etiam acceptionem habet anathema.

Vt auertatur Dominus ab ira furoris sui.] Tertullianus & Cyprianus (*ab indignatione iræ suæ.*) Posset etiam reddi (*à furore iræ suæ*, ἀπὸ τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, מחרון אפו *mecharon appo.*) Quid vocabula valeant, & quo pacto in Deum ira, indignatio, furor cadat, sæpiùs locis aliis declaratum est.

Et misereatur tui.] Omisit editio nostra ante ista, illa alia quæ sunt in aliis (*& det tibi misericordiam*, &c.) quæ iuxta vim phrasis Hebrææ Chaldææque, vnà cùm hîc expressis, denotant intimum, ac, vt ita dicam, viscceralem affectum: propter רחם *rechem* nomen, & verbum רחם *racham*, vt aliàs docui. Ad misericordiam hanc pertinebat, non permittere diffundi malum idololatriæ, cuius permissio in vna ciuitate ab irato Deo proueneat: ac maior misericordia est non sinere, vt quis à peccati vincatur tentatione, quàm victum ea peccantémque non punire.

Multiplicétque te.] Tum prole, tum opibus: quia sumpto de idololatra ciuitate supplicio, vt obtemperaretur Dei præcepto; reliquus populus vtrumque illud meruisset, ac saltem impedimentum non apposuisset diuinæ beneficentiæ tam sæpe ac seriò patribus promissæ.

Sicut iurauit patribus tuis.] Græcè in Bibliis Complutensibus ac Regiis additur nomen κύριος, *Dominus*. De iuramento isto, & qua ratione conueniat Deo iurare, crebrò annotatum est.

Vers. 18.] Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

Paraphra. Complementum totatæ promissionis Dei de multiplicatione populi secundùm pluralitatem prolium, atque multitudinem facultatum pendet ex obedientia omnium præceptorum ipsius; nominatim autem eorum quæ tradita sunt in isto capite, vt colatur vnicus verus Deus, vitetur idololatria, idololatriæ crimen ilico seuerèque puniatur: quibus in rebus complacet sibi plurimum Deus, ac vt maximè caras, & summi momenti magnopere commendat.

Explanatio. *Quando audieris vocem Domini Dei tui.*] Particula כי *chi*, & ארי *ari* vt plurimum significat (*quia*) ἐὰν verò (*si*) & in codicibus Complutensibus, Regiísque est εἰσακούσητε pluraliter cum pronomine σοῦ singulari. Denique audire vocem, idem est quod obedire voci. Quòd si distingoas à sequenti membro, poterit significare obedientiam mentis, siue voluntatis. *Audire, idē quod obedire.*

Custodiens omnia præcepta eius.] Ad operis executionem hoc spectat, sicut alibi, quando iungitur auditioni vocis, aut verbi. Aliquando tamen etiam post istud custodiendi verbum adiungitur [a] facere, vel præponitur; aut additur implere, aut ambulare in viis Domini: interdum copulantur custodire, audire vocem, seruire, adhærere Domino [b]. Custodire quocumque ordine ponatur, importat magnam æstimationem de diuinis præceptis, & diligentem curam, ne quod excidat vel e memoria, & intelligentia, vel ex executione, quando se offert operis executio, vt sis memor ac intelligens eorum ad faciendum ea. Hoc insinuant sequentia.

[a] Exo. 16. 26. Leuit. 18. 5. c. 19. 37. c. 20. 8. 22. c. 22. 31. c. 25. 18. c. 26. 3. Deut. 5. 32. cap. 6. 17. 25. c. 7. 11. 12. c. 8. 6. c. 11. 22. [b] Deut. 13. 4.

Quæ ego præcipio tibi hodie vt facias.] Familiare esse Mosi, hoc præsertim libro, dicere quòd ipsemet præcipiat, sæpiùs vidimus, rationémque reddidimus, tametsi non nisi quæ à Deo ipso accepisset præcepta traderet. Proximè quoque monui custodiam mandatorum referri ad hoc vt fiant, operéque impleantur. Postremò (*hodie*) idem est quod (*isto tempore.*) Quod cùm sæpiùs repetatur, signum est, non omnia eodem die proposita esse. *Hodie, pro isto tempore.*

Quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.] Hebraicè & Chaldaicè *rectum*, ישר *iaschar*, כשר *chaschar*: Græcè (*bonum & placitum*, καλὸν καὶ ἀρεστόν.) Eodem modo priùs cap. 6. [c] & 12. [d] etsi addatur nonnunquam in aliis quoque editionibus cum recto bonum.

[c] vers. 18. [d] v. 25. 28.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMIQVARTI.

CONTINENTVR isto capite leges de animalium munditia & immunditia quantum ad vsum comedendi, quæ differt ab illa quæ spectat ad sacrificium: deinde de soluendis decimis secundis & tertiis, siue de ordinariis & extraordinariis, præter primas, de quibus actum fuerat libri præcedentis cap. 18. quemadmodum de immundis animalibus non manducandis in Leuitici cap. 11. Attingitur preterea præceptum de fugiendo ritu Gentium super mortuo, & quidem ipso capitis exordio: item commendatur beneficentia erga peregrinos, & maximè erga Leuitas: denique circa ipsam comestionem cauetur, ne ante octiduum sumatur animal in cibum. Nexus capitis cum priore traditur à Lyrano; vt quia in eo inhibita est idololatria, hîc destruatur in signo & modo se habendi circa mortuos, & circa cibos; deinde instituatur latria, quatenus imperantur decimæ ad sustentationem sacrorum ministrorum: addito demum præcepto sustentandi pauperes, ne cogerentur Hebræi corrogare à Gentilibus eleemosynas, aut etiam seruitute propriam emere sustentationem, sicque idolothyta etiam edere, ac tandem hoc modo pertrahi ad cultum idololatriæ. Rickelius, quia hinc incipit plurimorum enumeratio præceptorum, & ex R. Moyse Aquinatem refert recensere tot quot sunt dies in anno, vel in homine ossa: Gulielmum autem Parisiensem sexcenta tredecim, vtrumque concilıat per distinctionem inter mandata & præcepta; vt mandata medio quodam modo se habeant apud Hebræos inter obligantia præcepta & consilia: R. verò Moyses de obligantibus dumtaxat sic locutus. Atqui apud R.[a] Moysem lego præcepta affirmatiua 218. secundùm numerum membrorum, vt ipse loquitur: & 365. iuxta numerum dierum anni. In catalogo autem Hebræo ponuntur 613. videlicet ex affirmatiuis 365. ex negatiuis 248. quem numerum dictus Gulielmus[b] docens virtutum numerum excedere non posse quadragenarium: tantæ verò multitudinis præceptorum causam fuisse ruditatem populi, egentis fractionibus ac minutiis panum, non panibus integris: vt idololatria vitaretur ab occupatis circa tam multa quæ videbantur alioquin absurda, nullámque vtilitatem afferentia: ne librorum paucitas & paruitas mandatorum occasio foret nouitio illi populo euagandi ad libros humanarum traditionum, & varios errores atque superstitiones sectandi; ita vt diu idcirco nec philosophiæ operam dare ausi fuerint, donec inter Gentes commixti sunt, præsertim Chaldæos: hoc ipsum legem velle, cùm hanc asserit eorum esse sapientiam, & intellectum[c]: vtque ad legem magis recurrerent, & ad testimonium[d]: & in lege meditarentur die ac nocte[e]; sedentes in domo, & ambulantes in itinere; dormientes atque consurgentes, &c. Verùm hæc expendere non vacat, & de huiusmodi multitudine præceptorum alibi egimus.

a 3. doctoris dubiorũ c. 56 57.
b de legibus c. 1. pag. 23.
c Deut. 4. 6.
d Esa. 8. 20.
e Psal. 1. 2.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1. FILII estote Domini Dei vestri: A non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo.

2. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

3. Ne comedatis quæ immunda sunt.

4. Hoc est animal quod comedere debetis, Bouem, & ouem & capram,

5. Ceruum & capream, bubalum, tragelaphũ, pygargum, orygẽ, camelopardalum.

6. Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis.

7. De his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis.

8. Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit. carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tangetis.

9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas & squamas, comedite:

10. Quæ absque pinnulis & squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.

11. Omnes aues mundas comedite. A

12. Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliætum,

13. Ixion, & vulturem ac miluum iuxta genus suum:

14. Et omne coruini generis,

15. Et struthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem iuxta genus suum:

16. Herodium ac cygnum, & ibin,

17. Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem.

18. Onocrotalum, & charadrium, singula in genere suo: vpupam quoque & vespertilionem. B

19. Et omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.

20. Omne quod mundum est, comedite.

21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hœdum in lacte matris suæ.

22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos, C

23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis: vt discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.

24. Cùm autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibíque benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,

25. Vendes omnia, & in pretium rediges, portabísque manu tua, & proficisceris ad locū quē elegerit Dominus Deus tuus: D

26. Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua:

27. Et Leuites qui intra portas tuas est, caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas. E

29. Veniétque Leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Vers. 1.] Filij estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo.

Vers. 2.] Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

PARAPHR.

GRaues profectò, & admodum efficaces causæ ad idololatriam, quæ priore capite iam seuerè prohibita est, vitandam, eásque res, quibus abstrahi vel retardari possent Hebræi a vero & pio cultu Dei fugiendas: quales nimij ob mortem suorum doloris demonstrationes, dilacerando carnes proprias, & capillum vellendo quoniam dedecent ista maximè illos, qui se meminerint à Deo adoptatos in filios; ipsius religioni deditos dedicatósque; ab eodem Deo, qui omnium dominus rerum & hominum est; præ aliis omnibus hominibus electū ac dilectū, atque tanquā suimet peculij, thesaurique pretiosioris loco habitum; quibus nimirū præter huius æui bona, fœlicitatem reseruet immortalem; quam neque credere videntur, neque sperare qui de morte contristantur aliorum [a] tam impotenter. In Leuitici cap. 19. [b] dixi quæ huc spectant ad illa verba; *neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis? Ego Dominus.* Rursum c. 21. [c] *Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.* Protuli præterea ex Ieremia [d], *non se incident, neque caluitium fiet pro eis.* Recitaui eadem de re profana testimonia, & ex Hebræo præceptorum negatiuorum catalogo nonnulla [e]. Monui quoque videri communiorem expositionem locorum illorum (quod & de hoc nostro affirmo) vt immodicus inhibeatur planctus, non ita verò superstitiosa illa cruentatio sacrificantium, qualem sacerdotes Baal vsurparunt [f], & alij. Paucis hic igitur opus erit.

[a] 1. Thess. 4. 13.
[b] v. 27. 28.
[c] vers. 5.
[d] c. 16. 6.
[e] præcep. 61. 62. 63.
[f] 3. Reg. 18. 38.

Explanatio.

Filij estote Domini Dei vestri.] Sic etiam Græcè modo imperatiuo ἔστε: Hebraicè, Chaldaicéque pronomeo dumtaxat est absque verbo אַתֶּם *atthem*, אַתּוּן *atthun*, cui potest subintelligi *estis*, aut *eritis*, quorum posterius imperatiui vice poni solet. Abulensis [g] perinde ac si verti deberet ex Hebræo (*estis*) præfert nostram translationem. Sed æquè potuit ex eadem lingua reddi (*eritis*) id est, vt dixi, (*estote*) sicut & mutato accentu, ex Græca editione transferri posset (*estis*) si nimirum legeretur (ἐστέ) non autem (ἔστε.) Filiationem diuinam Hebræis tributam rectè idē Abulensis admonet adoptiuè sumi, non verò naturaliter, indéque probari Hebræos hoc modo filios Dei, debere cauere ab omni immunditia, præsertim ab illa, qua Gentiles idololatræ contaminabantur. Patrem Hebræi Deum vocare putetant, non modò dominum: licèt lex ipsa eorum diceretur seruitutis; euangelica verò filiorum Dei; vt aliàs demonstratum est. Cognationem arctissimam hominis cum Deo à perfectione oriri Iacobus [h] Aluares noster hinc probat, sicut etiā ex verbis Christi [i]; *estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est, vtque sitis filij patris vestri*, quod exaggerat Chrysostomus [k]; & ex epistola ad Galatas [l]; *quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in cordo vestra clamantem Abba Pater,*

[g] quæst. 1.
[h] to. 1. de vita spirit. lib. 4. p. 1. c. 8.
[i] Mat. 5. 48.
[k] ib. hom. 18.
[l] c. 4. 6.

& ex

* c. 1. 12.

& ex Euangelio Ioannis *; *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*; & ex eiusdem epistola; *videte qualem caritatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus; & nunc filij Dei sumus.* Ostendit præterea, inter iustos, quibus commune est vt sint filij Dei, illos qui perfectioni student, præcipuos filios, omnium dilectissimos, velutique maiores censeri; quemadmodum inter homines contingit, vt licèt omnes ex eodem nati, ob communionem naturæ filij nominentur ipsius & sint, quidam lineamentis, complexione, moribus patrem magis referant, eorúmque comparatione alij videantur filij non esse, nec ita sint hi cari patri suo vt illi. Nam *filius sapiens lætificat patrem, filius verò stultus mæstitia est matris suæ* [a]. *Qui instituuntur in Ecclesia*, inquit Gregorius [b], *quasi paruuli adhuc filij sunt: sed qui magnis meritis etiam in virum perfectum occurrit, frater est Redemptoris.* Filius quem Dauid ex Abigail habuit, vocatus est Daniel [c], id est, iudicium Dei, desiderante signum aliquod patre, quo vt suus agnosceretur, nec putaretur esse filius Nabal, qui fuerat prior maritus Abigail: quod cùm obtinuisset Dauid, mutante faciem pueri Deo, simillimamque reddente faciei Dauid, appellatus est deinceps Cheleab [d], id est, sicut pater, patrive similis. Id quidem, quod refertur à Lyrano in 2. Regum 3. & 1 Paral. 3. ex R. Salomone, scribitúrque in historia scholastica, & à R. Kimhi, commentitium est, ac planè falsum, vt demonstrat [e] Abulensis: quamuis reuera eiusdem filij Dauid illa nomina duo fuerint: tamen valet nonnihil per modum cuiusdam apologi ad id quod agimus, nec alio sensu vel ratione ab Aluare nostro velim adhibitum. R. Dauid explanans id Psalmi 2. [f] (*prædicans præceptum eius*) & iungendo sequentibus (*Dominus dixit ad me, filius meus es tu.*) ac legendo (*narrabo ad præceptum*) docet Dauidē significare habuisse se regnum à Deo qui ipsum in filium acceperit; omnem namque qui obediat ad cultum Dei, vocari filium eius: tandémque præsentem citat locum. Peculiaris ac magis proprius testamento nouo est, vt Deus cognominetur Pater; sícque vaticinatio impleatur [g] Esaiæ vocandum fuisse Patrem futuri sæculi, vt noster Bartholomæus [h] de Scobar ostendit, proferens varios alios titulos vsitatos in vetere testamento. Simul verò monet iungi hic cum filiis Dei nomen Domini, vt qui filij sunt agnoscant eundem dominum, qui pater dici esséque dignatus est; quemadmodum Esaias [i] dixit; *Pater noster es tu; nos verò lutum*; (parœmialiter lutum & figmentum, humiliationem denotant [k],) immò B. Virgo cùm ipsi pro summa post Deum dignitas deferretur matris Dei, ancillam se Domini appellauit [l]. Verè omnino auctor epistolæ ad Demetriadem, qui dicitur Hieronymus [m], *non est*, ait, *exhortatio vehementior, quàm qua nos Scriptura diuina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat & metuat tanto patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus?* Hæc Oleaster apte annotat hoc loco à peccatis & immunditiis retrahi præcipuè, qui se meminerunt esse filios Dei, tam honorabilis, & mundi ab omni sorde patris: & cùm aliquid occurrit faciendum peccatum, occurrere statim debere cuius capitis, & cuius simus corporis membra, vt diuinæ consortes facti naturæ, (sunt hæc Leonis [n] Papæ) nolimus in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire; cùm etiam Tobias Saræ sponsæ suggessit, vt priusquam commiscerentur vacarent

a Prou. 10. 1.
b l. 4. in 1 Reg. 10.
c 1. Par. 3. 1.
d 2. Reg. 3. 3.
e in 1. Par. 3. q. 2.
f v. 6.
g c. 9. 6.
h serm. 6 de test. Christi.
i c. 64. 8.
Lutum & figmentum humiliationis nota.
k Iob. 10. 8. 9 ps. 102. 14
l Luc. 1. 38.
m tom. 9. epist. 1.
n serm. 1. de natiu. Dom.

A orationi, sícque iungerentur Deo per triduum, quoniam filij sanctorum essent, & non possent ita coniungi sicut gentes quæ ignorant Deum [a].

a Tobiæ 8. 5.

Non vos incidetis.] In Leuitici cap. 19. [b] (*super mortuo non incidetis carnes vestras.*) Inde repetenda quæ præsenti loco conducunt. Sed in præsenti loco est vnicum Græcum verbum οὐ κόψεσθε, *non incidemini*, de quo ibidem, déque nomine κοπετῷ pro planctu. Extat id verbum in codicibus Complutensibus ac Regiis. Eugubinus meminit aliorum, in quibus est οὐ φοιβήσετε, *non puberascetis, non pubertatem ducetis*: vel οὐ φοιβάσετε, *ne à Phœbo petatis oracula.* Hoc vltimo modo legit Theodoretus [c], exponitque διὰ τὸ μὲν οὐ φοιβάσετε, τὰς μαντείας ἐξέβαλε: φοῖβον γὰρ τὸν ψευδόμαντιν ἐκάλουν τὸν πύθιον, *per id quod dicitur non* φοιβάσετε, *oracula eiecit. Phœbum enim falsum vatem appellabant Pythium.* B Primam lectionem præfert Eugubinus, vetatque vult, ne pubertas incidatur, id est, mentum, vbi enascitur barba: nec de vaticiniis hîc orationem esse: nisi fortè arbitrati sint L X X. verbum גדד *gadad* deduci à גד *gad*, quod fortunam vel stellam Iouis significat, & hunc esse Phœbum. Sed expositionem dictam confirmat, quia mox infertur inhibitio de caluitio super mortuo, cum quo non videtur permiscendus fuisse sermo de vaticinio. Cyrillus Alexandrinus in catena Græca m. s. legens quoque οὐ φοιβάσετε, idque à φοῖβος, qui sit Apollo Solque, cuius etymon sit seu C significatio καθαρὸν εἶναι καὶ ἀμίαντον, *purum esse ac sine macula*; sensum præcepti vult esse, ne quis purgari velit circa mortuum, quasi contrahatur in anima ex morte corporali macula: atque ob eandem causam pilum vellendum non esse: Sed tali purgatione in anima potiùs contrahi peccatum οὐ γὰρ ὁ τοιᾶ δὴ κάθαρσις ἀνίησι ψυχὴν ἀδικήσει δὲ μᾶλλον. Vtrumque quod ex Theodoreto & Cyrillo protuli, postea recitatum breuiùs reperi in scholiis ad Biblia Græca Sixtina, in quibus nihil est quod huic nostro textui respondeat, sed immediatè de caluitio scribitur. Quòd Eugubinus habet suspectam lectionem verbi φοιβάσετε, potest multo magis lectio verbi φοιβήσετε suspecta haberi; immò penitus falsa, quoniam non extat D id verbum aut nomen φοῖβος pro puberascere ac pubertate, sed ἡβάσκω & ἥβη, aut certè ἐφηβάσκω & ἐφηβία. Videtur Cyrillum Procopius, vt solet, transcripsisse; addens Dei solius esse purgare animum, ac veniam dare delictorum, idque à Christo factum per institutionem baptismi: purificationes legales melioris huius figuras fuisse; differentes autem à Gentilitiis, quibus admiscebantur incantationes, sal, hordeum, aqua marina, transitio per ignem; de quibus propriè φοιβάσετε, inquit, dicitur. Hebræum תתגדדו *thithgodedu* redditur *lacerabitis vos ipsos* à Pagnino, Vatablo, Caietano, & aliis, idque cultris, vel vnguibus: & Vatablus ad faciem restringit: talémque lacerationem Caietanus ait vsque in præsens tempus à E mulieribus fieri. Oleaster volens vetari, ne quis idolorum se signet stigmatibus, aut ne in eorum honorem sese, vt de sacerdotibus Baal scriptum [d] est, cùm eodem Hebræo verbo, cultris incidat; asserit propriè per istud verbum significari ducere exercitum, vel turmam, inde verò incidere puncturis multis, in morem exercitus: atque sic qui apud Ieremiam [e] dicuntur in editione nostra non solùm rasi barba, & scissis vestibus, sed etiam squallentes, & Græcè κοπτόμενοι, *plangentes*, dici Hebraicè מתגדדים *mithgodedim*, quasi laceratos,

b v. 28.
c q. 14.
d 3 Reg. 18. 28.
e c. 41. 5.

ratos, aut punctatos multitudine punctionum per modum exercitus. Munsterus apostata ex opinione Iudæorum notat prohiberi lacerationem corporis & euulsionem crinium, non autem lacerationem vestium: ritus autem illorum in planctu hos esse. Morituros monetur vt confessionem faciat ore vel corde, & repudiet vxorem, hoc est, licentiam det nubendi post mortem: mox vt mortuus fuerit, propinquiores quique lacerent vestimenta sua nec comedant in illa domo die illo, sed foris: non comedant carnes aut bibant vinum, nisi fuerit sabbatum: non lauent corpus vel vngant per septem dies: lectum sternant in pauimento, & à Venere abstineant, nudis pedibus sequantur funus: lucernam accendant in pauimento domus per septem noctes, quòd credant animam defuncti redire ad locum illum, vbi à corpore discessit, & deplorare dissolutionem suam. Recitat eadem Genebrardus, ac simul officium lugentium quo Iudæi vtuntur. Ex Ezechiele [a] colligitur, in luctu siue planctu defunctorum deponi solitos calceos, ora velari, comedi cibos lugentium: quæ fusè declarantur à Prado nostro, & Gaspare Sanctio, & Cornelio: ac nominatim etiam ritus caput operiendi, pedes nudandi, os velandi, cibos proprios luctui instituendi, quæ *περίδειπνα* Græci vocabant, appellarique parentale conuiuium potest ac ferale. Eadem profanis testimoniis & exemplis confirmant: atque in Ieremiæ præterea c. 16. [b] de iisdem disputans post alios qui de funeribus agunt: quod & nos variis in locis præstitimus. Eo loco Ieremiæ Hieronymus testatur suo etiam tempore quosdam Iudæos in luctu incidisse lacertos sibi, atque id Iob quoque fecisse.

Ritus Iudæorum in luctu defunctorum.

a c. 24. 17.

b v. 4. & seqq.

Nec facietis caluitium super mortuo.] Secundùm reliquas editiones (*nec ponetis caluitium inter oculos super mortuo*, siue *propter mortuum*) id est, non tondebitis partem anteriorem capitis quæ est inter oculos vestros, cùm quis ex amicis vestris vita functus fuerit, sicut Gentes faciunt, quæ spem non [c] habent, inquit Vatablus, nempe de resurrectione. Glossa interlinearis præcedens membrum sumens de incisione in honorem idolorum, qualem sacerdotes Baal in seipsis exercuerunt [d]; hoc interpretatur de capillis, quos detonsos Ethnici mortuis consecrabant; proiiciendo, vt Hugo notat, in ignem eorum. Tribuit Rickelius eamdem superstitionem nonnullis hæreticis, tondendi suos capillos, & mortuis consecrandi. Illos hæreticos nondum comperi, sed Nazaræos, qui, Philastrio teste, omnem virtutem iustitiæ ponebant in crine, quem nutriebant quasi à Samsone illo sibi hoc indici præsumentes, quòd Nazaræi vocarentur; à quo postea Pagani fortes viros ex illius figura metientes, Herculem nuncuparunt. Theodoretus [e] ait prohiberi *τὴν τοῦ πένθους ἀμετρίαν*, *luctus* seu *planctus immodicitatem*: quia Gentiles aliqui capillos resecabant, offerentes defunctis; quidam pilos genarum: alij superciliorum seu ciliorum, denique frontales. Egi de caluitio & in libro Leuitici [f], præterque alios legi possunt qui in amphitheatro Socraticæ sapientiæ recensentur Ioannes Tardinus, Hugo Baldus, Cœlius Calcagninus, Antonius Hotomannus, ex quibus & ex aliis caluitij laus vituperatione dici potest. Ad rem præsentem facit; quòd prohibitum videatur Hebræis caluitium, Ethnicis in funere vsitatum, inter oculos; non autem in aliis locis, vt capitis rasura: Nam scribit Esaias [g], quòd vocaturus esset Dominus ad fletum,

c 1. Thess. 4. 13.

d 3. Reg. 18. 28.

Detonsi capilli mortuis consecrati.

e q. 14.

f in c. 13. 43.

g c. 22. 12.

& ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci: Amos [a], quòd induceret super omne dorsum saccum, & super omne caput caluitium: Ezechiel [b], quòd esset in omni facie confusio, & in omnibus capitibus caluitium: Ieremias [c], quòd omne caput caluitium, & omnis barba rasa, in cunctis manibus colligatio, super omne dorsum cilicium: item [d], vt prius quòd octoginta viri venerunt rasi barba, & scissis vestibus, & squallentes: adhæc [e] quòd non sepelirentur, neque plangerentur, & non se inciderent, neque caluitium fieret pro eis: tandem [f], quòd venit caluitium super Gazam, &c. Iob audito filiorum interitu, tonso capite, corruit in terram [g]. Denique tonsio capitis, vt & abrasio barbæ, vbi coma, barbaque prolixior ornamento erat, luctum designabat, & mœrorem, vt notatis locis, ac aliis [h] præterea videre est; necnon captiuitatem, seruilem contumeliam, ignominiam, opprobriumque [i]: vbi abrasa barba, & caput tonsum amabatur, erant intonsi in luctu, quemadmodum de Ioseph [k], séque Miphiboseth [l] proditum est.

a c. 8. 10.

b c. 7. 18.

c c. 48. 37.

d c. 41. 5.

e c. 16. 6.

f c. 47. 5.

g Iob 1. 20.

h 1. Esd. 9. 3. Esa. 15. 2. c. 22. 12. Ier. 7. 29. Ezech. 24. 17. 23. Michæ. 1. 16.

i 1. Reg. 10. 4. 2. Esd. 13. 1. 1. Par. 19. 4. Deut. 32. 42. Ezech. 29. 18.

k Gen. 41. 14.

l 2. Reg. 19. 24.

Quoniam populus es sanctus Domino Deo tuo.] Ad emphasim pertinet pronomen (*tu*) in Hebræo, Chaldæóque textu: in posteriore autem (*coram Domino Deo tuo*, קדם יי אלהך *kodam Iehouah Elohach.*) Quod, inquit Caietanus, dixerat (*filij estis Domini Dei vestri*) modò manifestat à munditia cómuni toti populo, relatiué ad diuinum cultum: & huiusmodi munditiam non ex seipsis, sed ex diuina electione consecutos fuisse commemorat, vt omnino se agnoscant prælatos reliquis omnibus populis; ac per hoc non degenerent in mores aliorum. Exigit Deus præsertim à ministris sacris, sanctitatem, quoniam ipse sit sanctus [m]: totus tamen etiam populus cognominatur sanctus [n].

Et te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram.] Hebraice & Chaldaice (*& te elegit Dominus*) Græcè (*Dominus Deus tuus, vt sis ei tu, &c.*) & iuxta omnes illas editiones (*super faciem terræ:*) pro populo peculiari Hebræa vocat סגלה *segullah*, *peculij*; Chaldæa חביב *chabbib*, *dilectum*: Græca *περιούσιον*, *peculiarem* vel *egregium*, &c. prout exposui c. 7. [o] vbi est eadem sententia; *populus es sanctus Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Quod eodem loco de notione peculij inter alias notaui, obseruat hoc loco etiam Abulensis [p], dici specialem pecuniam, quam patris familias filius nondum emancipatus possidet, éstque distincta à bonis paternis, & vocatur castrensis vel quasi castrensis, videlicet quam is acquisiuit in castris & militando; vel aduocando, docendo, &c. atque pluris ab eo fieri solet quàm ipsamet bona paterna, quamuis hæc plura & maiora sint. Tales Hebræos fuisse aliorum respectu apud Deum, significat ipsemet Deus in Exodo [q]. *Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Propterea si audiret populus ille vocem Domini, faceretque omnia quæ loquebatur siue præcipiebat, pollicitus est se inimicum futurum inimicis eius, & afflicturum affligentes eum, foréque vt præcederet ipsum Angelus suus [r]. Hieronymus [s] declarans quo pacto dicatur apud Matthæum [t] Græcè panis *ἐπιούσιος*, quem transtulit *supersubstantialem*, dicénsque a L X X. reddi solere *περιούσιος*, monet, istius

m Leu. 11. 44. & 19. 2. c. 20. 7. 26. c. 21. 8. Num. 15. 40. c. 16. 5. 7.

n Deut. 7. 6. c. 14. 21. c. 26. 19.

o v. 6.

p q. 2.

q c. 19. 5. 6.

r c. 23. 25.

s in Matth. 6.

t c. 6. 11.

loco

loco reperiri סְגֻלָּה *fegullah*, quod Symmachus transferat ἐξαίρετον, *præcipuum* vel *egregium*.

Verf.3.] Ne comedatis quæ immunda funt:

Verf.4.] Hoc eft animal quod comedere debetis; bouem & ouem, & capram,

Verf.5.] Ceruum & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

Verf.6.] Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis.

Paraphr.

IN hoc textu, & in fequentibus aliquot verfibus vfque ad 22. agitur de cibis ex animalibus quibus vefci liceret, ac proinde quantum ad hunc vfum cenferentur effe munda, & quibus non liceret, ideóque haberentur eadem ratione immunda. Quia verò de re eadem præceptum ac dictum eft fusè in Leuiti c.11. propterea fi quid hic diuerfum ac proprium occurret, omiffis aliis, annotabitur; ponendo, quod ibidem, & alibi dixi, repetítque paulò fufiùs Abulenfis [a], nullos cibos natura fua effe immundos, aut illicitos: iuftis tamen de caufis, aut ad exercendam obedientiam; aut ad mortificationé carnis, feu ad exercendam temperantiam: aut ad vitandum fcandalum, periculúmve idololatriæ; aut ad præfiguranda quædam myfteria & mores, prohibitos effe, vel prohiberi poffe. Vltimam caufam affert fæpe contra Manichæos Auguftinus [b]: Tertullianus [c] fecundam. *Et fi lex*, ait ifte, *aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta funt* [d], *confilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impofitos illi gulæ agnofce; quæ cùm panem ederet Angelorum* [e], *cucumeres & pepones Ægyptiorum defiderabat* [f]. *Agnofce fimul & comitibus gulæ, libidini fcilicet, atque luxuriæ profpectum, quæ ferè ventris caftigatione frigefcunt.* Addit alias caufas; vt pecuniæ ardor reftingueretur ex parte quæ de victus neceffitate caufatur, pretioforum ciborum ambitionem detractam: vt faciliùs homo ad ieiunandum Deo fuimaretur; paucis & non gloriofis efcis affuefactus, & nihil de lautioribus efuriturus. Alioqui, fi per fe hoc, fimiliáque accipiantur vetera præcepta, ac non fecundùm Dei iudicium, *à quo nihil difpofitum*, inquit [g], *eft verè modicum & ignobile, & contemptibile, ftultitia & infirmitas, & inhoneftas, & pufillitas, & contemptui deputari poffent. Quid ftultius, quid infirmius, quàm facrificiorum cruentorum, & holocauftomatum nidoroforum à Deo exactio? Quid infirmius, quàm vafculorum, & grabatorum purgatio? Quid inhoneftius, quàm carnis iam erubefcentis alia dedecoratio? Quid tam humile, quàm talionis indictio? Quid tam contemptibile, quàm ciborum exceptio?* &c. Poftea [h] fubiicit quam dixi tertiam caufam, quòd latere voluerit Deus fub figuris, allegoriis, ænigmatibus reuelanda poftmodum in Chrifto, pofito in lumen nationum à creatore promittente per Efaiæ vocem, patefacturum fe thefauros inuifibiles & occultos. Nouatiani apud eundem epiftula de cibis Iudaicis eft, qua idem docet [i]; nimirum animalia non effe damnata ab inftitutore fui culpa, fed homines in pecoribus eruditos, vt ad immaculatam inftitutionis fuæ poffent redire naturam. Denique funt in eo auctore eædem quæ in Tertulliano caufæ. Tractauit hoc argumentum Antonius Balinghem nofter de morali ex brutis capienda vtilitate.

Aliqui cibi prohibiti, & cur.

a q.3. b cont. Fauft.c.7. l. 32 c.4.cont. Adimantū c.15.l 5.homil in 45. c 2.cont. Marc. c.18. d Gen.1. 22. e pf.77 25. f Num.11. 5. g 5.cont. Marc.c.5. h c.6. i c.3.

Ne comedatis quæ immunda funt.] Habent editiones aliæ (*omnem abominationem*, כָּל־תּוֹעֵבָה *chol thobhebah*, כָּל דִּמְרַחַק *chol dimrachak*, πᾶν βδέλυγμα. Intelliguntur verò carnes animalium immundorum, vt loquitur Vatablus, accipiendo carnes latiùs, vt pifcibus quoque conueniunt, de quibus hîc etiam agitur. De immunditia quòd per fe ac naturaliter nulla fit, fed ex lege diuina, paulò antè dixi, alibíque magis ex inftituto.

Explanatio.

Hoc eft animal quod comedere debetis.] Iuxta reliquas editiones (*hæc pecora quæ comedetis.*) Vnde *debere* idem eft quod poffe: aut pofita voluntate comedendi animalia, hæc oportebat comedere. Idem fenfus verbi *debere* in fimili fententia Leuitici c.11. [a] vbi etiam carent eo editiones aliæ: *hæc funt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.*

Debere & poffe idem effe.

a v.2.

Bouem, & ouem, & capram.] Hebraicè & Chaldaicè (*bouem, pecus ouium, & pecus caprarum.*) Eft enim bos vel taurus vel vitulus (quamuis diftinctis nominibus appellari poffint) שׁוֹר *fcior*, & pluraliter תּוֹרִין *thorin*. שֶׂה *feh* bis repetitum commune nomen agno & hœdo: oues כְּשָׂבִים *chefabim*. אִמְּרִין *immerin*, agni, oues רְחֵלִין *rachelin*: hœdos Chaldæi vocant גַּדְיִין *gedayn*, capras iidem & Hebræi eodem nomine: fed hi cum litera *nun* in fine, illi cum *mem* עִזִּין *hhizzin*, & עִזִּים *hhizzim*, Græcè funt μόσχος ἐκ βοῶν, ἀμνὸς ἐκ προβάτων, χίμαρος ἐξ αἰγῶν, *vitulus ex bobus, agnus ex ouibus, hœdus ex capris.* Attamen fas erat ex his generibus manducare animalia, quæ facrificio etiam apta erant, in vtrouis fexu, & in qualibet ætate. Origenes [b] ait hoc loco non negligenter confiderandum, quàm dignum in animalibus mundis enumerandis ordinem tenuerit Mofes, vt primò vitulum, fecundò agnum, tertiò hircum fcriberet, ex his autem quæ non offeruntur ad altare, primò ceruum, fecundò capream nominaret, & ita poft hæc reliqua: rationem his quibus abũdantior gratia fpiritalis in dono fcientiæ conceffa eft, per Spiritum fanctum manifeftam & euidentem fieri. Rationem illam ipfe non affert; ex phyfiologia autem peti poteft eorumdem animalium, éxque ordine nobilitatis qui eft inter illa.

b hom.3. in Cant.

Ceruum & capream.] Hæc duo in cap.12. [c] bis coniuncta vidimus; vbi de his nonnihil egimus: myfticè verò citatus Origenes enarrans Canticum canticorum, in quo fæpiùs [d] copulantur, aut hinnuli, applicando ad Chriftum; quæ in re nunc nolo inhærere.

c v.15.22. d c.2.7.9.c. 3.5.c.8.14.

Bubalum.] Græcè βούβαλον, Chaldaicè יַחְמוּרָא *iachmura*, ex Hebræo יַחְמוּר *iachmur*. Vertunt hebraizantes ibidem, bouem fylueftrem, animal capris paulo maius, genus quoddam cerui, capram rupicolam, animal fimile capræ magnæ, afinum ferum & fylueftrem, magnitudine, forma, colore afini, mira velocitate, humiliorem ceruo, ramis rarioribus, cornibus lanugine obductis, vngulis bifidis. Gloffa interlinearis & Hugo confundunt cum bifonte, quem fimul, fed mendosè, Hugo vocat infontem. Monent paffim Catholici Enarratores imperitiffimos Hebræos effe circa nomina

mina propriis animalium, herbarum, lapidum, vt hoc loco Caietanus, Oleaster, Eugubinus, Sa, Mariana: sed Eugubinus in his putuia credendum L X X. Mariana alia animalia significari quàm quæ interpretes pro illis substituunt. Ego verò auctori editionis nostræ fidem in primis habendam sentio. Io 3. Regum bubalos nominat editio nostra, vbi Hebraicè singulari numero יחמור *iachmur*, pluraliter Chaldaicè *iachmurin*: Græcè nihil ad hoc spectans: quemadmodum nec quid reperitur in editionibus aliis quod respondeat nostræ habenti partem assæ carnis bubalæ. In Amos cap. 6. quod legimus; *numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis?* pro bubalis sunt Hebraicè בקרים *bekarim*, Chaldaicè תוריא *thoraya*, quæ nomina boues taurósve significant: sed Græcè dispar valdè sententia, nec vlla mentio de bubalis, bobúsve. Ibi Ribera noster docet בקר *bakar* omnem bouem significare tam domesticum quàm syluestrem: rectè nihilominus bubalos reddi qui sunt syluestres boues, nigri, & parui, retortis cornibus, paruo pilo, paruáque cauda, sed magna velocitate, quibus abundet Italia, & ad plaustra aratrionémve iis vtitur: olim eidem ignoti, multóque quàm nunc ferociores, vt iugum nullo modo tolererent. Vlysses Aldrouandus vniuersam istius animalis physiologiam diligenter persequitur, post Contadum Gesnerum eiusdoxum, Petrum Bellonium, Iulium Cæsarem Scaligerum, Isidorum, Plinium, Martialem, & alios, distinguens bubalum veterum, & vulgarem qui *buffelus* dicitur; sed quo nomine à veteribus appelletur, ignorare se profitetur. Plinius quidem, & Solinus ab imperito vulgo bubalu aiunt nominati, qui propriè sit vrus; idémque sentit de Martiali Scholiastes Radetus, cùm atrocem cognominat, vt ex vulgi loquatur sensu vsúve. Alter de nostris Delrius deprehendit confundentes bubalum cum vro: Cerda item noster, emendans in Virgilio

Syluestres vri assiduè, capreæque sequaces
Illudunt,

volénsque legi (*syluestres tauri*) quia loquebatur Poëta de re, quam aut ipse oculis & Itali reliqui cernebant; aut certè sciebat agricolas vulgò experimento pati, quòd nimirum assiduè frondes infestarent, cùm vri tamen in Germaniæ tantùm sylua Hercinia prouenirent, teste auctore de bello Gallico, siue is sit Iulius Cæsar, siue Iulius Celsus (de quo erratus Delrius) aut in Pyrinæo, auctore Seruio; aut in Gallia, vt innuit Macrobius, scribens vros esse vocem Gallicam; non in Africa, vt sentit Doiotrius: hæc, inquam, omnia postquam scripsit Cerda, contendit syluestres tauros, qui corruptè illo Virgilij loco dicantur vri, bubalos esse, quorum magna copia in Italia, quósque Isidorus sic vocatos docet per deriuationem, quòd sint similes boum: Confirmat Agathiæ testimonio, qui narrat Theodebertum regem periisse in venatione votus bubali ictu sauciatum; appellátque taurum ingentem excelsis cornibus, non domito & aratori tauro similem, sed syluestrem & montanum, & quidquid obuium sit disperdentem cornibus: & quòd *βούβαλος τοῦτ γένος καλεῖν*; *bubalos hoc genus vocant*. Addit falsum Plinium, cùm taros bubalos in Italia scripsit, vt & asserendo esse similes ceruorum: es vicina Africa verò, vbi gignuntur, facilè adduci potuisse. Simul respondet posse Virgilij præceptum rusticum capi pro Africa: posse versus legi pro vris: posse, terentis vris, per hos intelligi cum Radeto, non veros, sed tauros syluestres, id est, bubalos; quia bubalos vulgus nominabat veros, vt Plinius, Solinúsque affirmauerunt. Otiosa extera descriptione istius bestiæ quam hic in Vrbe habemus quotidie præ oculis nun sine noxæ terrore; quod attinet ad vsum in cibis, etsi carnes nimis melancholicæ dicantur, nec boni saporis, ita vt Baptista Fiera præceperit;

Bubalus hinc abeat, néve intret prandia nostra:
Non edat hunc quisquam sub iuga semper eat.

nihilominus easei bubalini in pretio habentur ac bubulis præferuntur; carnibus autem Iudæi libenter vescuntur.

Tragelaphum.] Græca vox est τραγέλαφος: nec alibi extat, quàm hic, in Scriptura: Hebraica אקו *akko*, Chaldæa יעלא *iabbla*. Eugubinus, interpretans Latinè hircoceruum, quasi ex hirco & ceruo commixtum animal (quod etiam Glossa interlinearis & Hugo de vtriusque dicunt similitudine) notat à nonnullis putari fictitium quid, vt à Philosophis, ex dialecticis (potuit Origenem addere.) Plinium testari eumdem esse cum ceruo, barba tantùm, & armorum villis distantem: Hebræis esse hircum syluestrem. Hoc asserit etiam Vatablus, Abulensis, Marzilla, Leonardus Marius, &c. Ioannes Benedictus, & porstata Munsterus capricornum vertunt. Pagninus refert opiniones de ibice, de alce, immò & de quodam genere auis. Cornelius noster sentit esse animal ex hirco & cerua progenitum, ad Phasim fluuium. Refellit Leonardus Marius, quia videantur immunda Iudæis animalia omnia fuisse diuersarum specierum, sicut & specierum diuersarum admissura eis vetita erat: ideo speciem aliquam hic intelligi per se diuersam, & ab aliis distinctam; quæ tamen aliquam simul hicci & cerui similitudinem habeat: exponi quidem ab Hebræis hircum syluestrem, sed non describi qualis is sit, & ab hirco domestico specie differat, an non: denique vocem ipsam אקו *akko* incertæ significationis esse. Chaldæa יעלא *iabbla* valet capream, quasi ascendentem dicas, & peculiariter eam quæ cognominatur rupicola. Translatio Gallica habet *cheureul*, vel *boucaffin*, vel *bouc sauuage*. Iulius Cæsar Scaliger negat fabulam esse tragelaphum, sed hircum facit, cerui bísque ceruum magnitudine, pilo, cauda, clunibus: pectus villorum frequentia tectum habere, vt & hioc hircus sit: si Philosophus hippelaphi (quasi equiceruum dicas) sui cornua describeret, intelligi posse, an esset idem cum tragelapho, aut rarando. Vlysses Aldrouandus ex Georgio Fabricio, Georgióque Agricola similia tradit; nec rectè Plinium scripsisse, non alibi tragelaphum, quàm iuxta Phasim amnem nasci, cùm in Germanicis, Bohemicisque nascatur syluis. Retulit mihi fide dignus vidisse se ac degustasse in Cypro insula eiusmodi feram qualis descripta est. Omnino esui aptum animal oportet esse: cùm de iis hic agatur, quæ comedi possint: quales sunt non ibex, aut alce, aut capricornus: de auibus autem seorsim postea scribitur. Ex commistione diuersarum specierum eam ortam non concedo; & Mario assentior, omne genus hybridum immundum Iudæis habitum, verisimile esse. Mitto poculi buiusce appellationis apud Athenæum; fortassis quòd animalis istius figuram repræsentaret. Moraliter Petrus Bercorius, ex parte ceruos, & ex parte hircos considerat illos, qui partim videntur iusti, partim iniusti; villosi vt hirci, ac bar

(Marginalia: a c.4.13. b 2 Reg 6. 19. 1.Paral. 16.3. c v.13. d num.40. Bubalus. e de quadr. l.1.c.5.& 6. f hist. de animal. g 1.obserua. c.50. h exercitat. 206 2.3.& 5. i l.8.etym. c.1. k l.8.c.15. l de spectac. epig.23. m supra. n c.32. o in Senecæ Hippolytū. p in Georg. 2.v.373. not 6. q 1.Georg. r l.6. s in 2.Geor. t l.6.c.4. u in Martialem suprà. x in Etym. y l.hist. z l.8.c.15. a 4 periarchon. b l.8.c.33. c exercit. 207. d de quadr. l.1.c.19. e l.14.c. f reductorij moral.c.95.)

ac barbati, hoc est, pleni diuitiis, secularique sapientia; facie ad terram prona, id est, inclinatione ad terrena & temporalia.

Pygargum.

Pygargum.] Sic etiam Græcè πύγαργον: Hebraicè דִּישֹׁן *discion*, Chaldaicè רִימָא *rema*. Hebræum nomen, quod hoc tantùm occurrit loco, sicut & Græcum, latinitatéque donatum, reddunt Gallicè *licorne*, vnicornem, vel speciem aquilæ; vel damæ simile capreæ genus, de quo Plinius [a]. Præfert vltimam sententiam Cornelius noster meritò, Leonardúsque Marius; quia inter animalia immunda ponuntur aquilæ omnes in Leuitici cap. 11.[b] præterquam quòd vt antè dixi, separatim hîc paulò pòst agitur de auibus. Græcum tamen nomen constat adiectiuè nates albas habentem significare, ac proinde etiam effœminatum: substantiuè aquilæ genus cauda albicante, quam vocari volunt aliqui Albicillam; aut erodij speciem. Legendi Aristoteles [c], Plinius [d], Suidas [e]: de huius nominis volucre. A themate דּוּשׁ *dus*, *triturare*, deriuans דִּישֹׁן *discion* apud Pagninum Mercerus meminit opinionis de vnicorne; quem hîc Chaldæorum vocabulum רִימָא *rema* significat: de bisonte; quæ vox non abludat ab Hebræa: de animali, cui duo cornua ad dorsum recurua, quibus ventilet & proterat aduersa. Marinus confitens ignorare quale animal sit, idem refert de bisonte, quòd sit quoque nomē Italicum, necnon quam eadem lingua nominat buffalam. Quale quale demum velis esse, ad cibum oportet esse idoneum. Talem pygargum Iuuenalis [f] connumerat cum lepore, apro, Scythicis volucribus (id est, phasianis à Phasi Colchorum fluuio vnde transportatæ sunt) phœnicoptero, oryge.

a l. 8. c. 53.
b v. 13.
c 9. hist. animal. c. 32.
d l. 10. c. 3.
e verbo πύγαργος.
f Saty. 11.

Sed nec structor erit, cui credere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & tota sonat vlmea cœna suburra:

Ibi vetus scholiastes pygargum docet feram esse specie cerui, quæ retriores partes albas habeat: Græcè autem πυγὴν nates significare: Britannicū genus caprearum, prout ex Plinio retulimus, necnon & aquilarum, vt eumdem scribere diximus. Vlysses [g] Aldrouandus, cùm tam peculiari nota nullum caprarum genus hoc sæculo dari videatur, coniicit πύγαργον dici potuisse, quòd nates habeat id animal minimè otiosas; sed aut valdè instructas ad cursum, aut quia sit maximè ad Venerem procliue, & salax. Adhæc refert ex Glossa huius loci, de animali simili hirco & ceruo: & ex Bartholomæo Anglico, quòd sit barbatum & cornutum instar hirci, minus ceruo, maius hirco, simile hircoceruo, miræ velocitatis, frequentans loca syluosa & deserta. Illud de non otiosis natibus per antiphrasim accipiendum est; si πύγαργος ex ἀργός vt idem est quod ἄεργος: vel ἄργιος, *celer* deriuandum, quasi πυγάργιος. quemadmodum aquila dicitur à Macedonibus, Hesychio teste, ἀργίπους, id est, *celeripes*, quia ὀξύτατος τῶν πετεινῶν, *celerrimus auium*. Rickelius refert opinionem de aue à pyge, id est, nates, vel depressum, & argos, quod est onus, quia est paruæ quantitatis: tamen sumi nunc pro animali gressibili, quoniam infrà fit de auibus mentio, & animalia gressibilia, non volatilia pariter exprimuntur. Petrus [h] Bercorius posita pygargi physiologia de genere caprearum (caprarum syluestrium, quòd non multum sit dissimilis damis barbatus sicut hircus, velox & findens vngulam sicut ceruus, inhabitans nemora & deserta: talem ait esse debere religiosum & virum perfectum: barbatum, per constantiæ virilitatem, & prudentiæ maturitatem: velocem per obedientiam, & bonam operationem; findentem vngulam per discretionem: mundum per puritatem & continentiam: habitatorem deserti & nemoris, per asperitatem & pœnitentiam. Addit ex Hugone pygargum esse auem paruam & depressam, à pyga, quod est depressio. Sed hoc, inquit, non supponitur Deuteronomij 14. & ideo nihil ad præsens, nisi quòd tales sunt pauperes, qui in mundo sunt parui quoad diuitias, & depressi per tribulationes. Quis Hugo ille sit nescio, & notationem ignoro: in Hugone de S. Victore non inuenio: Hugo Cardinalis hoc loco ignotum ait esse istud animal & sequens, ideóque nullam de illis glossam poni.

g 1. de quadrup. c. 15.
h reduct. mor. c. 8c.

Oryx.

Orygem.] Græcè ὄρυγα, Hebraicè תְּאוֹ *theo*, Chaldaicè תּוֹרְבָּלָא *thurbela*. Vertit Vatablus vrum: Munsterus apostata bouem syluestrem, Gallica Biblia eodem pacto *bœuf sauuage*. De Hebræo vocabulo thesaurus Hebræus Pagnini docet exponi à R. Dauid bouem syluestrem: ab aliis vrum, vel turonem: per antiphrasim sic vocari à תָּאַב *thaab* limitari, quòd se circumscribi non patiatur, vel à stupiditate: prætereà inuersis literis seu transpositis תּוֹא *tho* apud Esaiam [a] reddi à Hieronymo orygem, à R. Abraham genus auis: à L X X. pro *sicut oryx illaqueatus*, betam semicoctam: σεῦτλον ἡμίεφθον: Chaldæum quod diximus, exponi etiam bouem syluestrem à R. Salomone. Cæterùm hoc idem Chaldæum translationis Latinæ auctor in Bibliis Complutensibus & Regiis orygem hîc transfert: in Esaia Pagninus bouem syluestrem: alij hîc & ibi bubalum. Marinus bouem syluestrem, vrum, turonem: rursus in Esaia Procopius auem. Hoc vltimum alienum est à proposito, quamuis id ibidem asserat R. Abraham, vt dixi: nec vllum alicuius nominis legi, qui ὄρυγα auem asserat, sed aquatile vnum, terrestria duo, vt obseruauit Vlysses [b] Aldrouandus. Apud Esaiam autem Hieronymus monet pro hac bestia, quam vocat orygem, & nasci scribit in eremo, ponique inter munda animalia in Deuteronomio (hîc videlicet) L X X. Syra lingua opinatos *thorath* (rectiùs *thored*) fuisse quæ dicitur *beta*. Ibidem Glossa interlinearis appellat animal immundum, nec sacrificio aptum: Lyranus immundum, de quo scribatur in Deuteronomio. Immundum erat quidem quantum ad vsum sacrificij, sed non quantum ad esum communem, de quo hîc agitur, & ei conceditur. Græci nominis, quod quidam etiam scribunt ὄρυξ, etymum est ab ὀρύττω seu ὀρύσσω *fodio*: quia lactei coloris corpus habens, genas nigricantes, dorsum opimum, & quasi geminum luna ad ortum accedente terram fodit prioribus pedibus: & cornu, vel cornibus duobus, vt Oppiano [c] placet, atricoloribus, tanquam mucronibus acutissimis, ære, ferro, silice durioribus, intus cauis & venenatis, validissimè confodit (Strabo [d] Æthiopas qui Silli vocantur, orygum cornibus pro armis vti scribit in bello contra Struthiophagos:) & miri roboris in Commodo argumentum prodit Lampridius, quod orygis cornu hasta, vel basto, id est, fuste, seu baculo, Italicè (*bastone*, transmitteret) nec metuens canes, nec venatores, non tauros, apros, vrsos, pantheras, leones, quos cùm videt irruentes, immotus præstolatur impetum, capite inclinato,

a c. 51. 20.
b 1. de quadrup. c. 24.
Τοῦ Oryx etymon.
c 2. Cyneg.
d lib. 16.

inclinato, & fronte versùs terram obfirmata connitens, nox inuadens aluum forat, contigera fronte paulùm obliquata. Recitat ista Delrius [a] noster ex citato Oppiano: præterea ex Plinio [b], quòd oryx bisulcam habeat vngulam; pilos retrouersos; semiferum animal sit, in Ægypto caniculæ sydus exoriens veneretur sternutando. Ex Aristotele [c] mutuatus videtur Plinius, describente bisulcum & vnicornem. Quo in Aristotelem enarrans Iulius [d] Cæsar Scaliger (secutus in partiendo textu diuersam rationem) vocat animal barbarum ex Africa; cum Iuuenale [e] Getulum (Africæ pars Getulia, & Plinius [f] Getulos latrones reperiis in eius corpore salubettimi liquoris vesicis sitim sedare prodit) cum Plinio Ægyptium Reseti verò ab Afris irrideri solitos Ægyptios teste Plutarcho [g], (addi potuit Ælianus [h], Albertus [i], auctor libri de natura rerum) qui dictam illam quasi venerationem caniculæ, quam κύων appellabant, in sua bestia admiratentur, eùm Libycæ quoque capellæ id facerent. Pierius quidem, quem citat Aldrouandus [k], ea de causa per hoc animal pictum sculptumve hieroglyphicè mathematicum hominem intellectum obseruauit. Plura Aldrouandus, & quod læsum cognominet Martialis [l]: Columella [m] muneribus annumerare videatur. Quod attigi de Commodo ex Lampridio, orygis cornu hasta transfixisse, Casaubonus hæreticus Lampridium enucleans, negat de oryge vero loqui, cuius cornu prælongum & adeò dutum, vt instar ferri fecerit: nec semper apud Latinos orygis appellatione illud animal accipi. Græcis dictum. Nicolaus Chaussinus noster in notis ad Horum [n] Apollinem, quæ ab hoc auctore scribuntur de hieroglyphico impuri scelestique animi, negat ad ὄρυγα pertinere, id est, ad coturnicem, sed ad ὄρυγα, hoc est, ad orygem; quia, præter correctiores codices quos allegat, etiam ei anteriora & posteriora dat, quod aui non conuenit; atque insidentes eidem reges, quod afferere de aue absurdum est. Rectè item corruptam notat lectionem Hori (διὸ καὶ οἱ ἱερεῖς τοῦτο μόνον τῶν πτηνῶν ἀσφράγιστον ἐσθίουσι, *ideirco & sacerdotes vnam hanc inter volucres non signatam comedunt*) & reiecto Mercero affirmante orygem alatum, & substituente θηρίων, testitum κτηνῶν, id est, *pecudum*, quoniam auis non est, sed ex genere pecudum, speciésque caprarum. Notauerat id prior Dauid [o] Hœschelius: & ex Phasianino quem citat, sacerdotes solum hoc animal ex omnibus aliis animantibus absque ingulatione comedisse. Non signatam verò hanc pecudem interpretatur Chaussinus, quia cùm vetitum esset, Herodoto [p] teste, sub capitis pœna, sacerdotibus, ne victimam immolarent, quam priùs annulo sigillari non sigillassent, excipiebatur oryx, quòd quæ deorum sigillo essent impressa, in deorum possessionem transferri viderentur: Orygem verò nefas foret Dei, maximè Solis aut Lunæ, nota inurere, & quasi eiusdem peculium facere. Nam ad ortum accedente Luna, vel Sole, inquit Horus, intentis in deam oculis intuens, vociferatur, anterioribus cruribus terram effodiens ἀναφώνει: alludit fortassis ad notionem ὄρυξ, de qua priùs) fuásque ipsius pupillas humi velut pingendo, defigit, quasi indignabundè, ac inuitè ortum deæ aspiciat, ac dei, aduersùs etiam illos tunc aluum deiiciens. Ex ea causa scribit antiquos reges, cùm sibi ortum nunciatet horarum obseruator, huic insidentes animali, per medium ipsum velut gnomones quasdam, ortus rationem ac tempus accuratè certóque cognouisse. Sed & adeò maligni ingenij ait fuisse, vt locum aquis in deserto reacentem nanciscereteur, postquam bibisset, puluerem iniiceret pedibus, lutúmque commisceret aquæ; vt nulli alij ad potum idonea esset aqua. At Chaussinus illud de regibus aliter declarat, vt iuberent orygem conscendere horoscopum, ad sic ceritùs Solis ortum dignoscendum; atque διὰ μέσου αὐτοῦ per medium orygem, siue mediante ipso, ipsiúsque inretuentu ac beneficio, & naturalis propensionis, qua Solis primas faces præuidet, horoscopi tempora discernerent. Pierius [a] lectione vsus corruptioris ὄρυγος loco ὄρυγος orygis, commemorat quæ de impuritate orygis, & malignitate protulimus ex Horo. Profectò illud τοῖς ἐμφύτοις πλέον ἀνορύττει τὴν γῆν, non aptè transtulit (*ante omnia fodicat terram*.) Ad rem pertinet præsentem præcipuè, quòd isto animali vescerentur quos memoraui, sacerdotes Ægyptij: quod cum capreolis, damis, ceruis, apud Columella [b] lautitiis orygas tradit seruiuisse: quod Iuuenalis [c] nuper nominatus de illo cecinit,

Et Getulus oryx hebeti lautissima ferro
Caditur.

Legi possunt in Esaiæ cap. 51.[d] de nostris Gaspar Sancius, & Cornelius à Lapide, & quem antea nominaui Mathæus Raderus in Martialem [e] (qui post Georgium Merulam, iure ridet Dominium Calderinum, qui Martialem per orygem vult hystricem intellexisse) & in Iuuenalem idem Merula, cum Britannico, & vetere scholiaste (vltimus orygem facit bubalo minorem, & à Mauris vocari vncem dicit; eiúsque pellem ad cunctas proficere scuta Maurorum minora) & Vincentium [f] Beluacensem, in quo est ille quoque error, quòd oryx sit animal immundum. & quidem iuxta hunc libri nostri locum: refelluntur autem qui gliriem affirmant: citantúrque Esaias, Plinius, Hieronymus, auctor libri de natura rerum; & Petrum [g] Bercorium. Hic Esaia citato, & Plinio, Iuuenale (quem putat accipere pro aue pinguissima fundi gallinæ Africanæ) Glossa Esaiæ (quæ doceat esse genus muris vel glirem, ac animal immundum, quidque declinetur ona otleis, vt furix foricis) Britone (Britonis meminit Possellinus [h] noster ordinis Minorum, qui carmine vocabula exposuerit sacrorum bibliorum) iuxta varias opiniones, affert diuersa documenta moralia. Illa duntaxat recipienda quæ nituntur vera opinione, quòd oryx orygis sit caprini generis animal mundum ad esum, sed non ad sacrificium, habens traditas priùs proprietates, ex Plinio præsertim, & aliis. Quia igitur oryx villos habet retrouersos à dorso ad caput, designari vult bonos diuites & actiuos, qui diuitias ad Christum referant, iuxta ipsius voluntatem expendendo, & in eleemosynas pauperum dispergendo; cùm peccatores illas versùs dorsum habeant, hoc est, versùs carnalem parentelam: ideo priores vt animalia munda comedi posse, id est, ab aliis per imitationem incorporari. Deinde, quoniam oryx sitit perpetuò præ aquarum penuria in Africa, vbi nascitur, & prodest tamen sitientibus, quia vesicas habet liquore saluberrimo plenas, quo Getuli latrones siti satisfaciunt: auaros denotari notat; qui perpetua quadam plusa semper ac plura habendi siti laborantes quamuis plena pecuniis habeant marsupia, illis non satiantur, sed alij & quidem plerumque raptores & iniqui; quia qui acceruat ex animo suo iniustè, alijs

Marginal notes (left): [a] in l. adag. 789. — [b] l. 8. c. 40. l. 2. c. 53. l. 11. c. 46. — [c] 2. de hist. anim. c. 1. & 3. de part. c. 2. — [d] 2. de hist. animal. c. 7. t. 30. — [e] Saty. 11. — [f] l. 10. c. 73. — [g] opuscula plus ratio. uti habeat terrestria an aquatica animantia. — [h] l. 7. c. 8. de animalib. — [i] de animalib. — [k] 1. de quadrup. c. 14. & 21. — [l] l. 13. ep. 95. — [m] l. 9. c. 1. — [n] hierogl. 49. lib. 1. — [o] in notis ad Horum Apoll. — [p] l. 2.

Marginal notes (right): [a] l. 14. c. 47. & 48. — [b] l. 9. c. 1. — [c] Saty. 11. — [d] v. 20. — [e] l. 13. epig. 95. — [f] specul. natu. l. 19. c. 98. — [g] reductor. mor. l. 10. c. 74. — [h] in apparatu.

alijs congregat, & in bonis illius altus luxuriabitur [a]. Sed apud Plinium [b] codices meliores habent *orygem perpetuo sitientia Africa generant, & natura loci potus carentem, & mirabili modo ad remedia sitientium. Nam Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum salubérrimis liquoris vesicis.* Quæ nimirum loca non orygem sitientem, vt alij legunt, sed sitientia Africæ loca. Nihilominus aliquam quoque sitim pati orygem in sitientibus locis credibile est. Rickelius intelligit bonos fideles, qui licet ad vitam religiosam inepti sint, attamen in via mandatorum salubriter ambulant.

[a] Eccl. 14. 4.
[b] l. 10. c. 73.

Camelopardalum.] Græcè καμηλοπάρδαλιν, Hebraicè זמר *zamer*, Chaldaicè דיצא *dis'a*. Ex Hebræo vertunt tarandum, alcen, capram rupicolam. Pagninus in thesauro secutus posteriorem significationem, ait à R. Ionah appellari Arabicè zoraphà, fortassis quod vulgo appellatur Giraffa, vel Girafa, vel Gyrapha, (Iulius [c] Cæsar Sealiger Giraffam à Persis vocari dicit) genus animalis magnæ altitudinis & colli oblongi, quodque Turcarum rex misserit ad Laurentium Mediceum: videri autem dictum ab incisione palmitum (palmitem vocari זמורה *zemorah*) seu ramorum quos habeat in cornibus. Alij ter Rangiferum, & Lattinus Ramiferum seu Ramigerum. Frustrà laborat Abulensis legens cameleopardalum, & à cameleonte paruo vel ne discrimen tradeos, disputatásque [d] an cameleon ad omnem colorem appositum mutetur. Scribi debet nomen dicti animalculi chamæleon, Græcè χαμαιλέων: camelopardus autem est ex κάμηλος & πάρδος, aut πάρδαλος, aut πάρδαλις. Nostrum autem camelopardalum ait idem esse quadrupes, habens caput simile camelo, collum simile equo, in reliquo corpore maculis aspersum vt pardum: pedes bubalo similes. Glossa, Hugo, Rickelius, Lyranus, albis maculis respersum docent, capite camelo similem, collo equino, pedibus bubalo, per cætera pardum; in Æthiopia nasci. Plinius [e] facit procerītate similem camelo, colore pantheræ, albis maculis rutilum colorem distinguentibus, tenui ceruice, capite similem dicto camelo, pedibus & cruribus boui. Vlysses [f] Aldrouandus, risve qui clusdem defuncti scripta collegit, refellit existimantes camelopardalum (barbarè vult dici cameleopardalum, licet Vopiscus [g] & alij eo modo nominent) quòd ex camelo & pardale generetur; quia pardalis qui & πάρδις, hybrida sit nec valeat generare: ait denominari à camelo & pardo, vel etiam à leopardo. Deinde, præfatus nihil de hoc animali Aristotelem prodidisse, aut Ælianum, profert ex Samuelis Purchasij peregrinatione [h] mixtum naturanis ex leopardo, ceruo, bubalo, pardale, camelo, ratione posteriorum tibiarum curtarum, anteriorum multò longiorum, gramine sine summâ difficultate depasci non posse, sed ingenti suo & elato capite, quod ad lanceæ altitudinem erigere solet, tenerioribus arborum ramis, & interno suis progerminantibus vesci. Tum Strabonem [i] recitat, in Troglodytarum regione constituentem, sed eum pardali similitudinem, quam concedunt alij, denegantem: Agatharcidem apud Phorium [k], qui eandem regionem assignaus (Plinius & Solinus citandi collocant in Æthiopia) & quas dixi proprietates; collum addit adeò prælongum, vt à summitatibus arborum pabulū carpat, ὡς ἀπ' ἄκρων τῶν δένδρων τὴν τροφὴν ποιεῖσθαι: præterea Petrum [l] Gillium, qui etiam in vrina hocanimali supponit nunquam fuisse similitudinē cum pardale, nec anteriores tibias posterioribus altiores,

[c] exercit. 209. n. 3.
[d] q. 4.
Camelopardalus.
[e] l. 8. c. 18.
[f] l. 1. de quadrup. c. 35.
[g] in Aureliano.
[h] l. 6. c. 1.
[i] l. 16.
[k] in Biblio.
[l] l. singul. c. 9.

A res, sed erutas; item Marcum [a] Polum, & Iosaphatum [b] Barbarum Venetum; qui lingua prædictum asserit longa duos pedes, subobscuti quasi violacei coloris, teretem sicut est angustarum, qua ramos, herbas, frondésque carpat, mira celeritate eos trahens, vt vix ab attento spectatore videatur. Ad hæc obseruat pluribus constare nominibus; & camelopardalim quidem dici, propter camelum, quod nomen Syriacum sit (גמל *gamal* Hebræis nomen est,) vt Varro [c] testatur, scribens in Latium sua ætate adductum, figura vt camelum, maculis vt pantheram. Alia nomina sunt; onis fera, vel ouifera [d]; quoniam in aliis regionibus oritur, sed mirescens, ac felle carens, vt camelus: nabis [e], &

B nabuna: orafius [f] (qui tamen differt) camelopardus [g], aut cameleonpardus. Scribit etiā, post Plinium [h], Solinum [i], Dionem [k], Varronem [l], à C. primùm Cæsare Dictatore Romæ Circensibus ludis publicatum, hoc est, anno vrbis 708. de quo spectaculo meminit & Horatius [m]: & aliàs postea visū in Europa sub Gordiano III. [n] Aureliano [o], Leone [p], Federico [q] Ænobarbo, & sub Laurētio [r] Mediceo: Æthiopicam vel Troglodyticam regionem, natalem esse camelopardalo; sed & Asiam; cùm Iudæis istius accolis eius eius hîc permittatur. Extat eiusdem exacta descriptio adhuc apud Oppianum [s], & Heliodorum [t]. Oppiani hæc sunt louem alloquentis & laudantis,

[a] l. 3. c. 36.
[b] in itiner. Persico c. 10.
[c] 4. de ling. Lat. c. 20.
[d] Plin. l. 8. c. 18.
[e] Solinus c. 43. Plin. sup. Albert. de anim. l. 22.
[f] Simon Maiol dier. can. dial. 7. ex Belloo spec. natur. l. 19. c. 97. ex quo etiā Albert. 22. de anim. tract. 1. c. 1.
[g] Belloac. sup.
[h] supra.
[i] supra.
[k] l. 43.
[l] 4. de ling. Lat. c. 20.
[m] L. 1. epist.
[n] Capitol.
[o] Vopiscus
[p] Suidas.
[q] Belloac. sup. Albert.
[r] supra Annales Germa. l. Politia. miscell c. 3.
[s] l. 3. Cyneg.
[t] l. 10. Æthi.

C
ὡς τοῖς ἠμετέροισιν ἐπεὶ κεράεσσιν ἔεικτο,
ἀμφοτέροις ἐτέροισιν ἀναλίκοις παρδάλιεσσι
φαίδιμον ἠμπίσχοιο δέμας γένος ἀνθρώποισιν.
δειρὴ μὲν ταναὴ, στικτὸν δέμας ἐστὶ βοτῶν·
φαιὸν ὑπερθε κάρη, ὀλίγαι πόδες, ὠρία ταρσά·
κῶλον δ' οὐκ ἴσα μέτρα, ποδες δ' οὐ πάντεσσιν ὁμοῖοι·
ἀλλ' οἱ πρόσθεν ἔασιν ἀρείονες, ὑστατίοι δὲ
πολλὸν ἐλάσσονες, καὶ δ' ἐκλάζουσιν ὅμοια.
ἐκ δὲ μέσου κεφαλῆς δίδυμον κέρας ἰθὺς ἔρωται
ὅτι κέρας κερας, παρά δ' οὐατα μεσσόθι κόρσης.
αἰσχεύα ψεδάκεσσιν ἐπαλίνδηοι κεραίας,
ἄκρον ὡς τάφοιο τέγεν στόμα, ἀντίλακεν τὸ
ὄσσε ἀρηίδελας γαλακτήχροι ἀμφί. ἰδὲ ἀλλὲ
αἰγλαν παμφανόωνται ἀπαστράπτει ὀπωπαί.
οὐρὴ δ' αὖ τ' ἐλάχεια θοαῖς ἀτε δορκαλίδεσσι,
ἄκροτερω μέλαιναι μελαινομένοισι θύσανοι.

D Quæ Ioannes Bodinus vertit:

Qualem producit specie, formáque camelo,
Pantheraque feram absimilem, vtrisque decoram:
Mortales placidos pardorum pellibus ornans.
Floriger um corpus maculis pellucet amœnum:
Exiguæ auriculæ, glabrum caput, altáque ceruix:
Lata pedis longi diffinditur extima planta,
Nec par est, sed inæqualis proportio crurum;
Atque pedum ratio quoque dispar, quippe priores
Multo maiores postremis esse videntur.
E capitis medio succrescit vtrinque cornu
Duplex, non validum, nec acuta cuspide teretum:
Ast hebes exoritur summa ceruice cacumen,
Ac veluti ceruo fatis ora rotunda dehiscunt.
Candidulisque dens, & lacti propè concolor albo:
Splendidáque ardentes radios pupilla coruscat.

E *Cauda breuis, qualis damarum, nigráque setas.*

Aliter ad verbum.

Qui hanc excogitasti camelorum prorsus variam figuram,
Dum induisti pellibus ferocibus (pantherinis) *pardalibus*
Illustre placidum, ac mansuetum genus hominibus.
Collum ei longum, maculosum corpus, aures breues:
Est superne caput, longi pedes, lata planta.
Crurū vero no æquales mensura, pedésque nō similes;
Sed anteriores sunt longiores, posteriores autem

Multo breuiores, & claudicantibus similes.
E medio capite cornu prorumpit recta geminum,
Non tamen cornu corneum, sed secundum aures in medio capitis.
Molles supra tempora exoriuntur apices.
Amplum quasi cerui rotundum os, tenuésque
Intus, infixi sunt, & lactei circa dentes
Splendorem illustrem effundunt oculi.
Cauda verò porrò est ceruina velocibus veluti damis
Summis penè nigrantibus villis.

Idem Budinus in notis legi vult non ὀρσοῖν, sed ῥωσεῖν: non πόδας δ' ὑ, sed τ' ὑ: non ἀρσρλάζαι, sed ἐσρεφλάζει ab ἐρείδω pleonasmo, & σ in δ commutato, interposito α. Mysticè Rickelius quosdam electos in hoc animali vult insinuari, qui ex gratia speciali diuersorum statuum perfectiones sortiti sunt; cùm tamen vnius sint status, atque vocationis. Petrus [a] Bercorius vocans camelopardalim vel camelopardum, ac describens animal Æthiopicum, mansuetum ad modum ouis, ruminans & findens vngulam, habens caput camelo simile, collum equo, pedes & crura bubalo, maculas sicut pardi, collum & pedes anteriores longissimos respectu posteriorum, quódque vulgò appelletur Ieraffa (aliter, vt antè dixi, Giraffa, Girafa, Gyrapha) aptat viro perfecto, & maximè religioso. Nam hic debet, inquit, esse similis oui, quantum ad mititudinem, seu mansuetudinem & benignitatem: findere vngulam per discretionem: ruminare per sacræ Scripturæ meditationem: habere caput cameli, qui se inclinat quando oneratur, vt se superioribus inclinet per humilitatem, magnatóque humiliet caput [b]: collum equi, qui illud gerit eleuatum, vt sit intentio ad cœlestia eleuata, sicútque turris eburnea [c]; & hinniat per prædicationem, iuxta id; *numquid* [d] *circumdabis collo equi hinnitum*? pedes bubali bouísve syluestris, id est, Christi; per affectus fortes ac stabiles in bono, quasíque crura similia columnis marmoreis [e]: maculas albas vt pardi, per conuersationem exteriorem diuersis virtutibus distinctam, mundum tandem oportet esse, vt comedi possit ab aliis, per imitationem. Sed & opposito modo de malis declarat; quorum caput sit camelinum, per auaritiam, quam innuit gibbus cameli: collum equinum, guttúrve, ac vox, per iactantiam, malamque locutionem, sicut equus libenter hinnit: pedes bubalini, per voluntatis & affectionis obstinationem; quemadmodum bubalus est animal indomitum & ceruicosum: pellis pardi, per crudelitatem, & iniquam operationem, quo pacto pardus præceps est ad sanguinem, &c. Cornelius noster applicat ad variabilem & hypocritam, qui varias hominum refert formas, vel quia mundum animal est ad versatilem atque gratiosum, qui omnibus omnia fit exemplo Pauli [f], & similis Vlyssi πολύτροπος est.

[a] 10. reduct. mor. c. 18.
[b] Eccl. 4. 7.
[c] Cant. 7. 4.
[d] Iob. 39. 22.
[e] Cant. 5. 15.
[f] 1. Cor. 9. 22.

Omne animal quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis.] Eadem, ac verbis iisdem, in Leuitici cap. 11. [g] habetur sententia: nisi quòd ibi pecorum nomen Latinè ponitur. Ibidē satis multa dixi vtroque sensu literali ac mystico, ex variis auctoribus: & attinguntur hîc tersus à Glossa, Radulpho, Hugone, aliisque. Postremus verò Glossam negantem quòd vngulam Iudæi findant, quia in Patrem & Filium non credunt; nec duo Testamenta recipiunt, explicat de Patre, non in quantum consideratur vt innascibilis, sed ratione paternitatis, & spirationis; & quod habuerunt quidem scientiam, sed suamet opinione, cùm negauerit Christus nosse scripturas [a]: & quòd clauem habuerunt scientiæ [b], sed quatenus claudebant, non aperiebant: vel de lepra iudicabant; vel soluebant & ligabant, cui debet esse annexa scientia. Adde citatis dicto loco, ex Ionone [c] Vitale Cardinali, nos vngulam findere, per discretionem: ruminare, per iugem beneficiorum Dei recordationem; quæ duo necessaria sunt in viro contemplatiuo, vt habeat discretas cogitationes, & circa meditationem beneficiorum Dei iuges & feruentes contemplationes. Huc reuocari potest præceptum sancti Patris nostri Ignatij [d], vt oratione seu meditatione completa, quam vngulæ fissæ comparare licet, inde surgentes, per modicum tempus quàm benè vel malè successerit examinemus: quæ reflexio etiam dicitur, atque ruminatio. Quis verò est, qui cùm scribit, vt ipse modò facio, commentarium, vel epistolam ad magnæ auctoritatis præsertim virum, non diligenter & attentè relegat, recognoscat, perpendat, examinet: *Noli vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras*, inquit Bernardus [e], *non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam iubet in libro suo.* Sed & qui cū magno Principe aliquandiu de rebus collocutus est grauissimis, in ipsomet itinere à reditu, voluit animo quam aptè quæ volebat exposuerit; quid ille responderit; quæ petitionis obtinendæ spes affulserit. Explicat idem præceptum pluribus Thomas [f] Massutius noster citans Gregorium & Augustinum, quos ipse iam priùs dicto Leuitici c. 11. citaueram cum aliis Patribus, circa mysticā vngulæ fissionē, ruminationémque. Inde quoque repete dicta de ruminatione. Sed quod citaui ex T. Pomponio in prostibulo apud Nonium

Ego rumorem parui facio, dum sit rumen
Qui impleam.

Sic restituendū cum Aldrouando [g], seu Dēpstero.

Ego rumorem parui facio, dum sit mihi rumen
Quod impleam.

Affert verò idem metaphoricas locutiones, quibus dicitur quis ruminare veteres libros [h], vel carmina [i], ruminari mulieri [k], ruminari humanitatem [l], ruminari Odysseam Homeri [m].

[a] Matt. 22. 28.
[b] Lucæ 11. 52.
[c] specu. moral. scripe. verbo contempl.
[d] lib. exerc. hebd. 1. add. 5.
[e] med. c. 6.
[f] de conu. cœlesti lib. 18. c. 8.
[g] 1. de quadrup. bisulcis c. 34. p. 905.
[h] Symma. lib. 1. ep. 5. & li. 3. ep. 13.
[k] Leuius poeta.
[l] Varro. in Tanaquill.
[m] Idem in Primargo vel potius Primaceo.

Vers. 7.] De his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis.

PRæcepto de mundis animalibus quæ comedenda sint, seu comedi possint, succedit præceptū de immundis quibus vesci non liceat, eò quod conditiones mundorum ipsis desint, fissio vngulæ & ruminatio siue vtraque simul, siue altera. Et hoc quidem versu sermo est de defectu vngulæ in iis quæ ruminant; & eorum tria ponuntur exempla, iam priùs posita in Leuitici c. 11. [n] ibidémque à nobis exposita: In vniuersū repeti potest quod ibidem Abulensis & alij tradunt; quæ vngulam non habent, nimis humidæ complexionis esse: quæ nō fissam seu bifidam ac diuisam, nimis siccā & duriā: quæ non ruminant, minùs facilè concoquere, cōcoquíque seu digeri, &c. Ex aliis prohibitis aut iā dictis, quædam sunt venenosa, vt ferè reptilia omnia ex terra viscosam, fœtidam, noxiam contrahētia humiditatem: aut vescuntur cibis immundis, vt porci, vpupæ, ciconiæ, vespertiliones, noctuæ, bubones, &c. aut male tēperata cōstāt cōplexione, vt sues carētes pinnulis & squamis: aut fera sūt & rapacia, vt gryphes, vultures, milui, aquilę, corui, &c.

Paraphr.

[n] v. 4. 5. 6.

De his

Explanatio.

De his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis.] Mariana noster benè admonet in editionibus aliis hæc ſcribi affirmatiuè (*verum tamen*, vel, *&*, *hoc*, *hæcve*, *non comedetis ex reducentibus* ſiue *aſcendere facientibus ruminationem*, *& ex diuidentibus findentibúſve*, aut, *vnguliſecantibus vngulam* vel *vngulas.*) Quam ſententiam Hieronymus aliis, inquit, verbis expreſſit. Et alioqui non poſſent poſtrema verba cum primis cohærere (*quia ruminant, & non diuidant vngulam*) quæ nimirum in iiſdem aliis editionibus habent negationem. Itaque vult hîc in illis ſuppleri (*tantum*) *non comedetis ex reducentibus ruminationem tantum*, *& ex diuidentibus vngulam tantum.* Idem annotandum fuerat ad Leuitici c. 11.[a] quod Mariana non fecit, nec ego, aliúſve quod ſciam: immò & primus ille id hoc loco videtur obſeruaſſe. Inde autem repetendum quod notauimos cum Caietano, Clario, Oleaſtro requiri ſecundùm alias editiones ad munditiam animalis tres conditiones, vt ruminet, vt findat vngulam ſeu biſulcam bifidamve habeat; vt findat fiſſuram vngulæ: camelum, chœrogryllum, leporem quamuis ruminent & findant vngulam, non findere fiſſuram vngulæ. Leonardus quoque Marius notat in Leuitico de triplici conditione, ita vt duo priora aliarum editionum membra contineant diuiſionem incoatam vngularum, non perfectam, ſicut contingit camelo, equo, aſino, mulo, quæ ea parte ſolùm ſcindunt vngulam, & supernè quidem incoant diuiſionem, non tamen vſque ad finem perficiunt: & aliam ex toto ſupernè & infernè diuiſam vngulam: ſed vtramque diuiſionem editio noſtra vno verbo ſit complexa, eo quòd non ſoleat equus & alia nominata à me animalia recenſeri inter fiſſipeda, ſed ſolidipeda; & quia nimis ſiccæ complexionis ſunt, non conueniunt nutrimento hominis, ideóque inter immunda ponuntur. Hoc autem loco idem Auctor monet ſupplendam in reliquis editionibus negationem ad ſecundum membrum (*de his quæ non findunt vngulam*:) vel quia duplex eſt vngulæ diuiſio, vt eſt dictum, exponi poſſe affirmatiuam lectionem de ſemiplena, negatiuam de plena.

a v. 4.

Vt camelum.] De hoc in citato Leuitici loco diximus; ſed nondum prodierat eruditum Vlyſſis Aldrouandi opus de quadrupedibus biſulcis, in cuius cap. 34. copioſè ac eruditè pro more diſputat poſt Iulium[b] Cæſarem Scaligerum & alios multos antiquos recentéſque; ac præcipuè Conradū[c] Geſnerum hæreticum. Cameli vox & κάμηλος affinis eſt Hebrææ גָּמָל *gamal.* Varróque[d] Syriacam eſſe affirmat; Strabo[e] Aſſyriam, ita vt laborandū non fuerit Iſidoro[f] in deriuando à χαμαὶ, quòd quando oneratur vt breuior & humilior fiat, accumbat; vel quia curuus eſt dorſo, camor autem verbo Græco (καμπύλον, forſitan dicere voluit) curuum ſignificat: nec Eueno Pario apud Artemidorum[g] & Horo[h] Apollini, à κάμπτειν, hoc eſt, curuans femora, κάμπτων μηρὺς. Pro fune nautico ſumitur idem nomen, quamuis per iota ſcribi velit Suidas κάμιλον, & ſcholiaſtes Ariſtophanis[i] τὸ παχὺ σχοινίον ᾧ χρῶνται οἱ ναῦται πρὸς τὸ ῥίπτειν τὰς ἀγκύρας, *craſſum funem quo vtuntur nautæ ad proiiciendum ancoras.* Ita verò etiam quidam intelligunt illud ex Euangelio[k] de camelo per foramen acus intrante: meminitque Theophylactus[l] ac Euthymius[m], cùm tamen Syriacè non niſi animal eſſe poſſit, nempe גַּמְלָא *gamala*: & ſcribatur ibidem Græcè per κάμηλος: vis

b exerc. 209. n. 2.
c de anim.
d 4. de ling. Lat.
e l. 17.
f 12. etym. c. 1.
g 1. oniroc. c. 5.
h in hierog.
i in Veſp. ſ.
k Matth. 19. 24.
l ibid.
m ibidem.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

autem ſententiæ quà quod minimè fieri poſſit ſignificatur, magis exprimatur per nomen animalis. Omitto cum figmentum de porta Ieroſolymitana valdè humili quæ ſit tamen acus nominaretur; ita vt per eam tranſire camelus niſi exoneratus nequiret. Meminit Maldonatus[a] noſter, Suidæ tribuens opinionem de fune; qui vt dixi, hoc aſſerit de nomine κάμιλος per iota. Animalis porrò iſtius vſus fuit in bellis, itineribus, oneribus ferendis, conuiuiis, ſacrificiis, ſacris certaminibus, veſtitu, medicina: quæ omnia tractat Aldrouandus longo eruditóque ſermone pertractat cū vniuerſa eiuſdem phyſiologia & proprietatibus, atque adiunctis numiſmatibus, mythologicis, parœmiis, ſomniorum interpretamentis, hieroglyphicis, theologicis, myſticis: præterea cultu ſuperſtitioſo Mahometanorum erga illum quo Mahomet vectus dicitur, & erga eum qui Alcorani geſtet codicem, apud quos etiam Mahometanos adhibeatur idem animal ad ſacrificium. In libro 5.[b] Athenæus ex Poſidonio narrat Antiochum regem præter fercula cibariáque in ſplendido conuiuio, conuiuis dediſſe viuos anſeres, lepores, damas, equos, camelos, oportuiſſéque vt inſidens camelo biberet, & ſic ſecum auferret vnà cum aſſiſtente puero: καὶ ἔδει ἀναβάντα ἐπὶ τὴν κάμηλον πίνοντα ἕκαστον, καὶ λαβόντα τὴν κάμηλον, καὶ τὸν παρεστῶτα παῖδα. Feſellit me in Leuitici ad cap. 11. commentario[c] index Dalechampij aſſiatus Athenæo, qui habet camelum aſſatum integrum magno regi appoſitum. Eodem loco retuli vſitatum apud nonnullos cameli eſum, vt, teſte Galeno[d], Alexandrinos, Arabas, & Saracenos, omnémque fermè barbariam, addit Hieronymus[e]; quia huiuſmodi animal pro temperie & ſterilitate regionum facilè apud eos & gignitur & nutritur. Tales Galenos animo & corpore cognominat camelinos. Memini præterea Heliogabali, qui calcanea camelorum exemplo Apicij cum criſtis quas ex gallinaceis viuis detrahebat, & linguis pauonum ac luſciniarum edebat prætexens remedium epilepſiæ[f], cùm reuera iis maxima mollities inſit & teneritudo, vt ſcribit Herodianus[g]. Additur à Lampridio ſtruthiones & camelos exhibitos in cœnis ab Heliogabalo aliquoties, cùm diceret præceptum Iudæis vt ederent. Falſum eſt, ait Caſaubonus hæreticus; quoniam disertè vtriuſque animalis eſus Iudæis interdictus eſt lege Moſaica: & ſuſpicatos nonnullos ſtruthiocamelus ſcribi apud Lampridium debere, ſed repugnantibus omnibus ſcriptis editiſque codicibus. Aldrouandus exiſtimat legendum, non (*dicens præceptum Iudæis*) ſed (*edicens præcepto*) vel eſſe ſenſum (*dicens præceptū*) id eſt (*imperans*) atque præcepto ſuo vim inſerens legi Moſaicæ; vt præceptum non paſſiuè ſumatur, ſed actiuè, quod videlicet non à lege Moſaica, ſed ab Heliogabali feſtino ioco proficiſceretur. Dicere leges, eſt imponere ac imperare victis, vt proinde poſterius reſponſum veroſimilius ſit, in quo etiam communis Lampridij lectio retinetur. Ex eodem Aldrouando[h] myſtica de camelo colligi poſſunt, quæ collegit ipſe ex Gregorio, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, Ruperto, Petro Bercorio, quos eoſdem ferè nos ipſi antea, & nonnullos alios in Leuitici commentaria[i] protuleramus. Adiice Nouatianum[k] exemplo cameli ad eſum prohibiti, vitam damnati eneruem, & criminibus tortuoſam, Lege Garnerij Gregorianum, hoc eſt, allegoricas rerum in Biblijs contentarum explanationes[l].

a ibidem.
b c. 53.
c v. 4.
d 1. de aliment. facul. c. 2. l. 3. c. 2. & 6.
e 2. cont. Iouin.
f Lamprid.
g l. 4.
h ſuprà pag. 924.
i c. 11. 4.
k de cibis Iud. c. 3.
l l. 3. c. 5.

 Leporem.]

Leporem] De hoc in sæpiùs citato Leuitici c. 11.[a] vbi expressè ac distinctè scribitur quòd ruminat, sed vngulam non diuidit. Etymon de quo ibidem nominis Latini, Græci, Hebræi, fusiùs explicat noster Lælius[b] Bisciola. Mariano nostro hîc difficile videtur, quomodo lepus vngulam non diuidat: proptereáque arbitratur plerasque voces Hebraicas, vt priùs etiam retuli, esse ignotas; & potiùs illis alia animalia significari, quàm quæ interpretes pro illis substituunt, nec de his aut de consequentibus magnopere laborandum. Credere par est L X X. & Hieronymum proprietatem vocabulorum non ignorasse. Nuper autem dixi leporem bisulcum esse, vngulámque findere, sed non fissuram vngulæ. Non solùm luxuriæ lepus typus erat[c], vt eo loco dixi, sed etiam timiditatis ac ignauiæ, vnde illud *ἐν πολέμῳ λαγωός*, quod Boleslaus rex Poloniæ III. fugaci duci oblata leporis pelle cum colo & fuso significare voluit, quam is non ferens ignominiam suimet periit suspendio[d]: ob velocitatem, promptitudinis ad malum[e]: & quia simul parit, simul superfœtat, nutritque, vsuræ[f]: & propter dictum immodicum Veneris vsum (Veneri dicatus est) reformati in fœminam viri[g], seu præposterè se prostituentis: vt præterea bonas notiones vigilantiæ, venustatis, æmulationis honestæ, de quibus Pierius[h], præter alia. Inter conuitia ponit lex Salica[i] (*si quis alterum leporem clamauerit.*) Vulgò etiam tale conuitium habetur. Plinius[k] ex Catone refert somnos fieri lepore sumpto in cibis: vulgus & gratiam arbitrari corpori in septem dies, friuolo quidem ioco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione. Meminit quoque Martialis[l], & illum citat Lampridius cocum cognominans; & aliud carmen in Alexandrum Seuerum, cum eiusdem responso qui adhibebat leporem quotidie ad mensam. Parœmialiter *ἐν πᾶσι τοῖς λαγῴοις* Græci aiunt, lautissimas epulas significantes. Attamen ægrè concoqui, crassúmque ac atrabiliosum succum gignere Andreas[m] Matthiolus tradit. Epigramma Martialis sic est ad Gelliam.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti numquam, Gellia, tu leporem.

Apud Lampridium.

Quum leporem mittis, semper mihi, Gellia, mandas,
Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas,
Edisti numquam, Gellia, tu leporem.

Carmen poëtæ in Alexandrum Seuerum in Lampridio istud est;

Pulchrum quòd vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit; & lepus comesus:
Ex quo continuum capit leporem.

Responsum verò Imperatoris Græcè tale in hanc sententiam, in quo postremi versus non legibus constant suis, sed syllabis dumtaxat,

Pulchrum quòd putas esse vestrum regem
Vulgari, miserande, de fabella.
Si verum putas esse, non irascor:
Tantùm tu comedas velim lepusculos,
Vt fias, animi malis repulsis,
Pulcher; ne inuideas liuore mentis.

Martialis cognominatus meritò cocus à Lampridio[n], Ioanne Salisberiense[o], auctore Sophologij, & aliis, siue quòd artem illam exercuerit, siue quod frequenter celebret conuiuia; lepori

Lepus.
a v. 6.
b tomo 1. ber. subsec. l. 1. c. 20.
c Clem. Al. pæd. c. 10.
d Marti. Crom. l. 6.
e Hesych. in Leu. c. 11.
f Basil. in ps. 14 hom. 2.
g Nouat. de cibis Iudai. c. 3.
h l. 13. c. 1. & seqq.
i tit. 33. §. 4.
k l. 28. c. 19.
l l. 5. epig. 30.
m in Diosc. l. 2. c. 18.
n in Seuer.
o 7 polycr. c. 12. l. 8. c. 6. & 13.

A primas defert in quadrupedibus[a], vt inter aues turdo,

Inter aues turdus si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria (mattya) *prima lepus.*

Ac tametsi secus visum dixerim Matthiolo, maximi tamen carnem illam facit Mercurialis[b], qui à Galenus[c] scribit sanguinem eius in magno pretio habitum tanquam omnium suauissimum: carnem verò talem qualis est sanguis ipsa ratio dictat.

Chærogryllum.] Leuitici c. 11.[d] nomen idem extat, licèt aliqui codices habeant Chirogryllum: item Psalmo 103.[e] vbi Latinè erinaceus: & Prouerbiorum 30.[f] vbi lepusculus. Hebraicum est שָׁפָן *sciaphan*, Chaldæum טַפְזָא *taphza*, Græcum *χοιρογρύλλιος*. Eu loco putant cum cuniculo confundi, & à lepore haud multū distare, Varrone[g] teste, atque de vocabulis & reipsa egi, tum verò B attigi quod paulò antè de cibo conciliante formam. Eucherius[h] erinacium & chirogrillum (sic scribit) pro eodem sumeos, docet propè magnitudine mediocris cuniculi esse, de cauernis petrarum procedere gregatim (*χοιρὰ* rupes est;) in eremo contra mare mortuum depasci. Clemens[i] Alexandrinus videtur hyænam interpretari, scribens vnà cum lepore vetitum esum ipsius, vt discerent homines vitare luxuriam potissimùm præposteram. Vbi Heruetus scholiastes notat hyænam positam pro chærogryllo, & à nonnullis reddi erinacium: nescire autem se quem Clemēs C interpretem sit secutus: de nominibus autem animalium & herbarum (adde lapides) esse maximā apud Hebræos (quod & priùs monui ab aliis affirmatum) dubitationem, nec ipsos satis inter se consentire. Iterum moneo habendam fidē LXX. & Hieronymo, idémque nomen שָׁפָן *sciaphan* bis redditum nomine chœrogrylli, nempe hîc & in Leuitico; semel erinacij in Psalmo 103.[k] semel lepusculi[l], quæ sunt animalia diuersa, tam multiplicem habere notionem, & suam loco cuique accommodatam. Sed remitto te ad commentarium Psalmi 103. & Leuitici, vbi ex Suida[m] retuli *ἐχίνους* eosdem esse & *χοιρογρύλλιους*: & ad Vincentium[n] Bellouacensem, qui notat à Hierony- D mo nomen saphan exponi per chœrogryllum (cirogrillum scribit Vincentius mendosè) ericium, leporem, citátque de hoc animali Rodulphum & Hesychium in Leuiticum, Glossam in Prouerbia.

Hæc quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis.] Declarata sunt illa, quæ ad maiorem expressionem repetuntur. Quia verò negatio præponitur verbo secundo in omnibus editionibus, admonuimus quòd secundùm alias dempta nostra, scribitur versu sexto (*omne animal fissam habens vngulam, & vngues diuidens, & reducens ruminationem*) exponi debere quod vnam alterámve conditionem tantùm habeat, & cui vna deest: sicut lepori deest vna, &c.

E

Vers. 8.] Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tangetis.

TOtidem verbis in Leuitico[n] cauetur; *Et sus, qui cùm vngulam diuidat, non ruminat. Horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis.* Deerat prioribus conditio fissæ vngulæ, cùm ruminarent: sus non ruminat,

a l. 13. epig. 92.
b 2. variar. lect. c. 7.
c 3 de aliment. facult.
d v. 5.
e v. 18.
f v. 26.
Chærogryllus.
g 3. de re rust. c. 12.
h de variis nom. c. 12.
i 2. pædag. c. 10.
k v. 18.
l Prou. 30. 26.
m voce ἐχῖνος.
n specul. nat. l. 19. c. 33.
Parapha.
n c. 11. 7.

tominat, quamuis filam vngulam habeat. In Leuitici [a] commentario, & Petri epistolæ secundæ [b] videor quæ sufficere possint de celebri præ cæteris negato cuiuspiam esu animalis huiusce præcepto cum declaratione vocabuli secundùm linguas diuersas, atque proprietatum eiusdem, & peculiaribus causis esum illius inhibendi; satis multa dixisse, falsas refellens causas ab Ethnicis auctoribus traditas Tacito [c], Plutarcho [d], Macrobio [e], Iuuenale [f], Appione [g], & veras reddens partim literales, partim mysticas ex Clemente [h] Alexandrino, Lactantio [i], Gaudentio [k] Brixiensi, Theodoreto [l], Nouatiano [m]. Inter falsas, immò ridiculas causas poni debet, quòd sus ita vorat vt non agnoscat dominum suum, & cùm esurit, edit grunnitum ad illum. Recitat Cornelius noster in Leuitici cap. 11. ex Polycarpo ad Philippenses: vbi nihil tamen tale reperio. Maximè moralis causa turpitudo est cœnosi lutosique animalis, vt Petrus [n] indicat: porcis enim similis qui luxui dat operam, eóque delectatur, ac velut in stercore volutatur, inquit Origenes [o]. Vel quoniam nihil sus habens præter escam [p], & anima illi pro sale data [q] est: neque aliud ex animali numerosior materia ganeæ, ac quinquaginta propè sapores [r]; denotat iutum intemperantiæ deditum. Vnde & Veneri consecratus erat sus, idem salacissimus, idem voracissimus, nec proprio parcens fœtui. Communem hanc vetitis aliis animalibus Chrysostomus [s] rationem affert, cùm tamen pisce nihil immundius; gallina vermes, ceruus serpentes comedat; aqua impura sit; vinum ex vite conficiatur attrahente humorem ex stercore: quorum tamen vsum esúmve lex permittit: & qui attactu cadaueris immundus censebatur, mactato per sacrificium animali expiaretur. Idem [t] à bestiis vitia veluti mutuata demonstrat quadam inductione. Ante ipsum docuerat id Philo [u], Eusebius [x], Ambrosius [y], Hieronymus [z], Porphyrius [aa]: póstque istos Boëtius [bb] prolatis exemplis quæ peti possunt etiam ex Scripturis, vt viperæ [cc], equi [dd], vulpis, & vulpeculæ [ee], lupi [ff]. Certè non ineptè in enumerans hoc loco camelo, lepore, chœrogryllo, sue designari possunt superbi, acediosi, miniti, libidinosi, vt Hesychius in Leuitici cap. 11. contemplatur. Incidi in opus Vlyssis Aldrouandi de quadrupedibus bisulcis, cui Thomas Dempsterus Scotus professor humaniorum literarum Bononiæ, iussu Bononiensis senatus tractatus ab se compositos adiunxit de rhinocerote, camelo, camelopardale, sue, apro, sanè pereruditos. De sue docet etymologiam nominis, & porci ac scrophæ; species quindecim, & differentias septem: æquiuoca de pudendo muliebri, pisce; homine gulæ dedito, illiterato, sordido; de terra inter duos sulcos eminente quæ dicitur porca; de machina tractoria, quæ sucula: coitum cum partu, fœtuum numero, electione, voce: pastum cum cibo, saginandique modo: vsum in cibis & variis edulis: qui abstinerent à suilla, qui vescerentur: vsum in Gentilium sacris, lustrationibus, auguriis, fœderibus, bellis, spectaculis, sacro nuptiali: cultum ei diuinum delatum: & alia complura, in quibus etiam theologica: Decerpo quod addam pridem annotatis, testimonium Strabonis [gg] *δεισιδαιμονίας* fuisse, id est, superstitionis eam abstinentiam: Suidæ, quòd Antiochus direpto Ierosolymitano templo, sigillum in eo repertum, cui librum tenens manibus inerat, promissa barba, cum astante antea lucernula, suillo sanguine iungens ibi reliquerit: Cassiodori [a], quòd Adrianus in Æliæ, id est Ierosolymæ, mutato nomine hoc, portæ eius qua Bethleem egressus erat, fronte, suem sculpsit in marmore, significans, inquit, Romanæ potestati subiacere Iudæus; & omnium præterea, vt Petrus Pithæus obseruauit, vt populum Iudæorum omni aditu prohiberet: quem marmoreum suem anno 1219. capta ciuitate, Turcæ comminuerunt: Herodoti [b], quod Ægyptij à Iudæis eamdem didicerint suillæ carnis abstinentiam: Solini [c], quòd Arabes Scenitæ eadem abstineant: sicut & ex instituto Mahumeti in Alcorano [d], cur eis Saraceni, Mauri, reliquique sectatores, ac Tartari [e], atque Persiani [f]: aliorum recentiorum, quòd vescantur Persæ [g]; Chinenses [h], Syri, & Iberiges, qui Mahumetanæ sectæ non sunt. Meminit præterea præ foribus quorumdam templorum Christianorum, vel etiam in ducibus, affixas de industria suis imagines ad inde arcendos Iudæos, vel confundendos, vel eludiendos [k]. Tandem remittit nos ad Cognaci de porci nobilitate librum. Ambrosius [l] porrò scribit expugnata Ierusalem à principe Romano, Iudæos putauisse tunc factam abominationem desolationis, eo quòd caput porci in templum iecerint illudentes Romani Iudaicæ ritum obseruantiæ. Pierius [m] hieroglyphicum luxuriosi, porcum fuisse tradit; & pyramidi Menis libidinosissimi porci signum affixum: Herodotus [n], quòd si quis Ægyptius casu etiam id animal attigisset, corpus illicò & vestes abluebat. Strabo [o] soli Veneri dicatum & sacrificatum suem, quem maximè brutum vocat Plinius [p]: Cicero [q] nihil simile virtutis habens, aut motus animorum saltem ex parte, vt in aliis bestiis, sed corporum duntaxat. Tacitus [r] prodit Germanos impuris hominibus pœnam inflixisse, vt cœno immergerent. Quo pacto in porcos dæmonas missos [s] Remigius [t] considerat, & Chrysologus [u], atque hic quòd priùs erant in fœtidis monumentis. Eodem spectant damnatus apud Claudianum à Rhadamanto ingluuiosus & vorax in suem cundi: conuersi à Circe Vlyssis in porcos socij: intrusa in porci corpus anima huiuscemodi hominis, iuxta figmentum de palingenesia, &c. Lege Ioannem [x] Turres nostrum.

Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immundus erit] Iuxta Græcam editionem (*& sus, quia diuidit vngulam hoc*, nempe animal, vel *hoc*, *& diuidit vngulas vngula*, *& hoc ruminationem non ruminat*, *immundum hoc vobis*) in Hebræa & Chaldæa deest membrum secundum positum à Græca. Vt plurimum sus fissis pedibus est *δίχηλος*: alicubi tamen *μώνυξ* solipes siue solidipes seu solidas habens vngulas, vt in Illyricis, & in Pæonia, & Emathia Macedoniæ regione, teste Aristotele [y], atque Plinio [z]; quod etiam obseruauit Dempsterus [aa], post Philippum Beroaldum [bb], & Abrahamum Ortelium [cc]: quibus adde Iulium [dd] Cæsarem Scaligerum: & Dalechampium [ee], qui ex eodem Aristotele recitat in libro de admirandis auditionibus *ἐν μακεδονίᾳ τῇ ἐν τῇ ἠμαθίων χώρᾳ τὰς σῦς εἶναι μώνυχας*, *in Macedonia ea qua Emathiorum est regio*, *sues esse solipedes seu solidipedes*, *vnaúsque vngula*. Ad vocabula Latina suis, porci, scrophæ, verris, thysi, adiice vocabulum Troiæ vsitatum Italis, Gallis (qui *Truie* dicunt) & Germanis: & sic olim etiam vsurpatum Messala Coruinus tradit. Vnde orta suspicio, ab Heleno apud Virgilium [ff], patriæ amore, suem

a supra. b c. 2. vlt. c 5. annal. d 4. Sympos. q. 5. e l. 2. c. 4. f Sat. 6. g apud Iosephum 1. c. 61. Appion. h 3. pæd. c. 11. 7. Strom. c. 3. i l. 4. c. 17. k tract. 15. qui est de Machab. l 7. de affect. Græcor. m de cibis Iudaic. c. 3. n supra. o hom. 1. in ps. 37. p Cic. 2. de nat. deor. q M. Varro 2. de re rust. c. 4. Cic. suprà ex Chrysippo & Tulc. 5. Philo in carmine c. 24. r Plin. l. 8. c. 51. Liuius decad. 4. l. 5. Plut. in Flaminio & in apophth. Rhodig. l. 15. c. 15. s in 1. ad Timoth. 3. t hom. 4. in Matth. & hom. 47. in actus Apost. u lib. de præmiis & pœnis, & lib. de leg. non scriptis. x 7. de præpar. c. 3. y in ps. 118. octon. 10. z in Esa. 25. aa de abstin. ab animat. bb consol. philos. l. 4. prosa 3. cc Matth. 3. 7. dd Ier. 5. 8. ee Lucæ 13. 32. Cant. 2. 15. ff Lucæ 3. 10. gg l. 16.

a in chro. a l. aduers. subiec. c. 3. b in Melp. c c. 46. d mozar. 33. 34. e Haikley. to 3 nauig. f Paula. g Philip. Camera. oper. subsecu. cent 3 c. 12. h Calpar da Cruz. Antonio Dalmeda Barros, Escalanta. Nicol. Trigault. exp. Sina l. 1 c. 3. i Samuel Purchas. k Sitrô Mathæo tract. de Iudæorum perfidia. l lib 10. in Lucæ c. 22. m l. 9. n l. 2. o l. 7. p l. 8. c. 51. q 3 de finib. r de morib. German. s Matth. 8. 31. t ibidem. u serm. 16. & 17. x 3. Philos. moralis Hisp. c. 9. Explanatio. Sur. y 2. de hist. animal. c. 1. z l. 11. c. 46. aa apud Aldrouandum de quadrup. bisul. c. 36. bb in Apule. l. 3. cc thesau. Geogr. c. 11. dd in Arist. 2. de hist. animal. c. 1. sed iuxta distinctionem Gaza. ee in Plin. supra. ff 3. Æn.

Ioannis Lorini Comment. in Deut.

ſuem datum ſignum ad faoſtum omen, condendæ nimitum Albæ longæ, vbi porca alba vel aduecta inde Troia poſt fugam reperta: vel fortè oblata, catulos triginta enixa eſt, indicans aut 30. annos, quibus Lauinij primùm innoratum; aut annorum 300. tempus, quo antequam Roma conderetur, fuit regnum in Alba.

Carnibus eorum non veſcemini.] Refertur ad ſuem, & ad priùs nominatos chœrogryllum, leporem, camelum.

Et cadauera non tangetis.] Idem de his verbis dicendum, quæ etiam cum præcedentibus habentur in Leuitico [a]. Ibi monui tactum iſtiuſmodi cadauerum prohibitum fuiſſe ſiue ſponte mortua fuiſſent, ſiue occiſa: mundorum autem animalium cadauera tangi potuiſſe ſicut & occidi ad manducandum, niſi morticina eſſent θνησιμαῖα, & נְבֵלִים neualim, id eſt, quæ per ſe morerentur, aut occiderentur à beſtia, aut etiam ab homine, ſed ita vt poſt aliquot dies expoſita reperirentur. Ibidem additur (*quia immunda ſunt vobis.*) Sed ſolus tactus arcebat ab ingreſſu ſanctuarij, ſicut & aliorum morticinorum: comeſtio autem merebatur pœnam mortis. Machabæi certè mori maluerunt, quàm ſuillam carnem guſtare [b]: & Petrus numquam ſe manducaſſe omne commune & immundum, cum quodam horrore aſſeruit [c]. Tropologiam aliàs attuli de operibus mortuis, id eſt, de peccatis; quam Chryſoſtomus [d] quoque proſequitur, oſtendens quàm tetrum ſpiret odorem peccatum, & vt peſtis etiam inficiat, præſertim auaritia, qua præditos docet meretricibus deteriores.

a c.11.8.

b 2.Mach. 7.

c Actuum 10.

d hom.15. in epiſt.ad Hebr.

Verſ. 9.] Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas & ſquamas, comedite:

Verſ. 10.] Quæ abſque pinnulis & ſquamis ſunt, ne comedatis, quia immunda ſunt.

PLuribus verbis præceptum hoc habetur in Leuitico [e]. *Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum eſt. Omne quod habet pinnulas, & ſquamas, tam in mari, quam in fluminibus & ſtagnis, comedetis. Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis execrandúmque erit; carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis. Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta erunt.* Ibi dixi quæ ſufficiant; tum illud cur nulla legiſlator ſicut de aliis animalium generibus, particularia exempla protulerit: & quòd ex hoc genere nullum adhiberetur ad ſacrificium apud Hebræos; licèt quidam ſacri cognominarentur, vel cuipiam deo dicati: vt præter illos quos eo loco nominaui, colligitur ex Athenæo [f]: vel quia ſunt velut ſeruatores nauigantium: vel quia ſacrum idem quandoque valet quod magnum, de qua re Raderus [g] noſter citans varios auctores, & Deſiderius [h] Heraldus, & Vlyſſes [i] Aldrouandus: & quamuis Gentes aliquæ aliquos ſacrificarent, de quibus præter ibi memoratos auctores, Pierius [k]. Immò nonnullos piſces à Dorione θεοὺς deos appellatos meminit Athenæus [l], aut quia tenera colerentur à pluribus, aut quia propriè ab illo ſupra modum piſcium amante, ita vt ὀψοφάγος cognominaretur. Quamquam idem [a] refert priſcis temporibus in vſu eſum piſcium non fuiſſe, nec Homerum in cœnis heroum eiuſmodi cibariorum meminiſſe. Quod Euſtathius ideo ſcribit feciſſe; teſtem proferens Gadareum Meleagrum, quia Syrus cùm eſſet ſecundùm gentis illius quæ abſtinebat à piſcibus, conſuetudinem, abſtinentes ab iiſdem heroas feciſſe. Sed eò proceſſit deinde luxus, vt Cato miraretur ſaluam eſſe poſſe ciuitatem, in qua pluris quàm bos, piſcis venumdaretur [b].

Paraphr. e c.11.9. 10.11.

f l.7.c.12.& l.8.c.4.

g in lib.4. Mart.ep.30.

h ibidem.

i de Piſcib. c.29 p.55.

k l.31.c.2.

l l.8.c.4.

a l.1.c.21. Piſces.

b Plut.4. ſymp.q.4. Explanatio.

Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis.] Citato Leuitici loco editio noſtra habet (*veſci licitum eſt*) & hic priùs verſu 4. (*comedere debetis.*) Qui omnes dicendi modi ſignificant quid ſeruari ab eo qui velit comedere: non autem quod comedere teneatur. Eodem illo loco exprimuntur mare, flumina, ſtagna; vbi refellimus R. Abenezra negantem conceſſos piſces ſtagnales, quia mentio tantum fiat ibi & hîc de mari & fluminibus. Hîc quidem aquæ dumtaxat in genere memorantur: ibi ſecundùm editiones alias aquæ, maria, flumina vel torrentes; ſub quibus comprehendi poſſent ſtagna.

Quæ habent pinnulas & ſquamas, comedite.] De his vocabulis, atque de re per eadem ſignificata, ſeu de iſtis duabus conditionibus conſule c. Leuitici 11. Pro pinnulis vtrobique eſt Hebræum סְנַפִּיר ſenapper, quod neſcio quo pacto in Leuitico dixerim extare ſolùm in eo libro. Fefellit me Pagnini theſaurus afferens tantùm exempla ex illius libri cap. 11. verſu 9. 10. 12. Marinus & alij lexicographi addunt ex hoc etiam libro verſu 9. & 10. Chaldæum ציצין ciſcin, & Græcum πτερύγια docent eodem loco alas, aut alas paruas ſignificare: quoſdam ſcribere pennulas pro pinnulis.

Quæ abſque pinnulis & ſquamis ſunt, ne comedatis.] Additur in Leuitico (*eorum quæ in aquis mouentur & viuunt.*)

Quia immunda ſunt.] Ibi (*abominabile vobis, execrandumque erit: carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis: cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta erunt.*) Peculiaris exaggeratio circa piſces: & carnes generaliter ſumptæ de illis quoque dicuntur, vt ibidem annotaui.

Verſ. 11.] Omnes aues mundas comedite.

Verſ. 12.] Immundas ne comedatis: aquilam ſcilicet, & gryphem, & haliæetum,

Verſ. 13.] Ixion, & vulturem ac miluum iuxta genus ſuum:

Verſ. 14.] Et omne coruini generis,

Verſ. 15.] Et ſtruthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem iuxta genus ſuum:

Verſ. 16.] Herodium ac cygnum, & ibin,

Verſ. 17.] Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem.

Verſ. 18.]

Verſ. 18.] Onocrotalum, & charadrium, ſingula in genere ſuo: vpupam quoque & veſpertilionem.

Paraphr. a c. 11. 13. & ſeqq.

IN Leuitico [a] nominantur aquila, gryphus, haliæetus, miluus, vultur, coruinum omne genus, ſtruthio, noctua, larus, accipiter, bubo, mergulus, ibis, cygnus, onocrotalus, porphyrio, herodio, charadrio, vpupa, veſpertilio. Hoc noſtro loco nomen bubonis non eſt, eſt verò ixionis, & nycticoracis, quæ non ſunt ibi: præterea ibi ſcribitur haliæetus, herodius, charadrius; hîc haliætus, herodio, charadrio. De his egimus eodem loco: nec niſi pauca hîc annotanda occurrunt. Non datur de munditia auium regula, ſicut de piſcibus & quadrupedibus, inquit Abulenſis. Iudæi autem, ſubdit ipſe, duas conditiones obſeruant; quòd auis iecur habeat; & digitum prominentem in poſteriori pedis quaſi in medio cruris. Marzilla hoc loco poſt Abulenſem in cap. 11. Leuitici, vt ibidem quoque dixi, cauſam prohibendi aues immundas affert, vel quia rapaces ſunt, & ideo nimiæ ſiccitatis & caliditatis; vel quia immundis rebus veſcuntur & immundè conuerſantur: vel quia earum carnibus aut cantibus idololatræ vtebantur in ſacrificiis & auguriis. Non expendam ſingulas: nec eſſet difficile eaſdem vel earum aliquas deprehendere etiam in auibus mundis.

Explanatio.

Omnes aues mundas comedite.] Collectiuè ponitur auis numero ſingulari in editionibus aliis: Hebræum autem צִפּוֹר *tſippor*, generale dicitur quandoque de aue peculiari quæ vocatur paſſer, videtúrque deriuari ex Hebræo: & ab editione noſtra viciſſim ſumitur nonnumquam paſſer pro quauis aue: nec deeſt [b] qui ſic Martialis [c] illud intelligat.

b Christianus Becm. de orig. Lat. ling.

——— arguto paſſere vernat ager.

c li. 9. epig. 55.

Quin etiam id nomen, vt & στρουθὸς vel στρουθίον, conuenit cuilibet auiculæ, ac peculiariter quæ nidificat in turribus & domibus. Lege commentarios noſtros in Pſam. 10 [d]. vbi annotaui redditum aliquando nomine auis ab Interprete noſtro nomen illud Hebræum. Denique (*comedite*) id comedere licebit, permittitur vt comedatis.

d verſ. 2.

Immundas ne comedatis.] Immundas non habent editiones aliæ: Sed (*& hæc* vel *hos non comedetis de illis.*) Omittitur autem, vt dixi, regula de munditia auium. In Leuitico [e] (*hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis.*) Quod ab aliis editionibus explicatur abominandi verbo, & nomine abominationis.

e c. 11. 13.

Aquila.

Aquilam ſcilicet.] Interpretis eſt (*ſcilicet.*) Hæc volucrum regina: quamuis in vtramque partem ſumi poſſit accommodatè ad ſenſus myſticos, quoniam deterior pars eſt immunditiæ hîc & in Leuitico; ibi ſolùm ſecundùm iſtam acceptionem de illa egi, vtque rapacitatis ac tyrannidis typus eſt in homine, & diabolo [f] ipſo; prætermittens typum Dei [g], Chriſti [h], iuſti [i], de quo ibidem Marzilla, in tractatu de aquila tomo 1. ornithologiæ Aldrouandus; in ſylua allegoriarum Hieronymus Laurens, Pierius in hieroglyphicis, Bercorius in repertorio morali, Ioannes à S. Geminiano in exemplis & alij. Vnam finxerunt à Ioue cognominatam, quæ carnes non attingit, ſatis ad victum habens herbam [k]. Aliud genus cui nomen Chruſaetos, aut ſtellatis in Creta taurum cum prono capite demittit ſe ad paſtum inuolat, roſtro plagas infligit; fugienti per plana moleſtiam non infert; accedente ad præcipitem ac decliuem locum, alas explicans in orbem, oculos illius tegit, magnaque vi præcipitat, ſicque demum ditat [a]. Ad eumdem modum diabolus fidei lumen, aut ſanæ intelligentiæ conatur eripere, vt in malorum voraginem præcipites agat. Denique Iſidorus [b] in accipitre, miluo, aquila Deum denotaſſe ait, odiſſe ſe captores, violentos, ſcelere viuentes.

f Hieron in Os. 8. Aug. in Pſal. 123.
g Hier. in Eſa. 45.
h Ambr. lib. de Sal. Mar. hom de aſcenſ. Dom. & alij.
i Epiph. ad Phyſiologum
k Ælia. 9. de animal. cap. 10.
a Idem lib. 11. c. 39.
b in Leuit. c. 8.

Gryphus. c 4. periarchon.

Gryphem.] Dicta in Leuitico quod non ſit fictum animal, vt Origenes [c] inter alios videtur ſenſiſſe, confirmat ea ratio, quoniam non eſt credendum dari legem de rebus fictis, & quæ in vſum, ſi non ita ſæpe, certè aliquando aſſumi non poſſent. Leonardus Marius in Leuitici c. 11. ex aquilæ ſpeciebus præcipuis ab Ariſtotele [d] ac Plinio [e], recenſitis melanaeto, ſeu Valeria, pygargo, morphuo ſeu perenu, vel planco ſeu plango clangóve, & anataria; item perenoptero ſiue oripelargo, gneſio, haliæeto, putat gryphem eſſe penultimam, quæ cognominetur etiam χρυσάετος quaſi aurei coloris: atque hîc per nomen aquilæ generatim vel omnes, vel quatuor ſpecies intelligi melanaetum, pygargum, morphnon, perenopteron: ſpeciatim ſiue ſeparatim poni haliæeton, & gryphem. Eodem libro Leuitici Cornelius noſter deſcriptum gryphem è pluribus compoſitum beſtiis fabuloſum meritò aſſerit: videri autem aquilæ genus quam vocat Ariſtophanes [f] γρυπαετόν, quaſi gryphem aquilam: quæque ſit inter alias maxima, fortiſſima, rapaciſſima. Hoc ipſum in eiuſdem libri commentario approbaui, ad quem te remitto. Inter eos verò qui numerant in fabulis, dicto videlicet ſenſu, Arrianum [g] nunc annumero poſt Lælium [h] Biſciolam noſtrum, qui prodiit poſt elucubratum commentarium meum in Leuiticum. Eſt porrò nonnulla ex aquilis adeò magna, vt Cardanum Iulius [i] Cæſar Scaliger iure argoat affirmantem quamuis aquila maiorem cygnum. De dictis ſpeciebus idem in commentario haud pridem edito in Ariſtotelis hiſtoriam de animalibus [k], vbi aquilam, quam nominari dixi oripelargon, Græca voce ὀρειπέλαργον, ciconiam montanam, docet appellari etiam ὑπαετόν, *ſubaquilam*, & *vulturaquilam*, (diceres Græcè γυπαετόν:) quæ pygargus cauda albicante albicillam, & hinnulariam, quia lepores venatur: quæ plangus næuiam: anatariam verò, quoniam ſecundùm lacus anatibus inſidiatur: quæ haliæetus, id eſt, marina aquila, non differre à niſo Virgilij: quæ melanaetos μελαναετόν, hoc eſt, pulla, λαγωφόνον & leporariam. Cum picis gryphes alij confundunt, de quibus Plautus [l],

d 9. hiſt. anim. c. 32.
e li. 10. c. 3.
f in Ranis.
g 5. de reb. Alexand.
h tomo 2. de hor ſubſeciu. li. 14. c. 21.
i exerc. 231. nu. 1.
k in lib. 2. c. 128 iuxta propriā ſuā diuiſionem.

Pici diuitiis, qui aureos monteis colunt
Ego ſolus ſupero.

Atque id etiam ſentit Nonius: & conſentit Turnebus [m], Plautique enarratores.

l in Aulula. actu 4. ſce. 8.
m 24. aduerſ. c. 25 & in Varr. de ling. Lat. p. 178.

Haliaetus. a c. 11. 13.

Haliaetum.] Monui in Leuitico [n] aliter ſcribi halietum, haliæetum, alietum, ſed rectam rationem ſcribendi eſſe vt ſcribatur ſicut hîc & ibi, quia Græca vox eſt ἁλιαίετος, aut ἁλιάετος, quaſi dicas marinam aquilam. Dictum locum conſule. Fertur propria laus huius acies oculorum, exploratióque prolis ad ſolem: vitium rapina voracitáſque, & natiuitas adulterina: vt nido expulſam educet auis alia, nempe oſſifraga, & victum quærat maritimum, incidens verò interdum in piſcem ſuis maiorem viribus dum inhiat in prædam, ab eo detrahatur ſub aquas & ſuffocetur. Inter opiniones illo loco recitatas, de niſo vna, vel de falcone, Iulio [o] Cæſari

o exer. 233. & in Ariſt. 2. de hiſt. animal. cap. 128. ſec. ſuā diuiſ.

Scaligero probari videtur; vocátque falconem rusticum; & ait falsò dici à Plinio e diuerso aquilarum genere procreari. Glossa interlinearis falconem esse vult.

Ixion.] Aliter *ixon*. Quod nomen solùm hîc reperitur: cuius Hugo significationem sibi fatetur ignotam: Lyranus asserit de genere vulturis esse albam & minorem quàm sit vultur: Riekellus idem tradit, apud quem scribitur mendosè ipon, vel icon: Abulensis eodem pacto. Vatablus etiam, & passim alij: notantes propterea in Leuitico nominatam non esse, sed sub vulture comprehensam: appellatam verò ראה *raah*, à videndo, quod acie oculorum valeat. Omissa quoque hîc est à LXX. auis hæc, vt notauit Eugubinus (γύπα enim post ἁλιαίετον ponunt, id est, vulturem post haliæetum) dicens apud Hebræos esse vulturem: desperans autem de istorum nominum vera cognitione; quod alios quoque profiteri antea dixi. Suspicari licet scriptum דאה *daah*, quod vulturem valet aut miluum, aut falconem pro ראה *raah*. In Leuitico vbi editio nostra habet, miluum, Hebræa vsurpat דאה *daah*, Chaldæa דיתא *dautha*, Græca γύπα idem nomen quod extat. Sed hoc loco duobus nominibus vtitur Chaldæa בת כנפא *bath cannepha*, quasi dicas filiam alarum, quòd alis excellat. Latini nominis loci nostri vsum vel significationem adhuc non reperi. Et quidem in accusatiuo casu iaion non rectè scribitur; vel iaon, siue rectus casus sit iaion, aut iaius, siue iao, aut iaus. Ixion viri proprium nomen est: ἰξὸς vt & ἰξία significat viscum & plantam, quæ alio nomine vocatur chamæleon circa radicem habens ἶξ animalculum vites adedens: ἰυγξ auicula, Latino nomine torquilla, & verticella, & motacilla. Sed hæc ad rem non faciunt. Fortassis Arabes vulturem, cuius generis ixion passim omnes faciunt, appellant rachame vel rochain, ob affinitatem ad ראה *raah* de quo dixi. Suppletur in Deuteronomio alibi omissa.

Et vulturem ac miluum iuxta genus suum.] Ordine inuerso nominantur in Leuitico [a] secundùm editionem nostram, Hebræam, & Chaldæam, sed non secundùm Græcam, quæ habet vtrobique γύπα & ἰκτῖνα. Adi commentarium nostrum. Vbi quòd ἰκτῖνα quoque generali nomine vocari dixi Iulius [b] Cæsar Scaliger causam dat, quia solitarius volat, nisi cùm ad cadauera congregatur. Vulturem à videndi facultate commendare [c] Iob videtur. Epiphanius [d] voraciorem scribit cunctis auibus, sed quæ cùm abstinuerit diebus 40. totidem se cibi libris ingurgitans quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluuie compenset: cauendum autem homini spirituali, qui quadragesimali ieiunio Dominicam resurrectionem expectat, ne quadragesimalis abstinentiæ meritum perdat. Ægyptiis & Barcæis vultur sacer erat, & fortium militum cadauera illi voranda obiiciebant tanquam sacri alitis tumulo. Eurymnum (aut Eurynomum) quoque dæmonem nostrata pelle vulturis (vel vulpis) Gentiles depingebant [e], vulturiúmque cognominabant, quem mortuorum cadauera, nudatis ossibus, depascere credebant [f]. Silius de Iberis

Tellure vt perhibent, is mos antiquus, Ibera
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.

Et in genere loquens, sed intelligens de vulturibus

[g] *Deforme alitibus linquere cadauer Iberis.*

[a] c. 11. 14.
[b] in Arist. hist. animal. lib. 1. c. 9. n. 85.
Vultur.
[c] c. 18. 7.
[d] ad Physi. c. 7.
[e] Pausa. in Phocaicis.
[f] lib. 13.
[g] lib. 2.

Quod tamen contumeliæ loco habebatur ab aliis, vt est apud Virgilium [a],

——— canibus data præda Latinis
[b] *Alitibúsque iaces.*

Lege Cerdam [c] nostrum, qui refert ex Agathia [d] apud Persas honestissimum fuisse sepulturæ genus canum guttura, & rapacium omnium ferarum; impurum atque impium existimatum ad cuius statim cadauer non accurrerent feræ, non aduolarent aues. Retulit id prior Brissonius [e], ac præterea ex Cicerone [f], Herodoto [g], Iustino [h], Procopio [i]. De miluo ea annotaui in Leuitico [k] illud repetendum, Græca nomina transposita, quia priùs positum est nomen ἰκτῖνος, significans miluum, quàm γυπὸς, quod vulturem: quod & in editione nostra fit, cùm aliæ duæ habeant primo loco vulturis, deinde milui, hoc est דאה *daah*, & איה *aiiah*, דיתא *dautha*, & טרפיתא *tarpitha*, vel טרפיתא *taraphitha*, quod à טרף *taraph*, rapacitatem indicat. Etymon Græci quidam assignant ab ἱκνοῦμαι, venio, quia celerrimi volatus est; ita vt agrorum diues, tantum habere diceretur,

——— [l] *quantum non miluus oberret.*

& à circumuolatione ad prædam, cognominata sit circanea, κιρκανέα, ἀετὸς ἴκτινα, ἀκτινοῦρος: & ob rapacitatem abierint in prouerbium vngulæ miluinæ, miluini vngues. Quod autem eodem Leuitici loco recitaui ex aliquot Patribus, vt Basilio [m], Ambrosio [n], Origene [o], partum virgineum confirmari ex eo, quòd crederetur parere vultur absque coitu, sexuúmve commixtione (vnde simul Valentiniani, teste Irenæo [p], & Tertulliano [q] imaginarios quosdam Sophiæ concubitus argumentabantur.) Consalus Ponce Scholiastes Graphanij [r] ad Physiologum, comprobat auctoritate Cyrilli Alexandrini in quibusdam iambis non editis, περὶ ζώων ἰδιότητος καὶ φυτῶν ad Sergium, de animalium proprietate & plantarum.

τίς ἀσπόρως τὰς γῦπας ἐξάγει τόκῳ
θῆλυς παρ' αὐτοῖς οὐχ ὑπείκων ἄρρενος.
οἱ τὴν καθ' ὑμᾶς παρθένον παρθένον
ἀναινοῦντες αὐτὴν, ὡς ἐφικτὸν ὀρνέοις;
ἔδει γὰρ οἶμαι τοῦ τοιούτου θαύματος
ἔχειν ἀμυδρὰς ἐμφάσεις.

Quis vultures educit absque semine
Partu, marito, non subacta fœmina,
Perlucidam nostram exhibentes Virginem
Ipsam, vt volucribus licet? nam oportuit
Miraculi obscuras habere imagines,
Vt credo, tanti.

Et omne coruini generis.) Græcè (*omnem coruum & similia illi.*) Eodem pacto in Leuitico [t], & Latinè ibi (*in omnem similitudinem suam.*) De hac volucre satis ibidem & alibi multa dixi. Coruum diaboli typum esse asserit Chrysostomus [t], Hieronymus [u], formámque corui dæmones ipsi sæpe induunt. Inmorigeris filiis Salomon [x] imprecatur oculorum effossionem per coruos; non tantùm quia, vt in Leuitico notaui, iustè animal æui longi, vitam eripit iis, qui se parentes honorassent longæui futuri erant super terram; verùm etiam, quia illud animal iura naturæ violat, sæuiens in parentes; dignique sunt quos in crucem actos ipsemet coruus deuoret: &

[y] *Effossos oculos voret atro gutture coruus.*
[z] *Aduolans excæcat oculum verberans:*

Et,

[aa] ——— *crux tollat in auras* (filiū peruicacē)

Et,

[a] Æne. 9.
[b] lib. 10.
[c] vtrobique.
[d] 2. hist.
[e] 2. de regno Persarum p. 265.
Miluus.
[f] Tusc. 1.
[g] lib. 1.
[h] lib. 41.
[i] 1. de bello Persico.
[k] c. 11. 14.
[l] Pers. Sat. 4.
[m] hom. 8. hexa.
[n] 1. hexa. c. 20.
[o] 1. cont. Celsum.
[p] lib. 1. c. 1.
lib. 2. c. 15.
[q] aduersus Valent. c. 10.
[r] cap. 7.
[s] c. 11. 15.
Coruus diaboli typus.
[t] hom. de Spir. sa. S.
[u] cont. Luciferianos.
[x] Prou. 30. 17.
[y] Catullus.
[z] Aristoph. in Auibus.
[aa] Prudent.

Viuentésque oculos offerat alitibus.

Struthio.

Et struthionem.] Lege capitis 11. versum 16. ex libro Leuitici. Priùs monui traditum à Lampridio quòd Heliogabalus imperauerit Iudæis esum struthionis & cameli [a]. Casaubonus hæreticus de struthione ait minùs liquere, propter interpretationes diuersas vocis Hebraicæ; quia vlulam multi putent intelligi: de camelo idem dici non posse, quoniam cameli nomen expressum sit גָּמָל *gamal*: pro, *struthiones*, suspicatus quosdam struthiocamelos scribi debere; quorum tamen sententiæ omnes scripti editíque codices repugnant. Nefas dubitare de struthione, approbanti, vt par est, vulgatam editionem.

a in Lamp.

Noctua.

Ac noctuam.] De hac illo Leuitici [b] loco quem sæpiùs citaui, actum est. Species cum Aristotele recenset Iulius [c] Cæsar Scaliger βύας (vnde bubo quæ & vlula) ὦτον Latinè aluconem, αἰγώλιον, alitérque αἰγοκέφαλον, σκῶπα siue alionem, νυκτικόρακα, γλαῦκα. Addit ea Plinio, qui inter aues nocturnas posuit tantùm quæ vngues vncos habent bubonem, vlulam, noctuam, in Creta nullam noctuam nasci, & importatam non viuere. Aldrouandus [d] accepisse se scribit bubonem maiorem siue montanum, cùm præpinguis est, à quibusdam edi: non solùm autem in veteri Testamento eum omnibus nocturnis auibus impurum habitum, sed plerásque Gentes à mensis arcere longissimè: cuius autem nutrimenti sit nondum comperisse: noctuæ carnes non nisi à tenuioris fortunæ hominibus manducari, vtpote frigidas, siccas, crassas teste Rasis: licèt R. Moses asserat boni saporis esse, ac ipsemet aliquando assati viderit, satísque candidas esse; cùm candor carnis indicium esse soleat bonitatis. Transfero huc ex Caussini nostri parabolicis [e] historiis, noctuam esse symbolum hæresis vanæque sapientiæ; quoniam noctu præstigiosa quadam voce aues alias allicit, interdum varia vultus & ridicula commotione, commutatione & conuersione oculorúmque nictatione easdem euocatas admiratione ac metu [f] percellit. Sed & noua ciconiæ (quæ pietatis typus est) contingens oua fascinat, omnémque incubationem irritam reddit, sed platano arbore (crucem hæc designat) ab infesti animalis iniuria tuetur se ciconia [g].

b 11. 16.
c in Arist. 2. de histor. anim. c. 18. nu. 128.
d to. 1. ornitholog. lib. 8. c. 2. & 7.
Noctua hæresis symbolum.
e lib. 6 cap. 79. & 80.
f Ælia. 1. de anim. c. 29.
g Idem cap. 31.

Larus.

Et larum, & accipitrem.] Horum nomina & prohibitio extant in Leuiticos [h]. Tropologiæ de hac ibi allatæ adde vanum ostentatorem, quoniam vorax, clamoréque argnto vociferans dum parturit, edit partus plumosos ac apprimè pennatos; sed exili carne, & quod Cleonem rapacem Atheniensium magistratum Aristophanes [i] vocat λάρον δώρων καὶ κλώπα, *larum donorum & furis.* Ei similis vel etiam idem Cepphus est κέπφος, quod nomen idem [k] Poëta pro stulto vsurpat. Spuma marina mirè cùm gaudeat, obiicitur ei primum satis longo spatio, inquit Scholiastes, postea propiùs, propiúsque, tandem qui gestat illam manibus, ipsi exhibet, dúmque eapere putat, capitur ipse. Inde paræmia κέπφος λάρος.

h c. 11. 16.
i in Nebulis.
k in Pluto.

Accipiter.

De accipitre non occurrit quòd addam ad ea quæ in Leuitico dixi, nominatim de vsu in cibis quem nonnulli probant. Etsi autem alios vsus habeat in venatu, medicina, &c. tamen

Odimus, ait ille [l], *accipitrem, quia viuit semper in armis.*

l Ouid. 2. de arte.

quemadmodum

Et pauidum solitos in pecus ire lupos.

Gulielmus [a] Neubrigensis narrat in accipitris forma diabolum se cuidam exhibuisse, eique qui ceperat ipsum, vngues vehementer impressisse; cùm ab hero suo monitus aduersùs Endonis Britonis præstigias, diabolum ab se portari, non accipitrem, patere noluisset. Horus [b] Apollo hieroglyphicè animam accipitre indicatam ab Ægyptiis tradit iuxta nominis interpretationem βαιήθ, quoniam βαὶ, *anima*, ἠθ, *cor* sonat: cor autem ea eorumdem sententia, animæ ambitus est, quasi dicas animam cordatam: propterea etiam accipitrem ob eam quam cum anima naturæ consensionem, aquam omnino non bibere, sed sanguinem, quo & ipsa nutritur anima. Non nutritur propriè anima, sed corpus, aut potiùs animatum corpus siue animal. Potus autem sanguinis feritatem indicat, & diabolum, qui nostrum sitit sanguinem, hoc est, damnationem, designat. Qui diabolus eò væsaniæ perduxit olim nonnullos, vt accipitris fibras adhuc stillantes cruore deglutirent, credentes animam se illius, quam post mortem superesse persuadebant sibi, hauriendo cum cruore, ad oracula edenda maximè idoneos reddi [c]. Quin etiam Kiramidis ratiocinandi ars vna fuit in Xiphia lapide siue in Sapphiro accipitrem insculpere, súbque pedibus eius Xiphiam piscem, & sub eadem gemma herbæ Xiphij radicem gestare in annulo. Sed & Diodorus [d] narrat delatum ab accipitre filo puniceo circumligatum librum ad sacerdotes Ægyptios, in quo ritus omnes ceremuniales continerentur αἱ τῶν θεῶν θεραπεῖαι τε καὶ τιμαί: atque in huius rei monumentum eosdem ἱερογραμματεῖς licium purpureum & accipitris pennam, quod est apud Ægyptios nobilitatis insigne, in capite gestasse. Vnde intelligitur causam certorum animalium esum inhibendi fuisse, non solam alimenti malignitatem, sed abusum præterea superstitiosum.

a l. hist. Angl. c. 19.
b cap. 7.
c Porph. de abstinen. ab animatis.
d lib. 1.

Iuxta genus suum.] Græcè (*& similia ipsi*, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ. Sunt enim accipitris plures species, vt dixi Leuitici 11. vbi sunt eadem Græcè; quamuis in codicibus Complutensibus, & Regiis pluraliter ponatur αὐτῶν, quod referretur ad præcedentia ibidem animalia, & hîc, struthionem, noctuam, larum, quorum quoque species diuersæ.

Herodius.

Herodium.] Vocatur hoc loco Hebraicè כוס *chos*, Chaldaicè קַדְיָא *kadia*, Græce ἐρωδιός. Sed quem in Leuitico [e] (vbi non idem seruatur ordo) Latina editio appellat herodionem, Græca ἐρώδιον, & correctius ἐρῴδιον, in Chaldæa vocatur חַוָּרִיתָא *chauuaritha*, in Hebræa חֲסִידָה *chasidah.* Qui ἐρῴδιον quasi ἐρωτίδιον ἀπὸ τοῦ ἔρωτος deriuant ab amore, aspiratè scribere non debent herodium. Albertus [f] autem præcipuum aquilarum genus, cui etiam nomen aquilæ simpliciter tribuitur κατ' ἐξοχήν, & chrysaëtos cognominatur, quòd colore sit aureo, aut proximè, propiúsve præ cæteris, ad eum accedat, herodij quoque vocabulo appellat, tanquam auium heroëm, sicut & Apuleius [g] auem regalem. Plura non adiiciam, certus non esse hîc de aquilarum genere, à quibus distinguitur; tametsi nondum satis constet, quænam auis præcisè sit, existimantibus nonnullis ciconiam esse πελαργόν, ciconiæve similem (quod Hebræa vox innuit) & Suidas affirmat, dicens dici quasi ἑλώδιον, quod in paludibus versetur, quas Græci vocant ἕλη, hoc est, in humidis locis, ἐν ὑδρηλοῖς τόποις: aliis ardeolam, vel fulicam, &c.

e c. 11. 19.
f 23 de animal.
g 6. de asino aureo.

Ac

Ac cygnum.] De hoc lege dicta in Leuitico [a]; vbi quod de cantu sub mortem refert videri nonnullis fabulosum, assentitur [b] Iulius Cæsar Scaliger, Cardanom irridens quòd eum cum mendaciorum parente Græcia iactare ausus esset, statuénsque illum ad Lucianì [c] tribunal: & quam is ad Carantonum fluuium allegabat multitudinem, anseres fuisse asserens. Opinantibus adiunge Pratinam Phliasium à Biseiola [d] nostro citatum: qui Biscola fabulæ meminit de Cygnu Ligurum rege cantore vel musicæ perito, quem Apollo post mortem in cygnum transire iusseri: [e]. Legendus Ælianus [f]. Rhodiginus [g] ait Ælianum [h] scribere audisse se quandoque canentem cygnum: sed textum recitat absque negatione, ἐγὼ δὲ ᾄδοντος οὐκ ἤκουσα, *ego vero canentem cycnum audiui*, cùm legi debeat οὐκ ἤκουσα, *non audiui*. Addit autem ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλος, *forsitan autem nec alius*: & paulò ante, ὅτι δὲ εἰσὶ ᾠδικοὶ, τοῦτο μὲν ἤδη καὶ τεθρύλληται, *quòd cantandi verò studiosi sint* (cycni) *iam peruulgatum est.* Post priùs allata subdit id credi, ac tunc suauissimè iucundissiméque cùm vitæ mutatio præ foribus est. Dubius etiam hic de re aliquando est, interdum [i] asserit, idque præ lætitia fieri, quia teste Socrate [k], nulla auis in tristitia canit, ὅταν πεινῇ ᾄδει λυπῆται: nonnumquam [*] prolato Aristotele, lugubrem cantum edere γῆρα. Prodit [l] denique quod instituto magis conducit, ab Indorum rege mensis secundis, seu bellariis, tragemanisve cycnorum oua adhibita, cum ouis struthiocamelorum & anserum: cùm tamen cycnis amici non sint Indi, quod illas quamquam Apollini sacras, & mirè canoras aues, suæ tamen pullitiei ἐγγόνοις insidiari, & oua propria perdere fama sit. Cæterum verò illum non Græcia mendaciorum parens sola, sed Latinis non pauci tribuunt, quos prosequor initio citati: præter cæteráque in originibus Latinæ linguæ Christianus Becmanus [m] hæreticus, & in Leuiticum [n] Leonardus Marius. Etsi verò cycnos cognominet Aristoteles εὐήθεις, εὐβίοτας, εὐγήρως, εὔτεκνος, *benè moratos, cibo facilè viuentes, benè senescentes, prolis amantes*: Ælianus natura mites, & pacatos, & carniuori non sint, vixque pisciuori; bella cum aliis nisi coacti non ineant quæ fugere non valent; parentes effœtos alant: captos vel mortuos lugeant, quasique nænia prosequantur; mortem propriam læto cantu præuenire credantur: non tamen idcirco Vlyssi [o] Aldrouando licuit negare impuris, ciboque negatis auibus annumerari debuisse. Nam, eodem teste Aristotele, Æliano, Plinio, cycnorum alter alterum vorat maximè in voluorum genere; carne constat nigra, &, vt paulo antè dixi, suismet pullis insidiatur. Ad immunditiam quoque istius auis pertinet κύκνου etymon ab Eustathio [p] traditum ἀπὸ τοῦ κυκᾶν, *a cæno agitando*, dum alimentum perscrutando, miscet omnia. Olor autem aut olos synonymum, quibusdam [q] placet vt dicatur, quasi ᾠδὸς, posita λ pro δ, vt in Vlysses pro Ὀδυσσεύς, & scribendo holor ab הלל *halal cecinit & laudauit*, aut ἀπὸ τοῦ ὅλου καὶ ὡραίου quòd sit pulcher totus. A canendo cygnum siue cycnum deducit Isidorus [r]. Quid si ab oleto olor est quod significat stercus notatione simili priùs dicta κύκνου verbo κυκᾶν? Hebræi nominis תִּנְשֶׁמֶת *thinscemeth* notatio à נְשָׁמָה *nascimam flatus*, vel à נְשָׁמָה *nascema anima* vel *vita*, denotat esse viuacissimum, & vt Aristoteles [s] cognominat εὐγήρων benè ac plenè senescentem: à שׁמם *scimam horror*, quòd tunc emittat sibilando & clangendo.

Cygnus.
a c.11.18.
b exer. 232. & in Arist. 9. de hist. animal. c. 17. num. 162.
c in elect.
d ro. 2. hor. subsecciu. li. 32. c. 6.
e Pausa. in Atticis.
f 1 var. hist. cap. 14. 2. de anim. c. 32. li. 5. c. 34. li. 10. c. 36. lib. 14. c. 13.
g lib. 9 c. 5.
h 1. hist. var. c. 14.
i 4. de animal. c. 34.
k apud Plat. in Phædone.
* lib. 10. c. 36.
l li. 14 c. 13.
m verbo olor.
n in c. 11.
o 10 de anim. c. 1.
p in Iliad. β.
Cygni etymon.
q Becma. sup.
r 12. etym. c. 7.
s 9. de hist. animal.

A. B. C. D. E.

Et ibin.] Quæ in Leuitico [a] dixi ferè omnia ad eius faciunt laudem: quibus iungi potest quod cordis exprimat figuram, cum sub plumis caput collumque abdiderit: vt proinde hoc animali cor Ægyptij hieroglyphicè significent. Sed proprium magis eiusdem, & loci nostri est, quod immunditiei, immundorum ac sordidorum symbolum habetur, &

——— [b] *transiit opprobrij in nomen.*

Callimachúsque, & Ouidius hoc nomine aduersarios suos nuncupauerunt, quamuis posterior solùm prioris imitatione; prior tantùm vt Apollonium suum significaret Alexandrinum seu Ægyptium esse, non Rhodium, quo pacto cognominabatur, quia Rhodi operam discipulus magistro ingratus dederat. Præterea quòd ex huius ouo basiliscus prodeat, vipote cùm multiuora serpentum genus ac venenatorum abligurriat: qua de causa etsi Ibin colant Ægyptij, oua frangunt: denique quod rostro anum purget; quod malunt alij tamen esse ciconiæ.

Ac mergulum.] Mergus quoque vocatur: de quo sæpiùs memoratum Leuitici lege commentarium: Cùm Græcè καταῤῥάκτης vocetur, Iulius [c] Cæsar Scaliger, ad Aristotelis verba, quibus narrat viuere ad mare; cúmque sese in profundum demiserit, non minore manere tempore, quàm quanto iugerum πλέθρον quis transierit, atque accipitre minorem esse, hæc annotat. Nescire se ait quæ auis sit, & quo nomine vulgus vocet. Plinium in decimo [d] ex Iuba scribere Diomedeas aues catarractas esse dictas: alias tamen has videri à catarractis quas Aristoteles descripsit: Diomedeas aues fabulosa esse figmenta, mendacium Græcorum: quod Philosophos καταῤῥάκτῃ tribuit, in mergo reperiri: huius id cognomen censeri posse παρὰ τὸ καταῤῥαίνεσθαι, *mergi*. Eustathius [e] tamen deducit quòd ὄρνεον ἀετώδες αὐτόθεν καταῤῥάσσει ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ὄρνεα, *aquilini generis impetu de loco superiore feratur venans alias aues.* Mergus enim quod mergendo aquam capiet escam, vt Varro [f] docet, nomen inuenit. Id imitatus Isidorus [g]: & Ouidius [h] olim citatus

Æquor amat, noménque manet, quia mergitur illo.

Sed & aliis etiam aquis.

Porphyrionem.] Græcè πορφυρίωνα hîc, & in Leuitico [i]; vbi monui rectè assertum à Radulpho, Rabano, Hugone, Lyrano, esse pellicanum iuxta translationem L X X. & nomini Græco causam dedisse purpureum rostrum. Reliqua inde repete, ac ex Vlysse Aldrouando [k] plura post Plinium [l], & Ælianum [m].

Et nycticoracem.] Hoc nomen è Græcis promptum iterum dumtaxat in vno Psalmo [n] reperitur: sed hoc loco nostro νυκτερίς, quemadmodum apud Baruch [o] νυκτερίδες, vbi editio nostra noctuas habet. In Leuitico [p] est noctua: sed Græcè γλαῦξ. Ibi & in Psalmorum commentario leges quæ huc spectant. Iulius [q] Cæsar Scaliger cum Aristotele genera recensens noctuarum, inter quæ nycticoracem ponit, qui sit nycticorax, iudicare se facilè negat posse: ac tandem sentit esse, quæ ὠτὸς otus dicitur, & noctuæ similem, præterquam pinnulis plumarum in capite, à quibus nomen ei est, quasi auritum dixeris: Aristotelem ὠτίδα inter magnas aues numerare; ita vt videatur ab ὠτὸς differre, quia ὠτὸν noctua minorem facit; licèt Plinius maiorem.

a c.11.17. Ibis.
b Alciat. embl. 87.
Mergulus.
c in Arist. de hist. animal lib 9. c. 16. n. 162.
d cap. 44.
e in Dion. de situ orbis.
f 4. de ling. Lat. c. 13.
g 12. etym. c. 7.
h 11. Met.
Porphyrio.
i c.11.18.
k 10. ornith. c. 28.
l lib. 10. c. 46.
Nycticorax.
m 14. de anim. c. 35.
n Ps 101.7.
o c 6.21.
p c.11.16.
q in Arist. de hist. animal. c. 18. n. 129.

Onocra

Onocrotalus.
a c. 11. 18. b c. 34. 11. c c. 2. 14.

Onocrotalum.] Nominatur etiam in Leuitico [a], apudque Esaiam [b] & Sophoniam [c]. Primo loco notaui similem cygno seu cyeno dici, aut pellicano: nutrimenti verò durioris & excrementitij cum odore ferino, ingrato sapore. Sonat Græca vox ab ὄνος, *asinus*, & κρόταλος, *crepitaculum*, obtusi clamoris, instáque asini rudentia.

Charadrius.
d c. 11. 19. e in Auib. f 8. de hist. anim. c. 3.

Et charadrium.] In Leuitico [d] Græca forma charadrion. Etymon ibidem allatum est Scholiastæ Aristophanis [e], immò & Aristotelis [f], quòd commoretur ἐν χαράδραις, *in cauernosis locis*, confragosis, præruptis, hiatu, voragine terræ, qualem vel eluuio aquarum, vel subiti ex montibus defluxus efficiunt. Gruem hoc loco interpretatur Abulensis, & in Leuitico.

g suprà.

Singula in genere suo.] In Leuitico [g] (*iuxta genus suum*) Græcè (*& similia ipsis*, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ) licèt hic sit αὐτῷ, *ipsi* in Bibliis Complutensibus & Regiis, sed (*ipsis*) legendum, vt ad priora referatur; quoniam charadrij vnica species: noctua generale nomen, pro quo erat nycticorax, plures comprehendit. Ipsimet etiam charadrio & præcedentibus alia sunt animalia similia auium nocturnarum.

Vpupa.
h suprà.
i lib. 5. c. 15.

Upupam quoque.] Et hæc in Leuitici [h] loco est. Onomatopœicum nomen esse dicitur: & ποπύζειν Polluci [i] est huius volucris vocem edere: (ποππύζειν significat sibilare compressísve labiis quendam oris sonum edere) cùm enim Tereus Thraciæ rex, vt fabula proditur, in hanc auem mutatus [k] insequeretur vxorem, filiúmque inquireret, ποῦ; ποῦ (Doricè πῶ, quod etiam valet נאה *ephoh*, seu *epoh*) *vbi? vbi?* vociferabatur. Græcum nomen ἔποψ. Dictis in Leuitico adtice quæ attigit Leonardus Matius; quòd hyeme ac æstate plumas mutans, inconstantiæ sit symbolum, vt & ob mixtum nigro album in cauda colorem: superbiæ crista: hypocrisis, eiusdem cristæ mobilitas pro ipsius arbitrio: stercorarius nidus, quærere scilicet nihil nisi sordes, & stercora, in iisque conquiescere: tarditas volatus, pigritiæ ad bonum: sonus inconditus, cogitationum prauarum: longum rostrum, insatiabilis habendi cupiditatis, quæ tamen vermes, muscas, mures consectetur, hoc est, res viles, vanas, noxias. Ab acuta longi vpupæ rostri forma, instrumenti nomen vpupa est quod vulgus *piccone* appellat: de quo Plautus [l] scribens de lapidicinis,

k Ouid. 6. metam.
Vpupa inconstantiæ symbolum.
Vpupa instrumenti nomen.
l in Captiuis actu 5. sc. 4.

Atque vbi ego fui in lapidicinis, illic demum est locus
Vbi labore lassitudo omnis exigenda est corpore.
Nam vbi illò adueni, quasi patritiis pueris, aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quîcum lusitent:
Itidem hæc mî aduenienti vpupa, qua me delectet, data est.

m ibidem.
n ibidem.

Malleum Lambinus [m] explicat, quo lapides Tyndarus cæderet, quòd auis vpupa obscœna sit & inauspicata cristam quamdam in dorso gerat, & rostro sit adunco. Idem docet Feder. [n] Taubmannus de formæ similitudine, quia rostrum & crista capite commissa malleum repræsentant. Calepini recentioris auctor siue locupletator Passerarius vinculi genus vocat: editus autem typis Pauli Manutij anno 1548. Venetiis meretricem, necnon auctor thesauri linguæ Latinæ. Claudius [o] Salmasius (cui opto salutis fundamentum & ὑπίσασιν) explicans quid sint batilla vel vatilla, nimirum fossoria instrumenta, vult vpupam apud Plautum, quem à nemine hactenus intellectum asserit, sed stultè de malleo expositum (stultiùs de meretrice affirmare potuisset, nec satis aptè pro vinculo sumi, si horum meminisset) aut opopam, aut obpopam, aut oppopam esse huiusmodi ἐργαλεῖον ὀρυκτικὸν siue ὀπτιάδιον πρὸς ἀνορύττειν, quod etiam Græci nominent ὄρυγα, vt est in vetere Glossario; ad eruendos lapides, & acutum, referens vpupæ auis caput cum rostro. Sed ad nomen volucris redeundo, Hieronymus [a], quem Latinè reddidit ipse miluum apud Zachariam [b], refert Hebraicè vocari חסידה *chasidah*; ab Aquila, Symmacho, Theodotione ἐρῳδιὸν, *herodionem*; à LXX. ἔποπα, *vpupam*; hasidam Hebræos miluum putare, auem rapacissimam, & semper domesticis auibus insidiantem: herodionum tria genera distingui, album, stellatum, nigrum, quod sæuissimum sit & sanguinarium, & pugnans, & ad coitum impatiens, ita vt ex oculis eius erumpat cruor: ἔποπα ab eo dici, quòd stercora humana consideret (ἐποπτεύειν considerare est) esseque auem spurcissimam, semper in sepulchris, semper in humano stercore commorantem; denique & nidum ex eo facere, & pullos suos de vermiculis stercoris alere putrescentis. Hæc omnia protuli, quoniam conducunt ad alia priùs dicta de aliis auibus; tum verò ad vpupam, cuius etiam Græci nominis aliam reddit notationem: & quod in Leuitico de vpupa pro meretrice dixi, melius considerans retracto, siue malleum dicas, quod stultè non dicitur vt Salmasius contendit, siue magis acuminatum instrumentum.

Vpupa vinculi genus. Pro meretrice.
o in Treb. de D. Clau.
a in Zach. 5.
b c. 5. 9.
Herodionum genera tria.

Vespertilio.
c c. 11. 19.

Et vespertilionem.] Græcè νυκτερίδα hîc, & in Leuitico [c], vtrobique Hebræum nomen est עטלף *hhatalleph* & simile עטלפא *hhatallepha*. Circa quorū nominum significationē docui priore loco communiorem consensum esse, præter Hebræos nonnullos recentiores, qui hirundinem exponunt vel vpupam. Tropologiæ, quam in Leuitici commentario attuli ex Basilij commentario in cap. 2. Esaiæ, adde quam in libro de constitutionibus monasticis [d] tradit, accommodans ad instabiles monachos, húcque ac illuc per varia vagantes monasteria: qui per simulationem spiritualis caritatis, carnis obsequuntur libidinibus, nihil firmitatis habentes, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conueniat ordini, nihil prudentiæ aut grauitatis, sed quibus inest summa curiositas, morum peruersitas, leuitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis, mendacia, & veteratoriæ orationis plenissima asseuratio: qui lingua rudes sunt; & ventre intemperantes; quorum animus continenter flabris veluti quibusdam pulsatur; & consilia tractant vespertilionum similia volantibus, quippe cùm hi in directum nunquam ferantur, sed tortuoso & incerto maxime volatu huc illúcque temerè pererrent ac circumuagentur: cùm autem in speciem statim aliquid facturi videntur, postea præter omnium opinionem ad aliud quippiam longè diuersum subitamentis leuitate feruntur: denique multùm serpunt, & nihil promouent, πολλὰ ἕρπουσι, καὶ οὐδὲν προβαίνουσι. Similem comparationem subiungit iumentorum ad molas deligatorum, quæ cùm ingredi continenter non cessent, eodem tamen vsque in spatio semper reperiuntur: & fracto laboribus corpore, ipsa tamen vltra exigui loci fines non progrediuntur. Hori [e] Apollinis aliud hieroglyphicum est, de homine qui cùm viribus non valeat

d cap. 9.
e cap. 49.

leat ἀδυνάς: temerè tamen aliquid suscipit, atque audaciùs se gerit νυκτερίδος: quoniam vespertilio non habens alas, volat tamen (νυκτερὶς μὴ ἔχουσα πτερὰ, πέτεται). Eodem pertinet illud apud Pierium [a] de eo qui ab exili fortuna euehitur in altum: prætereà de illo qui omnes religiones simulet, sicut vespertilio ad euadendum periculum mustelarum duarum alteri se auem, murem alteri venditauit: aut gallo murem, aliter catto, vt est in fabulis. Id factitant in primis quos cognominant Maranas, quod nomen (etsi alij aliter) ἀπὸ τοῦ μαραίνειν libuit Pierio deriuare, quia hominum genus abominabile sit, omnibúsque abhorrendum. Ad hos reuoca qui ob malam famam, vel æs alienum, vel similem aliam causam; fugere lucem hominúmque conspectum coguntur: qui supra captum suum quædam perscrutantes, cæcutire solent, vt Aristoteles [b] docet: qui neutri parti adhærent in ciuili discordia, quos ideirco Solon [c] à publicis muneribus remouit.

a lib. 25. c. 10.
b 2. metap. cap. 1.
c Plutar. in Solone.

Vers. 19.] Et omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.

Paraphr. IN Leoitico interpositis post nominata priùs animalia, multis de immundis animalibus, quæ comedi non possint, nec eorumdem tangi cadauera, déque rebus inanimatis, quæ ex horum contactu contrahant immunditiam; ponitur huic regula similis, non exprimendo tamen pennulas [d]; *omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.* Ibi dixi cuncto eiusmodi animalium generi quiddam inesse veneni, prauíque temperamenti esse; quia terræ semper affixa sunt.

d Leu. 11. 41.

Explanatio. *Et omne quod reptat.*] Hebraicè vtroque loco שֶׁרֶץ *sceretz*, Chaldaicè רִחְשָׁא *rechscia*: Græcè ibi ἑρπετὸν numero singulari; hic pluraliter ἑρπετά: sed ibi cum restrictione ad repentia super terram. Alioqui communia nomina etiam piscibus esse possunt [e], vt alibi docui [f], etiamsi visum fuerit Euthymio [g] minùs propriè dici reptilia de piscibus. Dicuntur verò repere, quia pedibus non ambulant, inquit Augustinus [h]. Aliquando ἑρπετῶν nomine comprehenduntur bruta omnia, vt cùm Homerus [i] ait,

——— ὅσ᾽ ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ γίνονται.

& Latini repere ac reptare simili sensu nonnumquam vsurpant. Nunc acceptio magis propria proposito necessaria est; ac seorsim interdum ponuntur pisces & reptilia, vt apud Abacuc [k]; *quasi pisces & quasi reptile*: & in historia Regum [l] dicitur Salomon disputasse de reptilibus, & piscibus. De volucribus videtur hoc loco sermo, quæ scilicet mouitant sese ac vagantur per aëra: quemadmodum in Leuitico; *omne* [m] *de volucribus quod graditur super quatuor pedes.* Nam in Genesi [n] partim de piscibus, vt antè dixi, partim de terrestribus animalibus reptile dicitur [o]; quamuis pro his Hebræa vox רֶמֶשׂ *remes* exstet.

e Gen. 1. 20. Ps. 103. 25.
f in Leu. 11. 10. 29. in Ps. 44. 2. Ps. 67. 35. Ps. 103. 25.
g in Ps. 67.
h de Genesi ad liter. imperfecto c. 14.
i Odyss. δ.
k c. 1. 14.
l li. 3. 4. 33.
m c. 11. 20.
n c. 1. 20.
o v. 24. 25. 26.

Et pennulas habet.] In editionibus aliis (*& omne reptile auis*, aut *omnia reptilia volatilium*, כֹּל שֶׁרֶץ הָעוֹף *chol sceretz habboph*, כֹּל רִחְשָׁא דְעוֹפָא *chol rechscia debbopha*, πάντα τὰ ἑρπετὰ τῶν πετεινῶν. Nullam aliter sine pedibus esse negat I. C. Scaliger [a] cum Aristotele; quamuis hic asserat quasdam aues dici ἄποδας, non quia pedibus careant, sed quoniam sint κακόποδες prauis prædiuæ, sicut ἄμορφος & ἄγλωσσος significant cui deformis forma, aut barbara lingua sit. Nam vespertilio bipes est; duo tamen crusculа cum totidem habet pedibus dum volat; vbi verò alas contrahit; non iam bipes, sed quadrupes incedit in alarum habens mucronibus vngues, qui in pedis vsum coëunt. Rectè diminutiuè pennulas posuit Interpres; siquidem animalia talia, vt auium absolutum nomen non merentur; ita nec pennarum, alarúmve.

a in 1. de hist. anim. c. 1. num. 14.

Immundum erit, & non comedetur.] Hebraicè, & Chaldaicè (*immundum hoc vobis, & non comedentur*) Græcè (*immunda hæc erunt vobis, non comedetis de ipsis*, ἀκάθαρτα ταῦτα ἐστιν ὑμῖν· οὐ φάγεσθε ἀπ᾽ αὐτῶν.) In Leuitico [b] (*abominabile erit, nec assumetur in cibum*) vel iuxta editiones alias (*non comedetur*, לֹא יֵאָכֵל *lo ieachel*, לָא יִתְאֲכֵל *lo ithachel*, οὐ βρωθήσεται). Ex qua diuersitate percipimus non semper ad verbum translationem fieri, verbúmve verbo exactè respondere. Quod sæpe alibi obseruauimus.

b c. 11. 41.

Vers. 20.] Omne quod mundum est, comedite.

Vers. 21.] Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hœdum in lacte matris suæ.

Paraphr. PErmittitur esus animalium mundorum, quibus nempe non inesset quæpiam ex priùs dictis conditionibus de immundis: sed negatur morticini comestio, id est, sponte mortui, non solùm si esset animalis immundi, quod ambigi non poterat, posita iam illius prohibitione, verùm etiam si esset mundi. Ne tamen periret omnino tale animal domino suo, licebat id aliis vel dare, vel vendere, qui forte versabantur inter Hebræos ex Gentilibus nondum ad Hebræorum religionem admissis. Hebræi verò non modò manducare non poterant, sed nec tangere, vt cauetur in Leuitico [c] proximè post leges de animalibus immundis; ac proinde non videntur in alium vsum suum potuisse illa conuertere. Ratio autem vetitæ comestionis ex immundis animalibus redditur; quia populus Hebræus profiteri debebat munditiam & sanctitatem; cùm esset Deo peculiariter addictus, & dedicatus: ac longiùs distare ab infidelium ritibus moribúsque deberet, qui abutebantur huiusmodi animalibus ad suam superstitionem siue in sacrificiis, siue in diuinationibus, &c. Inculcatur eadem ratio alibi [d], adiiciendo quòd Deus ipse sanctus sit, & hortando populum, vt sit etiam idcirco sanctus; quamuis nominatim id interdum de Leuitis seu ministris dicatur sanctorum & sacrorum. In cap. 7. [e] libri nostri præcessit eadem sententia; & initio [f] præsentis capitis; postea etiam in cap. 26. [g] & 28. [h] item in Exodo [i], vbi exprimitur quoque à Deo [k]; *viri sancti eritis mihi. carnem quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed proiicietis canibus.* Reiicio

c c. 11. 24. & seqq.
d Leuit. 11. 44. 45. c. 19. 2. cap. 20. 7. 26. c. 21. 6.
e Num. 15. 40. c. 16. 5. 7. [illegible]
f [illegible]
g vers. 19.
h vers. 9.
i c. 19. 6.
k c. 22. 31.

re ad ea quæ dixi cap. 7. necnon & indicatis aliis ex Leuitico locis. Additur in fine aliud præceptum aduersùs illam superstitionem Gentilicam eorum qui volentes agrorum deos placare hædos coquebant in materno lacte: vel ad cauendam crudelitatē, quę videbatur esse in eo quòd in ipsomet lacte animal coqueretur, quod erat sustentamentum eius. Verùm de hoc seorsim accuratiùs.

Explanatio.

Omne quod mundum est comedite] Hæc verba versum integrum conficiunt, sectione sanè parum æquali si cum aliis versiculis comparatio fiat, vt in similibus aliis aliàs annotaui. In textu Græco codicum Regiorum, & Complutensium iunguntur versui præcedenti. Omisit autem Interpres nomen auium, seu volatilium, quod habent editiones aliæ, nempe עוף *bhoph* Hebraicè & Chaldaicè numero singulari, & Græcè *πετεινόν*; de quo genere animalium mentio hic præcesserat. Quod imperatiuè dicitur (*comedite*) idem est, quod comedere licebit, vt pridem notarum est.

Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo.] Attendi non debet ad phrasim aliarum editionum (*omne non comedetis*) siue (*non comedetis omne*) quasi negatio affixa signo vniuersali, efficiat sensum singularem, & significetur aliquod comedi potuisse, aliquod non potuisse. Vniuersalis propositio est, quam Interpres modò benè expressit, licèt non rarò dictam phrasim Latinè sectatus sit.

Peregrino qui intra portas tuas est] Græcè (*in ciuitatibus tuis, ἐν ταῖς πόλεσί σου.*) Alibi [a] quem aduenam intra portas tuas Interpres noster cum editione Hebræa, Chaldæáque ponit, editio Græca *παροικοῦντα ἐν σοί, habitantem in te.* Hoc autem ipso capite [b]. inferiùs Leuita intra portas, dicitur etiam Græcè *ἐν ταῖς πόλεσι, in vrbibus*: præterea cap. sequenti [c] pro portis ponuntur *πόλεις*, item in c.16.[d] & 17.[e] & 18.[f] & 24.[g] & 26.[h] & 28.[i] Aliquando [k] nostra etiam editio vrbes vsurpat vel oppida loco portarum editionis Hebrææ.

a Exo.20.10. Deut.5.14.
b v.27.29.
c v.7.22.
d v.5.11.14.18.
e vers.2.
f vers.6.
g vers.14.
h vers.12.
i v.52.55.57.
k Deut.12.12.15.17.18.

Da vt comedat.] Iuxta editiones reliquas (*dabitur, & comedet*) id est, dari poterit, & dare poteris, nimirum dono.

Aut vende ei.] In editionibus aliis repetitur, alio tamē vocabulo, peregrinus seu aduena: priùs enim erat גר *gher* Hebraicè, Chaldaicè תותב ערל *thothab bharal, aduena præputiatus*, Græcè *πάροικος*: hic autem נכרי *nochri*, quem significat Græcum nomen *ἀλλότριος, alienus* aut *alienigena*: Chaldaicè בר עממין *bar bhamemin, filius populorum*: Leonardus Marius infert, Hebræis licuisse animalia immunda vendere: ac proinde Gerasenos, si fuerunt Hebræi potuisse alere porcos [l], vt venderent: nisi tamen hîc illud (*da, & vende*) ad solum morticinum referatur, quod quia per accidens immundum erat, & non poterat ab Hebræis omnino impediri, ipsa naturæ necessitate etiam inuiti sæpe habebant. At verò ne animalia immunda viua haberent, cauere poterant; adeóque nec habere eis etiam venditionis causa fas fuisse. Credit Brugensis [m] eam regionem à Gentilibus inhabitatam, quamuis Iudæi eis permixti essent, quia Iosephus [n] Gadaram scribit ciuitatem Græcaniei fuisse instituti: præterea [o] seditiosos Iudæos, Vespasiano appropinquante dilapsos extra Gadaram, Gadarensium autem populum Vespasiano cū acclamationibus in ciuitatem recepto, fidei dexteram ab eo accepisse. Docet deinde, non quia prohibitum Iudæis erat porcinam edere, ideo & porcos alere. Vendere tamque potuisse Gentilibus, aut lardo vti ad vngenda plaustra, & similes vsus. Indicium huius rei affert illud Augusti dicterium, malle se Herodis porcum esse quàm filium [a]; quia Iudæi, quique illorum viuebant legibus proselyti, porcos alebant quidem, sed non mactabant; licèt alere potuerint eo maximè tempore, vel ad suppeditandā Romanis militibus annonā: qua ex causa Suatiis priuilegia multa leguntur concessa. Gadaram distinguunt cum Iosepho alij à Gerasa seu Gargasa. Sed ad rem nihil facit. Toletus [b] noster arbitratur petiisse dæmonea à Christo in porcos mitti, sperantes id impetrare, quoniam porci apud Iudæos erant immundi, & quantum ad esum, & quantum ad sacrificium. Sentit quoque non improbabile esse quod quidam recentiorea afferunt inter alias causas (sex affert præter istam, aut etiam septem) propter quas permisit Christus dæmonibus intrare in porcos, illam fuisse, vt Gerasenos siue Gadarenos puniret; qui cùm Israëlitæ essent, porcos alebant, quorum esus lege vetitus erat. Incertum tamen ait esse, an Israëlitæ seu Iudæi fuerint: ibi verò etiam fuisse Gentilium multam copiam. Sed & præter esum, alij vsus esse potuerunt, vt dictum est. Maldonatus [c] item noster, facta dictæ opinionis mentione, ac in ea Rupertum [d] ponens (obscurè tantùm id indicat:) in qua re peccabant Iudæi mulctatos, id est, in porcis, quos contra legem vetantem iis vesci, habebant, probabilius ducit Gadaram, & alias ibi vicinas ciuitates, Græcæ fuisse religionis, vt Iosephus [e] indicet; quamuis pertinerent ad regnum Iudææ, & Iudæi permixti nonnulli essent Gentilibus, quibus Cæsar ad habitandum eas attribuerat. Nostri quoque Barradas [f] opinio eadem est; nec enim permissuros magistratus Iudæorum, vt Iudæi porcorum greges alerent, cùm essent per legem damnati atque immundi. Citat pro se Dionysium [g] Carthusianū, & Caietanum [h]: pro opposita Iansenium [i], qui ea de causa velit punitos Iudæos in suis porcis: & Abulensem [k], qui etsi probabile putet ad Ethnicos pertinuisse, probabilius velit esse Iudæorum fuisse: qui pascere possent porcos, non vt iis vescerentur, sed vt Ethnicis venumdarent. Gentilium porcos illos fuisse placet nostro etiam Vincentio [l] Regio, Christum tamen eò peruenire voluisse, qui missum se negabat ad alios quàm ad oues domus Israël [m], propter Iudæos Gentilibus in ea Iudæi regni regione permixtos. Fabritius [n] Paulutius contendit Gentiles fuisse; nec esse verisimile Iudæos, qui adeò horrent porcos, eosdem aluisse pro aliis etiam Gentilibus, quos vitabāt, & quibus se præferebant. Tandem nihilominus concedit mixtos Gentilibus Iudęos, aluisse porcos ad mercaturam. Vtra statuere queo vtrùm verosimilius: existimo autem, si Iudæorum porci erant, in iis alendis ad mercaturam & alios vsus, excepto esus vsu, non peccauisse: nec pœnæ illorum nomine permissos dæmones in porcos intrare; sed propter alias causas, de quibus non est hîc agendi locus.

l Mat.8.30.31. Marci 5.11.12.13.16. Luc.8.32.33.
m in Matt.8.
n 17. antiq. c.13.
o 3. de bello c.3.
a Macrob.
b in Luc 8. annot 72. *Dæmones cur in porcos mitti petierint.*
c in Mat.8.
d ibidem.
e 17. antiq. cap 13.
f to.2. concor. Euang. lib.5.c.17.
g in Mat 8.
h ibidem.
i har. Euāg. c.31.
k in Matth. 8.q 133.
l Euang. dilucid.10.1. lib.3.c.15.
m Mat. 10.6.
n commēt. in Euang.c.34.

Quia tu populus sanctus Domini Dei tui es.] Hebraicè (*Domino Deo tuo*) aut (*Domini Dei tui*) seruilis enim litera prima vtrique casui potest seruire (ליהוה אל היך *laihouah elohecha*) Chaldaicè (*coram Domino Deo tuo*, קדם ייי אל היך *kodam Iehouah elohecha,*) Græcè (*Domino Deo tuo, κυρίῳ τῷ θεῷ σου.*)

Non coques hædum in lacte matris suæ.] Chaldaicè hîc & in Exodi cap.23.[o] atque 34.[p] quibus locis habetur eadem sententia (*non comedes carnem in lacte*, seu *cum lacte*, לא תיכול בשר בחלב *lo thechul besar bachaleb.*) Vbi nulla mentio cuiusquam

o vers.19.
p vers.26.

De coctione & esu hœdi in lacte.

animalis, vel matris: & pro coquendi verbo est verbum comedendi, quia refertur coctura animalis ad comestionem; crudas enim carnes comedere barbarum ac ferinum est. Græcus textus habet ἄρνα, *agnum*. Gulielmus [a] Parisiensis, quem citat etiam hoc loco Rickelius, docet cùm esset licitum seorsim comedere hœdum & lac: nec videatur potior causa de hœdo, quàm de agno & vitulo, cur simul comedi cum lacte non possent, videri vetitum ritum aliquem idololatriæ circa ista. Atqui agnum, vt dixi, Græcus textus habet; éstque probabile, vt postea dicetur, prohibitionem fuisse de quocumque alio animali. Causa tamen illa de vitando ritu idololatriæ, satis communis est. Secundùm aliquos magnos intelligitur, ait Rickelius, etiam de carnibus aliorum animalium, quæ lacte aluntur. Citat Magistrum historiæ Scholasticæ, & quemdam Andream. Franciscus [b] Georgius Venetus refert quosdam Hebræos minùs eleuatos aut superstitiosos, docere hinc intelligi, quòd non debet post carnes comedi caseus, quasi vertendum hîc sit (*non comedas caseum post carnem*) vt quidem citat ex illo auctore Cornelius noster, quòd sit mala commixtio & mala decoctio carnium in caseo. Sed hoc modo verti non asserit Georgius. Solùm testatur illud asseri ab Hebræis, & satis superstitiosè obseruari: nec videri ad rem quæ tractatur in Exodo, hoc est, ciborum decoctionem ad primitias, quarum legi subditur dictum mandatum, perinde ac si prohiberetur offerri hœdum ad primitias pertinentem, cum lacte; quod ad primitias nullatenus, inquit, pertinet. Addit, cùm hœdus pertineat ad sinistram, & tribunal iustitiæ, lac verò ad dexteram, ac pietatem, iuberi ne coquatur & remittatur debita iustitia, nimia pietate. Glossa interlinearis Exodi docet vetari, ne comedatur hœdus in infantia, vel tempore conceptionis. Hugo ibidem, & hîc, ne infra octauum diem, quando adhuc lacteæ substantiæ est: vel ad literam etiam, vt caueatur gastrimargia siue irritatio gulæ. Lyranus in Exodo, vt per prohibitionem crudelitatis circa bruta, ex quibus exempli causa ponitur hœdus agnúsve (quod auibus non conuenit, quæ lacte non nutriuntur, sed de oui materia) inducerentur Hebræi ad pietatem erga proximus. Vel in detestationem idololatriæ, quoniam aliqui idololatræ sic coquebant carnea idolis immolatas. Citat R. Mosem Rickelius in Exodo de vitanda crudelitate, & Thomã [c] Aquinatem: Augustinum [d] præterea, qui profitẽs quomodo intelligatur ad verborum proprietatem nescire se vtrùm possit reperiri: referat ad Christum; non interficiendũ ab Herode in infantia, vel ne se quis societ Iudæis, à quib. Christus in die quo fuit cõceptus, etiã crucifixus est: quoniam qui mense nono natus est (nempe à conceptione) octauo calendas Ianuarias, mense primo conceptus est circa octauum calendas Aprilis; quod tempus etiam passionis eius fuit, in lacte matris suæ (dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint lac colligere,) hoc est, in diebus matris suæ. Chrysostomi [e] (quẽ citat hoc loco Ioannes Benedictus) eadem allegoris est de Christo, qui ante virilem ætatem occidi non posset, antéque tempus præfinitum à Patre. Ex Augustino sumpta est Glossa quam recitaui, quæ, quia Græcè agnus est, Christum nobis agnum esse vult, hœdum Iudæis. Procopius [f] explicat vt non excindatur agnus ex vtero matris & coquatur: aut ne si coquatur superinfundatur lac matris: aut quantisper vbera sugit non immoletur, coquatúrque, & præsertim vt consulatur dolori fœtæ: iudicari eum qui adhuc sit imperfectus, nec intellectu polleat ac sanctus sit, non esse acceptum & gratum Deo: quales quos Paulus [a] lacte opus habere scripsit. Ad tropologiam præterea spectat, cũ fuga crudelitatis, compassio atque tolerantia erga teneros & infirmos: aut quod in fœtidæ capræ lacte, id est, in praua sua doctrina hæretici coquunt hœdos, hoc est, discipulos suos, ignibus postea æternis in inferno recoquendos; quia lac illud vertitur eis in tormentũ æternum: aut in genere, quòd ne quæ à Deo donantur nobis ad iuuandos alios, in eorum conuertamus damnum, vt ingenium, scientiam, diuitias, & similia, conferatúrque sic ad tormentum, quod est datum in alimentum: aut, vt in parte morali Glossa tradit, quod peccator, cuius typus hœdus, quia hœdi statuentur à sinistris [b], in lacte matris coquantur, quando laudatur in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur [c], sic delinitur: aut iuxta Beteorium [d], quòd non debet animus noster Deo in oblectatione concupiscentiæ carnis offerri; aut quòd nimis iuuenis ad religionem adduci, donec habeat discretionem: aut ex Brunone apud Godefridum [e] Tilmannum, quòd prælatus nõ debet sinere, vt peccator dissolutè viuat (quod enim in liquido coquitur, dissoluitur) vel consouere eum in suis blanditiis, sed asperè increpare: aut vt insinuat Ambrosius [f], quod lex carnaliter interpretanda non sit; aut secundùm alterius Ambrosij mentem, qui veri scriptis insertus est [g] in Apocalypsim, quòd peccator non sinat vsque in diem mortis suæ se in peccatis permanere; sed ante diem mortis suæ ad bona opera agenda reuocetur ne pereat. Literalis sensus videtur citato Aquinati [h] post Theodoretum [i]; quem nominat, vt caueatur crudelitas, non quidem respectu hœdi, qui occisus nõ sentit, qualiter carnes eius coquantur; sed de coquentis, in cuius animo ad illam quodammodo videtur pertinere, si lac matris, quod datum est ei pro nutrimento, adhibeatur ad consumptionem carnium ipsius: & quia nouit iustus animas iumentorum suorum; viscera autem impiorum crudelia [k]: vel vt caueatur Gentilium ritus, qui in solemnitatibus idolorum (Abulensis ait deos agrorum fuisse) taliter carnes hœdi decoquebant ad immolandum, aut ad comedendum; subiicit mox figuralem rationem de Christo, qui hœdus propter similitudinẽ carnis peccati, non erat occidendus à Iudæis in tempore infantiæ: aut quòd peccator non est blanditiis deliniendus. Id cum allatis priùs aliis auctoribus docet etiam Rabanus hoc loco, vt peccans non purgetur mediocribus tenerrimísque disciplinis Ecclesiæ, sed austerioribus præceptis peccata eius excoquantur, cuius magna sunt crimina: & qui per lasciuiæ blandimenta se perdidit, fortiori disciplina se redimat. Leo [l] Papa IX. refellens Michaëlem Constant. Patriarchã & Leonem Acridanum Episcopum; minatur quòd non coquet deinceps hœdum in lacte matris: sed cauendo interdictum veteris legis typicum, impetiginem eius, & scabiem fricabit instanter mordaci aceto & multo sale; quia cum dolore abscindenda sint, quæ leni manu palpari, & sanari non possunt. Alij [m] volunt sensum literalem esse, præter indicatos, vt abstineat à matre, qui hœdum eius comedit; quia vtrumque comedere videtur crudele; quemadmodum iubetur pullos in nido comprehendenti, matrem dimittere [n]: aut ne [o] occidatur & coquatur hœdus adhuc

a de legib. c.4.
b in probl. script. tom. 2. proble. 440.
c 1.2. q. 102. a.6. ad 4. & 8.
d q. 90. in Exo.
e hom. de Innoc.
f in Exo. c. 23.

a 1. Cor. 3. 2. Hebr. 5. 12.
b Matt. 25. 33.
c Ps. 10. 3. secundum Hebr.
d 10 moral. Exo. 23.
e in alleg.
f de parad. c. 5.
g in c. 6.
h 1.2. qu. 102. art. 6. ad 4. & 8.
i hic in q.
k Prou. 12. 10.
l epist. 1. ad Michaël. Const. c. vlt.
m Vatab. refert Exo. 23.
n Deut. 22. 6.
o Vatab sup. & ibidem Oleast. Cornel. Leonar. Marius.

adhuc lactens, matrisque sugens vbera; nec enim vllibi morem fuisse, vt coqueretur seu lixaretur (quod sonat Hebræum verbum בָּשַׁל *bascial*) in lacte matris hœdus. Oleaster non approbat expositionem; ne coquatur hœdus dum lactatur à matre, simul cum matre, ad eum modum, quo de pullis ex nido ablatis paulò antè dicebant aliqui vnà cum matre; quoniam durius est sumere (*in lacte*) ac si esset (*simul cum lacte*) & cum matre lactante, atque hœdo lactente: præterea, ne coquatur hœdus ad immolandum Deo, quamdiu lacte matris vtitur; quoniam Samuel agnum lactis, siue lac sugentem obtulit in holocaustum [a] Domino (poterat verò agnus hœdúsve & vitulus immolari octauo die [b]:) tandem explicat, ne coquatur siue hœdus, siue agnus in ipso lacte matris, & sit hœdo agnóve in supplicium, quod erat ad delicias & delectationem. Sequitur hoc Marzilia; videlicet ne quis ritum idololatrarum videatur imitari, lixantium superstitiosè hœdum in lacte materno. Sa noster declarat vt non coquatur in lacte, id est, cum lacte ipso in olla, vel dum lactat, seu lac sugit: vel vnà cum ipsa matre: & [c] Clementem affert Alexandrinum, reddentem causam, ne fiat interempti condimentum, quod est viuentis nutrimentum, neque quod est vitæ causa, opem ferat ad consumptionem corporis. Mihi planè placet vetari ne ad esum simplicem & vsitatum adhibeatur hœdus (& idem est de agno, quem L X X. exprimunt ἄρνα, ac forsan de aliis ob eandem causam) quamdiu lac sugit, quique est in lacte, hoc est, sub lacte & vberibus matris; atque proinde ne coquatur per elixationem, qui coquendi modus magis ordinarius est, aut per assationem etiam, aliúmve modum, & quidem, quoniam sapit id feritatem nonnullam & crudelitatem: sicut illud aliud de non auferenda matre cum pullis ex nido. Non reperi adhuc qui ex Gentilibus coqueret in ipso lacte materno, ac nec in alio etiam vllo, hœdum, agnum, aliámve victimam ad sacrificium; quamuis tradat Plutarchus [d] Ruminæ sacrificantes mulieres lac victimæ infudisse pro vino, quòd Rumina lactentibus, ac nutricibus, & alendis pueris præfecta, merum non admitteret, quod est infantibus perniciosum. Clemens [e] Alexandrinus vsque ad bruta extendi Dei lege benignitatem hinc eliciens, ac ex similibus, inuehitur in eos, qui in aliquorum animantium ventres ante partú calces impingebant, vt contemperata lacte carne vescerentur, matricem, quæ est creata ad generationem, faciendo sepulchrum fœtus qui gestatur in vtero; cùm lex, inquit, apertè iubeat ne coquatur agnus in lacte matris suæ. Iudæi adeò religiosè, immo superstitiosè hanc legem hodiéque obseruant, vt in eadem olla carnes & lac non coquant, sed neé eodem cultro findant carnes caseúmque; qua ipsa de re liber apud eos ceremonialis extat, quid liceat, quid non liceat in esu carnis & lactis. Mariana noster Hebræos putare ait in commune vetari carnem in lacte coqui, idque Chaldaicè indicari, cùm dicit (*non comedes carnem cum lacte.*) Testatur Munsterus [f] apostata, Hebræos legem hanc interpretari non solùm de hœdo; verùm etiam de oue, & vitulo: & quòd esus similiter vt coctio prohibeatur: arbitrari proinde sacrilegum esse; comedere in eadem mensa carnem & caseum, nisi post esum carnis os bene mundetur, & tumulo digito reliquiæ quæque diligenter euacuentur. Omissis his nugis expositioni quam sectamur de vitanda crudelitate aduersùs homines

a 1.Reg. 7. 9.
b Leuit. 22. 27.
c 2.Strom. c. 8.
d quæst. Rom. q. 57.
e suprà.
f in Exo. 23.

A illo exemplo erga bruta, quemadmodú [a] Sapiens citatis nuper indicat verbis, quòd viscera impiorum crudelia sint, iustus nouerit animas iumentorum suorum. Fauet quòd Chrysostomus [b] argumentatur, prolata eadem sententia, animas sanctorum vehementer mites esse etiã aduersùs bruta: quod ita ferè accidit, vt qui sæui in hæc fuisse memorantur, fuerint quoque in homines, vt Nero, Domitianus, &c. quod alicubi cùm deest carnifex, lanius seu popa è macello ad inferendum supplicium compellatur: quòd nimis longas venationes regibus Oppianus [c] interdicat, ne cæde B animalium delectati, hominum quoque interneciones cogitent: quòd lex [d] ciuilis non permittit prægnantem prius subire suppliciũ quàm pepererit, vt citatus quoque Clemens Alex. meminit; & Ælianus [e] exemplum veneficæ profert, ex iudicio Areopagitarum. Obseruata sunt ex his quædam à Salazar [f] nostro: & à nobis pridem attè in Leuitici commentario [g], ibi vbi cauetur siue bouem, siue ouem immolari vna die cum fœtibus suis: præter alia exempla, protulimus illud de puero, quem Areopagitæ de medio sustulerunt, ob eam crudelitatis indolem, qua cornicibus quotquot habere poterat, oculos [h] eruebat. Eodem loco varios alios mysticos attigi sensus, vt de discipulis Christi, ac matre, tempore passionis; quorum illi velut pulli, liberi dimissi sunt; hæc tanquam C vera mater, cum filio quodam modo mactata est: nec in nido, vt alia lex [i] iubet, extracto inde filio, & occisu, relicta.

a Prou. 12. 10.
b hom. 29. in epist. ad Rom.
c de venat.
d l. prægnãtis. D. de pœnis & l. Imperator. D. de statu hom.
e 5. var. hist. c. 18.
f in Prou. 12. 10.
g in c. 22. 28.
h Quintil. lib. 5. c. 9.
i Deut. 22. 6.

Vers. 22.] Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos;

Vers. 23.] Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis: vt discas timere Do- D minum Deum tuum omni tempore.

PARAPHR. *De decimis.*

HOc de decimis præceptum de ferendis in locum à Deo electum in quo coleretur peculiariter, qui tandem fuit Ierusalem, singulis annis, diuersum est à præcepto, quo imperabatur vt decimæ darentur annis quoque singulis, tribus Leuiticæ hominibus, nempe de frugibus seu fructibus, déque gregibus & armentis; & ex quibus Leuitæ decimam pendere debebant Pontifici & sacerdotibus, vt priore [k] libro vidimus: & quas non erat necesse deferre in dictum illum locum cultui diuino dicatum; sed Leuitæ illas colligebant ex ciuitatibus sibi vicinis, ac ex iis quas ad habitandum acceperant, vbi aliarum simul tri- E buum aliqui habitabant. Post detractam huiusmodi decimam, ex aliis nouem partibus adhuc decima detrahenda erat, vt ea ea pergentes ad tabernaculú (quod ter in anno fieri [l] debebat partim viuere possent in itinere, partim offerre hostias pacificas in illo loco, de quibus etiã comederent coram Domino, inuitatis quoque Leuitis. Idẽ verò iudiciũ est de primitiis, vt post primas, quæ totæ cedebant Domino siue ministris ipsius, separaret sibi quisque aliquid, vel secundas primitias, quibus item vteretur dum pergeret ad dictum locum sanctum. Eadem præterea ratio de separatione primogenitorum ex bobus & ouibus

k c. 18. 24. & seqq.
l Exo. 23. 17. & 34. 23.

in hostiam pacificam, vltra illud quod iam erat addictum Deo: eadem de votis & donariis, non quantum ad nouam separationem, vt innuit tamen noster Cornelius; hæc namque fiebat; sed quantum ad comestionem. Alioqui si præter vota & donaria prima, deberent fieri alia, res in infinitum abiret. De his dictum antea cap. 12.[a] Tertiæ postea[b] hic præscribuntur singulis triennis separandæ pro pauperibus, viduis, pupillis, Leuitis in modum eleemosynæ: non quòd, vt aliqui voluerunt, quæ duobus annis fuerant propriæ Leuitis, anno tertio deberent esse communes æquè dictis illis aliis ac Leuitis, Nam de Tobia scriptum[c] est, in anno tertio ministrasse proselytis & aduenis omnem decimationem. Nominatim Aquinas[d] triplices decimas legis veteris distinguit, & alij quos alibi citaui. Epiphanius[e] de Pharisæis tradit quòd *ἀπεδεκάτευον τὰς δεκάτας*, *decimabant decimas*, siue *decimarum decimas dabant*, *primitias offerebant*, *τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν*, *& tricesimas*, *ac quinquagesimas*, *πεντηκοστὰς τε, καὶ τριακοστὰς*. Eum locum Dionysius Petauius noster notis illustrans, propriam ait fuisse Leuitarum decimarum, quas populus præstabat, decimas sacerdotibus exhibere: cùm autem non omnes Pharisæi essent Leuitæ, id tamen videri Epiphanium sensisse: & cùm de spicis, vuis, oleis primitiæ offerrentur de frugibus elaboratis therumam, & decimæ; nec esset in lege definita therumam, sed à Magistris præscriptus modus, vt ne minùs sexagesima penderetur; & qui liberales erant, quadragesimam penderent, pares sexagesimam, medij ad hos & illos accederent, de qua re Iosephi Scaligeri damnati auctoris extat inter posthuma opusculum; putat Epiphanium accipiendum de iis therumis, cùm *πεντηκοστὰς & τριακοστὰς* persolutas esse scribit à Pharisæis. De hac tota re non repetam dicta in Leuiticum[f], & in præcedentem[g] librum: cùmque Antonius noster Anreoltius[h] exemplis comprobat. R. Eliezer ait quòd inter filios Iacob, incipiendo à Beniamin, Leui fuit decimus filiorum eius; & idcirco Michaël obtulit illum Deo, vt seruirent ipsi in terra Leuitæ, quemadmodum Angeli seruiunt in cœlo: & quod Michaël tunc dixit Deo, æquum videri vt aleret Rex suos famulos; Deus autem decimas Leuitis attribuit. Plus acuminis habet hoc, quàm verisimilitudinis: nec ratio suppetit, quare initium numerandi filios Iacob fieret potiùs à Beniamin, quàm à Ruben; quamuis illo modo Leui sit decimus, isto autem tertius. Nec admodum probabile Leuitas caruisse possessionibus frumentariis vel agris qui non essent pascuales, & quodammodo exhæredatos esse in pœnam Leui, qui cum Simeone crudeliter occiderant Sichimitas[i]: ac propter illa verba Iacob de Leui & Simeon[k], *diuidam eos in Iacob, & disperdam eos in Israel*. Id quidem docet[l] Masius (causam tamen istam tacitam fuisse, quoniam iam ignouerat Deus, & contemptibiles apud populum Leuitæ fuissent si ea causa expriemeretur) & Bellarminus[m] noster. Obest illi opinioni tantus honor sacerdotibus delatus dictæ tribui: quemadmodum Simeonis tribui munus alios docendi, vt placet Hebræis in suis traditionibus, de Thargum Ierosolymitano in Gen. c. 49.[n] licèt vt libri nostri c. 33. videbitur, Moses illi non benedixerit, inter alias tribus, quia ex ea Zambri princeps fuerat cæsus à Phinee propter concubitum impudentem & sacrilegum cum Madianitide[o].

a vers. 17. & seqq.
b vers. 28.
c Tob. 1. 7.
d 1. 2. q. 87. art. 1. ad 4.
e hær. 16.
f in c. 28. 21. & seqq.
g in c. 17. 30.
h catech. hist. c. 4. tit. 14.
i Gen. 34. 25.
k Gen. 49. 7.
l in Iosue 13. 14.
m 1. de clericis c. 26.
n vers. 7.
o Num. 25. 6. & seqq.

Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra.] Habetur in editionibus reliquis (*decimam decimabis*) quod quia non ita benè sonat, cùm indicari videatur decimationem fieri circa decimam ipsam; idcirco rectè ab Interprete positum est verbum (*separabis*.) Pro *frugibus tuis* Hebraicè & Chaldaicè est *prouentus seminis tui*, תבואת זרעך *thenuath zarhecha* עללת זרעך *hhalelath zarhach*: Græcè eodem pacto *γεννήματος τοῦ σπέρματός σου*, *genimenis seminis tui*: & prætereа *τὸ γένημα τοῦ ἀγροῦ σου*, *genimen agri tui*. Hinc Toletus[a] noster aptè infert, non solos Pharisæos minuta decimasse, vt mentam, rutam, omne[b] olus (quod citatus antea Epiphanius insinuat, licèt noster Petauius, vt etiam dicat, de aliis prætereа ipsum intelligat) verùm etiam cunctos Hebræos. Probat id adhuc, quia Christus dixit[c] (*oportuit illa non omittere: & reliquistis grauiora legis*, quasi & illa leuiora pertineant ad legem: quia in Leuitici cap. 27.[e] scribitur (*omnes decimæ terræ siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt*) vbi editiones quoque reliquæ habent (*de semine terræ*) quia Pharisæi non darent decimas, nec eas offerrent Deo, nisi secundùm legem essent; eo quòd vehementer ambiebant videri legis obseruatores: quia Hilarius, Hieronymus, Druthmarus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & alij in cap. 23. Matthæi, Beda in Lucæ 11. atque Augustinus in Enchiridio[f], & Gregorius[g] in pastorali (vbi acutè notat exempla proferri in odoriferis ad insinuandum studium captandæ famæ) consentiunt; quamuis eorum aliqui[h] videantur locum illum Euangelij de Pharisæis exigentibus decimas interpretari: alij quòd eas soluerent, ac inter alios rursus Augustinus[i]; quod, vt idem Toletus[k] benè docet, est verius; quoniam non erat Pharisæorum decimas accipere, sed Leuitarum: quidam ex illis diceba[l], *decimas do omnium quæ possideo*: in hoc vltimo loco Euangelij[m] narratur Pharisæus iactans se de operibus bonis, quod non in exactione positum est, sed in oblatione & solutione. Vtrique opinioni de decimis, quas Pharisæi aut exigerent, aut soluerent seu penderent, fauet verbum Hebræum, Græcum, Chaldæum, cui Latinum respondet, significans & soluere[n] & exigere[o] decimas, quod Auctor operis imperfecti ad Matthæi cap. 23. monet. Salmeron[p] noster, disputans de decimis, & vsum earum apud alios ostendens ante legem fuisse, ac non solùm Abraham[q], & Iacob (qui etiam vouit[r]) sed & apud eos qui Herculi, de quibus Cicero[s]; & Lucullum (quem inde auctorem factum scribit Festus); & Cyrum, qui post deuictos Lydos dedit Ioui decimam prædæ partem[t]: Liberum patrem, qui & Bacchus, qui obtulit primitias, obtenta de Scythis victoria[u]: præterea ponens distinctionem triplicis decimæ, de qua diximus non semel; negat datum præceptum decimarum de oleribus & herbis minutis, vt rutæ, anethi, mentæ, cymini; Pharisæos ad ostentationem, quasi obseruantiores legis forent, de iis quoque rebus pendere voluisse, quemadmodum mundabant quod deforis erat calicis & paropsidis, & vtebantur baptismatibus calicum, vrceorum, &c. manúsque sæpiùs lauabant. Probat autem; quia Leuitici capite vltimo[x] exprimuntur decimæ terræ de pomis arborum, & de frugibus; déque boue, oue, capra: hoc loco *de frugibus quæ nascuntur in terra*, Hebraicè (Chaldaicè etiam, & Græcè) *in agro*, שדה *sadeh*, חקלא *chakla*, *ἀγρῷ*: ne

Explanatio.
a in Lucæ 11. annot. 30.
b Lucæ 11. 42. Matth. 23. 23.
c ibidem.
d Matt. 23. 23.
e vers. 30.
f cap. 76. & 103.
g p. 3. c. 34.
h Hieron. Druth. Aug. enchir. cap 103.
i sup. c. 76.
k sup. annot. 29.
l Lucæ 18. 12.
m ibidem.
n 1. Reg. 8. 15.
o Gen. 28. 22.
p to. 4. p. 3. tract. 34.
q Gen. 14. 20.
r c. 28. 22.
s 3. de nat. Deor.
t Herodot.
u Ouid. 3. Fastor.
x vers. 30.

ne horti parui comprehendantur, quos etiam Leuitæ habere poterant a[illegible] quotid[illegible]os v[illegible]us. Ad illud vero Christi; *hæc oportuit facere, & illa non omittere* declarat, [illegible]t grauiora legis facerent ante omnia Pharisæi, [illegible] interim non omitterent decimationem, vel per verbum (*oportet*) intelligi conueni[illegible], ita vt approbet quæ legi consentanea erant, quamuis non necessaria: vel ad mentem ac iudicium Pharisæorum, hac in re non reprehendendum, vt videlicet oporteret facerent Pharisæi, legis præcipua facienda; itaque si ita ipsis videretur, illa etiam parua oporteret non omittere. Refert Lyranus [a] ex R. Salomône, quòd primitiæ quantum ad terræ nascentia, dabantur solùm de septem rebus, nempe frumento, hordeo, vinea, oliua, malogranato, ficu, palma: Christum Pharisæis improperasse, quòd sub ostentatione iustitiæ maioris decimarent mentam, & alia minima, ad quæ non tenebantur secundùm aliquos Doctores nostros: ut sententia illa Christi verbum (*oportuit*) non referri ad nominatas decimas, cùm non esset lex de illis, quamuis bonum esset eas dare, vt de lana [b]. In eadem opinione Iansenius [c] est, nostérque Vincentius [d] Regius. Recitat noster Barradas [e] Lyrani verba: quæ tamen vt à Lyrano dicuntur, explanante libri nostri cap. 26. per se non spectant ad decimas, sed ad primitias, de quibus nunc non agitur: de decimis autem, quas triplices agnoscit cum Magistro [f] historiæ Scholasticæ & aliis, quos pridem antè cap. 12. nominaui, & secutus

a in Deut. 26.
b Deut. 18. 4.
c concord. c. 84.
d dilucid. Euang. p. 3. l. 5. c. 24. 10.
e 3. lib. 8. c. 17.
f in Deut. c. 5.

C

sum, contra Lyranum; vtramque sententiam probabilem arbitratur; affirmantémque confirmat ex Paralipomenis [g], in quibus est, quòd omnium quæ gignit humus, filij Israel decimas obtulerunt. Lucas [h] Brugensis rigide interpretando Leuitici [i] locum (*omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur*) ait accipi de minimis quoque herbis: at æqua & commoda interpretatione non præcipi, quippe quæ ab eis parùm fierent quibus fuissent debita; hoc autem nomine illum Pharisæum gloriatum [k] (*decimas do omnium quæ possideo*) non tantùm de quibus publicanus & cæteri dabant decimas. Citat Ariam Montanum in Matthæum & Lucam, qui curiosam vocat & nimis exactam

g in 2. li. 31.
h in Matt. 23.
i c. 27. 30.
k Luc. 18. 12.

D

interpretationem, obseruationémque in præceptis minoribus & facilioribus. Meliora sunt asserentis partis argumenta: nec satisfacit Salmeron testimoniis Scripturæ, quæ semen iuxta reliquas editiones habeat: vel quando Christus dixit, non omittendam solutionem ex herbis minutis, quas nominat: præterea in terræ Latino nomine hoc loco nostro vini constitui posse meritò negat, eo quòd nomen agri in editionibus aliis extet, non modò quia præfetti semper debet nostra; verùm etiam, quoniam agri vox conuerti potest cum terra satius apta.

Per annos singulos.] Hebraicè & Chaldaicè (*anno anno*, שָׁנָה שָׁנָה *scianah scianah* שַׁתָּא שַׁתָּא *sciatha sciatha*: Græcè *annum per annum*, [illegible]

E

Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur] In c. 12. [l] similia vidimus & exposuimus. Lege d[illegible] his dicta locis aliis, & Riberam [m], & in Amos 4. [n] Additur in Sixtinis Græcis codicibus [illegible], *sacrificia* & quidam [illegible] immediatè præcedens in omnibus libris, iungunt isti verbo [illegible], *illuc feretis.* Non satis aptè id verbum plurale videtur poni, cum præce-

l c. 7. 18.
m [illegible] de templo c. 2.
n [illegible] 6. &c

A

dentia sequentiaque habeant numerum singularem.

Decimam frumenti tui, & vini, & olei.] Sic etiam citato cap. 12. [a] Nec tamen eiusmodi rerum decimæ soluti non debebant, quia istæ nominatim exprimuntur, [illegible] paulo ante dixi. Itaque & sequentium rerum decima non erat vera, sicut quæ Leuitis debebatur, sed arbitraria quædam portio sic appellata, quemadmodum, ait Caietanus, Iacob vouit offerre decimas [b]: & primogenita eodem pacto non erant exactè talia, sed eximia & optima; ac [illegible] petebatur talia offerre iuxta fa[illegible] sua. Quare decimæ hæ non sunt primæ [illegible] secundæ: [illegible] qui de primis affirmant, vt Lyranus explicat, vt

a vers. 17.
b Gen. 28. 20. 21. 22.

B

Abulensis notat applicari superius verbum (*comedes*) ad Leuitas, verbum (*separabis*) ad populares. Sed illa mutatio, inquit, nunquam debet fieri, nisi ex causa necessaria, & comedere in conspectu Domini non conuenit Leuitarum decimis, quæ comedi poterant vbique. Oleastro non displicet opinio Caietani, & distinguit decimas triplices populi, præter quartam quam Leuitæ soluebant Pontifici & sacerdotibus; quod non semel ipsemet annotauit.

Et primogenita de armentis & ouibus tuis.] Editiones aliæ habent primogenita boum & ouium. Duodecimo item c. [c] primogenita armentorum & pecorum; atque armenta & pecora. Recurrit ad eumdem locum. Hugo citans Ezechielem [d],

c v. 17. 25.
d c. 45. 15.

C

declarat vnum de ducentis, quæ propheta ait esse ex his quæ nutriunt Israël in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica; vtque q[illegible] ducentas oues offerret ducentesi[illegible], quemadmodum sexagesimam partem frugum [illegible] primitias. In quibusdam Latinis codicibus h[illegible] loco nostro meminit Lucas Brugensis extare (*offeres*) & quid simile in Græcis esse, prout etiá retuli; omisso autem eo vt Rabanus facit, Hebræusque textus & Chaldæus, subaudiendum ex præcedentibus (*separabis & comedes*, &c.) ita vt qui priùs generatim dixerat decimam partem cunctorum quæ ex terra nascuntur separandam, eo modo numeres, additis primogenitis armentorum, ouiúmque.

Vt discas timere Dominum Deum tuum in omni

D

tempore] Omne tempus posuit Interpres pro omnibus diebus. Hinc infert Caietanus illud quod proximè dictum est, medium quid esse inter consilia & præcepta iudicialia, potiúsque inter moralia censeri, ac debitum morale. Vocat autem disciplinam quandam timendi Deum iugiter huiusmodi oblationem, tum quia viuidus, inquit, seruabatur timor Dei frequentibus oblationibus in honorem Dei, tum quia eundo ad locum tabernaculi diuini cum domo sua, discebant ibidem à sacerdotibus quæ ad timorem Dei spectant. Seruus qui domino suo astare frequenter debet, timet eum offendere, inquit Oleaster; ideóque instruuntur domini vocare seruos suos sæpius coram se, vt timeant malè facere, scientes se co-

Tempus pro die.

E

ram domino suo esse rationem reddituros. Moneri nos etiam obserua: Seraphinus Capponus, per exercitium bonorum operum, ac frequentem suipsius, ac rerum suarum oblationem factā Deo; assuefieri ad eiusdem timorem, & cultum; ad maiorem hum[illegible]litatem; ad diligentiorem mandatorum Dei custodiam; ad ardentius in melius proficiendi studium; ad curam opere implendi quod di[illegible]mus, sicque facilius alios docendi, quàm sola librorum lectione, aut speculatiua cognitione.

a quæst. 5. *Timor ex operibus bonis.*

Sed perlege, nec pœnitebit. Abulensis [a] notat quòd per tales oblationes assuefiebat populos Deum timere timore casto seu filiali, qui eum amore perfectus est, pérque opera bona acquiritur; quia seruilis principium benè operandi est: per bona autem opera non acquiritur, sed prior, loquendo de acquisito: cumque pnnatur hoc loco timor velut finis bonorum operum, non potest esse seruilis. Non est ita simpliciter accipienda hæc doctrina; quia seruilis quoque timor quamuis imperfectus, bonus tamen, acquiri per opera bona potest: atque illo populus præsertim ducebatur; licèt alium meliorem Deus intenderet; castum scilicet ac filialem, siue reuerentialem. In cap. 4. [b] congregati Deus populum iussit ad se, vt audirent sermones eius & discerent timere eum omni tempore quo viuerent in terra, doceréntque filios suos; & c. 17.[c] præcipitur vt futurus rex legat volumen Deuteronomij legis omnibus diebus vitæ suæ, & discat timere Dominum Deum suum. Tobias senior iuniorem filium suum docuit ab infantia timere Deum, & abstinere ab omni peccato [d]. Inuitat Dauid filios vt audiant docentem se timorem Domini [e]. Lege dicta cap. 4.

b vers. 10. c vers. 19. d Tob. 1. 10. e Psal. 33. 12.

Vers.] 24. Cùm autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare;

Vers. 25.] Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:

PARAPHR.

QVia difficile erat primitias, & decimas, & præsertim animalium primogenita, ex remotiore loco ad eum deportare vel deducere, quem constituisset Dominus, vt ibi res ex ipsis offerrentur, ac in eodem loco peculiariter celebretur, ne huiusmodi difficultate cultus ille impediretur; initi placuit Deo hanc rationem, vt dictarum rerum collectum pretium per venditionem, illuc deferretur; ibidémque similes res coëmerentur. Etsi, verò non dicatur vtrùm si quanti æstimarentur, satis esset pretium deferre, non priùs vendendo; probabile est huc sufficisse; cùm perinde vtroque modo fieri oblatio posset hîc præscripta. Qua in re considerare licet Dei facilitatem ac benignitatem in dandis præceptis adeò moderatè vt submoueat difficultates, nec nimio velit onere suos opprimere, sed expeditè ablatis impedimentis, exequi posse quæ præcipit. Theodoretus [f] non semel antea citatus duplices decimas hinc elicit, vnam Leuitis offerendam, alteram in rationem epularum faciendarum: ex sequentibus autem tertiam tertio quoque anno faciendam pro pupillis & viduis. Quod confirmat Iosephi etiam testimonio, qui cum Iudæus esset, Iudæorum, inquit, morem probè sciebat.

f quæst. 13.

EXPLANATIO.

Cùm autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus, &c. Totus hic versus paulò aliter iuxta editiones alias extat: *& cùm multiplicata sit seu multa fuerit præ te via, quòd non possis ferre eam, quia longe erit à te locus quem elegerit Dominus Deus tuus ad ponendum nomen suum,* siue *manifestatem suam ibi*, vel, *vt inuocetur nomen eius illic, cum benedixerit tibi Dominus Deus tuus*, aut *quia benedicet*, &c. Augustinus in locutionibus legens (*si autem longè fuerit via a te*) explicat ac si diceretur, longa via fuerit, notans aduerbium positum pro nomine. ἐὰν δὲ μακρὰν γένῃ ἀπὸ σοῦ ἡ ὁδὸς: cum nomine esset ἡ ὁδὸς μακρά. Codices Complutenses, ac Regij habent ὅτι εὐλόγησε: & quidam alij εὐλόγησεν in præterito tempore: Sixtini εὐλογήσει in futuro, in quo etiam est eum affixo יְבָרֶכְךָ iebarechecha, יְבָרֶכְךָ ieuarchennach. Iudicari vult autem Abulensis per istam benedictionem, id est, multiplicationem multitudinémque facultatum à Deo concessarum, alterum impedimentum: quoniam si magnus grex & armentum, verbi gratia, duci deberet, magnus labor esset, eudémque modo in deportandis multis frugibus. In cap. 19. [a] *si longior fuerit via*) dicitur Hebraicè & Chaldaicè sicut hic כִּי יִרְבֶּה הַדֶּרֶךְ chi irbeh hadderech, אֲרֵי יִסְגֵּי אָרְחָא are thisghe orecha: Græcè cum nomine ἐὰν μακροτέρα ᾖ ἡ ὁδός. Multiplicationem denotant verbum Hebræum & Chaldæum: vsurpando discretum pro continua quantitate. Deuique quod vltimo loco legimus (*nec potueris ad eum hæc cuncta portare*) in editione Hebræa Chaldæáque videntur de via ipsa dici, quam quis ferre non possit, id est, tolerare & pati, si videlicet per tantum spatium debeat res offerendas deferre כִּי לֹא תוּכַל שְׂאֵתוֹ chi lo thuchal seetho, אֲרֵי לָא תִיכּוֹל לְמִטְלֵיהּ are lo thicchal lemitteleh. Vel quia affixum est mascul. generis, & immediatè præcedens nomen דֶּרֶךְ derech fœminini, posset referri indefinite & collectiuè ad ea quæ priùs nominata sunt, præcipiendo vt deferrentur.

a vers. 6.

Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua.] In Hebræa & Chaldæa editione (*& dabis in argento*, seu *in pecunia*, id est, pro pecunia, argentóve; *& ligabis argentum*, siue *pecuniam, in manu tua.* In Græca (*& vendes ea argento, & accipies argentum in manibus tuis*, ἀποδώσῃ αὐτὰ, καὶ λήψῃ τὸ ἀργύριον ἐν ταῖς χερσί σου.) Argentum pro pecunia sumi docui alias [b], & antiquiorem vsum esse illius, quàm qui traditur à Plinio [c] cum nota bigatum aut quadrigatum anno Vrbis 585. Hanc interpres nunc intellexit per pretium ex venditione. Sæpe cognominatur siclus argenti certum monetæ genus. Sed absolutè nomen argenti nonnumquam iungitur verbo emendi aut redimendi [d], aut appendendi [e] pretij nomine, aut vendendi [f], aut possidendi [g]; aliquando nomini mercedis [h]. Tribus linguis argentum eo modo accipitur Latina, Græca, Hebræa, cui Chaldæa similis, itémque lingua Gallica. Cusam à Caino monetam ex varia materia Guido Panciola lulepho [k] refert auctore, vel potiùs Flauius Gualtierius eiusdem Scholiastes. Non monetæ inuentionem Iosephus Caino tribuit; sed μέτρων καὶ σταθμῶν, *mensurarum & ponderum.* Herodotus [l] Lydis id ascribit de numo argenteo aureóque: Strabo [m] de argenteo, Phidoni in Ægina: apud Eleos à Phœdone de argenteo eodem idem [n] auctor; vt omittam instituores aurei, ærei, coriacei, fictiei, stannei, &c. de quibus Alexander [o] ab Alexandro eum quel lo post Polydorum [p] Virgilium, ex quo urbatum credo qui detulit inuentionem pecuniarum ex quouis metalli genere Caino Iosephum producens in testem, qui scribat anxie in

Argentum pro pecunia. b in Act. 3. 6. c li. 33. c 3. d Esa. 43. 24. e c. 55. 1. cap. 33. 1. Ier. 32. 15. 1. Pet. 1. 18. f Ier. 32. 9. 10. *Moneta vnde.* f Amos 2. 6. g c. 8. 6. h Apoc. 18. 13. i in collect. rerum inbeniorum c. 1. k 1. antiq. c. 3. l 1. m l. 8. n ibidem. o li. 4. c. 15. p 2 de inuē. rerum c. 20. *Pecuniarū inuentio.*

in cumulandas pecunias incubuisse. Mouere potuit id opinantes nomen χρημάτων, quo vtens Iosephus scribit quod auait domum πλήθει χρημάτων ἐξ ἁρπαγῆς ᾗ βίας. Sed latiùs patet χρημάτων significatio pro quibusvis facultatibus: & per rapinam vimque cogere τὰ χρήματα, de pecuniis præcisè non intelligitur. Pro vltimis verbis (*portabisque manu tua*) retuli Græcè esse (*accipies, λάψῃ*) Hebraicè & Chaldaicè *ligabis*, צַרְתָּ *tsartha*, תְּצוּר *thetsur* id est, vt Vatablo placet, colligata pecunia in fasciculum in manum tuam, ibis, &c. In ore saccorum repererunt fratres Ioseph ligatas pecunias [a], quæ secundum editiones alias dicitur ligatura argenti: & cùm purgarent se apud illum, dixerunt attulisse se aliud argentum vt emerent necessaria, inuenisse autem pecuniam (argentum iuxta editiones reliquas) in ore saccorum; non esse verò in conscientia sua, quis posuisset eam (pecuniam, cùm tamen argentum proximè vsurpetur etiam Latinè) in marsupiis suis [b]. Iterum marsupij mentio est in Prouerbiis [c], & sacculi pecuniæ [d]. Pro marsupio, quod est item Græcè μαρσίππιον (siue μαρσίπιον, aut μαρσύπιον) est Hebraicè כִּיס *chis*, Chaldaicè כִּיסָא *chisa* [e]: vel חֲמַתְכַּח *amthechah* & טַבְּנָן *tabbanan* [f]: pro sacculo ἐνδεσμὸς (quod nomen ligaturam importat) & צְרוֹר *tseror* atque צְרָרָא *tserara* (quæ idem valent, & sunt à verbis quæ hîc extant.) In primo loco ex Prouerbiis [g] allato quod Latinè legimus, éstque conforme textui Hebræo (*sortem mitte nobiscum, marsupium sit vnum omnium nostrûm*) in editione quidem Græca codicum Complutensium & Regiorum, aliorúmque habetur eodem pacto: sed Sixtini habent duo nomina βαλάντιον & μαρσίππιον, hoc modo, τὸν δὲ σὸν κλῆρον βάλε ἐν ἡμῖν, κοινὸν δὲ βαλάντιον κτησώμεθα πάντες, καὶ μαρσίππιον ἓν γενηθήτω ἡμῖν, *tuam autem sortem mitte in nobis, communem autem crumenam possideamus omnes, & marsupium vnum sit nobis*. Videtur autem prius illud de crumena, esse interpretatio eius, quod statim sequitur, licèt quidam βαλάντιον velint esse saccum, loculúmve, in quem conijciatur pecunia velut ad thesaurum: μαρσίππιον ad quotidianos vsus: cùm tamen synonymè sumantur. Hugo portanda dicit manu vel vehiculo. Hoc secundum post reductum pretium ex venditis, non erat necessarium.

Et proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.] Redundat (*eum*) per pleonasmum Hebræum, quem imitantur editio Chaldæa, Græcáque, adiectum in fine & relatum ad locum (*ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus eum.*)

Vers. 26.] Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua:

Vers. 27.] Et Leuites qui intra portas tuas est, caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

Primùm EX pretio seu pecunia redacta per venditionem decimarum de frugibus fructibúsque, ac primogenitorum de armentis & ouibus destinatis ad deferendum deducendumve in locum sanctum, quia commodè deferri deducíque, ob multitudinem eorum, & viæ longitudinem non poterant, emi in eo loco debebant, quæ ibi offerrentur vel eadem met secundùm speciem priùs designatam: vel iis similia; sed ita, vt existimo, vt bona fide summa pecuniæ collecta in eum finem expenderetur, quem sibi proposuerat is qui res has vel illas offerre voluerat, quia verò deferre commodum non erat, vendiderat. Tunc hilariter comedere ac epulari cum tota familia ibidem cuique concedebatur, coram Domino, qui censebatur eum locum peculiariter inhabitare propter arcam & tabernaculum; in cuius tabernaculi atrio de hostiis pacificis comedere debebant, qui eas obtulissent sacrificandas. Quo tempore commendat Deus & præcipit ne præterirentur Leuitæ, sed inuitarentur ad eiusmodi epulas; vtpote qui nullam haberent inter Hebræos possessionem agrorum, ex quibus colligere possent frugum, & fructuum prouentus; sed agros tantùm pascuales. Argumentatur Abulensis decimas istas non esse illas, quæ per se debebantur Leuitis; quia magnum damnum iis esset; cùm non esset exactè designata quantitas, sed arbitrio cuiusque permitteretur: & ex pecunia pro paucis rebus collecta datáque, Leuitæ postea in loco illo sancto cogerentur, non sine labore, & quidem etiam cariùs, res victui necessarias emere: præterea quoniam proprias Leuitarum decimas ipsi soli pleno iure possidebant & comedebant: ad eas verò de quibus hîc agitur, solùm inuitabantur. Nec valet, inquit, quod Nicolaus (Lyranus nempe) dicebat, eos qui dabant has decimas non comedisse de ipsis, sed de carnibus victimarum pacificarum; quia dicitur hîc illos ex eadem pecunia quam collegerunt ex rebus venditis, emerent oues vel boues, vinum & omnia quæ desiderarent, & epularentur. Non etiam dici potest mutari personam; & quòd intelligitur de Leuitis quòd reciperent pecunias de rebus venditis, & ex illis pecuniis emerent sibi quidquid vellent, quia dicitur (*epulaberis tu, & domus tua, & Leuites qui est intra portas:*) non ergo possibile est, vt verbum (*epulaberis*) referatur ad Leuitam, sed ad dantem decimas. Adderem præter epulas in atrio de sacrificatis, ad quas inuitandi etiam essent Leuitæ, vltra illam partem, quæ debebatur iis, qui sacrificium perfecissent, alias priuatas & domesticas fuisse ex sæpiùs dicto pretio rerum in cuiusque patria seu loco vnde discesserat venditarum; ad quas epulas Leuitæ quoque inuitandi erant: & censebantur eædem fieri coram Domino, non ita pressè ac propriè in ipsomet tabernaculo, siue atrio eius; sed quatenus intra ciuitatem, locúmve alium erat illud tabernaculum, & ratione illius censebatur sanctior; & in eo Deus peculiari adhuc modo habitare. Illustrari hæc possunt ex his quæ narrantur in Euangelio [a] de his quos inuenit Iesus Ierosolymis tempore Paschali vendentes in templo, & oues, & columbas: videlicet ad commoditatem eorum qui peregrè illuc aduenerant, & decimas ac primogenita offerenda, vendiderant, eodem pretio emptum alia in loco quem Dominus elegerat. Quòd si credimus Anacleto [b] Papæ, & Pio [c] I. eiecti quoque sunt à Christo tunc sacerdotes qui vendebant, & quo[?]ens, vt suspicatur Beda, quæ data erant animalia in sacrificium, viua reseruando, vel[?]que mercatoribus in templo vendendo, qui mercatores

a Gen. 42. 35.
b c. 43. 21. 22.
c c. 1. 14.
d c. 7. 20.
e Prou. 1. 14.
f Gen. 43. 22.
g c. 1. 14.
a Ioan. 2. 13. & seqq. Matth. 21. 12. & seqq. Marc. 11. 15. & seqq. Lucæ 19. 45.
b epist.
c epist.

Caesarem deinde pluris aliis venderent.

Explanatio. *Et emes ex eadem pecunia.*] Hebraicè, & Chaldaicè sicut priore versu (*& dabis argentum*) Græcè (*dabis*) δώσεις, quod antea erat (ἀποδώσῃ, *vendes*) Emptio autem ex consequentibus hic intelligenda est simul cum antecedentibus. Quod autem antea in aliis editionibus vocabatur argentum, rectè hic ab Interprete per pecuniæ nomen declaratum est, iuxta ea quæ priùs etiam notauimus.

Quidquid tibi placuerit.] Secundùm reliquas editiones (*pro omnibus quæ voluerit*, siue *desiderauerit anima tua.*) Erant igitur liberæ oblationes hæ, ac proinde non debitæ Leuitis per se, quas appellari posse dixi cum aliis, decimas primas, aut primitias; has autem secundas: vel si ratio habeatur earum quas Leuitæ de suis debebant soluere Pontifici & sacerdotibus, tertias. Quo pacto quæ inferiùs ponuntur, dicentur quartæ. Sed respectu populi vt à Leuitis distinguitur, soluentis decimas, triplices duntaxat numerari solent.

Siue ex armentis, siue ex ouibus.] Versu 23. docui pro armentis boues extare in editionibus aliis: quod hic etiam fit. Et quamuis alia quoque comprehendi armentorum nomine maiora animalia possint; secundùm subiectam materiam bouini generis tantùm intelliguntur, quod solùm ex magnis poterat offerri: quemadmodum sub ouibus continentur agni, arietes, capræ, hœdi. Abulensis pro (*ouibus*) legens (*bobus*) armenta quæ alioqui propriè significant animalia maiora, vt boues, vaccas, bubalos, camelos, quemadmodum greges minora, vt oues, capras, porcos, &c. sumi vult hic pro paruis, quia, inquit, sequitur immediatè (*siue ex bobus.*) Sed vt paulò antè retuli, quæ reddidit Interpres armenta, editiones aliæ boues habent; & quas oues, eodem pacto eædem oues ponunt: nec reperi apud vllum codicem (*siue ex bobus*) nec afferet exemplum armentorum Abulensis pro minoribus animalibus.

Vinum quoque.] Vini vox nota similis etiam sono Hebrææ יין & οἶνος, quam linguæ multæ imitantur, vt alibi dixi. Chaldaicè ponitur חמר חדת *chamar chadath*, *vinum nouum*, & pro sicera, quæ subiungitur, epithetum veteris עתיק *hhattik*. Sicut in cibis carnium permittebat eos eligere quod vellent, ita in potibus, ait Abulensis, dabat eis optionem. De hoc liquore pluribus locis egi. Vsum ipsius per annos 1600. ante Noë saltem ordinarium, vt & carnium, non fuisse constat.

Vinum venenũ dicitur, & cur. Venenum insanabile vocatur in Cantico Musis[a] prolatore; quoniam à serpentum veneno multi curantur, nemo ab ebrietate, inquit Ambrosius[b]; & venenum sæpe cognominat Hieronymus[c], interdum Chrysologus[d], aliique, ac Plinius cicutam. Quod ad abusum pertinet, cùm possit vsus bonus esse, antéque illum, & ante diluuium vigeret luxuria, eius Deus vsum post id permisit, vt non totum vino tribueremus, quemadmodum annotauit Chrysostomus[e]; sed corruptæ voluntati sua sponte ad malum ruenti. Si vera narrat[f] Vincentius Bellouacensis, duo monachi a Soldano, quem ad Christum conabantur conuertere, cùm is didicisset a carnibus & mulieribus abstinere, sed non a vino, cumque lautè illi sine vino excepti, ab impudicis mulieribus corrumpi nequiuissent; postea vino epoto ab iisdem deuicti sunt. sicque turpiter eiecti. Est οἶνος μανίας[g], ἀφροδίτης γάλα[h], πάντων κακῶν

a Deut. 32. 33
b de Elia c. 14.
c in epist. ad Tit. 3. epist. 22. in regul. Monacha.
d Ser. 26.
e hom. 29. in Gen.
f spec. mor. l. 3. p. 8. d. 1. post med.
g Nazianz. in odis.
h Athen. l. 10. ex Aristophan.

A μητρόπολις[a], *vinum insaniæ causa, Veneris lac, omnium malorum metropolis*: καὶ πάντα τὰ ἄλογα τῶν ἀνθρώπων ἐγκλήματα, οἴνου ἐστὶν ἀποβλαστήματα[b], *omnia hominum vesana crimina a vino promanant.* Homines rectus ambulauere, postquam dilutum biberunt vinum, vt eos docuerat ipsemet Bacchus, cùm antea curui, ob meri potum incederent, ac propter tantum beneficium Amphyctrionem regem, aram ὀρθοῦ Διονύσου recti Bacchi dedicasse in horarum delubro, & proxime nymphis alteram extruxisse; commentus est Philochorus[c]. Philonides quoque finxit, cùm e rubro mari vitem Bacchus transtulisset in Græciam, & bibentium insanirent aliqui; quidam crapula iacerent obruti, B nonnullis potantibus ad litus maris, ingruente pluuia, dissolutum conuiuium; poculum verò, in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum esse: deinde sereno cœlo, reuersus conuiuas, dilutum vinum gustantes, voluptatem sensisse mitem, minimeque molestam. propterea solitos Græcos, quando affertur temetum in cœnam, bonum Deum exclamare, Bacchum nempe; à cœna, quando ministratur poculum temperatum, Iouem pluuiæ largitorem, ac moderatorem potus[d]. Ad idem valet venustum Meleagri epigramma, recitatum à Nicolao[e] Chaussino nostro,

a Posidon.
b Isid. Pelus. l. 1 ep. 103.
Homines curuos ambulasse antequam vinum diluerent.
c Athen. l. 2.
d Idem l. 15.
e 2. hist. parabo. c. 40.

αἱ νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος,
νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
C *τοὔνεκα σὺν νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δέ νιν εἴργῃς*
μισγέμεν, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Nymphæ Bacchum quando ex igni exiliit puer,
Abluerunt, in cinere recens volutatum.
Quare cum nymphis dilectus Bacchus: quod si eum recuses
Miscere, capies ignem ardentem.

Lycurgum Plutarchus[f] non probat quòd vites amputauerit, ob multorum vinulentiam ebrietatémque; cùm licuisset illi propiùs admouere fontes, & insanientem deum Bacchum (id quod ait Plato) altero Deo sobrio compescere, & ad moderationem adducere: quoniam aufert à vino aquæ commistio id quod est noxium, non perimens interim quod est vtile. D Moderatè sumptum vinum medicinam optimam Chrysostomus[g] nominat; datúmque ait, vt delectemur, non vt dehonestemur; vt videamus, non vt videamur; vt valeamus, non vt ægrotemus, vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ prosternamus virtutem. Auctor homiliæ de castitate & sobrietate dictus Augustinus, vini moderati commoda recenset; debilem stomachum reficere, vires deficientes reparare; algentem frigore calefacere; vulneribus infusum mederi; diuersis medicamentis adiunctam salutem operari; tristitiam remouere; languores animi delere; lætitiam infundere, vt conuiuæ honesta misceant colloquia facere; E sed paulò ampliùs sumptum, conuerti in venenum. Perstringit Salomonis prudens mater vtilitates, iubens dari mœrentibus, & his qui amaro sunt animo; vt bibentes obliuiscantur egestatis, & doloris non recordentur[h]. Paulus vinum damnans in quo est luxuria[i]; suadet modicè sumi propter stomachi, & alias infirmitates[k]. Quod legitur in Prouerbiis[l], *luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*; diligenter perpendit [illegible] zar noster iuxta varias translationes *der*[illegible] *est vinum*; *pestilens* siue *pestilentia*, *prodigum* [illegible] *gatum*, *sudomium* seu *conuictum*, *infrenatum* quia immodicè bibentem risui exponit, peste [illegible] miscet

f de audien. poetar.
Aquæ vsus in vino.
g hom. 1. ad pop. & 71.
Vini moderati commoda.
h Prou. 31. 6.
i Eph. 5. 18.
k 1 Tim. 5. 23.
l [illegible] 20. 1.

sufficit; patrimonia ipsa insumere facit, vel in comparando vino ipso, vel in largiora dona aliis, præ nimia lætitia profundendo; vel animi dotes perdendo: similem reddit seruo incastigato; arcem ipsam animi tyrannicè occupat: effrænem reddit (vinum enim frænum & castigatio aqua dicitur.) *Tumultuosa quoque ebrietas* siue sicera est, ac quidquid vim habet inebriandi; *quorsum illi va, & eius patri va, & illi va, rixa, fouea, sine causa vulnera, suffusio oculorum, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis* [a]. Præ multis declamantibus in ebrietatem vnus legatur Plinius [b] cum Dalechampio scholiaste. Is testatur cètum quinquaginta ad bibendum species excogitatas. Laua vini caimia quæ horrorem etiam diutinum incutiat, vt loquitur Chrysostomus [c]; quia per hoc materia bonorum salutis nostræ perficitur; quod sciunt, inquit, initiati, & eruditi; videlicet quoniam in sanguinem Christi per consecrationem conuertitur; & germinare facit virgines [d].

a Prou. 23. 29. 30.
b lib. 14. c. vlt.
Vini laus.
c hom. 29. in Gen.
d Zach. 9. vlt.
Sicera.

Et siceram.] Hebraicè שכר *scechar*, Græcè σικερα: Chaldaice epithetum vini, vt antè dixi, nempe עתיק *bhattik*, quod significat vetus, erátque paulò antè aliud significans nouum, scilicet חדת *chadath*. Siceræ nomen adhuc extat cap. 29.[e] libri nostri, & in libro [f] Iudicum, Prouerbiorum [g], Lucæ [h], & vbique coniungitur cum vino. Sed aliquando [i] Chaldæa editio ponit מרוון *merauun, ebrians*, id est, quod potest inebriare: nonnunquam [k] ipsum nomen שכרא *scechra*. Sed Interpres interdum [l] ebrietatem reddit pro שכר *scechar*, quia Græcè etiam dicitur μέθη (meliùs μέθυ.) Verbum ipsum שכר *scechar* valet inebriare, vel inebriari, ebrium seu temulentum esse, ita vt quis non sentiat neque intelligat: & nomen omnem potum factitium qui possit inebriare. Rursus editio nostra circumloquendo, vsurpat post vinum, pro nomine שכר *scechar*, & חמר עתיק *chamar bhattik* (hæc, vt dixi, vinum nouum significant) & σικερα, omne quod inebriare [m] potest. Plura nos alibi [n] de his vocabulis, réquè ipsa: tum verò quòd rebus aliis valeat quis quàm potu, inebriari, immò & potu quarumdam aquarum. Inter libamina sacra vinum erat propriè dictum; quocirca quæ hic habentur non pertinebant ad sacrificia: sed nec ad eas decimas quæ debebantur Leuitis, vt non semel admonui.

e v. 6.
f c. 13. 4. 7. 14.
g c. 31. 6.
h c. 1. 15.
i Deut. 29. 6.
k Prou. 31. 6.
l c. 20. 1. Ecc. 5. 11.
m Num. 6. 3. 1. Reg. 1. 15.
n in Leu. 10. 9. Num. 6. 3. c. 28. 7.

Et omne quod desiderat anima tua.] Declarata est hæc eadem phrasis c. 12.[o] (*& volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua.*) Vbi Abulensis philosophicè illam examinat, cùm actiones toti ac supposito propriè conueniant.

o v. 20.

Et comedes coram Domino Deo tuo.] Omisit (*illic*) editio nostra. Sic etiam eodem c. 15. [p] *vel in conspectu Domini.* Cùm autem de dictis rebus comedere possent omnes, nec essent propriæ Leuitarum, non erat necessarius locus ad comedendum, vel etiam proprius ipsum tabernaculum atriúmve illius; sed vrbs aut oppidum in quo tabernaculum esset: sub comedendi demum verbo comprehenditur potus; quia de vino & sicera mentio facta est. Id quoque notatum est cap. illo 12.[q]

p v. 7. 12. 18.
q v. 18.

Et epulaberis.] De hoc verbo quod est pro שמחת *samachtha*, & εὐφρανθήσῃ eodem c. [r] dixi: posique interdum in editione nostra lætari, quod propriè significant illa cæterarum editionum verba.

r v. 7. & 12.

Tu & domus tua.] Chaldaicè (*& viri domus tuæ.*) Dies sacrificiorum vocat Abulēsis, in quibus Deus vellet omnes lætari, vt eos libentiùs celebrarent: Quod quantum ad cibos potúmque ex iis rebus quas detulissent sæpe dixi non intelligi præcisè de tabernaculo, sed latiùs de loco in quo id esset.

Et Leuites qui intra portas tuas est.] Leuitem & Leuitam dici pridem antè [a] monui: & Græcè, Chaldaicéque dici (*in vrbibus*) ac eodem item pacto nonnumquam in editione nostra, & intra portas idem esse quod intra earum ambitum, quidquid sit de discrimine vocabulorum portæ, & ianuæ, quæ plerumque sumuntur synonymè etiam cum ostio, vt sit porta murorum, munitionum, castrorum, vrbium; ianua domorum; ostium partium, vt cubiculorum. Erant assignatæ Leuitis propriæ ciuitates; habitabant nihilominus & intra ciuitates aliarum tribuum; aut propter indigentiam, inquit Abulensis, aut propter aliam causam. Itaque non est sermo de Leuitis tantùm, qui forsitan essent in ea ciuitate, vbi tabernaculum collocatum erat, sed qui aliunde illuc ex quauis alia conuenissent.

a c. 12. 12.

Caue ne derelinquas eum.] Editiones aliæ carent primo verbo; vt & priùs hoc ipso libro [b]: sed in simili sententia cap. 12. [c] habet (*caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo versaris in terra.*)

b c. 12. 19.
c v. 19.

Quia non habet aliam partem in possessione tua.] In aliis editionibus (*quia non est illi pars, nec possessio tecum.*) Idem extat in cap. 10. [d] & 12. [e] Non colebant Leuitæ agros, aut vineas, sed extra 48. ciuitates eis ad habitandum assignatas ad certum quoddam spatium habebant locum recreationis causa, cum agris ad pascendum pecora. Qua de re dictum priori libri c. 18. & Leuitici c. 35. Magna Deo de suis ministris cura, vt aliquoties vidimus; eandémque vult de iisdem vt sæculares habeant; atque carnalia ministrare iis à quibus accipiunt spiritualia [f], & sinere vt carnalia metant, qui seminant spiritualia [g]. Hoc est intelligere super egenum & pauperem [h], præferendo domesticos fidei, ac inter hos cum sacris ministris, illos qui ob Christum sua omnia reliquerunt, aut per persecutiones perdiderunt, quemadmodum in Psalmi 40. enarratione demonstraui: legendúsque noster Hieronymus [i] Platus respondens iis qui metuunt ne desint in religione necessaria ad vitam.

d v. 9.
e v. 12.
Ministri Dei quanta illi cura sint.
f Rom. 15. 27.
g 1. Cor 9. 11.
h ps. 40. 2.
i 3. de bono status relig. c. 27.

Vers. 28.] Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas.

Vers. 29.] Veniétque Leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Tertia hæc decima est, quam cognominant decimam pauperis, quæ tertio quolibet anno fiebat in vsus pauperum; quales peregrini, pupilli, viduæ, comprehensis quoque Leuitis; qui, vt sæpiùs dictum est, inter pauperes annumerabantur. Minimam vocat decimam Abulensis,

PARAPHR. *Decima pauperis qua.*

lensis; quia prima, quæ tota Leuitis debebatur, colligebatur ex non decimato; secunda quæ seruiebat vsibus ascendentium in locum tabernaculi, ex nouem partibus; vltima ex paucioribus. Hæc, vt ait Lyranus, erat ex lege pietatis naturalis, & ne Iudæi pauperes cogerentur quærere eleemosynas à Gentilibus, vel seruire eis pro sustentatione vitæ suæ; sicque comedere etiam de idolothytis, & pertrahi ad cultum idololatriæ. Sed aduersùs eumdem Lyranum, opinantem cap. 12. duplices duntaxat decimas fuisse, nó semel priùs egimus; addentes quartam propriam Pontificis & sacerdotum, quibus Leuitæ soluebant ex his quas acceperant à populo. Quod apud Amos [a] est (*afferte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras*) & ironicè dicitur ad idololatras, Vatablus [b], & alij recentiores, vt refert Ribera [c] noster, huc alludi volunt; & ibi dies pro annis accipi, quemadmodum aliis in locis; vt, *habebit [d] licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus:* Hebraicè (*dies erunt redemptio eius: custodies huiuscemodi cultum statuto tempore, a diebus in dies*) id est, ab anno in annum: (*ascendebat [e] vir ille de ciuitate sua statutis diebus*) Hebraicè (*à diebus in dies*) hoc est, ab anno in annum: (*quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur*) Hebraicè (*a fine dierum ad dies*) id est, ab anno in annum. Citat R. Dauidem Petrus [f] Figueirus & sequitur. Refellit hoc Ribera meritò: quia omnino falsum est dies accipi pro annis; quando certus dierum numerus exprimitur, vt exemplis ostendit; eámque ob causam reiicit Pagninus versionem (adde Montanum, & Robertum) ad eum locum, quæ tres annos habet. Accedit, quòd illæ decimæ anni tertij non offerebãtur Deo, vt Amos de illis supponit de quibus loquitur. Exponit verò de tribus diebus, quibus ter in anno ascendebatur in templũ [g]; quibus diebus deferebat populus decimas illas, quas nominari diximus secũdas, præter eas, quas soluebant Leuitis: & eundem ritum imitabantur Israëlitæ venientes ad templum vitulorũ quos erexerat Ieroboam. Videtur idem Lyrano [h]. Fauétque Rupertus [i], & Rickelius [k], & consentit Castro [l] noster. Hugo posita distinctione triplicis decimæ, quam faceret populus, explicat prophetam de secunda. Distinguit perspicuè, vt pridem dixi, Hieronymus [m] *δεκάδα, δευτεροδεκάδα, τριτοδεκάδα* decimam Leuiticæ tribui debitam; secundam, quam Leuitæ pendebant sacerdotibus: tertiam, quam populus pauperibus recondebat: præterea quam vnusquisque de populo in suis horreis separabat, vt comederet eam cùm iret ad templum in vrbe Ierusalem, in vestibulo templi, & sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. De vltimo ambigi potest, an restrictè præcisèque in solo vestibulo templi celebrari possent conuiuia; & non etiam extra, sed intra eandem ciuitatem, quod equidem existimo; atque ita id factum interpretatus sum priùs coram Domino, propter idem tabernaculum in illa ciuitate collocatum. Nec satis placet Riberæ quod idem Hieronymus & Glossa interlinearis, ac ex parte quoque Rickelius docet, quia in Leuitico [n] præceptũ erat, ne quædam hostiæ in alterum diem reseruentur; & ne aliæ in diem tertium maneant, dicere prophetam cum ironia; *immundas quotidie, victimas cædite, & contaminata offerte sacrificia.* Nam is non victimas hostiásve nominat, sed decimas. Idem obijci posset cum Figueiro de oblatione ter in anno; quia non fit mentio de decimis, quando de illa datur præceptum, sed de primitiis. At nihil obstat, tunc etiam decimas intelligi; licèt non secundas præcisè, vel tertias; cùm tertiæ vt vbique, sic etiam in loco sancto dari possent, de quo loco secundæ intelliguntur, vt scilicet in eum eas deferri oporteret. Adde, quòd interdum primitiæ ac decimæ pro eodem accipi videntur; vt ad hoc propositum notat Castro [a] noster, citãs ex c. 18. [b] Numerorum, & c. 12. [c] libri nostri. Quare verosimilior opinio est, locum Amos non de decimis tertij anni, sed de iis, quæ ter in anno fiebant. Aliter philosophatur Sanctius [d] noster, existimans priorem expositionẽ Hieronymi, & aliam Lyrani, esse probabiles; intelligẽdo per synecdochem speciem pro genere, ac sub nomine victimarum, decimarúmque, donaria, & munera omnia, quæ immolari aut offerri solebant in tẽplo: ita vt iuxta Hieronymum, significetur immunda esse illa sacrificia, quæ offerebat Israël, sicut ea quæ reseruabantur in tertium diem, hocque nomine dãnantur in Leuitico [e]: præterea iuxta Lyranum, quæ offerebãtur ter in anno, possent eadem figura intelligi de decimis; quia generaliter de quolibet dono, & immolatione. Adiungit adhuc, Israëlitas vitulorum adoratores, siue sacerdotes ac Leuitas eorum, quoniam tertio ab immolatione die, carnibus victimarum vesci sibi non licebat, tribus diebus, id est, tertio quoque die, vt Symmachus etiã transtulit, immolasse; ne deesset quo singulis diebus ritè ac legitimè vescerentur. Tandem ait videri à Propheta contentionẽ magnam, ardẽnsque studium circa cultum idolorum; cum festinatione, ac frequentatione; vt prior indicetur per (*afferte manè victimas vestras*) posterior per (*tribus diebus decimas vestras*) id est, tertio quoque die; sicut tertio quoque verbo peccare, aut Deum implorare, &c. significat frequenter. Decimas autem in sua proprietate capit, ex quibus multa certis temporibus deferebantur in templũ ad victimas & libamina: quod imitari voluerint sacerdotes vitulorũ. Hæc libuit de loco illo Amos proferre; vt intelligatur ad hunc nostrũ in ipso non alludi. De nostris autem anni tertij decimis, quas absolutè nominant tertias, apertus est Tobiæ [f] locus, aliàs priùs citatus; quo narratur quòd cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem ad templũ Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas fideliter offerens; ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Quæ in textu Græco sic paulò aliter leguntur, ipsomet de se loquente Tobia, *καὶ ὅτε ἤμην ἐν τῇ χώρᾳ μου ἐν τῇ γῇ ἰσραὴλ, νεωτέρου μου ὄντος, πᾶσα φυλὴ τοῦ νεφθαλὶ* (aliter *νεφθαλεὶμ*) *τοῦ πατρός μου ἀπέστη ἀπὸ τοῦ οἴκου ἱερουσαλὴμ τῆς ἐκλεχθείσης* (non ita rectè in aliis *τοῦ ἐκλεχθέντος*) *ἀπὸ πασῶν τῶν φυλῶν ἰσραὴλ, εἰς τὸ θυσιάζειν πάσας τὰς φυλάς: καὶ ἡγιάσθη ὁ ναὸς τῆς κατασκηνώσεως τοῦ ὑψίστου, καὶ ᾠκοδομήθη εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος, καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι, ἔθυον τῷ βάαλ τῇ δαμάλει* (in Sixtinis *τῇ βάαλ τῇ δαμάλει*) *καὶ ὁ οἶκος νεφθαλὶ* (aut *νεφθαλεὶμ*) *τοῦ πατρός μου. κἀγὼ μόνος ἐπορευόμην πλεονάκις εἰς ἱερουσαλὴμ ἐν ταῖς ἑορταῖς, καθὼς γέγραπται παντὶ τῷ λαῷ ἰσραὴλ ἐν προστάγματι αἰωνίῳ, τὰς ἀπαρχὰς, καὶ τὰς δεκάτας τῶν γενημάτων, καὶ τὰς πρωτοκουρίας ἔχων, καὶ ἐδίδουν αὐτὰς τοῖς ἱερεῦσι τοῖς υἱοῖς ἀαρὼν πρὸς τὸ θυσιαστήριον πάντων τῶν γενημάτων, τὴν πρώτην* (abest hæc vox a Sixtinis codicibus, sed subintelligitur) *δεκάτην ἐδίδουν τοῖς υἱοῖς λευὶ* (in aliis *ἀαρὼν*) *τοῖς θεραπεύουσιν ἐν ἱερουσαλὴμ, καὶ τὴν* (in aliis *τὴν δὲ*) *δευτέραν δεκάτην ἀπεπρατιζόμην,*

[Marginalia, left column:] a c. 44. — b ibidem. — c ibid. n. 8. — *Dies pro anno.* — d Leu. 25. 29. — e 1. Reg. 1. 3. — f in Am. 4. — g Exod. 23. 19. c. 34. 23. Deut. 16. 16. — h ibidem. — i ibidem. — k ibidem. — l ibid. — m in Ezech. 45. — *Triplex decimarum genus.* — n c. 7. 17.

[Marginalia, right column:] a in Amos 4. n. 10. — b v. 26. — c v. 5. — d in Amos 4. — e c. 7. 17. — f c. 1. 5. 6. 7.

τρίζομεν, καὶ ἐπορευόμην, καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱερουσαλὴμ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς καθήκει, καθὼς ἐνετείλατο Δεββωρὰ ἡ μήτηρ τοῦ πατρός μου, διότι ὀρφανὸς κατελείφθην ὑπὸ τοῦ πατρός μου. *Et quando eram in regione mea in terra Israel, cùm ego essem iunior, vniuersa tribus Nephthali patris mei recessit à domo Hierosolymorum, quæ fuerat electa ex omnibus tribubus Israel, vt omnes tribus sacrificarent: & sanctificatum fuerat templum habitationis Altissimi, & ædificatum fuerat in omnes generationes sæculi. Et omnes tribus, quæ simul recesserant, sacrificabant ipsi Baal ipsi vitulæ* (aut legendo τῷ Βαὰλ δυνάμει, *virtuti Baal*) *& domus Nephthali patris mei. Et ego solus ibam sæpe in Hierosolyma in festiuitatibus, sicut scriptum est omni Israel in præcepto æterno; primitias & decimas genimium, & primas tonsuras* (id est, lanas) *habens: & dabam eas sacerdotibus filiis Aaron ad altare omnium genimium: decimam* (alij codices, *primam*) *dabam filiis Leui* (alij, *Aaron*) *ministrantibus in Ierusalem, & secundam decimam diuendebam, & ibam & expendebam in Hierosolymis per singulos annos: & tertiam dabam quibus conueniebat; sicut mandauerat Debbora mater patris mei, propterea quòd orphanus relictus sum a patre meo.* Ex isto Græco textu, qui respondere dicitur Chaldæo, in quo primùm liber ille sit scriptus, ac Hebræo, qui ab alio recentiore translatus ex eodem, habetur quidam velut commẽtarius huius loci nostri de triplicibus decimis: & in vno Hebræo codice adiũgitur tertiis, vt pars illarum daretur quoque in fabricam, seu etiam restaurationẽ templi; quod item colligitur ex historia Regum [a]. In vtramque partem possent proferri exempla & soluentiũ decimas, & denegantium insignibus miraculis cõstantia. Iaponios ipsos dũ adhuc Ethnici essent testatur [b] de cunctis rebus etiam venditis vel emptis partem idolis suis dare solitos: & in Thomæ Apostoli sepulchro inscriptum, quod ad id tuendum & colendum Saganus rex mercium quæ importarentur decimã attribuit cum obtestatione, ne quis quid imminueret [c]. Soluenti Deus largiter promittit copiam bonorum [d]: deneganti minatur Augustinus [e] indictionem vel inductionem fisci, qui tollat quod non accipit Christus. Cupiebat Chrysostomus [f] vt sutor, faber ærarius, quiuis artifex, cùm aliquid venderet ex iis quæ arte sua fecisset: item vt cùm quis quid emeret, aut qui prædia possideret, aut qui iusta colligeret vectigalia, daret Deo decimam; & tantum quantum Iudæorum infantes mille malis pleni penderent hi qui cœlum expectant.

a l.4.12.4. & seqq.

b Balthas. Gagus in epist. anno 1559.

c Masseius 5. hist. Indiarum.

d Malac.3.10.& seqq.

e l.50.hom. 48.& ser. 219. de tẽp.

f in 1.Cor. hom.43.

Explanatio.

Anno tertio.] Hebraicè & Chaldaicè (*in fine aut ex fine trium annorum*, מִקְצֵה *mikketseh*, מִסּוֹף *missoph*) Græcè (*post tres annos*,) μετὰ τρία ἔτη.

Separabis aliam decimam.] Iuxta reliquas editiones (*educes omnem decimam.*) Putat Caietanus non debuisse necessariò esse veram decimam, sed aliquantam portionem: ad quam etiam non cõpellerentur Hebræi, nec esset debitum legale, sicut de prima; sed morale, quemadmodum & de secunda. Quod non est improbabile: quamuis non videam cur non æquè seruanda sit proprietas numeri in secunda, tertiáque, ac in prima.

Ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore.] Pro tempore annum habent editiones aliæ; sed Græca distinguit aliter, iungens sequentibus (ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ θήσεις, *in anno illo pones*, &c.) Pro omnibus nascentibus prouentus dicitur Hebraicè & Chaldaicè sicut antea versu 22. vbi addebatur semen, id est, prouentus seminis, Græcè vtrobique sunt γεννήματα, & priore illo loco nomen etiam σπέρματος, *seminis*.

Et repones intra ianuas tuas.] Hîc ianuæ ponuntur vt nomen synonymum portis, quod priùs [a] erat: quia vtrobique extat idem nomen Hebræũ, Chaldæum, Græcum; ex quibus primum portas ianuásve significat: tertium vrbes seu ciuitates. Alioqui cùm hîc agatur de particulari loco siue domo; ibi de communi seu de ciuitate, oppidóve, magis congruit nomen ianuarum hîc poni, & ibi portarum. A Græco verbo θήσεις, quod vsurpatur nunc, & ab αὔριον, *cras*, ortum est nomen θησαυρός, *thesauri*, quasi de re quæ in crastinum, hoc est, in futurum tempus reponitur & reseruatur. Iurisconsulti [b] reposita dicũt in horreis, & repositos fructus, & repositum frumentum. Cicero [c] scientiã condendi ac reponendi fructus nominat. Repositorium verò vas valet in quo reliquiæ ciborũ, & mensæ recondũtur instrumenta [d]. Generalia vocabula sunt à Græcis petita thecæ vel apothecæ.

a v.12.27.

b l.18 § itẽ cum de instruc vel instrum. & l.88. D de leg. & l.12. §.sed si. & l.19.§ vlt. D. de instruc. vel instrum.

c 2.de nat. Deor.

d Plin.l.28. c.2. Seneca epist.79. vel 78.

Veniétque Leuites.] Leuites & Leuita idẽ sunt, vt alibi monui, quamuis vsitatius nomen Leuitæ: Leuites autem Græco λευΐτης magis affine. Latet porrò in verbo (*veniet*) aliquid supplendum; nẽpe quod veniet ex aliis locis in eum vbi est tabernaculum: vel siue inde, siue ex ipsomet loco vbi tabernaculum est, veniet ad te, & si non verbo ac expressè, tacitè ac reipsa ob indigentiam capiet poscétque particeps fieri facultatum tuarum, sciens commendatum à lege, vt separatas decimas deferas ad erogandum non solùm aliis pauperibus, sed nominatim etiam ipsi. Hoc insinuat statim hîc subiecta caussa.

Qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum.] Potuit hîc reddi (*quia*) sicut paulò antè [e] (*quia non habet aliam partem in possessione tua.*) Vbi editiones aliæ non discrepant à præsenti loco, habéntque caussalem particulam כִּי *chi*, אֲרֵי *are*, ὅτι; quæ sunt etiam in isto versu.

e v.27.

Et peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt.] Venient videlicet, qui intra tuas portas siue vrbes erunt, ad locum sanctum in quo tabernaculum est, ibique existentes, ipsa sua indigentia exigent opem tuam. Ad hoc triplex genus maximè depositarum personarum, & quas Deo in primis esse curæ alibi docui, reuocari possunt omnes alij egentes. Hieronymus [f] quidem tertiam hanc decimam, vt nuper notaui, generali nomine πτωχοδεκάτα pauperum decimam vocatam scribit. Peregrinum puto eumdem hoc loco esse cum aduena, & dicitur גֵּר *gher* גִּיּוֹרָא *ghiyora*, προσήλυτος: quamuis hæc nomina sæpe sumantur pro illo qui ex Gentili ritu transierit ad Hebræũ. Græcè qui simpliciter peregrè venit dicitur πάροικος, vt peregrinum semen Abram in terra non sua [g] πάροικον σπέρμα, גֵּר זַרְעֲךָ *gher zeraekh*. idem Abraham vocauit se aduenam & peregrinum [h] גֵּר וְתוֹשָׁב *gher vethoschab* דַּיָּיר וְתוֹתָב *dayair vethothab* (primum nomen Chaldæum extat priore etiam loco) πάροικος καὶ παρεπίδημος. In Exodo [i] cùm prohibetur aduena & mercenarius edere ex Phase, præcipitúrque vt si quis peregrinorũ in Hebræorum voluerit transire coloniam, & facere Phase, circumcidatur priùs, &c. pro nomine peregrinorum est גֵּר *gher* cum verbo יָגוּר *iagur*, גִּיּוֹרָא *gyora* cum verbo יִתְגַּיַּיר *ithgayair*, προσήλυτος cum verbo προσέλθῃ: quæ vocabula Græca cum aliis, denotant proselytum significare eum quem dixi. Attamen eadem nomina pro aduenis ac necdum conuersis ad Hebraismum eodem [k] libro sunt. *Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas* (id est, quales sint eorum affectus, quódque satis

f in Ezech 45.

g Gen.15. 13.

h c.23 4.

i c.12.41, 48.

k c.23.9.

satis eis pœnatum sit, peregrinos esse, ita vt non debeant addi aliæ molestiæ) *quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Nec desunt alia exempla. Sed nomine proselytorum Latinitate donato vtitur editio nostra in vtroque [a] Testamento in eo tantùm sensu, quo significantur hi qui ex aliis nationibus amplexi sunt Hebraismum: & interdum distinctè ponuntur proselyti cum aduenis; vt cùm Tobias dicitur in tertio anno proselytis & aduenis ministrasse omnem decimationem [b]. Circuibant Iudæi, sub vltimum saltem suæ reipublicæ tempus, mare & aridam, id est, omni ope connitebantur, vt facerent vnum proselytum [c]; ita vt abierit huiusmodi sollicitudo, procacia, impudentia in prouerbium

[d] — *ac veluti te*

Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

Et comedent & saturabuntur.] Vitiosa saturatio non intelligitur, sed impletio vacuitatis, quam importat ἐμπλησθήσονται, sicut & in Psalmo [e]; *edent pauperes* (de quibus hoc nostro loco agitur) *& saturabuntur.* Hæc saturitas est quam quisquis comedit, quærit, ad eámque vult peruenire, siue vilibus vescatur cibis pauper, siue pretiosis diues, vt Augustinus [f] ratiocinatur.

Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.] In c. 2. [g] *Dominus Deus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum*; in cap. 15. [h] *vt benedicat tibi Dominus Deus in cunctis operibus quæ agis*: in c. 16. [i] *benedicétque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erísque in lætitia*: in cap. 23. [k] *vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo*; in c. 24. [l] *vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum*, in c. 28. [m] *emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum*, &c. *benedicétque cunctis operibus manuum tuarum*; in c. 30. [n] *abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole vteri tui, & in fructu iumentorum tuorum, in vbertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate.* Hoc est quod orabat Dauid [o]; vt in seruos suos, & in opera manuum nostrarum respiceret Dominus Deus noster, & esset splendor eius super nos, & opera manuum nostrarum dirigeret super nos, & opus manuum nostrarum dirigeret. Omnibus ferè citatis locis benedictio promittitur, id est, beneficia temporalia facientibus benignè aliis, ac beneficia temporalia conferentibus; quod adhuc magis expressè habetur apud Malachiam [p] non semel priùs citatum de soluentibus decimas. Cæterùm, quia duos istos vltimos versus Augustinus [q] paulò aliter legit (nempe iuxta translationem è Græco) & cum nostra lectione comparans, quendam quasi commentarium eorumdem tradit, valétque ad commendationem editionis vulgatæ, libet ascribere quæ apud ipsum habentur. *Post tres annos produces, omnem decimam fructuum tuorum: in illo anno pones illud in ciuitatibus tuis: & veniet Leuita, quia non est ei* (ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτῷ, *non est ei*) *pars nec sors tecum: & aduena* (προσήλυτος, *proselytus*, & in editione nostra *peregrinus*) *& pupillus* (ὀρφανὸς, *orphanus*) *& vidua, qui in ciuitatibus tuis erunt* (ὁ ἐν ταῖς πόλεσί σου, *qui in ciuitatibus tuis*: in editione nostra, *qui intra portas tuas sunt*) *& manducabunt, & saturabuntur: vt benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis* (Græce τῶν χειρῶν σου, *manuum tuarum*, sicut in editione nostra) *quæcumque feceris*. Ex ista decima, subdit Augustinus, non dixit, vt ipse manducet cum suis. At per hoc Leuitis, & aduenis, & pupillis, & viduis eam iussit impendi. Sed obscurè positum est, quia non est distincta ista decima ab illa, quam voluit cum Leuitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset tempore suo. Sed in ea interpretatione, quæ est ex Hebræo (indicat nostram, cuius auctor Hieronymus) apertiùs hoc dictum reperimus (mendosè in codicibus nonnullis reperimus.) Ait enim: *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascentur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas. veniétque Leuites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur; vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.* Tum prosequitur. Primò hoc ipsum planius est quod ait (*anno tertio*) intelligitur enim vno anno interposito. In septuaginta autem, quoniam post tres annos dixit (μετὰ τρία ἔτη) incertum est vtrùm eos medios esse voluerit, vt quinto quoque anno fieret. Deinde cùm ait (*& separabis aliam decimam*) satis ostendit extra esse illam, quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis & Leuitis in eo loco, quē Dominus elegisset. Et hanc enim, & aliam decimam intra ianuas suas eum ponere præcepit, nō ad eum locum eum deferre, vbi Dominus se voluit inuocari. (*Et veniet*, inquit, *Leuites, qui non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent.*) Hinc certè manifestè verum est, non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, & his quibus impendenda est; sed illis solis erogari eam (malè *eum* in quibusdam libris) iussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipuè Leuitem posuit. Hactenus ex Augustino.

[a] 1. Par. 22. 2 1. 2. 2. 17. c. 30. 2. Tob. 1. 7. Ezech. 14. 7. Matt. 23. 15. Act. 2. 11. *Proselyti qui.*
[b] Tob 1. 7.
[c] Matth. 23. 15.
[d] Hor. l. 1. Saty. 4.
[e] Psal. 21. 27.
[f] serm. 5. de verb. Domini c. 11.
[g] v. 7.
[h] v. 18.
[i] v. 15.
[k] v. 20.
[l] v. 19.
[m] v. 8. 12.
[n] v. 9.
[o] Psal. 89. 16. 17.
[p] c. 3. 10. 11. 12.
[q] q. 20.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMIQVINTI.

MATERIAM istius capitis nectunt Lyranus & Abulensis præcedenti materiæ, vt quia præcedente capite actum est de beneficentia erga pauperes, hic agatur de remittendis debitis anno septimo; de dimittendis in eodem seruis ancillisve dato iis viatico: deinde de offerendis Deo primogenitis, quæ comederentur in tabernaculo, dummodo non essent maculata, & manca; atque illa aliàs dicta conditione, vt sanguis non comederetur. Primum capitis membrum aiunt quodammodo reuocari ad latriam & cultum Dei, atque ad vitandam idololatriam; quatenus debitores pauperes, ne compellerentur corporali aliqua pœna, vel labore soluere debita, fugerent ad Gentiles, indéque occasionem haberent deos alienos colendi; quemadmodum cùm David persecutionem pateretur nondum rex; maledictos in conspectu Domini asseruit eos esse, qui eiiciebant eum, vt non habitaret in hæreditate Domini, ac tantùm non dicebant; vade, serui diis alienis. [a] *Idem habet Riekelius.*

a 1.Reg.26. 19.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1. SEptimo anno facies remissionem,

2. Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

3. A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem.

4. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra quam traditurus est tibi in possessionem.

5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ iussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, vt pollicitus est.

6. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.

7. Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum.

8. Sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.

9. Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quòd postulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.

10. Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.

11. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.

12. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum:

13. Et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris:

14. Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

15. Memento quòd & ipse seruieris in Terra Ægypti, & liberauerit te Dominus Deus tuus, & ideirco ego nũc præcipio tibi.

16. Sin autem dixerit: Nolo egredi: eò quòd diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat:

17. Assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum: ancillæ quoque similiter facies.

18. Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniã iuxta mercedem mercenarij per sex annos seruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.

19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ouib. tuis, quidquid est

sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium,

20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus, tu & domus tua.

21. Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cœcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.

22. Sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & ceruo.

23. Hoc solum obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

Vers.1.] Septimo anno facies remissionem,

Vers.2.] Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

Vers.3.] A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem.

Paaarna. IN hac sententia difficultatem habet quis per amicum, proximum, fratrem intelligatur, seu per ciuem & propinquum, ad eamdem enim personam nomina hæc omnia spectant: quid per debitum an ea venditione, mutuo, ac commodato, quorum duo prima transferunt dominium, non autem vltimum: remissio significétne simplicem condonationem, vel cessationem ab exigendo debito, ita vt post annum septimum repeti possit: an locum haberet lex in solis pauperibus, quique ad soluendum impotentes essent: quo modo septimus annus debeat accipi; verùm ex quo contractus factus fuerit, aut aliter. Postrema quæstio facilem habet solutionem ex sequentibus; immò & ex præsenti textu, in quo appellatur annus remissionis, appellatione absoluta & generali, non per habitudinem ad tempus, quod in diuersis contrahentibus & contractibus varium est. Versu item 9. cauetur, ne quis propter instantem annum septimum deneget mutuum, scilicet quia eo anno remissionem fieri oportebat. Vnde Caietanus rectè annotat sermonē esse de septem annis supputandis ab ingressu in terrā promissionis, incoando annum quoad hoc à principio culturæ terræ, quæ incipit ab æquinoctio autumnali: ita vt sex annis coleretur terra, & anno septimo quies esset terræ, quemadmodū scribitur in Leuitico [a]. Rationem quoque ex quadam analogia obseruat idem Auctor, quoniam anno septimo terra non vexabatur exigendo fructus ab ea, in eúmve finem ipsam proscindēdo & arando; quāuis Hugo Card. hoc loco tribuat Augustino, quòd anno septimo asserat seminari potuisse terram, sed collectionem frugū pauperibus dimissam. Id quidem sensit idem Hugo in Leuiticum [b], & in Exodū [c], ibidémque Augustinus [d], & Glossa interlinearis. Sed ibi confutauimus, vbi

a c.25.2.& seqq.
b suprà.
c c.23.
d q.89.

A aperte scribitur; *sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligésque fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini: agrū non seres, & vineam non putabis.* Quod præterea in Exodo [a] habetur. Nec probabilis opinio aliorum est, permissam pauperibus anno illo septimo sationem. Alioquin idem affirmaretur de Iubilæo: satióque præcepti communis est etiam pauperibus, nimirum significatio quietis & sabbati. Pro pauperibus autem non deerat alius modus eis subueniendi; quorum indigentia traxit Augustinum in dictam sententiam. Circa primā quæstionem, cum Abulense [b] sentit Cornelius noster, & Leonardus Marius, & in annalibus sacris Salianus [c] item noster scriptor ordinis, Hebræos dumtaxat natione, non item proselytos, hoc est, ex Gentilibus amplexos Hebraismum, hîc intelligi. Probat verò Abulensis; quoniam proselyti non comprehendebantur inter eos qui liberabantur à seruitute in iubilæo [d]: tales non vocantur hîc fratres & proximi (adde & amici) sed B peregrini & aduenæ; cum Gentilibus enim non erat communicatio, quia debebant idololatræ excludi [e]; & paulò pòst [f] dicitur; *cum venditus fuerit tibi frater tuus seruus Hebræus aut Hebræa*, quasi denotentur descendentes ex eodem patre, eiusdémve familiæ. Concedo plura Hebræis origine priuilegia fuisse, quàm proselytis; vt alibi docui, & demonstrat hoc loco Abulensis [g]: & idcirco C primis Ecclesiæ initiis ex Iudæis Christiani præferri volebant iis qui ex Gentilibus ad fidem veniebāt; quod Pauli ad Romanos epistola indicat, vicissimque istos illud contendisse, quoniam illi crucifixerant Christum. At placet magis opinio Caietani, concedētis præsens priuilegiū proselytis, hósque nomine amici, seu proximi, vel socij declarantis; israëlitas nomine fratris. Quēadmodum ad vniuersam terrā promissionis extenditur quies illius anni, ita, inquit Caietan. ad vniuersos Israëlitas debitores mutui extenditur hæc quies absque discretione aliqua, dicēdo, *non exiget à socio suo & fratre suo*; proselytos enim appellat socios, & israelitas fratres. Mariana noster discertè sentit exigi debitū potuisse solùm ab illo, qui alterius religionis esset: conuersos priuilegio gauisos, D iísque debita remissa. Lyranus ait per peregrinū & aduenam, quæ nomina eumdem significent, intelligi eum, qui non sit de ritu Iudæorū: atque id valere Hebræum nomen, significans extraneum, nempe נָכְרִי *nocbri*, quod etiā asseri debet de Græco ἀλλότριος, *alienus*, quibus respōdent duo illa in editione nostra peregrini & aduenæ: nec poterit afferri exemplum, in quo vox dicta Græca, & Hebræa sumatur pro proselyto, seu pro conuerso ad Hebraismum: sicut neque de Latina extranei, vel alieni: aut de Chaldæis, quæ hîc etiā sunt בַּר עַמְמִין *bar hhamemin, filius populorum* Eugubinus alienum interpretatur, húncque peregrinū & aduenā esse. E Fauet præterea Sa noster, exponēs de non Iudæo: simpliciter namque Iudæi nominantur, qui religionem eorum profitētur. Paulus quoque in epistola ad Hebræos nomine fratrum eos cōpellat [h], ea caritate quidem Christiana, sed etiā, quia sciebat vsitatum cognomen esse inter omnes Iudæos religione, quibus proculdubio, & nō tantùm tales naturali origine scribebat. Quid? quod Abulensis ipse, cùm affirmasset de Gentilibus hîc nō agi, explanās verba textus (*à peregrino, & aduena exiges*) in priore Gentilē, conuersū de Gentilitate intelligit, in posteriore, quāuis non Gentilē vtroque nomine. Ex quibus liquet ad Abulensis argumenta responsio;

a c.23.10.11.
b q.1.& 2.
c 10.2.ann. Mūdi 81.n. 690.
d Leu.25. 39.40.41.
e Exod.23. & 34. & 36. & 17.
f v.12.
g q.2.
h c.3.1.12. c.10.19.& 13.21.22. 24.
i q 1.

sponsio; ac continuat de seruitute tatin eadem non [illegible] quam quartum ad eam, si expressa mentio [illegible] Hebræi, non autem quantum ad [illegible] bit [illegible]. Quærebatur secundò, quid per debitum intelligatur. Excludunt communiter commodatum seu accommodatum, quoniam non habet propriam rationem debiti, cùm non transeat in dominium eius cui traditur: explicant autem de debito ex venditione vel mutuo, licet de solo mutuo Caietanus, idque videatur sonare verbum Hebræum, vt postea dicetur. Itaque anno septimo, si qua res prius data esset commodati nomine, poterat repeti. Tertia paulò difficilior est. Nam solam dilationem solutionis concessam post annum septimum, ita vt post illum repeti possit debitorum, idque solum debeat ab eo cui suppetat, affirmant Magister [a] historiæ scholasticæ, Hugo Card. Paulus Burgensis, Caietanus, Marzilla, Ioannes Benedictus. Hanc vocant quietem & cessationem ab exactione ad eum modum, quo dicitur animus aut homo remissus, inquit Caietanus, is qui non intendit negotio: quod explicatur hoc loco per negationem, id est, per non repetere; & sufficit ad subueniendum pauperi, si non repetatur ab illo debitum; cùm quis diues est, aut fictè tantùm pauper tenetur restituere. Denique isto modo benè percipitur causa institutæ legis in memoriam sabbati & quietis Dei ab omni opere creationis. Oppositum opinantur Hebræi, teste Burgensi; præterea que Lyranus, Abulensis, Rickelius, Clarius, Munsterus apostata, Cornelius, necnon Salianus [b] (qui vocat ius nonarum tabularum) & indicant alij tum coarratores huius loci, tum de nostris in opere de templo Ribera [c], & quondam sermone Bartholomæus [d] de Scobar ex ordine nostro. Sed & Nazianzeni scholiastes Nicetas [e], & Cyrillus Alex. & Tertullianus [g]; loquentes absolutè de liberatione debitorum, seu remissione, quæ non solùm cessationem denotat ab exigendo, sicut & ἄφεσις. Ratio Rickelij est, quia Dominus promittit mutuanti, & septimo anno remittenti benedictionem ac præmium; quod non videtur dandum nisi illi, qui penitus condonaret debitum, nec vellet post annum septimum, in quo lex non permittebat (immò & cui legi, vt notat Abulensis, non poterat cedere qui mutuum accipiebat, aut alio titulo debitum contrahebat, obligando se ad soluendum anno septimo) repetere. Ad hanc opinionem tendunt Aquinatis [h] verba. *Quartò*, ait, *instituit; quòd in septimo anno debita penitus remitterentur. Probabile enim erat, vt illi qui commodè reddere possent, ante septimum annum redderent, & gratis mutuantem non defraudarent. Si autem omnino impotentes essent, eadem ratione eis erat debitum remittendum ea dilectione, qua etiam erat eis de nouo dandum propter indigentiam.* Quòd in Amos [i] legimus, *quando transibit mensis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum*, Græcè θησαυρὸν [k], citans præsentem locum nostrum, ita declarat, quasi Propheta insinuet crudeles negotiatores (quod Nazianzenus [l] attingit) qui cuperent annorum hebdomadas effluere, vt postea apertis thesauris fœnerarentur, nec ob legis istius edictum æs alienum remittere necesse haberent. Sic etiam prius explicauit [illegible] Cyrillus (quem citat & sequitur noster S[illegible] [m]) vocans χρεῶν ἀποκοπάς, *debitorum amputatores*. Quamquam alij explicent de septimo die hebdomadæ, quo non licebat vendere;

a in Deut. c. 5.
b to. 2. ann. sacr. ann. Mũdi 21. c. 090.
c l. 5 c. 22.
d serm 1. de codicillo.
e in ora. 44. n. 4.
f in Amos 8.
n. 73. & l. 7. de adorat. spiritu.
g 4. cont. Marcion. c. 27.
h 1. 2. q. 105. a. 2. ad 4.
i c. 8. 5.
k Elias Cre. in orat 15. Nazian. n. 55.
l orat. 15.
m in Amos 8.

vel anno quo non permittebatur colere terram. De hac [illegible] re accipit Mariana noster hoc loco locum Esaiæ [a], *debitores vestros repetitis*, nimirum contra istam legem. Quo pacto Esaiam intellexit quoque Lyranus ibidem & hoc loco Oleaster. De vltima quæstione non videtur dissentio, sed conueniunt omnes, legem istam in pauperũ gratiam esse factam. Vnde fit, quod Vatablus disertè exprimit, & ex Hebræo ipso textu colligit, diuitibus legem non profuisse; sed repeti ab eis debitum anno etiam septimo potuisse, idque soluere illos debuisse. Nec ambigendum videtur, toto spatio anni septimi, si intra illud noua debita contraherentur, fuisse remittenda. Difficiliùs tamen adduci poterant homines tunc ad mutuandum, vendendum, &c. Porrò paupertas non debebat esse extrema; quæ omni tempore excusat. Peculiaris ratio erat anni septimi, quia in eo, vt sæpe dictum est, prouentus ratio erat ob terræ sabbatismum. Cæterùm ea dictia sequitur pri[illegible]um, in septenario numero inesse mysticum quid; quoniam anno septimo fiebat debitorum remissio. Id à Nazianzeno [b] notatum est, non solùm ab huius loci Expositoribus, Glossa, Hugone, &c. cum aliis exemplis eiusdem numeri, quæ nos etiã aliquot aliis locis obseruauimus, & præ cæteris collegit Petrus Bongus in opere de mysteriis numerorum. Deinde, vt Rabanus monet, pietas & dilectio nobis maximè commendatur erga pauperes; quia bonum facienda non deficientes, tempore suo etiam non deficientes metemus [c]: pietásque promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ [d]. Nec ideo facere quod hîc iniungitur non debemus, quasi videamur Iudaizare, alioqui nec decimas dare deberemus. Sed hoc, ait Hugo, mutatum est in melius; quia non solùm in septimo, sed in nullo anno, vel tempore debemus aliquid repetere cum scandalo fratris; verùm si quis velit nobiscum contendere, & tunicam nostram tollere, date ei & pallium [e]; vt nempe scandalum vitetur, extra quod repetere licet. Præcidebatur eadem lege, vt Caietani scholiastes notat Antonius Fonseca, litibus occasio; & cauti simul reddebantur homines, ne vel nimiam summam mutuò darent; vel ne [illegible]uis multa, pretio non recepto, venderent; vel ne fiderent prodigi ac perditi in alienis opibus, per debita pactaque distractis. Cuperent Eugubinus, & Oleaster vigere inter Christianos eiusmodi legem, deplorántque, veri Dei fide cultũque excepto, deteriores mores nostros esse, quàm Iudæorum, & aliorum Infidelium. Tertullianus [f] docet quorumdam tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis Deum informasse: & cùm debitum dimitti iussit, vtique non exsolutum. Cyrillus [g] Alex. mysticè applicat Christo, qui accedentibus per fidem ad se, factísque percepto Spiritu sancto, ac naturæ diuino consortio, domesticis iam, & fratribus, debita condonauit: alienis propter infidelitatem, ac alienigenis, quámque longissimè ab eius coniunctione remotos debitis soluendis obligatos constituit: priores ipse qui veritas est liberos [h] reddens: posteriores in suis mori sinens peccatis [i]. Perstrinxit eadem hoc loco Procopius, addens debitorum nomine peccata nominari in Euangelio [k]. Rickelius toto hoc tẽpore legis euangelicæ, in quo septem donis Spiritus sancti replemur, & prædicatur nobis annus placabilis [l], sic accepturus, condonandas ait iniurias vsque septuagies septies [m],

a c. 58. 3.
b orat. 44.
c Gal. 6. 9.
d 1. Tim 4. 8.
e Matth. 5. 40. Luc. 6. 29. 30. 1. Cor. 6. 7.
f 4. cont. Marc. c. 17.
g 7. de ado.
h Ioan. 8. 30 c. 14. 6.
i Ioan. 8. 24.
k Matth. 6. 12.
l Esa. 61. 2. Lucæ 4. 19.
m Matth. 18.

hoc est, insanities, præsertim amicis, proximis, fratribus, id est, Christi fidelibus qui dolens, veniam deprecantur, satisfacere parat sunt. à peregrino & aduena exigi posse, id est, qui ab obseruantia præceptorum Christi extranei sunt; immò & debere dum caritas, bonumque commune requirit. Betorius considerat libertatem à seruitute peccati, non tamen pœnæ, quam qui non soluit hic, necesse est vt soluat in alterius quasi anno vitæ, tuneque dicetur ei, *redde*[a] *quod debes.*

a Matth. 18. 28.

b explanatio.

Septimo anno facies remissionem.] Hebraicè & Chaldaicè (*a fine septem annorum facies remissionem.*) Supputationem fieri debere admonet Caietanus ab ingressu in terram promissionis, incoando annum, vt etiam priùs dixi, quoad hoc à principio culturæ terræ, quæ incipit ab æquinoctio autumnali; quia sex annis colenda erat terra, & anno septimo erat quies, siue sabbatum terræ[b]; ac proinde finis annorum septem septimum significat annum; quia vltima vnitas est finis ac terminus septenarij: denique (*à fine septem annorum*) idem est quod ab initio vltimi, seu septimi anni, subintelligendo vsque ad finem eiusdem. Munsterus apostata vertit (*à principio septimi anni.*) Quod reprehendit Oleaster, licèt fateatur obscurè dici (*à fine septem annorum*) quoniam remissio non fiebat in fine septimi, sed sexti anni. Exponit verò sermonem esse de remissionibus post primam; quia sequentes fiebant post septimum annum, supputando annum remissionis, seu septimum: ita vt à fine septem annorum, supputato anno remissionis præcedentis, fieret sequens remissio. Vel (*perficies remissionem*) quoniam incipiebat in principio septimi anni, & in fine consummabatur. Mariana ait Hebraicè sumi finem pro principio, quia quoduis extremum comparatione alterius est initium & finis: & קץ *kets* significat quoduis extremum. Sa explicat (*in fine.*) Breuiter (*à fine septem annorum*) non significat in fine illorum, sed in vltimo illorum; siue, vt Caietanus dicebat, & innuebat Mariana, à fine, id est, ab extremo initiali vsque ad aliud extremum: quia toto illo anno septimo durabat lex remissionis. Nec magis intelligitur hic locus de remissionibus post primam, vt Oleaster volebat, quàm de prima. Græcè δι' ἑπτὰ ἐτῶν, *per septem annos*, quod apud Scholiastem Nazianzeni Eliam[c] Cretensem, quem Græcè legere non licuit, redditur (*septimo quoque anno.*) Augustinus[d] autem legit (*post septem annos*) declarans ex hoc illud quod priore[e] capite legitur quidem Latinè in editione nostra (*anno tertio*) sed Græcè μετὰ τρία ἔτη, & ab eodem Augustino (*post tres annos.*) Non enim, ait, & hos septem annos medios esse voluit, vnoquoque anno eam fieri præcepit, tanquam sabbatismum annorum. Eugubinus reprehendit LXX. quia nemo, inquit, esset apud nos, & illos, qui non existimaret præcipi, vt per septem continuos annos fieret remissio, non septimo anno: cùm διὰ spatium intermedium siue temporis, siue loci significet, & quasi perpetuitatem quandam non extremam, vt hoc loco ponitur, nimirum Hebraicè. Quod attinet ad nomen remissionis, dixi priùs non placere sumi pro sola cessatione ab exactione debitorum, eo modo quo Caietanus docebat remissum animum hominémve dici eum qui non intendit negotio. Satis dura formula loquendi de debitis, vt remissio eo modo accipiatur. Dixit Cicero[f], quod

b Leu. 25. 3. 4.

c in orat. 15. num. 55.

d q. 21.

e v. 28.

f l. 5. ad Attic. ep. 23.

& vim dictionis denotat, nec ad rem præsentem non facit; *ne existimes eos qui non debita consectari soleant, quod debeatur remissuros.* Græcum quoque vocabulum ἄφεσις valet dimissionem debiti vel offensæ: & ab eodem denominatur etiam annus Iubilæi ἐνιαυτὸς ἀφέσεως: in quo cùm absolutè debita omnia remitterentur, sequitur & ea de quibus nunc agitur fuisse quoque simpliciter condonanda, nec differendam solùm solutionem. Idem valet שמטה *scemittah* à verbo שמט *sciamat* dimittere seu remittere liberè ac sine vllo impedimento. Apud Ieremiam[a] (*relinqueris sola ab hæreditate tua*) Hebraicè ושמטתה *sciamattah* exponitur de Iuda ducto captiuo, qui priuandus esset sua hæreditate, & à terra sua pellendus, vel ratione captiuitatis Babylonicæ, vel Romanæ[b], quæ posterior adhuc durat, licet de priore probabilius sit, quia ob idololatriam inflicta est, non autem posterior. Allusionem verò volunt aliqui esse ad sabbatismum terræ in anno septimo[c], vt quia noluisset ille populus dimittere terram vt sabbatizaret, sabbatizaret ipse ab hæreditate, nec eam possidendo, nec fructum vllum ea ipsa percipiendo: quod & comminatus fuerat Deus in Leuitici cap. 26.[d] pro quo in commentario Ieremiæ nostrorum Maldonati & Cornelij per facilem errorem notatur c. 29. cùm sint illius libri capita solùm 27.

a c. 17. 4.

b Hiero. & Raba. ibid.

c Exod. 23. 11.

d v. 33. 34.

Quæ hoc ordine celebrabitur.] Secundùm editiones Hebræam & Chaldæam (*& hoc verbum remissionis.*) Sed nomen Hebræum דבר *dauar* latiùs patet, significans quamuis rem, negotium, causam, ordinem, regulam, &c. Græcè (καὶ οὕτως τὸ πρόσταγμα τῆς ἀφέσεως, *& sic constitutio remissionis*) pro qua in versione è Græco textu in Bibliis Complutensibus & Regiis ponitur ordo. Ordo, & ordinatio, atque ordinare vulgaribus linguis vsurpatur pro eo quod est constituere seu præcipere, próque constitutione ac præcepto: in Latina lingua non adeò frequenter nec ita eleganter. Mitto deriuationem nominis, ordo, ex Iulio[e] Cæsare Scaligero, ab ὅρος δῶ, quia dicebant militibus Tribuni; *hactenus tibi licet; hic consistes; eò progredere, huc reuertere*: Sed Æolicè non aspiratur ὄρος. *Ordinatione Domini perseuerat dies*[f], למשפט *lemispat*, διατάξει, iudicio, dispositione aut constitutione, & præcepto.

Vocabuli Ordinis etymon.

e de caussis ling. Lat. c. 35.

f Ps. 118. 91.

Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit.] Ex Hebræo (*remittere omnem dominum crediti siue mutui manus suæ*, id est, vt remittat omnis vir, qui mutuat manu sua; *qui mutuauerit proximo suo non arctabit socium suum, & fratrem suum*, seu *non exiget à proximo suo & fratre suo.*) Vel (*remittere omnem mutuantem*, hoc est, vt remittat omnis mutuans, *manum suam, ab exigendo mutuum: & qui mutuabit socio suo, non exiget à socio suo & fratre suo.*) Vel (*liberum erit cuiusque manus quæ habet exactorem*, hoc est, non tenebitur exactori manu sua reddere: *& vt qui mutuum dederit proximo suo, non possit angariare proximum suum, atque fratrem suum.*) Vel (*omnis creditor remittere debet manum suam*, is nempe, qui mutuo dedit proximo suo, *neque vrgeat proximum suum, aut fratrem suum.*) Similia sunt Chaldæa. Oleaster notat dominum mutui vocari mutuantem, qui est dominus rei mutuatæ: remittere manum esse, non ampliùs exigere ab eo cui ille tradidit mutuo; nec, vt solet mutuans, vrgere eum, manum extendendo ad recipiendum. Græcè ἀφήσεις πᾶν χρέος ἴδιον, ὃ ὀφείλει σοι ὁ πλησίον,

καὶ τὸν

καὶ τὸν ἀδελφόν σου οὐκ ἀπαιτήσεις, remittes omne debitum proprium quod debet tibi proximus: & à fratre tuo non repetes. Apud Tertullianum [a] (*dimittes omne debitum quod tibi proximus debet, & fratrem tuum non repofces.* Plura nomina posuit editio nostra amicum, proximum, fratrem; cùm aliæ duo duntaxat habeant: Hebræa & Chaldæa bis idem, significans proximum, & aliud quod fratrem significat: Græca τὸν πλησίον & ἀδελφόν, *proximum & fratrem.* Dixi cum Caietano proselytum comprehendi cum originario Hebræo, siue illud prius nomen designet, istum posterius, vt ipse vult, siue vtroque vterque intelligatur, quod credo. At verum non est in isto præcepto solam negationem contineri, vt idem asserit; neque si sola esset, de sola cessatione ac dilatione exactionis accipiendum esset, vt contendit; nósque antea ostendimus. Quamuis autem ad solum creditorem dirigatur lex, tamen arbitror cum Abulense, non licuisse debitori renunciare beneficio legis, vt si infra annum remissionis non soluisset, teneretur postea soluere; quoniam lex erat, inquit, introducta in fauorem pauperum principaliter; ideo priuilegio suo non poterant renunciare: & alioqui fieret fraus legi; quia mutuans apponeret illam conditionem renunciandi; sicque indigens mutuo, eam acceptare cogeretur. De mutuo præcisè non sunt מַשֶּׁה *masseh* & נֹשֶׁה *nasseh* רֵשִׁים *rescim*, & יַרְשִׁי *irsce*; χρέος, & ἐράνει. Hebræum verbum נָשָׁה *nasciah* valet fœnerari, mutuum capere, mutuare, debitorem esse, exigere, & nomen inde formatum, vsuram, debitum, &c. Idem est de Chaldæo verbo רְשָׁא *rascea*; significat nimirum fœnerari, mutuare, &c. De Græcis satis constat. Ex Hebræo nomine מַשֶּׁה *masseh* non minùs petere licet nomen Missæ quam ex Chaldæo מִסַּת *missah*, quod extat inferiùs versu 8. vt facit post Antonium [b] Democharem Ioannes [c] Baptista Scotia noster, vbi quod legimus (*dabis mutuum quo eum indigere perspexeris*) Chaldaicè redditur (*mutuans mutuabis ei iuxta id quo indiget.*) Hoc sacrificio ait vterque innui necessitatem indigentiámque nostram sufficientissimè subleuari. Nec obest defectus aspirationis; ea enim etiam est in Iesu alijsque: vel quòd Græci non sint vsi illo nomine, qui retinuerunt *osanna, amen, alleluia*, &c. quia potuerunt Latini primi patres seipsis deriuare ex Hebræo: vel quòd Syri qui celebrant lingua Chaldæa hoc sacrificium, non Missam sed *Kedoscia* vocant, id est, sanctum, quia potuit eadem res diuersis nominibus denominari, cuiusmodi sunt alia quæ recenset. Addit Demochares ex c. [d] sequenti, vbi oblatio spontanea vocatur vtraque lingua מִסַּת נִדְבַת *missah nidbath.* Nostri vocabuli מַשֶּׁה *masseh*, & permutando punctum vt sic, מִשֶּׁה *misceh* notio quadrat; quoniam in Missa continetur pretium quo remitti ac solui debita cuncta possunt peccatorum nostrorum. Sed alias etymologias alij tradunt aut à dimittendis catechumenis, cùm faciendum offertorium est: aut à dimittendo populo vniuerso, quando peracta sunt omnia: aut quòd tunc temporis Angelus à Deo mittatur vt assistat: aut quia per consecrationem oblatio mittatur seu transmittatur nobis à Deo patre, qui est Christus, à nobis preces, & illamet oblatio per consumptionem tanquam legatio ad placandum Deum. Sed hoc alterius loci est.

Quia annus remissionis est Domini.] In textu Hebræo (*quia vocauit remissionem Domino*) Chaldaicè (*coram Domino.*) Quod Caietanus explicat quasi diceretur; ideo non vexabis debitorem, quia beneficio gaudet appellationis quietis dicatæ summo Deo fonti essendi (sic enim nomen יְהֹוָה *Iehouah* ab הָוָה *hauah* esse significans interpretatur) qui die septimo quieuit ab vniuerso opere quod patrarat: in cuius rei memoriam venerandam finis creationis, dies septimus præterea, & mensis, ac annus septimus erat sanctificandus. Oleaster declarat, quòd proclamauerit debitor remissionem Domino, nempe esse faciendam: aut septimum annum remissionis esse ex præcepto Domini faciendæ, & quidem cornu arietino. Verterunt alij passiuè (*quia vocatur remissio Domini, aut indicta est*) vt Vatablus, & apostata Munsterus, & Gallica Biblia Geneuensium: cùm tamen קָרָא *kara* sit actiuæ vocis. Fauet illis tamen translationi Græca editio (ἐπικέκληται γὰρ ἄφεσις κυρίῳ τῷ θεῷ σου, *inuocata enim est remissio Domino Deo tuo.*) Vel in codicibus Complutensibus, & Regiis ὅτι ἐπικέκληται ἄφεσις κυρίου τοῦ θεοῦ σου, *quoniam cognominata est remissio Domini Dei tui.* Vel apud Cyrillum [a] Alexandrinum, ὅτι ἐπικέκληται ἄφεσις κυρίῳ τῷ θεῷ σου, *quia indicta est remissio Domino Deo tuo.* Tertullianus [b] verò citat (*quoniam remissio Domini Dei tui inuocata est.*) Voluit Deus eam remissionem dici suam & sibimet fieri, ob amorem quo nos prosequitur, & propter quem sua imputat beneficia quæ conferuntur in alios; iuxta id [c]; *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

A peregrino & aduena exiges.] Græcè τὸν ἀλλότριον ἀπαιτήσεις ὅσα ἐὰν ᾖ σοι παρ' αὐτῷ, *alienum, seu ab alieno, repetes quæcumque fuerint tibi apud eum* vel *ab eo*, id est, ad quæ ius habes, & ille debet tibi. Aliter in Hebræa Chaldæáque editione nectuntur ista (*ab alieno exiges, & si quid fuerit tibi cum fratre tuo, remittet* seu *declinabit manum tuam.*) Vel (*quo fuerit tibi frater tuus, remittes, declinabis manum tuam, requiescere faciet eum manus tua.*) Vel (*quod erit tuum, fratri tuo remittet manum tuam.*) Vnde colligit Caietanus, repetens legis priuilegium fuisse pro Israëlita & proselyto, legem extendi ad debitum non solùm ex causa mutui, sed ex quacumque alia; quia latissimè dicitur (*quod erit tuum.*) Sed extensionem istam restringit si debitor esset Israëlita: vúltque vt antè dictum est, agi de sola quiete siue cessatione ab exactione. At quid sentiendum sit iam priùs dixi. Vnicum porrò nomen est in aliis editionibus, aut substantiua duo solum vnum circumscribentia נָכְרִי *nochri*, ἀλλότριος, בַּר עַמְמִין *bar hhamemin*: quorum primum & secundum significant alienum: duo vltima filium populorum: quæ omnia priùs docui de proselytis, id est, ad legem Hebræorum conuersis dici non posse, sed de cultoribus impiæ religionis, & à vera omnino alienis. Vnde quoque argumentabamur à lege remissionis debitorum in anno septimo proselytos exclusos non esse. Quod autem dicitur (*exiges*) rectè Vatablus exposuit (*poteris exigere*:) nec enim tenebatur quis ad id, sed ipsi permittebatur: cùm tamen, vt antea dixi, ille à quo non poterat exigi, cuius adhuc statim mentio fiet, non posset iuri suo cedere, aut pacisci cum mutuante de reddendo etiam in anno septimo remissionis, ne legi fraus fieret.

a 4. cont. Marc. c. 17.

Missa etymon.

b 2. Christ. rel. instit. de Missa c. 1.

c lib. 1. de sacrif. Miss. c. 1.

d v. 10.

Iehouah vnde.

a 7. de adorat.

b 4. contr. Marc. c. 17.

c Matth. 25. 40.

Ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem.] Habent editiones aliæ nomen fratris tantùm: &, vt paulò antè dixi, nectunt alio modo sententiam. Quare non est laborandum in distinctione inter ciuem & propinquum, quam Abulensis affert. Nec video cur conuersus ad Hebraismum non posset ciuis appellari.

Vers.4.] Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra quam traditurus est tibi in possessionem.

Paraphr.

CVm præcepto non exigendi, seu non repetendi debita in anno septimo; quod per se ac præsertim datum est in gratiam pauperum, connexionem vel affinitatem habet istud; vt non sineretur quisquam, quantum fieri posset, redigi ad extremam paupertatem siue mendicitatem, exigendo, ac repetendo debita. Cuius præcepti obseruationi promittitur vbertas terræ, copiáque bonorum illius. Satis communis hæc expositio est: vtque insinuetur, de pauperibus accipiendum quod antea dictum est, ne debita exigerentur; non autem de diuitibus, quique nulla necessitate premerentur, nec ea eo quòd soluerent debita, redigendi essent in paupertatem, & mendicitatem. Alius sensus abstrahendo à priore præcepto, vt, quoad liceret, prospiceretur egestati, mendicitatique, nec sineretur quisquam ad eam deuenire; & quamuis non deessent pauperes, vt aliquanto [a] pòst dicitur, & in Euangelio [b], curaretur illis subueniri, ne vsque ad mendicitatem paupertas perueniret. Tertius etiam absolutus, continens promissionem obseruantibus legem; vt nullus in Dei populo mendicare cogeretur: illud autem aliud de non defuturis pauperibus, intelligatur, si contingeret legem violari. Vnde sequeretur, vt R. Abenezra notauit, non futurum necessarium præceptum debita remittendi, quia vbi paupertas non est, debita non contrahuntur. Hugo accipiens indigentem ac mendicum pro eo qui vltima necessitate arctatur, præcipi vult vt nullum patiatur secum adeò arctari, vt penuria cibi, vel vestitus, vel huiusmodi moriatur: non prohiberi autem habere pauperes secum. In primis illis Ecclesiæ discipulis notat Procopius quòd nō erat inter eos egens [c]. Quod prior annotauerat Cyrillus Alexandrinus [d]. Basilius quoque ad idem affertur [e], citans Christi monitum [f], *omni petenti te, tribue* [g], *qui petit à te da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris*. Paulus [h] Brugensis ostendens consilium de desertione rerum temporalium esse vtile ad Deo adhærendum, ait, non obstare præsentem locum de promissione acceptum: quia pertinebat ad statum veteris populi communem, qui per promissiones temporales erat reducendus ad opera virtutum: licèt ad innuendum quòd desertio terrenorum esset vtilis ad Deo adhærendum, satis ostensum sit per paupertatem Leuitarum: qui nempe partem in possessionibus cum reliquo populo non habebant. Quod ipsum aliàs ipsimet notauimus. Abutentes hæreticos loco isto contra religiosam voluntariam mendicitatem refellit Sixtus [i] Senensis citans Thomam [k] Aquinatem, ac Thomam [l] Vvaldensem; quorum hic explicat vt promissorium, non vt prohibitorium, quemadmodum & mox hoc eodem capite promissiones aliæ adiunguntur: ille non prohiberi piam ac iustam mendicationem, sed vetari diuitibus ne adeò sint diuitiarum suarum tenaces, vt ob eam causam pauperes ad extremam egestatem redigantur, & ad coactam mendicitatem adigantur. Simplicior satisfaciendi ratio est, nec præceptum hîc esse, nec etiam certam promissionem: sed consecutionem duntaxat, & connexionem ad priora; ite imminente anno septimo (Iubilæi vocat Iustinianus [a] noster lapsu aliquo memoriæ, qui hoc item pacto benè responder) exigat quis à fratre mutuum, vel ob eam maximè causam, vt non sit egenus, atque mendicus. Nam inferiùs [b], vt antè monui, scribitur non defuturos pauperes eadem voce Hebræa אֶבְיוֹן *ebion* seu *ebion*, & Græca ἐνδεὴς, quæ hîc extat: & hoc loco causalis ὅτι, *quia*, id insinuat; nempe illud præcipi, vt hoc sequatur. Profectò Lazarus mendicus fuit [c], & quidam cæci [d], & claudus [e] inter Iudæos. Elias quoque mendicauit à vidua [f]. Egi eadem de re alibi [g], citatis aliis, quibus adde Salmeronem [h] nostrum, & Barradium [i], Felicianum [k] Capitonum; & institui quæstio posset de Christi & discipulorum eius mendicitate; ac quinam propriè censeantur inter ordines religiosos nomine Mendicantium. Abulensis [l] non rectè probat ex hoc nostro loco Christum numquam mendicasse, quasi contineat præceptum non mendicandi. Quod ad vltimam quæstionem pertinet, in iure canonico Glossa [m] ait Mendicantes esse, quibus victum tribuit incerta mendicitas; & qui reditus aut possessiones ex regula vel constitutionibus habere non possunt ex cap.1. de religiosis domibus in 6. Ex regula soli Franciscani Obseruantes & Capucini sunt mendicantes: ex constitutionibus alij ordines tres (quoniam in iure [n] communi quatuor nominantur) nempe Prædicatorum, Augustinianorum, Carmelitarum: vltimi namque sub regula Basilij, alij duo sub regula Augustini viuunt; quæ regulæ permittunt possessionem immobilium. Ex priuilegio postea iisdem annumerati sunt ordines Minimorum, Iesuatorum, Seruitarum, Societatis Iesu, vt constat ex bullis Pij V. [o] Bonifacius VIII. [p] ordines in paupertate fundatos vocat, qui ex regula vel constitutionibus suis, extra septa Ecclesiarum monasteriorum suorum, vel officinarum eorum, & clausuram ipsorum nullas debent possessiones habere. Pius V. [q] ordinem nostrum Mendicantibus annumerat; quia ex eius, inquit, instituto (idem est quod ex regula) & constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia (quantum ad domos Professorum) possidere nequit, sed incertis eleemosynis, fideliúmque largitionibus & subuentionibus viuit. Quamuis autem Concilium [r] Tridentinum concesserit Mendicantibus, exceptis Capucinis, & Minoribus de Obseruantia, bona immobilia possidere: nostra Societas cessit cuicumque iuri prouenienti ex concessione illa ad habenda bona immobilia in communi in domibus Professorum vel eorum Ecclesiis [s]. Lege nostrum Ioannem [t] Azor multa de toto hoc argumento disserentem. Cæterùm ex ista sententia, prout attingit secundùm expositionem vnam eos qui sunt diuites, ne sinant quemquam ad mendicitatem redigi; Thomas [u] Iorgius exprobrat Christianis meliùs eam à Iudæis obseruari; cùm

a v.11.
b Matth.26.11. Ioan.12.8. Marci 14.7.
c Actuum 3.34.
d in cate. Græ.m.s.
e ibidem.
f Luc.6.30.
g Matth.5.42.
h scrut.scri. p.2.dist.4. c.4.
i 6.Biblioth. annot. 317.
k 2.2.q.187. a.1.
l 1.4.

a tom.1 in epist.Pauli prol.disp.1. c.4.
b v.11.
c Luc.16.20.
d Marc.10.46. Luc.18.35. Ioa.9.8.
e Actuum 3.2.
f 3.Reg.17.10.11.
g in Act.2. & 3. in ps. 36. in ps. 108.10.
h to.5.tr.5.
i to.1.l.10. c.15.
k explic. Catho. 2.p. in 49.
l in Matth. 17.q.194.
m in c. ex eo verbo mēdicantes. de excessib. Prælat. in 6. & in c. Quorundam de elect. in 6. verbo Mendicantes.
n c. Religiosum de rel. dom. in 6. §. fine.
o bulla 44. Roman. & 49. Apostol. sedis. & 50. Romano. & 131. Dum indefessæ.
p Bulla 2.
q Bulla 131.
r sess.25. de regul.c.3.
s Can.31.2. congreg.
t to.1. instit. mor. l.12.c. 23.
u in Ps.36.

cùm non ſint Chriſtiani ab eius obſeruatione abſoluti, quia continet præceptum morale; & ex noua lege arctiùs obligentur; vt nempe quod ſupereſt dent eleemoſynam [a]. At de hac obligatione ſiue ex iuſtitia, ſiue ex caritate, non eſt diſputandi tempus. Alio morali ſenſu Rickelius docet obedientibus legi euangelicæ, ſpiritualem abundantiam communicari, nihílque ipſis deeſſe in vlla gratia ſpirituali [b]: fœnerari multis gentibus, illis gratiæ doctrinæque chariſmata communicando, nec indigendo vt ab iis accipiant; atque ſicut acceperunt gratiam, in alterutrum adminiſtrando ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei [c].

a Luc. 11. 41.
b 1. Cor. 1. 7.
c 1. Pet. 4. 10.
Explanatio.

Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos.] Pro (*& omnino*) abſque coniunctione habetur Hebraicè כִּי אֶפֶס *ephes chi*, quod redditur *veruntamen, profectò quòd, eo quòd, præterquam quòd, in tantum, præterquam.*) Idem valent Chaldæa (לְחוֹד אֲרֵי *lechod are.*) Efficiunt verò ſenſum, vt remiſſio debitorum fiat præterquam ſi non ſit pauper, ſiue niſi cùm non erit pauper, niſi ſit diues: aut ea conditione ſeu ita vt euitetur, & quidem omnino, vt editio noſtra exprimit, in fratre, proximóve indigentia & mendicitas quantum ex parte creditoris, qui propterea ab exigendo abſtinere debet. Vel poſito priore præcepto ſubditur hîc; vt quidquid ſit de illo, quod tamen ſeruare oporteat, caueatur ne quis indigens mendicúſve ſit: quod nimirum inter alias cauſas, prouenire facilè poſſet ex violatione dicti illius præcepti. Græcè (ὅτι οὐκ ἔσται, &c.) *quoniam non erit*, &c. id eſt, præcipio remiſſionem debiti, quoniam nolo eſſe inter vos indigentem: aut quia promitto non futurum; ſi, vt in eo qui ſubditur verſu ſequitur, parueritis legi; ſed abundabitis bonorum omnium copia in terra. Pro indigente & mendico, vnum eſt nomen dumtaxat אֶבְיוֹן *euion*, ſeu *ebion*, & מִסְכֵּנָא *miſchena* (vnde Italicum *meſchino*) & ἐνδεής: quorum loco in verſu 11. editio noſtra ponit vnum ſolum nomen pauperum plurali numero; (*non deerunt pauperes in terra.*) Tertullianus [d] citat hunc locum præmittens ex Luca [e], *omni petenti te, dato, ſiue tribue;* vtique indigenti; vel tanto magis indigenti, ſi etiam & abundanti. Ne quis ergo indigeat, in datorem paratam habes in Deuteronomio formam Creatoris. *Non erit in te indigens*, &c. Ait verò plus hîc quàm in Luca præcipi. Non enim petenti, ait, iubet dari: *ſed non ſit indigens in te*, cura vltrò ne ſit. Quo magis petenti præiudicat dandum. Quare non videtur neceſſarium diſcrimen Abulenſis, vt pauper illo alio verſu accipiatur pro eo, qui parum quidem habeat, poſſit tamen vitam aliquo modo tranſigere non mendicando oſtiatim & publicè. De dictis nominibus egimus alibi [f]; & ſynonyma plura nomina protulimus, quibus Hebræi paupertatem ſibi exoſam quodam modo dixerunt, vt & opulentam opéſque locupletarunt. Diximus item [g] de turpi mendicitate, déque reprehenſione mendicantium validorum: vel qui in vera egeſtate auidiùs concupiſcunt, furantur, peierant: quæ mala vt vitaret, deprecabatur Sapiens [h], ne ſibi Deus daret mendicitatem, id eſt, etiam in ſufficientibus opibus, immodicam cupiditatem plus habendi: vexantem quaſi virum armatum. [i] Maleſuadam famem, turpémque Virgilius cognominat [k]; ad furta & latrocinia inuitantem refert Ariſtotele [l]; ideóque ad bonos potiùs venientem, qui ad talia trahi ſe non ſinunt, malúntque officio quàm maleficio parere ſibi neceſſaria. Nota nominis Ebionis hæretici notatio, quam tradit Origenes [a], Ἐβίων ὁ πτωχὸς παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται: *Ebion mendicus apud Iudæos vocatur*; Epiphanius [b], Ἐβίων ἔχει ἀπὸ ἑβραϊκῆς εἰς ἑλλάδα φωνὴν τὴν ἑρμηνείαν πτωχός: πτωχὸς γὰρ ὡς ἀληθῶς, καὶ τῇ διανοίᾳ, καὶ τῇ ἐλπίδι, καὶ τῷ ἔργῳ, χριστὸν ἄνθρωπον ψιλὸν νομίσας, καὶ οὕτως ἐν πτωχείᾳ πίστεως τὴν ἐλπίδα ἀεὶ αὐτοῦ καλούμενος: *Ebion Hebraica vox, Græca lingua mendicum ſonat. Eſt enim mendicus reuera mente, & ſpe, & opere; Chriſtum hominem vilem, id eſt, purum, exiſtimans, & ſic in mendicitate fidei ſpem de illo, ſeu in illo, poſſidens.* Hieronymus [c], hunc ſimul arare dicens in boue & aſino, dignum ait eſſe pro humilitate ſenſus, paupertate nominis ſui. Idem ſcribunt Theodoretus [d], Enſebius [e], & alij.

d 4. contr. Marc. c. 16.
e Luc. 6. 30.
f in Pſ. 68. 30. in Pſal. 108. 20.
g in Act. 3.
h Prou. 30. 8. 9.
i Ps. 6. 11. & 24. 34.
k Æne. 6.
l ſect. 29. probl. 4.
a 2. contra Celſum.
b hær. Ebionis.
c in Eſa. 1. & vlt.
d 2. de fabulis Græco.
e 3. hiſt. c. 22.

Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem.] Cauſalis particula editionum aliarum eſt (*quia*, כִּי *chi*, אֲרֵי *are*, ὅτι:) eædémque habent (*benedicendo benedicet*) & Hebræa, Chaldæáque participium (*dans*) quod admittit præſens tempus, in quo eſt *didum*, & futurum, nempe dans erit, aut eſt; denique (*poſſeſſione poſſidere.*) Quæ verborum geminatio vim continet aſſeuerandi, atque certiores reddendi. Apud Tertullianum [f] legitur (*vti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus*) datorem ſcilicet, inquit ille, qui fecerit non eſſe indigentem; ſed vt antè retuli ex eodem, curauerit vltrò ne eſſet. Senſus eſt non fore mendicum propter benedictionem iſtam: vel imperari ne ſit mendicus per debitorum remiſſionem, & alienæ indigentiæ subleuationem, vt Deus iſta benedictione benedicat. Promiſſionem prior modus, imperium indicat poſterior. Auget Deus incrementa frugum talis iuſtitiæ [g]; facítque vt in benedictionibus ſeminans de benedictionibus metat: [h] & pietas hæc ad omnia valens, promiſſionem habet vitæ præſentis & futuræ [i]. Placent quas Cornelius [k] noſter affert, cauſæ, cur ſoleat eleemoſyna nominari benedictio in Scriptura; vt imitemur ipſo etiam ſermone, ac exprimamus Dei beneficium; cuius dicere facere eſt, vt more Patriarcharum, & aliorum piorum, cum fauſta quadam apprecatione largiamur: vt iſta loquendi formula, quæ damus extenuemus, nec quid magnum facere videamur, cùm ſit facilius benedicere, quàm benefacere: vt hilaritatem, quam in dando diligit non modò Deus [l] (ſecundùm L X X. in Prouerbiis [m] ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην ἀγαπᾷ ὁ θεός, *virum hilarem & datorem diligit Deus*, & iuxta codices Sixtinos εὐλογεῖ, *benedicit*;) verùm etiam homines, præ nobis feramus; & in omni dato hilarem faciamus vultum [n], & miſereamur in hilaritate [o], id eſt, ex corde, libenter, largiter, & quaſi cum dilatatione cordis, vt videamur donando, magis accipere quàm dare, & eum qui accipit, ſuſpicione liberare, qua tangi ſolet qui accipit; exiſtimando turpe ſibi eſſe accipere, ac veluti mendicare erubeſcit [p]: ſicque non corpus tantùm, ſed & animum egentis reficiamus. Adde inſuper auctorem bonorum & donorum Deum, ad cuius honorem, & propter cuius amorem, cum laude atque gratiarum actione benè aliis facimus. Quæ in Pſalmo [q] dicitur Deus accipere dona in hominibus, Paulus [r] ait Deum dare hominibus; quia quæ afferunt homines Deo, hominibúſve propter illum, eadem conferuntur à Deo ipſimet qui offerunt. Oppoſito ſenſu quam Hebræi vocant

f 4. contr. Marc. c. 16.
g 2. Cor. 9. 10.
h 2. Cor. 9. 6.
Eleemoſyna cur benedictio nominetur in Scriptura.
i 1. Tim. 4. 8.
k in 2. Cor. 9. 6.
l 2. Cor. 9. 7.
m c. 22. 8.
n Eccl. 35. 11.
o Roma. 12. 8.
p Luc 16. 3.
q Pſ. 67. 19.
r Eph. 4. 8.

cant maledictionem, dicitur ab aliis parcitas. Accedit quòd liberalis velut quidam ſacerdos benedictionem videtur impertire; humanitatis & clementiæ ſtolam indutus viſceráque miſericordiæ[a], oleo Spiritus ſancti delibutus: coronatus miſericordia & miſerationibus[b]; pro lamina nomen Dei geſtans, ipſiuſmétque ſimilitudinem Dei: imponens eleemoſynam quodammodo altari, qui pauper cenſeri poteſt ex Chriſto, qui lapis ſeu petra dicitur[c], tanquam illius membrum, conſtans: dúmque Pater videt dantem in abſcondito[d], in Sancta Sanctorum quodammodo ingrediens: vbi fumus & fragrantia gloriæ gratiarúmque actionis cœlos ipſos penetrans. Hunc in modum acutè piéque philoſophatur Chryſoſtomus[e], pauperum eximius amator. Porrò cùm benedictio promittitur egenum ſubleuanti, ſpiritualiter accipi poteſt etiam de gratia & gloria: ſed tamen ita vt non ſola ſufficiat eleemoſyna, quamuis alia peccata committantur, quod refellit Auguſtinus[f], & Gregorius[g], & Concilium Cabilonenſe II.[h] & alij.

a Coloſſ.3.12.
b Pſ.102.4.
c 1.Cor.10.4.
d Mat.6.18.
e hom.10. in 1. ad Cor.
f 21.de ciu. c.22.&27. & enchir.c.75.& 76.
g 12 mor. c.23.lib.19. c.20.Paſt.p.3.c.21.
h can.36.

Verſ. 5.] Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris vniuerſa quæ iuſſit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, vt pollicitus eſt.

Verſ. 6.] Fœnerabis gentibus multis, ipſe à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.

Paraphr.

CONditio ſæpe apponi ſolita promiſſionibus Dei eſt obſeruatio legis & præceptorum ipſius. Cui conditioni ad prædicta pertinenti ſubiungitur nunc alia promiſſio, vt propter magnam copiam rerum temporalium, quibus rudis ille populus maximè delectabatur, eóſque plurimi faciebat, haberet vnde mutuo poſſet aliis dare, nec egeret mutuo alieno: dominium ſibi comparare poſſet aliorum, nec aliorum ſubiiceretur dominio, quod acquiri abſque facultatibus amplioribus nequit. Sicut porrò per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, inquit Abulenſis, ſiue punitur[i]; ita in quibus aliquis benè agit, in his remunerationis partem accipit: & idcirco qui dat, dabitur ei cum menſura etiam bona, conferta, coagitata, ſupereffluente[k]; denique cum magno fœnore; quoniam *qui miſeretur pauperi, fœneratur Domino, & viciſſitudinem ſuam reddet ei*[l], qui videlicet mutuum dans nihil inde ſperauit[m] ab homine, ſed Domino: & quidquid illud ſit quod donat, tanquam nihil æſtimat; Dominus autem rem donatam alteri, ſed ſibi ſterilem, quia non eget[n] (immò ſuam) vt contingit in re quæ fœnori traditur, & ſterilis cenſetur, aſſumit in ſe, ad hoc vt præſtet retributionem bonorũ ſuorum; quemadmodum acutè Irenæus[o] obſeruauit, indicauitque Baſilius[p] à Damaſceno[q] citatus. Quò adhuc ſpectat illud; quòd *qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam*[r]. Vbi Hebraicè Chaldaicéque pro penuria eſt multitudo maledictionum, רַב מְאֵרוֹת *rab meeroth*, aut multæ maledictiones, סַגִּיאִין לְוָטָה *ſagghihhin lonatabeh*. Plura Salazar[ſ] noſter ex dictis Patribus, ac præterea ex Chryſoſtomo[t], Cypriano[u], Auguſtino[x], Ambroſio[a], Paulino[b], Gregorio[c] Papa, Nazianzeno[d]. Penultimi[e] ſententia eſt, quidquid tribuitur pauperibus, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum: quia quod datur, multiplicato, ſine dubio, fructu recipitur. Vltimus carmine cecinit hoc pacto:

[illegible] τι σοῦ περισσὰ καὶ [illegible]
χρεῶν χρεώστην μᾶλλον, ὃ τὰ πάντ' ἔχων·
[illegible] καὶ βασιλείας [illegible] χαρίζεται
χειρῶν πενήτων, τρέφει τε, ὃ [illegible] τρέφων.
Lucrari, & vltra demus quod rubiginat:
Ac debitorem prefer omnibus Deum (*Chriſtum*)
Fruſtra rependit ſceptra qui cæleſtia.
Alit, tegitque, pauperes paſcens, Deum (*Chriſtum.*)

i Sap.11.17.
k Luc.6.38.
l Pr.19.17.
m Luc.6.35.
n Pſ.15.2.
o li.4.c.34.
p hom.in id deſtruã horrea mea. & in Pſal.14.
q in parall. lib.2.c.16.
r Pr.28.27.
ſ in Pro.19.17.& in c.28.27.
t in Pſ.38. & hom 7.in ep.ad Rom.
u de opere & eleemoſ.
x in Pſal.36.
a de Tob. c.16.& 2.de offi.
b epiſt.31.
c 3.p.Paſt. c.21.lib 8. epiſt.10 20.
d in tetraſticis ſent. in 30.& 05.16.
e li 8. epiſt.20.

Abutuntur Hebræi, & ex Catholicis nonnulli hoc loco, vt vſuras aſſerant permiſſas Hebræis eſſe quas ab externis exigerent. Hugo, Lyranus, Abulenſis, Rickelius, Caietanus, Oleaſter, Cornelius, Mariana, Leonardus Marius, Ioannes Benedictus negant id hinc ſequi, quamuis concedatur: ſed fœnerari ſignificare idem quod mutuo dare, etiam abſque vſuris; quoniam attexitur hic promiſſio Dei, quæ bono tantùm operi conuenit. Prædicitur, vt dixi, fœlicitas quantum ad abundantiam omnium rerum obedientibus diuinæ legi; quia nimirum tantum aberit, vt egeant alterius auxilio ſiue domeſtico, ſiue externo, vt externis poſſint mutuo dare, illóſque adiuuare. Ex quo præterea colligi ait Caietanus, non debere videri grauem priorem legem creditoribus; quia ſi nullus eorum erit valdè pauper ex eo quòd ſeruent eam, conſequens eſt quòd nullus beneficio remiſſionis anni ſeptimi vtetur, ſed abſque exactione reddet quod debet tempore ſuo. Aquinas[f] admittens conceſſum Iudæis accipere ad vſuram ab extraneis non quaſi licitum, ſed ad maius malum vitandum, ne ſcilicet à Iudæis Deum colentibus vſuras acciperent propter auaritiam, cui dediti erant, vt habetur Eſaiæ 56. docet cùm hoc loco in præmium promittitur *fœnerabis gentibus multis*, & conſ fœnus largè accipi pro mutuo; ſicut & Eccleſiaſtici 29.[h] *multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt*, id eſt, non mutuauerunt: promitti autem in præmium abundantiam diuitiarum, ex qua contingat quòd aliis mutuare poſſint. Lege quæ dixi Pſalmo 14.[i] *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* Hieronymus tractans Ezechielis verba in cap. 18.[k] *ad vſuram non commodauerit*, ſiue pecuniam, vt ibidem ponitur à LXX. & in dicto Pſalmo 14.[l] & proferens præſentem ac ſimilem ex cap.23.[m] ait In principio legis à fratribus tantùm fœnus tolli: in Ezechiele ab omnibus vſuram prohiberi: in Euangelio virtutis augmentum eſſe, præcipiente Domino[n]; *fœneramini his à quibus non ſperatis recipere.* Concilium Pariſienſe[o] ſub Gregorio IV. & Ludouico & Lothario Imperatoribus anno Chriſti 829. citat Hieronymum aſſerentem quòd iuxta literam lex indigenis tantùm & ciuibus prohibuerit fœnus imponi, & alienigenis iuſſerit fœnerari. Verùm de hoc diximus in Pſalmi 14. nominato commentario: & adhuc recurret occaſio cap. 23.[p] Origenes[q] reſpondens Celſo, nimis anguſtè hoc & ſimilia contendit myſticè dumtaxat accipi debere: cùm verum ſit non in tantum exuberaſſe Iudæis diuitias, etiam quando legem ſeruabant, vt non modò fœnerari poſſent inter ſe, ſed etiam cum gentibus multis: nec dominium in omnes gentes habuiſſe:

f 2.2.q.78.a.1.ad 2.
g verſ.12.
h verſ.10.
i verſ.5.
k verſ.8.
l verſ.5.
m verſ.19
n Luc.6.35.
o li.1.c.53.
p verſ.19.
q 7 contr. Celſum.

habuisse: constet verò quoque plurimos viros iustissimos vixisse in summa inopia, & nominatim prophetas, quos Paulus [a] scribit circuisse in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiatos, afflictos, &c. errasse in solitudinibus, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Tradit Ambrosius [b] mysticum sensum, expendens quo pacto dictum sit Esau ab Isaac [c], *seruies fratri tuo*, & in Prouerbiis [d] ex translatione LXX. quòd *famulus prudens reget dominos stultos*, *&* [e] *proprijs dominis seruus fœnerabitur*. Fœnerabit Iudæus, inquit, proselyto (non arbitror hunc velle esse conuersum ad Iudaismum, sed Gentilem, aut quem velit Iudæus conuertere) diuinæ legis oracula. Sed quia ipse legis mysteria videre non potuit, & quæ habebat nesciuit oracula: qui literam fœnerabat gentibus (iuuat hoc opinionem meam) nunc ab his spiritalibus doctrinæ gratia mutuatur; meritóque subiectus est seruituti; quoniam qui mutuatur seruus est quasi addictus fœnori creditoris: qui autem piæ doctrinæ fœnus impartit, is est princeps, regens, habénsque sapientiæ principatum; quem habuit Iudæus; sed quoniam quod docebat, seruare non potuit, debet discere quod docere nesciuit. Rursus mysterium hoc Ecclesiæ euidenter exprimi [f] asserens, disserit isto modo. Primùm dixit ad discipulum legis, *si audieris legem, & custodieris, fœnerabis gentibus*. Quod factum est à patribus nostris. Fœnerauit Moyses gentibus, qui proselytos acquisiuit: fœnerauit Iesus Naue: fœnerauit Gedeon, fœnerauit Samuel, Dauid, Salomon, Elias, Elisæus: & si quis volebat verbum cognoscere, pergebat ad eos. Regina Austri veniebat audire sapientiam Salomonis [g]. Vbi cœpit populus Iudæorum non custodire legem, cœperunt aduenæ, hoc est, ex populo nationum, qui in Dominum Iesum crediderunt, interpretationem Scripturarum fœnerare illi vetusto populo. Fœnerauit Timotheus, patre Græco natus, verbum Iudæis, cùm sacerdotium recepisset. Fœneramus hodiéque sacerdotes in Ecclesia verbum Iudæis, qui de Synagoga ad Ecclesiam transierunt. Fœneramus & nouam & vetustam pecuniam. Etenim quam habuerunt, iam non habent [h]. Oculos, habent, & non vident; aures habent, & non audiunt. Pecuniam habent, & non habent; quia vsum eius ignorant, pretium eius nesciunt, figuram eius, & formam non cognouerunt. Nam si cognouissent, numquam auctorem pecuniæ negassent, dicentes [i]: *nolumus hunc regnare super nos*. Qui quidem rediens, accepto regno, iussit vocari seruos suos, quibus dedit pecuniam, & eis qui fœnerassent pecuniam (fœnerare hîc sumit reddere cum vsura seu sic datam recipere) prædicauit: ei autem, qui pecuniam tenuit otiosam domini sui, respondit [k], *sciebas quod ego homo austerus sum; tollo quod non posui, meto quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens, vtique cum vsuris exegissem illam?* &c. Omnia sunt Ambrosij [l], qui adhuc enarrans ex Psalmo [m] 111. (*tota die miseretur & fœnerat*) quod legimus (*commodat*) distinguénsque pecuniam fœnoris, quæ habet æs, ab illa quæ gratiam, cuius Dominus vsuras exigit, & fidem confert; fœnerato ergo, ait, fidem gentibus, vt tibi abundet gratia: tu autem noli mutuari quasi indigus: sed quasi diues & locuples fœnerato. Fœnerauit Petrus, fœnerauit Paulus, fœnerauit Ioannes, & non indiguit: hoc est, fœnerarunt pecuniam Christi; non fœnerarunt pecunias ad vsuram. Fœnera ergo & tu, & noli desistere fœnerare; habebisque præmium benedictionis. Similia denique alio loco [a] habet; quem non recito. Glossa verò perstringit, dicens quòd Ecclesia abundat spiritalibus diuitiis, docens, nec habens necesse doceri.

a Hebr. 11. 37. 38.
b 2. de Iacob c. 3.
c Gen. 27. 37.
d c. 17. 2.
e c. 22. 7.
f de Tobia c. 19.
g 3. Reg. 10. 1. Matt. 12. 42. Luc. 11. 31.
h Pf. 113. 5. secundum Hebr.
i Luc. 19. 14.
k ibidem.
l in Pf. 36.
m vers. 5.
a in Pf. 104. edit. Rom.

Explanatio.

Si tamen audieris vocem Domini Dei tui.] Audire vocem est exaudire & obedire, præsertim cum replicatione aliarum editionum (*audiendo*, aut *audiens audire*.) Græca pronomen plurale habet ὑμῶν, & verbum (*audieritis*, ἀκούσητε) & (*si autem*, ἐὰν δέ:) aliæ (*tantum*, vel, *dumtaxat*, vel, *verumtamen si*.) Eximiæ obedientiæ est in auditu auris obedire [b]. Verbum habet editio Chaldæa מימרא *memera*.

b Pf. 17. 45.

Et custodieris vniuersa, quæ iussit.] Secundùm reliquas editiones (*vt custodias* aut *custodiatis*, *&* *facias* vel *faciatis*; siue *ad custodiendum*, *ad faciendum omne præceptum hoc*, aut *omnia præcepta hæc*) Non tantùm vltima, sed alia prioribus capitibus contenta, aut aliis etiá libris, quorum hîc est quædam recapitulatio, custodiri ac fieri vult. Oleaster vertens (*vt custodias facere*, siue, *vt obserues ad faciendum*) ait velle Dominum, vt homo antequam veniat tempus implendi præcepta eius, obseruet tempus, vt quàm primùm venerit, faciat. Sæpe nihilominus vsurpauit ista ad solam maiorem expressionem obseruationis & obedientiæ requisitæ, abstrahendo ab illa circumspectione temporis.

Et quæ ego præcipio tibi hodie.] Potuisset omitti coniunctio (*&*) quia carent editiones aliæ. Indicat verò illa id quod dixi, de obedientia præcedentium quidem quoque, sed nominatim illorum quæ tali die dabantur à Moyse: qui, vt non semel monui, peculiariter in hoc libro exprimere solet à se dari præcepta.

Benedicet tibi vt pollicitus est.] Hæc aliter dispunguntur in Bibliis Complutensibus & Regiis, incoando ab his versum nouum: & iuxta reliquas editiones vertendum esset (*quoniam Dominus Deus tuus benedixit tibi, sicut locutus est tibi.*) Benedixerat iam Deus per priora tot beneficia: & quia certos volebat esse de futura benedictione alia per possessionem terræ illiúsque vbertatem, præteritum tempus loco futuri, vt sæpe aliàs, ponitur: & simplex verbum loquendi in Deo vim habet pollicendi; quamuis interdum exprimatur pollicitatio eiusdem etiam cum iuramento. Sed & crebrò repetitur; vt hîc quidem modico interuallo bis ad maiorem quam dixi certitudinem, confirmationémque.

Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum.] Sumuntur hæc, & sequentia, non vt imperia, sed vt promissiones; quamuis futurum pro imperatiuo vsurpetur aliquando. Fœnerare, vt antea notaui, monétque nominatim Hugo, & alij, æquiuocum cùm sit, non significat hîc dare ad vsuram, sed mutuare, mutuúmve vel dare, vel accipere. Lyranus, cúmque ipso Rickelius, explicant per verbum licèt minùs Latinum, vadiandi, hoc est, vadia accipiendi, quia non tenebantur gentibus accommodare sine vadiu. In editionibus aliis idem verbum est pro vtroque membro [illegible] *habbatiattha*, & [illegible] *thabbatot*, [illegible] *thezeph*, & [illegible] *thezuph*, δανείσεις & δανιῇ. Verbum [illegible] *bhauat*; dicunt Hebræi significare pignus capere, retinere, mutuare præsertim sub pignore, Chaldæo quoque verbo, & Græco significatur vtrumque, & simpliciter mutuare, & cum vsura: iungitur

Fœnerandi verbum.

iungitur verò interdum Græco, vt reſtringatur ad poſteriorem ſignificationem, ἐπὶ τόκῳ: & ferè ſemper abſolutè poſitum malè ſonat, ſicut & Latinum. Vnde illud,

^a *Nam ſi mutuè* (aliter mutuas) *non potero, certum eſt ſumam fœnore.*

Et Nonius honeſtius mutuum ſcribit eſſe, quòd ſub amico affectu meum fiat tuum *vſu* temporis neceſſarij. Sed Auguſtinus in locutionibus legens (*fœnerabis gentes multas*) fœneratione, inquit, Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamſi vſuræ non accipiantur. Vnde eſt & illud in Pſalmo ^b, *Beatus qui miſeretur & commodat.* Hoc enim maluerunt interpretari noſtri qui ſententiam potiùs, quàm verba ſequendo putauerunt. Nam in Græco habet δανείζει, quod eſt fœneratur. Nomen fœnus aliàs ^c docui videri dictum quaſi funus, & ab Ambroſio ^d atque Leone ^e Papa I. vocari fœnus pecuniæ ſœnus animæ, vel ob mortale peccatum, quod eſt mors animæ, alioqui ſecundùm leges phyſicè immortalis; vel accipiendo animam pro vita, quæ vſuris exhauritur ſimul cum pecunia, quam nominant alterum ſanguinem. Retuli præterea etymon Varronis ^f, à fœtu: quia ſit quædam fœtura pecuniæ parturientis; quod etiam τόκος importat, à τίκτω; & obſeruatum eſt à Baſilio ^g, fratre Nyſſeno ^h, Ambroſio ^i. Vltimus item anſam præbet, ludendi in fœnore & funere; monens ^k cùm de alijs peccatis ſemel, aut multùm iterata admonitione, præſcriptum ſit, de fœnore ſæpiùs in Scriptura intimari. Nam ex Exodo ^l recitat; *ſi pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi, apud te non ſuffocabis eum* (quaſi legerit κατάπνιξον, pro κατεπείγων, vt nunc legitur) *non impones illi vſuram.* Strangulat enim, inquit, & quod peius eſt, animam laqueat creditoris. Quo ſermone & prædonis violentiam, & deformis nodum mortis expreſſit. Sic ille. Cicero ^m fœnerari idem aſſerit eſſe, quod hominem occidere. Arceſſunt alij à fundo, quod nomen cum o ſcribebatur apud antiquos; quia prouentus propriè eſſet ex naturali terræ fructu; ſed poſtea translatum fuerit ad vſuram, quaſi pecunia, ſicut terra, fructum producat per ſe. Ridet Cloatium Verium Gellius ^n, qui in quarto, ex libris quos inſcripſit, Verborum à Græcis tractorum, fœneratorem dici voluerit, quaſi φαινέτορον, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρηστότερον: quoniam id genus hominum ſpeciem oſtentent oſtendántque humanitatis, & commodi eſſe videantur inopibus, nummos deſiderantibus. *Siue autem hoc ipſe Cloatius*, inquit, *ſiue neſcio quis alius nebulo* (Hyſicratem citabat Cloatius) *effutiuit, nil poteſt dici inſulſius.* Ex Varrone mox profert notionem quam dixi; qui teſtetur idcirco M. Catonem, & cæteros ætatis eius, fœneratorem ſine litera a pronuntiaſſe, ſicuti fœtum, & fœcunditatem. In bonam partem dicitur fœnerari proximo qui facit miſericordiam ^o; Domino qui miſeretur pauperis ^p, peccatores peccatoribus ^q; & qui fœnerator apud Lucam ^r dicitur, Syriacè vocatur dominus debiti.

Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. Plurimas dixit Interpres pro multis, *rabbim*, *ſagghim*, πολλῶν. Carent ſuperlatiuis Hebræa & Chaldæa lingua; ſed non Græca, vt nec Latina, quod crebrò monui. Interſerit editio Græca pronomen ad emphaſim in priore parte, necnon & coniunctionem præponit καὶ ἄρξεις σύ, *& dominaberis tu.* Legit Ambr. ^s (*princeps eris gentium multarum, tibi autem princeps*

a Plaut. in Aſina. actu 1. ſc. 3.
Mutuum quid.
b Pſ. 111. 5.
c in Pſ. 14. 5
d de Tobia c. 12.
e ſer. 6. de iem. decimi menſis.
Fœneris etymon.
f 3. de ling. Lat.
g in Pſ. 14.
h hom. 4. in Eccl.
i de Tobia c. 13.
k cap. 14.
l c. 22. 25.
m 2. de off.
n li. 16. c. 12.
o Eccl. 29. 1.
p Prou. 19. 17.
q Luc. 6. 34.
r c. 7. 41.
s 2. de Iacob c. 3.

ex ipſis non erit Auguſtinus ^a (*& principaberis gentium multarum, tibi non dominabuntur* tanquam diceret, inquit, tibi non dominabuntur, hoc eſt, gentes. Dominatur Chriſtus & Eccleſia in medio inimicorum ^b; nec portæ inferi præualere poſſunt ^c. Priùs autem annotaui præceptum hîc non indicari, ſed promiſſum. Præcipitur in Pſalmo 109 ^d. *Dominare in medio inimicorum tuorum*; quamuis legant aliqui *dominaberis*, habente tamen ibi vim dicti modi futuro tempore, vt eiuſdem loci commentatio docui. *Aſſur rex eius*, ait Oſeas ^e; *quoniam noluerunt conuerti* hæcque cauſa, cur regnum à gente in gentem transferatur ^f: & quare hoc tempore ferè poſt 1600. annos, infœlices Iudæi ſeruorum more ac mendicabulorum victitent, quia inopem & mendicum Chriſtum, qui cùm eſſet diues, homo egenus fieri dignatus eſt, perſecuti ſunt ^g.

a in locutionibus.
b Pſ. 109. 2.
c Matt. 16. 18.
d verſ. 2.
e c. 11. 5.
f Eccl. 10. 8.
g Pſal. 108. 17. 2. Cor. 8. 9.

Verſ. 7.] Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum.

Verſ. 8.] Sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris.

GEnus quidem quoddam benignitatis eſt mutuo dare indigenti, & anno ſeptimo, qui remiſſionis cognominatur, quod mutuo datum ſit alitérve debitum non exigere: de qua re paulò antè præceptum audiuimus. Sed liberalitatis laus maior, gratis, vltro, ſponte mutuum largiri egenti, & ad paupertatem redacto, nec expectare, dum ipſe petat. Quod etſi fieri decet erga omnes, maximè erga domeſticos, qui nomine fraterno potiſſimum intelliguntur, non ſolùm ob coniunctionem ſanguinis, vt arbitratur cum aliis Abulenſis, ſed etiam propter communionem eiuſdem religionis & conuerſionis ad illam, quos Hebræi vocabant proſelytos, nec minùs morabantur intra portas ciuitatis, quam originarij Hebræi incolebant, quàm ipſimet Hebræi, & ciues nominari poterant; licèt non tot priuilegiis fruerentur. Rickelius indicat id ſibi placere de proſelytis. De hoc etiam priùs egimus. Lyranus interpretatur de mutuatione libera, & quæ procedat ex affectu; & hoc exigunt verba editionum aliarum eadem cum iis quæ in verſibus prioribus erant, vt videbimus. Tertullianus ^h citans præſentem locum, confert cum ampliore præcepto Chriſti, vt omnibus benè faciamus, non tantùm fratribus, ſed etiam extraneis: aliquæ maiorem bonitatem eſſe, quæ operatur in extraneos, licèt non ſit prior ea quæ antè debetur in proximos. Creatorem ſecundùm naturæ ordinem primùm in proximos docuiſſe benignitatem, emiſſurum eam poſtea in extraneos; & ſecundùm rationem diſpoſitionis ſuæ, primò in Iudæos, poſtea & in omne hominum genus: quamdiu intra Iſraëlem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam mandaſſe; vbi Chriſto dedit gentes hæreditatem, & poſſeſſionem terminos terræ ^i, & cœpit expungi quod dictum eſt per Oſee ^k;

Paraphr.
h 4. contr. Marc. c. 16.
i Pſ. 2. 8.
k c. 1. & 2.

non

non populus meus, populus meus; & non misericordiam consequuta, misericordiam consequuta, natio scilicet; exinde Christum in omnes legem paternæ benignitatis extendisse, neminem excipiendo in miseratione, sicut in vocatione. Existimo tamen quod initio dixi, misericordiam sic in Iudæos commendari, vt erga extraneos non improbetur, quæ aliis etiam locis approbatur, laudatúrque. Vsurpat Parisiense [a] Concilium præsentem locum, cum aliis similibus, vt suadeat Christianis vsurarum deuitationem.

[a sub Greg. IV. lib. 2. c. 53.]

Explanatio.

Si vnus de fratribus tuis.] Fratres dixi non sanguine duntaxat intelligi & origine, verùm etiam religione, quique absolutè nomine intelligerentur Hebræorum, siue Iudæorum. Quæcumque persona, inquit Rickelius, natione Hebræa, aut etiam secundùm quosdam ad Iudaismum conuersa. Consentit Angelus [b] del Pas, ætate nostra pietate doctrináque conspicuus ex ordine Minorum.

[b 5. in symbolú c. vlt.]

Qui morantur intra portas ciuitatis tuæ.] Suppleuit Interpres verbum (*morantur*:) in aliis enim editionibus tantùm est (*in vna portarum tuarum*) vel Græcè (*in vna vrbium tuarum, ἐν μιᾷ τῶν πόλεών σου*) quod priùs aliquoties occurrisse vidimus, vt vrbes nempe seu ciuitates editio Græca pro portis poneret. Nunc verò nostra portis ciuitatem coniunxit. Indicari autem vult Abulensis peculiariter benefaciendum iis qui intra eandemmet ciuitatem commanerent; quia licèt omnes secundùm naturam nobis proximi sint; illi tamen, inquit, abundantiùs, quos natura locorum, id est, ipsa propinquitas propinquiores facit. Indefinitè quoque exponi potest cum eodem Auctore de quolibet Hebræo habitante in terra promissionis. At non proinde is excluditur, aut non etiam intelligitur, qui fortè habitaret extra portas ciuitatis; immò etiam extra terram promissionis, si eadem necessitate premeretur.

In terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Vel (*dat tibi, δίδωσί σοι.*) Quo pacto participia editionum Hebrææ, Chaldææque reddi posse sæpe monui: simul notans toties id inculcari, vt agnoscatur auctor tanti beneficij Deus, & de consequendo eodem, nulla ratione dubitetur. Omittit citans hunc locum Tertullianus [c] hæc & præcedentia verba. Quod & idem & alij Patres interdum faciunt, curantes modò proferre quæ proposito conducere putant. Apud Augustinum [d] (*si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis, in vna ciuitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi.*) Non vni homini, sed populo dicitur; ideo *in te*.

[c 4. contr. Marc. c. 16.]

[d suprà.]

Ad paupertatem venerit.] Non habet hîc locum distinctio Abulensis inter pauperem & mendicum: quia qui mendicus [e] antea dicebatur & indigens, hoc loco dicitur eodem vno vocabulo, quod ibidem erat אֶבְיוֹן *euion*, seu *ebion*, & מִסְכֵּנָא *mischena*, & ἐνδεής: legitque Tertullianus vtrobique, *indigens*. Pauperem dici volunt [f] à παῦρος prima reduplicata: Varro [g] à paulula re: minúsque paupertas videtur, quàm egestas. Synonymè tamen nunc sumuntur, vt dixi, quemadmodum & mendicitas, quæ ab eo quod minus est, defectum importat. Caietanus docet non intelligi exactè mendicum; quia supponit talem esse qui dato pignore mutuum accipiat. Verbum quidem Hebræum עָבַט *hbauat*, seu *hhabat*, de quo nuper, id potest valere; sed etiam absolute mutuare,

[e vers. 4.]

Pauperis etymon.

[f Ios. Scal. in Varro.]

[g de ling. Lat.]

Non obdurabis cor tuum.] Hebraicè (*roborabis, obfirmabis*, &c. תְאַמֵּץ *theammetz*. Quod etiam valet Chaldæum תַּתְקֵף *thathkeph*. Græcè (*non auertet cor tuum*) vt legit quoque Augustinus & Tertullianus [a] (οὐκ ἀποστρέψει τὴν καρδίαν σου. Sed in Sixtinis extat μὴ ἀποστέρξεις, quod significat humanitatem amorémque naturalem eiicere: cui opponitur στέργειν. Alibi obdurare quis cor dicitur, propriè id significante verbo aliarum etiam editionum: vt [b], *nolite obdurare corda vestra*, אַל־תַּקְשׁוּ *al thaksciu*, לֹא תַקְשׁוּן *lo thaksciun*, μὴ σκληρύνητε. Cognominantur quoque dura peccata [c], quibus accedit pertinacia, & quasi obductum callum, vt insensibilis quodammodo quis reddatur, & ad diuinas voces, ordinariásve plagas, & ad communes miserias proximorum, non compatiens super contritione Ioseph [d]: qui fratrem quemlibet designat: quod eius ex fratribus fama præclara esset, vt ait Augustinus [e], vel in malis, quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. *Impiorum viscera crudelia.* [f], ἀνελεήμονα, *immisericordia*: vel ipsamet crudelitas, אַכְזָרִי *achzari*, נַכְזְרִיתָא *nachzerithutha*: vel ipsæmet miserationes eorum, רַחֲמֵי *rachame crudeles*, siue quia ex rapto benefacientes sunt; siue quoniam eùm videntur benefacere, morosè, molestè, cum exprobratione id faciunt. In similitudinem lapidis durantur aquæ [g] præ frigore, & hominis cor visceráque crudelitate lapidescunt. Cùm renunciasset Abigail viro suo Nabal, quàm liberaliter excepisset Dauidem, ab ipso crudeliter reiectum; emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis, pôstque decem dies percussus à Domino mortuus [h] est. *Nabal duro & rigido corde*, ait Ambrosius [i], *verbum vxoris ferre non potuit, & obstupefactus obriguit, & mortem incidit.*

[a suprà.]

[b Ps. 94. 8.]

[c Iere. 30. 14. 15.]

[d Amos 6. 6.]

[e 4. de doct. c. 7.]

[f Prou. 12. 10.]

[g Iob 38. 30.]

[h 1. Reg. 25. 37. 38.]

[i in Ps. 37.]

Nec contrahes manum.] Aliæ editiones habent (*manum tuam à fratre egeno seu indigente*,) אֶבְיוֹן *euion*, seu *ebion*, מִסְכֵּנָא *mischena* ἐνδεοῦντι: quod editio nostra, omisso fratris nomine, reiecit in sequentem versum. Legit Tertullianus [k] & Augustinus [l] (*nec constringes manum tuam a fratre tuo indigente*, aut *egente*) Græcum verbum συσφίγξεις denotat constrictionem colligatiouémve in morem fasciculi ex virgultis aut arundinibus, aut similibus aliis, quæ fiat vimine; aliáve re: cui synonymum est συσφίγγειν, & συστέλλειν. In 3. Regum cap. 18. [m] *accinxit lumbos suos*, συνέσφιγξε τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Inde Sphingem monstrum dici aiunt, capite ac manibus puellæ, corpore canis, alis auis, voce hominis, vnguibus leonis vel harpyarum, cauda draconis, ἀπὸ τοῦ σφίγγειν à constringendo vel vinciendo, quia prætereuntes ita suis stringeret quæstionibus, vt expedire se non valentes vnguibus & alis interficeret. Hebræum קָמַץ *kamatz*, est colligere & contrahere, ac propriè quidem digitos in vulam manus, ita vt si R. Dauidi creditur in libro radicum, vt extendantur digiti tres in planam seu vulam manus, deinde pollice radatur desuper, infernè minimo digito. Inde Grammaticum punctum קָמֶץ *kametz*, quod contractis labiis efferendum indicat sonum: & קֹמֶץ *kometz*, *pugnus*, atque *pugillus*. Affinis notionis est קָמַט *kamat*, quod hîc extat Chaldaicè, & ab Hebræis petitur, apud quos valet rugas contrahere; & apud Chaldæos præterea, ligare, & constringere. Ecclesiastici [n] præceptum est; *non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*, μὴ ἔστω ἡ χείρ σου ἐκτεταμένη εἰς τὸ λαβεῖν, καὶ ἐν τῷ ἀποδιδόναι συνεσταλμένη. Ex Seneca Holcot [o] refert manum eamdem

[k 4. contr. Marcion. c. 16.]

[l in locut.]

[m vers. 46.]

[n c. 4. 36.]

[o ibid. lect. 56.]

eamdem esse apertam & clausam; sed clausa contineri liquorem, dispergi aperta: priore modo gratiam conseruari: posteriore pugnum existere, ad nocendum. Spinæ diuitiarum si ulansa premantur manu, cruentant; in expansam immissæ, non nocent, sed inde distributæ prosunt: aridam manum vt curet Christus, iubet extendi [a]: epulo ille aridas habens erga pauperes manus, Dei erga sa manus aridas quoque expertus est, vt qui negauerat micam; nec guttam acciperet [b]. Tritum Italis adagium *stretto di mano, largo di bocca*; nec ad rem non est Zenonis illud de dialectica, & eloquentia, vt esset dialectica compressis digitis pugnóque similis; diductæ ac dilatatæ manui palmæque eloquentia [c].

Sed aperies eam pauperi.] Hebraicè & Chaldaicè (*sed aperiendo* aut *aperiens aperies manum tuam ei:*) apúdque sæpiùs citatum Tertullianum [d] (*aperiens aperies illi manum tuam:*) & apud Augustinum [e] (*aperiens aperies manus tuas ei.*) Græcè sunt manus plurali numero. Etsi verò vsitatam idem Augustinus replicationem verbi notat esse, ea tamen replicatio largitatem potest insinuare; quemadmodum & in editione Græca ambæ manus, vtraque, vt dicitur, manu largitionem faciendam: quod est ἀμφοῖν χεροῖν, ἐν τῇ ἑτέρᾳ, ambabus, iuxta parœmiam, manibus, id est, affatim, ampliter, copiosè, prolixè, prodigè, perbenignè, non altera tantùm; denique plena manu, & plana. Eiusdem formulæ aperiendi manum ad largam donationem designandam, complura exempla occurrent aliis [f] in locis diuinarum literarum, de Deo etiam, déque muliere Forti: immò & de pluuia [g]. Vltimum significant verba Ecclesiastici figuratè, *in aperiendo manus suas lætabitur*: id est, cùm post tonitruum magnum personans, de quo ibidem proximè [h] antè, largiter effuderit super terram pluuia aquas suas; lætabitur quòd tonitrui terrorem superauerit, & hominibus ademerit, quos & lætati faciet suo in terram defluxu; quia pluuia copiosè cadente, cessant tonitrua & fulgura (fulgura quippe in pluuiam fecit Deus [i]) ac minùs timentur. Sic Iansenius [k]; quamuis passim explicent alij de moribus auari, qui cùm aperuerit manus suas non ad dandum, sed accipiendum, lætatur: & Paulus de Palatio de tonitruo, quòd lætetur mixtum fulguri dum aperit manus, id est, radios, nec durat, nisi ferè dum explicat lucem: vt ad eumdem modum præuaricatores licèt videantur sonare, & fulgere; breui tamen in sua consummatione tabescant. De Deo annotata loca perspicua sunt; *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; de muliere forti, *manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Ibi sunt יָדֶיךָ *bhons*, & אֶבְיוֹן *euion*, seu *ebion* · πένης & πτωχός: pro manu & palmis יָד *iad* & כַּף *chaph*, plurali numero χεῖρες & καρπούς; ex quibus prima Hebræa vox manum significat patulam & apertam, secunda clausam contractámque pro καρποῖς Augustinus [l] transtulit. Significat locus ille liberalitatem animam, & libertatem concessam iis in quos exercetur soluendi aut rependendi. In commentario Psalmi 103. & 144. plura reperies non vulgaria, & proposito congrua · tum illud de symbolo auaritiæ per contractam manum præsertim sinistram digitis compressis: & quòd Hebræi manum liberalem vocent apertam יָד פְּתוּחָה *iad pethuchah*, auaram & sordidam יָד קְמוּצָה *iad kemutsah*. Legisse non pœnitebit, me tædet repetere.

Et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris.] Hebraicè atque Chaldaicè (*& mutuando siue mutuans mutuabis ei sufficientiam defectus eius*; siue *quantum sufficit defectui eius quod defecerit ei*, aut *quod sufficiat siue satis sit pro penuria eius, qua illa laborat.*) Chaldæum nomen מִסָּה *missah*, quod eadem lingua Hebræáque habent etiam c. 16. [a] dixi versu 2. videri sumptum deinde pro Missa, cuius sacrificium nostram subleuat necessitatem & sufficientiæ satisfaciat. Sed hîc sufficientiam adde quod iis satis Hebræa vox דַּי *de* significat ex דַּי *dai* in recto stato, vnde vnum de Dei nominibus aliqui deriuant שַׁדַּי *Scaddai*, quod ipse sufficiat αὐτάρκης, nec vllius egens [b]. Est autem quoque hîc idem verbum Hebræum, Chaldæum, Græcum, quod versu 6. Latinè per fœnerari reddebatur, id est, mutuare seu mutuò dare etiam absque vsura. Colligit verò Caietanus appellatione pauperis non intelligi mendicum, quia mendicus non habet quod pignoret; quam putat esse significationem verbi עָבַט *habhanet*. Sed latiùs accipi pro simplici mutuo sine traditione pignoris, citato priùs versu docui: Græca sunt καὶ δανειεῖς δανειεῖς αὐτῷ ὅσον ἐπιδέεται, καθότι ἐνδεεῖται, *& fœnus fœnerabis siue mutuum mutuabis ei quantum poscit, secundum quod indigebit*: & apud Augustinum in locutionibus (*fœnus fœnerabis ei quantumcumque postulat, & quantum eget.*) In codicibus Græcis Complutensibus & Regiis δάνειον δανειεῖς αὐτῷ, ὅσον ἐπιδέῃ, καὶ καθόσον ἐνδεεῖται, *mutuum mutuabis, siue fœnus fœnerabis quantum rogauerit, & secundum quod indiguerit, inferiórue fuerit.* Egestas namque deprimit. Quidam priore loco habent αἰτεῖ: & posteriore ὑστερεῖται. Significat porrò δέομαι non solùm egere seu priuari vt ὑστερεῖται, verùm etiam rogare & petere: quia qui eget, rogare ac petere solet. Hîc certè, ait paulò antè citatus Augustinus, cùm opera misericordiæ præcipiat, non vtique vsurarum crudelitas suscipienda est. Vnde apparet quod ait, *fœnus fœnerabis ei*, mutuo dandum quod postularet intelligi posse. Maiorem præ se fert editio nostra benignitatem ac liberalitatem, quasi non esset expectandum vt egens peteret, sed præueniendum. Nisi dicas etiam in dando mutuo adhibendum fuisse iudicium, vt perspecta esset alterius indigentia: quod tamen adhuc potest consistere, quamuis non expectas, vt quem egere perspexeris petat; quemadmodum Nicolaus clam iniecta ter dote fecit ad locandas nubiles [c] egentes puellas. Tertullianus [d] legens (*aperiens aperies illi manum, fœnus fœnerabis illi quantum desiderauerit*) sensum magis secutus quàm verba, interpretatur desiderium petitione expressum; fœnus enim, inquit, nisi petenti dari non solet. Idem tamen paulò antè scripserat illis prioribus verbis (*non sit indigens in te*) non iuberi vt petenti detur, sed vt curetur vltrò ne sit. Abulensis explicat, vt si egens aliquando soluere possit, detur ei mutuum; si non possit, gratis: non videri tamen adeò pauperem in terra promissionis communiter futurum, vt soluere mutuum datum ad sustentationem non posset; quia dabatur tempore necessitatis, vt non cogeretur vendere possessiones: vel si vendebat, reducebatur deinde ad illas, nempe in iubilæo.

[a] Matth. 12. 13.
[b] Luc. 16. 24.
[c] Cicer. in Orato.
[d] 4. contr. Marc. c. 16.
[e] in locut.
[f] infra v. 11. Ps. 103. 28. Ps. 144. 16. Prou. 31. 20.
[g] Eccl. 40. 14.
[h] vers. 13.
[i] Ps. 134. 7.
[k] in Eccl. 40.
[l] serm. 45. de diuers. c. 10.

[a] vers. 10.
[b] Ps. 15. 2.
[c] in vita.
[d] 4. contr. Marc. c. 16.

Vers.9.] Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quòd postulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.

Vers. 10.] Sed dabis ei: nec ages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.

Paraphr. TAntopere curæ Deo est pauper egénsque, vt non contentus tot antea verbis commendauisse subleuationem illius, saltem per mutuationem (quam quidam Theologi quoque sufficere docent ad extremæ alterius necessitati subueniendum; ita vt rediens ad pinguiorem fortunam restituere teneatur) eatendam admoneat fraudem quæ posset occurrere occasione anni septimi remissionis, quo anno debita remittebantur, vel non exigebantur. Venire namque cuipiam in mentem poterat negare mutuum sub id tempus, quod parum abesset ab illo septimo anno, ne tunc exigere prohiberetur. Impia vocatur istiusmodi cogitatio siue inhumana crudelísque, & callida siue fraudulenta; quæque, si consentiatur ipsi, reum peccati constituat, videlicet grauis, & clamantis in cœlum, vindictámque prouocantis; cùm è contrario, qui talem cogitationem non admittit; sed liberè ac liberaliter postulatus mutuum concedit, ei prosperè cuncta successura sint, & fœlicem omnia negotia exitum habitura: vt vel hoc ipsum inducat ad benignè aliis faciendum. Occurrunt volenti eleemosynam dare mille tentationes, prauæque cogitationes, & quærit humana malitia semper occasiones, quibus reuocetur à bono, aut excusari videatur ne id faciat; quamuis vereatur verbis id exprimere. Perpendens hoc Augustinus [a], & legens (*attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo*, &c. ait; *Magnificè occultum verbum hoc dixit: quoniam nemo audet hoc dicere; qui potuerit cogitare; ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis, cùm Deus propter misericordiam vtrumque præceperit, & commodari, cùm quis indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est anno illo, quo remittendum est; si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est?* Transcripsit hæc Rabanus, & Glossa.

a q. 21.

Explanatio. *Caue.*] In editionibus aliis (*caue tibi*, vel *attende tibi*) sicut cap. 6.[b] vbi legimus (*caue diligenter*) & 8,[c] vbi (*obserua & caue*) & 12.[d] προσεχε σεαυτῷ: quod etiam extat cap. 4.[e] vbi Latine est (*custodi temetipsum*) & nos copiosè celebre illud apophthegma tractauimus, diximúsque totum hunc locum vt hîc est Græcè (*attende tibi ipsi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas*) exponi à Basilio aut à Zenone in proprio tractatu circa eum. Ibidem dicta adiice Bernardum [f] præferentem sui cognitionem cognitioni cursus syderum, virium herba-

b vers. 12. c vers. 11. d v. 13. 19. 30. e vers. 9. f med. c. 5.

rum, naturarum hominum & animalium, scientiæ omnium rerum cœlestium & terrestrium. Augustinum [a] orantem; *nouerim te, nouerim me*: Franciscum [b] secum cúmque Deo colloquentem, *quis tu Domine? quis ego?* Clementem [c] Alexandrinum, quòd est πάντων μέγιστον μαθημάτων τὸ γνῶναι αὐτόν· ἑαυτὸν γὰρ τις ἐὰν γνῷ, θεὸν εἴσεται, θεὸν δὲ εἰδὼς ἐξομοιωθήσεται θεῷ: *omnium maxima disciplinarū nosse seipsum: seipsum enim quis si nouit Deum cognoscet: Deum autem cognoscens, assimulabitur Deo*; Ambrosium [d], hortantem vt attendas animæ ne pereat, carnalisve fiat; Imagini, quam à Christo accepisti, & similitudini, ad quam factus es; & ille in te pinxit operibus: si filius es, & iuuenis, vt læteris in iuuentute tua, in flore vitæ, bonorum ætate operum, & sine macula: si virgo, vt insistas orationi, quam moses loquantur, fides adiuuet, opera commendent: & ab irreuerentis hominis caueas oculis. Iubet idem [e] attendere, ne obliuiscaris creatoris, ac nomen eius in vanum accipias [f]; ne bonis externis locupletatus, eiusdem Dei obliuiscaris, sciens nihil habere te quòd non acceperis [g], quódque omnia, ac tu ipse, vmbra sint, puluis, ruina, fabula, vanitas, cinis, vt quod vel ex sepulchris constat si inspiciantur: item vt attendat diues, quod carnem portat sicut pauper: attendat pauper, quia anima ipsius pretiosa est, síque desit pecunia, non deest gratia; si non est domus ampla, non diffusa possessio, cœlum patet, terra libera est, &c. *magna domus Dei, & ingens locus possessionis eius* [h].

a 2 Soliloq. c. 2. b Bonau. in vita. c 3 pædag. c. 1. d hortat. ad virg. longe post med. e 6. hex. c. 8. f Exo. 20. 7. g 1. Cor. 4. 7. h Baruch 3. 24.

Ne forte subrepat tibi impia cogitatio.] Hebraicè (*ne fortè sit verbum*, id est, quippiam, *cum corde tuo Belial*, hoc est, impium, iniquum, malitiosum, nimis liberum, & hominis sine iugo, videlicet rationis & Dei, inutile, immò perniciosum.) Nam בְלִיַּעַל *beliiahhal*, vt hoc ipso libro antea docui, significat sine iugo aut inutilem. Chaldaicè (*ne sit verbum cum corde tuo in iniquitate*, vel *impietate*, ברשׁע *birsciahh*) Græcè μήποτε γένηται ῥῆμα κρυπτὸν ἐν τῇ καρδίᾳ σου ἀνόμημα, *ne fortè fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas*) quo pacto legit etiam citatus Augustinus; Ambrosius [i] verò (*ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum.*) *Serpit enim*, ait idem Ambrosius [k], *sicut venenum, & lethalia infert contagia: & inimicus* [l] *infert animo verbum iniquum, & cogitationes cordis absconditas, ita vt dici possit tibi a Domino* [m]; *quid cogitas mala in corde tuo?* Martinus Papa I. Paulo Thessalonicensium scribens Episcopo [n], huius loci testimonio probat ea quæ in corde, id est, in sola cogitatione consistunt, damnari à Deo, si nimirum sint mala, iísque consensus præbeatur. Id alibi demonstratum est, atque propterea duobus vltimis Decalogi præceptis vetitam esse internam concupiscentiam. Hoc eodem sensu cogitationes plerísque aliis [o] locis damnatas leges; ac nominatim appellatas malas [p], peccata [q], peruersas [r], iniquas [s], inutiles [t], noxias [u], pessimas [x], corruptas [y], vanas [z]. Lege apud Robertum [aa] Holcot distinctionem cogitationis malitiosæ, ambitiosæ, voluptuosæ, infructuosæ: & à Christo reprehensos cogitantes mala in cordibus suis [bb]. Error est, in solis externis actibus malitiam peccati esse: immò per se in internis est, nec externi etiam per se addunt ad eam aliquid, vt nec ad bonitatem, sed per habitudinem ad internum actum liberæ voluntatis.

i supra, & de bono mort. c. 6. in Psal. 118. octo. 2. k o hexae. & l de bono mortis c. 6. m Mat. 9. 4. n epist. 12. o Gen. 6. 5. c. 8. 21. c. 11. 6. Num. 15. 39. Iob 5. 12. Ps. 5. 11. Psal. 32. 10. Ps. 55. 6. Ps. 93. 11. Psal. 118. 118 Ps. 145. 4. Pr. 6. 18. c. 12. 2. c. 15. 5. 26. c. 24. 9. Sap. 1. 3. 5. 9. c. 12. 10. Esa. 1. 16. c. 29. 16. c. 32. 7. c. 59. 7. c. 65. 2. Ier. 4. 4. 14. 18. c. 6. 19. c. 18. 12. 18. c. 23. 22. c. 25. 5. Ezech. 11. 24. c. 38. 10. Osee 4. 9. Mich. 7. 13. Sopho. 3. 7. Matth. 15. 19. Act. 8. 22. p Pro. 5. 26. Iere. 4. 14. Matth. 15. 19. q Prou. 24. 9. r Esa. 1. 16. r Sap. 1. 3. Esa. 29. 16. s Esa. 55. 7. t c. 65. 2. Iacobi 2. 4. u Ier. 4. 14. x c. 23. 22. cap. 25. 5. Ezech. 38. 10. Zach. 1. 4. y Sopho. 3. 7. z Ps. 93. 11. aa in Sap. c. 1. lect. 5. bb Matt. 9. 4.

Vsurpat Concilium [a] Parisiense iam aliquanto antè citatum, præsentem sententiam, aduersùs calliditates fœneratorum siue vsurariorum, vnà cum aliis; licèt in quibusdam codicibus mendosa lectio sit (*caue ne fortè subripiat tibi impia cogitatio.*) Rectè autem in vniuersum affirmat, quòd in legalibus & propheticis oraculis, Dominus vsuram fieri inipaciter, atque terribiliter inhibet, & præsumptio humana, à summo Creatore prohibita, superbiendo perpetrare, ad sui discrimen non metuit. Tandem vera est Abulensis annotatio, non accipi hoc loco pietatem, cui cogitatio impia repugnet, pro cultu diuino, amore parentum, vel patriæ; sed pro misericordia, quæ debetur miseris proximis. Latiùs adhuc sumitur impietas impiúsque, pro quouis grauiore vel peccato; vel peccatore, quemadmodum iniquus & iniustus, iniquitas & iniustitia etiam cùm non repugnatur iustitiæ secundùm propriam significationem. Ipsemet Deus cognominatur pius [b], addito epitheto clementis & misericordis חַנּוּן *channun*, & רַחוּם *rachum*, ἐλεήμων & οἰκτίρμων, μακρόθυμος, & πολυέλεος: atque à Hieronymo vel Rabano [c] diuinitatis natura clemens & pia. Aliquando præterea, vbi pietas est in editione [d] nostra, Græcè est χρηστότης, opposita crudelitati; vel χρηστότητα [e], *beneficentia*, opposita ἀνελεήμονι, *immisericordi*; quem vocat impium editio nostra; vel δικαιοσύνη [f], *iustitia*, vt accipitur pro eleemosyna. Pietatem in propria notione, & pios, Græcè εὐσέβειαν, & εὐσεβεῖς vsurpat Ecclesiastici [g] auctor, scribens quod piè agentibus τοῖς εὐσεβέσιν, Dominus dedit sapientiam, & quòd Iosias corroborauit pietatem τὴν [h] εὐσέβειαν. Sed & qui Latinè apud Esaiam [i] appellatur Spiritus pietatis, dicitur quidem etiam Græcè εὐσεβείας, verùm Hebraicè timor Domini יִרְאַת יְהוָה *irah Iehouah*, Chaldaicè, iungendo cum scientia, Spiritus scientiæ in timore Domini רוּחַ מַדַּע בִּדְחַלְתָּא דַיְיָ *ruach maddahh bidchaltha da Iehouah*. Nonnonquam [k] composito nomine θεοσέβεια ponitur, cui solùm respondet pietas: & θεοσεβής, cui Dei cultor [l]. Nec proinde non sunt septem dona Spiritus sancti, vt id obiter attingam, quia eandem vocem Hebræam יִרְאַת *irah* repetat Esaias, quoniam πολύσημον est, multáque significans, videlicet timorem & obseruantiam; quemadmodum Latinis reuereri ac reuerentia. Nec enim probabiliter Leo [m] Castro respondet, idem nomen Hebræum priore loco deduci à רָאָה *raah*, *vidit*, vt sit visio ac illuminatio, gignens εὐσέβειαν, *pietatem*: posteriore à יָרֵא *iare*, *timuit*, & timorem significet. Atqui nullus Augustino [n] meliùs, hanc istorum nominum expendit significationem, simul cum aliis & Latinis, cultus, religionísque, & Græcis λατρείας, θρησκείας, θεοσεβείας. Pietas, inquit, propriè Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen erga parentes officiosè haberi dicitur (adde patriam.) More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eáque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, vt & Deus ipse dicatur pius; quem sanè Græci nullo suo sermonis vsu εὐσεβῆ vocant (fortè εὐσέβεια vel εὐσεβῆ) quamuis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus vsurpet. Vnde in quibusdam Scripturarum locis, vt distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Omnia sunt Augustini. Ex quibus infertur, non differre à religione pietatem, religiosum à pio: & quia Deus omni opere bono coli dicitur, omne opus bonum dici posse opus pietatis; atque ita Paulum hortari ad exercitium pietatis [a], pietatémque asserere ad omnia valere, ac promissionem habere vitæ quæ nunc est, & futuræ, id est, studium deuotionis cum affectu sincero in Deum, proximúmque: item hoc pacto quosdam cum pietate mortuos [b] dici. Alioqui specialis virtus pietatis (quæ prima est post religionem vt hæc respicit cultum Dei) versatur circa sanguine iunctos, patriæque beneuolos, quibus officium, & diligens tribuatur cultus [c]. Itaque impia cogitatio hoc loco nominatur, quæ inducit ad opus misericordiæ denegandum indigenti: quæ, vt dixi, cognominatur Hebraicè à Belial, quod est nomen idoli ac falsi Dei, cùm verus Deus, vt paulò antè quoque notabatur, pietate, vt misericordiam sonat, (nunc etiam indicant magis propriè dictam, quoniam agitur de hominibus eiusdem nationis, aut religionis) in primis gaudeat, Chaldaicè verò ab impietate & iniquitate. Hugo impiam cogitationem auari dici vult, quia sit contra pietatem quæ circa Deum versatur, cùm Apostolus [d] cognominet auaritiam idolorum seruitutem siue simulacrorum: vtpote quod auaro nummus Deus sit: & res quas Deus egentibus instituit seruire sibi vsurpat: quamuis quidam πλεονεξίαν apud eumdem sumi velint inexplebilem impotæ voluptatis cupiditatem, & indicari impura deorum sacra. De auaritia verò Cassianus [e] interpretans ait quòd quisquis non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis, diuinæ præferens caritati. Adiice quòd auarus omnem spem in pecunia locat; & argentum aurúmque suot loco simulacrorum [f], vt notat Theophylactus [g]; nec vnquam expletus dies noctésque nihil aliud cogitat totus addictus tanquam Deo: qua de re Chrysostomus [h]. Græcè autem hoc loco verbum absconditum ῥῆμα κρυπτὸν appellari ex Augustino [i] retulimus, quia pudet palàm & apertè subsidium egenti denegare, ac denegandi leues causas prætexere; quemadmodum præ pudore dicit impius in corde suo Deum non esse [k], non audens disertè id verbis pronunciare. Subrependi postremò verbum editionis nostræ innuit facilè tales cogitationes, nobis quodammodo non aduertentibus, insinuare sese cauendáque peccata, quibus inde cognomen subreptionis inditum est. Insinuatur id etiam per κρυπτὸν in textu Græco. Quod in Daniele [l] narratur de satrapis & principibus (*surripuerunt regi*) quidam codices & Rupertus [m] habent (*subrepserunt*) aut (*surrepserunt*) id est, latenter ac insidiosè suggesserunt, quod maximè cupiebant, à quo rex abhorrebat maximè, vt postea rex ipse ostendit: velléque Pintus [n] ita legi.

Et dicas in corde tuo.] Hoc est verbum absconditum cogitatione subrepens & abscondita, ob eam quam attuli non semel causam.

Appropinquat septimus annus remissionis.] In editione

a li.1.c.53.
b 2.Par. 30. 9. Iudith 7. 20. Eccli.2. 13. Apoc. 15 4.
c in cap. 3. Lam. & refertur cap. Quia diuinitatis. de pœnit.d.3.
d Esth. 16. 10.
e Eccl.37. 13.
f c.44.10.
g ib.v.37.
h c.49.4.
i c.11.2.
k Baruch 5. 4.1. Tim.2. 10.
l Ioan.9.31.
m in Esa. 11.
n 10.de ciuit.c.1.

a 1. Tim.4. 7.
b 2. Mach. 12.45.
c Aug li.83. quæst.q.3. ex Cic.2.de inuent. Aquinas 2. 2. q.101.
d Eph.5.5. Colos.3.5. *Auaritia idolorum seruitus.*
e coll. 12. cap. 2.
f Ps.113 4. secundum Hebr.
g in Eph.5.
h ibidem.
i q.21.
k Ps.13.1.
l c.6.6.
m lib. 1 in Danielem.
n in Dan.6.

editionibus aliis (*annus septimus, annus remissionis*) anni nomen repetendo, quod dumtaxat necessarium est, nec vim peculiarem habet.

Et auertas oculos tuos à paupere fratre tuo.] Pauper appellatur eo nomine, quo iam prius aliquoties, nomine אביון, *ebion* siue *ebion*, מסכינא *meschena* & participio, ... pro (*auertas oculos tuos*) *malignus* sitque *malus sit oculus tuus*, aut *malignetur* ... *rabbah lebenecha*, ... *thabes* siue *chabes lebenach*, ... ὀφθαλμός σου.
Dicitur malignus, ait Caietanus, per oppositum ad benignum esse: benignus enim est ferax boni tribuens mutuum valde indigenti, ferax est malorum omnium inde prouenientium. Adigit namque ad patranda mala non pauca egestas, & mendicitas, egestatéque compulsos furarit, & periurat, nomen Dei sui, vt ait Sapiens [a]; nec his dissimilia Philosophus [b], vt etiam nuper meminimus. *Apud homines bonos*, ait iste, *potiùs esse paupertas*, ἡ πενία, *quam apud paucos solet vinculum* ... *maxime apud probos salutem consecuturam, & permansuram*; εἰ δὲ πρὸς πονηρὸς ἔλθῃ, ... ἐν τῇ αὐτῇ δυνάμει αὐτοὺς: ἀλλ' ἢ κλέψειν, ἢ ληΐζεσθαι, ... αὐτοῖς: *si autem ad prauos venerit, non permansuros in eadem facultate; sed aut furaturos, aut praedaturos: quibus rebus fiat, vt ipsa amplius non sit apud eos.* Addit inter alias causas & istam; quòd illa, cùm censeatur esse quid malum, malis luogere se nolit, ne maledictum euadat omnino irremediabile, ... Nequissimam paupertatem in ore impij vocat auctor [c] Ecclesiastici; bonam verò substantiam, cui non est peccatum in conscientia; quia pauper malus murmurat contra Deum, peierat, (vt etiam paulò antè dictum est ex Prouerbiis [d]) mentitur, execratur paupertatem, &c. denique propter inopiam multi deliquerunt [e]:

—— [f] *Sceleri proclinis egestas.*
—— ... πρόχειρος εἰς τὸ δρᾶν κακά.
—— *Egestas prompta ad faciendum mala.*

& Plato [g] à sua republica paupertatem abegit veluti maleficia gignentem. Aliquoties [h] autem attribuitur oculo epithetum nequam, & mali; quibus opposita sunt epitheta boni & simplicis. Confirmat Delrius [i] noster tum allatis locis ex Euangelio de oculo nequam & simplicis, tum ex aliis iuxta editionem Hebraeam & Chaldaeam. Nam vbi legimus [k], (*homo delicatus in te, & luxuriosus valde inuidebit fratri suo*) Hebraicè est, *malignabitur oculus eius*, תרע עינו *therahh heno*: יבאיש עיניה *ebaues* seu *thabes heneh*. Graecè (*inuidebit oculo suo*, βασκανεῖ τῷ ὀφθαλμῷ: & [l], *tenera mulier, & delicata, &c. inuidebit viro suo*, תרע עינה *therahh heneh*. Chaldaicè vt priùs & Graecè: item [m], *non comedes cum homine inuido*, רע עין *rahh hhain*, ... E contrario autem [n]; *qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*, טוב עין *tob hhain*, *bonus oculus*, aut *oculo*, בן רחמן הוא יתברך *man detona hu bheneh.* Graecè ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην εὐλογεῖ vel ἀγαπᾷ ὁ Θεός, *virum hilarem & datorem benedicit* aut *diligit Deus.* Addit ex Alcippi epistola ad Enymonem paroemiam δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός, *inimicus & inuidus vicinorum oculus.* Meminit atque ipsum Alcippi auctor adagiorum, in eo cui titulus, *inimicus & inuidus vicinorum oculus*; citatque Aristotelem [o]; sed Hesiodum Delrius,

a Pro. 30.9.
b sect. 29. problem. 4.
c c. 13. 30.
d c. 30. 9.
e Eccl. 27. 1.
f Silius lib. 13 Philemō apud Stobę. serm. 94.
g 4 & 5. de repub.
h Eccli. 14. 3. c. 31. 14. Matt. 6. 23. c. 20. 15. Luc. 11. 34.
i tomo 1. adag. in 117.
k Deut. 28. 54 56.
l ibid. v. 56.
m Pr. 23. 6.
n c. 22. 9.
o 2. rhet. c. 10.

cuius Hesiodi videtur id quod Aristoteles profert.

τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσταται.

Quod enim cognatum est, etiam inuidere scit.

In oculis elucent affectus animi; sed nominatim benignitas, & ira, inuidiaque quasi eiaculatio quaedam veneni. Vitium mali oculi ex varia aliorum interpretatione accipit noster [a] Salazar pro parco aut pro illo, qui cuncta in deteriorem partem vertit, & velut obliquis oculis aspicit. Talis in proposito, qui, anno septimo remissionis appropinquante mutuum recusat dare; & quia parcus est, & quia suspicatur eum qui petit captare illud tempus, vt à debiti solutione liber esse possit. At cuius oculus bonus est ac misericors, tribuit ac miseretur in hilaritate, & simplicitate [b], non diiudicans, vel scrutans, quod saepe reprehendit Chrysostomus [c], ac peculiari quidem, hac de re sermone: admittens verò ad oculos placidos, beneuolos, columbinos & ipsa mitate mitiores, alienam miseriam, vt inde ad viscera vsque penetret, nec ea illi claudat [d] tanquam feras. Caeterum consentaneè ad hanc translationem nostram praecipitur in Ecclesiastico [e]; *fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere*, μὴ παρελκύσῃς ὀφθαλμοὺς ἐνδεοῦς, *ne protrahas oculos indigentes*; & [f]; *ab inope ne auertas oculos tuos*, ἀπὸ δεομένου μὴ ἀποστρέψῃς ὀφθαλμόν. Illud significat ne sinatur pauper diu respicere intentè in eum, à quo petit: hoc, ne is, à quo petitur, oculos ab illo auertat & despiciat; quod aliter ibidem [g] dicitur auertere faciem: cauit autem Tobias monens filium, ne illam auerteret ab vllo paupere, sic enim futurum, vt nec ab ipso auerteretur facies Dei [h]. Nihil magis ad misericordiam mouet, quàm rei miserandae aspectus, inquit Aristoteles [i]. Alexander quidem certè, visis octingentis Graecis partim caecis, claudis, senibus, aliterve miserabilibus lacrymatus praecepit eis succurri [k]; qui alioquin adeò omnem perturbationem indignè ferebat, vt tragicum, qui ad misericordiam commoueret eum, voluerit interficere [l]. Augustinus [m] monet vt praeuenias, nec expectes dum quis petat, vt curiosè ac prouidè quaeras vnde quisque viuat, &c. neque sudet eleemosyna tua, donec inuenias, in manu tua [n]. Christus praecipit, vt volenti mutuari à te (forsan prae verecundia petere non audente) non auertaris: additque [o], si mutuum dederimus his, à quibus speramus recipere, gratiam nobis non fore; quoniam & peccatores peccatoribus foenerantur, vt recipiant aequalia, idcirco mutuum dare nos debere, nihil inde sperantes, vt sit merces nostra multa, & simus filij Altissimi; qui benignus est super ingratos, & malos. Quòd negatur spes recipiendi, intellige vltra sortem; vel vt simili afficiatur beneficio: vel si contingeret aliura non posse restituere: alioqui de ratione mutui est, vt restitutio fiat; cùm non sit simplex donatio.

Nolens ei quod postulat mutuum commodare.] Breuiùs editiones aliae (*& non des ei*) quod nostra restringit ad mutuum, cùm tamen alij contractus intelligi possint, per quos debitum existat. Quòd si petens mutuum aut aliter contrahere volens, & rem alienam accipere ex contractu, reuera non egeret, non tenebatur alius dare. id benè monet Abolensis; & praeterea commodandi verbum non ita propriè

Vir mali oculi quis.
a in Pr. 23. 6.
b Romae 12. 8.
c hom. 11. in epist. ad Hebr. & 21. in epist. ad Rom & 21. in 1. ad Cor. & 37. ad pop.
d 1. Ioan. 3. 17.
e c. 4. 1.
f ibid. v. 5.
g vers. 4.
h Tob. 4. 7.
i 2. rhet. c. 8.
k Diod. li. 6.
l Plutar. 2. de fort. Alex.
m in Psal. 103. concio. 3. circa med.
n Matth. 5. 42.
o Luc. 6. 34. 35.

hic sumi quatenus significat aliquam rem alteri dare ad commodum eius vsumque, ita eadem in substantia reddatur, vt equus ad equitandum, quia iure non transfertur dominium; nec quisquam recusaret isto modo commodare vllo tempore, semperque repetere posset, etiam anno septimo remissionis, quod in vero mutuo non contingit; & satis exprimitur ab Interprete dicendo (*mutuum commodare*) quod etiam prius[a] expressum est ab omnibus editionibus. In Psalmo 36.[b] dicitur peccator mutuari; hoc est, pecuniam accipere δανείζεται, & non reddere, vbi cognosce quæ de mutuo dando reddendóque disserui: & quomodo, vt est in sacris Prouerbiis[c], *qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis*, & vicissim ex amico ferè solet inimicus euadere is qui mutuo dat, cùm repetit. Quod egregie Basilius[d] demonstrat. In Psalmo 111.[e] iucundus homo dicitur, qui miseretur & commodat: ibi dixi de propria notione verbi commodare, & mutuare: quódque aliquando confundantur. Eodem loco, vt & priore, est לוה *lauah*, *mutuare*, *seu mutuo dare*; sed in illo δανείζει, in hoc κιχρᾷν *commodo*, & *vtendum do* etiam mutuo, vt pecunias. Vasa quæ narrantur Ægyptij commodasse Hebræis[f], propriè sumpto commodandi verbo tradiderunt, animo scilicet eadem recuperandi; vbi est שאל *sciaal in hiphil*, & χράω. In cap. 23.[g] libri nostri vsurpatur commodare vt est idem quod mutuare: item apud Lucam[h]; *amice commoda mihi tres panes*: dicitur namque propriè commodare de rebus quæ possunt restitui eædem numero; mutuare mutuúmve dare de illis quæ ipso vsu consumuntur, sicut docui citato Psalmo 36. & in Scholiis theologicis ineditis.

Ne clamet contra te ad Dominum.] Non obliuiscitur Deus clamorem pauperum[i]; sed ascendit ad ipsum[k]; sicut & fraudatæ mercedis[l]: iustéque ipse clamantem non exaudit eum, qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis[m], ac efficit præterea, ne exaudiatur etiam ab aliis hominibus, cùm eos inclamans implorauerit; vt qua mensura mensus fuerit, remetiatur ei[n]. Dicuntur quoque Exodi cap. 22.[o] aduena, pupillus, vidua, si læsi fuerint, vociferaturi ad Deum, ipse autem exauditurus clamorem eorum; & apud Esaiam[p] clamor vocatur insignis iniquitas: & quam editio nostra in Iona[q] dicit malitiam ascendisse ad Deum, Græcè nominatur κραυγὴ τῆς κακίας, *clamor malitia*. Plura nos alibi de isto clamore pauperis ad Dominum, déque peccatis quæ peculiariter dicantur ad illum, nempe homicidij, sodomiæ, oppressionis pauperum (ad quam clamor huius loci redigi potest) fraudatæ, vt modò dixi, mercedis; quò ob atrocitatem & grauitatem extorqueant vindictam Dei; & vim per hæc patientes cogat vociferari si non sono vocis, certè questibus & angoribus cordis. Auctor operis imperfecti in Matthæum[r], citans ex libro Ecclesiastici[s] sub nomine Salomonis, quòd vox pauperis penetrabit nubes (Græcè προσευχὴ ταπεινοῦ, aut δέησις) & non discedet donec audiatur; ait quòd pauper quando violentiam patitur à potente, etiamsi non est ausus vociferari, sed latenter lacrymatur, tacitus clamor eius in excelso auditur: quia non magnus clamor velociter à Deo auditur, sed iustus. Augustinus[t], Gregorius[u], Remigius[x] Antisiodorensis, clamorem de peccato dici docent, quòd enim tanta sit impudentia, licentiáque, vt nullo timore, aut verecundia occultetur; quo pacto Esaias[a] quosdam, scribit peccatum suum, quorum clamorem venisse ad se dixit Deus[b], prædicasse. At ipsi Cain, qui fratricidium conabatur abscondere, idem Deus obiecit, vocem sanguinis fratris eius clamasse ad se de terra[c]. Tanta erat peccati malitia grauitásque, vt quantumuis occultaretur, non videretur diutius dissimulanda differendave illius à Deo vindicta. Communis hæc ratio cuiuis grauiori peccato traditur à Saluiano[d]. Grauis, inquit, procul dubio clamor est, qui à terris ascendit ad cœlum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet quia cœli aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccatores punire cogatur. Ostendit ergo Deus, quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens quod clamor Sodomorum ad se ascenderit. hoc est dicere; misericordia mea mihi suadet, vt parcam: sed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam. Sic ille. Meliùs loquitur & clamat sanguis[e] Christi & vindictam ingratis, & veniam recipere volentibus fructum ac pretium eius. Tantus clamor petras scidit[f], & pectora cruci astantium percussit[g], cordaque contriuit: licétque Christo aptare verba[h] Iob: *terra, ne operias sanguinem meum: nec inueniat in te latendi locum clamor meus*. vt, quod præterea scribit Gregorius[i], adeò eximium sui pro mundo sanguinis Christi beneficium lingua nostra non taceat, sed proximis innotescat.

Et fiat tibi in peccatum.] Hebraicè & Chaldaicè (*& erit in te peccatum*) Græcè additur (*magnum*, καὶ ἔσται ἐν σοὶ ἁμαρτία μεγάλη.) Quod exprimit effectum præcedentis clamoris, quem de maiore, grauioréque peccato dici docuimus. Explicat Caietanus de punitione pro peccato; ac de comminatione pœnæ, clamante necessitate pauperis ad Deum; non de ipso peccato, quod committitur ante clamorem. Idem sentit Oleaster: vel etiam vt accipiatur de peccato, sitque perinde ac si diceretur (*& peccabis*.) Sa noster declarat (*fias reus peccati*) vel (*pro peccato puniaris*.) Cornelius cum Vatablo posteriore modo per metonymiam. Vtrúmque admitti potest tum de peccato, tum de pœna: ipsummet enim peccatum clamor est, si sit graue, vt antea diximus: & peccatum pro pœna peccati non infrequenter ponitur, cuius acceptionis notauit Sa exempla[k] in indice cum isto nostro. Hoc est enim peccatum in foribus adesse si quis malè agat; reputari in peccatum Israëli: dispergi in improperium, & in maledictum, & in peccatum: imponere alicui omnia scelera sua: scelus suum portare & ignominiam, & peccatum, & iniquitatem: redimere peccata sua: peccatum esse vt non sit super aliquos imber, sed ruina, & vt percutiantur, &c. sic quoque declarant nonnulli verba Iob[l], *quid tibi proderit, si ego peccauero? &, cur[m] non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* & alia de Christo, qui tulisse dicitur peccata mundi[n]: & Deus posuisse in eo iniquitatem omnium nostrum[o]. Eodem pacto illud Bethsabee ad Dauid accipitur[p]; *erimus ego, & filius meus Salomon peccatores*, id est,

a vers. 5. 8. b vers. 21. c c. 22. 7. d ora. de diuitiis, & in Ps. 14. e vers. 5. f Exo. 12. 36. g vers. 20. h c. 11. 5. *Mutuum & commodum quid.* i Ps. 9. 13. k Exo. 2. 23. c. 3. 7. 9. l Iac. 5. 4. m Prou. 21. 13. n Matt. 7. 2. o v. 22. 23. p c. 5. 7. q c. 1. 2. r hom. 2. s c. 35. 20. 21. t in locut. in Gen. 18. c. 60 ench. c. 50. in Iob c. 30. u 5. mor. c. 7. Past. p. 3. cap. 32 & in Ps. 2 pœn. *Clamor pauperum.* x in Ionæ 1.

a c. 3. 9. b Gen. 18. 20. c c. 4. 10. d 1. de prouid. e Hebr. 12. 24. f Matt. 27. 51. g Luc. 23. 48. h c. 16. 18. i 13. moral. c. 14. *Peccatum pro peccati pœna.* k Gen. 4. 7. 1. Par. 21. 3. Baruch 3. 8. Ezech. 5. 8. c 16. 58. 23. 49. Dan. 4. 24. Zach. 14. 19. l c. 35. 3 m c. 7. 21. n Ioan. 1. 29. o Esa. 53. 6. p 3. Reg. 1. 21.

id est, videbimur peccasse aliquod contra te, cùm priuabimur regno; seu regno priuabimur, quia peccasse videbimur.

Sed dabis ei.] In editionibus aliis (*dans dabis ei*) aut iuxta Græcos codices Complutenses, ac Regios (*distribuens dabis*, μεταδιδὼν δώσεις) correcti namque Sixtini habent simplex δώσεις. Geminatio autem denorat omnino dandum fuisse. Additur Græcè ... *& fœnus fœnerabis ei quantum postulat, secundum quod egebit.* Sed in codicibus Complutensibus, Regiisque secundo loco ... *quodcunque rogauerit te.* Ex versu 8. repetita sunt.

Nec ages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuandis.] Interpres phrasim auxit, addendo subleuationem necessitatum, pro eo quòd editiones aliæ habent dumtaxat verbum dandi: quod autem versu priore dicebatur, vt non auerteret oculos, & secundum dictas alias editiones, ne malignaretur cor oculúsve secundùm Græcam; hic eodem quidem pacto repetitur Hebraicè, atque Chaldaicè: nostra verò editio exposuit per callidè agere; Græca (*& non tristaberis corde tuo, dante te illi*, ...) Poterat etiam verti Græcè sicut hic (*ne oculus tristaretur super fratre*) quod ibi est, *ne malignetur*, hoc est, ne se præberet tristem; quoniam ex tristitia oritur, vt malignus sit, siue vt parcus, & immisericors. Et quod Hebraicè, Chaldaicéque vtroque loco dicitur cor malignari, explicari potest, malè affectum esse, ac triste: ideóque minimè dispositum ac benignè faciendum. Quia verò etiam cor triste illius, qui ægrè ac inuitus aliquid facit, vel concedit, excogitat callidè causas & rationes, quibus videatur iustè recusare; propterea Interpres callidè agere declarauit, dicendo se non posse tunc succurrere; fingendo se nō percipere quid petatur. Caietanus, legens ex Hebræo (*& non malignabitur cor tuum in dare tuo ei*) dicénsque momentum priùs esse, vt non malignaretur ad negandum; hic ad mutuandum; explicat vt non aliquamala intentione quis mutuet, vt sæpe, inquit, fit, exempli causa, ad vendum obsequiis pauperis, ad munera habenda, ad vxorem fortè violandam, &c. Probabile id est, notauitque antea Abulensis. Huc autem accommodatur falsum sensu aptari posset locus Prouerbiorum [a]: *callidus vidit malum* (proximi egestatem) *& abscondit se* (tergiuersatur, simulat, dissimulat, excusat) *ne illi succurrat.* Sed tales simulatores & callidi prouocant iram Dei; neque clamabunt cùm vincti fuerint [b], hoc est, simili necessitate pressi, conscijque crudelitatis propriæ, nō clamabunt vt implorent alienam opem. Quod Apostolos [c] ait tribuere in simplicitate; quamuis exposuerim aliquando [d] liberaliter & affluenter, sicut & apud Iacobum [e] dicitur Deus omnibus affluenter ἁπλῶς, *simpliciter*: quod perperam in nobis reprehendit vt fictum quidam Sapientiæ recens [f] Enarrator: tamen ad rem præsentem facit alia notio, vt distributio fiat bona fide ac sine personarum acceptione. Illud autem est S. Chrysostomi [g], ... *qui tribuit in simplicitate: non enim sufficit dare, sed oportet & largiter hoc facere* ... *Simpli-*

a c. 22. 3.
b Iob 35. 13.
c Rom. 12. 8. 2. Cor. 8.
d in Sap. c. 1.
e cap. 1.
f Cornel. ib.
g hom. 20. in epist. ad Rom.

citatem enim istud esse nouit vbicumque fiat; quemadmodum & virgines illæ oleum quidem habebant: quoniam verò quod sufficeret non habebant, in vniuersum exciderunt. Eodem pacto Græci alij. Callidè itaque agere censetur in aliorum necessitatibus, & non in simplicitate, cùm aut denegat, aut minus dat, simulans sibi non suppetere vt det, vel plus det.

Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore.] In Biblijs Complutensibus, & Regijs (*in omni opere*) quod etiam congruit textui editionum aliarum; vt mirer quomodo irrepserit ea lectio in codices emendatos. Secundum reliquas editiones (*quia propter verbum hoc*, id est, rem, *benedicet tibi Dominus tuus in omni opere tuo, vel in omnibus operibus tuis.*) Sic ferè versu 4. & in fine capitis præcedentis, vbi sunt etiam verba sequentibus affinia, significatúrque multiplicatio bonorum temporalium, quæ tunc fiebant ab Hebræis; vnà tamen cum præmio vitæ æternæ, si fierent opera illa ex caritate, quibus eam deberi de congruo impropriè scribit Abulensis: debetur enim de condigno; temporale verò præmium de congruo; quia inter opera caritatis & augmentum gratiæ, ac æternæ vitæ præmium est conueniens proportio, qualem non habet actus caritatis cum bono temporali; quod etiam bonum temporale non semper conducit ad salutem, ad quam actus ille per se ordinatur.

Et in cunctis ad quæ manum miseris.] (*Manum tuam*) cum affixo pronomine habet editio Hebræa, Chaldæaque; Græca absolutum ... Verba extrema capitis præcedentis sunt (*vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.* Mittere manum ad aliquid, est id aggredi; vt mittere manum ad fortia [a]. Ex hac autem formula colligit rectè Abulensis esse per se sermonem hic de præmio temporali, & de fœlici successu negotiorum operúmve, quæ ferè manu tractantur atque perficiuntur.

Mittere manum ad aliquid, idē quod id aggredi.
a Prou. 31. 10.

Vers. 11.] Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.

NE quis putet in tanta prosperitate terræ promissionis adeò feracis & frugiferæ, defuturam occasionem seruandi legem de subleuandis aliorum necessitatibus: aut, ne, quod antea dictum est, mendicum & indigentem non futurum inter Hebræos, repugnare videretur eidem modò dictæ legi, repetit Moses, & inculcat succurrendum esse vel per mutuum, vel alia ratione, patientibus penuriam; quia numquam deerunt tales, in quos exerceri pium id opus valeat, debeátque. Nam videlicet aut exiget iustitia, vt aliqui ob sua peccata sic plectantur; aut pro conditione humanarum rerum, licèt in commune populus totus prosperè agat, quamdiu obediet Deo: fieri ac vix ac ne vix quidem potest, quin particulares nonnulli citra etiam culpam suam, redigantur interdum ad paupertatem. Quocirca generalis antea [b] promissio fuit, non futurum indigentem & mendicum inter Hebræos: vel monitum, vt curarent Hebræi, ne quis eo necessitatis deueniret; quòd si contingeret, efficerent vt ei

PARAPHR.
b vers. 4.

quàm primùm & accuratè occurreretur: quemadmodum ſuperiore illo loco demonſtrauimus eſt. Videri poſſet Chriſtus hæc reſpexiſſe; cùm dixit [a]; *ſemper pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis poteſtis illis benefacere.* Sed & problema eſt, Vtrùm præſtet, vnum in locum pauperes cogere, iiſque ibi proſpicere; an ſinere vt per publica loca ſtipem corrogent. Sed hac de re nonnihil dixi cap. 3. [b] actuum Apoſtolorum. Chryſoſtomus [c] non dubitat vtiliores mendicos affirmare quàm ſeipſum dum ad fores ſedent Eccleſiæ per ſilentium & aſpectum. Vtcúmque id ſit, diuinæ prouidentiæ ſingulare opus eſt, quamuis poſſet ipſe ſuppeditare neceſſaria omnibus, locupletum opera inopes adiuuare, ad præbendam virtutum diuerſarum vtrique hominum generi materiam. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi; vtriuſque operator eſt Dominus* [d]: *pauperem facit, & ditat* [e]: *vector eſt pauper & laturarius* ſeu *lator opum diuitis in cœlum*, loquuntur Auguſtinus [f], Chryſologus [g], Baſilius [h]. Tandem ex verbo præcipiendi quod hîc habetur, confirmari poteſt obligatio ſubleuandi egentes, vel donatione liberali; vel certè opportuna. Stoicos meritò Lactantius [i] arguit reponentes inter animi vitioſos morbos miſericordiam: quæ videtur Stoici [k] Senecæ opinio, non item Ciceronis, vt ei aſcribit idem Lactantius [l] (oppoſitum enim tradit [m], Auguſtino [n] etiam teſte illud idem aſſerente de Stoicis) dum deteſtandam Plauti meritò ſententiam illam vocat.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat:
Nam & illud quod dat, perit:
Et illi producit vitam ad miſeriam.

Cùm tamen idem Comicus aſſerat [o], quod

——— ordine vt æquum 'ſt
Tractare homines: hoc Dis dignum 'ſt ſemper mendicis modeſtis ſunt.

Præceptum & iuſſionem hac de re diuinam, iúſque etiam naturæ, disertè agnoſcit Aquinas [p], Cyprianus [q], Nazianzenus [r], Chryſoſtomus [s], Auguſtinus [t]. Quæ perſonæ ac ſtatui ſuperſunt largienda extrema laborantibus neceſſitate, nullus negat; ac non pauci [u] negant retineri poſſe ſuperflua ſine peccato, idque Patres non obſcurè præ ſe ferunt Leo [x], Gregorius [y], Ambroſius [z], Auguſtinus [aa], Hieronymus [bb], Baſilius [cc], Chryſoſtomus [dd]. Quod autem ſcribit Apoſtolus [ee]; *conſilium in hoc do*, &c. *in præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat*, intelligit de Corinthiis reſpectu Hieroſolymitanorum, à quibus cùm longiùs diſtarent, non ſentiebat obligari præcepto eleemoſynæ ad eos tranſmittendæ. Accedit, quòd Paulus imperare ſe nolle cùm ſcribit, ſed conſilium dare (quia dicitur etiam loco illo γνώμη rata & certa ſententia) non ſignificauit eſſe dumtaxat conſilium de eleemoſyna vt opponitur præcepto; ſed hortando & rogando plus profuturum exiſtimauit. Quo pacto Daniel conſilium regi dans vt peccata ſua eleemoſynis redimeret, & iniquitates ſuas miſericordiis pauperum, non ſequitur non debuiſſe regem illas facere tum ex præcepto locis multis Scripturarum expreſſo, tum ex ipſa lege naturali. Nec verò etiam erat Dei præceptum, vt darent Corinthij pro ratione facultatum ſic abundanter, quemadmodum fecerant Macedones, quorum eos prouocabat exemplo. Sed nec habebant omnes ſuperflua, cùm ex omnibus tamen collecta fieret in ſubſidium pauperum fidelium qui erant Hieroſolymis. Vnde idem Paulus præcepti ſui mentionem facit, ſcribens iiſdem Corinthiis [a]; *de collectis quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui* (διέταξα, פקדתי pakdeth, *præcepi*) *Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* Ad Romanos [b] quoque ſcribens ait; *Probauerunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalem: placuit enim eis, & debitores ſunt eorum*; nempe non debito ſolùm caritatis, miſericordiæve, ſed etiam quodammodo iuſtitiæ. Vndecúmque porrò generaliter loquendo naſcatur debitum eleemoſynam faciendi ſeu ex caritate, ſeu ex iuſtitia, perinde eſt ad æternam ſalutem vel amittendam, vel conſequendam. Si quis fortè contendere velit, inquit noſter Bellarminus [c] piæ memoriæ, ex rigore iuris non eſſe ſuperuacanea danda pauperibus: tamen negare non poterit ſaltem ex caritate id eſſe faciendum. Parum autem refert, vtrùm quis ex defectu iuſtitiæ, aut defectu caritatis in gehennam deſcendat.

Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ] Particula cauſalis præcedit in editionibus aliis (כי *chi*, אף *are*, ὅτι *quia*, vel *non enim.*) Vt intelligant non defore occaſionem implendi præcepti de mutuando; quamuis antea [d] promiſſum ſit non fore indigentem & mendicum inter Hebræos; aut monitum, vt curarent ne eſſet. Eſt autem & hîc ſicut ibi, nomen idem numeri ſingularis אביון *ebion*, ſiue *ebion*, & ἐνδεής, pro quo ibi editio noſtra nominibus duobus vtitur, indigentis, & mendici. Denique pro terra habitationis, terræ medium ſolùm habent editiones reliquæ.

Idcirco ego præcipio tibi.] Addit qui tranſtulit ex Chaldæo (*hodie*) quod tamen in ipſo textu non extat. Græcè διὰ τοῦτο ἐγώ σοι ἐντέλλομαι ποιεῖν τὸ ῥῆμα τοῦτο, λέγων, *propter hoc ego tibi præcipio facere verbum hoc, dicens.* Quod vltimum habet etiam editio Hebræa & Chaldæa. Præcipiebat Moſes Dei nomine ac auctoritate; ſæpiúſque in hoc libro de ſeipſo ita loquentem vidimus; cùm in aliis potiùs interponere ſoleat nomen. Quia verò præceptum hoc non eſt ceremoniale aut iudiciale, ſed morale ac fundatum in ipſomet lumine iuréque naturali, ſequitur eodem nos etiam obligari, & de eleemoſyna eſſe præceptum non conſilium dumtaxat, vt antea quoque monui. Nam in tempore neceſſitatis mutuo dare ad miſericordiam poteſt pertinere, atque ad quoddam genus eleemoſynæ; non tantùm liberaliter abſolutéque donare.

Vt aperias manum.] Iuxta editiones reliquas *aperiendo*, aut *aperiens manum* vel *manus tuas*, τὰς χεῖράς σου. Id eſt, vide, vt omnino aperias ambas manus, & abundè ſatisfacias neceſſitati alterius.

Fratri tuo egeno & pauperi.] Fruſtrà ex Chaldæo tranſlatio vſurpat pluralem numerum fratrum, pauperum, egenorum; quia eius linguæ ſingularia nomina ſunt hîc: habet verò eadem & Hebræa pronomen affixum ad nomen fratris, pauperis, egeni, quod non caret emphaſi & commendatione perſonæ, quæ alium attingit velut propria & coniuncta. Cùm autem hactenus Hebræum nomen ſolum אביון *ebion* ſeu *ebion*, & Chaldæum מסכנא *miſkena* occurrerit, adiicitur hîc עני *hhoni*, cui ſimile eſt Chaldæum: Græca ſunt πένης & ἐνδεής: Latina in præcedentibus

Marginal notes (left column): a Matth. 26. 11 Marci 14. 7. Ioan. 12. 8. — b verſ. 2. — c hom. 30. in ep. 2. ad Cor. — d Pr. 22. 2. — e 1. Reg. 2. 7. — f ſer. 50. de temp. — g ſer. 7 & 8. — h hom. 23. ex variis. — i lib. 6. c. 14. — k 2. de clemen. c. 5. — l li. 6. c. 11. — m ora. pro Q. Liga. — n 9. de ciu. c. 5. — o in Trinummo actu 4. ſce. 1. — p 4. d. 15. q. 2. a. 1. & 4. & 2. 2. q. 66. a. 7. q. 87. a. 2. ad 4. — q de oper. & eleemoſ. — r ora. de amore pauperum. — s in epiſt. ad Epheſ. hom. 4. — t ſerm. 50. de temp. — u apud Aquin. ſup. & 2. 2. q. 118. a. 4. ad 2. & quodli. 6. a. 2. — x ſerm. 5. de collect. & ſer. 5. de ieiun. decimi menſis. — y 3. p. Paſt. c. 22. — z ſerm. 81. — aa in Pſ. 147. li. 50. hom. ia 8. tract. 5. in Ioan. — bb epiſt. ad Hedibiam q. 1. & apud Gratia. d. 92. §. hoſpitalem. — cc hom. in deſtruam horrea mea. — dd hom. 34. ad pop. — ee 2. Cor. 8. 10. & ſeqq.

Marginal notes (right column): a 1. Cor. 16. 1. — b c. 15. ad 27. — c 1. de arte benè moriendi c. 9. — Explanatio. — d verſ. 4.

bus indigens, mendicus, ad paupertatem deueniens, pauper, eiusdem omnia significationis, licèt nonnullum discrimen status posset; de quo alibi non semel.

Qui tecum versatur in terra.] Editiones aliæ solùm habent (*fratri tuo egeno, & pauperi in terra tua.*) In c.12.[a] (*in omni tempore quo versaris in terra*) Hebraicè, Chaldaicéque (*omnibus diebus tuis super terram tuam*) Græcè (*omni tempore quo vixeris in terra, πάντα τὸν χρόνον ὃν ἂν ζῇς ἐπὶ τῆς γῆς.*)

a v.19.

---

*Vers.*12.] Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum:

*Vers.*13.] Et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris:

*Vers.*14.] Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

Paraphr.

HÆc est secunda præcipua pars capitis de libertate concedenda seruis vtriusuis sexus ea Hebræis originariis in septimo anno, si ea vti vellent: proselytis namque istius legis priuilegium non competebat, vt præcipitur in Leuitici c.25.[b] vbi est; *Et de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, & hereditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres enim vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.* Igitur si quis genere Hebræus esset Hebræi seruus per venditionem suimetipsius propter necessitatem siue inopiam, anno septimo remissionis liber dimitti debebat, ita vt vltra sex annos non teneretur seruire: & si fortè contigisset incoari seruitutem anno vno aut altero, immò non multò ante dictum annum (sed iuxta æstimationem temporis maioris minorísve, pretij quoque fiebat æstimatio, sicut & in possessionibus, quæ remittebantur in iubilæo[c]) libertas ei concedenda esset. In qua libertate includebatur, inquit Abulensis, vt ei non imputarentur damna, vel negligentiæ, vel sumptus facti circa ipsum; quia cùm seruus sit quid domini sui; eiusmodi res non separantur ab illo, sed non aliter æstimantur, quàm si dominus sibimet huiuscemodi damna intulisset. Præterea cùm seruus ille dimittebatur liber, oportebat vt dominus in signum liberæ dimissionis, quòd grata præcedens seruitus sibi fuisset, cùm etiam tempore seruitutis acquisita fortè à seruo, non serui, sed domini essent, aliquo munere seruum afficeret, velut viatici nomine, si viæ is dare se vellet, hoc est, cibos ad vitam tolerandam, ex animalibus quorum esus foret in vsu, qualia sunt gregum animalia; item ex pane & vino, quæ per aream torculárque intelliguntur. In Exodo[d] summa istius præcepti habetur his verbis. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi; in septimo egredietur liber gratis.* Repetitur autem hîc, ad addendum, seu declarandum, inquit Caietanus, idem de Hebræa, quòd ibi decretum est de Hebræo. Communi opinioni de septimo anno remissionis (qui apud Hebræos numerandi modus per septenarios vsitatus erat, sicut apud alios olympiadum, lustrorum, indictionum) contrarius est Augustinus[a] & Rabanus, docentes quòd hos emptos non anno remissionis remitti voluit, quem septimũ quemque obseruari oportebat ab omnibus, sed anno septimo emptionis eius, quotocumque anno illorum septimus iste annus occurreret. Immò opposita ratio ei quæ mouit Augustinum, traditur ab aliis; quia remissionis annus status erat & communis omnibus. Inde præterea sequeretur seruitutem esse debuisse sex annorum. Infert citatus Augustinus, scribens in Exodum[b] (quem hoc loco transcribit Rabanus) Christianis non repugnare vt seruiant; & ne serui Christiani dimitti flagitarent à dominis suis, Apostolicam[c] auctoritatem iubere seruos dominis suis esse subiectos, ne doctrina & nomen Dei blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat mysterio præceptum, quia, inquit, & pertundi subula eius aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem illam recusaret. Mysticè Isidorus, Beda, Rabanus in Exodi cap.21. docent in sex ætatibus huius sæculi seruientes in septimo die æterno sabbato liberari: si tamen velimus esse liberi, dum adhuc in sæculo seruimus peccato: si autem nolimus, perforari auriculam in signum inobedientiæ: & cum vxore ac filiis nostris, quos prætulimus libertati, id est, cum carne & operibus eius, iugiter peccati seruos futuros in æternum. Sumpta sunt ista ex Hieronymo[d]. Addit Beda per hunc seruum designari posse vniuersum genus humanum, quod in septimo anno, id est, in requie noui Testamenti, liberatum est. Procopius hoc loco ait quòd ante Saluatoris aduentum legi seruitutis Israël astrictus atque sub disciplina erat: postremis temporibus, cùm humanitatem asciuisset, seruitutis spiritus est sublatus, spontéque & gratis in filios sunt adoptati: & fidei viatico accepto victimam nostri gratia mactatam: frumentum item & vinum carnis & sanguinis data, & per ipsa libertatem æternam, quæ anno septimo, id est, in consummatione mundi perficietur, nimirum, vt interpretor, quantum ad corporis immortalitatem. Videntur hæc petita ex Cyrillo[e] Alexandrino; quod sæpe deprehendi factum à Procopio. Gregorius[f] Hebræum, cuius etymon transitor, vt seruum emi considerat, quando qui iam ab hoc sæculo mente transit, seruitio Dei subditur: senario qui seruit, denotari perfectionem actiuæ vitæ, per quam ad contemplatiuæ vitæ, tanquam in anno septimo, peruenit libertatem: gratis id fieri, quia cùm is omnia fecerit, seruum se reputat inutilem[g], & sicut actiua vita fuit ex mercede, ita erit contemplatiua ex gratia: cum quali veste intrauit exire (quod in Exodo[h] præcipitur) si perseueret in eo quod cœpit, & cum eadem intentione: cum vxore egredi, quando non relinquit actionem qua prosit aliis: seruo empto dari vxorem à domino, cùm prædicator bonæ actioni eum coniungit, vnde filij operum bonorum existunt reputati prædicatori in meritum; egreditur autem seruus liber cum sua veste, id est, eadem intentione perdurans, ad contemplationem: remanet, quando actiuam vitam amat: dominus verò eum applicat diis imbuendo antiquorum patrum dictis; ad ostium & postea tabernaculi, vt de ingressu tabernaculi æterni aliquid audiat, & diem iudicij considerans, caueat in bonis operibus appetitum placendi hominibus; quæ est perforatio auris: tandem sit seruus in sæcula, vt esse

b v.44. & seqq.

c Leuit.25. 49.& seqq.

d c.21.2.

a q.22.

b q.77.

c Ephes.6. 5.

Interpretatio mystica.

d 2.cont. Iouin.

e in collecta ex Exa. c 20.

f hom.3. in Ezech.

g Lucæ 17. 10.

h c.21.3.

post seculum liber possit, ac liberari à seruitute corruptionis [a]. Ambrosius [b] ostendens in vniuersum vmbram futurorum fuisse in lege, ponit inter alia exempla sanctificatam libertatem in sabbato, id est, in anno septimo postquam seruisset Hebræus sex annis. Cyrillus [c] Alex. morali sensu scribit, quòd cuilibet in actione versanti instar pueri & puellæ eiusdem generis laborant ratio & cogitatio actuum implentes philosophiam, quam ostendit numerus sex annorum, accedente impatibilitate per annum septimum significata, & redeuntes liberi à corporeis modis, ad contemplationem eorum quæ cadunt sub intelligentiam: alienigenam puerum puellámque esse iram & cupiditatem subiectas à mente contemplatiua, nec libertatem concedente, donec lege spiritus deuoretur lex naturæ tanquam mors à vita, quando ira transmutabitur in feruorem spiritualem furorémque moderatum; cupiditas in diuinum amorem & voluptatem quæ non potest pollui & contaminari. Ephrem [d] recitato integro hoc præcepto; *Monache*, inquit, *renunciasti vitæ mundanæ: emissus es liber: Christus te libertate donauit: noli amplius diligere seruitutem vanissimi seculi, vt non fiant nouissima tua peiora primis. Verum seruiamus ei, qui libertate nos donauit, Christo.* Origenes [e] considerans Ægyptios omnes, premente fame, in seruitutem facilè redactos à Pharaone; Hebræos per violentiam; rationémque dans, quia sunt Ægyptij ad vitam degenerem procliues, vt pote orti ex Chanaan; & in omnem vitiorum famulatum citò decidunt: Hebræi, non nisi coacti seruiunt, ideóque liberati sunt de domo seruitutis; vtens item huius loci præcepto, ne perpetua sit horum seruitus; transfert ad mores. *Seruire Ægyptiis*, inquit, *nihil aliud est quàm obnoxium fieri carnalibus vitiis, & dæmonibus esse subiectum: in quod non cogit necessitas; sed segnities animi, libidoque corporis, cui se ille subdit, inducit. Qui libertatis animæ curam, & dignitatis eius, cælesti cogitatione, gerit, ex filiis Israel est: ac licèt violenter opprimatur ad tempus, non in perpetuum libertatem perdit, non fit seruus peccati, liberatus à veritate* [f]. In libro Leuitici [g] plura dixi de literali mysticóque sensu.

a Rom. 8. 21.
b in ps. 118 octon. 5.
c in collect. ex Exod. c. 30. & ex Deut. 7. c. 1. & de ador. l. 7.
d tomo 2. doct. de humil. c. 25.
e hom. 16. in Gen.
Seruire Ægyptiis quid.
f Ioan. 8. 32.
g in c. 25.

Explanatio.

Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa.] Chaldaicè (*filius Israel, aut filia Israel.*) Hebræum transitorem rectè interpretatur citatus Gregorius; de quo nomine alibi dictum est. In Exodo [h] præceptum hoc idem non nominat Hebræam: comprehendi tamen solet sub masculino sexus fœmininus: licèt ad maiorem expressionem notauerit Caietanus, vt dixi, hoc loco repeti propter Hebræam. Omnes Hebræi fratres inter se dicuntur, quia generis eiusdem: alio modo illi qui natura sunt tales, vt Iacob & Esau: tertio cognatione, vt Lot dicitur frater Abrahæ, quia filius fratris eius Aram: tandem affectu vel spirituali, vt omnes Christiani; vel communi, vt omnes homines. Distinctio est Hieronymi [i], quẽ sequitur citátque [k] Concilium Francofordiense. Apud Ieremiam [l], *vt dimitteret vnusquisque seruum suum, & vnusquisque ancillam suam Hebræum & Hebræam liberos: & nequaquam dominarentur eis*, id est, in Iudæo, & fratre suo. Erant Iudæi auari atque crudeles; nec præcepto de libertate seruis impertienda parebant. Cæterùm venditio fiebat vel cùm quis ad paupertatem seipsum vendebat [m], vel cùm iudex id faciebat, eo quòd venditus non esset soluendo [n]; vel si herus alteri venderet: vel etiam parentes [o].

h c. 21. 2.
Hebræi omnes inter se fratres dicti.
i con. Heluid.
k epist. ad Episcopos Hisp.
l c. 34. 9.
Iudæi auari & crudeles.
m Leu. 25. 39.
n Exod. 22. 3.
o c. 21. 7.

Et sex annis seruierit tibi.] Secundùm editionem Græcam absque coniunctione *δουλεύσει*, *seruiet*: vt etiam legit Ambrosius [a]. Vtrouis modo legas, negatiuè interpretare cum Abulense, vt vltra sex annos non teneretur seruire; cùm posset aliquando tempore minore, vt si venderetur vno anno ante annum remissionis. Negari tamen non potest, quin ipsa phrasis præ se ferat seruitutem sex annorum, quæ placuit Augustino, & Rabano, iudicatúrque ab Ambrosio, eiusque obiter meminit Lipomanus in Exodo. Rickelius [b] triplicem refert sententiam; si Hebræus emeret seu redimeret Hebræum iam venditum gentili in seruum, seruiret vsque ad initium septimi anni, id est, iubilæi, quia nolebat Deus vendi Hebræos in seruos perpetuos: vel si emeret Hebræum qui antè seruus non fuisset, ad hoc vt esset seruus, seruiret sex annis, seu seruire teneretur, si viueret per tot annos, nisi interueniret Iubilæus; non quidem magnus quinquagesimi anni, sed septimus remissionis: vel si emeret seruum Hebræum ab Hebræo; siue quæcumque emptio foret, fieret ab ipsis iudicibus Hebræis, qui Hebræum de furto conuictum, nec habentem vnde restitueret, vendi iussissent, ad faciendam restitutionem; siue ob nimiam paupertatem vendidisset ipsemet se Hebræus; siue dominus Hebræus, seruo suo Hebræo non amplius indigens, venderet eum alteri Hebræo, quantum ad tempus restans vsque ad septimum annum remissionis.

a supra.
b in Exod. 21.

In septimo anno dimittes eum liberum.] (*A te*) addunt editiones aliæ in fine. In Exodi cap. 21. [c] (*in septimo egredietur liber gratis.*) Vtrobique est nomen Hebræum חפשי *chophsci* significans & liberum & solitarium: solet verò liber manere in domo per se ac seorsum; seruus in domini domo. Gratis egrediebatur, quia nihil pro sua libertate donare tenebatur anno illo septimo remissionis; nec imputabantur ei damna si qua domino intulisset ex negligentia, vel aliter, vt dictum est.

c v. 2.

Et quem libertate donaueris.] Vetti pnuit (*& cùm dimiseris eum liberum*,) nec accipitur hîc donare libertate propriè, vt notat Abulensis; debebatur enim hæc dimissio in anno remissionis septimo per legem, ante illud verò tempus si quis dimisisset, diceretur propriè donasse libertate; quod sub metaphora videtur indicari à Salomone [d]; *qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est domini sui, glorificabitur*; nempe libertatem ab eo adeptus, quæ iucundissima res est; & quidem velut præcocem ficum, ante constitutum tempus. Addi decet ex Exodo [e], vt cum quali veste intrauerit, cum tali exeat (quod hebraizantes non ita rectè reddunt *si cum corpore*, id est, solus ac solutus, siue absque vxore,) hoc est, non nudus, aut cum lacera veste, sed honesta: præterea vt cum vxore ac liberis, si habuerat prius: si enim acceperat vxorem à suo domino, & inde filios susceperat, penes dominum remanere debebant, ipse verò liber exire poterat soluto sic nimirum matrimonio. Quo ritu manumissio apud Hebræos fieret, non satis liquet. De ritu Romano legendus in institut. titulus de libertinis, & in C. de libertate Latina tollenda, & in D. tit. de manumissis. Collegit autem modos & formulas ex variis auctoribus Ioannes [f] Rosinus; aut si seruos domino consentiente iubentéve, nomen suum detulisset in censum: aut virga in caput imposita (quæ vindicta dicebatur à Prætore) in libertatem vindicaretur: aut à domino liber, testamento relinqueretur: únctque, raso capite, pileum gestare

d Prou. 27. 18.
e c. 21. 3. 4.
f 1. antiq. Rom. c. 20.
Ritus manumittendi apud Romanos.

gestare mos fuit, vnde fluxisse aiunt, vt accipiant pileum, qui magistri doctorisve titulo decoratur. Alij tres modi, quos naturales vocant Iurisconsulti, sed minoris libertatis, quique titulum darent Iunianorum Latinorum, ex lege Iunia Norbana, non verò ciuium Romanorum, erant inter amicos, per mensam, per epistolam. Legendus item cum Tiraquello scholiaste Alexander [a] ab Alex. & noster Bobadilla [b], & Azor [c].

Nequaquam vacuum abire patieris.] Promisit Deus Hebræis non exituros ex Ægypto vacuos [d], vbi nimirum tamdiu seruierant: Booz Ruth vacuam dimittere noluit [e]: auctor Ecclesiastici [f] præcipit, vt propter mandatum assumatur pauper, & propter inopiam eius ne dimittatur vacuus. Iacob conquestus est, quòd parum abfuerit, quin post tot annorum laborem, à socero nudus dimitteretur [g], ריקם *rekam*, & κενὸν *vacuum*, sicut hic, seu *inanis*.

Sed dabis viaticum.] Hebraicè (הַעֲנֵיק תַּעֲנִיק לוֹ *habhanek tha hhanek lo*, *torquem dando torquem dabis*: vel, *onerando onerabis*; vel, *circumdando circumdabis eum*, vel, *suspendendo suspendes*; nempe ad collum eius. Est enim עֲנָק *hhanak* torquis, vnde עֲנָקִים *hhanakim* gigantes, quasi torquati, de quibus cap. 1. [h] egimus, Chaldaicè (*separans separabis ei*, אַפְרָשָׁא תַּפְרֵישׁ לֵיהּ *aphrascha thaphresch leh*) Græcè ἐφόδιον ἐφοδιάσεις αὐτόν, *viaticum viaticabis eum*, aut *suppeditabis ei*. Iterùm duntaxat extat viatici vocabulum in libro Iosue [i], pro quo est in aliis editionibus cibus צֵידָה *tsaid* ἐπισιτισμός. Gellius [k] magnum viaticum dici scribit pro magna facultate, & paratu magno, sed nouè positum, Græcorum imitatione, qui ἐφόδιον sumptum viæ, ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac sæpe ἐφόδιον (melius ἐφοδίασον) pro eo dicunt quod est, instrue & instrue. Igitur propriè viaticum cibus est, vel pecunia, quam iter faciens circumfert. Viaticam etiam vocant [l] cœnam quæ datur abituro; & viaticari [m] alimenta comportare ad iter: & viaticulum diminutiuè [n]. Acutè Sidonius [o] nihil viatico leui grauius esse dixit, hoc est, nimis parcis alimentis, præsertim pueris, de qua ætate ille loquitur: testatúrque præterea Cornelius [p] Celsus, Hieronymus [q], & alij. Significat interdum tamen & viaticum & ἐφόδιον, ipsummet peculium, seu facultates militis: vt quando Suetonius [r] narrat, quòd ingresso ciuile bellum Iulio Cæsari centuriones cuiusque legionis singulos equites è viatico suo obtulerunt; & vniuersi milites gratuitam, & sine frumento stipendióque operam, cùm tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent; Horatius [s] item

Luculli miles, ait, collecta viatica multis
Ærumnis.

Vlpianus [t] verò filiifamilias viaticum dixit. Budæus [u] definit ἐφόδιον τὸ τῆς ὁδοῦ ἀνάλωμα, *viæ sumptum*: ἐφοδιάζειν, *ad viam instruere, & viatico donare*, proferens ex Herodoto [x] τούτους Λυδαίους πάντας ἀποπέμψαντες ἐφοδιάσαντες ἐς τὰς Ἀθήνας, *hos dimittentes, deducunt omnes viatico donantes versus Athenas*: præterea ex Basilio, vsurpante pro eo quod est censu & facultatibus immodicis, quasi viatico vitæ, munire: & ἐφοδιάζεσθαι, vt significat viaticari, viatico donari, viaticum sumere vel decipere: ad hæc ex Xenophonte [y], ἐφόδια πράττεσθαι, *viaticum exigere à nauigantibus*. Tritum porrò satis vsum ea Eucharistiæ cognominibus epithetisve, vt ἐφόδιον ac viaticum appellent. Nyssena [z] quidem Synodus decernit, vt ἐξοδεύοντες *vita excedentes vltimo, & maximè necessario viatico*, τοῦ τελευ-

---

[a] l. 4. c. 10.
[b] to. 1. hor. subsec. l. 10. c. 21.
[c] to. 2. inst. mor. p. 2. l. 2. c. 33.
[d] Exod. 3. 21.
[e] Ruth 3. 17.
[f] c. 29. 12.
[g] Gen. 31. 42.
[h] v. 28.
[i] c. 9. 5.
[k] l. 17. c. 2. Viaticum quid.
[l] Plaut. in Bacch.
[m] Idem in Menæchm. act. 2. sc.
[n] Apul. 7. de asino aur.
[o] Sido. Apo. l. 9. ep. 10.
[o] l. 7. epist. in 2.
[p] l. 1. c. 3.
[q] ad Lætam.
[r] in Iul. Cæs. c. 68.
[s] l. 2. ep. 2.
[t] l. 57. D. de reb. credit.
[u] comment. ling. Græc. pag. 719.
[x] in Cailio.
[y] 1. Hellen.
[z] Can. 13. & refertur 26. q. 6. c. debit.

ταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου, *ne priuentur*, μὴ ἀποστερεῖσθαι. Atque vt omittam alia Concilia Carthag. IV. [a] Ancyranum, Toletanum XI. [b] Agathense [c], Arausicanum [d], Arelatense II. [e] Aurelianense III. [f] Franciscus [g] Turrianus noster eiusdem rationem nominis colligit & confirmat ex Pauli [h] verbis; *habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen*, id est, carnem suam, *& sacerdotem magnum super domum Dei*, &c. viam viuentem factum Christum ait ad ingrediendum in cœlum per velamen, id est, per carnem suam, in qua tanquàm sub velo latebat diuinitas; & nouam dici, quia noui Testamenti est. Citat liturgiam Iacobi, in qua extant eadem verba; Theodoreti [i] quoque ac Aquinatis [k] expositionem, necnon Nicolai [l] Villagagnonis: meminerúntque in epistolam ad Hebræos Ludouicus Tenas, & noster Iustinianus. Addit Turrianus, appositè ad vim, quam habet Eucharistia, vsum viæ vocabulo Paulum; quia Græcè antiqui Patres ἐφόδιον Latinè viaticum, vocare consueuerunt; quòd hoc cibo nutriamur & roboremur, ad ambulandum viam spiritualem, vsque ad montem Sion cœlestem; & per hoc sacrificium laudis victimámve illius, illic iter sit, seu via qua ostenditur salutare Dei [m]. His adiungit Ioannes [n] Stephanus Durantus, cibum esse itinerarium & corporum & animorum nedum in via huius vitæ, in qua post huius viatici manducationem plerique sine alio cibo diutissimè vixerint (quod exemplis probat quibus plura possunt addi apud Antonium [o] Dauroltium:) sed maximè in illo formidoloso itinere, cùm ex vinculis corporis tanquam ex carcere in aliud sæculum euolamus: ideóque studiosè curasse morituros hoc viaticum sibi adhiberi; quod etiam exemplis confirmat, præter quæ nec alia desunt in catechismo [p] historico citato: ad omnium verò instar potest esse quod Chrysostomus [q] narratum sibi à quodam qui viderat audiuerátque rectè communicantium in morte animas ab Angelis deduci rectà in cœlum. Nec omitti debet ratio reddita postulati viatici à Nicolao Tolentino [r]; *vt tanto, inquit, viatico munitus, non deficiam in via ad cœlestem patriam profecturus; & si ob demerita mea improbus Belial hostis meus mihi occurrerit, possim fidenter dicere* [s]; *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* De obligatione istius præcepti consule Suarez [t] nostrum, qui docet si contingat mortis periculum breui tempore post aliã communionem, vt post biduum triduúmve, non esse obligationem iterum communicandi cum expressa intentione sub ratione viatici; quia sequeretur eamdem obligationem esse si fortè quis eodem die periclitaretur, quo iam communicauerat. Sensus præcepti est, ait, vt homo teneatur paulò ante mortem communicare: sed quantum sit illud tempus, prudentis arbitrio videtur relinquendum, verbi gratia, octo, aut decem dierum. Sanctus noster quidem Ignatius biduo ante mortem, triduóve sumpsit Eucharistiam, licèt non exteriùs viatici nomine; quod forsitan habuit in intentione, quippe de sua morte præscius: & si non habuit, iudicauit minimè tunc necessarium: quam demonstrat idem Suarez admodum probabilem sententiam: & grauium auctorum esse.

De gregibus.] Cum pronomine affixo in editione Hebræa, Chaldæáque. & etiam absoluto in Græca (*de omnibus tuis*, מִצֹּאנְךָ *mitsonecha*, מִגָּרְנְךָ *migarnecha*,

---

[a] c. 77. & 78
[b] c. 12.
[c] c. 11.
[d] c. 13.
[e] c. 12.
[f] c. 24.
[g] 2. de Euc. c. 10
[h] Heb. 10. 19. 20.
[i] ibid.
[k] ibid. lect. 2.
[l] de Eccle. sacrif.
[m] p. 49. vlt.
[n] 2. de ritib. Eccle. c. 55.
[o] catechis. hist. c. 5. tit. 10.
[p] c. 5. tit. 13.
[q] 6. de sacr.
[r] in vita c. 12. apud Surium 10. Septemb.
[s] Ps. 117. 7.
[t] 3. p. de Euchar. c. 65.

hanach, ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν σε.) Sub his minutijs animalibus, quæ gregum nomine intelliguntur, comprehenditur omne genus ouillum & caprillum, aut simile ad cibum pertinens. De ouibus, vel capris aliquid, inquit Abulensis, ad cibos; scilicet ouem, vel capram, aut aliquid modicum. Nec proinde non poterat de armentis aliquid donari vt bobus, vitulis, vaccis. Ac in vtrouis genere si non integra animalia, certè partes aliquæ vel crudæ, vel coctæ sub viatici vocabulo continen videntur. Dauid postintroductam arcam in suam ciuitatem, peractaque sacrificia, partitus est cuique inter alia, assaturā bubulæ carnis vnam [a]. Etsi porrò viaticum viatorem, vt æ innuit confectorum tamen fieri facile poterat; vt libertatem recuperans non demigraret ex loco vbi fuerat seruituti addictus. Verùm quia liberum ei erat quò vellet abire, ac ferè qui seruierat vel præ verecundia, vel præ inopia, sedes libenter mutabat; idcirco, viatici nomine munus dimisso datum appellatur. Caietanus largum munus vocat.

Et de area, & torculari tuo.] Vtrique nomini adiungunt editiones aliæ pronomen: pro area reddunt alij horreum: Græcè verò est σῖτος, *frumentum*, vtrumque illud continens pro contento. Aream valet גרן *goren*, vt etiam præcedente libro [b], & alibi sæpe, ac iterum c. sequenti [c] torcular יקב *iekeb* & *ianis*, de quibus item dicto capite priore, docentes coniungi sæpenumero hæc duo in scriptura aream & torcular, indéque per modum parœmiæ ortum illud quòd rex Israël respondit mulieri exclamanti [d]; *Salua me Domine rex. Non te saluat Dominus: vnde te possum saluare, de area, vel de torculari.* Denique videri Abulensi sub area comprehendendum quidquid ibi colligitur ac trituratur, vt fruges, & legumina: sub torculari non modò vinum, sed oleum præterea & similes liquores, qui exprimuntur in eo. Cæterum oibos per greges antea significatia rectè iunguntur, area torcularque', vt frumentum præsertim, seu panem, & vinum denotant, duo potissima humanæ vitæ ac viatici alimenta. Inter memorata priùs munera quæ post illatam arcam contulit Dauid, cum assatura siue parte assæ bubulæ carnis, fuit collyrida siue torta, siue placenta panis, & simila frixa oleo [e], siue in sartagine: pro qua quidam pultem ponunt; sed alij lagenam, videlicet vini; de quo tamen mentio apud editionem vllam [f] nulla, nec apud Iosephum [g]. Nec inuerisimile tamen est e vino etiam Dauid aliquid elargitum esse: in similibus largitionibus vinū deesse solitum non fuisse; iuxta illud: *panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*: quisquis sit tandem primi membri sensus.

Quibus Dominus Deus benedixerit tibi.] Additur in editionibus alijs (*dabis ei.*) Benedictio significat liberalem concessionem à Deo factam de prædictis gregibus, area, & torculari; seu pane & vino, alijsve similibus alimentis. Potest simul indicare vt pro sua quisque facultate largus ac liberalis in dando viatico sit; & prout accepit, administret [h], considerans quæ habeat ipse, dona Dei esse: se verò illius, quem seruum habebat, conseruum, immò & ministrum, in eiusdem gratiam Dei: & quo modo potuerit sit in illum misericors, si multum fuerit, abundanter tribuendo; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studendo [i]. *Multum enim & parum Deus non ad mensuram, dati definit, sed ad potentiam facultatum damus*, ait Chrysostomus [k]: *& liberalitas* ? inquit Ambrosius [a], *non quantitate patrimonij, sed largitatis definitur affectu.* Plus etiam quàm posset largitam viduam in pauperes Paulam testatur Hieronymus [b]: quodque hoc eam nomine illam aliquando reprehenderit, ipsemet se reprehendit.

Vers. 15.] Memento quòd & ipse seruieris in Terra Ægypti, & liberauerit te Dominus Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi.

OPtima ratio ad persuadendum. Illi enim, inquit Abulensis, qui aliquas iniurias passi sunt (adde miserias) magis miserentur eorum, quos talia perpeti vident, quàm illi qui numquam talia passi sunt. Simili argumento persuadentur iidem Hebræi, vt aduenam & pupillum non contristent, nec affligant eum, quoniam aduenæ fuerunt in terra Ægypti [c]: vt peregrino molesti non sint, cùm sciant animas peregrinorum, quia & ipsi peregrini fuissent in terra Ægypti [d]: vt in sabbato non compellant peregrinum, seruum & ancillam quidquam operis facere, memores quòd & ipsi seruierint in Ægypto, & eduxerit eos inde Dominus Deus ipsorum in manu forti, & brachio extento [e]. Hoc postremo loco, qui est in c. 5. libri nostri, satis multa in eamdem istam sententiam attulimus, & quanti referat ad alijs commiserandum easdem priùs expertum esse miserias. Huc illud facit numquam satis repetitum, & adeò Seuero gratum Imperatori, vt Lampridius [f] testatur: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: vissne hoc in agro tuo* (in quamuis alia re, in teipso) *fieri quod alteri facis? Clamabat ad sæpius*, ait Lampridius, *quod à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat, idque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat, eamdemque sententiam vsque adeò dilexit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet.* Siue à Iudæis, siue à Christianis audiuisse Alexandrum scribit; quia Iudæorum vocabulo intelligebantur Christiani: & in Iudæorum scriptis extat eadem sententia apud Tobiam 4: & in Christianorum apud Euāgelistas [h]: ipsemet Christus de illa pronunciauit [i]: *hec est lex & Prophetæ.* Quasi diceret, vt ratiocinatur Chrysostomus [k], post multas illas beatitudines quas prædicauerat [l]; non opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina, *τὸ θέλημά σου γενέσθω νόμος*, &c. *tu sis iudex, tu sis vita tua legislator*, *οὐ γὰρ ἀδεινῶς, οὐ γὰρ τοσαῦτα τῆς ἐαυτῷ ζωῆς*, &c. *Et verò generatim in omnibus si hæc duo verba retinemus, alia disciplina*, inquit, *non indigebimus.* Aliam rationem affert Deus in Leuitico [m], quia ipsimet qui seruiebant suis dominis, erant serui sui, & eduxerat eos de terra Ægypti.

Memento.] Futuro vtuntur editiones reliquæ (*& memor eris, siue recordaberis*) qui vsus satis frequens est. Sic verò etiam io cap. 5. [n] citato (*memento quòd & ipse seruieris in Ægypto*) & cap. 9. [o] (*memento & ne obliuiscaris.*

Quod & ipse seruieris in terra Ægypti.] Ex aliis linguis (*quod seruus fuisti.*) Eodémque pacto in c. 5. Græcè autem οἰκέτης, quem aiunt plerumque fumi pro famulo seu seruo domestico: οἶκος domus esse & honestius nomen esse quam δοῦλος. Differentiam inter οἰκέτην & δοῦλον statuit Chærebus hanc, vt Athenæi scholiastes refert. Cæterum autem nus [p] hæreticus; οἰκέτης ἐστὶ ὁ ἐν οἰκίᾳ δουλεύων, qui

Margin notes (left): a 2.Reg.6. 18.19. 1.Par. 16.3. — b c. 15.2. — c v. 13. — d 4.Reg.6. 26.27. — e 1.Reg.6. 19. 1.Paral. 16 3. — f ibid. — g 7.antiq. c. 4. — h 1.Pet.4. 10. — i Tob.4.8. 9. — k hom.19. in 2. ad Corin.

Margin notes (right): a lib. de viduis. — b epist.27. — Paræneſis. — c Exod.22. 21. — d c.23.9. — e Deut.5. 14.15. — f in Seuer. — g c.4.16. — h Matth.7. 12. Luc.6. 31. — i Matth.7. 12. — k hom.13. ad pop. — l c.5. — m c.25.42. — Explanatio. — n v.15. — o v.7. — p in Athen. l.6.c.19.

A B C D E

qui censetur in bonis possidentis: δοῦλοι qui operas præstare domino tenetur. Suidas οἰκέτας ait dici non solùm famulos θεράποντας, sed & omnes domesticos, πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκίαν. Hesychius eodem pacto τοὺς κατὰ τὴν οἶκον. Pollux [a] domesticos τοὺς οἰκείους. Atqui synonymè vsurpata reperiuntur istiusmodi nomina; vt & quæ apud eumdem Athenæum recensentur ab eodem Clitarcho & aliis τῶν ἄζων θεραπόντων, τῶν ἀκολούθων, διακόνων, ὑπηρετῶν, πελατῶν, λατρέων, ἐριθῶν (qui erant propriè rutis serui) μισθωτῶν (qui ἐγγενεῖς, ingenui) item οἰκέτην ἀντὶ δούλου peculiariter accipi ostendit, vt & ἰδίως, καὶ ὤνητον, eum qui sit in seruos famulósve χρηστὸς, clemens benignúsque: postremò commune ac tritum esse; vt οἰκέτης dicatur ὁ κατὰ τὴν οἰκίαν διατρίβων, κἂν ἐλεύθερος ᾖ, ille qui domi versatur, etiamsi liber sit. Mitior acceptio congruit proposito.

[a] l.3.c.8.

Et liberauerit te Dominus Deus tuus.] (*Illinc*) additur Græcè ἐκεῖθεν: eadémque lingua, & aliis, ponitur verbum redimendi, & quidem Græca soluto pretio ἐλυτρώσατο σε: quod pretium λύτρον, Latinitatéque donato nomine, lytrum vocatur. Etsi verò quandoque verbis his indifferenter vtantur Scripturæ liberandi, educendi, redimendi ad istud idem significandum quod hic exprimitur: tamen tot edita prodigia, per quæ populus ex Ægypto liberatus ac eductus est, redemptionis cuiusdam ac soluti pretij vice possunt videri. Nec absque propria quadam vi nunc ponitur verbum redimendi, cùm agitur de seruis, qui pretio empti sunt; etsi anno septimo liberè dimittendi; qui appellabatur annus remissionis, gratisque חִנָּם *chinnam*, δωρεὰν, vt in Exodo [b] præcipitur. *Gratis venundatos sine argento redemit Dominus* [c]. Spiritualiter id verum est, quoniam licèt diabolo tradas teipsum pro externis bonis quæ proponit, tamen nec ipsius ea sunt, & nullius veri pretij sunt, comparata præsertim ad æterna tum damna, tum bona. Et quamuis pretio sanguinis Christi sis redemptus [d]; non tamen pretio quod tu solueris. Quamquam emere & vendere nonnumquam μεταφορικῶς idem sunt quod tradere vel accipere sine pretio, vt, *vendidisti* [e] *populum tuum sine pretio*; *vendiderunt* [f] *eos hostibus: empti estis* [g] *pretio magno* (vbi tamen sanguis Christi pretium est;) *suadeo* [h] *tibi emere à me aurum ignitum: emite* [i] *absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.*

[b] c.21.2. [c] Esa.52.3. [d] 1.Pet.1.18. [e] Psal.43.13. [f] Iud.2.14. [g] 1.Cor.6.20. [h] Ap.3.18. [i] Esa.55.1.

Et idcirco ego nunc præcipio tibi.] Dixerat priùs [k] bis præcipere se, ac semel quidem Græcè phrasi eadem qua hîc ποιεῖν τὸ ῥῆμα τοῦτο, *facere verbum hoc*: cuius loquendi modi rationem non semel quoque reddidimus cur hoc peculiariter libro vsitatus sit. Loco autem aduerbij (*nunc*) habent editio Hebræa, Chaldæáque (*hodie*) Græca neutrum.

[k] v.5.11.

Vers. 16.] Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quòd diligat te, & domum tuam, & benè sibi apud te esse sentiat:

Vers. 17.] Assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum; ancillæ quoque similiter facies.

Paraphr. CVm libertatis tempus aduenisset septimus remissionis annus, si seruus Hebræus discedere nollet: sed mallet apud eumdem herum, domúmque ipsius remanere, quia & sibi commodum ducebat, & amore prosequebatur patrem familias, illiúsque familiam: hoc ritu in seruum perpetuum retinebatur, vt ei perforaretur auris in signum seruitutis, ad ianuam dictæ domus; idque per sententiam publicam. Istius mentio sententiæ fit, ac rei totius, in Exodo [a] iisdem ferè verbis. *Quòd si dixerit seruus: Diligo dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus diis* (id est, iudicibus) *& applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem eius subula: & erit ei seruus in sæculum*, id est, vsque ad iubilæum, in quo licebat ipsi egredi cum liberis suis, reuertique ad cognationem & ad possessionem patrum suorum [b]. Non equidem dubitandum censeo, quin ipsomet iubilæi annò idem fuerit licitum seruo, quod in anno septimo remissionis, vt si nollet, non recederet, sed eadem conditione auris perforandæ, si perforata non esset: quamuis nominatim id expressum non legam. De ancilla Hebræa sentit Abulensis, citans R. Abenezra, & R. Salomonem; non idem hic præcipi quantum ad auris perforationem, si nollet abire: sed vt non absque viatico dimitteretur; quia vendebatur Hebræa mulier Hebræo, vt is acciperet illam in vxorem, vel filio traderet; quod si non fieret, exibat libera cùm ad annos pubertatis peruenisset, quamuis annorum sex tempus completum non esset, ne fornicari cogeretur: vel si extra legem connubialem violata esset ab hero, filióve ipsius, qui nollent eam in vxorem admittere; tenebantur viro locare, cum vestibus, pretióque pudicitiæ. Itaque vult Abulensis numquam ancillæ hoc nomine aurem perforandam fuisse. Indicant de ancilla idem faciendum Rickelius & Caietanus, apertéque affirmat Cornelius citans Caietanum, si mallet adhuc in eadem domo sub seruitute perseuerare. Petrus Bercorius in moralitatibus. Exodi c.13. ad c. eius 21. moraliter interpretatur, quòd seruus est homo in mortali miseria constitutus; dominus eius, est mundus, vel corpus, vel temporalis dominus, vel prælatus: sex annis præsentis vitæ seruit, submissus mundi tribulationibus, corporis passionibus, alterius imperiis: anno septimo mortis, ac vitæ futuræ, liberatur ab omni seruitute corruptionis [e]: debet autem habere secum viaticum gratiæ & Eucharistiæ; vestem qualem portauit post baptismum, id est, innocentiam: sequitur eum vxor cum filiis, hoc est, gratia cum bonis operibus, nisi culpam cum malis habeat. Item sex annos aptat actiuæ vitæ, septimum contemplatiuæ, ad quam transitur ex illa: vxor remanet cum liberis, id est, gratia cum meritis: sed si à suo domino vxorem acceperat, & ea hac filios susceperat, relinquit illi, nempe mundo seu diabolo, quando liberatur anno septimo per sacramenta: quam verò priùs habuerat, secum reducit, gratiam præcedentem ac merita reuiuiscendo. Explicat item de illo, qui post annum probationis exit, deferens priorem vestem, & vxorem, id est, libertatem: sed si velit remanere, applicatur ad deos, hoc est, sanctos patres, & prælatos; & sistitur ad ostium tabernaculi, id est, ad considerationem & affectionem ingressus paradisi: & auris perforatur subula diuini timoris per prædicationem; tandémque voto emisso professionis, fit Dei seruus perpetuus. Mysticum sensum priùs attigi: descendendum nunc ad singularum partium explanationem.

[a] c.21.5. [b] Leu.25.40.41. [e] Rom.8.21.

Explanatio. *Sin autem dixerit.*] Ponunt in fine (*ad te*, vel *tibi*)

tibi; editiones reliquæ: Hebræa & Chaldæa (*& erit si, &c.*) In Exodo [a] (*quod si dixerit seruus, aut, dicendo dixerit; aut respondens dixerit.*)

a c.21.5.

Nolo egredi, eo quòd diligat te, & domum tuam.] Aliter (*non egrediar a te, &c.*) Citato Exodi loco, (*diligo dominum meum, & vxorem ac liberos; non egrediar liber*) & intelligitur de vxore & liberis propriis; quia in editionibus aliis ibi est pronomen primæ personæ (*vxorem meam, ac liberos meos.*) Ne quis suspicetur ibi loqui de vxore liberísque domini sui; quemadmodum loquitur hic de domo illius. Inde autem infertur, si egrederetur, vxorem suam & liberos suos relicturum fuisse, quos scilicet liberos suscepisset, in ea domo vbi seruierat, ex vxore, quæ ibidem ei data esset. Ex quo præterea consequitur præter dissolutionem matrimonij per libellum repudij, alia ratione ista dissolui potuisse. In genere autem annotat Caietanus [b], in vilis conditionis personis, seruis videlicet & ancillis, vtpote non suimet dominis, diuortia sine solemnitate à lege vetere instituta seu permissa. Ecclesiastici auctor seruum sensatum iubet esse domino suo dilectum quasi animam, & vt non defraudet illum libertate (si Hebræus est, vltra tempus præscriptum) neque inopem derelinquat [c] (non relinquendo vacuum, sed viaticum dando, vt antea hîc dictum est:) item vt fidelis sit ei quasi anima, & quasi fratrem sic tractet, quoniam in sanguine animæ comparauit illum (veluti consanguineum, vtque vitam ipsius suo labore tueretur;) quoniam si læserit eum iniustè, in fugam conuertetur: & si extollens discesserit, quem quærat dominus, & in qua via quærat illum, nesciat [d]. Tam benè tractatus seruus adeò diligit dominum, vt ab eo diuelli nonnumquam nolit. Complura fidei amorísque seruorum & ancillarum erga dominos exempla congerit auctor theatri humanæ [e] vitæ partim petita ex Macrobio [f]. Solebant veteres gentiles cariores seruos manumittere ante mortem, vt eum suo fecisse se amanuensi Demetrio scribit Martialis [g]: & cum Glaucia Atredium Meliorem [h]; & de aliis Plinius [i] Iunior.

b in Exod. c.1. c Eccl.7. a 3. d c 33.31. 32.33. e vol.18.l. a.p.1336 & seqq. f l.1.c.11. g l.1. epig. 102. h l.6.epig. 29. i l.8.epist. 16.

Et benè sibi apud te esse sentiat.] In editionibus reliquis (*quia benè est illi apud te.*) Oriri potest hoc ex domini facilitate atque beneficentia: sed etiam interdum ex animi quadam in seruo vel æquitate, vt sit paucis contentus; vel vilitate, vt ad maiora non assurgat. Experimur idem in mancipiis, & sordidis quoque opificibus, qui ne inuitati quidem commutare conditionem volunt.

Assumes subulam.] Vocatur hæc Hebraico nomine מַרְצֵעַ *martseahh*, similique Chaldæo מַרְצְעָא *martsebhea*, & Græco ὀπήτιον: quæ nomina extant etiam in eadem sententia Exodi [k]. Textus tamen Græcus bibliorum Græcorum omisit hîc illud membrum, ac proinde dictum etiam nomen. Hebræum hoc duntaxat, & citato Exodi loco extat cum suo radicali verbo רָצַע *ratsahh perforare*. Græcum descendit ab ὀπή, *foramen*, éstque, inquit Suidas, τὸ σουβλίον τὸ τὰς ὀπὰς ἐμποιοῦν, *subula quæ foramina facit*. Pollux [l], póstque illum Hesychius, inter instrumenta sutorum recenset ὀπήτια, quæ poëticè dicantur χαλκόμαλα, quibus nempe πλέκουσιν ἢ ῥάπτουσι, *plectunt aut suunt*. Porrò σουβλίον diminutiua dicitur a σοῦβλα, quod ipsum σοῦβλα ex Latino *subula* petitum volunt, vt & σουβλίζω, *subula transfigo*, seu *perforo*. Plura Meursij Glossarium Græcobarbarum. Cerdonis instrumentum est Italicè *lesina* Martialis [m] in Cerdonem quendam Bononiensem indignans, quòd gladiatorum munus exhiberet, salsè scripsit,

k c.21.6. l l.7.c.21. m l.3. epig. 16.

Das gladiatores sutorum regule Cerdo,
Quódque tibi tribuit subula sica rapit.

Ex Nectario [a] profert Meursius, inter ὄργανα θανάτου *instrumenta mortis* Christianorum σοῦβλας.

a De elem.

Et perforabis aurem eius in ianua domus tuæ.] Interpretis sunt vltimæ voces duæ. In Exodo [b], vt recitatum est nuper (*offeras eum dominus diis, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem eius subula*) Hebraicè & Chaldaicè (*ad ostium, aut ad postem*) Græcè (πρὸς τὴν θύραν ἐπὶ τὸν σταθμόν, *ad ostium, ad postem.*) Eugubinus legit etiam hîc in libro nostro, sed plurali numero ἐπὶ τῶν σταθμῶν, id est, inquit, in ipsis scalæ gradibus. Pro diis quæ Hebraicè אֱלֹהִים *elohim*, vertuntque Aquila etiam ac Symmachus πρὸς τοὺς θεούς *ad deos*; Chaldaicè (*coram iudicibus*, לִקֳדָם דַּיָּנַיָּא *likdam dayanaya*) Græcè (*ad tribunal Dei* πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ.) Iudices ipsi vocantur dij, sicut Exodi 22. [c] (*diis non detrahes*) & Psalmo 81. [d] *Ego dixi, dij estis vos:* & in eodem [e]; *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat*; ad imitationem enim Dei omnium, commissum est illis iudicandi munus, inquit Theodoretus [f]; nósque dictis psalmis & alibi docuimus. Caietanus legens (*& dabis, nempe subulam, in aure eius, & in ianua*) quo etiam pacto legitur Chaldaicè: vult sensum esse, eadem subula perforandam aurem fuisse simul cum ianua; ita vt auris applicaretur ianuæ, & vtraque simul perforaretur. In Exodi autem commentario docet esse seruitutem de ostio seu poste domus propriæ: perforationéque auris cum illo (de quo Ioannes quoque Benedictus ibidem insinuat) denotatam detentionem serui ad domum illam: quæ perforatio fieret publicè, publicáque auctoritate, ad hoc vt rari inuenirentur Hebræi appetitores huiusmodi seruitutis: & si non horrerent seruitutem, horrerent saltem talem ignominiam publicam. Theodoretus [g] doceri ait rebus omnibus anteponendam libertatem; ideóque in dedecus accipere iuberi hoc signum, qui postposita libertate, amplectatur seruitutem: auditus autem organo illud appositum, vt intelligat huiusmodi seruus, omnem obedientiam præstare debere: applicatione ad ostium innui, ne foras quidem egredi licere illi iniussu domini. Rupertus [h] per deos accipit sacerdotes iuxta Mosis exemplum, qui constitutus dicitur deus Pharaonis [i]: applicationis ad ostium, postésque causam dat, vt multi essent inspectores & testes perforatæ auris, vt semel dictæ professionis suæ delere vel abscondere monumentum non posset. Cyrillus [k] Alex. intellexisse talem seruum scribit eo signo, posthac nihil de libertate ampliùs auditurum; cùm eam partem, quam natura voci peruiam fecit, quodammodo impediri voluerit ἵνα μὴ τῷ φυσικῷ τῆς ἀκοῆς ὀπῷ δέξηται πότε λόγον ἐλευθερίας: ἀλλὰ δοῦλος μένῃ διὰ παντὸς τὰ παρόντα ἠγαπηκώς, *vt non naturali auditus foramine recipiat vnquam sermonem de libertate; sed seruus maneat semper, qui præsentia amauit*. Magister [l] historiæ scholasticæ Petrus Comestor ait seruum eiusmodi offerendum fuisse diis à domino, id est, præsentandum sacerdotibus, & applicandum ad ostium tabernaculi, &c. Hugo fortassis priùs offerri debuisse seruum sacerdotibus ad ostium tabernaculi; postea reducendum ad domini sui domum, & in istius ianuam, vbi dominus iussu sacerdotis perforaret aurem. Vel fortè, inquit, tabernaculum dicitur domus eius, quia est commune omnium

b c.21.6. De ritu perforandi aures. c v.28. d v.6. e v.1. f q.51. in Exod. g q.45. in Exod. h 3. in Exo. c.35. i Exo.7.1. k in cate. Græc. l in Exod. c.42.

nium: nempe nomen de quauis domo vsurpari solitum. Lipomanus [a]. præter notionem deorum, pro iudicibus & sacerdotibus, videri dicit hic de Deo caponi, vt præcipiatur præsentari seruum coram illo in tabernaculo vel templo, atque ibi ritum præscriptum peragi. Sed obstare subdit, Chaldaicam editionem nominantem iudicea, & R. Salomonem, forum iudicis. Videtur hæc ea Eugubino transcripsisse. Perfossionem auris ad ostium domus notat idem Lipomanus fieri oportuisse, non sine arbitris; ne dolus & fraus interueniret, conquerique seruus, se vim passum, posset; idcirco adeundos etiam fuisse iudices, tâmque cum auctoritate transigendam; quia nemo in propria causa suipsius iudex fit. Addit opinionem de ostio, & postibus portarum vrbis, vbi iudices conueniebant, & causas decernebant, quæ est sententia Vatabli & Sa nostri in Exodi c. 21. Attamen verosimilius iudicat postes domus eius cuius seruitio quis perpetuò deputabatur, intelligi. Tandem subula perfossam aurem, testimonium vocat indelebile, & non obliuioni donandum; vt meminisset seruus, se semper obeditu- rum domino, quem elegerat. Aquinas [b] non dubitat auris perfossioni huic, nomine pœnæ imponete, cùm seruus nollet in anno septimo remissionis, beneficio legis vti, vt liber exiret; quemadmodum pœna erat seruis furi; quando non habebat quod posset restituere [c]. Existimo, iudicis sententia (ad quem deducebatur seruus, non autem is adducebatur ad domini domum, vt recte monet Abulensis [d]) præcedente, serui aurem perforari debuisse (dextrâne an sinistra, non liquet) siue ab ipsomet domino, siue à quopiam alio, ad hoc aduocato, in ostio, siue in poste non tabernaculi (quæ Rickelij [e] opinio est, insinuatúrque à Bereotio nuper citato) aut vrbis, sed illius domus, in qua volebat seruus remanere, pertinebátque ad dominum ipsius: quod editio nostra expressit, adiectis, vt diximus, vocibus duabus ad ianuam, nimirum (*domus tuæ*:) atque ita sentiunt in Exodi c. 21. Lipomanus, & Ystella, Cornelius, Caietanus, Leonardus Marius. Profectò adire hac de causa tabernaculum, nimis difficile, ac etiam impossibile fuisset, remotis præsertim ex locis: causa verò dicti ritus expressior erat, ad ostium postémve propriæ seu particularis domus celebrata, cui domui seruus addicebatur. Eodem ictu cum aure postem מזוזה *mezurah*, מזוזת *mezurotha vasphe*) in quo affligeretur, configere ac perforare (quod Clarius item indicat) durius, feterius, sæuius videtur: & synecdochicè postis pro ostio sumitur, ante quod id fieri oporteret, non autem super ipso, illud perforando, quod est laterale lignum lapisve, nec ita facile ad perforandum, præcipuè lapis. Hebræi, vt Clarius refert, præceptum intelligunt de eo qui necessitate coactus vendidisset seipsum; alij apud eumdem quòd illi solùm perforanda esset auris, qui non à seipso, sed per iudices esset venditus. Transcripsit ea Munsteru hæretico, vt & alia persæpe. Ad eumdem hunc ritum allusionem esse in Psalmo 39. [f] probabile est; *sacrificium & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi*; quem de Christo locum citat Apostolus [g] in hunc modū; *hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. In Psalmi commentario docui alios transtulisse, *aures fodisti, incidisti, perforasti mihi*; & in quibusdam Græcis codicibus haberi ὠτία. . . ; videri autem huc allusum: nec ab Agellio [h] rectè negari extare in Scripturis aurium perforatio-

nem; plurali numero aures dici potuisse ab eodē Paulo, etiamsi vnica perforaretur, & quidem, vt placet quibusdam, dextra, ita vt non debeat obstare dictæ allusioni, vt Pineda [a] noster concedit. Indidem quoque mystica peti possunt, hic repeti non debent de Christi obedientia & nostra per aurium designata perforationem. Agnoscunt dictam allusioné Enarratores Pauli de nostris Ribera, Cornelius, Iustinianus, Salmeron; ex aliis Matthæus Galenus, Andreasve Crocquerius, Estius aut qui apposuit ei annotatiunculas, Ludouicus Tenas: hoc autem loco vel in Exodi c. 21. Oleaster, Fonseca, Mariana, &c. & in Ezech. c. 16. Pradus. Mitto quæ de notis, characteribus, stigmatibus impressis solitis ad seruos dignoscendos (vnde στιγματίας dicti, aut etiam nomine Stichi, quasi στικτὸς, & serui literati) satis accuratè in Leuitici [b] commentatio attuli, & loco præsenti conducunt, necnon quæ non vno loco de humaniter tractandis seruis (cuius rei singulare in Martiano eluxit exemplum) vt etiam Paulus [c] præcipit, & prolixo sermone ac erudito noster docet Bisciola [d], simúlque de seruitutis oneribus: de nostris item Ioannes [e] Azor. Error Eustathij fuit in Gangrensi [f] Concilio damnatus, & Vvicleſi in Constantiensi [g], seruum pietatis prætextu recedere posse. Canon Concilij Gangrensis est εἴ τις δοῦλον προφάσει θεοσεβείας διδάσκοι καταφρονεῖν δεσπότου, καὶ ἀναχωρεῖν τῆς ὑπηρεσίας, καὶ μὴ μετ' εὐνοίας καὶ πάσης τιμῆς τῷ ἑαυτοῦ δεσπότῃ ἐξυπηρετεῖσθαι, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis docet seruum pietatis prætextu, dominum contemnere, & à ministerio recedere, & non cum beneuolentia, & omni honore domino suo inseruire, anathema sit.* Extant Pauli [h] de hoc præcepta. Cæterùm quod attinet ad ritum aures perforandi, hunc Gentilibus ignotum non fuisse Salmeron & Iustinianus nostri explanantes Pauli locum in c. 10. ad Hebræos (*corpus aptasti mihi*) pro quo legimus Psalmo 39. [i] (*aures perfecisti mihi*) & varia translationem aliorum, dé qua diximus (*perfodisti, seu perforasti*) colligunt ex Iuuenale [l]

Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestræ Arguerint.

Vetus scholiastes argui notat ibi homines, qui cùm propter libidinem, libertaté meruissent, & in libertinorū corpus, tribúsque relati essét, pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant. Refert aliò Ioannes Britannicus ibidé, hoc est, ad morē Orientalium, gestandi in auribus aurū, quē cōprobat Plinij [m] testimonio, & Plauti [n], præter inaures aureas, quas detraxit Aarō vxoribus Hebræorum, filiisque, ac filiabus eorum [o]. Forsitan Iuuenalis id potiùs voluit; &, quod hodiéque factitant alicubi apud nonnullas nationes viri, fœminæ ferè vbique ad ornatū indicare, aut insigne nobilitatis, annulos auribus appēsos; vt meminit etiam Seneca [p]. Crebra de inauribus in diuinis [q] literis méntio. In auribus idolorū produnt fuisse [r], & filiorū Hebræorum [f], & Ismaelitarum, de quibus nominatim exprimitur, quòd inaures aureas habere consueuerant [t]. Muneris item nomine data inauris aurea est Iob à fratribus, sororibus, & cunctis qui nouerant eum priùs [u]. Fuit simul tamen etiam simile nasi ornamentum, præsertim in fœminis [x], non perforando eius extrema, vt Oleaster [y] sensit; quòd esset nimis incommodum; sed circulum instar annuli cum gemma appensa, à fronte suspendendo, quod ad nasi vsque descenderet initium. An autem serui perforatæ auri quidpiam inseretetur, nihil comperi: nec videtur admodum probabile, cùm ea per-

foratio

[a] Caie. in Exod. 21. [b] 1. 2. q. 105. a. 2. ad 10. [c] Exod. 22. 3. [d] q. 5. [e] in Exod. 21. [f] v. 7. [g] Heb. 10. 5. [h] in ps. 39.

[a] in Iob. c. 11. 15. [b] 10 c. 19. 27. [c] Ephes. 6. Col. 4. 1. [d] to. 2. hor. subsciu. l. 13. c. 8. & 9. & to. 1 l. 5. c. 7. l. 10. c. 21. [e] instit. mor. 10. 3 p. 1 l. 3. c. 30. & seqq. [f] Can 3. [g] sess. 8. art. 159. [h] 1. Cor. 7. 21. 22. Eph. 6. 5. 6. Col. 3. 22. 1. Tim. 6. 1. Tit. 2. 9. [i] v. 5. [k] v. 7. [l] Saty. 1. [m] l. 9. c. 35. l. 11. c. 37. l. 12 in proœ. [n] in Pœnulo & in Epidic. [o] Exod. 32. 2. [p] 7. de ben. c. 9. de vita beata c. 17. [q] Gen. 24. 22. 30. 47 c. 35. 4. Exod. 32. 2. 3. c. 35. 22. Iud. 8. 24 25. 26. Iudith 10. 3. Iob 42. 11. Prou. 25. 12. Ezech. 16. 12. Isa. 3. 20. Ezech. 16. 12. Osee 2. 13. [r] Gen. 35. 4. [f] Exod. 32. 2. 4. 35: 22. [t] Iud. 8. 24. 25. 26. [u] Iob. 42. 11. [x] Prou. 11. 22. Esa. 3. 21. Ezech. 16. 12. [y] in Gen. 25.

foratio non ad ornamentum foret, sed ad seruitutis iudicium, & exactæ obedientiæ argumentum. Ad cuius virtutis commendationem nonnihil facere potest, quòd ea his, deorum confici seu conflari solerent idola: vt contigit in aureo vitulo [a], & in ephud [b] Gedeonico; nulla namque re honoratur magis Deus, quàm obedientia.

Et seruiet tibi vsque in æternum,] Idem valet in editionibus aliis (*& erit tibi seruus in æternũ*, עוֹלָם *hholam* tum Hebraicè, tum Chaldaicè, Græcè *εἰς τὸν αἰῶνα*.) Communior expositio ast de sæculo annorum quinquaginta, qui dicebatur iubilæus; quorumdam de tota vita (vtrumque ponit Hugo in Exodi c.21.) priore modo, vt ad annum iubilæi seruire deberet, post quem posset adhuc vti beneficio remissionis, si vellet: posteriore, vt ad finẽ vsque vitæ seruire teneretur. Iuxta primum modum, nihil traditum legi, quid agendum esset, si seruus adhuc vellet seruire. Profectò non videtur ei auris perforanda, nec denuo eadem, nec alia nondum perforata. Hieronymus [c], exponens præsentem locum de iubilæo, in quo omnis dura cõditio soluebatur, docet quando scribitur cũ ו *vau* holem dictum nomen Hebræum עוֹלָם *hholam*, æternitatem significare, quando absque illa litera, annum quinquagesimũ, siue iubilæum. Hieronymũ sequitur hac in re Ludouicus [d] Viues, & alij. Nihilominus vertit hoc loco (*in æternum*) idque nomen scribitur cum litera ו: & indifferenter vtrouis modo etiam variis locis notatur: quamuis credi possit, ætate Hieronymi, illá quam testatur scribendi rationem, seruatam ad diuersa significandum: sed punctorum in Synagoga Tyberiadia appositione facta, discrimen istud neglectum esse, vt Vasques [e] noster monet, Pererius [f], Barradius [g], nósque ipsi alibi [h], allatis aliorum testimoniis; sed & Horatij [i], quod proposito nonnihil congruit.

Seruiet æternùm qui paruo nesciet vti.]

Sic enim is qui libertatis vti nolebat beneficio, seruire debebat æternũ, aut quàmdiu viueret, aut quod probabilius est, ad iubilæum annum vsque: qui annua, si puer vel adolescẽs cœpisset seruire, & paulò post initiũ inchoari iubilæi, aberat longiùs. Galatinus [k] ea istiusmodi formulis demonstrat Iudæos frustrà pro suæ legis & ceremoniarũ argumentari, propriè sumpta perpetuitate, ac æternitate, ac nominatim circumcisionis, sabbati, Paschæ, oblationis, primitiarũ, frugum, rerúmque aliarum, Pentecostes, sacrificiorum, diei propitiationis seu tabernaculorum, panum propositionis. De moralibus concedit: non quia legis Mosaicæ sint, sed quia æternæ: quantum ad alia, respondet vbi de illis est עוֹלָם *hholam*: sumi pro perpetuo siue continuo, vt scilicet absque interruptione seruarentur quamdiu seruanda essent: aut pro sæculo, vt significat determinatum tempus. Confirmat exemplo Samuelis, de quo mater dixit [l] (*ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter,* עַד עוֹלָם *hhad hholam, ἕως αἰῶνος*, id est, vt cum R. Salomone declarat, vsque in sæculum Leuitarum, qui videlicet cùm quinquagesimum annum ætatis impleuissent, seruire cessabant [m]; ita vt omnes anni Samuelis fuerint 52. Adhibet præterea exemplum dictæ seruitutis quod hic habetur, Exodíque cap. 21. de quo pariter cum eodem Rabino, & libro Kiddussim, hoc est, sponsalitiorum, & R. Dauid in libro Serassim, id est, radicum, accipit pro iubilæo nomen עוֹלָם *hholam*: etiamsi seruus emptus esset trigesimo, vel quadragesimo anno ante iubilæum: aut pro ætate domini prout citiùs vel seriùs mori poterat: quia

a Exod. 32. 3. & seqq.
b Iudic. 8. 26. 27.
c in epist. ad Gal. c. 1.
d in August. de ciuit. l. 22. c. 29.
e 1. p. to. 1. disp. 33. c. 2.
f in Gen. 13. n. 50.
g tomo 1. l. 2. c. 20.
h in Eccl. 1. 4. ps. 44. 7. ps. 65. 7. ps. 29. 3. ps. 102. 17.
i l. 1. epist. 10.
k l. 11. c. 5.
l 1. Reg. 1. 22.
m Num. 8. 25.

A illi soli, & non filio seruire tenebatur. Immeritò Eugubinus [a] reprehendens Lyranum, negat Hebræo dicto nomine significari annos quinquaginta, sed ipsam dumtaxat æternitatem, & aliquando mundum. De Samuele, quamuis Lyranus assentiatur, ad annum vsque quinquagesimum dumtaxat ministrasse, oppositum benè demonstrat Franciscus [b] Mendoza noster (cui tamẽ haud consentio, sæculum, vt Hebræo sæpius memorato dicitur vocabulo, numquam in Scriptura pro annis quinquaginta sumi testimonio Philonis [c], Hieronymi [d], Augustini [e], Chrysostomi [f], Petri [g] Damiani: *& quia deuouit mater illum in perpetuum omnibus diebus vitæ eius* [h]; *& commodauit eum Domino cunctis diebus quibus esset commodatus Domino* [i]; Hebraicè (*omnibus diebus quibus fuit ipse*) Græcè (*omnes dies quos ipse viuit.*) Sicut ergo cœpit ministrare ante annum ætatis 25. vt cæteri debebant Leuitæ [k]; sic vltra quinquagesimũ potuit [l] ex eadem voti causa, cùm etiam vltra eum annum lex præscribat, vt licèt opera non facerent Leuitæ, essent ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, custodientes quæ sibi commendata essent. Refellit porrò rectè Salianus [m] noster opinionem de annis 52. dumtaxat ætatis Samuelis, quæ est etiã Hebræorum in Sederolam [n], ostendens ad 77. peruenisse: satísque indicans, quod & Serarius [o] facit, perpetuum illud Samuelis ministerium, licèt interdum iustis de causis loca commutaret. C Verùm, vt eò vnde diuertimus, reuertamur, per nomen עוֹלָם *hholam* quandoque significatur tempus etiam præteritum, sicut per (*olim*) vt; *isti* [p] *sunt potentes a sæculo viri famosi*; *a* [q] *sæculo confregisti iugum: ne* [r] *transgrediaris terminos antiquos*, עוֹלָם *hholam*, *colles* [s] *æterni*: tempus vniuersæ vitæ; vt; *misericordias* [t] *Domini in æternum cantabo: nos* [u] *qui viuimus benedicimus Domino ex hoc nunc & vsque in sæculum: erit* [x] *mihi Dauid seruus sempiternus: non* [y] *manducabo carnem in æternum*: tempus diuturnum; vt, *ne* [z] *fortè mittat manum suam, & comedat, & viuat in æternum*. Cùm de Deo dicitur, cui propria est æternitas, adiungi solet (*in sæculum sæculi: in æternum & vltra; in sæcula sæculorum*, &c.) quod citatus Galatinus [aa] cum R. Kimhi, qui R. D Eleazar profert, de quibusdam particulis Hebræis affirmat, vt סֶלָה *selah*, עַד *hhad*, נֶצַח *netsach*: quarum nulla, inquit Galatinus, in lege ponitur, vbi de ceremonialibus fit mentio, sed tantùm עוֹלָם *hholam*. Denique in Exodo [bb] qui dicitur seruus in sæculum, exprimitur, sicut hic, per idem nomen Hebræum, sed absque ו לְעֹלָם *lehholam*, cum qua tamen litera scribitur hoc loco. Nilus in catena m. s. hunc locum exponit de vitæ totius tempore; confirmans exemplo illo Pauli, quòd non manducaret carnem in æternum.

Ancilla quoque similiter facies.] Omisit Interpres (*tua.*) Abulensis cum R. Abenezra, & R. Salomone, vt ante dixi, & Marzilla, Cornelius, Vatablus, Sa, E Mariana, explanant non de auris perforatione; sed de dando viatico ancillæ, quæ libera dimitteretur, quemadmodum de seruo [cc] antea præceptum est. Hebræus Scholiastes, ait Mariana, ordinem inuersum docet: & quod de ancilla dicitur, non ad (*perforabis.*) referendum, sed ad superius verbum (*dabis viaticum:*) atque ita hoc (*ancilla quoque similiter facies*) ponere post versum 14. Caietanum priùs tenuisse pro contraria sententia, quam noster etiam Cornelius non respuit. Sed mihi prior probatur; quamuis auris perforatio ad ornamentum vsitatior atque decentior sit fœminis, quàm viris, vt nuper item dixi.

Vers. 18.]

a in Exod. 25.
b in 1. Reg. 8. 28.
c l. de somniis in fine.
d in Ezech. 44. & ep. 7.
e in ps. 98.
f hom. 4. in actus Apost. & hom. 24. in epist. ad Ephes.
g l. 3. ep. 9. & ep. 78.
h 1. Reg. 1. 11.
i v. 28.
k Num. 8. 25.
l ibid. v. 26.
m to. 3. ann. anno 2977. n. 3.
n c. 13.
o in 1. Reg. 1.
p Gen. 6. 4.
q Ier. 2. 20.
r Prou. 22. 28.
s Gen. 49. 26. Deut. 33. 15.
t ps. 88. 2.
u ps. 113. 18.
x 1. Reg. 27. 12.
y 1. Cor. 8. 13.
z Gen. 3. 22.
aa l. 11. c. 5.
bb c. 21. 6
cc v. 14.

Vers. 18.] Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam iuxta mercedem mercenarij per sex annos seruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.

Paraphr. a v. 13. 14. FActa proximè de ancilla mentione, repetit, quod iam priùs [a] de seruo præceperat, ne tam hanc, quam illum, cùm liberos dominus dimiserit, vacuos abire patiatur, sed det viaticum ijs de gregibus, area, torculari: nec hac in re difficilem se aut morosum exhibeat, quasi toruis oculis ac malignis eos inspiciat, cùm abire iuxta legem à se permiserit; vel quasi graue hoc sibi sit damnosumve; quia præter istius legis obligationem, cui libenter, alacriterque parendum est, hi per sex annos quibus seruierunt, mercenarij subierunt vices; quibus ex iustitia debetur sua merces. Quod seruata proportione intelligendum est, si minore tempore seruus aut ancilla manserint apud dominum; nempe non præcisè sex annis, ante annum septimum remissionis; qui communis erat omnibus Hebræis, neque computabatur ab eo anno, quo hic aut ille seruire cœpisset: sed paucioribus, vt quinque, quatuor, tribus, duobus, anno vno, immò & aliquot dumtaxat mensibus. Huic porrò toties inculcato præcepto, quod arguit vel beneuolentissimam Dei curam de afflictis ac depositis personis; vel Hebræi populi immitiorem animum, atque auidiorem & tenaciorem, adiungitur de more pollicitatio prosperitatis externæ, vt eius desiderio ac spe, quam tantopere crassus ille populus adamabat & procurabat, incitaretur ad obediendum, & quidem nominatim in ea re, in qua nonnihil detrimenti subire videri poterat; priuando se obsequio seruorum, iisque cùm discederent, viaticum largiendo. Opportunè Oleaster inuehitur in ingratos ac sæuos dominos Christianos, qui se magnum quid putant præstare, si seruos suos senes post 20. vel 30. annos dimittant liberos, quo tempore cùm laborare ampliùs nequeant, mendicare coguntur: cùm præcipiat præterea Dominus apud [b] Esaiam dimittere eos, qui confracti sunt, liberos רְצוּצִים חָפְשִׁים *retsutsim chophsim*, τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. Platonis [c] fuit sententia δοῦλοι γὰρ ἂν καὶ δεσπόται οὐκ ἄν ποτε γένοιντο φίλοι: *nam serui & domini nunquam erunt amici.* Non id recipit lex Mosaica, multòque minùs Christiana: immò nec naturalis, de qua Seneca [d], Gellius [e], Macrobius [f], aliique aliàs recitati seruorum veluti protectores atque defensores.

b c. 58. 6.
c 6. de leg.
d epist. 47.
e l. 1. c. 18.
f l. 1. c. 11.

Explanatio. *Non auertas ab eis oculos tuos.*] Hebraicè (לֹא־יִקְשֶׁה בְעֵינֶךָ *lo iksceh bebhenecha, non durescet in oculo tuo, non graue sit in oculo tuo; non graueris; non tibi molestum, acerbum, & graue videatur; non grauem te, molestum, difficilem, morosum præbeas: non duriter*, vel *toruè inspicias; non putes te grauari*, vel *durum quid pati*, &c. Sic etiam Græcè, οὐ σκληρὸν ἔσται ἐναντίον σου, *non durum sit coram te*; vel iuxta Sixtinos codices, *erit*, *erit*. In versu 9. prohibebatur auertere oculos à paupere fratre, [illegible]ando ei mutuum secundùm reliquas editiones, *ne malignus esset oculus.* Repete ibidem annotata.

Quando dimiseris eos liberos.] Additur (*à te*) in aliis editionibus, & in Hebræa Chaldæáque singulariter (*quando dimiseris eum liberum*) referendo ad seruum: Sed Græca, nostraque editio comprehenderunt ancillam, de qua mentio proximè facta est.

Quoniam iuxta mercedem mercenarij per sex annos seruiuit tibi.] Potuit numerus multitudinis poni; sicut priùs erat nomen liberorum Latinè, & Græcè (*seruierunt*, ἐδούλευσας.) Sed quemadmodum singularis numerus editionum aliarum ibi collectiuè accipiebatur, & sub masculino sexu fœmininus; ita & hoc loco verbum singulare, quod est Hebraicè Chaldaicéque masculini generis, plures comprehendit, ac vtrumque sexum. Iuxta editiones autem istas duas vertendum esset (*quia duplex merces mercenarij seruiuit tibi sex annis: duplex est mercenarij merces sex illis annis, quibus seruiuit tibi: duplici mercede mercenarij seruiuit tibi sex annis.*) Vatablus explicat, *duplo mercedis mercenarij seruiuit tibi sex annis*, id est, bis tanto tempore, quàm seruire solet mercenarius: mercenarij enim serui apud Hebræos operas suas locabant, inquit Munsterus apostata, tres annos, quē transcribit, vt solet, Clarius, *fuit is tibi per sex annos loco duorum mercenariorum*; quandoquidē nullus sic æstimare debeat supra tres annos, vt Hebræi ex hoc loco colligunt. Oleaster etiam ex Hebræorum sententia; *fuit is tibi per sex annos loco duorum mercenariorum.* Solebant enim mercenarij operas suas ad tres dumtaxat annos locare. Sed quia Iacob ad septem annos apud Laban locauit eas [a], aliter declarat, Ideò præcipitur, vt dimittatur seruus liber anno septimo; quoniam duplex est merces mercenarij, & ille altera caret; siquidem debetur mercenario victus quasi vna merces, & pecunia quasi altera: seruus autem emptus, etsi habeat victum, non tamen datur illi pecunia; & priuabatur illa mercede, eiúsque loco dimittebatur liber. Addit, mercedem seruorū Hebræorum duplam fuisse ad mercedem aliorum seruorum, proptereáque præcipi, vt loco vnius, liber dimittatur. Meminit eiusdem expositionis Hebræorum de mercenariis operis locatis ad tres annos, proindéque de duplici mercede, quam qui sex annis seruiuisset, mereretur, præter citatos, Cornelius, Sa, Mariana, Marzilla: & indicat Marius, atque Ioannes Benedictus, idque legi ipse in R. Abenezra. Translatio Græca est, ὅτι ἐπέτειον μισθὸν τοῦ μισθωτοῦ ἐδούλευσέ σοι ἓξ ἔτη, *quoniam annuam mercedem seruiuit tibi sex annis.* Vox Hebræa מִשְׁנֶה *misneh* à שְׁנֵי *sceni*, significat secundum à שָׁנָה *scanah*, annuum; posteriorem verò notionem secuti sunt L X X. vt sit sensus, quòd cùm seruus seruierit quemadmodum mercenarius, siue perinde ac si mercenarius fuisset, per sex annos, qui mercedem annuam quotannis persoluere oportuisset, is autem per sex annos nullam receperit, æquum sit, vt eius loco, cùm liber dimittetur anno septimo, aliquid ei detur ad viaticum. Vbi occurritur tacitæ obiectioni, vt notat, Mariana: quoniam si queratur herus carius serui sibi prouenire seruitutem, quàm aliorum operariorum; respondeatur, non ampliùs quàm duplicem mercedem esse; nec magnam censeri, si seruitium fratris doplo maioris sit, quàm aliorum, qui sponte seruiunt. Sunt hæc quidem probabilia. Sed non video, quàm sit probabilis causa ex duplici mercede victus & pecuniæ pro mercenario; vt inde concludatur, non debere videri graue, si liberato seruo, cum libertate detur viaticum. Nam seruo nulla debetur merces præter victum, ipsaméque illius emptio, pecuniæ subit locum, seu mercedis pecuniariæ. Itaque simplex sensus est, vt quandoquidem sup-

a Gen. 29. 18. 20. 30.
Seruorum Hebræorum merces.

pleuit vices mercenarij seruus, ac forsitan etiam magis, non tædeat dominum aliquid largiri eidem, cùm liberum dimittit. Illud porrò de opesis locari solitis solùm in triennium, non possum aliter probare: vt nec quòd esset merces dupla seruorum Hebræorum ad mercedem aliorum seruorum: ponitúrque de sexennio exemplum, quia hoc lapso, libertas concedi debebat, licèt seruiendi tempus, vt antea monui, minus esse potuisset, id est, minùs longè à septimo anno incoatum.

Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.] Omisso operum nomine in textu aliarum editionum, ponitur coniunctio & futurum tempus (*& benedicet te*) quod codices Græci Complutenses, ac Regij non ita rectè in præterito efferunt *εὐλόγησέ σε*. Talis promissio extat prioribus aliquot in versibus [a]. Eugubinus vult priore membro contineri rationem quòd seruus ille satis seruiuerit: hoc autem quòd quidquid fit aliis à nobis, fiet nobis à Deo, vtque tantum nostræ augeantur opes, quantum cæteris largiendo profuerimus. Plus etiam de nobis mereri fratres & conciues nostros infert Oleaster, quàm sola mercede conductos. Capponus [b] colligit licitum esse in reuerentiam alicuius festi, aliquod onus proximo relaxare, vt de carcere liberare, immò & à morte, quod factitatum ab Hebræis in paschate testatur Euangelium [c]; & alicubi principis priuilegio nonnullis sodalitatibus concessum est certis solemnibus diebus: & apud quosdam Christianos consuetudo est, vt infidelis libertate donetur, cùm baptizatur; de qua consuetudine cum Raymundo Antoninus [d]: videlicet in signum quòd sit, vt Nazianzenus [e] loquitur, seruitutis depulsio, & vindicatio à tyrannide dæmonis.

a v.4.6.10.
b in Exo. 21.
c Matt. 27. 56.17. Marci 15.6. Lucæ 23.17. Ioa.18 39.
d 3 p tit 6. c.1 §.3.
e Ora.40.

Vers. 19.] De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ouibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouiũ.

Paraphr.

TErtium est hoc ex iis quæ capite isto contineri diximus; nempe de offerendis primogenitis, quæ in tabernaculo comederentur, dummodo non essent maculata siue manca, nec sanguis in cibum sumeretur. Qua in re ordinis rationem non haberi, Abulensis rectè admonet; sed more prædicatoris Mosem frequenter ea repetere ad quæ populus procliuior erat, vt firmiùs prohibitio imprimeretur, magísque corrigerentur: cuiusmodi erat idololatria, custodia sabbati: & in proposito, ne ex auaritia detinerent primogenita armentorum gregúmque vel ad arationem vectationémve, vel ad carpendam lanam, & postea traderent. Illud præterea placet annotatum ab eodem Abulense: quòd sequenti versu præscribitur de comedendis dictis primogenitis in loco quem elegisset Dominus, pertinere ad sacerdotes, vt etiam constat ex c.18.[f] libri præcedentis. Nam vt comederet populus in eiusmodi loco, non erat opus primogenitis propriè dictis: & quidem multo minùs requirebatur, vt separarẽtur omnia primogenita. Ex veris primogenitis adeps solus offerebatur Deo & succendebatur: omnes autẽ carnes dabantur sacerdoti, nec quidquam ex illis comedebat is qui obtulerat. Rabanus & ex eodem Glossa sensu mystico docent, primogenita Deo offerri, cùm primordia bonæ voluntatis ac bonorum operum illi applicamus, considerantes omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum descendere à patre luminum [a]; Deúmque operari in nobis velle & perficere pro bona voluntate [b]: si quid leue est in nostra cogitatione aut maculam habet in conuersatione atque sermone; vel claudum in progressu operationis, vel cæcum in ignorantia mentis, aut aliqua parte deforme vel debile, non hoc immolare Deo, id est, non illi imputare; sed nostræ debere infirmitati, quia proprium est hominis corruptibilis peccare. Gregorius [c], quem Glossa strictim transcribit, hinc infert vitam incohatam, humanis occupationibus exerceri non oportere: in primogenito autem bouis operari, esse bonæ cõuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere: ouium primogenita tondere, ab occultationis suę tegmine, humanis oculis incoanria bona opera denudare, si quid robustum incipimus, exercere hoc in aperto citiùs non debere: & cùm vita nostra simplex quid, atque innocuum incoat, dignũ esse, vt secreti sui velamina non relinquat; ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere, ostendat: ad sola sacrificia boum primogenita ouiúmque proficere debere; vt quidquid forte; simplex, innocuúmque incipimus, hoc ad honorem intimi iudicis in ara cordis immolemus: à Deo tantò libentiùs accipi, quanto & ab hominibus occultatum, nulla laudis appetitione maculatur: sæpe nouæ conuersationis primordia adhuc ex carnali vita esse commixta, & idcirco innotescere citiùs non debere; ne cùm laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala, quæ latent. Rursus Glossa in parte morali per primogenita interpretatur bonorum operum initia, vt quidquid est ibi perfectionis tanquam masculum, Deo attribuatur; si qua macula insit, seu defectus, nostro defectui, quia perditio nostra ex nobis est, ex Deo auxilium nostrum [d]. Vel per primogenita intelligit neophytos siue de nouo cõuersos (nouitios etiã) qui non debent operi doctrinæ vel prædicationis applicari: nec eorum bona opera denudanda exterius, ne per inanem gloriam, prout etiam ex Gregorio dictum est, amittantur; solis enim firmis & perfectis dici [e]; *sic luceat lux vestra, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*. Cyprianus aliúsve auctor tractatuum de cardinalibus Christi operibus [f] obseruat Christum anno trigesimo ætatis post baptismum tentari priùs voluisse à diabolo in deserto [g], nec repentè ad signa, & miracula, & doctrinam vel potestate, sed interim auctoritatem continere antequam notum se faceret mundo: hac ætate tempus doctrinæ insinuatum esse rationabile, & ante has metas perperam inuadi magisterium, datam ab eo esse formam; quia non conuenit annis impubibus sedere in cathedra; & in primogenitis boum lege aratio est interdicta. Idem annotauit Gregorius [h] de Christo simul cum Ezechielẽ, qui anno trigesimo propheticæ spiritum accepit [i]; qui Christus anno duodecimo ætatis in medio doctorum in templo sedens, non docẽs, sed interrogans voluit inueniri [k]: hoc ipsũ confirmat eodem isto nostro testimonio, vt non arent in primogenito bouis. *Primogenitũ enim bonis accipimus*, inquit, *in infirma ætate primo nostri tẽporis bonam operationem; in qua tamẽ arandũ non est; quia cùm prima sunt adolescentia, vel iuuentutis nostra tempora,*

f v.17.
Oblationis primogenitorum sensus mysticus.
a Iacob.1. 17.
b Philip.2. 13.
c 8.moral. c.28.vel 34.
d Oseæ 13. 9.
e Matth.5. 16.
f Tract de ieiu. & tent.
g Matth.4. 1. & seqq. Marc.1 13. Lucæ 4.1. & seqq.
h hom.2. in Ezech.
i Ezech.1.1.
k Lucæ 2. 46.

tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer lingua nostra proscindere non audeat terram cordis alieni, &c. Quod autem Timotheo scribitur [a]; *nemo adolescentiam tuam contemnat*; adolescentiam pro iouentute sumi ac ætate solida, quæ prædicationi benè congruat docet: & quod vel Ieremias [b], vel Daniel [c] prophetiæ spiritum perceperint, miracula fuisse in exemplo operationis non trahenda; quemadmodum & linguas infantium Deus fecit esse disertas [d]; ac ex ore infantium & lactentium perfecit laudem [e]. Repetit adhuc hoc idem alibi Gregorius [f] de Christo, & Timotheo: ab utrisque ostendi exemplo, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministrauit. Animaduertit idem circa ætatem qua Christus prædicare cœpit Nazianzenus [g]: respondétque ad exemplum Danielis & similium, quod retulimus ex Papa Gregorio, nempe neqnaquam pro Ecclesiæ lege censendum quod rarò accidit; quandoquidem nec hirundo vna ver, nec geometram linea vna, nec denique nautam vna nauigatio facit. Monet præterea [h] non repentè ad Ecclesiasticas dignitates ascendendum; ne alioqui ordo omnium sanctissimus reddatur κωμῳδικώτατος maximè ridiculus; videatúrque amistes simul satus & editus, quemadmodum poëtæ gigantes finxerunt. Similia traduntur à Bernardo [i] de monacho, *qui cum sibi profusius aliquid*, inquit, *superna gratia senserit irrorari, subit animum desideriam prædicandi, quasi timeat qua absconditò accepit frumenta abscondere in populis* [k], *& vereatur contra Euangelium facere, nisi qua in aure audiuit, prædicauerit super tecta* [l]. *Vulpes est*, ait; *atque illa priore* (de qua priùs egeras) *eo nocentior quo occultior veniens. Sed capito tibi eam. Primus Moyses dicit; non arabis in primogenito bouis: hoc Paulus* [m] *interpretans; non neophytum*, inquit, *ne in superbiam elatus, incidat in iudicium diaboli*. & rursum; *nec* [n] *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: item* [o], *quomodo prædicabunt nisi mittantur. Et seruus*, subdit ipse, *monachi officium esse non docere, sed lugere*. Vltimum Hieronymi [p] etiam est. Similem monachi tentationem abbas Abraham apud Cassianum [q] Macarij auctoritate detegit. Legendus idem Cassianus in institutionibus [r]. Rursum Bernardus [s] *quod tuum est*, ait, *spargis & perdis, si prius quam infundaris to totum, semiplenum festines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens*. Circa ouium tonsionem [t] Stephanus Cantuarensis obseruat non tonderi hyeme, ne illius asperitate opprimantur; idque moraliter loquendo facere, qui causa inanis gloriæ opera sua ostentant: in æstate autem qui pro vita æterna laborant.

a 1.Tim.4. 14.
b Ier.1.6.
c Dan.13. 45.
d Sapie.10. 21.
e Ps.8.3.
f 3.p.Pastc. 26.
g Ora.39.& 40.
h Ora.20.
i ferm.64. in Cant.
k Prou.11. 26.
l Matth.10. 27.
m 1.Tim.3. 6.
n Hebr.5.4.
o Rom.10. 15.
p apud Grat. 16 q.1 c. monachus.
q colla.14. c.13.
r l.11.c.14. & 15.
s ferm.18.in Cant.
t apud God. Tilman.in alleg.

Explanatio. *De primogenitis quæ nascuntur in armentis, & in ouibus tuis*.] Pro armentis sunt boues in aliis editionibus: & pro ouibus potuerunt poni greges, vt sæpiùs admonuimus, comprehendendo sub his alia minora animalia ouilli captiuúque generis, ac etiam porcorum, &c. sub illis camelos, bubalos, equos, &c. quamuis hic agi videatur per se de vtroque genere, vt fuit, ad esum humanum. Abulensis notat in cap. 14. semel accipi armenta pro minoribus animalibus, citans (*siue ex armentis, siue ex bobus*.) Sed praua lectio est, quæ pro ouibus boues habet, vt ibidem [u] admonitur, vbi Abulensis eadem mendosa lectione vititur. Augustinus [x] transcriptus à Rabano & à Glossa legens (*omne primogenitum quod natum fuerit in bobus tuis, & in ouibus tuis masculinum sanctificabis Domino Deo tuo*) quærit vtrùm quæ Græcè dicuntur πρωτότοκα, nec Latinè dici nisi primogenita possunt, in his intelligenda sint, quæ nascuntur ex matribus; quoniam ipsa propriè pariuntur potius, quàm gignuntur. Patere quippe, inquit, est τίκτειν, quod est ex fœmina, vnde πρωτότοκα dicitur: gignere autem est γεννᾶν, vnde propriè Latinè primogenitus dicitur. Ex fœminis autem dabantur primitiua, id est, quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebantur a viris, si forte ex viduis, quæ iam pepererant, gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vuluam, quod proprium voluit esse lex eorum, quæ primò nata Domino Deo debebantur. Tum infert. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustrà Dominus non dicitur à Patre πρωτότοκος, sed μονογενής, id est, vnigenitus, quod est vnicus: a mortuis autem primogenitus quidem Latinè dicitur, quia non potuit Latinum verbum ita componi secundùm loquendi consuetudinem; Græcè autem πρωτότοκος dicitur non πρωτογενής, id est, vnigenitus, tanquam Pater genuerit æqualem sibi, creatura verò pepererit. Nam & quod dicitur primogenitus omnis creaturæ [a], quod ibi πρωτότοκος Græcè legitur, potest ita intelligi secundùm nouam creaturam, de qua dicit Apostolus [b]; *si qua igitur in Christo noua creatura*, ex qua ille primitus est; quia primitus ita resortexerit, vt iam non moriatur, nec ei mors vltrà dominetur [c], quod noue creaturæ, quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Sed ista distinctio, pergit ipse, non temerè affirmanda, sed in Scripturis diligentiùs perscrutanda est. Mouet enim, quemadmodum dici potuerit in Prouerbiis; *primogenitus tibi dico filis*, id est, ex cuius persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei patris persona ad Christum dicitur, cui sententiæ vtrùm sequentia consonent, vix est asserere, eumdem dicit primogenitum quem vnigenitum, quia etiam nos filij Dei sumus: vnigenitum verò, quoniam solus ille de substantia Patris, & Patri æqualis atque coæternus est. Tandem concludit. Mirum est autê, vtrùm inter parere, & gignere euidentissimis documentis sacra Scriptura distingoat. Tam multa ex Augustino, propter multiplicem vtilitatê. Cæterùm Prouerbiorum locum non reperio: in epistola ad Hebræos [d] dicitur primogenitus introductus in orbem terrarû. Sed eo sensu Augustini, quia verè primogenitus est inter multos fratres [e], qui quâuis adoptione sola fiot filij Dei, non confunditor eus fratres vocare [f], quos præcedit ætate, quia æternat, ac dignitate, quia naturalis: nô tantùm per allusionem; quatenus erât primogeniti apud Hebræos heredes, omniúmque rerû domini. Vnicum in Apostolico symbolo, & in Niceno vnigenitum confitemur; propriéque primogeniti nomê Christo conuenit, vt est homo Deus, pérque comparationem ad alios: licèt per gratiâ vnionis, ipse, alij per gratiam adoptionis: quæ Christo tribui non debet; quâuis etiam vt Deus verè genitus dicatur; immò ex vtero ante luciferum [g]: & quod literali sensu Esaias [h] inducit Deum dicentem de conuersione gentilium adeò subita & mirabili, Theologi transferunt ad fœcunditatem Dei Patris naturalem, infinitam efficacissimámque, qua genuerat consubstantiale ac æquale sibi Verbum, siue Filium. Discimus etiam ex Augustino, primogenita quæ secundùm legem offerenda erant, ea fuisse quæ primùm prodiissent ex ventre siue vulua, hanc aperiendo, non quem

u v.16.
x q.43.
a Coloss.1. 15.
b 2.Cor.5. 17.
c Rom.6.9.
d c.1.6.
e Rom.8 29.
f Hebr.2. 11.
g Ps.109.3
h c.66.9.

mas primum suscepisset seu genuisset, quia genuisse poterat ea fœmina quæ iam antea peperisset ex coniunctione cum alio.

Quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo.] Idem præceptum in prioribus[a] libris, exprimendo quòd primogenitum aperiat vuluam; causámque reddendo, quia percusserat Deus in Ægypto omne primogenitum.

a Exod. 13. 2. c. 34. 19. Leu. 27. 26. Num. 3. 13. & 8. 16. 17.

Non operaberis in primogenito bouis.] Iuxta editiones alias (*in primogenito boue tuo*, vel *vitulo tuo.*) In Græca ἐν ἔργῳ vel ἐργάσῃ ἐν τῷ πρωτοτόκῳ μόσχῳ σου. Ætatis nomen est μόσχος, quæ conuenit primogenito, & cuiuis ex genere bouino cùm adhuc minor est: ferè autem per duos tresúe annos expectandum esset ei qui vellet vti opera illius ad arationem vel onera. Porrò arandi verbo vtuntur citantes hunc locum Cyprianus[b] aliúsve, Gregorius[c] aliquando (licèt etiam vsurpet operandi verbum[d]) Bernardus[e] & alij. Verbum עבד *bhauad* peculiariter dicitur de seruitute circa terram, siue de cultura terræ: vocatúrque Cain agricola עבד אדמה *bhoned adamah*, ἐργαζόμενος τὴν γῆν: & ἐργάται atque ἐργάται sunt οἱ ἐν ἀγρῷ οἰκέται, *serui quorum opera in agris vtimur*. In 2. Regum[g], *operare ei terram*, ἐργᾷ (in futuro pro ἐργάσῃ αὐτῷ τὴν γῆν:) licèt aliqui codices habeant ἔργα imperatiuè, siquidem sequitur eodem loco futurum εἰσοίσεις, *inferes*. Latiore significatione in Exodo[h], *sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua*, ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ (pro ἐργάσῃ etiam; quia futurum est simile sequenti ibidem verbo, ac minus rectè scribitur ἔργα in imperatiuo, καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου. Amplior notio conuenire proposito videtur. Si enim arare, inquit Abulensis, vel currum vehere vellet in primogenito bouis, oportebat retinere eum per duos vel tres annos: hoc autem sacerdotibus damnum esset, & dominis offerentibus occasio mali, vt lucri cupidiores fierent. Oleaster arbitratur quantum ad tempus quo primogenita offerri deberent, si de pecudibus agatur, non ante septimum diem, quia lex[i] iubebat vt sex diebus, (immo septem) essent cum matre: si de homine, colligi ex Luca[k], die 40. adduci debuisse. Atqui priore[l] libro dicitur huius redemptionem post vnum mensem esse oportuisse. Lege illius loci commentarium.

b de cena. & tetu Christi. c homil. 2. in Ezech. d 8. mor. c. 29. vel 34. e serm. 18. & 64. in Cant. f Gen. 4. 2. g c. 9. 10. h c. 20. 9. i Exod. 22. 30. k c. 2. 21. 22. l c. 18. 16.

Et non tondebis primogenita ouium.] Singulari numero in editionibus aliis, sed collectiuè (*primogenitum ouium tuarum.*) Tonsionis ouium mentio est in Genesi[m], historia[n] Regum; Cantico[o] canticorum, Esaia[p], sed in isto sub nomine agni, vt & in actibus[q] Apostolicis. Tonsio quoque caprarum hircorúmque est ad vsum nauticum, tormentáque bellica, sicut ouis fructum è lana ad vestimentum ministrat, inquit Varro[r], necnon[s] Columella, Autor[t] Geoponicon, Philo[u], Virgilius[x], cuius illud est.

Nec minus interea barbas incanáque (valde cana) *menta*
Cinyphij tondent hirci (pastores istius pecudis, vel tondentur hirci) *setásque comantes*
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Vnde cilicia: quoniam apud Cilices magnus vsus confecti è pilis caprarum munimininis, vt proinde, teste Philosopho[y], tonderentur in Cilicia capræ, vt locis aliis oues. Quamquam & de vestibus ex ea materia, vt de penulis viatoriis, citatus prodit Philo; & quem cum prioribus nominat Gerda[z] noster, Silius Italicus: ex iisdémque pilis vndulata texitur vestis quam vocant chamelotum. Sub ouibus non dubium, quin comprehendantur primogenita caprarum, ne etiam tondeantur. Attamen per tonsas absolutè, atque sine addito intelliguntur oues citato loco ex Cantico canticorum, *dentes tui sicut greges tonsarum*: quamuis Hebræus anonymus capras ibi, sed malè, intelligat, & insinuet etiam Ambrosius[a]. Præcipit Varro[b], & auctor[c] Geoponicon, & Columella[d] de tonsura vtriusque pecudis & quâtum ad tempus, & quantum ad modum: ex notatis in margine scripturæ locis dicitur huic operi Patriarchas ipsosmet vacauisse, vt Laban, Iudam; & ex aliis primariis viris Nabal, &c. Cæterùm placet quod cum R. Salomone Lyranus & Rickelius aiunt, eamdem rationem esse debuisse de oue, quæ offerebatur pro primogenito asini[e], vt scilicet offerretur cum lana. Denique hinc reprehensio colligitur eorum qui deteriora offerunt Deo, vel pauperibus. Istis etiam delicata præbenda monet Albertus[f], probátque Nehemiæ[g] testimonio, qui pinguia & mulsum dari volebat. Cui Iob addendus[h], qui buccellam solus non comedebat, sed cum pupillo communicabat: & Martinus Papa I. delicatos panes ac plura vini genera Romam aduentantibus præbebat[i].

m c. 31. 19. c. 38. 13. n 1. 1. 25. 2. 7. o c. 4. 2. p c. 53. 7. q c. 8. 32. r 2. de re rust. c. 11. s l. 7. c. 6. t l. 18. u de animalibus idoneis ad sacrif. x 3. Georg. y 8. hist. animal. c. 28. z in 3. Georg. v. 295. not. 24.

a in ps. 118. octon. 16. b supra. c l. 18. d 7. de re rust. c. 4. e Exod. 13. 13. f in Luc. 14. g 2. Esd. 8. 10. h c. 31. 17. i in actis eius.

Vers. 20.] In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus, tu, & domus tua.

PRiore versu indicauimus, & ex professo Abulensis benè probat, non videri quod hîc præcipitur pertinere ad offerentes, quia nec propriè dicta primogenita necessaria erant ad comedendum per singulos annos cùm ascenderent ad locum dicatum Deo, nec adeò multis opus erat, id est, separatis masculis ex omnibus armentis & gregibus: nec oportebat vetare vt non operarentur in bobus, aut non tonderent oues. Igitur spectat hoc ad sacerdotes, quibus primogenita immolare conueniebat, & excepto adipe quem incendebant, carnes omnes in sanctuario comedebant. Sequitur Abulensem Cornelius noster: Leonardus Marius refert quorumdam opinionem, quòd dato pretio potuerint primogenita non sacrificanda comedi ab offerentibus. Sed refellit, quia ex c. 18. Numerorum constat non potuisse primogenita vendi, vel redimi. Quare accedit ad præcedentem sententiam, vt alloquatur Moses sacerdotes, seu eos qui poterant primogenita licitè comedere. Putat Caietanus repeti quod c. 12.[k] præceptum est, de offerendis holocaustis, victimis, decimis, primitiis, votis, donariis, primogenitis boum & ouiũ (vocat ipse generaliter eximia) atque vt comederent in cõspectu Domini, &c. hícque declarari quòd singulis annis id fieri deberet. Oleaster vult ex hoc loco constare, non solùm sacerdoté, sed etiam dominũ primogeniti (quod propriè sumi asserit, & nõ pro primitiuo seu præcipuo eximióve) comedisse illud, si quasi pacificum immolaretur. Marzilla interpretatur de aliis præter sacerdotes, si hi illos inuitarent ad participationem hostiarum pacificarum, quas ex primogenitis sibi collatis offerre voluissent. Exponit etiam de parte quam darent sacerdotes. Difficultatem facit mihi, quòd primogenita propriè sumpta non tenebantur sacerdotes immolare; quòd illa quæ iuris erant sacerdotalis[l], non erat necesse deferre in Ierusalem, sed sufficiebat ea tra-

PARAPHR.

k v. 6. 7. l Num. 18. 15.

dere

dere quocumque loco commodè fieri posset: quod non video vnde probari valeat potuisse quosuis à sacerdotibus inuitari ad manducandum de sacrificatis. Quocirca hypothesis ponenda est si sacerdotes sacrificarent primogenita, quæ ipsi etiam cum iis comederent; quibus lex in vniuersum permittebat, nempe ad eius domum pertinentibus, vt mox subditur.

Explanatio.

In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos.] Commutationem personæ admittendam Abulensis notat, vt quæ hîc dicuntur, spectent ad sacerdotem, propter allatas rationes; ita vt spectet hoc ad sacerdotem, priora ad alios offerentes. Alioqui commutari personæ absque necessitate non debent. De decima parte separanda ex cunctis fructibus per annos singulos, & comedenda in conspectu Domini Dei in loco, quem is elegisset, cum primogenitis armentorum & ouium, dictum est capite præcedente [a]. Sed hoc omnium erat.

In loco quem elegerit Dominus.] Deum tuum addunt editiones aliæ. Sic etiam aliquoties priùs [b], & adhuc postea [c].

Tu, & domus tua.] Eodem etiam pacto priùs [d]. Intelligitur autem hîc de sacerdote & familia eius, vt antea docuimus.

a v.22.23.
b c.12.5.11. 12.14.18.
c 26.c.14.2. 23.24.25.c. 15.2.6.7.11. 15.16. c.17.8.10. 15 c.18.6.c. 26.2.c.31. 31.
d c.12.7.c. 14 26.

Vers. 21.] Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cœcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.

Vers. 22.] Sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & ceruo.

Paraphr. e v.21.& seqq.

IN Leuitici cap. 22. [e] vetitum iam est, ne quis offerat animal maculam habens, non cœcum, non fractum, non cicatricem habens, aut papulas, aut scabiem, aut impetiginem: cui auris & cauda sit amputata, permittitur offerri voluntariè, sed non voti nomine: nullo pacto cui contriti, vel tusi, vel secti, ablatíque testiculi. Munera praua prohibet auctor Ecclesiastici [f] ne offerantur. Deus ipse apud Malachiam [g] conqueritur de illis qui offerebant ad immolandum cœcum & claudum, & qui munus inferebant, & quidem de rapinis, claudum, & languidum; quíve votum fecerant de debili. Cadit autem per se ibi reprehensio in sacerdotes, qui eiusmodi victimas illegitimas offerrent pro se: aut à populo tales allatas ad sacrificium non respuerent: aut quia ex suis illegitimis sacrificarent, permutando cum legitimis oblatis à populo. Satis multa in Leuitici commentario annotata sunt, prolatis his ipsismet locis ex Ecclesiastico, & ex Malachia. Gaspar Sanctius noster explanans Malachiam, transfert moraliter ad eos, qui altari Christi, quod symbolicè significatur per illud materiale, offerunt opera imperfecta, imperfectéque patent superioris, qui vices eius gerit, & in quo Deus absconditus est, sicut in Cyro Esaias [h] fuisse scribit: licèt ipse possit esse imperfectus; præceptis, procedúntque perinde, ac si cœci essent, non considerantes Deum in superiore; aut claudi, tardè, flexuoséque operantes: aut languidi, cum murmure, gemitu, renitentia, coactione; quæ vitia in dandis beneficiis Seneca [a] notauit. Item ad eos, qui quod melius est ætatis, ac virium, immò animam ipsam diabolo, mundo, carni primùm dant, quod ferè inutile est, tum demum Deo. Similia prior attigerat Ribera [b] item noster. Abulensis autem colligit hoc loco rationem, vt ex rerum oblatione meliorum intelligatur quanti fiat Deus. Eadem verò de causa infert docere vt Ecclesiæ sint valdè pulchræ in ædificiis parietum, apparatibúsque ministrorum, & ibi seruiat aurum ac argentum; pérque hanc terrenam pulchritudinem ad admirationem & desiderium illius cœlestis pulchritudinis aspicientes conuertantur. Confirmat exemplo tabernaculi adeò pulchri quod in deserto constructum est, atque templi tam magnifici, quod Salomon ædificauit. Cauendum tamen monet ne interim pauperes Christi fame pereant, propter quos ipsamet sacra vendi possunt [c]. Stephanus [d] Cantuariensis moraliter dicit quidquid leue est in nostra cogitatione, vel maculosum in nostra conuersatione, vel claudum in operis progressione, vel cœcum ignorantia mentis, vel aliqua parte deforme aut debile, non debere immolari Deo, id est, ipsi imputari, sed nobis: quod autem bonum est in nobis, Deo attribuendum.

f c.35.14.
g c.1.8.13. 14.
h c.45.15.
a 1.de benef.c.7.
b in Mal. 1.
c 12.q. 2.c. aurum.
d apud Godefridum Tilman. in allego.

Explanatio

Sin autem habuerit maculam.] Hebraicè מום *mum*, Chaldaicè מומא *muma*, Græcè μῶμος, quæ, vt alibi docui, non coloris vitium, varietatémve denotat, sed integritatis defectum, qui deinceps particulariter exprimitur. Sicula vox μῶμαρ significat μέμψιν, & αἶσχος reprehensionem vituperiúmque: Plautúsque illa vtitur

Quid tu, ô momar, Sicule homo præfiscinè.

Vel claudum fuerit, vel cœcum.] Similes defectus designauit liber Leuitici [e] in sacrorum ministro, cum aliis. Consule locum illum.

e c.21.17. & seqq.

Aut in aliqua parte deforme vel debile.] Loco istorum habent editiones aliæ *omnem maculam malam*, כל מום רע *chol mum rahh* πάντα μῶμον πονηρὸν: Chaldæa *omne fulcimentum malum*, כל מדעם ביש *chol middahham bis*, id est, fixum, ac inhærens firmiter. Sed simile exemplum non occurrit.

Non immolabitur Domino Deo tuo.] Actiuè in aliis editionibus (*non immolabis*, siue *sacrificabis illud*, לא תזבחנו *lo thizbachennu*, לא תקריבנה *lo thichsinneh*, οὐ θύσεις αὐτό.

Sed intra portas domus tuæ comedes illud.] Græcè (*in vrbibus tuis*, ἐν ταῖς πόλεσί σου. Sic etiam cap. 14. [f] pro portis vrbes ponuntur.

f v.21.27. 29.

Tam mundus quàm immundus similiter vescentur eis.] Potuit dici (*eo*) quia priùs erant nomina singularis numeri: & editiones aliæ habent immundum priore loco, qui etiam ordo videtur magis naturalis, vt præcedat mundus, de quo non potest dubitari. Stephanus Cantuariensis paulò antè citatus perinde ac si de animali mũdo & immundo sermo esset, non de homine, docet vesci mundo animali, esse animam bonis cogitationibus, cum proposito benè faciendi nutrire: immundo, memoria peccati animam reficere: primum significari in benedictione Iosephi [g]; *benedicat tibi Dominus benedictione desuper*, secũdum ibidem, *& benedictione abyssi iacentis deorsum*.

g Gen.49. 25.

Quasi capream, vel ceruum.] Duo hæc animalia nominata sunt priùs [h] ad hoc propositum non semel: & quidem semel [i] sicut hîc scriptum est, comedi posse immundum, maculatum, debile, non modò mundum, integrum,

h c.12.15. 22.c.14.5.
i c.12.15.

sine macula: item quòd & mundus & immundus in commune vesci possent [a].

a vers. 22.

Vers. 23.] Hoc solùm obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

Paraphr.

b Leuit. 3. 17. c. 7. 26. 27. c. 17. 10. 11. 12. 13. c. 19. 26. Numer. 18. 17. Deut. 12. 16. 23. 24. 27.

FRequenter [b] hoc inculcatur; & hîc quidem, quia cùm animal, quod secundùm speciem immolatitiũ erat, cuiuis comedere liceret, ambigi poterat, vtrùm etiam fas esset sanguinem illius manducare. Repetitum est idem præceptum ac retentum, & obseruatum in initio ab Ecclesia [a]. Citatis in margine locis rationem reddidimus.

a Act. 15. 20. 29. c. 21. 25.

Explanatio

Hoc solùm obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas.] Iuxta reliquas editiones (*tantùm, attamen, verùm sanguinem eius non comedes.*) In cap. 12. [b] (*hoc solùm caue*) & in aliis editionibus, *veruntamen confortare vt non comedas, caue fortiter,* &c. Quæ formulæ insinuant quantopere commendatam Deus vellet istam prohibitionem.

b v. 23.

Sed effundes in terram quasi aquam.] Lege annotata in cap. 15. [c] de hoc ipso loquendi modo ad eamdem sententiam accommodato, necnon & ad alias diuersas.

c v. 16. 23.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMISEXTI.

REPETVNTVR isto capite præcepta de triplici festo annuo, iam priùs tradita in Exodo [a], *Leuitico* [b], *Numeris* [c], *hoc est, Paschatis seu azymorum, Pentecostes siue hebdomadarum, atque tabernaculorum; cùm in præcedente capite actum fuerit de aliis ritibus sacris, aut qui ad hos reuocari queant, exercendis quolibet septennio. Triplicis festi institutio propter triplex insigne beneficium fiat, egressionis de Ægypto; datæ legis; conseruationis in deserto. Resurrectionis Christi, qui pascha nostrum est* [d], *primum gessit typum; vtque transigamus hoc tempus vitæ in azymis syncerıtatis & veritatis* [e]; *sicque ad æterna reuertamur tabernacula: secundum collati Spiritus sancti donorúmque septem eiusdem: tertium peregrinationis istius vitæ, in qua deducimur à Deo. Sic Glossa & alij. Præterea, iniungitur vt iisdem vicibus tribus concurrant masculi, sed non absque muneribus. Deinde, vt constituantur iudices & magistri ad portas ciuitatum, qui de iure respondeant, atque decernant sine vllo personarum respectu, simpliciter, & iustè, non sinentes excæcari se, & corrumpi muneribus. Postremò, vt caueant, præsertim per dictos magistratus, ne vlli gentilitij ritus admittantur: qualis plantatio luci nemorisve iuxta altare Dei, aut statuæ constructio. Abstinendum erit à prolixiore commentario; cùm iisdem de rebus maiore ex parte iam præcesserit alius ad citatos libros Leuitici, & Numerorum.*

a cap. 12. & 23. & 34.
b cap. 23.
c cap. 28. & 29.
d 1. Cor 5. 7.
e ib. vers. 8.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

1. OBSERVA mensem nouarum A frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

3. Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto: vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo vsque mane.

5. Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

6. Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.

7. Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéque consurgens vades in tabernacula tua.

8. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris.

10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta B benedictionem Domini Dei tui;

11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui est intra portas tuas, aduena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi:

12. Et recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto: custodiésque ac facies quæ præcepta sunt.

13. Sollemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas:

14. Et

14. Et epulaberis in festiuitate tua, tu, filius tuus, & filia, seruus tuus, & ancilla, Leuites quoque & aduena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus: benedicétque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erísque in lætitia.

16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in sollemnitate azymorum, in sollemnitate hebdomadarum, & in sollemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus:

17. Sed offeret vnusquisque secundùm quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

18. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: vt iudicent populum iusto iudicio,

19. Nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.

20. Iustè quod iustum est persequeris: vt viuas & possideas Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

21. Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.

22. Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

Vers. 1.] Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto, nocte.

Paraphr. PRimi festi, quod est Phase, siue Pascha, tempus assignatur vernæ tempestatis mensis, quo in regione Palæstinæ solent fruges ad maturitatem appropinquare, ex earum verò spicis manipulus fiebat offerendus, torrendúsque, vt per confricationem excussis granis, fieret sacrificium die secundo azymorum, qui incidebat in decimum sextum dicti mensis; qui vel erat Martius noster, vel aliquando Aprilis, pro lunæ ratione. Causa verò præcepti redditur, memoria beneficij planè singularis, eo quòd tali tempore, & quidem etiam de nocte, liberauit Dominus Hebræum populum suum ex durissima captiuitate, qua tamdiu oppressus fuerat in Ægypto. *Sic & nos*, inquit Rabanus, *per hoc exemplum instruimur, vt qui per gratiam Dei de spirituali Ægypto liberati sumus, nouum hominem induti, deinceps in nouitate vitæ ambulemus: consecrantes Deo primitias bonorum operum, ac religiosa vita gratiam tanti beneficij semper exhibentes, futurique semper memores, vnde appellata sit illa solemnitas Phase, quod nos transitum possumus vocare, scilicet vt de peioribus ad meliora pergentes, tenebrosam Ægyptum derelinquamus, & ad terram repromissionis fœliciter peruenire contendamus.*

Cyrillus [a] Alexandrinus ex primis huiusce capitis verbis captat occasionem in homilijs de festis Paschalibus. *Cum nempe dicat Moses*, inquit, obserua mensem nouarum frugum, & facies Pascha Domino Deo tuo; *an non & nobis instantis iam celebritatis diem indicare necesse fuerit? Cessere scilicet hyemis importuni terrores, iam aeris intemperies & caligo disiecta; iam imbres, ac ventorum efferi impetus pacati ac nulli. Tum vernæ rursum tempestates procedunt, quæ agricolam a torpore, atque inertia vindicantes, ad opera properandum esse aratoribus propemodum emissa voce denuntiant. Prata nimirum varijs vndequaque floribus ornantur*, &c. Tum post alia in eamdem sententiam, negat hæc à se prolata temerè, cum non frustrà lex hunc mensem nouarum frugum seruandum præceperit. *Fuit illud namque*, ait, *fuit omnino ratione consentaneum, vt hominis quoque natura cum herbescentibus aruis fœcunditate certaret, ac pietatis, vt sic dicam, germinibus τοῖς τῆς εὐσεβείας, ἵν' οὕτως εἴπω, βλαστήμασι, vndique efflorescerет.* Deinceps ostendit mensem nouarum frugum congruere tempori peregrinationis Christi, quo nos omnes festam celebritatem exultabundos agere deceat. *Nempe iam extinctus datus est*, inquit, *ille inuentor mali dæmon, qui more hybernæ tempestatis vniuersorum occupasset animos, nosque nouarum cupiditatum velut assiduo imbre perfunderet: ventorum impura iam disiecta, tristisque peccati nimbus gratia bono discussus: vernum se in nos veluti lumen effudit; dataque præterea spiritus primitia instar Zephyri cuiusdam, aut aura lenis, omnium animos perflans, quorumque insidere mentibus, eos à nouis floribus odoris iucunditate vinci minime patiuntur; quia Christi bonus odor sumus* [b]*: anteacte vita vetustate solitorum instar exuimus, & in alterum denuo modum florentem, recentémque renouamur; ita vt noua creatura fiat, vetera transeant, noua existant omnia* [c]. id innuit verbis illis [d]; *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni; iam enim hyems transijt*, &c. Causas, cur diem Paschalis Nazianzenus [e] cognominet τὴν βασίλισσαν τῶν ἡμερῶν, *reginam dierum* (Augustinus, [f] aut Emisenus, aliúsve, matrem vocat dierum, eo modo, quo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet: quod alij de naturali [g] Christi, quidam [h] de ascensione affirmant) Scholiastes ipsius Elias Cretensis reddit; aut quia rex etiam temporum ver est, vt quod omnibus alijs anni temporibus temperatius sit: aut quia Christus in eo resurgens, regnum nobis aduersus turbulentas animorum permotiones concessit, ac potestatem calcandi super serpentes & scorpiones [i]. Augustinus [k] propter vitæ nouitatem primum mensem celebrationi Paschæ attributum notat, qui dicatur quoque mensis nouorum, quando sol est in ariete. Reginam item ac dominam dierum Paschatis appellat Ephrem [l], Gregorius [m] solemnitatem solemnitatum: Concilium [n] Ancyranum μεγάλην ἡμέραν *magnam diem*. Chrysostomus [o] Iudæos temporis sui reprehendit; qui de temporis hic præscripti circumstantia solliciti, Pascha celebrant non seruata loci circumstantia: cùm æquè datum sit de ambabus præceptum: & pluris factam loci circumstantiam à Mose, constet ex prioris libri cap. 9. Cæterùm in 47. præcepto ex affirmatiuis Hebræi catalogi, habetur computandas fuisse quatuor reuolutiones, hoc est,

a hom. 1. de festis Pasch.
b 2. Cor. 2. 15.
c 2. Cor. 5. 17.
d Cant. 2. 10. 13.
e orat. 19.
f in append. serm. 51.
g hom. de S. Philogono.
h Epipha.
i Luc. 10. 19.
k epist. 119. c. 3. & 8.
l tom. 3. ser. de cruce.
m hom. 22. in Euang.
n can 6.
o serm 2. cont. Iudæ.

est, ingressum solis in quatuor angularia signa, & item oeconomiam lunæ: quia decoctio frugum & pomorum dependet à motu solis: hinc etiam scitur, quando embolismus fieri debeat, & quando non, iuxta illud quod isto loco scribitur; vt obseruetur mensis maturescentis frugis. De hoc alibi, iique qui de Kalendario disputant, simul & de more indicendi futuri Paschatis diem, vt liquet ex epistolis Paschalibus Theophili Alexandrini, ex Gregorio [a], & aliis.

a lib. 7. ep. 8.

Explanatio. Mensis nouarum frugum quis.

Obserua mensem nouarum frugum.] Hebraicè *mensem* אביב *Abib*, Chaldaicè אביבא *Abbiba*. Valet *Abib* spicam cum culmo siue calamo, éstque inde mensi nomen idem inditum; licet post captiuitatem Babylonicam mutatum dicatur in nomen Nisan. Rabanus, ex eodémque Gloss, Hugo, & alij, proferentes nomen Græcum Xanthici, volunt esse Aprilem nostrum: & in eo manipulos spicarum, seu primitias messis offerri Deo debuisse; videlicet, vt antea dixi, secundo die azymorum. Retuli sub finem secundi capitis Leuitici, docens non Aprilem præcisè: sed non rarò partem istius, & Martij, respondere mensi Abib seu Nisan festiuitati Paschali designato, iure à nostro Ribera [b] Pagninum argui, qui Iolij mensem transtulerat. Oleaster hoc loco restatur prioris editionis illum errorem fuisse, in aliis editionibus, & in Lexico emendatum. In translatione Regiis Bibliis adscripta interpretatur ille Abib Martium, vel Aprilem; quod Vatablus quoque facit, idémque Oleaster, Rickelius, & Caietani Scholiastes Fonseca, &c. Vltimus verò, post Munsterum apostatam, quem reticet, posito duplici mensis nomine Abib & Nisan, eo modo quem dixi; notat, mensem illum Iudæos editis canonibus sic lunæ cursui per embolismos (qui septem numerantur in cœlo lunari) motui solis adaptasse, vt non posset vel præuenire, vel sequi naturæ ordinem, & primæ maturitatis iustum tempus saltem in terra promissionis quæ temperatior est. Mensem viridem siue germinis noster Mariana exponi vult ad verbum, carpens Pagninum, cùm Iulius mensis à Nisan quintus siue Iulius, non *Abib* vocetur, sed *Ab*, quòd terra primo vere vestiatur herbis floribúsque, ac idcirco etiam cognominetur vernaculis linguis illius temporis verni Pascha floridum. Carpit nomine suppresso Lyranum Rickelius, quòd eo tempore scripserit fruges ad maturitatem appropinquare, vúltque in terra promissionis tunc messis inceptionem fuisse: quoniam nec textui, nec Glossæ, nec auctoritati Hieronymi, nec Magistri in historiis consonat: & non solùm hîc, sed & alibi sæpe Scriptura vocat mensem illum, mensem nouarum frugum, seu messium. In Exodo [c] quidem certè hordeum læsum appellatur אביב *abib*, id est, *virens*, vt nostra reddit editio Græca, quia germinauerat ... Lege præterea de isto eodem vocabulo annorata cap. 28. [d] libri præcedentis; vbi, vt & in alio loco ex Leuitico, egi de Græcis vocibus ... atque quòd aliquando [e] transferat Interpres mensem nouorum. Ezechiel [f] scribit se venisse ad transmigrationem ad aceruum nouarum frugum תל אביב *thal abib*. Quia verò acceperat visionem, de qua loquitur, quarto mense [g]: aut si fuit alia, non longè ab illo, videlicet circa mensem Iulium, qui quartus vel quintus Hebræorum mensis est incipiendo à Martio, dicitúrque apud nonnullos etiam Latinos Quintilis: præterea quoniam illo tempore nouæ fruges non poterant

b in Agg. 2. 1.

Qualiter mutatus à Iudæis.

c c. 9. 31.

d vers. 16.

e Exo. 23. 15. c. 34. 18.

f c. 3. 15.

g cap. 1.

meti, nec hordeaceæ, quia incunte in azymorum dies, nec triticeæ, quia sub tempus Pentecostes falci maturæ sunt, & areæ, aliquamdiu ante quartum quintúmve mensem, in quo Ezechiel illa quæ narrat patiebatur, intuebatúrve: his de causis exponi solet תל אביב *thal abib*, vt nomen loci proprium, cuius interpretationem editio nostra expresserit; sicut pro Salem *pacem* [a]; pro Baalhamon, *in ea qua habet populos* [b]; & sic de aliis quæ collegit Gaspar [c] Sanctius noster, vt de Simone zelote pro Chananæo; de Didymo pro Thoma; de quatuor in vnica clausula libri primi Paralipomenon cap. 4. [d] Immò Suetonius [e] patrem suum nominat Lenem, & tamen ipse pro Leni Tranquillum sumpsit: quamuis in membranis veteribus Lætus sit non Lenis. Sed non refert. In Ecclesiastici cap. 24. [f] legimus; *qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tygris in diebus nouorum*, id est, in tempore veris.

a Psal. 75. 3.

b Cant. 8. 11.

c ibidem.

d vers. 22.

e in Othone c. 10.

f vers. 34.

Et vernis primum temporis.] Sunt Interpretis hæc omnia. Primus autem apud Hebræos mensis, quem vocatum dixi Abib & Nisan [g] (siue à נוס *nus*, *fugere*, quia eo mense fugerant ex Ægypto Hebræi: eóque tempore fugit frigus: siue à נס *nes*, *vexillum*, quoniam præbent vexillorum tone speciem virescentes campi: túncque transito mari rubro, ac submerso Pharaone cum exercitu, sustulit quodam modo Deus victoriæ vexillum) nostróque respondere Martio vel Aprili, nouarum mensis frugum est apud Palæstinos. In Exodo [h] editio quoque nostra mensem verni temporis, quo populus egressus est de Ægypto, vocat, synonyme simul tempus & mensem nouorum: cùm Græcè solùm sit ... Hebraicè מועד חדש האביב *mohhed chodes haabib*, & חדש האביב *chodes haabib*. Chaldaicè eodem pacto, vbi est אביבא *abbiba* seu *abbiba*, & pro mense ירחא *iarcha*, *à luna*, pro tempore זמן *zeman*. In Genesi [i] vernum tempus legimus Latinè pro כברת *chibrath* quasi à כ *che*, & בר *bar*, hoc est, iuxta frumentum, tempúsve, quo terra segetes profert. Electum tempus transtulit in 4. [k] Regum Interpres, vbi vox Hebræa eadem extat. Hieronymus reiiciens versiones Græcas Genesis, quæ habent *hippodromum*, vel ... melius ait si transferatur, *in electo terra tempore*: Significare autem tempus vernum, cùm in florem cuncta rumpuntur (Aprilem ab aperiendo denominant, & anni tempus electum est, vel eùm transeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris quodcumque ad manus venerit, diuersis floribus inuitati. *Ver* Varro [l], quasi *viuer* dici vult; quòd omnia viuere eo tempore, seu virere, ac vitæ opus prodere incipiant, ipsúmque se tempus anni vertere: alij ab ..., & contractè ..., Ionicè autem ...: ... ab ...: quoniam tum tellus denuò emittit omnia. Nominat Maro [m] ver nouum, quod propriè veris initium, primúsve illius mensis est: quamuis Poëta non ita fuerat; sed eùm tepor incipit, soluuntur niues, terra putris est; quod ad partem quoque spectat hyemis post brumam, vt ab Idibus Ianuariis; cùm auspicari culturam, & opera moliri licet, anno intepescente, die clementiore. Obseruat id eum Columella [n] noster: Cerda: prætereáque, quod citatus Virgilius [o] vere dixit *nouo*, dici Græcè ... Latinè *vere primo*, *vere ineunte*, *incipiente*, *inchoante*, *subeunte*: hisque locutio

Mensis Nisan derinatio.

g Nehe. 2. 1. Esth. 3. 7.

h c. 34. 18.

i c. 35. 16. c. 48. 7.

k c. 5. 19.

Aprilis vnde.

Ver vnde.

l 5. de ling. Lat.

m 1. Georg.

n li. 11 c. 2.

o in 1. Geor. v. 43. not. 1.

Ver triplex.

locutionibus signari mensem primum: quia de secundo vsurpant Græci ἔαρ@ μεσοῦντ@, aut ἀκμάζοντ@: Latinè *vere medio, adulto, pubescente;* sicut medium vocat autumnum, æstatem iam adultam, aut pubescentem: de vltimo ἔαρ@ λήγοντ@, φθίνοντ@, πανομένου, ἀπιόντ@: item vere extremo, præcipiti, senescente, exacto, vergente; *extrema sub casum hyemis*, vt & autumnum præcipitem, senescentem, exactum, vergentem. Eadem namque tempestatum omnium ratio quantum ad hoc, id est, hyemis, æstatis, autumni, quæ veris, quarum singulæ ternis consistunt mensibus. Nec omittendum quandoque sub æstatis vocabulo ver comprehendi: quia veteres annum partiebantur dumtaxat bifariam in hyemem ac æstatem, isti ver adnectentes vt dixi, autumnum illi. Quo pacto Philosophus [a] scripsit quòd ὁ ἥλι@ ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ ποιεῖ χειμῶνα, καὶ θέρ@ *sol in toto anno hyemem facit, & æstatem*: & Philo [b] nominat χειμῶνα καὶ θέρ@ *hyemem & æstatem, horum confines ver & autumnum* τὰς μεθορίους ἔαρ τε καὶ μετόπωρον. Et hoc ab eodem Cerda [c] notatum est ad epithetum frondosæ æstatis. Itali vocant primum ver, aut primũ tempos, aut tempus nouum: Galli primum tempus (*printemps*:) Hispani primum ver. Quæ canuntur tempestatis vernæ elogia, conducunt ad Paschalis commendationem festiuitatis; & ab iis, qui de hac agunt, annotantur; vt à Nazianzeno [d], qui cognominat βασίλισσαν τῶν ὡρῶν *reginam tempestatum*, quæ τῇ βασιλίδι τῶν ἡμερῶν πομπεύει, καὶ δωροφορεῖ παρ᾽ ἑαυτῆς, πᾶν ὅτι κάλλιστον, καὶ τερπνότατον *regina dierum pompam peragit, ac quicquid pulcherrimum, & suauissimum habet, dono dat.* Subiicit elegantissimam veris descriptionem: cui ad idem propositum, vt alios prætercam, Lactantij carmen, aut potiùs Venantij Honorij Clementiani Formati de Pascha simile est. Considerat quoque Rupertus [e] eamdem hanc temporis circumstantiam. Distinguit idem Nazianzenus ἔαρ κοσμικὸν, ἔαρ πνευματικὸν, ἔαρ ψυχαῖς, ἔαρ σώμασιν, ἔαρ ὁρώμενον, ἔαρ ἀόρατον *ver mundanum, ver spirituale, ver animabus, ver corporibus, ver visibile, ver inuisibile.*

Æstas pro vere.

a 4. de gen. animal.

b de plant. Noë.

c in 3. Georg. v. 29. not. 2.

d ora. 43.

e in Exod. 13.

Vt facias Phase Domino Deo tuo.] Hebraicè פסח *pesach*, Chaldaicè פסחא *pischa*, Græcè πάσχα. Sed verum non est quod ait Hugo, Pascha nomen Græcum esse, Phase Hebræum. Est omnino Hebræum, licèt iuxta formam variarum linguarum scriptum; de quo satis alibi [f] actum est, ostensúmque propriam notationem aut etiam veram esse ἀπὸ τοῦ πάσχειν quod est pati. Citatis ibi locis Augustini præter alios auctores, iunge epistolam 119. *Vocabulum quod Pascha dicitur, non Græcum*, inquit, *sicut vulgo videri solet, sed Hebræum esse dicunt, qui linguam vtrámque nouerunt. Neque enim à passione, quoniam Græcè παθεῖν, dicitur pati, sed ab eo quòd transitur de morte ad vitam, Hebræo verbo res appellata est. In quo eloquio Pascha transitus dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt*, &c. Sic eximius doctor. Maior allusio est cum πάσχειν, quàm cum παθεῖν: & alias nominis rationes tradidimus. Refellit deriuationem eamdem traditam à Tertulliano [g], Irenæo [h], Nazianzeno [i], Lactantio [k], Hieronymus [l], & post eum Iansenius, aliique. Beda [m] idem ita facit; vt simul moueat, opportunissimè occurrere in hoc nomine quamdam congruentiam veratumque linguarum. Quia enim *patitur*, Græcè, inquit, πάσχει dicitur, ideo *Pascha* passio putata est: vel nomine à passione sic appellatum. Sed nec Nazianzenus aliter quàm accommodatitiè loquitur, posito etymo vero, de transitu, & καθ᾽ ἐξαλλαγμένον. Vbi tamen cùm notat, cumque ipso Scholiastes Nicetas, mutationem factam τοῦ φε πρὸς τὸ πι, καὶ τοῦ, κ, πρὸς τὸ, χι; videtur existimare pronunciandum Hebraice פסח absque daghes in prima *Phesach*, non *pesach*: (Hieronymus [a] docet veteres Hebræos non habuisse *pe* durum, sed *phe* molle, vnde etiam dicimus Phares, Pharao, Pharisæus; non Pares, Parao, Parisæos, & vltimam literam non esse, vt reuera est, aspiratam. Verum est quod subdit, hanc vocem consuetudine atque vsu confirmatam, multitudine videlicet vi magis piam comprobante. Cæterùm Phase seu Pascha significat & victimam Paschalem, & ipsum anniuersarium immolationis diem, & integram solemnitatem azymorum per septem dies, & victimas alias per eosdem dies immolandas, cum panibus azymis, denique Christum ipsum. Hoc loco *facere Phase* amplectitur diem cum agno hœdóve Paschali. Atqui hac de re dictum satis alibi.

Phase derivatio.

f in Leu. 23.5.

g cont. Iudæos c. 10.

h l. 4. c. 23.

i ora. 2. de Pascha seu 42.

k l. 4. c. 26.

l in Esa. 51. & tomo 9. epist. 21.

m concord. Euang. c. 127.

n in Ioan. 13.

a in Dan. c. 11.

Phase significatio.

Facere Phase quid.

Quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto, nocte.] Reperiunt editiones aliæ mensem nouorum vel Abib, de quo meminimus membro præcedente. Ratio autem institutæ festiuitatis Paschalis redditur, liberatio populi de Ægypto, mense isto, ac tempore nocturno; cùm videlicet esset luna 14. *Pascha celebramus*, ait Tertullianus [b], *annuo circulo, in mense primo. Quotquot ferè de nostro eodem Pascha scripserunt, nomen etiam primi mensis, in quo fieri deberet, expresserunt.* Ita loquitur Papa [c] Victor, Eleutherius [d] item Papa, Concilium Nicenum [e], epistola synodalis ad Alexandrum, Theodoretus [f], Ruffinus [g], Constantini Imp. epistola [h], Concilium [i] Antiochenum, Ambrosius [k] (qui mensem nouorum à Iudæis nominari notat, & ab Ægyptiis primum, & incipere non secundum vulgarem vsum, sed secundùm consuetudinem peritorum, ab æquinoctio, &c.) Ipsumque legis præceptum habet [l], vt primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam. Principium mensium vocatur in eodem præcepto, scilicet quantum ad sacra, non quantũ ad profana & ciuilia: ratione quorum September habebatur apud Hebræos primus: memorant item nocte primogenita Ægypti percussa, eadémque agnum rite manducatum ab Hebræis, vnà cum azymis panibus, lactucisque agrestibus: die autem sequenti egredientibus ac præ festinatione deferentibus azymos panes, quia fermentare nequiuerant. Quocirca rectè monet Hugo, póstque ipsum Abulensis, quòd in nocte præparauerunt se Hebræi ad eundum diluculò; ideóque dici exisse nocte: vel quia in crepusculo ante clarum diem exierunt. In Exodo [m] mandatum scribitur, ne vllus ex ipsis egrederetur ostium domus suæ vsque mane. In libro Numerorum [n] profecti narrantur de Ramesse mense primo videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos suos. Posset adhuc responderi, cœptam nocte profectionem, die absolutam, cùm tanta esset multitudo; illud verò mandatum reuocatum, quoniam cogebant Hebræos Ægyptij discedere, nullámque moram facere. Plura Suarez [o] noster, disputans de institutione Eucharistiæ 14. luna ad exitum tendente, & 15. incoante post legalem cœnam siue post comestum agnum Paschalem in fine etiam 14. lunæ, & initio 15. Legendi prætereà de nostris Vasquez [p], Ribera [q], Mariana [r], Bellarminus,

Festi Paschalis origo.

b contra Psychicos c. 14.

c epist. 1.

d apud Bedam lib. de temp.

e apud Theophilũ Alex. lib. de Pascha.

f l. 1. c. 9.

g l. 1. c. 6.

h apud Eusebium l. 3. c. 1.

i c. 1.

k Epist. 83.

l Exod. 12. 2. & seqq.

Quare dicatur principium mensium.

m c. 12. 22.

n c. 33. 3.

o 3. p. tomo 3. disp. 41. sect. 1.

p 3. p. tomo 3. disp. 172. c. 10.

q 5 de templo c. 3.

r opusc. de hac re.

minus [a], Exodi enarratores Pererius, & Cornelius; & Euangeliorum Maldonatus, Salmeron, Barradas; Salianus [b] in annalibus, Serarius & Magalianus in Iosue cap. 5. Petauius in Epiphanium [c]. Verùm hæc disputata sunt non semel: tùm verò de quieto silentio mediæ noctis, qua prosiliente sermone omnipotente duré, debellati exterminatique sunt Ægyptij, & Hebræi liberati; & quo modo illa nox antè cognita fuerit, deinceps celeberrima apud istos [d]. Paschata celebrata memorantur præsertim quinque; in Ægypto, quando egressi sunt Hebræi: in monte Sinai, anno secundo egressionis: in terra promissionis sub Iosue: sub Iosia rege: post reditum de Babylone. Sed sub Ezechia celebratum est secundo mense, quia priùs nundum populus congregatus erat in Ierusalem, nec erat sacerdotum sufficiens numerus, ad alia nempe munia sacrat & in cap. 9. præcedentis libri vidimus transmutatum ob immunditiam.

a 4. de Exercha. c. 8.
b tomo 2. anno 2544. num. 104.
c hær. 70. Audianorū.
Paschata celeberrima quinque.
d Sap. 18. 6. & seqq.

Vers. 2.] Immolabísque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

PARAPHR. PRæter agnum, qui per se ad solemnitatem Paschalem pertinebat, oportebat alia sacrificia celebrari, & poterant in eumdem finem pro cuiusque deuotione offerri ex genere immulabilium animalium, ex genere boum, & ouium, comprehendendo caprinum genus sub posterioribus. A lege tanta sunt sacrificia libro [e] præcedente pro diebus azymorum septem de vitulis, arietibus, agnis, hircis. Quocirca non videtur admudum apta interpretatio Glossæ interlinearis hoc loco de Phase pro agno; licèt sensu mystico addat, de ouibus simplicitatis, & de bobus operationis. Priore versu sumebatur Phase potiùs præcisè pro agno Paschali, quem singulos manducare oportebat, & quodammodo significare: quamuis noster Sa, & Marailla ibi quoque ad victimas alias extendant. Reprehendit meritò Abulensis eos, qui accipiunt hîc Phase pro agno ipso immolato, ita vt tamen significetur, si non posset agnus haberi, fieret de bobus, vel de ouibus; quoniam præcisè præceptum erat de agno, aut si hic non suppeteret, de hœdo, non autem de ariete, vel de boue; quia deficeret à perfecta significatione. Ante Abulensem Augustinus [f], legens (*& immolabis Pascha Domino Deo tuo oues & boues.*) *Quid sibi vult*, ait, *hoc quod addidit boues, cùm immolationem Paschæ de oue tantummodo commendauit, quam iussit accipi ex ouibus & hœdis, vel ex capris? Quod mysticè accipitur propter Christum, cuius ex iustis & peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait*, ex ouibus, aut capris, *licèt propriè non possent intelligi oues ex capris: sed ne fortè Iudæi dicerent subaudiendum caprum, si dictum esset*, aut ex capris, *dictum est* ex ouibus & capris. *Quid ergo hic sibi volunt boues? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda?* Hactenus ex Augustino. Ezechielis Poëtæ apud Eusebium error fuit decima antè die capienda fuisse non solùm πρόβατα τὰ ἄμωμα (quod vel de agno, vel de hœdo potest intelligi, vt & שֶׂה *seh*) sed etiam μόσχους βοῶν, qui 14. luna ad vesperam sacrificarentur. Fallitur præ-

e c. 28. 8. 19. & seq.
f quæst. 14.

terea in Exodi cap. 12. Burgensis, negans pro agno hœdum immolari potuisse: & alij, qui arbitrati sunt agnum à singulis familiis decima quarta die, hœdum à toto populo decima quinta immolari debuisse. Ratione porrò victimarum aliarum, quæ præter agnum immolabantur & manducabantur per dies azymorum, Iudæi accusatores Christi, non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha [a].

a Ioan. 18. 28.

Immolabísque Phase Domino Deo tuo.] Quid Phase nomine hîc intelligatur, dixi: immolare autē & sacrificare sacerdotis erat propriè: quamuis de illo etiam aliquo pacto dicatur, qui sacerdoti deferebat seu offerebat sacrificanda & immolanda. Immolare iuxta primam notionem, vt aliàs [b] docui, est inspergere molam salsam victimæ iamiam mactandæ, deinde per translationem, mactare ipsammet victimam. Circa immolationem agni, priuilegium erat laicorum vt fungerentur sacerdotij officio, teste Philone [c]: quod videtur intelligendum de capitibus familiarum, idque intra domos ipsas. Alias victimas soli sacerdotes immolabant: tamen qui eas immolandas offerebant deferebántque, poterant atrium sacerdotum ingredi ante ostium tabernaculi, ibique in sacrificio pacifico tenebant manibus adipem hostiæ, & pectusculum, cùmque ambo oblata Domino consecrauissent, tradebant sacerdoti [d]. Fauent Psalmi [e]; *Circumdabo altare tuum Domine; circuiui* [f] *& immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: introibo* [g] *ad altare.* Vtitur Barradas [h] noster, ita sentiens cum Abulense [i], & Aquinate [k] locis istis, necnon præsentis capitis de epulando coram Domino in loco quem elegisset; Ezechielis [l] de culinis intra templum; historiæ Regum [m] de puero sacerdotis, qui tollebat præsente alio quidquid leuaret fuscinula pro sacerdote.

Explanatio.
Immolare quid.
b in Leu. 1. 5 Num. 15. 4.
c de decal. & 3 de vita Mos.
d Leu. 7. 30.
e Ps. 25. 6.
f Ps. 26. 6.
g Ps. 42. 4.
h 5 de perogr. Heb c. 7.
i Exodi 27. q. 8.
k 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6.
l cap. 46.
m lib. 1. 2.

De ouibus & de bobus.] In editionibus reliquis (*oues & boues*, aut collectiuè *ouem & bouem*: aut in Chaldæa *de oue, & victimam sanctificatam de bobus.*) Erant, vt monui, sacrificia vltra agnum Paschalem vel publica, id est, ex publicis expensis, vel priuata, hoc est, pro cuiúsque deuotione; sub ouibus autem caprinum genus continetur.

In loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.] Sæpiùs [n] audiuimus id inculcatum de loco electo à Deo vt poneret nomen suum ibi, & habitaret in eo, aut nomen suum ibi inuocaretur (quod hîc Græcè dicitur ἐπικληθῆναι) audiemúsque adhuc in isto capite [o]. Elegerat Deus totam terram promissionis, quatenus eam parauerat populo suo [p]; sed in eadem locum peculiarem designare volebat & eligere, in quo specialiter coleretur ac nominaretur per sacrificia, & alia ministeria sacra, constituto ibi tabernaculo cum arca. In aliis ciuitatibus poterant esse synagogæ ad orandum communiter & explanandum audiendúmque verbum Dei iuxta doctrinam legis, vt constat ex Euangeliis actibúsque Apostolicis persæpe.

n c. 12. 5. 14. 18. 21. 26. c. 14. 23. 24. 25. c. 15. 20.
o v. 6. 7. 11. 15. 16.
Loci electio pro cultu ceremoniali.
p Ex. 23. 20.

Vers. 3.] Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto: vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

Vers. 4.] Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo vsque mane.

Paraphr. DVplex præceptum traditur de abstinentia fermenti siue de manducatione azymorum per septem dies in memoriam egressionis de Ægypto cum pauore & festinatione, propter quæ non licuit panes fermentare; & quidem ita vt iis diebus nullo modo aliquid fermenti appareret vllo in loco: præterea vt nihil carnium ex agno Paschali immolato ad vesperam, remaneat in diem sequentem. In Exodi cap. 12. & 23. & 34. & Leuitici 23. & Numerorum 28. eadem præcipiuntur de immolando agno in vesperam, siue ad finem diei lunæ 14. de edendis eiusdem carnibus assis igne nocte illa, cum azymis & lactucis agrestibus; vt non remaneat quidquam ex eo vsque mane, nec resideat mane de victima solemnitatis Phase, nempe vsque ad sequentem diem lunæ 15. Sed si quid residuum fuerit, igne comburatur: septem diebus aayma comedantur, & à die primo non sit fermentum in domibus vsque ad diem septimum, inclusiuè videlicet, sub graui interminatione. Non debeo repetere quæ alibi dixi; sed teatns tantùm partes enucleate.

Explanatio. *Non comedes in eo panem fermentatum.*] Fermentum dumtaxat habent editiones aliæ חָמֵץ *chamets*, חַמְצָה *chamutsah*, ζύμη. Apud [a] Amos sacrificate de fermentato, idem est, quod de pane fermentato. Vbi putant aliqui per ironiam reprehendi Israëlitas quòd offerent fermentatum lege [b] penitus interdictum. Renera autem reprehensio consistit in eo quòd sacrificia laudis, quæ vocantur vituli labiorum [c], transferrent ad honorem vitulorum. Alioqni licuit interdum panes fermentatos offerre cum hostia gratiarum [d]. Quamuis Gregorius [e] in deteriorem partem conuertendo, de fermento laudem immolare illum dicat, qui Deo de rapina sacrificium parat. Deo sanè adoleri fermentatum non poterat; sed oblati panes fermentati cedebant in vsum sacerdotum: nihil enim nisi purum ac mondum decet offerri Deo, qui cor intuetur; homines quæ apparent exterius.

a c. 4. 5.
b Leu. 2. 11.
c Oseæ 14. 3.
Panes fermentati interdùm oblati.
d Leu. 7. 13.
e hom 22. in Euang.
Sed cedebât sacerdotibus.

Septem diebus comedes absque fermento.] Versu 8. est; *sex diebus comedes azyma*: nimirum ita, vt non tenearis vacare ab opere; sicut die septima tenearis; non quòd sex solis diebus præcepta fuerint aayma, vt aliqui Iudæi sunt arbitrati, contra quos Lyranus; immò toties [f] expressus hic septem dierum numerus, quibus azyma comedere oporteret. Quæri posset, an præceptum affirmatiuè sumendum sit, an satis sit, si negatiuè sumatur; hoc est, vtrùm sufficeret non comedere cum fermento, vel oporteret panes manducare ex farina non conspersa confectos. Sine dubio, panes istos debebant comedere cum lactucis agrestibus, qui agnum Paschalem comedebant [g] vespera posteriore lunæ 14. ineunte 15. ἐπισταμένως, vt Epiphanius [h] loquitur. Deinceps luna ipsa 15. seu illius die 15. & sequentibus vsque ad 21. quibus hilariùs agere licebat, satis erat fermentatum non gustare, poterántque Hebræi feminibus aliis, aut fructibus vesci, vt docet R. Moses [i] ben Maimon, scribens, quòd in reliquo celebritatis tempore, aaymorum esus dumtaxat permittebatur, vt qui vellet, azymo vesceretur; qui mallet, oryzam, vel milium ederet, aut polentam, aut fructus; oporteret verò in nocte 15. dumtaxat azymis vti. Item hoc loco R. Salomon asserit, quia citato versu 8. de sex solùm diebus habetur, vt azyma comedantur, die septimo non necessariam, sed permissam tantùm fuisse manducationem azymorum: nec tamen vt de eo solo die doceretur istud, ideo exceptum; sed vt idem de tota dierum summa intelligendum relinqueretur; nimirum quia vti septimo die permissum est solùm azymis vesci; ita reliquis omnibus non imperatum, sed permissum dumtaxat, excepta nocte prima; quam Scriptura aaymorum vsu obligari voluit. Ea eodem R. Salomone Glossa capitis 7. tractatus Kiddusch, hachodesch, tradit à media nocte prima Paschali, vsque ad 21. diem manducationem aaymorum permissam, ea lege dumtaxat, vt fermento non vescantur. Notata sunt hæc à Dionysio Petauio nostro in eruditis notis ad Epiphanium [a]. Sed profectò loquendi modus Scripturæ præ se fert satis perspicuè positiuum præceptum azyma comedendi.

f Exo. 12. 15. & 13. 6. 7. & 23. 15. & 34. 18. Leu. 23. 6. Num. 28. 17.
Azymorum vsus quatenus præceptus.
g Exo. 12. 8.
h hær. 70. Audianorũ.
i lo. 1. Iad. tract. de fermentato & azymo c. 6. §. 1.
a in hær. 70. pag. 393. & seq.

Afflictionis panem.] Hebraicè, atque Chaldaicè vocatur לֶחֶם עֹנִי *lechem hboni*, Græcè ἄρτος κακώσεως. Communis expositio est, quia huiusmodi panis renocabat in memoriam, quàm afflicti fuissent in Ægypto Hebræi. Caietanus vertens *panem paupertatis*, rationem dat, quia pauperum est catere commoditate fermentandi panem, vtendo pane subcinericio, qui statim fit, & coquitur; quamuis ad paupertatem temporis causa referatur membro sequenti, quia festinandum fuit Hebræis egredientibus. Oleaster legit *panem humilitatis*, exponitque, quem humiliati homines sub manu alienius comedere solent; quales, inquit, Iudæi erant, quando egressi sunt ex Ægypto. Ipsemet panis azymus gustui insipidus, ac stomacho onerosus existens, ab afflictione cognominari potest. Philonem [b] tetuli notantem [c] festum primatium celebratum cum pane afflictionis, vt intelligamus maxima, plurimáque bona meditationibus parari ac laboribus; & animæ festum esse rerum optimarum æmulationem, & laborem ad perfectionem properantium: sicut azymis lactucæ amaræ agrestésque adiunguntur, non vt sint vice obsonij; sed vt doceamur cohibere concupiscentias, ne feruescant vel turgeant: quia & legem in loco qui amaritudo dicitur, datam; quoniam initium facere suaue, laboriosum iste agere. καὶ ὁ πρώτης ἑορτῆς τὸ σύμβολον, ἄρτον κακώσεως ὅτι τὰ ἄζυμα. καίτοι τίς ἐκ ἄδεν, ὅτι ἑορτὴν, καὶ διαλας ἀνεσεσίων ἱλαρὰς ἐνεργεσιώας, καὶ εὐθυμίας, ὁ κακώσεις: ἀλλὰ δῆλον, ὡς ὑπὸμεῖ μεγαλαίχρο ἀπὸ τῆς σωφροσύνης. τὰ γὰρ πλεῖστα, καὶ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, ἐπαθλητικὰ ἀθλήσεσι, καὶ ἱδρῶσι φύσεις εἰωθεν ἀπογεννᾶν. ψυχῆς δ' ἑορτὴ, ζῆλος ὁ τῶν ἀρίστων, καὶ τελεσφορούντων πόνος. ἃ χάριν ἐπεἰρηκή, καὶ σὺν πικρίσιν τὰ ἄζυμα ἐσθίειν, οὐχ ὡς ὀψοφάγημα, ἀλλ' ὅπως τὸ μὴ ὀθῶν, καὶ ἀνάζειν ταῖς ἐπιθυμίαις, ἐπιλάθη δὲ καὶ συνάχθαι πρὸς ἀρετίας, ἐν πολλαῖ τίθηται, παρὰ ἡγάρται τὸ ἀναμαθὼν τὸ πάθος, ὅτιπερ εἰς ἑορτὴ, ἐξ εὐφροσύνη ἀναγεῖα φυλάθηναι. ταύτης ἐπεὶ ὡς δεικνῦ ἀρετῆς, ἐν χωρίῳ, ὁ καλεῖται Πικρία, τὰ νόμιμα διαδέχθηναι. ἐδὺ μὲν γὰρ τὸ ἀδιαίν ἀρχὴν ἐστιν δ' τὸ διαπραγματεῦσθαι.

b de congressu quærendæ erud. gratia.
c in Leu. c. 23.

ἐστιν

ἐστὶ ὁ ἀφωσιωμένος νόμος. Itaque diem 14. mensis Nisan, qui Pascha dicebatur, quia sub eius vesperam posteriorem, vt non semel dictum est, agnus immolaretur, occasóque iam sole, comederetur, iam ineunte 15. die, Epiphanius [a] πένθιμον facit, quia eo die necesse erat azymis vesci, reliquum diei 15. cæterósque attribuens hilaritatibus & conuiuiis, quibus diebus cognominatis ab azymis, eiusmodi necessitas azyma edendi non erat, si sequimur memoratam opinionem Hebræorum: sed sola permissio, dummodo fermentatum quid non sumeretur. Alio nomine cognominabantur dies ieiuniorum, dies תעניות thahhanuoth, siue *angariarum:* qui ad institutum præsens non faciunt. Panem lacrymarum legimus in Psalmis [b], & doloris [c]; in Iob [d] impletionem amaritudinum, saturationem afflictionis & miseriæ [e]: rursus apud Dauidem [f] repletam malis animam: in Ieremia [g] saturationem opprobriorum, inebriationem absynthij. De pane lugentium Petrus Cellensis disputat mysticè in libro de panibus [h], quorum plures alias mysticas formas persequitur. Si Iosepho [i] creditur, azyma comederunt Hebræi per 30. dies, tamdiu pastâ, quam extulerant, durante, ex qua in Sochoth ac deinceps coxerunt subcinericios panes: ea verò deficiente datum est manna.

a hær.70.
b Ps.41.4.
c Ps.126.2.
d c.9.18.
e c.10.15.
f Ps.87.4.
g Thr.3.30.
h c.12.
i 2.antiq.c.5.& 13.

Quoniam in pauore egressus es de Ægypto.] Hebraicè בְּחִפָּזוֹן *bechippazon* cum festinatione, cum motu pauido & præcipiti, turbato, quasique ecstatico, vt docui in commentario [k] Psalmorum. Festinationem Chaldæum בִּבְהִילוּ *bechilu*, & Græcum σπουδῆς, pro quo nomine notat à quibusdam legi perperam σπονδῶν, *fœderationem*, aut *inducias*, aut *libationem*. Explicat verò de formidine, qua perturbamur, cùm quid celeriter agendum est, déque acceleratione, qua vrgebant Hebræos Ægyptij, egredíque compellebant. *Vrgebant*, ait Scriptura [l], *Ægyptij populum de terra exire velociter* (לְמַהֵר *lemaher* לְשַׁלְּחָם *leschaah* σπουδῇ) *dicentes; omnes moriemur. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, posuit super humeros suos.* Quibus verbis festinatio indicatur: cui festinationi coniungitur pauor plerumque mali, ob cuius nempe impeditionem præuentionémve festinatur. Congruit hoc etiam cum epitheto panis afflictionis in priore membro: quia fuit afflictio, vrgeri ad exeundum adeò velociter, vt non licuerit farinæ massam conspergere, ac fermentare; sed more pauperum (quam paupertatem significari posse dixi per עֳנִי *hhoni*) coquere: quamuis penuria temporis fuerit, non inopia materiæ ad panes fermentatos conficiendum, vt Caietanus notat. Rickelius quamuis Lyranus moneat Hebraicè esse (*subitò* vel *festinanter*) sentit nomen Hebraicum ad pauorem & festinationem æquiuocum esse, & B. Hieronymum aptiùs transtulisse, quia magis exprimit causam eius quod proximè dictum est de pane afflictionis. Oleaster negat reddi causam, cur comedi deberet panis humilitatis; significatus quoque nomine eodem Hebræo: sed cur præcipiatur abstinentia fermenti, quòd scilicet, præ festinatione, permisceri non potuit. Incussum Hebræis pauorem ab Ægyptiis, vt quamprimùm, ocyssiméque egrederentur, docet Abulensis: sed non idcirco in eius rei memoriam imperatum esum panis afflictionis per tot dies: quia similiter imperatus esset esus lactucarum agrestium, aut similium rerum, in quibus afflictio sentiretur. Explicat verò, propter timorem non potuisse fermentari panem, atque vt huius timoris meminissent, datum præceptum de azymis comedendis per septem dies, id est, ex opinione quorumdam, de qua priùs memini, de abstinendo à fermentato, licèt positiuè cum agno Paschali, & lactucis agrestibus, oporteret azyma manducare. In Psalmo 104 [a]. canitur eductum à Domino populum in exultatione, & electos in lætitia. Quod intelligitur de exitu ex Ramesse, non ex finibus ipsis Ægypti, quando illos Ægyptij ad mare vsque rubrum persequebantur. Ab isto egressu tempora deinde Iudæi sua supputauerunt; siquidem templi Salomonici fundamenta iacta scribuntur anno 480. ab exitu Israël de Ægypto [b]. Ita de causa pauoris philosophatur Torniellus [c]. Sed ex dictis constat aliam priorem interuenisse, cum qua cohærere potest eductio illa cum exultatione lætitiáque. Hugo pauorem intelligit quando in mari rubro visi sunt Ægyptij persequentes. Mysticè Capponus ait significari Christum per multos terrores transiturum fuisse ad possidendos populos terræ, ac veluti hos ipsi futuros panem afflictionis.

k in Ps.30.23. Ps.115.11.
l Exod.12.33.34.
Festinatio cum pauore mali coniun.
a vers.43.
b 3.Reg.6.1.
c annal. sacro. anno 2544.n.21.

Vt memineris dies egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.] Græca editio vtitur pronomine plurali & verbo, quemadmodum & membro præcedente. Omnibus diebus vitæ meminisse poterant huiusce rei, vel singulos dies accipiendo, vel eos dies qui recurrebant quotannis in solennitate Paschali: in hunc ipsum finem institutæ. Hoc secundum verosimilius, ad quod conducebat reliquus ritus assandi agnum, comedendi accinctis renibus cum calceamentis in pedibus, cum baculis in manibus, & vt festinanter comederent [d]. Infert Hugo semper memoriam remissionis peccatorum retinendam, & Dominicæ passionis per quam illa facta est: vt de propitiatu peccatorum non simus sine metu [e]: & in die bonorum non simus immemores malorum [f]: sed quamdiu viuimus pœnitentiæ studeamus, vitando peccata, quod, inquit, substantiale est pœnitentiæ, iuxta illud; *vade, & noli ampliùs peccare* [g].

Dies egressionis pro anniuersariis.
d Exod.12.11.
e Eccli.5.5.
f Eccl.11.27.
g Ioan.5.14.c.8.11.

Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus.] Iuxta reliquas editiones (*non apparebit tibi*) & iuxta Hebræam, Chaldæámque, terminus est numero singulari: redundat verò (*tibi*) Hebræo idiotismo. In Exodo (*septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris:* hoc est, iam à die primo, & per alios consequentes. Præcidere voluit Deus occasionem conficiendi panes fermentatos, minatus fore, vt quicumque, ventris illis diebus, comederet, periret anima illa de Israël: quod sanè arguit mortale peccatum. Citato Exodi loco Hebræum verbum, תַּשְׁבִּיתוּ *thashbithu*, significat *cessare facietis*; Chaldæum תְּבַטְּלוּן *thebattelun* idem, aut, *abolebitis*: Græcum ἀφανιεῖτε, *exterminabitis*. Rursus [h] (*septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris*) pro quo malè aliqui legunt (*fermentatum*) quia non modò hoc prohibebatur, sed illud etiam. Si quid ergo fermenti superesset, aut egenis, alienigenis nempe, dabatur; aut canibus; aut alio modo eiiciebatur, consumebatúrve.

Fermentatum edere peccatum mortale.
h vers.19.
Fermenti reliquiæ immunda.

Et non remanebit de carnibus eius quod immolatum

est vespere in die primo vsque mane.] Hebraice, & Chaldaicè (*de carnibus quas sacrificaueris*) Græcè in Bibliis Complutensibus & Regiis (*sacrificaueritis* θύσητε) in Sixtinis (θύσῃς *sacrificaueris*:) pro (*remanebis*) est יָלִין *salin*, significans (*pernoctabit*) vt κοιμηθήσῃ *dormiet*. Augustinus in locutionibus, recitans (*& non dormiet de carnibus, de quibus immolaueritis vespere die primo vsque in mane*) pro eo, inquit, quod est (*non remanebit in nocte, non dormiet*) dictum est. Crebra est acceptio Hebræi verbi pro commoratione, remansione, pernoctatione, peruigilatione, &c. Vnde מָלוֹן *malon*, *hospitium*, *diuersorium*, *locus pernoctationis*. Pertinebat ad maius complementum integritatémque sacrificij nihil in diem posterum reseruari: cúmque abituri essent Hebræi summo mane, non esset idoneum tempus ad reliquias manducandas. Iubetur in [a] Exodo de hoc agno, vt non remaneat quidquam ex eo vsque mane; sed si quid residuum fuerit, igne comburatur. In Leuitico [b] generaliter præcipitur, vt hostiæ pacificorum carnes eadem qua immolabantur, comederentur die, nec remaneret ex eis quidquam vsque mane: præterea [c], vt si voto, vel sponte quispiam obtulisset hostiam, eadem similiter ederetur die: sed & si quid in crastinum remansisset, vesci licitum esset: quidquid autem tertius inuenisset dies, ignis absumeret. Cognosce ibi annotata, non mysticè minùs quàm literaliter. Iosephus [d] de agni Paschalis in exitu Ægyptiaco immolati manducatique carnium reliquiis scribit quod peracta cœna eas exusserunt tanquam exituri δειπνήσαντες τὰ λοιπὰ τῶν κρεῶν ἔκαυσαν, ὡς ἐξελευσόμενοι. Id autem quod immolatum dicitur vespere die primo, intelligitur quod in Exodo [e] scribitur immolandum agnum ad vesperam, Hebraicè, *inter duas vesperas*, & hic paulò pòst, *circa occasum*, Chaldaicè, *inter duos soles*, Græcè *ad vesperam*. Et quamuis intelligatur de tempore tantùm ad finem 14. diei accedente: duæ vesperæ, duóve soles vocantur, sumendo tam mane quàm vespere ratione solis, quem sequitur & antecedit. Quemadmodum porrò nominant mane partem primam diei post ortum solis, ita vesperam appellant partem diei eiusdem postremam ante solis occasum. Atque ita quando sol vergit ad occasum, diei magna iam parte decursa, vt sub horam tertiam à meridie, quæ ab Hebræis nona dicitur, vulgò solet dici vespera, vsurpatique cùm salutamus aut benè precamur; & hæc ipsa prior vespera intelligitur in Scriptura. Vespera posterior post occasum solis est, perinde vt aurora ortum illius antecedit. Quocirca inter has duas vesperas; id est, inter solem vergentem ad occasum, & solem ipsum occiduum, immolandus erat agnus. Hoc est quod alij tradunt, à meridie diei 14. educendum fuisse omnem fermentatum panem, fermentúmque è domibus: horam agnum occidendi statutam inter vesperas, hoc est, inter occasum solis & vesperam, siue declinationem solis ad occasum, hoc est, per duas horas vel circiter, ante solis occasum, vt haberetur tempus commodum ad excoriandum & coquendum: ita vt statim post occasum solis possent agnum comedere. Iosephus [f] quidem scribit, quòd die festo Paschæ sacrificabant ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *à nona hora vsque ad vndecimam*. Inde videlicet vacabant agno manducando. Mysticè Rabanus; ex eóque Glossa, priusquam dies resurrectionis appareat, atque in hac præsentis vitæ vocatione, omnia Dei mandata discutiendo & intelligendo, & operando penetranda dicit: sed quia difficile id est, quod remanet igni comburendum, vt quod intelligere de mysterio incarnationis non possumus, & penetrare, potestati Spiritus sancti humiliter reseruemus, vt non superbè audeamus vel contemnere, vel denuntiare quod intelligimus, &c.

a c.12.v.10.
b c.7.15.
c v.16.17.
d 2.antiq. c.5.
e c.12.6.
Vespera prior qua.
Vespera posterior.
f 7. de bello Iud. c.17. & secundū diuisionem Græc. c.45. & 16. antiq. c.10.

Vers. 5.] Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

Vers. 6.] Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.

Locus ac tempus agno immolando assignantur, vt non extra eum locum immoletur, quem sacris ritibus ac religioni destinauerit Deus, nec ante solis occasum, seu id tempus quod ad illum vergit, immolatio perficiatur, cum subsequente videlicet mox agni solemni manducatione. De vtroque ritu dictum satis alibi, & de tempore proximè hîc antè: de loco autem eligendo sæpiùs repetitum cap. 12. [a] 14. [b] 15. [c] & in isto [d], ac deinceps in eodem [e], & in sequenti [f], & 18. [g] 26. [h] 31. [i] præterea in libro Iosue [k], in historia [l] Regum, in Paralipomenis [m], in Esdra [n], in Psalmis [o], in Ecclesiastico [p], in libris Machabæorum [q]. Vt intelligamus quanti faciat Deus religionem loci, quem etiam præter templum Ierosolymitanum, quod vnicum licebat habere Hebræis, constat crebrò designatum diuinitus; vt exemplis demonstrat Antonius Dauroltius noster in historico [r] catechismo, ex quibus celebriora S. Mariæ Maioris in Vrbe, Michaëlis in monte Gargano, & vbi nomen est, tumba, vel periculum maris [s]. Huc spectat quod non semel ostensum est, sacris ritibus & solemnibus ac publicis precibus locum destinatum oportere, ac in eo faciliùs Deum solere exaudire; quod præ aliis probat Chrysostomus [t]. Qui sermone [u] quodam arguens eos qui Pascha ieiunabant contra decretum Concilij Niceni (quod Concilium valdè commendat) contráque morem totius orbis, & imitabantur Iudæos (videlicet propter vsum azymorum; quos panes afflictionis cognominatos audiuimus) argumentatur præsentis loci auctoritate; quoniam patriis ritibus orbati sint, nullum festum celebrent, non sint apud illos azyma, nec Pascha. Citatò autem loco isto. *Vides*, ait, *quo pacto, cùm in vnam vrbem festum inclusisset, deinceps & ipsam vrbem euerterit, vt vel inuitos illos ab illa religione reuocaret?* Paulò pòst vrget; *Deus festiuitatem fastidit, & tu Iudæos sectaris*, &c. *Christus idcirco cum illis Pascha fecit; non vt nos cum illis faciamus, sed vt per vmbram veritatem introduceret. Nam & circumcisionem passus est, & sabbata seruauit, & festa celebrauit, & azyma comedit, & hæc omnia Ierosolymis peregit: sed nulli tamen*

horum

Paraphr.
a v.5.11.14. 18.26.
b v.23.24. 25.
c vers.20.
d vers.2.
e v.7.11.15.
Le. in religiosus quasi assimuauim.
f v.8 10.
g vers.6.
h vers.2.
i vers.11.
k c.9.27.
l li.3. 8.16. 44.48. c.11. 13.36. c.14. 21. l.4.21.7. c.23.27.
m li.2. 6.6. 34.38. c.7. 12.16. c.11. 13. c.33.7.
n li.2.1.19.
o Ps.77.68. 69. Ps.131. 13.14.
p c.45.8.
q li.1.7.37. lib.2. 5.19.
r c. nuit.64. & seqq.
s Sigeb. in Chro. anno 709. Baron. anno 704.
t hom.79. ad pop.
u in tomo de diuersis locis noui test. ser.38.

horum nos obnoxij sumus, ἐν ᾧ τύπον ἀπολαύομεν. Quod Pauli * testimonio comprobat. Iustinus * probat iussionem celebrandi Pascha temporaneam πρόσκαιρον fuisse: quoniam nullibi sacrificari agnum Paschæ permittebat Deus, nisi in loco vbi inuocatum esset nomen eius; sciens aduenturos dies post Christi passionem, cùm locus Ierosolymorum hostibus traderetur; & omnes prorsus oblationes fieri desinerent. *Et agnus ille*, inquit, *de quo vt assus totus fieret, preceptum est, supplicij crucis, quod subiturus erat Christus, symbolum, & nota fuit. Agnus enim assus in figuram crucis similem conformatus ad ignem torretur*, σχηματιζόμενος ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. *Nam veru vnum ab infimis partibus ad caput vsque adactum perfigitur, & aliud rursum, secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni.* Irenæus [a] docens à Moyse aduentum Christi significatum, & tempus passionis, & locum, vt meritò iusserit Christus scrutari Scripturas de seipso [b], asserueritque qui crederent Moysi, credituros & ipsi; quoniam is de ipso scripsisset [c], ait vocatum à Moyse Christum Pascha, descriptum passionis eius non solùm diem, sed & locum & extremitatem temporum, & signum occasus solis. Citat verò sic hunc locum nostrum. *Non poteris immolare Pascha in vlla aliarum ciuitatum tuarum, quam Dominus Deus tuus dat tibi, nisi in eo loco, quem elegerit Dominus Deus tuus inuocari nomen suum ibi. Immolabis Pascha vespere ad occasum solis.* Ibi Scholiastes bonus Feuardentius notat tum videri nomen Pascha deriuatum ab Irenæo ἀπὸ τοῦ πάσχειν, sicut & à Tertulliano [d], Nazianzeno [e], Lactantio [f], Arnobio [g] Romano, vt nuper quoque meminimus: tum noluisse ipso die solemnissimo Paschatis, id est, magno die sabbati Christum passum; nec quòd illa ipsa hora qua comederetur agnus; sed eo ipso tempore, quod inter esum agni, & sabbatum magnum interfluxit: quod tempus more Iudæorum vocentur dies Paschæ. Propriè celebrior dies Paschæ non fuit in sabbato, sed feria sexta, in cuius feriæ sextæ vespere ac die vergente ad occasum mortuus est Christus, hora nempe nona. Procopius hoc loco vnicum locum & vrbem vnicam interpretatur vniuersalem Ecclesiam; quæ legitimos quoque sacerdotes habet; qui honorem non sibi rapiunt, quemadmodum, inquit, Ecclesiæ desertores facere solent; qui taurorum quorumdam contumacium instar, suis feruntur placitis. Hæc igitur, infert ipse, ciuitas sola ad Paschatis immolationem est idonea. Hæreticorum enim speluncæ iuxta legem repudiantur. Colligit quoque TornIellus eruditus annalium sacrorum ante Salianum nostrum ex ordine clericorum regularium S. Pauli, qui vulgò Barnabitæ vocantur, scriptor, egressum Israelitarum de Ægypto, & consequenter primum Phase eodemmet die ante exitum celebratum, incidisse pridie sabbati, hoc est, feria sexta, quam Veneris appellant, eodem scilicet tempore, quo postea Christus, instante passione sacratissima, vetus illud Pascha postremò comedit, ac noui institutione antiquauit, quoniam dies 31. ab exitu fuit prima sabbati siue Dominica. Gratianus [h] infert cùm Dominus prohibeat agnum comedi extra Catholicam Ecclesiam, qui professione fidei ab ea sunt alieni, ab eius participatione, quam suo arbitrio reliquerunt, non repelli, sed abire permitti, sicut illi, qui audierunt * *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, &c. dixerunt, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* atque ita abierunt retrorsum, non repulsi, sed abire permissi. Idem illud Rabanus, Glossáque hoc loco de agno intra Ecclesiam comedendo annotant: & quòd congregationes extra illam Iudæorum, Hæreticorum, Gentilium omnino detestandæ sunt; vespere, hoc est, in nouissima ætate, quando Sol in passione occubuit, & Ægyptiaca captiuitas per Redemptorem nostrum destructa est, Pascha legitimum & Deo gratissimum factum esse; eiusque sanctionem omnes fideles tempore præsentis vitæ debere obseruare; quia Pascha nostrum immolatus est Christus [a]; vt & idcirco non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis illud tempore mortalitatis nostræ condignè celebrare oporteat. Seraphinus Capponus elicit ex hoc loco, non potuisse Christum alibi occidi quàm in Ierosalem, nec nisi festo Paschæ, licèt pluries aliis in locis temporibúsve id Iudæi tentauerint. Prædixit hoc idem Christus non semel, tum verò cùm dixit [b]; quod non capiebat perire Prophetam extra Ierusalem. Caluariæ enim suburbanus mons ad Ierusalem pertinebat à qua deputatus erat qui morte digni iudicarentur mactandis.

Non poteris immolare Phase.] Chaldaicè (*non erit tibi potestas* לֵית לָךְ רְשׁוּ *leth lach resciu.*) Non posse, idem est, quod licitè non posse, ac non debere facere. Immolatio autem Phase prohibita spectat ad agnum Paschalem per se, consequenter tamen etiam ad alias victimas, quæ Paschali tempore immolabantur sine præscripto legis; siue ex voto, siue sponte. Eadem phrasis extat cap. 12. [c] *non poteris comedere in oppidis tuis*, &c. *Sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* In cap. 15. [d] solius Interpretis est non aliarum editionum sicut hic; *repetere non poteris*; repetendi non habebis potestatem. Obseruaui cap. 12. vim istius formulæ cum Augustino, Nazianzeno, Pelusiota. Relege, aut lege; quódque hic postremus in suo quidem textu Græco à Iudæis sui temporis negat isti prohibitioni obtemperatum.

In qualibet vrbium tuarum.] Hebraicè, Chaldaicéque (*in vna portarum*, aut, *in vno murorum tuorum*) Græcè (*in vlla ciuitatum tuarum* ἐν οὐδεμιᾷ τῶν πόλεών σου) apud citatum Irenæum (*in vlla aliarum ciuitatum tuarum.*) Sæpiùs antea hoc ipso libro vrbes, ciuitatésve positas legimus loco portarum, hásque portas rectè illo modo declaratas notauimus.

Quas Dominus Deus tuus daturus est tibi.] Græcè δίδωσι *dat*, vt etiam extat in Irenæo: participiaque נֹתֵן *nothen*, & יֹהֵב *iaheb* admittunt vtrumque tempus, vt in similibus aliquoties eodem [e] isto libro animaduersum est, necnon & de præterito, quod ponatur vice futuri. Certa promissio efficit vt res promissa non solùm danda omnino intelligatur, sed iam vel data, vel dari.

Sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.] Græcè, *vt inuocetur nomen eius illic*, ἐπικληθῆναι: quod apud Irenæum [f] legitur (*inuocari.*) Prioribus [g] capitibus, ac priùs etiam in isto [h], ac etiam postea [i], est ponere nomen Domini, & habitare in loco quem elegerit: esse nomen ipsius ibi, inuocari in eo nomen illius: Græcè, sicut hic, ἐπικληθῆναι: Hebraicè לָשׂוּם *lascum*, ad ponendum. לְשַׁכֵּן *lesciacchen*, ad

[Margin notes:]
* 1. Cor. 5. 7. 8. c. 11. 16. Gal. 4. 10.
* contr. Tryph.
a li. 4. c. 23.
b Ioan. 5. 33.
c ib. v. 46.
d cont. Iud. c. 10.
e ora. 2. de Pascha.
f li. 4. c. 26.
g de conflictu cũ Serapione.
h 24. q. 1. c. audiuimus. §. Item.
* Ioan. 6. 54. 61. 67.
a 1. Cor. 5. 5.
b Luc. 13. 33.
Explanatio.
Immolatio Phase pro omnibus sacrificiis eius temporis.
c v. 17. 18.
d vers. 2. 3.
e c. 1. 20. 22. 25. c. 3. 20. c. 4 1. 40. c. 5. 16. 31. c. 7. 16. c. 13. 17. 32. c. 12. 1. 9. 10 c. 13. 12. c. 15. 7.
f li 4. c. 23.
g c. 12. 5. 12. 21. c 14. 23.
h vers. 2.
i vers. 12.

ad habitandum vel *habitare faciendum.* Synonyma itaque sunt nomen Dei esse, poni, habitare, inuocari in aliquo loco, quem ipse ad id elegerit: quamuis distingui possent, primaque tria referri ad vltimum. Plus enim videtur esse quòd ponatur seu constituatur, quàm quòd sit; quòd habitet, quàm quòd ponatur; quòd ita sit, ponatur & habitet, vt etiam inuocetur; quod idem est atque sanctificari, quæ prima est petitionum orationis [a] Dominicæ. Caietanus porrò benè monet, non intelligi locum restrictum ad ambitum circa tabernaculum Dei, sed totam ciuitatem, in qua id esset; quia quilibet in domo sua immolabat Paschalem agnum.

a Matt.6.9.

Immolabis Phase.] Sumitur hîc Phase pro agno Paschali, propter circumstantiam temporis quæ sequitur. Vel etiam pro tota solemnitate continente plures alias victimas; cuius initium solemnitatis ab agni Paschalis ducebatur immolatione.

Ad solis occasum.] Iuxta reliquas editiones (*vespere quando occidit sol*, id est, quando vergit ad occasum בָּעֶרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *babberer chebo hasscemesn* בְּרַמְשָׁא כְּמֵיעַל שִׁמְשָׁא *beramscia chemehhal scimscia:* ἑσπέρας πρὸς δυσμὰς ἡλίου. In Exodo [b] præcipitur immolatio ad vesperam. Hebraicè בֵּין הָעַרְבָּיִם *ben habbarbaim, inter duas vesperas*; Chaldaicè (*inter duos soles* בֵּין שִׁמְשַׁיָּא *ben scimsciaua*) hoc est, inter solem declinantem in puncto meridiei, & inter solem occidentem, siue inter meridiem & occidentem, inquit Vatablus: vel, vt alij apud eumdem loquuntur, vna est vespera solis, cùm sol transit horizontem; altera luminis, cùm non apparet lumen solis post occasum; atque ita immolandum fuisse agnum inter occasum solis, & principium noctis. Rursus ibidem [c] indicitur comestio azymorum primo mense quarta decima die mensis ad vesperam, ἐναρχόμενοι τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς τοῦ πρώτου ἀφ' ἑσπέρας, *incipientes* (in aliis codicibus ἐναρχομένῃ *incipiente*) *quarta decima die mensis primi, a vespera,* videlicet secunda. In Leuitico [d] item extat; *mense primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est* בֵּין הָעַרְבָּיִם *ben habbarbaim* בֵּין שִׁמְשַׁיָּא *ben scimsciaua*, ἀναμέσον τῶν ἑσπερινῶν *intermedium vesperarum.* Non sunt duæ vesperæ vespera diei decimæ quartæ; & dies tota decima quinta vsque ad vesperam eiusdem, ita vt mane & dies dicatur vespera: & totum tempus agno comedendo liberum fuerit nox integra inter diem 14. & dies 15. vsque ad vesperam. Nec etiam debet accipi totum tempus, quod est à meridie diei 14. vsque ad solis occasum, siue ab hora Iudaica quinta sextáve vsque ad duodecimam. Præterea non est nox inter vesperam diei 14. & inter crepusculum matutinum diei 15. interiecta: non est prima, quando declinat sol à meridie versus occasum; secunda ipse solis occasus: non item primus occasus solis, secunda, initium noctis siue tenebrarum. Sed prima est, cùm sol declinat ad occasum; secunda ipse occasus solis: & computandum est tempus à nona pomeridiana vsque ad vndecimam, quemadmodum antea retulimus ex Iosepho: sumendo vndecimam completam, seu duodecimam: tunc namque occidit sol, ac tribus hisce horis duabúsve ante occasum solis agnus immolari poterat; & præparari ad comestionem; quæ comestio fiebat vel ipsa hora duodecima sole adhuc stante, sed præcipitante ad occasum; vel post occasum (ita vt post occasum cùm inciperet dies 15. ante mediam noctem agni esus, omnisque cœna compleretur;) quod tempus vtrouis modo idem erat initium azyma comedendi; hoc est, aut nocte, aut ad initium noctis: & dicebatur dies 15. consequens post vesperam, noctémque diei 14. secundam, dies prima azymorum; non quòd tunc primùm cœpisset esus illorum; sed quia erat dies prima, quo esus ille vsurpabatur, cùm prior esus non esset factus de die: sed ad vesperam diei. Confirmantur hæc omnia, quæ priùs etiam isto capite, alibique declarata sunt; quoniam in Leuitico [a] præcipitur dies festos agi à vespera in vesperam, hoc est, ab occasu solis vsque ad alterum occasum solis; & vespera intelligi solet diei tempus, quod est post solis occasum, & ante principium noctis, prout etiam legitur in libro Iudicum [b]; *considera quòd dies ad occasum declinior sit, & propinquet ad vesperam*, ἰδοὺ δὴ κέκλικεν ἡ ἡμέρα εἰς ἑσπέραν. Cæterùm, quamuis Christus post celebratum Pascha more Iudæo, & post cœnam vsualem, instituerit eadem nocte mysticam cœnam siue Eucharistiam; non propterea fas est Missam tali tempore celebrare; aut post cibum alium eam sumere, excepto viatico propter mortis extremum periculum; vt reuerentia maior honórque tanto mysterio exhibeatur, teste Augustino [c]; vt discernatur inter cibum profanum & sacrum, quemadmodum Leuitis iniunctum est [d], vt sese fideles magis dignos communione adeò sacra reddant, quæ Chrysostomi [e] ratio videtur: vt sic quærantur priùs quæ pertinent ad regnum Dei iuxta Christi monitum [f]: vt quod in aliis negotiis contingit, maiore consideratione tantum negotium peragatur: quo pacto voluit Amphiaraus integrum diem à cibo, per tres dies abstinere à vino sacerdotes responsa edituros [g]: & aliis ad rempublicam ieiunum se accessisse testatus est, quòd, vt ait Seneca [h], animi subtilitas ciborum copia impediatur; ieiunio mens vegetior, ex sententia Cheremonis, efficiatur. Denique qui de Missa seu Eucharistia scribunt, Apostolicam istam traditionem multis testimoniis & argumentis confirmant: ex quibus legendus recentior [i] Ioan. Baptista Scortia noster, post Ioannem [k] Stephanum Durantum, Suarez [l] nostrum; citans Basilium [m], Chrysostomum [n], Epiphanium [o], Augustinum [p], Nazianzenum [q], Clementem [r] Romanum, Tertullianum [s], Cyprianum [t], Abdiam [u], Gregorium [x] Turonensem, Eligium [y], Bedam [z], Paschasium [aa], Algerum [bb], VValfridum [cc], Anselmum [dd], Ambrosium [ee]; Concilium [ff] Nicenum I. Carthaginense [gg] III. Africanum [hh], Bracarense [ii] I. & II. [kk] Matisconense [ll] II. Antisiodorense [mm], Toletanum [nn] VII. Constantinop. [oo] VI. seu Trullanum; Leonem [pp] IV. Concilium [qq] Constantiense, Amalarium [rr], Isidorum [ss]. Adde Soterem Papam apud Binium [tt], ex Gratiano, Concilium [uu] Salegunstadiense. Alicubi feria V. cœnæ Domini post cœnam, Missam celebratam liquet ex Concilio Carthag. III. Matisconensi II. Synodo Constant. VI. Africano, & ex decreto [xx], vbi Glossa derogatum docet per contrariam consuetudinem: & in margine quod in textu scribitur (*excepto vno die anniuersario, quo cœna* (malè *pœna*) *Domini celebratur*) dicitur posse dici poni (*excepto*) inclusiuè, vt sit sensus (*excepto*) id est, accepto & computato inter alios dies, & quasi nullo die excepto. Quod probat ex simili formula capitis, *non est*

nostrum,

b c.12.6.

c vers.18.

d c.23.5.

Prima & secunda vespera quæ.

a c.23.32.
b c.19.9.
c epist.118. c.6.
d Leu.10.9.10.
e hom.27. in 1. ad Cor.
f Mat.6.33.
g Volat. lib. 13.
h epist.15.
i de Missa lib.2.c.7.
k de ritib. Eccl. c.7.
l 3 p. to.3. disp.68.
m epist. ad Cæl. patritiam

Missam celebrare sub vesperam nefas.

n hom. 27. in 1.ad Cor. & epist.3.
o 3 contr. hær. in fine.
p epist.118. c.6.
q orat.40.
r epist. 2.
s 1.ad vxor. c.5.
t lib. 2. epist.
seu 63.
u lib. 7
x de glor. mar. c.86.
y hom.8.
z in Luc. 22.
aa de corp. & sang. Dom. c.20.
bb 2. de corp. Chri.
cc de eccl. offi. c.19.
dd in 1 ad Cor.11.
ee in Ps. 118. octon. 8.
ff apud Cæcil. Carth. III
gg can.29. vel 44. & 48. vel 52.
hh can. 8.
ii can.16.
kk can. 10.
ll can.6.
mm can.19.
nn can.2.
oo can.29.
pp epist. ad episcop. prouinc.
qq sess.13.
rr 3. de diu. offi. c.34.
ss 1. offic. c. 18.
tt to. 1. concil. pag.228.
uu can.4.
xx de consec. d.1. cap. Sacram.

nostrum, 23. q. 5. (*in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur.*) id est, nec in illo casu. & in c. *Ebron* 13. q. 2. (*in Ebron sepulti sunt, &c. præter ipsum Adam, & Euam, vxorem suam*) vbi (*præter*) sumitur inclusiuè. Quidquid sit de interpretatione dictionis Latinæ in concilio Carthag. III. [a] vt Græcè traslatum recitant Balsamon & Zonaras, exclusio exprimitur, ὥστε ἅγια θυσιαστηρίῳ, εἰ μὴ ἀπὸ νηστῶν ἀνθρώπων, μὴ ἐπιτελεῖσθαι, ἐξῃρημένης μιᾶς ἑτησίας ἡμέρας, ἐν ᾗ τὸ κυριακὸν δεῖπνον ἐπιτελεῖται. *Quare sancta altaris*, id est, sacrificia, *non nisi a ieiunis hominibus peragantur; dempto vno anniuersario die, in quo Dominica cœna peragitur.* Neque verò in Concilio Matisconensi II. [b] lego quod asserit citatus Scortia sublatum esse decretum illud; sed potiùs vt legenti etiam constabit, renouatum & approbatum. Profert Ioannes Stephanus Durantus, & Suares canonem 29. Sextæ Synodi Constantinop. quo id abrogetur; canone quoque 50. Synodi Laodicenæ renouato, ne ea die soluatur ieiunium: posteriot canonem 16. Concilij I. Bracarensis. Sed Synodus illa Constant. VI. in Trullo legitima non est. nec video quæ potuerint esse vtiles occasiones, ob quas, vt ibi dicitur, Patres Synodi Carthaginiensis ministrum tertiæ [c], hac dispensatione vsi fuerint aduersus Apostolicas ac paternas traditiones, vt eadem Trullana loquitur. Ieiunium porrò extra rationem viatici requiritur non modò Ecclesiasticum, sed etiam naturale, contrà quàm senserit Godofredus, & Ioannes Parisiensis asserentes post sumptionem alicuius rei per modum medicinæ posse sacrum fieri & communicari. Et sunt alij casus, in quibus id liceat, vt si casu lauans os deglutias aliquid; vel cibi reliquias quæ in ore ex præcedenti nocte remanserant; si sacerdos casu aquam sumpsit putans vinum consecratum: si in ipsa Missa recordatur se priùs comedisse seu bibisse; si supplet defectum alterius morbo correpti in Missa; si debeat consumere reliquias sacramenti post ablutionem: si particula mixta sanguini hæreat hoc sumpto, intra calicem: potest enim per vini infusionem eam sumere; sicut in parasceue sumitur hostia præconsecrata miscendo vinum: vel quoties adhæret palato & aliter trahi nequeat: vel ingruit periculum ab igne, aut infidelibus, &c. Seuerior autem nec vera opinio videtur impedimentum esse si deglutiatur papyrus, vt quidam [d] tamen scripsit.

a Can. 44.

b Can. 6.

c Can. 29. *Ieiunium ante communionem necessariũ.*

Non semper obligat.

d Ioan. Bap. Scot. 2. de Missæ sacr. c. 7.

Quando egressus es de Ægypto.] Habent editiones aliæ (*in tempore quo egressus es de terra Ægypti.*) Antea docui Hebræos dici egressos eo tempore, vel quia reuera egredi cœperunt post comestionem agni Paschalis; quamuis nequiuerint omnes ante tempus matutinum egredi; vel quia sese ad egrediendum præparauerunt. Quocirca falsa est sententia egressum illum contigisse non ea nocte, qua comederunt Hebræi agnum Paschalem, sed sequenti, quæ pertinuit ad diem 16. cùm in Exodo [e] narretur Deum dixisse, in eadem ipsa die educturum exercitum de terra Ægypti: & in libro Numerorum [f] profecti dicantur de Ramesse, mense primo, quintadecima mensis primi. Abulensis notat quia tunc inceperunt parare se ad iter, ab eo tempore computari exitum; propriè egressos 15. die: nonnumquam sumi egressum pro præcepto egrediendi, quod fuit nocte ipsa media, vrgente illum Pharaone seruisque ipsius. Minus probabile videtur quod addit, intelligi debere immolari agnum, quando egressus est populus de Ægypto, referendo ad tempus, non strictè ad horam, videlicet vt fieret immolatio ad dimidium mensis primi, non tamen præcisè ad solis occasum. Non congruit hoc cum textu, & communi expositione: & מועד *mohhed* statum tempus denotat, nempe Paschæ: explicátque Caietanus præparationem egressus, quæ erat ipsemet agnus: nec enim occidente sole cùm is iugulabatur, populum exijsse. Sed quid sit sentiendum, dixi.

Dies egressionis Hebræorũ qui.

e c. 12. 17.

f c. 33. 3.

Vers. 7.] Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéque consurgens vades in tabernacula tua.

OPortebat agnum Paschalem coqui & comedi in loco electo à Domino, id est, vt non semel dictum est, vbi tabernaculum esset; quamuis ea ceremonia fieret in priuatis domibus loci eiusdem, siue ciuitatis, intra quam illud contineretur. Peracto autem die illo primo celebriore, fas erat his qui aliunde illuc aduenerant, redire; nec tenebantur ibidem consistere; multóque minùs tabernacula propriè dicta, scenásve, seu tentoria, seu papiliones exteriores parare ex lignis, aut pellibus, aut pannis construere. Permissionem, licentiamque Abulensis, & Rickelius: Caietanus libertatem redeundi ad propria vocat: Lyranus potestatem recedendi: Marzilla necesse negat fuisse residere per omnes dies azymorum in loco destinato celebrationi Phase. Indicat Oleaster accipiens (*mane*) vt sit idem quod (*cras*) & hoc ipsum referens ad octauam diem, debuisse Hebræos manere septem diebus, indicat in loco vbi erat domus Domini. Quæ est etiam sententia nostri Marianæ, exponentis peractos septem dies azymorum: & Leonardi Marij, qui nominat mane finiti festi. Sed priorem, quæ communior est, præfero; licèt verisimile sit quod aiunt Abulensis ac Rickelius, plurimos ex deuotione remansisse toto tempore festiuitatis Paschalis per septem dies.

Paraphr.

Et coques.] Græcè καὶ ἑψήσεις καὶ ὀπτήσεις, *& coques, & torrebis.* Quocirca vim non habet argumentum Aloysij siue Luysij de Leon in opusculo de vtriusque agni, typici atque veri, immolatione quod citat Suares [a] noster, vt probet sermonem hic non esse de agno Paschali, qui non coctus comedebatur, sed assus, sed de aliis victimis, quæ per illos dies azymorum immolabantur: nec ideo vsum illo verbo coquendi, quod est commune tum assationi, tum elixationi, interpretem necesse est concedere tùm Suares [b] ad includendum agni Paschalis & aliarum victimarum immolationem. Nam posteriore Græco verbo restringitur significatio prioris. Pagninus in thesauro Hebræo licet doceat בשל *bassal*, quod hîc extat, propriè esse in aqua coquere & elixare, excipi à R. Kimhi locum ex 2. Paralipomenon [c] vbi significet assare: ipse autem addit hunc locum nostrum, interpretans de assatione agni Paschalis, quod alioqui propriè per צלה *tsalah* dicitur. Præsentem locum nostrum declarant de assatione Abulensis ac Leonardus Marius, & ex nostris Sa, & Mariana: Hugo consequenter & Lyranus, quia de agno Paschali, à qua sententia recedit Marzilla comprehendens elixationem, assationem, aliúmve parandi modum.

Explanatio.

a 3. p. q. 73. d. 41. sect. 1.

b ibidem.

c c. 35. 13.

Et comedere.] Si in aliqua domo non essent satis multi, qui sufficerent ad vescendum agnum, assumendus erat vicinus iunctus domui, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possent ad esum agni [a]. Iosephus [b] scribit non pauciores, quàm decem adhiberi solitos, narrans simul Cestium prouinciæ Præsidem vires ciuitatis Ierusalem, ac florem Neroni significare cupientem, petiisse à Pontificibus, vt si quo modo possent, multitudinem numerarent: hos cùm esset Pascha, quando à nona, vsque ad vndecimam horam, hostiæ cæduntur; & per singulas hostias contubernia non pauciorum, quàm decem virorum, fiunt, quamuis & vicini multi conueniant, deprehendisse hostiarum viginti quinque myriadas & quinque millia, & sexcentas, *θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας, τρεῖς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια*: computatis autem denis per singulas hostias epulatoribus extitisse myriadas istorum septuaginta & ducentas *μυριάδας ἑβδομήκοντα, καὶ διακοσίας*. Interpres Iosephi vertit *hostiarum ducenta quinquaginta sex millia & quingentas: virorum per decem ductorum vicies centena, ac septingenta millia.* Salianus [c] noster Iosephum ita recitat; vt hostiarum recenseat 25. millia, & sexcentas, id est, inquit, ducenta & 55. millia, & 600. vnde computando denos epulatores per singulas hostias, existant 270. myriades. Quam supputationem falsam dicit: quia 25. myriades, & 56000. hostiæ, si per decem ducantur, ascendunt ad ducentas & 55. myriadas, sexque millia, siue vt loqui solemus, ad duos milliones, 556. millia virorum. Atqui eum numerum requirit Scriptura in agni comestione, qui sufficere possit, ita vt comedant singuli etiam ad saturitatem: decem autem, nedum viginti, necessarij non sunt ad manducandum agnum anniculum, immò ne ad vitulum quidem. Non debuit quoque Iosephus viros tantùm commemorare; in quibus vires, ac robur ciuitatis consisterent; quoniam ad eam cœnam omnis ætas & sexus vsque ad empticios seruos, qui circumcisi essent, admittebantur. Quòd si numerosiores essent familiæ supra denarium, videntur addita alij cibi, vt in familia Christi, in cuius cœna fit mentio intincti panis in paropside [d]; cùm condimentum non videatur ad agnum assum pertinere: aut mutuò dabant conuiuas minoribus familiis; quales sunt nouorum coniugum. Ad hunc modum citatus Salianus. Sed quod affert de adiectis cibis præter agnum, & de intincto pane; accipere oportet quantum ad cœnam, quæ eso agno apponebatur, in qua quilibet cibi, condimentáque poni poterant, excepto fermentato pane. Tres eadem nocte quasi cœnæ fuerunt; qua agnus esus est, postéaque cognominati ceremonialis: communis vsitatáque; siquidem absoluta illa edendi agni religione, quoniam qui eum ederant, non erant fortitan saturati, ponebatur alia cœna, vt quisque ad suam cœnaret saturitatem: sacrosancta in qua Eucharistiam Christus instituit. Maldonatus [e] primam eo nomine cœnæ vocatam ait se non meminisse: secundam sic appellari ab Euangelistis [f], & à Paulo [g]: quamuis hæretici perperam de tertia vsurpent. Hugo hinc elicit, quòd sacerdos qui celebrat, tenetur communicare: & nos pridem, sacrificio Missæ locum sectam peculiarem deputandum. Epiphanius [h] porrò, refellens Marcionem, & probans eundem legis nouæ auctorem fuisse qui fuit veteris; quia Christus Pascha celebrauit; præterea vsum ac esum carnium vetitum non esse; quoniam carnem idem tunc manducauit; & negans cùm dixit, *volo [a] Pascha manducare vobiscum*, intellexisse de mysterio quod erat peracturus, hoc ostendit, quia noluit isti mysterio prius operari, sed cùm cœnasset *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, & posteaquam Iudaicum Pascha comedisset, accedere ad mysterium, hoc est, post cœnam dicendo & accipiendo *τάδε καὶ τάδε, hæc & illa.* Qua cautione dissimulat Epiphanius formam Eucharistici sacramenti: quod alij Patres factitant: ac nominatim de confirmatione etiam agens Innocentius I. [b] *verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Petauius noster in notis ad Epiphanium hæc obseruauit; & frustra nonnullos hæreticos illud afferre quod antea monui Eucharistiam nomine cœnæ designari: Quamquam, vt etiam dixi, non post Paschalem modò cœnam, sed & post vsitatam, Eucharistiæ institutio facta est.

a Exod. 12. 4.
b 7. de bello Iud. c. 17.
c to. 2. anna. anno 3544. n. 107. & 1. 8.
d Matt. 26. 23.
Post esû ceremonialem cœna communis apponi solita.
Institutio Eucharistiæ.
e in Matth. 26. 26.
f Matth. 26. 26. Luc. 22. 20. Ioan. 13. 2.
g 1. Cor. 11. 25.
h hær. 42. Schol. 61.
a Marc. 14. 14. Luc. 22. 11. 15.
b Epist. ad Decentium.

In loco quem elegerit Dominus Deus tuus.] Redundat in editionibus aliis in fine pronomen (*tuus.*) Intelligitur autem non de tabernaculo, sed de loco in quo illud esset, vt de Ierosalem: agnus enim in priuatis domibus immolabatur, sicut & Christus fecit in Ierusalem, qui locus sanctus erat, & propter præsentiam eius, inquit Hugo, quinetiam non tenebatur hoc præcepto tanquam dominus legis. Carnes aliarum victimarum comedi debebant in sanctuario. Quo pacto si de his & carnibus agni sermonem velimus esse, sumetur locus electus pro eo in quo erat sanctuarium, & pro sanctuario: & coquendi verbum vt commune assationi, quæ conueniebat agno Paschali; & elixationi, quæ carnibus victimarum aliarum.

Locus electus qui.

Manéque consurgens.] Docui (*mane*) loquendo de agno Paschali iam manducato, intelligi de die, qui proximè sequeretur dictum ritum: cùm quidam referant ad octauum post celebritatem septem dierum azymorum. Hebraicè & Chaldaicè (*& vertes te*, aut *auerteris* ופנית *panitha*, & ותתפני *thithpeni*) quod sonat Græcè *ἀποστραφήσῃ*, vel *conuertes te*: quod est idem ac reuerteris.

Dictio mane quid.

Vades ad tabernacula tua.] Græcè *εἰς τοὺς οἴκους σου, in domos tuas.* Ad literam, ait Hugo, in propria domicilia. Sic non semel tabernacula sumuntur pro domiciliis domibúsve: exempli causa; *vade [c] in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam, Dauid*: ac, vt antè docui, licuit reuerti non solùm in priuatas domos seu proprias seu conductas in loco vbi erat sanctuarium; sed etiam longiùs in alias ciuitates regionésve. Quocirca in vocabulo tabernaculorum non est hærendum, vt doceamus, quod Abulensem facere notaui, non esse synonyma scenis, tentoriis, papilionibus constructis ex lignis, vel pellibus, vel pannis, linteisve. Oleaster eruit hinc morale documentum aduersus mulieres tota die discurrentes per Ecclesias, nec rem domesticam curantes, quas Apostolus [d] reprehendit vt otiosas, verbosas, curiosas. Monet præterea prælatos, ne festa sine causa multiplicent, sed sinant plebem suo labore necessaria sibi comparare. Glossa ait sensu quoquo tropologico; quòd peracto seruitio Domini, mane resurrectionis transibimus in æterna tabernacula: vt quiescamus ab omni labore, lætantes de percepta retributione.

c 3. Reg. 12. 16.
Peracto esu aduenis reuerti licuit.
d 1. Tim. 5. 13.

Vers. 8.]

Vers. 8.] Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

PARAPHR. INter dies septem, quibus comedi azyma debebat, & abstinendum à fermento, vltima celebris habebatur; vtpote in qua qui erant in loco sanctuarij conueniebant ad illud, & si qui priùs discessissent, quia non tenebantur totis illis diebus ibi manere, non poterant eodem reuerti, veluti que in vnum colligi, & cœtum celebrare in sanctuario, ad gratias Deo agendas, celebrandúmque pari ritu diem illum ac primum azymorum priusquam omnino abirent, qui fortè ibi essent. Iam versu 4. indicta est abstinentia per septem dies à fermento, vt & in Exodi cap. 12.[a] & in Leuitico[b]. Peculiare fuit ergo, vt die septimo vacaretur ab opere seruili. Tale præceptum circa hoc datur in Leuitico[c] de primo septimóque die eiusdem festi; vt & præterea ibidem[d], atque in libro Numerorum[e], de octauo die festi tabernaculorum, qui vocatur cœtus atque collecta, vt omne opus seruile non fiat in eo: quod vtrobique intelligitur excepta præparatione ciborum, quæ non permittebatur die sabbati[f] absque restrictione ad opus seruile. In Exodo[g] dies festi Paschæ prima iubetur esse sancta, atque solemnis; & dies septima eadem festiuitate venerabilis: ita vt nihil operis facerent in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Tertullianus[h], scribens de sabbato sanctificando, cum vacatione ab omni opere seruili, præterquam quod ad animam pertinet, confudit ac permiscuit præceptum de aliis festis, quæ memoraui, cum præcepto de die sabbati; quasi & hoc die permissa forent opera, quæ ad animam, id est, ad victum vescendúmque pertinent. Quod primus animaduertit noster Petauius[i]. Cæterùm collectæ nomine septimus azymorum dies cur appelletur, disserui tum in Psalmorum[k], tum in Leuitici[l], tum in Numerorum[m] commentario; necnon cur octauus festi tabernaculorum. Citaui plures de hac re sententias, atque nominatim quas Lyranus hoc loco nostro profert de collectione pecuniæ pro pauperibus, aut repositione in thesauro templi, sed quæ recepta esset ab initio festi; sed & ibi confutaui. Sa explicat solemnitatem collecti populi: Mariana & Oleaster retentionem ab opere seruili; Cornelius[n] conuentum populi ad agendas Deo gratias, antequam domum rediret: Caietanus retentionem, id est, celebrem ac frequentem quoque populi conuentum in atrium templi, vt explicat Scholiastes eius Fonseca, ad audiendam legem Dei, cùm prioribus diebus vacatum fuisset sacrificiis & epulis: Abulensis conuentum populi ad celebrandam festiuitatem, quia primo die intentus fuerat oblationibus & audiendo verbo Dei, sequentibus quinque dispersus ad opera, proindéque in septimo rursus conueniebat ad templum, cessans ab opere seruili; vel collectionem pecuniarum ad sumptus sacrificiorum, pauperúmve, quoniam licèt discedere liceret secundo die, pauci recedebant expectantes septimum, qui apud Ioannem[o] dicitur, inquit, nouissimus dies magnus festiuitatis: quem diem ibi solent interpretari de octauo qui antecedebatur festo tabernaculorum[p] notátque Chrysostomus[q] & alij Græci sequaces eiusdem, quòd primus & vltimus magni erant, medij potiùs in deliciis, proptereaque Christum vltimo sermonem habuisse, quia omnes in illo conueniebant, & mox redituris præbebat ad salutem viatica. Præbuit exemplum concionatoribus, ait Maldonatus[a] noster, vt in extrema potissimùm parte concionis, aliquid in primis vtile dicant, quod abituri statim auditores, quasi nouissima verba, perpetuò recordentur iuxta illud Ciceronis[b], *scrupulum abeuntes.* De re ipsa dixi quid videatur hîc initio, & aliis commentariis quos indicaui.

Sex diebus comedes azyma.] Iam dixi quo pacto capiendi sint sex dies isti, cùm septem esse debuisse antea dictum sit, videlicet post primum de quo ambigi non poterat, ob agni Paschalis comestionem cum azymis lactucísque agrestibus imperatam, post quem diem licebat redire; dubitaríque poterat an adhuc tenerentur qui redibant azyma comedere; quod à nonnullis negatum monui nuper, ita vt solùm negaretur facultas comedendi fermentatum, non autem imperaretur positiua comestio azymorum; quam tamen legis verba præ se satis ferre dixi.

Et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui.] Hebraicè pro collecta est עצרת *hhatsereth*, Chaldaicè כניש *chenis*, Græcè duplex nomen substantiuum *ἐξόδιον ἑορτῆ exodium solemnitas*, siue *festum*. Quæ satis examinata sunt alibi, vt prædixi paulò antè, pro corrogatione pecuniarum, quæ dicitur etiam collectio apud Leonem Papam in aliquot sermonibus, & corbona apud Cyprianum[c]; memineruntque rei eiusdem quos citat Iustinianus[d] noster; Iustinus, Tertullianus, Paulinus, Chrysostomus, Cyprianus[e], Gregorius, Concilium Turonense II. Hieronymus pro cœtu & conuentu, de qua notione idem citat loca veteris ac noui Testamenti, cum Tertulliano, Epiphanio, historia tripartita, Hieronymo, Augustino: pro precibus quæ in populi collectione habebantur; sed apud Romanos, pro iis, quæ dum populus ab vna Ecclesia progrediebatur ad aliã, vt stationem faceret, testibus scriptoribus de diuinis officiis Alcuino, Micrologo, Innocentio III. Belero, Durando, Rodulpho. Legendus etiam Hieronymus Baptista de la Nuza, vir sanè doctus & pius, in[f] tractatibus Euangelicis, de collecta pro collectione eleemosynarum, quam putat hîc intelligi, & fieri solitam, præterea in festo Pentecostes, & Tabernaculorum: eo quòd non æstimet Deus grandem solemnitatem, nisi in qua fiant eleemosynæ. Lælium Flaccum à Cicerone defensum putat causam dicere compulsum, quòd in Asia vetuisset, ne Iudæi collectam ibi pecuniam deferrent in Ierusalem. *Cùm autem Iudæorum*, ait Cicero, *nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris prouinciis Ierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Mihi non constat idne aurum, pecuniave eleemosynæ nomine exportaretur. Hugo hoc loco agnoscit collectam in vsus pauperum, octauo die scenopegiæ maiorem ad emendum iuge sacrificium, farinam, vinum, oleum ad libamina. De collecta post alios quos nominat, agit noster Ioannes[g] Baptista Scortia, pro cœtu: pro Missa: pro orationibus quæ dicebantur populo collecto, & à sacerdote qui legatione ad Deum fungeretur, colliguntur breuiter nomine omnium. Consulendus præterea Baronius[h], & Ioannes[i] Stephanus Durantus.

Non facies opus.] In Leuitico[k] tum de primo, tum

a v. 19.
b c. 23. 6.
c ibid. v. 7. & 8.
d ibid. v. 36.
e c. 29. 35.
f ibid. v. 3.
g c. 12. 16.
h cont. Iud. c. 4.
i in Epipha. hær. 30. pag. 63.
k in ps. 28. titulo.
l in c. 23. 3. & seqq.
m in c. 29. 36.
n hîc & Leuit. 23. 36.
o c. 7. 37.
p Leuit. 23. 36.
q in Ioan. c. 7.

a ibidem.
b 4. de finib. Vide in ada. Infixo aculeo fugere.
Explanatio. Sex & septẽ dies quomodo cõueniãt.
Collecta significationes variæ.
c serm de opere & eleē.
d in 1. Cor. 16 r.
e sup. & in epist. 60.
f tract. 2 p. 3. n. 407.
g 3 de Missa c. 19.
h in martyr. 22. Iunij.
i 2. de ritib. Eccl. c. 16.
k c. 23. 7. 8.

tum de septimo azymorum die exprimitur, vt non fiat in iis omne opus seruile מְלֶאכֶת עֲבֹדָה *melecheth khabodah* עֲבֹדַת פֻּלְחָנָא *khabudath pulchana* ἔργον λατρευτὸν. Quare hîc etiam de tali opere debet intelligi, inter quæ non computantur quantum ad hos dies, ea quæ ad vescendum pertinent, vt non ita ante retuli ex Exodo [a], de quibus sic ibi scribitur in editionibus aliis, post ista, (*omne opus*, in Græca λατρευτὸν *seruile non fiet*, Græcè *non facietis* οὐ ποιήσετε, *in eis*) nempe in Hebræa, & Chaldæa, (*præter id quod comedetur omni anima*, seu *quod pertinet ad vescendum cuique, hoc solum fiet vobis* אַךְ אֲשֶׁר יֵאָכֵל לְכָל־נֶפֶשׁ הוּא לְבַדּוֹ יֵעָשֶׂה לָכֶם *ach ascer ieachel lechol nephes, hu lenaddo iehhaseh lachem*, בָּרַם דְּמִתְאֲכֵל לְכָל נְפַשׁ הוּא בִּלְחוֹדוֹהִי יִתְעֲבֵיד לְכוֹן *beram demithachel lechol nephes hu bilchodohi ithhabed lechon*, in Græca (*præter* seu *tantum*, *quæ fient omni animæ, illud solum fiet vobis* πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ, τοῦτο μόνον ποιηθήσεται.) Dicebam nuper Tertullianum [b] permiscuisse præceptum de istis & similibus diebus cum die sabbati, quasi hoc etiam die fas esset quod illis. Verba citantur ab illo in hunc modum; *memento diem sabbatorum sanctificare eum. Omne opus seruile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet.* In Exodo [c] vnde sumptum est præceptum sanctificandi sabbati, nulla editio aliud habet quàm (*memento vt diem sabbati sanctifices*, siue *diei sabbati, ad sanctificandum eum*) & Græca μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτήν. Videtur autem Tertullianus interpretatus opera quæ pertinent ad animam illa quæ spiritualia sunt & liberalia, non seruilia, vel ad corporis vitam, quam non rarò significat *anima* alibi, & sine dubio si ea lectio retineatur, significare hîc etiam debet, pertinentia. Infert enim inde intelligi, magis sabbatizare nos ab omni opere seruili semper debere; & non tantùm septimo quoque die, sed per omne tempus. Credo, ait Eugubinus, hoc loco, eos hoc addidisse, vt ostenderent nullum opus vile, aut quod manibus exercetur, eo die fieri posse; sed opera animi non prohiberi. Quod quia nemo tam obtuso ingenio esset qui suspicaretur, prohiberi scilicet animi opera; ideo frustra additur. Non additur frustra, quamuis Hebræus textus id non habeat hoc loco; quoniam habet citato Exodi loco; vbi non intelligitur de animi operibus, quemadmodum Tertullianum videri intellexisse modò dixi, hac in re iudicio Eugubini obtuso ingenio præditum; sed de his quæ ad vitam sustentandam, siue ad victum, & ad vescendum pertinent: sicut expressum ab omnibus editionibus retuli; quamuis à Græca per illam phrasin, quam hîc etiam reperiit, πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ. *Nonne anima plus est, quàm esca*, inquit Christus [d], id est, vita: quemadmodum; *ne* [e] *solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*: & Deus ad Satanam de Iob; *verumtamen* [f] *animam illius serua*, vt alia plura similia exempla omittam. Ribera [g] noster obseruat quando dicitur simpliciter vt abstineatur ab omni opere, intelligi eo die neque ignem accendi, neque cibos parari posse. Atqui noster Interpres omisit, vt dixi, epithetum *seruile*; quod expresserat in Leuitico [h]. Ipsismet Ethnicis religio fuit vacare die sacro, festo.

> [i] *Luce sacra requiescat humus, requiescat arator.*

Item.

> [k] *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:*
> *Fastus erit per quem lege licebit agi.*

Erant tria verba, *do, dico, addico*, quæ die nefasto silebantur à Prætore. Sed fastis diebus cum populo agi non poterat.

Opus pro opere seruili. — a c.12.16. — b con. Iud. c.4. — c c.20.8. — *Pro opere spirituali apud Tertullianum.* — d Matth. 6. 25. — e ibidem. — f Iob.2.6. — g 5.de templo c.5. — h c.23.8. — i Tibullus. — k Ouid. in Fastis l.1.

Vers.9.] Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris.

Vers.10.] Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.

Festum est hoc Pentecostes, quod appellatur etiam hebdomadarum, à septem hebdomadis computandis à prima die azymorum, in qua secabantur spicæ ad maturitatem magis appropinquantes, excussisque granis post adustionem & facta inde farina fiebat oblatio Domino; & à diebus 49. quos hebdomadæ septem continent, ex quibus efficiebantur dies 50. quem numerum Græca vox πεντηκοστή, *pentecoste* significat. Tunc autem offerebat quisque sponte ac prout volebat, iuxtáque facultatem suam, & copiam rerum à Deo cōcessam, oblationes ex iis quæ labore proprio ac veluti manibus ipsis suis comparauerant siue pecora essent, siue segetes, vinum, & similia. Eodem tempore, vt & in festo Paschæ, atque Tabernaculorum, afferebant præterea de segregatis eiusmodi rebus in locum sanctuarij, quibus ibi vesci possent; quemadmodum iam pridem antea dictum est. In Exodo vocatur solemnitas messis primitiuorum [a], in qua panes ex prima messe triticea confecti debebant offerri; sicut in Paschate spicæ hordei maturescentes. In Leuitico [b] fusiùs & clariùs idem traditur; vt ferrentur manipuli spicarum, primitiæ messis ad sacerdotem, &c. numerãdo ab altero die in quo manipulus oblatus fuisset, 50. dies, &c. Inde quæ huc spectant repeti debent, omissa semel dictorum repetitione, immò & in alio commentario Actuum Apostolorum [c]. Epiphanius [d] inter Iudæorum hæreses recenset vnam Sebuæorum (de qua memini etiã libro [e] priore) qui trium dictarum celebritatum tempora permutabant. Nam mẽsem nouum azymorum post anni noui principium collocabant, qui apud Iudæos incidit in autumnum, post mensem Tisri, qui à Romanis Augustus appellatur, ab Ægyptiis Mesori, Gorpiæus à Macedonibus, à Græcis Apellæus: Pentecostem in autumnum exeuntem coniiciebant: scenopegiam tum celebrabant, cùm à reliquis Iudæis azyma siue Pascha. Scholiastes Petauius noster notat perperam Iebusæos in Damasceni codicibus esse; deinde videri Sebuæos à שָׁבוּעַ *sciauuahh* dictos, quæ vox hebdomadam valeat, quasi ἑβδομάτας *hebdomadarios*. Postremò refellit Iosephum Scaligerum causam nominis reddentem [f], quia omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων, *secundam de septem Pentecostes hebdomadis* eadem religione, qua diem ipsum Pentecostes colerent: die secunda azymorum offerentes omer siue manipulum; ab ea die sabbata omnia quæ ad Pentecostem vsque sequebantur denominando, puta δευτεροπρῶτον, δευτεροδεύτερον, &c. cùm Samaritani δευτέρας appellarent omnes deinceps dies, quæ in eandem feriam incurrerent, in qua erat

δευτέρα,

Pascha. — a c.23.16. c.34.22. — b c.23.10. & seqq. — c in c.2.1. — d hær.12. — e c.9.12. — f in isago. can. l.3. 218.

δεύτερα, ita vt inter oblationem omer siue manipuli, & solemnem diem Pentecostes, essent septem δευτέρας: & Samaritani cognominarentur à à Iudæis Sebuæi siue hebdomitæ ob dictam causam, quòd omnem δευτέρας τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione; qua ipsum πεντηκοστῆς diem colerent. Refellit, inquam, adhuc Petauius illum auctorem, quòd asserat [a] Sebuæos septies in anno Pentecosten instaurasse; vnde fieret, vt in autumnum, hyemem, vérque incideret, quia Epiphanius scribit illos in autumno celebrasse. Non potuit fieri, ait Petauius, in quatuor anni temporibus instauratam à Sebuæis Pentecosten, si in spatio illo tantùm, quod ab omer siue manipulo demesso, ad Pentecosten intercedit, τὰς δευτέρας septem festas ac solemnes ducebant. Mox recitata Drusi sententia de ratione appellationis à Sebaia, qui cum R. Dosthai ad nouos Samariæ inquilinos ex Assyria sit missus, reperit videri deriuationem à שָׁבוּעַ *sciauuah* esse, id est, ab hebdomade; quod vt Samaritani exterI τὰς δευτέρας septies illo dumtaxat interuallo, quod ad Pentecosten intercedit, celebrarent. Quidquid sit, constat diuina lege constitutam vnicam Pentecosten, & eius tempus eo modo quem diximus. Notatu verò dignum cum Pamelio [h], nomen Pentecostes accipi nonnumquam pro tempore integro à die Paschæ ad diem vsque festum Pentecostes, vt ab iis quos citat, Tertulliano [c], Hieronymo [d], Augustino [e], Irenæo [f], Epiphanio [g], Basilio [h]. Concilio [i] Niceno; simul aliis testimoniis ostendens eodem toto tempore immunitatem à ieiunio esse atque ab adoratione de geniculis [k], quemadmodum & diebus Dominicis; vt Tertulliani [l], Hieronymi [m], Augustini [n], Maximi [o], Isidori [p], Rabani [q], Iustini [r], Concilij [s] Niceni. Adde Balsamonem [t] (qui præter canonem 20. Niceni Concilij citatum, profert & 27. resp. Basilij ad Amphilochium, ex libro de Spiritu S. etiam citato profert canonem 15. Petri Alex.) Synodum VI. [u] in Trullo (licèt mentionem faciat solùm de genuflexione omittenda à vespera resurrectionis priore vsque ad sequentem vesperam in die Dominico) Amalarium [a] (qui nominat Ambrosium, Hieronymum, Augustinum) & quos cum nonnullis ex hîc allatis produxi in commentario Actuum Apostolorum [y], Hilarium [z], Ambrosium [aa], Cassianum [bb], Turrecrematam [cc]; prætetea Concilium Illiberitanum [dd] cum Ferdinando Mendoza eiusdem docto expositore; Concilium Carthag. VI. quod renouauit canones Niceni; ex quibus is etiam qui genuflexionem vetat, ponitur in decreto [ee], & ex Isidoro de ieiunio relaxando [ff]: & simul de vtroque [gg] ex Ambrosio, Concilium Turonense II. [hh] quantum ad monachorum ieiunium: quamuis ex deuotione ieiunari posse doceant Hieronymus [ii], & Isidorus [kk], refertúrque in eodem decreto [ll].

Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris.] Pluribus verbis editiones aliæ. Hebræa (*septem hebdomadas numerabis tibi, ab incipiendo falcem in segete, siue cùm inceperit falx esse in segete, incipies numerare septem hebdomadas*) Chaldæa (*septem hebdomadas numerabis tibi, ab incipiendo, siue cùm inceperis falx ad metendum manipulum eleuationis*) Græcè (ἑπτὰ ἑβδομάδας ὁλοκλήρους ἐξαριθμήσεις σεαυτῷ, ἀρξαμένου σου δρέπανον ἐπ' ἀμητὸν, ἄρξῃ ἐξαριθμῆσαι ἑπτὰ ἑβδομάδας, *septem hebdomadas integras dinumerabis tibi ipsi, inchoante te falcem in messem, incipies dinumerare septem hebdomadas.*) Omittit editio Sixtina ὁλοκλήρους *integras*. Sed erat id epitheton in Leuitico [a], ac simile secundùm alias editiones: & hoc loco legit Augustinus [b], & præterea (*inchoare te falcem mittere in messem.*) Quærit autem idem Doctor, si ab vniuerso populo lex hæc Pentecostes iussa est obseruari, quo pacto omnes vno die credendum sit falcem iussos mittere in messem: si ibi quisque obseruabat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die, quo falcem mittebat, non vnam fuisse vniuerso populo, cùm illa vna esset, quæ computabatur ab immolatione Paschæ vsque in diem datæ legis in Sina. Transcripsit hæc Rabanus & Glossa: ille verò adiicit huius Pentecostes, neque tempus, neque numerum à populo Iudæorum custodiri: à nobis cum contemplatione, & ad literam: in Leuitico [c] præcipi ab altero die sabbati numerum incoari, diem Dominicum indicando, in quo resurrectio facta est; & in quo celebramus Pentecosten, aduentúmque Spiritus sancti. Addit præterea Glossa, septem hebdomadis figurata septem dona Spiritus sancti, qui datos fuit in Pentecoste nostra Apostolis, aliísque discipulis in signo visibili. Omissis mysticis quæ alias attigi, responderem quæstioni Augustini, præceptum accipi debuisse quatenus poterat impleri; vt scilicet deferrent manipulos qui poterant, & sacerdos omnia præstituta die offerret. Porrò ex eo quod hîc dicitur de die, qua falcem in messem mittere oportebat; quia sabbato vacatio erat ab operibus, & post diem qua Christus passus est, quæ fuit feria sexta, & luna 15. & prima ex azymis, cùm agnum Paschalem comedisset præcedente vespera lunæ 14. à qua vespera, ritu Hebræorum, initium festi sumebatur; & quia Pentecoste debebat esse die quinquagesima, computatis hebdomadis septem plenis à dicta die, qua mittebatur falx in messem; & Pentecoste post passionem Christi incidit in diē Dominicum, sicut & resurrectio eiusdem; sequitur computatas tunc hebdomadas, non à die 16. id est, à sabbato, sed à sequenti 17. Vnde simul fit, consecrasse Christum in azymis; quia eadem die consecrauit, siue vespera 14. lunæ exeunte, & incipiente die 15. quæ erat prima azymorum. Qua de re alibi pluribus, & hoc loco Hugo. Leuitici [d] locus planior est. *Numerabitis ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ*, id est, quinquaginta dies. Vnde perspicitur vim peculiarem non esse cùm dicitur (*numerabis tibi*) in pronomine, sed idiotismum Hebræum esse, de quo aliàs. Ibidem admonui hebdomadam, septimanámve & dierum & annorum in Scripturis dici; vt septem hebdomadas dierum 49. hebdomadas septuaginta annorum, de quibus apud Danielem [e], id est 490. (errat Origenes [f] docens hebdomadam esse decem annorum) & quidem solarium; post quas venturus esset ac vngendus Christus dux sanctúsque sanctorum, siue Messias. Coguntur perfidi Iudæi, sæculorum hebdomadas apud eumdem prophetam intelligere; cùm iam ab aliquot sæculis, præterierint annorum illa septuaginta hebdomades, & adhuc tamen Messiam expectent. Sed eiuscemodi acceptionis exemplum nullum proferre possunt: & quod ad annos attinet, finitæ sunt hebdomadæ illæ sub tempus, quo vixit Iesus, quem vt verum Christum colimus. Meritò ridet Galatinus [g] hebdomadas Iubilæorū in Daniele sumentes. Continet namque

Iubilæum

Marginal notes (left column): a in elencho tribær. c. 1. — b in Tert. de idol. n. 110. c de cor. mili. c. 3. — d cont. Luc. & cont. Mōtan. & epist. 22. & præf. in regulam Pachomij. — e Ep. 119. & c. 15. & 17. & epist. 86. — f apud Iust. q. 115. ad orthod. — g compend. Cath. fidei. — h de Spiritu S. c. 27. — i Can. 20. — k in Tertu. de cor. mil. n. 38. — l de coro. mil. c. 3. — m cōt. Lucif. & lib. cont. Mont. & prolo. in ep. ad Ephes. & to. 9. ep. 21. — n ep. 119. c. 15. & 17. — o hom. 1. de Pent. — p 1. Offic. c. 33. — q 2. de inst. Cler. c. 41 & 42. — r quæ. 94. & 115. ad orthod. — s Can. 20. — t in Synodū VI. in Trullo can. 66. — u Can. 91. — x 1. Offic. c. 36. — y in c. 20. 36. — z Præfa. in Psal. — aa ser. 61. & præf. in psa. 59. — bb 2. de inst. renunc. c. vl. & coll. 21. c. 11. & 20. — cc in c. Quoniam. de consec. d. 5. — dd Can. 43. — ee de consec. d. 3. c. Placuit. — ff d. 77. c. post Pascha. — gg c. Scire debes. d. 76. — hh Can. 13. — ii ep. ad Lucinum 28. — kk 1. Offic. c. 42. — ll d. 76. c. Vtinam.

Marginal notes (right column): a c. 23. 15. — b q. 25. — c c. 23. 11. — d c. 23. 15. 16. — *Hebdomada diebus & annis tribuitur.* — e c. 9. 24. — f tract. 14. in Matth. — g l. 4. c. 14.

iobilæum annos 50, ac proinde 70. hebdomades iubilæorum,24. annorum millia, & insuper 500. annos. Sunt verò, fatentibus Iudæis, plurima ex prædictis à Daniele loco eodem, iam impleta; vt euersa ciuitas, dissipatus populus, destructo templo cessatio sacrificiorum, &c. Non remanet Iudæis, ait Lyranus [a], excusatio ex diuersitate computationum (de qua idem, & alij Enarratores Danielis, vt de nostris Pererius, Maldonatus, Sanctius, Cornelius, quique disputant contra illos Burgensis, Adrianos Finus, Porchetius, Galatinus; vel de incarnatione, vt nostri etiam Valentia, Suares, Vasques) cùm tempus septuaginta hebdomadarum, de quo agitur apud Danielem, qualitercumque computetur (intelligendo hebdomadas annorum, scit annos 490. qui numerus celebrior erat, velutique sacer, quia denarius iubilæi, quod inchoabatur quolibet 49. anno, qui est septies septimus, & decies 49. efficiunt 490. ita vt indicetur allatum à Christo plenum perfectúmque iubilæum) iam per mille annos (immò per 1600. & vltrà) transierit in præteritum, & ampliùs. Sola ergo obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messiæ. Hoc modo Lyranus ex Iudæo Christianus & frater Minor. Quod obiter dictum sit. De dierum hebdomadibus ab eodem Daniele [b] scribitur, quòd loserit trium hebdomadarum diebus: de annorum fit mentio in Leuitico [c]; cùm pro iubilæo præcipitur, vt numerentur septem hebdomadæ annorum, id est, vt editio nostra explicat, septies septem, quæ simul faciunt annos 49. Communis est omnibus ferè linguis numerandi modus per hebdomadas dierum: per annorum hebdomadas numerasse Varronem refert Gellius [d], affirmantem, se iam vndecimam annorum hebdomadam ingressum esse, hoc est, octogesimum annum, & ad eum diem 70. hebdomadas librorum conscripsisse, id est, 490. In eodem Gellio [e] lego hebdomadibus lunæ agitare Athenis conuiuia solemne fuisse. Quod videtur accipiendum de initiis quatuor partium lunæ, quas vocant quartas. Hebdomadam mensium nondum reperi qui vsurpet. Iulianus [f] Toletanus disputans vt modò dixi de Danielis hebdomadis contra Iudæos, computánsque numerum annorum 490. confirmat loci huius nostri testimonio, vt probet hebdomadam pro septem annis accipi.

a in Dan. 9.
b c. 10. 2.
c c. 25. 8.
d l. 3. c. 10.
e l. 15. c. 2.
f 1. côt. Iud.

Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo] Secundùm reliquas editiones (*facies festum siue solemnitatem.*) A numero septenario hic & præcedente membro hebdomada denominatur, & adhuc Latinè (hebdomadem enim à Græcis Latini mutuati sunt) septimana. Sed Leuitici [g] locus eamdem sententiam continens, Hebraicè sabbata habet שַׁבָּתוֹת *scabbathoth*: quo modo ieiunans bis in sabbato [h], intelligebat de hebdomada. Sabbatariorum ieiunia Epigrammatarius [i] nominat, non à ieiunio sabbati; sed quia sic Iudæi cognominabantur à religione cultúque dici sabbati, & hoc nomen communicabant cæteris diebus, vnam verbi causa seu sabbati appellantes, alteram, tertiam, &c. immò & festiuitatibus omnibus: quemadmodum aliqui vulgò celeberrimis festis tribuunt nomen Paschæ, vt ipsimet Pentecoste, & Natali Domini. Festum hebdomadarum hoc idem, solemnitas iterum vocatur hic inferiùs [k]: & in Exodo [l], & in Paralipomenis [m]: in Machabæorum [n] historiis dicitur solemnis septimanarum, simúlque Pentecoste. Addunt aliqui [o] ex Leuitico nomen festi primitiarum: vbi tamen non extat, sed res tantùm ipsa: verùm in Exodo [a] dicitur solemnitas messis primitiuorum. Non displicet annotatio Brugensis [b] quod editio nostra in c. 28. [c] Matthæi vocat vesperè sabbati, Græcè dici σαββάτων plurali forma, non solùm per enallagē numeri, nec tantùm quia dies ille perfectissimā quietem exigebat, sed pro σαββατὸν indeclinabili: quia Hebræi vsurpāt שַׁבָּתוֹן *scabbathon* nō solùm שַׁבָּת *scabbath*, cùm ibi desit articulus; qui locis aliis [d] præfixus exigit numerū pluralem: enallages autē dictæ si retineatur, vsum ortum videri, quòd Iudæi loquentes Græcè, vtentésque voce σαββατὸν suo more tanquā indeclinabili, existimaret sunt à Græcis peccare accentu, & dicere velle ac debere ἡμέραν σαββάτων, quod erat ἡμέρα σαββάτων appositiuè, aut ἡμέρα σαββάτου *dies sabbatum*, vel *dies sabbati*: deinde obtinuerit mos, vt Græci ex κακοζηλίᾳ dicerent ἡμέρα σαββάτων, tandem addito quoque articulo, ἡμέρα τῶν σαββάτων: quos Latini secuti transtulerint *dies sabbatorum*; qui loquendi modus extat solùm in Machabæis, Euangeliis, actibus Apostolorum. Dicunt Græci σάββατον, & σαββάτ, ex quo est datiuus pluralis σάββασι [e], ad similitudinem duplicis formæ Hebraicæ, de qua dixi.

Hebdomada etymon.
g c. 23. 15.
h Lucæ 18. 12.
Sabbatariorum ieiunia qua.
i l. 4. epig. 4.
k v. 16.
l c. 34. 22.
m l. 2. 8. 13.
n l. 2. 12. 31. 32.
o Fab. Iust. in Tob. 2. 6.
a c. 23. 16.
b in Matth. 28. 1.
c v. 1.
d Actuū 13. 14. c. 16. 13.
1 Macha. 2. 32. l. 2. 15. 3. & alibi.
e Matth. 12. 1.

Oblationem spontaneam manus tuæ.] Hebraicè & Chaldaicè (*sufficientiam spontis* seu *spontanea manus tuæ*:) vel (*cum eleuatione voluntaria manus tuæ*) id est, quantum potuerit spontanea manus tua. Vox מִסַּת *missah* à מָסַס *masas* valet sufficientiam; à נָשָׂא *nasah* eleuationem, ac proinde oblationem quæ fit eleuando. Eadem verò sententia est, inquit noster Mariana, siue dicas oblationem spontaneam, siue sufficientiam spontaneam; scilicet nullam oblationem in hoc festo peculiarem præscribi, sed in cuiusque id arbitrio relinqui. Notat etiam quosdam Missam nostram ab eadem voce deducere: quod pridem ipsi quoque monuimus [f]: videtúrque placuisse Concilio Senonensi [g], Claudio [h] de Sainctes, Reuchlino [i], Alciato [k], Pinto [l], Pamelio [m], Munstero [n] hæretico, Demochari [o], Scortiæ [p] nostræ, Baronio [q], Antonio [r] de Molina, Couarruuiæ [s], qui Alciatum citat & Concilium Coloniense; Roffensi [t]. Citat ex his aliquot Henriques [u] noster. Sed non omnes id asserunt. Roffensis autem tribuit Ioanni Capnioni, & aliis. Oblatus est Christus quia ipse voluit [x]: & posuit animam suam pro potestate sua non coactus [y]: & Missam summa voluntate offerimus corde magno, animo volenti [z]. Obstat nonnihil quod obiicit Ioannes [aa] Stephanus Durantus post Lindanum [bb], & nominatum Henriques; quòd si Missa nomen Hebraicum esset, atque à Christianis ex Hebræis retentum, sicut *Sabaoth, alleluia, osanna, amen, abba*, &c. Græci Patres illius vt & aliorum meminissent: & veteres Latini tanquam Hebraicum vsurpassent. Vt omittatur quod, vt illo cap. 5. dial. nemo scribit aspiratè Missah, prout exigit Hebræa vox. Verùm porrò quoque non videtur nullam oblationem in festo Pentecostes peculiarem præscribi; cùm vt ex Leuitici cap. 23. [cc] constat, præscribantur panes duo primitiarum fermentati, septem agni, vitulus vnus, arietes duo, hircus pro peccato, duo agni hostiæ pacificorum. Responsio est, illa nomine communi offerri debuisse; vt ibidem docui. Præter sensus alios mysticos eodem loco traditos: rectè spontanea voluntariáque oblatio seu sacrificium conuenit festo Pentecostes, in quo datus est Spiritus S. cuius inter alia epitheta illud est, vt dicatur spiritus voluntarius, spon

Oblatio spontanea qua.
Missa etymol.
f c. 13. v. 2.
g decreto de fide c. 13.
h præf. ad litur.
i 2. de erud.
k 7 parerg. c. 10.
l in Dan. c. 3.
m in liturg.
n in dictia Hebr.
o de sacrif. Miss. c. 1.
p 3. de Miss. c. 1.
q 10 1. ann.
r in lat. tract. 3. c. 2.
s 4. var. c. 22.
t defens. Reg. attici c. 6.
u Summæ theol. to. 1. l. 9. c. 10 lit. a.
x Esa. 53. 7.
y Ioan. 10. 17. 18.
z 2 Macha. 1. 3.
aa 3. de Miss. c. 4.
bb 4. panop. c. 37.
cc v. 17. & seqq.
Festo Pentecostes sacrificium.

tius, spontaneus, voluntarius, liber, liberalis, munificus, princeps, dignus principe, nobilis in Psalm. [a] נדיבה רוח ruach-nedinah, pro quo editio Græca ἡγεμονικῷ habet, nostra id exprimens, principali; Chaldæa simili nomine eum Hebræo מנדבת midbath: translatio Hieronymi potentem. Eius loci commentarium nostrum legisse non pœnitebit. Græcè hoc loco est καθ' ὅτι ἰσχύει ἡ χείρ σου *secundum quod potest manus tua*. Explicat Abulensis de rebus quas quis per manum suam laborauisset, vt de segetibus, vino, pecoribus. Oleaster iuxta facultatem cuiusque ad sponte offerendum, quod versu 17 dicitur (*secundum quod habuerit*) Hebraicè & Chaldaicè (*secundum donationē manus suæ.*) Græcè (*secundum facultatē manuum vestrarum* κατὰ δύναμιν τῶν χειρῶν ὑμῶν. Marzilla declarat de illa decima, quam separandam dictum est c. 14. [b] de cunctis fructibus, vt comederentur in conspectu Domini, in loco quem elegisset, vt in eo inuocaretur nomen eius, videlicet ex frumento, vino, oleo, primogenitis armentorum & ouium, ita verò tamen, vt cùm longior esset via ea redacto eorumdem pretio emerentur quæ ibidem offerrentur. Hoc potiùs pertinet ad ea quæ versu sequenti scribuntur.

a v. 14.

b v 22. & seqq.

Quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui] Textus editionum Hebrææ & Chaldææ habet (*quam dabis*, nempe oblationem donationémve voluntariam seu spontaneam manus tuæ, *prout benedixerit tibi Dominus Deus tuus*) Græcæ (ὅσα ἂν δῷ σοι, καθ' ὅτι εὐλόγησέ σε κύριος ὁ θεός σου *quæ dederit tibi, prout benedixit tibi Dominus Deus tuus*) sed breuiùs in Sixtinis codicibus ὅσα ἂν δῷ κύριος ὁ θεός σου. Occurrit priùs hoc libro [c] eadem formola non semel. Multiplicationem denotat benedictio. Infert verò Abulensis oporrere vt diuites magis, pluráque offerant, quàm pauperes. Decet id quidem in spontanea oblatione; sed hæc obligationem non inducit. Quando autē in iubilæis Pontificiis inter alias conditiones exigitur eleemosyna, sentiunt aliqui, non impleri conditionem istam, proindéque non obtineri gratiam iubilæi, nisi fiat eleemosyna secundùm portionem facultatum quas quilibet habet. Quod præ se fert seueritatem.

c c. 2. 7. c. 7. 13. 14. c. 12. 7. 15. c. 14. 24. 29. c. 15. 46. 10. 14. 18.

Oblatio libera.

Vers. 11.] Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui est intra portas tuas, aduena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

PARAPHR.

EX iis quæ secum detulissent hunc in finem ad electū constitutúmque à Deo cultui suo locum, prout paulò antè retuli scriptum in c. 14. [d] hortatur ad hilariter epulandum, nō solùm cùm necessariis filio, filia, seruo, ancilla, subintelligēdo vxorem, quæ reputatur velut eadem persona cū viro; aut omittendo illam, quia fœminæ non tenebantur ascendere ter in anno ad festa; decebátque etiam domi remanere, tum ad curam domesticam, tum ad vitanda pericula honestatis & valetudinis (quod habet locū etiam in teneriotibus filiis, ac filiabus,) sed præterea, cū aliis, ad quibus benè faciendum non tam naturalis necessitudo léxve, quàm Dei respectus & amor impellere videbatur; videlicet cū tenerioribus, magisque indigentibus, quales Leuitæ fixa immobilique carentes possessione, aduenæ seu peregrini, pupillæ

d v. 22.

siue orphani, viduæ. Similia priùs audita sunt c. 12. [a] & 14. [b] expressis filiis, & filiabus, famulis, & famulabus, siue domo, cū Leuitis, seméque peregrino, pupillo, vidua; quibus hic adiungitur sub vocabulis aduenæ, pupilli, viduæ; quas miserabiles ac depositas personas frequenter à Deo commendatas alienæ benignitati beneficentiæque, vidimus alibi [c], & eidē in primis esse curæ, vnde petere licet quæ ad præsens fuerint institutum. Epularum celebratio conducebat, vt obseruat Abul. [d] ad hoc vt Hebræi, qui carnales erant, allicerentur faciliùs ad sacrificia, quibus valdè laudabatur Deus: vtque circa obedientiæ actus qui præferuntur ipsismet sacrificiis [e], exercerentur, ad quæ virtutum opera vt filij filiæque ac reliqua familia magis afficeretur, & in iis assuesceret, earumdem epularū fieri participes oportebat. Infert Hugo in magnis festiuitatibus visitādas ecclesias, religiosiùs agēdū, comedendū quoque splendidiùs.

a v 18.

b v. 26. 27. 29.

c Deut. 10. 18. 19. Leu. 19. 33. 34. c. 23. 6 ps. 9. 35. ps. 10. 18. ps. 67. 6. ps. 81. 3. ps. 145. 9.

e 1. Reg. 15. 22.

Et epulaberis coram Domino Deo tuo.] Lætandi verbum vsurpant editiones aliæ; vt notauimus prioribus capitibus [f] in simili sententia שמחת samath חדה chada, εὐφραίνεσθαι: quod Psal. 67. [g] fusiùs exposui, docens gaudij nomen interdū pro cœna sumi apud [h] Horatium, Iuuenalémque [i]; quod annotauerat Ros [k] noster. In voluptate esse Cicero [l] ait qui epulentur. Epulum autem, & epulę, ac interdū numero singulari epola quasi edipula ab edēdo, & de publico, & de priuato conuiuio dicuntur; licet sæpiùs de publico epulū, quod exhibebatur vel à triomphantibus; vel in honorem mortui cuiuspiā ciuis magni; vel in templi dedicatione: eratque epulonum magistratus, Ioui, diisque cæteris epulas instruentium, quos Græci θοινάρχας appellabant: cuius vestigium pyramis cum inscriptione principis epulonum ad Vrbis portam tergeminā siue S. Pauli via Hostia. Epulari coram Domino docui aliàs intelligi vel in atrio sanctuarij; vel in loco seu ciuitate vbi illud esset: solitos verò non Hebræos dumtaxat, sed etiam Gentiles vesci rebus sacrificatis. De his exemplum est Maronis [m].

Explanatio.

f c. 12. 12. c. 14. 26.

g v 4.

h l. 4 od. 11.

i Saty. 15.

k 2. singul. c. 24.

l 2. de finib.

Epuli etymon.

m Æne. 3.

—dapibúsque epulamur opimis.

Vbi dapes opimæ in re sacra sunt, deósque respiciunt; epulari ad homines pertinet.

Item

[n] Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

n Æne. 7.

Tu.] Dixi sub viro vxorem comprehendi, siue quæ incoleret locum cum viro in quo esset sanctuarium, siue quæ illuc veniret aliunde, si vellet venire.

Et filius tuus, &c.] Hos quoque nominatos alibi notauimus: & pro Leuite intra portas iuxta editiones alias poni vrbes.

Aduena.] Peregrinus verti potest, sicut c. 14. [o] & 10. [p] qui גר gher גיורא ghijora, προσήλυτος, quæ nomina trium aliarum editionum, licèt nonnūquam accipiantur pro exteris ad Hebraismum conuersis: hic sumuntur pro exteris ipsis peregrè aduenientibus: quoniā de aliis ambigi nō poterat; cùm exprimantur serui ancillæque, non ex gente Hebræa videlicet solùm, sed ex alia quacumque.

o v. 29.

p v. 18.

Pupillus.] De hoc nomine lege c. 10. [q] vbi dictū est synonymum esse orphano, quamuis omnino nihil distingui queant: & nostri origo videatur à popā & pupo, paruula puella, puello paruulo. Volunt enim Iurisconsulti pupillū dici, qui proximus est pubertati; quando excessit decimum annum cum sex mensibus; pupillā, quando nonū annū, & dimidiū decimi. Denique impubes ab iisdē vocatur, qui desiit in potestate patris esse, aut morte, aut emancipatione; & cœpit esse in potestate tutoria.

q v. 18.

Pupilli etymon.

Vidua.] De isto quoque vocabulo consule citatum c.10.[a] psalmumque 67.[b]

a v.18. b v.5.

Qui morantur vobiscum.] Græcè (*qui in vobis, ὁ ἐν ὑμῖν.*) Sed particula אֲשֶׁר *ascer*, & בְּ *de* amplecti potest præcedentes, numerúmque pluralem: illis autem editionibus Hebræa & Chaldæa pro (*qui morantur vobiscum*) extat (*qui in medio tui* אֲשֶׁר בְּקִרְבֶּךָ *ascer bekirbecha*) vel (*intra te* בְּקִרְבְּךָ *bekirbech.*) Quare non semper inest peculiaris vis in eo quòd dicatur quis in medio populi esse, aut habitare. Salomon deprecans Deum, dixit se in medio populi esse[c]: Deus habitaturum se in medio filiorum Israël[d]: Sunamitis in medio populi se habitare[e]: Ioannes de Christo, quòd medius Iudæorum stetit[f].

c 3.Reg.3.8. d c.6.13. e 4.4.13. f Ioan.1.26.

In loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.] Græcè (*quem elegerit Dominus Deus tuus eum αὐτόν.*) & pro secundo membro (*vt inuocetur nomen eius illic, ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ.*) Id iam sæpe priùs[g] obseruatum est, vbi editio nostra habet (*vt ponat nomen suum ibi: vt sit nomen eius: vt in eo nomen illius inuocetur: vt habitet nomen eius ibi.*) Sed eamdem annotationem inculco, ne quis momentum inaniter constituat, vbi distincta ratio per se non subest.

g 12.5.11. 21.c.14.23. c.16.2.6.

---

*Vers.*12.] Et recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto: custodiésque ac facies quæ præcepta sunt.

Paraphr.

Ratio efficax ad persuadendam omnium præceptorum diligentem custodiam obedientiámque: meminisse tam eximij beneficij, quo adeò longa duráque seruitus & captiuitas Ægyptiaca mitis ac multis modis sublata est. Nominatim verò valet, vt non ignari malorum, & ærumnarum ex exilio, seruitute, inopia, compatiantur seruis, ancillis, peregrinis, iisque tum maximè benignè ac liberaliter faciant, cùm ad celebrem & festiuam conueniunt diuinorum eiusmodi memoriam beneficiorum. *Mei sunt serui*, dixit Deus[h], *fily Israel, quos eduxi de terra Ægypti.* &[i], *Vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti:*[k] *aduenam non contristabis, neque affliges eum; aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti: peregrino*[l] *molestus non eris: scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti: diligetis*[m] *aduenam quasi vosmetipsos; fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti.* Cognosce quæ annotaui locis in margine indicatis ex cap.10.libri nostri, & ex Leuitico: & recognosce, ac recogita conditionem humanam, vt fasto depresso studeas modestiæ, Christianæque humilitati, ac ne inter epulas, vt monet Hugo hoc loco, superbia extollaris. Ex conditione sua, inquit Glossa[n] interlinearis, quisque perpendat quomodo aliis misereatur. Vnde, *dimittite*[o], *& dimittetur vobis.* Produnt historiæ nonnullos ingenuo & magno animo nominibus, titulis, insignibus palàm & publicè genus & originem profiteri ac protestari, quantumuis humilem vilémque voluisse, vt selpsos intra officium continerent, nec superbiùs cuiquam præferrent. Pisones, Cicerones, Fabij, qui & Fodij, Lentuli, Suilli, Bubulci, Bupecij, Capratij siue Caprilij, Porcij, Ouinij, Equitij, Tauri, Stolones, Pilumni, Lactucini, Serani, Hortensij, à pisis vel pinsendo frumento, à cicere, fabis, aut fossis, (quibus fossis feras capiebant) à lente, suibus, bobus, capris, porcis, ouibus, equis, tauris, stolonibus plantarum, pilo pistrini, lactucis, serendo, hortis: in quarum rerum curam incubuerant. Inter alia exempla ignobilitatem vi-

h Leu.25.42.55. i Deut.10.19. k Exod.22.21. l c.23.9. m Leu.19.34.

Conditionis humanæ recognitio vtilis.

n in Exod.23. o Luc.6.37.

A litatémve stirpis, apertè ac ingenuè præ se ferentium, quæ theatri auctor humani collegit[a], insigne censeo Bionis Borysthenitæ, fassi Antigono, natum se matre ex lupanari, patre liberto, qui cubito tergere se solitus esset, succidam laridúmque vendendo, acerbissimi domini scripturam haberet in facie, cum matre & tota domo venumdatus esset. Interroganti

a vol.13.l.5.p.2817.

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες.

Ede tuum nomen, patriam, genus, atque parentes.

respondit iam dictis memoratis,

ταύτης τοι γενεῆς, τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι

Huius me esse patris, generis me glorior huius.

Vuilligis Episcopus Moguntinus L V I I. archiepiscopus V I I. Elector primus patre carpentario seu hamaxurgo & rhedario ortus, primúsque in Electorum numerum ab Othone I I I. Imp. cooptatus, assiduè recolebat secum: *Quis sis, quis fueris memento*: idque in parietibus inscripsit, exprimendo ac suspendendo rotam, cum hoc pentametro[b],

B

Vuilligis recolas, quis es, & vnde venis.

Ex quo tempore Moguntina ciuitas ipsa rotas pro insignibus suis esse voluit: qua de re plura noster Serarius[c]. Agathocles rex Siciliæ, vt se in regia purpura figuli meminisse filium posset, fictilia semper in mensa vasa iussit apponi, de quo Ausonius[d]

b Sera. hist. Mogunt.l.5.pag.723. Naucle.Gigas,& Brus.de Episcop. c suprà pag.724. d epig.8.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem:
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperiémque simul.
Quærenti causam, respondit; rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

C

Nam ferè semper illud verum esse deprehenditur; quòd

Asperius nihil est humili cùm crescit in altum.

Neconon ad rem facit Benedictus Papa X I. ex Dominicanorum ordine sanctitate miraculísque clarus. Hic humili admodum genere natus, matrem, quæ dum adhuc inter monachos priuatus ageret, illorum abluebat vestimenta, præclaris ornatam vestibus ad se à matronis deductam, agnoscere dissimulauit; reductam in pannosis exuuiis, amplexatus[e] est. Citaui non semel Senecam[f], quem imitari videntur Gellius[g], Macrobiúsque[h], seruorum aduersus dominos veluti patrocinium suscipientes. Monet ille dominos vt meminerint qui serui sunt homines esse, immò contubernales, immò humiles amicos, immò conseruos, si cogitauerint tantumdem in vtrosque licere fortunæ, ex iisdem seminibus ortos, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori: tam qui nunc domini dicuntur, ingenuos eos videre posse, quàm ipsi illos seruos. Tale illud Epicteti[i] (qui seruus[k] fuit) *non recordaberis quis sis, & quibus imperes; nónne cognatis? nónne natura fratribus? nonne à Ioue oriundis? ἐκμανθάνεις τίς εἶ; καὶ τίνων ἄρχεις; ὅτι συγγενῶν, ὅτι ἀδελφῶν φύσει, ὅτι Διὸς ἀπογόνων;* Recitat Gellius duos versus ab eodem de se scriptos, *ex quibus latenter*, inquit, *intelligas non omnes modò diis exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas ad quas paucorum potuit peruenire curiositas.*

D

e Ciaconius l.8.metrop. c.46. annal. Dom.&alij. f epist.47. g l.2.c.18. h l.1.c.11.

E

i l.1.dissert.13. apud Arrianum. k Gell.supra.

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Seruus Epictetus claudus seu corpore mancus:
Pauperie est Irus, carus at astricolis.

Et recordaberis, quoniam seruus fueris in Ægypto.] Græcè (*in terra Ægypti, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ.*) In cap.5.vt persuadeatur sabbato vacandum, quód-

Explanatio. l v.15. & seqq.

que non

que non debeat quisquam quidquam operis facere, neque filius, & filia, immò neque seruus & ancilla, non bos, asinus, omne iumentum, non peregrinus; curandum verò nominatim, vt requiescat seruus & ancilla sicut ipsemet dominus: hæc ratio suggeritur; *memento quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti & brachio extento; idcirco præcepit tibi vt obseruares diem sabbati.* Idem hanc ipsam ad rem nonnulla protuli, indéque nonnihil paulò antè retuli ac repetij. Commendata etiam est cap. 9.[a] memoria diuini beneficij, vtque caueretur obliuio: & c. 15.[b] ingesta memoria est præteritæ seruitutis in Ægypto, ac liberationis ex illa, vt benè tractarentur serui quando dimitterentur: eodem modo in cap. 24.[c] cùm agitur de aduena, pupillo, vidua.

a vers. 7.
b vers. 15.
c v. 17. 18.

Custodiésque ac facies quæ præcepta sunt.] In reliquis editionibus (*præcepta hæc*) nimirum proximè antè tradita, licet etiam præcedentia omnia. Custodienda præcepta valdè frequenter audinimus in isto & aliis libris, vimque formulæ declarauimus: aliquando[d] adiecto verbo faciendi, ita vt primum pertineat ad æstimationem, memoriam, curam; secundum ad vsum, praxim, executionem; & memores simus mandatorum ad faciendum ea[e]. Custodies mente, ait Hugo, facies opere.

d c. 5. 32. c. 6. 17. 18. 25. c. 7. 11. c. 11. 22. c. 13. 18.
e Psal. 102. 18.

Vers. 13.] Sollemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas.

PARAPHR.

TErtium festum est istud post Paschatis ac Pentecostes priùs memorata festa. De hoc ita præceptum vidimus in Leuitico[f]. *A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus seruile non facietis in eo. Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collectæ: omne opus seruile non facietis in eo.* In c. etiam 29.[g] libri Numerorum repetitur præceptum de festo eodem, designando victimas in octo singulos dies. Ex vtroque loco disces quæ ad præsentis conferunt intelligentiam; vbi & de vocabulo Græco σκηνοπηγία, quod Latinitate donatum vocatur scenopegia. In Exodo[h] indicatur festi causa illis verbis (*quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.*) Quod tempus anni in terra promissionis est septimus mensis siue September, quia magis temperata est. Ad agendas ergo pro messe fructuum gratias instituta festiuitas illa erat, præter aliam caussam, quæ videtur primaria, ponitúrque citato Leuitici[i] loco simul cum priore. *A quintodecimo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus, &c. & habitabitis in vmbraculis septem diebus. omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis: vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Ægypti.* Describitur autem in Esdræ libro secundo[k] istius festiuitatis admodum insignis celebritas. Abulensis corruptè nominans scenophagiam (nec benè scribitur scenophegia, componitur enim ex σκηνή scena, & πήγνυμι figo.)

f c. 23. 34. & seq.
g vers. 12. & seqq.
h c. 34. 22.
i 2. 23. 39. 42. 43.
k c. 8. 16. 37.

Falsum quoque tradit etymon, ac si significet simultaneum, vel communem ad comedendum locum, à cenon, quòd sit commune, & phagin, quod edere; quia in publico ederent. Refert etiam facere hoc tempore Hebræos in vicis extra domos suas quædam vmbracula ramorum, & ibi comedere, & bibere, quasi in illis habitarent: vel facere hoc locis patentibus cœlo, licèt vndique parietibus adoperta sint; sicut in curialibus (*cortili* volgo:) vel domos illa die (id est, septem diebus) detegere; & sic se putare illud præceptum adimplere. Quidquid illi faciant, sacrificare ipsis non licet. Theophylactus[a] notat gratias actas Deo in illo festo, conuectis iam frugibus omnibus, ideóque tabernacula facta, & quasi sub dio agentes lætatos; psalmos quosdam propterea inscriptos pro torcularibus in gratiam istius festi) quia tunc torcularia implebant, & vuas premebant, psalmis vtendo ad gratias agendas. Euthymius celebrationis huiusce caussam refert ad recordationem illius diei, quo Moses tabernaculum Dei fixit, & erexit. Verùm, vt admonui, de literali mysticóque sensu plura sunt alibi dicta, ex Origene[b], Cyrillo[c] Alex. Hesychio[d], Radulpho[e], Augustino[f], Theophylacto[g], Hieronymo[h], Bernardo[i], Petro[k] Damiani, Ruperto[l], Aquinate[m], Nysseno[n]. Tanti æstimatum est hoc festum, vt per huius celebrationem designauerit Zacharias[o] typicè cultum Dei futurum in Ecclesia, simul comminans eum omittentibus. *Et omnes*, ait, *qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum. Et erit, qui non ascenderit de familiis terræ ad Ierusalem, vt adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Quod & si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit; sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum.* Hæc omnia Zacharias. Festiuitatem tabernaculorum peculiariter nominauit, quoniam quemadmodum renouabant Hebræi beneficij memoriam, quo ex Ægypto per desertum ad promissam terram & ad Ierusalem deducti perductíque fuerant; sic ad fidem, & ad Ecclesiam vocati conuersique acturi gratias erant, quòd illuc translati essent ex tenebris ignorantiæ, errorum caligine, ac ex sordibus idololatriæ & peccatorum aliorum. Ægypti quoque nomine omnes alias gentes intelligi voluit: sed expressit, quia imbre caret, cuius defectu, cùm Nilus non exundat, patitur penuriam. Quæ aptari tamen possunt ad eos qui iam intra ipsam religionem constituti gerunt se negligentiùs. Priore illo modo Prophetam passim intellexerunt omnes eiusdem Enarratores præter vnum ferè. Theodoretum, explanantem de gentibus, quæ post Machabæorum victorias Ierosalem ascendebant, vt festum tabernaculorum celebrarent cum eis. Quod certè ad solum illud festum restringi non debet, nec de vllius obligatione præcepti, qualis à Propheta ponitur. Secutus est eamdem expositionem Eusebius[p] de Gentium religioso pióque viuendi instituto per orbem terrarũ condito & erecto; quódque vniuersi Ægyptij Deũ agnoscentes, tabernacula sua in singulis regionibus & ciuitatibus fixuri essẽt, & cõdẽdę in omni loco Christi Ecclesiæ lõgè præstãtiores Mosaicis tabernaculis,

a in Ioan. 7.
b hom. 23. in Num.
c 17. de ad. & l. 4. in Ioan. c. 5.
d in Leuit. 23.
e ibidem.
f tract. 28. in Ioan.
g ibid.
h in Zacha. 12.
i ad fratres de monte Dei.
k l. 4. ep. 16.
l 10. Oct. c. 7.
m 1. 2. q. 102. a. 4 ad 10.
n orat. de nat. Dom.
o c. 14. 16. & seqq.
p 8. de demonstra. c. 4.

propter eiusdem Saluatoris nostri potentiam: sicut videmus, inquit, nostris temporibus impletum. Ταύτας (videlicet ἐκκλησίας) πολὺ κρείττον τῶν παρὰ Μωσῆ σκηνῶν ὁ νῦν σωτὴρ ἡμῶν ἐκ τοῦ χρόνου δύναμεις καθ' ὅλης συνεστήξατο τῆς ἀνθρώπων οἰκουμένης, ὡς τὸ πᾶν γένος ἀνθρώπων καὶ πάντα τὰ ἔθνη, σκηνοπηγίας ἑορτὴν τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ ἐπιτελεῖν.

Explanatio.

Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis septem diebus.] Facere sibi solemnitatem (de qua voce libro [a] præcedente dixi) siue festum (de quo ibidem [*]) festiuitatéve dicitur in aliis editionibus: & à Græco vocabulo σκηνῶν, vt dixi, cum verbo πήγνυμι, quæ significant tabernacula, tentoria, papiliones, vmbracula, conopœa figere, cõpositum est nomen festi σκηνοπηγία *scenopegia*, quod corruptè ab aliis scribitur, & iuxta scribendi rationem falsæ de eodem notationes traduntur, vt in Leuitico [b] retuli; à scena vmbra, & phagos comestione [c]: à scenos & phage, idem denotantibus [d]: à scenos vmbraculum, & phagin comedere [e]: à cenon commune; & phagiu comedere [f]; à scena vmbra, & phagia comestio [g]; à scenos vmbra, & phege figere [h]. Nec phagos nec phage, nec phagia significant comestionem, sed φαγεῖν comedere: nec scena vmbram, vel scenos vmbraculum, sed hoc σκιά vnde scena: nec ad rem est cenon, quia nomen nostrum scribitur per (*sc*) vt autem commune significat, scribi debet cœnon è Græco κοινόν. Pro solertia hirundinis in compingendo seu confingendo nido vsurpat Aristoteles [i] hoc nomen ἡ τῆς χελιδόνος σκηνοπηγία συστρατεύουσα τοῖς κάρφεσι πηλὸν *luto construentis stramentóque roborantis*. Simili forma naupegum, bibliopegum, & alia huiusmodi vsurpantur de compactore nauium aut librorum, &c. Citato Leuitici loco memini de octauo die adiecto septem præcedentibus, qui diceretur collecta, cœtúsve, & ἐξόδιον: necnon de quibusdam festis apud Ethnicos, nonnullam cum hoc similitudinem habentibus; tum verò ex Plutarcho [k] in honorem Bacchi tempore vindemiæ τὴν λεγομένην σκηνὴν ἀκμάζοντι τρυγητῷ τραπέζας προθέντες, inquit, παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς τὸ καθῆσθαι ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ πεπλεγμέναις. καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς, σκηνὴν ὀνομάζουσι. *Quod vocant ieiunium, id sic celebrant, vt maximè feruente vindemia proponant mensas, in quibus exposita sint omnis generis fruges, & sub tabernaculis desideant, potissimùm è palmitibus & hedera quæ contexuntur; & diem priorem festi tabernaculum vel tabernaculariam vocant.* Maximam & perfectissimam Iudæorum hanc solemnitatem nominat μεγίστην καὶ τελειοτάτην: subditque alios eorumdem ritus; sed falsò ipsis & calumniosè affictos: quasi Baccho ab iisdem dedicatos. Memini prætereà [l] dicto loco Leuitici ex R. Mose tempus illud relaxationis fuisse: se similes olim ferias vacationésque studiosorum fuisse, teste Martiali [m]; qua de re copiosiùs noster Ludouicus [n] Cresollius.

Quando collegeris de area & torculari fruges tuas.] Fruges addidit Interpres: significátque quidquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus tum ex frumentis & leguminibus, tum ex vino vel ex syluis cæduis, cretæfodinis, lapicidinis, &c. Latiùs patent quàm segetes, comprehendúntque cum segetibus oleta, legumina, vites, poma, quasi à fruendo [o] (à fruimine, aut à φρύγειν deducunt alij.) Vnde homo frugi qui temperantis fungitur officium, vt loquitur Terentius [a]; & frugalitas, honesta & salubris victus ratio, facilis, moderatúsque sumptus: & ad bonam frugē sese recipere, redire, euadere; & bonæ frugis esse, &c. Habetur in Leuitico [b] (*quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ* (γεννήματα *genimina*, תְּבוּאַת *thebuah prouentum*:) in Exodo [c] (*quando congregaueris omnes fruges tuas de agro* (*opera* secundùm alias editiones.) Iam erat segetum collecta messis tempore Pentecostes. Areæ ac torcularis audita sunt vocabula libro [d] præcedente, atque huius c. priore [e], vbi textus Græcus non habet ἅλωνα *aream*, sed σῖτον *frumentum*. Quod libri præcedentis cap. 18. [f] monui videri posse Iacchum vnum de nominibus Bacchi (sed ad sacra illius peculiariter pertinens [g]) à יֶקֶב *iekeb* descendere, quo significatur torcular (etsi maluerim à ἰάχω *canto*, *clamo*, *vociferor*: quod factitabant Baccho sacrificantes, id multo aptiùs asseritur de cognomine Lenæi ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, quod est nomen torcularis siue laci præli torcularij (ineptum etymon Donati ab lenienda mente:) vnde prætereà λήναιον καὶ ἐπιλήναιον aut ἐπιλήνιον carmen frequentari solitum tempore torcularium siue vindemiæ: & λήναια feriæ Bacchi: nam μέγαν [h] τὸν θεὸν κροτοῦντες ἐπιληνίοισιν ὕμνοις *magnum Deum celebrantes torcularium cantibus*: & ληναιών mensis in quo agitabantur λήναια, qui erat autumnalis. Legatur Lilius [i] Giraldus, auctórque Græci thesauri [k].

Iacchi etymon.

Lenæi etymon.

Vers. 14.] Et epulaberis in festiuitate tua, tu, filius tuus, & filia, seruus tuus, & ancilla, Leuites quoque & aduena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

Paraphr.

IDem de hoc ferè iudicium, quod de similibus præcedentibus versibus, qui eadem continent, vt vacetur vacarive possit conuiuiis; quod fas non erat nec in festo expiationis, in quo afflictio suiipsius imperabatur [l], abstinentiáque à cibo, potu, balneo, alia delectatione etiam ab actu vxorio; nec in diebus azymorum saltem ex parte, quatenus azymis vescendum erat, qui vocatur panis afflictionis. Hæc autem tabernaculorum festiuitas peculiariter dicebatur populi festiuitas; quia licèt omnes festiuitates, ac ista etiam proinde, essent Dei, vtpote qui coleretur specialiter in eis: illæ quibus lautiùs conuiuabantur, ad populum modo quodam proprio videbantur spectare. Ita quidam Abulensis. In Exodo [m] præcepit Deus; *tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis*. Sed & aliquoties [n] appellatas legimus festiuitates solemnitatésque populi ac victimas ipsas, neomeniam, sabbatum: interdum [o] tamen cum Dei exprobratione, odio, indignatione, contemptu, nausea, minis, abominatione etiam; quòd conuerterentur in luctum & planctum: atque cognominando stercus solemnitatum (odori suaui oppositum, quem percipere dicitur Deus ex grato sacrificio:) quamuis aliquando inuitet ipse ad celebrandum festiuitates, appellans eas populi. Quocirca non habet admodum magnam vim ea Abulensis annotatio. Crebrò epularum lætitiæque corporeæ mentio inculcatur, in gratiam populi carnalis; ac rebus huiuscemodi addictissimi. Permittitur huius generis nonnihil Christiano magis spirituali populo, vt mente affectúque assurgat ad æternam festiuitatem, considerans

Marginal notes: a in c. 15. 3. * in c. 8. 6. Scenopegia etymon. b in c. 23. 34. c Radulphus in Leu. 23. d Hugo Card. ibid. e Lyra. ibid. & Aquin. 1. 2. q. 1. a. 4. ad 10. & in Ioan. 7. f Abulen. in Leu. 23. & hoc loco. g Idem in Leuit. 2. h Alb. in Ioan. 7. i 6. hist. animal. k 4. sympo. c. vlt. Tabernaculorum solemnitas maxima. l in c. 23. 39. m l. 10. epig. 61. vel 62. n lib. 1. de vacat. Autum. c. 1. & 3. o Varro 4. de ling. Lat. Fruges quid & vnde. a Heautont. 3. b c. 23. 39. c c. 23. 16. d c. 18. 17. 30. e v. 14. f v. 27. g Cerda in 1. Georg. v. 160. not. 14. h Anacr. apud Cerdā Geor. 1 v. 1. not 5. i de diis Gentium syntag. 8. p. 267. k voce ληνός. l Leu. 16. 29. 31. c. 23. 27. 29. 32. m c. 23. 14. n Esa. 1. 11. & seqq. Amos 5. 21. c. 8. 10. Nahū 1. 15. Malach. 2. 3. Num. 15. 3. c. 29. 39. Ps. 80. 4. o apud Esa. Amos, Mal. supra, & Tob. 2. 6. & 1. Machab. 1. 41.

considerans eam quæcumque hîc aut quocumque peragitur modo quàm primùm effluere. *Ecce Paschalia festa agimus*, ait Gregorius [a] *sed ita viuendum est nobis, vt peruenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiua celebrantur. Curate qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum (quas hi celebrant in honorem Dei) si deesse contingat festis angelorum? Vmbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens. Idcirco hanc annuè agimus, vt ad illam, quæ non est annua, sed continua perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudij temporalis ad æterna gaudia mens incalescat, & ferueat, vt ex veritate lætitiâ perfruatur in patria, quod de vmbra meditatur in via.* Hæc sunt Gregorij. Bernardus [b] cùm id sit motis secularibus (a quo nec religiosi seruata moderatione abhorrent) vt diebus festis festiua sibi conuiuia parent, & quanto fuerit solemnitas clarior, tanto splendidiùs epulentur; docet his qui conuertuntur ad cor, cordis delitias quærendas, & spiritualibus spiritualia comparanda; & priùs anima satietur, quæ sine dubitatione comparationéque potior est; atque sanctorum solemnitates ad animas magis quàm ad corpora pertineant: & quæ animarum sunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione acceptæ. Queritur præterea [c] festum Natalis Domini (par de aliis ratio) dari in occasionem carnis, vt tanta sollicitudine talibus diebus vestium gloria, ciborum parentur delitiæ, ac si hæc huiusmodi quærat in Natiuitate sua Christus (idem aliorum iudicium festorum) & ibi suscipiatur digniùs, vt hæc accuratiùs exhibeantur. Modum festa Christiano ritu celebrandi, non Gentilitio, vel Iudaico, præscribit Nazianzenus [d], & meminit [e] à carnis amicis dies festos quotannis celebrari solitus, quibus vel nati, vel matrimonio iuncti sunt, vel nomen acceperunt, vel coma attonsa, vel inter iuuenes censeri cœperunt, vel locum aliquem primùm incoluerunt; quæ Græcè appellat γενέθλια, γαμήλια, ὀνομαστήρια, κουρόσυνα, τελειώσιμα, ἐπιβατήρια: per vltimum intelligendo aut anni recurrentis tempus; aut præludia magistratus; aut diei quo quisquam maximum periculum effugit. Admonet etiam Ephrem [f] festiuitates celebrare non panegyricè, sed diuinè, non mundanè, sed spiritualiter, non instar Gentilium, sed Christianorum. Subiicit exempla eorum quæ vsurpari non debeant. Leo [g] ex ornatu corporis, quem concedit, argumentatur multo magis ornandum animum. *Relictis hisce festis*, ait Chrysostomus de Philogonio, *transit ad celebritatem angelorum*: & Fulgentius ex aspectu Romæ triumphantis sub Theodorico cogitationem ac voluntatem in cœlestem Ierusalem erexit. Hieronymus [h] nobis solicitiùs prouidendum affirmat, vt solemnem diem non tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus: quia valdè absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem, quem scias Deo placuisse ieiuniis, &c. *Magna festiuitas Deo est*, inquit Origenes [i], *humana salus*: plura de spirituali ratione festa celebrandi adiiciens: quod facit etiam Augustinus [k]. Lege commentarium libri Numerorum [l].

a hom. 26. in Euang.
b serm. 1. de omnibus sanctis.
c serm. 3. de aduentu Dom.
d ora. 4. siue 2. cont. Iuli. & ora. 6. 38. 40. 44.
e ora. 40. de bapt.
f to. 1. sect. 4. pag. 10. & to. 3. ser. de cruce pag. 209.
g serm. 3. de Quadrag.
h epist. ad Eustochium de acceptis muneribus.
i hom. 23. in Num.
k serm. 2. de aduentu.
l in c. 28. 1.

Explanatio. *Et epulaberis in festiuitate tua.*] Modò dixi quid momenti possit inesse in adiecto pronomine in partem meliorem, quod nonnumquam habet in deteriorem. Epulandi verò ac festiuitatis vocabula declarata sunt alibi. Origenes [a] obseruat in libro Numerorum [b], prout Græcè numinum legitur, Deum appellare festiuitates suas cùm præcipit de muneribus, quia tunc peccata nulla erant: vbi autem peccatum est, vt Esaiæ cap. 1. [c] non suos, sed populi dies festos nominare.

a hom. 23. in Num.
b c. 28. 1.
c v. 14.

Tu, & filius tuus, &c.] De his etiam dictum priùs non semel, notatúmque iungi pronomen filiæ & ancillæ in editionibus aliis; non solùm filio, & seruo.

Qui intra portas tuas sunt.] Singulari numero Græcè ad viduam proximè nominatam refertur, (καὶ ἡ χήρα ἡ οὖσα ἐν ταῖς πόλεσί σου & *vidua existens in ciuitatibus tuis.*) Vbi quemadmodum & priùs pluries, pro portis ponuntur ciuitates.

Vers. 15.] Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus: benedicétque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erísque in lætitia.

Paraphr. Simile præceptum de septem diebus extat in c. 29. [d] libri præcedentis, pertinens ad festum tabernaculorum, de quo hîc hactenus actum est, præter quos dies adhuc octauus erat, cognominatus collectæ cœtúsve: de quo, simul cum septem, in Leuitico [e] mentio habetur. Constabat septem quoque diebus Paschale festum, seu azymorum, vt antea vidimus. Qua de causa fortassis pluraliter festa noster Interpres expressit. Tertium verò Pentecostes festum vnico tantùm die peragebatur. Celebranti porrò dicta festa, in constituto à se loco pollicetur Deus amplam benedictionem, vt adeò sæpe iam aliàs, id est, prouentum vberem rerum victui vtilium, ac fœlicem successum circa illa, quæ manu, labore, arte, industria, ingenio gereret, ita vt contentus atque lætus esset; nullo indigens; nihil ad cumulum externæ fœlicitatis, quàntum hoc vitæ tempus requirit vel exigit, desiderans. Colit officio diuino Ecclesia nonnulla celebriora festa octo diebus, quas etiam octauas cognominat, & ab scriptoribus [f] rituum officiorúmve ecclesiasticorum earum ratio redditur: quam attingit etiam Bernardus [g], & Petrus [h] Damiani (qui octo festiuitates Iudæorum spiritualiter ad Christianos applicat) propriúmque id creditur noui Testamenti, cuius est resurrectio die octauo à Christo peracta, qui dies etiam symbolum beatitudinis est: quoniam dies ille octauus adiectus diebus festi tabernaculorum septem, non integrabat per se id festum, vt antè dixi. Inde nihilominus vsum octauarum in festis nostris introductum communis opinio est: Leo [i] autem in genere admonet ex vetere lege rectè nonnulla tenenda vt obseruarentur, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ: illas partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur vt fiant, quædam interdicuntur vt non fiant, antiquæ auctoritatis retinent firmitatem.

d v. 12.
e c. 23. 36. 39.
Octauarum origo.
f Amala. l. 4. c. 29. 32. 34. 36 Berno c. 3. Microlo. c. 44. & 59. Ruper l. 7. c. 13. l. 8. c. 5.
g serm. 2. de circumcis.
h l. 4. ep. 16. seu 68.
i serm. 7. de ieiun. septimi mensis.

Explanatio. *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis.*] Paulò antè admonui festa pluraliter non esse in aliis editionibus. Vtuntur verbo quod valet celebrare festum aut festa תָּחֹג *thachog*, תָּחֹג *thechog*, ἑορτάσεις. Proinde liberum est de solo tabernaculorum

lorum

lorum festo interpretari, quod inmediatè hic præcessit, vel etiam de festo azymorum seu Paschæ, de quo ab initio capitis. Nec obstat priori sensui pluralis numerus; quia potest intelligi de septem diebus vnius festi. Cæterùm quæ dicebatur priore versu festiuitas populi, nunc dicitur Domino Deo fieri: quoniam illa ipsa lætitia celebrantis festum, propter quam dici potest esse ipsius, refertur per se ad honorem & cultum Dei.

In loco quem elegerit Dominus.] Græcè (*Dominus Deus tuus eum* κύριος ὁ θεός σου αὐτὸν) & in emendatis codicibus (αὐτῷ *sibi*) quamuis iidem superiùs [a] in eadem sententia habeant αὐτὸν: quæ sententia toties repetitur ob allatam pridem causam, cur in eumdem vnum solum locum vellet Deus omnes conuenire sacrificiorum causa, & oblationis.

a v.11.

Benedicétque tibi Dominus Deus tuus.] In textu Græco hinc incipit noua periodus, vsque ad finem versus & exordium sequentis ac maiorem illius partem, hoc pacto, sensúque; ἐὰν δὲ εὐλογήσῃ σε (alter minùs rectè εὐλόγησει σε) κύριος ὁ θεός σου ἐν πᾶσι γεννήμασί σου, καὶ ἐν παντὶ ἔργῳ τῶν χειρῶν σου, καὶ ἔσῃ εὐφραινόμενος, τρεῖς καιροὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ὀφθήσεται, &c. *Si autem benedixerit te Dominus Deus tuus in omnibus fructibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, & eris lætans; tribus temporibus anni apparebis,* &c. Sic autem non est promissio, quam præ se fert editio nostra. Promissio tamen ista inuoluitur in hyperbato: & sæpiùs antea [b] expressa est, aut implicita, sub conditione, vt hac posita faceret populus quod præcipiebatur, veniendo ad locum constitutum à Deo cultui suo cum oblationibus, &c. quemadmodum & hîc præcipitur vel promittendo, vel supponendo ex Dei benedictione ac munere facultatem ad id præstandum.

b c.1.11.c.7.13.14.c.12.7.c.14.24.29.c.15.4.5.10.14.18.

In cunctis frugibus tuis.] Versu 13. Interpres de suo addiderat nomen frugum: hîc pro illis est תְּבוּאָה *thebuuah*, אַלְלִיתָא *hhallaltha*, *prouentus* numero singulari, & pluraliter γεννήματα *genimina* seu *fructus*, & *fruges*. Versu 1. mensem nouarum frugum eadem editio nostra reddidit pro mense nouorum, qui Græcè dicitur ὁ μὴν τῶν νέων, Hebraicè חֹדֶשׁ הָאָבִיב *chodes haauib*, vt ibi vidimus.

Et in opere manuum tuarum.] Similis formula præcessit aliquot locis [c] de benedictione operum ad quæ mitterent vel extenderent manum. Petiit Dauid [d] semel iterúmque vt opera manuum suarum super ipsum dirigeret Deus, in cuius loci declaratione nostris psalmorum commentariis contenta, præsenti loco & similibus citatis opportuna reperies.

c c.12.7.18.c.14.29.c.23.20.
d Ps.89.17.

Erísque in lætitia.] Ex Hebræo & Chaldæo (וְהָיִיתָ אַךְ שָׂמֵחַ *vehayitha ach sameach*, וּתְהֵי בְּרַם חָדֵי *uthehe beram chade*) *tum vel vtique, vel tantummodo, vel igitur, eris lætus*) id est, inquit Vatablus, nihil aliud quàm lætitiæ indulgebis.) Græcè καὶ ἔσῃ εὐφραινόμενος *& eris lætans*, quod verbum aliquoties [e] antè expositum vidimus verbo epulandi, & aliquando lætandi [f]. Interdum [g] quoque coniunguntur epulæ, lætitia, gaudium, conuiuia, χαρὰ, εὐφροσύνη, ἡμέρα ἀγαθὴ, καὶ γάμων, καὶ εὐφροσύνης *gaudium, lætitia, dies bona, & nuptiarum* (in quibus conuiuatur) *& lætitia* יוֹם מִשְׁתֶּה וְשִׂמְחָה *iom misthech vesimchah dies conuiuij, & lætitia*, atque יוֹם טוֹב *iom tob, dies bona*. Hesychius λαῖτον docet esse ἀκέραιον *incolumem, integrum, hilarem*; quod alij deriuant à letho per antiphrasim, aut à lato [h],

e c.12.12.c.14.26.c.16.11.14.
f c.12.18.
g Esther 9.17.18.22.
λαῖτος vnde.
h Varro 1. de ling. Lat.

nec magis rectè ab Hebræo עָלַז *hhalaz*, *lætus fuit & exultauit*. Plus Cicero [a] lætari vult esse quàm gaudere, scribens quod gaudere decet, lætari non decet: docendíque causa à gaudio lætitiam distinguens ait, cùm animus ratione mouetur placide atque constanter, tum illud gaudium dici; cùm autem inaniter & effusè animus exultat, tum illam lætitiam gestientem vel nimiam dici posse, & sine ratione animi elationem. Sic etiam Terentius [b], *gaudia*, inquit, *sua si omnes homines conferant vnum in locum, tamen mea exsuperet lætitia.* Lætitiam quoque Gellius [c] finit exultationem quamdam animi, cum gaudio efferuentiore, euentu rerum expetitarum. Nonius [d] citato Cicerone gaudium affirmat in sapiente & in rebus bonis semper esse; lætitiam etiam in malis & turpibus rebus esse posse. Confunduntur tamen vocabula, coniúguntúrque apud Ieremiam [e] vox gaudij & lætitiæ, εὐφραινομένων καὶ χαιρόντων lætantium & gaudentium, gaudiúmque & lætitia; atque hæc apud Esaiam [f]: in historia Machabæorum [g] lætitia & gaudium, gaudium & lætitia [h] in actibus [i] Apostolorum cibus & lætitia. Lætitiam loci præsentis extendit Abulensis vltra fruges, armenta, possessiones, ad alia bona fœlicitatis temporalis, qualia valetudo, robur, proles, pax, victoriáque & similia.

a Tusc.4.
Gaudere & lætari differunt.
b apud Varronem.
c l.2.c.27.
d c.5.n.95.
e c.7.34.c.15.16.c.25.10.c.33.11.
f c.35.10.c.51.3.11.
g l.1.4.59.c.3.54.
h l.2.5.30.
i c.14.17.

Vers. 16.] Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in sollemnitate azymorum, in sollemnitate hebdomadarum, & in sollemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus:

Vers. 17.] Sed offeret vnusquisque secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

QVod iam antea in isto capite de triplici solemnitate dictum est, & c.12. de [k] deferendis oblationibus ad locum quem Deus cultui suo destinasset, id modò sub præcepto ter in iisdem solemnitatibus faciendum decernitur, vt nempe mares eò se conferentes deferant, quod offerant pro sua facultate; ac prout eis Deus largitus fuerit; nec quisquam absque aliquo munere adueniat. In Exodo [l] extat idem præceptum; *ter in anno apparebit omne masculinum; tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Repetitur præceptum Exodi 23. inquit Caietanus, scriptum, ad declarandum quæ sint illa festa tria; quibus apparere debet quisque vir in loco tabernaculi Dei: & vt quilibet offerat tunc secundùm facultates suas. Salomon extruxit altare ante porticum, vt præter quotidianum sacrificium, & sabbatorum, & calendarum, offerretur in eo ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum [m]. Quod Glossa Interlinearis capitis 23. Exodi exprimit de Aprili, Iunio, Septembri: & in capite 34. de vere, æstate, autumno. *Tobias pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel; omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter afferens* [n].

PARAPHR.
k v. 6. & seqq.
l c.23.17.c.34.23.
m 2.Par.8.13.
n Tob.1.6.

Græcè

Græcè in prima persona καὶ ὡς μὲν ἐγὼ ἐνορεύομαι πάντοτε ἐν ἑορτάσματα ἐν ταῖς ἑορταῖς, καθὼς γέγραπται πᾶσι τῷ λαῷ, & ego solus eram multoties in Ierusalem in festiuitatibus, sicut scriptum est omni populo Israel in præcepto sempiterno. Thalmudica expositio ibi habet רגלים vagelim, quasi dicas pedibus, quia pedibus iter illud fieri soleret. Quod legitur in Cantico[a] Canticorum; quàm pulchri sunt egressus tui in calceamentis filia principis, Chaldaica paraphrasis transtulit: dixit Salomon in spiritu prophetiæ à facie Domini. Quàm pulchri sunt pedes Israel, quando ascendunt vt appareant coram Domino tribus vicibus in anno, cum sandaliis siue calceamentis taxeis, & offerunt vota sua, & oblationes voluntarias suas. Equidem dubito de pedestri itinere. Parentes Christi per omnes annos in Ierusalem iuisse in die solemni Paschæ scribit Lucas[b], nec ambigendum de festo Pentecostes, atque tabernaculorum, licèt fœminas lex non obligaret, quam tamen B. Virgo studiosè obseruauit; iter conficiens 27. leucarum, vt supputat Borcardus. Elcana de ciuitate sua cum duabus vxoribus Anna & Phenenna, ascendebat statutis diebus vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo[c]. Quamuis enim de vxoribus mentio nulla sit isto capite[d] priùs, vel c. 11.[e] cùm agitur de ista ad locum sanctum profectione, tamen vt ibidem diximus, sub viris comprehenduntur, subque nomine domus, & ea fœmineo sexu nominantur filiæ atque ancillæ: immo & dictas vxores Elcanæ ascendisse citatus textus satis indicat. Sed vna viri via, fœminæ seorsim incedebant, si credimus Bedæ[f]; Salmeroni[g], Barradio[h], & aliis, quos Maldonatus[i], & Toletus[k] nullo niti putant fundamento. Lege Abulensem[l] de fœminis sponte venientibus: quas in festo infermentatorum siue azymorum siue Paschæ venire debuisse, Oleastro non credo. Christus ipse non solùm cum parentibus ascendisse adhuc duodennis legitur[m], secundùm consuetudinem diei festi Paschalis (quod de aliis duobus dixi credi debere) verùm etiam aliàs ad idem festum[n] (Paschata tria quatuórve celebrata cum discipulis à Christo dicuntur) & ad scenopegiæ, siue tabernaculorum[o]. Celebratam Pentecosten à Paulo, ritu etiam iudaico, ex συνεκτάθεων in actuum Apostolorū[p] diximus commentario de nonnullorum sententia. Ne autem vererentur Hebræi domos deserere, pollicitus est Deus dato illo præcepto se cùm tulisset gentes à facie illorum, & dilatasset terminos eius, nullum insidiaturum terræ ipsorum ascendentibus ipsis, & apparentibus in conspectu Domini Dei sui ter in anno[q]. Quod dixit, ait Augustinus[r], non concupiscet quisquam (sic enim legit) de terra tua, cùm ascendes videri in conspectu Dei tui per tria tempora anni; hoc vult intelligi vt securus quisque ascenderet: nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittente custodiam, quòd nemo aliquid inde concupisceret, propter illum qui ascendit, nec suam inde timeret absentiam. Immissum terrorem Abulensis[f] à Deo asserit illis temporibus, quemadmodum in Chananæos iterū volentes contra Iacob dominique illius[s]: vel aliò diuertisse cogitationem hostium, vel effecisse vt iudicarent non expedire vt tunc pugnarent. Attamen inferre non licet cum nonnullis, vt monet Ystella[a], Hebræos custodes domorum retinere non potuisse, nec noctu ianuas claudere ac munire. Nam cura Dei de nobis non adimit curam quam adhibere mortaliter possumus. Frustra quidem vigilatur nisi Dominus custodiat, vel ædificatur, nisi ædificet[a], & confortat ipse seras portarum[b]: sed nihilominus faciendum quod in nobis est. Quia porrò ter in anno conuenire ex remotis præsertim locis aut ferè impossibile, aut perincommodum erat, & nimiæ impensæ, refert idem Auctor, nonnullos Hebræos sensisse hanc legem eos tantùm obligasse, qui propinqui essent sanctuario, eum aliis dispensatum vt vna sola vice in anno venirent, videlicet ad festum Paschæ: alios quòd tenerentur hi qui longiùs distabant tertio dumtaxat quoque anno ter venire. Ipse autem, confutatis illis opinionibus, præsertim secunda, existimat vel debuisse talea bis venire in Paschate, & in festo tabernaculorum, quia paruum temporis intercedebat inter Pascha, & Pentecosten: vel in quibusdam annis solùm semel ad primum: in aliis bis, videlicet etiam ad festum tabernaculorum; quoniam aliquando cogebantur omnes venire ad istud vltimum, vt in anno septimo remissionis, quo tempore legebatur coram eis Deuteronomium, quemadmodum constat ex cap. 31.[c] libri nostri. Nec in hoc, inquit, erat magnum grauamen habitantibus in locis distantibus à sanctuario, cùm de septennio in septennium bis ascenderent. Et si forte hoc tanquam grauamen reputarent, non erat curandum; quia cùm Deum colere naturaliter teneamur, aliquid ei impendere oportet, & aliquid temporis quantum ad labores nostros relinquere, cùm isti labores vertantur in magnum luctum[d]: si autem quis solis rebus suis insudet relicta vacatione necessaria in cultu Dei, non prosperabitur[e]. Idem docet[f] seruos Hebræos eadem lege astrictos fuisse, & pueros rationis vsu præditos, quod confirmat exemplo duodennis Christi, non autem fœminas tum ob imbecillitatem, tum ob curam rei domesticæ, tum quia non decet eas discurrere. Lyranus in Exodi cap. 23. cum remotis dispensatum affirmat aliquando in Pentecoste, & festo tabernaculorum. Hinc sequitur gratum Deo esse vsum peregrinationum ad pia loca, easdémque nunc etiam subesse causas posse quæ tune erant, cur vsurpentur, quamuis dubium non sit quin vbique coli Deus queat. Inter peregrinationes sacras admodum celebris Romana in anno qui Iubilæus appellatur, de quo nonnihil egi in libro Leuitici[g]. Lege opus Gretseri nostri de sacris peregrinationibus. Versu autem 13. istius capitis ad eumdem librum[h] reieci quæ ad rationes triplicis festi pertinent. Citatis ex Cyrillo Alexandrino locis adiiciatur festorum Paschalium homilia 28. quod opus postea prodiit Græcè Latinéque: hoc autem præter iam annotata peculiare, de lege masculos obligante, non fœminas. Quia fœmineum genus animo & corpore imbecillium, masculum vtroque præstans est & excellens; insinuari asserit, quod spiritali robore ac sapientia eminet, in honore haberi, obnoxiásque coram Deo, & suo hunc id aspectu dignati: quæcumque aliquo numero apud Deum sunt, apud diabolum, ipsiúsque angelos, nullo in pretio esse, nec illius crudelitatis experiundæ periculo vacare, sed aggredi sanctos, ac in eos, qui spiritali polleant robore, rabiosè insultare; quamuis irrito conatu: spiritalibus masculis non mediocriter esse infensum, & offendi vehementer Ipsorum gloria; quemadmodum Pharao masculos infantes imperauit occidi[i]: fœmineum genus, hoc est, molles, insipien

Marginal notes (left column): a c. 7. 1. — b c. 2. 41. — c 1. Reg. 1. 7. — d v. 11. 14. — e vers. 12. — f in Luc. 2. — g tomo 4. tract. 46. — h to. 1. lib. 10. c. 14. — i in Luc. 2. — k ibidem. — l in 1. Reg. 1. q. 10. & in Exo. 34. q. 22. — m Luc. 2. 41. 42. — n Ioan. 2. 13. & seqq. c. 4. 45. c. 5. 1. c. 6. 4. c. 11. 55. Matt. 26. 2. & seq. Mar. 14. 1. & seq. Luc. 22. 1. & seqq. Ioan. 12. & 13. & 18. & 19. — o Ioan. 7. 2. 10. — p in c. 20. 16. — q Exo. 34. 24. — r ib. q. 161. — f in Exo. 34. — s Gen. 35. 5. — a in Ex. 34.

Marginal notes (right column): a Ps. 126. 1. — b Ps. 147. 13. secundum Hebr. — c v. 10. 11. — d Eſa. 1. 19. — e Agg. 1. 6. — f in Exo. 23. post q. 25. & in c. 34. q. 22. — g in c. 25. 8. — h in c. 23. — i Ex. 1. 16.

insipientes, infirmos, belli inexpertos, manus habentes remissas, nec torquere iaculum scientes, nec sustinere valentes acina iustitiæ, amare, caros habere, in eos affectu sapi. Glossa interlinearis in cap. 23. Exodi fœminas ait debere occultari: ordinaria hoc loco, nihil molle, fragile, infirmum in nostra conuersatione, sed fortia quæque à Deo exigi; si in fide Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, æternæ mercedis respectu, tempore præsentis vitæ, bonis operibus insudamus, masculum in conspectu Domini statuere. Anna masculam prolem petiit [a]; quoniam Ecclesia fortes perfectione parere concupiscit, inquit Gregorius [b]; sicut & mulier illa ex Apocalypsi [c] peperit masculum, vt obseruat Andreas [d] Cæsar: & illa de qua Esaias [e], vt notat Hieronymus [f]. Vnde filij, dicuntur Dei esse; filiæ, hominum [g]; quia espertes virtutis feraces & plātatores vitiorum sunt, qui gignunt fœminas, inquit Philo [h]; nec vllus sanctorum, vt scribit Hieronym.[i] nisi pertasò, fœminas genuisse narratur; solùsque Salphaad, qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit [k]. Iacob inter duodecim patriarchas vnius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur [l]. Idem tradunt Origenes [m], Petrus [n] Damiani, Strabus [o]. Sed mysterium id magis esse, quàm literale rectè demonstrat noster Franciscus [p] Mendoza exemplis Patriarcharum, qui genuisse dicuntur [q] filias; & Iob [r] fatetúrque Origenes [s] secundùm spiritualem intellectum, non ad sensus, sed ad animarum discretionem id referendum. Rursus Glossa ordinaria Exodi [t] tribus vicibus temporum omne tempus præsentis vitæ designari ait: in confessione Trinitatis fidem, spem, caritatem: liberationem à diaboli seruitute; consecrationem primitiarum ex operibus, voluntariis, sermonibus nostris; fructus virtutum, quibus in tabernaculis atque peregrinatione huius vitæ collectis, currimus ac ad alterius requiem peruenientes, vacui appareamus in conspectu Dei: festum resurrectionis Christi; datum die Pentecostes Spiritum sanctum; festum omnium sanctorum. [u] Alij aptant Patri, Filio, Spiritui sancto, quia primus eripuit nos de manibus diaboli; secundus legem Euangelicam tulit; tertius remittit peccata [x]: vel diuino cultui, per cor, os, opus, vt prius quoque memini. Cæterùm quod secundo loco hic additur ne quis appareat per tria illa festa vacuus coram Domino, iámque bis prius in Exodo [y] iniunctum fuerat; & reperitur ab auctore [z] Ecclesiastici; Augustinus [aa] spiritualiter intellectum ait magnum esse sacramentum, atque dictum in vmbris significationum. Theodoretus [bb] exponit, vt locuples eleemosynam largiatur dum Deum orat, qui paupertatem elegit, animam bonis minimè vacuam, sed copia virtutum locupletatam gerat. Argumentatur Chrysostomus [cc], si Iudæis ista dicebantur, multo magis nobis; ideirco pauperes ante fores adstare, vt nemo vacuus ingrediatur, vtque misericordia comite securus introeat: & qui miseretur misericordiam consequi volens, prius ipse misereatur, atque sibi faciat debitorem Deum & exigat, fœnerétus & repetat, cùm eleemosyna postulet, vt ei Deus etiam gratias agat. *Imple manum Christi mendicantis*, ait Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum Godefridum, *vt tunc in iudicio, quando horrendū est incidere in manus Dei viuentis* [dd], *impleat manum tuam: diuites enim* (anati scilicet & illiberales) *dormierunt somnium suum, & nihil inuenerunt in manibus suis* [a]; *quia nihil posuerunt in manibus Christi.* Gregorius [b]; qui promerendæ vitæ mercedem benè agendo non prouidet, in conspectu Domini vacuum apparere scribit; nec secum manipulos cum exultatione [c], sed in vanum accepisse animam suam [d], ambulauisse in vacuum [e]. Rabanus hoc transcribit in præsenti loco. Irenæus [f] causam præcepti huius dat, vt in quibus gratus est ille homo, in his gratus Deo deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem; non quòd egeat Deus sacrificio, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius; & per munus, erga regem honos & affectio ostenditur. Hoc ipsum insinuat [g] Iustinus, dicens coli Deum à Christianis, non sanguine, libationibus, incensis, quibus illum sciant non egere, sed precatione, gratiarúmque actione: & quæ ad alimentum creata sunt, non igne consumant, sed sibi ipsis, & indigentibus præbentes, offerant, sacionales pompas & hymnos celebrando atque decantando, cum spe futuræ incorruptæ vitæ. Nazianzenus [h] disserens de Paschæ celebritate, cui debeat quisque munus aliquod festiuum spirituale confesse, pro visum suatum tatinne; alludit ad præsentem locum; vt eum quidem Scholiastes Nicetas [i] intellexit. Sic enim in Deuteronomio, inquit, scriptum est; *non apparebis coram Domino Deo tuo vacuus, vnusquisque secundum facultatem manuum.* Idem verò Pater oratione in nouam Dominicam, & in ver, & in S. Mamantem, hostans vt encænia celebrentur innouatione sui, ac spiritualibus delitiis epulisque, profert præsens testimonium; vt nemo appareat in conspectu Domini vacuus [k]; Dominum ipsum inducit loquentem, *non apparebis in conspectu meo vacuus; verùm si quid pulchri habes, tecum feres* δια̃ ἢ τι καλὸν, μὴ κενὸς φέρε. Vbi citatus Scholiastes exprimit cum isto similem ex Exodo [l] locum; & obseruat, ludere Nazianzenum in vocabulis κενὸς vacuus, & καινὸς nouus; quia munus eius qui non apparet κενὸς vacuus coram Domino præsertim ἐν τοῖς ἐγκαινίοις in encæniis, de quibus agebat, est vt appareat καινὸς nouus. *Ac nunc nouus appare*, ait Nicetas, *non secundum hanc Scripturam* τὸ κενὸν, *id est, vacui & nihil habentis, sed iuxta alteram significationem* τὸ καινὸν, *id est, noui, ac per virtutis progressum & incrementum innouati, penitúsque immutati, vel à vitio ad virtutem, vel à virtute minori ad maiorem.* Hoc possumus affirmare esse coram Domino vacuum apparere, hácque de causa gratissimum id esse qui sic appareat, immò in tali vacuitate summam plenitudinem existere: vt scilicet solo sincero Domini amore se suias ei. Si namque vacuum natura refugit, non sinet Dominus dicto modo vacuos in sua remanere vacuitate, qui esurientes implet bonis, diuites dimittit inanes, vt cecinit ancilla Domini [m] se nominās, quæ salutabatur mater Dei [n]; humilitatem seu vilitatem quasi vacuitatē suam profestans [o]. Stephanus [p] Cantuariensis vacuum apparere coram Domino vult eum, qui superbus est, vesicæ vento turgidæ similis. Sic verò Augustinus [q] beatum pauperem spiritu [r] intellexit humilem, quique non habest inflantem spiritum, non sit inflatus tanquam vento distentus. Ad rem præsentem facere possunt dicta in commentario Psalmi 23.[s] *non accepit in vano animam suam.* Cui sententiæ affinis est plena merces, quam Ioannes [t] monet, vt videntes nosmetipsos, id est, considerantes, examinantésque, accipiamus: tepre-heusus

a 1. Reg. 1. 11. b ibidem. c c. 12. 1. 5. d ibidem. e c. 66. 7. f ibidem. g Gen. 6. 2. h lib. de gigant. i in Eccl. 1. & Esa. 66. & Os. 1. k Num. 26. 33. c. 27. 3. l Gen. 30. 21. c. 34. 1. m hom. 11. in Num. n lib. 4. ep. 12. o in Gen. 5. p in 1. Reg. 3. a 1. expos. 3. q Gen. 5. & seqq. r c. 1. & cap. vlt. 13. s sup. t in c. 23. u Pet. Bergus dempst. n... sio. x Hugo hoc loco. y c. 23. 15. c. 34. 20. z c. 35. 6. aa in Exod. q. 159. bb in Exod. 23. q. 53. cc in 2. ad Tim. 2. ho. 67. & ad pop. dd Heb. 10. 31.

a Ps. 75. 6. b 7. mor. c. 13. vel 17. c Ps. 125. 6. d Ps. 23. 4. e Iob 6. 18. f lib. 4. 34. g apolog. 2. h ora. 2. de Pascha fine 43. i ibid. nu. 5 k ora. 44. l c. 23. 15. c. 34. 20. m Luc. 1. 53. n ibid. v. 35. 43. o ibid. v. 48. p apud Tilmanum in allego. de ferm. Domin. in monte sub initium. q de serm. r Matt. 5. 3. s vers. 4. t 2. ep. v. 8.

hensus apud eumdem, cuius non inueniebantur opera plena coram Deo *: quòd res omnes, bonáque sine Deo, possunt velut idola, cognominari vana & quæ non prosunt a; terra inanis & vacua b: coopertus quis auro & argento, sed absque spiritu in visceribus c: nihil inueniens in manibus, quantumcumque diues videatur, virve diuitiarum d. Afferri Dauid e iubet Domino, nominique ipsius filios arietum, gloriam, honorem in atrium sanctum eius. Samuelis mater ablactatum filium adduxit ad Dominum in vitulis tribus, totidem farinæ modiis, amphora vini f. Samuel etiam vncturus Dauid in regem, oblationis colore negotium contexit. g Iacobus h Aluares noster talibus vsus exemplia, orationem rectè appellari nomine apparitionis coram Domino ostendit; quia per eum à terrenis rebus relictis ad cor ascendimus tanquam ad templum, vt appareamus coram Domino, & quæ placent ei, nobis autem vtilia sunt postulemus, offerentes interim vitulos labiorum i: hostiam laudis, fructum labiorum confitentium ei k; sacrificium laudis l, incensa oblationum m sanctarum, oblationem mundam n, non solùm Eucharistiæ; verùm etiam orationis, vt Eusebio o placet accipienti eodem pacto hostias, munera, vota, quibus Dominum colendum prædicat Esaias * ab Ægyptiis, adde & à cunctis Gentibus. Peculiari tamen ac pio, religioso, sacro modo apparemus coram Domino in locis ipsi consecratis, & in quibus idem singulari quadam ratione dignatur inhabitare, excipiens publicas & priuatas preces, & sacrificia: simul deputans administrationi sacramentorum, diuinique verbi solemni prædicationi; quemadmodum sæpiùs alibi annotauimus.

*Apoc. 3. 2. a 1. Reg. 12. 21. b Gen. 1. 2. c Abuc. 2. 19. d Ps. 75. 6. e Ps. 28. 1. f 1. Reg. 1. 24. g c. 16. 5. h som. 3. de inquisit. pacis, siue de studio orat. lib. 2. p. 1. c. 12. i Os. 14. 3. k Hebr. 13. 15. l Ps. 49. 14. m Ap. 8. 3. n Mal. 1. 11. o 1. de demonstr. c. 12. * c. 18. 21.

Explanatio.

Tribus vicibus.] Hebraicè פְּעָמִים *pehhamim.* Quod nomen benè redditum est (quamuis aliquando pedes, gressúsve reddantur ab Interprete nostro: & hoc loco ambulationes ab Oleastro) & à themate, quod valet contundere. Simili phrasi Galli dicunt *trois coups*, siue tres ictus pro tribus vicibus. Chaldaicè & Græcè sunt tempora זִמְנִין *Zimnin* & καιροί. In Exodo p ponitur nomen Hebræum רְגָלִים *regalim* in illa sententia *tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* Ibi Oleaster quia id vocabulum pedes significat, ambulationes maluit poni, exponitque vt tribus ambulationibus, siue ter mouendo pedes à domibus propriis & quasi saltando festa celebrarentur; quem saltum per חָגַג *thachog* eodem in loco putat indicari. Idem affirmat de verbis asinæ de Balaam q, *cur percutis me ecce iam tertiò*; id est, trina ambulatione, vt ibidem notaui. Priùs autem in isto capite monui aliquos ex eodem nomine intulisse pedestre iter eorum qui ter veniebant ad tria festa: quod tamen minimè placet.

p c. 23. 14. q Num. 22. 28.

Per annum.] Hebraicè, Chaldaicéque (*in anno* בַּשָּׁנָה *basscanah*, בְּשַׁתָּא *bestattha* (Græcè *tribus temporibus* τοῦ ἐνιαυτοῦ *anni.* Anni sacri exordium sumebatur à prima luna Martij: ciuilis à prima luna Septembris, vt sæpiùs notatum est.

Apparebit omne masculinum tuum.] Iuxta reliquas editiones & hîc, & in Exodo r (*videbitur*, sed iuxta Chaldæam *videbuntur*, cum singulari tamen nomine יֵרָאֶה *irraeh*, ὀφθήσεται), יִתְחֲזוּן *ithchazun*. Non obligat hæc lex fœminas, vt antea dixi; nec aliter impeditos vel ætatis paruitate, vel imbecillitate virium, &c. In pronomine quoque innuitur proprietas prolis, aut eiusdem gentis, aut etiam religionis: ex contextu præterea colligitur de hominibus non de brutis esse sermonem.

r c. 23. 17. c. 34. 2.

Hac lege nō obligantur fœminæ.

In conspectu Domini Dei tui.] In vno è duobus Exodi locis, in quibus idem habetur legitur a (*in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.*) Sed pro omnipotente, est Hebræum nomen אָדֹן *adon*, cum aliis duobus יְהֹוָה *Iehouah*, & אֱלֹהִים *elohim*: quæ duo posteriora sunt ex propriis Dei) quemadmodum & אֲדֹנָי *Adonai*, licèt Angelis tribuatur interdum) primum verò appellatiuum: siue sit à דּוּן *dun*, *iudicare*; siue veluti אֶדֶן *eden, basis*: quasi denotet basim, & columen, sustentatorémque familiæ, aut reipublicæ, aut populi: quod sonat βασιλεὺς *rex*, tanquam βάσις λαοῦ, vt Gregorius b etiam notauit. Ex eodem nomine suspicari quis posset ortum Don insigne nobilitatis apud Hispanos; vel apud alios venerationis sacræ: nisi per contractionem sit à Domnus, quod ipsum contractè dicitur pro Dominus; & in officio Ecclesiastico quando dirigitur sermo ad hominem vsurpatur Domnus; quemadmodum & in Litania Domnus Apostolicus Papam designat. Alicubi hoc ipsum obseruauimus.

a c. 34. 23. *Adon vnde.* b 9. mor. c. 10. vel 13. *Don & Domnus.* *Domnus Apostolicus Papa.*

In loco quem elegerit.] Citati duo loci Exodi hoc non habent: in isto autem cap. & in 12. 14. 15. admodum sæpe repetitur, vt & in 17. 18. 26. 31. credo quòd proximè aberat populus ab ingressu in promissam terram, quando Moses libro præsenti contenta loquebatur.

In solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.] Vltima solemnitas (de qua voce actum aliàs) composito nomine dicitur hîc σκηνοπηγία: versu autem 13. duobus ἑορτὴ τῶν σκηνῶν, quemadmodum & in Leuitico c, vbi editio nostra ferias tabernaculorum habet; in Zacharia d festiuitatem tabernaculorum; in c. 31. e libri nostri sicut hîc, solemnitatem tabernaculorum; in historia Machabæorum f diem solemnem tabernaculorum, in quo vltimo loco est ἡ τῶν σκηνῶν ἑορτή: Scenopegia Latinè facto vocabulo in eadem g historia, in apocrypho Esdræ h tertio libro; in Euangelio Ioannis i. Vt porrò, quod in k Exodo non fuerat expressum quæ essent tempora tria, quibus oporteret omne masculinum apparere in conspectu Domini, distinctè sciretur, Caietanus hoc loco notat illud ipsum præceptum nunc repetitum esse; de quo etiam paulò antè admonui. Quare supersedere Abulensis potuit in Exodo l à quæstione, an tria festa possent accipi pro festo azymorum, Pentecostes (quod est idem ac hebdomadarum) & clangoris; aut vno verbo respondere prolato præsenti loco.

c c. 23. 34. d c. 14. 16. 18. e vers. 10. f ii. 2. 10. 6. g lib. 1. 1. & li. 2. c. 9. 18. h c. 5. 51. i c. 7. 2. *Tria tempora quæ.* k c. 23. 17. c. 34. 23. l in c. 23. q. 19.

Non apparebis ante Dominum vacuus.] Chaldaicè sicut initio versus pluraliter (*videbuntur* יִתְחֲזוּן *ithchazun*) Græcè (*non apparebis coram Domino Deo tuo vacuus* οὐκ ὀφθήσῃ ἐνώπιον κυρίου τοῦ θεοῦ σου κενός. In Exodo m loquitur Deus ipse (*non apparebis in conspectu meo vacuus.*) Hebraicè & Chaldaicè (*non apparebunt* aut *videbuntur* לֹא יֵרָאוּ *lo ierau* לָא יִתְחֲזוּן *lo ithchazun.* Pro vacuo aut vacuis est Hebræum nomen indeclinabile רֵיקָם *rekam*; pluralis formæ, Chaldæum רֵיקָנִין *rekanin.* Thema est רִיק *rik*, *euacuare*: vnde רֵק *rek*, additóque ם finali רֵיקָם *rekam*: & forma Chaldæa, רֵקָא *racha* n, nomen iniuriosum, idem valens quod fatuus: quasi dicas, cerebro vacuum, vel etiam opibus, siue inopem; quo posteriore modo quibusdam o in locis redditur id nomen, & Græcè κενοί: aut per nomen scurrarum p, Græcè ὀρχουμένων *saltantium*: aut vanissimorum q, Græcè λοιμῶν *pestilentium.* Eccle-

m c. 23. 15. c. 34. 20. n Matth. 5. 22. o Iud. 11. 3. p 2. Reg. 6. 20. q 2. Par. 13. 7.

siastiel

siastici [a] auctor eamdem repetit sententiam *μὴ ὀφθῇς ἐνώπιον κυρίου κενὸς non apparebis ante conspectum Domini vacuus.* Dixerat [b] priùs Domino sacrificare, qui seruat legem, iustitiam proximo, misericordiamque exhibet, recedit ab iniustitia; propterea ne videretur parui æstimare sacrificium, aut ab eo auocare, subiunxit præsentem sententiam ea lege petitam in isto & Exodi libro; quasi diceret. Quamuis illa vera sint, legis meminisse oportere, quæ vetat apparere vacuum coram Domino, præcipitque vt statutis temporibus offerat quisque sacrificia sua. Hæc enim omnia, inquit, propter mandatum Dei fiunt, quæ alioqui per se non multùm prosunt si comparentur cum dictis aliis operibus.

Sed offeret vnusquisque secundùm quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui quam dederit ei.] Suppleuit Interpres (*sed offeret*) Hebraicè & Chaldaicè (*vir*, id est, vnusquisque *secundùm donationem manus suæ, secundùm benedictionem Domini Dei tui, quam dedit seu dederit tibi*) Græcè in priore parte (*vnusquisque secundùm facultatem manuum vestrarum ἕκαστος κατὰ δύναμιν τῶν χειρῶν ὑμῶν*) secunda verò pars ponitur numero singulari (*secundùm benedictionē Domini Dei tui, quam dedit tibi κατὰ τὴν εὐλογίαν κυρίου τοῦ θεοῦ σου, ἣν ἔδωκέ σοι.*) Mensuram oblationis, vt ita dicam, ex benedictione seu liberalitate Domini, bonisque concessis, vidimus versu 10. & in c. 12. [c] mensuram cibos gustandi. Quæ autem versu illo 10. nostri capitis vocatur oblatio spontanea manus, Græcè declaratam legimus *καθότι ἰσχύει ἡ χείρ σου, secundùm quod potest manus tua.* Tobiæ monitum de eleemosyna huc aptari potest. *Quomodo [d] potueris, ita esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis*, inquit Ambrosius [e], *definitur affectu: & multum ac paruum*, ait Chrysostomus [f], *non ad mensuram dati definit Deus, sed ad potentiam facultatum dantis:* quin & ipsum regnum cœlorum tantum valere Gregorius [g] asserit, quantum habes; valuisse namque Zachæo dimidium substantiæ [h]; viduæ duo minuta [i]; alteri calicē aquæ frigidæ [k]; nec hanc habenti, bonam voluntatem; quam habentibus, Angelus in Christi natiuitate pacem annunciauit [l]. Hoc ipsum rursus obseruauit Ambrosius [m], vnà cum calice aquæ frigidæ, ne quis de lignorum se posset penuria excusare; vel quòd vasculum vbi aquam calefaceret, non haberet. Denique si voluntas prompta est, inquit Apostolus [n], secundùm id quod accepta est, non secundùm id quod non habet.

a c. 35. 6. b v. 1. & seq. *Domino sacrificare quid.* c vers. 15. d Tob. 4. 8. 9. e de viduis. f in 2. Cor. hom. 10. g hom. 5. in Euang. *Liberalitas non in quantitate muneris, sed in dantis affectu consistit.* h Luc. 19. i Marci 12. 42. Luc. 21. 2. k Matth. 10. 42. l Luc. 2. 14. m Serm. 10 feria 5. post Cineres. n 2. Cor. 8. 12.

Vers. 18.] Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: vt iudicent populum iusto iudicio.

PARAPHR. PRæceptis ceremonialibus hactenus traditis insecuntur iudicialia, quæ pertinent ad proximum, vt benè regatur ab immediatis siue inferioribus magistratibus, iudicibúsque; sequenti capite vs à mediatis siue maioribus etiam à rege; item à summo sacerdote, &c. Eiusmodi iudices iubet Deus constitui ad portas ciuitatum (hoc est, ad vnam aliquam ex portis si plures essent) qui est locus maximè publicus, ac plurimùm ab omnibus frequentatus: qua de causa olim Stoici philosophabantur in portis, aut in porticu Atheniensi, qui Stoa nominabatur: est autem commodius quàm, vt priùs fiebat, cursu iuris dicendi reddendique gratia per ciuitates circumferri, vt Abulensis [a] notat, docens inferiores minorum locorum iudices aliis maioribus in primaria ciuitate habitantibus, vbi erat sanctuarium, fuisse subordinatos, qui Sanedrim vocabantur siue synedrium, domusque iudicij. In cap. 1. [b] audiuimus à Mose, non valente ferre gubernationis onus cum solus esset, constitutos, iuxta consilium Iethro soceri [c], ex omnibus tribubus viros sapientes & nobiles, potentes, timentes Deum, in quibus esset veritas, & odissent auaritiam, in principes, tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos: qui docerent populum singula, absque personarum acceptatione quod iustum esset iudicando; & si quid occurreret difficilius, ad ipsum referendo. In libro [d] præcedente cùm quereretur adhuc Moses de nimio pondere sibi imposito, quod sustinere nequiret, eo quòd grauius iudicibus foret, præcepit Dominus deligi septuaginta viros de senibus Israël, quos ipse nosset esse senes populi ac magistros, quibus daretur de spiritu Mosis, vt cum ipso sustentarent onus populi, & non solus grauaretur: quod & factum est, cùm staret circa tabernaculum. Diuisio magistratuum de consilio Iethro facta necessaria erat in deserto: vbi in tanta multitudine populi maiorem communicationem & plurium controuersiarum occasionem consequenter esse oportebat: non ita verò assignatis iam in promissa terra locis tribui cuilibet: vt proinde pauciores in singulis sufficerent pro cuiusque capacitate; siue illorum electio fieret ab habitatoribus, aristocratico quodam modo; siue à senioribus iudicibus septuaginta, siue suo tempore à regibus. Videntur hi, de quibus hoc loco agitur, successisse dictis illis ex Iethronis consilio constitutis: & quos Iosaphat constituisse dicitur [e] in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca: & illi quos idem rex constituit ex Israële in Ierusalem, inter quos erant Leuitæ & sacerdotes, vbi Ananias pontifex in iis quæ ad Deū pertinent præsidebat, in cæteris Zabadias dux in domo Iuda: & sub Herode erant omnes in eadem ciuitate de tribu Iuda, magnáque ex parte de domo Dauid, quos propterea Herodes interfecit [f]. At senatum totius gentis, qui de omnium prouinciarum causis iudicare debebat, ex regno toto, ac tribubus omnibus colligi oportuit, qui ex singulis, efficiebant numerum 71. licèt Thalmudistæ synedrium, siue concilium Ierosolymitanum, componant ex 71. tantùm [g]. Ex iisdem Thalmudistis variisque Rabbinis, Galatinus [h] originem istorum petit ab iis, quos Mosea numero 70. instituit [i], & quibus ipse præerat; atque ad illos, vt est in cap. sequenti [k], res difficiles deferebantur; vocabantur autem Domini sapientiæ, & incantationum, quique scirent 70. linguas, & statura, ætate, specie venerandi essent; necis potestatem haberent per lapidationē, combustionem, occisionem, strangulationem, sed cùm de illa ferrent sententiam, nihil eo die gustarent, iuxta id [l], *non comedetis super sanguinem:* iudicia diuitiarum, siue pecuniarum, & bonorum mobilium, per tres iudices fierent: iudicia animarum siue de morte, non per pauciores quā 23. ex illis 70. de tribu, sceptro, pseudopropheta, sacerdote magno, iudicarent omnes 70. siue 71. horum esset de bello decernere, de salariis templi, aut ciuitatis: iudices

a q. 4. b vers. 11. & seqq. c Exo. 18. 13. & seqq. d c. 11. 10. & seqq. e 2. Par. 19. 5 8. f Carol. Sigon. 6. de rep. Hebr. g Idem sup. & Pet. Galat. l. 4. c. 5. h supra. i Num. 11. 16. k vers. 18. l Deut. 12. 16. 23. c. 15. 23.

inferiores inſtituere per manuum impoſitionem à quinque ſaltem faciendam, qui iudices ſubeſſent illis: lupos, leo, vrſus, pardus, ſerpens iudicio 23. interfici deberent: domus Concilij Sanedrim ſiue iudicij appellaretur Gazith, id eſt, locus dolatus: aliæ domus iudicij 23. eſſent in diuerſis locis, vna in porta montis domus, id eſt, templi; altera in porta atrij; reliquæ in ciuitatibus Iſraël. Quæ vel incerta ea parte ſunt, vel ficta. In catalogo Hebræo præceptorum affirmatiuorum, 97. & ſequentia ſunt de conditionibus & officiis iudicum ſeu præpoſitorum ſuper populum, qui iuſta decernant iudicia, atque quod iuſtè definitum ſit executionem conſequatur; vt ſint ſapientes, diuites, magicã ſcientes artem, non vt vtantur, ſed vt magis obuiare poſſint; ſciant 70. linguas, ne per interpretem agere cogantur: non recipiatur intra ſenatum eorum multùm ſenex & delirus, nec eunuchus, quòd is nimis immiſericors ſit, nec vir qui non habet filios: vt iudices ſint prudentes & intrepido corde, abſque pauore liberantes oppreſſum à violento; pauperibus, afflictis, & his qui Deum timent patrocinantes: auaritiæ non ſtudeant: iuſtitiam & veritatem diligant: mendacium execrentur: ſi ſit inter eos diſſenſio, præualeat maior pars: lata executio ſententiæ non differatur, ſed ipſa die reus interficiatur; ſed ſi præcone cauſam proclamante, innocentiam rei quiſpiam ſciat, iubeat reduci reum ad iudices; ſi reus vim ſibi fieri dicat, reducatur primò & ſecundò, dummodo adiuncti ſapientes duo id fieri debere iudicent: occidatur reus à duobus teſtibus, præmonitos dicere, *ſit mors mea mihi in remiſſionem omnium iniquitatum mearum*: facta confeſſione iſta, porrigatur ei calix vini, in quo granum thuris ponatur, vt bibat & ſurripiatur ei vſus rationis, atque inebrietur: interfectionis genera ſint lapidatio, combuſtio, occiſio, nempe cum gladio, ſtrangulatio: lapidandus exuatur veſtibus, & in editum locum, manibus vinctis, ducatur, ex quo ab vno teſtium impellatur vt cadat in terram; & ſi non mortuus fuerit ex hoc lapſu, leuent teſtes grandem lapidem, & impetu proiiciant; ſique nec tunc mortuus fuerit, omnis populus proiiciat lapides in eum, &c. caſus 18. eſſe, propter quos debeat quis lapidari; 10. propter quos comburi; 6. propter quos ſtrangulari, &c. Clemens [a] Romanus meminit crucifixionis & lapidationis. Iſtud indubitatũ de iudicio quod ad portas exerceretur, quia multis ex Scripturæ [b] locis colligitur, in quibus aliquando vocãtur expreſsè portæ [c] iudicij. In porta iuxta veterem morem Iudaici populi fuiſſe iudicia, & ſæpe legimus, ait Hieronymus [d], & crebrò interpretati ſumus: vt nec agricola ad cauſam veniens, frequentia ciuitatis, & nouo terreretur aſpectu; nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret, & ſubuectionem quæreret iumentorum. Confirmans hæc idem citato Amos teſtimonio, in cuius commentario id quod retuli dicit, dum explanat præterea citatum Zachariæ locum, necnon verbis Pſalmi 126. & exemplo Abſalonis, quæ etiam in margine notata ſunt, ſubdit. Et quæritur quare apud Iudæos in portis locus fuerat iudicandi. Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod ſubire diſpendiũ, iudices in portis reſidebãt: vt tam vrbanos quàm ruſticos in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio, vnuſquiſque cõfeſtim ad ſedes proprias reuerteretur. In portis decreta notiora erant cùm ad momenta ſingula plenæ eſſent egredientibus ingredientibúſque. Gregorius [a] explanans verba Iob [b]; *ſi leuaui ſuper pupillũ manum meam, etiam cùm viderem me in porta ſuperiorem*, mos, inquit, apud veteres fuit, vt ad portam ſeniores ſederent; qui certantium iurgia, iudiciaria examinatione diſcernerent, quatenus vrbem, in qua concorditer oportebat viuere, diſcordes minimè intrarent. Profert ex [c] Amos; *conſtituite in porta iudicium*. Item circa alia eiuſdem [d] Iob verba, mos, inquit [e], vt ſeniores in porta conſiſterent, & cauſas introëuntium iudicarent, quatenus tanto eſſet pacificus vrbis populus, quanto ad hanc diſcordes ingredi nõ liceret. Adde ne inter fraudes & flagitia vrbana, aliquid ſimplicitas ruſtica peccandi periculum reperiret. Quod in Ruth c. 3. [f] legimus (*ſcit omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis*) Hebraicè eſt (*omnis porta populi mei* כָּל־שַׁעַר עַמִּי *chol ſchahhar hhammi*) Chaldaicè (*manifeſtum eſt ante omnes ſedẽtes porta ſanedrin magna populi mei* כָּל יָתְבֵי תְרַע סַנְהֶדְרִין רַבָּא דְעַמִּי *chol iathbene therahh ſanhedrin rabba dehhammi*) Græcè (*ſcit omnis tribus populi mei* οἶδε πᾶσα φυλὴ λαοῦ μου) & ſuſpicari quis poſſet pro φυλὴ eſſe πύλη, quod ſecundum nomen portam valet. Eiuſdem libri c. 4. [g] ſediſſe dicitur Booz ad portam, ibique fuiſſe populum & maiores natu cùm diſceptaretur cauſa matrimonialis. Ibi noſter Serarius [h] obſeruat factu optimum fuiſſe, vt ibi perpetuus incolarum & aduenarum concurſus eſſet, excubaret, ac ſuo in throno ſederet iuſtitia: ſicque monerentur ſemper omnes tam qui ingrederentur, quàm qui egrederentur, nihil iniquè agendum; totámque vrbem eſſe velut ſacrum quoddam templum, cuius tutelam, portarum gereret iuſtitia, veráque eſſet Portuna, vel Portunus, qui marinus Deus idem cum Neptuno à pluribus creditur; à Feſto etiam portarum. Portas mortis pro iniquis iudicibus accipi in Pſalmo 9. [i] docebit te commentarius noſter eiuſdem auctoritate [k] Remigij. Qua præterea de re dixi Pſalmo 68. [l] *aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta*; & Pſalmo 72. [m] *vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion*; & Pſalmo 126. [n] *non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta*; & Sapientiæ 16. [o] *deducis ad portas mortis, & reducis*; docens portas inferi quæ non præualeant aduerſus Eccleſiam [p], eſſe principum inferi poteſtatem ſiue dæmonum, ſiue hominum ſub his merentium, vt Maldonatus [q] noſter cum Hilario [r], licèt minùs placeat noſtro Alcaçar [ſ]. Sed præ aliis commentariis noſtris indicatis legendus is qui eſt in Pſal. 126. vbi & de portis Turcicis.

Iudices & magiſtros conſtitues.] Additur in editionibus (*tibi*) & pro magiſtris Græcè ſunt γραμματεοεισαγωγεῖς. Auguſtinus quæſtionibus in Exodum [t], qui ibi cap. 18. [u] dicuntur Græcè poſt δεκαδάρχας decanos, decurionéſve, γραμματοεισαγωγεῖς (quo nomine ſoli LXX. vtuntur illo & iſto loco) ait non facilè ſciri poſſe quinam ſint: quoniam hoc nomen, inquit, in nullo vſu habemus vel officiorum, vel magiſteriorum. Nam quidam doctores interpretati ſunt, vt intelligantur vtique literarũ, qui introducant in literas, ſicut reſonat Græcum vocabulum. Nonnullis enim videtur à primis hominibus eas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Iſraël. Sed vnde hoc probari poſſit ignoro. De ſimili vocabulo γραμματέων, qui ſolent ſcribæ reddi, egimus libro præcedente [x], vbi præcipit Deus, vt congreget Moſes 70. viros de ſenibus Iſraël, quos noſſet quòd ſenes populi

a 1. conſt. c. 48.
b Gen. 23. 10. c. 34. 20. Deut. 17. 5. & c. 21. 19. c. 22. 15. 24. c. 25. 7. Ioſue 20. 4. Ruth 4. 1. 11. Iob 29. 7. c. 31. 21. 2. Reg. 15. 2. Pſ. 126. 5. Pr. 1. 21. c. 22. 22. c. 24. 7. c. 31. 23. 31. Eſa. 29. 21. Thren. 5. 14. Amos 5. 10. 12. 15. Zach 8. 16.
c Deut. 21. 19.
d in Amos 5.

a 21. mor. c. 25.
b c. 31. 21.
c c. 5. 15.
d c. 29. 7.
e 19 moral. c. 12. vel 13.
f verſ. 11.
g v. 8. 11.
h quæſt. 1.
i verſ. 15.
k ib. v. 13.
l verſ. 28.
m v. vlt.
n v. vlt.
o v. 13.
p Matth. 16. 18.
q ibidem.
r ibidem.
ſ in Apoc. 1. 18. not. 25.
Explanatio.
t q. 69.
u verſ. 23.
x c. 11. 16.

populi essent ac magistri. Eodem loco actum quoque de Hebræo nomine, quod hîc etiam habetur שטרים *soterim*, cùm Scribæ vocentur ספרים *sopherim*, qui nostris doctoribus, præsertim iurisperitis respondent, nec per se sectam faciebant, cùm ex Pharisæis essent aliqui Scribæ, quemadmodum ex monachis, quibus Pharisæi similes erant, aliqui sunt Theologi: & ad Scribas pertinebat partim publica conficere notariorum seu actorum, actuariorúmve publicorum nostrorum more, partim Scripturas sacras interpretari, & à corruptela vindicare, vt idem essent γραμματεῖς qui νομικοὶ καὶ νομοδιδάσκαλοι, idem Scribæ, legisperiti, seu legis doctores. Atque hoc etiam loco volunt aliqui eosdem esse κριτὰς iudices, & γραμματοεισαγωγεῖς: quemadmodum apud Paulum[a] ποιμένας pastores, καὶ διδασκάλους doctores; quia nec iudex, nec pastor idoneus est, qui non sit simul magister doctórque, vt obseruant Hieronymus[b], Anselmus[c], Chrysostomus, & alij[d]; Augustinus[e], Gregorius[f]. Dionysius[g]: Petauius noster contra Drusium[h], & Scaligerum[i] hæreticos, pro Serario nostro probat id quod dixi, non differre νομικοὺς & γραμματέας, ita vt priores tractarent magis forensia iurisque formulas, & actiones ciuiles tractarent. In pandectis[k] Paulus Iurisc. tradit quòd quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur. Festus dici volt magistros quòd cæteris magis possint, vel quòd magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent. Deriuant aliqui à Magis, qui apud Persas erant viri docti, & populo præerant. Inde appellati magistri, quorum exemplum institutionémque iuuenes sequi oportet. Continentur autem eo nomine, inquit Alciatus[l], baccalaurei, licentiati, doctores: quia sicut athletæ tribus coronis, more Græciæ antiquæ insigniri debebant[m]; ita in agone literario tres sunt distincti gradus. Plures porro species magistrorum in omni genere ciuili & artis omitto.

Scribarum munus. — a Ephes. 4. 11. — b ibidem. — c ibidem. — d ibidem. — e epist. 59. — f hom. 19. in Ezech. — g in Epiph. hær. 15. pag. 29. 32. 33. — h 2. de trib. sectis c. 13. — i 2. elench. c. 11. — Magistri qui. — k l. quibus. D. de verbo. signif. — Magistri etymon. — l in l. cui præcipua. D. de verb. signif. — m l. 1. C. de athle.

In omnibus portis tuis.] Vrbes Græcus textus habet ἐν πάσαις ταῖς πόλεσί σου, quemadmodum prius multoties, vbi portas habent editiones aliæ. Nec malè disseruimus de consuetudine iudicia & causas in portis tractandi, quoniam ex hac quasi prærogatiua portarum, potuerunt per illas vrbes integræ intelligi.

Porta pro vrbibus.

Quas Dominus Deus tuus dederit tibi.] Et hoc sæpe repetitur, vt agnoscatur auctor beneficij Deus; datórque liberalis optimæ terræ. Græcè δίδωσι *dat*. Sed vt aliquoties monui, certa & indubitata donationis promissio exponitur non solùm per tempus futurum, sed etiam per præsens ac præteritum.

Per singulas tribus tuas.] Incertum an hæc iungantur portis vrbibúsve, quæ distribuendæ erant inter tribus; an iudicibus, vt constituerentur ex diuersis tribubus. Vtrumque verum.

Vt iudicent populum iusto iudicio.] Græcè (*iudicium iudicationémve iustam* κρίσιν δικαίαν) Hebraicè (*iudicium iustitia* צדק משפט *mispat tsedek*) Chaldaicè (*iudicium rectitudinis* דין דקשוט *din dikscot*). Sic in cap. 1.[n] præcepisse se Moses ait constitutis magistratibus, sapientibus, gnaris, nobilibus, quorum conuersatio probata erat in tribubus, vt quod iustum esset iudicarent.

n vers. 16.

Vers. 19.] Nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.

Paraphr. Ad iudicandum iusto iudicio, siue recto requiruntur istæ conditiones, vt iudex velit in æquilibrio constitutus in vnam potiùs partem non vergat, quàm in aliam; & idcirco vitet acceptionem personarum, nec se muneribus corrumpi & excæcari sinat, quorum tanta vis est, vt sapientes alioquin ac iustos præuaricari faciat. Primo capite[a] cùm, vt paulò antè retuli, præcipitur vt iudices quod iustum est iudicent; mox additur vt id faciant siue sit causa ciuis, siue peregrini, ita vt nulla sit distantia personarum, sed ita paruum audiant vt magnum; nec accipiant cuiusquam personam; quia Dei iudicium est. In Leuitici cap. 19.[b] est. *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo.* Vtriúsque loci adeundus commentarius, & aliorum locorum, quos ibidem recensui. In Exodo[c], *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Græcè βλεπόντων *videntium*, in priore membro, id est, quamuis videant quod iustum est, faciunt munera vt non videant. Hebraicè *excæcabit apertos* פקחים *picchim*. In Ecclesiastico[d], *Xenia & dona excæcant oculos iudicum* (Græcè σοφῶν *sapientum*) *& quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.* Græcè καὶ ὡς φιμὸς ἐν στόματι ἀποτρέπει ἐλεγμούς *& quasi frænum in ore auertunt correptiones*, id est, impediunt ne sapientes corripiant. Iuxta translationem verò nostram Strabus, & post eum Lyra & Rickelius nomine muti putant ranæ speciem intelligi, quæ in os canis latrantis proiecta, latrandi adimit facultatem. Calamitatem Græco vocabulo nominant. Sed, vt notat Iansenius, & auctoritate caret ea nominis acceptio, & non congruit Græco φιμῷ, quod est in dicto textu. Eodem pertinent adagia quæ idem auctor memorat; *bos in lingua*; &, *argentanginam patitur*: quibus affine illud vulgi de osse obiecto canis ori quod arrodens non latrat. Erat bos numisma apud Athenienses, Delicos, Romanos, & Adagiographus de vi adagij vtriusque disserit. Nec illud absimile τὰν ἀρετὰν, καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι *virtutem & sapientiam vincunt testudines*: numisma namque Peloponnensium χελώνα, id est, testudo dicebatur. Item faba nummus: id est, suffragium nummo corruptum. Porrò[e] Clemens Romanos Apostolos refert ista & similibus sententiis crebrò vsos vt persuaderent iustitiam in iudiciis. Theophilus[f] Alex. iubet Apollinaris discipulos defendere quæ is malè scripsit, eo quòd scripsisset benè contra Origenem, Arianos, Eunomianos, ne videantur accipere personam in iudicio, & personam diligere, non veritatem. Patres Concilij[g] Aquisgranensis Ludouicum Imperatorem hortantur & obsecrant prolata hac sententia, & ex citato c. 1. & ex Exodi cap. 18.[h] & ex 2. Paralip. cap. 19.[i] vt eligendis adiutoribus suis, & reipublicæ ministris, qui vice ipsius populum Dei tegere, & gubernare, atque iudicare debeant, solertissimam prouidentiam habeat. Sub Carolo Magno Concilium Cabilonense[k] II. decernit eiusdem loci huius auctoritate comitibus & iudicibus summopere obseruandum, vt iustè iudicent, &

a v. 16. 17. — b v. 15. — c c. 23. 8. — d c. 20. 31. — Rana in os canis proiecta latrandi adimit. — Bos numisma Atheniensium, &c. — Testudo numisma Peloponnensium. — e 2. constit. 37. 42. — f ep. 1. Paschali. — g cap. 10. — h vers. 18. — i vers. 5. & seqq. — k cap. 21.

& nequaquam io Iudicio munera seu personas accipiant: ministros quoque siue vicarios & centenarios iustos habeant, testésque probatissimos, &c. Exigitur in Exodo à iudicibus sapientia, timor Dei, veritas, odium auaritiæ: quæ Petrus cognomento Sunon Tilesanus in opere de veritate [a] declarat. Circa vltimam conditionem rectè vetari non solùm auaritiam, sed etiam odium eius docet; quia radix omnium malorum est [b]: tum verò quæ committi solent contra iustitiam; cuius exemplum fuit io Felice Iudææ præside, qui diu vinctum retinuit Paulum, frequentérque accersebat eum, & loquebatur cum eo, sperans quòd pecunia sibi daretur à Paulo [c]; qua de re in actuum Apostolorum disserui commentatio; vnde, ac ex aliis commentariis nostris petat qui volet, nec vt repetam exigat. Audierat forsitã Felix allatas proximè à Paulo Ierusalem eleemosynas, vel diuitem putabat: per omnem autem sæuitiam & libidinem ius regium seruili, vt scribit Tacitus [d], ingenio exercebat. Ferunt aliqui [e] Mosem faciem occultasse splendentem velo [*], non solùm quia intentis alioqui cerni oculis nequiret, sed vt sua ostendendæ causa æquitatis, non ad hunc potiùs quàm ad illum, oculos intendere videretur: quin etiam id velum è linteis fuisse, sudariísve, quibus inuoluta cadauera mortuorum sepeliebantur, vt obiecta mortis memoria sectaretur erga omnes quibus imperabat, diligentiùs iudicij integritatem. Hoc ipsum præ se tulit illarum Gentium consuetudo apud Clementem [f] Romanum, Basiliúmque [g], vt non nisi obducta cortina; velóve interiecto tecti (παραπέτασμα vocat Basilius, Clemens numero singulari παραπέτασμα) capitalem sententiam iudices ferrent: aut vt, Plutarcho [h] teste, Thebani, atque vt scribit Diodorus Siculus Ægyptij depingerent iudices auersis vel clausis, vel etiam effossis oculis; quasi oculis carere oporteret, ne litigantium vllum peculiari affectu, eum conspiciendo, prosequi compellerentur. Erant verò item apud priores, vt citatus addit Plutarchus, absque manibus iudices, vt à donis alienam esse debere iustitiam intelligeretur; nulla mulceri facundia; nec quod Stratocles, Dromoclidésque sentiebant, & factitabant, ad tribunalia, tanquam ad auream mellem, concurreretur [i]. Hominem, qui ius ex æquo cunctis tribueret depicta struthiocameli penna significabant Ægyptij, quia pennas alarum æquales habet vndequaque [k]. Hoc est esse templum Dei sanctum, mirabile esse in æquitate [l] potiùs quàm in quouis alio ornamento. At verendum illud [m] Propertij, ne sit verum;

Aurea nunc verè sunt sæcula; plurimus auro
Venit honos; auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia iura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Etiam leonem aureo reuinctum vinculo lepus animal timidissimum trahit; ἕλκει λαγὼς λέοντα χρυσείῳ βρόχῳ: & λέων κρόκῃ δεθεὶς ἄνω καὶ κάτω περιστρέφεται, *leo fide, seu cordula vinctus, sursum ac deorsum circumfertur* [o].

* *Imperat, aut seruit regina* (meliùs *collecta*) *pecunia cuique:*
Tortum digna sequi, potiùs quàm ducere funem.

Athenienses mactari porcellum iubebant velut victimam expiatoriam, ante iudicum consessum; móxque sedilia leniter respergi sanguineo rore; vt suomet sanguini consulerent, alienum iniustè non fundendo [p]. Gestanda iudici ex sapphiro imago, cui nomen ἀλήθεια *veritas*, exemplo principis iustitiæ apud Ægyptios, qui natu maximus inter sacerdotes, idémque iustissimus, ac æquitatis tenacissimus habebatur [a]: vt cœlum videat, cuius colorem refert sapphirus, & recordetur iudiciorum iustorum; quod iniquissimi Susannæ condemnatores minimè fecerunt [b]. Sisamnem qui pretio iniustè iudicauerat Cambyses interfecit, & Otanem filiũ eiusdem sedere in solio præcepit lotis detractæ cutis instrato [c]. Artaxerxes iniustis etiam iudicibus adhuc viuis pellem euulsit, circúmque subsellia ad exemplum expandit [d]. Constituerant nominari Athenienses Lycum herorm ante fora, lupi imagine præditum; ad quem qui donis iudicia corrumpebant, in decem diuisi conueniebãt; vnde Lyci decas manauit [e]. Aristoteles autem in eorumdem republica prodit iudiciorum corrumpẽdorum Anytum auctorem extitisse [f]. Plurima adhuc afferri possent ex omni scriptorum genere aduersus corruptelas iudiciorum, per acceptationem personarum, munerúmque acceptionem. Illud ad rem est ex sacris Prouerbiis, præ aliis multis [g]; *qui cognoscit in iudicio faciem, non benè facit iste, & pro buccella panis deserit veritatem*, Græcè (*vendet virum* ἀποδώσεται ἄνδρα) quod in translatione Latina Sixtina vertitur malè vinum, nec inter menda positum est: præcedens verò membrum in eadem editione est, ὃς οὐκ αἰσχύνεται πρόσωπα δικαίων οὐκ ἀγαθόν, *qui non reueretur facies aut personas iustorum, non est bonum*. Præterea postremæ loci nostri parti similis est io eodem [h] libro locus, iuxta multorum expositionem, *victoriam & honorem acquiret qui dat munera* (vt corrumpat iudices ad hæc acquirenda) *animam autẽ aufert accipientiũ* (eripiendo illis mẽtem & prudentiã, ipsámque animæ salutẽ.) Ad hęc [i]: *rapina impiorum detrahunt eos, qui noluerunt facere iudicium*, hoc est, eos qui quæstum fecerint ob iniqua iudicia, ipsemet quæstus deiiciet de fastigio dignitatis, vel etiam ad interitum vsque detrahet. *Super tribus sceleribus Israel*, ait Dominus [k], *& super quatuor non conuertam eum. pro eo quòd vendiderint pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis*. Tria scelera alia R. [l] Dauid ait fuisse idololatriã, impudicitiam, homicidium: sed & diluuium immissum tandem, quia repleta erat terra iniquitate חמס *chamas*, ἀδικίᾳ, quo peccato dissoluitur penitus omnis humana societas. Illum verò iustum priore loco aliqui volunt Ioseph esse; quidam Christum; communior opinio quemuis indefinitè, id est, iudicium circa causas iustorum, vel vt cùm damnantur, cogantur vendere seipsos prę paupertate. Istius vitij, tãquam callidissimæ vulpeculæ, negat Bernardus [m] magnorum se vllum competisse, qui satis cauisset versutias. Pauci calamo vno metiuntur ædificium diuinum [n], quíque non vsurpent mensuram & mẽsuram, pondus & pondus [o], nec sint mendaces in stateris [p]; nec iustificent impium pro muneribus, iustitiam autem iusti auferant ab eo [q]. Pontium Samnitem tradunt velle se natum dixisse, quando Romani munera cœpissent accipere; nõ enim passurum fuisse diutiùs eos imperare [r]. Extendũt Hebræi in catalogo præceptorum negatiuorum istud ad verba; vt scilicet fauore non corrumpat iustitiam. Supersedeo exemplis non admodum tamen multis, eorum, qui munera repudiauerunt. Duobus ero contentus, quæ recitat [s] Bernard. Primũ est Martini Cardinalis, qui rediẽs è Dacica legatione, cùm Florentinus Episcopus equum donauisset, quia viaticum consumpserat; quo Pisas, vbi Papa erat, perueniret; ipsum verò postridie secutus Episcopus, vt suæ faueret causæ, sollicitasset; decemptum

Marginal notes (left): a li. 6. c. 11. — b 1. Tim. 6. 10. — c Actuum 24. 26. — d lib. 21. — e refert Frã cisc. Mend. in 1. Reg. 1. 5. annot. 7. sect. 1. pag. 154. — * Exo. 34. 33. — *Varia iudicandi cõsuetudines.* — f 2. const. c. 52. — g epist. 79. — h de Isid. & Osiride. — i Pierius li. 35. c. 27. — k Horus Apollo hierog. vlt. — l Ps. 64. — m lib. 3. eleg. 13. — o Lucia. de mercede seruientib. — o Hora. lib. 1. epist. 10. — p Sigon. de rep. Athen.

Marginal notes (right): a Ælia. 14. var. hist. c. 34. — *Pœna falsorũ iudicũ.* — b Dan. 13. 9. 53. — c Herodot. lib 4. — d Diod. Siculus li. 15. — e Arpocratio ex Eratosthene apud Sigon. 1. de rep. Athen. c. 3. — f Sig. sup. ex eodẽ Eratosthene. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 17. Plutar. in Coriolano. — g Prou. 28. 21. — h c. 22. 9. — i c. 21. 7. — k Amós 2. 6. — l ibidem. — m 2. de cõsiderat. — n Eze. 40. 3. & seqq. — o Prou. 20. 10. 23. — p Ps. 61. 10. — q Esa. 5. 23. — r Pintus in Ezech. 40. — s 4. de consid. c. 7.

ptum se respondit, eo quòd nesciisset illi esse negotium; vtque tolleret equum suum imperauit. Exẽplũ aliud est Gausredi Episcopi Carnotensis legati Apostolici in Aquitania: qui oblati piscis à quodam presbytero pretium cùm didicisset solidorum quinque: id solui præcepit, inuito licèt ac verecundo. Exclamat Bernardus alterius sæculi rem hanc esse. De seipso quid in hoc genere narret Petrus Damiani, cùm esset Mediolani legatus Apostolicus, leges in epistolis [a]. Samnitibus Marius Curius Dentatus auri pondus ingens offerentibus, auro se non egere respondit, quamdiu viuere rapa posset; nec acie vinci posse, nec pecunia corrumpi: neque enim præclarum esse aurum habere, sed iis qui aurum habent, imperare [b].

Nec in alteram partem declinent.] Hebraicè (*non flectes*, aut *inclinabis iudicium* לֹא תַטֶּה מִשְׁפָּט *lo thatteh mispat*) id est, nec amore, nec odio, vllave alia de causa vni potiùs parti faueas quàm alteri, nec in vnam magis propendeas, quàm in aliam. In cap. sequenti [c] à rege requiritur vt non declinet in partem dextram vel sinistram, nempe à diuinis præceptis, quod exprimunt ibi aliæ editiones. In cap. 5. [d] libri nostri, & in cap. 28. [e] iubentur Hebræi custodire & facere quæ præcepit Dominus Deus, non declinando neque ad dextram, neque ad sinistram: sed per viam quam præcepit ambulando: in c. [f] rursus sequenti, vt faciant quodcumque dixerint qui præsunt, nec declinando ad dextram, nec ad sinistram; in libro Iosue [g] idem exigitur à Iosue; & hîc à populo [h]: & aliis in locis [i] eadem formula extat. Chaldaicè hoc loco (*non peruertas iudicium* לָא תַצְלֵי דִין *lo thasfleh din*) Græce (*non declinabunt iudicium iustum ἐκ κλινοῦσι κρίσιν δικαίαν.*) Cauetur in Exodo [k] declinare in Iudicium pauperis, Græcè *διαστρέψαι prauertere*: & Paulus [l] cum obtestatione Dei, & Christi, & Angelorum admonet Timotheum custodire quæ ipsi proponebat, ita vt nihil faceret in alteram partem declinando. In ferenda iusta sententia haberi ratio non debet nec dexteræ rerum bonarum seu prosperarum, vel amicorum, vel nimiæ prudentiæ, immodicive studij virtutis, vel arrogantiæ ex bonis operibus; nec sinistræ malarum aduersarúmque rerum, vel inimicorum; vel prauorum operum; vel desidiæ ac incuriæ: de quibus combinationibus Salazar [m] noster. Non hinc tamen paria esse peccata sequitur, quamuis in genere peccatum sit declinatio à virtutis medio per excessum, aut per defectum.

Non accipies personam.] Hebraicè (*non agnosces facies* לֹא תַכִּיר פָּנִים *lo thaccir panim.*) Solent enim ex facie cognosci personæ. Græcè *non cognoscent faciem personámve*, *οὐκ ἐπιγνώσονται πρόσωπον.*) Personarum acceptio, Græco vno vocabulo *προσωποληψία*, vetatur [n] alibi, negatúrque in Deo esse, vt nos etiam non semel annotauimus, hócque nomine Christus ab aduersariis quamuis malignè, verè tamen laudatus [o] est. Interpres quándoque reddit pro verbo accipiendi considerare personam [p], cognoscere [q], respicere [r]. Cyprianus [s] adhibet hoc testimonium pro æquitate ac quadam veluti æqualitate in generali iudicio, legens (*non accipiens personam in iudicio*) exponénsque *nec secundum minimum, nec secundum maximum iudicabis.* Id voluit Plato nullum in ea re discrimen asserens esse Achillis, Thersitísque. Quantum sit istius malum peccati, omissis alibi allatis, sufficiat nunc illa ex

a lib. 6. epist. 31.
b Cicero in Catone, Plutar. in apophth.
Explanatio.
Iudices via recta progredi debent.
c vers. 20.
d vers. 32. 33.
e vers. 13. 14.
f vers. 10. 11.
g vers. 7.
h c. 23. 6.
i 2. Reg. 14. 59. lib. 4. 22. 2. Paral. 34. 2. Prou. 4. 27. Esa. 30. 21.
k c. 23. 6.
l 1. Tim. 5. 21.
m in Prou. 4. 27.
Nec personas accipere.
n Leuit. 19. 15. Deut. 1. 17. 2. Paral. 19. 7. Iob. 32. 21. c. 34. 19. Pro. 18. 5. c. 28. 21. c. 24. 23. Sap. 6. 8. Eccl. 20. 24. c. 35. 15. 16. c. 42. 1. Esa. 42. 2. Actuũ 10. 34. Ro. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephe. 6. 9. Colos. 3. 25. Iacobi 2. 1. 9. 1. Pet. 1. 17.
o Mat. 22. 16. Lucæ 20. 21.
p Leuit. 19. 15.
q Prou. 24. 23.
r Mat. 22. 16.
s ad Nouitianum.

Ecclesiastico [a] sententia. *Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam: persona autem acceptione perdet se*, Græcè ibi emendati codices Sixtini habent in postremo membro *καὶ ἀπὸ ἄφρονος προσώπου ἀπολεῖ αὐτήν*: in aliis *καὶ ἀπὸ λήψεως προσώπου ab acceptione personæ.* Iansenius declarat nonnullos præ verecundia, dúmque plus æquo reuerentur potentium hominum auctoritatem, perdere seipsos, contra conscientiam agunt quæ agenda non sunt, & veritati parcunt, vt sibi parcant: nimirum iniustè iudicando, vt fecit Pilatus erga Christum ne displiceret Iudæis, ac potiùs ne Cæsaris amicus non esse diceretur, fidelísque minister. Moderatio tamen necessaria, ne nimia *παῤῥησία* contemnatur & noceat, ipsáque persona reprehendentis meritò in reprehensionem incurrat, si nullam circa personas habeat rationem. *Vexatio dat intellectum auditui* [b]; *sed si nimia non fuerit*, inquit Bernardus [c]: *nam si fit, non planè intellectum dat, sed contemptum.*

Nec munera.] In editionibus aliis aliud verbũ extat à verbo membri prioris diuersum significans propriè accipere: & in Græca numeri pluralis est, sicut antea, nempe *λήψεσθαι*: vt & *δῶρα*: cùm sit singulare שֹׁחַד *scochad* & שֹׁחְדָא *scocheda*; quod propriè valet acceptum iniquè munus à magistratu, vt alibi [d] docui. Certè vbique tum nomen hoc, tum verbum שָׁחַד *sciachad*, talem dumtaxat vsum habet, aut ad inhonesta, turpiáque [e]: quamuis indifferentem significationem habeant *δῶρα* & munera. Iulius [f] Cæsar Scaliger munus vult esse quasi mutus; & munus onus muris reficiendis, vbi primùm vnum in locum è vicis conuenissent ad condendum oppidum, indéque munimenta: id autem onetia cùm remittebatur virtutis ergò, donum dictum esse. Varro [g] munus deducit ex eo quod qui mutuo animo sunt, id dant officij gratia [h]: alij ex Hebræo מִנְחָה *minchah*. Officium præterea significat; quod necessariò subitur lege, more, imperio; vnde immunitas: item spectaculum ludúmve à principe exhibitum populo quasi doni loco. Plura de his acceptionibus Iurisconsulti: qui nostram vsurpatam docent in eo plebiscito [i], *ne quis præsidum munus donúmve capiat, nisi esculentum, potulentúmve, quod intra dies proximos prodigatur.*

Quia munera excæcant oculos sapientum.] In Exodo [k] (*etiam excæcant prudentes:*) in Ecclesiastico [l] (*oculos iudicum*) de quibus locis antea dixi. Excæcant munera; vt quod iustum est non videatur: vel vt videatur iustum quod iustum non est. Quod legitur in Prouerbiis [m]; *gemma gratissima expectatio præstolantis: quocumque se vertit, prudenter intelligit*) Hebraicè sic est, אֶבֶן חֵן הַשֹּׁחַד בְּעֵינֵי בְעָלָיו אֶל כָּל אֲשֶׁר יִפְנֶה יַשְׂכִּיל *euen chẽ hasscion chad beheene behhalau el chol ascer iphneh iaschil.*) Vertitur autẽ hoc pacto *Clauis gratia*, seu *gẽma grata, est munus in oculis dominorũ eius*, siue *eorum qui possident eam; ad quemcumque verterit se* (illa gemma, vel munus illud) *prudentem faciet*, siue *intelligere faciet*, vel *prudenter aget*, vel *prosperabitur.*) Id est, inquit Vatablus, in quamcumque partem volet, vertet corda iudicum, inclinabitque) scilicet munus datórque muneris. Si legatur vltimum verbum cum ס *samech*, exponetur *infatuabitur*) nempe is qui munus acceperit, vel *μισθὸν* mercedem, vt LXX. transtulerunt. Infatuari iudicem, est excæcati oculos ipsius: prospe-

rati

a c. 20. 24.
b Esa. 28. 21.
c 1. de consid. c. 3.
Nec munera.
d in Ps. 14. 5.
e Ezech. 16. 33.
Munus vnde.
f de causis ling. Lat. c. 31.
Differt à dono.
g de ling. Lati. lib. 4. c. 36.
h Becman. in orig. ling. Lat.
i l. plebiscito D. de officio præsidis.
k c. 23. 8.
l c. 20. 31.
m c. 17. 8.
Infatuari aliquid quid.

tati munus, prudentérve agere, aut facere intelligere, est efficere, vt prosperetur ille qui dat, iudicem trahens quò vult, & prudenter hac in re agere, quemadmodum laudatus villicus iniquitatis [a]; & efficere, vt pro ipso videatur iudex intelligenter ac prudenter iudicare. Iuxta editionem verò nostram, nomine præstolantis iudex intelligi potest; sententiam differens, donec munus ab vno ex litigantibus deferatur; quod instar gemmæ gratissimæ diu expectatæ ab ipso, est. Addit noster Salazar, locum diligenter explanans, ac plures proferens expositiones, morem spectandi res alias per lapides pellucidos, gratóque colore præditos, vt de Nerone testatur Isidorus [b], vtente viridi smaragdo ad spectandas gladiatorum pugnas: ex quo fiebat, vt eodem colore imbuta cuncta oculis se offerrent: ad hunc verò modum infici oculos iudicis munus captantis, conditione causæ, quam munerator prætendit. Lapidem præterea gratiæ munus cognominari docet, quia valet ad conciliandam gratiam beneuolentiámque: sicut nonnullis lapidibus talis vis inesse traditur à physiologis Plinio, Epiphanio, Alberto; quæ tamen libertatem non adimat; licèt Isidorus reputet id superstitiosum; & quemadmodum manu gemma gestatur, sic manu munus (inter quæ paronomasia est) accipitur. De magnete item peculiariter interpretatur; quem vocant ἔρωλα, lapidémque [c] amoris, quia munus, etiam ferreum attrahat iudicem; & quamlibet seuerum, tanquam pondus gratiarum, vt citato loco reddit Symmachus βάρος χαρίτων, cum trutina iustitiæ, deprimat. Cæterùm excæcare munera dicuntur, quia præbent occasionem excæcationis, indéque sumunt homines occasionem peruertēdi iudicium, ac more cæcorum iudicandi. Nec aliter Deus ipse quosdam dicitur excæcate [d]; & Deus huius sæculi diabolus [e]: denique malitia [f]. Sed hæc dementer totiè: Deus, non dando efficaciora gratiæ auxilia: multa faciendo etiam bona, quibus peiores culpa sua fiunt; diutiùs eosdem nimia quadam patientia & longanimitate tolerando: diabolus, inducendo ad peccata, & ad perseuerandum in eis, vnde cæcitas cordis consequitur. Cùm autem sapientum oculos excæcari asseritur, non est quòd veraciter sapientes & iusti per munerum cupiditatem subuertantur, inquit Rabanus; sed quòd illi qui videntur sibi esse sapientes & insti, sæpiùs corruant: nam qui verè sunt sapientes & iusti, numquam præponunt res caducas veritati atque iustitiæ: sed in omni tempore stadent in æquitate permanere. Idem attingitur à Glossa, & ab Hugone. Meliùs Rickelius explicat quòd qui antea munerū acceptionem fuerant sapiētes, per munera seducuntur & fiunt insipientes.

Et mutant verba iustorum.] Numero singulari יְסַלֵּף *iosalleph*, quod futuri temporis est, reddi potest *peruertet, deprauabit, deflectet, detrahet*, sicut & סֶלֶף *seleph, peruersitas, deflexio, supplantatio*. Græcè ἐξαίρει *auferunt, extrahunt, detorquent*, vt etiam explicat Eugubinus, dicens non tam apertè per id verbum expositum esse quod habet Hebræus textus. Muneribus acceptis tolluntur verba iam semel etiam iustè prolata, vel quæ quis proferre decreuerat; aut in oppositum sensum detorquentur. Possent quoque exponi *verba iustorum*, verba iusta, id est, causæ iustæ, vt Vatablo placet; quas corrupti muneribus volentes ac scientes pronunciant iniustas, & ex iniustis in iniustas mutant. Priorem sensum illustrate possumus opposito & apposito exemplo Balaam, qui cùm maledicere

A vellet, nolens benedicebat, nec aliud se posse loqui asserebat nisi quod iussisset Dominus. Affirmari hîc potest & regina pecunia, & cui obediunt omnia [a]. Expendit hoc ipsum ad idem propositum Origenes [b], vnà cum alio exemplo Caiphæ [c] prophetantis. Perpende, ait Caietanus, vim munerum contra intellectum & affectum, & quod amplius est, contra intellectum perfectum sapientia, & affectum præditum iustitia: si enim sapientes & iusti mutantur ex muneribus, quis iudex seu princeps potest tutè accipere munera? Magni quoque pendendum admonet hanc sententiam non B esse Mosis, sed Dei; cui nota sunt corda hominum; qui scit instabilitatem animi humani, animi etiam virtute præditi; quoniam Exodi 23. [d] ex ore Dei eadem habetur sententia.

Vers. 20.] Iustè quod iustum est persequeris: vt viuas & possideas Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

Ne se quis corrumpi sinat muneribus, personámve cuiusquam in iudicio accipiat, qua in re peccari potest, non solùm iniustam ferendo sen- C tentiam, innocentémque damnando, & pro reo vetè obnoxio pronunciando; sed etiam si exigatur, aut accipiatur munus, quasique stipendium, & merces iustæ sententiæ; iubet præmio proposito terræ promissæ, studiosè curare, vt quod iustum est iustè perficiatur, & ex affectu honesti ac virtutis amore, atque cum debitis omnibus circumstantiis, quia bonum ex integra causa est, malum ex singulis defectibus, ex recepto, à multísque [e] tradito axiomate. Boëtium citat Abulensis probantem in 4. de consolatione philosophica, quamuis iniustè patiatur nemo, multos iniustè agere, occidi aliquem iustè posse, quamuis occidat eum quis iniustè. Theodoretus [f] iustè persequi quod iustum est interpretatur iuxta viri iusti intentionem, non ob D vanam gloriam, neque propter humanum aliquod emolumentum, sed ipsius boni gratia. *Sunt enim quidam*, inquit, *qui animo quidem nihil faciunt quod iustum est; tamen propter eos qui reuera complētūtur illud, simulant honore se prosequi quod iustum est.* Ambrosius [g] expendens quo pacto parentes Ioannis iusti essent ante Deum [h], qui nō potest falli, idem arbiter mentis & facti, meritúmque iusti ex mentis habitu, nō aliquo factorum exitu metitur; cùm plerúmque aut bona mens facti reprehensibilis exitu deformetur, aut improba cogitatio facti alicuius decore veletur; & quod bene feceris, si malè cogitaueris, diuino iudicio non possit comprobari; profert præsentem locum; & subdit. *Nam nisi esset vt iustum iniustè faceres, numquam dictum esset; iu-* E *stè quod iustum est persequeris.* Et certè posse iustum, iniustè fieri, docuit nos ipse Saluator, dicēs [i]. *Cùm feceris eleemosynam, noli tuba canere ante te: &c, cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ.* Bona enim est misericordia; bona est oratio [k]: sed potest iniustè fieri, si iactantiæ causa aliquis pauperi largiatur, vt videatur ab hominibus. Prior id Origenes [l] docuerat, vt ab Ambrosio transcriptus videatur, ac à Theodoreto perstrictus. *Dicat mihi*, ait, *quispiam, si laus ista perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur* sine querela? *Sufficiebat enim dicere, ambulantes in omnibus viis & iustificationibus Domini, nisi posset fieri vt ambulet quis in omnibus* mandatis

Marginalia: a Luc. 16. 8. — b 16. etym. c. 7. — *Munus lapis gratiæ.* — *Magnes lapis amoris.* — c Pollux. — *Munera excæcant.* — d Esa. 6. 10. — e 2. Cor. 4. 4. — f Sap. 2. 21. — *Munera ex sapientibus insipientes faciunt.* — *Verba iustorum quid.* — a Eccl. 10. 19. — b 10. 30. in Ioan. — c Ioan. 11. 49. & seqq. — d vers. 8. — PARAPHR. — e Arist. 2. ethic. 6. Dion. de diui. nom. c. 4. Greg. hom. 11. in Ezech. Aquin. 1. 2. q. 18 a 4. ad 3. — f q. 15. — g lib. 1. in c. 1. Lucæ. — h Luc. 1. 6. — i Mat. 6. 2. — k Tob. 12. 8. — l Hom. 2. in Lucam.

mandatis Dei, & tamen sine querela non ambulet. Et quomodo potest euenire, vt in omnibus mandatis & iustificationibus Dei ambulans, sub querela sit? Cui breuiter dicam. Nisi hoc ita esset, numquam in alio loco nosceremus scriptum referri, Iustè id quod iustum est sequere. *Nisi enim esset iustum aliquid, quod non iustè sequeremur, nequaquam nobis praciperetur, vt iuste id quod iustum est sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra vana gloria sordes respergimus, vt placeamus hominibus, aut alia quacumque non placet Deo boni operis causa pracedit; quamuis faciamus praceptum Dei, tamen illud absque querela non facimus, & iniustè id quod iustum est sequimur.* Rursum [a] comparans, vt priùs dixi, Balaam & Caipham prophetantes, docénsque si quis propheta sit, prophetare; non autem si prophetes, continuò prophetam esse; confirmat similitudine iustum iudicantis, sed non iustè. Citans autem præsentem locum, *hac*, inquit, *vocula* iustè, *non frustra proposita fuit illis voculis*, quod iustum est persequeris. *Facillimum enim factu esse reor, vt ius quis persequatur; sed non iustè.* Confirmat exemplis medicinæ, & artis ædificandi, quibus præditus non dicitur qui quidpiam faciat ad alteram ex his pertinens. Affert illud quoque de faciente eleemosynam ob vanam gloriam [b]. Denique vult eamdem rationem esse, modestè quod modestum est, viriliter quod virile, sapiéter quod sapiés persequeris, & sic de aliis. Basilius [c] oportere scribit non solú iustú opus operari, sed ἀπὸ διαθέσεως δικαίας, μετὰ λόγου τῆς δικαιοσύνης *ex dispositione iusta, cum ratione iustitia*, quemadmodum contingit vt idiota medicinam apparet, sed non vt medicus, quia artem non callet. Gregorius [d], legens (*iustè quod iustum est exequeris*) *iniustè*, inquit, *quod iustum est exequitur, qui ad defensionem iustitia, non virtutis amulatione, sed amore pramij temporalis excitatur: iniustè quod iustum est exequitur, qui ipsam quam pratendit iustitiam, venundare minimè veretur. Iustè ergo iustum exequi, est in assertione iustitia eamdem ipsam iustitiam quarere.* Transcripsit hæc Rabanus. Aristoteles [e] negat iustum censeri, & temperantem, qui harum virtutum opera faciat, nisi eo modo quo iustum decet ac temperantem; exemplo grammatici, vel musici, si non ex arte, sed fortuito quidpiam ad has artes pertinens agant. Immò quæ ex virtutibus aguntur, iustè ac temperanter agi oportere ait; ita vt qui agit, quodammodo conformatus agat, seu affectus. Denique iuxta tritam parœmiam, non nominum, sed aduerbiorum remunerator est Deus [f]; nec æstimat quantum quis operetur, sed ex quanto, vt loquitur Gregorius [g], perpendens quo pacto Petrus omnia reliquisse se asseruerit [h], qui reliquerat adeò pauca. Ex dictis videtur locus noster exponi posse de circumstantiis debitis ad opus iustitiæ; de habitu, ex quo fiat; de recta intentione. Aquinas [i] tamen quærens vtrùm modus præcepti cadat sub præcepto legis, & obiiciens pro affirmante parte, modum virtutis esse, vt aliquis iustè operetur iusta, & fortiter fortia, & similiter de aliis virtutibus; respondet modum faciendi actum iustitiæ, qui cadit sub præcepto, esse, vt fiat aliquid secundùm ordinem iuris: non autem quod fiat ex habitu iustitiæ: & quantum ad legem humanam, sufficere si quis exteriùs impleat quod præcipitur, quia homo non iudicat nisi de exterioribus, siue intentio bona sit, siue mala, siue quis firmiter, & immobiliter, ac ex habitu operetur, siue non [k]. Basilius tractat illam quæstionem, an acceptum sit Deo opus præcepti non competenter iuxta rationem præcepti factum; respondétque negando; quoniam rectè offerre & diuidere simul oportet [a]; legitimè certare [b]; hoc est, cum requisitis conditionibus circumstantiísve, quas explicat: omnia honestè debent, & secundùm ordinem fieri [c], honestéque ambulandum est. Adde opera plena esse debere [d], tanquam spicas plenas [e]; & vt placentas reginæ cœli, id est, lunæ, factas [f] ab idololatris, Hebraicè כַּוָּנִים *chauanim*, quasi dicas, vt placet R. Dauid, attentè, feruenter, solerter factas, à כון *chiuuen intendere*, &c. quas LXX. retento nomine, χαυῶνας (*panes oleo admixto subactos* [g], vel *olera assa*) dixerũt; alij χαυῶνας (cuius non extat vsus aut notio) aut πόπανα (*placentas latas, tenues, orbiculares*, quarum vsus in sacrificiis [h]) & Hieronymus interpretatur præparationes: item necessarium esse, discere bene facere [i], quod Basilius [k] per textus nostri verba declarat: rectè diligere, vt in Cantico [l] Canticorum quidam legunt; vel vt rectitudo ipsa diligat εὐθύτης, pro eo quod legimus (*recti;*) sancta sanctè, mystica mysticè tractare, quemadmodum loquitur Nazianzenus [m], Cyprianus [n]. Vltimus citat ex Salomone, id est, ex libro Sapientiæ [o], *qui custodierint iustè iusta, iustificabuntur*; quod est etiam rectè iudicare, & iustè proximo; vt ibidem docui, & c.6. [p] atque Leuitici 19. [q] In catena Græca m.s. citantur Theodoretus, Seuerus, Origenes, Cyrillus Alexand. eadem ferè docentes. Explicat Seuerus γοῦν δίκαιος δι' αὐτὸ τὸ καλὸν *esse iustus ob ipsummet honestum*: Origenes in Threnos cùm quis ὑγιοῦς διαθέσεως operatur sana dispositione & intentione vt Ioseph castus: contra verò quando mala, vt propter vanam gloriam; nec prætextu boni & ignoranter peiora facit, vt Paulus persequens Ecclesiam; nec id quod iniustum est, iniqua electione. Rickelius cum Aquinate infert peccare mortaliter in mortali peccato ministeria sacra exercentes. Philo [r] & Dionysius [s] eumdem hunc locum nostrum vsurpant. Prior inde probat iudici in exequenda iustitia iniustitiam inesse posse; malum officia quædam facere inofficiosè; ebriosum ac furentem quædam interdum sobria loqui facerèque, sed non mente sobria; pueros admodum infantulos multa tum dicere, tum agere, quæ ratione præditi, sæpe quod fieri debet, non fieri vt debet, & quod non officium, interdum officiosè, & inofficiosum officiosè: prudentiam callidè, temperantiam sordide, illiberalitérque: fortitudinem temerariè, pietatem superstitiosè, inscienter scientiam virtutis nullam tractandam esse, sed cognatis eius, non aduersis operibus. Si quis aspersionibus purificationibúsque vtens, mentem sordidet; si diues templum construat, ornétque, ac hecatombas indesinenter immolet, vitia consectans, iusta iustè non exequi. Posterior Demophilum monachum reprehendens, quòd functioni sacræ manum admouisset exemplis Oziæ [t], & Saülis [u] sacrificantium, filiorum Sceuæ [x], eorum qui cùm virtutes multas fecerint in Christi nomine audituri sunt [y], *nescio vos*, vel qui non missi currebant [z]: impij, qui vitulum immolans; perinde facit ac si canem immolaret [aa]: deniq; docens nefas esse quæ bona sũt & iusta μὴ κατ' ἀξίαν διώκειν *non secundùm dignitatem persequi*, cõcludit iusta iustè tractãda, iustè vnicuiq; tribuendo pro dignitate, & quemque hoc tractare debere, quod non sit παρὰ τὴν ἑαυτοῦ ἀξίαν ἢ τάξιν *prater suam dignitatem vel ordinem.* Non Hierosolymis fuisse, sed Ierosolymis benè vixisse laudandum

a Tom. 30. in Ioan.
b Mat. 6. 3.
c hom. in ps. 14.
d 9. moral. c. 13. vel 19.
e 2. ethic. c. 4. vel 3.
f Gerson to. 2. dialo. Franc. & Angli. ex Bernardo.
g hom. 5. in Euang.
h Mat. 19. 27.
i 1. 2. q. 100. a. 9. in corp. & ad 1.
k 2. de bap. quæst. vlt.

a Gen. 4. 7. secund. Lxx.
b 2. Tim. 2. 5.
c 1. Cor. 14. 40.
d Apoc. 3. 2.
e Gen. 41. 5. 22.
f Ier. 7. 18.
g Suidas.
h Idem.
i Esa. 1. 17.
k Ibidem.
l c. 1. 4.
m orat. 1. de theol.
n de singul. cleric.
o c. 6. 11.
p vers. 5.
q vers. 15.
r lib. de officio iudicis, & 2. allego.
s & de Cherub. & quòd deterius potiori insidiatur.
s epist. 8. ad Demophilum.
t 4. Reg. 15. 2. Paral. 26. 16. & seqq.
u 1. Reg. 13. 9. & seqq.
x actuum 19. 14. & seqq.
y Mat. 7. 22. & seqq.
z Ier. 23. 21.
aa Esa. 66. 3.

a Epist. 13. b alicubi. c in Ps. 34.

dum scribit Hieronymus [a]. Nazianzenus [b] negat pictoris nomen habere, qui multa pingat, sed qui bene. Augustinus [c] ait quidquid egerit quis, si benè agat, Deum sic laudare.

Explanatio. d 9. moral. c. 13. vel 19. e Ps. 33.15. f ibidem.

Iustè quod iustum est persequeris.] Legit Gregorius [d] (*exequeris*) alij (*prosequeris.*) Sed vis maior inest in verbo (*persequeris*) indicante vehemens studium & curam; sicut in Psalmo [e] *inquire pacem, & persequere eam*, vt aliàs [f] notatum est. Indicari præterea volunt aliqui perseuerantiam cum humilitate, quæ inde oritur, quòd de illa dubij sumus. Geminat editio Hebræa & Chaldæa idem nomen substantiuũ צֶדֶק צֶדֶק *tsedek tsedek* קוּשְׁטָא קוּשְׁטָא *kustha kustha*, *iustitiam iustitiam*, id est, ipsam iustitiam omnino, & nihil aliud nisi quod iustum est, & quidem maximè iustum; puram & solam iustitiã, non accipiendo scilicet personas, non munera, &c. siue absoluas, siue condemnes. Vertunt Vatablus & apostata Munsterus *iustitiam iustitia sequeris*; plures priore modo, iuxta quem Caietanus obseruat distributionem omnia comprehendentem. *Quemadmodum enim*, inquit, *dicendo* die die, *intelligunt quotidie; &* vir vir *singulos viros; &* tribus tribus, *per singulas tribus; ita dicendo* iustitiam iustitiam sequeris, *intelligunt quod de iustitia in iustitiam absque lassitudine procedant, quod in singulis causis, nulla prætermissa, iustitiam sequantur.*

Iusta vt iustè persequenda.

Cauendus nimius rigor.

g Eccl. 7.17.

Cauendum tamen, vt non sit summum ius iniuria: nec sit quis iustus multùm (Arabicè nimis) plúsque sapiat, quàm necesse est; ne obstupescat [g], sed locum det τῇ ἐπιεικείᾳ, hoc est, *æquitati* ac benignitati iuris, quod ipsum est iustè agere ac iudicare. Vtitur eodem loco Origenes citatus in catenam, s. ex epistola ad Photium, & Andream presbyteros, vt probet moderatè versandum circa sermones iustitiæ, & circa inquisitionem veritatis πανταχόθεν περιπεφραγμένους καὶ εἴσω τῶν ὅρων τῆς δικαιοσύνης ἑσταμένους *vndequaque circumseptos, & intra terminos iustitia consistentes.* Lege commentarium Ecclesiastæ. Cui adde ex illo Pinedæ nostri, iustum sumendo pro misericordi, iustitiámque pro misericordia, vt non rarò fit in Scriptura, vitandam nimiam clementiam, seu vitium id pusilli animi, quod infra illam, scribit Seneca [h] vocari à plerisque bonitatem. Quo sensu Plutarchum [i] citat Pineda, tradentem Deæ Manæ Genetæ immolatum canem, ac voto petitam, ne quis domi natorum canum bonus fieret, hoc est, placidus, sed iracundus, terribilísque, non χρηστὸς, sed χαλεπὸς καὶ φοβερός. Plinium [k], nihil minùs expedire, quàm agrum optimè colere: Homerum [l], quòd

h 2. de clemen. c. 4. i quæst. Ro. in 52. k lib. 18. c. 6. l Apud Plutar. de Homero.

Est etiam nimio coniuncta molestia somno.

Indicare Iustitias & iniquitates. m Ps. 74.3. n Ps. 57.2. o Ps. 51.2.

Iustitias iudicare [m], est iustè iudicare; ac verè iustitiam loquentes, recta etiam, id est, rectè iudicare debere [n]. Sic enim iudicare iniquitatem [o], est iniquè iudicare, facies peccatorum sumendo.

Viuendi & vita verba.

Vt viuas.] Græcè in plurali, quamuis præcesserit singularis numerus ἵνα ζῆτε. Viuere ac vita sumuntur aliquoties vt habent anteam prosperã & iucundam vitam; interdum etiam æternæ beatitudinis; quod exemplis non semel alibi demonstraui. Hanc merentur opera iustitiæ facta cum gratia: tamen priorem ferè promittebat lex vetus, quemadmodum obseruat hoc etiam loco Abulensis prolatis Leuitici [p] verbis, de quibus & nos alibi egimus; *custodite leges meas, atque iudicia mea, quæ faciens homo viuet in eis.* Notat præterea interdum in eadem lege vetere proponi præmia æterna, & temporalia in noua, ne quis credat illius legis obseruatoribus temporalia sola, istius æterna tantùm proposita. Denique ait particulam (*vt*) hic accipi, non causaliter, sed consecutiuè, licitum tamen est ac honestum viam mandatorum currere & facere iustificationes Dei, cùm dilatat Deus cor, & propter retributionem [a]. Memineris porrò, iustitias ipsas, cùm tempus acceperit Deus, iudicandas [b]; quod alibi [c] à me declaratum, confert non parum præsenti loco, quoad præcedens membrum. Considera iustitias nostras quasi pannum menstruatæ [d] esse, si per se, ac exactè diiudicentur gratia præcisa, & vt ex solo naturæ lapsæ libero, sed vitiato arbitrio, procedentes; quemadmodum obseruatum est à Macario [e]. Quãquam Esaiæ verba illa pertineant ad Iudæos adhuc post Christum iudaizantes; non ad Christianos; quorum, si gratia præsertim præditi sint, aut etiam auxilio gratiæ adiuti, opera iusta esse possunt; nec omnia sunt peccata, vt eo loco abutentes inferunt Hæretici; sed vitam beatam mereri valent.

p c. 18.5. Rom. 10.5.

a Ps. 118. 32.112. b Ps. 74.3. c ibidem. d Esa. 64.6. e hom. 20.

Et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.] Crebrò id repetitum vidimus; vt meminissent Hebræi, quare tamdiu peregrinati fuissent in deserto, ac tam multi ex egressis Ægyptum, in eodem periissent, tantóque tempore dilata promissæ terræ possessio esset. Nam & eadem de causa postea in captiuitatem abactæ sunt decem tribus, quæ nomine communi denominabantur ab Israel; deinde reliquæ duæ Iuda & Beniamin, quia nimirum præuaricatæ fuerunt fœdus, legem, præceptum Dei: quæ cùm seruarent in dicta promissa terra habitabant absque vllo terrore, ac nullo persequente. Hic autem, vt & alibi aliquoties, præsentis temporis Græcum verbum est δίδωσι *dat*: participium Hebræum נֹתֵן *nothen*, & Chaldæum יָהֵיב *taheb*, quod caponi potest per omnia tempora. Certitudo autem promissi facit vt datum, darique quidpiam dici queat, quod adhuc dandum est: quòd sæpiùs admonui.

Vers. 21.] Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.

Vers. 22.] Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

Paraphr.

Hic, deincépsque sequenti capite videntur ea cõtineri quę pręstari debeãt à iudicibus, quos constitui oportere antea vidimus, maxime verò circa cultum Dei, atque contrariam ei idololatriã; nominatim in hoc textu eam quæ deferebatur Priapo, diísve similibus in lucis, syluísve, ac in arboribus, vbi obscœna sacrificia, & actiones exercebantur: aut in statuis siue simulacris, imaginibus, idolis ad honorem deorum; quæ omnia non poterant non odio esse atque abominationi & execrationi vni ac soli vero Deo. In c. 7. [f] vidimus imperatum vt aræ Gentilium subuerterentur, confringerentur statuæ, luci succiderentur, sculptilia comburerentur in c. 12. [g] vt subuerterentur omnia loca, in quibus coluissent gentes, quas possessuri erant, Deos suos, super montes excelsos,

f vers. 5.25. g vers. 2.3.

& fobter omne lignum frondofnm: vt diffiparentur aræ, confringerentur ftatuæ, luci comburerentur, idola communerentur, difperderentur nomina eotum de locis illis. In Exodi c. 34.[a] *aras eorum deftrue, confringe ftatuas, lucofque fuccide.* Dicta illis in capitibus Deureronomij prioribus telegantur, & confulantnr. Quod enim ibi euerti iubetur, vetatur hic excitari, & conftrui. Ex præceptis negatiuis Hebtæi eatalogi quadragefimum qoartum eft; non plantandam atbotem in fanctuario: nec referre vttùm arbor illa fit fterilis, aut fructuofa. Idololatræ, vt dixi, notátque Aquinas [b], confueuerant fub atboribos facrificare ptopter amœnitatem, & vmhrofitatem. Quod eùm ex plutibus aliis, tum ex Ofea [c] liquet, qui meminit facrificatum fuper capita montium, fupet colles accenfum thymiama, fubtus quercum & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius, videlicet ad exequendas etiam carnales voluptates, atque ad liberius excipienda dæmonum refponfa; qnotum peculiares peculiaribus eoli atboribus appetebant, vt alibi dictum eft. Caietanos coniungens initium fequentis capitis cum ifto textu tanquam ad idem eapot pertinens, notat inferi præcepta hæc inter tractandum de iudicibus, ne illotom auctoritate permittatur arbotum plantatio prope altare Dei: & vt fimile crimen intelligatur ea plantatio, erectióque ftatuæ, & offerte animal habens macuiá; fi nimitū idololatriæ more plantatio illa heret ad eelebtanda conuiuia. Excufabatur autem, inquit, fortè facrificatio in excelfis à tanto, quanuis non à toto; quia non plantabant ipfi arbores apud altare, fed iuxta inuentas altaria conftruebant. Rabanus poft Ifidorum, & Bedam, póftque iftos Gloffa, myfticè lucom, fiue nemus, arborémque plantari vetitum docent iuxta altare Dei, quatenus de atboribus frondentibus & infructuofis intelligitur ad folam delectationem plantatis, de Gentilibus interpreratur, qui rationem fuam verborum decore compónunt, vt non eonuertantur à vitiis, fed delectentur, atque iftiufmodi feductione perfuadeant: nos non plantare fi circa Dominieam fidem nihil in verbis infructuofum, nihil audientiæ fæcolaris illecebrofum componimus: fed fola puritate veritatis fciéntiam prædicationis tenemus: Paulum illud vetuiffe ac vitaffe cùm dicebat [d]; *loquimur non in doctis humanæ fapientiæ verbis, fed in doctrina fpiritus & virtute.* Addit Gloffa vetari iuxta altare fidei infructuofitatem otiofi fermonis vel prauorum operum, & obfcuritatem ignorantiæ: nec permitti fictionem falfitatis vel ettoris veritati eatholicæ fociare. Item excludi luxuriæ vitium, quod exercebatur prope altaria idolorum: & per hoc fignificari quòd facerdotes noui Teftamenti, qoi accedūt ad altare Chrifti, & eorum miniftri, mundi debent effe & cafti. Gregorius petens à Leandro cui libros moralium dicat, vt verborum folia non requitat, rationem dat, quia per facra eloquia ab eorum tractatoribus infructuofæ loquacitatis leuitas ftudiosè cōpefcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur: & quoties in foliis malè lætæ fegetis culmi proficiunt, minori plenitudine fpicarum grana turgefcunt. Cui fententiæ, vt id obiter dicam, admodum fimilis eft antiquioris Gregorio Profpeti [f]. Quærit [g] Philo, cur cùm fas, piumque fit, imitati opera Dei, qui paradifum plentauit in Eden [h], verentur Hehræi plantare lucum apud facrarium πρὸς τῷ θυσιαστηρίῳ. Refpondet decens effe Deo plantare & ædificare virtutes in anima; mentem verò fui amantem & impiam cùm velit videri æqualis Deo dum fe facere putat, reuera pati; cùm Deus feminat & plantat in anima quidquid boneftum eft, mentem. fi dicat, ego planto, impiè facere; fi & plantas in anima ponat mens διάνοια, fructiferas plantare omnes debere, non lucum καρποτόκα, ἀλλὰ μὴ ἄλσος: in luco enim tam fylueftres, quàm mites effe arbores καὶ ἀγρίας ὕλας καὶ ἡμέρα δένδρα: vitium fterile in anima, cum miri fructiferáque plantare virtute, lepræ effe biformis & confufæ proprium, λέπρας τῆς διφυοῦς, καὶ μιγάδος οἰκεῖον, &c. Deinde vim faciens in Græca phrafi οὐ φυτεύσεις ἑαυτῷ (melius σεαυτῷ) notat, necnon & quod hîc fubditur (*non facies tibi*) & aliis in locis eodem modo, neminem operari Deo vilia, quíqoe de illo faifa fentiat, fibi ipfi iniotiam facere, non Deo fuammet animam implere opinione falfa & impia ψευδέσι καὶ ἀθέοις δόξαις: quanuis non plantemus quid infructiferom, fed arborem cibo vtilem ξύλον βρώσιμον porgari oportere præputium eius τὴν ἀκροβυστίαν αὐτοῦ (de qua re in Leuitico [a]) id eft, arrogantiam feu propriam de feipfo opinimem οἴησιν. Hieronymus obferuat ab Ofea [b], quem antea protuli, reprehendi ab Hebræis eos qui fub arbotibus infructuofis adorabant idola, ficum & vineam non habentes, fub quibus fanctus requiefcere [d] dicitur. Notat præterea in lege præceptum, vt non facrificetur Domino, nifi in loco quem elegerit[e]) & ioxta altare lucus & arbores nō plantentur; ne fcilicet paffiua (fic loquitur) & voluptuofa religio aufteritatem vnius & veræ religionis euertat. Quas Ofeas oominat quercum, popolum, terebinthum vel fructum nollum, vel glandes porcinum ferunt cibum, vt quercus antipathiam habens eom olea, id eft, com Dei mifericordia; ficut populus Herculi dicata fymbolum eft iracundiæ. Reuelauit Chriftus condenfa [f] hæc, quibus lux impediebatur diuina, & fub quibus latebant feræ dæmonum, idolorúmque, principum fæculi, falforum doctorum, hærefiarcharum: ac tanquam malus inter ligna fyluarum [g] requieuit fructum ferens in tempore fuo, atque in cunctis profperatus [h]. Sed miffis interim myfteriis, conftat ex iis quæ aliàs dixi, habitos lucos apud Gentiles facros (teftis Seneca [i] aliíque) vt illom in Auentino

[k] *Lucus Auentino fuberat niger ilicis vmbra,*
Quo poffis vifo dicere, numen ineft.

Et alius in Babylone, iudicatus, vt placet nonnullis [l], in Pfalmo [m]; *in falicibus in medio eius* (nempe Babylonis) *fufpendimus organa noftra.* Quamuis fere femper non vrbani, fed rurales luci tales erant, confiti è regione vrbium aut villarum, idque præfertim ad montes colléfve: quod per æmulationem diabolicam ortum videtur à patriarchis Abraham [n], & Iacob [o], ac Iofue [p], & Gedeon [q] in vfum facrum, fepulturæ, inaugurationis principum; immò & à Deo ipfo, qui paradifum voluptatis inftar luci ac templi videtur plantaffe, in quo primus homo tanquam non folùm cuftos, fed etiam velut facerdos operaretur [r], id eft, facrificaret, vt ratiocinatur Pineda [f] nofter, multa differens & eruditè de hoc argumento: fimul oftendēs ad præcidendam idololatriæ occafionem inhibitam luci plantationem iuxta altare feu locum in quo id effet; eaque de caufa quem Salomon iam idololatra plantauerat, pium regem Iofiam fuccidiffe [t]. Quod fcribitur in libro Iofue [u], ab eo lapidem prægrandem pofitum fubter quercum, quæ erat in fanctuario Domini, feu erectum

a verf. 13.
b 2.2.q.102. a.4.ad 7.
c c.4.13.
d 1. Cor. 2. 13.
Cur folia verborū nō quærenda.
e Præfa. in lib. moral. c.vlt.
f 3. de vita contempl. c.vlt.
g 1. allego. legis.
h Gen. 16.
a c.19.33.
b in Ofeæ 4.
c c.4.13.
d 3. Reg. 4. 25 lib. 4. 18. 31 Efa. 36. 16. Mich. 4. 4 Zach. 3. 10. 1. Mach. 14. 12.
e Deut. 12. 10.
Populus Herculi dicata fignum iracundiæ.
f Pf. 28. 9
g Cant. 2. 3.
h Pf. 1. 3.
i Epift. 41.
k Ouid. 3. fafto.
Luci apud Gentiles facri.
l Campēfis in Pf. 136. 3.
m Pf. 136. 3.
n Gen. 21. 33.
o c. 35. 8.
p Iofue 24. 26.
q Iudic. 6. 11. 19. c. 9. 6.
r Gen. 2. 15.
f 7. de reb. Salom. c. 10.
t 4 Reg. 23. 7. 14.
u c. 24. 26.

ctum statutum, nempe in morem statuæ, quamuis figura formáque informi, rudi, impolita, vt indicat Augustinus [a]; sed incisa fœderis inscriptione cum Deo, vt [b] Chaldæa paraphrasis exprimit: quæ quercus eadem dicitur in qua consedit Abram, & altare ædificauit [c], Iacob idola infodit [d]. Serarius [e] noster annotat; non esse factum contra id quod hoc loco prohibetur. Nam etsi non solùm plantari nemus non poterat siue lucus, sed, quod malè quidam ab Abulense [f] confutati, negant, si plantatus esset, relinqui nequibat; quia vtrouis modo idololatriæ præbebatur ansa, vt [g] Philo demonstrat, quod non minùs verum est si ad tempus dumtaxat figeretur tabernaculum, contrà quàm existimet Abulensis; seruanda enim vbique ac semper iniuncta mandata: sola illa arbor, non nemus, vt Franciscus tamen sensit Mouceius [h], erat; prohibetur autem non vnius vel alterius arboris in subdiali & patente tabernaculi atrio status, maxime si antea iã ibi fuerat, eiúsque constet rectum ac simplicem vsum esse, qualis annosa illa quercus a tot tantísque rebus à tot ac tantis Patriarchis nobilitata, & suo aspectu ad eorum imitationem atque ad veram excitans religionem. Addit Serarius; cùm hic vetatur & luci plantatio, & omnis arboris, appositiuè hæc accipienda; nec vetari vt membrum à luco distinctum, sed omnem arborem quæ sit pars luci, siue lucum ex quouis arborum genere, lucum verò non esse vnam aut alteram arborem. Confirmar; quia in editione Hebræa, & Græca (idé verò est de Chaldæa) videtur hoc indicari; siquidem coniungentem particulam non habent, & ex Hebræa Chaldæáque potest verti (*non plantabis lucum omnis ligni arborisve*) hoc est, ex quocumque arborum genere sit. אֲשֵׁרָה כָּל־עֵץ *ascerah chol hhetz*, אֲשֵׁירָה כָּל אִילָן *ascerath chol ilan*. Sic etiam transtulit Vatablus, & apostata Munsterus: atque probabile id est, fauéntque qui ex Hebræo transferunt, ac Ioannes Benedictus: sic posset explicari editio nostra *non plantabis lucum, & omnem arborem*) hoc est, nec lucum, nec arborem pertinentẽ ad lucum. Quæ tamen expositio durior est: cum Græco autem etiam textu non satis congruit (*οὐ φυτεύσεις σεαυτῷ ἄλσος. πᾶν ξύλον παρὰ τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ σου οὐ ποιήσεις σεαυτῷ non plantabis tibi lucum. omne lignum apud altare Dei non facies tibi.*) Vbi vt separata, distinctáque periodus inchoatur post ἄλσος: & Patres, quos nuper produximus, videntur singulas per se arbores præcepto isto comprehendere: & certum est ad superstitiones vsos Ethnicos, non lucis dumtaxat, seu nemoribus integris, verùm etiam particularibus arboribus, vt ex Plinio [i] colligitur, aliísque. Non solùm prohibetur lucus, ait hoc loco Abulensis, qui est densitas arborum, sed etiam vna sola arbor, quia vtrobique idololatriæ suspicio est. Augustinus [k] inter superstitiosos ritus, quos Christiani retinebant, reprehendit vota reddere ad arbores. Attamen ratio peculiaris fuit, cur celebris illa quercus retineretur, quamdiu errandi periculum non fuit: quemadmodum serpens æneus, quem excitauerit, Deo iubente, Moses [l], ob eiusdmodi periculum, comminutus est ab Ecclesia [m]. In vniuersum verò, potiores, ac plures causæ de luco vetando fuerunt. Lucus, ait Philo [n], nullus est intra ambitum templi, quia lex id multis de causis vetuit: Primò, quoniam verum templum non amœnitates postulat, *ἡδονὴν καὶ τέρψιν ψυχαγωγόν*: sed seueram castimoniam, *αὐστηρὰν ἁγνείαν*: deinde quia non est fas importare quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est, brutorum excrementa, & hominum: tertiò, quia syluestris materiæ nullus est vsus, cùm sit, vt Poetæ loquuntur, telluris inutile pondus *ἄχθος γῆς*: mitiores verò arbores, quæ mites fructus ferunt, parum cordatos a religione retraherent: præterea condensa syluarum maleficis conueniunt, ex latebris securitatem & insidiarum occasionem quærentibus, at aperta loca & propatula, prospectúmque introgressorum, & obambulantium laré admittentia, sacris sunt aptissima. Magalianus [a] quoque noster quod attinet ad id quod dictum est de Iosue, ait nullum ibi censeri lignum, nedum syluam, neque plantam, quam fortè natura seuisset, deligi; sed simplici animo lapidem erigi à Iosue, apud eam ilicem, siue quercum, apud quam præsentiam suam Deus Abrahamo primùm ostenderat in terra Chanaan. Quidquid sit de Iosue, cultas ab Ethnicis arbores, peculiarésque peculiaribus diis dicatas, de quibus Alex. [b] ab Alex. & Antonius [c] Beatillus noster post eum, narrans post Methodium, Claudium Rotam, Petrum de Natalibus [d], Robertum Caracciolum, Baptistam [e] Mãtuanum, à S. Nicolao excisam annosam, & proceram quercum quam dæmones sæuissimi inhabitabant. Extat verò canon 15. Concilij Carthag. V. anno 398. quo petitur ab Imperatoribus, vt reliquiæ idololatriæ non solùm in simulachris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arborib. omnimodo deleantur. Exemplum colentium arbores leges in theatro [f] vitæ humanæ.

Non plantabis lucum.] Secundùm editiones alias (*non plantabis tibi.*) de hoc nomine luci dictum c. 7. [g] nec non de nemore, quo vtitur Gregorius [h] allegans hunc locum, saltu, sylua, &c. hicque annotat Caietani scholiastes Fonseca etymon ab antiphrasi lucis; vel a luca Hetrusca voce, quæ senem significet, ita vt designet Senatorium locum, curiámve Senatoriam, iuxta illud

[i] *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis;*
Vrbe fuit summa Laurentis regia Pici:
Horrendum syluis, & religione parentum.
Hic sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum;
Hæc sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro.

Et omnem arborem.] Monui deesse (&) in editionibus aliis, atque nonnullos exponere prohibitionem non de omni arbore, sed de luco ex omni genere arborum tum syluestrium, tum fructiferarum. Lignum Hebraicè, Græcéque habetur, עֵץ *hhets*, & *ξύλον*, *quod vsurpari solet pro arbore*: Chaldaicè אִילָן *ilan*, quod est ex Hebræo nomine אֵילוֹן *allon*, estátque in citato Iosue [k] loco אַלָּה *allah*, & redditur genericè arbor, ac propterea terebinthus, ilex, pinus, abies, vlmus, castanea, quercus: quod nomen vltimum ibi editio nostra habet, Græca *τερέβινθον terebinthum*, vt legit etiam Augustinus [l]. Inhibitam plantationem non tantùm luci, vt volebat Serarius; sed etiam cuiusuis arboris, tã fructiferæ, quàm syluestris, antea docui cum Philone.

Iuxta altare Domini Dei tui.] Græcè in Sixtinis bibliis omittitur nomen Domini: in aliis exprimitur, & à Philone [m]: apud quem legitur in datiuo, *παρὰ τῷ θυσιαστηρίῳ*: cùm hic sit *παρὰ τὸ θυσιαστήριον*, in accusatiuo. Eodem non semel nominato Iosue loco quercus fuisse scribitur, siue terebinthus, *in sanctuario Domini* בְּמִקְדַּשׁ יְהוָה *bemikdas Iehouah, in domo sanctuarij Domini* בְּבֵית מִקְדַּשׁ יְהוָה *be-*

FFf 4 *uesh*

a ibid. q. 30.
b ibid.
c Gen. 12. 7.
d c. 35. 4.
e in Iosue 24. q. 7.
f ibidem.
g 2. de monarch.
h 1. de vitulo c. 11.
i lib. 12. c. 1.
k ser. 215. de tẽpore.
l Num. c. 21. 8 9.
m 4. Reg. 18 4.
n 2. de monarch.
Lucus nullus nec arbor intra ambitum templi.
a in Iosue 24. sect. 1. in explic. text. num. 15.
b li. 4. c. 17.
c 3. de vita S. Nicol. c. 4.
d li. 1. c. 33.
e 12. fasto.
f volu. 17. lib. 2. pag. 3112.
Explanatio.
g a. vers. 5.
h præfa in lib moral. c. vii.
Luci etymõ.
i 7. Æne.
Lignum pro arbore.
k c. 24. 26.
l ibid. q. 30.
m 1. allego. legis.

ueth mak.deſcia da Iehouah, quæ erat coram Domino τὴν ἀπέναντι κυρίου. Præpoſitio ב *be*, *in*, valet idem aliquando quod (*iuxta*) & altaris locus cenſebatur eſſe coram Domino; ibíque ipſe peculiari modo aſſiſtere, vt crebrò monſtratum eſt.

Non facies tibi, neque conſtitues ſtatuam.] Statuas pluraliter habet Lyrani textus, & Hugonis: ſed lectio noſtra conuenit cum reliquis editionibus. In Hebræo & Chaldæo textu negatio non eſt, ſed relatiuum pronomẽ, iunguntúrque dictiones duæ poſt illud, cum præcedentibus, hoc pacto, ſupplendo prius verbum cum negatione *non plantabis* (*non plantabis tibi lucum*) *omne lignum ſeu arborem* (nempe, *& non plantabis*) *iuxta altare Domini Dei*, *quod facies tibi* אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה לָּךְ *aſcer thahhaſeh lah*, דְּתַעְבֵּד לָךְ *dethhhed lach.* Græcè *πᾶν ξύλον παρὰ τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ σου ὃ ποιήσεις σεαυτῷ*: atque ita etiam recitat Philo [a], claudens, ac terminans ibi periodum: vt fit item in omnibus libris Græcis, apud quos præterea, vt & apud Hebræos, Chaldæóſque, finis imponitur verſui. Hebræa & Chaldæa editio ſignificant non plantandum lucum, nec arborem iuxta altare, quod fiat; Græca non debere lucum plantari, nec iuxta altare arborẽ facere Hebræos debere, iuxta quod, nempe altare, lucus & arbor plantari non debeat: noſtra vt non faciant ſibi, neque conſtituant ſtatuam; nectendo lucum ſimul, & omnem arborem in plantandi prohibitione. Vim porrò ab eodem Philone poni retulimus in ea formula (*non plantabis tibi, non facies tibi*) qui tamen idiotiſmus Hebræus ſæpe nihil aliud peculiare importat, quàm ſimplex formula, carens pronomine, id eſt, quàm plantare aut facere, & ſic de aliis; vt non ſemel obſeruauimus. In vltimis verbis vetatur erectio ſtatuæ, quæ vocatur Hebraicè מַצֵּבָה *mattſeuah*, Chaldaicè קָמָא *kama*, Græcè *στήλη*. Talis autem paronomaſia eſt in Chaldæo nomine, cum verbo, quòd hîc habetur תְקִים *thekim*; qualis inter Latina vocabula conſtituendi ſeu ſtatuendi, & ſtatuæ à ſtando, ſtare faciendo, erigendo: quæ ſignificatio cernitur quoque in Hebræis, licèt תָקִים *thakim*, & מַצֵּבָה *mattſeuah* non habeant paronomaſiam. Inter negatiua catalogi Hebræi præcepta de hac re iſta ſunt [b]; vt non erigatur ſtatua lapidea ad ſacrificandum ſuper eam, etiam Deo: vt non erigatur ſculptile: vt lapis figuratus non ponatur in pauimento, ne ſi quis adoret ſuper illum, ſpeciem præ ſe ferat idololatriæ. Rickelius ait vetari ne quis idolum ſibi formet vel erigat ad colendum, immò nec habeat, quia omni ſpecie mala abſtinendum eſt: per hoc tamen imagines Eccleſiæ ac Sanctorum non prohiberi. Quod rectè præcauit aduerſus hæreſes noſtri temporis, & contra vetuſtiores Iconomachos admonuit. Abutitur Conradus Pellicanus, hæreticíque alij hoc & ſimilibus locis tum in præſentis commentario, tum in aliorum, necnon in variis tractatibus. At nos non ſemel reſpondimus, próque imaginum pio, religioſo, Chriſtiano cultu citra omne idololatriæ periculum certis argumentis depugnauimus. Abulenſis notat adorationis quidem cauſa nefas fuiſſe ſtatuam, vel facere, vel factam conſtituere, ſeu ad adorandum exponere: tamen à Iacob conſtitutam ſtatuam ſuper ſepulchrum [c], ſiue titulum erectum, vbi eadem Hebræa dictio, inquit, eſt quæ hîc: quod præterea verum eſt de Chaldæa & Græca: immò & editio Hebræa paronomaſiam habet cum verbo; ſicut Chaldæa ibidem, & hîc; nempe יַצֵּב מַצֵּבָה *iatſeb mattſeuah* אֲקִים קָמְתָא *akem kamtha*. Philo [d] præcipi notat, ponderans quoque pronomen, vt non ſtatuat ſibi quis ſtatuam *ὃ τύποις σεαυτῷ στήλην*: quia nihil humanum verè ſtat, etiamſi crepuerint qui reclamant, mentientes *κἂν διαρραγῶσί τινες ψευδόμενοι*: putant enim ſe non tantùm ſtare firmiter, verùm etiam dignos eſſe honoribus ac titulis, obliti eius qui ſolus verè ſtat, & ſolus honorari debet *τοῦ μόνου τιμῆς ἀξίου, καὶ ἑστῶτος ὄντως ὁμολογουμένου.* Verùm ſine dubio vetatur erectio ſtatuæ in vſum adorationis alicuius numinis, nõ autem ad proprium nomen ſuum celebrandum: nec ſtatuere ſibi ſtatuam vt antè dixi, aliud eſt, quàm ſimpliciter ſtatuere, nulla pronominis habita ratione in hoc Hebræo idiotiſmo. Statua magis propriè ſimulacrum eſt ex ære, alióve metallo; imago, ſimulacrum, ſignum, ex marmore aliáve materia. Sed confunduntur vocabula. Significat *στήλη* lapidem aut æs è terra extans ſeu munitionis gratia, ſeu ſigni erectum, quadrata vel alia figura, cippum, columnámve, aut in ſepulchris, aut in qua inſcribitur fœdus, aliquídve aliud poſteritati mandandum; & à Plinio [a] etiam *ſtele* nominatur. Dicitur etiam *στῦλος columna*, idem quod *κίων*: ſed frequentiùs in ædificiis & machinis ad fulciendum & ſuſtinendum. Poſtremò מַצֵּבָה *mattſeuah* non ſolùm lapis eſt ad adorandum erectus, aut in titulum ſepulchri; vt R. Kimhi voluit; ſed ſumitur etiam pro omni eo quod memoriæ cauſa, vel ad cuiuſpiam ſignificationem rei erigitur ſtatuitúrque. Lege Leuitici [b] commentarium, vbi eſt, *non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis; nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum.* Eo loco pro titulis ponitur numero ſingulari מַצֵּבָה *mattſeuah*, קָמָא *kama*, *στήλην*: plura verò dicta ſunt de omnium illarum rerum inhibitione. Ibidem item dixi (*non facietis vobis*) nihil amplius videri ſignificare, quàm (*nõ facietis.*)

Quæ odit Dominus Deus tuus.] Legunt aliqui malè (*quam*) quia Græcè eſt (*ἃ*) licet אֲשֶׁר *aſcer* & דִּי *de* vtrique numero ſeruire poſſint. Relatiuũ plurale pronomen amplectitur priora omnia prohibita, ſtatuæ conſtitutionem, arboris lucíque ad altare Domini plantationem. Græcum *ἐμίσησε* præteriti temporis eſt: participium Hebræum שָׂנֵא *ſane* (quod etiam cenſeri poteſt verbum præteritum) & Chaldæum רָחִיק *rachek* admittit omnia tempora: & vltimum importat odium cum abominatione ac execratione. Ratio pluſquam ſufficiens abſtinendi ab aliqua re, quia Domino Deo tuo non placet, odit etiam, & abominatur: vicéque verſa, quidpiam faciendi, quia ipſi placet, id amat, eo delectatur; quamuis nec præmium, nec pœnam vllam proponeret; quod inter ſinceros amicos videmus contingere. Hæc ipſa ratio repetitur aliquoties; quòd odio Deus aliquid habeat, ideóque fieri vetet [c]. Cæterùm cùm toties coniuncta legerimus nomina Domini Dei, volo hîc quid Philo [d] circa hæc annotauerit apponere. Tractãs cur dixerit [e]; *ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac, noli timere*; cauetéque iubens id *παρέργως* extra propoſitum dici; docet dixiſſe ſe Dominum Deum Abraham, Deum autem Iſaac tantùm hac de cauſa. Nam Abraham, omiſſa externa barbaráque lingua Chaldæorum, de ſiderali ſcientia ſubtiliter diſſerentium, vertit ſe ad rationali animæ conuenientem cultum creatoris rerum omnium, euiuſmodi homini duarum potẽtiarum opus eſt auxilio, principalis & beneficæ *ἡγεμονίας τε καὶ εὐεργέτιδος*, vt & imperio legibúſque Domini ſit obediens, & valde adiuuetur eius beneficentia. Alter ſola indiget gratia; nec enim caſtigatione profecit Iſaac in melius, ſeu caſtigatrice imperio *ὑπὸ νουθετούσης ἀρχῆς*: innatam habens virtutem,

a ſuprà.
Statua vnde.
b 41.42.43.
c Geneſ.35.14.20.
d de ſomnus.
Statua propriè quid.
Στήλη quid.
a li.9.c.29.
Mattſeuah quid.
b c.26.1.
c Iudith 5.21. Pſal.5.6. Pſal.30.7. Prou.6.16. Eccli 7.13. Eſa.1.14. Iere.44.4. Amos 5.21. c.6.8. Zach. 8.17.
Dominus Deus coniũctim quid denotent.
d de ſomnus.
e Gen. 28. 13.

virtutem, εὐθὺς ἀπεσπασμένος τὸ καλόν; ſed iam inde ab initio propter accepta diuinitus dona (ſcilicet etiam cum paterna inſtitutione) perfectè bonus euaſerat. Cæterùm beneficæ potentiæ χαριστικῆς δυνάμεως Deus ὁ θεὸς nomen eſt; regiæ verò Dominus, βασιλικῆς κύριος. Tum quærens, vtrùm antiquius bonum πρεσβύτερον ἀγαθὸν, an dignum haberi pura putáque beneficentia τὸ τυχεῖν ἀκράτου, καὶ ἀμιγοῦς εὐεργεσίας, vtrùm autem poſterius νεώτερον: reſpondet melius eſſe, quod & ex dominio temperatur, & ex gratia τὸ κεκραμένον ἔκ τε ἡγεμονίας, καὶ δωρεᾶς: atque id videri aſcetam τὸν ἀσκητὴν, ſiue exercitatorem mediatorémve (nempe Iacob) intellexiſſe, quando precatus eſt mirificam precem θαυμασιωτάτην εὐχὴν, vt [a] ei Dominus fieret in Deum, ἵν' αὐτῷ κύριος γένηται εἰς θεόν. Volebat enim, inquit, nō ampliùs timere vt principem, ὡς ἄρχοντα δυνάστην, ſed vt benefactorem amanter honorare ὡς εὐεργέτην τιμᾶν. Etſi verò in textu Græco citati loci ex Geneſi, extet nomen ſolum Dei tam de Abraham, quàm de Iſaac: ἐγὼ ὁ θεὸς τοῦ πατρός σου ἀβραάμ, καὶ ὁ θεὸς ἰσαάκ: tamen eo modo quē Philo recitat, habetur in editione Hebræa, & Chaldæa, vt & in noſtra. Vnde argumentari licet, Philonem proferre Scripturarum teſtimonia, Græcè conuertendo immediatè ex Hebræis codicibus, non ex tranſlatione L X X. legimus autē iam pridem priùs ab ipſomet Abram appellatum Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli & [a] terræ. Ab hero ſuo edoctus opinor Dominum quoque Deum inuocabat [b]. Sed & longè pòſt ipſemet Deus, nominauit ſeipſum Dominum Deum patrum populi ſui [c], mittens Moſem vt eum liberaret, ad ídque potentiam iungens miſericordiæ: eadémque nomina iuſſit [d] vt coram Pharaone vſurparentur. Sed fateor etiam eadem occaſione, atque aliis promiſcuè ac indifferenter occurrere aut vtrumque nomen ſimul, aut modò vnum ſeorſim, modò aliud: interdum præponi Dei nomen nomini Domini quando coniunguntur. Nec tamen Philonis negligendam duxi annotationem, quæ certo loco aut propoſito congruere poteſt, nominatim confeſſioni Thomæ [e], *Dominus meus & Deus meus*. Atque hîc terminatur c. 16. iuxta emendatiores codices: in textu autem Rabani, Lyrani, Caietani, & quorumdam bibliorum, nectitur eidem capiti ſequentis verſus primus; qua de re admonet etiam Rickelius eodem capite ſequenti. Aliquot præterea in Græcis libris idem reperi; ſed nondum in Hebræis; in quorum aliquo reperiſſe credi poteſt Rabanum, à quo Caietanus edoctus eſt, cùm tamen adhuc in Rabinicis commentariis extet illa ipſa diſtinctio qua vtimur.

a ſup. verſ. 21.

a c. 14. 18. c. 15. 2. 8.

b c. 24. 12. 27. 42.

c Exod. 4. 5. c. 6. 7.

d c. 5. 1. c. 9. 1.

e Ioan. 20. 28.

ARGV

ARGVMENTVM CAP. DECIMISEPTIMI.

PRÆSCRIBITVR isto capite iudicibus magistratibúsque modus exequendi munus suum, ac distinctè præterea iis qui essent Leuitici ordinis; tum verò regibus, si quos eligi contingeret. Nam quod attinet ad cultum Dei, cuius in primis habenda ratio; curandum dicitur, vt hostiæ deligantur integræ, perfectaque, sine vllo defectu ex illis quos Leuitici liber designauit: deinde vt idololatræ ritè conuicti, seruato iuris ordine, ac peculiariter quidem per duos, tréfve testes, damnentur, & de medio tollantur, atque lapidibus obruantur: postea, vt de dubiis circa leges, referatur ad sacerdotes ex Leuitica tribu, eúmque, qui concilio eorum præest; ac illorum stetur decreto, sub mortis interminatione, ad exemplum: tandem, vt si regem aliquando eligere oportuerit, is ex Hebræa gente sit; caueátque, ne multiplicet equos, vxores, opes: descriptum verò Deuteronomium, siue legis exemplar legat assiduè: nec sese supra cæteros efferat superbiùs.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

1. NOn immolabis Domino Deo tuo ouem, & bouem, in quo est macula, aut quippiam vitij: quia abominatio est Domino Deo tuo.

2. Cùm reperti fuerint apud te, intra vnâ portarum tuarũ quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius,

3. Vt vadant & seruiant diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi:

4. Et hoc tibi fuerit nunciatum, audiénsque inquisieris diligenter, & verum esse reperens, & abominatio facta est in Israël:

5. Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.

6. In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, vno contrà se dicente testimonium.

7. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui.

8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

9. Veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæréfque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.

10. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te

11. Iuxta legem eius: sequerísque sententiam eorum: nec declinabis ad dexterã, neque ad sinistram.

12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël:

13. Cunctúsque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.

14. Cùm ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueríſque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes.

15. Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

16. Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquam ampliùs per eandem viam reuertamini.

17. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immensa pondera.

18. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus,

19. Et

19. Et habebit ſecum, legétque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.

20. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſraël.

Verſ. 1.] Non immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem, in quo eſt macula, aut quippiam vitij: quia abominatio eſt Domino Deo tuo.

Paraphr. a c.22 21. & ſeqq. b v.21.

PErſpicua, planáque ſententia iſtius præcepti eſt, de qua fuſiùs actum in Leuitico [a], partímque in c. 15 [b]. libri præſentis; recenſitis, ac declaratis defectibus hoſtiæ immolatitiæ, ſiue ad neceſſarium ſacrificium pertineret, ſiue ad ſpontaneum, & votiuum. Nam in ſimplici abſolutáque oblatione animalis quod comedi poterat, vel vẽdi, vel ad quemuis alium vſum applicari, excepta immolatione, non erat neceſſarius delectus, maculæve ac defectus carentia: ſicut in priore caſu, in quo contemneretur Deus, & ad abominationem quodámodo prouocaretur offerendo in ipſius honorem id quod eſſet vilius ac imperfectius. Abominatur Deus qui nihil odit eorum quæ fecit [c], non modò idololatriæ peccatum, vt aliquoties antea [d] vidimus, aut alia carnalia [e]; verùm etiam id quod in ſuo alioqui vero cultu cõmittitur. Omnem maculam intelligit Rabanus omne peccatum; quod vbicumque fuerit inuentum, deformitatem parit, ſiue in boue, id eſt, in fortiter operante, ſiue in oue, hoc eſt, in eo qui ambulat in ſimplicitate. Id Gloſſa quoque interlinearis attingit. Hugo etiam bouem interpretatur fortem in opere; in oue ſimplicem intentionem: maculam in oue fatuitatem in ſimplicitate: in boue prauam intentionem in opere: ideò requiri prudentiam ſerpentis cum columbæ ſimplicitate [f]. Rickelius inuehitur in eos qui ſi habuerint, inquit, aliquam prolem monſtroſam, deformem, atque ad mundum prorſus inutilem, hanc offerunt, vel potiùs exponunt Deo in clauſtro; non tamen ex vera deuotione; ſed magis ex cupiditate, vel elatione. Sobolem verò ſæculo aptam, non ſolùm non offerunt Deo; immò potiùs à religionis ingreſſu impediunt, aut ingreſſam pro viribus retrahunt; idcirco Ingrati ſunt Deo, ac impij. Poteſt id extendi ad alia opera, & huiuſmodi tropologiam alibi proſecuti ſumus.

c Sapien.10. 25. d c.7. 25. 26. e 12.31. c.13.14. *Macula pro peccato.* e Leuit. 18. 22.26.29. f Matth.10. 16.

Explanatio. *Non immolabis Domino Deo tuo.*] Immolare ſeu ſacrificare conuenit propriè ſoli ſacerdoti: aliquo tamen etiam pacto ei qui victimam immolandam defert. Vtrumque attingit hoc præceptũ; ſed ſummum de iſta re iudicium ad ſacerdotem pertinebat. De nominibus Domini Dei coniunctis diſſerui ſub finem capitis prioris ex Philone [g]: quamuis illa ipſius annotatio non vbique habet locum.

g lib. de ſomnis.

Ouem & bouem.] Sub his comprehendi bouillum omne ac ouillum genus in ſexu, ætatéque, ac præterea caprinum eodem modo ſæpius admonui.

In quo eſt macula.] Redũdat in editionibus aliis (*in eo*) & ex מום *mum*, atque מומא *muma* videtur μῶμος deriuari, de quibus nonnihil egi alibi [h]. Siculam vocem aiunt eſſe μωλὺς, quæ ſignificet μέμφειν, ἄρχειν, ψέγειν, ἐπιψόγος; Plautuſque dixit; *quid tu, ô momar, Sicule homo, præſumis*: vbi Siculus ſtultum dicitur ſignificare: quam quoque notionem Feſtus tradit. Celebris deorum reprehenſor aliorum Momus quidam deus, de quo Lucianus [a], Plato [b], Heſiodus [c], Philoſtratus [d], & alij, atque Adagiographus explanans adagium, *Momo ſatisfacere*. Etſi porrò de homine potiùs quàm de re μῶμον ſolutæ ſcriptores orationis vſurpent, de re LXX. ſolent vſurpare, id eſt, de macula. Turpiſſima profectò fœdiſſimáque animi macula ſtultitia eſt, ac nimis dum ſapit, aliena temerè qui reprehendit inſipientiæ culpa non vacat. Maculam deducunt [e] quidam à מְאוּם *machal, inquinauit, vitiauit, maculam aſperſit*: aiúntque ſemper in deterius accipi, non etiam generatim pro nota, niſi abuti quis audeat. Vtuntur boni ſcriptores pro retis foramine ſiue plaga, immò & pro reti. Illud Hebræum verbum non inuenio nec כָּבַל *machal*: מָחַל *mahal*, *miſcere* ſignificat, מַקֵּל *makkel*, *virgam*. Macula non hîc valet ſordem, aut notas diuerſicolores, ſed defectum membri, ſanitatis, &c. vt in Leuitico [f] dictum eſt. Corpus incoinquinatum ἀμίαντον in libro Sapientiæ [g] ſignificat perfectum, & apta forma, membrorúmque integra conformatione, cuique nihil deeſſet, præditum: prout docui eiuſdem libri commentario.

τῷ μῶμος etymon. h in Num. 19.2. μωλὺς dictio. *Siculus pro ſtulto.* *Momus Deus.* a in Nigrino, & de bene tib. & in Hermotimo, & de hiſt. ſcrib. & 2. verarum narrat. b 6. de rep. & alibi. *Macula etymon, eiuſque ſignificationes.* c in Theogon. d epiſt. ad vxo. e Chriſtia. Becman. in originib. ling. Lat. f c.1. & 21. & 22. g c.3.20.

Aut quippiam vitij.] Abſque particula (*&*) in editionibus aliis (*omne verbum malum* כָּל דָּבָר רָע *chol dauar rahh* כָּל מְאוּם בִּישׁ *chol mudaúhhum bis*. πᾶν ῥῆμα πονηρόν. Vbi verbum pro re accipitur, vt alibi frequenter. Vitij nomen adhuc ſemel [h] ab Interprete ſumptum lego pro defectu naturali, alibi [i] ſemper pro morali. At priore quidem pacto ferè ſignificat perpetuum impedimentum corporis, morbus temporalem imbecillitatem. Sed confunduntur aliquando; & primum præſertim de rebus quoque inanimatis dicitur, vt de loco, & opere, &c. Lege Gellium [k], & Nonium [l], qui proferunt, vt alias [m] quoque admonui, allatum diſcrimen morbi vitijque: *Morbum à vitio, inquit, poſterior prudentia veterum ſic voluit ſeparari; vt ſit morbus, cùm acceſſit vitique aut temporis aut contagij: vitium, perpetuum, & inſanabilis, atque irreuocabilis cauſa.* Congruit propoſito vitij notio; nec tamen ambigendum, quin victimam oporteret eſſe nec morboſam, nec maculoſam.

Vitiũ quid. h Leuit.15.3. i Iudic. 9. 19. Iob.10. 11. Galat.5. 24. *Vitium & morbus differunt.* k lib.4. c.2. l c.5. nu.77. m in Leuit. 15.3.

Quia abominatio eſt Domino Deo tuo.] Pro verbo ſubſtantiuo vtitur, vt ſolet, editio Hebræa, Chaldæáque pronomine demonſtratiuo. Eadem phraſis prius hoc [n] ipſo libro occurrit: ſed de rebus pertinentibus ad idololatriam: nunc, vt antea hîc notaui, de defectu circa rem cultui diuino oblatam. Omne peccatum morale inficit animam aliqua macula, licèt ſi non ſit mortale, leuior exiſtat: & quæ macula mortalis, macula interdum à nonnullis eſſe negetur: quam proinde non abominatur Deus, hominémve cui inſit.. Nam & in victima etiam non erat abominatio quilibet exiguus defectus, nec maculæ vocabulo intelligebatur.

n c.7.25.

Verſ. 2.] Cùm reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius,

Verſ. 3.] Vt vadant, & ſeruiant diis alienis,

nis, & adorent eos, solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi.

PARAPHR. His versibus duobus (à quorum primo aliqui, vt antè dixi, capitis 17. sumunt initium) vsque ad 8. vetatur seuerè idololatria, præcipiendo vt nullo habito personæ cuiusquam delectu in sexu, aliave quacumque qualitate, statu, conditione, animaduertatur in reum tanti criminis, facta priùs tamen diligenti perquisitione; ita vt constet de veritate, nec per pauciores duobus testibus crimen comprobetur, tunc verò ad portam ciuitatis is qui conuictus fuerit, lapidibus obruatur, primùm quidem ab ipsismet testibus inchoata lapidatione, deinde verò prosequente reliquo populo: qui sic videlicet demonstret ac profiteatur quantum abhorreat ab eo crimine, quamóque dolore ipsemet afficiatur ob læsum Dei honorem. Solis, lunæ, astrorum seu siderum, seu stellarum sub vocabulo militiæ cœli, mentio nominatim fit, sicut c. 4 [a]. & aliis locis ibidem à nobis annotatis; quia istorum adeo nobilium & vtilium corporum cultus magis frequentabatur, & minùs vtcumque à ratione abhorrere videbatur, quàm tot aliarum viliorum rerum atque etiam turpissimarum, præsertim iuxta opinionem quæ sapientes habuit sectatores, hodiéque non displicet nonnullis, quòd illa corpora sint animata, maximè autem stellarum, & solis ac lunæ. Ratiocinatur hoc modo [b] Abulensis, ostendens quibus de causis moneri potuisse videantur Gentiles ad ea, quæ hic dicuntur adoranda, & digrediens in laudes & commoda illorum ex testimonio quoque profanorum scriptorum, quibus adhuc multo plures iungi possunt simul præterea cum diuinis scripturis; quod facere nunc non vacat, & aliis in commentariis hinc inde [c] præstitimus. In hoc idololatriæ genus lapsos sæpe Iudæos testantur libri Regum [d] cum Paralipomenis [e], & libri Prophetarum [f], & quidam noui [g] Testamenti. Tota lex Domini, ait Rabanus, & Glossa, extotem & idololatriam maximè detestatur, & vbique eam euertit; quia maximum scelus est diuinum honorem impendere creaturæ, quod faciunt Gentiles, siue etiam Catholici; qui licèt credulitate ab vnitate Ecclesiæ non recedant, tamen vitiis variis dediti, magis inueniuntur per cupiditatem terrenam seruire diabolo, quàm per bonorum operum abundantiam militare Deo. Hos lapidibus obrui præcepit, quia districta sententia damnandos præuidit. Attingit idem Hugo, dicens fidem omnis boni fundamentum esse, quam destruunt error atque idololatria.

a vers. 19.

b q. 2. & 3.

c in Act. 13. 21. in Sap. 13. 10 Ps. 18. & 148.

d lib. 4. 17. 16. c. 21. 3. 5. c. 23. 4. 5. 21. Iere. 43. 13.

Catholici quomodo idololatræ.

e li. 2. 33. 3.

f Esa. 44. 11. c. 34. 4. Iere. 7. 18. c. 8. 2. c. 19. 13. c. 44. 17. 18. 19. 25. Sopho. 1. 5.

Explanatio.

g Act. 7. 42. 43.

Cùm reperti fuerint apud te.] Singulari numero in reliquis editionibus (*cùm, aut, si reperietur, seu repertus fuerit in medio tui*, vel *in te* בקרבך *bekirbecha*, בך *becach, in eo*.)

Intra vnam portarū tuarum.] Chaldaicè & Græcè (*in vna vrbium tuarum* בחדא מן קרוך *bachada min kiruach, ἐν μιᾷ τῶν πόλεών σου*. Id sæpenumero notatum priùs est; atque hoc loco Abulensis admonet de vna ciuitate, locóve muris clauso ac portas habente. In c [h]. priore Interpres expressit vrbes: præsenti autem loco Mariana noster suspicatur eâ esse veram editionis vulgatæ lectionem. Difficile videtur toties erratum ponendo portarum nomē: ac potiùs dicendum portas pro vrbibus accipi. Addit Abulensis hanc legem solis conuenire habitatoribus terræ promissæ: si autem gentilis quispiam illac transiret qui coleret idola, vel ceremoniam aliquam ad ea pertinentem faceret, non fuisse puniendum iuxta vim legis: sed solos Iudæos,

Porta pro vrbibus portas habentibus.

h vers. 3.

A aut conuersos, qui aliter vocantur proselyti. An porrò permitti posset Gentilibus vt suos ritus exercerent, aut vtrum ratione loci seu fori, vt loquuntur Iurisconsulti, possent à Iudæis puniri si hoc facerent, vel ad id Iudæos inducerent, disertè satis expressum adhuc non legi. Ex facto tamen Phinees, de quo egimus libro [a] præcedente, colligi potest impune neutrum Gentilibus licuisse. Præterea Nehemias Tyriis negotiatoribus, qui sabbatis inferebant pisces & omnia venalia, cùm admoniti non resipiscerent, minatus est, si secundò hoc facerent, missurum se manus in illos [b]. Denique ius ipsum naturale dictat peccantes in publica bona, eo in loco puniri posse, vbi peccant.

a c. 25. 6. & seqq.

b 2. Esd. 13. 16. vsque ad 21.

B Seraphinus Capponus ad hunc locum nostrum infert non posse cogi ad fidem eos qui foris sunt, nec ista de causa puniri, videlicet qui non sunt baptismo initiati: atque io hoc differre ab idololatris Ecclesiam Deúmque, quòd illi vi ac tormentis elicere volunt consensum ad infidelitatem: Deus & Ecclesia non item, sed velle vt veritas ipsa conuincat intellectum, quæ super omnia est, omniáque per se superat. Vnde & fidei veritas perseuerat, infidelium sectæ intereunt.

Aliter idololatræ, aliter Ecclesia & Deus consensum fidei exigunt.

Quas Dominus Deus tuus dabit tibi.] Non portas præcisè, sed vrbes locáve portis inclusa, vt antè dixi, quæ intelligi debent hic per portas. Græcè verò

C præsentis temporis verbum est δίδωσι dat. Hebraicè, Chaldaicéque participium נותן *nothen*, & יהב *iaheb*: alibique aliquoties monui dare dici Deum, quod certò ac præsertim quamprimùm daturus est; immò & propterea etiam dedisse, daturum, quod nondum dedit.

Vir aut mulier.] Paronomasiam siue allusionem sola Hebræa editio habet in nominibus איש *isch*, & אשה *isschah*: quam imitari voluit Interpres noster Genesis c. 2 [c]. *hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת *lezoth ikkare isschah ki meisch lukkachah zoth*. Quamquam ibidem Symmachus allusione simili posuit nomina ἀνὴρ & ἀνδρίς, quia, inquit, ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὕτη ἐλήφθη; Theo-

Paronomasia viri & mulieris.

c v. 23.

D dotio autem eam expressit non inter fœminam & virū, sed inter illam & verbū αὕτη κληθήσεται λῆψις ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. *hæc vocabitur assumptio, quia de viro eius assumpta est, quasi descendat* à נשא *nasa*, nomen illud. R. Abenezra subtiliter lepidéque obseruat, vt priore libro memini [d], in dictis nominibus Hebræis contineri contractum nomen Dei יה *Iah* (illud nempe quod inest in halleluiah) qui est auctor coniugij, tâmque diu cum suo nomine manere censetur, quamdiu timetur à coniugibus, & hi mutuò se amant: si se oderint, ac Dei obliuiscantur, sublatis literis י *Iod*, & ה *he* ex quibus componitur יה *Iah* nomen Dei, superesse in ambobus אש *esch* אש *Isch* ignem, scilicet ignem rixatum atque molestiarum in præsenti vita, æternum verò in alia. Non dissimiliter ludentes alij

d in c. 5. 5.

E cauendum admonent, ne coniugum culpa quæ viro data est in adiutorium, mulier ex viragine vorago fiat, familiæque perditio. Mariana [e] noster infert, quod ipse quoque notato loco dixi post alios, Hebraicam linguam esse, qua vsus est Adam; quia talis nominum adnominatio in aliis linguis non extat; cùm virago non id significet quod mulier, sed quæ in eo sexu fortis est, & ἀνδρίς fictum sit à Symmacho. Idem iudicium de vira quod Festo tribuunt Delrius, & Cornelius nostri, & alij [f] quod ille habet verbo Querquetulanæ. Nec obstant Hispanica *hombre* & *hembra*, vel Teutonica *man* & *mannin*: & Georgius Michaël Amira in Grammatica Syriaca siue Chaldæa, Chaldææ lin-

e in Gen. 2. 23.

Adam locutus est Hebraicè.

f Christ. Becma. in orig. Latin. ling.

guæ

Chaldaea lingua antiquissima.

gux primam deferens antiquitatis laudem, respondet posse linguam vnam alia esse antiquiorem, & tamen non habere nomen viri & vxoris simile. Deinde similitudinem eamdem profert *nascio*, *aito*, *babbalo*, vel *babbilo*; *& babbil*; *gauro*, *guarebo*, immò & in variis aliorum nominum. Verùm hoc nunc non ago. Sub duplici autem seu paulò antè dixi quamlibet conditionem, statum, qualitatem intelligi, seu cuiuscumque modi personam absque προσωποληψία acceptationéve personarum. Nec enim pro fragilitate seaus parcendum, inquit Lyranus in diuini mandati transgressione.

Qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui.] Antonomasticè malum dici de idololatria notat Abulensis, sequitúrque ea his quæ antea retuli doceri hîc à Rabano, Glossa & Hugone. Sic etiam cap. 4. [a] videtur poni malum: & in Exodo [b], cùm apud Mosem, populo in idololatriam lapso, excusans se Aaron; *tu nosti*, ait, *populum istum, quod pronus sit ad malum*: & in libro Iudicum [c], Regum [d], Paralipomenon [e], prophetarum [f] facere malum in conspectu Domini, coram Domino, in oculis Domini eamdem vim habet: Iniquitatem maximam vocat Iob [g]; Ezechiel [h] magnam nimis valdè: idololatras cognominat seu intelligit Christos per peccatores [i], & Paulus [k]: iterùm Christus peccati nomen profert de infidelitate [l], Sapiens [m] infandam, omnis mali causam, initium & finem. Quod indicant alia epitheta offensionis, doloris oculorum, abominationis, odij, spurcitiæ, immunditiæ, sordium, &c. vt obseruat noster Pineda [n]. Quam verò Iob [o] vocat iniquitatem maximam, Hebraicè dicitur iniquitas iudicum vel iudicata עָוֹן פְּלִילִים *hhauon pelili*, id est, capitali iudicio digna. Sed de aliis quoque peccatis mali nomen vsurpatur: ita vt ex adiunctis dumtaxat intelligi debeat quando idololatriam significet: quemadmodum peccare, peccatum, peccator, peccatrix pro luxuria peculiariter accipiuntur, cùm alioqui generaliter sit notio eorum. Emphasim autem importat facere malum Deo præsente, & inspiciente, quem latere nihil potest, etsi homines lateant, inquit hoc loco Glossa, cui nuda & aperta omnia [p]; qui scrutatur corda & renes [q]; cuius oculi omnia vident, & multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi; & hominum corda intuentes in absconditas partes [r], &c. Qua de re actum sæpe.

Malum pro idololatria.

a v.25. b c.32.22. c c.2.10.c.3.7.12.c.4.1.c.6.1.c.10.6.c.13.1. d 3.Reg.15.26.34 c.16.7.19.25.30. c.22.53.1.4. 3 2. c.8.18. c.13.2.11. c.14.24 c.15.9 18.24. 28.c.17 2. 17.c.21.2. 6.16.20.c. 23.32 37.c. 24.9.19. e l.2.12.14. c.21.6.c.22. 4 c.29 6. c. 33.2.6.9. 22.c.36.5. 9.12. f Esa.65.12. c.66.4.Ier. 2.13.c.7.30. g c.31.26. h c.9.9. i Luc.24.7. k Gal.2 15. l Ioan.16.8. m Sap.4.17. n in Iob 31. 26.n.17. o ibid.28. p Heb.4.13. q Ps.7.11. Sap.1.6.Ier. 11.20.c.17.10.c.20.12. Apoc.2.23.

Et transgrediuntur pactum illius.] Causalis particula (*vt*) præfigitur ab aliis editionibus, malum illud paulò antè nominatum in eo esse significantes, vt Domini pactum violetur, & colantur creaturæ mox nominandæ. Pactum Hugo legem cum Glossa interpretatur, Lyranus mandatum, quod legi synonymum est: Abulensis id quod populus pactus est ac promisit, quando lex data est [s], in qua potissimùm erat, ne colerentur dij alieni. Eadem significatio est pacti, fœderis, testamenti, ac testimonij etiam pro lege, præcepto, mandato, & similibus, vt crebrò vidimus. Gladium vltorem fœderis sui vocat Deus [t], videlicet contra id transgredientes; prædixit Mosi fore vt populus post ipsius mortem fornicando post Deos alienos, derelinqueret Deum verum, & irritum faceret fœdus quod pepigerat cum illo [u]: successor Mosis Iosue renouauit hoc diuinum fœdus cum populo [x]: in loco flentium siue lacrymarum Angelus Domini conquestus est fœdus à populo percussum cum Chananæis, parcendi aris

Pactum pro lege & mandato.

r Eccl.23.27.28. s Exod.19.8. c.24 5.6.7. Deut.5.2.3. t Leu.26.25. u Deut.31.16 20. x Iosue 24.22. & sequ.

eorum [a]: mortuo Gedeone auersus est, & fornicatus cum Baalim, percutiendo fœdus cum Baal vt esset ipsi in Deum [b]: Iosias piissimus rex percussit fœdus corā Domino, vt ambularent Hebræi post Dominum, &c. vt suscitarent verba fœderis quæ scripta erant in libro, quem legit cunctis audientibus [c]: item fecit Ioiada pontifex [d], & Ezechias rex [e]: queritur [f] Dauid pactum seruatum nō esse: item Elias [g]: ea de causa vexati sunt bellis Hebræi [h]: exprobrat hoc ipsum Deus [i]. Sed qui hoc facit, aut obliuiscitur pacti Dei sui [k], quantumuis videatur sibi percussisse fœdus cum morte, & cum inferno (quasi cum Atropo & Plutone) fecisse pactum, & arbitrari quòd flagellum inundans cùm transierit, non sit venturum super se: deprehendet posuisse se mendaciū spem (id est, idolum quod prophetæ vocant mendaciū, licèt aliter iudicet qui ita paciscì videtur) atque mendacio protectū fuisse: quòd fœdus delebitur, & pactum non stabit, sed erit in conculcationem, flagellum inundans cùm transierit. & spem grando subuertet, & protectionem aquæ inundabunt [l]. Pactum Dei includit promissa & minas, præmia & pœnas, quibus legem suam communiuit pro iis qui vel obseruarent, vel præuaricarentur.

a Iud.2.2. b c.8.33.33. c 4.Reg.23.1 & sequ 2. Par.34 31. d 2. Paral. 23 16. e c.29.10. f Ps 77 57. g 3.Reg 19.10 14. h lib. 4. 18.12. i Ier.31.32. Ezech. 2.3. k Pro.2 18.

Idolum pro mendacio.

l Esa.28.15.16.17.18.

Vt vadant.] Singularis numeri verbum habent editio Hebræa & Chaldæa: Græca participium plurale *abeuntes* ἀπελθόντες. Non dicit quòd illi irent ad seruiendum diis alienis, inquit Abulensis; ita quòd egrederentur de terra Israëlitarum, & irent ad habitandum inter alias gentes colentes idola; quia tunc non possent eos punire Israëlitæ, nec mandaretur hoc iudicibus eorum, quòd talibus pœnas infligerent: maximè quia hîc signatur quòd deberet esse intra ipsam terram Israëlitarum, quia mandatur quòd fiat inquisitio; & si fuerit compertum scelus, educetur qui peccauit ad portam ciuitatis, quod necessariò intelligitur de terra promissionis: etiam quia dicitur in principio; *cùm reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum vir aut mulier qui faciant malum*. Sed accipitur hîc (*vadant*) prout significat quemdam motum saltem animorum: quia sicut ille, qui ad aliquē locum vadit, mouetur; ita si quis Deum antè colebat, & postea conuersus simulacra colat, recedit à Deo vero; ideò ire dicitur. Vel accipitur largè, prout est modus communis in sacra Scriptura veteris testamenti conformis vulgari Hebraico, quod quando aliquis aliquam rem incipit quam antè nō faciebat, dicitur surgere, vel ire; quasi moueatur de non agere ad agere, exeūdo de potentia ad actum. Vtilis canon hîc ad similia loca intelligenda. De surgendi verbo id pridem in commentario [m] Apostolicorum actuum annotaui, locis [n] aliquot indicatis: & de verbo (*vade*) Maldonatus [o] noster esse hominis concedentis quod rogatur [p], eo modo quo Galli dicunt (*allez vous l'amez*:) quam Itali quoque formulam & Hispani eodem pacto vsurpant. Quæ tamen acceptio non competit proposito: vt neque cùm dicitur [q] (*vade in pace*) ab amicis inuicem digredientibus, ac inter se consalutantibus.

m in c.2.25. n Iudic. 20.19.1 Reg.2.27 lib.2 14.30.3 1.2.Paral.24.16. Esa.33 10. o in Matth. 8.13.

Vadendi verbum.

p Mat.8.13. Marci 5 34. Luc.7.50 c.8.48. Ioan.4.50. Iudic.11. 38. 1. Reg. 17.37. lib 2.14 8. q Exo.4.18. 1.Reg.1.17. c.20. 42.c.29.7. lib.2. 15.9.li.4.5.19. Iudit.8.34. Lucæ 7.50 Marc.5.34. &c.

Et seruiant diis alienis.] Idem significant alieni & alij: prioréque nomine sæpius [r] vtitur Interpres pro diis aliis à Deo vno ac vero: aliquando [s] alium Deum præter verum negans esse, vsurpat alium non alienum, item vocat Deos alios [t]. Dicuntur verò aliter alieni quicúmque aduersi sunt nobis, aut abhorrentes, aut alienati, & ex amicis inimici facti; aut cæteri, ac discrepantes moribus & ritibus.

r Gen 35.2.5. Exo.20.3. cap. 34 14. Deut 5.7.c.6 14 c.7 4. c.8 19.c.11.16 28 c.13.2.6.13. &c. Psal.43.21. Ps.80.10. s Deut.3.24.c 32.39. cap.33.26. Tob. 13.4. Esa. 45.5. 18 22. Dan. 3.96.

Alius & alienus idem sunt.

t Deut. 18.20.

Tunc verò non eſt nomen אחרים *acharim*, & ἕτεροι, quæ aliàs plerúmque valent ſimpliciter, ſed נכרים *nochrim*, & ἀλλότριοι [a], vel ſimilia, quæ important oppoſitionem, contrarietatem, repugnantiam: interdum [b] non differunt alieni ab aliis; nonnumquam [c] alienos & ἀλλοτρίους legimus vbi ſitne אחרים *acharim*: vel זרים *zarim* [d], quod ſignificationis deterioris eſt. Idola abominationéſve populorum nominat hoc loco Chaldæa paraphraſis טעות עממיא *tabbuath bhamemaia*. Seruire porrò de cultu diuino frequenter dicitur, Græcúmque λατρεύειν ſæpiùs, vt aliàs notatum eſt, atque apud Gallos (*le ſeruice diuin*) hoc ſenſu ſolet vſurpari.

Et adorent eos.] Pluralis numeros non eſt in Hebræa Chaldæáque editione: de adorandi autem verbo ישתחוו *iſthachu*, & *meyſmuchuon* conſole locis aliis animaduerſa: necnon de ritu ipſo, & quemadmodum creaturis deferri adoratio queat, non ſoli Deo.

Solem, & lunam.] Ex reliquis editionibus (*vel*) non (*&*) quæ tamen particulæ crebrò vſum habent eumdem, nec diſiunctiuè (*vel*) ſemper accipitur. Dolentis verba ſynagogæ ob adoratum ſolem Hebræi, vt R. Salomon, præterea Chaldæa paraphraſis, immò & Theodoretus, Origenes & alij accipiunt; *nolite* [a] *me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol:* quem errorem hauſiſſe potuerunt ab Ægyptiis, qui Rameſſes ad incolendum eis dederant vicinam Heliopoli, hoc eſt, ciuitati ſolis. A qua idololatria tum ſolis, tum lunæ alienior [f] Iob dicebat, *ſi vidi ſolem cùm luceret, & lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam* (quaſi adorans, & ad os manum oſculi gratia admouens) *quæ eſt iniquitas maxima.* Vetuſtiſſimam fuiſſe idololatriam iſtam docui libro Sapientiæ [g], reſtantúrque plurimi, nominatim Auguſtinus [h], & alij quos nominat Pineda [i] noſter: ex quibus Diodorus Siculus prodit primos olim homines in Ægypto, hunc mundi ornatum conſpicientes admirantéſque, in vniuerſorum natura duos eſſe Deos, & eos æternos arbitratos, ſolē videlicet, & lunam ſub vocabulis Oſiridis, & Iſidis. Macrobius [k] multitudinem illam deorum, quos coluit antiquitas, reuocat ad ſolem. Vnde cognominatur πολύς *multus*, δεσπότης κόσμου *dominus mundi*, θεῶν ἄριστος *deorum optimus*, ἄρχαιος κόσμου *princeps mundi*, εἰκὼν παγγενέτου θεοῦ *imago omnium generis Dei*: & apud Horū Apollinem [l] θεὸς *Deus* κατ᾽ ἐξοχὴν abſolutéque nominatur, & ἔτος τοῦ θεοῦ *annus Dei*, hoc eſt, ſolis, quem Cenſorinus malè appellat annum diei. Plutarchus [m] etiam prodit in natali Oſiridis, id eſt, ſolis, auditam vocem quę ſignificaret natum μέγαν θεόν. Sic iidem Ægyptij Iſin, hoc eſt, lunam, nuncupabant τὴν θεόν. Attici eodem modo Mineruam, Lacedæmonij Caſtores τὼ σιώ, & alij patrios ac tutelares Deos ſuos. A Gymnoſophiſtis pro ſummo Deo ſolem habitum, teſtis Philoſtratus. Meritò Chriſtus de Dei loquēs beneficentia, dixit [n] quòd ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ſuum nempe peculiariter velut eximium opus, ac tanquam imaginē, & propter quem gratiæ adoratióque debeātur ipſi, non ſoli: quem etiam Hebræi nominant שמש *ſcemeſch* quaſi miniſter à שמש *ſciammeſch*, quod eſt Chaldaicè *miniſtrare*. Nolim quidem dicta locis aliis, quos hìc etiam priùs indicaui, repetere; ac de laudibus vtriúſque ſideris, aliarumve ſtellarum præ cæteris lectu dignum Eccleſiaſtici c. 43. ſolùm de ſole principe ac rege omnium, repero quod Pſal. 148. [o] recitaui ex Triſmegiſto, qui Tatio filio, ſolē adorandum videri obiicienti, reſpondit, cultum

a Gen. 35. 15. c. 42. 7. Pſal. 16. 46. Pſ. 143. 7. b G. n. 45. s. Exo 21. 8. Leu. 10. 1. c. 16. 1. &c. c Pſ. 45. 11. d Pſ. 53. 5. Pſ. 108. 11. Seruiendi verbum. a Cant. 1. 6. f c. 31. 26. g in c. 13. h 7. de ciu. c. 16. i in Iob 31. 26. num. 7. k li. 1. c. 21. Sol & luna variè cognominata. l lib. 1. hieroglyph. 5. m de Oſir. & Iſid. n Mat. 5. 45. o verſ. 3.

hunc deberi illi qui eſſet μὴ ἐν σώματι ἀσχήματος, ἀχρωμάτιστος, ἄτρεπτος, μὴ ἀλλοιούμενος, ἀεὶ ὤν, ἐφ᾽ ἑαυτοῦ ἀληθὴς, *incorporeus, non coloratus, non figuratus, mutatione ac alteratione carens, ſemper exiſtens, in ſeipſo ac per ſeipſum verus.* Ambroſius [a] monet quos pulchritudo trahit ſolis ad eū adorandum, vt firmamentum priùs aſpiciant, terram, germina; nec velint Deum credere, cui videant Dei munera eſſe prælata: & ſe tanto ſplendori ſolis temerè committant; ſed illam videntes, auctorem eius conſiderent; quando mirantur, laudent ipſius creatorē, &c. Inducit verò voce quadam ſuorum munerum clamantem naturam: bonus quidem ſol, ſed miniſterio, non imperio: bonus meæ fœcunditatis adiutor, ſed non creator, &c. Scripſerat prior Baſilius [b], quem Ambroſius libenter imitatur, ac tantùm nō tranſcribit, poſtquā docuit præceſſiſſe cœlū, terram, lucem, diſcretionem noctis diéique, firmamentum, aridā emerſiſſe aquis confluentibus in vnum locum, terram germinaſſe ante conditum ſolem lunámque: ὅλος γὰρ ἦν τὸ καὶ οὐκ ἦν, ἵνα μήτε φωτὸς ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τὸν ἥλιον ὀνομάσωσι, μήτε τῶν ἐκ τῆς γῆς φυομένων δημιουργὸν, οἱ τὸν θεὸν ἀγνοοῦντες ἐγένοντο. διὰ τοῦτο τετάρτη ἡμέρα, καὶ τότε εἶπεν ὁ θεὸς, γενηθήτωσαν φωστῆρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ: *ſol autem nondum erat & luna: vt lucis principem patrémque ſolem non nominarent: nec eorum quæ ex terra naſcuntur effectorem hi qui Deum ignorant putarent: idcirco quarta dies, nempe aduenit, & tunc dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœli:* Ob iniuriā quam ſolis adoratores inferunt Deo, videri poſſet vindex Deus, minitari viſitaturum ſe ſuper militiam cœli in excelſo, facturúmque vt erubeſcat luna, & confundatur [c] ſol; ſol enim obſcurabitur, & luna obſcurabitur [d], cùm veniet ad iudicium Chriſtus. Erubeſcet luna, & cōfundetur ſol, cernens homines, inquit Hieronymus [e], qui ſuo fruebantur lumine; nihil dignum Dei bonitate feciſſe, qui ſolem ſuū oriri fecit ſuper bonos & malos [f]. Quod Ioel [g], & ex hoc Petrus [h], dixerunt ſolem conuertendum in tenebras, & lunam nō daturam lumen ſuum. Solem, lunam, ac ſidera Baruch [i] ait emiſſa ad vtilitates, obaudire videlicet Deo, cuius ordinatione perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt ei [k]. Religioſus rex Ioſias abſtulit equos, quos dederant reges Iuda ſoli, & currus cōbuſſit igni [l]. Quę ſuperſtitio vſitata etiā fuit ab Ethnicis, vt de Cyro prodit Xenophon [m], qui mactauerit equos ſoli, prodeuntibus curribus ante ſolis ortum ad pompam ſacrificij: de quo item ſacrificio meminit Euripides [n] (hic refert quoque ἵππος ἀοῦς ἐοῖ, ἡλίου τε *ſtabula equorū pro aurora & ſole*) Ouidius [o], Macrobius [p], aliíque. Comeſtor [q] verò ab Hebræis equos ait & currus factos ſoli, quòd Eliam (quaſi ἥλιον vt alibi [r] dixi) hunc in modum à ſole tranſlatum exiſtimarent. Occaſio itē eſſe potuit idololatriæ populo Hebræo, imago, vel ſtatua potiùs, ſuper Ioſue ſepulchro collocata, vt Rabbini tradunt, indicántque Maſius, Serarius noſter in Ioſue c. 24. & Caiet. in c. 2. Iudicū, in memoriam ſolis, quem ille ſingulari Dei beneficio ſtare fecerat; ita vt vrbs quoque ab eodē condita Thamnathſarach, literis tranſpoſitis, appellata ſit, quæ in libro [ſ] Iudicum rectè vocatur Thamnathcheres, id eſt, prohibitio ſolis, ne progrederetur. Plura ex noſtris Villalpandus [t] & Serarius [u]. Huc denique ſpectare poſſunt quæ diſſeruimus alibi de Moloch ſiue Melchom, quod nomen ſignificat regem, & de ſole dicitur; quia & lunam appellat Scriptura [x] cœli reginā: præſunt enim ambo diei & nocti [y], quod Hebraicè dicitur dominari משל *maſcial*: itaque cognominat lunā Apuleius [z], reginam

a 4. hexa. c. 1. b hom. 6. hexa. c Eſ. 24. 23. d Matt. 24. 29. e in Eſa. 24. f Mat. 5. 45. g c. 2. 31. h Act. 2. 20. i c. 6. 59. k Pſ. 118. 91. l 4. Reg. 23. 11. m 8. Cyrop. n in Phaët. apud Strabo. lib. 1. o 1 Faſto. p li. 1. c. 23. q in 4 Reg. r in Act. 1. 26. ſ c. 2. 10. t 10. 2. in Ezech. p. 2. li. 3 c. 52. u in 4 Reg. 23. x Iere. 7. 18. c. 44. 17. 18. 19. 25. y Gen. 1. 16. 18. z lib. 11.

reginam cœli. Orpheus * *θεά, δῖα, ἀστάρχη, πάνσοφε κούρη* *deam, diuam, astrorum principem, sapientissimam puellam.* Cerda [a] noster certis testimoniis profert epitheta, quibus sol cognominatur rex, rector siderum, cœlique, *μέγας βασιλεὺς* magnus rex, siderum princeps, dux, moderator, coryphæus, rerum visibilium pulcherrimus, vt Deus intellectilium, stipatum satellitio trium supra se planetarum, infraque totidem. Similia extant in Latinis auctoribus, vt in Seneca [h], Cicerone [c]. Solis lunam tum sororem tum filiam vocabant, vt citatus auctor demonstrat [d], quia lumine proximè accedit inter alia astra, & id à sole mutuatū: quod Lucretius [e], & Catullus [f] nothum vocant lumen. Quare curruí lunæ iungebant mulos *κανθογόνα γένη*, solis equos *ἰδιογόνα*: quódque luce luceat luna aliena, dicatúrque *σελήνη*, quasi *σέλας νέον* lumen nouum, nempe à sole acceptum: tametsi de hoc dubitet Philo [g], an scilicet luna *γνήσιον φέγγος* habeat, aut *νόθον* natiuum vel alienum, an sit quiddam mixtum ex vtroque igne tum proprio, tum alieno ἐξ *οἰκείου καὶ ἀλλοτρίου πυρὸς κρᾶμα*. Quando Seneca [h] canit, quod luna orbe micat pleno cùm suos ignes coëunte cornu iunxit, innuit propria præditam luce: Epicurus enim, (teste Laërtio) cuius sectator Seneca erat, sensit posse lunam & à seipsa, & à sole lumen habere. Chaldæos prodit Apuleius [i], proprij ac perpetui compotem luminis fecisse; Parmenides, vt Plutarchus [k] refert, luce lucentem aliena,

νυκτὶ φάος περὶ γαῖαν ἀλώμενον ἀλλότριον φῶς
Nocte solum peragens alieno lumine lumen.

Apud eumdem Senecam [l], Euripidem [m], Theocritum [n], Rhodiginum [o], lunam amantes orant fœminæ, vt solem viri. Reginam porrò cœli, siue lunam placentis honorabant [p] Gentiles, imagines figurásque illis imprimendo, vel efformando: quemadmodum Christiani facimus in hostiis eucharisticis, vt obseruauit Gaspar [q] Sanctius noster. Lunam Deum esse Prodicus non hæreticus, seu hæresiarcha, vt quidam [r] eum nominat, sed Philosophus Gentilis, putauit [f]: Manichæi hanc, & solem adorabant [t], volentes Christi thronum esse in sole, in luna sapientiam, spiritum in aëre [u]: Mahomet [x] sanxit cultum Cubar, hoc est, lunæ. Cedrenus quidem recitat carmen cani solitum à Mahometanis *ὁ θεὸς, ὁ θεὸς μείζων, καὶ ἡ μεγάλη* *Deus, Deus maior, & magna*: subditque *οὐκ οὖν ἀφροδίτη θεός* *igitur Venus Deus*. Dicere potuit potiùs de luna. Cæterùm apud Christianos manserunt aliquæ velut reliquiæ ethnicismi circa solem & lunam [y].

Et omnem militiam cœli.] Pro *militia* est צבא *tsaua*, & חילא *chele*, & *κόσμος*. Chaldæum nomen militiam exercitúmve valet: *κόσμος* ornatum. De Hebræo docet Pagninus, ex quo, nomen recitens, noster Ballester [z]; significare militiam, exercitum, stationem in bello aut prælio, tempus ad perficiendam rem, vt ad merendum: potestatem, potentiam, vim, copiam qua constat exercitus: cultum & ministerium sacrum; tempus isti constitutum; & vt cœli vocabulum annectitur, Angelos qui ministrant, velutique militant Deo; stelias quæ ipsi seruiunt luce, calore, influentia; filios Dei militantes pro illius gloria, suáque salute aduersùs satanam: horum omnium respectu appellari ab eodem nomine pluraliter sumpto, Deum & Dominum Sabaoth; quod nomen Hieronymus [aa], neget ob istud mysterium in aliam linguā esse transferendum. Interpres transtulit [bb] ornatum, exercitum [cc], turmā [dd], militiam [ee], fortitudinem [a], virtutem [b], Sabaoth [c], retento Hebræo vocabulo, de quo alibi [d] egi, sicut & de Græco *δυνάμεις*. Addo quod in Esaia [e] legimus, completa est malitia, Hebraicè esse צבאה *tsaua*, quod militiam significat, & in codicibus nonnullis habetur. Græcè verò *ταπείνωσις humiliatio*. Retinendo malitiam, pro malitiæ supplicio, quod Græca dicta vox importat, sicut cùm dicitur, quod sufficit diei malitia [f] sua; rectè per malitiam labor, vexatio, molestia militiæ declaratur; quemadmodum militia vita hominis cognominatur à Iob [g]; & aliter tentatio, ipseque [h] sensu eodem militare se dicit. Lælius [i] Bisciola noster docet nomen & rem militiæ, cum malitia conuenire, & contrà; cùm quidquid bello agitur, id eo consilio fiat, vt quoquo modo lædi faciliùs hostis possit, ac vexari, seu astutè & malitiosè, quod facilius fit quàm aperta vi. Citat Bernardum [k], & Plinium [l] II. in his vocabulis ludentes: & quòd caculæ appellentur militibus seruientes, nec dato nomine merentes, quasi [m] *κακοί*. Militiam cœli pro stellis aptè compositis crebrò legimus in [n] diuinis literis: semel pro Angelis [o]; vel etiam iterum [p], vt quidam [q] Esaiam exponunt. Communior enim expositio de stellis est: cui fauet Augustinus [r]; & vsurpando ipsum nomen Sabaoth [f], denominatur Deus Sabaoth, ratione vtriúsque generis quasi exercitus, necnon & humani: aliquando [t] Latinè Deus exercituum, vel virtutum [u]. Plerúmque Græcum nomen est *τῶν δυνάμεων*, stellas astrave, significans: & nonnumquam [x] *ἄστρα* exprimuntur loco militiæ cœli, immò & astra Latino facto nomine, superiùs in cap. 4. [y] Militia cœlestis exercitus apud Lucam [z]. Græcè dicitur *στρατιὰ οὐρανίου*; Exercitus cœli in Esdra [aa]: tamque de hoc, quàm de illo exercitu scribitur, quòd adorat & laudat Deum, hic quantum ad cœlos, qui & enarrant gloriam ipsius [bb]; ille quantum ad Angelos, qui ad laudandum [cc] inuitantur, & benedicendum [dd], & adorandum [ee] eum. Stellas Debora cecinit manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnantiſſe [ff]. Baruch [gg] stellas dedisse lumen in custodiis suis *ἐν ταῖς φυλακαῖς αὐτῶν*, nempe vt milites; & lætatas esse, vocatas dixisse, adsumus; luxisse ei iucunditate, qui fecit illas. Videtur congruens exactáque in cœlo dispositio astrorum, aciei similis castrorum ordinatæ, disciplináque militari optimè instructæ, cum ordine, fortitudine, maiestate. Suidas ait quòd *ὅτι λέγει ἡ γραφὴ περὶ Μανασσῆ, ὅτι ἐλάτρευσε τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας λέγει* *quando dicit Scriptura de Manasse; quod seruiuit exercitui cœli, solem, & lunam, & astra dicit.* Miro ordine Angelorum ministeria & hominum dispensata pronunciant à Deo Ecclesia, & ipsimet Angeli triplici hierarchia constantes, in ordines nouem distinguuntur: quæ distinctio quoque in Ecclesiastica hierarchia; quósque appellamus ordines minores maioresque, facit vt meritò qui sunt in illis, milites nominentur, & Deo, vt loquitur Apostolus [hh], militare asserantur. Etsi verò mali quoque Angeli, qui deseruerunt principatum suum [ii], velut apostatæ, ad vnum aliquem adhuc ordinem spectent, nescio an per cœli militiam in sacra Scriptura intelligantur.

* hym. in lunam.
a in 1. Geor. v. 204. n. 56.
b In Thyeste, actu 4.
c de natu. deor.
d ib. v. 593.
e 4.
e lib. 5.
f in carm. secular.
g lib. 5. de somniis.
h In Hipp. actu 2. in choro vers. 740. 741.
i de Deo Socratis.
k cont. Col. Epicur.
l sup. v. 404.
m in Hipp.
n idyll. 2.
o lib. 5. c. 6.
p Iere. 7. 18.
q in Ier. 44. 19. nu. 16. & 17.
r Cor. in Ier. 7. 17.
f Epiph in comp. doct. de fide.
t Aug. 14. cont. Fault. c. 11.
u Idem lib. 20. c. 6.
x in alcor.
y Aug. serm. 215. de temp. Ambr 5. hexa. c. vlt. Leo serm. 7. de natiu.
z onomast. verbo Sabaoth.
aa ep. 136. & 142.
bb Gen. 2. 1.
cc Exo. 7. 4. c. 12. 17. 41. & alibi.
dd Ex. 6. 26. cap. 12. 51. Num. 1. 3.
ee Iob 7. 1. 4. Reg. 17. 16. Esa. 45. 12. & alibi.

a Dan. 10. 5
b Ps. 23. 10. 11 32. Psal. 67. 13. Psal 102. 21.
Malitia pro malitia supplicio.
c Ier. 11. 20. Rom 9. 29. Iac. 5. 4.
d in Iacob c 4 Psal. 23. 10. Ps. 53 6. Ps. 67. 12. Ps. 102. 21.
e c. 40. 2.
f Mat 6. 34.
g Iob 7. 1.
h c. 14 14.
i 20. 1. hor. subsec. c. 3.
k Ser ad milites templi c. 3.
l epist. 19.
Militia cœli pro stellis & Angelis.
m Iul. Cæs. Scal exer. 300 num. 4.
n 4 Re 17. 16. c. 21. 3. 5. cap 23 4. 5. 2. Par 33. 3. Es. 24 21. c. 34 4. c 45. 12. Ie. 19 13. Soph. 1. 5. Act 7. 42.
o Luc. 2 13.
Astra pro militia cœli.
p Es 40 26.
q Tolet. in Luc. 2, ann. 19.
r epist. 28.
f Ier. 11. 20. Rom. 9. 29. Iac. 5. 4.
t 1. Reg. 1. 3. 11 c. 4. 4. c. 15. 2. c. 17. 45 2. a 5 10. c 6. 18. c. 7. 8 26. 27. l. 3. 18. 15. c. 19. 10. 14. l. 4. 3. 14. c. 19 31. 1 Par. 11. 9. c 17. 7. 24. Es 1. 24. c. 2. 12. c. 3. 1. 15. c. 5. 9. 16. 24. c. 6 3. 5. c. 8. 13. 18. c 9 7. 13 19. & apud eumdé sæpiùs, & apud Ier. Ez. Ose. c. 12. 5. Amos, Mic. Sopho. Agg. Zach. Mal.
u Ps 23. 10. Ps 45. 8. Ps. 58. 6 Ps. 68. 7. Ps. 79. 5. 8. 15. 20. Psal. 83. 2. 4. 9. 13 Ps. 88 9.
x Es 45. 12.
y vers. 19.
z c. 2. 13.
aa 1. 2. 9. 6.
bb Ps. 18. 1. cc Ps. 148. 5. dd Ps. 102. 20 Dan. 3 8 ee Ps. 96. 8. ff Iudic. 5. 20. gg c. 3. 34. 35. hh epist. Iudæ, vers. 6. ii 2. Tim. 2. 3 4.

Esaiam [a] cùm Deum inducit dicentẽ, visitaturum se super militiam cœli in excelso, aliqui [b] stellas, quidam [c] dæmonas, nonnulli [d] ministros templi exponunt. Sanctius negat de dæmonibus, quia neque in excelso sunt, neque in excelso visitabuntur: neque vnquã appellãtur, inquit, cœli militia. Templum per nomen excelsi signatẽ dumtaxat accipi potest. In libro Iob [e] militum Dei numerus non esse dicitur, hoc est, innumerabilis propemodum, videlicet Angelorum, qui pro nobis pugnant cum potestatibus tenebrarum, & ad impios vlciscendos mittuntur, & variis in rebus ministrant Deo. Horum cultũ religionémve circa illos superstitiosam coarguit Paulus [f], & Concilium [g] Laodicenum: siue genij sumantur pro diis culti; siue quos Magi inuocant in suis magicis; siue sol, luna, cœli militia, hoc est, stellæ, cùm Angelis; siue Angeli per se tanquam dij quidam medij, Christo etiam ipso nobiliores, & ipsiusmet opifices mundi, ita vt Hebræorum Deus putaretur esse Angelus, qui legem dederat in Sina; & habendi essent Angeli velut mediatores, ac tanquam tales, Christo excluso, qui purus homo esset: quæ etiam videtur hæresis Angelicorum. Legantur Enarratores Pauli, maximè de nostris Iustinianus, & Cornelius, atque noster etiam Petauius [h] Epiphanij Scholiastes, qui notat de Angelorum θρησκείᾳ non esse verum quod annalium scriptor nullam asseruit in Epiphanio esse mentionem. Sed hoc non ita ad rem nostram facit. Possent verò etiam vtcumque per milites citato loco Iob intelligi stellæ, quarum numerus videtur iniri non posse, vt indicat Scriptura [i]. In cantico Deboræ etiam citato stellas pugnantes in ordine [k] suo, Serarius [l] noster Angelos interpretatur non solùm stellas cum Vatablo [m], & Vallesio [n]: cùm in eadem sacra Scriptura sancti vocentur stellæ [o]. Gulielmus [p] Parisiensis docet militiam cœli nimis impropriè dici de cœlis, aut stellis, aut luminaribus, ideóque conuenire vt accipiatur de substantiis spiritualibus: nec verisimile esse impendisse Hebræos cultum illis corporibus puris & mortuis: sed militiam istam esse multitudinem spirituum, quos Magi singulos vnicuique cœlorum assignabant vt præsides aut seruientes, & in eorum sitibus inhabitantes, immò & qui præessent elementis. Rickelius hoc loco citans Gulielmum, refert per militiam cœli à multis idololatris & philosophis intellectos cœlos, planetas, stellas, quibus & animas tribuebant perfectiores humana. In qua opinione ponit Platonem & Aristotelem cum suis sequacibus, qui assererent omnia illa militare ac deseruire primæ causæ summóque enti. Quin etiam idem sensisse ait R. Mosem, & auctorem libri de causis, quem Albertus faciat Iudæum, Iudæósque communiter: Thomam Aquinatem & Augustinum negare ad fidem pertinere affirmare vel negare corpora illa esse animata. Certè minimùm nunc eiusmodi sententia temeritate non caret, quidquid nonnulli recentiores dicant. Qua de re actum commodiùs alio loco. Certè Baronius [q] tractans citatum locum ex epistola ad Colossenses, citánsque Hieronymum [r], qui doceat sniggillari eos ex circumcisione, qui colerent astra cœli simul & Angelos; & Clementem [s] Alexandrinum, qui tradat à Iudæis licèt se solos Deum nosse putarent, adoratos Angelos, & mensem, & lunam: & Epiphanium [t], qui existimarent astra esse animata, quasi animæ ipsorum sint Angeli, & æquè ac Angelos illa dixerint esse cœli militiam, ait propriè

a c.24.20. b Hier. ibid. Sactius, &c. c Cornel. Haymo, Lyra, Adam, Glossa interlin. d Forerius. e c.25.3. f Col. 2.18. g can. 35. h ad hæres. 22. pag. 40. i Gen. 15.5. c.22. 17. c. 26.4. Ex. 32. 13. 1. Paral. 27. 23. 2. Esd. 9.23. Ps. 146 4. Ier. 33.22. Dan. 3.36. Nah. 3.16. Rom. 4. 18. k Iud. 5.20. l ibid. q. 12. m ibid. n philos. sac. c.31. o Dan. 8.10. Apoc. 12.3. p de legib. c.23. longè post med. q tom. 1. annal. anno Christ. 60. r epist. 151. q. 10. s 6. Strom. t lib. 1. c. 16.

per militiam cœlestem à diuina Scriptura nominatos Angelos, sicut & ipse Dominus Deus exercituũ dictus est: alios longè postea Iudæos cognominatos cœlicolas [a]. De Angelis præfatio Missæ loquitur, appellans militiam cœlestis exercitus.

Quæ non præcepi.] Quidam codices malè habent in tertia persona (*præcepit.*) Eadem phrasis in cap. 18. [b] & similis in Ieremia [c], sed maiorem vim habet hoc loco κατ' μείωσιν, vt non modò significet negatiuè, verùm etiã per oppositũ quòd omnino Deus prohibuerit, vt Hugo notauit. Sic rursus apud eumdem Ieremiam [d], de idolis; *& ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim. quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meũ.* Chaldaicè (*quod non præcepi in lege mea, nec misi per manum seruorum meorum prophetarum, nec est voluntas coram me.*) Vim eamdem habet, cùm vetatur declinare post vana quæ non proderũt, neque eruẽt, quia vana sunt [e]; cùm reprehenduntur transgressores præcepti Domini, quod non prodesset eis [f]: cùm iubemur custodire nos à murmuratione, quæ nihil prodest [g]: item loqui quod non prodest [h], confidere in sermonibus mendacij, qui non proderunt [i]: præterea quando scribitur quosdam possedisse mendacium & vanitatem quæ non profuit [k]. De ista figura μείωσις siue λιτότης dixi c. 1. [l] libri Sapientiæ, allatis exemplis partim quæ hìc posui, partim aliis; vt [m]; *non est nobis vtile relinquere legem, & iustitias Dei:* præterea quoniam per peccatorem quando cognominatur inutilis [n], intelligitur abominandus & perniciosus, vt & per fructus eorum inutiles ad nihilúmque apti iidem qui pessimi [o]: rursus cùm vocatur ad omne opus bonum reprobus, idem qui abominatus [p]: cùm impius appellat iustum inutilem sibi [q], hoc est, maximè contrarium, aduersarium, molestum: cùm cogitantibus inutilia væ intentat Michæas [r]; cùm Paulus qui vult diues fieri, ait incidere in tentationem, laqueum diaboli, desideria inutilia & nociua. Similẽ quoque notaui esse vsum apud alios auctores illaudati [s] & inamabilis [t]. Nam illaudatum Busiridẽ dici à Virgilio Gellius [u] & Macrobius [x] notant, omnium pessimum, & deterrimum; quique nihil habeat, quo possit laudari, nec sit spes frugis aliquãdo melioris. Quæ priuatio enormis est; quia nemo tam nequã, qui aliquid non habeat aliqua dignum laude. Quamuis illud epithetum aliter alij declarent apud Cerdam [y] nostrum: & pro inamabili, legunt quidam in Virgilio innabilem. Sed eadem de hoc ratio, & de inamœno, atque aliis eiusdem formæ. Vocabuli autem (*inutilis*) notiones quinque in diuinis literis à nostro Salazar allatas non erit inutile cognoscere. In Esaia [z] loqui quod nõ prodest, Hebraicè dicitur אָוֶן *auen, idolum, iniustitia, iniquitas, vanitas*; exponitque Sanctius noster, vt sit idem quod iniuriosè appellare alium racha, id est, fatuum, stolidum, stultum, cerebri vacui, cum irrisorio ac indecoro gestu, qualis quem vocant Latini roncbum & sannam. Ibi L X X. vertunt ῥῆμα γογγυσμοῦ *verbum murmuris*: paraphrastes Chaldæus מִלִּין דְּאוֹנָס *millin deones, verba rapinæ*. Porrò quando dictum est superiùs in cap. 12. [aa] *quod præcipio tibi, hoc tantùm facito*, nõ sequitur nihil fieri posse quod nõ præcipiat Deus, nisi quatenus non præcipere idẽ valet, sicut hìc, quod prohibere. Illo autem loco exprimuntur impij cultus, ritúsque Gentiũ infideliũ: & ex sacra Scriptura constat cultus aliquos voluntarios esse gratos Deo, vt vota, iuramenta, festorum nonnullorum nouorũ institutionem, &c. quemadmodum alibi ostensum est.

a l. 19. C. Theod. tit. de Iudæis & cœlicolis. *Non præcipio, id est quod prohibeo.* b v. 10. c c.7.22. d c.19.5. e 1. Reg. 12. 21. f 2. Par. 24. 20. g Sap. 1. 11. h Esa. 58.9. i Ier. 7.8. k c.12.19. c.23.32. l vers. 11. m 1. Mach. 2.21. *Peccator inutilis.* n Ps. 13 3. Ps. 52.4. Rom. 3.12. Iob 23.16. Pr. 6. 12. o Sap. 4.5. p 1. Tim. 2.1. q Sap. 2.12. r c.2.1. s Virg. 3. Georg. t Idem l. 4. Æn. 4. Geo. Ou. 4. Met. u lib. 2. c. 6. x lib. 6. c. 7. y in 3. Geo. v. 5. not. 6. *Tũ inutilis notionum varia.* z c.58.9. aa vers. 32.

Vers. 4.

Vers. 4.] Et hoc tibi fuerit nunciatum, audiénsque inquisieris diligenter, & verum esse reperceris, & abominatio facta est in Israël.

Paraphr.

TAntum Idololatriæ scelus, quo via excogitari maius & grauius potest, dissimulari aut sileri non debet, sed ad eos deferri, quorũ munus est de causis cognoscere. Sed quo etiam grauius est, seueriotéque dignum pœna, hoc inquiri diligentiùs exactiúsque oportet, ne reus tam atroci notetur infamia, tam acerbo plectatur supplicio, quod adeò magna & abominanda in verum ac vnicum Deum iniuria meretur. Necesse est conuinci reum vel per testes, de quibus mox mentio fiet; vel per euidentiam facti, vel ipsiusmet confessionem rei; vel per alios iuridicos modos; ita vt non sufficiat simplex accusatio, aut suspicio. Quanquam in re tanti momenti vndecumque aliqua illius habeatur notitia per famam rumorémve, adhibenda peruestigatio est, quamuis expressa & formalis denunciatio seu accusatio nondum interuenerit, ne serpat latiùs & alios inficiat. Cuius generis videntur crimina hæresis, proditionis, læsæ maiestatis, id quod cedat in damnum communitatis, quamuis occultum sit, si sit periculum in mora, nec speret quis priuata monitione id statim impedire, & similia, in quibus non est necessariò præmittenda correctio seu correptio fraterna: immò omittenda est.

Explanatio.

Et hoc tibi fuerit nunciatum.] Vel *indicatum* הֻגַּד *huggad.* Quæ notitia, quæque requirantur indicia, docent iuris vtriusque Doctores, Theologi, Summistæ. Nihil indiscretè agendum hac in re, admonet Glossa interlinearis & Hugo: Lyranus sine diligenti examinatione præuia non esse ad sententiam procedendum, seu etiam ad infamiam denunciatorum. Denunciatione aliquid scire non est idem atque denunciatũ quid esse. Nuntiatum esse, est notitiam peruenisse: sed hoc quidem loco ex fama & rumore, quasique voce publica. Denunciatio iuridica est delatio criminis sine inscriptione accusatoris apud iudicem competentem, vt reus puniatur, quia denunciator non facit partem in iudicio, sed tantùm insinuat iudici: & quiuis admittitur; túncque iudex procedere potest per inquisitionem, nulla facta mentione nunciatoris. Plura Ludouicus [a] à Paramo; simúlque de illis quos Græci vocabant ἐνδείκτας, Latini denunciatores; sed ob abusum delatores, quadruplatores, &c. quos delatores declamauit [b] Plinius, sub optimo principe, non timeri, sed leges; cùm è contrario, princeps libenter audiens verba mendacij, omnes ministros habeat impios [c]. *Nos*, ait [d] M. T. *nuntiationem* (aliàs *obnuntiationem*) *solùm habemus consules, & reliqui magistratus etiam inspectionem* (aliàs *spectionem*) id est, cognitionem & iudicium. Vbi nuntiatio obnuntiatione latiùr patet, comprehendens quoque accusationem. De ipso nomine ac munere inquisitionis idem citatus Ludouicus à Paramo agit; docens vt certis personis distinctis ab Episcopis, quorũ dignitati per se annexum est, delegatum est, eius exordium non fuisse anno 1100. vt Prateolus voluit, nec tempore Innoc. IV. Papæ anno 1243. sed Inn. III. à quo ad id fuerit deputatus legatus Petrus de Castronouo Monachus Cistertiensis. & hoc ab Albigensibus interfecto, duodecim abbates ex eodẽ ordine, quibus S. Dominicus socium se adiunxit cum Di-

Denunciatio iuridica quid.

a de orig. inquisit. l. 3. quæst. 2.

b In paneg.

c Pr. 29. 12.

d Phil. 2.

Inquisitio Ecclesiast. ea quid, & quando cœperit.

daco Azeues Episcopo Oxomensi, cui Dominico postea inquisitoris generalis dictum munus commissum ab eodem Innoc. III. anno 1216. post celebratum Conciliũ Lateranense anno præcedente, non autẽ anno 1200. vt scripsit Ignatius Lopes de Salcedo. Notat etiam Seraphinus Capponus hoc loco, nomen inquisitionis absolutè vsurpari de fidei defensoribus ex officio, qui nominãtur Inquisitores, quoniam hos oportet in crimen hæresis, eximia vti diligentissimáque inquisitione, ac magis exquisita exactáque, quam alij in aliis criminibus magistratus vtantur; cùm fides religionis Christianæ sit fundamentum; & ad hoc vt denunciatio ipsa fiat, obligant sub excommunicatione alios, vt denuncient: quod in aliis criminibus non ita fieri solet: & facta denunciatione procedunt ad capturam.

Audiénsque inquisieris diligenter.] Hebraicè (*bene*, הֵיטֵב *heteb*) Chaldaicè (*conuenienter* siue *congruenter* יָאוּת *iauth*) Græcè (*valdè* σφόδρα.) In iudicando præsertim leibaliter siue capitaliter cauent sacræ literæ plurimorum acquiescere sententiæ, vt à veritate deuieruut [a]; sed quærere iudiciũ [b], iustè quod iustum est persequi [c], iustè iudicare proximo [d]: quem iustũ iudex perspexerit, illi iustitiæ palmam dare [e]; rectè iustitiam loqui & rectè iudicare [f]; iudicium verum iudicare; cũ diligentia exercere iudicium tanquã Domini [h], qui Adã interrogauit [i], *vbi es?* & Cain [k], *vbi est frater tuus?* descendit vt videret ciuitatem turrémque Babel [l], & vtrùm clamor Sodomorũ verus esset, & an opere complessent, an non ita esset, vt sciret [m]. Daniel adhuc adolescens fatuos pronũciauit quòd nõ iudicantes, neque quod verũ erat cognoscentes, condemnassent filiã Israël. Rationale iudicij cũ doctrina & veritate [o] hoc insinuabat. Allata potiò de Deo exẽpla cõsiderant ad hoc propositũ Philo [p], Chrysostomus [q], Procopius, aliique [r], & Ambrosius [s], atque Gregorius [t]. Monet Paulus [u] etiã cum obtestatione Timotheũ, vt caueat præiudiciũ, id est, præcipitationem iudicij, nihílque in alteram partem declinando. Affert Gregorius ex lib. Sapientiæ [x], *tu autem Domine cũ tranquillitate iudicas.* Præceps fuit Dauid in dãnando Miphiboseth [y]. Constãtinus in pellendo in exiliũ Athanasio [z]: Theodosius autem cauit, vt capitalis sententia non nisi post dies à promulgatione 30. executioni mandaretur [aa]. Menandri illud ad rem est,

ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα

Inexaminatum ne punias vllum.

& Senecæ [bb],

Si iudicas, cognosce: si regnas, iube.

Item [cc],

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,

Æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.

Quare debet posse iudex affirmare, quod

[dd] *Vox constituto sera decreto venit.*

Decretum enim nihil aliud est, quàm quod causa cognita pronunciatur [ee]. Iob causam quam nesciebat, diligentissimè inuestigabat [ff]. Deus, de quo dixi, probat, cognoscit, intelligit, inuestigat sessionem, resurrectionem, cogitationes, semitam, funiculum, &c. [gg] Gloria regum inuestigare sermonem [hh]; scrutatur in lucernis [ii]; iubet fodi parietem [kk]. *Dandum est semper tempus*, ait [ll] Seneca: *veritatem enim dies aperit: potest pœna dilata exigi; non potest exacta reuocari.* Denique

[mm] *Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum*

Quærere, quæsito tempore tutus erit.

Apostoli [nn] sententia est; quòd quorumdã hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iu-

a Exo. 23. 2.
b Esa. 1. 12.
c Deut. 16. 20.
d Leuit. 19. 15.
e Deu. 25. 1.
f Ps. 57. 2.
g Zach. 7. 9.
h 2. Par. 19. 6. 7.
i Gen. 3. 9.
k c. 4. 9.
l c. 11. 5. 6.
m c. 18. 20. 21.
n Dan. 13. 48.
o Ex. 28. 30.
p li. de confus. ling.
q in Gen. c. 11. & hom. 3. in 2. ad Tim.
r in Gen. 18.
s 1. de Abraham c. 5.
t 19 mor. c. 13 vel 14.
u 1. Tim. 5. 21.
x c. 12. 18.
y 2. Reg. 16. 1. & seqq.
z Nicep. 8. hist. c. 50.
aa Nicep. l. 12 c. 41. Th. li. 9. c. 39 & C. Theod. l. si vindicari. de pœn.
bb in Medea actu 2.
cc ibidem.
dd ibidem.
ee Brisso. de verb. signif.
ff Iob 29. 16.
gg Ps. 138. 1. & seqq.
hh Pr. 25. 2.
ii Soph. 1. 12.
kk Eze. 8. 8.
ll 2. de ira.
mm Ouid. de Trist.
nn 1. Tim. 5. 24.

dictum, quosdam autem & subsequuntur. Hæc à nonnullis [a] exponitur de futuro diuino iudicio; ab aliis [b] de humano præsentis temporis. Posterior sensus ad rem nostram facit; quorum peccata sunt adeò manifesta, vt præcurrant humanam inquisitionem, & examen, iis absque dubio manus imponendas non esse, nec ordinari debere, adhibendo priùs iudicialem processum iuris ue ordinem minimè necessarium; occultè malos reiiciendos, condemnandósve non esse, nisi discussa ipsorum vita; quoniam eorum peccata quantum ad manifestationem, sequuntur hoc iudicium discussionis; vt proinde citò cuiquam manus imponere non oporteat, ne sic alienis peccatis ordinator Episcopus communicet; quòd timere non debet si quos ordinauerit qui post ordinationem detegantur mali, diligenti examine præmisso. Ex hoc sensu pendet sensus verborum sequentium, apud eumdem Apostolum [c] (*similiter & facta bona manifesta sunt; & quæ aliter se habent, abscondi non possunt*) hoc est, quos constat notoriè bonos esse, non est verendum citò iis manus imponere; sed de quorum bonitate non constat; quam proinde abscondere non oportet; verùm eam discutere; vt sic fiat manifesta: vel, si qui reiecti fuerint, quorum bonitas latebat, postea verò innotuit (non enim diu abscondi facilè potest) non est quòd turbetur ordinator Episcopus, quia occulta nosse non valuit. Quamquam dicti loci aliæ sint expositiones, de quibus præter citatos recentiores, nostrum Salmeronem [d] lege.

a Theoph. Chrys. OEcumen Primas. Ambr. ab. Basil. de vera virgin. August. 2. de serm. Dom. in monte c. 18.
b ep. 10. c. 3. Cai in 1. Ti. 5. Estius, Soto maior, Hesselius, Steu. Fabr. Paulutius, Gagne Cos. Magal. Iustinia.
c sup. v. 25.
d in 1. Tim. 5. disp. 15.

Et verum esse reperεris.] Hebraicè (*& ecce veritas*, nimirum est, *rectum, verbum*, videlicet, est והנה אמת נכון הדבר *vehinneh emeth nachon haddauar.*) id est, *si verum & certum est.* Quod enim est esse verum, rectum etiam atque certum est, veritásque consistit cum certitudine in recta congruentia orationis ad rem de qua profertur, & rei ad sua principia. Eamdem sententiam efficiunt Chaldæa קשטא *kusta*, & כיון *cheuan*: Græcè autem sic est, καὶ ἰδοὺ ἀληθῶς γέγονε τὸ ῥῆμα *& ecce verè factum est verbum*, id est, res; quæ Hebræo idiotismo significari solet per nomen verbi, vt frequenter monui. Pronomine (*ecce* הנה *hinneh*, הא *ha*, ἰδοὺ denotatur manifesta notitia, quam Interpres reperiendi verbo declarauit: quæ notitia cōparata sit ex iuridica inquisitione. Quod autem c. 13. [e] imperatum vidimus, vt huiusce reus criminis interficiatur statim, notauimus Græcè esse ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς περὶ αὐτοῦ *annuncians annunciabis de illo*, siue vt Abulensis [f] exponit, accusabis vt interficiatur. Quod verum est, vbi ad tribunal patet aditus, adéstque princeps qui vindicet iniurias in Deum, quemadmodum docet Aquinas [g].

e vers. 9.
f ibid. q. 3.
g 2. 2. 44. 2. a. ad 5. vt citat, sed malè Ioseph. Steph. in 1. Machab. 4.

Et abominatio facta est in Israel.] Sensus est, si verum certúmque est factam esse abominationem istam in Israël. Carent coniunctione reliquæ editiones: habent verò pronomen demonstratiuum הזאת *hazzoth*, הדא *hada*, αὕτη. De nominibus *abominationis* תועבה *thohhebah*, תועבתא *thohhebutha*, βδέλυγμα, & de nomine *Israel*, consule alibi annotata: quódque Iudæi consueuerint alios, etiam Christianos appellare תועבות *thohhaboth*, *abominationes*.

Vers. 5.] Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.

PARAPHR. Hæc est pœna, quæ reo de idololatriæ crimine maximo per sententiam iudicum postquam conuictus esset in porta ciuitatis, vbi causæ iudiciáque agitabantur, infligi debebat; nempe vt quisquis esset atque cuiusuis sexus & conditionis, lapidibus extra ciuitatem eductus obrueretur. De tribunali ad portas constituto, dixi hoc ipso libro priùs, & de lapidatione ad c. 7. [a] Actuū Apostolorum, & Leuitici c. 20. [b] & 24. [c] & Numerorum 14. [d] & libri nostri 13. [e] Quibus in locis eatar, lapidandum educi debuisse extra castra ciuitatémve; quemadmodum & Christus extra portam castráve passus dicitur [f]. Retuli quoque ex R. Salomone [g] pœnam istam constitui debuisse בית דין *beneth din*, in diuino iudicij, siue iuridica, & sententia iudiciali: si autem huic deest כח *choach*, *vis, facultas, potentia*, populum terræ illam exequi debuisse. Præterea monui decretam irrogatámve eamdem lapidationem non tantùm idololatræ, vt hoc locu; verùm etiam filio contumaci ebriosóque [h]; violatori sabbathi [i]; blasphemo [k], adultero [l]. Adhæc memini [*] vsitata supplicia Hebræis lapidationis, cremationis, decapitationis, suspensionis: quoniam primæ inest diuturnitas; acerbitas secundæ; tertiæ irremediabilitas; ignominia vltimæ; quam Scriptura [m] mortem vocat turpissimam.

a v. 58. 59.
b vers. 2.
c vers. 14.
d vers. 10.
e vers. 9.
f Hebr. 13. 12.
g in Leuit. 20.
h Deut. cap. 21. 21.
i Num. 15. 35. 36.
k Leuit. 24. 16. 23.
l Ioan. 8. 5. Deut. 22. 21.
* in Num. 25. 4.
m Sap. 2. 20.

Educes virum ac mulierem.] In reliquis editionibus (*illum & illam*) quod non caret emphasi. Eductio hæc non est extra ciuitatem, vbi lapidatio fieri debebat, vt postea dicetur: sed ad portam eius, vt hîc statim subditur; deducendo reum illuc ea loco in quo habitabat; siue per lictores, siue aliter.

Processus iudicialis contra idololatras.

Qui rem sceleratissimam perpetrarunt.) Hebraicè Chaldaicéque (*verbum malum hoc*) id est, rem malam hanc. Græcè in Sixtinis Bibliis desunt ista: in Complutensibus, Regiis, aliísque est οἵτινες ἐποίησαν τὸ πρᾶγμα τὸ πονηρὸν τοῦτο *qui fecerunt rem malam hanc*: aut πρόσταγμα *præceptum*, vt in duobus dictis, quod sanè non satis congruit; cùm de idololatria patranda non sit præceptū, sed prohibitio. Omittuntur etiam hæc eadem à Lucifero Calaritano. Superlatiuo vtitur editio nostra; positiuo aliæ, quod etiam solū habent in vsu Hebræa & Chaldæa, neque comparatiuum, neque superlatiuum omnino habentes. Vocatur, ait Abulensis, res sceleratissima idololatria, quia maximū peccatum, cū alia vitia, magna scelera dicātur; hoc autē excedat alia. Scelus Latini vsurpāt de graui peccato, atrocíque facinore propriè in quo cædes interuenit. Inde apud Romanos porta scelerata (priùs Carmentalis) qua egressi 306. Fabij, à Veientibus ad amnem Cremeram sunt interempti [n]: sceleratus campus proximè Collinam portam, in quo Vestales virgines, quæ incestum fecissent, viuę defodiebātur [o]. Quo supplicio Dacia ex Vestali Christiana, affecta est cum marito Chrysantho [p], siquidem Vestalibus post emerita castitatis stipendia, nubere licebat [q]. Vicus sceleratus (qui antea Cyprius, id est, bonus, lingua Sabinorū dicebatur [r]) in quo cùm Tarquinius Superbus interficiendū curasset Seruium regem socerū suum, corpus eius iacens, filia carpento superuecta est, properans ad possessionem domus paternæ [s]: scelerata castra, in quibus Claudij pater Drusus, graui morbo afflictus, tristíque fato sublatus est, & intempestiua morte præuentus, acerbo funere decessit; eiusmodi cognomine seu infando nomine ac turpi conuitio declarantibus militibus, quanta eū caritate prosecuti essent [t]. Adde herbam sceleratam [u], quæ vocatur aliter fallax herba veneni [x], nempe Sardonica, siue Sardonia, apiastro simillima, proin

Idololatria scelus.
Sceleris notio.
n Ouid. 2. Fasto. Liu. 1. dec. lib. 2.
o Liu. 1. dec. lib. 8.
p in Martyr. 25. Octob.
q Ambr. 1. de virginib.
r Varro 4. de ling. Lat. Halic. li. 4.
s Liu. 1. dec. lib. 1. Ou. 6. Fasto. & in Ibin. Festus li. 17. Valer. Max. li. 9. c. 11. Plin. de viris ill. c. 7.
t Alexan. ab Alex. li. 6. c. 6. Sueto. in Claud. c. 1.
u Apul. apud Iunium in nomen.
x Virg. ecl. 4.

proindéque legentes fallens, atque sub nomine apiastri nascens in Sardinia, vbi est venenata[a], & ab aliis vocatur aconitum, ranunculus, stromea: item sceleratam arenam, vbi gladiatorum sanguis fundebatur[b]. Cerdam[c] nostrum postquam hæc annotaueram comperi de his differentem, volentémque scelus, vt initio dixi, cædis crimen propriè respicere, non aliud, quod aliquot probat testimoniis[d], & negat, quod voluit Plinius[e] (placet verò tamen Baronio[f]) campum sceleratum nomen accepisse ab incesto, propter quod Minutia Vestalis ad portam Collinam dextra via stratam viua sub terram defossa est, sed à cædibus ibi factis. Existimat præterea si traducatur ad aliud hæc vox sceleris, dici de magno & atroci facinore; quasi illud sua atrocitate imbuetur fusum cruorem, ereptam animam, ademptam vitam. Confirmat ex etymo illorum, qui dicunt scelos dici tanquam σκέλιφρον σῶμα *aridum & prostratum corpus.* Hæc iam obseruaueram libro præcedente[g]; vbi adieci furiarum limen sceleratum[h], sedem sceleratam[i]. Quidquid sit de notatione sceleris ἀπὸ τοῦ σκέλους, profectò illius aspectus quem in conuiuio Ægyptij constituebant, vt Plutarchus[k] prodit, admonebat hortabatúrque conuiuas vt meminissent se non ita multo post tales fore; mutuum fouerent amorem; *vitam breue tempus sortitam non debere malis rebus longam reddi* τὸν βίον μὴ τῷ χρόνῳ βραχὺν ὄντα, πράγμασι κακοῖς μακρὸν ποιεῖν. Idololatræ nonnulli cædes vsurpabant in sacrificio non brutorum dumtaxat, sed hominum quoque: quod posset hîc innui sceleris vocabulo, si tale esset editionum reliquarum. Equidem non pauciora sceleris exempla legi pro aliorum generum criminibus, quàm homicidij, sed tamen pro grauioribus & atrocioribus: quoniam vt ille cecinit[l]

Sed vetitum est adeò sceleri nihil.

Piè Christianéque Romanos martyr detrectans idololatriam respondit de Imperatore

[m] *Nam si resistis Christiano nomini,*
Meus ille talis Imperator non erit:
Scelus iubentis, crede, numquam seruiam.

De verbis Latinis patrandi & perpetrandi hoc libro priùs actum est.

Ad portas ciuitatis tuæ] Scilicet, ait Abulensis, ad locum vbi iudices sententiare solent; vt veritate comperta, contra reos iuridicè sententia proferatur: vel educebantur extra ciuitatem, ne lapidarentur intra, & pollueretur ciuitas sanguine: omnes enim mortis reos Iudæi extra ciuitatem occidebant. Probat exemplo Christi, & Stephani, de quibus antea nos ipsi meminimus. Melior prima expositio; quia educi ad portas, non est idē quod extra; quamuis posset intelligi eductio ad portas, vt ibi terminato iudicio inde reus extra educeretur puniendus. In Sistinis codicibus omittuntur hæc, vnà cum proximè præcedētibus; quæ Lucifer etiam Calaritanus, recitans istum locum, prætetiit, vt paulò item antè admonui. Complutenses, Regij, & alij habent numero singulari (ἐπὶ τὴν πύλην *ad portam*) absque vocabulo ciuitatis. Engubinus portas hîc pro vrbibus accipi monet: sed non rectè, salua translatione nostra quam commendat; quę portas ciuitatis exprimit. Illud rectè, quod ait iuberi vt omnibus è locis diligenter perquirantur, siue in montibus, siue in vallibus, siue in speluncis, siue vbicumque terrarum delitescant, qui diuinum cultum reliquerūt, & creaturas adorare cœperunt, hique ad vrbem adducantur, vbi ius exerceri & scelerati plecti solent. Sed non est improbabilius quod addit, immò longè verius reperi supplicium extra portas oportuisse. De tractatione causarum forensium in portis ciuitatum actum satis priùs[a]. Hector Pintus, quod scribit Daniel de se fuisse in foribus regis[b], interpretatur tum de custodia aulæ; tum de sessione vt redderet in porta ius; solebāt enim, inquit, iudices in portis vrbium sedere, & iudicia agitare: quod confirmat allatis testimoniis quæ priùs etiam citaui ex c.21.[c] libri nostri præter præsentem locum, ex Psalmo 126[d]. Amos 5.[e] Addit verò, quoniam portæ vrbis erant loca publica, sumi nonnumquam portas pro ipsis locis, vt in Psalmo 68.[f] *aduersum me loquebātur in porta;* & in Amos 5.[g] *odio habuerunt corripientem in porta*, hoc est, concionatorem vitia publicè reprehendentem. Præterea, quia in portis ciuitatum erāt arma, & munitiones, accipi docet portas pro machinis & instrumentis bellicis, próque copiis militum armatorum; vt Matthæi 16.[h] *portæ inferi non praualebunt aduersùs eam*, id est, arma dæmonum, consilia, artes, munitiones, quibus tyranni, hæretici, cæteri homines scelerum maculis notati bella inferunt Ecclesiæ; necnon homines impij, à quibus alij pendent, ac per quos velut per portas ob praua siue documenta, siue exempla, multi descendunt in infernum; quemadmodum contraria de causa nominantur Apostoli portæ[i] cœli (sed & Christus appellauit seipsum ostium[k]:) & portæ mortis[l] dicuntur pericula eius, aut etiam pernicisi dogmatis exempli, quæ lata & spatiosa est, contraria docenti ad vitam quæ est arcta & angusta[m], quæque cognominatur porta Domini, per quam intrant iusti[n], diligitúrque à Domino tanquam porta Sion[o] cœlestis. Sunt in his quædam probabilia; illud non adeò de Daniele in foribus regis stante ad ius dicendum; quamuis id sentiat Vatablus secutus R. Saadiam; quia non constat apud Chaldæos ius dici solitum in portis; & apud Hebræos portæ ciuitatis huic muneri deputabantur. In foribus regis Danielem fuisse, est à regis latere non discessisse, vt cognosceret quid facto opus esset; aut regia quadam potestate præditum fuisse; quoniam illi penes quos sunt omnia, ingredi dicuntur & egredi[p]; vt proinde clauis pro regia potestate sumatur[q]. Indicant hoc vltimum post Hieronymum in explanatione Danielis ferè omnes, déque familiaritate & honore apud regem; refellúntque illud de iure in portis nostri Maldonatus, Sanctius, Cornelius. Nec multùm probabilitatis videtur habere, pro locis publicis portas accipi; corripientem in porta, pro concionatore publicè vitia reprehendente. Quod autem Abulensis[r] refert, solitos olim iudices curribus vehi per ciuitatem, vt volentes aliquid petere, exeuntes ianuas domorum suarum, sine labore iudices inuenirent, meritò abolitum, & ad quietis locum iudicia reducta monet. Sed mos ille haud mihi satis adhuc exploratus.

Et lapidibus obruentur.] Iuxta reliquas editiones est lapidare in lapidibus: in Hebræa Chaldæáque singulari numero (*lapidabis*) in Græca pluraliter (*lapidabitis*, λιθοβολήσετε.) Alibi eadem[s] phrasis occurrit obruendi vel opprimendi lapidibus, quę dicto modo exprimitur ab aliis editionibus. Aliquando[t] habet nostra lapidibus interficere, vbi aliæ vnico verbo lapidandi vtuntur: nonnumquā[u] omnes vtuntur solo verbo, & quidem Græca magis cōposito καταλιθοβολεῖν[x]: interdum[y] in nostra est lapidare, in aliis prætetea, lapidibus:

a Plin. l. 20. c. 11. ibid. Dalechā. & Cerda in eclo. 4 ac 7.
b Pruden. 1. cōt. Symma.
c in eclo. 9. v. 17. not. 2.
d Quintil. l. 6. c. 1 Liuius l. 8. Hora. ode 7. epod. Martia. l. 1. epig. 19. Sueto. in Claudio. c. 2. Pruden. 1. cōt. Symm.
e l. 8.
f in Martyr. 25. Octob.
Sceleris etymon.
g c. 25. 13.
h Virg. 6. Æne.
i Ouid. 4. metamor.
k de conuiuio septē Sapien.
l Ouid. 5. metamorp.
m Pruden. peristepha. hym. de S. Romano.
Educi ad portas quid.

a in Dan. 2.
b ibid. v. 49.
c v. 19.
d v. 5.
e v. 10. 12. 15.
Porta pro ipsis locis.
f vers. 13.
g vers. 10.
Porta pro machinis & bellatoribus.
h vers. 18.
i Apoc. 21. 12. 1. & seqq.
k Ioan. 10. 7. 9.
l Ps. 9. 14.
m Matth. 7. 14.
n Ps. 117. 20.
o Ps. 86. 2.
p Deut. 31. 2. 1. Reg. 18. 16.
q Esa. 22. 22.
r in c. 16. 9. 4.
s Exod. 19. 13. c. 21. 29. 32. Leu. 20. 27. c. 24. 16. 23. Num. 14. 10. c. 15. 35. 36. Deu. 13. 10. c. 22. 21. 24. Iol. 7. 25. 3. Reg. 21. 13.
t 3. Reg. 21. 14. 15.
u Exod. 17. 4 Leu. 24. 14. 1. Reg. 30. 6. c. 21. 10. l. 3. 12. 18. 2. Paral. 10. 18.
x Exod. 17. 4.
y Leu. 20. 2.

a Ezech. 16. 40. c. 23. 47.
b 6. 4. 11.

pidibus: quandoque [a] in omnibus lapidare lapidibus. Sed apud Michæam [b] quod reddidit noster Interpres (*lapidetur*) Hebraice est יחנף *ichechenaph*, Chaldaice יחוב *ichchub*, Græce numero plurali ὀπηχαρίμεθα, quorum vltimum valet *insultabimus*; alij *peccabit, impiè aget, contaminabit se, hypocrisim aget, simulabit quod non est*. Quasi sit insinuatio, cum comminatione luendæ pœnæ, quam editio nostra lapidationem intelligit. Eugubinus hac de causa longè præferendam monet nostram translationem, quòd non sicut editiones aliæ reddiderit (*in lapidibus*) quasi hoc pacto si redderetur, crederet quis significari, vbi sit aceruus lapidum, vt ibi lapidatio fiat; quia ἐν apud Græcos stationem in loco, inquit, significat. Addit hanc obscuritatem ex eo accidere quod (*in*) apud Hebræos sumitur pro (*cum*) quod non ita fit apud Græcos & Latinos. Atqui retinuit istum ipsum idiotismum præpositionis (*in*) valde sæpe [c] editio nostra, vt in baculo transire, in veste vngi, deprecari in sanguine, fodere in baculis, confringere in ira, introire in holocaustis, & aliis modis quos notat noster Sa in indice phraseon Scripturæ. Nec Latinis inusitatum (*in*) pro (*cum*) exemplis demonstrari potest quæ sunt apud Grammaticos. Idem est de Græcis vt ἐν βέλει πληγείς, ἐν γάλακτι χαίρων *in iaculo vulneratus, in lacte gaudens*. De ritu lapidandi retuli nuper ex catalogo Hebræo affirmatiuorum [d] præceptorum, lapidandum exui debuisse vestibus suis, in editum locum duci manibus vinctis, de illo ab vno testium impelli, vt caderet in terram; si sic ex hoc lapsu non moreretur, testes grandem lapidem leuare, ac impetu quodam proiicere in eum: si necdum hoc pacto mortuus esset, omnem Israëlem proiicere lapides in ipsum. Obruere, aut opprimere lapidibus, quam formulam tam sæpe vsurpat editio nostra, propriè denotat plurium lapidum iactationes ictúsque; qui tamen minimè necessarij videntur, si vno aut altero ictu quis interficiatur, quod fieri potest. Neque lapidari censendus est, qui de loco edito deiicitur, eóque lapsu moritur. Certè nullus asserit, Iudæos lapidare Christum voluisse, quando eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata vt præcipitarent eum [e]. Non etiam præcipitatus ex altissimo templi loco Iacobus minor, lapidatus ex præcipitatione censetur; quem adhuc iacentem semiuiuum, confractis cruribus, grauiter in capite fullonis fuste percutiens quidam interfecit. Sed nec vllum in scripturis extat dicti ritus vestigium circa illos, quos memorant lapidatos: quemadmodum quòd blasphemus, & idololatra suspendendi essent post lapidationem, copulatis manibus, paulo ante occasum solis, & mox postquam suspensus esset, cum ligno sepeliendus, vt citato loco [f] traditur. Postquam lapidatus est Achan, congregauerunt super eum aceruum magnum lapidum [g] (eorum speciatim, qui ad inferendum supplicium vsui fuerant) immò & super filios filiásque, his cum omni alia re familiari eorum conciematis (siue filij ac filiæ lapidati priùs fuerint siue non, & siue Achan priùs combustus, deinde lapidatus, siue, dum combureretur, lapidatus, siue potiùs priùs lapidatus, postea combustus, ex quibus opinionibus verior vltima) in sempiternam detestationem, infamiámque, & exemplum perpetuum; sic enim quoque occisum Absalonem, in foueam grandem proiecerunt, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis [h]. Verùm nihil ad lapidationem hi aceruí lapidum. Vt autem

c Gen. 32. 10. Exo 29. 29. c. 30. 10. Num. 22. 28 psl 55 8. psl 65 13. & alibi sæpiùs. In pro cum.

Ritus lapidandi.
d in 99. & seqq.

Obruere lapidibus quid.

e Luc. 4. 29.

f præcepto 203.
Processus Achan.
g Iof. 7. 26.

h 2. Reg. 18. 17.

A nonnihil tropologiæ subiungatur; turpior ac fœdior, quàm durius acerbiórve pigri pœna est, in lapide luteo (qui luto fit inspersus inuolutúsque) lapidari, cum omnium sermonibus super aspernatione illius, & de stercore boum lapidari; ita vt omnis qui tangat eum excutiat manus [a]. Quæ sententia Græce non lapidationem continet, sed comparationem pigri cum dictis rebus propter verbum συνεβλήθη, pro quo videtur Interpres legisse ἐλιθάσθη: quod, vt Iansenius [b] notauit, significat talis, lapidibúsve aliquem impetere. Gregorius [c] autem explicat, in amissione bonorum temporalium contristari sæculi diuitem, déque eo verbera doloris sustinere, quòd is qui pro æterna vita laborare appetit, velut stercora contemnit, ac exemplo Pauli [d], arbitratur vt stercora, vt Christum (lapidem videlicet pretiosissimum) lucrifaciat. Talis idololatra denominari potest seruiens mammonæ, pro vero [e] Deo, quæ vocatur simulacrorum seruitus [f]; nimirum vel auaritia, vel insatiabilis cupiditas turpium voluptatum (πορνεία) illorum, qui vino seruiunt [g], desideriis & voluptatibus variis [h], ventrique [i], qui & eorum deus est [k]. Simoniani Gnosticique, & alij, nefarias libidines exercebant vt cultum Deo gratissimum: iis autem dediti sunt pigri, adoratores Beelphegor impurissimi numinis; qui, si sonum vocum attendamus, deus pigrorum esset: si non per ש *shin* scriberetur [l], sed per ג *ghimel*, deus cadaueris; à quo cadauere vix differt piger: fœtétque libidinosus suo in stercore volutatus, ac factus vt stercus terræ [l]; quod affirmatur nominatim de fornicaria [m], amplexante cum amasio suo, stercora [n], & in his computrescente instar iumentorum [o]. Tandem tum auari gloria, tum libidinosi voluptas stercus est [p]; ac vestrisque solennitates nihil nisi stercus [q]. Talibus ergo lapidibus iure lapidantur. Cæterùm in fine versus desunt ista ex aliis editionibus (*& morientur* וּמֵתוּ *vametbu*, וּמוּתוּן *vemuthun*, καὶ τελευτήσουσι.) Omisit Interpres, quòd satis intelligeretur per obrui lapidibus, licèt, vt antea monui, simplicem lapidationem verba reliquarum editionum significent. Profectò lapidibus obrutus non potest non mori; quamuis vt quis moriatur lapidatione, necesse non sit vt iis obruatur. Interdum [r] exprimitur etiam in editione nostra nex siue mors cum lapidatione, vtque lapidationi mors coniungatur. Quo pacto iudex pronuncians laquei siue suspendij pœnam, exprimit vt suspendium mors consequatur. Lapidatus est Paulus [s] cum Barnaba, nec tamen inde mortui. Nec dicas fuga periculum euasisse: cùm dicatur tractum Paulum extra ciuitatem à lapidantibus, existimantibus mortuum esse: cui Dominus restituit illico sanitatem & vires, ita vt cum discipulis, qui fortasse ad eum sepulturæ gratia conuenerant, surgens intrauerit ciuitatem, & postera die profectus sit cum Barnaba Derben [t]. Consule commentarium nostrum in actus Apostolorum; vbi memini videri nonnullis ex impetu quodam tumultúque præter morem, lapidatum Paulum iuxta ciuitatem, & inde tanquam vile cadauer extractum sepultura indignum: à Cathstino [u] quoque tradi ter lapidatum, cùm semel tamen tantum is referat. Consentit nobis Sanctius [x] noster, vt & nos Glossæ, Lyrano, Rickelio, Vatablo, & aliis, lapidationem iuxta mœnia factam, non publico legitimóque iudicio, sed ab inuidia atque odio aliquorum, seditione populari commota; cùm non à Iudæis modò, verùm etiam à Romanis efferrentur extra ciuitatem, vallúmve castrorum, hi, in quos lege capitali animaduerteretur, vt accuratè

demonstrat

Lapidationes pigrorum & aliorum.

a Eccl. 22. 1. 2.

b ibid.
c in 1. Reg. c. 1. 2.

d Phil. 3. 8.

e Matth. 6. 24. Luc. 16. 13.
f Col. 3. 5. Ephes. 5. 5.
g Tit. 2. 3.
h c. 3. 3.
i Rom. 16. 18.
k Philip. 3. 19.
Beelphegor numen impurissimum.

l Psl. 82. 11.
m Eccli. 9. 10.
n Thre 4 5.
o Ioel. 1. 17.
p 1 Macha. 2. 62.
q Sopho. 1. 17.

r Leu 20. 2. c. 24. 16. 3. Reg. 21. 10. 14. 15. Deu. 13. 10.
Lapidatio Pauli.
s Actuum 14. 5 18. 2. Cor. 11. 25.

t Act. 14. 20.

u in 2. Cor. 11.
x in Act. Apost. c. 14.

demōſtrat Petrus [a] Faber tum ſacris teſtimonijs, quæ ipſimet antea protulimus; tum profanis, vt ex Aggeno Vrbico [b], Vegetio [c], Hirtio [d] ſiue Oppio, Seneca [e], Polybio [f], Tacito [g], Suetonio [h], Cicerone [i], Lampridio [k]: item ex eccleſiaſticis, vt ex Hieronymo [l], Paulo [m] Diacono, Theodorito [n]. Excipit Faber honeſtiores eiues, qui ea militari quidem delicto, inquit, ſemper in conſpectu omnium, ea alijs admiſſis, ſi quando alibi quàm in caſtris capite pœnas luituri eſſent, in carcere plectebantur; vt eſt apud Tacitum [o].

Verſ. 6.] In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra ſe dicente teſtimoniū.

VErſus hic, ac ſequens continent formolā iuridicam circa noxium interficiendū. Et hîc quidem pertinet ad imperatam ſuperiùs [p] inquiſitionem diligentem, per quam crimen probetur; quod teſtibus fit. Hos lex duos tréſve requirit, nō pauciores duobus; quod repetitur & inferiùs iſtomet [q] libro, & alijs in [r] locis. Chriſtus quidē duorum teſtimoniū accipi argumentando [s] dixit, cōtra ipſum verò præter alios multos, duo teſtes auditi ſunt, vt reus pronūciaretur mortis [t]. Quod ad ciuiles cauſas, non ad ſolas capitales extenditur, denique ad omne verbū, vt apud Matthæū [u] loquitur Chriſtus: & Paulus [x] ſcripſit, quòd irritam quis faciens legē Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Sed non ſatis aptè aliqui putant huc Apoſtolum [y] reſpexiſſe, quando ſcripſit, ſiue linguis quis loquitur ſecundùm duos, aut vt multùm τὸ πλεῖστον ad ſummum, tres. Agit enim de confuſione ac perturbatione vitanda ſi plures eodem tempore linguis loquerētur: atque duos tréſve ſufficere, idque per partes, particulatim, ſingillatim, viciſſim, *ἀνὰ μέρος*. Cùm porrò Chriſtus dixit; *ſolus* [z] *non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater, & in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt: ego ſū qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me, Pater*; difficultas; eſt, quòd non videatur inter teſtes computandus is, de quo redditur teſtimoniū. Sed Chriſtus erat & homo, & Deus; vt Deus per diuinitatis opera teſtificabatur de ſe homine, probabátque ſub humanitate diuinitatē latere: ſola humana nō ſuffeciſſent, vt proinde etiam dixerit [aa]: *ſi teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*: eodémque ſenſu concedi poſſit Iudæis obijciētibus; *tu* [bb] *de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*. Illuſtrat hoc Toletus [cc], citans pro allata expoſitione Tertullianum [dd], ſiue Nouatum iſto exēplo. Si quis aliquid affirmet de ſe, nec alio probet quàm auctoritate dicentis, de ſe teſtimonium perhibet: at quando ratione, argumentóque vtitur, iam ratio ipſa ſeu argumentum computatur in teſtimonium, & ea vtens dicti ſui teſtimoniū eo modo probat. Emphaſim verò ibi habet quod ait Chriſtus (*duorum hominum*) quaſi tacitè argumētetur, vt Maldonatus [ee] obſeruauit, ſi duorum hominum teſtimonium verum eſt, id eſt, pro vero habetur, cùm ſit omnis homo mendax [ff], quanto erit verius meum & Patris mei teſtimonium, qui diuinæ naturæ ſumus? Nam licèt eiuſmodi duorum teſtimoniū pro vero legitimóque habeatur, illorum, adhúcque plurium poteſt eſſe falsū, vt qui teſtificati ſunt cōtra Naboth [gg], contra Suſannam [hh], contra Chriſtum [ii], contra Stephanum [kk]. Ecōtrario quod obiectū eſt Chri-

a 2. ſemeſt. c. 6. b 2. de lim. agro. c 1. 1. c. 23. d 1. de bello Africano, & lib. de bello Hiſp. *Honeſtiorū mors.* e 2. de irac. c. 16. lib. 1. f l. 2. g l. 15 & 17. h in Augusto c. 57. & in Otto. ſub princip. i Verrin. 5. Paraphr. k in Alex. Seuer. l epiſt 49. m lib 14. *De teſtibus politicis, Eccleſiaſticis & diuinis.* n 3. hiſt. c. 17. o l. 17. ſiue l. 1. hiſto. p v 4. q c. 19. 15. r Matth. 18. 16. Ioan. 8. 17. 2. Cor. 13. 1. Hebr. 10. 28. 1. Tim 5. 18. s Ioan. 5. 17. t Matt. 26. 60. u c. 18. 17. x Heb. 10. 28. y 1. Cor. 14. 27. z Ioan. 8. 16. 17. aa c. 5. 31. bb c. 8. 13. cc ibidem. dd lib. de Trin. c. 22. ee ibidem. ff Pſ. 115. 2. gg 3. Reg. 21 13. hh Dan. 13. 34. ii Matt. 26. 60. 61. kk Actuum 6. 11.

ſto, vt paulò antè dixi, teſtimonium de ſe à ſeipſo perhibitum, non eſſe verum [a]; admitti debet, quia etſi verum in ſe eſſet, non tamen pro tali habendum ſiue pro iuridico, & legitimo, quódque fidē facere deberet, poſsétve in iudicio. Quod ab eodemmet Chriſto affirmatum de ſeipſo retuli [b]; *ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimoniū meum non eſt verum*. Diſtinctionem perſonarū Patris & Filij colligunt inde paſſim: & in Chriſto duplicē naturam diuinam humanámque Tertullianus [c]; *quoniam ſi vnus eſſet Filius & Pater, non vteretur*, inquit, *legis patrocinio, fidem imponentis non vnius teſtimonio, ſed duorū*. Cyprianus [d] verò purgans ſe apud Florentium Pupianum; *ſi ipſe Dominus*, ait, *omnia poſtmodum iudicaturus noluit de teſtimonio ſuo ſibi credi, ſed maluit de iudicio, ac teſtimonio Dei Patris probari: quanto magis hoc ſeruos eius obſeruare oportet, qui iudicio, ac teſtimonio Dei non probantur tantùm, ſed etiam glorian tur?* Tertullianus [e] ait productos Moſem & Eliā teſtes à Chriſto in ſua transfiguratione, & tres apoſtolos, nō quaſi cęteros reprobaret, ſed quoniam in tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Quamuis Pamelius [f] interpretetur Tertullianum de Deo Patre, de Moyſe, & Elia. Chryſoſtomus [g] vrget Iudæos nolentes credere duodecim diſcipulis, qui Chriſtum viderunt aſcendentem in cœlum, cùm lex iubeat credi duobus tribúſve teſtibus. Vbi per diſcipulos intelligens Apoſtolos, duodecim nominat vſitato loquendi modo cùm eſſent ſolùm vndecim. Cyrillus [h] Alex. Ioannis Baptiſtæ laudes poſitas notat in c. 1. ab Euangeliſta Ioanne, vt duorum taliū teſtium auctoritate diuinitas Chriſti comprobaretur. Rabanus myſticè agens dicit atteſtationē legis eſſe, & prophetarum, & euangeliorum, ita vt ſermo quē locutus eſt Ieſus, ipſe iudicaturus ſit diuinæ culturæ indeuotum in nouiſſimo [i] die. Addit Gloſſa ordinaria, & Hugo, in cruce tres linguas teſtatas Chriſtum regem Iudæorum: & Hugo quòd ſub teſtimonio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti peribit quiſque aut ſaluabitur; qui dicūtur tres teſtimoniū dare in cœlo [k]; item ſub teſtimonio duorum teſtamentorum, vt inter medium montium pertranſeant aquæ iudicij: quæ ſunt mirabilia teſtimonia Dei [l]; a prędicatore peccatores interfici debere ſub teſtimonio cordis, oris, operis; cordis, ſcientia ſcripturarum quæ teſtimonium de Chriſto perhibent [m]: oris, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam [n]: operis, ſicut Chriſtus dicebat quòd ipſa opera quæ faciebat, teſtimonium perhibebant de ſe, quia miſſus eſſet à Patre [*]. Sed vt ad inſtitutum reuertamur, latè admodum patet diſputatio de teſtibus, quàm Proſper Farinacius integro volumine cōprehendit. Illud ſolùm poſſet hoc loco deſiderari, quandonam vnius teſtis ſufficiat non ad iudicium quidem vel torturā, ſed ad extremam ſententiam, contra id quod hoc & ſimilibus locis dicitur, contráque commune illud dictū, quòd *dictum vnius eſt dictum nullius*; de quo citatus auctor [o] ex varijs textibus, alijſque auctoribus, id aſſerentibus iuxta ius ciuile, canonicum, diuinum: prætereà ex Q. Scæuolæ exemplo, qui cùm teſtis in reum productus, teſtimonium dixiſſet, diſcedens adiecit, ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem aſſeueraſſent; quoniam vnius teſtimonio credere, peſſimi eſſet exempli [p]. Quod ad idem propoſitum recitat quoque Petrus Gregorius [q]. Vnde infert, non diſcedendum ab iſta doctrina in iudicando, vbi de tertij graui præiudicio, præſertim in criminalibus, agitur: at vbi de nullo, vel modico, poſſe opinionem contrariam admitti:

a Ioan. 8. 13. b Ioan. 5. 13. c cont. Praxeam c. 22. d l 4. ep. 19. ſiue 69. e de præſcr. c. 22. f ibid. n. 135. g tomo 6. nouo ſerm. 7. de aſcenſ. h lib. 2. in Ioan. c. 7. i Ioan. 12. 48. k 1. Ioan. 5. 7. l Pſ. 118. 129. m Ioan 5. 36. n Malach. 2. 7. * Ioan. 5. 36. 10. o diſp. 63. c. 1. p Val. Max. l. 4. c. 1. q l 48. ſyntagm. c. 13. n. 5.

admitti:sed ita, vt nec statuto,nec constitutione, nec consuetudine, nec etiam à Principe vel à Papa possit decerni, vt vnico testi plena adhibeatur fides,nisi fortè in casu aliquo particulari necessitatis;vel euidentis vtilitatis,aut de consensu partium, secundùm quem stari quoque potest dicto ipsiusmet aduersarij, vel eius declarationi: aut si cum vnico teste, qui sit omni exceptione maior, præcedant præsumptiones quantum ad ciuilia.Si spectetur ius naturale, requiritur solùm tale testimonium in iudicio, quod iudicetur alterius partis testimonio certius, pro negotiorum, personarúmque diuersitate: ac proinde non est hoc iure certus testium numerus; nec etiam certus determinatè sufficit in omni negotio; sed relinquitur determinatio iuri positiuo vel diuino, vel humano. Diuinum quidem ius extat in locis recitatis de duorum triúmve testimonio, humanū diuersis modis determinauit, prout iudicauit diuersas causas exigere. Nam etsi ordinariè in vtroque iure statuantur duo, vel tres, quemadmodum in dicto iure diuino; tamen in testamento, quod fit apertè, requirit quinque testes; si obsignetur, septem: ad Episcopum deponendum, 72. ad cardinales presbyteros, 64. ad diaconos cardinales, 27. ad alios inferiorum ordinum, septem [a]: cùm tamen scribat Paulus [b] aduersus presbyterum accusationem recipi non debere; nisi sub duobus aut tribus testibus. Quod aliqui de seniore intelligunt; alij de Episcopo: quidam de quolibet sacerdote: nonnulli de sacrapersonis, quod nec accusatio eorum admitti debeat absque illis testibus. Soto maior [c] post Aquinatem [d], & alios docet illum canonem seruandum dumtaxat quando pauciores testes non videntur idonei, aut non cōsentiunt, aut suspecti habentur, corruptíve. Deinde canonem Præsul [e], non esse Syluestri Papæ cui Gratianus ascribit: quoniam non meminit Damasus, aliúsve in Syluestro: nec Sixtus III. aut Symmachus Papæ, cùm adeò grauiter accusarentur; nec inter alia decreta authentica mētio ipsius fit: immo *ex c. qualiter & quando, de accusationibus.* colligitur Episcopum damnari posse ex ore duorum aut trium testium: & alioqui malus Episcopus vel presbyter si tam multi testes necessarij sunt, vix vnquam damnari posset atque puniri. Adde Hincmarum [f] negare tale decretum factum à Syluestro. Quod si recipiatur; subiūgit propter hæreticos & gentiles fortassè factum, qui tunc persequebantur Catholicos: tamen posteriorum sententiam tenendam; qui scilicet adeò multos testes non censent necessarios. Denique concludit [g] si tot exigantur, probari sæpe nō posse. Ioannea Busæus noster in notis ad Hincmarum, secutus Baronium [h], concedit menda in numeris irrepsisse: vt non irrepserint, seculis labentibus per contrariam consuetudinem abolita nonnulla decreta; vel pro ratione circumstantiarum cum melioribus murata, vt docet Augustinus [i]. Item solius Imperatoris [k], aut etiam Papæ [l], testimonium sufficit ad firmitatem testimonij. Omitto alios casus. Nec verò desunt, quos Valentia [m] noster sequitur; qui existiment prædictum huius, & similium, scripturæ locorum præceptum, iudiciale dumtaxat fuisse; ac idcirco iam vim necessariò non habere; quoniam Christus nullum præceptum dedit præter illa, quæ pertinent ad fidem, & ad sacramentorum perceptionem: quamuis citauerit illud [n], non vt confirmaret, sed quoniam agebat cum populo, qui tenebatur & vtebatur illo; & quia est valdè consentaneum iuri naturali. Quod asseri etiam potest de Paulo [a], idem vsurpante, idémque de Apostolicis constitutionibus apud Clementem [b], vbi testium etiam conditiones traduntur. Nec Alexander III. [c] diffitetur, dum improbat consuetudinem, requirendi quinque testes in testamentis: atque alienum esse à diuina lege, à sanctorum Patrum institutis, ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine; cùm scriptum sit, *in ore duorum, vel trium*, &c. ac demum decernit, vt deinceps testamenta testimonio duorum vel trium confirmata, præsente Parocho, rata habeantur. Loquitur de testamentis ad pias causas; docétque tot testes exigere, alienum esse à lege diuina; non quasi velit esse contra diuinum aliquod ius, quod nunc etiam vigeat; sed non esse id conueniens, in piis causis legi naturali, cui legi conuenienter in lege veteri præcipiebatur generaliter, vt sufficerent duo testes. Sic Valentia citatus, prætereáque Bellarminus [d], & pro illo Gretserus [e]. Simili quadam ratione in fauorem libertatis ac manumissionis seruorum canon 85. Concilij VI. in Trullo hac vtens huius loci sententia, decreuit vt serui sub tribus testibus frui possint eo honore, nec opus esset quinque, vt priùs; quemadmodum annotauit Scholiastes Zonaras. Abulensis huc loco improbat opinionem Hebræorum quorundam; etiā si quis confiteatur crimen, occidi non debere, si desint testes. Hoc, inquit, contra rectam rationē, & præsumptionem violentam omnium hominum est, quia non præsumitur, quòd aliquis contra se falsum dicat vt occidatur; sed si hoc velit, per seipsum occidere se potest. Quare lex non vetat occisionem absque testibus, Quando quis cōfitetur; sed vt non per pauciores testes quam per duos, cùm criminis probatio fit per testes. Plura in 2.2.q.70.a.2. Theologi, Iurisconsulti *in l. Vbi D. de testibus*, Canonistæ *in c. Licèt vniuersis, de testibus, & c. cum esses, de testam.* Summistæ verbo *Testis*, Enarratores Matthæi, Ioannis, Pauli locis citatis. Placet in vniuersum cùm causa criminalis est, seruandum ordinariè ex iore gentium recepto, & in naturali fundato, quia plures non ita peruerti possunt, numerum duorum, triúmve testium. Sed nec tamen est improbabile, dari posse à republica potestatem Principi sapienti, & iusto, vt ex propria scientia, eum vno teste, vel etiam absque teste condemnet. Lege Lessium [f] nostrum. Porrò Glossa decreti [g] quod testimonium duorum vel trium dicitur, docet addi (*trium*) vt comprehendatur actor pro vno teste, loquendo de denunciatione [h]: vel quia quandóque secundùm canones plures quàm duo requiruntur, numquam pauciores. Quod vltimum paolò antè dixi quo pacto debeat intelligi. Faustus Manichæus abrogabat fidem Ioannis euangelio, variísque in locis vitiatum asserebat, sed maximè in cap. 5. censens à falsatiis addita illa verba ad Iudæos. *Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit.* Si Christus, aiebat ille, cùm magis res id postulare videbatur, testimonio Moysi ad Iudæos non est vsus, multo minùs credendum est, eum Moysen aduocasse testem, quando eius patrocinio non egebat. Nam cùm se mundi lucem appellasset [i], ac Iudæi indignantes reclamarent; *tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*; tum maximè locus exigebat, vt diceret, Moysen de se prophetasse; quod tamen non fecit; sed tanquam nullum ex Moyse testimonium

[a] 2.q.5.c. Præsul.
[b] 1.Tim.5. 19.
[c] in 1.Tim. 5.
[d] 2.2.q.70. a.2.ad 3.
[e] 2.q.5.
[f] epist.7.c. 21.23.24. 25.
[g] c.25.
[h] anno 314.
[i] 2.de bapt. c.9.
[k] l.Omnium C. de testi.
[l] Cand. apud Sylu. v.testis.
[m] tomo 3. disp.5.q.14. puncto 2.
[n] Matt 18. 16. Ioan.8. 17.

[a] 2.Cor.13. 1.Heb.10. 28.
[b] l.2.c.49.
[c] c.cū esses, & c.Relatū. de testam.
[d] 4.de sūm. Pontif.c. 14.
[e] tom.2. in eundem locum.
[f] de iust.& iur.l.2.c.29. dub.11.
[g] in q.4.in princ.
[h] ha c.omni. de testib.
[i] Ioan.8. 12.

a v. 17.

nium habens, velut alienus respondit [a]; *in lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est*; &c. Refellit hanc obiectionem Augustinus [b], ac simul ostendit de Christo scripsisse Moysen. Ait testium numerum in lege prophetico spiritu consecratum & commendatum esse; vt etiam sic prænunciaretur futura reuelatio Patris, & Filij. quorum spiritus est in illa inseparabili Trinitate Spiritus sanctus. *Alioquin & vnus testis*, inquit, *plerumque verum dicit, & plures plerumque mentiuntur: potiúsque creditum est in exordio fidei Gentium, vni Apostolo euangelizanti, quam populis errantibus, à quibus ipse persecutionem patiebatur*, &c. Præterea monet [c], cùm dixit Christus, *in lege vestra scriptum est*, non sequi non fuisse legem Dei: sed esse sensum, in lege quæ vobis est data, omnium sine dubio à Deo; quemadmodum dicimus *panem nostrum quotidianum*; & tamen dicimus; *da nobis hodie* [d]. Lege Sixtum [e] Senensem.

b 16 cont. Faust. c. 2. & 13.

c ibid. & tract. 36. in Ioan.

d Matth. 6. 11. Lucæ 11. 3.

Explanatio. n. 7. Bibliot. hæresi 3. de Euangel. Ioannis.

In ore duorum aut trium testium.] Hebraicè על־פי *hhal pi*, *iuxta os*: Chaldaicè על מימר *hhal memar*, *per dictum*: Græcè (*in duobus*, &c.) & reperiunt hæ tres editiones bis testes (*iuxta os, per dictum duorum testium*, aut *trium testium*; *in duobus testibus*, aut *tribus testibus*.) Sed in cap. 19. [f] Græca editio habet *in ore duorum*, &c. ἐπὶ στόματος δύο, &c. Optio datur de duobus, vel tribus testibus: nec tamen in tribus computandus est actor, vt antea monui contra quandam Glossam: aut prohibetur vt plures exigantur in certis casibus; vnúsve sufficiat extra causas leuioris momenti, quemadmodum etiam dixi. Cùm autem citata editione Græca loci præsentis de ore seu oris prolatione ac sermone mentio non fiat, quamuis de ore dictóve meminerint aliæ, necnon citato cap. 19. Græca, indicatur posse interdum admitti testimonium muti, quando veritas aliter haberi nequit: vt probat cum aliis Prosper [g] Farinacius, si prudentia & intellectu præditus valeat nutu, aut signis, aut scripto, mentem suam exprimere: quemadmodum & tali licet testamentum condere, matrimonium contrahere, procuratores constituere, & ab aliis constitui, bonorum possessionem petere, manumittere seruum: tandem non refert, vndecumque veritas clareat, quam signa etiam possunt manifestare, immò & in odiosis muto ac surdo signa recipiuntur: Proferuntur ab eodem auctore auctores alij, & iuris vtriusque auctoritates. Pater Ioannis in pugillari scripsit nomen filij, quia mutus erat [h]. Qui autem repelluntur à dando testimonio, consulendi alij. R. Moses Hakkados, id est, cognomine sanctus, & R. Paulus Israëlita in commentariis ad præceptum 214. ex Hebræo catalogo negatiuorum tradunt apud Iudæos à testando submoueri, & arceri filios, nepotes, neptes, vxores, maritos in mutuo testimonio: item affines, cognatos, surdos, cæcos, impudicos, dementes, præsumptuosos. Tritum illud,

f v. 15. *Modus adhibendorum testium.*

g de testib. q. 61. n. 42. & seqq.

h Luc. 1. 63.

Ætas, conditio, sexus, discretio, fama
Et fortuna, fides, in testibus ista requiras.

Hincmarus [i] autem præter Iurisconsultos, theologos, summistas, non pauca de testium conditionibus scribit; de numero autem in testamentis requisito tractatum benè longum Petrus Dominicus Magdalenus. Postremò nomen testis ex antiquæ linguæ Græcæ nomine *Dicus* deriuant: & ad obscœnæ rei significationem Latina vox translata est; quòd sit μάρτυρ τοῦ ἀρρενότητος. Latinitate autem donatum nomen martyris apud Christianos vsurpatur pro eo, qui non oris modò confessione, verùm etiam sanguine suo sancit doctrinam Christi; seu morte violenta hanc ob causam illata, & tolerata. Aliquando eo nomine cohonestati leguntur, qui genus aliquod tormenti experti essent; quamuis non occubuissent, quos etiam aliter martyres designatos vocabant: vel nomine confessorum; quod nomen licèt reipsa idem valere possit ac nomen martyrum; dicto tamen modo à Tertulliano, Cypriano, aliísque antiquis, distingui solent: & præterea nomen confessoris accipi de illo, qui coram fidei hostibus, confessus esset, ab illis interpellatus: Cùm autem professorem nominabant, qui se, non interpellatus, ingerebat martyrio (quod tamen displicuit Mensurio Episcopo Carthag. [a] & Cypriano [b], Iulio Papæ [c], Athanasio [d] Papæ, Clementi [e]: qui timore correptus ne fidem proderet, taliom obibat spontaneum, extorrens; quem nihilominus censebant numero martyrum, si ea de causa mortem oppetiuisset. Sed obtinuit vsus, vt quisquis sanctam vitam sancto fine conclusisset, moriens naturaliter, confessor appellaretur. Priore acceptione vocis confessoris, & martyris vsus videtur Prudentius [f] de Gaio, & Crementio

i ep. 7. c. 1. & seqq.

Testis etymon.

a Aug. breu. collat. cum Donat. in 3. die c. 13.

b epist. 15. & 82.

c epist. ad Orient.

d in apolog. de fuga.

e 5. constit. c. 7.

f perister. pha. hym. 7.

Addxis Gaio (nec enim silendi)
Téque Crementi; quibus incruentum
Ferre prouenit decus, ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi Dominum. steterunt
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo gustarunt leuiter saporem
Martyriorum.

Lege Pamelium [g], & Baronium [h]: quorum posterior [i] pseudomartyres distinguit à veris martyribus; nominatim Euphemitas, qui ob multitudinem suorum pseudomartyrum, Martyrianos seipsos cognominabant, Epiphanio [k] teste, negante illos aut Christianos fuisse, aut Iudæos, cùm tamen quod Ecclesiæ morem in ædibus, hymnis, & similibus præpostera quadam imitatione auderent exprimere, veritatémque adulterando corrumperent, occisi à Lupiciano duce essent à διὰ τὸ παραχαράττειν τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀντιμιμεῖσθαι ἐκκλησίας τρόπον, μὴ ὄντας χριστιανὰς, μήτε ἐξ Ἰουδαίων ὁρμωμένας, *Martyrem non facit pœna, sed causa*, loquit Augustinus [l]. Lectu digni concilij Ancyrani canones primi nouem de martyribus quinam censendi sint, & de ipsorum priuilegiis Ferdinandus [m] Mendoza.

g in Cypr. epist. 9.

h in notis martyr. 2. Ianuar. lit. h.

Martyriani.

i de martyrol. Rom. c. 10.

k hæresi 80.

l epist. 167. serm. 17. de verb. Dom. in decretal. c. 16 Matthæ, de col. Missar.

m pro concilio Illiber. l. 3. c. 48.

Peribit qui interficietur] Hebraicè (*morietur moriendus*) vt vertit Pagninus, id est, qui reus est occisionis. Sic Hebræa יומת המת *iumath hammeth* explanantur à paraphrast Chaldæa יתקטיל דחייב קטול *ithketel dechayeb ketol*. In editione Græca ἀποθανούμενος *morietur*.

Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.] Hebraicè (*moriens non morietur per os testis vnius*) Chaldaicè (*per dictum*) Græcè (*in vno teste*) quemadmodum paulo antè quod habetur (*in ore*) editiones aliæ extulerunt eadem dicendi formula, quæ hîc est. Dictum priùs reo confitente, non opus esse testibus: tum etiam quando vel vnus sufficiat, vel nullus requiratur. Præsenti sententia, vt Caietanus notauit, ne credatur tertius testis necessarius subiungi quod nunc

nunc dicitur, non sufficere vnum vt quis damnetur ad mortem: videlicet ordinariè, ac iuxta illa quæ dixisse me antea, modò monui. Vnius testimonium, ait Glossa interlinearis & Hugo, nec legibus, nec canonibus suscipitur.

Vers. 7.] Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur; vt auferas malum de medio tui.

Paraphr. Pertinet hic versus ac ritus cum priore ad modum quo reus idololatriæ, indicari puniríque debeat; de quo ritu actum alibi [a]. Perstringit Abulensis causam cur primò testes inicere iubeantur manus ad lapidandum idololatram; quia cùm hæc sit offensa Deo facta; magis punire debebant, qui magis de illa cognoscebant. Exemplis verisimilibus ostendi maxnum impositionem dictam super lapidandi caput, nempe super caput Stephani [b]; adulteræ ad Christum adductæ [c]; Matthiæ Apostoli [d]; Susannæ [e]. De Matthia notari in margine Petrus de Natalibus, & Ioachimus Perionius tradunt super caput damnati à Pontifice Iudæorum ad lapidationis supplicium, quod blasphemus visus esset, postmodum ad capitis abscissionem duos testes subornatos manus imposuisse, lapidéque iaculatos esse; quos lapides ille testimonij causa vt secum sepelirentur rogauerit. Petrus autem ait dum lapidaretur securi percussum. Alioqui sola per se lapidatio vt pridem dixi, morti afferendæ sufficiebat. Danielem narrantem, quòd senes posuerunt manus super caput Susannæ, quam accusabant adulterij, simúlque indices ac testes erant, exponunt, id ex isto ritu factum esse, vt significarent se illud caput accusare, atque deposcere ad necem, eo quòd tum accusator, tum testes manus imponebant capiti ret tanquam deuoto ac digno capitali supplicio (instar victimæ [f], quæ huiusmodi manuum impositione, cultro ac aræ destinabatur) formulam hanc quoque istam vsurpantes; *malitia tua te adduxit ad mortem, non nos.*

a Leu. 24. 14 Deut. 13. 9. Actuú 7. 58.
b Actuum 7. 58
c Ioan. 8. 7.
d Petr. de Natal. l. 3 c. 149. Ioach. Perio. in vita Matthiæ.
e Dan. 13. 34.
f Leu. 1. 4. c. 4. 24. c. 16. 21.

Explanatio. *Manus testium prima interficiat eum.*] Idem valet quod est in reliquis editionibus (*manus testium erit in eo* vel *super eum in principio*, aut *in primis, ad interficiendum eum.*) Græca habet præfisam particulam (&) atque *ἐν πρώτοις* in *primis.* Quæ duæ dictiones vltimæ innuere possunt, vt inter primos qui lapidarent, essent testes: præterea illæ (*in eo*) aut (*super eum*) vt manus ponerent super caput lapidandi; vel vt lapidatio fieret contra eum. Diomedes [g] docet in primo dici quod est *ἐν πρώτοις*: Id alij efferunt *imprimis*, aut *inprimus*, cùm sint duæ voces loco aduerbij ordinis, & significent ante omnia, præcipuè, præ cæteris. In Leuitici c. 24. [h] est de blasphemo; *educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.* Qui audierant blasphemiam, super caput eius manus suas ponere debebant, scilicet veluti testes, & mox lapidare, non autem iniungebatur populo reliquo, vt manus item poneret super caput eiusdem priusquam lapidarent; quod difficile, ac inutilis iouræ fuisset. Non refert etiam nomen manus numeri singularis hoc loco. Vtramque manum poni debuisse credo, quemadmodum & super victimam im-

g l. 1. c. de aduerbio.
h. v. 14.

molandam, vnde tractus hic alius ritus dicitur, vt paulò antè dictum est. Quamquam non id admodum curandum est. Simul verò etiam cum impositione dicta manuum, & concepta formula quam recitaui, nuncupatum à testibus iuramentum videri aliàs dixi [a], quia non nisi à iuratis testimonium recipi soleret tum apud Hebræos, tum apud Gentiles.

a in Leuit. 24. 14.

Et manus reliqui populi extrema mittetur.] Non est verbum (*mittetur*) in editionibus aliis, sed tantùm (*& manus omnis populi in nouissimo, in vltimo, postea* בַּאַחֲרֹנָה *baacharonah*, בְּבַתְּרֵיתָא *bebethretha*, *ἐν ἐσχάτῳ*: sed in emendatis, *ἐν ἐσχάτῳ in vltimis.* Non acciperem ita exactè hoc præceptum, vt necesse esset ab omni populo lapides iactari, nec antequam nosius mortuus esset, nec, & quidem multò minùs, postquam mortuus. Non etiam oportuisse imponi à populo manus super illum, paulò ante monui. Inuitabantur omnes ad lapidandum, & cuiuis potestas dabatur vt lapides iaceret: Hoc sibi vult manum manúsve mitti in aliquem, id est, ea manu, manibúsve lapides missos iactari. *Mittere manum* [b] *in quempiam*, est illum punire, aut vi apprehendere. In Leuitici 14. [c] omnes ponete iubentur manus super lapidandi caputin cap. 13. [d] libri nostri, vt sit primum manus eius qui ad idololatriam prouocatus fuerit, postea omnis populus mittat manum. Mittere manum, in genere est quidpiam aggredi, quod ex adiunctis euiusmodi sit intelligitur. Quando autem Herodes manum misisse scribitur vt affligeret quosdam de Ecclesia [e], docui aliàs [f], non idem esse ac exercitum, licèt hunc manus aliquando significare possit. Vulgo (*mettere le mani adosso à qualch'vno*) est comprehendere & malè tractare.

Manum mittere pro ferire.
b Gen. 19. 10. Leu. 24. 14. Nu. 15.
c Esther 8. 7. c. 12. 8. Iob. 1. 5.
c v. 14.
d v. 9.
e Actuum 12. 1.
f ibid.

Vt auferas de medio tui.] Sic priùs cap. 13. [g] Vtrobique Græcè (*τὸ πονηρὸν*) substantiuè, & (*de vobis ipsis*) ἐξ ὑμῶν αὐτῶν: ibi *ἀφανιεῖς delebis*, aut *ἀφανιεῖτε delebitis*: hic *ἐξαρεῖς auferes*, aut *ἐξαρεῖτε auferetis.* Chaldaicè vtroque in loco (*auferes facientem malum* תְּפַלֵּי עָבִיד בִּישׁ *thephalle bhaued debis.*)

g v. 5.

Vers. 8.] Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

Paraphr. Hoc ad versum vsque 13. inclusiuè agitur de iudicibus qui constituendi erant in ciuitatibus singulis ad causas decidendas tum criminales, tum ciuiles, tum quæ ad legales munditias immunditiásve pertinerent: ita vt si non conueniret inter iudices minores, immediatósque, cognitio referretur ad summum sacerdotem, qui habitaret in loco iuxta institutionem Dei electo ac destinato pro cultu diuino: cuius summi sacerdotis iudicio stare oporteret, sicut & minorum, vbi horum sententia dubia non esset; inobediens verò grauiter puniretur ac interficeretur ad aliorum exemplum. Causæ ceremoniales, ac sacræ, qualis de lepra, & immunditia quæ arcebat à sacris, & sub qua comprehendi debent aliæ de fide & religione, spectabát ad sacerdotes; iudiciales siue criminales siue ciuiles, ad magistratum

ſtratum laicum, iudicéſque in ſingulis vrbibus conſtitutos, de quibus priore [a] capite actum eſt, (hos ex Ioſepho refert Hugo in ſingulis vrbibus ſeptem conſtitutos additis duobus Leuitis) quas cauſas hoc loco denotat nomen ipſum cauſæ, & ſanguinis. In his omnibus, ſi his definiri nequiret ab aliis iudicibus particularibus; appellatio erat ad ſummum Pontificem reſidentem in loco ſacro, cuiuſmodi fuit Ieruſalem; qui pontifex vtebatur conſilio aliorum ad hoc deputatorum, & reſpondebat, atque terminabat controuerſias tanquam verus & certus legis interpres, ſiue per vrim & thumim in rationali, de quo aliàs dictum eſt, ſiue alio modo. Nam Saul queſtus eſt non reſpondiſſe Dominum ſibi neque per ſomnia, neque per prophetas, neque per ſacerdotes [b]. Lyranus hoc loco, & Sigonius [c] aſſignant ſolas cauſas ſacras ſacerdotibus, ciuiles autem ſecularibus iudicibus. Communior opinio eſt de vtriſque ſacerdotes iudicare potuiſſe, maximè verò pontificem; prout indicant verba decimi vel duodecimi verſus; atque capitis vigeſimi primi verſus quintus, Ezechielis capitis 44. verſus 24. docétque Philo [d], & Ioſephus [*]. Vocat iſte ſacerdotes inſpectores omnium, iudices controuerſiarum, punitores damnatorum, conſtitutos à Moſe: ille ſcribit ab hoc eodem damnatum ad mortem ex concilio ſacerdotum, qui de more aſſidebant ei, illum, qui ligna collegerat in ſabbato, de quo narratur libro præcedente [e]. Sed & Caiphas in concilio ſententiam mortis tulit in Chriſtum [f]: Ananias percuti Paulum præcepit in concilio [g]: Ananus reum mortis peregit Iacobum fratrem Domini [h]: alius pontifex Matthiam [i]. Tale quid factitabatur apud Gentiles Æthiopas [k], Ægyptios [l], Perſas [m], Athenienſes [n], Gallos [o], Romanos [p], &c. Apud Hebræos idem fuit iudicium Pontificis & iudicis, quando eadem fuit perſona vtroque fungens officio; vel quia iudex ſecularis tenebatur conformare ſententiam ſuam ſententiæ ſacerdotum & Pontificis. Er quidem diuiſis etiam tribubus in regnum Iuda, & in regnum Iſrael, ſuum adhuc ius Pontifici perſeuerabat in vtrumque tum quoad Leuitas vtrobique habitantes, tum quoad cõtrouerſias vtriuſque regni. Sub initium Eccleſiæ cauſæ cuiuſuis generis, quæ agitabantur inter Chriſtianos deferebantur ad Epiſcopos; vt liquet ex Clemente [q] (qui tamen [r] ait poſtea id reiectum ad alios, ne præfocatus præſentibus Epiſcopus, non poſſet verbo Dei vacare, &c.) ex conſtitutione Theodoſij, quam confirmauit Carolus [s] Magnus; exemplo Gregorij [t] Thaumaturgi, Syneſij [u], Ambroſij [x], Auguſtini [y]. Sed poſtremi tres de hoc onere conqueruntur, indicántque non tam iure Epiſcopali arrogaſſe id ſe ſibi, quàm litigantium ad ſe confugientium voluntati morem geſſiſſe; quos Epiſcopos Chryſoſtomus [z] arbitros appellabat διαλλακτὰς *dictos reconciliationis auctores.* Hoc arbitrium videntur dicti Imperatores Epiſcopis conceſſiſſe, immò & iudicandi facultatem. Legatur Codex [aa] Theodoſianus, & aliæ quædam decretorum [bb] collectiones. Conſtantinus, teſte Sozomeno [cc], iudicum ſententias, Epiſcoporum ſubiectas iudicio eſſe voluit: ſicut Alexander Seuerus pontificum & augurum [a]. Ob eiuſmodi tantam auctoritatem, de qua etiam Baronius [b]; Ioan. [c] Molanus ait vt plurimum Epiſcopos depingi ſedentes in throno. Hac vſus auctoritate Nicolaus, exempli cauſa, tres ad ſupplicium innocenter pertractos liberauit, vt plurium teſtimonio demonſtrat Antonius Beatillus noſter in eiuſdem vita, diligenter ac eruditè conſcripta [d]. Iterum Conſtantinus occaſione aliorum trium ſtratilatorum iniuſtè damnatorum, ſed monitu terribili Nicolai in ſomnis liberatorum renouauit ſimile edictum, de quo idem Baronius [e]. Porrò pontifex ſynagogæ videtur, quantum ad cauſas fidei, religionis, morum communiter cunctia proponendorum, infallibili præditus auctoritate fuiſſe pro ſibi ſubiectis Hebræis, vt præterea colligitur ex Paralipomenis [f]. Id probat Caniſius [g] noſter ex Ioſepho, quem citat Euſebius [h], ex Aggæo [i], & Malachia [k]; requirentibus de ore ſacerdotis legem ſcribentibus; ex Ieremia [l], quòd non peribit lex à ſacerdote, &c. ex Caiphæ vaticinatione de morte [m] Chriſti; tandem ex hoc loco noſtro. Quamquam fatendum eſt apud Ieremiam loqui contra ipſum Iudæos, qui non errarunt in illis verbis, ſi accipiantur de ſacerdotum concilio officióque, pro eo tempore quo loquebantur; ſed quia credebant legem perire non poſſe à ſingulis ſacerdotibus, quorum idcirco nonnullis addicebant ſe, contra Ieremiæ conciones: præterea quatenus gerebant perſonam eorum, qui Chriſtum ſunt perſecuti vſque ad necem; qui & ipſi dicebant, non periturum legem à ſacerdote: habere ſe Moſem & prophetas, legis intellectu vero ſe præditos eſſe; Chriſtum ſecundùm legem debere mori, &c. Et tamen Ezechiel [n] de tempore Chriſti prædixit quòd quæſituri eſſent Iudæi viſionem de propheta; quódque lex periret à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus. Quod alij referunt ad tempus quo Ieruſalem à Chaldæis incenſa eſt, tantáque calamitas fuit, cui nihil ab dictis modis lenamenti reperiretur. Eodem argumento alij paſſim vtuntur ex infallibilitate pontificis ſynagogæ ad infallibilitatem Papæ: tum verò qui explanant Matthæi c. 23 [o]. *Super cathedram Moyſi*, &c. Scribit etiam Auguſtinus [p] quòd illa cathedra Moyſi cogebat bona dicere etiam non bona facientes, nec permittebat docere aliena. Chryſoſtomus [q] argumentatur, ſi Moſis ſedes adeò veneranda fuit, vt propter ipſam audire oportuerit ſacerdotem, multo magis ſedem Chriſti pro Eccleſia, vt videlicet, aſſiſtente ſibi Spiritu ſancto non erret: ſimúlque ſit ius appellationis ad eamdem, vt nominatim hinc infert Hugo hoc loco, poſt Gloſſam interlinearem, & Lyranus: tametſi hic, & Hugo, de cauſis fidei loquantur: & Lyranus, vt autè dixi, diſtinguat Pontificis, & Imperatoris auctoritatem ratione diuerſi generis cauſarum ſpiritualium, & temporalium; atque huiuſmodi diſtinctionem ſummi ſacerdotis, & iudicis populi, aſſerat fuiſſe vt plurimum apud Hebræos: aliquando in eamdem perſonam concurriſſe officium vtrumque, vt in Heli: & recurſum ad vtrumque coniunctim, cùm diſtincti erant, fuiſſe in cauſis, quæ non poterant terminari ab vno ſine alio, vt in ædificatione tẽpli; (adde bellum vt ex libro præcedente colligitur [r]: & quòd qui inconſulto illo graue quid aggreſſi ſunt,

Marginal notes (left): a verſ. 18. — b 1. Reg. 28. 6. — c 6. de rep. Hebr. c. 7. — d 3. de vita Moſis. — * 2. contra Apion. — e c. 15. 35. — f Ioan. 11. 50. — g Actuum 23. 2. — h Ioſeph. 20. antiq. c. 8. — i Petr. de Natal. lib. 3. c. 149. Petron in vita Matthiæ. — k Strabo li. 17. — l Ælia. 14. var. hiſtor. c. 34. — m Agathias lib. 2. & alij. — n Ioſeph. 14. antiq. c. 19. — o Cæſar 6. de bello Gall. — p Cice. 2. de legibus & alij. — q 2. conſtit. c. 49. 50. 51. & epiſt. 1. — r epiſt. 1. — ſ 11 q. 1. c. Quicumq. c. omnes. & c. Volubat. — t Nyſſe. in vita. — u epiſt. 57. & 58 — x epiſt. 49. ad ſororé.

y 2. offic. c. 29. & de illo Auguſt. 6. confeſſ. c. 3. y de opere monach. c. 20. in Pſ. 118. concio. 24. epiſt. 147. Poſſid. in vita c. 19. z in 1. Cor. 6. hom. 16. aa lib. 16. tit. de epiſc. aud. l. 1. bb lib. 6. c. 28: in concil. 3. Valent. item apud Iuonem & apud Anſel. in decret. cc lib. 1. c. 9.

Marginal notes (right): a Fulgo. lib. 1. Eborea. — b tom. 2. c. de relig. b anno 57. — c de picto. imag. c. vlt. — d lib. 5 c. 8. — e anno 327. — f lib. 2. 19. 11. — g 1. de corrup. verbi Dei c. 9. — h 8. de præpar. c. 2. lib. 12. c. 11. — i c. 1. 12. — k c. 2. 7. — l c. 18. 18. — m Ioan. 11. 49. & ſeqq. — n c. 7. 26. — o v. 5. — p 4. de doct. Chriſt. c. 27. — q hom 3. in epi. ad Coloſſ. — r c. 27. 18.

sunt, errarunt: vt Iosue [a], & Saul [b]: præterea quòd oblata occasione; Ioiadas adeò multa & fecit & decreuit ad politiam spectantia [c];) vel diuisim ad summum sacerdotem in spiritualibus; in tẽporalibus ad iudicem supremum siue principem. Hugo profert appellationem Pauli ad Cæsarem [d]: sed ea vsus est ad redimendam vexationem, non quòd iure ipso pertineret talis causæ ac personæ diiudicatio ad politicum magistratum. Rickelius idẽ notat de concursu officij vtriusque in eamdem personam sub Heli, & sub Machabæis, postea distinctis personis mandata officia, & consequenter distinctum recursum seu appellationem fuisse, exceptis causis, quæ ab vtroque magistratu penderent, eo modo quem dixit Lyranus: hoc ius in Ecclesia seruandum; proptereàque ad Papam appellari non solùm dum alij iudices discordant, sed quamuis concordent. Caietanus distinguens pontificis personam à persona iudicis siue principis laici; hic est textus, inquit, super quem fundatur regula, quòd in ambiguis tam naturalis, quàm diuini iuris, ad summi spectat sacerdotis officium interpretatio seu declaratio, immò docere & iudicare auctoritatiuè. Oleaster ortas hinc appellationes docens, admonet, supremos principes & consilia, vt rectè iudicent, & Deum ipsum consulere studeant. Leonardus Marius si tantum fuit veteris synagogæ beneficium, vt in causis dubiis haberet certum iudicem in ordine etiam ad bonum politicum, isque diuinitus edoceretur de his, quæ ad dubij decisionem pertinebant, argumentatur omnino decuisse, vt Ecclesiæ, cuius finis multo dignior est, de infallibili iudice prouideretur. Atqui non in ordine ad politicum dumtaxat bonum, sed etiam ad religionis fideique collatum synagogæ beneficium illud fuit. Seraphinus Capponus confirmat hoc ex loco primatum Petri, & successorum ad infallibilem causarum fidei decisionem, & cum iure appellationis ad eumdem, siue consulat alios, siue solus ac per se definiat: Ita vt inferiorum sententiæ ratæ non sint, nisi tacitè, vel expressè approbentur ab illo; & idcirco in huius indicium apponatur hîc conditio, si alij secundùm legem iudicauerint, non autem cùm agitur de summo sacerdote; quoniam errare non potest: mortéque dignus est, qui ex superbia detrectet iudicium ipsius. Disputat libro 3. operis pro canonibus Apostolorum, & epistolis decretalibus Pontificũ Turrianus noster, de appellationibus ad Romanum Pontificem, apertissimis grauissimisque prolatis testimoniis. Ex quibus id quod c. 3. transcribit ex Theodoreto, ad Leonem Papam I. & separatim ad Renatum presbyterum, in primis perpendendum existimo. Ait enim se ἐπικαλεῖσθαι τὸ κριτήριον, *appellare tribunal* Leonis, *obsecrare, vt se iubeat ad se accurrere* δραμεῖν πρὸς αὐτόν, id est, iudicium suum adire; *ipsum expectare* τὸ κριτήριον *tribunal, tanquam* ἀκλινὲς τοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν, *incorruptum*, seu *indeclinabile Dei, & saluatoris nostri.* A Renato petit, suadeat Leoni, Apostolica vt vtens auctoritate, iubeat se ad eius Accurrere concilium ἐπὶ τὸ συνέδριον ἀναδραμεῖν: *quia teneat ea sedes sancta, gubernacula regendarum cunctis orbis ecclesiarum*, τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν τὰς ἡγεμονίας. Prodiit etiam nuper F. M. Ant. Capelli Franciscani Conuentualis amici nostri, tractatus eruditus vtilisque, de appellationibus Ecclesiæ Africanæ: quo de argumento priùs egerat citatus Turrianus noster. Primus docet canonem secundi & tertij concilij Carthag. [*] quo vetita est appellatio ad transmarina; scientibus & probantibus Rom. Pont. editum esse antiquam consuetudinem in Africa fuisse, vt presbyteri aliique ordinum inferiorum clerici à suis Episcopis non prouocarent ad Apostolicam sedem, sed ad concilia prouinciarum suarum, bis quotannis celebrari solita, si ab his prouocandum putassent, liberum fuisse adire Romanam sedem; cui Africa suberat, non tantùm iure supremi primatus, sed etiam iure Patriarchali: Episcopos potuisse immediatè causas suas illuc deferre: cùm ex priorum infra Episcopos clericorum genere, aliqui postea immediatè ad Apostolicam sedem, declinatis prouincialibus conciliis, appellarent; quod alioquin iure communi possent, ob canonem 6. concilij Niceni, tribuentis patriarchæ potestatem eorum, quæ delata erant metropolitanis & synodis prouincialibus; Romanos Pontifices voluisse, vt dicta consuetudo retineretur in Africa; eámque ob causam editum canonem de appellationibus, eorumdem iussu: quamuis concederetur omnem appellationem vetitam, non ideo exemptam Africam à potestate Romana; cum Episcoporum iudicia Romanæ sedi constet non interdicta. Hanc eandem appellandi communem omnibus potestatem ad summum Pontificem comprobat ex hoc ipso loco nostro Hector [a] Pintus, allatis præterea Pontificum atque conciliorum testimoniis, nec non Patrum, & recentium auctorum. Idem facit Ioannes [b] Nodinus, allatis item canonibus [c], & exemplis Imperatorum Regúmque catholicorum: præterea Thomas [d] Bozius, Iodocus Coccius [e]. Rectè porrò Gratianus [f] monet, posse scientia præeminere Pontificibus tractatores diuinarum scripturarum, vt Augustinum, Hieronymum; tamen quia dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in causis definiendis secundum post eos locum habere. Sequitur præterea scripturas diuinas, quæ difficiles obscuræque sunt, vt alibi probatum est; ac de Pauli epistolis Petrus [g] testatur; proprio autem ingenio interpretationéve declarari non debent, sed secundùm Spiritus sancti dictamen quo inspiratos locutos sanctos Dei homines idem Apostolus [h] Petrus scribit, ab vno aliquo pro auctoritate exponendas, vt & controuersias fidei religionisque tanquam à summo & infallibili iudice: cuius iudicio ac definitioni standum sit, &, vt paulò pòst hîc habetur, facere oporteat quodcúmque dixerit, & docuerit iuxta legem, certò nobis persuadendo, non aliter iudicari & definiri ab eo, cui munus hoc impositum est, cum promissione assistentiæ diuinæ infallibilis: ita vt quod dicitur (*qui dixerint & docuerint iuxta legem*) non sit conditio, si videlicet sic dicerent, docerentque, sed indubitata promissio, quòd eo modo dicturi ac docturi essent. Alioquin, vt ratiocinatur noster Bellarminus [i], póstque ipsum hoc loco Cornelius, fuissent homines magis perplexi & dubij, quàm antea: nec opus fuisset, ire ad sacerdotem, si potuissent ex lege Domini per se iudicare: fuisséntque ipsimet iudices non sacerdos, vtpote de huius iudicaturi sententia. Quare hîc redditur securus populus, qui acquiescat iudicio summi sacerdotis; cùm affirmatur iudicaturum iuxta legem: &

a Iosue 9. 14.
b 1. Reg. 14. 56.
c 4 Reg. 11. & 2. Paral. 23.
d Act. 25. 10. 11.
Primatus Petri, & successorum.
* c. 27. & 28.
a in Exod. 44.
b li. de vict. Hebr. siue in Exo. c. 4.
c d. 19. c. 3. d. 96. c. 11. & seqq.
d de signis Eccle. li. 17. signo 75. c. 4.
e thesau. cath. lib. 7. a. 6.
f d. 20. in princ. §. 1. & 2.
g 2. epist. 3. 15.
h 2. epist. 1. 21.
i 3. de verb. Dei c. 4.

& non acquieſcenti mortis minæ intentantur, quam executioni mandet is, qui vocatur hoc eodem loco iudex, præcedente ſacerdotis ſententia; ſi placeat diſtingui hic iudicem pro politica perſona, à ſacerdote, vt idem Bellarminus [a] indicat. Infert is autem [b] adhuc poſſe Pōtificem veras leges condere, cùm id potuiſſe pōtificem Hebræorum hîc inſinuetur per nomen imperij perque mortis pœnā non obedienti eius imperio. Plura Bellarmini propugnator Gretſerus [c] itē noſter, qui per nomen legis probat non intelligi præciſe legem Moſaicam, vel ſacram Scripturam, ſed ſententiā iudicis, quæ cenſetur lex quædam particularis, non contraria legi vniuerſali & ſcripturæ; quamuis non ſit in ea expreſſe contenta, cùm ſufficiat, vt non ſit contraria, vel aduerſa, ſed conſentanea: quemadmodum contingit in deciſione politicarum cōtrouerſiarum, quæ facta cenſetur iuxta legem ciuilem hoc ipſo quòd illi non aduerſatur, ſed congruit. Adiicit Pontifici Iudæorum non conſtitiſſe auctoritatem ſupremam ſuam, Christo in terris verſante, atque forma aſpectabili inter Iudæos degente, ac docente: attamen monuiſſe, vt audirentur Scribæ & Phariſæi ſedentes in cathedra [d] Moyſi; vt calumniæ præcideret occaſionem, quòd à Deo institutæ ſynagogæ nullum deferret honorem, Moyſique, ac legis contemptor eſſet: vt proinde Caiphas errauerit, blaſphemū appellans Chriſtum ipſiúſque doctrinam, eſſe ſeductorem, & è medio tollendum. Quòd ſi contra Ieremiam quoque machinati ſunt ſacerdotes [e], non fuit in machinis illis quidpiam ad mores communes, doctrinamve pertinens: ſed tanquam priuati, contra prophetam egerunt; ac ne id quidem ſoli, etiam in concilio coacti; ſed populus Iudaicus eidem infenſus Infeſtuſque, propter conciones acriores, quibus ad pœnitentiam hortabatur peccatores: immò vt de ſolis admittatur ſacerdotibus; omnes in Ieremiam inſurrexiſſe probari nequit, aut in concilio legitimè congregatos, in eum de doctrina ſententiam pronunciaſſe. Innocentius [f] Papa III. ſcribens de legitimatione filiorum, probat ex hoc loco Papam non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerit poteſtatem, verùm etiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem iuriſdictionem caſualiter (id eſt, oblatis quibuſdam cauſis & caſibus) exercere: non quod alieno iuri præiudicare velit; ſed quia ſicut in Deuteronomio, inquit, continetur, *ſi difficile*, &c. Mox poſt recitatum hunc locum totum ſubiicit. *Sanè cùm Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locus enim quem elegit Dominus, Apoſtolica ſedes eſſe cognoſcitur. Cum enim Petrus vrbem fugiens exiuiſſet, volens eum Dominus ad locum quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo,* Domine quò vadis? *reſpondit*, venio Romam iterùm crucifigi, &c. Addit prætereà ſacerdotes Leuitici generis eſſe ſacerdotes coadiutores in executione ſacerdotalis officij, qui verò ſuper eos ſiue iudex exiſtit, eſſe cui Dominus inquit in Petro; *quodcumque ligaueris*, &c. vicariúſque eſt eius qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec conſtitutus iudex viuorum & mortuorum. Deinde diſtinguit tria iudicia, inter ſanguinem & ſanguinem, per quod intelligatur criminale & ciuile; inter lepram & lepram, per quod Eccleſiaſticum & criminale; inter cauſam & cauſam, per quod vtrumque tam Eccleſiaſticum quàm ciuile; in quibus cùm aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum; cuius ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Itaque concluditur argumento ex comparatione minorum & maiorum, cùm ſacerdos ſummus ſynagogæ poſſet de controuerſiis ex lege pendentibus infallibiliter iudicare; longe magis talem auctoritatem in Eccleſia eſſe debere penes Pontificem. Nam quod ait Caluinus [a] ſynagogam, atque etiam Eccleſiam, quo tempore viuebat Petrus, anguſtis terminis contentam fuiſſe; poſtea hanc per vniuerſum orbem diffuſam; ita vt quamuis expediuiſſet vnum paſtorem tunc præficere; nō expedire id hoc tempore; quemadmodum, non quia vni colono vnius, alteriúſve agri committi cura commode poteſt, ſequitur orbis totius agrorum culturam vni poſſe committi: retorqueri in eum debet. Siquidem quo maiore, inquit noſter Valentia [b], omnium varietate & numero exiſtente, maius diſſidiorum periculum eſt, quibus ſcindatur Eccleſia, hoc maior vnius ſummi paſtoris neceſſitas eſt; cuius officio auctoritatéque componi controuerſiæ valeant; inferioribus autem paſtoribus, ac miniſtris tanta poteſtas attribuatur, quanta ſit ſatis. Alioqui probabitur vlteriùs, argumento Caluini, ne vnius quidem diœceſis paulò amplioris, vni dūtaxat Epiſcopo curam rectè committi; ſicut nec vnicus colonus poteſt vnius prouinciæ, immò nec vnius ciuitatis habitaturum agros conuenienter colere. Cypriani [c] veriſſima ſententia eſt, adhibentis præſentem locum (in qua facit loquentem Deum, licèt loquatur non hîc, ſed Moſes) & ex lib. 1. Regum [d], vbi queritur Deus à petentibus regem, eſſe ſe ſpretum ſeu abiectum; & ex Luca [e], *qui vos audit, me audit*, &c. cum exemplis Chriſti mittentis leproſos ad ſacerdotes [f]; níſque contumelioſè dicentis aduerſus Pontificem cùm ſiſteretur ante ipſum [g]; & Pauli cauſantis neſciſſe ſe quòd pontifex eſſet, quamuis iam crucifixo Chriſto nihil de ſacerdotali honore & auctoritate retineret, ſed inane nomen, & vmbram quandam ſacerdotis Apoſtolus cogitaret; *Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex* (nota ſacerdotis & iudicis nomina coniuncta) *vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quidquā moueret*, &c. Nicolaus Romæus noſter in effigie [h] Caluiniana ex iſto integro loco infert Eccleſiam viſibilem eſſe; magis in ſuperioribus quàm in ſubditis conſiſtere: in rebus fidei non ſtandum proprio iudicio, priuatóve ſpiritui, ſed conſulendum eum cuius fides non deficit, & confirmare fratres iubetur [i]: occurrente difficultate, eundum ad locum à Deo electum, id eſt, ad ſedem Apoſtolicam Petríque cathedram, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum, vt Cyprianus [k] loquitur: non diſputandum an ſupremi iudicis ſententia ſit recta, & ſecundùm legem Domini;

[a] ſup. & lib. 4. c. 1.
[b] c. 16.
[c] tomo 1. circa lib. 3. de verbo Dei c. 4. & tom. 2. circa lib. 4. c. 16.
[d] Matt. 23. 2.
[e] Ierem. 18. 18.
[f] c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi. §. rationib.

[a] 4. inſtitut. c. 7.
Caluinus vincitur.
[b] tomo 3. diſp. 1. q. 1. puncto 7. §. 36.
[c] epiſt. 55.
[d] c. 8. 7.
[e] c. 10. 16.
[f] Matth. 8. 4. c. 22. 19. Marci 1. 44. Luc. 15. 14. c. 17. 14.
[g] Ioan. 18. 13. 19. & ſequent.
[h] ſpecta. c. 7. diſcordia 10 colore 76.
[i] Lucæ 22. 32.
[k] li. 1. ep. 3.

quia si ancillæ synagogæ promissum est quòd indicaret iudicij veritatem, multo magis sponsæ Christi Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis*: promissionè hanc non cuinis competere, sed sacerdotibus Leuitici generis, id est, legitimis Apostolicæ doctrinæ hæredibus, maximè Romano Pontifici: subditos parere debere, qui etiam certi sunt de medijs ad salutem necessarijs: inobedientibus mortem propositam. Cæterùm licèt hoc in vnico summo sacerdote per se locum habeat, extendi potest ad alios Episcopos & pastores suo quodam modo, etsi non cum infallibilitate & absque subordinatione ad Pontificem. Probat id egregiè Hieron. tractans Aggæi[a] verba *interroga sacerdotes legem*; demonstrans nostri etiam loci testimonio, & Pauli[b] requirentis in Episcopo vt sit doctor: sacerdotum esse officij de lege interroganti respondere. Tum subdit: *Certe quia responsuros puto; hoc eorum esse quo sit ab adolescentia praeparant ad docendum: frequenter autem iudicio Domini, & populorum suffragio* (dic nunc fauore & gratia, prece, aut etiam pretio:) & non rarò solas disciplinas alias didicisse) *in sacerdotium simplices elige: saltem illud habeant, vt postquam sacerdotes fuerint ordinati, discant legem Dei, vt possint docere quod didicerint, & augeant scientiam magis quàm opes; & non erubescant à laicis discere, qui nouerint ea quæ ad officium pertinent sacerdotum, magisque noctes & dies in scripturarum tractatu, quam in ratiocinijs & supputatione consumant.* Ad idem propositum profert Parisiensis[c] Synodus Hieronymi citatum locum cum Aggæo & hoc loco nostro. Augustinus[d] verò; *Quis, ait, mediocriter sanus non facilè intelligat scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique posse, immò id semper accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ cum à doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur elatius, quo abiectius aspernanda videbantur. & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur.*

* 1.Tim. 3. 15.
a c.2.12.
b 1.Tim.3. 2.ad Titum 1.9.
c sub Ludou. & Lothario in præfat.
d de morib. Eccl. c.1.

Explanatio. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris.*] Præmonuit Cyprianum[e] hæc recitare tanquam Dei loquentis verba, cùm tamen sint Mosis. Hebraicè כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ דָבָר לַמִּשְׁפָּט *chi ippale mimmecha dauar lamisphat*, *cum fuerit mirabile a te verbum ad iudicium*: aut, si occultum fuerit seu absconditum, & obscurum, si latuerit ac fuerit supra vires tuas, & iudicium particularium cuinspiam verbum tuarum; ita vt vetiens sententiæ, nec decerni quidquam certi queat. Sic in Psalmo 138[f]. *mirabilis facta est scientia tua ex me* נִפְלְאָה דַעַת מִמֶּנִּי *pelaah dabbath mimmenni*, hoc est, *prae me, ac supra vires meas, nec satis valeo eam mirari*: quod magis exprimitur ibidem per ea quæ sequuntur (*confortata est, & non potero ad eam*) vt in commentario annotaui. Vbi attuli etiam ex Prouerbiis[g] (*tria difficilia sunt*, &c. נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי *niphleu mimmenni*. Sic etiam in c. 1[h]. nostri libri (*quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam*.) Hebraicè יַקְשֶׁה מִכֶּם *ikseeh mickem*, *durauerit à vobis*, id est, vestras superarit vires. Quo pacto item habet editio Chaldæa (יִקְשֵׁי מִנְּכוֹן *ikseeh minnechon*) & Græca (σκληρὸν ᾖ *durum fuerit*) sed hoc loco in Chaldæa legimus יִתְפְּרַשׁ מִנָּךְ *are ithparas minnach*, *cùm separatum fuerit a te, siue remotum, secretum*, &c. *vt ad id, eiusque veritatem pertingere non possis*: in Græca

e epist.55.
f v.6.
g c.30.18.
h v.17.

A *ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ, si impossibile sit verbum a te*, siue *prae te, supra te*. Editio nostra pluribus verbis & clarius idem declarauit.

Inter sanguinem & sanguinem.] Gretserus noster appendice prima ad librum 1. Bellarmini de Pontifice col. 1487. arguit Kullium hæreticum mendacij omissa hæc verba in editione nostra. Explicat R. Salomon de discernendo immundo aut mundo sanguine טָמֵא *tame*, vel טָהוֹר *tahor*. R. Abraham, quem sequitur Vatablus; quis sit innocens, quis reus נָקִי *neki*, aut חַיָּב *chaiab*. Procopius de pugna, quæ venit in sit à sanguinem, vulnera, cædem, quod anepigraphus in Græca Catena m. s. explicat τοῖς μάχαις αἱματηρὸς

B συστάθεῖσας μάχης *pugna ad sanguinem sique progressa*; nempe vtrùm sufficiens, iustaque causa ad faciendi fuerit, an secus; Lyranus & Rickelius an homicidium fuerit voluntarium, aut casuale. Hugo de causa sanguinis, aut de peccato quocomque: Abulensis, cùm dubitatur vtrùm qui sanguinem effudit, puniri debeat, an excusari debeat, necne: Caietanus an sit fundendus sanguis an non: Oleaster & Leonardus Marius eodem pacto, quando ignoratur cuius sanguis fundendus sit. Marzilla de qualiber causa criminali dubia; quod plenir aiuè Gebennensibus scholiis Gallicorum bibliorum

C ab Hæreticis editorum. Recentiores alij amplectuntur expositionem de illo, qui sanguinem fudit, non ita verò de alio, cuius propter aliquod peccatum, disceptetur an fundi sanguis debeat. Quod de peccato in genere dicitur ab Hugone, tropologicum potius est, vt & quòd sanguis peccatum significet præsertim atrocius. Non est penitus aliena prima expositio de immunditia sanguinis, cùm hic agatur etiam de lepræ immunditia. Verumtamen iudicium sanguinis accipi potest pro criminali quacumque causa dubia, siue sit homicidium patratum, siue aliud crimen morte puniti solitum, quæ mors rectè per sanguinem fundendum intelligitur, licèt non in omni supplicio

D fundatur sanguis: Hoc sensu tam supra legitur in Scriptura[a], quòd sit alicuius sanguis super illum capùtve illius, aut in illo, id est, quod sit morte dignus, quòd interficiendus, quod sibimet sua causa mortis, vt in Leuitici[b] commentario docui. Pro peccato item sumi sanguinem aliàs dixi. Sic aspersum sanguinem intelligitur super vestimenta[c] Christi; & quod auferet sanguinem de ore, &c.

Causam & causam.] Iudicium significant דִּין *din* editionis Hebrææ atque Chaldææ: & κρίσις Græcæ: legit verò etiam[d] alibi Hieronymus (*inter iudicium & iudicium*.) Causam transtulit noster Interpres[f] alibi, vbi est רִיב *rib*, sed Chaldaicè דִּינָא *dina*, vel דִּין *din*. Græcè ἀντιλο-

E γία, *controuersia*: vel דְּבַר *dauar*, & iam dictum Chaldæum nomen, & κρίσις[g]. Causam eiotlem hoc loco multi sumunt, & quando, in genere loquendo, vna pars iudicium dicit causæ in actoris esse instam; alia autem causam rei, inquit Lyranus, Rickelius, Abulensis, quam item generaliter etiam hic nominant Vatablus, Sa, Cornelius, Oleaster, eámque דִּין *din* potest significare, seu rem diiudicandam, & iudicio expositam: atque vt Caietanus loquitur, quòd doorom iudiciorum sit in causa rerum approbaodum; sicut in sanguine causam mortis comprehendi vult; in plaga (sic nàque legit, pro lepra)

a Leuit. 20. 9.27. Iosue 2.19. 2 Reg. 1.16. lib. 3. 2. 1.32.37. Matth. 27. 25. c.27.25. Ezec.33. 35.
b c. 18.
c Apoc.19.13.
Sanguis pro peccato.
d Oseæ 12. 14.
e in c.20.9.
f Esa. 45.3. Zach. 9.
g Aggæi 2. Deut. 19.17 c.21.1. Exod.22. 9.

pra) causam corporalis afflictionis. Exprimit R. Abraham ממון *mammon*, diuitias, id est, dubium de re pecuniaria, facultatibusve. Inter has causas, præter ciuiles, comprehenduntur etiam Ecclesiasticæ; quoniam in plerisque controuersiis agebatur de legis atque scripturæ intelligentia; quæ duo Hebræis erant simul velut ius ciuile; vt si quæreretur de possessionum commutatione, aut acquisitione, de matrimonio, lepra, crimine, hoc illove puniendo, &c.

Lepram & lepram.] Hebræa vox est נגע *negahh*, Chaldæa duplex מכתש סגירו *machthas segiru*. Græca vna solùm ἁφὴ: in Leuitico [a] sunt eædē Chaldææ: Hebrææ autem additur צרעת *tsarahhath*: & Græcè λέπρα, éstque ἁφὴ λέπρας, & נגע צרעת *negahh tsarahhath*. In catena Græca m. s. Dionysio Alexandrino videntur hæc ascribi, ἐὰν μὴ δυνηθῇς εὑρεῖν τὸ ἀληθὲς δικάζων, ἢ τὸ λεπρὸν δοκιμάζων. τοῦτο γὰρ ἁφὴν καλεῖ, μηδὲ διαγνῷς εἴτε ἀγρίε ἐστιν, εἴτε λέπρα, *si non valueris reperire veritatem dum iudicas* (posset huc pertinere ad præcedens membrum de causa, quæ vocata est κρίσις, siue Iudicium, & lis) *aut ad quod leprosum est* siue *leprosum hominem, dum probas; hoc enim ἁφὴν vocat: neque dignoueris sitne impetigo* seu *vitiligo aut lepra.* Eodem libro [b] Leuitici, vnicum vocabulum נגע *negahh* per lepram vertitur bis, semel per ἁφὴ, vt videre est in eiusdem libri commentario nostro. Quare non est audiendus Eugubinus existimans hic reddi debere plagam, hancque non intelligendam de lepra, sed de omni plaga, de qua à iudicibus exactè diiudicari non posset; cùm omnis lepra à sacerdotibus iudicaretur; nec ad alios attineret iudicare: LXX. ambiguè transtulisse, & lepræ nihil meminisse: sed posuisse ἁφὴ, id est, tactum, læsionem, puncturam. Idem iudicium de Caietano, Oleastro, Vatablo, scholiis Gebennensibus aliisve Hebraizantibus qui de plagis interpretantur aut iniustè ab aliquo inflictis, aut infligendis à iudice. Primus appellat personales percussiones dubias & corporalem afflictionem. Secundus dubium quis sit, vt ipse loquitur, plagandus, aut quæ atrocior, leuiórve plaga: tertius de vulnere inflicto. Sensit cum istis R. Abraham explicans de פצע *petsahh*, & חבורה *chabburah* vulnere; & liuore seu plaga ex sanguine concreta, vel de cicatrice. Procopio idem placuit, declaranti si quis in pugna familiarem suum attrectauisset, primóque plagam incussisset. Eadem præterea expositio anepigraphi seu innominati in catena Græca m. s. ἢ ὅταν ἐξετάσωμεν τίς ἥψατο πρῶτος, τίς ἐπέβαλε χεῖρα, *aut quando inquisitum fuerit quis attrectauit* siue *percussit primus, quis iniecit manum.* Præferendus Dionysius Alexandrinus aliis Græcis; & Latini Patres cum editione vulgata: & ipsimet LXX. sic alibi omnino vsurpantes ἁφὴ pro lepra, vt antè dixi: immò & Lexicographi Suidas, Hesychiúsque interpretantes ἁφὴ per χροιὰν λέπρας colorem lepræ alio nomine ἀλφὸν aut ἀλφὴν. Sed & R. Salomon hoc loco explicat de immunditia & munditia בין נגע טמא לנגע טהור *ben negahh tame lenegahh tahor.* Adde, quòd sub iudicio inter sanguinem & sanguinem vt de cæde intelligitur, iudicium de vulnere, plaga, liuore, cicatrice aptè comprehenditur, vt non oportuerit distinctum membrum pro his poni. Hoc postea legi animaduersum à Gretsero [c] nostro aduersus Rullum & Rungium hæreticos, volentes verti (*inter plagam & plagam*) ictu nimirum teli vel manus factam. Eugubino autem quoad lepram responderi potest,

[a] c. 13. 1.
[b] c. 13. 44. 49.
[c] append. 1. ad li. 3. Bellar. de Pont. col. 1427.

de illa iudicium esse tantùm sacerdotum: nec tamen agi de solis merè politicis causis: & executionem sententiæ etiam de lepra fieri potuisse per iudicem politicum, si de tali iudice libeat hic quoque agi. Itaque ista causa de lepra, & diiudicatio solius erat sacerdotis; neque cognosci poterat à iudice politico: aliæ de sanguine & de causa, vt hîc vocantur, id est, de controuersia ciuili, prout ad sacerdotem summum deferebantur, erant Ecclesiastici tribunalis, vt ex legis diuinæ interpretatione, quæ ad illum pertinebat, definirentur; quemadmodum satis antea ostensum est.

Lepræ cognitio soli sacerdoti conueniebat.

Et iudicum intra portas tuas videris verba variari.] Hebraicè *verba*, id est, res *contentionum* siue *causarum*, aut *litium*, aut *iurgiorum* seu *rixarum*, *in portis tuis*, seu *intra portas tuas* דברי ריבות בשעריך *dibre riuoth bishhareclia*) Chaldaicè (*verba diuisionis seu dissensionis ac discordiæ iudicij*), hoc est, in iudicio & in iudicando פתגמי פלוגת דינא *pithgheme pelugath dina.* Quæ verba editionis vtriusque appositiuè sumpta, referuntur ad priora membra de sanguine, causa, lepra, in quorum iudicio ac sententia non conueniat inter eos, ad quos delata sit cognitio. Græcus textus videtur membrum diuersum facere, καὶ ἀναμέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας, ῥήματα κρίσεως *inter controuersiam a controuersia, verba iudicij*, quæ nimirum omnia sunt verba résve in iudicium venientes: aut vt Hieronymus [a] legit, omittens (*verba iudicij*) & (*in vrbibus tuis* ἐν ταῖς πόλεσί σου) vel in Sixtinis (ὑμῶν *vestris*) quas pro portis monui aliquoties reddi solere (*inter contradictionem & contradictionem.*) Quamquam idem Doctor vrbes nominet initio sententiæ, quam sic recitat (*sicubi in vrbibus Israël quæstio fuerit exorta inter sanguinem & sanguinem, inter iudicium & iudicium, lepram & lepram, contradictionem & contradictionem.*) Possunt etiam reliqua Græca exponi vt controuersiæ seu contradictio genericè complectatur priùs dictas res, & alias quaslibet res controuersas: verba verò iudicij, per appositionem etiam accipiantur. Apud Theodoretum [b] est ἐν κρίσει ἀναμέσον κρίσεως, καὶ ἀναμέσον ἁφῆς, καὶ τὰ ἑξῆς: quibus indicatur habuisse hoc loco Theodoretum insignem varietatem, vt admonent scholia Sixtinorum bibliorum LXX. Ineptè porrò ex portis vrbium, intra quas verba iudicum variarentur, colligunt Prædicantes, ex odio iudicis Ecclesiastici, vt obseruat Gretserus [c] noster, de causis tantùm forensibus, & ad politicos dumtaxat iudices pertinentibus, quas cùm cognouissent, atque diiudicassent, conuenire inter se non potuerint, ac proinde oportuerit deferre ad sacerdotes Leuitici generis eò in loco morantes, quem Dominus elegisset, sermonem hîc solum esse. Non soli politici iudices in aliis ciuitatibus iudicabant, sed sacerdotes quoque Leuitici generis; quorum de lepra notio propriè erat: & idcirco, si ambiguitas ac difficultas de illa decidi ab illis non posset, referri debebat iudicium ad eum locum quem Dominus elegisset. Quod præceptum æquè vim habebat in aliis controuersiis de lege, mandato, cultu, & similibus quæ penderent ex intelligentia legis Mosaicæ, & sacræ Scripturæ. Apud Ezechielem [d] de sacerdotibus dicit inter alia Dominus, *populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis: & cùm fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis, & iudicabunt*

[a] in Agg. 2.
[b] q. 17.
[c] in lib. 4. Bellarm. de Pont. c. 3.
[d] c. 44. 23. 24.

Vbi pro controuersia est Hebræum nomen רִיב *rib*, duo Chaldæa priùs hîc recitata פְּלֻגַּת דִּינָא *palgutb dina*. Græca item duo *κρίσεω αἵματ@ iudicium sanguinis*.

Surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.] Addunt Sixtini codices Græcè *ἐκεῖ illuc*: alij ante hoc inserunt ista, *ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ vt inuocetur nomen eius.* Lege c. 12 [a]. 14 [b]. 15 [c]. de simili sententia loci à Deo eligendi. Non omnino mala maiorum auctorum annotatio, indicari spiritu quodam prophetico situm ciuitatis Ierusalem in Iudæa celsiorem. Iudex ac interpres legis diuinæ, meritò constituitur in loco sacro; cui Deus peculiariter præsens est, præsidet, assistit, ibíque respondet, ac edit oracula; vtque dicto fungens officio, meminerit Dei se locum tenere, Deum verò stare in medio deorum, & in medio deos ipsos diiudicare [d]; ipsasmétque iustitias iudicare [e]. Archytas, ait Aristoteles [f], *ἔφη ταὐτὸν εἶναι δικαστὴν καὶ βωμόν dixit eundem esse arbitrum, prætorémve, seu iudicem, & aram ἐπ' ἄμφω γὰρ τὸ ἀδικούμενον καταφεύγει ad vtrumque enim quod iniuriam accepit, confugit.*

a v.5.&c.11.14. 18.21.26.
b v.2.23. 24.25.
c v.1.6.7. 11.15.16. 20.
d Psal.81.1.
e Ps.74.3.
f 5. rhet. c. 21.

Vers.9.] Veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.

Paraphr.

IN locum, quem Dominus elegisset ad suiipsius religiosum cultum, & in quo morari oportebat sacerdotes, eidem cultui vacaturos, cum summo sacerdote; venire necesse erat eos, qui de vario genere causarum, ex legis potissimùm interpretatione pendentium, quas particulares vrbium iudices expedire, ob difficultatem nequiuissent, vera, certa, & authentica responsa, definitionésque desiderabant. Sacerdotes non alij esse poterant apud Hebræos propriè dicti, & non vt id nomen quandóque accipitur pro principibus viris, vt de filiis Dauid [g]; quàm Leuitici generis: ita vt si quis ex alia tribu vellet accedere ad ministrandum, tangendúmve vasa sacra, interficiendus esset [h]: immò & ex sola familia Aaron; cuius familiæ veluti classes 24. distinctæ sunt tempore Dauid, vt ministrarent per vices [i]. De istorum consilio sacerdotum ferebat summus sacerdos sententiam circa dictas controuersias. Sed non arbitror ex illis solis constitisse domum iudicij, seu concilium Sanedrim constans 70. viris & insuper ipso summo sacerdote, aut 72. extra eum numerum addito eodem præside, vt insinuat Abulensis [k], Galatinus [l], Burgensis [m]; sed vt aliàs dixi, soni ex duodecim tribubus erant. Nec aliter sacerdotes appellandos censeo, quàm acceptione illa paulò antè dicta pro eximiis viris; cum his de quibus hîc agitur. Cæterùm Rullus hæreticus, de quo noster [n] Gretserus, causam Papistarum vehementer lædi asserit, quòd sacerdotem habeat hîc editio nostra, & iudicem numero singulari; & id admittens noster item Bellarminus videatur ea relicta sequi Hebræam quæ pluraliter habet sacerdotes, quasi fateatur nostram esse corruptam, & suo facto confirmet rectè facere illos qui textum Hebræum sequantur potiùs, quàm vulgatam versionem. Non prætulit Hebræum textum Bellarminus vulgatæ versioni, nec, vt Hæretici faciunt, reprehendit, conuitiísque ac maledictis insectatus est, sed neque vllus orthodoxus negauit vnquam ex Hebræis Græcísve fontibus veritati nonnullam lucem, aut aliquem sensum commodum afferre: quemadmodum ipsimet Hæretici non rarò vtuntur editione vulgata, omisso textu Hebræo, quem solum habent pro authentico, vt suas ex illa probent assertiones vel declarent. Attamen codices Latini editionis vulgatæ, quos quidem viderim, sacerdotem habent; non sacerdotes: per quos Bellarminus intelligit concilium sacerdotum, quos qui dicitur hoc loco iudex, id est, summus sacerdos, adhibebat in concilium, vt pronunciaret sententiam: quo pacto non distinguitur sacerdos à iudice; quemadmodum videtur præ se ferre lectio, in qua est sacerdos in numero vnius. Sed his nihil opus est, cùm passim legamus sacerdotes: & quamuis legeremus sacerdotem, posset de eadem persona intelligi, quòd sit sacerdos & iudex. Amariam pontificem in his quæ ad Deum pertinét præsidere debere asseruit rex optimus Iosaphat, & magistros, Leuitas esse debere; vtque iudicium & causam Domini iudicarent, vbi quæstio esset de lege, mandato, ceremoniis, iustificationibus: auditis videlicet principibus familiarum quantum ad ea quæ ab iis cognosci poterant [a]. De præstantia sacræ potestatis disputans Thomas [b] Bozius demonstrat cunctis rebus præfuisse Moysem, quia viuente Aaron decessit, Eleazarum, Heli, Samuelem per annos 127.

g 2. Reg. 8. 18.
h Num. 3. & 8.& 17. & 18.
i 1. Paral. 24.& 25.
Concilium Sanedrim.
k q 4.
l lib.4 c.1.
m 1.p scrutin.d.3.c.2.
n append.1. ad li.3. Bellar. de verbo Dei. col. 1459.
a 2. Par.19. 8.& seqq
b 17. de sign. Eccle. signo 75. c.2.

Explanatio.

Veniésque ad sacerdotes Leuitici generis.] Chaldaicè, Græcè, Hebraicè *Leuitas* לֵוָאֵי *leuae*, *λευίτας*, הַלְוִיִּם *hallewiim*. Vnde intuli paulò antè non videri concilium illud Sanedrim compositum ex viris tribuum diuersarum. Quotnam verò sacerdotes consulendi essent, nescio. Et fortasse numerus certus non erat, cùm non necessariò fixè habitarent in loco tabernaculi seu templi, vt in Ierusalem, nisi quando in ordine vicis suæ ministrare debebant. Moneo etiam pluraliter sacerdotes passim extare in Latinis codicibus, tametsi Bellarminus legisse se dicat sacerdotem numero singulari: atque hanc lectionem concedendo distingui videri sacerdotem à iudice; sed ita vt illius esset ferre sententiam, istius eam approbando exequi, in causis nempe ciuilibus & criminalibus. Aquinas [c] respondens argumento aduersus præceptum recurrendi ad vnum locum, quia cùm frequenter imminere posset iudiciorum necessitas, facilis esse debebat accessus ad iudicem, & distinguens res dubias apud simplices, vel apud peritos, docénsque pro primis mandatum esse c. 16 [d]. libri nostri, vt iudices & magistri constituerentur per singulas tribus ad iudicandum populum iusto iudicio, ait pro secundis constitutum à lege, vt omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo & summus sacerdos esset, qui determinaret dubia circa ceremonias diuini cultus, & summus iudex populi, qui determinaret quæ pertinent ad iudicia hominum: sicut etiam nunc per appellationem, vel per consultationem causæ ab inferioribus iudicibus ad superiores deferuntur. Tum citato hoc loco subdit. Huiusmodi autem ambigua iudicia (secundi nempe generis) non frequenter emergebant, vnde ex hoc populus non grauabatur. Vbi distinguit summum sacerdotem, & summum iudicem politicum.

c 1.2.q.105. a.2.ad 7.
d v.18.

Et ad iudicem qui fuerit illo tempore.] Extat in illis editionibus (*in diebus illis*) vt & alibi non semel:

mel: præterea Chaldaicè sunt iudices numero plurali דַּיָּנַיָּא *daianaia.* Quæ translatio si admittatur, cessabunt contentiones de vno iudice an sit idem cum summo sacerdote, an diuersus seu politicus magistratus, vtrùm ad illum qui Mosem in populo repræsentaret, quales Iosue, Othoniel, Aod, Gedeon, &c. Magistratum omnino politicum Hæretici volunt, reddentes ista simul cum prioribus hoc pacto (*& adibis ad sacerdotes Leuiticos*, vel *ad summum iudicem*) adiiciendo epithetum summi, atque particulam (*&*) exponentes disiunctè. Si concedatur distinctio, & hic intelligatur disiunctiuè, sensus erit sacerdotis summi sententiam definitiuam fuisse, executionem iudicis latam ab illo approbantis; quemadmodum quando rex, princépsve profert mortis in reum sententiam, iudici autem executionem; & iudex ministris iustitiæ; dicitur iudicis decretum seu sententia, qua decernit & mandat, vt exequantur lictores carnificésque, quod fuerat per sententiam regis seu principis definitum. Tunc verò non licebat adire ad iudicem, nisi vt ad summi sacerdotis ministrum, qui exequeretur quod is decreuisset; aut etiam ad eum deferret exortas controuersias, quasique officio admissionalis quatenus ad hoc fungeretur. Sin autem idemmet erat iudex politicus & summus sacerdos, exponentur præcedentia verba (*veniésque ad sacerdotes*) id est, ad concilium quoddam sacerdotum, & ad iudicem, hoc est, ad principem illorum sacerdotum, siue ad summum sacerdotem. In quo sensu accipietur etiam versus 12. (*qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.*) Ibi videlicet idem est sacerdos & iudex, quamuis editionum reliquarum textus habeat particulam disiunctiuam (*vel.*) Nam non est inusitata omnium illarum trium linguarum phrasis, vt disiunctiua particula vim habeat copulatiuæ, vicéque versa. Accipitur quoq; (*aut*, & *vel*) pro *siue*) quemadmodū & particula *&*. Quare in proposito non differt dicere; obediam summo sacerdoti & iudici, summo sacerdoti vel iudici: immò pontifici & iudici controuersiarum. Lex [a] item tradit sæpe ita comparatum esse, vt coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis; interdum soluta pro separatis, &c.

a l. 53. D. & verb. signif.

Quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.] Hebraicè, & Chaldaicè (*verbum iudicij* דְּבַר הַמִּשְׁפָּט *debar hammispat* פִּתְגָּמָא דְּדִינָא *pithgama dedina*: Græcè (*iudicium* τὸ κρίμα.) Sed eadem editio Græca inquisitionem tribuit ipsismet qui iudiciū indicaturi sunt (καὶ ἐκζητήσαντες ἀναγγελοῦσί σοι τὴν κρίσιν *& exquirentes annuntiabunt tibi iudicium.*) Quod insinuat præcedere debere diligentem disquisitionem priusquam respondeatur ac definiatur: consulendósque alios, qui hoc loco paulo antè nominantur sacerdotes. Verumtamen quando respondet ac definit Pontifex noster ex cathedra, persuadere nobis debemus & omnino credere verum esse certúmque, ac infallibile quod sic pronunciat, neque in dubium reuocare vtrùm sit vsus præcedente consultatione, ac diligenti inuestigatione sufficienti, præsertim cùm absolutè simplicitérque ipsius sit pascere [b], ipsius sint claues [c], ipsius vnius fides ex diuino promisso deficere non possit [d], saltem quatenus docet Ecclesiam. Quòd si locum istum sumas latiùs pro iudice politico, causísque humanis. Aquinas [e] obiiciens eumdem sibi, docet contra veritatem non censeri iudicare, quando præcessit quæstio, vt hic etiam dicitur, ipséque iudicat secundùm ea quæ fuerunt sibi proposita, etiamsi proposita fuerint contra veritatem, sicut, inquit, cùm aliquid per falsos testes probatur. Hoc nimirum est iudicare, vt vulgo circumfertur, secundùm allegata & probata; atque non secundùm priuatam scientiam, sed publicam, & iuridicam, quamuis contingat innocentem damnari, vt idem Doctor [a] tradit & alij.

b Ioan. 21. 15. 17.
c Matt. 16. 19.
d Luc. 22. 32.
e 2. 2. q. 67. a. 2. ad 1.

a ibid. q. 64. a. 6 ad 3.

Vers. 10.] Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te

Vers. 11.] Iuxta legem eius: sequerísque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.

Paraphr.

IVdea ille vnus antea hîc nominatus, respondebat de iure; docendo, & pronunciando: ísque erat summus sacerdos, qui, auditis aliis sacerdotibus, factáque disquisitione, pro potestate imponebat necessitatem id sentiendi, atque faciendi quod constituisset. Quam potestatem declarant hoc textu, præesse loco, quem elegisset Dominus, qui esse debebat is, in quo sacra celebrantur, circa quæ sacerdos summus summam habebat auctoritatem; præceptum etiam consentiendi, & exequendi exactè quæ ille decreuisset; idque, vt est versu sequenti, sub mortis interminatione. Pluralis numerus vel iudicem indicat, cum summo sacerdote, si hos distinguere placeat: vel si non distinguantur, sed sit idem summus sacerdos iudéxque, innuit sacerdotes alios summi consiliarios: vel insinuat solum summum; sed vt vnus alteri succedit in eodem officio. Abulensis æstimat per iudicem antea positum intelligi potiùs minorem aliquem ex iis qui cum summo & aliis minoribus consultabant; sed à summo deputatus erat vt loco ipsius iudicaret; quemadmodum, inquit, Episcopi ponunt vicarios suos, qui iudicent omnes causas, quas Episcopi iudicare debent, cui assisteret concilium aliorum, de quorum consensu dictaret sententiam. Affert in istius distinctionis inter summum sacerdotem, & alium iudicem, confirmationem; quia versu 12. vt distincti nominantur sacerdos ministrans Domino Deo, & iudex. Sed cum idemmet subdat non multùm referre vtrùm ille iudex asseratur esse sacerdos magnus, aut aliquis vicarius eius, aut subordinatus ei qui proferat sententiam, præstat in vno ex aliis allatis modis persistendo de pluribus, modum illum præferre, qui facit eumdem sacerdotem summum, & iudicem. Et nihilominus affirmari potest, quod hîc pluraliter dicitur (*facies quodcumque dixerint*) conuenire posse aliis minoribus sacerdotibus quos consulebat summus, quatenus etsi non proferrent sententiam, respondebant quænam proferenda videretur. Sic Pontifex Romanus in suis decretis de fratrum consilio decernens se solet exprimere, iísque subscribere; cùm tamen soli Pontifici conueniat sententiæ infallibilitas.

Explanatio.

Et facies quodcumque dixerint.] Hebraicè (*super vel iuxta os verbi* עַל־פִּי הַדָּבָר *hhal pi baddanar*) id est, prout lex dixerit, locutáve fuerit, quasi oporteat iudicem non nisi ore legis, pérque os eius loqui, ac pronuntiare sententiam, & docere: siue quod ex ea deducatur, ipsaméque si loqui posset, exprimeret, cùm non possit omnia simul. Hac di-

[a Ro. 3. 19.] cendi formula de lege scribit Apostolus[a]; *scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur.* Ista portò & sequentia non sunt hypotheticè sumenda, sed assertiuè, continéntque præceptum cum promissione, quòd iuxta legem dandum sit responsum, tradenda doctrina, sententia proferenda: quamuis editio nostra vtcumque hypothesim præ se ferat, iungendo sequentibus (*iuxta legem*) Græcè καὶ ποιήσεις κατὰ τὸ ῥῆμα ὃ ἂν ἀναγγείλωσί σοι, *& facies secundum verbum quod nuntiauerint tibi.* Chaldaicè (*secundum verbum verbi*, siue, *iuxta præceptum & verbum* עַל מֵמַר פִּתְגָּמָא *hhal memar pithgama.*) Generalitas cuiuscumque quod dicerent amplectitur omnem materiam tum Ecclesiasticam, tum forensem; quemadmodum aliquanto antè nomen causæ, quoduis genus causæ non Ecclesiasticæ tantùm & ad fidem, cultúmve spectantis, verùm etiam forensis & ciuilis. B. Virgo ministris in conuiuio vt vini defectui succurrerent per filium, dixit[b]., *quodcumque dixerit vobis facite.* [b Ioan. 2. 5.] Christi vicarius quodcumque dixerit de fide, de moribus toti Ecclesiæ communibus credendum & faciendum est.

Qui præsunt loco quem elegerit Dominus.] Additur Græcè (*Dominus*) ὁ θεός σου) eadémque editio cum Hebræa & Chaldæa non habent (*qui præsunt*) sed (*ex loco hoc* מִן הַמָּקוֹם הַהוּא *min hammakom hahu* מִן אַתְרָא הַהוּא *min athra hahu*, ἐκ τοῦ τόπου. Sed præerat loco illi quem Deus elegerat, suóque cultui destinauerat, sacerdos summus, & aliquo etiam modo sacerdotes minores, non tanquam domini; quia hoc pertinebat ad regem (cùm nempe constitutus est) sed vt iudic[illegible] iudicio, summi præsertim sacerdotis, ita ipse iubet, vt antea dictum est.

Et docuerint te iuxta legem eius.] Absunt hæc ab aliis editionibus; in quibus verbis Hæretici vim ponunt, vt asserant esse conditionale præceptum: vtque adimant auctoritatem traditionibus, & vt prouocent ad solam Scripturam a seipsis pro priuato suo spiritu declaratam. Si valet argumentatio ad hominem; obiici iure Hæreticis potest, non debere ipsos hæc verba vrgere editionis nostræ, quam multis mendis ac erroribus scatere deprædicant. Deinde, admissis, vt par est, verbis illis, tanquam cōsentaneis menti Spiritus sancti, quem astitisse credimus Interpreti ab Ecclesia approbato; non sequitur, cum conditione accipienda. Sed nec per nomen legis, Mosaica lex, vel sacra Scriptura necessariò hic intelligitur; verùm ipsa sententia iudicis, vt pronomen (*eius*) potest insinuare: multo autem magis iuxta textum Hebræum (*super os legis, quam te docebunt, & super iudicium, quod dicent tibi*) quæ sunt synonyma: quemadmodum paulò antè (*super os verbi*) significant sententiam iudicis: est enim hæc lex quædam: omniáque illa (*super os verbi, super iudicium*) & sequentia (*non declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi, ad dexteram, vel sinistram*) demonstrant obtemperandum iudici exactissime, & ab ore legis, iudicij, sententiæ iudicis nullo pacto recedendum. Postremò si lex pro lege Mosis, próque Scriptura sacra sumatur, inde dumtaxat efficitur, debuisse sententiam iudicis his conformem esse; quod ita omninò futurum & supponitur, & promittitur; non autem sub incerta conditione ponitur, vt nuper docuimus: sicut si adhuc viuente Paulo, dixisset aliquis alicui, *faciet quodcumque dixerit & docuerit te iuxta legem Christi*; is non significasset fieri posse, vt quidpiam Paulus contra Christi legem aut doceret, aut diceret; ita vt examinanda dicta illius doctrináque priùs foret, an congruerent legi Christi: sed absolutè, & absque vlteriore inquisitione audiendum esse.

[Legis nomine quid intelligatur.]

Quamuis perscrutatio Scripturarum humilis & deuota laudabilis sit, atque ad eam prouocauerit Christus ipse[a]; & quidam id fecisse narrentur in historia Apostolorum[b], nec ideo reprehendantur, vt fusiùs in commentario eiusdem docui. [a Ioan. 5. 39. b Actuum 17. 11.] Neque verò mentio legis, iuxta quam docendum & definiendum sit, officit diuinæ aut Apostolicæ traditioni: legis enim notio extenditur quoque ad traditionē: nec magis licet à sententia summi iudicis Ecclesiastici nunc discrepare, sed potiùs minùs, quàm tunc ab ea quam summus Iudex tulisset, sibi persuadendo iudicare omnino secundùm legem diuinam, etiam cùm ex traditione Ecclesiasticas, aut ex interpretatione Scripturarum controuersias religionis, seu ad hanc spectantes definit.

Sequerisque sententiam eorum.] Hebraicè, Chaldaicè, Græcè (*& super iudicium quod dicent*, siue *dixerint tibi facies* עַל־הַמִּשְׁפָּט *hhal hammispat*, עַל דִּינָא *hhal dina* κατὰ τὴν κρίσιν.) Pluralis numerus innuit sacerdotes summos succedentes sibi, qui non differant à iudicibus: aut sacerdotes minores cum summo qui sit idem iudex, sed illorum audiat sententias antequam suam promat: aut summum sacerdotem, cum iudice politico, qui iudex exequatur sententiam prioris: aut summum sacerdotem, cum dicto iudice, qui iurisdictione quiuis sua seorsim sit præditus, ille Ecclesiastica, hic politica: sed ita vt ista subdatur priori quando id vrgens religionis causa exigit. Si de iudice politico placeat sumere, is exequendo sententiam sacerdotis, non debebat de illa inquirere, sed satis ei erat scire quòd quis nollet ei acquiescere, ad hoc vt puniret ipsum, quemadmodum habetur sequenti versu. Quod hodie contingit circa quæstionem de hæresi, ac de hæretico; magistratus enim sæcularis non inquirit, sed sufficit ei quòd ille qui defertur ad ipsum damnatus est vt hæreticus ab Ecclesiastico magistratu; sicut & qui falsam monetam cudit addicitur morti à iudice, qui peritis credit asserentibus monetam falsam esse, quam reus cudisse conuictus est.

Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.] Iuxta reliquas editiones (*non declinabis à verbo, quod dixerint*, vel *nunciauerint tibi*, vel *indicauerint, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*) Ista formula occurrit nobis iam priùs in hoc libro[c], & in præcedente[d]. [c c. 2. 27. & 5. 32. d c. 20. 17. c. 22. 26.] Exponit Lyranus, ne moueatur quis ad non obediendum, & acquiescendum, commodo vel damno temporali. Hugo per superbiam contemnendo: per pusillanimitatem dimittendo: Dorotheus[e] & Pelusiota[f] & alij vitando vitia extrema seu excessum atque defectum. [e doctrina 10. f lib. 4. epi. 144. & 210.] Refert præterea Lyranus, póstque ipsum Abulensis, & Rickelius, Glossam Hebraicam; *Si dixerit tibi, quòd dextera sit sinistra, vel sinistra dextera, talis sententia est tenenda.* Quod patet, ait Lyranus, manifestè falsum: quia sententia nullius hominis, cuiuscumque sit auctoritatis, est tenenda si contineat manifestè falsitatem, vel errorem: & hoc patet per hoc quod præmittitur in textu (*indicabunt tibi iudicij veritatem*) & postea (*& docuerint te iuxta legem eius.*) Ex quo patet, quòd si dicant falsum, vel declinent à lege Dei manifestè, non sunt audiendi. Sic ille, illique similia citati alij, ex quibus

bus Rickelius addit id esse verum, si dicta Glossa velit talem sententiam tenendam, ita vt ei consentiatur mente tanquam veræ & iustæ: concedi autem hoc sensu, vt pœna aut damnum sententiæ debeat patienter tolerari ab innocente, qui non potest ad altiorem iudicem in hoc mundo habere recursum: quoniam Gregorius [a] ait; quòd siue iuste, siue iniuste liget pastor, sententia eius timenda est gregi. Atqui error hic si quis contingit, facti est, non iuris; & circa ius infallibilitas promissa summo Pastori siue Pontifici est.

a Hom. 26. in euang.

Vers. 12.] Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel:

Vers. 13.] Cunctúsque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.

Paraphr. *Inobedientia pœna.*

MOrtis pœna plectendus dicitur, qui nollet, præ superbia & peruicacia, summi sacerdotis, ad quem primarium Deo ministrandi munus pertinet, præsertim intra sancta sanctorum, obtemperare iudicio, decreto, sententiæ imperio; qui summus sacerdos vel iudex idem erat, vel si iudex alius siue sacerdos minor, vt Abulensi placet, siue persona laica illi suberat, eiusdémque sententiam approbare ac exequi tenebatur: vel si lata esset sententia per alium quam per summum sacerdotem, nisi ad illum appellaretur, standum erat ei, sub mortis comminatione. Mors autem intelligi debebat tum ad vindictam, tum ad mali tollendam occasionem, tum ad exemplum, vt alieno supplicio discerent cæteri, magistratibus obedire, seséque illis humiliter submittere: sicque pœna vna rationem habebat τιμωρίας, κολάσεως, παραδείγματος, vt non semel ex Tauro philosopho apud Gellium retuli. Omne peccatum in genere habet rationem quandam superbiæ & arrogantiæ à Deo, cui præsertim creatura in suum iudicium ac voluntatem peccatoris: imo præterea inobediens est qui peccat, aduersus acceptionem inobedientiæ: sed magis proprie cernitur superbia, quando contemnitur superior, cuius contemptus redundat in Deum, illiusque ordinationi resistit, non obedit potestati quæ ab ipso est [b], præsertim cùm tali est, cui Deus infallibiliter assistat, qualis Pontifex in synagoga, & nunc noster in Ecclesia, vt antea docuimus. Iubetur m 217. ex negatiuis præceptis Hebræi catalogi, vt nolens stare sententiæ sacerdotum, ducatur Ierosolymam, & interficiatur coram tota multitudine, præsertim quæ ad festum aliquod confluxerit, ne hæresis illius in cæteros serperet. Hac opinor de causa, Deo quidem permittente, ac præordinante, atque ipso Christo, vt maiorem pareret tue infamiam, sic volente & eligente, passus est Christus in festo solemnissimo Paschatis. Quamuis primùm Iudæi nollent id fieri primo die celebriore, ne tumultus fieret in populo [c], sed reseruare interfectionem in diem proximum à diebus azymorum (sicut Herodes Agrippa, vt Petrum occideret ac produceret eum populo [d], cùm nondum discessissent omnes qui festis aduenerant, licèt non tenerentur omnes integris septem diebus permanere, satisque erat primo die, pridie vesperi comesto Paschate [a]) aut in alterum, tertiumve diem eorumdem. Sed postquam primo die azymorum siue Paschæ ipsum comprehendissent, continere se nequiuerunt, præ siti sanguinis innocentis, ac meliore spe de populo concepta, & accedentibus procuratis calumniis, & ope Romanæ militiæ freti, quin eodem die, ne qua forsitan ratione elaberetur, ipsum occiderent. Idemmet Christus prædixerat triduo ante tradendum se vt crucifigeretur [b]. Alioqui non videntur arbitrati Iudæi per se nefas esse maleficos etiam in festo interficere, qui die sabbati violatorem eius, quòd ligna collegisset, lapidauerunt [c]; præsertim adeo perniciosos reipublicæ, & blasphemos, ac impios, qualem videri volebant Christum. Non eos metus mouit seditionis, inquit Hieronymus [d] (in sua in a consultatione) vt simplex sermo demonstrat, sed ne tenent ne auxilio populi de suis manibus elaberetur: non studuerunt, ait [e] Leo, deuotioni, sed furorem festi sed facinori. Cæterum hæc mortis pœna in inobedientem, Ecclesiastico iure in excommunicationem commutatam at tea aeruli ex Innocentio III. [f] per quam velut mortuus, a communione fidelium separatur. Ex Antiqui quoque refertur epistola in decreto [g], vel legi habet, quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali aut gladio, dissione truncatur, & eiectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur. Hoc vldimum a se factum scribit [h] Apostolus: cùm tradidit incestuosum Corinthium Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi: & de excommunicatione exponi [i] solet, quemadmodum & de Hymenæo atque Alexandro Satanæ traditis ab eodem Paulo [k]. Corporaliter affligebatur caro eius qui tradebatur Satanæ, sicut Iob afflictus est ab eodem [l]: ita verò etiam aliqui explicant datam Apostolis potestatem spirituum immundorum [m], non solùm vt eiicerent ex obsessis, verùm etiam vt quos dignos iudicarent, traderent obsidendos: quemadmodum fecisse Ambrosium narrat Paulinus [n], ita vt eo modo traditum eodem momento Satanas arripuerit & discerpere cœperit: idemque Ambrosius [o] ex maiorum quoque traditione Apostoli locum dicta ratione interpretatur, quam & Græci sequuntur in commentariis, & præter citatos in decreto quod protuli, Hieronymum & Augustinum, ex Latinis enarratoribus, Primasius, Anselmus, Haymo, Caietanus (qui non rectè sentit vexatum Corinthium vsque ad mortem, quia in gratiam receptus [p] est: nec quòd Ananias & Sapphira traditi fuerint Satanæ a Petro) & alij; rursum Augustinus [q] (qui tract. 62. in Ioan. cum Chrysostomo [r] Iudam traditum Satanæ à Christo dicit) & Paulinus, Innocentius I. apud Augustinum [t], Hieronymus [u], &c. Displicet ea opinio aliis de Corinthio; quia nulla fit mentio talis vexationis, sed abundantis tantùm tristitiæ [x]: fuisséque potius iuuandus, & curandus ægrotorum ant energumenorum more, quam vitandus vt admonuit & præcepit Paulus: non etiam ita propriè dicitur interitus carnis de vexatione sola, quam plures illius opiniones negant fuisse ad mortem: quia si morbos inmittebant

b Ro. 13. 12.
c Mat. 26. 5.
d Actuum 12. 4.
a Deu. 16. 7
b Mat 26. 2.
c Nu. 15. 32.
d in Mat. 26.
e Ser. 7. de pass.
f c. per venerabilem. qui filij sint legitimi. § rationib.
g c. absit. 11. q. 3.
h 1. Cor. 5.
i & refertur 11. q. 3. c. audi & c. omnis. ex Hieron. & Aug. ibidem in decreto.
k 1. Tim. 1. 20
Apostolorũ potestas in immundos spiritus.
l Iob. 2. 10.
m Marci 6. 7.
n in vita.
o 1. de pœn. c. 12. & seqq. & in 1. Tim.
p 2. Cor. 2. 6. & seqq.
q 1. de fest.
r in monte c. 10 & 3.
s Hom. 3 in
t cont epist. Parme. c. 1.
u ad Tim.
x epist. 5.
2. Cor. 2. 7.

bant hominibus Apostoli, vel reddebant arreptitios, potuissent deferri apud iudices infideles velut malefici non absque periculo proprio, Christianæque religionis infamatione: quod metui non debuit in eo quod narrari dixi de Ambrosio, cùm factum sit sub principe Christiano, & peculiarem quandam ob causam. Quare arbitrantur illa dicendi formula solam excommunicationem insinuari, propter quam eiectus ex Ecclesia, societatéque Christi, ac priuatus bonis Ecclesiæ, hoc est, orationibus, suffragiis, Sacramentis, Dei protectione, pastorali cura: exponitur diaboli tyrannidi, tentationibus, incursibus, vt is liberius ac sæuiùs grassetur, & in omne malum impellat. Tertullianus [a] interpretatur tradi Satanæ, id est, extra Ecclesiam proiici; ab ea arceri, & communione fraternitatis, ac relegari in perpetuum dissidium. Cyprianus vsurpat similes dicendi modos [b], vocatque spiritualem gladium [c], sicut Hieronymus [d] mucronem: & Augustinus [e] hoc scribit nunc agere in Ecclesia excommunicationem, quod agebat tunc interfectio: item [f], excommunicationi iungens degradationem, asserit in Ecclesiæ disciplina esse loco visibilis gladij. Nyssenus [g] *Ne*, inquit, *Episcopalis arrogantiæ existimes esse segregationem, lex est patria; vetus est regula Ecclesiæ, quæ cœpit à lege, & fuit confirmata in gratia.* Tum profert exemplum de Corinthio, quem satanicè ait nouercæ insano captum amore Augustinus pœnam spiritualem cognominat. Nec improbabile per interitum carnis, quem vocat Tertullianus [h] cruciatum, intelligi vel indicari pœnitentiam publicam, quæ peragebatur cultu horrido & aspero, cilicio, ieiunio, inedia, corporis aliis afflictationibus: quo pacto caro comprimebatur; & gratia recuperata saluus spiritus fiebat. Legantur Pauli ad 1. Corinth. cap. 5. & 1. Timoth. 1. Enarratores, & Baronius [i]. Porrò Cyprianus vrget aliquoties [k] præsentem locum aduersus immorigeros erga prælatos & Episcopos, multa disputans de dignitate, auctoritate, potestate illorum, illudque quod antea recitaui, asserens [l], non aliunde & hæreses obortas, aut nata schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina (id est, alia Scripturarum testimonia quæ profert præter istud) obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quidquam moueret; nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi (Cornelio loquitur Papæ quem quidam calumniabantur) sed Dei faceret: nemo discidio vnitatis, Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens (de hoc tumore cauendo meminit est in textu nostro) seorsum foris hæresim nouam conderet. Adijcit Dei iudicio sententia voluntatéque fieri ac ordinari Episcopum, & cùm nec minima fiant, non sciente aut non permittente illo, sine dubio longè minùs illud; qui autem id neget, fidem non habere, qua viuimus, Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus. Vtitur [m] adhæc exemplo Core, Dathan, & Abiron. *qui ausi*, inquit, *superbisse, & ceruicem suam extollere, & sacerdoti præposito* (Mosem quoque, non Aaronem dumtaxat intelligit, quia Moses sacerdos erat [n]) *se adæquare, hiatu terræ absorpti ac deuorati, pœnas statim sacrilegæ audaciæ persoluerunt.* Item exemplo ducentorum quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, & prorumpente a Domino igne consumpti sunt vt probaretur sacerdotes Dei ab eo qui sacerdotes facit vindicari. Sunt hæc in cap. 16. libri præcedentis, quò te remitto. Præstat eiusdem Cypriani epistolam 55. ad Cornelium Papam cum studio totam legere, vt discant hæretici schismaticique supremo hierarchæ deserte, non ab eius obedientia iudicióque se subtrahere, non eius vsurpare sacrilegè auctoritatem. Illud attendant quod ibidem scribitur. *An ad hoc deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta maiestas; & sacerdotalis quoque auctoritas, ac potestas; vt iudicare se velle dicant de Ecclesiæ præposito extra Ecclesiam constituti? de Christiano hæretici?* (hos tametsi baptizatos Christúmque profitentes, negant Patres subinde, Christianos esse, nominatim Augustinus [a], vocans quoque pseudochristianos, & antichristos [b]; Christiano nomine quoquo modo dealbatos [c]; item Tertullianus [d], Lucifer [e], & Cyprianus [f], Lactantius [g], Hieronymus [h], Athanasius [i], Chrysostomus [k], & Impp. Theodosius ac Valentinianus, lege cauerunt, ne liceret hæreticis Christianum nomen vsurpare [l]; vt alibi demonstraui) *de sano saucij? de integro vulnerati? de stante lapsi? de iudice rei? de sacerdote sacrilegi* (adde de Ecclesiasticis laici) ? *Quid superest, quam vt Ecclesia Capitolio* (dic tu, regno, aut reipublicæ, quæ Christianum etiam tamen nomen) *cedat, & recedentibus sacerdotibus* (immò vinctis, pulsis, ad laica tribunalia tractis), *ac Domini altare remouentibus* (à quo violente abstrahuntur, ad quod accedere prohibentur) *in Cleri nostri sacrum venerandúmque consessum simulacra, atque idola* (profanæ cœnæ, impij sermonis) *cum aris suis* (cum mensis, & cathedris) *transeant, & Nouatiano* (prædicanti hæretico) *aduersum nos, atque increpandi, largior & plenior materia præstetur*, &c. De laica quacumque potestate Ecclesiasticæ subiecta consule decreti distinctionem 96.

Qui autem superbierit.] Hebraicè & Græcè (*qui fecerit in superbia* siue *per superbiam, arrogantiam, contumaciam* בזדון *bezadon*) de quo vocabulo זדון *zadon* alibi egi: ἐν ὑπερηφανίᾳ. Chaldaicè (*in malignitate*, vel *impietate* ברשעה *birsciahh.*) Cyprianus [m] legit (*& homo quicumque fecerit in superbia.*)

Nolens obedire sacerdotis imperio.] Iuxta reliquas editiones (*vt non audiat sacerdotem*, siue *non obediat*) quod Cyprianus [n] legit (*exaudiat*) sed editio Chaldæa habet plurali numero sacerdotes. Abulensis per sacerdotem in singulari, notat summum intelligi, quia excellentiori modo sacerdos est quàm alij, vtpote maiorem potestatem habens. Sacerdotes pluraliter sumi possent pro iis qui sibi succedunt in summo sacerdotio. Nolle si sit expressum, contemptus ac superbia expressa est: indirecta solùm & implicita si quis non adhibeat actum per se distinctum quo nolit, licet reipsa nolit, aut volens ac libere omittat quod oportebat ab eo fieri siue consentiendo doctrinæ, siue opus iniustum exequendo. Ex ista superbia retuli Cyprianum [o] scribentem obortas hæreses, nata schismata. Ira, tumore, æmulatione, dedignatione, & castigatione abrumpunt, vt loquitur Tertullianus [p], seipsum nolens ipsa pingens coloribus postquam defecit. Matrem

omnium

a lib. ad vxo. lib. de præscript. c. 30.
b ep. 28. 38. 46. 47. 55. 62.
Excommunicationis effectus.
c epist. 62.
d epist. 1.
e hoc loco q. 39.
f lib. de fide & operib.
g orat. aduersus eos qui ægrè ferunt reprehens.
h de pudic. c. 13.
Hæreseon & schismatum origo.
i anno Christi 57. pag. 427. & seqq.
k ep. 39. 55. 65. 69.
l epist. 55.
m epist. 69.
n Ps. 98. 6.

a enchirid. c. 15. de ciu. c. 51.
b 3. de bapt. lib. 4. c. 3.
c 1. cont. ep. Parme. c. 9.
d li. ad Scapulam c. 4. de præscrip. c. 7. & 37.
e lib. de conueniendo cũ hæret. & lib. de regib. apost.
f de vnit. Eccl. c. 2.
g li. 4. c. 30.
h cõt. Lucif.
i Ser. 2. cõt. Aria.
k Hom. 33. in actus Apost.
l l. 6. c. de hæret. & Manich.
Explanatio.
m epist. 39. 55. 65.
n ibid.
o epist. 55.
p de pudic. c. 7.

Hæreticorũ mater superbia.
a cõt. epist. Manichæi, siue fund. c. 6.
b in Ps.106.
c Mat.5.13.
d in Esa.16.

omnium hæreticorum superbiam Augustinus [a] meritò nuncupat: principes esse velle [b] scribit, ideo reprobari contemnique ab Ecclesia, & fieri sicut sal infatuatum, proiectum foras,& conculcari ab hominibus [c]. Hieronymus [d] autem, *quis hæreticorum*, inquit, *non superbus est? qui Ecclesiasticam despiciens simplicitatem, ita habet Ecclesiæ homines, quasi bruta animalia, & in tantum superbia, sinuriaque tumore erigitur, vt contra ipsum creatorem armet os suum, detrahens prophetis eius*,&c. Tantà nihilominus Ecclesiæ benignitas est, vt pœnitentes ac sese humiliantes suscipiat, vt idem Hieronymus [e] probat Cypriani, Hilarij, Niceni [f] concilij testimonio, pristinum etiam gradum restituendo, cuius recens exemplum Roma & orbis Christianus nuper vidit [g].

e ep.58.aduersus Luciferianos.
f est canon 8.
g in M Ant. de Dom.

Qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo.] Hebraice (*stantem ad ministrandum ibi cum Domino Deo tuo.* siue *coram Domino Deo tuo*) Chaldaicè eodem modo, sed pluraliter (*stantes*) Græcè *præsidentem ad ministrandum in nomine Domini Dei tui*, τῷ ἱερεῖ τῷ παρεστηκότι λειτουργεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ σου. Cyprianus [h] recitat, omittens nonnulla (*vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem quicumque fuerit in diebus illis.*) Ex quibus pertinent quæ de iudice dicuntur ad sequens membrum: & editio nostra in isto posuit tempus, pro diebus, qui sunt in sequenti. Græca verò *nomen* ponens, videtur pro aduerbio loci, quod est Hebraicè שָׁם *scam*, & per simile redditur Chaldæum תַּמָּן *thamman*, legisse שֵׁם *sem*, quod significat *nomen*. Abulensis porrò admonet quòd non solum ministrabat summus sacerdos Domino Deo, sed etiam sacerdotes minores, vt liquet ex Exodo [i], Leuitico [k], libro Numerorum [l]; & ex Luca [m] scribente de Zacharia patre Ioannis qui secundùm ordinem vicis suæ, quæ erat Abia, posuit incensum prout etiam sorte exierat, & ordinarie habitabat in montanis Iudææ, non in Ierusalem, qui erat locus ordinariæ habitationis summi sacerdotis. Dicitur tamen sacerdos magnus, inquit, ministrare coram Domino sine aliqua determinatione, quia ad eum pertinet excellentior modus ministrandi: quemadmodum vocatus est sacerdos sine determinatione: solus enim semel in anno die expiationis intrabat in sancta sanctorum aspergens sanguinem contra propitiatorium; vbi Deus magis peculiari modo censebatur esse quàm in aliis partibus tabernaculi, vbi erat altare thymiamatis aut holocaustorum, aut mensa propositionis, aut candelabrum, &c. idque pro peccatis populi, & immunditiis totius sanctuarij. Quod in Paralipomenis [n] legimus; *Amarias sacerdos & pontifex vester in his quæ ad Dominum pertinent, præsidebit*, pro pontifice est ראשׁ *rosch* caput, Græcè ἡγούμενος, præses antistésve aliorum iudicum. Vt non sit Cephæ, quod est nomen Petri, allusio nonnullorum illepida ad κεφαλὴν caput, de qua dictum aliàs.

h ep.39.55. 65.
Et summus sacerdos & alij ministrabant Domino.
i c.27.&28. & 30.
k c.8.
l c.4. & 19.
m c.1.
Sacerdotis summi peculiaris ministratio.
n 2.Pa.19.11.

Et decreto iudicis.) Decreti vox addita est: pro particula (*&*) editiones aliæ habent (*aut*) Græca (*qui*, *seu quicumque*, vt legit Cyprianus [o], *fuerit in diebus illis* ὃ ἐὰν ᾖ κριτὴς ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις.) In bibliis Complutensibus, Regiis, aliisque ac in textu Glossæ, & Rickelij (*ex decreto iudicis morietur homo ille*) quarum dictionum tres vltimas ponunt seorsim alij. De iudice egimus antea. Abulensis [p] affert varias expositiones, pro diuerso à summo sacerdote, qui esset huius vicarius, & proferret sententiam, si

o supra.
p q.9.

prior non protulisset: & cui non obediens, non minùs puniendus foret, quam is qui nõ obediuisset sũmo sacerdoti, vel pro particulari persona deputata ad audiendas iudicandasque causas; a qua posset appellari; sed qui non appellaret, mortem subire compelleretur, si non obediret, vel vt causa tractaretur priùs coram minore aliquo sacerdote tanquam iudice minore; cùm autem quis nollet parere, deuolueretur ad summum sacerdotem, qui si reum damnaret, isque nollet obedire, sine vlla exceptione interficeretur. Ex quibus dicendi modis eum profert qui est de vicario. Nos autem priùs diximus videri eidem conuenire appellationem summi sacerdotis, & iudicis; accipique particulam (*aut*) in editionibus reliquis, nempe ἤ, & ו) vt sit idem atque (*&*) quam habet nostra; pro qua nonnulli codices mendosi ponunt (*ex*) vt dixi: quemadmodum vice versa (*&*) nonnumquam disiunctiuè sumi potest. Post hunc sensum, illum alium admitti posse monui; vt nomen iudicis denotet personam, & quidem politicam à sacerdote summo distinctam, ad quam pertineret latæ per illum sententiæ approbatio, ac executio in casu, quo quis nollet ex superbia, acquiescere pronunciatæ à summo sacerdote sententiæ. Poterat summus sacerdos mortis pronunciare sententiam, quando crimen Ecclesiasticæ notionis erat; quale erat, si quis eius iudicio nollet obtemperare: quod interdicitur nunc sacerdotibus Christianis humano iure positiuo Ecclesiastico. In aliis casibus manebat suum ius politicis magistratibus: quoniam non omnes casus & causæ deferebantur ad summum sacerdotem, sed tantùm obscuræ, ambiguæ, difficiles, quas nequibant iudices alij expedire. Sed & forsitan summus sacerdos non ferebat sententiam mortis in aliis causis, etiamsi summo supplicio crimen dignum esset; verùm iudicabat duntaxat, quid ex lege diuina fieri deberet, relinquendo definitiuam sententiam, eiusdémque magistratui politico executionem. Quod attinet ad nomen decreti, quod adiecit Interpres noster, eóque vtitur aliis [a] in locis, Iurisconsultis est declaratio iudicis cum causæ cognitione ad mixtum imperiũ pertinens [b], atque quod placitum Latinè dicitur Græcè δόγμα, ψήφισμα, ἀρεσκόν: & magis specialiter, cùm iudex auctoritatem suam interponit, & maximè in iurisdictione voluntaria, vt in alienatione bonorum minoris, in transactione alimentorum, in bonorum possessione, &c. rursus in genere quidquid ius dicens Prætor pronunciabat: item quòd per exactam sedulamque causæ adhibito consilio disquisitionem ad Prætoris tribunal refertur: & aliquando à sententia definitiua differt; quia hæc continet condemnationem vel absolutionem [c]. Sed his & similibus omissis habet hoc loco Decretum vim definitiuæ sententiæ. Molina [d] noster argumentatur, quia non minùs potest summus Pontifex modò in temporalibus quàm quondam poterat summus sacerdos in veteri lege spectare ad illum in Ecclesia iurisdictionem in temporalibus, saltem quatenus finis spiritualis, cui est præfectus, id postulauerit. Simile confecit argumentum Michaël [e] Mauclerus Doctor Sorbonicus suauis amicus vt probet Reges principésque Catholicos à Romano Pontifice, prælatísque magnis Ecclesiæ accipere legem Dei debere, illiúsque sensum ediscere.

Summi sacerdotis peculiare iudicium.
Decretum quid.
a 3 Re.8.61. 1.Esd 6.11. 12 Dan.3. 10.12.96 c. 4.3.c.6.7 8. 12 15 26.2. Mach 6.8. c.10.8.c.12. 4.Actuũ17. 7.Ephes.2. 15. Coloss. 2.14.
b l.nec quicquam §.vbi de offic. Proconf.
c l.1.de iudica.l.Proconf. C. de sentent. interloc.
d to.1 de iust.tract.2. disp.29.
e de monarch.p.4. lib.6. c.vlt.

Morietur homo ille.] Iungunt alij, vt prænotaui, prioribus ista vtentes in iis propositione (*ex decreto*

creto iudicis morietur homo ille.) Sed emendati codices ibi habent (*& decreto iudicis*) scilicet superbiens noluerit obedire, vt nec sacerdotis imperio, morietur homo ille. Quod non magis ad iudicem potest referri, cuius decreto moriatur, quam ad sacerdotem, cuius imperio, siue vnus idémque sacerdos asseratur & iudex, siue diuersi: qua de re dictum satis priùs.

Et auferes malum de Israel.] Græcè in Sixtinis Bibliis (*καὶ ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ἰσραὴλ & auferes eum qui est malus, ex Israel:*) in aliis (*ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν auferetis id quod malum est*) nempe illum, qui facit malum, vt est in textu Chaldæo, sed cum verbo singulari עָבֵיד דְבִישׁ חֲבָלֵי *bhaued debis ihephalle*: & si legeremus (*ἐξαρεῖται*) esset (*auferetur.*) De ipsa formula dictum antea istomet [a] capite, & in 13. [b] vbi erat (*auferes malum de medio tui*) rursus autem postea [c], *de Israel*; quod est cognomen totius populi; quamuis longo deinde tempore, diuisione facta tribuum & regnorum, attributum sit regno decem tribuum; alio regno ex tribu Iuda & Beniamin duntaxat constante; quod cognominabatur à Iuda. Aufetendus est malus; quia vita indignus: & ne prauo exemplo corrumpat alios, inquit Abulensis; quod secundum importat sententia sequens; déque his & aliis causis puniendi noxios, egimus alibi. Ex Boëtio [d] addit Abulensis; vt impunitus peccator magis infœlix non sit, & minuatur culpa per pœnam. Quod si non sit pœna mortis, valet vt castigatur: si mortis, vt non ampliùs peccet; quæ ipsa per se res infœlicem facit; quamuis non superesset secunda mors æternæ damnationis: aut vt citiùs moriendo, sicque proinde ablata peccandi occasione, pœnas in inferno minores luat. Accedit quòd per eiusmodi animaduersionem purgatur veluti infamia, quæ aliquo pacto redundat in rempublicam, in qua quis peccat: immò & in Deum qui tales habeat profitentes cultum suum: quemadmodum cùm apud Gentiles tolerabantur crimina, quæ in ipsorum laudabantur diis.

[a vers. 7.] [b vers. 5.] [c c. 19. 13. c. 22. 22.] [*Pœna mali.*] [d de consol. phil. lib. 4. prosa 4.]

Cunctúsque populus audiens timebit.] Hebraicè & Chaldaicè nomini populi collectionem plurium significanti, nectitur plurale verbum (*audient & timebunt* יִשְׁמְעוּ וְיִרָאוּ *ismehhu veirau*, יִשְׁמְעוּן וְיִדְחֲלוּן *ismehhun vidachlun.*) Sic in cap. 19. [e] (*vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere:*) & cap. 21. [f] (*vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.*) Hoc sibi vult τὸ παράδειγμα in suppliciis, id est, exemplum, præter νουθεσίαν, & τιμωρίαν, vt plures ex Tauri apud Gellium refert distinctione. Id adhuc magis exprimunt quæ sequuntur.

[e vers. 20.] [f vers. 21.]

Vt nullus deinceps intumescat superbia.] Hebraicè וְלֹא יְזִידוּן עוֹד *velo iezidun hhod*, *& non superbe agent ampliùs* siue *contumaciter*) iuxta vim nominis זָדוֹן *zadon* in versu præcedente: quemadmodum simile verbum יִרְשְׁעוּן *iarschbun* nomini רֶשַׁע *resiaab* vsurpat editio Chaldæa. Græca verò editio diuerso verbo vtitur à præcedente nomine *ὑπερηφανίας superbia* (*καὶ οὐκ ἀσεβήσει ἔτι, & non impiè aget ampliùs*, siue *adhuc*) vel *quidquam*, vt habetur in minùs emendatis codicibus Complutensibus, Regiis, &c. Apud Cyprianum [g] (*& omnis populus cùm audierit, timebit: & non aget impiè etiam nunc.*) Eugubinus admonet hoc loco meliùs transtulisse Interpretem nostrum iuxta vocis Hebraicæ proprietatem, quam L X X. qui priùs consentaneè ad eamdem benè posuerant *ὑπερηφανίαν*.

[g epi 55. & 69.]

Vers. 14.] Cùm ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerísque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes.

[PARAPHR.] Hinc vsque ad finem capitis præcipitur de rege, si quando contingat, vt eum populus terræ promissæ possessionem adeptus, exemplo nationum aliarum habere velit; quo videlicet modo, seu ex quibus hominibus eligi debeat: ipsum autem qua ratione, vt benè regat, gerere se oporteat. Iste autem versus continet duntaxat hypothesim seu conditionem, si subeat populum voluntas constituendi regem sibi. Prævidit Deus (qui & prædixit egressuros ex Abraham reges [a], exque filio ipsius [b], nec auferendum sceptrum de Iuda, ducémque de femore eius ad constitutum vsque tempus [c]: & rursum quòd egrederentur de lumbis Iacob reges [d]: in cantico etiam suo Anna prædixit dandum imperium regi [e];) aliquando futurum, vt regem Hebræi deposcerent: proptereáque præmonuit ac præcauit qualem ipse requireret. Fecerunt id Hebræi sub Samuele Iudice, arrepta occasione, quod ille senuisset, filij verò ipsius, quos posuerat iudices Israël Ioël & Abia, non ambularent in viis eius, sed declinarent post auaritiam, accipeséntque munera, & peruerterent iudicium: & quia Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum eos: simul etiam, vt in hoc imitarentur vniuersas alias nationes. Quod cùm displicuisset Samuëli, Dominus tamen oranti respondit, vt audiret vocem populi; nec se abiectum putaret Samuël, sed ipsummet Dominum, ne regnaret super illos. Et quamuis durissimas conditiones, eodem dictante Domino, Samuël proposuisset, quibus ab ea petitione remoueri possent, acquiescendum fuit importunæ pertinacíque voci eorum, iuxta repetitum Domini permittentis imperium: quod Samuël & ante, & sub mortem grauiter illis exprobrauit, asserens proiectum ab eis Deum, appellánsque vniuersum seu grande admodum malum: attamen pollicens prospera cuncta & ipsis, & regi, si timerent Dominum, seruirent ei in omni corde, audirent vocem eius, non exasperarent os eius, sequerentur eum, non recederent à tergo eius, non declinarent post vana seu idola; Dominum vice versa non derelicturum eos propter nomen suum magnum, quia iurauerat facere eos sibi populum. Narrantur hæc in libri primi Samuëlis siue Regum cap. 8. & 10. & 12. Monarchicus, seu principatus vnius, meritò præfertur oligarchico, aristocratico, democratico, timocratico; quia minùs expositus est seditionibus (quæ Iustini [f] martyris ratio est) & propiùs accedit ad naturam, eiusque auctorem Deum (ratiocinatur sic etiam Cyprianus [g], simúlque quoniam regni societas aut cum fide non cœpit, aut non sine cruore desiit) cui res omnes

[*Regū Israël prædictio.*] [a Gen. 17. 6.] [b vers. 16.] [c c. 49. 10.] [d c. 35. 11.] [e 1. Reg. 2. 10.] [*Monarchia laus.*] [f parœn. ad Gent.] [g de idol. vanit.]

&

& causæ subiiciuntur ac subordinantur: ita vt comparatione facta inter omnia regimina formas, omnibus æstimatis, verum sit illud Homeri [a], quod recitat Aristoteles [b], dicens quòd τὰ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς: *entia nolunt gubernari male.*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς.
Non est bonum pluralitas principatuum, vnus princeps esto,
Vnus rex.

a Iliad. 2.
b 12. Meta. in fine.

Vtitur eadem sententia Philo [c] ad idem confirmandum. Tale & hoc in Euripide [d]

ἑνὸς δυνάμεις, κατά τε μέλαθρα, κατά τε πόλιας.
Vnius potestas sit, & in re domestica, & in republica.

c de confus. linguarum.
d in Andromache.

Idem Aristoteles [e] βασιλείαν nominat πρώτην καὶ θειοτάτην; tyrannidem deterrimam, quia est illius φθορὰ καὶ παρέκβασις: Seneca [f] optimum ciuitatis statum sub rege iusto. Extant apud Herodotum [g] Otanis pro polyarchia, Megabyzi pro oligarchia, Darij pro monarchia, orationes; postremæ autem reliqui quatuor μαγοφόνοι assenserunt: præfértque Plutarchus [h] ex sententia etiam Platonis [i], monarchiam. Si gemini soles essent, periculum conflagrationis, dixit Lydus quidam Crœso, rerum immineret: ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos verò simul tolerare non possent [k]. Hinc profectò solum vnum Deum demonstrant Patres, qui res omnes moderetur; quoniam optimum regimen est monarchia; vt citatus Iustinus, qui inscripsit librum de monarchia, quemadmodum & Philo; item nominatus Cyprianus: præterea Athanasius [l], & alibi Bellarminus [m] noster, & propugnator eiusdem Gretserus, tractant copiose hoc argumentum: & Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Theologorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poëtarum testimoniis probant, si simplex aliqua forma regiminis necessariò eligenda sit, sine dubio eligendam esse monarchiam: & quoniam, vt Apostolus [n] dixit, ex vno Deus fecit omne genus hominum, vt esset, ait Chrysostomus [o], inter homines non democratia, sed regnum: præterea quia in qualibet domo gubernatio ad vnum pertinet patrem familias: item quia, vt scribit Iustinus [p] historicus, principio rerum, gentium, nationúmque, imperium penes reges erat (de Medis testis Herodotus [q], excusso Assyriorum iugo, cùm destinati iudices non placerent, regem Deiocem creauisse:) & quia ipsa natura duce, rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus [r]; grues vnum sequuntur, ordine literato [s], &c. Quin etiam apud Hebræos principes fuerunt patriarchæ succedentes Abraham, Iacob, Iudas, &c. deinde duces Moses, Iosue: postea Iudices Gedeon, Samson, Samuel, &c. tum reges, Saul, Dauid, Salomon, &c. iterum duces Zorobabel, Machabæi. Deniquè sub vno seruatur meliùs ordo & subordinatio; coniunctio & pax: robur & potentia; stabilitas & diuturnitas: tandem facilitas gubernationis; cùm sit facilius vnum bonum reperire quàm multos. Igitur non displicuit Deo vnius gubernatio, quæ penes Samuelem erat; sed ad modum absoluti regia, dominique, per se, ac à nullo dependentis: quique regnum vt proprium vindicaret sibi, & ad filios nepotésque tanquam hæreditatē transmitteret. Quo sensu Gedeon cùm inuitarent vt dominaretur ipse, & filius, & filius

e 3. Polit. c. 2.
f 2. de ben.
g l. 3.
h opusc. de trib. reip. gener. & de septem sap. conuiu.
i in Politico seu de regn.
k Stobæus serm. 45.
l orat. adue. idola.
m 1. de Rom. Pont. c. 1.
n Actuum 17. 26.
o hom. 34. in 1. ad Cor.
p l. 1.
q l. 1.
r Cypr. suprà
s Hier. epist. ad Rusticū.

filij; respondit se non dominaturum, neque filiū, sed Dominum [*]: nempe quoniam Iudices erant quasi vicarij & proreges Dei, ac se vt talem duntaxat à Deo constitutum agnoscebat [a]. Propterea cùm ipsemet Deus esset veluti proprius atque peculiaris Hebræorum rex, præfecisset autē ipsis aliquem ceu proregem, qui ab eo solo penderet, non à populo (vnde Mosem Paulus [b] fidelem fuisse affirmat in tota domo Dei tanquam famulum) conquestus est non Samuelem; sed se abiectum, ne regnaret super eos [c], vt antea dixi. Certè qui Saulem agnoscere nolebant regem, appellati sunt filij Belial: secuti autem dicuntur, quorum Deus tetigerat corda [d]. Abulensis hoc loco [e] disputat de hac ipsa re, & definit principatum monarchicum per se optimum esse, ac talem fuisse sub Mose, quamuis haberet coadiutores inferiores, sub Iudicibus, quod vtrumque protestatus est Samuel [f], ac simul se nihil exegisse à populo, sicut iure facit qui propriè rex est, quemadmodum idem petentibus regem, edixit iussu Dei [g]. Attamen illa ratio eiusdem auctoris minùs placet, displicuisse petitionem regis Deo, quia petierint Hebræi super se regnare viros sæculares, cùm colatur magis à sacerdotibus. Nam licèt aliqui ex Iudicibus fuerint sacerdotes, vt Heli: plures tamen tales non fuerunt. Porrò cùm Iosephus [h] inducit Mosem asserentem, quòd optimum sit optimatum regimen, ἀριστοκρατία κράτιστον, & sic in administrata republica viuere; nec esse, cur aliam eius speciem concupiscant; sed præstare, vt hac contenti, in legum, & sua ipsorum potestate sint: attamen, si regis cupido ipsos capiat, videant ne quis nisi sui generis & sanguinis sit, & cui iustitia sit cordi, cum cæteris virtutibus, &c. imperiū illud ante Saulem vocat aristocraticum impropriè, cùm licèt seniorum consilium adhiberetur, non essent hi æquales vel Moysi & Iosue, vel aliis deinceps Iudicibus, vt contingit in propriè dicta aristocratia. Omisit autem Iosephus, vt rex à Domino eligeretur; vt populus non reuerteretur in Ægyptum: vt rex describeret Deuteronomium legis, legendo ac obseruando: vt sequeretur Pontificis & senatus sententiam. Addidit auctoritatem populo datam obsistendi; quod seditioni ansam præbet, & verum non est. Illud planè verum, quod respondet Apioni [i], non monarchis, aut populo potestatem reipublicæ commissam à legislatore Mose μοναρχίαις ἢ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἢ τοῖς πλήθεσιν; sed θεοκρατίαν instituisse τὸ πολίτευμα theocratiam ciuilem administrationem θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος Deo potiùs soli imperium & potestatem assignando, qui cunctos inspiceret, vtpote bonorum omnium causa, &c. Nec aliter intelligendus Sigonius [k], eodem loquens pacto de illorum temporum aristocratia. In minùs quoque propria notione regum appellationem tributam legimus Iudicibus & Ducibus, qui regebant Hebræos; vt quando scribitur [l] quod in diebus illis non erat rex in Israël. Negari non potest in vnius regimine difficultates periculáque inesse posse, ac præsertim si non electione, sed successione regnum capessat: & ex regibus Hebræorum & quidem Iuda, præter Dauidem, Ezechiam, Iosiam [m], reliqui ferè vituperantur: ex regibus Israël nullus laudatur, sed omnes ab Osea [n] cognominantur principes recedentes. Ex regibus Iuda nonnulli alij præterea videntur salutem consecuti, vt Iosaphat,

* Iudi. 9. 23.
a c. 6. 34. & seqq.
b Hebr. 3. 5.
c 1. Reg. 8. 7.
d 1 Reg. 10. 26. 27.
e q. 7.
f 1. Reg. 12. 6. & seqq.
g c. 8. 11. & seqq.
h 4. Antiq. c. 6. vel 8.
i l. 2.
k 1. de rep. Hebr. c. 5.
l Iudic. 18. v. 1.
m Eccli. 49. 5.
n c. 9. 15.

Ioathan, Manasses; de Salomone, Asa, Ozia ambigitur; de qua re post alios, noster Franciscus [a] Mendoza. Apud eumdem Oseam [b], exprobrans Deus ait: *Vbi est rex tuus? maximè nunc saluet te: & iudices tui, de quibus dixisti; da mihi regem & principes. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Thomas [c] Bozius ostendit intra annos 502. sub regibus 21. maximas calamitates Iudæis accidisse, pessimè actum de vero Dei cultu, vastatam Iudæam, excisam rempublicam. At hoc non est vitium ipsius monarchici, regijque regiminis, sed hoc abutentium; eáque vsurpatorium, quæ Samuel, vt repelleret petitionem regis, protulit, Deo imperante, tanquam iura & iusta [d], quæ continent iniuriam ac iniustitiam, nec modò sunt hic singillatim declaranda; in ea verò populum Hebræum præcipitem ac volentem quidem incurrere permisit, ad illum puniendum. Mitto etiam illa quæ Simoni Machabæo, qui simul pontifex erat, concessa memorantur in historia Machabæorum [e]; vt esset dux, cura esset illi pro sanctis, constitueret præpositos super opera eorum; & super regionem, & super arma, & super præsidia; vt audiretur ab omnibus; scriberentur in nomine eius omnes conscriptiones in regione; operiretur purpura, & auro: nulli liceret ex populo & ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicerentur, aut conuocare conuentum in regione sine ipso; & vestiri purpura, & vti fibula aurea: qui autem faceret aliquid horum, reus esset. Percussuram quoque numismatis concessit Antiochus [f]. Qui etiam populus forsitan talem arbitrabatur, sperabátque futurum regem, qualis hoc loco paulò post [g] describitur, videlicet moderatum, quíque in lege versatus esset, ac diligenter illam seruaret. Longè porrò aliter contigit, quoniam iuxta contestationem à Samuele factam [h], consuetudo iniqua regum fuit, filios subditorum tollere, & ponere in curribus suis faciendo sibi equites & præcursores quadrigarum, constituendo tribunos, centuriones, aratores agrorum, messores segetum, fabros armorum & curruum: filias eorumdem facere sibi vnguentarias, focarias, panificas: agros, vineas, oliueta optima tollere, daréque seruis suis: segetes & vinearum reditus addecimare, vt det eunuchis & famulis suis: seruos illorum & ancillas, iuuenes optimos, & asinos auferre, & ponere in opere suo; greges addecimare, & ipsosmet horum dominos efficere seruos: ita vt clamet populus in die illa à facie regis quem elegerit, nec tamen exaudiat Dominus, quia petiit sibi regem. De his diligenter Claudius Rangolius in commentario historiæ Regum [i], allatis exemplis regum quoque profanorum: ea ipsa autem literis diuinis, de Saüle primo rege, qui mittens ad Isai, iussit filium eius Dauidem stare in conspectu suo, quia inuenisset gratiam in oculis eius [k]; de Adonia, qui cùm regnum affectaret, fecit sibi currus & equites, ac quinquaginta viros, qui currerent ante eum [l]; quæ tamen apud reges Hebræorum ad seruilem conditionem non spectabant [m], de principibus chiliadum sub Dauide [n], qui ad his similes si modus debitus seruetur, constitui possunt; sed nimis denunciata sunt à Samuele de excessu, pro arbitrio, libidinéque regis, non ad reipublicæ vtilitatem, ob quam & Iethro [o], & Deus [p] ipse tales eligendos dixerunt;

a in 1.Reg. proœm. anno. 3. sect. 7.
b c.13.10. 11.
c de sign. Eccl. l.17. c.3.
d 1.Reg.8. 11. & seqq.
e l.1.14.41. & seqq.
f ibid. c.15. 6.
g v.16. & seqq.
h 1.Reg.8. 11. & seqq.
i in 1.Reg. 8.11. & seqq.
k c.16.
l l.3.5.
m ibid. c.9. 2.Paral.8.
n 1.Par.12. c.24.
o Exod.18. 19. & seqq.
p Num.11. 16.

quales item custodes corporis regij, quibus vsus Dauid [a]: de Nabot vinea, quam vsurpauit rex Achab [b], cùm Dauid, non nisi dato pretio, aream Areunæ habere voluerit [c]. Denique Gregorius [d] iura hominum proposita, contemnentibus iura Dei, docet; & his qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant, dura & importabilia humanæ seruitutis onera prædicta. Aquinas [e] prænonciari ait ibi vsurpationem regum, qui sibi ius iniquum constituant, in tyrannidem degenerantes, & subditos deprædantes: ac ita Samuelem locutum, ad terrendum, ne regem peterent. Idem tradit Gerson [f]. Clemens [g] Alex. scribit quod transgressis Iudæis per Samuelem prophetam verbum protestans, petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed quendam se insolentem daturum ei minatur tyrannum, libidini & voluptati deditum: *οὐ τὸν φιλάνθρωπον, ἀλλὰ αὐθάδη τύραννον τρυφητικόν.* Imminò Carolus Molinæus [h], damnatus alioquin auctor, damnans Ioannis Galli assertionem, quòd regi Franciæ liceat quomodocumque imponere super subditis suis immediatè vel mediatè in toto regno suo subsidia, absque consensu, permissione, vel tolerantia suorum subditorum quorumcumque; qui autem contrarium dicat, crimine sacrilegij accusandum, & vt reum maiestatis, affirmat, id fieri non posse, nisi eo iure, quod traditur in 1. Reg. 8. vbi sumitur, inquit, ius pro iniuria & violentia, quæ ibi comminatur secundùm Theologos. Mox citans seipsum in alio loco [i], subdit. Verum autem ius regis est, obseruatio legis Dei Deut. 17. cui addi potest eiusdem præceptum apud Ezechielem [k], quod Aquinas [l] perpendit; *non depopulabuntur vltra principes populum meum: sed terram dabunt domui Israel secundùm tribus eorum: sufficiat vobis principes Israel; iniquitatem & rapinas intermittite; iudicium & iustitiam facite; separate confinia vestra a populo meo*, &c. Voluerunt aliquando Iudæi iugum regale excutere, vt Iosephus [m] testatur, sub Pompeio, ac iterùm sub Cæsare, cùm Herodes mortuus esset, causantes ἐν ἀξίῳ βασιλεύεσθαι: πάτριον γὰρ εἶναι τοῖς ἱερεῦσι τοῦ τιμωμένου παρ' αὐτοῖς θεοῦ πειθαρχεῖν. *se nolle esse sub regibus, quòd patrium institutum haberent, vt sui Dei parerent sacerdotibus*: Hircanum & Aristobulum esse quidem è sacerdotum genere, sed velle principatum de quo disceptabant inter se, in aliam formam traducere; vt eam in seruitutem subigerent. Postremò ἐν κεφαλαίῳ αὐτοῖς τὴν ἀξίωσιν, βασιλείας, καὶ τοιᾶσδε ἀρχῆς ἀπαλλάχθαι, *erat summa petitionis, vt mutata respublica forma posthac sine regibus aliisve principatuum modis agerent*; Sed frustra clamor fuit iuxta diuinas minas, &, *clamabitis [n] in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.*

Explanatio.

Cùm ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerísque in illa.] Eiusmodi sententia plerumque reperitur, cùm agitur de rebus, aut moribus, quorum obseruatio fixam & pacatam requirebat sedem siue habitationem; vt non esset satis in promissam terram ingredi eiúsque inire possessionem: sed oporteret firmiter cõstantérque in ea permanere. Nec verò refert, vt nõ semel monui, quod pro (*dabit*) sit Grçcè (*dat* δίδωσι) & Hebraice Chaldaicéque participium (*dans* נֹתֵן *nothen*, & יָהֵב *saheb*,) quod cuiuis tempori iungi potest. Legit Augustinus [o],

a 2.Reg.23. 9.
b 3.Reg.21. 2. & seqq.
c l.2.24. 24.
d in 1.Reg. 8.l.4.c.2.
e 1.2.q.105. a.1.ad 5.
f tract. cont. adul. consid. 8. & serm. domine vniuer. ad regem Franc.
g 3. Pædag. c.4.
h tomo 3. p.5. ad q. 22.
i in consuet. Paris. §.1. glos.5.n. 65. Vide etiam tit. des fiefs. §.1.n.64.
k c.45.8.9.
l opusc. de regim. Iud. ad ducissã Brabant.
m 14. antiq. c.5. & l.17. c.12. & 13.
n 1.Reg.8. 18.
o q.26.

(Si au

Si autem intraueris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte: & hereditaueris eam, & habitaueris in ea. Græcè δώσει σοι ἐν κλήρῳ.

Et dixeris.] Id est, decreueris, quódque consultando, & deliberando faciendum esse constitueris: quemadmodum adeò constanter, imò obstinate sub Samuele factum [a] retulimus. Glossa interlinearis & Hugo notant (*dixeris*) ad est, tu, non ego. Vniuersi maiores natu Israel postulauerunt dari sibi regem à Samuele [b].

Constituam super me regem.] Magis emphaticè in textu Græco (*super meipsum* ἐπ' ἐμαυτὸν) quamuis non ita propriè ponitur commune nomen ἄρχοντα, vt notauit Eugubinus. Glossa ordinaria obseruat ab habitatoribus terræ constitui regem, contra Dei voluntatem, nempe primariam. Nec satis cohærenter dicitur Deus idem concedere & præcipere, vt contra Burgensem notat Replicator, & Rickelius. Simili autem formula dicitur constitui legislator super aliquos [c]; & imponi homines super capita [d]. Rex item Græcè dicitur hoc loco ἄρχων nomine magis communi: magis enim proprium est βασιλεύς, cui subsunt synonyma ἄναξ, ἀνάκτωρ, κρείων, κοίρανος, ὕπαρχος, &c. Hebræum est מֶלֶךְ *melech*, quasi ab הָלַךְ *halach*, aut יָלַךְ *ialach*, ire, & pergere; quoniam regis est præire, vtque scriptura [e] loquitur, egredi ante populum, nimirum præbendo exemplum, auxiliúmque. Ioannes Goropius Becanus [f] magis ingeniosè quàm verè ac solidè, pugnans pro primatu linguæ Cimbricæ, ait idem nomen ad eam primam linguam vocatum, significare illum qui docet aperitque hominibus ipsum (*Echt*) siue (*Egt*) id est, legitimum, quo cuncta deuinciuntur: & quidquid regis est per *Melech* explicari, si quis ab (*echt*) ad (*e*) progrediatur, quo iustam rerum omnium vnionem denotamus. Nomini etiam (*Rex*) Cimbricos natales dat: quia (*Re*) rationem significat, vtpote fluxus ad vnum; cui contrarium (*er*) vnde (*erro*) Latinorum. (*Recht*) verò quasi (*Rebecht*) & (*becht*), annecto & deuincio: literæ item (*ch*) & (*t*) adiectæ ipsi (*Re*) notant per (*Recht*) ipsum (*Re*) ad omnia præ se appelli & alligari: denique à (*Recht*) fit (*rex*) quasi (*Recht*) primum nomen fuisset: à (*Re*) rursus (*regen*) pro eo quod est per rectum ducere, vnde (*rego*) Latinorum, vt sit (*rex*) omnia ratione fieri curans, quæ ita consistant vt non solùm eam tangant, sed cum ea etiam sint deuincta: denique à (*Regen*) fit (*regel*) mensura ad quam res quæpiam dirigitur; à quo (*regula.*) De Græco demum βασιλεὺς idem tradit, quod nomen non semel dici, etiam à Gregorio [g] exponi quasi βάσιν λαοῦ basim populi. Nam (*Bas*) Cimbris, inquit, terræ epitheton est: inde transfertur ad aliud quoduis fondamentum & sustentamentum: fit autem (*Bas*) siue (*Baes*) à (*Bie aes*) præbeo alimenta: vocántque famuli & domestici herum suum (*Baes*) quia id ipsis præstat: λαός etiam populus est à (*Lie*) vnde & לְאֹם *leom*, idem valens: atque ita βασιλεύς non modò est stabilimentum, atque populi sui firmamentum; sed pastor quoque, & is, cuius est offerre omnibus alimenta, quem Homerus cognominat ποιμένα λαῶν: cui opponitur epitheton δημοβόρος, eius qui populum deuorat, sicut escam panis [h]. Adiicit (*Coning*) regem significans Cimbricè ac Germanicè; a (*con*) id est, (*poteram*, vel *sciebam*) item (*fortis & animosus*) & ab (*hing*) quod est omnia ex se ha-

bere suspensa; quia regis est, rerum quas regit, scientia pollere, potentia valere, pectus ad res gerendas habere animosum, vt ex ipso pendeant omnia, non ex alio. Quæ cum illis aliis antea indicatis, vt pascat populum, vt se, sua, omnes, & omnia dirigat ad rationem, in éaque contineat, optimæ sunt regis conditiones. Nec inepta prorsus notatio vocabuli (*rex*) à רֹעֶה *rohhe*, id est, *pastor*, quod regi scriptura nomen interdum tribuit, si mutes ע *hhain* in g: Gallicum autem (*Roy*) propiùs ad sonum Hebræi accedit. Postremò ἄναξ vel vt ἄνω ἄγων ἔχων *sursum, seu suprà ordinem habens*: vel vt ἄνω ἀΐσσων *supra mouens*, & impello: vel ab ἄκος *medicina*, quia medici fungitur munere, vt est apud Esaiam [a], Hebraicè חֹבֵשׁ *chobes*, *chirurgus*, qui vulnera obligat, necnon medicus, vel διὰ τὸ ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχειν τῶν ὑποτεταγμένων, ait Eustathius [b], *quòd sollicitus sit pro subditis*. Cæterùm Moguntiacense concilium celebratum anno Domini 888. tempore Stephani Papæ VI. aliàs V. & Arnulphi regis anno 1. [c] tradens pro rege præcepta, ex etymologia nominis, rex, à rectè regendo, vult illi regi annuntiari, vt piè, iustè, misericorditer regat, ne tyrannus, non rex, nominetur: vt semetipsum, suámque domum, Christi adiuuante gratia, ab operibus nequam emaculet, &c. Alia omitto, lectu tamen digna, éaque toto hoc loco nostro & aliis tum Scripturæ, tum Patrum locis collecta.

Sicut habent omnes per circuitum nationes.] Secundùm reliquas editiones (*sicut reliquæ gentes, seu populi, qui in circuitu meo.*) Proponenti Samueli difficultates ex rege quem flagitabat populus, responsum est à populo nolente audire vocem illius; *nequaquam: rex enim erit super nos; & erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis* [d]. Commune periculum malúmve, & pares habere, sociósve in miseria, minuit quodammodo mali ac miseriæ sensum: præsertim cùm periculum ac metus duntaxat est, nondum præsentia mali miseriæve, vt cùm grassatur pestilentia, fames, bellum, &c. quo tempore haud ita sanè non imminuitur in singulis calamitas. Odiosum fuit olim regium nomen apud Romanos, pulsíque sunt reges ab ipsis; ac eorum loco substituti consules. Seuerus [e] quoque Sulpitius regium nomen cunctis ferè liberis gentibus semper inuisum fuisse scribit: Hebræos corruptis consiliis more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, non sine exemplo amentiæ præoptasse libertatem seruitio mutare. Mouit, opinor, ad id petendum Hebræos exemplum Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, Ismaëlitarum regum ex Ceturæ vnius Abraham vxoris filiis ortorum, vt post 400. ferè annum à possessione terræ promissæ regem sibi deposcerent.

Vers.17.] Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

INter conditiones quibus Deus permissurus, concessurúsve populo Hebræo regem erat,

Margin notes: Dicendi verbum. — a supra. — b 1.Reg 8. 4. — c Psal 9.21. Rex dictio. — d Ps.65.12. — e 1.Reg.8. 20. — f hermathe. l.6. Lingua Cimbrica primaeua. — g 9.Mor. c. 30.vel 13. — h Psal.13.4. ps.52.5. — a c.3.7. — b in 1.Iliad. — c c.2.& 3. Regis officium. — d 1.Reg.8. 19.20. — e 1.histo. sacræ. — Paraphr.

istam in primis esse voluit; vt esset genere, ac natura Hebræus, non Gentilis, non etiam proselytus, id est, ex Gentili factus religione Hebræus. idque præcipuè ob periculum idololatriæ, falsǽque de Deo doctrinæ & cultus. Qua in re ne quandò errare contingeret, electionem regis reseruauit sibi Deus hac lege, vt deinceps transiret ea dignitas ad hæredes, nisi fortè placeret eidem Deo noua electio alterius. Exemplum est in Saüle à Deo electo [a]; cui tamen Isboseth primogenitus filius non successit, sed per nouam electionem Dei, Dauid [b], cuius posteri reges fuerunt. Quemadmodum diuiso regno in duo, primum decem tribuum regem Ieroboam Deus designauit, quem hæreditario iure consecuti sunt reges Israël, distincti à regibus Iuda. De hac electione diuina quantum ad tribum Iuda, & quantum ad se filiúmque Salomonem, disertè loquitur Dauid [c]: & Adonias maior natu eiusdem filius, professus est suum fuisse regnum, séque propositum in regem ab omni Israël; sed translatum esse, factúmque fratris sui Salomonis, & à Domino constitutum ei [d]. Hac de causa vocabatur, viuentibus etiam regibus, thronus, soliúmve regni Domini [e]: quasi reges vicarij solùm Dei essent. Quod peculiare est regno Iudæorum; quoniam & sæpe populus Dei peculiaris appellatur; & vetuit Deus illam terram vendi; quia sua esset, ipsi aduenæ & coloni sui [f]. Augustinus [g], Rabanus, Glossa, & alij notant permissionem de rege desiderantibus factam, præcipiendo ne fieret alienus, sed frater ex eodem populo indigena, non alienigena. Allegoricè hoc loco Procopius transcribens, pro more, Cyrillum [h] Alex. ait nos omni idololatria repulsa, imperióque ad fidem, tanquam ad promissionis quandam terram, facto, vnicum ducem eligere oportere Christum, iuxta illud quod ab eo dictum est; *ego* [i] *autem constitutus sum rex ab eo*, &c. Quem cùm Iudæi abdicassent, perditionis filium principem suum creauerunt antichristum, alienigenam alienúmque à sanguine Israëlis. *Ego veni*, ait idem Christus [k], *in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Oues veræ istius veri pastoris, alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum [l]. Profectus est in gloriam Dei Patris, subdit Procopius, verùm non ille, nempe antichristus: collocatur enim in domo Dei, cùm seipsum declarasset esse Deum. Antichristum de tribu Dan plurimi putant nasciturum, quos citant de nostris Ribera [m], Pererius [n], Alcasar [o], præterea Thomas [p] Maluenda Dominicanus. Sed fabulosum credit Lyranus [q], dubitant verò Abulensis [r], & Olcaster [s]: Alcasar autem negat cum Pererio & Ribera satis colligi ex locis Genesis [t], ac Ieremiæ [u] (vbi consule de nostris Castrum, Sanctium, Cornelium) quæ pro ea sententia citari solent de Dan; immò nec ex eo quod eam tribum Ioannes cum cæteris tribubus non recensuerit in Apocalypsi [x]. Attamen fauet negantibus Procopius, quem nullus, quod equidem sciam, ex illis citat. Cyrillus [y] Alexandrin. per alienum hominem, intelligit diabolum, quem iniquè sibi principem constituunt; qui stultè parent improbis eius suggestionibus: Christum esse fratrem nostrum quod attinet ad humanitatem, & principem eorum, qui parent eius mandatis. Propterea verò etiam oportuit, vt caput nostrum

[a] 1 Reg. 9. toto.
[b] c. 16. 13.
[c] 1. Par. 28. 4. ps. 77. 68. ps. 88. 21.
[d] 3. Reg. 2. 15.
[e] 1. Par. 28. 5. c. 29. 23.
[f] Leuit. 25. 23.
[g] q. 56.
[h] 8. de ado.
[i] Psal. 2. 6.
[k] Ioan. 5. 43.
[l] c. 10. 5.
Antichristus vnde nasciturus.
[m] in Apoc. 7.
[n] ibidem.
[o] ibidem.
[p] 2. de Antichr. c. 13.
[q] in Gen. 49.
[r] ibidem.
[s] ibidem.
[t] c. 49. 17.
[u] c. 8. 16.
[x] c. 7. 5. & seqq.
[y] in collect. c. 14.

Christus esset, atque fundamentum Ecclesiæ, eiusdem nobiscum naturæ esse, non angelicæ, quemadmodum ab eodem Cyrillo notatum [a] est. Hinc porrò aptè colligitur, summum magistratum etiam politicum, deferri non debere infideli, aut hæretico, idque diuino ipso iure inhiberi; si caueri & impediri possit; vt aliquot ab hinc annis Theologi Sorbonici sapienter, propositis quibusdam articulis, responderunt: siue ad regnum aspiraret apertè hæreticus, siue fictus catholicus. Secundi generis fuit Herodes Ascalonita; qui etiam præsentis loci sententia sciens regni sibi ius non competere, cùm esset alienigena; interfecit omnes de stirpe Dauid, & scribas, siue concilium Sanedrim; quo tempore venit Christus; iuxta vaticinium Iacob [b] non auferendum sceptrum de Iuda, nec ducem, siue scribam de femore eius, donec, &c. vt annotauit Paulus [c] Burgensis, póstque ipsum, sed tacito nomine, Christophorus [d] Sanctotisius, præterea Galatinus [e], omnes ex Rabinis. Vltimus autem recitat ex midras, id est, expositione istius loci, cùm Herodes Agrippa illum legisset fleuisse, dictum verò bis ipsi ab omni Israël, ne timeret, quoniam frater eorum esset: item ex libro Banabathra c. hassutaphim, Romanos illi scripsisse; si autem diruisti, & ædificasti, seruus es nequam, successor seruorum, reges se facientium: nam si generis tui librum relegeris, non inuenies te nobilem, nec filium nobilis, sed Herodis Ascalonitæ possessi in seruum. Herodes primus namque cognomento Ascalonita, patre Antipatro Idumæo, matre Cypride Arabica natus est, seruus domus Hasmonai, hoc est, Machabæorum; seipsum circumcidens, ob vxoris amorem, quæ erat Hircani pontificis ac principis Iudæorum neptis, óbque cupiditatem regni, quod accepit à Romanis; cùm Hircanum, vnà cum Antigono illius filio, occidisset. Inter maledictiones fulminatas in non obedientes diuinis mandatis, ponit hanc Deus, alienis seruire [f]: conuersis autem pollicetur fore, vt non dominentur alieni, sed seruiant ei, & Dauid regi suo, quem suscitabit eis [g]: & det vinitores ex eodem loco [h]. Huc spectare item possunt statuta Ecclesiæ, de quibus Aquinas [i] meminit, vt eligatur aliquis de gremio Ecclesiæ; quoniam vt in pluribus consueuit, inquit, esse vtilior quantum ad bonum commune; cùm magis diligat Ecclesiam, in qua est nutritus. Quod confirmat huiusce nostri loci testimonio; negátque [k] in eo esse vitium acceptationis personarum: vt nec generaliter in dispensatione spiritualium, quæ ad communem aliorum vtilitatem referuntur. Contingere enim quandoque docet, quòd ille qui est minùs sanctus, & minùs sciens, potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid huiusmodi; sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minùs bonis. Idem traditur ab eodem [l] de rege si sit externus, parum affici solere ad gentem cui præficitur, & per consequens non curare de eis. Petrus Berchorius in huius loci moralitate obseruat hoc ipsum, & de hæretico, ne præficiatur orthodoxo; de laico, ne clerico; de clerico sæculari, ne religioso; de extraneo, ne domestico; quod est mysticè fœminas de eadem tribu esse, vt hæreditas permaneat in familiis [m], nec vertatur ad alienos [n].

Denique

[a] 5. Thes. c. 8.
Magistratus cui deferendus.
[b] Gen. 49. 10.
[c] 1 p. scrut.
[d] 3. c. 2.
[d] in Matth. c. 2.
[e] l. 4. c. 6.
Herodis primi progenies.
[f] Deut. 28. 36. 43. 44. 49. 50. 64.
[g] Ier. 30. 8. 9.
[h] Ose. 2. 15.
[i] 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4.
[k] ibid. in c.
[l] 1. 2. q. 105. in corp.
[m] Num. 36. 5 & seqq.
[n] Thren. 5. 2.

Denique monet principem vel præclarum effigie, eligi, assumi debere de gremio, secta, patria eadem, dum tamen sufficiens inueniatur. Citat ad idem propositum Thomas [a] Iorgius ex politicis Aristotelis, regem esse debere de genere illorum, quibus imperat. Theophilus [b] autem Alexandrinus persuadet vitandum Origenem, quia quamuis innumerabiles texuerit libros, lege præceptum est, *non poteris constituere super te hominem alienum, qui non est frater tuus*; & ille diuerso tramite ab Apostolorum regulis aberrans quasi indignus & profanus, choro Christi, & consortio mysteriorum eius eiicitur, &c. Iuuat nihilominus non parum ad fouendam caritatem, religiosamque consociationem, mutua ea hominibus locorum ac nationum diuersarum commutatio, in muneribus obeundis, nec addictos esse domibus, prouinciis, nationibus, quarum rerum renunciauit amore multo magis, qui toti mundo, amicis, affinibus, parentibus: atque vbiuis degat, vel regat, vel regatur intra numerum Fratrum consistat, nec ambigere debeat, quin longè libentiùs quàm Cyri externi regis in gratiam Hebræi populi captiui, apprehendat Deus dexteram [c], vt rectè regat, quemcumque ad id munus elegerit ipse, quantumuis gente diuersum. Voluit Christus ipse frater noster dici & esse, neque de hoc confusus est, sed per omnia similatus est nobis [d]; ac tunc maximè & quidem primùm ipsemet aperte ista vsus appellatione, post resurrectionem [e], quando data est ei omnis potestas in cœlo & in terra [f]; natus homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi, velut alter Ioseph [g], & cùm rectot positus esset, non elatus, sed in illis existens quasi vnus ex ipsis [h]. De regem constituendi modo vtter melior, per successionem, aut electionem, nonnihil attigi in commentario Actuum Apostolorum [i]. Nec desunt in vtramque partem argumenta & exempla etiam adhuc æuo nostro extantia. Sanctus quoque Ludouicus vt ansam amputaret iniustitiæ, gubernari prouinciam non volebat ab homine alterius prouinciæ, vetabatque vxorem duci ex prouincia in qua gubernator esset. Successionem paulò antè dixi viguisse apud Iudæos, vt suam quidem Athalia consistere non posse tyrannidem putauerit, nisi omni stirpe regia excisa; vbi verò de Ioas infante, pueróve septem nato annos, innotuit, mox illi diadema collatum est [k]. Philo [l] probat ex hoc loco principem sortitò creari non debere, quæ non ad virtutem pertinet, sed ad felicitatem, verùm suffragiis eligi, vt sit voluntaria electio, ex consensúque populi, præcedente examine: ita verò, vt eiusmodi comitia Dei calculo & signaculo comprobentur. Cur autem non detur extero principatus, causam reddit, ne spoliet subditos bonis, & ne propter priuata commoda gentem traducat in aliam regionem, & subinde aliò atque aliò migrare iubeat, ostentata vana spe agri vberioris, & omissa certa possessione pristina. Negat nihilominus Pineda [m] noster creatos reges Hebræorum populi solius suffragiis, contra quàm sentiat Signnius [n], Barclaius [o], Procopius, & alij: sed si quando videatur id scribi, pertinere ad solemnitatem quamdam dumtaxat inaugurandi regis atque regij muneris exercendi: Deo designante, vel propheta ex eius iussu: vel sorte, aliáve ratione quam Deus indixisset. Qui Deus quando quetitur [*]; *ipsi regnauerunt, & non ex me*, denotat culpam decem tribuum, quæ ira & impatientia ductæ, defecerunt a domo Dauid, seque aliter regendas permiserant, tempore Ieroboam: cui tamen ipsemet Deus ius regnandi contulerat ministerio Ahiæ Prophetæ [a], postea verò constitutus dicitur ab omni Israël rex [b] non quoad ius, sed vt possessionem iniret. Eodem pacto de Saüle dixit Samuel [c], *præsto est rex vester, quem elegistis*; cùm non hunc, sed in genere vnum aliquem regem populus petiisset: ita vt subdat idem Samuel; *ecce dedit vobis Dominus regem*. Idem iudicium de Dauide [d], de Roboamo [e], de Ioas [f]; immò & de Salomone [g]. Cæterùm Pinedæ [h] eiusdem nostri opinio alia est non improbabilis contra Abulensem [i], apud Hebræos ita successisse parentibus in regno filios, vt in parentum arbitrio esset, quis ex pluribus succederet, non habita ratione primogenituræ. Sic Salomonem Dauid prætulit Adoniæ; Abiam Robuam fratribus aliis grandioribus [k]: Abiæ successit Asa qui inter viginti fratres [l] quotus fuerit ignoratur: circa successiones aliorum nulla de primogenitis mentio. Sed & Iudæ principatus tribuum dicitur inter fratres, quia fortissimus [m], cùm Ruben esset primogenitus: & alter Iudas Machabæus principatum a patre Mathathia accepit [n], qui tamen primogenitus fuisse non videtur. Rationem primogenituræ circa Ioram vt succederet sibi, reddidit Iosaphat, partitus hæreditatem inter liberos [o], cùm tamen id Iosephus [p] referat in patris voluntatem. Sed Dauid promiserat Bethsabee, Deúsque peculiariter elegerat Salomonem; Roboam vt constituere vellet in capite Abiam super omnes fratres, regémque facere mouit, quia sapientior erat, & potentior super omnes filios eius, & filius Maachæ supra omnes alias vxores concubinásque adamatæ; quam solam causam Iosephus [q] expressit constituendi Ioram in regni successorem. Ioannes [r] Salas noster hoc ex loco probat iure diuino & naturali non posse eligi regem infidelem si periculum reipublicæ immineret: non autem si id omnino abesset: fratrem verò hîc intelligi eiusdem nationis. Legem autem istam positiuam esse abrogatam, licètiure positiuo prohibita sit electio talis. Tropologicè regem sibi alienigenam constituit, immò multos reges, qui se sinit ad res illicitas trahi & ab illis quodammodo duci & regi, vt Iacobus [s] Aluarès noster notat, longéque ante ipsum Thomas [t] Iorgius Card. explicat, ostendens cum Gregorio [u], sanctum virum regem esse qui vitiis imperet.

Eum constitues.] Editiones reliquæ habent {ponem, aut constituens, pones constitues]ve super te regem, vel principem מֶלֶךְ melech, & מַלְכָּא malcha, vel ἄρχοντα.) Legit Augustinus [x] & Hieronymus [y], ac ex eodem concilium Francofordiense [z] (*constituendo constitues super te principem.*) Porrò iam priùs docui constitutionem istam non importare ius eligendi, cùm electio fieret à Deo, prout antea ostensum est. Aliquando [aa] ponitur constituere regem, vt est idem quod regnare facere, Hebraicè in hiphil הִמְלִיךְ *himlich*: cùm etiam Deus dixit abiectum se ab iis qui regem petebant, ne regnaret super eos [bb], non abdicabat se iure regni, dominationisve supremæ, aut conferendi cui vellet ius regni, sed significabat illos petere, vt non Deus exerceret regiam in illos potestatem, quemadmodum priùs immediatiùs, verùm homo.

Margin notes (left column): a in ps. 19. — b epist. 1. Paschali. — c Esa. 45. 1. — d Hebr. 2. 11. 12. 17. — e Matth. 28. 10. Ioan. 20. 17. — f Matth. 28. 18. — g Eccl. 49. 17. — h c. 32. 5. — i in c. 1. — k 4 Reg. 11. 2 Par. 23. — l l. de creatione princ. — m 3. de reb. Salomo. c. 2. — n 7. de rep. Hebr. c. 3. — o 3. contr. Monarchiā c. 2.

Margin notes (right column): * Ose 8. 4. — a 3. Reg. 11. 37. — b c. 12. 20. — c 1. Reg. 12. 13. — d 2. Reg. 5. 1. & seqq. — e 1. 3. 12. 1. — f 2. Par. 23. 11. — g 3. Reg. 1. — h 2. Par. 13. 22. 23. — h 3. de rebus Salom. c. 3. — i in 1. Paral. 11. q. 27. — k 3 Reg. 1. 20. c. 2. 15. — l 2. Par. 11. 21. — m 1. Par. 5. 2. — n 1. Macha. 2. 66. — o 2. Par. 21. 3. — p 9. Antiq. c. 2. — q 8. Antiq. c. 3. — r de legib. tract. 14 disp. 7. sect. 15. n. 74. — s 10. 2. l. 3. p. 4 c. 5. — t in ps. 19. v. vlt. — u 26. Mor. c. 21. vel 26. Explanatio. — x q. 26. — y cont. Heluid. — z Epist. ad Epis. Hisp. — aa 1. Reg. 12. 20. 2. Par. 16. 4. Constituere regem quid. — bb 1. Reg. 8. 7.

Quem Dominus Deus elegerit.] Redundat pronomen (*ipsum*) in aliis editionibus, quod tamen Augustinus [a] expressit. Ex his autem verbis infertur quod proximè antè dicebam, susiusque aliquanto superiùs, electionem regis ad populum non spectasse. Nec aliter intelligendum arbitror Philonem [b]; cùm, improbans quæri sortibus principatum, scilicet pro hominum arbitrio, docet Moisem præcepisse suffragia & populi consensum, *voluntariam electionem, quam omnis multitudo consentiens faceret.* Valet aliqua ratione exemplum veteris creationis Episcoporum, cui populi accedebat, non propriè suffragium, sed approbatio, & commendatio, vt alibi dictum est.

De numero fratrum tuorum.] Græcè (ἐκ τῶν ἀδελφῶν σου *ex fratribus tuis*) quo etiam pacto apud Augustinum [c] Hebraicè & Chaldaicè (*de medio fratrum tuorum* מקרב אחיך *mikkereb achecha*, מן מיגו אחך *miggo achach.* Phrasi Hebræa medium non semper exactè sumitur pro eo quod ab extremis distat æqualiter; sed idem quod (*in*) seu (*inter.*) Exempla profert Petrus [d] à Figueiro; *biennium* [e] *est quod cœpit fames in medio terræ: crescant* [f] *in multitudinem in medio terræ: abiecisse [g] deos alienos, qui in medio vestri sunt*; cùm editio nostra reddat primo loco (*in terra*) secundo (*super terram*) in hoc autem nostro (*de numero.*) Vnde infert quòd in cantico Abacuc [h] habetur *in medio annorum*, nihil aliud importare, quàm in ipsis annis, ac frustra medium propriè quæri, ac si esset exempli gratia septimus annus medius tredecim annorum. Placet idem de medij notione Sanctio nostro, explananti locum Abacuc; item Ribetæ ibidem, qui vtitur exemplis aliis [i], quibus adhuc plura possent afferri; & quia, vt meminerunt Eusebius [k], & Hieronymus [l], transtulit Aquila ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη *in appropinquando annos*, Symmachus ἐν μέσῳ τῶν ἐνιαυτῶν *intra annos*, præterea Castro, qui citat Burgeosem, Titelmanum, & Mootanum; & addit eodem tropo accipi posse pro optimo tempore, ac desideratissimo liberationis, nempe ad finem septuaginta annorum; vel pro summo calamitatis, &c. Posset penultima acceptio innuere, constituendum regem præ cæteris optimum. Primus certè rex à Deo electus Saul, aliior, & ad hunc modum melior erat vniuerso populo, ab humero & sursum [m], eúmque Samuel populo offerens; certè, ait, videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo [n]. Eidem quoque dixit; *cùm* [o] *paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Dicitur etiam filius vnius anni, cùm regnare cœpisset [p], hoc est, maximè simplex, sincerus, innocens, instar pueruli, vt explicant in libros Regum Theodoretus, Procopius, Angelomus, Gregorius, R. Abenezra, cum aliis Hebræis, Abulensis; præterea Petrus [q] Damiani, Rupertus [r], aliique. Sed penultima cantici Abacuc expositio aptior; quidquid sit de loco illo alio pertinente ad Saülem, cuius aliæ sunt expositiones. Fratris porrò nomen cùm significet eum qui sit frater vel natura, vel gente, vel cognatione, vel affectu, vel communitate maiore, qualis inter omnes homines; vt eum Hieronymo [f] docet concilium Francofordiense [t], sumitur hoc loco iuxta secundum modum. Nec tamen sufficiebat natum esse intra populum Hebræum, simúlque religionem eandem sectari; sed oportebat origine Hebræum esse; quoniam ex proselytis rex assumi non poterat, quales Herodes Ascalonita fuit, & alij post ipsum; sed vi non iure. Licèt autem conuersi de gentilitate, Deum colant, non tamen ita vt communiter, inquit Abulensis, fuerint firmati in fide & in cultu Dei, illi qui nouiter conuersi sunt, vt proinde Apostolus vetet Episcopum creari qui sit neophytus [a]; verendum etiam esset, ne affines gentiles socios efficeret principatus; regalem item adeò magnum honorem intra populum Hebræum peculiariter continere voluit: item quia cum proselytis quædam legis priuilegia non communicarentur, vt anno remissionis siue iubilæi [b]. Si quis ex illis rex fieret nimis premeret Hebræos. Huc aliquo modo respexerunt qui recens factos Christianos ex Iudæis vel Mauris, arcent ab Ecclesiasticis dignitatibus, &c.

Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.] Hoc est quod modò dicebam de proselyto, qui ex alterius gente oriundus est איש נכרי *is nochri*, גבר נוכראי *gbener nocrai* ἄνθρωπον ἀλλότριον, *hominem alienum*, vt Augustinus [c] quoque legit. Addunt eædem editiones pronomen demonstratiuum in fine (*ipse*) & (*facere regem*) ab iisdem dicitur (*constituere seu ponere super te*) לתת עליך *latheth bhalecha*, למנאה עלך *lemannah bhalach*, καταστῆσαι ἐπὶ σεαυτῷ. Hugo argumentatur hinc, quòd qui extra caritatem est, sapienter eligendus non est: quod esset inducere, inquit, filios alienos, & incircumcisos corde, & incircumcisos carne, vt sint in sanctuario, & polluant domum Dei [d], id est, pueros facere prælatos, qui nec scientiam habent, nec etiam loqui sciunt. Similis lamentatio in Threnis [e] de gentibus ingressis sanctuarium: & Iosephus [f] refert etiam cùm subessent Romanis Iudæi, capitale fuisse Romanis aliisve Gentilibus illuc intrare: qua de re calumnia Paulo illata est [g]: quasi tales induxisset in templum, sicque violatus esset sanctus locus: & libri nostri c. 23. [h] arceantur Ammonitæ ac Moabitæ etiam post decimam generationem, in æternum. *Non posse* autè declarat idem Augustinus [i], Glossa interlinearis, & Hugo, *non debebis*: cuius acceptionis alia exempla sunt [k]. Nazianzenus [l] *posse*, vel *non posse* multipliciter dici docet; secundùm virium defectum certi temporis ac personæ ratione habita, vt quod puer luctari non possit, aut catulus currere, aut cum aliquo dimicare: quod sæpenumero contingit; vt, non [m] potest ciuitas abscondi supra montem posita, quia fieri potest vt quædam ciuitas abscondatur, maiori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente: id quod minimè æquum est, rationique consentaneum; vt, *non* [n] *possunt filij sponsi ieiunare quamdiu præsens est sponsus*: id à quo voluntas nostra abhorret; vt, *non* [o] *poterat illic signa seu virtutem vllam facere, propter incredulitatem eorum; non* [p] *potest mundus odisse vos*: id quod natura quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile; vt eumdem hominem bis nasci [q]; camelum intrare per foramen acus [r]; id quod nulla ratione fieri potest; vt Deum malum esse, aut omnino non esse, vt bis duo sint simul quatuor & decem; vt Filius (in Trinitate) aliquid faciat quod Pater non faciat.

[a] q. 26.
Electio regis ad Deum spectabat nõ ad populum.
[b] lib. de crea. princ.
[c] supra.
Medij quid.
[d] in Abac. 3.
[e] Gen. 45. 6.
[f] c. 48. 16.
[g] c. 15. 4.
[h] c. 3. 2.
[i] Ps. 100. 2. Ier. 50. 8. c. 51. 6. 45. Ezec. 14. 8. Mich. 5. 10.
[k] 6. de dem. c. 15.
[l] in Abac. 3.
[m] 1. Reg. 10. 23.
[n] v. 24.
[o] c. 15. 17.
[p] c. 13. 1.
[q] l. 2. ep. 20.
[r] in Apocal. c. 2. & l. 2. in Exod. c. 8.
Fratres quis.
[f] cont. Heluid.
[t] epist. ad Episc. Hisp.

[a] 1. Tim. 3. 6.
[b] Leu. 25. 10. Deut. 15. 1.
[c] q. 26.
[d] Ezech. 44. 7.
[e] c. 1.
[f] 7. de bello c. 4.
[g] Actorum 21.
[h] v. 3.
[i] supra.
Posse & non posse multipliciter dicitur.
[k] Exod. 19. 23. Leu. 25. 30. c. 27. 10. 11. 20. 26. 28.
[l] orat. 36.
[m] Matth. 5. 14.
[n] Matth. 9. 15.
[o] Luc. 6. 5.
[p] Ioan. 7. 7.
[q] c. 3. 4.
[r] Matth. 19. 24. Marci 10. 25. Luc. 18. 25.

Vers. 16.]

nn 2

Vers. 16.] Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquam ampliùs per eandem viam reuertamini.

Paraphr.

Equorum multitudo prohibita.

a 3. Reg. 4. 26. c. 10. 26.

REgi iam constituto inhibentur nonnulla in hoc, sequentique versu: ac in hoc quidem, vt equorum non vtatur multitudine ad iactantiam, sed solùm ad decentiam sui status, & regni defensionem, inquit Lyranus: quæ Salomoni habenti 40. millia equorum curtilium præsepia, & 12. millia equestrium; 1400. currus, 12000. equitum [a]; potuit esse occasio peccandi, ac, vt quibusdam videtur, damnationem incurrendi, simul ob tot vxores, tótque thesauros; & consequenter propter adeò multa grauiáque onera, ac tributa, vt pompam tantam sustentaret: quasi tanta gloria euncella fuerit, vt priuaretur æterna: etsi oppositum alibi [b] probabilius duxi. Deinde, ne spem ponat in eo apparatu, quemadmodum illi, quos Esaias [c] arguit; *væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam in quadrigis*; item [d], *repleta est terra equis, & innumerabiles quadrigæ eius.* Præterea ne occasione huiusce modi auxilij, aut equos emendi, commercium haberet cum Ægyptiis, ad eósque descendens, eorumdem erroribus inficeretur. Salomoni quidem educebantur equi de Ægypto [e]. Ratio secunda est Theodoreti hoc [f] loco, quam confirmat illis Psalmi 32.[g] verbis; *fallax equus ad salutem*: quibus addi possunt alia ex 75.[h] *ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos.* In horum Psalmorum commentario, necnon 19.[i] & 146.[k] in quibus reprehensio similis extat, vt & in aliis locis, egimus de hac re. Optima ratio ne reducat rex populum in Ægyptum, eo quòd multiplicauerit sibi equos, faciè valens præbere currus vehendis hominibus & sarcinis. Sed non ideirco Iudæis vetitus omnino est vsus equorum, aut vsi asinis tantùm sunt non equis; vt contra nonnullorum [l] sententiam demonstraui, volentium adhibitos equos tantùm ad currus, non ad alas militares; seu ad equitatum militarem. Qua de re nonnihil etiam est in Ecclesiastæ commentario nostro [m]. Ac illud præterea monui [n], in Iudæa, quæ montibus abrupta est, exiguam equitum vtilitatem esse posse ad bellum. Nec aliud voluerunt Patres, qui equorũ videntur damnare vsum in Iudæis, enarrantes aut Psalmos, aut Esaiam. In præcepto quoque 123. ex negatiuis Hebræi catalogi exprimitur, vt rex non multiplicet equos, sed habeat tantùm pro se, & pro equitibus suis equos. Hieronymus [o] quod Rabsaces insultans dixit, [p] *Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum*, vt ostenderet paucitatem obsessorum, non de imbecillitate, inquit, venit populi Iudæorum, qui equitandi carebat scientia, sed de obseruatione mandatorum Dei, qui per Moysen super rege præceperat Israël; *non multiplicabit sibi equos.* Illud item Oseæ [q]; *super equos non ascendemus*, idem Hieronymus [r] declarat; ac si dicerent, non habebimus spem in equis Ægypti. Et similia docent Cyrillus, Theodoretus, Rupertus [s]. Et rursum in Esaiæ cap. 2. Hieronymus, Basilius,

b in Ecclesiasten præf.

c c. 31. 1.

d c. 2. 7.

e 3. Reg. 10. 28. 29. 2. Paral. 1. 16.

f q. 18.

g vers. 17.

h vers. 7.

i vers. 8.

k v. 10.

l Ioseph Steph. in 1. Mach. 3. 19.

m in c. 2. 7. & c. 10. 7.

n in Ps. 32. 17.

o in Esa. 36.

p ibid. v. 8.

q c. 14. 4.

r ibidem.

s ibidem.

Procopius, Glossa facientes mentionem de prohibitione ista, & post illos alij, vt in Oseam nostri Ribera, & Castro. Oleaster hoc loco libri præsentis affert ex Caietano, ne det rex cupiditate emendi equos, occasionem reuertendi in Ægyptum, commercij gratia. Addit, vt non redigat iterum populum in seruitutem Ægyptiam, dando pro equis homines: vt sumendo equites pro equis, illos non multiplicet ex aliis populis; nec populum reducat in Ægyptum ad multiplicandum equites regis Ægypti, præbendo scilicet auxilium illi, quoniam Dominus prohibuit reditum; cuius tamen oppositum videtur sub Salomone factum, vt nuper dicebamus de equis ex Ægypto comparatis. Certè rarior mentio equitatus militaris, ac vix de alio rege Iudæorum, quàm de impio aliquo, qualis Ioram [a]. Sed satis, vt modò monui, de re ipsa, & de mystico etiam sensu notatis locis dixi, allatis auctoribus: præterea, de sensu mystico ad Psalm. 31.[b] Vt vnius scribenti mihi labor sit non leuis, meminisse alibi dicta, ne retractem repetámve; quod displicet ab aliis factitari. Citatis adde quem postea editum legi Magalianum [c] nostrum, cur vituperetur fiducia in equis posita; quid significet mysticè equus deiectus in mare cum ascensore: non esse figendam in equis spem victoriæ. Atqui ad solam recurrere mysticam non oportet intelligentiam, vt videtur facere Philo [d]; scribens parum idoneum visum Mosi ad principatum, quisquis ad voluptates, & concupiscentias, impotentésque amores insaniens, tanquam infrænis & contumax equus, œstro suo agitetur: Mosem locutum non esse de equitatu, qualem principes solent colligere ad infestandos hostes, tuendósque socios necessariò; sed de eo, qui animæ nostræ inest, immoderato, inobedientéque impetu, quem refrænare vtilissimum fuerit, ne quando populum in Ægyptum, id est, corporis regionem, reducat; & voluptatum & affectuum magis quàm virtutum, Deique amatorem reddat. Meritò autem de nostris Pererius [e] & Magalianus [f] affirmant istius loci præceptum historicè de veris equis accipi, non tropologicè tantùm. Procopius hoc loco idem attingit, legens (*quare non sibi parat equos*) monénsque alios exponere (*verumtamen non multiplicabit.*) Fortasse, ait, eo moti dicto [g]; *equum & vectorem seu ascensorem proiecit in mare*: qui casus extremam ignominiam afferunt: & vitandus princeps alienigena; qui ad spiritualem Ægyptum, & principem eius Satanam Pharaonem repetentem reducat; quod Dominus prohibuit; quoniam fieri non potest vt qui semel illuminati lumine exciderunt, ad pœnitentiam denuò adducantur [h]. Extant eadem in catena Græca m. s. ex Cyrillo, quem sæpiùs deprehendi à Procopio transcribi. Addi autem potest hoc monitum ethicum; quanti referat occasiones peccandi præcidere; quod alibi non semel ostendi. Chrysostomus [i] quidem ait quamuis quis sapiens & sanctus sit, timere valdè illum oportere pericula occasionum; vt aduersus inanem gloriam, ipsius alimenta, quæ sunt laudes, honores, contumaciæ, potentiæ, licentiæ magnitudo, inuidentia famæ alienæ, celebritas auaritiæ, largientium liberalitas, intemperantiæ, deliciæ, assidui mulierum congressus. Recitat quidam [k] ex Chaldæa paraphrasi Psalmi 136. quæ est in psalterio Augustini Iustiniani Episcopi Nebiensis, pro eo quod legimus *in salicibus suspendimus organa nostra*, ut scilicet

a 2. Par. 21. 9.

b vers. 9.

Sensus equorum mystici.

c in cantic. Mosis Exo. 15. sect. 2. annot. 3. & seqq.

d li. de agr.

e in Ex. 19. disp. 2.

f in cant. Mosis ibid. sect. 2. annot. 4.

g Exo. 15. 1.

h Heb. 6. 4.

i 16. de sacerd.

k Franc. Lobata in apparatu conc. verbo Occatio.

licet cantare cogerentur à Babyloniis canticum Domini in derisum eiusdem, quasi suspendere esset pœna suspendij quodammodo res illas inanimatas afficere (subitò præciderunt Leuitæ pollicem suum dentibus suis, & dixerunt; *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*)

Cùmque fuerit constitutus.] Sunt hæc Interpretis nostri, siquidem editiones aliæ habent (*tantum*, vel, *verumtamen*, seu *cæterùm*, *non multiplicabit sibi*, &c.) Græcè in Sixtinis libris διότι, *quare*: in aliis πλὴν *verumtamen*. Constitutio fiebat per vnctionem, qua vsus est Samuel cum Saule [a], & Dauid [b]; Sadoch & Nathan cum Salomone [c]; discipulus Elisæi cum Iehu [d].

Constitutio regis per vnctionem.
a 1.Reg.10.1.
b c.16.13.
lib.2.c.5.
c 3.Reg.1.45.
d lib.4.9.
e in locutionib.

Non multiplicabit sibi equos.] In Græco textu singulariter ἵππον *equum*. Pro equis ait Augustinus [e], vel pro equitatu *equum* posuit: vnde nonnulli equitatum interpretati sunt. Quid legerit Procopius Græcè videre non licuit, cùm apud eum Latinè, vt antè dixi, recitetur (*quare sibi non paret equos*) referatúrque quod alij exposuerunt (*verumtamen non multiplicabit.*) E Græco ἵππος Iul. [f] Cæsar Scaliger mutato p in q deducit nomen equus: quod ipsum Latinum æquo simile aliqui faciunt, quia pares equi debeant eligi aut soleant, qui bigis, quadrigísve iunguntur. Inter iumenta cura & sumptu eget equus maximè: vt proinde quam fieri potest paucissimis vtendum parsimoniæ studioso sit. M. quidem Cato equum, quo in expeditionibus consul vsus fuerat, ne naulum imputaret reipublicæ, reliquit in Hispania [g]. Deflecti fabula potest Autonoi Hippodamiæque, vxoris, ac filiorum, ad immodicè studiosos equorum plurimorum. Cùm Erodius natu maximus pastum compulisset equos in pratum, & Anthus frater expulisset, equæ à pabulo exclusæ Anthum deuorauerunt: Autonous, præ dolore attonitus, equas abigere cunctatus est, itémque adolescentis famulus: mater verò depugnans cum equabus, ob imbecillitatem, cladem illam à filio depellere nequiuit: misericordia autem Iupiter ac Apollo ducti, deflentes Anthum, in aues conuerterunt [h]; Autonoum in ocnum; matrem in coridum; Anthum ipsum in erodium: Schæneum, Acanthum, acanthyllida in aues pristinis suis nominibus insignes; famulum Acanthi itidè in erodium, sed pelle longè minorem: ita vt hîc erodius nusquam Antho assideat, neque Anthus ephippæ, quòd ab equis pessimè fuisset tractatus: atque etiamnum Anthus equi vocem audiens fugiat, simul eam imitans.

Equi etymol.
f de causis ling. Lat.
g Plutar. in Catone.
Autonoi fabula.
h Anton. Liberalis ex Boei ornitogapn.

Nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus.] Causaliter est in editionibus aliis (*nec reducet populum in Ægyptum vt multiplicet sibi equum*) סוס *sus*, ἵππον, vel *equus* סוסים *susim*; quod per equitatum rectè significari, præcedente quoque membro dixi cum Augustino. Sixtini Græci codices habent ὅπως μὴ πληθύνῃ *vt non multiplicet*, qua negatione carent alij, ac editio Hebræa & Chaldæa. Sensus autem non differt (*non reducet populum in Ægyptum vt multiplicet, & non reducet, vt non multiplicet*, id est, non ideo reducet, vt multiplicet; & vt non multiplicet, non reducet. Hugo cum Glossa interlineari reductionem istam fieri ait exemplo, dominatione; persuasione: præterea vetari descensum in Ægyptum ad quærendum equos, qui ibi abundant; quod repetitur ab Esaia [i]; *væ qui descendunt in Ægyptum*, &c. simul verò etiam prohiberi multiplicari ea quæ abundant in Ægypto, ne occasione illorum vellent redire illuc, vel, inquit Rickelius, ad habitandum, vel ad impugnandum, & acquirendum territorium illud, quod ad terram promissionis non pertinebat. Quamuis autem editio nostra de suo addat *ne rex subleuatus equitatus numero reducat populum in Ægyptum*, quod indicat causam quæ regem subleuatum, id est, elatum ac superbiorem tali apparatu, moliri velit bellum aduersus Ægyptum, eò deducendo equites, qui ea in regione planiore melius certant: tamen reprehendi non potest, vt facere videtur Caietanus; quia vnum ex alio sequitur. Nam ex eo quòd rex comparet sibi multos equos, & copiosum equitatum habeat, consequens fit, vt in Ægyptum mittere ad emendum; & subeat voluntas illuc descendendi ad bellum eidem prouinciæ inferendum. Subleuatum Glossa interlinearis multiplici superbia & potentia interpretatur mundana (cuius nempe typum in equo esse alibi ostendi) illius qui ad mundi descendat appetitum velut ad Ægyptum, sed subleuetur tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ [a]. De illa superbia regis cauenda dicetur postea [b]. Mysticè item Hugo in equis ait prohiberi superbiam: in opibus auaritiam; in vxoribus luxuriam; de quorum duobus posterioribus agitur in his quæ sequuntur. In parte quoque morali Glossa reges catholicos admoneri scribit, non debere esse superbos, lubricos, cupidos, ignauos; sed humiles, continentes, liberales, diuinæ legis zelatores, iustitiam in omnibus conseruantes. De his deinceps adhuc agetur. Per subleuatum porrò esse, propriè non intelligitur elatum seu superbum esse; sed sursum leuari, erigi, ac per translationem iuuari: nec illius alterius acceptionis exemplum afferri facilè potest apud profanos auctores. In aliis locis literarum diuinarum eadem videtur vsurpari; vt [c]; *subleuauit te cor tuum*; *quare* [d] *impij viuunt*; *subleuati sunt, confortatique diuitiis*. Sed posteriore loco duo verba censeri possunt synonyma: & pro primo est Græcum πεπαλαίωνται *senes facti sunt* respondens Hebræo עתקו *hhatheku*: Chaldaicè vnicum est אתקפו *athkiphu*, licet Latinum ibi de superbia exponi soleat, ad quam hominem euehant diuitiæ. Io loco priore verbum cum affixo נשאך *nesaacha*, & cum præpositione affixóque in editione Chaldæa רמים לבך *ram hhalach*, & Græcè ἐπῆρέν σε ἡ denotant elationem superbiæ. Attamen fortitan melior expositio loci nostri est de rege, qui subleuatus dicatur equitatus numero seu multitudine, hoc est, adiutus, fretus, confisus, quamuis inde simul oriri soleat animi elatio atque superbia. Monet postremò Caietanus, non esse sermonem de reuersione vniuersi populi, sed ne prouocetur ad eamdem in Ægyptum pro commerciis equorum.

Multiplicatio equorum quare prohibita.
i c.31.1.
a Ps.1.4.
b vers.20.
Subleuandi verbum.
c 4.Reg.14.10.
d Iob 21.7.

Præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquam amplius per eamdem viam reuertamini] Hebraicè, Chaldaicéque) *& Dominus dixit vobis*, &c. אמר & אמר punctis paululum diuersis, (*amar*) Græcè (*Dominus autem dixit* ὁ δὲ κύριος εἶπεν.) Quam verò eamdem transtulit Interpres, est hæc, in aliis editionibus. *Dicere* vt idem, hîc quod præcipere ab eodem Interprete sumptum est; quemadmodum & alibi non infrequenter. In Psalmo 148. [e] *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* εἶπε & ἐνετείλατο.

Dicere, pro præcipere.
e vers.5.

iterabis. Sed Hebraice & Chaldaicè voico verbo [illegible] *ſſunnab*, & [illegible] *pakkad* Lege loci illius commentarium. Porrò iſtud præceptum credendum eſt Moſi, à Deo datum vel alibi, licèt non ſit ſcriptum: vel Moſem ſignificare hoc ipſo loco ſibimet iniunctũ, vt id populo nomine Dei daret. Vtrúmque reſpondet Oleaſter, primum Abulenſis; qui etiam præcepti cauſam reddit, vt pluris æſtimaret populus adeò eximium beneficium liberationis ex Ægypto, quod etiã toties inculcatur, ſámque ſolemni feſto Paſchæ celebratur: & perpendendo grauitatem acerbitatémque priſtinæ captiuitatis, magis Deo gratus abhorreret vel à nomine ipſo Ægyptiaco. Prohibitio autem reditus per eamdem viam, indicat non præcisè illam, per quam venerat populus, tranſeundo deſertum (in quo qui tranſiret, pia quadam religioſáque memoria recolere potuiſſet ingentia ibi collata beneficia) quaſi fas eſſet per eam ire, quæ magis recta, facilis, commoda, habitata, breuis erat[a], id eſt, per Philiſthiim: ſed vt omnino per nullam viam deſcenderet in Ægyptum, & in primis quidem ac præcipuè propterea vt equos compararet; quemadmodum paulò antè dictum eſt. Alioqui prohibitum non fuiſſe annotat benè Rickelius, ex rationabili aut neceſſaria cauſa ingredi in terram illam. Immò catalogi Hebræi præceptorum negatiuorum 227. declarat id quod hîc traditur de non reuertendo in Ægyptum quantum ad habitationem, non quantum ad mercantiam, vt loquitur apoſtata Munſterus. Ibidem verò additur mirum eſſe, cur ſapientiſſimus ille Moſes filius Maimon habitarit in Ægypto. Prohibiti ſunt Magi ad Herodem redire: ad regionem verò ſuam per aliam viam reuerſi ſunt[b]: hîc vetatur Hebræus populus in Ægyptum redire ac reuerti. Illius myſticam cauſam tradit Gregorius[c], Fulgentius[d], Hilarius[e], Arelatenſis[f], Haimo[g], Druthmarus[h], Emiſſenus[i], aliúſve ſub eo nomine, quoniam ad paradiſum, vnde diſceſſimus peccando, neceſſe eſt vt per opera bona peccatis oppoſita, regrediamur. Non eſt etiam facile, vt expertus malum quod inuenit, & recordatus bonum quod perdidit, relictóque diabolo venit ad Chriſtum, redeat ad diabolum, inquit Chryſoſtomus[k], vel potius auctor operis imperfecti. Qui Dominum agnouit & adorauit, Domini proditor ad Herodem cruentum redeundo, hoc eſt, ad diabolum, proditor eſſe nõ debet, ait Maximus[l]. Is porrò qui dicitur[m] Emiſſenus, hortatus vt per aliam viam reuertamur in regionem noſtram, quia per illam, qua exiuimus, redire non poſſumus; ſubdit. Hoc enim & filiis Iſraël de Ægypto exeuntibus præcipitur, vt per eamdem viam non reuertantur. Immò, inquam, ne prorſus reuertantur. Inſinuant quiddam ſimile ſecundùm tropologiam portæ templi apud Ezechielem[n], per quarum vnam ingrediens egredi non poterat, ſed per aliam. Mittens manu ad aratrum qui reſpicit retrò, non eſt aptus regno Dei[o]: quæ autem retrò, Sodomam verſus reſpexit, verſa eſt in ſtatuam ſalis vxor Lot[p], quia inde egreſſis id inhibitum ſcorſè fuerat: & oblitos quæ retro ſunt ad anteriora extendere oportet ſeipſum[q]. Veritus Lycurgus, ne quod in diſceſſu Lacedæmonij obedituros ſe legibus ab eo latis iurati promiſerant, donec Delphis ab oraculo teſtimonióque de iiſdem habito an approbarentur, reuertiſſet, non præſtarent, poſt acceptam approbationem emori fame maluit, ipſoſmet cineres ſuos in mare ſpargi, vt ſic Lacedæmonij nullo vnquam tempore iuramentum violarent[a]. Quanto magis cauendum cuiuis, & iurandum ac ſtatuendum, numquam commiſſurum, vt non cuſtodiendo iudicia iuſtitiæ diuinæ, redeat per peccatum ad viam iniquitatis priorem, vitámque Ægyptiacam.

Non redire per eamdem viam quid.

a Exo. 13. 17. 18.

b Mat. 2. 12. *Reuerſio myſtica.*
c hom. 10. in Euang.
d ſerm. de Epipha.
e hom. 1. de Epiph.
f in Mat. 2.
g ibidem.
h ibid.
i ibid.
k in Mat. 2. hom. 2.
l hom. 2. de Epipha.
m ſuprà.
n c. 46. 9. *Reuerſio tropologica.*
o Luc. 9. 62.
p c. 17. 32. 33. Gen. 19. 26.
q Phil. 3. 13.
a Plutar. in Lycurgo.

Verſ. 17.] Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immenſa pondera.

AD cauendam luxuriam, & auaritiam hæc pertinent: ſicut præcedens membrum ad ſuperbiam, vt dictum eſt. Qua vtraque in re peccaſſe Salomon cenſetur ab Auguſtino[b], Rabano, Gloſſa, Hugone, & aliis. Vnde quæritur, ait Auguſtinus, vtrùm Dauid contra hoc præceptum non fecerit. Non enim vnam habuit vxorem. Nam dè Salomone manifeſtum eſt, quod tranſgreſſus fuerit hoc præceptum & in fœminis, & in auro & in argento. Sed hîc potiùs intelligitur permiſſum fuiſſe regibus, vt plures haberent, quàm vnam; multiplicare enim prohibiti ſunt. Quæ prohibitio non habet tranſgreſſionem, ſi paucæ fuerint, ſicut Dauid fuerunt; non autem multæ ſicut Salomoni. Quamuis cùm addidit: vt non diſcedat cor eius; hoc magis videtur præcepiſſe, ne multiplicando perueniat ad alienas fœminas; per quas factum eſt, vt diſcederet cor eius à Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita eſt; vt etiamſi ex Hebræis ſolis eas multiplicaſſet, contra hoc præceptum feciſſe, meritò argui poſſet. Omnia ſunt Auguſtini. Habuit Abraham duas vxores Saram & Agar[c]; Elcana Annam, & Phenennam[d]; Aſſur Bethleemites Halaam & Naaram[e]: & cap. 21.[f] libri noſtri lex habetur de habente duas. Iacob quatuor habuit vxores, Liam, Rachelem, Balam, Zelpham[g]; Dauid ſeptem concubinas[h] vltra Michol; & accepiſſe dicitur vxores atque concubinas de Ieruſalem, poſtquam venit de Hebron; reliquiſſe, cùm fugit Abſalon, decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum, quæ 18.[i] vxores efficiunt: & licèt non omnes eſſent primariæ, attamen veræ; quidquid contradicat Abulenſis[k], numerans hoc loco ſex vxores, & ſeptem concubinas. Fuiſſe autem dicuntur Salomoni vxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ[l], adoleſcentularum verò numerus non fuiſſe, alicubi[m] ſcribitur, & nantes 60. reginæ, cum 80. concubinis. Tot ſolùm vxores tunc fortaſſis erant; & adoleſcentularum vocabulo Hieronymus[n] ſcorta; pediſequas intelligunt alij; ex eóve genere virginum, quæ vxores fieri poſſent, ſicut in hiſtoria Eſther[o]. Ob illum numerum 18. Dauidis vxorum (quem Theodoretus[p] fatetur propter pronitatem ad libidinem, vſum pluribus vxoribus, nec id facturum fuiſſe, niſi vim attuliſſet natura) Hebræi, teſte Abulenſe[q], tradunt regibus Hebræorum licuiſſe ducere ſolùm 18. vxores; nec videri comprehenſum iſtum numerum hac lege, quam hîc tractamus. Sic autem etiam eſt in 222. præcepto ex negatiuis Hebræi catalogi. *Rex non multiplicet ſibi vxores. Dicunt tamen magiſtri noſtri, quòd rex 18. poſſit ducere, ſicut & de Dauid legitur quòd 16.*

habuerit

PARAPHR.
b q. 27.
Prohibitio vxorum qualis.
c Gen. 16. 1.
d 1. Reg. 1. 2.
e 1. Par. 4. 5.
f verſ. 15.
g Gen. 29. & 30.
h 2. Reg. 15. 15.
i 2. Reg. 3. & 15. 1. Paral. 3. 2.
k 2. Reg. 12. q. 3. & 11. 3. 31. q. 3.
l 3. Reg. 11. 3.
m Cant. 6. 7.
n epiſt. 132. & 1. cont. Iouin.
o cap. 2. 9.
p in 2. Reg. q. 25.
q 3. Reg. 11. q. 5. & lib. 4. 11. q. 3.

habuerit vxores. De Roboam [a] narratur habuisse 18. vxores, concubinas 60. ex quibus suscepit 28. filios, & filias 60. multasque petiuisse vxores filiis; quod vltimum referunt alij ad Abiam filium eius; quod sibi eas quæsierit. Disputat de polygamia Pineda [b] non tam Salomonis; tum aliorum, non regum dumtaxat Hebræorum, ac nominatim eorum, quos nominauimus: verùm etiam Gentium aliarum. Et Salomonem quidem in ea re peccasse definit, quòd non tam prolem, quàm libidinem quæsierit, vt asseruit Augustinus [c]: & quòd alienigenis vsus sit seu alienigenis; ac indiscriminatim ex vniuersis gentibus, vt loquitur Irenæus [d]; per quas ad variam superstitionem pertractus est; huius vitandi periculi causa (ne scilicet alliciant ad id, plurimæ hoc loco vxores regi prohibentur; quod in vniuersum prohibitum erat etiam priuatis, ob eamdem rationem; quoniam rex faciliùs comparare tales poterat sibi, atque perniciosiùs exemplo suo nocere, ac alios inducere in idololatriam. De illo numero vxorum & concubinarum Salomonis; quem historia [e] Regum, ex prioribus facit, vt paulò antè retuli, quas reginas 700. ex posterioribus 300. liber Canticorum [f] 60. reginas vxores, 80. concubinas, cum puellis innumeris, statuit certè idem Auctor, retinendum millenarium, compositum ex dictis primo loco vxoribus & concubinis, insinuatúmque cap. 7. [g] Ecclesiastæ, cùm ait Salomon, se virum de mille vnum reperisse; mulierem ex omnibus (nempe mille) non inuenisse, cui fidere posset. Deinde 60. reginas absolutè nominati loco posteriore Canticorum; priore autem libri Regum, quasi reginas 700. Græcè *γυναῖκας ἀρχούσας*, Hebraicè שרות *principes* (quamuis Chaldaicè מלכן *malchon, reginas*, latiore omninò notione) non tam quòd filiæ essent vel regum, vel principum (quamquam id esse potuerit) quàm quod præcipuo honore, locóque habitæ. Adhæc quasdam præcelluisse inter vxores, & inter concubinas, hasque in Canticis [h] memoratas in comparatione cum sponsa; quam videntes, præcipuè illæ reginæ 60. & concubinæ 80. laudarent [i]; dicerentque, cùm illa procederet de thalamo; [k] *quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens*, &c. Postea, visum Hieronymo [l] præter 700. vxores, & concubinas 300. eumdem Salomonem habuisse adolescentulas, & scorta sine numero, quia eodem libro Canticorum [m] affirmatur adolescentularum numerus non fuisse: illas autem quæ עלמות *hhalmoth* ibi dicuntur; voce solas virgines, vt idem Hieronymus [n] docet, significante, virgunculas primùm in gynæceo asseruatas, indè translatas ad secundas ædes vt Salomonis thalamo seruirent, sicut narratur de Assuero [o]; verùm ita, vt postquam cum eo consueuissent, à nullo attingerentur, aut etiam appellarentur, aut propiùs conspicerentur, vt de Artaxerxe traditum [p]: negat verò immeritò de illis aliis Abulensis [q], quasi propterea de illarum numero nihil certi extaret. Videri posset Cicero [r] sub Syris regibus reges comprehendisse Iudæorum, cùm ait plures vxores duxisse propagandæ sobolis gratia. Aliàs [f] dixi polygamiam iure positiuo diuino prohibitam esse: dispensatum tamen in illa cum populo Hebræo vt multiplicaretur populus fidelis: addi præterea [t] à nonnullis, quoniam præceptæ erant variæ & crebræ purificationes mulieribus, vt mundiùs castiúsque custodirent matrimonium; quibus dum vacaret vna, vel altera, iustior videretur quædam causa permittendi accessum ad aliam. Refellit quoque [a] damnantes polygamiam successiuam vt ne illicitam, cùm repugnet Scripturæ [b]; exemplis, Ruth [c], Abraham [d], Patribus, Ambrosio [e], Hieronymo [f]; qui librum Tertulliani de monogamia vocat hæreticum, Augustino [g], Isidoro [h], Epiphanio [i], Chrysostomo [k]; & narrat Hieron. [l] vidisse se duos coniuges, vnum qui viginti sepelisset vxores, alteram quæ viginti duos habuisset maritos, quorum vltimus multitudinæ feretrum, coronatus & palmam tenens præcessisset. Damnabiles secundas deincépsque alias nuptias, Montanus apud Augustinum [m], Nouatiani apud Theodoretum [n]; Tertulliani apud Hieronymum [o], arbitrati sunt: Minus quidem laudatur, quàm monogamia, vt ex Apostolo colligit Augustinus [p], scribente beatiorem esse viduam si sic permanserit [q]: & dicens [r] quamdam verecundiam numerositatis esse. Vnde filia sacerdotis ex vno viro vidua, in lege vetere, sacerdotalibus cibis viua sustentabatur, mortua exequiarum honore cohonestabatur [s]: in noua sumptibus fidelium alebatur [t]. Porciam quoque minorem refert Hieronymus [u], fœlicem & pudicam matronam pronunciasse, numquam præterquam semel nubere. Quod ab eodem Doctore [x] pluribus illustratur ethnicis exemplis argumentante à minore ad maius, quod & Tertullianus [y] facit: & præterea disserente [z] de incommodis nuptiarum secundarum. In eo sensu accipiendum quod scribitur in constitutionibus Apost. apud Clementem [aa], supra trigamiam videri manifestam fornicationem, nec dubiam intemperantiam. Accedit inhabilitas ad sacros ordines indicata à Paulo [bb], expressa verò in canonibus apud Gratianum [cc]. Legendi Enarratores Pauli, & canonum, & Scholast. [dd] ac nominatim nostri Salmeron [ee], & Bellarminus [ff], & Mendoza [gg]. De more gentium pluribus vtentium simul vxoribus, legendus Tiraquellus [hh]: sed exceptis Ægyptiorum sacerdotibus; quibus vna tantùm permitteretur, vt est apud Diodorum [ii], eo modo quo Paulus vnius vxoris virum voluit Episcopum esse [kk]. Cæterùm Gratianus [ll] assignat causam concessæ polygamiæ veteribus; quoniam ritè multarum fœcunditate mulierũ populi Dei multiplicatio in terra promissa quærebatur, & in successione sanguinis erat successio fidei, vnde in lege dicebatur [mm]; *maledicta sterilis, quæ non reliquerit semen suum super terram:* sacerdotibus etiam coniugia decrem, quia in successione familiæ, successiu constabat officij: nunc quoniam per incarnationem Christi, gratia fidei vbique dilatata est; nec tam dicitur; *dic* [nn] *domus Iuda, & domus Israël*; sed [oo], *euntes, docete omnes gentes*; & [pp], *in omni gente quicúmque timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*; nec electio mœroris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ, & sinceritate scientiæ; & virginitatem fœcunditati præferri, & sacerdotibus castitatem imperari, &c. Innocentius [qq] III. primam institutionem attendens, qua in vnam fœminam vna costa conuersa, præceptum est adhærere vxori, eo quòd esset vna caro, duóve in vna carne [rr], non tres, vel plures; nec dictum est adhærendum vxoribus, sed vxori: scribit plures habere vxores non licuisse, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum; quæ, mos quandóque; interdum etiam fas censetur. Similia ex

Ambrosio

---

[a] 2. Par. 11. 21. — [b] 7. de reb. Salom. c. 5. — [c] 17. de ciuit. c. 8. — [d] lib. 4 cap. 45. — [e] li. 3. 11. 3. — [f] c. 6. 7. — [g] v. 29. — [h] c. 6. 7. — [i] vers. 8. — [k] vers. 9. — [l] 1. cōt. Iou. & ep. 132. — [m] c. 6. 7. — [n] in Esa. 7. — [o] Esther 2. 8. 14. 19. — [p] Plutar. in Artax. — [q] in 3. Reg. 11. q. 10. — [r] 4. in Verr. — [f] in Leu. 18. 18. — [t] in c. 15. 31.

[a] sup. & in c. 20. 21. — [b] Rom. 7. 2. 3. 1. Cor. 7. 9. 28. 29. 1. Tim. 5. 14. — [c] Ruth 4. 13. — [d] Gen. 25. 1. — [e] li. de vid. — [f] epist. 10 & in cap. 1. ad Titum. — [g] 16. de ciu. c. 34. & de bono vid. c. 4. & 12. — [h] 2. de off. Eccl. c. 19. — [i] her. 59. cont. Catharos. — [k] hom. 2. ad Titum. — [l] epist. 11. — [m] de hæres. c. 26. — [n] 3. de fabulis hæret. — [o] in c. 1. ad Titum. — [p] de bono viduit. c. 4. — [q] 1. Cor. 7. 39. — [r] c. 12. 5. — [s] Leu. 21. 2. c. 22. 13. — [t] 1. Tim. 5. 9. — [u] 1. cōt. Iou. — [x] ibid. & ep. 11. — [y] 1. ad vxo. de monoga. c. 6. — [z] epist. 10. & in Ier. c. 16. — [aa] li. 2. c. 3. — [bb] 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6. — [cc] d. 26. — [dd] 4. d. 42. — [ee] in ep. ad Tit disp. 10. — [ff] 1. de clericis c. 24. & seqq. — [gg] in 1. Reg. 1. 2. sect. 2. annot. 5. — [hh] lege 7. connub. nu. 20. & seqq. — [ii] li. 1. sect. 2. — [kk] 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6. — [ll] 32. q. 4. c. 2. § Hos ita enim Sap. 3. 13. — [mm] apud proph. — [nn] [illegible] — [oo] Mat. 28. 19. — [pp] Act. 10. 35. — [qq] c. Gaudemus. de diuor. 95. — [rr] Gen. 2. 24.

Ambrosio [a] & aliis eliciuntur. Sanè per se ratio A dictat quod [b] Euripides cecinit,

——— οὐδὲ γὰρ καλὸν

δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν:
ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπριν,
στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει:

——— *neque enim honestum*
Duarum vxorum virum gubernacula habere:
Sed ad vnam respicientes legitimam Venerem,
Contenti sunt, quicumque non malè habitare volunt.

Item:

οὐδέποτ' ἂν δίδυμα
λεκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους:
ἔριν μὲν οἴκων,
δυσμενεῖς τε λύπας.
Numquam duplicia connubia
Collaudauero mortalium:
Neque binas matres habentes liberos.
Rixas quidem domorum,
Tristésque offensas.

Denique [c],

κακόν γ' ἔλεξας, ἵν' ἄνδρα δύ' ἔχειν λέχη.
Malum certè narras, vnũ virum binos habere lectos.

Hoc malum est circa generationem prolis, quam impedit polygamia; & educatio eiusdem, & familiæ, successióque hæreditatis, & similia: quibus obest virorum pluralitas; ita vt vix cognosci à patribus filij, ab his patres possent; sed etiam nocet pluralitas vxorum, quamuis non adeò vt prima, de cuius sectatoribus Tiraquellus [d], déque nonnullis hæreticis Irenæus [e], Clemens [f] Alexan. Epiphanius [g]. Pluribus seruis imperari ab vno Domino potest, non autem plures Domini vni seruo imperare; plures creaturæ ad vnum creatorem, at non plures creatores ad vnam creaturam referantur: sic vt ratiocinatur Augustinus; plures vxores vni viro, non tamen plures viri copulari vxori vni possunt. Quamquam idem Euripides apud Stobæum [h] videtur in alia sententia de pluribus vxoribus,

νόμος γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖται πέρι.
χρὴ γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ', ὅτι πλείστας ἔχειν
γυναῖκας, εἴπερ ἡ τροφὴ δόμοις πάρῆ:
ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων,
τὴν δ' οὖσαν ἐσθλὴν, ἡδέως ἐσώζετο
νῦν δ' εἰς μίαν βλέπουσι, κίνδυνον μέγαν
ῥίπτοντες.
Leges nuptiales non benè condita sunt.
Oportet enim hominem fœlicem plurimas habere
Uxores; si modò victus domi suppetat;
Ut malam expellat foras,
Bonam verò libenter sibi seruet.
Nunc autem ad vnum solùm respiciunt
Periclitantes.

Veruntamen audiendi non sunt, qui talia docent: nec dubitandum, quin & plures vni viro vxores esse, & vni vxori plures viros, repugnet iuri naturali, quidquid contradicant Durandus [i], Gerson [k], Caietanus [l], Catharinus [m], Abulensis [n]; quamuis in secundo numquam dispensatum legatur, sed solùm in primo: ac in isto quidem, non nisi post diluuium; quia Lamech de bigamia [o] reprehendatur à Tertulliano [p], Hieronymo [q], aliísque. In lege naturæ, post diluuium, exempla sunt Patriarcharũ priùs dicta, de quibus Augustinus [s], non dubitans eorum polygamiam cum Ioannis continentia comparare, immò exæquare, & asserere, castiùs plures vxores habuisse, quàm nunc multi habeant vnam tantùm. Primus legitur bigamus licitè Abraham; licèt existimet noster Pererius [a] dispensationem factã Noë statim à diluuio; cùm Sara viro suo Abræ, absque vlla religione dubitationéve persuaserit, non vt rem nouam & inusitatam [b]: ac id quidem insinuatum [c] illis; *crescite & multiplicamini & replete terram.* Deo simul per exteriorem aliquam reuelationem, vel per interiorem solùm inspirationem eumdem Noë licitum polygamiæ vsum docente. Ratione inspirationis, ait Bonauentura [d], dispensatio extendit se tantùm ad patres; sed ratione honestæ imitationis & moris, deriuata est ad posteros; qui vxoribus vtiliter vti sciebant. Subdit quòd hîc dicitur B de regibus, non accipiendum simpliciter, sed cum determinatione, quantum ad alienas fœminas, quæ allicerent animum, nempe ad idololatriam. Temerè Iudæi, vt Anselmus [e] refert, dicere ausi sunt & credere; Deum homini duas creasse mulieres, ex quibus texunt genealogias, verè sicut dixit Apostolus, infinitas siue interminatas. Pluses costæ in Adam, plures manus infatigabiles in Deo, sed non plures vxores apud Deum: erant duo in carne vna, non tres, neque quatuor: adiutorem vnum assignauit Deus; vnio coniugij perseuerauit in auctoribus generis ad finem vsque, non quia non erant fœminæ aliæ, sed ne primitiæ generis duplici matrimonio cõtaminarentur, inquit Tertullianus [f]. In lege scripta liberaliorem dispensationem fuisse, hic locus noster demõstrat, C vetans duntaxat nimiam multitudinem, & quæ c. 21. præscribuntur leges de polygamia; testantúrque Eusebius [g], Chrysostomus [h], Hieronymus [i], &c. Rationem verò nuper insinuaui, præfigurandi desponsationem Christi cum synagoga & Ecclesia, Iustinus [k] affert, & alij, vtque populus Dei magis in dies augeretur, Chrysostomus [l], Cyrillus [m] Alex. Aquinas [n]. Christus, instaurante Patre omnia in ipso, quæ in cœlis, & quæ in terra [o], hoc est, reponente sub primæuo innocentiæ statu, atque ad initium reuocante, vt loquitur Tertullianus [p]; omnem polygamiæ vsum sustulit [q]: quia iam ad populum Dei propagandũ necessaria non erat; cùm non carnalis successio, sed perfectio spiritalis inquiritur, inquit Beda [r]; quam D rationem reddit cum eodem Tertulliano [s], citatus etiã Chrysostomus [*], prætereáque Cassianus [t]: & duorum indiuiduum coniugium aptius repræsentat Ecclesiæ statum triumphantis, vnitatémque omnium subiectam Deo futuram in vna cœlesti ciuitate, sicut sacramentum plurium nuptiarum futuram significabat multitudinẽ Deo subiectam in terrenis omnibus gentibus, inquit Augustinus [u]. Alioqui verè dictum ab Eucherio [x], vt ab heris imperantur multa, quæ certo loco aut tempore velint à quibusdam seruis fieri; quæ si aut alius, aut iidem illi alieno loco, vel tempore agere cœperint, molestè ferant; ita & nonnulla quibusdã à Deo iuberi vel permitti potuisse, quæ si quis alius, aut alio tempore & loco vsurpare E velit, grauiter accipiat: olim rudi sæculo cùm diceretur [y]; *crescite & multiplicamini*, plures vxores ductas; nunc id vetitum, quando dicitur [z], vt qui habent vxores tanquam nõ habentes sint. Complura huc facientia reperies adhuc in Hieronymo [aa], Augustino [bb], Theodoreto [cc], Cyrillo [dd] Alex. Chrysostomo [ee], & aliis dicentibus Christianorum laudem esse in castitate multiplicato iam humano genere, & fructum spiritualem præcipuè quærentibus hominibus, ac velut in Angelos transmutatis per Christum. Hactenus de prima textus parte, ac plus certè quàm putaram, cùm eodem de argumento alibi dixisse

me

a 1. de Abr. c. 4.
b in Andr.
c de bono cõiug. c. 17.
d l. 7. connub. nu. 27. & seqq.
e lib. 1. c. 1.
f 3. Strom.
g hær. 32.
h serm. 66.
i 4. d. 33. q. 1.
k 2. p. reg. moral. alph. 23. lit. I.
l Gen. 16. & Marc. 10.
m 3. cont. Caiet.
n 1. Reg. 1. q. 4. c. 8. q. 24. & 25. Mat. 19. q. 30. & 35.
o Gen. 4. 23.
p de exhort. ad cast. c. 5. & li. de monog. c. 4.
q 1. cont. Iouin.
s de bono coniug. c. 13. & 41.

a in Gen. 16. nu. 22.
b Gen. 16. 2.
c Gen. 1. 28. c. 8. 17.
d 4. d. 33. a. 1. q. 1. ad vlt.
e in 1. ad Tim. sub initium.
f de exhort. ad cast. c. 5. & li. de monoga. c. 4.
g 1. de demonst. c. 9.
h de virgin. c. 32.
i libris cõt. Iouin.
k in Tryph.
l hom. 56. in Gene.
m lib. 2. in Gen.
n in Gen. c. 16.
o Eph. 1. 10.
p de monog. c. 5.
q Mat. 19. 5.
r in Luc. c. 2.
s de exhor. ad cast. c. 6.
* suprà.
t colla. 17. c. 19.
u de bono cõiug. c. 18.
x q. in Gen.
y Gen. 1. 28. c. 8. 17.
z 1. Cor. 7. 29.
aa epist. ad Ocean.
bb 22 cont. Faust. c. 47. 3. de doctr. Christ. c. 12.
cc 4. 84. in Gen.
dd lib. 11. in Gen.
ee hom. 56. in Gen.

me meminerim, ac ne semel dicta repetere studuerim. De altera textus parte, vt non habeat rex argenti, & auri immensa pondera, siue vt ea non multiplicet nimis, Augustinum [a] retuli affirmantem in hoc etiam Salomonem peccauisse: & Aquinatem [b], docentem rationem prohibitionis esse, ne ex horum cupiditate cum equis & vxoribus multis, declinet rex ad tyrannidem, iustitiamque derelinquat. Cui rationi similis est paulò pòst hic indicatum elationis ac superbiæ periculum. Questus est populus apud Roboam, à patre ipsius Salomone durissimum iugum impositum fuisse [c]. Cum idololatria, cui Salomon studuit, auaritia coniuncta est, sicut libidinis proles quædam impietas est idololatriæ: & ab Apostolo [d] idolorum seruitus cognominatur, non hyperbolicè, inquit Chrysostomus [e], sed verè; quoniam sidit ac seruit auarus pecuniæ, lucro, Mammonæ, Pluto; incerto diuitiarum [f], fallacibus diuitiis [g]: istas admiratur, & veluti sacras attingere veretur, vt is de quo ille [h],

——— congestis vndique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris; aut pictis tanquam gaudere tabellis.

immò fraudans seipsum, & alios fructu earum, se ac alios illis quodammodo sacrificat, inquit Chrysostomus [i]. Aptè quoque cognominant Venerem auream; eidémque aurea simulacra constituta sunt [k]: quoniam coli nequit nisi auri immensis ponderibus, sumptibus incredibilibus, dispendiis maximis: atque ita faciunt sibi auari idola argentum suum, & aurum suum [l]. Cæterùm in tanta coaceruatione auri argentíque, de qua in historia [m] Regum, & libro Sapientiæ [n], Ecclesiastæ [o], Ecclesiastici [p] à Salomone peccatum volunt Nyssenus [q], Lyranus [r], Rickelius [s], Abulensis [t], Augustinus [u], Procopius [x]: & quidem exigendo nimia tributa, vt paulò etiam antè memini; innuitque Procopius, addens sumptus immodicos citra necessitatem; non ponendo Deum adiutorem, sed sperando in multitudine diuitiarum suarum [y]. Adiice caueri ne immoderata ista cupiditas occasionem regi ac subditis præbeat, & aditum aperiat commercia cum exteris tractandi, cum periculo contrahendæ superstitionis: Iosephus [z] quidem certè idcirco raram apud profanos esse mentionem scribit de Hebræis, quia mercimoniis non gaudebant, alienutris peregrinationibus non fatigabantur, maritimam regionem non incolebant, habentes à mari dissitas procul ciuitates, possidentes regionem vberrimam, in eáque laborantes assiduè, & circa filiorum nutrimenta præcipuè studentes; circa latrocinia non vacantes, ampliúsve habere non concupiscentes, hanc ob causam prælia non exercentes, licèt multis virorum fortium milibus abundarent. Hoc si ita est, legem isto loco traditam rex populúsque Iudæus rectè seruabat. Illas opes lex non damnat quæ regni Iudaici pacificum statum comitabantur, ea soli vbertate benè culti; ea pecoris pastione; ea tributis aut muneribus exterorum vel honoris, vel subiectionis causa delatis ad reges; item ea belli iure. Nec ab eiusmodi opulentia Salomon solus, licèt vnus præ cæteris, celebratur; verùm etiam ante ipsum pater Dauid [aa], & post vtrumque Iosaphat [bb], Ezechias [cc], &c. Deúsque peculiariter id Salomoni promiserat [dd]: quod insinuat etiam innumerabilis honestas benefi-

a q. 27.
b 2. 2. q. 105. a. 1. ad 2.
c 3. Reg. 12. 4.
d Ephes. 5. 5. Col. 3. 5.
e ibidem.
f 1. Tim. 6. 17.
g Luc. 12. 15. cap. 16. 11. Mat. 13. 22.
h Hora. 1. ser. Saty. 1.
i in epist. ad Eph. 5. ho. 18. 18.
k Lact. in Diog. Laer. in paren. Eus. 10. de præpar. c. 2.
l Oseæ 8. 4.
m 3. Reg. 3. 13.
n c. 7. 8. 9.
o c. 2. 8.
p c. 47. 20.
q hom. 4. in Ecclesiaste.
r in Eccl. 47.
s ibidem.
t hic q. 9.
u q. 27.
x hoc loco.
y Ps. 51. 9.
z 1. cont. Aplo.
aa 2. Reg. 8. & 10. 1. Par. 18. 22.
bb 2. Par. 17. 5. 27. 28.
cc c. 32. 29.
dd 3. Reg. 3. 13. 2. Paral. 1. 12.

A cio Sapientiæ obtenta [a]. Decent regium splendorem, regiæque cultum domus, thesauri peculiares, substantiæque, vt Salomon [b] ipse iam resipiscens vocat, regum: vt hosti terrori sit, ac se suósque defendat: quo pacto Nabuchodonosor defendere, siue vlcisci se decreuit, fretus auro & argento quod in domo regis erat multum nimis [c]. Nemo sapiens, ait Boëtius [d], exul, inops, ignominiosúsque esse malit potiùs, quàm pollens opibus, honore reuerendus, potentia validus, in sua permanens vrbe florere. Sic enim clarius testatiúsque sapientiæ tractatur officium cùm in contingentes populos regentium quodammodo beatitudo transfunditur. Ingrauescente aliquantum ætate
B Salomon post publicas impensas & opera magnificè cum summa laude peracta, cùm magnificè sapientiam tractasset, & vt sapientiam habens, obtulisset sacrificium dedicationis & consummationis templi [e]; deflexit ad auaritiam, coaceruando argentum & aurum [f] illicitis modis absque vsu, aut fine honesto; & cum cessaret dictorum operum publicorum seu necessitas seu opportunitas, adhuc incumbendo nauigationibus remotioribus, atque commerciis cum cæteris nationibus; insumendo ad proprias voluptates, & concupiscentias [g], tum verò circa mulieres, quæ auarissimæ sunt, parcæ, rapaces, insatiabiles, ornatus cupidissimæ; ad cultum idolorum; tandem iniquius ve-
C ctigalia exigendo [h]. Lectu dignus hoc loco [i] Abulensis quatenus regi fas sit thesaurizare ad nobilitatem regalem ostentandam, ad quotidianas expensas, potissimum quando bella ingruunt; ne cogatur à populo exigere; non ad curiositatem, non exigendo iniustè, &c. quia faciens sic diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens [k]. Quod verò etiam Aristoteles [l] præcipit ciuitatem non debere esse nec valde diuitem ne audeat alios vexare, aut alios alliciat vt ipsam vexent; nec valde pauperem, quia non posset hosti resistere, ac sibi satis consulere: id idem Abulensis ad regem aptè transfert. Legatur idem in libros Re-
D gum [m], & Paralipomenon [n]; Aquinas [o] quoque, Petrus [p] Gregorius, Pineda [q] noster. Primus [r] præceptum istud exponit de vitanda ostentatione, siue fastu regali; vt de Crœso, inquit, rege Idorum (Lydorum) narrant historiæ; ex qua causa ruinam passus est, quia captus à Cyro rege Persarum, nudus in alto monte patibulo est affixus. Penultimus in vtrámque partem disputat, num expediat, probetúrve, in causa reipublicæ potius habere & cogere, thesaurósque reponere, quàm nō habere. Hinc pro negante parte affert Lacedæmones, qui recusarunt id facere, ne bellis, expilationibus, oppressioni populi ansam darent: Macarensium circa Vtopiam quam Thomas Morus ingeniosè commentus est,
E qui, vt hic [s] scribit, quo primùm die rex eorum auspicatur imperium, magnis adhibitis sacrificiis, iureiurando obstringitur, numquam se vno tempore, supra mille auri pondo in thesauris habiturum, aut argenti, quantum eius auri pretium æquet; sic autem maiori curæ optimo regi commodum patriæ, quàm diuitias suas, quæ inopiam populo inferre possent: Belæ regis Pannoniæ, qui omnibus promiscuè vectigalibus leuato populo, ac generatim remisso prouinciis tributo, effecit & nobilitatem, & plebem ditissimam,

vt nec

a Sapien. 7. 11.
b Eccl. 2. 8.
c Iudith 2. 2. 10.
d 4. de consol. prosa 5.
e 2. Mach. 2. 9.
f Eccl. 2. 8.
g Iac. 4. 3.
h 3. Reg. 12. 28. c. 12. 4.
i quæst. 9.
k Ier. 17. 11.
l 2. polit. c. 3.
m in lib. 3. 10. q. 12.
n in li. 2. 2. q. 28. c. 9. q. 20.
o 2. de regim. Prin. c. 5. 6. 7.
p 3. de rep. c. 9.
q 7. de reb. Salom. c. 13.
r suprà c. 7.
s lib. 1. Vtopiæ.

a Bonfin. de reb Hunga. decad. 2. l. 3.
b l. 36. c. 12.

vt nec minimus quidem rusticus inuentus fuerit egenus anno Domini 1060. [a] Ægyptiorum, qui, vt à nonnullis proditum refert Plinius [b], pyramides excitabant, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus reges præberent, aut ne plebs esset otiosa: Phalaridis [c] quamuis tyranni, scribentis Aglao, thesaurizasse se diuitias quascumque præbuisset Deus *εἰς μεταβολὰς τῆς τύχης*, *ad mutationes vicissitudinésue fortunæ*, *ἐκ τοῖς κόλποις τῆς γῆς*, *non ex finibus terræ*, vt facete hortabatur Aglaus: *ἀλλὰ εἰς τοὺς βουλομένους τῶν φίλων τὰς δωρεὰς λαμβάνειν*, *sed apud amicos volentes ipsius munera accipere*: *τινὸς γὰρ*, subdit, *οὐδὲν ἡγούμεθα γῆς μέρος παραδιδόντες, ὡς κεῖνοι ἀπιστοῦμεν τοὺς ἐξ ὑμῶν τῶν ἑταίρων φρατίσαι. ὧν εὐτυχούντων, κἂν αὐτὸς ἑτέρᾳ συμπλακῶ δαίμονι, οὐδὲν ἧττον εὐτυχεῖν δόξω*: *nullam enim terræ partem nobis fidam seu tutam ducemus, si vobis amicis tanquam pulueri diffidamus: quibus fortunatis, etsi ego ipse in aliam fortunam delapsus fuero, tamen lætus nihilominus fœliciter me agere arbitrabor.* Ex alia parte idem auctor loci præsentia prohibitionem, ad quam rex ille Maracentium videatur respexisse, interpretans de auaritia vitanda, respondet vtilem esse causam ærarij, pecuniarúmque conseruationem vel principi, vel reipublicæ, quæ colligi possint ex reipublicæ bonis, ordinariísque redditibus, citra exactionem tributorum, vel vectigalium, quæ ex lacrymis colliguntur prouincialium, & cessare debent cessante causa necessitatis. Id pluribus illustrat exemplis: ex quibus hoc decerpo Eduardi Anglorum regis. Cùm enim, vt narrat Polydorus [d] Virgilius, exactores tributi, pecuniæ ingentem aceruum, delectandi regis gratia, coràm adduxissent; ille subitò dæmonem ludentem circa ipsum aceruum sibi videre visus, auferri populóque restitui imperauit. Principi Tyri Deus præcepit, vt Ezechiel [e] diceret fore vt interiret, eo quòd gloriaretur auro & argento quæ in thesauris condiderat, séque pro Deo gereb at, quasi sedens in cathedra Dei, & habens cor Dei; cùm oporteat diuites huius sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo [f]. Denique catalogi Hebræi præceptorum negatiuorum ducentesimum vigesimumquartum est; vt rex non multiplicet sibi aurum & argentum: possit tamen congregare pecuniam, quam det ministris & militibus suis, & residuum ponat in thesaurum domus Domini, vt habeat tempore necessitatis Israël, & ad bella eius.

c epist. 12.
d 5. hist. Angl. pag. 357.
e c. 28. & seqq.
f 1. Tim. 6. 17.

Explanatio.

Non habebit vxores plurimas.] Editiones reliquæ phrasi eadem qua priùs de equis, habent præfixa coniunctione (*& non multiplicabit sibi vxores.*) Omisso etymo vxoris ab vnguendis postibus, figendáque lana [g]: quod vnguentum esset ex adipe lupino [h], quod irridet Arnobius [i]: Græcum nomen *γυνὴ* Isidorus [k] Pelusiota reprehendens Eudæmonem negantem quòd significet sumptam à viro, ait dici *ἀπὸ τῆς γονῆς*, à genitura, quasi *γόνιμον* ad gignendum idoneam; *quia ex viro suo, qui eam fœcundam redditurus est, sumpta est*, *ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς μέλλοντος γόνιμον ποιεῖν ἐλήφθη*. Vir enim virginem sibi matrimonio copulans *συναπτόμενος*, facit *γυναῖκα τὴν ποτε γόνιμον*: Ob idque etiam apud Athenienses legitimus congressus arandorum filiorum causa fieri dicebatur, ac *γονεῖς parentes* appellantur. Tandem asserit *ἄνδρα* velut ab *ἀνυψῶ* vel *ἀρῶ* sero vel aro dici, & qui *ἄνδρα* profert, ilico

Vxoris etymon.
g Donat. in 2. sc. Hecyræ Teren. Seruius in Æne. 4. Isid. 9. etym. c. vlt.
h Plin. l. 28. c. 9.
i 3 cont. Gen.
k lib. 3. epi. 243.

A menti eius nomen *γυνή*, quibus est commune nomen *ἄνθρωπος* ad eum modum quo se habent *πατὴρ καὶ παῖς* pater & filius, *δεσπότης καὶ δοῦλος* dominus & seruus. Bestius tribuit nomina virorum, maritorum, vxorum, filiorum, exemplis ostendit Latinis, Græcísque Cerda [a] noster *ἀνδρῶν* siue *ποσίων*, & *ἀκοίτων*: item *νυμφῶν* seu *ἀλόχων*, postremò *τέκνων* cum metaphora, siue acyrologia.

ἄνθρωπος vtrique sexui cōgruit.
a in eclo. 7. v. 6. not. 2.

Quæ alliciant animum eius.] Legit Abulensis (*illiciant.*) Ex aliis editionibus (*& non declinabit*, aut, *vt non declinet cor eius* ולא יסור לבבו *velo iasur lenauo*, B ולא ישוי לבבו *velo ishbe libbeh*, *ἵνα μὴ μεταστῇ αὐτοῦ ἡ καρδία*. Apud Augustinum [b] (*vt non discedat cor eius.*) Sed, quidquid Eugubinus dicat, idem est siue dicas quòd mulieres alliciant, sicque declinent ac peruertant cor; siue quòd qui allici se sinit, ipse decliner & peruertat cor suum; siue quòd cor eius discedat, nimirum à recto, immò à seipso. Communis expositio est, de alliciendo illiciendóve ad effrænem libidinem; atque inde ad idololatriam; sicut contigit in Salomone, cui tantus grex vxorum & concubinarum, vt antea dictum est; nec ignota obscœnitatis irritamenta, de quibus Athenæus [c] & alij; vt adeò multis fœminis oblectaretur, vnáque nocte plures impregnare posset; quod Herculem ferunt cum 50. fecisse [d]. Alienam mu- C lierem cauendam Ecclesiastici [e] auctor admonet, ne declinet cor nostrum ad illam, & sanguine nostro labamur in perditionem, vel *πνεύματι* spiritu, id est, affectu vitioso. Loquitur tamen de aliena vxore *ὑπάνδρῳ γυναικὶ* muliere quæ sub viro est: & sanguis denotat periculum, ne vir interficiat alterum. Abulensis considerans cùm adeò multæ sunt vxores ad quas accessum vir habere non potest, ipsas variis laborare incitamentis ad prouocationem carnalis illecebræ; Salomonem ait variis actibus & incitamentis ad ætatis suæ annum vndecimum genuisse, teste, vt ipse citat, Eusebio [f], & Luca Tudense [g]: ab alienigenis autem postea deprauatum cor illius, vt in senectute idola coleret, ac diis multis templa ædificaret [h]. Copu- D latus dicitur Salomon alienigenis ardentissimo amore [i], inclinasse femora (viscera, ilia *σπλάγχνα*, *λαγόνας*) illis, potestatémque babuisse in corpore [k] suo; vt eo abuteretur pro cupiditate & libidine, eáque in re fœminarum seruiret lasciuiæ; cùm oporteat sub viri potestate mulierem [l] esse, quasi nuberet illis, non illæ ipsi. Verùm, quod asseritur ætatis anno vndecimo (exacto anno decimo & tertio mense alij dicunt) genuisse filium; sequitur ex opinione, quòd anno duodecimo regnare cœperit (absurdissima verò est de anno tertio) quam opinionem plures refellunt, contendentes vel anno 14. vel 20. vel 21. vel 24. & Salomonem à primis annis diuina imbutum sapientia, non autem puerū libidinosissimum ac impurissimum fuisse: vt E nec Dauidem adeò sanctum filij decennis nuptias permisisse: nec Nathan prophetam ea Dauidico genere, vt creditur, Dauidíque amicissimum, qui eam regebat ætatem Salomonis, eiuscemodi nuptiarum extitisse seu conciliatorem, seu approbatorem; nec matrem Bethsabeam honestissimam matronam in adeò indecoras, ac ætatulæ filij deliciosissimi perniciosas nuptias assensum præbuisse. Legantur de nostris Barradius [m], Gordonius [n], Pineda [o], Salianus [p]: qui monent illam opinionem ortam ex Hebræorum fallacissimorum mendacissimorúmque traditione apud Lyranum [q], & in Seder [r], quam vel retulerint,

Mulierum consortia quid possint.
b q. 27.
c l. 1. c. 13.
d Tiraq. in l. 15. connub. n. 92. ca mul tis aucto.
e 9. 13.
f in chro.
g in hist.
h 3. Re. 11. 1.
i ibidem.
k Eccl. 47. 21.
l 1. Cor. 11. 10.
m to. 1. lib. 5. c. 10.
n in chron.
o 8. de reb. Salom c. 4.
p annal. sacro. t. 3. anno mundi 3020. n. 7. & seqq.
q in 3. Reg 11.
r c. 4. & 16.

vel

vel secuti etiam visi fuerint, vel expendere non curauerint, nempe de exordio regni Salomonis in anno 12. ineunte, & consequenter de filio ab eo generato in tam exigua ætate, Ignatius [a], Clemens [b] Rom. Eusebius [c], siue apud hunc Eupolemus, Hieronymus [d], Cedrenus [e], Zonaras [f], Isidorus [g]: viuo autem adhuc Dauide cùm Salomon agens annum 19. rex inauguratus esset, vxorem duxisse Naamam Ammanitidem iam priùs professam veram Dei fidem religionémque, ac ex ea suscepisse filium Roboam, quem auus Dauid viderit natum annum vnum, & Salomon patre defuncto agens annum 21. regnare solus cœperit. Quòd cum Dauid puerum appellarit & tenellum [h], indicat educationem teneram ac delicatam cum gerendarum iustitia rerum, quæ cadit in annum etiam vigesimum: item quod à Deo electus adhuc puer & tenellus ad regnandum, & ædificandum sibi opus grande, non arguit regnasse vel ædificasse adhuc puerum & tenellum. Cui prior arrideret sententia, sicut nostro Serario [l]; dicere posset, fieri posse naturaliter ob certam caloris aliarúmque in corpore temperationem rerum, vt gignat quis anno 10. 11. 12. quòd Hieronymus [k] de decenni refert: Tiraquellus [l] verò de puella nouem annorum, de puero ætatis eiusdem, de Salomone in dicta ætate vndecim annorum, eodémque modo de Achaz. Salomonem vt animo, sic præstantissimum corpore fuisse; ac diuino factum nutu, vt & ei pater tam citò vxorem daret, & ex filio iam rege nepotem regem videret futurum: hoc posito sequi senem Salomonem dictum, qui non excessisset annos ætatis 52. etiam anno circiter 46. computando eam ætatem ad priorem, quæ tota ferè vocata sit iuuentus, & prout quandoque constantem ætatem vocabulum senectutis complectitur.

Neque argenti & auri immensa pondera.] Repetito multiplicandi verbo, quod erat in priore membro iuxta editiones alias (*& argentum & aurum non multiplicabit sibi valde*) quo etiam pacto legit Augustinus [m]. Pondera sumpsit Interpres pro numero & multitudine; vt cùm Varro [n] è Græcia comportatum scribit magnum pondus omnium artificum. Alioqui significat pondus, & pondo indeclinabile, libram duodecim vnciarum: & non infrequenter minoris cuiusuis mensuræ quantitatem, vt cùm dicitur libra pondo, vncia pondo, vnde dipondium seu dupondium, tripondium, &c. Pro quauis mensura pondo sæpe occurrit in Scriptura [o]: pondus adhuc sæpiùs, ac nominatim cùm agitur de diuitiis Salomonis [p]. Infinitæ diuitiæ regi Iosaphat factæ dicuntur & multa gloria [q] כָּבוֹד לָרֹב *chauod larob*: Ezechias fuisse diues & inclitus valdè, & thesauros sibi plurimos congregauisse argenti & auri, lapidis pretiosi, aromatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij, &c. eique à Deo data substantia multa nimis [r]; Hebraicè vltimo loco רְכוּשׁ רַב מְאֹד *rechus rab meod*; primo autem עֹשֶׁר וְכָבוֹד הַרְבֵּה מְאֹד *hhoscer vechauod harbeh meod*: quæ phrasis in textu nostro exprimitur per הַרְבֵּה מְאֹד *harbeh meod*. Idem valent in historia Machabæorum [s] pecuniæ innumerabiles, copiæque immensæ χρήματα ἀμύθητα, & πλῆθος τῶν διαφόρων ἀναρίθμητον. Qua ratione in hoc peccari possit, Salomónne peccasse censeatur, qui coaceruasse se ipsemet dixit [t] sibi argentum & aurum, & Ecclesiastici [u] auctor ait de illo, quòd collegit quasi aurichalcum aurum antea docui, doce-

a epist. 3. ad Magnes.
b 2. constit. c. 1.
c sup. & 9. de præpar. c. 4.
d ep. 132. ad Vitalem. in Esa. c. 3. in ep. ad Tit. 3.
e in hist.
f in hist.
g de vita & morte sanct. c. 34.
h 1. Paral. 29. 1.
l in 3. Re. 2.
k epist. 132.
l l. 6. connub. n. 37.
m q. 7.
Pondus dictio.
n de vita pop. Rom.
o Gen. 24. 22. Num. 7. 13. c. 31. 52. 2. Re. 12. 30. 1. Par. 20. 2. 2 Mach. 14. 25.
p 3. Reg. 7. 47. c. 10. 14. 2. Par. 9. 13.
q 2. Paral. 17. 5.
r c. 32. 27. 28. 29.
s 2. Mach. 3. 6.
t Eccl. 2. 8.
u c. 47. 20.

réque Nyssenus [a] videtur, præter alios, auaritiæ peccatum fuisse, quasi liceret ei ex alienis prædiis congregare copiam pecuniæ, vectigalia imponere, decimas exigere, cogere subditos, pecuniam conferre, &c. Hoc tantùm abest, vt regi liceat, vt nec vineam quidem Nabot, ab inuito emere Achab iustè potuerit [b]: vt ob minas grauiorum onerum Roboam decem tribuum iacturam fecerit [c]; exactórque durior tributorum Aduram lapidatus fuerit [d]: vt Christus iubendo reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei, Deo [e], satis indicauerit quibusdam populum frui propriis potuisse vnde penderet decimas aliáque iura Leuitarum, & sacerdotum, & ad cultum Dei spectantia: vt reprehendantur à prophetis principes socij furum, diligentes munera, sequentes retributiones [f]; quas lupi rapientes prædam, & auarè sectantes lucra [g]; quasi leones rugientes & lupi vespere, non relinquentes in mane [h]. Ad coërcendam principum istiusmodi licentiam Ephoros constituit Lacedæmonibus Lycurgus, Romani tribunos plebis; quo veluti etiam funguntur nunc munere in imperio septem Electores, Imperialisque Camera; in Gallia quos vocant Pares, & octo Parlamenta siue senatus. Non minùs quàm ab iniquis cædibus Traianus abstinebat ab aliena pecunia [i]: contrà verò Caracalla pecuniam omnem sibi soli esse oportere dictitabat, præterea nemini, Iuliæque matri nullos extare reditus, iure iniuriáve partos asserenti, quòd sumptus nimios fecisset, ostentato gladio, iussit bono animo esse; quia quamdiu haberet illum, pecunia non deforet [k]. Lege Ioannem [l] Nodiuum.

a hom. 4. in Eccl.
b 3. Re. 21. 1.
c c. 12.
d ibidem.
e Mat. 22. 21.
f Esa. 1. 23.
g Ezech. 22. 27.
h Soph. 3. 3.
i Xiphil.
k Idem.
l in Exod. c. 1. pag. 19.

Vers. 18.] Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus.

NOn solùm regi vitanda sunt priùs dicta circa luxum in pompa equorum equitúmve superfluorum, & Immoderatos thesauros, atque circa luxuriam nimis multarum vxorum, longè autem magis adulteriorum, aliarúmque libidinum à ratione naturáque ipsa abhorrentium; verùm etiam curandum est pro remedio aduersus mala illa, & quælibet alia; vt statim ac solium, seu thronum, seu tribunal regium conscendit, regnique possessionem iniit, exemplar legis, tùm quoad proximè memorata; tum quoad contenta in libro hoc Deuteronomij, qui est aliorum librorum ad legem spectantium, quædam summa & repetitio, à Mose sub mortem facta, instar vltimæ voluntatis, testamentíque; accipiat de sacerdotum manibus, quorum est legem custodire fideliter castigatissiméque descriptam, & à quorum labiis ac ore requiri lex [m] debet: transcribat verò ipse. Aliis tamen videtur nec de immediatè traditis præceptis, nec de libro integro Deuteronomij propriè hîc agi; sed de lege tota Mosis, cuius regem oporteret habere exemplum, quod exemplaria comparatione diceretur duplicatum; ita vt, quemadmodum placet Rabbinis & Oleastro, describeret rex duo exempla; alterum vt secum ferret,

m Mal. 2. 7

alterum

alterum vt in thesauris deponeret, seu domi haberet. Præceptorum affirmatiuorum catalogi Hebræi 25. est. *Rex tenetur sibi scribere legem. Debet rex semper secum habere librum legis siue cum vadit ad prælium, siue cum sedet in iudicio aut in mensa. Et si antequam fieret rex, nullum habuit librum legis, tenetur habere duos postquam factus est rex, vnum, quem reponat in domum thesauri; alterum, quo semper vtatur.* Caietanus legens ex Hebræo (*scribet sibi emendationem legis huius, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus*) interpretatur de exemplo optimè etiam punctis, & lineamentis emendato, ad differentiam vulgarium librorum, in quibus lex non exactè scribitur, & vt ad amussim scriberetur, exemplar à sacerdotibus habendum fuisse. Scholiastes Caietani Fonseca credit exemplar istud, ex quo conscribendus esset liber legis, manu Mosis scriptum fuisse, & à sacerdotibus in templo seruatum, fortassis illud ipsum, quod inuentum est in domo Domini ab Helcia sacerdote tempore Iosiæ regis, antea per multum tempus neglectum; quia dicitur liber legis Domini per manum Moysi, & regi traditus per Saphan scribam [a]. Ineptiunt autem Iudæi supra modum, vt fatetur Munsterus apostata, docentes librum legis in pelle animalis mundi scribendum; atramentum ex gallis factum non esse satis idoneum (quercuū fructus hi sunt, vulgaribus quoque linguis ita nominati) cùm numquam satis dehumectetur: relinquendum in quibusdam locis integrum spatium quod vocant פרשה פתוחה *parschah pethuchah*: in quibusdam non integrum, quod vocant פרשה סתומה *parsiah sethumah*: propterea in Hebraicis libris sæpe videri in magnis vel angustis spatiis literas ס *samech*, & פ *pe*. Quidquid sit de his, & per puncta, de quibus Caietanus, intelligendo non ea, quæ vocales denotant, aut accentus, quorum omnium inuentio recentior est Hieronymo, vt aliàs dictum est: communis retinenda opinio, quam præ se fert omnino Deuteronomij vox in textu nostro, & in Græco, vnde sumpta est, sermonem hîc esse de libro hoc Deuteronomij nominatim: Philo [b] ait mox post acceptam potestatem, debuisse regem τὴν ἐπινομίδα scribere (quod vertitur *Deuteronomiū*) κεφαλαιώδη τύπον περιέχουσαν ἁπάντων τῶν νόμων, *compendiosum typum continens legum*, αὐτόχειρία *propria manu*: & hoc quidem, *quo magis hærerent animo præcepta*, ἔγκολλα τῇ ψυχῇ τὰ διατεταγμένα; quoniam legentibus elabuntur sententiæ; quod lectio *moras* non patitur: qui autem scribit *per otium*, imprimit, & infigit menti singula fideliter, non in transcursu animaduersa, sed cunctanter; non priùs cogitatione transeunte ad sequentia, quàm benè pensitatis quæ præcesserunt. Dum subdit, oportuisse, vt absoluto hoc scripto, relegeret princeps quotidie, vt assiduitate confirmaretur memoria, ipsáque præcepta eo magis allubescerent, per assuetudinem vtilitate honestatéque sua commendabilia, & animo inserentia sacrum sui desiderium. Deinde repetit, libentiùs agnosci propria manu scripta; & magis esse ad reuoluendum prompta, πρὸς ἀνάληψιν ἑτοιμότερα: ita vt sic ratiocinetur qui scripsit. Ego tantus princeps, scripsi hæc, nullius vsus opera; cùm tot habeam subditos & seruos; fortasse, vt librum explerem literis velut scribæ mercenarij; aut oculorum acumen exercerem, & celeritatem manuum, sicut notarij? nequaquam; sed vt inter transcribendum, in animum imprimerem, & menti *diuiniores, ac numquam eluibiles characteres* θειοτέρους καὶ ἀνεξαλείπτους χαρακτῆρας inscriberem. Tum verbis eiusdem regis, inducit Philo ipsum met asserentem, se cùm alij reges vtantur sceptro, pro hoc gestare & habere velle τὴν βίβλον τῆς ἐπινομίδος, tanquam καύχημα καὶ κλέος *gloriam & decus*; ac vnde inuictus reddatur, & inculpabilis, & summi regis Dei imitator: consequatur verò æqualitatem quamdam, ἰσότητα absque superbia & arrogantia, quæ propria est *pusilli animi, futura non prospicientis* ὀλιγόφρονος ψυχῆς, τὸ μέλλον οὐ προορωμένης: & vt in neutram partem deflectat; sed *via* incedat regia, βασιλικῇ ὁδῷ, vt solet, inquit, Moses vocare. Tandem adiicit promitti tali regi, *diuturnum principatum*, μακροχρονίαν βασιλείας, non tam ob πολυετῆ ζωὴν *annosam vitam*, quàm quòd, etiamsi moriatur, *vita viuat longæua* βίον ζῇ μακραίωνα, *relicta post se immortali virtutis, rerúmque à se gestarum memoria*, διὰ τῶν πράξεων, ἃς ἀθανάτους καταλέλοιπε, μνημεῖα καλοκαγαθίας ἀκαθαίρετα. Placuit hæc inserere, quoniam vice commentarij sunt loci huiusce nostri, & eorum quæ sequuntur. Illud porrò non est improbabile, quod citati notant Oleaster & Fonseca, ex hac lege sumptam ceremoniam, qua rex, libro legis in manu posito, coronabatur. Quamquam non in manu, sed super caput positum indicant cum diademate, quæ scribuntur de Ioas, super eum diadema positum, & testimonium à Ioiada sacerdote, quando fecerunt regem, & vnxerunt, & super tribunal posuerunt iuxta morem, plaudentes manu, dicentésque, *Viuat rex* [a]. Attamen legitur [b] etiam impositum ei diadema, & testimonium, datam verò in manu eius tenendam legem, constitutum regem, vnctum à Ioiada pontifice, & filiis eius, imprecatósque ei, atque dixisse, *Viuat rex*. Vbi videtur testimonium à lege distingui, etiamsi Pintus [c], Lyranus [d], Glossa [e], Hugo [f], Rickelius [g] pro eadem re sumant, quia lex dicitur data in manu tenenda, testimonium impositum: & Theodoretus [h] pro diademate legens *sanctificationem* ἁγίασμα, capo-nénsque vnguentum siue chrisma, per *testimonium* μαρτύριον, intelligit coronam regiam, vt quæ significaret regnum. Caietanus [i] nomine, quod redditur *testimonium*, ait posse *ornamentum* verti: & retinendo *testimonium*, per hoc intelligi *phylacterium*, in quo erat summa legis scripta: insinuaríque morem coronandi regem, vt videlicet diademate ornaretur pro dignitate regia; diuinæ autem legis studium ad seruandum eam profiterentur. Notat præterea [k], non extare in textu Hebræo libri 2. Paralip. [l] illa verba (*dederúntque ei in manu eius tenendam legem*) quod est etiam verum de Græco: abéstque à Latino codicum Complutensium, Regiorum, &c. Abulensis [m] docet, quòd quando aliquis in regem instituendus erat, collocabatur super sedem regis, & ponebatur diadema in capite eius: deinde sacerdos magnus fundebat oleum super caput eius: & ponebatur in manibus illius liber legis Moysi, scilicet Deuteronomium: & promittebat rex obseruare legem illam: deinde clamabat totus populus, *Viuat rex*; & imprecabantur alia bona regi; & fiebant sacrificia magna omnis generis, & populus faciebat omnia genera exultationis, quæcumque decens esset facere pro rege nouiter instituto, &c. Osculum autem adiectum à Samuele circa Saulem [n], soluit beneuolentiæ causa, non vt ordinarium ritum.

Ineptia Iudæorū circa librū legis.

a 2. Paral. 34. 14. 15. & 4. Reg. 22. 8.

b l. de creatione principis.

Regis coronatio.

a 4. Reg. 11. 12. 13. 14.
b 2. Par. 23. 11.
c in lamen. c. 2. lit. vau.
d in 4. Reg. 11.
e ibidem.
f ibidem.
g ibidem.
h ibid. q. 39.
i ibidem.
k in 2. Paral. 23.
l vers. 11.
m in 1 Reg. 10. q 3.
n 1. Reg. 10. 1.

Idem auctor [a] ex præsenti loco nostro, simul cum citato testimonio de rege Ioas, in cuius manu positus narratur liber legis, colligit eiusmodi ceremoniam in regis institutione a Deo imperatam; Idque vt rex disceret, Deum non contemnere, subditosve non opprimere; manibus ipsis legem tenendo, in qua hæc inhibentur, & in libro Deuteronomij continentur, qui propriè tradendus regi erat, ac totus legalis est atque ad cunctum populum pertinens; præ cæteris quatuor ex pentateucho, maxime ab Hebræis æstimatus; ac iussus poni in latere [b] arcæ, & legi anno septimo remissionia, conuenientibus Israelitis in locum sanctuarij [c]; & de nouo introeuntib. illis in Chanaan, scribi super lapides calce compactos & læuigatos in monte Hebal [d]. Videtur ad eundem ritum allusisse Chaldæa paraphrasis Psalmi 44. [e] pro illis verbis (*astitit regina à dextris tuis*) sic explanans (*stabit liber legis in latere dextera tua, & exarabitur in exemplari splendor tuus, velut obrizo, ex Ophir.*) Quidam quoque tale Innuit quadam ratione; vt nonnullis placet, liber in dextera sedentis supra thronum, quem agnus accepit [f]; quamuis longè aliud commuoiter intelligatur. Pineda [g] noster dispu-tans fusiùs de inauguratione, ac initiatione Salomonis in regem quantum ad vnctionem, sonitum buccinæ, solemnem acclamationem, thronum, diadema, coronationem, solemne cum Deo & populo fœdus; sacrificia, epulum regiom; in ea quoque interuenisse sentiens, quod in texto nostro præcipitur; negat [h] propria manu describendum regi fuisse Deuteronomium; quoniam, vt antè dixi, Ioas regi adhuc septenni datum exemplum legis est. Quæ ratio non est necessaria; quoniam id factum fuit quod tunc potuit; eóque pacto demonstratum quid fieri soleret, cùm posset. Non Hebraizantes dumtaxat in ea opinione fuerunt, sed recitatus Hebræorum doctissimus, nec suæ gentis ignarus rerum, Philo. Digna vox maiestatē regnantis, legibus obligatum se principem profiteri; nihilque tam proprium imperij, quàm legibus viuere [i]. Indicat liber legis vel coronæ modum impositus capiti, vel præbitus manibus regis, legem ab ipso cui, cùm Dei sit, omnino subesse, seruandam, & vt à subditis seruetur curandum. Talis ratio libri euangeliorum, qui apertus imponitur ceruici Episcopi cùm ordinatur solemnibus verbis prolatis ab ordinante & assistentibus Episcopis, *accipe Spiritum sanctum*. Eodem spectant quæ alias dicta sunt de dignitate ac vtilitate ipsiusmet Scripturę sacrę. Ad quod refertur mos Iudæorum condentium illam in tabernaculo intra synagogas suas, nolentium illotis contrectare manibus, osculantium quoties aperiunt clauduntve; non sedentium in eo scamno, in quo sunt biblia; ieiunantium integro die, quo forsan ceciderint in terram. In templo Nolano à se erecto Paulinus ad partem dexteram condidit Eucharistiam, Scripturam diuinam ad sinistram cum ista inscriptione [k].

Hic locus est veneranda penus qua conditur, & qua
Ponitur alma sacri pompa ministerij.

Item:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Non impono una hic se offertet occasio disserendi de vtilitate lectionis sacræ, quam cognoscere poteres ex dictis alibi sæpenumero tum in istomet libro, tum in aliis; præterea quòd summo principi Iosue commendatum est ipso initio principatus, vt non recederet volumen legis ab ore ipsius [a]. Sentiens diabolus quàti id referat, & quo pacto inde tela promantur cōtra ipsum, quibus ipsemet Christus vsus [b] est, studuit diuinos libros abolere, vt sub Achaz, qui eos combussit, si credimus R. Salomoni apud Lyranum [c], quando scientia Dei desiit in terra, maledictum verò, homicidium, furtum inundauerunt, sanguis sanguinem tetigit [d]: præterea sub Manasse, quod [e] Abulensis ostendit, ita vt nequiuerit in Iosiæ inauguratione ritus ille seruari, librum legis in eius manus tradendi; sed tandem postea, repertus fuerit ab Helcia pontifice, vt nuper meminimus, cùm fuisset tempore Achaz in templi pariete absconditus, quemadmodum ex eodem R. Salomone idem Lyranus [f] refert; quo libro lecto statim prius rex Iosias mores & cultum diuinū composuit: iterum cùm populus abductus esset in captiuitatem, interierunt omnes illi libri, & ab Esdra velut ex memoria restauratị; tandem tempore Machabæorum, combusti sunt, scissi, & apud quemcúque inueniebantur, trucidabatur [g]. Sed errore memoriæ Optatus [h] Antiochi tempore scribit nec apicem sacrorum codicum remansisse: Esdram post Machabæos extitisse, eorúmque libros restituisse. Nam a Nazaræis expansos libros legis proditur in historia Machabæorum [i]: de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorū suorum. Iudæ sub iisdem Machabæis solatio sibi libros sanctos esse asserebant [k]: & Machabæos Esdras præcessit. Imitati sunt hoc scelus Imperatores, vt Diocletianus, cuius imperio libros sacros tradendi, Christiani qui parebant vi tormētorum compulsi, appellabantur traditores, quorū ab Arnobio [l], Optato [m], Augustino [n], Eusebio [o] mentio fit. Alexandri quoque Seueri temporibus Vlpianus [p] de abolendæ religionis impiæ libris constituit; improbam vocans quæ idolis aduersaretur. Quod etiam sub nomine librorum magicæ artis Paulus [q] I.C. censuit. Et tamen diu antè Cumanus Præses Iudææ militem Romanum qui libros Mosaicos in vico quodam inuentos cotam omnibus lacerauerat, securi percussit [r]. Hieronymus [s] gratulatur sua ætate, quos antea impij reges libros diuinos combusserant, à piis regibus deaurātos, & purpuratos, & gemmarum varietate distinctos, in Romani custodiam imperij habitos in veneratione: Consule historiæ Machabæorum Enarratores Iosephum [t] Stephanum, & Nicolaum Serarium nostrum. Hinc disci præterea potest, doctum principem in lege Domini potissimum; & in aliis, quæ ad rectè gubernandum necessaria sunt, versatum esse oportere; vt constat ex plurium auctorum tractatibus de illius institutione, post vetustiores illos Xenophontis [u], & Isocratis [x], ex quibus tres nostri ordinis lectu digni, Ioannes Torres, Ioannes Mariana, Petrus Ribadeneyra. Alphonsus Aragonius rex quatuordecies vtrumque testamentum cum commentariis perlegit [y]. Carolus Magnus literis sacris immortuus est, euangelia Græca, Syráque corrigens penè agens animam [z]. Robertus rex Siciliæ iurauit Petrarchæ, multo cariores sibi sacras literas esse, quàm regnum; & si alterutro carendum esset, æquanimius diademate cariturum, quam illis. Plura noster Cornelius in encomio Scripturarum ante pentateuchum, & Delrius in proloquiis pharo suo præfixis. Multo id verò magis efficitor de doctrina Clericorum, vt argumentatur Philippus [aa] Bonæ Spei ex ordine Præmonstratensi Abbas. De

a in 4. Reg. 11. q. 16. & 17.
b Deut. 31. 26.
c ibidem.
d c. 27. 4. 13.
e vers. 10.
f Apoc. 5. 1. & seqq.
g 1. de reb. Salom. c. 5. & seqq.
h c. 8.
i l. digna vox C. de de legib.
Episcopi coronatio.
k epist. 12.

a Iosue 1. 8.
b Mat. 4. 4. 7. 10. Luc. 4. 4. 8. 12.
c in 4. Reg. 22.
d Osæ 4. 2.
e in 4. Reg. 22. q. 13.
f ibidem.
g 1. Mach. 1. 59. 60.
h lib. 7.
i lib. 1. 3. 48.
k c. 12. 9.
Imperatores scelus contra libros Mosis.
l lib. 1. 2. 4.
m lib. 1.
n 7 de bap. c. 2. 7. cont. Cresco. c. 1.
o 8 hist. c. 3.
p l. 4. D. de famil. herc.
q li. 5. sent. tit. 23.
Contemptus librorum Mosaicorum vindicatus.
r Ios. de bello Iud. c. 10.
s in Zach.
t in 1. l. c. 1.
u de Cyri pædia
x ad Nicoclem.
Exempla Principum honorātium libros sacros.
y Ant. Pan. lib. 1. vitæ.
z Teganus in vita Ludouici.
aa de dign. Cleri. c. 23.

De principe autem etiam laico id quod intuli observat alius de nostris annalium scriptor [a] sacrorum, ponens huius loci præceptum non metaphoricè duntaxat accipiendum eo modo, quo Sapiens [b] iubet vt misericordia & veritas non nos deserant, sed circumdemus eas gutturi nostro, & describamus in tabulis cordis; sed verè ac propriè, vt rex siue per se, siue per amanuensem Deuteronomium sibi describeret, aliòqui duriores fore illas phrases (*& habebit secum, legetque illud omnibus diebus*, &c.) Confirmat auctoritate Aristotelis, quòd in republica πρῶτον ἡ περὶ θεῖον ἐπιμέλεια *primum est curatio rerum diuinarum*: Diogenis [c] Stoici, quòd δεῖ τὸ ἄριστον ὑπὸ τοῦ ἀρίστου τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἡγεμονοῦν ὑπὸ τοῦ ἡγεμονεύοντος, *oportet quod optimum est, ab optimo coli, & quod imperat, ab imperante*: Iustini [d], quòd diis proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicata sit. Quod autem à sacerdotibus exemplar legis accipiendum dicitur, ostendit & canonicam Scripturæ auctoritatem, & veram eiusdem expositionem ad pontificem pertinere. Tradunt Hebræi, necnon Origenes [e], & Hilarius Mosi cùm lex data est, imperatum vt sensa illius mysteriáque sacerdotibus reuelarentur magna silentij religione: prout etiam Esdras, licèt in apocrypho libro [f], indicat: & à LXX. factum respondentibus regi Ptolemæo narrat Eusebius [g] ex Anatolio. Lege dicta in præfatione de titulo Deuteronomij.

a Salianus tom. 1. anno Mundi 120. num. 194. & 195.
b Prou. 3. 3. & 7. 3.
c apud Stobæum.
d lib. 8.
Pontifex supremus interpres.
e hom. 5. in Num.
Silentium sacerdotum in mysteriis.
f lib. 4. c. 14.
g 7. hist. c. 28.

Explanatio.

Postquam autem sederit in solio regni sui.] Pro regno est ἀρχὴ *principatus*, sicut versu 14. & 15. ἄρχων *princeps* pro *rege*: pro *solio* sunt nomina כסא *chisseh*, כרסא *charse*, δίφρος. Alia Latina nomina in Scripturis diuinis ferè synonyma sunt *tribunal* [h], *thronus* [i], *gradus* [k], *columna* [l], *sedes* [m], de his consule dicta cap. 6. Sapientiæ [n], & Actuum 12. [o]) nempe quoniam locus vbi sedebat rex gradibus quibusdam sublimis erat, veluti que basi impositus. Quòd si tale quid non suppeteret, vice illius aliud quærebatur, vt quando Iehu creatus est rex; vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, canentes buccina, & dicentes, *regnauit Iehu* [p]. Descriptio regnantis est, sedere in solio, &c. vt etiam de rege Ægypti [q] legitur, & de rege Persarum [r]; ita vt capitale esset regio insidere throno, apud Persas nominatim [s]. Adrianus Imp. Seruianum quasi affectatorem imperij inter alias caussas, quòd in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, mori coëgit [t]. Cosdroi regi sellam quam Traianus ablatam restituturum promiserat, non restituit [u]; vt nec postea Pius, etsi multum oratus: inter omina obtinendi aliquando imperij Seuero vnum fuit, sedisse in sella Imperatoria temerè à ministro posita, cùm ignoraret ipse, inquit Spartianus, quòd non liceret [x]. Ex 30. regis Iudæorum prærogatiuis; quibus regia illi maiestas asserebatur, extant hæ duæ; vt nemo eius sella sederet; nemo eius equo veheretur [y]: quod, secundum de Imperatoris etiam equo Vopiscus [z] refert. Plura de sella aurea regum Persarum ex variis auctoribus Barnabas [aa] Brissonius, confirmans priuatis in ea considere capitali pœna interdictum fuisse. Solium à sede Iul. [bb] Cæs. Scaliger deducit, vt & sellam, quasi seddam; alij à solo, quia subiicitur insessori; vel à solido, quòd in ligneis olim thronis reges sederent, & quibusdam velut atmariis, ob sui corporis tutelam, vel quia illi soli ibi sederent: dictúmque sæpiùs de sella regia, in qua dicti reges ius dicentes sedebant. Omitto autem notionem pro vase, quo in balneis lauabantur sedentes; quale censeri potest fuisse, in quod Ioannes Apostolus feruenti oleo plenum missus est: quod Hieronymus [a] dolium nominat; Tertullianus [b] ab eodem citatus, oleū igneum dumtaxat. Eumdem vsum habet Græcè ac Latinè θρόνος thronus, ἐλευθέριος καθέδρα ὑποποδίῳ, vt Athenæus [c] describit; videlicet augustior sella, & cognominari solet βασιλικός regius: licet apud Pollucem synonyma sint θρόνος, ἕδρα, καθέδρα, θρονίον, θᾶκος, ἕδρανον, δίφρος (adde κλισμὸν & βῆμα.) Habetur hoc loco δίφρος, significans propriè in curru partem, vbi cum parabate versatur auriga, & duos fert: synecdochicè autem currum, seu bigam: sed & sellam non solùm ὀκλαδίας viliorem, vt Eustathius docet, sed quamlibet aliam etiam regiam, quam frequentiùs valet thronus & solium. Iurisconsultorū fuisse soliū Cicero [d] indicat de iure respondentium. Vnde fortasse traductum ad regalem thronum, quoniam rex populis instar oraculorum ex solio respondebat. Hebræum nomen כסא *chisse* vt plurimùm accipitur pro *solio*, *throno*, *sede regia*, quasi à כסה *chasah*, *tegere*, quòd regum solium tapetibus obtegi soleat; quemadmodum כסא *chese* dicitur peculiariter de festo tabernaculorum, quasi dicas, operimentum, diéiue operimenti: vel quod ante thronum prætenderetur cortina, ne populi pateret rex conspectui: vel quia rex iudexve sententiam laturus obducere velum soleret, iuxta illud [e]; *tenet vultum solij sui, & expandit illud super nebulam suam*, item [f]; *manus solij Domini est*. Mitto cathedras episcopales in honore habitas, vt Iacobi minoris, Petri, Marci, quæ ligneæ erāt & sublimiores, atque vt Augustinus [g] loquitur, tanquam apsides gradatæ, & linteatæ siue velatæ. Celebris est memoria cathedræ Petri Romanæ, quæ hodieque visitur, & Antiochenæ: & de Iacobi cathedra extante suo tempore scribit Eusebius [h]. Mos item fuit, vt eius diei solemnitas ageretur quotannis, qua quis sedi episcopali præfectus fuisset: Petri quidem vtraque cathedra celebratur in vniuersa Ecclesia; de qua te Baronius in annalibus, notisque martyrologij ex testimonio Patrum: de Comensis episcopi Felicis Ambrosius [i]; de Aurelij Carth. & de sua Augustinus [k]; Menologium de Basilij, Chrysostomi, &c. quòd aliter exprimitur per nomen ordinationis: Marci cathedrā Venetis Heraclius Imp. dedisse fertur tanto ante quā corpus eiusdē ad se ipsi transtulissent, anno 820. Sedi Alexādrinæ Petrus episcopus mortuus impositus est; quā viuens insidere noluit, quòd in ea quamdam videret sedere virtutem. sic est in actis eius.

h 4. Reg. 11. 14.
i 3. Reg. 1. 24.
k 2. Par. 23. 13.
l 4. Reg. 11. 14.
m Ps. 44. 7. Ps. 131. 11. & alibi.
n vers. 22.
o vers. 21.
p 4. Reg. 9. 13.
q Exo. 11. 5.
r Esth. 1. 2.
s Val. li. 5. c. 14. Curt. lib. 8.
t Spartian. in Adriano.
u Idem ib.
x Idem in Seuero.
y In libro Aruch.
z in Aurel.
aa 1. de regno Persarum.
Solij & sellæ deriuatio.
bb de caussis ling. Lat. c. 39.
a 1. cont. Iouin. & in Matth. 20.
b de præscr. c. 36.
Throni significatio.
c lib. 5.
δίφρος dictio.
d 1. de legib.
e Iob 26. 9.
f Exo. 17. 16.
Cathedra episcopales.
g ep. 203.
h 7. hist. c. 14.
i epist. 60.
k ser. 32. de verb. Dom. & hom. 24. & 25.

Describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine.] Loco Deuteronomij, quod è Græco sumptum est δευτερονόμιον est nomen Hebræum משנה *misneh*, & Chaldæum פתשגן *pathsegan*. De Græco dictum satis in præfatione [l]; iterúmque solum habetur in libro Iosue [m] cum dictis nominibus aliarum editionum: vbi translatio Chaldæi vsurpat expositionem, hîc verò exemplum: & ibi ab omnibus cognominatur à lege Moysi, hîc omittitur nomen legis à Græca, quæ illo loco vsurpat appositiuè τὸ δευτερονόμιον νόμον Μωϋσῆ in accusatiuo. Philo [n], quem nuper citaui, huc idem narrans quod hîc est, de scriptione, ait ἀφ' ἧς δ' ἂν ἡμέρας παραλάβῃ τις ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, κελεύει τὴν ἐπινομίδα γράψαι αὐτοχειρία

l c. 1. 8.
m c. 8. 32.
n de creat. princ.

ἀπεκαλεῖτο τότε πειθήνιως ἅπαντας νόμους, & quae vero diu transierit quis sit permenerit ad principatum iubet (lex, Deut. ve) *epinomida scribere manu propria summariam regulam continentem omnium legum*. Quod rectè congruit libro Deuteronomij, in quo, vt citata praefatione docui, leges in aliis libris traditę ferè omnes comprehenduntur. Qua de causa dialogum illum Platonis cui titulus Epinomidi, sic aiunt appellatum, quasi appendicem legum, estque vltimus ea dialogis de legibus, cum titulo praeterea *φιλόσοφος* philosophi compendio repetens praecedentibus duodecim disputata, ac nominatim ad cultum Dei pertinentia, quae curare maximè rex debet, atque philosopho in primis digna sunt, quem idem Plato esse volebat regem, vicissimve vt qui philosophus esset, idem rex esset. Ex quo intelligitur, Philonis etiam iudicio, non solùm scribenda fuisse quae hic traduntur de institutione regis. Deinde, non metaphoricè, sed propriè scriptionem accipiendam. Postea, hanc ipsam scriptionem propria regis manu fieri debuisse, si nimirum ille id posset; quemadmodum quando cap. 31.[a] praecepit Moses, vt sibi omnes scriberent canticum quoddam, & docerent filios Israël. De his priùs egi; & quòd Hebraizantes (quos nollem secutus esset Villalpandus[b] noster; quod etiam hoc loco insinuant sibi placere nostri Sa & Mariana) vocabulum משנה *misneh* intelligant duplicatum, seu exemplum legis ex alio exemplari descriptum siue transumptum; quia שנה *scanah* significat duplicare, quòdque exemplaria duo rex habere deberet, vnum domi asseruatum, alterum, quod circumferret in itineribus. Verùm cùm ea isto libro nostro contenta, secunda vocetur, sed *Δευτερόνομιον*; & Hebraea vox secundum significet, rectè vertit Interpres, id est, libnum, qui est secunda lex; quo pacto Hebraei hodie vocant istum Deuteronomij librum משנה תורה *misneh thorah* repetitionem legis: & R. Moses Maimon eodem nomine illud opus, quo farraginem Thalmudicam in compendium retulit. Confert scriptio propria manu facta memoriae, vt ex Philone[c] annotauimus: & qui de rebus praecipuis spiritualibus, hoc monens, vt qui dat his operam, referat in codicillum potiora animi sensa & motus, quae in posterum pro varia occasione valeant esse documento & incitamento.

Immemor est? scribas: littera scripta manet.

Superest *volumen*, Hebraicè ספר *sepher*, Chaldaicè ספרא *siphra*, Graecè *βιβλίον*, quo voluminis nomine vtitur frequenter editio nostra; sed quandoque[d] coniungendo volumen libri מגלת ספר *meghillath sepher*. De Graeco agit Serarius[e] nostri. Docet diminutiuè descendere à *βίβλος*, quod aliqui per υ scribunt *βύβλος*: & *βίβλον* dici aliquando de quadam parte, vt de Genesi[f], de Matthaei[g] euangelio; de Psalmis[h]; de tota verò Scriptura dici posse, quae longè potiore iure cognominari queat *βίβλος ἀληθινή*, quàm liber Homeri, de quo apud Stobaeum[i] additur quòd *ἱερὰ βίβλος*, nullo autem pacto dici de diminutum litterarum libro potest. Deinde *βιβλίον ἱερὸν* à Luca[k] nominari: pluraliter *βιβλία*, & Latinitate donato vocabulo Biblia, etsi etiam aliqui Bibliam vsurpent numero singulari, quia omnium Bibliothecas liber hic superat copia, vtilitate, grauitate: &, quod *βιβλίον* etiam valet, continet quasi epistolam Dei ad nos, & contractum nobiscum: constat verò multis velut libellis; quamuis angustiùs ab Epiphanio[a] de solis hagiographis ea appellatio vsurpetur. Notum volumina etymon a voluendo, quod olim in libris arborum, id est, in corticibus scribebatur; libellique vt ferrentur commodiùs, complicabantur, & inuoluebantur; quod Hebraeo etiam nomine מגלה *meghillah* denotatur, à גלל *galal voluere, reuoluere, inuoluere*: nempe charta plicatilis, aut quid simile, quo literae scriptae continentur, cogitúrque in volumen, ita vt vnica sit pagina oblonga circa paxillum inuoluta. Extenditur tamen ad librum figurae cuiuslibet, etiamsi distectur in plures pagellas; vt nunc fit. In Ieremia[b] lectae dicuntur tres pagellae vel quatuor, scissum verò à rege volumen scalpello scribae, & proiectum in ignem, qui erat super arulam, donec igni consumeretur, qui erat in arula. Sanctius[c] noster, citans Porphyrium, docet voluinen pluribus paginis compactum fuisse; paginas esse illas chartas seu membranas, separatas quidem priùs, deinde verò adglutinatas, & in vnum coactas corpus seu volumen: aut paginas in volumine longo dici partes illius singulas, suis quasi regionibus distinctas, vt sunt capita vel paragraphi, in quibus videntur contineri ac secerni singulae ab aliis prophetiae; quemadmodum in agris paginae vocantur à seipsis inuicem discretae regiones: videri praeterea librum illum, de quo Ieremias, alterius figurae fuisse, quàm olim volumen passim habere, nempe quadratae; ita vt in eo pagellae apparerent distinctae; quemadmodum Oniae pontifici redditas literas Lacedaemonum scribit Iosephus[d] in pagina quadrangulari scriptas *γράμματα τὰ γεγραμμένα τετράγωνα*. Eadem post Sanctium, repetit Cornelius[e]; addens quòd singulae circumuolutiones partésve cylindro conuolutae, ordine, seorsim euoluebantur & explicabantur, vt legi possent tanquam ostia quaedam seu fores דלתות *delathoth*, id est, *apertura, explicationes, gyri explicati*. Possunt verò etiam per דלתות *delathoth tabulae* intelligi siue *folia*. Graecè ibi[f] appellatur *χάρτης*, aut *χαρτίον βιβλίον*, & absolutè[g] *χάρτης*: & pro *paginis vsl. intus tabula, spatia inter lineas*, paginae Hebraicè pro volumine libri מגלת ספר *meghillath sepher*, aut seorsim מגלה *meghillah*.

Accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitica tribus.] In caeteris editionibus non est (*accipiens exemplar*) sed in Graeca (*à sacerdotibus Leuitis* [illegible]) in Hebraea & Chaldaea (*à facie*, aut *à conspectu sacerdotum Leuitarum*, [illegible] *millphne hacchoanim halcuim* [illegible] *min kedam chahanaia leuai*) quod redditur ex Chaldaea (*per sacerdotes & Leuitas*.) Sed non deberunt separatim poni sacerdotes & Leuitae inserta particula (*&*) quam non habet Chaldaeus textus. A sohs namque sacerdotibus, non ab inferioribus Leuitis exemplar oportebat accipere: quod Interpres noster intellexit significati per describere à conspectu sacerdotum, siue coram sacerdotibus: & translator Chaldaeus paraphrasis (*per sacerdotes*) non quòd esset necessarium praesentibus illis describi Deuteronomium, praesertim si totum describendum esset; sed quia ipsi tradere deberent exemplar, & pro legitimo authenticóque recognitum, tradere regi; vt rex ipse describeret propria manu, si posset; vt antea cum Philone dictum est; quamuis Philo de sacerdotibus nullam mentionem faciat. Scholiastes Caietani Fonseca, existimat exemplar

Marginal notes: Epinomis & gratia Deuteronomiis, & quare. — a vers. 19. — b in Ezech. to. 3. in apparatu Vrbis p. 1. li. 3. cap. 18. — c supra. — Volumen, & Βιβλίον. — d Esther 9. 26. Iere. 36. 2. 4. — e in proleg. Bibli. c. 25. q. 7. — f c. 5. 1. — g c. 1. 1. — h Act. c. 10. — i ser. 3. — k c. 4. 17. — Biblia. — a haer. 29. — Voluminis etymon. — b c. 36. 23. — c ibidem. — d 12. antiq. c. 5. — e ib. in Ier. 36. 2. — f v. 2. 4. — g v. 23. — Soli sacerdotes custodes Deuteronomij.

plat

plar istud ex quo conscribendus erat liber legis, manu Mosis scriptum fuisse, & à sacerdotibus, in templo seruatum, & quidem fortassis illud quod inuentum est in domo Domini tempore Iosiæ regis, antea per multum tempus neglectum [a]. Reperio argumentum de iudicio scripturarum pertinente non ad laicam personam, sed ad sacram: & quidem si sit supremum iudicium, ad personam supremam siue ad hierarcham: nec passim terendas lectitandásve scripturas, idque vernacula lingua ab omnibus. Non iussit Deus vt exemplar Deuteronomij compararent sibi omnes; sed in c. 31. [b] libri nostri tradidit sacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis, & cunctis senioribus Israël, imperans post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Israël, vt apparerent in conspectu eius in loco quē elegisset, legerentur verba illius coram omni Israel, &c. quem librum eiusdem Domini præcepto posuerant in latere arcæ. Solum canticum quod extat in c. 32. scribi Deus ab omnibus voluit [c]. Reuersus ex Babylonico exilio Iudæis Esdras legem publice recitauit, ac interpretatus est per aliquot dies de loco superiore super gradum ligneum [d]. Raritas quoque tanta exemplarium erat, vt cùm Helcias pontifex, quod antea retuli, legis librum reperisset in templo, id pro miraculo habitum sit [e]. Quòd autem hîc nunc regi præcipitur de describendo Deuteronomio, hoc Hæretici extendunt ad omnes Christianos, & ad vniuersam scripturam vernaculè legendam. Accipere rex exemplar Deuteronomij debuit à sacerdotibus quibus legis custodia & intelligentia commissa erat. Sic faciant qui Biblia legere quacumque lingua volunt, vt exemplar ab Ecclesiæ Catholicæ accipiant præsulibus, non à Luthero, Beza, & similibus; vt Iosias legit stipatus prophetis sacerdotibúsque in templo [f].

a 4. Reg. 22. 8. & seqq. 2. Par. 34. 14. & seqq.
b v. 10. & seqq.
c c. 31. 19.
d 2. Esd. 8. 2. & seqq.
e 4. Reg. 22. 8. & seqq. & 23. 2. 2. Par. 34. 14. & seqq.
f ibidem.

Vers. 19.] Et habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.

PARAPHR. Finis principalis habendi ac legendi Deuteronomij.

Hic est præcipuus finis, cur Deuteronomium à se descriptum rex habere penes se debeat, & in promptu; vt frequenter quàm maximè lectitet; legendo, per omnem vitam suam, inde percipiat, quanti momenti sit Dominum suum venerari, & quæcumque ad cultum ipsius pertinent vel à se in primis, tum à subditis seruanda sunt, curare, vt exactissimè seruentur. Hoc, & sequenti versu obseruat Caietanus quatuor sacræ lectionis fructus; vt Deus timeatur; seruentur legis præcepta omnia; non eleuetur cor super alios; prorogetur imperium regis & filiorum. Addere potuit vt seruet æquabilem iustitiam. Memorem, quantauis polleat potentia, regem esse oportet; superiorem se habere Dominum: cui plus debeat, quàm cæteri, propter excellentiora præ cæteris accepta beneficia; quem timere necesse sit magis; quoniam repetenda de illo ratio maior [g], & potenter potentes tormenta passuri sunt [h], si se impotentiùs aut negligentiùs gerant. Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores alij; & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti [i], nimirū Deus. Thronus eburneus Salomonis grandis vestitus auro fuluo nimis, habens sex gradus, duas manus hinc & hinc tenentes sedile, duos leones iuxta manus singulas, duodecim leunculos super sex gradus hinc & inde; opus cui tale non est factum in vniuersis regnis [a], repræsentabat integerrimam iustitiam, a rege ipso vsque ad magistratus inferiores. Duæ manus siue brachiola indicabant Deum inuisibiliter ibi sedentem, duóque leones eundem vt vigilem illum de cœlo (leo enim apertis dormit oculis) attentissimè cuncta prospicientem: leunculi iudices alios incorruptos custodes iustis à primo veluti gradu ad vsque vltimum. Audiuimus nuper Philonem [b] scribentem absoluto scripto, regem relegere id quotidie debuisse, vt assiduitate confirmaretur memoria, hócque tanquam insigni & sceptro vtendum sibi recordaretur. Sit præ oculis illud principum

—[c] *innocuis viuite, numen adest.*

Præterea monitum datum Iustiniano ab Agapeto diacono [d], vt sceptrum cùm à Deo acceperit, cogitet quibus modis placeat ei: & cùm ab eo prælatus sit omnibus, præ omnibus eum honorare festinet.

g Luc. 12. 48.
h Sap. 6. 7.
i Eccl. 5. 7. 8.
Thronus eburneus Salomonis.
a 3. Reg. 10. 16. 19. 20.
b de creat. princip.
c Ouid. 1. de art.
d apud Bar. tom. 7.

Et habebit secum.] Secundùm reliquas editiones (*& erit secum*) scilicet Deuteronomium, quod rex descripsisset sibi: & iudicio Hebræorum, vt pridem dixi, debebat in duplici exemplari esse. Quod si concedatur, profectò non est satis probabile oportuisse, vt propria manu vtrumque describeret; quod de de vno quidem fortassis verum est; cùm videatur sufficere vndecumque scriptum haberet.

Explanatio.

Legétque illud omnibus diebus vitæ suæ.] Ista formula cui similes alias non semel expendimus, denotatur assiduitas legendi quoad per magis necessarias occupationes liceat, vtque id præstare conetur. Hoc Philo sic declarat, ὅταν μὲν τοι γράψῃ, παρέδω καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐντυγχάνειν καὶ ἀναγινώσκειν; *cùm autem scripserit, conetur singulis diebus legere & recognoscere.* Causam verò subiicit, ὑπέρ τε συνεχοῦς καὶ ἀδιαστάτου μνήμης καλῶν καὶ συμφερόντων ἅπασι διαταγμάτων, καὶ ὑπὲρ τοῦ βέβαιον ἔρωτα καὶ πόθον αὐτῶν αὐτῷ ἐγγίνεσθαι τῆς ψυχῆς ἀεὶ διδασκομένης καὶ ἐθιζομένης ὁμιλεῖν νόμοις ἱεροῖς. *vt per continuam & constantem memoriam honestorum atque conducentium omnibus constitutionum, & per firmum amorem ac desiderium, ipse sibi inferat in animo, semper discente, ac assuescente conuersari cum legibus sacris.* Infert Glossa & Hugo quanta assiduitate legere debeant sacerdotes diuinas literas, cùm assiduè legere reges iubeantur: quoniam lectio ipsa lux est & vita; & verba Christi seu Dei, spiritus & vita [e].

Assiduitas legendi ad omnes vitæ dies pertinet.

Vt discat timere Dominum Deum suum.] Chaldaicè (*coram Domino Deo suo*) Quod perinde est. Amplectitur timor Domini omnes alias virtutes. Verùm magis restrictè sumptus requiritur peculiariter in rege: qui quia valet auctoritate, periculum est, ne non solùm hominem non reuereatur, sed nec Deum timeat [f]. Iubentur reges intelligere, erudiri, Domino seruire in timore ac tremore [g]: terribilis dicitur apud illos, auferréque spiritum [h] principum; corripere illos [i], confringere in die iræ suæ [k]: occidere reges fortes [l], magnósque percutere [m]: alligare in compedibus [n]: horrendè & citò apparere iniustis, nec durissimum eis iudicium facere, potentérque tormenta infligere & fortiorem cruciationem [o]: efficere vt eum timeant reges horrendi [p], statéque contra reges horrendos [q], hoc est, qui

e Ioan. 6. 64.
Timere Deū, Regū præcipuum officium.
f Luc. 18. 2.
g Ps. 2. 10.
h Ps. 75. 13.
i Ps. 104. 14.
k Ps. 109. 5.
l Ps. 134. 10. 18.
m Ps. 135. 17.
n Ps. 149. 8.
o Sap. 6. 5. & seqq.
p c. 8. 15.
q c. 10. 16.

est, qui soleat aliis horrori esse; quemadmodum Elias deiecit reges ad perniciem, & confregit facilè potentiam ipsorum [a]. Timorem hic distinguit filialem seu reuerentialem, & seruilem Abulensis, qui ex assidua lectione diuinæ legis acquiritur; quæ tradit tot genera afflictionum, quot Deus minatur c.28. illum autem potentem esse, veracem, iustum; simul etiam valde reuerendum; honorabilem, bonum, beneficum. In Deuteronomio, ait Rickelius, fiunt feruentissimæ ac frequentissimæ exhortationes ad timorem Dei, cæterásque virtutes. Monet etiam specialiter necessarium esse timorem regibus atque potentibus; quoniam magnam habent libertatem, facultatem, & opportunitatem peccandi: indigent etiam valdè esse diligentes ac solliciti coram Deo; quem qui timet, nihil negligit [b]. Sæpe talibus fortitudo eorum, lex iustitiæ est [c]: putant quod libet licere; videri etiam dij voluerunt quidam, diuinísque adhuc viuentes honoribus coli.

a Eccl.48.6.
b Eccl.7.19.
c Sapien.2.17.

Et custodire verba & ceremonias quæ in lege præcepta sunt.] Hebraicè Chaldaicéque (*vt custodiat*, vel, *ad custodiendum omnia verba legis huius, & mandata vel ceremonias istas, vt faciat eas.*) Vltimum nomen est חֻקִּים *chukkim*, שְׁמַיָּא *kesamaya*) quod generaliter verti solet per statuta: sæpe verò per ceremonias. Græcum est δικαιώματα *iustificationes*: & pro verbis ἐντολάς *præcepta* siue *mandata*. Rickelius videtur hîc agnoscere in verbis duplex genus præceptorum moralium & iudicialium; in ceremoniis ceremonialium. Etsi porrò vltimorum obseruatio, curáque vt obseruarentur, pertineret maximè ac per se ad sacerdotes & Leuitas: tamen in regis quoque auctoritate & potentia non parum momenti erat ad executionem. Qua in re Iudæorum reges Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, &c. plurimum laborauisse, & contulisse; atque in Ecclesia etiam pios Imperatores, reges, principes; vt historiæ testantur. Saulem Samuel postquam vnxit, deosculatus [d] est, quod si non certa & solemnis ordinariáve ceremonia fuit; certè innuit à rege sacerdotalem quodam modo scientiam hauriri, quæ residet in ordine sacerdotis ac pectore: atque Samuelem osculo illo suo, vt indicant Procopius [e], ac Theodoretus [f], gratiam quæ sibi inerat impertisse.

Ceremoniarũ custodia regibus præcepta.

d 1 Reg. 10.1.
e ibidem.
f ibid.q.20.

Vers.20.] Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israël.

Paraphr.

Ex assidua legis diuinæ lectione, vt antea monuimus cum Caietano, colligit rex fructum modestiæ humiliatiísve ac facilitatis inter subditos quos habet fratrum loco; & vitæ in regno longæ tum pro seipso, tum pro filiis in eodẽ succedentibus. Sed alius in medio textus est fructus, quem non declinare in partem dextram vel sinistram designat, vt summa quadam iustitia cuncta rex administret. Ostendi Rabanus ait regem non debere superbiendo sua sequi libita; sed humiliter diuina seruare præcepta: Glossa scite ipsum oportere se esse fratrem; vnum verò patrem Deũ omnes habere; cui dicimus, *Pater* [z] *noster qui es in cælis*, &c. Rex inter homines aliquid maximum & excellentissimum est: si ergo, inquit Abulensis, rex consideraret solum statum suum, scilicet quòd omnibus aliis maior est, & alij subditi ei; putaret se nihil debere aliis; ita quòd nullum iustum esset inter eum & alios; sicut nec est inter hominem & possessionem suam. *Rectorem te posuerunt?* inquit scriptor Ecclesiastici [a]; *noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Quod de conuiuij præfecto, qui συμποσιάρχης, aut ἀρχιτρίκλινος vocabatur; modiperator magnusve magister, &c. dictũ, aptè ad alios transfertur modos regiminis: vt quibus commendati sunt non efferantur immodicè, nec dominentur imperiosè ac despoticè. Seruum ipsum idem Auctor [b] vult esse domino suo quasi animam, quasique fratrem sic tractari: & vt quisque quanto maior est, humiliet se in omnibus [c]. Modestiæ ac facilitatis exempla tum externa, tũ Christiana non desiderantur in principibus. Inter priora recenseri possunt qui domini; ac regis nomen refutauerunt Augustus [d], Tiberius [e], Scipio [f] Africanus, M. Ant. [g] Traianus verò talem præstaturum se imperatorem priuatis, qualem optaret ipse priuatus, respondit incusantibus amicis, quod parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium omnibus expositus esset [h]. In concilio Parisiensi [i] sub Gregorio IV. cùm describitur quis sit rex, quidve cauere debeat (quod per multa capita fit libri secundi) posita notione nominis, rex, rectè agendo, pia nimirum, iustè, & misericorditer, citato autem hoc loco nostro cum versibus præcedentibus; hæc habentur. *Attende quod timor Dei, & custodia præceptorum eius, & humilitas, quæ non patitur eum extolli super fratres suos*, &c. Monet allatum locum ex Ecclesiastico [k]: & ex Cypriano abusionem nonam ex libro de duodecim abusionibus, quæ sit rex iniquus, qui rectoris correctorisque aliorũ fungi officio nequeat. Humilitatem eidem suggerit verbis Fulgentij [l], qua præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat, & in timore magis seruire Deo, quam in tumore dominari populis delectetur. Subdit ex Isidoro [m], vt rex quo celsior, tanto semetipsum mente humiliet, Dauidis exemplo, qui vilis ante Dominum apparere gestiebat [n]: vt à rectè agendo nomen esse regis memores dum se sublimiorem sentit cæteris, mortalem se esse agnoscat. Similia reperiuntur in concilio Moguntiacensi [o] sub Stephano VI. Deus est quiuis rex quodammodo subditorum suorum, vt canitur in psalmis; sed sicut homo morietur, & sicut vnus de principibus cadet [p], Deúsque deorum dominus, stans in synagoga deorum, in medio deos diiudicat [q]; superbus autem, cum in honore est non intelligit; sed qui Deus cõstitutus est, sicut Moses Pharaonis [r], iumentis comparabilem se reddit, & similem [s], immò talis euadit quemadmodum Nabuchodonosor [t], honore absorbente intellectum, vt loquitur Bernardus [u]; Deo autem à facie iræ, & indignationis suæ eleuatum allidente [x]: rege seu principe non iam propter Dominum venerari volente, quàm pro Domino, inquit Gregorius [y], hoc est, ac si absolutus dominus esset, singularitate gaudens culminis, non æqualitate conditionis; neque curante apud se intra secretarium mentis, vt regendis hominibus prælatus, in cathedra præsideat humilitatis. Citat aliquoties antea prolatum Ecclesiastici [z] testimonium, reprehensos apud Ezechielem [aa] cum austeritate imperantes, & cum potentia; quod est,

z Matth.6.9.
a c.32.1.
b c.33.31.
c c.3.20.
d Sueto. in Aug.c.53.
e Idem in Tib.c.27.
f Liuius l. 27.
g Plutar. in Anto.
h Dio Cass. Plin. in panegyr. Eutrop.l.8.
i l.2.c.8.
k c.32.1.
l lib. de verit. prædest.
m 3.Sent.c. 48.& 49.
n 2.Reg.6.
o c.2.
p Ps.81.7.
q Ps.81.1.
r Exod.7.1.
s Ps.48.13.
t Dan.4.18. 29.
u Ep.237.ad Euge.Pap.
x Ps.101.
y 24. mora. c.19 & 30. vel 14 & 15.
z c.32.1.
aa c.34.4.

regem

regem esse apostatam [a] & imitatorem illius, qui despectis angelorum societatibus dixit [b]; *ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo*: dignum autem horrendo durissimoque iudicio, & potenter pati tormenta [c]. Humilitatis materiam, modestiæque aliam recte æstimanti suppeditat honor collatus, nempe si sibi eum intelligit tribui, quia Dei vices gerit, qui suam nemini gloriam date vult [d], non quia sit Deus, nec intumescat instar iumenti simulachrum Dei portantis, proinde ac si Deus ipse esset; de quo lusit egregio emblemate Alciatus [e].

Isidis effigiem tardus portabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat
Piásque genibus concipit flexis preces.
Ast asinus tantum præstari credit honorem
Sibi, & intumescit admodum superbiens.
Donec eum flagris compescens dixit agaso;
Non es Deus, tu, aselle, sed Deum vehis.

Prior Gabrias apologum illum edidit Græcè,

ὄνος ποτ' ἀγαλμα φέρων ...

[Greek verses illegible]

Quos versiculos periphrasticè Gabriel Faernus conuertit,

Simulachrum aselli baiulans argenteum
Cùm id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia est fieri ratus:
Iámque insolens elatus arrogantia
Nolebat ambulare, donec asperè
Probè dolatus suste clunes, audiit;
O stulte, non es tu Deus, sed fers Deum.

Sic decet oportétque vt se norit hominem, qui magistratum gerit: ne sæpenumero rusticus in ludo, aut seruus personam induit & laruam heri. Plinij [f] demum sententia præclara. Princeps vt se hominibus imperare norit, ita seipsum hominē quoque esse cogitet. Itaque voces & laudationes, quæ numini soli debentur, tanquam putidissimas assentationes oderit. Sed cognosce de intoleranda superbia regum ac principum, quæ artuli ad cap. 12. [g] Actuum Apostolorum, vbi recitatur populi acclamatio ad Herodis voces non vt hominis sed Dei, qui rex eo quòd non dedisset honorem Deo, percussus ab Angelo Domini est, & à vermibus cōsumptus, expirauit; cùm ab alio non minùs superbo, nec minus seuerè castigato, expressa hęc vox sit; iustum esse subditū esse Deo; & mortalē non paria Deo sentire [h]: & alius eadem de causa in bestiam transformatus narretur [i], vt priùs quoque attigi. Oecumenij [k] ratiocinatio non prætereunda, si eo quòd acclamationem illam Herodes tantùm audiuerat, & nihil ipse insolenter fuerat locutus, tam grauiter est ictus; multo magis Christum, si Deus non fuisset, perpessurum huiusmodi percussionem fuisse; cùm ipse semper diceret; *Verba hæc non sunt mea. &, Angeli mihi ministrant.* Christus nunquam familiariùs fratrum vocabulo discipulos [l] compellauit, nisi cùm post resurrectionem datam sibi dixit omnem potestatē in cœlo & in terra [m], minime tunc confusus vocare illos fratres [n].

Neque declinet in partem dexteram vel sinistram.] Plus est in reliquis editionibus (*ad non declinandum*, aut *vt non declinet à præcepto*, seu *à præceptis Domini, ad dexteram, vel ad sinistram.*) Occurrit hoc ipso capite [o] priùs, & in cap. 5. [p] eadem ista formula, éstque declarata Glossa interlin. ordinariáque, & Hugo explicant ne moueatur amicitia vel odio, vel qualibet occasione, sed tegat in virga ferrea [a]; quæ nimirum etiam cognominatur virga directionis & regni [b]: de quibus dictū in commentario Psalmorum. Philo [c], quem aliquoties nominaui, hoc quod non est deflectere in partem dexteram vel sinistram, declarat exemplo τρυτάνης trutinæ, existentisque in æquilibrio, & incedentis βασιλικὴν ὁδὸν regiam viam inter defectum & nimietatem ὑπερβολῆς καὶ ἐλλείψεως ... μέσην.

Vt longo tempore regnet ipse.] Græcè (*vt sit longæuus super principatu suo* ὅπως ἂν μακροχρονίσῃ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ.) Consecutionem Abulensis monet intelligi, non finem: cùm debeat rex non propter hæc quæ dicta sunt agere, vt augeatur honor eius aut laus, sed vt placeat Deo, & quia ista iusta sunt, licet hæc etiam mercatur. Dixi etiam priùs Philonem tali principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum notare propositi vice præmij, non quòd annosam ætatem polliceatur propheta rectè administrantibus rempublicā, sed vt nos doceat legitimum principem victurum etiam post obitum relicta post se immortali virtutis rerumque à se gestarum memoria. *Concupiscentia sapientiæ* ἐπιθυμία σοφίας (vno nomine φιλοσοφία vocatur) *deducit ad regnum perpetuum*, ait Sapiens [d], licet perpetui epithetum Græca editio non habeat. Et mox, *Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Attamen diuturnitas regni temporalis ac firmitas præsentis temporis Hebræis præsertim regibus iustè promittitur, vt & communiter aliis eiusdem gentis longitudo dierum [e], ac nominatim illis qui obsequerentur parentibus [f], quemadmodum & cuinis iusto esse in memoria æterna [g]. Fit plerùmque vt principum vita sit breuior, vel quia indulgent voluptatibus: vel quia plures habent vitæ insidiatores: vel quia curis vruntur acrioribus. Nondum septuagenarius Dauid ætatis plurimos dies habuisse dicitur [h], nec excessit annum septuagesimum, quia trigesimo anno regnare cœpit, & annis regnauit quadraginta [i]. Ioseph qui præfuit Ægypto, penultimus inter fratres natus, obiit primus [k]. *Omnis potentatus breuis vita*, ait Ecclesiastici [l] auctor; *rex hodie est, & cras morietur.* Vbi iuxta editionem Græcam videtur comparari rex potens sed improbus cum morbo diuturno iámque confirmato, quem Deus tanquā reipublicæ curator tollat subitò de medio, & rempublicam liberet tyranno, quo grauabatur, non relinquendo virgam peccatorum super sortem iustorum [m]. Petrus [n] Damiani Alexandro Papæ II. cur vita Romani Pontificis breuior esse soleat, respondens cùm Augustus imperauerit 56. annis, Dauid, vt est dictum, 40. obieruat multos principes sæculares gladiis peremptos, quorum etiam texit catalogum. Transfertur regnum de gente in gentem propter iniustitias, & iniurias, & contumelias & diuersos dolos [o]. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis [p]. Dux qui odit auaritiam, longi fient dies [q] eius: propter peccata terræ, multi principes eius: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit [r]. Multos licet intelligere aut simul, vt sit polyctaria, aut magis ad rem nostram, inuicem sibi succedentes ob vitæ breuitatem; cùm alioquin vnius regimen sit natura sua diuturnius, quàm plurium eodem tempore regentium, vt docet Philosophus [s], idcirco etiam præferens monarchiam, quemadmodum & apud Stobæum [t] Herodotus; quod annea monuimus. Experiri tot breui tempore principes perincommo

Marginal notes: a Iob 14. 13 — b Esa. 14. 14. — c Sapien. 6. 7. — d Esa. 42. 8. — e emble. 7. — f in panegy. — g v. 21. 23. — h 2. Mach. 9. 12. — i Dan. 4. 28. 29. — k in Act. 12. — l Matt. 28. 10. Ioan. 20. 17. — m Matt. 28. 18. — n Hebr. 2. 11. — o v. 11. — p v. 32. — a Psal. 2. 9. — b ps. 44. 7. — c de creat. princ. — Regiminis iusti præmium. — d Sap. 3. 21. — e ps. 90. vlt. — f Exod. 20. 12. — g ps. 111. 7. — h 3. Reg. 1. — i 1. Par. 29. [?] — k Gen. 50. 24. — l c. 10. 11. 12. — m ps. 124. 3. — n lib. 1. epi. 17. — o Eccli. 10. 8. — p ibid. v. 17. — q Prou. 28. 16. — r ibid. v. 2. — s 3. polit. c. 10. — t ser. 47.

incommodum est populis ac eorum peccatis pœnam eiusmodi probabile est infligi: simul etiam quia ipsimet principes peccata subditorum non corrigunt, non permittuntur à Deo diu regnare, contra verò si quis rempublicam sapienter administret, peccatáque coërceat & puniat, ac in officio subditos contineat, illius regnum diuturnius perdurabit. In conuiuio septem sapientum apud Plutarchum sensit ac pronunciauit Thales *eum sibi videri beatum, qui natura ordine senex moriatur εὐδαιμονίαν ἄρχοντος εἰ ἐτελεύτησε γηράσας κτ̀ φύσιν*. De eodem verò memorat idem auctor tanquam qui apud Amasim malè audiret ob odium in reges, interrogatum à Molpagora Ione, *quidnam vidisset insolens τὶ παραδοξότατον*, respondisse *τύραννον γέροντα tyrannum senem.* : Pittacum si solus dominari non fuisset aggressus, nunquam dictutum *ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι quod sit difficile probum esse.* Ad illam quæstionem quis maximè beatus & optimus rex, aliorum fuere responsa, vt id etiam attingam; Solonis si vnius imperium in popularem reipublicæ statum conuertat: Biantis, si primus pareat legibus patriæ: Anacharsis, si solus sit prudens; Cleobuli, si familiarium nemini fidat: Pittaci, si subditos ita condocefaciat, vt nō ipsum, sed ipsius causa metuant; Chilonis, si nihil meditetur mortale, sed omnia immortalia.

Et filij eius super Israel.] Hebraicè, Chaldaicéque (*in medio Israel*) Græcè (*in filiis Israel.*) Hoc quoque ad meritum boni regis pertinere Abulensis notat; confirmans ex tota progenie Dauid, quæ propter eum mansit, & aliàs delenda foret [a], cùm etiam Deus bona patrum præmiet in filiis vsque ad mille generationes. [b]. Caietanus in hoc ait insinuari quòd si constituerent regem, per successionem regnum ad regis filios spectaret. De hoc iure successionis actum nonnihil non semel nominatim inter Hebræos; & quo pacto iuxta communem naturæ legem, qua filij omnes ex vxoribus, quæ concubinæ non essent, licèt legitimi ex his etiam censerentur, æqualiter patri succedebant, & absque exceptione promissum est regnum posteritati Saülis si non peccaret [a], deinde Dauidis [b]: & nihilominus cùm essent plures filij tales, ad patris pertinebat voluntatem, quem regni designaret successorem; nisi aliter Deus peculiari reuelatione constitueret; quo tempore concurrebant electio & successio. Euenisse id antea quoque dixi cum Pineda [c] nostro, nō tantùm in exordio regni Hebræorum, verùm etiam postea. Vtut verò id acciderit, quoddam semper successionis ius perseuerauit, qui reges constituendi modus omnibus pensatis commodior habetur, quàm per electionem, & seruabatur præterea in magistratu sacro apud eosdem Hebræos, non autem nunc in Ecclesia; in qua quantum ad politicum, variant diuersæ nationes. Legendi tractatus de iure primogenitorum, & Petrus [d] Gregorius, qui successionem in principatu ciuili exemplis plurimarum nationum confirmat, præsentis item loci nostri testimonio, ac vaticinij Iacob de Iuda [e]: & ratione; Nam subditi libentiùs consueto Domino obtemperant: filius patri succedens meliùs nouit mores populi, ac statum regni, idque administrandi receptum iam modum: magis afficitur, maioréque animi conatu applicatur ad id vt suum tuendum, & promouendum: iisdem ferè vtens, quibus qui præcessit, ministris, minus vexat subditos nouis exactionibus ac tributis, cùm priora, si quę fuerint, iam priores aliqua ratione expleuerint, veluti culices humano sanguine, vt loqui solebat Tyberius; ipse verò tum ad seipsum emolumēta deriuat, quæ à regni non differunt emolumentis, in quo suimet succedunt dum certus ex eadem familia successor expectatur, tutior est regnantis vita: præciditur ambitiosis materia: libertiùs gubernat, & obseruatur diligentiùs, ac timetur is, qui successorem sui generis habet: fluctuat in interregno, sine rege, regnum, obnoxiúmque fit maximis periculis & sceleribus: adhuc superstes rex, vt quod iure successionis non habet, obtineat per electionem, nihil non molitur vt electores demereatur vel compellat, ad posteris deferendum suffragium. Sed iterum c. 21 [f]. de primogenitis recurret sermo.

a 3.Reg.11. & 15. *Parentum benè facta premiantur in filiis.*
b sup.Deut. 5.10. & c.7. 9. Exod.34. 7.

a 1.Reg.13. 13.
b 2. Reg.9. 53.16.lib.3. 8.19. 1.Paral.22.10. ps.88.5.35. ps.131.12. Hebr.1.5.
c 2. de reb. Salo.c.8.
d 7. de rep. c.5.
e Gen. 49 10.
f vers.15. & seqq.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
NOTABILIVM.

Prior numerus paginam, alter columnam; litteræ a, b, c, d, e interlinearem eiusdem columnæ litteram indicant.

A.

Animum

Beroth,

D.

Deorum

E.

Moneta

N.

O.

Sapientia

V.

Vitium